


6
38 N
3

LIBER PSALMORVM Dauidis, cum catholica expositione Ecclesiastica.


12· Cantica ex diuersis Bibliorum locis, cum eadem expositione.



[redacted] ANNO M. D. LXII. [redacted] Jacobi mag

Excudebat Henricus Stephanus, illustris viri Huldrichi Fuggeri typographus.

[redacted]



HENRICVS STEPHANVS OMNIBVS SACRAE poeseως studiosis S. D.



MEMINI me aliquando Romæ sermoni doctorum quorundam hominum, & in poetica præsertim fœliciter & cum laude versatorum, interfuisse, qui illam artem (quæ culta comptaq; supra omnes alias esse gaudet, quæ delicias verborum amat, quæ auribus denique potissimum seruit) in Hebraicam linguam asperam adeo atq; horridam cadere posse negarent: ideoque se magnopere mirari dicerent quid Antonio Flaminio in mentem venisset vt venam suam in vertendis Dauidicis Psalmis exercendam putaret. Hoc enim (aiebant) quid aliud erat quàm —sterili cõmittere semẽ arenæ? Ego verò, qui illos in arte quidem poetica valde exercitatos, sed huius sacri voluminis adyta nunquam ingressos esse, imò verò nunquam propius quàm à limine salutasse scirem, non vereri illis palam reclamare, & primùm pro ipso Dauide, deinde & pro Flaminio eius interprete respondere. Summa autem meæ orationis hæc fere fuit, Quum in interpretatione vetere Latina, licet infœliciter Hebraici idiomatis vim & ἐνέργειαν exprimente, multa tamen vestigia poetices apparerent, dicendum potius nobis tale quid esse quale de Demosthene dixisset AEschines, Quid si igitur ipsum Dauidem sua verba tonantem audiremus? Prolatis deinde aliquot exemplis, addebam tantum abesse vt Dauidicos Psalmos nihil cum poesi commune habere putarem, vt contrà nihil illis esse ποιητικώτερον, nihil esse μουσικώτερον, nihil γοργότερον, nihil denique plerisque in locis διθυραμβικώτερον aut esse aut fingi posse existimarem: ideóque Flaminium non sterile sed fertilissimum poeseως argumentum tractandum suscepisse: sed hominem leui socco (vt ita dicam) assuetum, sacri huius cothurni grauitati imparem fuisse, atque adeo tanto eius ponderi succubuisse. Ad id autem quod dicebant, linguam tam asperam ornatus & nitoris poetici non esse capacem, ita respondebam, duo esse ornatus genera: vnum, mollem & effœminatum, alterum, fortem & virilem esse: hunc autem in Psalmis (qui & illos deceat) non illum quæri debere. Quòd si carmen nullum paulo asperiorem sonum admitteret, Ennium, Accium, Pacuuium, alióssque veteres poetas Latinos, Caluo & Catullo necnon Tibullo collatos, ex albo poetarum expungendos fore. Quid quòd Græci poetæ plerisque in locis consonantium quarundam epenthesi læuitatem vocum, à grauitate argumenti quod tractant alienam, corrigere, & asperitatem eis asciscere coguntur. Hæc & alia, quæ referre & lõgum & fortasse superuacaneum esset, tunc temporis me disserere memini. Nunc autem, quum in alios eandem dubitationem mouentes, imò verò eandem opinionem pertinaciter tuentes postea inciderim, operæpretium fore existimo semel omnibus de sacro vate tam profanè loquentibus aut loquuturis, firmis rationibus os obstruere. Non quòd hinc aliquid dignitati huiusce operis decedat, sed ne huiusmodi falsa persuasione imbuantur ii qui ad res alioqui salutares sine externis quibusdam illecebris inuitari non possunt. Et quoniam hoc volumen non Dauidicos duntaxat alióssque qui sub eius nomine feruntur Psalmos complectitur, sed & cantica vndique ex Bibliis collecta continet, exempla quibus illorum sententiam refellam, meam autem asseram, hinc inde, prout memoria mihi suggeret, depromam. Primùm autem eos locos proferam qui non tantùm poetica quædam velut diuerticula habent, sed longè latéque per calles poeticos expatiantur. Audi igitur Psalmi 104 initium,

1 *Benedic anima mea Iehouæ. Iehoua Deus mi magnificatus es valde, gloriam & decorem induisti.*
2 *Amictus luce sicut vestimento, extendens cœlos quasi uelum.*
3 *Contignans in aquis cœnacula sua, ponens nubes uehiculum suum: ambulans super alas uenti.*
4 *Faciens Angelos suos, ventos: ministros suos, ignem flammeum.*
5 *Fundauit terram super bases suas, non nutabit in seculum & vsque.*
6 *Abysso quasi veste operuit eam: super montes stabunt aquæ.*
7 *Ab increpatione tua fug. &c.*

Quid obsecro est poesis, si hoc non est? Quis vnquam poeta cælestia à sensibus humanis adeo remota tam prope oculos admouit? Quis vnquam poeta cōparationibus ad exprimendam pro captu humano diuinam maiestatem vsus est aptioribus? Quis vnquam res adeo altas pandere (vt & ipse poeticè loquar) verbis altioribus, magnificentioribus, significantioribus potuit? Quis vnquam φαντασίας tam præclaras ad res huiusmodi exprimendas excogitauit? Consideremus prima verba, *Benedic anima mea Iehouæ.* quis in hac Psaltis ad animam suam exhortatione non aliquid Homericum aut Pindaricum agnoscit? nónne Homerus eodem modo suam κραδίην, Pindarus autem φίλον ἦτορ adhortatur? Illud autem, *Gloriam & decorem induisti,* nónne metaphoram poeticam & quidem elegantissimam habet? Itidem verò quod alibi dicit, *Induit Iehoua fortitudinem,* nónne ad verbum illi Homerico respondet, ἐπιειμένον ἀλκήν? Itidem verò *Amictum esse luce,* nónne eodem modo dictum est quo ab Hesiodo ἠέρα ἑσσάμενοι? Eadem enim ratione dicitur Amictum esse luce, & Amictum esse tenebris, siue caligine. De illo autem quid dicemus? *Ambulans super alas venti.* quis nisi pictor aut poeta ventis alas affingit? Idem autem facit & Psal. 18, in quo descriptio huic affinis habetur, in qua Deum ira æstuantem miris coloribus depingit, canens,

8 *Tum commota est & contremuit terra, & fundamenta montium mouerunt se, mouerunt se, inquam, quoniam iratus erat.*

9 *Ascendit fumus in nares eius, & ignis ex ore eius consumpsit: carbones succensi sunt ab eo.*

10 *Et inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.*

11 *Et equitauit super Cherub, & volauit, volauit inquam super pennas ventorum.*

12 *Posuit tenebras latibulum suum: in circuit. &c.*

Quod autem proximè sequente Psalmo de cælis dicit, eos gloriæ diuinæ esse præcones, nónne emphasi poetica expressum est? Et quæ habetur ibidem solis cum sponso de thalamo suo egrediente, item cum gigante, vel strenuo bellatore comparatio, nōne est huiusmodi vt aptiorem, venustiorē, honorificentiorē nullæ excogitare Musæ potuerint? Neque enim sponsus ad spōsam prodire solet nisi cultus & comptus, nisi nitidus: nec prodit nisi valde expectatus. Quid sole itidem iubar aureū exerente cultius & nitidius? quid pulchrius? quid verò humanis oculis iucundius, quid expectatius aduenire potest? Rursum verò cum quo dignius comparari poterat solis in conficiendo suo curriculo alacritas quàm cum forti milite, alacri & prompto animo ad pugnam currente? vel (vt alii exponunt) strenuo cursore ad metam sibi in stadio propositam tendente? Nam impares quidem comparationes has esse fatendum est, sed ita tamen vt quatenus magna cum paruis (id est, diuina cum humanis) licet componere, nullæ accommodatiores ad exprimendam vatis mentem excogitari ab vllo vel Homero vel Pindaro potuerint. Sed transeamus ad Psalmum 107,

23 *Qui descendunt in mare nauibus, negotiantes in aquis magnis,*

24 *Ipsi vident opera Iehouæ, mirabilia eius in profundo.*

25 *Et dicit, & excitat spiritum procellæ, & in sublime attollit fluctus suos.*

26 *Ascendunt in cælos, descendunt in abyssos: anima eorum in malo dissoluitur.*

27 *Agitantur, & nutant tanquam ebrius: & omnis intelligentia absorbetur.*

Quod hîc dicitur, Ascendunt in cælos, descendunt in abyssos, nónne idipsum est quod Maro poeticè his versibus expressit?

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus vnda.

Quod item Naso istis quatuor?

Me miserum quanti montes voluuntur aquarum:
Iamiam tacturos sydera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles:
Iamiam tacturas Tartara nigra putes.

Vt interim illud Virgilianũ omittã, -fluctúsq; ad sydera rollit. Itẽ, -& sydera verberat vnda. Cur verò vna eadéque sẽtẽtia Latinis expressa verbis, aut Græcis, (nã & apud Græcos extat huiusmodi hyperbolica comparatio) à poesi manare dicetur, Hebraicis autem vocibus prolata, non item poeticæ adscribetur? At illa nauigantium cum titubantibus ebriis cõparatio in nullo eorum quæ extant poematũ (quod meminerim) legitur, sicut nec alia multa quæ apud hunc sacrum vatem reperiuntur, futura alioqui & Græco & Latino poemati aptissima & pulcherrima emblemata. Et certè sacrum vatem aliqua sibi habere peculiaria, quibus à profanis differret, æquissimum erat. Idem igitur cum de aliis plerisque descriptionibus, & comparationibus dici potest, tum verò de illa qua liberorum gregem mensam paternam circunstantem plantis oliuarum confert, Psal. 128. De illa quoque quæ Psalmo primo habetur, sanequam suaui & venusta, idem dicendum existimo. Sunt tamen apud hunc Psalmographum & abstrusiores nõnullæ, id est à communi vsu paulo remotiores, quæ alibi quoque extare cõperiuntur. ex quibus est illa, Psal 35, ver. 14, *Tanquam lugens matrem, deiiciebam caput*. Vel, Demittebam caput, aut vultum. Id est, Demisso in terram vultu incedebam. Ita enim Horatius, --Rufus posito capite, vt si Filius immaturus obisset, flere.

Iam verò quod ad hyperbolas attinet, nullus (quod sciam) palmam ei hac in parte præripit. neque enim ὑπερβολικωτέρας apud quẽquam me legere memini, & non video quid ὑπερβολικώτερον dici queat quàm quædã ab hoc nostro Psalmographo dicta passim occurrunt. Interim tamen nonnullis quoque vtitur quæ apud profanos poetas tritæ & peruulgatæ sunt. vt quum pro eo quod illi fontem lachrymarum ex oculis suis manasse dicunt, Dauid *cubile suum lachrymis innatasse* dicit. Psalmo autem 124, odium acerbissimum & crudelissimum exprimere volens, dixit, ver. 3, *Tunc viuos deglutissent nos, quum excandesceret furor eorum in nos*. Hoc autem loquendi genus Homerũ non ignorasse ostendit hic eius versus,

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιό τε παῖδας.

Sed & Xenophontem id ex Homero esse mutuatum, in prolegomenis Xenophonti nuper à nobis edito præfixis docuimus.

Metaphoræ autem apud quem poetam aut frequentiores sunt, aut elegantiores, atque adeo efficaciores, maiorémque emphasin & ἐνέργειαν habentes? Cælum, *Dei tabernaculum*: tonitru, *Dei vocem*: fulmina, *sagittas* Dei appellat. Ex quibus primam & tertiam cum profanis poetis cõmunes illi esse fateor, cælum, Iouis regiã, vel simpliciter ædes, Διὸς aut Ζηνὸς δώματα, vel ὑπέρτατα δώματα, aut ἕδος ἀσφαλὲς vocantibus: fulmen, item, Iouis telum, vel sagittã, Διὸς βέλος, vel ψολόεν βέλος nuncupantibus. At illa secũda metaphora qua tonitru vox Dei appellatur, longè magnificentior est & ad exprimendam diuinæ maiestatis potentiam accommodatior quàm quæ apud Græcos poetas frequentissimo est in vsu. Nec enim illi Iouem suum tonantem loqui simpliciter aut vocem emittere, sed βρέμειν, aut σμαραγεῖν, aut κτυπεῖν dicunt. vnde ὑψιβρεμέτην, & ἐρισμάραγον, necnon ἐρίκτυπον cognominant. sed hoc postremũ Neptuno quoque interdum tribuunt. Fulgur autem vtrique flammam appellauerũt. Ita enim Psal. 29. ver. 7, *Vox Iehouæ elicit flammas ignis*. Vel, *flammas ignitas*. Eodem quoque modo Naso fulgetrum seu fulgur flammam vocat, sed addito celeris epitheto, vbi canit,

Hei mihi quàm celeri micuerunt nubila flamma,
Quantus ab æthererio personat axe fragor.

Sed hæ tamen metaphoræ non tam ab vsu communi remotæ sunt, nec auribus vulgi tam peregrinæ quàm aliæ quædam quæ Hebraicis hisce carminibus inspersæ visuntur. quale est quòd vinum sanguis vuæ appellatur, item quòd nasus seu nares pro ira ponuntur: si tamen huiusmodi τροπαὶ inter metaphoras simpliciter referri debent. Certè quod ad vinum attinet, AEschylum quoque aliósque nõnullos αἷμα σταφυλῆς appellasse constat. Necnon iræ sedem in naribus ipsi quoque Græci poetæ esse voluerunt. Vnde est illud,

Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὴ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Illud porro quod in Mosis cantico Deuter.32,legitur, *Inebriabo sagittas meas sanguine*, si ab aliquo Græco Latinóue poeta prolarum esser,papæ quãta omniũ admiratione exciperetur,quãtam apud omnes laudem mereretur, quàm διθυραμβῶδες id esse cuncti poetices studiosi clamarent: nunc quia & ab Hebræo viro & Hebraicis vocibus prolatum est,nobis vile erit,imo etiam sordebit,nihílque in eo poeticum agnoscemus? Absit tale à Christianis hominibus iudicium. Quid quòd Eustathius veteres poetas Græcos à Dauide, dicenre, *Qui dat niuem sicut lanam*, illud genus loquendi quo niuẽ appellant ὕδωρ ἐριῶδες (quasi dicas aquam lanosam) mutuatos esse asserit? Sed huius loci non est latius hoc argumentum persequi:alioqui certè plurima & propemodum innumera loquendi genera,partim sacris vatibus peculiaria, partim etiam illis cum profanis communia,variis ex locis possem depromere. At duo exempla addere contentus ero:quorum vnum est cuiusdam loquendi generis quod illi commune cum his habent,alterum autem formulæ sermonis quam illi sibi peculiarẽ obtinent. Prius est Psal.17.ver.8, *Custodi me vt nigrum pupillæ oculi.* Et apud Zachariam, *Qui tangit vos,tangit pupillam oculi mei.* Larini autem poetæ dicũt, Amare tanquam suos oculos,vel Amare plus suis ocellis,aur Non minori in pretio habere quàm suos ocellos:& sic quoque Græci:(vnde illud apud Moschum, Τὸν μὲν ἐγὼ πίσυνον ἴσον φαέεσσιν ἐμοῖσιν)sed quanto ἐμφατικώτερον sit pupillam oculi quàm oculum simpliciter dicere, quicunque iudicio valet,facilè intelligit. Nam qui oculum dicit,rem pretiosam dicit,sed qui pupillam oculi,id quod in oculo est omnium pretiosissimum. Vnum ergo ex multis hoc sit exemplum eorum loquendi generũ in quibus lingua Hebraica Latinam longè superat. Exemplum autem formulæ sermonis quam sibi Hebræi vendicant, sibíque propriam & peculiarem habent,hoc esse possit, *Erúntque cæli tui,qui sunt supra caput tuum,ærei,& terra quæ est subter te,ferrea*, Deuteronom.28. Sic autem & Leuit.26, *Dabo cælum vestrum sicut ferrum, & terram vestram sicut æs.* I nunc & euolue poetas omnes vtriusque linguæ, heroicos, tragicos, lyricos, dithyrambicos, quid tale apud eos reperies? quis vnquam tam significantia, tam emphatica,tantæ maiestatis plena apud eos verba legit? Sed quid mirum est ex ore sacro profecta verba ab iis quæ profani homines proferunt longè differre? Imò verò reprehensione fortassis non carebit hæc quam institui comparatio,tam dispar, támque inæqualis, apud homines Hebraicæ linguæ peritos. Sed illi considerent velim me hîc ad eos quorum initio mentionem feci,non autem ad eos qui vel minimum in huius linguæ cognitione progressum fecerunt,sermonem dirigere. Qui certè non omnino apud æquos iudices venia indigni fore videntur:quippe qui ex ipso duntaxat sono, qui nimium delicatis eorum auribus horridus & asper ac propè tremendus accidit, linguam Hebraicam(quam non admirari tantùm sed etiam venerari Christianos decet) meriri soleant. At de illo quid dicendum est qui simulac in Hebraicarum literarum cognitione profectum aliquem sibi fecisse visus est,quum earum vel hoc nomine defensor acerrimus esse debuisset, eas perfidè prodidit,earúmque maiestatem imminuere atque adeo impiorum subsannationibus exponere pro virili conatus est, quum primò quidem Mosen Latinum, postea verò(vt paulatim audacia creuit)Christum quoque Latinum magno cum imperitorum hominum applausu edidit? Quid est religionem Christianam naso suspendere,si hoc non est? Quid est sacrosancta loquendi genera profanare, si hoc non est? Quid est Hebraicam linguam infantiæ accusare,si hoc non est? At qui(dicet forsitan aliquis)nónne potius eorũ operam & studium laudare debemus qui ea quæ in sermonem Latinum alii conuerterant, minimè seruata Latinitatis proprietate, multo verò minus seruato eius nitore, in sermonem magis proprium magísque nitidum murare conantur? Equidem.sed hîc adhibendum iudicium seruandúsque erar modus. Sunr enim quæ in Latinam aut aliam quamlibet linguam transferri,non verbis duntaxat tenus, sed ipso loquendi genere Hebraico in Latinum mutato,sine vllo periculo poterant(nimirum vbi nihil de perspicuitate sermonis, nihil de elegantia, nihil de vehementia,seu emphasi,nihil de grauitate vel maiestare decedebat, sed quæcunque inerant Hebraico idiomati virtutes, in alia lingua saluæ manebanr.) At rot Hebraismos, miram quandam vim & ἐνέργειαν & mirum quod-

dam pondus habentes, infixúmque cordibus lectorum nescio quid maius quàm exprimi possit relinquentes, præterea verò vsu iam receptos, addo etiam, alios illorum temporum simplicitate, alios maiestate diuina dignos, eámque nobis tanquam in speculo repræsentantes, in voculas aliquot Latinas, & eas quidem vtplurimum futiles commutare, & lectoribus fallacem huiusmodi eloquentiæ laruam pro vera sacrosanctæ linguæ eloquentia obtrudere, cuius impudentiæ, cuius arrogantiæ, cuius denique (nequid grauius dicam) furoris fuit? Sed valeat ille cum suis Latinitate fucatis Bibliis: nos linguam Hebraicam, qua Deus Opt. Max. nobis oracula sua patefacere dignatus est, reuereamur, suspiciamus & amemus: nec eam horridam & asperam auribus hominum eius cognitionem adeptorum esse putemus, sed præterquam quòd maiestatis præ aliis omnibus plena est, suos etiam lepores suásque veneres habere nobis persuadeamus. Nec verò interim illorum studium reprehendo, imò verò summis laudibus extollendum censeo, qui hosce Psalmos Latinis versibus ita reddiderunt vt non metaphrastas sed paraphrastas se professi sint. Duo autem potissimum in hoc argumento maxima cum laude versati sunt, Antonius Flaminius Italus, & Georgius Buchananus Scotus: de illo antea dictum à me fuit: de altero autem tum dicendi locus erit quum eius paraphrasin (quod Deo iuuante propediem fiet) luce donabo. Interim tamen vt aliquem eius gustum vobis præbeam, & omnium oculis pulcherrimam illius Dauidicæ poeseos imaginem subiiciam, primam illam quam attuli ex Psal. 104. descriptionem, Latino carmine ab eo expressam proferam. Spero enim fore vt siqui poesin in Psalmo illo numeris soluto (tanquam aliena veste induto) non agnoscebant, nunc tandem in eodem suis numeris vincto (tanquam suo amictu vestito) agnoscere incipiant. Ita igitur ille,

Te rerum Deus alme canam dominúmque patrémque.
Magne parens, sancta quàm maiestate verendus
AEtheris æternas rector moliris habenas.
Te decor, [illegible] ambit te gloria pennis,
Et circunfusum vestit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria cæli,
Et liquidas curuo suspendis fornice lymphas.
Et leuibus ventorum alis per inania vectus,
Frænas, ceu celeres, volitantia nubila, currus.
Apparent accinctæ auræ, flammæque ministræ,
Vt iussa accipiant. stat nullo mobilis æuo
Terra super solidæ nitens fundamina molis,
Pollenti stabilita manu: terra obruta quondam
Fluctibus, vt fuso super ardua culmina velo:
Sed simul increpuit tua vox, tonitrúque tremendo
Insonuere auræ, paulatim ascendere montes
Cernere erat, sensimque cauas subsidere valles,
Inque cauas valles trepidas decurrere lymphas.
Neue iterum, &c.

Hæc ad specimen dandum sint satis, dum ad edendum totum opus me accingo. In qua editione & de Psalmo illo qui extra numerum vulgò receptum, & in Hebraico volumine comprehensum, in quibusdam LXX interpretum codicibus extat, aliquid (si vacabit) à me dicetur. Valete.

Nomina authorum ex quorum ſcriptis hæc catholica in Pſalmos expoſitio collecta eſt.

Martinus BVCERVS,	B
Iohannes CALVINVS,	C
VVolfgangus MVSCVLVS,	M
Iohannes Bugenhagius POMERANVS,	P
Iohannes Baptiſta FOLENGIVS,	F
Auguſtinus MARLORATVS,	A

pagina

Alicubi etiam (ſed paucis in locis) litera P ſuperpoſita Pellicanum authorem denotat.

~. 1. In Canticum primum Moſis, Exod. 15. 1 — 552.

Huldrichus ZVINGLIVS,	Z
Nicolaus GALASIVS,	G
Martinus BORRHAVS,	B
Franciſcus VATABLVS,	V

~: 2. In Canticum Moſis ſecundum, Deut. 32. 1 — 554.

Martinus LVTHERVS,	L
Martinus BOR.	B
Iohannes Bugenhagius POM.	P
Franciſcus VAT.	V

~: 3. In Canticum Deboræ, Judi. 5. 1 — 557.

Martinus BVC.	B
Petrus MARTYR,	M
Franciſcus VAT.	V

~: 4. In Canticum Hannæ, 1. Sam. 2. 1 — 560.

Conradus PELLICANVS,	P
Franciſcus VAT.	V

~: 5. ~: 6. ~: 7. In Cantica duo Eſaiæ, & Canticum Ezechiæ quod apud eundem habetur. Esaiae 5. 1 — 561. 26. 1 — 564. 38. 10 — 574.

Martinus LVTH.	L
Iohannes OECOLAMPADIVS,	O
Huldrichus ZVING.	Z
Iohannes CAL.	C
VVolfgangus MVSC.	M

~: 8. In orat. Danielis, Dani. 9. 4 — 578.

Iohannes OECOL.	O
Iohannes CAL.	C
Franciſcus VAT.	V

~: 9. In orat. Habacuc, Hab. 3. 2 — 582.

Iohannes CAL.	C
Franciſcus VAT.	V

~: 10. ~: 11. ~: 12. In Canticum Mariæ Virginis, & Zachariæ & Simeonis, Luce 1. 46 — 587. 1. 68 — 590. 2. 29 — 594.

Illi iidem qui in edita à nobis Expoſitione Eccleſiaſtica in nouum Teſtamentum nominati fuerunt.

In Psalmos Dauidis Catholica expositio ecclesiastica.

ARGVMENTVM PSALMI PRIMI.

Siue Esra, siue alius quispiam Psalmos in vnum volumen collegit, videtur operis initio Psalmum hunc locasse præfationis instar, quo pios omnes hortaretur ad Legis Dei meditationem. Summa est, beatos esse foréque qui repudiatis consiliis & institutis reproborum, Legi Dei cognoscendæ vitáque exprimendæ sese totos addicunt; miseros verò omnes profanos Dei contemptores. Nam quamuis ad tempus se beatos putent, pessimum tamen illis instat exitium.

BEATVS ille vir qui non ambulat in consilio impiorū, & in via sceleratorū non insistit, & in cathedra derisorum non sedet.

Beatus ille vir. Omnes beatitudinē quærūt, sed quæ sit ignorare necesse est omnes quotquot Spiritu Dei non erudiuntur: vt vel in hac vna de beatitudine quæstione appareat rationem ad ea quæ Dei sunt penitus esse cæcam. quemadmodum Paulus ostendit 1. Cor. 2. d. 14. Siquidem vulgus philosophorum, qui se aliorum magistros iactitabant, quàm fœdè hallucinatum sit quis ignoret? Beatitudinem huius vitæ commodis metiebantur, & qui cordatiores videbantur, virtutem nostris viribus paratam beatitudinem fecerunt: quum tamen diuersum ostendat nobis omnis beatitudinis author Spiritus ille Dei: nempe, bene semper fore piis Dei cultoribus, qui assiduè in eius Lege proficere student. Quia enim à maiori parte mundi ridetur eorum simplicitas, ac si operam luderent, hoc clypeo munire vtile fuit, cunctos mortales sine Dei benedictione miseros esse. Porro quod ex Græco legim⁹, Beatus vir, Hebraicè ad verbum legitur, Beatitudines sunt viri illius. Nam Hebræis id nomen quo beatitudinem & fœlicitatem significant, plurale tantùm est, sicut & quo vitam: qualia apud nos sunt Diuitiæ, Opes & similia. Rationē verò huius R. D. Kimhi reddere hanc conatur, quòd nemo ab vno & altero, sed si pluribus bonis affluat, fœlicis ac beati nomine feratur. Vtcunque hoc sit, germana huius nominis significatio idem indicat quod nobis fœlicitas & beatitudo: quemadmodū videre licet Gen. 30. b. 10. & Deu. 33. d. 29. Cæterū quia sēper tāta corruptio in mūdo grassata est, vt fere cōmunis viuendi rationi nihil aliud esset quā defectio à Lege Dei, antequā Propheta fœlices Dei discipulos esse pronūtiet, cauendū esse præcipit ne eos abripiat vulgi impietas. Nā à malorū detestatione incipiēs, fieri nō posse admonet vt cor suū quisquā applicet ad meditationē diuinæ Legis, nisi ab impiorū societate se colligat ac separet. Et sanè studiū Dei in duobus cōsistit: primò, vt quæ Deo displicēt auersemur: altero, vt quæ illi probātur cupidè amplectamur. Ideo vtrāque istā pietatis partē hoc ordine distinxit Vates, vt primùm in isto prædicet quòd impiorū qualecunque cōmercium sedulò fugiat, ac tum demū versu altero subnectat quāta sedulitate diuinæ volūtati noctes atque dies studeat. Sunt qui Viri nomen ideo in versione supprimendū existiment quòd dū de pietatis ratione agitur, omne & sexus & rerū externarū quarūlibet discrimē facessere debeat: iuxta illud Pauli, In Christo Iesu nō est mas neque fœmina, nō Iudæus aut Græcus, sed omnes vos vnus estis, Gal. 3. d. 28. Ideo reddūt, Beatus ille, vt in hāc sententiā ipsum accipiam⁹, Is demū (est enim hic nota emphaseos) quisquis sit, mas aut fœmina, reciso præputio nobilis Iudæus, aut seruato infamis Ethnicus, moltiscius philosoph⁹, aut amusus barbarus, detritus multo rerū vsu homo politicus, vel imperitus vitæ rusticus: is (inquā) quisquis aliàs sit, q. callidis malorū vndique pro perituris seculi rebus tumultuantiū inuētis nō accesserit, multo min⁹ prauis peruersisq; institutis sceleratorū, quos iā peccare depuduit, sese dediderit, animumq; fixerit: omniū autē minimè sodalitati eorū qui iā omne ius & fas ridēt, eósq: qui aliqua religione tenentur ludibrio habent, nomē dederit, iā cū illis malitiā, audaciā & impudentiā velut professus: sed longū valere his dicto, toto pectore, omnique cū auiditate, supernæ sapiētiæ, qua & Deus & Deo digna vita (hæc est cōsummata fœlicitas) nō tā discitur quàm percipitur, sese addixerit: nihil aliud cogitāt, nihil æquè curās, quā vt cōditori vitā suā approbet Legi eius conformatā, eūmque quoad eius fieri potest, referat filius Patrē: hic inquā, beatus & bonis omnib⁹, atque iis certis, solidis & æternis cumulatissimus fuerit.

Hic sensus optimus est, quē, etiā si viri nomē addatur, retinere possumus: quū certū sit Scripturā de viris loquentē fœminas quoque vt plurimū intelligere. *Qui non ambulat.* Hebræus verba hæc ambulādi, stādi, ac sedēdi in forma præteriti tēporis posuit, vtpote Ambulauit, Stetit, Sedit: sed hæc verti possunt per præsens, vt alia pleraque. Non enim de præterito aliquo pietatis studio, sed de præsenti loquitur Vates. *In consilio impiorum.* Propheta studiū iustitiæ prædicaturus, primū illius gradū ponit secessum à malis: iuxta illud, Declina à malo, & fac bonū, Infrà, 37. c. 27. Sicut enim corporis sanitas acquiri non poterit, nisi prius materia morbū illius causate abiecta, ita fieri nequit vt iustitiæ vacetur, nisi primū studiū malitiæ reiiciatur. Vtilis certè admonitio. Videmus enim quàm incōsideratè in Satanæ laqueos se omnes proiiciant, saltē quàm pauci sibi caueāt à vitiorū illecebris. Quare ne tam simus improuidi, hoc tenere necesse est, mundū exitialibus corruptelis refertū esse, vt primus ad rectè viuendū sit ingressus renūtiare impiorum consuetudini, quæ nos alioqui sua lue inficeret. Quia omne quod est in mūdo (veluti cōcupiscentia carnis, & cōcupiscentia oculorū, & fastus vitæ) nō est ex Patre, 1. Ioh. 2. c. 16. ideo lethiferū & exitiale est. sicut alibi dicitur, Mūdus totus in malo constitutus est, 1. Ioh. 5. d. 19. Ergo Propheta hic docet neminē ad Dei timorē & cultū Legisque studiū rite posse animari, donec statuerit miseros esse omnes impios, & eodē implicitū iri exitio qui nō procul ab eorū cōsortio discesserint. Sed quia res est difficilis impios, quibus permisti sumus, ita fugere vt sim⁹ prorsus ab ipsis alieni, Propheta ad augendam exhortationis vehementiā, verborū cōgerie vtitur. Etenim hæc, non ambulare in cōsilio impiorū, non insistere in via sceleratorū, & non sedere in cathedra derisorū, prope idē significāt, cōsensū scilicet & consuetudinē cū improbis. sed hæc aceruatio gratia explicādi magis atque iuxtà detestandi improborū & societatē & cōsectationem adhibita est. Sūma quidē est, dandā esse operā seruis Dei vt ab illorū moribus in totum abhorreāt. sed quia astutè suas fallacias insinuat Satan, nequis incautus fallatur, ostēdit Propheta quomodo paulatim à recta via deflectere soleāt homines. Neque enim primo statim gradu ad superbum vsque Dei contēptum procedūt: sed postquā cœperunt malis cōsiliis aurē præbere, longius subinde eos Satā abducit, donec in manifestā defectionē ruāt. Ideo à cōsilio incipit Propheta: quo nomine intelligimus prauitatē quæ nondū palam se exerit, item astutas rationes & versutias quibus improbi & rē facere, & delicias venari, & ad nomē potētiāmque eluctari solent, nulla aliorū ratione habita. Deinde nominat viā: quæ sumitur pro ratione viuendi vel instituto. Tertiò ponit cathedrā: qua voce metaphoricè designat conceptā ex cōtinuo viuēdi more duritiē. Eodē etiā referri debēt tria verba, Ambulare, Insistere & Sedere. Stare enim plus est quàm ire, & sedere plus quàm stare. Sic leuius est obiter accedere placitis malorū quā animū in more institutóq; eorū velut statuere & figere: & hoc minus quàm ita illis se addicere atque inserere, vt tāquā vnus ex eis malitiā palàm profitearis. Itaq. vbi quis spōte post prauas cōcupiscentias errauit, eū inebriat peccādi cōsuetudo, vt sui oblitus in malitia obdurescat: quod Propheta vocat in via insistere. Tandē sequitur desperata obstinatio, quam sessionis metaphora designat. Sed iā singula diligentius excutiamus. Pro eo quod Hebræi habent רשעים, nos vertimus Impios, alii improbos. Impius autē propriè est ignorās Dei, & non requirens Deum. Iam alius est manifestè impius, qui & contemnit Deum, & talis videri ab hominibus non erubescit. Alius verò impius quidem est, sed hypocrita. Hanc ipsam impietatem non solùm hominibus, sed etiam sibiipsi occultat, vt sanctitas & iustitia videatur id quod mera hypocrisis est & impietas. Illum etiam mundus indicat: hunc verò verbum Domini, siue Scriptura sacra; quæ Spiritu Dei nobis prodita est. R. Abraham רשעים, inquit, sunt instabiles, qui non manent in eadem dispositione: iuxta illud, Impii sicut mare concitati sunt, quod sedari nequit, agitationéque vndarum nihil nisi spumā & lutum efficit, Esa. 57. d. 20. Qua similitudine Vates significare voluit nunquam quietè viuere malos, ac semper rerum suarum satagere, esséque occupatos, nunquā tamen id assequi vt bene beatéq; viuāt. Horū consiliū exitiale esse Propheta hic asserit, sicuti fructū huius cōsilii Solomō elegāter exponit, vbi peccatores inducit ad sua studia hisce verbis allicientes, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscōdamus tendiculas, &c. Prou. 1. b. 11. Impii ergo sunt qui animo sunt inquieto &

turbulento: quales esse solent ἄθεοι, quibus vt nullus est Dei respectus, nulla erga Deum fides, nulla religio in corde, ita nihil veræ pacis possident, neque vnquam solida cordis quiete potiuntur. *Et in via sceleratorum non substitit.* חטאים, quos quidam flagitiosos, vulgò verò vertetunt peccatores, non sunt qui quouis modo peccatis obnoxii sunt, sed qui iam perfricta fronte ita peccatis sese addixerunt, vt inde meruerint cognomen. quales ii erant qui in historiis Euangelicis peccatores vocantur, [a] veluti Matth.9.b.10.11.13, & 11.c.19, & 26.d.45, & Luc.5.f.30, & 19.a.7, & Iohan.9.c.16.f.31. qualisque illa in ciuitate peccatrix, Luc.7.f.37. Hoc certè nomine Sodomitæ, Gen. 13.c.13, & Amalechitæ, 1.Sam. 15.d.18. חטאים, id est, peccatores vocantur. [m] Viam istis tribuit Propheta, propter impietatis illorum in peccatis nō solùm expressionem, sed & progressum, vsum, consuetudinē & continuationem. [b] Ergo via sceleratorum mores eorum sunt & instituta, in quibus quasi in via gradientes versantur. Metaphora hæc, qua per viam ratio certa viuendi, aut negotii gerundi, aut successus, sed & rerum quarumlibet conditio & affectus significatur, vsquam nō in Scriptura occurrit. *Et in cathedra derisorum non sedit.* לצים, quos quidam malitiosos vertunt, R. D. Kimhi dicit esse astutos, & ad lædendum callidos, tum arrogantes, quorúmque studium sit alios infamare, & secreta reuelare, atque ita concordiam labefactare, hoc est diabolos agere, sycophantas & perperos quosdam homines insigniter malos, & ad lacessēdum alios nō minus appositos quàm percupidos. [c] Vel breuius, Derisores dicuntur qui abiecto omni Dei timore, peccandi licentiam ex fiducia impunitatis arripiunt, & quasi nunquam sit reddenda ratio, securè Dei iudicio illudunt. [m] Hoc certè hominum genus non solùm corde est impium, & per omnem vitā peccandi studio deditum, sed & tale cui omnis pietas ac rectè viuendi doctrina & ratio ludibrio sit, summæque stultitiæ loco ducatur. [a] De his abunde Petrus 2.Epist.3.a.3. [m] Sedes his datur, nō illa quæ rerum firmitudinem ac stabilitatem significet, (quū omnia illorum fluxa sint & caduca) sed qua concepta ex continuo viuendi more durities designetur, [a] vt iam dictum est. [m] vel certè sedis hic dictione cœtus & consessus consultantium intelligitur: vnde & Chaldæus habet בסיעת, id est, & in cœtu derisorum. Solet enim vsuuenire in hoc seculo vt impii homines in conciliis & consessibus iudicum priores habeant, ac regnent. [a] Ergo sedere & ingredi cum malis positum est pro Conspirare cum eis, & scelerum inire societatem. Sic alibi eiusdem metonymiæ vsus est. Nō sedi cum hominibus vanis, & cum dissimulatoribus non ingrediar. Odiui cœtum malorum, & cum improbis non sedebo, Infrà, 26.b.4. [m] Item, Non sedi (inquit Propheta) in concilio illusorum, Ierem.15.d.17. Sanè qui tales sunt, vix vnquam resipiscunt. Nam hoc hominum genus nullius est admonitionis, nullius castigationis aut doctrinæ capax. quemadmodum dicitur, Qui illusor est, non audit quum arguitur, Prouerb. 13. a. 1. [a] Obseruandum hic est quòd non ait Vates, Beatus ille vir qui non fuerit impius, sceleratus, derisor: sed qui non habuerit cum his commercium, non fuerit sequutus horum consilia, nec imitatus facta. Apud eos enim qui beati esse & ex Lege Dei viuere possunt, semen Dei & Spiritus bonus ita obtinet, vt peccare, hoc est toto animo praui & peruersi esse, nequeant: quippe qui nati sint ex Deo, 1.Iohan. cap.3.b.9. [m] Secessus autem iste ab impiis, sceleratis ac derisoribus, qui primo loco ponitur, non est externus tantùm, quo corpore malorum conuictus declinatur, (qualis monasticus ille in speciem prætenditur) sed talis qui corde potissimùm ac spiritu perficiatur. Verum quidem est quòd pius homo, si fieri queat, etiam corpore conuictum impiorum auersabitur: inde tamen non sequitur, mox liberum esse à consortio impiorum, qui externum illorum conuictum fugit, nisi & ipsam impietatem & iniustitiam corde primùm abiecerit, vt nec ipse, etiam quum solus est, impius sit, sceleratus ac derisor. [c] Cæterùm si Prophetæ seculo necesse fuit pios Dei cultores, vt vitam suam rectè cōponerent, ab impiorum consortio retrahi, quo hodie corruptior est mundus, eo magis solicitè, vt ab eius inquinamentis purì simus, fugienda nobis noxia omnis societas. Quanquam non tantùm ab impiis recedere fideles iubet Propheta, ne eos inficiat contagio, sed hucusque admonitio se extendit, ne sibi quisque impietatis sit magister, sicuti paulo antè monuimus. Fieri enim potest vt qui nihil labis contraxit ex malis exemplis, malos tamē sponte imitando, eorum sit similis.

2 *Sed in Lege Domini voluntas eius: & in Lege eius meditatur die ac nocte.*

Sed in Lege Domini. [p] Legem Domini vocat verbum Dei, quod nobis diuino Spiritu proditum est, & quicquid Spiritu agnoscimus placere Deo. Hanc opponit consilio impiorum, & viæ sceleratorum, & cathedræ irrisorum: vt vel ex hoc discas hos omnes moliri, quæcunque id tandem pietatis specie faciant, contra Legem Domini, siue verbum Dei. [c] Hic itaque Propheta non simpliciter beatos pronuntiat (vt alibi) qui Deū timent: sed pietatem designat per Legis studium. quo docemur non aliter Deum ritè coli nisi quum obeditur verbo eius. Non ergo pro cuiusque arbitrio fingenda religio est, sed ex Dei verbo sumenda est pietatis regula. Quod de Lege sola hic loquitur, non perinde accipi debet acsi reliquæ Scripturæ nullus daretur locus: quin potius quum tota Scriptura nihil aliud fuerit quàm Legis expositio, sub capite ipso comprehenditur corpus. Legem ergo cum suis accessionibus Propheta commendat. sicuti propositum illi fuit ad Psalmos quoque legendos hortari fideles. [a] Nam & ipsos Legis nomine Christus appellauit, quum diceret Iudæis, Nonne scriptum est in Lege vestra, Ego dixi dii estis? Iohan.10.f. 34. [a] Et sanè lex à delectu (vt & Ciceroni libro primo De legibus placuit) nominata est. Iubet siquidem quæ eligenda facienda que sunt, & prohibet contraria. Omnis itaque ratio rectè & piè viuendi Lex & institutio Dei iure vocatur, siue ea animo solùm inscripta sit, siue etiam literis excepta. [m] Vox Hebræa תורה doctrinam propriè significat: pro qua Chaldæus paraphrastes Statutum habet. *Voluntas eius.* [b] חפץ animi propositionem & complacentiam significat. Vnde de Sichem filio Hemor legitur pacta sibi Dina circuncisionem accelerasse, eo quòd חפץ בבת יעקב. id est, amaret, deperiret filiam Iacob, Genes.cap.34.c.19. [c] Quod ergo requirit Propheta, vt voluntas seu desiderium piorum sit in Lege Domini, ex his verbis discamus, minimè Deo probari coactum vel seruilem cultum, nec alios esse idoneos Legis discipulos, nisi qui hilari animo ad eam accedunt, & quos ita delectat eius doctrina vt nihil potius ducant vel suauius quàm in ea proficere. [b] Quare Dominus Euangelii tempore, quo plurimum iustitiæ prouenire debuit, inscripturum se cordibus suorum Legem Dei promisit, Ierem. 31.f.33. hoc est, effecturum vt cordis affectus vltro ad ea quæ Lex præcipit ferrentur, forétque ipsa sanctorum voluntas pro Lege. [m] Proinde videmus hoc versu quàm non satis sit abstinere à contagione & commercio malorum, nisi & iustitiæ studeamus. Vt enim plena liberatione potiti non sunt qui Ægyptiorum quidem commercio ac seruitute liberati, terram verò promissam ob suam ipsorum incredulitatem consequuti non sunt, sed in deserto perierunt: ita plenam iustitiam & quæ iustitiæ assignatur fœlicitatem non habet qui malis quidem abstinet, veræ tamen iustitiæ non studet. [a] Veræ, inquam, non Pharisaicæ aut hypocriticæ iustitiæ. Nam hæc Deo abominabilis est, sicuti Christus indicat his verbis, Vos estis qui iustificatis vosipsos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo, Luc.16.d.15. [m] Culpantur ergo hic peruersi Israelitæ, qui ore ac labiis Deo appropinquabant, corde verò ab illo recedebant, quòd Deum timuerint. id est, vtcunque præcepta eius custodierint, mandato & doctrinis hominum impulsi, non studio Diuinæ Legis inducti. [a] Quemadmodum illis exprobratur à Propheta, Esa.29.d.13, & à Christo, Matth.15.a.8. [m] In summa, hoc nos verè Deo coniungit, idem velle & idem nolle. sed firma hæc coniunctio non nostræ naturæ, quæ penitus corrupta est, sed Dei gratiæ tribuenda est. [a] Nam quatenus per Spiritum sanctum regeniti sumus, desiderium nostrum est in Lege Domini: iuxta illud Apostoli, Delectat me Lex Dei secundum internum hominem, Rom. 7.d.22. [m] Excluduntur ergo hic vniuersi carnales & hypocritæ, & solis electis ac regeneratis vera ista fœlicitas relinquitur. *Et in Lege eius meditatur.* [v] Hebræi gaudent repetitis. pro, Déque ea meditatur assiduè. & verbum futuri temporis pro præsenti hoc loco vsurpatur. [m] Cæterùm recto ordine voluntati diuinæ Legis amanti meditationem Propheta subiecit. [c] Nam ex Legis amore fluit assidua eius meditatio, [a] incessantque commentatio. [c] Fieri enim non potest quin se libenter in ea exerceant quicunque vero eius amore tanguntur. [m] Cauendum autem est ne meditationem hanc cogitationibus & oris garritu terminemus, quum omnem vitam iusti hominis, omnia cogitata, dicta & facta includat. [b] Scimus enim quid de hoc Legis diuinæ amore, studio, iugi meditatione atque commentatione præceperit Dominus per Mosen, dicentem, Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex toto animo tuo, omnibusque viribus tuis: sintque hæc quæ ego tibi hodie præcipio insculpta cordi tuo. exponesque ea filiis tuis, loquerisque de illis dum sedes domi tuæ, quum iter facis per viam, quum accubas, quum stas. Alligabis ea manui tuæ in signum, sint tibi pro monili inter oculos tuos, inscribésque ea postibus domus tuæ & portis tuis, Deu.6.a.4. Et Iosue dicit,

Meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo, Iosue 1.b.8. *Die & nocte.* [r]Hoc est, iugiter, & sine cessatione. quod non significat (sicut eidem lè quidam interpretantur) statutis temporibus assidere ad librum, sed velle semper & desiderare ea quæ Dei sunt, & odisse diuersa non solùm in aliis, sed multo amplius in seipso. Nam & in sanctis peccatum est reliquum: quod tamen propter fidem non imputatur: quia oderunt hoc ipsum, & spiritu contra pugnant. quod est habere quidem in carne peccatum, non tamen secundum carnem ambulare: sicuti Paulus ostendit, Ro. 7.c.17, & 8.a.1. [u]Discriminat etiam hæc particula inter verè pios & hypocritas. Nam pii quoniam Lege Dei ex animo delectantur, in ea absque intermissione constanter ac perseueranter meditantur: hypocritæ verò, vel qui aliàs per occasionem in meditationem Legis qualemcunque incidunt, quoniam quod faciunt, vero ac serio Legis amore non faciunt, sed obiter & perfunctoriè, citò propterea deficiunt. Perinde ac si fontem, cuius venæ aquis viuis scatoriant, nocte ac die fluere: cisternam verò, quæ aquam aliunde illatam habet, modico æstatis calore exiccari videas. [b]Hæc verò dum vel legimus, vel canimus, quicunque Christo nomen dedimus, pudere profectò & pigere debet vanitatis & (vt verè dicamus) insaniæ nostræ: qui quum sciamus æternam vitam in iugi Legis Dei meditatione sitam, quibuslibet tamen cogitationibus atque sermonibus cupidè occupamur potius quàm commentatione sermonéque Legis diuinæ. [a]Sanè insignis illa Pauli exhortatio nostris omnium animis infixa esse deberet, [b]Sermo Christi, inquit, inhabitet in vobis opulentè, cum omni sapientia, docentes & admonentes vosmetipsos, &c. Coloss.3 c.16. Idem Timotheum suum sacris literis voluit esse addictum, affirmans eas erudire ad salutem, hominémque Dei ita absoluere, vt omni virtute bonóque opere sit instructus & ornatus, 2. Timoth.3.d.16. Ne igitur hæc oscitanter prætereamus, beatus est qui Legi Dei studet, qui eam perpetuò versat: miser igitur & infœlix erit quisquis eam susque déque habuerit.

3 *Et erit tanquam lignum plantatum super riuos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & cuius folium non defluet. & quicquid faciet, secundabitur.*

Et erit tanquam lignum plantatum. [c]Similitudine illustrat proximam sententiam, & simul confirmat. Nam quomodo fœlices censendi sint qui Deum timent ostendit: quia scilicet nõ ad momentum duntaxat fluxa inanique lætitia fruantur, sed stabilis sit eorum conditio. [a]Ligni dictione Spiritus sanctus arborem significat. Obseruandum est igitur quanam hic similitudine sanctorum fœlicitatem Vates exprimere voluerit, nempe eius rei quæ sibi nihil, omnia autem aliis est & adfert, ita non ad vtilitatem solùm sed & gratiam & voluptatem, eámque veram & cum honestate coniunctam, dicere & facere omnia nos addecet. Vt enim Deum Patrem nostrum inuocamus, & de Seruatore nostro Iesu gloriamur: ita conuenit perfectam bonitatem, quæ nulli non exposita est, atque beneficiis vniuersos (pro sua tamen quęque capacitate) cumulat, referamus. [a]Hoc sibi voluit Christus, Matth.5.g.45. *Super riuos aquarum.* [r]Palmam aut oleam intelligis. vtrique enim deterpto fructu folia non decidunt. Nam (vt scribit Plinius) triennio fructus palmæ maturescunt, & semper illi pomum est, subnascente alio: ad quam rem necessarium est vt foliorum illi viriditas maneat. Et iustus noster, inquit Propheta, sicut palma floret, Infrà, 92. c. 13. Item, Confidens Domino erit velut arbor ad aquas plantata, quæ in ripa radices suas egit, nec metuit dum inualuerit æstus, foliisque pulchrè frondet, siccitatis tempore nihil solicita, à faciendo fructu nunquam cessat, Ierem.17.a 8. [s]Subest autem tacita antithesis inter vigorem arboris in loco irriguo plantatæ, & euanidam eius speciem quæ tametsi pulchrè viret, tamen propter soli sterilitatem citò arescit. Nam de impiis videbimus interdum similes esse cedris Libani, Infrà, 37.g.35. Omni enim opum & honorum copia sic affluunt vt nihil ad præsentem fœlicitatem desit. sed quantumuis in sublime erecti sint, longéque & latè ramos suos proiiciant, quia tamen sub terra nulla est radix, neque etiam humor suppetit vnde succum trahant, statim euanescit ac perit vel marcescit totus eorum decor. Sola igitur Dei benedictio est quæ nos in prospero statu conseruat: [r]quemadmodum piorum fœcunditas Spiritui sancto tribuitur à Propheta dicente, Consurget ad flumen in vtraque eius ripa omne genus arborum fructiferarum: non inarescent illis folia, non consumentur fructus earum, in singulos menses ferent primitias: quoniam aquæ quibus irrigantur, illæ sunt quæ de sanctuario egrediuntur. Et erunt fructus eius in cibum, & folium eius in medicinam, Ezech.47.b.12. Hominis enim solidè pii & superno Spiritu fœcundati omnia vtilia & salutaria sunt: quippe in quo Dei (fontis bonorum omnium) restituta imago sit. *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* [u]Quidam ex hac similitudine colligũt fideles fructus suos tẽpestiuè proferre, quia prudenter discernunt quando bene agendum sit. [c]Verùm nihil aliud voluit hic Propheta quàm perpetuò florere Dei filios, sempérque irrigari arcana Dei gratia, vt quicquid illis accidit, adiumento sit in salutem: quum impios rapiat subita tempestas, vel immodicus calor absumat. Quòd autem fructum proferre dicit tempore suo, hoc verbo iustam maturitatem exprimit: quia impii licet præcoces fructus ostentent, nihil tamen producunt nisi abortiuum. [a]Vnde potentiam malorum Scriptura passim similitudine cedrorum exprimit, malitiam verò & nocendi studium, spinarum atque tribulorum, sterilitatem verò, vineæ post diligentem cultum ferentis labruscas. Contrà, vitis, oliuæ, & palmæ imaginibus sanctorum fœlicitatem, hoc est bene merendi de omnibus studium & successum, morumque summam suauitatem: cedrorum altitudine, certam eorum fœlicitatem & gloriam: rosarum & liliorum, doctrinam & salutificum famæ odorem deprædicat. [a]quemadmodum superioribus Scripturæ sacræ testimoniis iam magna ex parte ostendimus. *Et cuius folium non defluet.* Vel (vt alii malunt) non marcescet. Non enim יפול, sed יבל Vates posuit, quod marcescere & siccari, non autem cadere aut defluere significat. Et transfertur ad homines, dum velut vitali succo atque inde viribus exhauriuntur & deficiunt. vnde dicebat Iethro ad Mosen נבל תבל, Exhauriendo exhauriris, vel deficiendo deficis & tu & populus, &c. Exod. 18. c. 18. Sic & Propheta Esaias quum defecisse populum significare vult, Tanquam folium, inquit, exiccati sumus, Esa.64.c 6. Eadem ratione & ad significandam morum corruptelam ingeniique deprauationem vox hæc translata videtur. corruptis enim ingeniis perditisque hominibus succus rectæ rationis velut exaruit. Stultos quidem in hoc significatu נבלים vulgò interpretãtur: sed significat hoc nomen perditos, rectóque iudicio destitutos, qui non viui homines, sed velut cadauera inter rectè & ordine viuentes habentur. [u]Ergo iusti perpetuò quasi vernantes ac frondentes, & sibi ipsis solida animi alacritate constant: & quos fructus adferunt, illibata hilaritate, ne marescant ac pereant, velut fronde perpetuò virenti contegunt, & contra quamuis iniuriam fouent ac prouehunt: & præterea amœnum & iucundum sanctæ, honestæ ac compositæ vitæ spectaculum quibusuis obiiciunt. *Et quicquid faciet, secundabitur.* Vel sic, [v]Quicquid faciet, successus prosperos habet. id est, fructus edit qui non pereunt: vtilitatem enim proximi magis spectat quàm suam. [a]Et sanè quisquis Legis diuinæ studiosus est, quum nihil nisi cùm Dei gloriam tum electorum salutem quærat ac spectet, suo arbitrio nihil tenet, sed ducendum se diuino Spiritui in omnibus permittat, satis intelligit sibi bono esse omnia. [u]quod summopere notandum est. [a]Nam quum pius sit arbori similis quæ fructum fert suo tempore, nihil suscipi ab eo poterit quod non & aliis commodo existat. Ideirco secunda & ex sententia fœliciterque cedunt quæcunque instituerit egeritve. Huius præclara exempla habes in Abraham, Mose, Iosue, Dauide, Paulo: præcipuè autem in Domino ipso. Quid enim instituerunt quod optatum & fœlicem exitum, inuito etiam mundo & Satana principe eius, sortitum non fuisse? sanctis omnibus mira & indicibili prosperitate secundans quæcunque agenda sibi sumpserint. [u]Docemur itaque hoc loco, rerum prosperitatem non esse nisi à Deo, illámque dari iustis ac Dei timentibus. Horum enim opera Deus dirigit sicuti de Ioseph legimus, Fuit Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens, &c. Genes.39.a.1.3. Et de Ezechia dicitur, In omnibus operibus suis fecit prosperè quæ voluit, 2. Paral. 32.g. 30. Et Iosaphat dicebat ad populum, Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera, ibidem, 20.d.20. Si respicias eam prosperitatem quæ seculi huius est, ob quam impii insolescũt, per quam stulti perduntur, certè non omnia prospera iustis, sed plurima aduersa accidunt. [a]Nam eos oportet per varias tribulationes ingredi regnum Dei, Act.14.d.22. Et, Omnes qui piè volũt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur, 2. Timoth.3.c.12. [m]At hic Propheta non de hac prosperitate loquitur, sed de ea qua opera iusti a Domino diriguntur. Quicquid faciet, inquit, secundabitur. Non autem loquitur de operibus carnis, sed de fructibus Spiritus. Quicquid ex carne est, præsertim iustis, malè cedit: at rursus, quicquid ex Spiritu Dei ab illis geritur, non potest non prosperari. Impiis verò dictum est, Nihil habebitis prosperum, Ierem.2.g.37.

4 *Non sic impii, sed tanquam quisquiliæ quas proiicit uentus.*

Non sic impii, sed tanquam. [M] Nunc negat Propheta eandem esse impiorum sortem cum ea quæ piorum est. [C] Poterat autem impios conferre arbori citò exarescenti: (sicut Ieremias similes myricæ in deserto crescenti eos facit, Ierem. 17. a. 6) sed hac similitudine non contentus, longè contemptius eos deiicit: nempe quia non respicit lætam fortunam in qua ad breue tempus exultant: sed magis expendit quisnam demum eos exitus maneat. [B] Significare ergo voluit non sic habere improbos sicut habentur sancti: hos non esse vt illos vtiles & salutares, neque succedere eis quæ instituunt, sed habere vt quisquiliæ. [C] Sensus ergo est, quanuis nunc fœliciter habeant impii, mox tamen quisquiliis similes fore: quia vbi Dominus eos ad inopiam redegerit, itæ suæ flatu huc & illuc dispellet. מץ Hebraicè minutias significat palearum, quæ prorsus nulli vsui accommodæ sunt: tantùm dispersæ vento omnia commaculant, & oculos hominum lædunt. [B] Hac itaque loquendi forma docet nos Spiritus sanctus fidei oculis contemplari quod alioqui incredibile videri posset. Quanuis enim emineat impius instar proceræ arboris, statuere tamen oportet paleam vel glumam fore simulac eius altitudinem flatu suo deiicere volet Deus. [M] Non est igitur impiorum prosperitas carnalibus sed planè spiritualibus oculis diiudicanda. Nam dictione quisquiliarum non hoc solùm loco, sed infrà, 35. a. 5, & Esa. 17. d. 13, exprimit Spiritus sanctus inanitatem omnis opulentiæ, gloriæ & potentiæ impiorum. [B] Quod si credere nobis planè daretur, quàm modestè, quàm religiosè viueremus, quàm magnanimè denique impiorum potentiam & copias despiceremus: vnum hoc curantes vt Domino omnem vitam nostram approbaremus: qua sola ratione vita æterna solidéque beata constat.

Quas proiicit ventus. [V] Quia impii sunt prorsus inutiles & omnis fructus expertes, vt gluma, palea, siue tegumentum tritici, proiicientur ac dispellentur. [A] Sicuti & Iohannes Baptista his verbis significauit, de Christo loquens, Cuius ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem exuret igni inextinguibili, Matth. 3. c. 12. [M] Simul etiam notandum quàm aptè Propheta inuisibilem illam iudicii Dei potentiam, impiorum vltricem, vento comparet: qui adeo est inobseruabilis vt nescias vnde, quando & quò eat. Ita certè inuicta illa cælestis vltio omnibus est impiis inobseruabilis: quam non præsentiunt, donec impulsu illius exagitentur ac disturbentur. [A] Hinc Apostolus, Quum dixerint, inquit, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient, 1. Thess. 5. a. 3.

5 *Propterea non consistent impii in iudicio, neque peccatores in congregatione iustorum.*

Propterea non consistent impii. [B] Stare in iudicio, per metaphoram, pro vincere iudicium causámque probare accipitur. Latini contrario huius vtuntur, Cadere causa. [C] Docet ergo Propheta hoc versu, fœlicis vitæ statum in recta conscientia fundatum esse: ideóque non esse mirum si ex fœlicitate quam sibi imaginati sunt impii, repentè excidant. [A] Si enim vt quisquiliæ dispergentur, qui consisterent in iudicio Dei senatúque sanctorum? Neque enim apparebunt coram oculis tuis vani, canit Propheta, Infrà, 5. a. 5. hoc est, non feres eos. Dicet his enim, Discedite à me & à concilio eorum qui sunt benedicti Patris mei, beatam cælorum hæreditatem adituri: & ite in ignem æternum, Matth. 25. d. 41. Multi quidem de mortuorum resurrectione hoc loco disputarunt, sed extra Prophetæ sensum. Nam verbum quo vtitur, significat propriè Stare, Consistere, nonnunquam se statuere vel erigere, eóque & Surgere. At hic quum per illationem huic, Tanquam quisquiliæ, &c. subiicitur, quis non videat Vatem dicere voluisse, [M] iudicium Dei id futurum impiis quod ventus est quisquiliis: vt perinde atque quisquiliæ ante faciem venti, ita impii in iudicio Dei consistere nequeant? [C] Subest autem species concessionis: acsi tacitè fateretur Propheta impios quidem sibi placere, suósque triumphos agere, quandiu res in mundo miscentur: (sicuti latrones in syluis vel speluncis extra iudicis conspectum lasciuiunt) sed res non semper ita fore confusas. vbi autē in legitimum ordinem reductæ fuerint, suas impiis istis delicias excussum iri, vt sentiant se ebrios fuisse, dum fœlices sibi visi sunt. [M] Verum hic erit illud, Heus heus omnium rerum vicissitudo. [C] Videmus nunc vt Propheta miseros esse impios asserat, quia fœlicitas interius sit conscientiæ bonum. Non negat, antequam cogantur in examen, prosperè illis succedere omnia: sed fœlices esse negat, nisi solida eos & firma integritas sustineat. Nam ex probatione iustorum vera demum integritas apparet. Porro quanuis Dominus iudicium quo iustos à reprobis discernit, quotidie exerceat, quia tamen id fit ex parte tantùm, altius oculos attollere conuenit, si cupimus concilium iustorum, cuius hic fit mentio, aspicere. Incipit quidem nunc defluere impiorum prosperitas, quoties sui iudicii signa profert Deus: tunc enim expergefacti, velint nolint, à cœtu iustorum se abdicari agnoscunt. Sed quia non semper hoc neque in omnibus complectitur, patienter expectandus est vltimæ reuelationis dies, quo segregabit Christus agnos ab hœdis: sicuti habetur Matth. 25. c. 32. Quanquam tenendum est generaliter miseriæ addici impios, quia intus sibi malè conscii sunt: & quoties reddenda est vitæ ratio, tanquam expergefacti somnium fuisse intelligunt quòd sibi visi sunt extra seipsos fœlices. [M] Cæterùm hoc loco colligimus seculum hoc per conniuentiam ac patientiam Dei hactenus stare, alioqui inducto iudicio periturum. Nam clauderur olim totius mundi fabula iudiciaria (hoc est omnium iustissima) catastrophe, qua nudabuntur omnia, atque in ordinem redigentur: vt pii gloriam & salutem, impii perpetuam confusionem ac perditionem inueniant. Obtinebit tandem iustitia, profligabitúrque iniquitas omnis. [A] Cæterùm iustus hic dicitur qui iustitia præditus est. Ea autem affectio & habitus animi est quæ suum cuique tribuit, societatémque humanæ coniunctionis munificè & æquè tuetur: cuius vt fundamentum sunt fides & charitas, ita comites nunquam desunt, pietas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque sunt huius generis alia. Hæc verò quum hic inchoata tantùm & imperfecta omnia sanctis adsint, ideo imperfectè quoque iusti sunt quicunque hoc nomine in præsenti vita censetur. Veruntamen ita vocantur quibuscunque est iustitiæ studium, eo quòd in quibuscunque hoc fuerit, ii plenam olim & consummatam iustitiam percepturi sint.

6 *Quia nouit Dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit.*

Quia nouit Dominus viam iustorum. [M] Nosse hic pro approbare vel curæ habere sumitur, quemadmodum & infrà, 37. b. 18. Nouit Dominus dies integrorum. [B] Via autem iustorum vita & institutum eorum est. Quum ergo dicit Vates Dominum nosse viam iustorum, curam Dei atque paternam prouidentiam erga iustos significare voluit. [C] Nam quia res videntur hic versari fortuitò, nec facile est in permista confusione agnoscere quod dixerat Propheta, ideo nos ad aliud principium reuocat, Deum scilicet esse mundi iudicem. vnde sequitur fieri non posse quin rectis & iustis bene sit, impiis autem pessimum exitium impendeat. Quanuis ergo in speciem nihil Dei cultoribus prosit sua integritas, quia tamen proprium Dei munus est ipsos tueri & eorum saluti consulere, sub eius præsidio fœlices esse necesse est. [M] Nam quid malè cesserit illi cuius via Domino placet, & ab illo dirigitur? [C] Inde verò rursum colligere licet, quia certus est scelerum vltor, quanuis ad tempus dissimulet, tandem perditurum omnes impios. Quare, ne fallat nos imaginaria eorum fœlicitas, in rebus turbatis semper nobis occurrat Dei prouidentia, cuius est statū mundi ad rectam normam componere. [B] Hic verò tropus in verbo Agnoscendi in Scriptura frequens est. Quid est homo quòd agnoscis eum? Infrà, 144. a. 3. Et agnouit in tribulatione animam meam, Infrà, 31. b. 8. Item, Ego cognoui te in vtero matris, Ierem. 1. b. 5. *Et iter impiorum peribit.* Hæc particula simpliciter dicta, prioris tropum aperit. Quum enim secundum rationem contrapositionis dicendum fuerat, Viam autem impiorum ignorat, dicit, Peribit. [M] Id est, omnes illorum conatus, omnia studia & instituta prorsus euanescent, & in nihilum redigentur. Habent enim contra se potentiam iusti iudicis, cuius iudicio condemnabuntur ac perdentur. [A] In summa, Impii disperibunt vnà cum actibus suis. id quod canit versus vltimus Psalmi sequentis. Futurum est enim vt illis dicat iudex ille æquissimus, [M] Nunquam noui vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, Matth. 7. d. 23. [M] Ergo quum sciamus placere Domino viam iustorum, impiorum verò displicere, expendat sua quisque studia, ac videat iustorumne vel impiorum in hac vita ambulet. Nota est vita iustorum, nota est impiorum, modò carnis non obsecremur affectibus. Quali quali loco in oculis mundi huius sit iustorum via, omnino dirigitur à Domino, & ad sempiternam fœlicitatem tendit. rursus, quantumuis arrideat carnalibus via impiorum, finis illius ad perditionem desinit. Lata est via, inquit Christus, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui ingrediuntur per illam, Matth. 7. b. 13. Hæc igitur via, vtut lata sit, amœna videatur, & multis sit grata, peribit tamen, inquit Propheta. Quare? Quia Domino displicet. [V] Habemus iam in hoc Psalmo scopum totius sacræ Scripturæ.

ARGVMENTVM PSAL. II.

GLORIATVR David, regnum suum, quamuis ingenti hostium multitudine & valida potentia oppugnetur, fore tamen perpetuum: quia Dei suffultum est manu & virtute. Addit etiam inuitis hostibus propagatum iri vsque ad vltimos terræ fines. Ideóque reges & alios primores hortatur vt deposita superbia, iugum à Deo impositum mansuetis animis suscipiant: quia frustra excutere nitentur. Cæterùm hic typus vaticinium continet de futuro Christi regno: [a] contra quod hostes Dei ruunt, sed irritis planè conatibus, Deo Patre hoc interim felicissimè prouehente, & illius opinione citius exturbante.

VT quid tumultuantur Gentes, & populi fremunt inane?

Vt quid tumultuantur Gentes. [a] Hunc Psalmum olim priorem partem habitum Thalmudici memorant, vt scribit R. D. Kimhi: ne quis miretur cur Paulus in Actis, 13. e. 33, citans illud ex septimo versu, Filius meus es tu, &c. dixerit id primo Psalmo contineri. [a] Hunc verò Psalmū nullus nō Christianus post Apostolos de Christo seruatore humani generis exponendum cēset, qui tā expressā facit mentionē natiuitatis, passionis & resurrectionis eius. Id ipse ferè confitentur Iudæi, etiā si constanter de Christo nostro exponendū negēt. Verbū רגש significat non solùm frendere & incondito oris sonitu (sicut ira percitis solent) fremere, sed & turmatim concursare & congregari: in quem morem solet plebs incomposita ita concurrere, vt procul etiam concurrentiū velut vndosi maris fremitus audiatur. [c] Scimus autem quàm multi conspirauerint contra Dauidem, & conati sint obstare ne regnaret: à quibus sic terreri potuit, secundum carnis sensum, vt spem regnandi protinus abiiceret. Nec verò dubium est quin anxiè cum grauissimis tentationibus ei luctandum fuerit. Sed quia sibi probè conscius erat se nihil temerè tentasse, (vt ambitio prauáque cupiditas plerosque ad res nouas impellit) quin potius certò persuasus erat, se, quum nihil tale appeteret, diuinitus creatum esse regem: tali fiducia contra totum mundum se erexit, quemadmodum his verbis magnificè tam regibus quàm eorum copiis insultat. Fatetur quidem sibi arduum esse certamen, quia non exigua paucorum manus, sed reliqui populi cum regibus in eum conspirent: sed deinde animosè iactat frustra id fieri: quia bellum non cum homine mortali, sed cum Deo ipso suscipiunt. [a] Historia igitur quā Vates de Christi regno canēs respexisse creditur, ea est quæ scribitur 2. Sam. 1. b. 8, & 3. c. 17, & 5. d. 17, & 8. d. 13, & 10. c. 14. [b] vbi describitur quomodo contra Deū & vnctum eius Dauidem mox initio regni eius primum decem tribus Israelis, deinde finitimæ quoque gentes Philistæorū, Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum ac Syrorum, cum regibus ac principibus suis infremuerint, concursarint, insurrexerint, & quæ hostilia sunt tentarint: & tamen omnes illorum conatus in vanum cesserint, eo quòd habitator cœli vnctum suum tueretur, donec tandem hostes per circuitum victi, manus dare & Israelitici regis imperium agnoscere coacti sunt. [a] Non ergo loquitur hic tantùm de hostibus intestinis, sed querimoniam suam ad exteros quoque extendit. Nam & figuræ complemento melius quadrat, diuersas hostium species coniungi: quia scimus Christo non modò cum domesticis hostibus, sed etiam cum extraneis fuisse negotium: quia communis fuit ad machinandam eius ruinam totius mundi conspiratio. Et Iudæi quidem in Christum, sicut in Dauidem, priores furere cœperunt: deinde alias gentes eadem insania corripuit. Hæc summa est, quamlibet robustis præsidiis valeāt qui conantur eum euertere, irritos tamen esse eorum tumultus, & vana consilia. *Et populi fremunt inane.* [a] Exprimit his verbis quàm feruidè, quàm cupidè cōuolarint populi, sibiipsis iam victoriam pollicentes, & iam animo omnia vastantes & perdentes, adeo vt anheli in Israelis deuastationem fremerent, incondit´asque summæ confidentiæ & insolentiæ voces iactarent. הגה enim ferè sermonem vel murmur potius affecti & exæstuantis animi significat, id quod nimirum apud nosmetipsos fundimus, & ceu eructamus verius quàm loquimur.

2 *Conuenerunt reges terræ, & principes consilium capiunt pariter contra Iehouam & contra Christum eius.*

Conuenerunt reges terræ. [a] Populis motum & fremitum assignans Propheta, regibus & potentibus conuentum ad ineunda consilia, aptissimè loquutus est. [a] Item gentium & populorum nominibus plebem: regum, eos qui rerum potiebantur: principum, qui his à consiliis erant & prudentia celebres, intelligit. Interim significat, vbi diu multumque consultauerint reges, vbi populi effuderint suos impetus omnes, nihil profecturos. [b] Et sanè non solùm non successit eis quod propositum fuerat, verùm cæsi grauiter, tandem eius agnoscere imperium coacti sunt quem vnxerant perditum. [c] Sed notanda est fiduciæ ratio, quòd scilicet non temerè vel priuato motu se ingesserit ad regnandum, sed tantùm Dei vocationem sequutus sit. [b] Nam sciebat se per Samuelem vnctum in regem, non humano aliquo vel suo vel aliorum consilio intrusum. Sciebat fieri non posse vt voluntati Dei humanis conatibus resisteretur: ideóque non dubitabat teritum fore omnes omnium populorum, regum ac principum, quantumuis feroces, improbos, superbos & astutos conatus. Ridet itaque vana illorū studia, foréque prædicit vt à Deo ipso rideantur ac perdantur. *Contra Iehouam & contra Christum eius.* [a] Quum David à Deo constitutus rex esset, sequutus Dei vocationem, inde colligit in sua persona Deum impeti: quia fieri non potest quin regni, cuius est author, se vindicem ostendat. Nam se titulo Messiæ vel Christi insigniēs, nonnisi Dei auspiciis ac mandato se regnare prædicat: quia allata per manum Samuelis vnctio eum regem ex priuato homine creauerit. Non putabant quidem hostes Dauidis se contra Deum ruere: imò liquor sibi esse animum fortiter negassent: non tamen abs re Dauid illis Deum opponit, quasi rectà contra eum suos impetus dirigant: quia regnum ab ipso erectum labefactare volentes, cæca ferocia in ipsum insurgunt. Nam si Deo sunt rebelles quicunque potestati ab eo ordinatæ resistunt, id longè verius competere debuit in sacrum illud regnum, quod singulari priuilegio sancitum fuit. Sed iam ad figuræ substantiam venire operæpretium est. Quòd enim de Christo vaticinatus fuerit Dauid, hinc certò liquet, quòd sciebat regnum suum nonnisi vmbra illic esse. [a] Proinde isti Dauidis hostes typum gesserunt plebis populique Iudaici, principum Herodis & Pilati, sacerdotum & Legisperitorum, qui omnes quisque pro se opprimere Dominum Iesum, sed frustra & cum sua pernicie, annixi fuerunt. [c] Vt ergo ad Christum referre discamus quæcunque de se olim cecinit Dauid, tenendum est principium istud quod passim in omnibus Prophetis occurrit, illum cum posteris non tam sua causa creatum fuisse regem quàm vt redemptoris imago foret. Tametsi autem id sæpius repetendum erit, in præsentia tamen breuiter monendi sunt lectores, quia temporale illud regnum velut arrha quædam veteri populo fuit æterni regni quod demum in Christi persona verè stabilitum fuit, quæ de se pronuntiat Dauid, non violenter vel allegoricè ad Christum torqueri, sed verè de eo prædicta esse. Nam si regni naturam expendimus, absurdum foret, omisso fine vel scopo subsistere in prima vmbra. Hic quidem prophetico spiritu describi Christi regnum Apostoli nobis idonei sunt testes, qui videntes impios aduersus Christum conspirare, hac doctrina se ad precandum armant, Act. 4. c. 24. [b] Et quis neget omnes gentes, populos, reges ac principes per vniuersum orbem contra Dominum & Christum eius insurrexisse, qui ministris illius Apostolis ac credētibus in ipsum aduersati sunt? Id quod futurum Dominus ipse prædixit, Matth. 10. b. 18, & 24. a. 9, & Iohan. 15. c. 20. [c] Sed (ne quibus cauillis obnoxia sit fides nostra) ex omnibus Prophetis palàm constat propriè in Christum competere quæ testatus est Dauid de suo regno. Sit igitur hoc fixum, quicunque Christi imperio se non subiiciunt, eos cum Deo bellare. Nam quum Deo placeat nos per Filii sui manū regere, frustra profitentur se eius imperium non abnuere qui parere ipsi Christo recusant. Vera enim est sententia. Qui nō honorat Filium, non honorat Patrem qui misit illum, Iohan. 5. c. 23. Ac nostra magnopere interest indiuiduam hanc coniūctionem tenere, quòd sicuti Dei maiestas in Filio vnigenito refulsit, nonnisi in eius persona timeri & coli vult Pater. [m] Cæterùm his verbis Tumultuantur, Fremunt, Meditantur, Conueniunt, Congregātur & Consultant, expressum est quàm hostes impii non vno tantùm, sed variis modis regno Christi aduersentur. Certè siquis concitationis ac furoris spiritus, siqua sedulitas meditandi, siqua vis ac potentia, siquid consilii ac prudentiæ impiorum animis inest, omnino aduersus regnū Christi pugnat. Quid Apostolorum temporibus actum sit sacræ literæ testantur: nostris verò quem quæso fremitum & furorem, quam irremissam meditationem, quam cōtumacem potentiam, quod astutum consilium impiorum & carnalium nō vidimus contra doctrinam regni Christi grassari, ac plenè iam pene ferrique humanæ societatis iura non sunt rupta? quod genus crudelitatis designatum non est? quos astus ac dolos, quas impias consultationes non præsumpserunt homines insigniter malitiosi? Quis quæso ante aliquot annos tantam sæuitiam ac crudelitatem in Ecclesia Christianorum oriturum credidisset? Qui sperabantur esse Patres ac fratres, conuersi sunt in hostes: qui videbantur esse pastores gregis Christi, facti sunt lupi rapaces: qui habebantur ministri Christi, produnt se esse ministros Satanæ. In summa, carnalis hic populus cum suis potentatibus ac principibus, tumultuatur, fremit ac meditatur, erigit se, & consultat etiam hodie aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Duplex itaque

cõsolatio ex hoc loco elici potest. Namquoties mundum tumultuari continget vt Christi regnum turbet vel moueatur, si nobis occurrat in memoriam impleri quod iam olim prædictum est, nulla nouitas nos percellet. Quinetiam quæ expertisunt Apostoli cum præsentibus exemplis conferre valde proderit. Per se quidem tranquillum esset Christi regnum, vnde etiam vera pax mundo exoritur: sed fit hominum vitio & malitia vt nunquam sine turbis emergat. Quare nihil mirum est vel insolitum, si tumultuetur mundus simulac erigitur Christo solium. [a] quemadmodum habetur, Matth.10.d.34, & Luc.12.e.34. [c] Sequitur altera consolatio, quòd vbi suas vires in vnum contulerint impii, etiamsi immensa sua multitudine, opibus & præsidiis confisi non modò superbas blasphemias despument, sed cælum ipsum furiosè impetant: illis tamen insultare tutò possumus, hoc vno verbo freti, quòd Deum in cælis lacessunt. Quare dum videmus hostium copia & viribus Christum propè obrui, nobis in mentem veniat bellum ipsos Deo inferre, cui non prævalebunt: ideóque irritum & inane fore quicquid moliri non cessant. [d] Notandum est etiam hoc omnibus Christi hostibus tribui à Propheta, quòd non solùm aduersus ipsum, sed & aduersus Dominum insurgant: siue Gentiles illi fuerint apertæ idololatriæ dediti, siue Iudæi præposteri Legis zelotæ, siue titulo tenus Christiani. Hoc solatium adferat fidelibus, iis potissimùm qui propter Euangelicam veritatem à fratribus & Christianæ fidei professoribus condemnantur. quam sortem qui ex Iudæis in Christum crediderunt, à contribulibus suis & eiusdem veri Dei cultoribus passi sunt. Est enim hoc genus persequutionis multo grauius & periculosius quàm sit ea quæ à manifestis Christi hostibus infidelibus infertur: ideóque plus exigit fidei & patientiæ, qua in veritatis confessione perduretur. Videamus igitur, si nos mundus diligit, ne quod suum est diligat: animet autem & ducet si nos insectatur, quòd non nos, sed Christum in nobis, & Patrem, hoc est vnum verumque Deum insectatur, qui ridet conatus eorum: vt iure Propheta mirari & stupere se amentiam eorum significet. [e] Debemus enim hanc doctrinam ad totum Euangelii cursum extẽdere. Nam ad Christi personam non debere restringi, illa quam citauimus Apostolorum precatio clarè testatur. [h] Postremò notandum est Filium Dei vnctum hic vocari, Græcè χριστὸν, Hebraicè משיח. Solebant reges, sacerdotes ac Prophetæ in Veteri testamento iussu Dei oleo terreno inungi, atque eo symbolo in regnũ, sacerdotiũ, munusque prophetandi inaugurari. De regibus vide 1.Sam.10.a.1, & 16.c.13: De sacerdotibus vide historiã Aaronis ac successorũ eius, Exo.29 e.29: De Prophetis vide historiã Elisæi, 1.Reg 19.c 16: At hic vnctus noster non oleo externo, sed Spiritu sancto, secundum humanitatem inunctus, & regiam & sacerdotalẽ & propheticam dignitatem accepit. De regia præsens hic Psalmus, & Infrà, 45. b.8: De sacerdotali, Infrà, 110.b.4: De prophetica, Deu.18.c.15: testatur. De vnctione eius per Spiritum Esaias 61.a vaticinatus est: quẽ locũ Christus ipse sibi adaptauit, Luc 4.b.18: Hæc inauguratio cælitus Spiritu sancto in specie columbæ misso facta est. de qua Matt.3.d.16. Et quoniã regni huius, sacerdotii ac prophetici muneris administratio externa non erat, sed interna & spiritualis, ideo inuisibili & spirituali oleo, non externo vnct⁹ est. Cuius vnctionis participes sũt fideles omnes quotquot diuino eius Spiritu agũtur. Vnde igitur cõmentum illud pontificii regni ac sacerdotii, quod hodie in Ecclesia regnare volunt? Sic enim Petrus fideles omnes alloquitur. Vos genus electũ, regale sacerdotiũ, gẽs sancta, populus qui in lucrũ accessit, vt virtutes prædicetis illius qui è tenebris vos vocauit in admirabilem suam lucem, 1.Petr.2.b.9.

3 *Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis funes eorum.*

Dirumpamus uincula eorum. [v] Subiicit Propheta verba hostiũ Dei & Christi, regum, principum & sacerdotũ, qui Christi imperio subiici noluerunt. Est autẽ prosopopœia in qua Dauid loquentes suos hostes inducit, quò melius impium & sacrilegum eorum consilium exprimat: non quod palàm Deo se rebelles esse professi fuerint: (quouis enim potius colore tegebant suam contumaciam, ac ferociter iactabant Deum à parte sua stare) sed quum illis penitus decretum esset per fas & nefas deiicere ex regio iure Dauidem, quicquid ore proferrent, hæc tamen eorum fuit consultatio, quomodo possent regnum diuinitus ordinatũ euertere. [v] Vincula vocat leges, quibus quasi vincti soleant subditi, & contineri in officio: funes autem, imperium, sumpta metaphora ab iis qui vincti coguntur facere opus. Legibus, inquiunt, eorum ne pareamus, demusque operam ne imperent nobis. [c] Dubium autẽ non est quin Dauid suum imperium metaphoricè vincula & iugum in hostium suorum persona appellas, fastum eorum obliquè perstringat. Nam quasi de seruili & pudenda subiectione contemptim loquentes inducit: sicuti videmus omnes Christi hostes non minus indignè ferre si cogãtur subesse eius imperio, quàm si extrema illis ignominia imponeretur. [h] Sic Philistæi in prælio sese mutuò adhortabantur, vociferantes, Estote viri, Philistini, ne seruiamus Hebræis, 1.Sam.4.b.9. Et contra Christum dicebant Israelitarum principes, Nolumus hunc regnare super nos, Luc.19.b.14. Sic solet indomita illa naturæ nostræ corruptio seruitutẽ Satanæ libertatis loco cõplecti, libertatem verò quæ per Christũ est, tanquã vincula & funes manibus & pedibus auersari & abiicere. Vocat quidẽ Christ⁹ disciplinatũ fidelũ suorũ iugũ & onus, Mat.11.d.29. sed facit hoc imitatione iugi & oneris peccati, à quo nos liberaturus aduenit. Alioqui inepte adderet iugũ suũ esse suaue, & onus suũ leue, ac tale in quo requies animarũ inueniatur: quũ nec iugũ nec onus in se suauitatẽ, leuitatem ac requiẽ habeat. מוסר Iugũ verterũt volgò, significat autẽ funes, quod ex Iudic.15.c.13. Infrà, 118.d.27, & 119. a.4, & Ezech.3 g.25 & aliis multis locis patet. Iugũ autẽ vertì hæc vox ideo forsan cœpit, quod funibus iugum ceruicibus boum alligetur: alioqui iugum Hebræis עול dicitur.

4 *Qui habitat in cælis irridebit: Dominus subsannabit eos.*

Qui habitat in cælis irridebit. [c] Postquam & strepitum & consilia & superbiã, apparatum & copias viresque & conatus hostiũ retulit Dauid, his omnibus opponit Dei potẽtiam, quam illis fore contrariam inde colligit quia eius decretum oppugnant. Quemadmodum autem nuper reges terræ appellãs infirmum & caducum statum notabat, sic nũc rursum Deum nominans cæli habitatorem, hoc elogio extollit eius potentiam: acsi diceret illæsam atque integram manere, quicquid homines moliantur. Quantũuis enim sese efferant, nunquã pertingẽt in cælum vsque: imò dum cælũ terræ miscere cogitãt, saltant quasi locustæ: Dominus interea quietus è sublimi spectat væsanos eorum motus. [h] Mundus quidem sibi inde impunitatem & peccandi securitatem pollicetur quòd Deus sit cæli habitator: vsurpant enim illud, Cælum cæli Domino, terram dedit filiis hominũ. Infrà, 115.c.16: quasi sic cælos inhabitet Deus vt nullam eorum quæ in terris geruntur rationem habeat. At hic Propheta noster periphrasim hanc Dei magno animo ad irridendum giganteos illos conatus hominum impiorũ, quibus contra Dominum insaniunt, vsurpat, vt iam dictum est. Nam quum cælos in potestate sua Deus habeat, vtique & terræ Dominus est, quæ cælis est subiecta, vt quocunque momento visum fuerit, cælitus illos prosternere ac perdere queat. Deus noster in cælo est, inquit alibi, quæcunque vult facit, Infrà, 115.a.3. Et, Deus noster, in cælo sedes eius, oculi eius vidẽt, palpebræ eius interrogant filios hominum, Infrà, 11.a.4. Et, Dominus de cælo prospicit super filios hominum, Infrà, 14.a. a.[2] Et cælum, inquit, mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, Esa.66.a.1. [h] Notandum verò, Deum cæli habitatorem dici, non quòd loco aliquo illius circumscribatur (quem cæli cælorum capere nequeũt, 1.Reg.8.c.27, vtpote adimplentem omnia, Ierem. 23. e. 24) sed quòd & securus sit contra omnes omnium impiorum hominum conatus, & quòd in vniuersam hanc terram cum omnibus illius habitatoribus ineuitabilem potestatem habeat: perinde ac siquis regiam arcem in supremo ciuitatis loco sitam & omnium munitissimam possideat, ita vt non solùm securus sit contra ciuium rebellionem, sed inde quoque quoties visum fuerit, potestatem in ciues exercere queat. Sic cælitus diluuium orbi immisit, Gen.7.b.11. Sodomam & Gomorrhã igne cõsumpsit, Ibidem, 19.e.24. & alia huiusmodi supplicia de reprobis terræ huius incolis sumpsit. Sit ergo nobis hæc periphrasis Dei summo solatio contra impiorum conatus. Deinde simul admoneat nos, vt integrè & piè viuamus in hoc seculo, vtpote in conspectu Dei, sub hoc cælo ambulantes. Præterea quoties cælum hoc suspicimus, cogitemus nos hic esse peregrinos, & breui ad cælestem patriam migraturos. Oratuei leuemus cum Christo oculos in cælum, Iohan. 17.a.1. Et quum Satan nos ad
a peccandum solicitat, suspiciamus cælos, arcem Patris nostri, [a] memores dicti Apostoli, Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, Hebr.10.f.31. *Irridebit.* [c] Deo risum tribuit Propheta ob duas causas: Primùm, vt sciamus non opus esse magnis præsidiis vt compescat homines impiè tumultuantes, quasi res difficilis esset & laboriosa, sed hoc ludendo facturum quoties libuerit. Deinde significat non cessare Deum quandiu regnum Filii sui turbari patitur, quia vel alibi sit occupatus, vel succurrere non possit, vel Filii sui honorem negligat: sed consultò differre vindictam in maturum tempus, donec illorum furorem ludibrio exposuerit. Teneamus ergo, si non statim manum suam exerat Deus contra impios, suum illi esse tempus reddendi: & quanquam nobis interea flendum sit, hæc tamen cogitatio doloris acerbitatem mitiget, imò etiam lachrymas abstergat, quòd Deus nõ dissi-

molat tanquam lętus vel debilis: sed quia vult ad tēpus quieto contemptu hostium petulantiam frangere. Irrideant ergo nunc hostes Christi vt velint, & sexcentis blasphemiarum nominibus & excommunicationibus fremant & meditentur. id est, omni studio laborent aduersus Euangelium Christi: erit quando rursum irridebuntur ab illo, cuius vultum & increpationem ferre non poterunt. Itaque quòd Propheta Deum sedentem, ridentem, subsannantem, in ira hostibus loquentem facit, fictio personæ est adhibita, quò humaniter dicta penitus lentibus insiderent. ἀνθρωποπάθειαν veteres figuram hanc vocarunt, qua humani affectus Deo, dum propria eius nobis incomprehensibilia sunt, tribuuntur. Similis verò prosopopœia habetur & in sequentibus, vbi dicitur, Ridebit eum, quoniam videt quòd adueniat tempus vltionis eius, Infrà, 37. b. 13. Item, Tum Iehoua ridebis illos, subsannabis omnes Gentes, Infrà, 59. b. 9. Per hoc autem ridere Dei synecdochicωs significat illos impossibilia conari. Quauis ergo non plebeiorum tantùm sed & regum ac principum conatus acerbi, feroces, seduli & astuti esse videantur, tamen re ipsa res sunt ridiculæ, quæ subsannari debeant: sunt (inquam) res ridiculæ in oculis Dei ac fidelium omnium, quotquot Spiritum illius acceperunt. *Dominus subsannabit eos.* Idem bis dicitur, sed ita vt nihil minus hic versus habeat quàm superfluam & otiosam ταυτολογίαν. Hac enim vnius sententiæ ingeminatione certò futurum affirmat vt conatibus impiorum diuinitus frustratis, & ludibrio exponantur, (quod per risum & subsannationem Dei, humano loquendi more, intelligit) & iram contra se Dei experti perturbentur. Potest etiam hæc particula Ridebit & subsannabit eos, idem esse atque Securus ac tutus conatus eorum contemnet, vtpote cælos inhabitans, &c. Sic de cete scribitur, quòd vibrantem contra se hastam derideat, Iob 41. d. 20

5 *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo turbabit eos.*

Tunc loquetur ad eos in ira. Per aduerbium Tunc opportunum iudicii tempus notat Propheta, perinde acsi diceret, Postquam visus fuerit Dominus pro nihilo ducere impios eorum conatus qui se regno Filii eius opponunt, repente mutata vice ostendet nihil se grauius ferre tali audacia. Iam, inquit, fremūt, iam meditātur, iam erigūtur, & inania cōsultant: verum breui futurum est vt sententiam iræ contra se Dei, quem impugnant, experiantur, & ex temerariis ac præsumptuosis mirum in modum perturbati reddantur. Quum ait, *Loquetur ad eos,* liptote est: plus enim intelligendum est quàm exprimatur, nempe ipsa vltio. Verùm quum Domini dicere eius facere sit, rectius quàm si de homine sermo esset, per appellationem iratam, vindictam & cælestis iræ demonstrationem, quam impii nonnisi experti sentiunt, Vates significat. Putabant hostes Dauidis sibi in eo perdendo minimum fore negotii, quòd ex ignobili tugurio profectus temere aspirasset ad regnū. prophetia & vnctio Samuelis illis instar fabulæ erat. Vbi verò tandem Deus illis profligatis Dauidem in regno locauit, non tam lingua quàm manu loquutus est, vt palam faceret se regni illius authorem esse. Discamus ergo hic de reali sermone agi, quum Dominus verbum nullum proferens, decretum tamen suum manifestat. Sic quoties iræ suæ documentis regnum Filii sui asserit contra impios, vtcunque taceat, re ipsa sonore loquitur. Notandum hic obiter, tempus quoddam esse iudicio & vltioni diuinitus contra aduersarios regni Christi & contemptores gratiæ certò destinatum: vt qui modò eum benignè loquentem audire respuunt, audituri sint in ira loquētem: & qui gratiam in Euangelio oblatam reiiciunt, æterno supplicio adiudicentur. Sicut alibi Propheta dicit, Noluit benedictionem: elōgabitur ab eo, &c. Infrà, 109. c. 17. Vide etiam quid Dominus impiæ ciuitati Ierusalē minetur, eo quòd nō agnouerit tēpus visitationis suæ, Luc. 19. f. 42. *Et in furore suo turbabit eos.* Supplicii vehementiam ac grauitatem per hoc notat, quòd non solùm iræ Dei sed & furoris meminit. Alioqui Deo sicut nec risus nec subsannatio, ita nec iræ nec furoris passiones, quibus mortalium corda exæstuāt, competere possunt. Ergo castigat suos Deus virga paterna, non in ira & furore: quia non ad perditionem, sed ad salutem. at impios, Christi ac gratiæ eius contemptores & aduersarios, non in virga paterna, sed in ira & furore: quia non ad emendationem, sed ad condemnationem & perditionem.

6 *Ego verò vnxi regem meum super Sion montem sanctum meum.*

Ego verò vnxi regem meum. Nunc Dauid sub Dei persona clarius explicat quomodo hostes sui impiè contra Deum ipsum ruant: nempe quia ferre nequeant quem instituit regem. Et quem suprà vnctum Domini vocauit, hic regem eius appellat, ita tamen vt verbum Vngendi adiungat. Intelligit autem inaugurationem illius, eo quòd reges (vt suprà meminimus) vnctione ad regiam potestatem inaugurabantur. De vnctione Dauidis, quæ iussu Domini per Samuelem facta est, videre est 1. Sam. 16. a. 1. c. 13. De Christi verò vnctione, quæ est per Spiritum sanctum, Matth. 3. d. 16, & Luc. 4. c. 18. Summa igitur est, quantumuis proterui sint impii, sensuros tandem quid sit bellum cælo inferre. Est autem emphaticum pronomen Ego, quo significat Deus longius se ab hominibus terrenis distare quàm vt suam vnius gloriam tota eorum multitudo vel minimum obscuret. Nec simpliciter regem, sed regem meum dicit: quasi dicat, Hunc volui esse regem, meus hic rex est, & erit, vt vt eum agnoscere nolitis. Quoties ergo formidabilis est nobis hominum potentia, veniat nobis in mentem quanto vnus Deus præponderet. Iudæi Christum coram Pilato accusarūt quòd regem se fecerit, atque ita Cæsari contradixerit, Iohan. 19. b. 12. At ipsius Dei testimonio Christus non sibi ipse hunc honorem rapuit, sed à Patre collatum accepit. Adhæc, etsi carni prorsus ridiculum videtur, illum esse regem omniū à Deo constitutum qui tantùm faber & fabri filius habebatur, tamen obfirmemus animos nostros præsenti oraculo quo Christus rex Dei vocatur. An rex non est qui Deo rex est? Vtique rex est, etiamsi rumpantur & subsidāt fundamenta orbis. Itaque his verbis immutabile Dei decretum, quod fidem nostram inter turbulentas mundi procellas fulciat, nobis proponitur: quia scilicet Deus regnum Filii sui, cuius author est, haud dubiè tuebitur ad finem vsque. Ideo quicquid machinentur homines, nobis hoc vnū sufficiat, Dei vnctionē nō posse ab ipsis deleri. Verbū נסך, quo hic vtitur Propheta, significat Libare & Fundere. & quia reges oleo perfundebantur quum regno præficerentur, sumitur hic pro regē constituere. Rabbi Solomō tamen exponit pro נסיך, Regnare, vel principem agere. *Super Sion montem.* Montis Sion disertè hic fit mentio, nō quòd primò illic vnctus fuerit Dauid, sed quia suo demum tempore solenni consecrationis ritu patefacta fuit oraculi veritas, & effectu sancita. Quanquam autem Dauid se & alios his verbis reuocauit ad Dei promissionem, simul tamen innuere voluit sacrum esse suum regnum, & à templo Dei inseparabile. Id porrò verius in Christi regnum competit, quod & spirituale esse scimus, & sacerdotio coniunctum, & præcipuam diuini cultus partem. *Montem sanctum meum.* Quia mons Sion à Deo electus erat, vt regni ac sacrarii sedes esset, ideo sanctus hic & alibi dicitur. Notum est enim illud Prophetæ, De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem, Esa. 2. a. 3. Sed quoniam regnum Christi spirituale est, mons iste pro ipsa Ecclesia sumi potest, sicuti Apostolus loquitur, Hebr. 12. f. 22.

7 *Narrabo decretum, Iehoua dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Narrabo decretum, Iehoua dixit. Vt ignorantiæ prætextum eripiat Dauid suis hostibus, præconis munus suscipit ad Dei edictum promulgandum, vel saltem profitetur se non venire sine certo & liquido vocationis suæ testimonio. acsi diceret, non temere se prodire in medium vt regnū occupet, sed proferre Dei mandatum, sine quo temere se in illum honorem extulisset. Est enim versus hic ambiguus, eo quod variam habeat exemplaria lectionem, propter dictionem אל, quam quidam cum segol, quidam verò cum sere legunt. sed apertus erit sensus, si dicamus Vatem commemorare constitutionem Dei regno se inaugurantis. acsi diceret, De me nec ipse profiteor aliud, nec quenquam profiteri volo, quam quod Dominus ipse constituit. Statuto itaque certo memorabo & celebrabo id quod Dominus dicere ad me dignatus est, *Filius meus es tu.* Cæterùm hoc in Christo verius impletum fuit: nec dubium est quin Dauid spiritu prophetico in eum præcipuè respexerit. Nam hoc modo inexcusabiles redditi sunt omnes impii, quòd non miraculis solùm probauit Christus se legitima potestate à Deo fuisse instructum, sed hoc palàm quoque fecit Euangelii præconio: imò hoc idem testimonium quotidie in toto orbe personat. Nam quáuis initiò Apostoli Christum à Deo Patre creatum esse regem testati sint, deinde post eos idem munus obierint doctores: quia tamen legatione omnes pro ipso Christo functi sunt, rectè & aptè sibi ipse vnus vendicat quicquid per eos egit. Ideo etiam Paulus eius personæ tribuit quod Euangelii ministri eius nomine egerunt. Veniēs, inquit, euangelizauit pacem vobis, qui procul aberatis, & iis qui prope, Ephes. 2. d. 17. Atque hinc etiam melius constet Euangelii authoritas: quia licet ab aliis publicetur, Christi tamen vocari non desinit. Sic enim statuendum est, quoties ab hominibus Euangelium audimus, non tam ipsos quam eorum ore Christū loqui. Ergo Christus rex ille Dei, super Sion mōtem sanctum eius vnctus, prædicator est, interpres ac Propheta Domini. Sic alibi Dominum ad hunc modum Israeli

pollicitum legimus, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum ipsorum sicut te: & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi, Deut.18.d.18. Hinc est vox illa Patris cælitus delapsa, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est: ipsum audite, Matth.17.a.5. Verbum itaque Dei, quod in sinu Patris est, suscepta carne munus prædicationis in se accepit, vt videamus quantæ illud sit dignitatis, cuius Filium Dei non puduerit. Quæ est ergo ista peruersitas in Ecclesia, quòd Episcopi, quorum munus est docere populum, verbi ministerium tanquam rem leuiculam & humilem propter fastum secularem (quo seculi principes adæquant) à se abiecerunt, & inferioris notæ hominibus imposuerunt: vt hodie turpe habeatur Episcopo, si populũ Christi doceat? Vsqueadeo scilicet mundana sunt inebriati gloria, vt nec exemplo nec præcepto Christi ad officium adigantur. [c]Illud autem singulare beneficium est, quòd Christus, ne dubia sit nobis regni sui maiestas, propria voce nos ad se comiter inuitat. Quo magis cauendum est ne quod promulgat edictum impiè repudiemus. [m]Admonentur hic etiam verbi ministri, nequid de suo, sed omnia iuxta statutum Dei prædicent. Christus dicebat, Ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit quid dicam, & quid loquar, Iohan.12.g.49. [a]Et iterũ, Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me Patris, Ibidem, 7.c.16. Item, Sermo quem auditis non est meus, sed eius qui misit me Patris, Ibidem, 14.d.24. Siquis ergo loquitur, loquatur tanquã eloquia Dei, 1. Petr. 4.c.11. [m]Et sanè præuaricator est, non verus legatus, qui aliud quàm quod in mandatis accepit, principis sui nomine narrat. Quum suos Dominus amandaret in orbem, dicebat, Docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi vobis, Matth.28.d.20. Si mandato huic obtemperassent Episcopi, tot erroribus Ecclesia nunquam facta fuisset obnoxia. Postremò obseruemus Christum hic Patrem suum vocare Dominum, nimirum secundum humanitatem. Nam quatenus Deus est, dominum non habet: [a]imò verò ipse est Dominus omnium. *Filius meus es tu.* [b]Hæc in typo & Christo ipso considerare licet. [c]Potuit quidem Dauid regii iuris intuitu censeri Dei filius, quemadmodum scimus principes, eo quòd præ aliis excellãt, tam deos quàm Dei filios vocari, [a]Infrà, 82.b.6, & Iohan.10.f.34. [c]Sed hic Deus singulari elogio Dauidem ornãs, eum non modò supra cunctos mortales, sed etiam supra Angelos extollit. Quod prudenter expendit Apostolus, dum hoc nulli vnquam Angelo fuisse dictum admonet, Hebr.1.a.5. Quanuis enim Angelis inferior esset Dauid, quatenus tamen gestauit Christi personam, meritò illis longe præfertur. Sciamus ergo hic Dei Filium non vnum quempiam ex multis, sed vnigenitum designari, vt solus in cælo & in terra emineat. [m]Talis fuit Christus: qui licet secundum verbum sit vnigenitus Dei, & secundum hominem quoque, quatenus de Spiritu sancto conceptus est, Filius Dei vocetur, (Luc.1.d.35) hoc tamen pacto ipse quoque Filius Dei est, quo regno est per Spiritum sanctum cælitus inauguratus, [c]& talis hominibus patefactus. [c]Quod ergo Dominus dicit, *Ego hodie genui te*, referri debet ad sensum hominum vel notitiam. Dauid enim genitus à Deo fuit, dum elate apparuit eius electio. Itaque aduerbium Hodie tẽpus illius demonstrationis notat: quia postquam innotuit creatum diuinitus fuisse regem, prodiit tanquam nuper ex Deo genitus: quia homini priuato tãtus honor haberi non poterat. Eadem in Christo quoque relatio tenenda est. non enim genitus dicitur nisi quatenus Pater Filium suum esse testatus est. [b]Sunt tamen qui de æterna Verbi Dei generatione hũc locum intelligant, [c]qui & in aduerbio Hodie argutè philosophantur, acsi perpetuum actum extra tempus notaret. Sed huius vaticinii fidelior ac magis idoneus interpres est Paulus, qui ad illã quam diximus cælestis gloriæ demonstrationem nos reuocat, dicẽs, [b]Et nos vobis euangelizamus quod promissionem Patribus factam Deus impleuerit filiis eorum, nempe nobis, excitato Iesu: sicut in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Act.13.e.32. [c]Genitus ergo fuisse dicitur, nõ vt filius Dei esse quoad se inciperet, sed vt talis patefieret mũdo. Denique hæc genitura non de mutuo Patris & Filii respectu intelligi debet: sed tantùm significat, eum qui fuerat ab initio absconditus in arcano Patris sinu, & obscurè deinde sub Lege adumbratus, ex quo prodiit cum claris insignibus, cognitum fuisse Dei Filium. Sicuti etiam dicitur à Iohanne, Conspeximus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à Patre, Ioh.1.b.14. Simul tamen memoria tenendum est quod docet Paulus, fuisse declaratum Filium in potentia, dum resurrexit à mortuis, Rom.1.a.4. Ideoque præcipuè in diem illum competit quod hic dicitur. Quicquid sit, solenne & legitimum manifestationis tempus Spiritus sanctus hic designat: sicuti quũ dicitur, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, Infrà, 118.d.24. [c]Notandũ est etiam discrimẽ inter Christum Dei Filium & reliquos omnes, qui quatenus fideles sunt, etiam ipsi filii Dei appellantur. quemadmodum Iohannes loquitur, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur, 1.Iohan.3.a.1. Sed Christus natura Filius Dei est, nos verò adoptione tantùm: sicuti Paulus his verbis haud obscurè significat, Vbi venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum Legi obnoxium, vt eos qui Legi erant obnoxii redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus, Gal.4.a.4

8 *Postula à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Postula à me. [a]Hic iam agitur de regni Christi amplificatione. [c]Verum quidem est rogatum fuisse à Christo Patrem, vt ipsum gloria ornaret quam apud eum possederat ab initio, ante creationem mundi: (Ioh.17.a.5) simplicior tamen sensus est, quòd Pater Filio nihil negabit de propagando eius regno in vltimos vsque terræ fines. [b]acsi diceret, Adeo nihil officiẽt regno tuo Gentes istæ, quamlibet tumultuentur & moliantur, vt ad tuam eas voluntatem daturus tibi sim in possessionem propriam atque hæreditatem. [c]Sed in re noua induceitur Christus sese Patri cum precibus offerens, quo illustrior sit gratuita in hac parte Dei liberalitas, quòd Filium suum toti mundo præficere dignatus est. Etsi enim quatenus æternus est Sermo Dei, penes eum iure summum imperium & maiestas semper fuit, vt nulla accessione crescere potuerit: tamen exaltatus in carne fuit, in qua induerat serui formam. Quare non est hoc solius deitatis elogium, sed ad totam mediatoris personam extenditur: quia postquam exinanitus fuit Christus, datum illi fuit nomẽ quod est super omne nomen, vt coram eo flectatur omne genu, Phil.2.b.9. [c]Quod ergo Vates Dominum inducit dicentem, Postula à me, significare voluit summam Dei erga Christum suum beneuolentiam atque indulgentiam, vt qui omnia voluntati eius concedere velit. Magni enim principes his verbis oblata optione suam solent beneuolentiam declarare. Sic Herodes saltatrici iurabat daturum se quicquid postulasset, etiamsi dimidiũ regni postulasset, Marc.6.c.23. Et Dominus Solomoni, Pete quod dem tibi, 1. Reg.3.a.5. [c]Porro quanquam scimus Dauidem præclaris victoriis potitum latè regnasse, vt multæ Gentes illi tributariæ fuerint: (nã Syriam, Idumæam, Philistinorum regionem, cum Moabitis & Ammonitis, Dominus imperio illius subiecit) [c]minimè tamẽ completum in eo fuit quod hic dicitur. nam si cũ aliis monarchiis eius regnũ conferas, satis angustis finib[9] inclusum fuit. Ideo ne frustra atque etiam absurdè vaticinium hoc de immensa regni amplitudine editum fuerit, ad Christum venire necesse est, qui solus mũdum sibi subegit, ac suo imperio terras omnes & populos complexus est: [a]adeo vt solus dicere potuerit, Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, Matth.11.d.27. Item, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Ibidem, 28.d.18. [m]Vnde & Apostolos suos in orbem vniuersum, tanquã propriã ditionem ad regnum suum pertinentem, amandauit, præcepitque vt docerent omnes gentes, &c. [c]Itaque hic, vt pluribus aliis locis, Gentium vocatio prædicitur: ne vnius tãtùm generis rex credatur qui à Deo mittẽdus est redemptor. Quòd autem regnum hoc dissipatum, multis ruinis deforme mutilumque cernimus, ex hominum malitia prouenit, quæ eos tam fœlici & optanda subiectione reddit indignos. Cæterùm quanuis impediat hominum ingratitudo ne perfectè floreat regnum Christi, non tamen eius prophetiæ effectum abolet, dum Christus dispersas reliquias vndique colligit, & in misera vastitate suos retinet sacro fidei vinculo coniunctos: vt non vnus duntaxat angulus, sed totus orbis eius imperio subiaceat. [m]Vnde Apostolus dicit illum esse à Deo constitutum hæredem vniuersorum, Hebr.1.a.2. Videmus ergo quam iniuriam regno Christi Romana tyrannis faciat, quæ sicut olim Donatistæ in Africæ angustiam, ita ad sua pomœria lacera & arcta amplitudinem illius restringit. Sicut ergo Augustinus suis temporibus temeritatem Donatistarum præsenti oraculo notauit & repressit, ita nos hodie Romanorũ præsumptionem eodem veluti mucrone confodiamus. [b]Certè totus orbis Christi est, [c]Quare vtcunque ferociat impii, eiusque dominationem repudient, nunquam tamen sua contumacia ius & potestatem ipsius redigũt in nihilum. Quò etiam pertinet quod proximè sequitur,

9 *Conteres eas virga ferrea, sicut vas figuli confringes eas.*

Conteres eas virga ferrea. [b]Hæc de iis prædixit Vates qui ex tumultuantibus Gentibus & inania iactantibus populis, regibus conspirantibus & coniurantibus principibus aduersus Deum & Christum eius, à Dauide postea trucidati deletique fuere. reliqui enim cesserunt ei in hæreditatem peculii. [c]Vel subindicat Dauid non omnes spõte iugum subituros, sed mul

tos fore præfractos ac rebelles: quos tamen violenter domitos in ordinem coget. Regni quidem de quo loquitur, species & decor in eo magis refulget, quòd voluntarius populus ad dicem occurrit, vt se morigerum præbeat: sed quia maior pars indocili ferocia sese contra attollit, necesse fuit hoc quoque adiungi, talibus obstaculis superiorem fore hunc regem. Atque huius quidem bellicæ virtutis specimen exhibere cœpit Deus in persona Dauidis, à quo scimus hostes quamplurimos armis fuisse victos ac prostratos: sed in Christo plenior cõstat veritas, qui nõ gladio vel hasta, sed Spiritu oris sui impios ad interitum vsque percolit, Esa.11.a.4, & 2.Thess.2.b.8. Mirum tamen videri possit, quum Prophetæ alibi Christi mansuetudinem, clementiam & facilitatem celebrent, hic rigidum & austerum plenumque terroris describi. Sed quia seuera hæc ac formidabilis dominatio nonnisi ad incutiendũ hostibus metum posita est, humanitati qua Christus suos blandè & suauiter fouet, minimè contraria est. Nam vt se placidis ouibus amabilem pastorem exhibet, ita feras bestias necesse est ab eo durius tractari, vt earum truculentiam vel corrigat, vel compescat. Itaque postquam alibi laudata est piorum obedientia, simul potentia armatur Christus, qua reges & exercitus sibi aduersos in die iræ suæ perdat, Infra,110.b.5. Et certa vtrunque illi aptè tribuitur: quia à Patre missus est vt pauperes ac miseros salutis nuntio exhilaret, captiuos soluat, ægrotos sanet, tristes & afflictus ex mortis tenebris educat in lucem vitæ, Esa.61.a.1, & Luc.4.c.18. Rursum quia multi sua ingratitudine eius in se vindictã prouocant, ad subigendã eorũ duritiã quodammodo nouã personã induit. Porro per sceptrũ ferreum, aut virgam præduram, durum Dauidis imperiũ vimque illam diuinam qua cunctos suos hostes fregit contriuitque, significat: cuius insigne auspicium erat sæuum illud bellum quo primùm Philistæos, deinde Syros, Ammonitas & Moabitas domuit: Idumæos & Syros sæpius percussos penitus attriuit: sicuti sacra historia refert, 2.Sam.8.10.12, & 1.Paral.18.& 19. Christus autem pro armis omnibus Spiritum oris sui habet, sicuti nuper ex Esaia citauimus. Ergo vt digitum non moueat Christus, loquendo satis validè fulminat contra hostes suos, & sola virga labiorum eius eos in nihilum redigit. Quantumuis enim fremant, calcitrent, ac furioso impetu resistant, coguntur tandem iudicem suum sentire, cui regium honorem negant, denique variis modis conteruntur, donec fiant scabellum pedum eius. Gemina est igitur regni Christi virtus, ad seruandum vna, ad conterendum altera. Sicut & lapis angularis innitentibus sibi robore suo bene seruit: offendentes verò & impingentes atterit. Qui ceciderit, inquit Dominus, super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum, Matth.21.d.44. Et Petrus, Vobis, inquit, pretiosus est qui creditis, cæterùm iis qui non credunt, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic cœpit esse in caput anguli, & lapis in quem impingitur, & petra ad quam offendant, &c. 1.Pet.2.b.7. Quod ergo credentibus est vita & consolatio, incredulis & obstinatis est virga ferrea. Quomodo verò Euangelii doctrina sceptrum sit ferreum, colligere licet ex Paulo, vbi docet eius ministros præditos esse armis spiritualibus, vt deiiciant omnem altitudinem quæ extollitur aduersus cognitionẽ Dei, 2.Cor.10.a.4. Fatemur quidem etiam ipsos fideles mactari Deo in sacrificium, vt eos sua gratia viuificet: quia humiliari nos prius oportet quàm Christus nobis manum porrigat. Sed quia Christus discipulos suos ita ad pœnitentiam erudit, vt illis nequaquam terribilis appareat, quin potius ostenso pastoris pedo, tristitiam eorum mox in gaudium vertat: adeo non vtitur sceptro ferreo ad ipsos frangendos, vt salutari manus suæ vmbra magis eos protegat, virtutéque fulciat. Quare nonnisi in rebelles ac incredulos competit fractura ista, qui non pœnitẽtia subacti, sed desperatione oppressi Christo succumbunt. Cæterùm quanquam non omnes voce compellat, quia tamen verbo suo denuntiat quæcunque in eos exercet iudicia, verè dicitur impium Spiritu oris sui interficere, 2.Thess.2.b.8. Sciamus ergo potentia instructum esse Christum qua inuitis quoque & reluctantibus imperet, qua etiam possit omnes hostes suos facilè conterere. Quod & sub patrisfamilias parabola, qui perfidos colonos occidit, Matth.21.d.41, & regis qui iubebat occidi eos qui nolebant ipsum super se regnare, Luc.19.d.27, Christus ipse minatus est. Has parabolas vtinam & ad se pertinere qui hodie Christi se regno hostes faciunt, (hoc est, quicũ qua veritatem innocentiam & iustitiam oppugnant) deputarent. *Sicut vas figuli confringes eos.* Pulchra similitudine stultam hostium Christi superbiam traducit Propheta. Quamuis enim dura sit & plusquam lapidea eorum obstinatio, vasis tamen fictilibus magis fragiles esse docet. Reluctatur quidem vniuersus orbis regno Christi, vt appareat mundus hic, veritati Dei repugnans, filios Dei mactans, ac Spiritu sancto pertinaciter resistens, regnum esse ferreum, & contra, regnum Christi vas figulinum, fractum & contritum: verùm si nobis sint fidei oculi, tam erimus securi de regno Christi contra mundi huius duritiem ac potentiam, quàm securum est ferrum, si à vase figulino impetatur: imò certi erimus omnem hanc aduersariã potentiã penitus esse conterendam. Quid sunt quæso omnia regna mũdi aliud quàm quod præsens metaphora à Spiritu sancto posita habet, vas quoddam figulinum? Vas figulinum quid est nisi terra igne quidem durata, sed admodum fragilis? Sic regna mũdi quid sunt aliud quàm caro? Et caro quid est nisi terra fragilis? Ieremias quò crassos Ierusalemitas, & ad minas Dei plus nimio stupentes, metu imminentis vltionis vel aliquatenus commoueret, iussus à Domino testaceam lagunculam coram senioribus tam populi quàm sacerdotum confregit, adiiciens ex ore Domini, Sic populum istum & vrbem istam confringam, sicut hoc vas figuli confringitur, quod reparari nequit, Ierem.19.c.10. In hac ergo imagine hoc ipsum animaduertendum, hostes Christi sic confringendos & comminuendos vt in æternum nunquam restitui possint: quia instar vasis figuli confringentur. Eadem similitudine vtitur Esaias contra Ierusalem Ægypti plusquam Dei præsidio confidentem, & securè ideo in peruersitate atque oppressione pauperum perseuerantem: sic minitante sancto Israelis, Ideo erit vobis iniquitas hæc quasi ruptura cadens, tumor in alto muro, cuius repentè & subitò venit fractura. Et contritio eius quasi contritio vasis figulorum, quod absque misericordia comminuitur, nec in eius fractura inuenitur testa ad ignem è foco ferendum, vel aquam è puteo hauriendam, Esa.30.c.13. Discendum igitur ex hac imagine, eos qui Christi regno bellum indicunt, ita in nihilum redigendos vt nullius prorsus vsus esse queant. Quia tamen nõ statim conteri videmus quicunque Christo resistunt, imò sub ferreis eorum malleis Ecclesia infirma testæ similis est: pios omnes admonitos esse cõuenit, vt quotidiana Christi iudicia, tanquam horribilis ruinæ quæ manet omnes impios præludia, reputando, diem vltimum patienter expectent, quo ipsos aductus sui flamma prorsus absumet: sicuti Paulus testatur, 2. Thess.1.c.7.8. Interim sufficiat eum in medio hostium suorum dominari.

10 *Et nunc reges intelligite, erudimini iudices terræ.*

Et nunc reges. Post cæleste Patris oraculum de Filii regno inductum, Propheta per apostrophen reges ac iudices terræ, quos initio Psalmi aduersus Dominum & Christum eius sese erigere ac consultare dixit, alloquitur: & postquam vltionem Dei proposuit tanquam iudicii eius præco, nunc Prophetæ ac doctoris partes suscipiens, ad resipiscentiam ac debitam subiectionem hortatur, ne serò experti cogantur non futiles nec irritas fuisse minas. Acsi diceret, Quum regnum Christi ad hunc modum comparatum sit, vt non solùm impossibile sit quod conamini, sed & vobisipsis exitiosissimum, etiamsi hactenus desipuistis, tamen vel iam tandem, nisi perire iuuat, mutata sententia resipiscite: nolite vsqueadeo insanire vt vobis ipsi perniciem accersatis. Proinde intelligentes estote, prudenter agite, & præstate vos sapientes, & qui aliis imperatis, disciplinam quoque cælestem suscipite. Nominatim verò reges & proceres alloquitur, qui non ita facilè mansuescunt. Adde quòd inanis sapiẽtiæ fastus, quo turgent, eos quid rectum sit discere non patitur. Non excluduntur ergo gentes & populi: sed ob eam causam reges ac iudices nominatim ad resipiscentiam vocantur, quòd illi sunt gentium ac populorum capita: quorum cum primis interest vt Domino subiiciantur, ac populis subiectis ad veram hanc obedientiam ductores se præbeant. Duplici siquidem nomine ipsorum est vt se Domino morigeros subiiciãt: primùm, quoniam cum aliis mortalibus potestati illius subiecti, deinde peculiares etiam illius ministri sunt facti: ad hoc vt accepta in subditos potestate diuinæ voluntati & ipsi seruiant, & subditos obediẽtes reddant. Innuit ergo Spiritus sanctus hoc loco per id quòd reges ac iudices alloquitur, & ad pœnitẽtiam hortatur, illorum culpa fieri quòd gentes & populi Domino ac Christo eius aduersantur: vt non frustra scriptum sit, Potentes potenter tormenta patientur, Sap 6.a.7. Quid enim peruersius quàm si qui à rege subditis præfectus est, ipse primus regem suum agnoscere nolit, omnem potestatem sibiipsi vendicet, dominum sese ac regem constituat, obedientiam subditorum regi debitam in se transferat, authorque illis sit inobedientiæ ac rebellionis? Porro si ne ipsis quidem regibus parcit Dauid, qui videntur legibus soluti & exempti communi ordine, multo magis ad vulgus hominũ pertinet eius exhortatio, vt omnes à summo vsque ad infimum humiliet. Per aduerbium *Nunc* significat maturè illis resipiscendũ: quia non semper eadem datur opportunitas. Interim subindicat adhuc vtiliter se eos monere: quia pœnitentiæ locus est, si maturent. Videtur enim ad tempus respexisse quo bellum contra Christum nondum incru-

duit, quo nondum ipsius ira planè exarsit.[m] Notãdum & illud quòd non dicit, Et nunc rebelles, vel tyranni, vel perfidi: sed, Et nunc reges & iudices. Officiorum nomina illis non adimit, licet eos haud immeritò aliud vocare posset. Vocat eos adhuc reges ac iudices, vt istis nominibus admoneantur quid esse debeant, & quid diuinitus sint facti. Discamus ergo quæ debeatur regibus ac principibus reuerentia, quibus officiorum tituli non adimuntur, etiam vbi tãquam rebelles & immorigeri ad resipiscentiam vocantur. Et Apostolus quum fideles hortatur vt pro magistratibus orẽt etiam impiis ac persequutoribus, regii honoris nomẽ adscribit, 1. Timoth. 2. a. 1. Id quod & Petrus Apostolus expressè facit, 1. Epist. 2. c. 13. 14. 17. *Intelligite.* [c]Quum reges iubet intelligentia esse præditos, obliquè falsam prudentiæ confidentiam in ipsis perstringit, acsi dixisset, Hoc rectè sapiendi initium est, deposito fastu vos addicere Christi imperio.[m] Nam alioqui quòd putatis vos regnis vestris per id cõsulere quòd Christo Domini repugnatis, omniũ est stultissimum. Hic ergo videmus nihil minus esse quàm sapientiam ac prudentiam, qua reges regnis suis spreto Christo quamsapientissimè consultum putant. Quid enim aliud agũt veritati regni Christi reluctando quàm vt regnis suis consulant? [c]Ergo quantumuis tibi placeant mundi principes in suo acumine, iriamus eos planè desipere donec fiat humiles Christi discipuli.[m] Iudæorum magistratus dicebant, Ne veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem, &c. Iohan. 11. f. 48. Hæc erat illorum sapientia & intelligentia. verùm exitus acta probauit. *Erudimini iudices terræ.* [b]Iudices terræ in Israele olim erant qui prima ac fere consulari non tamen regia potestate populum gubernabant. horum aliquot historias habet liber Iudicum. Cæterùm vocabantur etiam iudices quibuscũque disceptandi causas officium erat. Hic tamen quoniam regibus coniunguntur, intelligendi sunt qui vel regia vel regi proxima potestate pollent, quales principes erant Philistinorum.[m] Magna certè huius loci authoritas est, qua reges quoque & iudices disciplinæ verbi Dei subiiciuntur: de illa namque loquitur Dauid. Nec immeritò. Quorum enim magis interest vt verè sapiant quàm regum ac iudicum? Vnde autem vera intelligentia acquiritur quàm ex disciplina verbi Dei? Ideo & Deus regem nominatim adhoc astringit vt sibi librũ Legis diuinæ describat, secùmq; habeat, & in eo noctes ac dies legens Dominum timere discat, Deut. 17. d. 19. At (proh dolor) quos hodie habet Ecclesia disciplinæ huius minus tolerantes quàm reges ac principes? [e]Quin potius omnes ferè suæ tyrannidi à regno Dei malè, sed frustra, metuũt. Vnde huius assertores Prophetæ, Seruator ipse, Apostoli & quicunque alii, seditionis semper traducti sunt: cuius & ipsi, quantum ad mundi principem Satanam, cui merent quicunque Deo non merent, sese obligant. tot enim in eo sunt vt ab hoc pernicioso tyranno homines ad Deum deficiant. Quum autem omnis potestas à Deo constituatur, sitque ea posita in manu Seruatoris, verè sapiunt qui huius se præfectos agnoscunt, & regnum eius proferre non accidere student: insani & dementes, qui contra illud feruntur, suáque consilia instituunt. At quotusquisque est principum qui hanc sapientiam vel ipse sibi persuadeat, vel persuaderi ferat à monitoribus? Profectò si essent, haudquaquam crudelissimis bellis omnia ita vastarentur, malis neutiquam tanta licerent, bonæ & sanctæ literæ minimè ita negligerentur: innocentiæ denique & pietatis longè alia ratio haberetur: auiæ mera templa & omnis virtutis scholæ atque asyla quædam essent iustitiæ, quæ nunc sunt quod quique boni ingemiscunt.[m] Vnde non mirum si pauci inter eos sunt qui verè sapiant, atque intelligenter ac fœliciter regnent. Fit enim omnium meritissimo iudicio, vt qui salutari Dei verbo subiici nolunt, impostorum consiliis subiaceant.[f] Quare si vnquã operæpretium fuit orare Deũ pro regibus & principibus, hac tempestate ardentissimè id faciendum est, quo per eos si non possumus iuuari, liceat saltem viuere vitam cum honestate & pietate tranquillam. Indubiè enim grauis Dei in nos iræ argumentum est, tam paucos habere principes qui Christum regẽ ex animo & seriò colendum ducant.

11 *Seruite Iehouæ in timore: & exultate in tremore.*

Seruite Iehouæ in timore. [c]Nunc intelligendi modum definit, dum reges ac iudices Domino seruire iubet in timore. Nam quia altitudine sua confisi se communi iure solutos somniant, hæc maximè superbia eos excæcat, vt ne Deo quidem subesse dignentur. Ergo donec ipsum timere didicerint, rectâ mente priuatos esse admonet.[e] Hæc igitur illa prudentia illáque eruditio est quam vult Vates principes recipere, vt agnoscant id Dei regnum esse quod Christus administrat. Emphasim enim Iehouæ istud habet. quasi dicat, Non iubeo homini mortali, sed Deo omnipotenti vos subdere. Sceptrum Dei non carnis est, quod datum Christo est. Non igitur seruiẽdum vobis tepidè, sed cum timore, hoc est summa reuerentia studióque ardentissimo.[c] Et certè quia reges & principes indurat securitas, vt obsequia sua Deo substrahant, primùm cogendi sunt ad timorem, vt corrigatur eorum rebellio. Admonentur ergo hoc loco principes, se fœliciter regnaturos quando potestas ipsorum nihil aliud est quàm seruitus Dei, hoc est, quãdo imperando & præcipiendo non suæ ipsorum libidini sed diuinæ seruiunt voluntati, nec tyrannicum illud vsurpant, Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas. sed dicunt, Sic volo sic iubeo: quia sic diuina voluntas mandat, cui soli cuncta subesse decet. Notent hunc locum etiam illi qui negant regiam potestatem, ac secularem (vt vocant) magistratum habere quod in causa religionis agat. Nam etsi regnũ Christi in cordibus credentium est, & spiritu constat, magistratus tamen interest curare vt verbi doctrina retineatur in Ecclesia, idololatria & falsi cultus tollantur, ministri Ecclesiæ commodè alantur, & aduersarii reprimantur: deinde vetare ne nomen Dei blasphemetur, & efficere vt pie viuentes securè agant, impii verò & irrequieti puniantur & cohibeantur. *Exultate.* [c]Ne molesta sit regibus ac iudicibus hæc seruitus ad quam eos vocat Propheta, Exultandi verbo suauem & optandam esse docet, quia materiam afferat veræ lætitiæ.[v] acsi diceret, Ita colite Dominũ vt timeatis illum offendere: exultate præterea quòd vobis talem regem præfecerit,[a] qui vos in perpetuum regnare faciet, si vos illi morigeros præstiteritis.[m] Non sit hæc coacta vestra seruitus, quæ spiritum gignat tristem ac tergiuersantem.[v] Exultate vos eum habere Patrem, qui nullum reiicit, quantumcunque dignitate secundum seculum fulgeat: modò id ministerium à Deo approbatum agnoscat, non dignitatem. *In tremore.* Ne hæc exultatio pariat neglectum,[c] & suo more lasciuiãt principes, ac inanibus gaudiis ebrii se beatos esse fingãt, dum inimici sunt Dei, iterum nomine tremoris ad supplicem modestiámque submissionem eos hortatur. Est enim non ibi discrimen inter lætum & hilarem trãquillæ conscientiæ statum, dum fideles Deum quem reuerentur, sibi propitium esse gaudent: & effrænem petulantiam, ad quam impios rapit Dei contemptus & obliuio. Subindicat igitur Propheta, quandiu intemperanter pro carnis libidine exultant superbi, suo exitio colludere: hoc verò vnicum & salutare esse gaudium, acquiescere in Dei metu ac reuerentia.[b] Non pugnat igitur hic tremor gaudio imò ex eo nascitur. Quo enim plenius cognoscitur quãta sit salus Christum regem habere, eo vtique maiore gaudio, timore ac tremore datur opera vt tãto regi ritè seruiatur, & grata illi nostra habeantur. id in probo filio erga parentem & bene morata vxore erga maritum videre liceat: ad aduentũ illic parentis, hæc mariti toto animo commouetur, & gaudio simul & timore, sed qui ex nimio gratificandi studio nascitur, penitus concutitur. Sic affectos decet nos esse erga regẽ Christum, eóque ardentius quo pluris ille nobis & charior esse debet quam mortales sint mortalibus.

12 *Osculamini Filium, nequando irascatur, & pereatis de via, quando exarserit breuiter ira eius. beati omnes qui sperant in eo.*

Osculamini Filium, nequando irascatur. [m]Iterum præcedẽtis particulæ declaratio subiicitur.[c] Nã clarius adhuc exprimit Propheta quemnam Deus timorem & cultum exigat. Nam sicuti regnare vult per manum Filii sui, & in eius persona gloriæ suæ notas & insignia insculpsit: hæc nostræ erga eum obedientiæ & pietatis legitima est probatio, reuerẽter amplecti quem nobis regem præfecit: secundum illud, Qui non honorat Filium, neque Patrem honorat, qui misit illum, Iob. 5. d. 23.[b] Nam quum iubemur Filium osculari, synecdoche tropus est, qua ex signo, id quod signo repræsentatur, intelligitur.[m] Solent enim subditi, principum suorum vel pedes prostrati vel manus iocunde in signum omnimodæ submissionis deosculari.[b] Filiũ dicit potius quàm Dominum, eo quòd suprà Patrem induxit dicentem, Filius meus es tu, versu 7. Sunt sanè dii & filii altissimi, propter potentiæ maiestatem, principes vniuersi, vt canit Psalmus 82. b. 6. At Seruator noster omnium caput & primogenitus est, à quo reliqui habent vt filii Dei sint & vocentur. Vnde commodùm per antonomasiam, Filium hic Vates nominauit,[m] innuens osculandũ esse Dominum ob eam causam quòd est Filius Dei, Dominus ac hæres omnium.[v] acsi diceret, Osculo manuũ testamini vos Filium Dei habere pro rege, amplectimini Filium toto mentis affectu, & subditi estote illi.[a] Cæterùm quoniam בר modò electum modò filium significat, locus hic variè expositus fuit. Rabbi Abenhã sic dicit. Ecce. Seruite Domino, contra illud, Aduersus Dominum: Osculamini Filium, contra illud, Aduersus Messiah eius, opponuntur. Et בר est Filius, & sic scriptum est, Filius meus tu. Et consuetudo gentium est vt ponant manum suam sub manu regis, sicut fratres Selomoh (mos autem serui est vt ponat manum suam sub femore domini sui) vel vt osculentur regẽ. Et hæc consuetudo

est vsque in hanc diem in Æthiopia. R. D. in commentariis, Osculamini Filium. id est, osculamini hunc Filium cui Deus dixit, Filius meus es tu: quemadmodum seruus osculatur manum domini sui. Vel, Osculamini purum, id est, me mundum eorde, in quo non est iniquitas, vt ostendatis quòd sum rex iussu Dei. Vel, Osculamini electum. [m] Aben Esra hunc locum exponit, Seruite Domino, & osculamini Filium, qui est Messias. [f] Hieronymus vertit, Adorate purè, Adorate posito pro Osculamini. hoc ipsum enim adorationis quædam species est. Græcus interpres habet Apprehendite disciplinam, fortè per apprehendere disciplinam intelligens subiicere se ergi Christo, & eius disciplinam atque castigationem recipere. Chaldæa sanè paraphrasis idē reddidit, per Suscipite doctrinā. id quod omnino faciunt quicunque Christo regi sese verè addicunt: iuxta illud, Tollite iugum meum super vos, & discite à me. id est, estote mei discipuli, quum sim mansuetus, vt nullius ruditate offendar, cordéque humilis, vt nullius indignitatem auerser, Matth. 11. d. 29. [b] Cæterùm siue electum siue filium legas, idē manebit sensus. Verè enim à Patre electus fuit Christus, cui data fuit omnis potestas, vt solus supra Angelos & homines emineat. qua de causa etiam dicitur signatus esse à Deo, Iohā. 6. e. 27. quia peculiaris in eum dignitas collata est, quæ ab omnibus creaturis eum eximat. Quod Purum vertūt quidam, durum est ac magis exactum. Nomen verò filii optimè cōuenit, & superiori sententiæ respondet, vbi dictum fuit, Filius meus es tu, ego hodie genui te, versu 7. Summa igitur est, Deum honore suo fraudari, nisi in Christo colitur. [m] Hic itaque discernimur Christiani à Iudæis & Turcis, qui & ipsi serui ac cultores veri Dei videri volunt: verùm ita vt Filium Dei, cui Pater omnem potestatem dedit, excludant, atque ita Patrem in Filio respuant. Sicut enim Pater in Filio colitur, ita rursus in illo contemnitur ac respuitur: [a] secundum illud Iohānis, Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet, 1. Iohan. 2. d. 23. [m] Expendamus etiam hoc, quanta sit ista Christi Filii hominis maiestas, potentia & gloria, quòd ad pedum eius oscula reges terræ, absque nulla discriminatione, quanti quanti sint, vocantur. Quisnam mortalium ab hac submissione excipitur, quando illa ipsis quoque regibus imponitur? Vidit hoc Romanus pōtifex: ideóque vt primatum super omnes Christianos & obtineret & retineret, eò contendit vt osculo pedum ab imperatoribus, regibus ac summis primatibus adoretur: atque ita gloriam hanc Christi, quam ille nemini suorum communicauit, falsò nominatus vicarius in se transtulit. Verùm scriptum est, Qui se ipse exaltat, humiliabitur, Matth. 23. a. 12. Cuius sententiæ vis & veritas sedem hanc superbiæ, tanquam Deo exosissimam, ad ipsum vsque fundum inferni cum Satana illius authore deturbabit. *Nequando irascatur.* [a] Hoc ad Deum referri debet. [c] Hoc admonet Christi contemptoribus non impunè cessurum esse suum fastum. acsi Propheta dixisset, Quia non spernitur Christus absque Patris cōtumelia, qui eum sua gloria ornauit, tale sacrilegium Pater ipse inultum non finet. [a] Sic enim habetur apud Mosen, Homo qui non audierit verba mea quæ loquetur in nomine meo, in illū ego inquirā, Deut. 18. d. 19. [m] Ergo hostes Christi non solùm irridentur à Deo tanquam stulti & insani, sed iræ illius tanquam impii & rebelles subiiciuntur. Si non terret irrisio stultos, terreat ira Dei rebelles & impios. [a] horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis, Hebr. 10. f. 31. *Et pereatis de via.* [v] Hoc quidam exponunt, Propter viam peruersam, vel sceleratam viuendi rationem, quam sequuti fueritis. Alii resoluunt, Ne via vestra pereat: secundum illud, Via impiorum peribit, Suprà, 1. b. 6. Sed hic sensus magis arridet, quòd Dauid fore denuntiet vt eos intercipiat subitus Dei furor, dum se putabūt adhuc esse in medio stadio. Scimus enim vt Dei contemptores sibi in secunda fortuna blandiri soleant, & quasi in lato campo se iactent. Nō abs re igitur minatur Propheta, quum dixerint, Pax & securitas, se procul distare à fine suo putantes, repētino interitu abreptum iri. [a] Qua de re vide Matt. 24. d. 50, & 1. Thess. 5. a. 3. Ideo addit Propheta, *Quando exarserit breui ira eius.* [m] Duo hic nobis significantur: Primum, iram Dei aduersus hostes Christi fore vehementissimam. alterum exarsuram hāc breui: [c] ne spe longioris moræ frustra se lactēt impii, atque ex præsenti quiete sibi inanes faciant delicias. Videmus enim, si ad tempus cōtineat Deus, & impios toleret, ex illius lenitate crescere ipsis audaciam: quia eius iudicium nisi ex carnis sensu & experientia non concipiunt. [f] Sunt tamen qui particulam כמעט interpretentur, si vel parum ira eius accendatur, actum fore de reprobis: [c] sed magis consentaneum est ad tempus referre, ne callum ex suo torpore obducant superbi, atque ex Dei patientia impunitatem sibi promittant. [a] Quemadmodum habetur Ro. 2. a. 4. 5, & 2. Petr. 3. a. 4. *Beati omnes qui sperant in eo.* [c] Hoc epiphonemate tēperat Propheta quod de seueritate dixerat. quia promiscuè omnibus terrorem incuteret feroca Christi virga & igneus Dei furor, nisi addita esset hæc consolatio. Postquam ergo de horribili quod incredulis impendet iudicio disseruit, nunc proposita gratiæ Dei dulcedine fideles & pios eius cultores ad bene sperandum inuitat. Eundem quoque ordinem Paulus tenet. Nam vbi dixit in promptu sibi esse vindictā cōtra incredulos, continuò pòst addit, sermonem ad fideles dirigens, Postquam impleta fuerit vestra obedientia, 2. Cor. 10. b. 6. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Quia enim fideles ignem de quo meminit ad se extendere poterant, asylum spei ipsis aperit, quò confugiāt ab ira Dei: quemadmodum & Ioel, postquam impios citauit ad horribile Dei tribunal, consolationem mox subiicit, Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit, Ioel. 2. g. 32. Seorsum enim legēda est hæc exclamatio, Beati omnes qui confidunt in eo. [b] acsi diceret Propheta, Quid opus verbis? Quid multis moneo vt vos regi huic addicatis, quando is est, vt planè beati sint quicunque ipsum regē adorant? satis sit hoc vno verbo accinuisse, Beati quotquot illo fidunt. Hinc nemo non intelligit miseros & perditos esse quicūque ipsum contempserint, nedum oppugnauerint. R. D. Kimhi ad Deum, non ad regem, hoc dictum epiphonematicū refert, sicut & illud suprà, Ne irascatur. Sedulò enim dant operam vt quæ augustiora Christo in Scripturis tribuuntur, ad Deū referant Christo detracta. non intelligētes miseri quòd quum idem vnusque Deus sit Christus & Pater, qui tituli Christo deferuntur, Deo propterea minimè adimuntur. [c] Quanuis ergo tam ad Deum quàm ad Christū referri possit pronomen hoc loco positum, melius tamen conuenit de Christo intelligi, quem prius osculari iusserat. [f] Voluit ergo Vates Deo plenus, eóque ardens iam in gloriā Christi eius extollendam, vniuersos Dei studiosos in fidem Christi pellicere. ipse enim vnus ille est per quem gratiam pro gratia, & bonum Spiritum atque facultatem dediscendi innatos carnis affectus, & ex eius præscriptam discendi vitam, eóque solidam & iustitiam & fœlicitatem percipimus. Id quod probè experimur quibuscunque fides in hoc rege & seruatore nostro datum est. [m] In summa, videmus hoc fiduciæ in Christum dari, vt quum exardescet ira Dei aduersus impios, securi sint credentes in illum futuri. id quod Christus ipse sæpenumero inculcauit, vitam æternam in se credētibus pollicitus, [a] Ioh. 3. b. 16. d. 36, & 6. e. 40. 47, & 7. f. 38, & 11. c. 25. Hoc confirmat his verbis Apostolus, Omnis qui credit in eo, non pudefiet, Rom. 9. g. 33.

ARGVMENTVM PSAL. III.

[c] ADMIRATVR hoc Psalmo Dauid regno pulsus, multitudinem hostium suorum contra se insurgentium. Vt verò Dni opem implorat, licet vltima rerū omnium desperatio vrgeret, [b] sentit statim spei suæ robur mirificum suffici, [c] quo fretus ingentes terrores, hostium ludibria crudelésque impetus, ipsam denique mortem, quæ tunc se oculis ingerebat, susque déque facit: [m] certus Deum hostes exemplo percussurum, eo quòd & ceruu altus salutate, & salutis nulli nisi qui ipso fidunt, queant fieri participes. Quando verò hunc Psalmum composuerit ipsa docet epigraphe, quæ historiæ Absalonis 2. Sam. 15, & 16 descriptæ meminit.

CANTICVM Dauidis, *quum fugeret à facie Absalom filii sui.*

Canticum Dauidis, quum fugeret. [a] Quàm acerbus fuerit Dauidis mœror in cōspiratione domestica, quæ ex proprii filii perfidia exorta erat, cuique nostrum ex naturæ sensu colligere promptum est. Iam quum hanc cladem sua culpa diuinitus illatam esse sciret, ob stuprum alienæ vxori oblatum, & fusum innoxium sanguinem, totus concidere potuit, & anxietati succumbere, nisi Dei promissione erectus vitam in morte sperasset. [a] Nō leue periculum erat quòd filius patrem, quò tutò pro eo regnaret, perimere conabatur. [a] Quod impium parricidæ filii consilium quum nuntiatum Dauidi esset, è vestigio fugā cum iis quos reliquos secum habebat accelerans, Ierusalémque relicta, recepit se primùm in campestria deserti: inde transiuit Iordanem. Ibi collecta aliqua manu eorum qui in fide perstiterant, diuisóque omni exercitu in tres turmas, contra Absalonem direxit: qui & victoriam cæso illo retulerunt. Quum ergo in hoc periculo iam incipiti & rerum suarum statu perturbatissimo, à Domino mirificè adeo adiutus esset, tam leui manu toto Israele fuso: composuit de his præsens carmē, Domini in se bonitatem, fidei in illum virtutem, qua fracta sit omnis ferocia & vis hostium, deprædicans. [c] Porro, quia peccata sua non attingit, sciendum est alteram solùm peccationū suarum partem hoc Psalmo complexum esse. Quòd enim de adulterio & scelesta Vriæ proditione pœnam Deus sumebat, non dubium est grauibus dirisque animi tormentis initiò fuisse constrictum: sed postquam humiliatus coram Deo animum collegit, certus de impetrata venia, Deum à parte sua securè

statuit, quem sciebat regni sui semper fore præsidem. De filio totáque eius factione conquestus est: quia sciebat eos ad labefactandum Dei decretum insurgere. Ita si quando Deus improbis & scelestis hominibus ad nos castigandos tanquam flagellis vtatur, causam primò expendere cóuenit, nihil scilicet nos perpeti quod non promeriti simus: vt hæc meditatio nos ad pœnitentiam erudiat. Verùm si Deum potius quàm nos oppugnant hostes, continuò pòst succedat hæc fiducia, eius præsidio nos fore saluos, cuius gratiam quæ nobis promissa est, spernunt illi & conculcant. [b]Itaque Dauid fideles vult suo exemplo ad fidẽdum Domino, qui suos nullo in discrimine deserit, prouocare: & Dei pro suis benignam & præsentem semper curam prædicare.

2 *Domine, quàm multiplicati sunt hostes mei! multi insurgunt aduersum me.*

Domine, quàm multiplicati sunt. [m]Græcus illud מה רבו reddidit Quid multiplicati sunt, vt non solùm de multitudine hostiũ admiretur Propheta, sed & rationem illius inquirat. [a]Hieronymus vertit, Domine, quare multiplicati sunt. Alii, Perquam multi sunt, &c. [a]Inducit enim se Vates ceu iam videntẽ quàm multi, nempe cuncti Israelitæ, quàque confidentia persuasi, nimirum ne Deum quidem ipsi adfuturum, contra se concurrant & armentur: idque coram Domino cũ admiratione queritur, & querendo admiratur. Tale verò quid indubie expertus fuerat, quum in vertice montis oliuarũ ad Dominum precem fuderat. [c]Nam docet sacra historia non modò regia potestate eiectum fuisse Dauidem, sed ab omnibus ferè desertum: vt prope idem fere haberet hostes quot subditos. Quanquam enim profugum comitati sunt pauci quidam fideles amici, non tam eorum custodia quàm deserti latebris tutus euasit. Quare nõ mirum est obiecta illa multitudine fuisse territum: quia nihil magis inopinatum accidere potuit quàm tam subita defectio. [b]Ibi enim animo succurrebat quàm amplissimè de toto populo fuerat meritus, quámque peruersis ac malitiosis se oppugnarent consiliis ii quibus nihil æquè atque religio & iustitia inuisum in ipsius imperio erat: quàm denique stulto & insano impetu populus à se tam fido pastore ad perniciosissimos tyrannos deficeret: qui certè populi in suam ipsius perniciẽ ruẽtis furor non minus eum quàm fera illa ingratitudo vrebat. [c]Sed raræ fidei signum fuit quòd tanto metu perculsus, querimoniam suam in Dei sinũ deponere ausus est. Et certè hoc sedandis nostris timoribus remedium est, quicquid nos curarum angit, in eum reiicere: sicut vicissim, qui se ab eo respici non putãt, prostratos iacere necesse est. [a]Audienda igitur nobis Petri Apostoli adhortatio, Humiliemini sub potenti manu Dei, vt vos extollat quum erit opportunum: omni cura vestra coniecta in illum. nam illi cura est de vobis, 1. Petr. 5. b. 6.

Multi insurgunt aduersum. [a]Hæc repetitio ad admirationis vehementiam pertinet. [m]De eo enim admiratur Propheta, quòd non vni & alteri, sed tam multis factus sit inimicis obnoxius, ita vt non externos modò, Philistæos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, &c. sed & subditos suos, imò ipsum quoque filium, cum singularibus amicis hostes patiatur. Videmus hoc exemplo quid expectandum sit bono principi, siquãdo principatus ipsius fœlicitas nonnihil inclinet. Vbi rebus prosperis vtitur, multos numerat amicos, à quibus per assentationem colitur: verùm si aduersa ingruant, non solùm deseritur, sed & hostes ferre cogitur quos antea amicorum loco habebat. Deinde notandum, diuina prouidentia fieri vt etiam pii ac boni inimicorum multitudine exerceantur & humilientur. Quæ namque Dauidi per coniurationem filii Absalom acciderunt, disciplina Domini contigerunt, quam illi Propheta Nathan prædixerat. Non ergo sola hominum malitia, quoties affligimur ab improbis, spectanda est, sed Dei prouidentia, quæ omnia ad salutem electorum dispensat & temperat. [b]R. D. Kimhi posteriorem hanc versus particulam de peruersis & hostilibus multorum consiliis interpretatur.

3 *Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ei à Deo. Selah.*

Multum dicunt animæ meæ. [c]Iam hostium suorum superbiã clarius & magis emphaticè exprimit, quòd sibi insultent tanquam perdito ac desperato. Significat autem illis creuisse audaciam, quia à Deo abiectum esse confiderent, [m]à quo sæpe fuerat in maximis periculis conseruatus: sicut alibi dicunt, Deus dereliquit eum: persequimini & cõprehendite eum, Infrà, 71. b. 11. Ergo impiorum quoque testimonio frustra impetitur, quanuis à malis ac potẽtibus, cuius salus adhuc in Deo est. [c]Fortè etiam his verbis obliquè notatur eorum impietas, quòd pro nihilo ducerent Dei auxilium in rege quem elegerat seruando. Atque hoc secũdum magis probabile est. Neque enim Absalom Dei fauorem sibi pollicitus est, sed prætermissa eius ratione, victoriam ex suis viribus sperauit. David ergo eum & reliquos ita loquentes consultò inducit, vt ostendat immani & barbaro Dei contemptu in furorem animari, acsi lusque deque ducerent quòd toties mirabiliter ereptos esset ex maximis periculis. Nam etsi impii dum insurgunt ad nos perdendos, non palàm eò insolentiæ prorumpunt vt Dei fauorem negent quicquam nobis profuturum: quia tamen vel fortunæ tribuunt omnia, vel vt quisque viribus pollet, eum statuunt fore victorem, & ideo per fas & nefas intrepidè ruunt, quòd illis perinde sit Deum habere iratũ, vel propitium: hinc constat nihili ab eis æstimari illius gratiam, & ludibrio haberi fideles, acsi nihil prodesset sub Dei manu & custodia esse. Quidam vertunt, Multi dicunt de anima mea, id est de me. & Dicere sumũt pro Existimare apud se. q. d. Nõ dubito esse multos qui apud se de me in hunc modum cogitent, Derelictus est à Deo, nullum illi auxilium à Deo expectãdum. Sed hoc præsenti loco non quadrat. Nam etsi ל hoc sensu interdum capitur apud Hebræos, plus tamen aliquid exprimere nunc Dauid voluit, nempe sua præcordia quodãmodo transfigi hostiũ ludibriis. [m]Nihil enim minus ferre potest animus pius quàm ita proiectum esse à Deo, vt in illo non sit amplius vlla speranda salus, in quem vnum ille omnem fiduciam coniecit. [c]Ergo Anima sedem affectuum hoc loco significat Atque huic sententiæ ex opposito respondet quod alibi videbimus, Dic animæ meæ, Salus tua ego sum, Infrà, 35. a. 3. Docet igitur suo exemplo Dauid, quanuis vna voce totus mundus nos ad desperationem impellat, Deum vnum potius audiendum esse, ac spem salutis ab eo promissæ semper esse intus fouendam: & quia animas nostras confodere tẽtant impii, precibus esse confirmãdas. *Selah.* [m]Sunt qui hanc dictionem exponunt pro עדי עד: & sic capitur infrà, 84. b. 5. Beati qui habitant in domo tua, perpetuò laudabunt te. Alii tantundem valere dicunt ac Verè aut Amen. Sed quia סלל Attollere significat, rectissimè illi sentiunt qui dicũt eleuationem ac exclamationem hac voce designari. [v]Quoties ergo in Psalmis ponitur, signum est excitandæ vocis, & animi maximè intendendi. Olim solebant cantores, quoties hæc vox occurrebat, vocem intendere in cantione & harmonia. Quanquam simul tenendum est, canendi modulos sententiæ aptatos fuisse, atque ita concentum cum re vel subiecta materia (vt loquuntur) fuisse coniũctum. Sicuti nunc postquam cõquestus est Dauid spem suam probrosè fuisse derisam, acsi nihil eum iuuaret à Deo protegi, in hac blasphemia insistit, quæ eius animum grauiter vulnerabat: sicuti paulo pòst, vbi sibi subiecit fiduciæ confirmationem, eandem vocem iterum repetet, versu 5. [l]Hanc ergo exaltandæ vocis notam hic Vates posuisse videtur, quò penitius animis auditorum infigeret angustiæ & tribulationis pondus quo fuerat pressus. Quum enim piis vnus Deus sit omnia, facilius cuncta ferunt quàm eius sibi gratiam & opem negari.

4 *Et tu Iehoua, clypeus es pro me, gloria mea, & exaltans caput meum.*

Et tu Iehoua, clypeus es. [m]Hoc versu Dauid se contra occurrentem tentationem firma fide ac fiducia confirmat: [c]& plenã fiduciæ vocem sacrilegæ hostium proteruiæ opponens, quicquid loquantur illi, se nihilominus in Dei verbum recumbere testatur. Ideo copula in particulam aduersatiuam resolui debet. [b]hoc sensu, Incredibili certè numero, ingenti animorũ contentione & summa confidentia in me ruit Israel totus: & quo quisq; viribus, gratia, consilio plus valet, hoc sæuit in me impotẽtius: persuasumque habent, nec te quidem, ô Domine, opem mihi laturum. At fuisti hactenus clypeus pro me. hoc est, vice clypei me tueri es solitus: gloria mea es, id est is qui in hunc me dignitatis locum euexisti, & hac regia gloria decorasti: caput quoque meũ extulisti, iam sæpe donatu fœlici terum successu. Neque nunc igitur deseres, feréśque vt horum quoque prosperè conatus cedant, qui regno me deiicere, & omni exuere gloria, & ignominia obruere laborant. [c]Porro certam spem liberationis prius à Dauide fuisse conceptam hinc apparet, quòd nulla fit castigationis Dei inflictæ mentio: quin potius Dei auxilio fretus animosè cum hostibus suis congreditur, qui legitimum regem è solio deiicere volentes, impium & sceleratum bellum gerebant. Denique culpam suam antè confessus, nonnisi præsentem causam expendit. Sic enim Dei seruos, vbi ab improbis vexantur, postquam de peccatis suis ingemuerint, & suppliciter cõfugerint ad Dei misericordiã, ad præsentis causæ intuitum oculos referre decet, vt non dubitent sibi indignè vexatis Deum fore adiutorem. Præsertim vbi per ipsorum molestias Dei veritas oppugnatur, hac fiducia magnificè in sublime efferri decet, minimè dubium esse quin Deus promissionum suarum fidem contra perfidos nebulones asserat. Nam alioqui videri posset Dauid hæc sibi falsò arrogare, quum seipsum Dei gloria & auxilio nudasset. Verùm quia persuasus est non prorsus se excidisse à gratia Dei, quin stet adhuc firma electio, ideo animum resumit ad bene speran

dum. Ac primò quidem Deum clypeo comparans, se eius virtute munitum intelligit. hinc etiam colligit eúdem esse suam gloriam: quia regiæ dignitatis, qua ipsum dignatus erat, futurus sit assertor & custos. Hinc fiducia illa, vt capite erecto incedere audeat. [M]Cogitemus ergo quã sit fidei natura admirabilis, qua Dauid hic contra conscientiam grauissimi facinoris in Vriam commissi, contra comminationem propheticam, contra ipsam rerum præsentium & vrgentium conditionem ac dispositionem, contra vulgatum ac publicum de se iudicium, constantem sibi adhuc diuinam protectionem pollicetur. [A]Cæterùm creberrima Psalmis metaphora est Deum scutum vocare, eo quòd sibi fidentes ita protegat atque defendat vt eos nulla hostium iacula attingant, nulla re lædantur, iuuentur autem omnibus, etiam iis quæ in malum eorum mali intendunt. *Gloria mea.* R.D.Kimhi per כבוד (quod gloria vel decus verti solet) hic & multis aliis locis mentem intelligit, eo quòd hac nihil sit in homine præstabilius, sitque illud vnde homini tota sua dignitas constat. Hinc putat scutum hic sumendum in hunc sensum, Iehoua scutum es pro me, hoc est corpori meo: & scutum es כבודי, id est menti meæ. Sed sicut lux & vita nostra Deus per metonymiam dicitur, quòd vitam & salutem (hoc est lucem) nobis præstet, quid insolens si ita & gloriam suam Dauid vocet, quòd esset gloriæ & dignitatis suæ author quasi dixisset, Nunc inglorius summéque cõtemptus fugio, vt & pessimo cuiq; ludibrio sim. At tu Deus, gloria mea es, [V]qui soleas mihi dare materiam gloriandi apud omnes, ob crebra beneficia quæ in me confers. Aut gloria mea, id est qui pristinam dignitatem potes mihi restituere. *Et exaltans caput meum.* [V]Exaltare siue extollere caput alicuius est eum tristem & præ dolore deiectum reddere lætum. [B]Nam caput deiiciunt qui pudore suffunduntur, vt Cain, cui Dominus dicebat, Cur concidit vultus tuus? Gen.4.a.6, vel etiam grauius lugent, vt Achab, qui demisso capite ingrediebatur, quum de cæde Naboth pœnitentiam testaretur, 1.Reg.21.g.27. Contrà, erigunt qui honorantur & exhilarantur: vt quum dicitur, De torrente sanguinis hostilis in via bibit: propterea attollit caput, Infrà, 110.b.7. [V]Et Christus suos ad lætitiam inuitans dicebat, Suspicite, & leuate capita vestra, Luc.21.f.28. [A]Ad hunc modum sæpe iam Dauidi Deus caput extulerat, certúsque erat iam idem facturum. [A] Vnde discimus, ex præteritis Dei beneficiis concipiendam esse in posterum fauoris eius fiduciam.

5 *Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sanctitatis suæ.*

Voce mea ad Dominum clamaui. [C]Declarat se nunquam ita fractum fuisse rebus aduersis, vel impiis ludibriis deiectũ, quin sua vota ad Deum conuerteret. Atque hæc vera fuit fidei eius probatio, quòd eam precando exercuit inter ipsas angustias. Nihil enim minus consentaneum quàm frænum rodendo gemitus nostros à Deo subducere, si eius promissionibus fidem habemus. Neq; est in his verbis pleonasmos: sed disertè vocis suæ meminit Dauid, quò melius exprimeret, vtcunque obstreperent impii, se tamen minimè obmutuisse, quin clarè sonaret in ore suo Dei nomẽ. quod in tam graui duráque afflictione difficile fuit. [M]Hic ergo ardentẽ inuocationẽ intelligamus, qualis eorum esse solet qui in afflictionibus animo angustiato ad Dominum suspirant & vociferantur. [A] sed notemus hanc inuocationem ex vera fide, quam de promissionibus Dei conceperat, ortam fuisse. [C] Fieri etiam potest vt hanc precationis vocem opponat tumultuosis eorum clamoribus qui vel fortunam accusant, vel Deo maledicunt, vel sine modestia eiulant: denique confuso impetu profundunt doloris sui intemperiẽ. Sed hoc præcipuè videtur notasse Dauid, inter hostium blasphemias, quibus tentabant fidem eius obruere, se non fuisse elinguem, quin potius vocem ad Deum extulisse, quem impii fingebant ab eo auersum. *Et exaudiuit me.* Hebraicè ויענני, Et respondit mihi: sed idem valet atque Exaudire. [P]Non enim respondet qui auerso vultu dedignatur ea audire: quemadmodum sæpe orat Propheta, Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo, Infrà, 27.c.9. Item, Nõ auertit faciem suam à me, & quum clamarem ad eum, exaudiuit me, Infrà, 22.f.25. [C]Addit ergo Dauid non frustra se clamasse, vt ad eandem constantiam pios omnes hortetur. [M]Magna est igitur certitudo fiduciæ ex fide natæ, qua Deus tanquam protectorio rebus afflictis inuocatur. Nihil hic est vacillationis, nihil hæsitationis. De hac certitudine loquitur Iacobus, dicẽs, Postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. Neque enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino, Iacob.1.a.6. *De monte sanctitatis suæ.* vel (quod idem valet) e monte sancto. [C]Hoc quidam exponũt de cælo, sed minus rectè. Fatemur quidem cælum alibi sæpe vocari sanctum Dñi palatium: sed hic nõ dubium quin Dauid respexerit ad arcam fœderis, quæ iam in monte Sion locata erat. [A]& Dominus de propitiatorio responsa peccantibus daturum se promiserat, quod rum in monte Siõ erat. Hac itaque loquutione certitudinẽ promissi auxilii Propheta exprimere voluit, acsi dixisset, Ipse Dominus suo ipsius oraculo, eóque tam certo & indubitato auxiliũ pollicitus est, atque illud ex sacro illo quod in monte Sion positum est propitiatorio edidisset. Certus igitur auxilii eius nihil timebo, &c. [C]Ergo disertè affirmat Dauid se illinc fuisse exauditum, licet in desertum fugere coactus esset. Refert enim sacra historia, quum Abiathar sacerdos arcam à Leuitis portari iussisset, Dauidem hoc non fuisse passum, 1.Sam.15.e.24. Atque in eo mira eminuit sancti viri fides. Quia enim sciebat electum à Domino fuisse illud arcæ domicilium, diuelli à sacro illo diuinæ præsentiæ symbolo maluit non secus ac propriis visceribus, quàm præter cæleste decretum aliquid nouare. Nũc gloriatur, quãuis priuatus esset arcæ conspectu, non tamen loci distantia factum esse quin votis suis propinquus esset Deus. Quibus verbis significat se mediam viam tenuisse, ne vel signum visibile contemneret, quod Dominus pro temporis ruditate instituerat, vel superstitiosè loco affixus, quicquam de gloria Dei carnale conciperet. Ita nõ temere voces in aerem euanidas sparsit, vt solẽt increduli, qui precãtur etiam ipsi, sed quò debeant voces suas dirigere, incerti sunt. Dauid autem rectà se ad tabernaculum conuertit, vnde promiserat Deus se propitium fore seruis suis. Hinc orandi fiducia, cui non defuit successus. Hodie quum in Christo nobis sit exhibitum quod olim adumbrabant Legis figuræ, multo familiarior nobis ad Deum accessus patet, modò ne à via scientes ac volentes erremus. [P]Qua de re vide Rom.3.d.25, & Hebr.4.d.16. *Selah.* [B]Hanc dictionẽ iterum adscripsit, volẽs sanctos hic immorari, vt certè dignissima sunt perquam religiosa animaduersione, Deum Dauidi sic commerito tam benignè adfuisse, precémque eius tantum valere voluisse. Nemo ergo quamlibet peccator diffidat: si orare Dominum poterit, & exorare poterit quiduis.

6 *Ego decubui, & somnum cepi, & euigilaui: quia Dominus sustentat me.*

Ego decubui, & somnum cepi. [M]Hactenus fides ac fiducia piissimi regis erga Deum nobis innotuit: iam consequenter & securitas illius describitur. Nam recubuisse se ac placidè dormiuisse dicit, nec formidasse etiam myriadas populi se circunquaque obsidentis. [C]Ergo si retinemus præteritũ in verbis tempus, miram & propè incredibilem animi constantiam Dauid prædicat, quòd inter multas mortes tam securus dormierit, acsi extra omne discrimẽ fuisset. Et certè quanuis inter sæuos curarum fluctus æstuauerit, illos tamen fide sedatos fuisse certum est, vt ipse quantumuis anxius in Deo quiesceret. Ita pii semper ab omni metu emergunt victores, sicut impios, qui in Deum non recumbũt, etiam in minimis periculis obruit desperatio. Quidam temporis enallagen esse putant, ideóque in tempore futuro reddunt, Iacebo & dormiam: quia mox futuri temporis verbum subiicitur, Dominus sustentabit me. sed quia continuum actum hic designat in tribus primis verbis, necesse non est mutare tempus. [A]Sensus enim est, Ego diuino auxilio fretus suauiter quieui, & euigilaui. [P] Qua synecdoche summam securitatem significat. Nam qui ad quietem seipsum componit, dormit, &, quum libet, nullo alio excitante euigilat, is nullis distentus curis, nulla est constrictus anxietate. [C]Sciendum tamen est securitatem hanc non referri propriè ad tempus afflictionis, vel saltẽ non restringi: potius enim quantum bonum ex fide & precibus adeptus fuerit, Dauid commemorat, nempe pacem & tranquillum animi bene compositi statum. Hoc metaphoricè significat se ordinariis vitæ actionibus securè perfunctum esse, dicens, Ego, inquit, in lecto nõ iacui peruigil & inquietus, sed placidè dormiui: quũ anxiis & trepidis non cõtingat talis dormitio. [V]Sõnus ergo summã hic trãquillitatẽ significat. Nã qui anxii sunt, & malis premũtur, lectum quietis causa petere nequeunt, curis somnum adimentibus. *Quia Dominus sustentat me.* [M] Iam causam adiicit securitatis & tranquillitatis animi qua potiebatur. [C] Dicit se Dei præsidio non autem suo stupore fuisse ita securum. Nam impios quoque sopitos tenet mentis ebrietas, dum se fœdus cum morte pepigisse somniant, sicuti Propheta loquitur, Esa.28.d.15. [M]Et reperiuntur qui quadam temeritate ac desperatione ad quæuis mala prorsus securi sunt, & omni metu vacui, dicentes, Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, Ierem.18.b.12. At secus Dauid, qui nisi Dei virtute suffult⁹ & ope protectus quietem non habuit. [C] Nam ex fiducia quam in Deum habebat, nascebatur illa animi securitas. [M]Elegans verò in verbo Sustẽtandi metaphora. Qui enim solidæ & firmæ rei innititur, non potest moueri. Iam nihil immotius Deo, vnde & petræ & rupi subinde assimulatur. Quare quem Deus sustentat, quem fulcit, quem gestat, is etiam in summa rerum perturba-

ione summa pace & tranquillitate fruitur, sciens bono sibi esse vniuersa.[m] sicuti Solomó egregiè describit, Si dormieris, inquit, non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus, nec pauebis repentino terrore ab irruentibus in te potentatibus impiorum. Dominus enim erit à latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris, Prouerb.3.c.24.[a] Adhæc, inter bona quæ populo Israelis, si Legem seruasset, Dominus promiserat, & hoc legimus, Dabo pacem, inquit Dominus, & ad quietem iacebitis, nec erit qui exterreat, Leui.26.a.5. Et de ouibus sub pastore suo Dauide, Habitabunt, inquit, in deserto securè, & dormiēt in saltibus, Ezech.34.f.25. Et alibi dicitur, Arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter, Ose.2.d.18.[a] Est itaque piorum securitas longè diuersa ab impiorum securitate, siue fontem illius siue qualitatem respicias.

7 *Non timebo à myriadibus populi qui undique aduersum me posuerunt castra.*

Non timebo à myriadibus populi. [c] Hoc versu inæstimabilem vim eius fiduciæ amplificat quam ex Dei protectione concipiunt pii omnes. Nam vt immensa est Dei potentia, ita statuūt inuictam fore contra quodlibet impetus, furores, apparatus & copias totius mundi. Et sanè nisi hunc tribuimus Deo honorē, subinde concidunt nobis animi. Quare in periculis discamus non metiri humano modo Dei auxilium: sed quicquid obiectum fuit terroris, ideo despicere, quia friuolum est quicquid aduersus Deum moliuntur homines.[l] Myriades plurali numero posuit, quia ingentem voluit hostium multitudinem exprimere.[m] Chaldæus sic reddidit, Non timebo à contentione populorum. Varietatis huius causa est quòd רב & רבב non solùm multitudinis, sed & contentionis significationem habēt. vnde מריבה, id est Contentio, deducitur. Verùm quia non est in Hebræo ריבות, sed, duplicata litera ב, רבבות, (vt deducta sit dictio non à ריב, quod Cōtendit, sed à רבב, quod Multiplicauit significat) certius est vt legamus A myriadibus populi. Arabs multitudinis dictionem posuit, dicens, A multitudine. *Qui undique aduersum me posuerunt castra.* [v] Hebraicè, Qui in circuitu posuerunt aduersum me.[s] Subaudit R. D. Kimhi Bellum: sed videtur hoc verbi significare obsidionem, vt Esa.55.b.7, & 26.a.1.[v] Ponere ergo in circuitu alicuius, pro aduersus aliquē instruere aciem, more Hebraico dictum est.[l] hoc sensu. Si etiam me innumera millia piorù obsiderent, ac iam vndique cinxissent, non timerem tamen, Dei numinum præsenti nixus præsidio. Hæc verò tanta securitatis in extremo discrimine amplificatio, si credimus hæc nobis scripta, haud debet incassū prætermitti, vt vel à longè si non videre, conspicere tamen incipiamus quanta sit vis fidei in Deum, quàd solida præstet in eo cui locata fiducia, ne nos quoduis arboris folium deterreat, adeo vt vel à recto detorqueat, vel ad humana præsidia respicere cogat.[a] Meminerimus quid timenti seruo Elisæi acciderit, cui visi sunt cælestes exercitus in Prophetæ protectionem missi, 2.Reg. 6.d.17. Mundi igitur vesanos insultus ne timeamus: quia maior est qui in nobis est quàm qui in mundo, 1.Iohan.4.a.4. Speremus semper in Domino, & securi erimus.

8 *Surge Iehoua, serua me Deus mi: quia percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum confregisti.*

Surge Iehoua, serua me. [m] Habet hic versus implorationem diuini auxilii.[c] Et quia proximis versibus gloriatus est Dauid de pacato statu, videri posset nūc à Domino petere vt tota vita incolumis maneat. acsi dixisset, Domine, quando abs te prostrati sunt hostes mei, hanc gratiam in finem vsque prosequere & continua. Sed quia nouum non est vt Dauid in Psalmis permisceat varios affectus, magis probabile videtur, postquā fiduciæ suæ mentionem inseruit, ad easdem iterum preces redire. Seruari igitur petit, quia erat in præsenti discrimine.[s] Breuis quidem est verbis, sed affectu prolixissima hæc precatio. Iehouam vocat: quo nomine immensam Dei potentiam & bonitatem ipsamque diuinitatem sibiipsi in hoc in memoriā reduxit, vt omni in eum se fiducia cor eius reiiceret. Adiecit verò, Deus mi, quod idem est atque, Tu cuius solius virtute oitor, serua me.[m] Aptissimè igitur verba coniungit, quum dicit, Serua me Deus mi. Quid enim aliud est esse Deū alicuius quā seruatorem? Ergo quantumuis securi sunt pii, Deum tamen in tribulationibus inuocant, quia sciunt, nisi diuinitus adiuuentur, fieri posse vt perdantur: atque ideo eadem fiducia qua securi sunt, opem Dei implorant.[a] Surgendi verò metaphora nusquam nō occurrit. Hic proferre significat & declarare aduersus hostem suam potentiam. Iacere enim & ceu quiescere Deus dicitur, dum sinit malos eorum libidine ferri.[m] quando verò vindictam de reprobis sumit, quasi è somno euigilasse videtur. Quo admonemur, illius patientiam, per quam impii aliquandiu regnant, non esse perpetuam, sed temporariam, ac veluti dormitionem quandam, quam certissimè sit sequutura vindicta. *Quia percussisti omnes inimicos meos in maxilla.* Græcus sic reddit, Quia tu percussisti omnes eos qui inimicantur mihi frustra. Hebr. est לחי, id est gena, vel maxilla, quod Græca editio habet ματαίως, id est Frustra: intelligens non Deum frustra percussisse inimicos Dauidis, sed hos Dauidi frustra, id est sine causa inimicatos. Chaldæus verò Hebræum sequutus vertit לפכתהון, id est maxillam eorum.[c] Quod bifariam exponi potest: vel vt precando in memoriam reuocet superiores victorias. hoc sensu,[l] Tot iam hostes expertus sum: tu omnes erudisti, velut impacta alapa dentes eorum fregisti. hoc est, inflicta plaga omnem eorum vim & ferociam repressisti,[m] & ignominiosa cæde strauisti. Nunc paratam mihi per te quietem ab omnibus hostibus meis filius meus præcipuique amicorū perturbant: quùmque iam periculis defunctus viderer, hi supremum & grauissimum moliūtur. Et hos igitur alapa cæde, dētésque eorum confringe, ne me concerpant, id quod quibusuis belluis efferatiores conantur. Vel hoc exponi potest vt Dei auxilium expertus, & potitus suo voto, gratiarum actionem subiungat. qui sensus præsenti instituto optimè quadrare videtur. Primùm igitur refert se ad Dei opem fugisse in periculis, & salutem ab eo suppliciter precatum: deinde ob eam allatam gratias agit: quo testatur liberationem se Deo acceptam ferre.[m] Notāda est autem hæc loquutio, qua Deum omnium inimicorum suorum maxillam percussisse dicit. His enim verbis vsqueadeo impiorum potentiam extenuat vt similes eos faciat pueris imbellibus, quos vt feriat, nō armis opus habeat, sed alapis tātùm vtatur. atque ita diuinam potentiam celebrat, quæ omnes impios, quantumuis potentes, multos & armatos, haud maiore negotio conficiat quàm si athleta quisquam imbellem pusionem alapa percutiat. *Dentes impiorum confregisti.* [s] Sunt qui כי hoc versu pro Quum arripiunt, ac sic versum legunt, Quum impinges omnibus hostibus meis alapam, dētes improborum infringes.[a] Sed præstat præteritum tempus retinere eo quo dictum est sensu.[a] Nata autem hæc translatio ab altera est, qua nocentes & perniciosi homines canes, lupi, vrsi, leones & vnicornes dicuntur, bestiæ dentibus formidabiles.[m] Sed Dominus in gratiam suorum potentiam impiorum, ne tantum lædendo progrediantur quantum præsumunt, infringere solet. Quid hodie Turcarum imperator aliud esse videtur quam bestia quædam immanissima, obuia quæuis minacibus dentibus corripiens, discerpens ac comminuens? Clamemus ad Dominum vt dentes illius horrendos illos ac minaces potentia sua infringat, ac dentatam hanc belluam edentulam & ridiculam reddat.

9 *Domino est salus, super populum tuum benedictio tua. Selah.*

Domino est salus. [p] Generali sententia & epiphonemate insignit, vt Psalmus præcedens.[c] Quia ל interdum pro מן accipitur apud Hebræos, quidam non incommodè vertunt, A Domino est salus: sed simplicius est, Domino est salus: vt intelligamus penes Deum salutem constare. Quibus verbis non modò seruandi partes & laudem vni Deo vendicat, eius manum omnibus humanis subsidiis tacitè opponens: sed, vt mille immineant mortes, obstare tamen Deo non posse quominus ad seruandum sufficiat, imò in promptu exerat nullo negotio quam semper apud se habet salutem.[m] Cæterùm sententiam hanc non colligit Dauid ex mortua aliqua litera, sed ex viua experiētia, vtpote toties è manu hostium ope diuina ereptus, vnde haudquaquam suiipsius fuisset viribus liberatus. Ad hūc modum & nos veritatem huius sententiæ, Domino videlicet esse salutem, non modò è libris petamus: sed & viuit exemplis quæ vel in nobis vel in aliis experimur, colligamus, ac certissimam esse agnoscamus. Sic fiet vt & Deo fidamus, & ipsum solùm in tribulationibus inuocemus. *Super populum tuum benedictio tua.* Quò ardentius Propheta affectum suum indicaret, subitò personam mutat, & Deum alloquitur, affirmans nō tam sibi priuatim hoc fuisse datum quàm toti populo, ne pessum iret quæ in eius regno fundata erat communis Ecclesiæ salus.[v] Nam benedictio pro fauore & beneficio capitur. acsi diceret Dauid, Tu Deus populum tuum, id est tibi fidentem, seruare, tutari & liberare soles, & bonis cumulare.[a] Agnoscit ergo ideo dissipatam fuisse impiam coniurationem, quia Deo curæ esset Ecclesiæ seruandæ. Notemus hic quo animo sit piissimus rex erga populū suum, quod hac particula primùm in eo declarat quòd non dixit, Et super populum meum, sed, Et super populum tuum benedictio tua. Agnoscit populum sibi concreditum non suum, sed Dei esse populum. Deinde in eo quòd beneficia liberationis diuinitus in se collata benedictionem Dei populo Dei præstitam interpretatur. Sit ergo hoc loco exemplar boni ac pii principis omnibus magistratibus qui populo Christianorum præsunt, ob oculos expositum.[c] Colligimus etiam ex hoc loco, Ecclesiam à malis omnibus semper liberatum iri: quia Deus, cui suppetit seruandi facultas, abrea

gratiam suam & benedictionem nunquam subducet. *Selah.* [a]Hanc dictionem rursus adiecit Vates, quò ostenderet hæc omnia piis memoranda pensiculandáque esse. [v]q.d. O excellentiam & exuberantiam bonitatis Dei, qui illis qui in ipso fiduciam collocant tam promptus auxiliator esse solet!

ARGVMENTVM PSAL. IIII.

[a]POSTQVAM Deum initiò precatus est David vt sibi opem ferat, statim sermonem ad hostes conuertens, Dei promissione fretus tanquam victor triumphat, séque vnico diuinæ bonitatis sensu contentum esse testatur. Itaque suo exemplo nos docet, quoties res aduersæ vrgent, vel extremæ angustiæ premunt, meditandas esse promissiones Dei, quibus spes salutis ostenditur: vt hoc clypeo obiecto omnes tentationum motus perrumpere liceat.

PRAEFECTO *in neginoth canticum Dauidis.*

Quo tempore compositus fuerit hic Psalmus incertum est, nisi quòd ex contextu probabilis coniectura elicitur, tunc profugum fuisse & exulem. Ad tempus itaque referri potest quo eum persequebatur Saul, quum præsertim paulo pòst vno verbo notet diuturnum sibi fuisse certamen. Scimus enim quàm variè iactatus fuerit antequam emergeret, ex quo infestus illi esse Saul cœpit. *Præfecto.* Illud למנצח, quod plurimis Psalmis præfixum est, variè redditur. Græci perpetuò In finem reddunt, propterea quòd נצח aliquando seculum vel æternum in Scripturis significat: vnde patres mysticæ expositionis occasionem plerunque sumunt. Hieronymus reddidit Victori, eo quòd dictio hæc נצח per sive nonnunquam pro triumphatore in Scripturis ponitur. Quoniã autem מנצחים in sacris literis sæpenumero præpositi ac præfecti vocãtur, (vt 2. Paral. 2. d. 18, & 34. c. 13) [c]rectius sentiũt vocari מנצח qui præ aliis excellit & eminet. Sed quia de genere excellẽtiæ & dignitatis non inter omnes cõuenit, nobis sufficiat hac voce notari præfectum cantorum, [v]cui scilicet committebantur Psalmi decantandi, aut ad cuius imperium Psalmi decantari solebant aut pulsari, qui arte musica plurimum valebat: adeo vt illius artis dux & magister meritò esset. Vnde qui vim vocis Hebraicæ reddere volet, vertet, Præfecto citharœdorum peritissimo & excellentissimo. *In neginoth.* בנגינות, id (vel super) neginoth. [c]Deducitur à נגן, quod significat Pulsare. Instrumẽtum erat musicum. Vnde sequitur Psalmum non modò assa voce, sed adhibitis quoque musicis instrumentis fuisse canendum, quæ regebat & moderabatur præfectus ille cuius facta est mentio. [v]Cæterùm sic Psalmi decantabantur ad instrumenta musica, vt modulatio organorum animum pararet ad percipienda plenius verba sacri carminis. [m]Græci reddiderunt In hymnis, Hieronymus, In canticis: quæ versio non abludit ab Hebrææ dictionis significatione. Neque enim quæ ore tãtùm sed & quæ musicis instrumentis canuntur, cantica rectè vocãtur. [v]Porro de cantorum & organis modulationum institutione vide 1. Paral. 15. d. 16.

2 *Quum clamo, exaudi me Deus iustitiæ meæ: in angustia dilatasti mihi, miserere mei, & audi precationem meam.*

Quum clamo, exaudi me Deus. [m]Orat Propheta vt vociferando ad Deum exaudiatur, & misericordiam inueniat. [a]Quotiescunque, inquit, te Dominum anxius inuoco, aut clamo ad te, exaudi me quæso. [c]Quibus verbis probatur Dauidis fides, qui ad extrema redactus, & quidem longa malorum serie fere cõsumptus, mœrori tamen non succubuit, nec fractus fuit animo, quin ad Deum liberatorem confugeret. Nam precando testatus est David, sibi omnibus præsidiis nudato spem in Deo fuisse residuam. [a]Hinc ergo discamus, nunquam in tãtum nos posse discrimen venire vt Deus non queat, & (quò virtutem suam nobis luculentius declaret) libẽter etiam soleat salutem infidelibus incredibilem adferre. *Exaudi me.* vel (vt alii vertunt) responde mihi. Alii, Annue mihi. [m]Vocat Scriptura exauditionem seu responsionem Dei, certificationem quæ fit indubitato Spiritus sancti instinctu, qua scilicet paternus affectus erga filium exprimatur, & animus filii in angustia constitutus de paterno auxilio certificatus reueletur, ne prorsus cõcidat. Hanc Dei responsionem pollicitus est Propheta, dicens, Tunc clamabit, & Dominus respondebit: vociferaberis, & dicet, Ecce ego, Esa. 58. c. 9. *Deus iustitiæ meæ.* [c]Sic Deum appellat, acsi diceret iuris sui vindicem, quòd passim omnes eum damnarent, & hostium calumniis peruersisque vulgi iudiciis oppressa esset eius innocentia. [b]Nam iustitiam suam, innocentiam & animum de omnibus bene merendi intellexit. [c]Idque diligenter notandum est. Nam quum nihil sit acerbius quàm nos immeritò damnari, & vnà cum iniusta vi perferre infamiam, id tamen quotidie sanctis accidit, vt scilicet bene agendo malè audiant: neque exerceri expedit, vt auersi ab omnibus mundi illecebris, ab vno Deo toti pendeant. Ergo iustitia pro bona causa capitur: cuius testem Deum constituens David, conqueritur homines sibi maleuolos esse & iniquos: suoque exemplo nos docet, siquando non appareat coram mundo nostra integritas, non decere tamen nos animis frangi: quia in cælo est vindex noster. Dixerunt profani homines nullum esse virtuti melius theatrum conscientia: atqui hæc consolatio lõgè exuperat, quòd scimus nos in Dei & Angelorum conspectu stare, dum iniustè homines nobis insultãt. Hac fortitudine præditũ videmus fuisse Paulum. Nam quum apud Corinthios multi de eo sparsi essent sinistri rumores, ad Dei tribunal prouocat, 1. Cor. 4. a. 5. Eadem fiducia Esaias quæcunque in ipsum probra iaciebant hostes, despicit, Esa. 50. c. 6. &c. [a]Et Ezechias quum nuntiata sibi à Domino mors esset, ipse autem in medio iam cursu reuocandi suos ad Dominum & Legem eius in locum suum restituẽdi ferretur, videretque fore se defuncto vt omnia relaberentur: innocentiam & pietatem suam Domino, ceu causam cur sibi vitam prorogare deberet, admodum magnificè prædicabat. Obsecro Iehoua, dicebat, memor sis quæso quòd vixerim coram te in veritate & corde integro, quæque probas gesserim, Esa. 38. a. 3. De Mose item vide Numer. 16. c. 15. & Samuele, 1. Sam. 12. a. 3. [c]Quare hæc vna patientiæ nostræ fultura est, si nullus æquitati sit locus in mundo, in Deum respicere, eiusque iudicio esse contentos. Obiici tamen potest quæstio, quum tota hominum puritas meræ sint apud Deum sordes, quomodo suam iustitiam in eius conspectum proferre audeant. Quod ad Dauidem spectat, facilis est solutio: quia nonnisi hostium suorum respectu de sua iustitia gloriatur: ideóque non temerè iuris sui patronum aduocat. Hinc colligimus Dauidem, quò alacrius toti mundo Deum opponeret, hoc elogio ipsum ornasse. Notandum verò Deum nostrum esse iustitiæ nostræ, non iniustitiæ Deũ, id est defensorem ac protectorem, idque duplici nomine. Primùm propter gratiam qua nos in filios suos elegit, æternæque saluti destinauit: deinde propter amorem quo omnem iustitiam complectitur. Sicut enim iniquitatem & iniustitiam detestatur, (iuxta illud, Quoniã non Deus volens iniquitatem tu es: odisti omnes qui operantur iniustitiam, Infrà, 5. a. 5) ita certè æquitatem & iustitiam diligit & sicut perdit omnes qui operantur iniustitiam, ita omnino tuetur ac defendit quotquot iustitiæ student. Nemo ergo fieri posse credat vt quisquam iustitiæ studens à Deo deseratur. Interea tamẽ magistratui incumbit, vt pro potestate diuinitus accepta subditorum iustitiam & innocentiam tueatur, ac de nocentibus pœnas sumat: [v]sicuti præcipit Apostolus, Rom. 13. a. 4. *In angustia dilatasti mihi.* Id est, Eduxisti me in latitudinem. [c]Hic David pristina Dei beneficia commemorat, quibus se confirmet in posterum. Sic enim solent fideles reuocare in mentem quæ ad fidei confirmationem valent. Et multi posthac occurrent similes loci, vbi David, quò fidem suam erigat contra terrores & pericula, varias experientias colligit, quibus didicerat semper Deum suis adesse, nec eorum vota vnquam frustrari. Est autem metaphorica loquutio [a]in Scripturis, ac præsertim in Psalmis, admodum frequens. Dum enim affligimur, & aduersis premimur, quasi in arctum & angustiã cogimur: inde verò vbi liberamur, velut in latitudinem emittimur, datúrque spatium pro suo arbitrio versandi. Qui namque quò libet se confert, is sui iuris sit, & à nemine infestetur oportet. [m]Significat ergo David sibi vndique obsesso & clauso patefactum fuisse exitum. Angustia de qua loquitur, nõ minus ad animum quàm ad rem ipsam refertur. neque enim ferreus fuit David, quin res aduersæ eum in miseras anxietates coniicerent. [v]Huc pertinent sententiæ illæ, Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deiicitur spiritus, Prouerb. 15. b. 13. Et, Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa, Ibidem, 17. d. 22. *Miserere mei, & audi precationẽ meam.* [a]Geminat precem, quò & pondus anxietatis qua premebatur, & suæ precationis ardorem indicaret. Vbi enim vndique omnia cruciant, & angoribus animam Dei compotem conficiunt, dictu impossibile quanto ille cum affectu quámque flagranti prece ad Dei sui opem implorandam exæstuet, apud quem certam & cumulatam sibi salutem, quantumuis hic differat, repositam certò nouit. [c]Simul etiam ostendit David vnde impetrãdi fiduciam concipiat, nempe ex Dei misericordia. Et certè quoties aliquid petimus, hinc initium facere conuenit, vt Dominus pro gratuita sua bonitate miseriis nostris succurrat. [m]Nam omnes pii ac sancti viri, licet iustam se causam habere, deinde Deum omnis iustitiæ vindicem esse sciant, non tamen tantum sibi de propria iustitia quantum de gratia & misericordia Dei præsumunt.

3 *Filii viri, vsquequo gloria mea ad ignominiam, diligetis vanitatem, quæretis mendacium? Selah.*

[a]Apostrophe est cum prosopopœia. Nam se velut alloquens

tem Israelis procetes contra se machioantes introducit. Hûc itaque suauissimum Dauidi fructum protulit sua precatio, quòd collecto animo potuit non modò repellere hostium suorum furorem, sed vltro eos lacessere, ac intrepidè despicere quicquid machinabantur. Quare vt firma nobis constet fiducia, nonnisi iisdem armis instructos in areoam descendere conuenit, quoties ab improbis impetimur. Summa autem est, quum Deus suo præsidio Dauidem tueri velit, frustra ad eum perdendum eniti cunctos mortales, quantumuis magnas alioqui ad nocendum vires afferant. *Filii viri.* Græci reddiderunt, Filii hominum: Chaldæus, Filii hominis. Sed איש virum propriè significat. Ergo filios non Adam vel hominis, sed viri appellãs suos hostes, obiter eorum arrogantiam perstringere videtur. Neque enim (vt quidam Hebræi sentiunt) proceres hac voce notãtur: sed potius ironica est concessio, qua eorum insolentiam subsannat: quia nobiles & cordati sibi esse videbantur, quum tamen cæca duntaxat eos rabies ad nefarios conatus impelleret. *Vsquequo.* In hac voce damnatur praua eorum obstinatio. Significat enim Dauid nõ subito tãtùm aliquo motu fuisse incitatos, sed penitus eorum cordibus infixũ fuisse contumax nocẽdi studium. Nisi enim eos recto sensu priuasset sua malitia, multis experimẽtis, quæ eos ab incœpto desistere cogerent, probauerat Deus se Dauidis esse custodem. *Gloria mea ad ignominiam.* Quia illis propositum erat probrosè deiicere quem in solium regiũ extulerat Deus, quæris quousque suã gloriã pergent in dedecus trahere. q.d. Vos certè impossibilia & vobisipsis tantùm noxia molimini. Deus me regẽ constituit, & in hãc gloriã euehere decreuit: quousque vos illam ad ignominiã perdocere & summo dedecore afficeri tẽtabitis? Videm⁹ hic quãta sit humani ingenii corruptio. tanta certè est vt quos Deus in gloriam euexit, & rebus humanis præfecit, ægerrimè feramus, & iugũ eorũ, si qua ratione fieri queat, detrectemus. Hinc est quod illorum omnia etiã minutissima in ius vocantur, & sinistris interpretationibus discerpũtur. Quid igitur iniquius fieri poterit quàm vt impiis tyrannis, qui fastigiũ imperii proditione, vi & muneribus occupant, subiiciamur? Notandum est autem quòd Dauid apud summos & infimos omni genere ignominiæ grauatus, gloriæ tamen sibi diuinitus concessæ possessionem animosè retinet: nec dubitat quin eam tandem asserat Deus, quibuscunque maculis indignè aspersa fuerit. *Diligetis vanitatem, quæretis mendacium?* ריק, inane, vanitatem, mendacium, rem fallacem, quæ nõ succedit. Sic vocat frustranea hostium suorum consilia & conatus irritos. Nã his verbis partim exprobrat hostibus suis peruersam libidinem qua videbat ipsos impelli, quamuis pium zelum falsò prætexerent: partim eorum stultitiam deridet, quòd contra Deum pugnando successum tamen sibi promittant. Et valde emphatica est obiurgatio. Nam impii, quantumuis crassa malitia in omne scelus ruant, se tamen fallacibus blãditiis deludunt, ne quis eos sensus mordeat. Exclamat ergo Dauid, quãuis sponte cæcutiant, & fucato colore ornẽt suam iniustitiam, nihil eos proficere. Et certè quamuis sibi blandiantur impii, vbi ad serium examen tracti fuerint, semper hoc cõstabit, ideo ipsos hallucinari quia ab initio propositum est fallaciter agere. Admirandi verò sunt oculi sanctorum, quibus tanta perspicuitate ad exitum earum rerum quas impii improbè moliuntur pertingunt, vt qualescunque in oculis mortalium appareant, vbi nihil minus quàm vanæ ac mendaces esse videntur, certò videant esse non vanas modò, sed ipsissimam vanitatem. Cæterùm ex hoc loco nobis sumẽdus est inuictæ constantiæ clypeus, quoties prudentia & astu superari nos videbimos ab improbis. Nam quibuscunque machinis nos impetant, si modò erimus nobis bene conscii, stabit Deus à parte nostra, aduersus quem non præualebũt. Polleant ingenio licet, suppetat illis facultas nos lædẽdi, in promptu sint rationes & subsidia, acutè omnia dispiciant: quicquid tamen excudent, mendacium erit ac vanitas. Hoc etiam notãdum est, quòd Dauid nõ solùm vanitatẽ ac mẽdacium aduersariorũ suorũ conatus vocat, sed & hoc simul illis tribuit, quòd vanitatẽ diligãt, & mẽdacium quærant. Quibus verbis impiorum ingenia notat, quòd impensè vanis ac mendacibus consiliis delectentur, quæ ipsi nihil minus esse putent quàm vana ac mendacia. Nemo enim ita insanit vt scienter quæ vana sunt ac mendacia sectetur, fallique cupiat. verùm ea est simul carnis nostræ cæcitas & corruptio, vt falsa pro veris, vana pro solidis studiosè affectet. De iis rebus loquimur quas velut præcipuas persequimur. In aliis, quæ carnis voluptatibus inseruiunt, plerunque fit vt (sicut ille ait) meliora scienter, deteriora sequamur. *Selah.* Adscripta est hic vocis intendendæ nota, quòd intẽdi hic animum & cogitationem Prophetæ voluerit & perpendi: sicuti alibi dictum est.

4 *Et scitote quòd selegit Iehoua benignum sibi, Iehoua exaudiet quum clamauero ad eum.*

Et scitote quòd selegit Iehoua. Vel Scitote autem, vel Itaque. aut vacat *Et.* Hoc versu aduersarios de eo instruit quòd non tam aduersum se quàm aduersus Dominum rebellando insurgant. Confirmans enim superiorem sententiam, hanc sibi fiduciæ causam esse ostẽdit, quia Deo regni sui authore nititur. Et certè tunc demum licebit securè contra hostes nostros gloriari, si nobis certa erit Dei vocatio. Itaque Dauid minimè hic suas vires iactat, vel opes, vel exercitus, quibus sibi regnũ acquisierit: sed quia diuinitus elect⁹ est, eos sine profectu multa conari significat: quia sensuri sint Deũ sibi aduersũ, cuius potẽtiæ succũbent. Q.d. Quid adeo desipitis prudentes? quid tam cæci estis, qui alioqui estis oculorum viri, vt non videatis quàm vana, quàm frustranea moliamini? Agnoscite quæso, sustinete animaduertere, eũ quidẽ sua vocatione certissimũ, misericors est ac beneficus, à Deo ipso in hoc segregatũ esse atque electũ vt Israelis regno potiatur. *Benignum.* Misericordem, beneficum, qui scilicet optimè suæ vocationi respondet. Nam voce חסיד, benignũ, ius regium sibi ex re ipsa vel affectu asserit Dauid, acsi notam vel insigne suæ vocationis proferret. Verè enim dictum fuit vetere prouerbio, propriam dotem regum esse clementiam. Deus autem quos honore dignatur, ne sint mortua idola, donis ad suum munus exequendum instruere solet. Quum autem asserit Dauid se à Deo fuisse segregatum, significat non hominum arbitrio, vel propria libidine, sed cælesti decreto esse eximium. Nam quum פלה Hebræis Diuidere significet, hoc loco ad excellentiam refertur. acsi diceret, Vos nullum regem admittitis nisi vestris suffragiis electum, vel qui vobis adlubescit: atqui hoc proprium Dei munus est, quẽcunque voluerit, assumere. Videmus hic quæ sit eorum erga Deum fiducia quorum conscientia de gratia electionis & vocationis persuasa est. Sciunt se esse in protectione Dei: ideóque certi sunt quòd sit ipsos ad se clamantes exauditurus, quẽadmodum mox subiungitur, *Iehoua exaudiet quum clamauero ad eum.* Ex certitudine vocationis suæ colligit Dauid se exauditum iri, quoties ad Deum clamauerit. Nam in eo præcipuè fidem suam probat Dominus quòd opus suum non deserit, sed quos semel amplexus est, perpetuò tuetur. Quo docemur intrepidè ambulare in viis nostris: quia nunquam irritum erit quicquid fuerimus aggressi ex eius nutu. Hoc nobis fixum maneat, nunquam Dei auxilium defore sincerè in suo cursu pergentibus: sine qua consolatione singulis momentis fideles concidere necesse est. Huc pertinent promissiones quæ in sacris literis continentur: quales sunt, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, Infrà, 50. c. 15. Item, Erit antequam clament, exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam, Esa. 65. d. 24, & Luc. 18. b. 7. 8, & Ioh. 16. e. 23.

5 *Pauete, & ne peccetis: loquimini in corde vestro super cubili vestro, & tacete. Selah.*

Pauete, & ne peccetis. Continet hic versus admonitionem aduersariorum de resipiscentia, vt timore Dei coerciti peccato quod moliebantur abstineant, & causam ipsam diligentius expendant, pacatique conquiescant. Pauete, inquit, contremiscite, timete, sub. vobis à Deo. vel potius, Tumultuamini. Iubet enim eos contremiscere vel tumultuari, stuporem eorum perstringẽs, quia Dei timore & viuo sensu vacui præcipites ruant. Et certè hinc tantum audaciæ impiis omnibus vt bellum cum Deo suscipere non dubitent, quia eos obdurat ebria securitas, & eorum socordiæ callum obducit voluntarius stupor, dum & seipsos & Deum obliti, sequuntur quocunque impellit libido. Hanc eorum furori optimam fore medicinam dicit, ne amplius peccent, si à suo veterno expergefacti, moueri ac trepidare incipiant. acsi diceret, Simulatque torporem vestrum & indolentiam excusseritis, ita fiet vt resideat peccandi cupiditas. Ideo enim bonis ac simplicibus molesti sunt impii, tantásque turbas excitant, quia secum nimis sunt pacati. *Loquimini in corde vestro.* Dicite. id est, cogitate. *Super cubili vestro.* Admonet vt secum in cubili loquantur. hoc est, in otio & quasi in alto recessu rationes subducant: quod opponitur intemperantiæ ipsorum feruori. Ergo loqui super cubili ex communi vsu & experientia dictum est. Scimus enim, dum interdiu versamur inter homines, sensus magis distrahi: deinde sæpius perperam fieri iudicium ab externa specie. contrà, solitudo nos magis attẽtos reddit: deinde non obstat pudor quin verè quisque sua vitia reputet. Subducit ergo Dauid hostes suos à testibus vel arbitris, quò se rectius ac simplicius examinent. Sit nobis hic locus documento, vt & ipsi innocentiæ & æquitati ita studeamus, vt nihil optemus magis quàm vt omnia nostra aduersarii secum ipsi expendant, & proprio cordium ipsorum iudicio, modò absit ira & amaritudo, sistant. *Et tacete.* Nunc silentium illis præcipit. Notandum verò est

huius silentii causam esse motum vel trepidationem cuius nuper meminit. Nam siquos ad peccandum abripuit phrenetica temeritas, hoc principium est reditus ad sanam mentem, se ex sopore expergefacere ad metum & terrorem. Sequitur deinde composita meditatio, cum voluunt ac reuoluũt quò se proiecerint. ita demum qui nihil prius non audebant, discunt modesti esse ac quieti, saltem vesanos suos impetus compescunt. [M] Admonemur hoc loco vt quietem & silentium amemus: &, vt compotes eius simus, satius esse vt in cordibus nostris loquamur, idque noctu ab omni rerum strepitu sequestrati, quam vt auram vociferationibus ac questibus adimpleamus. Silentium optimus est quietis ac tranquillitatis custos, [A] silentium (inquam) non monachorum aut Anabaptistarum, sed verè Christianum, hoc est quod in cordis trãquillitate & quiete situm est, quæ partim ex fide, partim ex resipiscentia & tacita rerum consideratione oritur. [C] Itaque hæc Prophetæ adhortatio ad nos omnes spectat: quia nihil procliuius est quàm vt alii alios inani plausu decipiant, donec singuli in seipsos descendant, ac secum ipsi loquantur. Paulus hunc locum citans, vel saltem alludens ad sententiam Dauidis, Græcam versionem sequutus est, Irascimini, & ne peccetis, Ephes. 4. f. 26. prudenter tamen & concinnè ad suum propositum aptauit. Nam illic docet, quum vitiosè iracundiam suã profundant homines contra proximos, iustam in seipsis iræ materiam habere vt à peccato abstineant: ideóque iubet potius intus eos fremere, sibique irasci: deinde non tam succensere in personas quàm in vitia. [M] Valet igitur hæc admonitio apud eos qui timore Dei præditi sunt. Cæterùm de impiis scriptum est quòd iniquitatem in cubilibus suis meditentur, Infra. 36. a. 4. Vsurpemus autẽ consilium hoc Spiritus sancti non solum ad hoc vt conceptam iram noctu in strato nostro examinemus & eiiciamus, sed etiam ad omnes actus vitæ nostræ, quibus interdiu occupamur, discutiendos, ne quo pacto longius à scopo pietatis ac diuinæ voluntatis euagemur.

6 *Sacrificate sacrificia iustitiæ, & sperate in Domino.*

Sacrificate sacrificia. [C] Nunc Dauid hostium hypocrisin mordet, & retundit fallacem iactantiam. Quum enim profugus in desertis vel cauernis vel montibus vel in regionibus exteris erraret, videri alienus poterat ab Ecclesia Dei. Et certè vulgo eum putabant instar putridi membri à sanctorum corpore resectum. Interim penes hostes erat arca fœderis, illi templũ occupabant, primi erant in offerendis sacrificiis. Ergo eadem confidentia qua semper inflatos scimus fuisse hypocritas, sese contra Dauidem iactabant. Nec dubium est quin superbè Dei nomine abusi fuerint, quasi vnici eius cultores. Quemadmodum autem impiis exprobrat Ieremias templum Domini mendaciter ipsos obtendere, (Ierem. capite 7. a. 4.) sic etiam Deum externis ceremoniis placari negat: quoniam requirat pura sacrificia. Subest enim tacita antithesis inter sacrificia iustitiæ, & omnes inanes & adulterinos ritus in quibus sibi placent fucati Dei cultores. [M] Et nomine pluralis numeri notat multitudinẽ illã ac frequẽtiam sacrificiorũ, quibus reprobi pietatẽ magis simulãs quàm exercẽt. Solẽt enim hypocritæ multitudinem sacrificiorum ostentare, atque ita cultum Dei, quẽ animo non habẽt, simulare, quemadmodũ Dominus per Prophetam loquitur, Quò mihi multitudinem victimarũ vestrarum? Esa. capite 1. c. 11. [C] Summa igitur est, Iactatis Deum à vobis stare, quia vobis patet altare eius, vt illic vestras hostias, & quidem copiosas, cum magna pompa mactetis: me autem, quia à sancta terra exulo, & a templi accessu prohibeor, putatis à Deo negligi. Atqui longè aliter colendus est Deus, si velitis in eo sperare. Nam impura vestra sacrificia, quibus eius altare polluitis, nihil aliud quàm eius iram prouocant: tantum abest vt reddant vobis propitium. Discamus igitur ex hoc loco, si nobis certamen sit cum veræ pietatis corruptoribus, quamuis plenis buccis eius nomen detonent, & se venditent externo eius cultu, posse eorum iactantiam tutò refelli, quia recta sacrificia non offerant. Sed interim simul cauendum est ne vana ostentatio pietatis præposteram confidentiam veræ spei loco in nobis foueat. [M] Verùm de impiorum hominum sacrificiis plura infrà, Psalm. 16. a. 4. *Et confidite in Iehoua.* [A] Discimus hinc omnis cùm mali tum boni radicem, vnde sit ad scelera defectio, & in quo ab illis ad iustitiam reditio. Deo vno niti & fidere, & in eo solo omne præsidium habere constitutum, eorum est qui faciunt sacrificia iustitiæ non expertia. Ergo in alia animo inclinare, & à creaturis sua bona quærere, radix, fons & fundamentum est omnis iniustitiæ. Porro Christiana sacrificia, quæ iustitiæ sacrificiũ meritò dicuntur, sunt passim in diuinis ac Apostolicis literis expressa, præcipuè verò Rom. capite 12. a. 1, & Hebr. 13. c. 16, & 1. Petr. 2. a. 5.

7 *Multi dicunt, Quis videre faciet nos bonum? Attolle super nos lumen vultus tui Iehoua.*

Multi dicunt, Quis videre. [C] Hic Dauid vnicum votum quo ardebat, variis desideriis comparat, quibus totus fere mundus huc illuc agitur. Nam quia principium hoc non tenent profani homines, solos demum omni ex parte esse beatos quibus propitius est Deus: deinde peregrinandum esse in terra, vt spe & patientia contendant ad meliorem vitam: in caducis bonis subsistunt. itaque modò illis prosperè sit secundum carnem, non magna Dei cura tanguntur. Quum ergo pecudum more hoc vel illud pro summa fœlicitate arripiant, meritò se ab illis Dauid separat, scopum sibi prorsus contrarium præfigens, [A] nempe Dei fauorem & beneficentiam. [C] Sic fideles posthabitis bonis præsentibus in solo Deo acquiescunt, nec quicquam pluris faciunt quàm illum sibi propitium sentire. Primùm ergo significat Dauid desipere eos omnes qui sibi optantes lætam fortunam, non incipiunt à Dei gratia: ita enim fieri vt illos vagi errores circumagant. Deinde aliud vitium perstringit, quòd crassi & terreni homines, carnis quieti & commodis addicti, in sola eorum fruitione subsidant. Vnde etiam fit vt susque déque illis sit Deus, quasi eo non indigeãt, dum suppetunt reliqua ex voto. Ipse verò contrà, vt aliis omnibus bonis careat, paternum Dei amorem sibi instar omniũ esse testatur. Hæc igitur summa est, Tametsi cupidè præsentibus deliciis vel commodis vulgò inhient homines, ego verò perfectam fœlicitatem non alibi quàm in Dei gratia statuo. *Attolle super nos.* [V] Hebraismus, pro, Precor vt nos tuo fauore prosequaris. *Lumen vultus tui Iehoua.* [V] Lumen vultus, pro vultu lucido, hilari & suaui, quo intueri solemus eos quibus fauemus. [M] Ergo metaphorica hac loquutione Dauid hilaritatem cælestis gratiæ ac beneuolentiæ exprimit. Sicut enim post prolixas ac densas tenebras iucundissimus est solis splendor, ita tribulationibus & afflictionibus quasi quibusdam tenebris occupato, cælestis auxilii gratia instar solaris radii omnium est exoptatissima ac iucũdissima. Auersio vel obscuratio dominici vultus tristissimum quiddam est seruis ac subditis: placidus verò aspectus magnam illis adfert hilaritatem. Ita quando velut auersus videtur in rebus tristibus vultus Dei, quasi caligo quædam afflictis piorum animis offunditur: rursus, mox atque auxilium diuinitus adfertur, quasi splendor quidam placidè aspicientis vultus Dei, abiectos animos erigit ac recreat. [C] Pulchra igitur metaphora dicitur attolli hoc lumen, dum in cordibus nostris refulgens fiduciam & spem generat. Neque enim sufficeret à Deo nos amari, nisi ad nos perueniret amoris sensus: sed corda nostra Spiritu suo irradians, vero & solido gaudio nos exhilarat. Docet autẽ hic locus, quamuis affluat rerum omnium copia, miseros tamen esse quibus propositum non est in Deo acquiescere. rursum verò, fideles, quamuis inter multas molestias vexentur, hoc vno verè beatos esse, quia illis refulget paterna Dei facies, quæ omnes illuminat, mortémque ipsam viuificat, vt ita dicamus. [M] Qui legunt, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, exponunt de lumine rationis humanæ, quo discernimus quid sit bonum, quid malum: quod pertineat ad legem naturæ, & nihil aliud sit quàm impressio diuini luminis in nobis. Sed hæc philosophica impertinentes hîc spiritui Prophetæ accommodantur.

8 *Dedisti lætitiam in corde meo plusquam quo tempore frumentum eorum & vinum eorum multiplicata sunt.*

Dedisti lætitiam in corde meo. [C] Altera comparatione vim sui affectus melius exprimit atque illustrat, quòd scilicet bonum illud quod optauerat adeptus, minimè inuideat aliorum opulentiæ & deliciis, sed præclarè contentus sit sua sorte. Summa est, pluris sibi esse propitium Dei vultum quàm si horrea frumento referta vel àsque vino plenas haberet. [A] Oleum quod occasione adiectum fit à quibusdam, incertum est: nihil enim vel affine huic Hebraica habent. *Plusquam quo tempore frumentum eorum.* [A] Nonnulli Dauidem intelligunt hostium suorum bonis fuisse lætatum: [C] sed alter sensus melius congruere videtur, quòd scilicet se vno Dei fauore magis gaudere dicat quàm terrenos homines dum bonis omnibus fruuntur, quorum desiderio vt plurimum ardent. Dixerat enim rebus prosperis intentos ac deditos Deum non magnopere curare: nunc verò addit largo vini & frumenti prouentu non perinde esse lætos ac hilares vt ipse est vnico diuinæ bonitatis ac beneuolentiæ sensu. Atque hic versus vtilem doctrinam continet. Videmus enim vt terreni homines, postquam spreta Dei gratia totos se ingurgitarunt in caducas delicias, adeo non satiari vt ipsa copia magis eorũ cupiditates inflammet.

met. Ita fit vt in media saturitate cæca inquietudo mentes eorum solicitet. Nunquam ergo tranquilla pax & solidum gaudium nobis obtinget, donec affulgeat Dei fauor. Etsi autem fideles sua commoda ipsi quoque expetunt, præpostero tamen ardore ad ea non feruntur, quin patienter sustineant illis priuari, modò se Deo curæ esse intelligant. [M] Præterea docet hic locus gratiam terrenæ fœlicitatis contingere diuinitus etiam ingratis ac reprobis, quales certè erant quorum hic Propheta meminit. Vnde eius diuinæ bonitatis admouemur, cuius Christus meminit, dicens, Qui solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos, Matth.5.g.45.

9 *In pace pariter accubabo, & dormiam: quia tu Iehoua seorsum in fiducia locasti me.*

In pace pariter accubabo, & dormiam. [c] Concludit se perinde securum esse ac quietum, quia protegitur Dei manu, acsi omnibus mundi præsidiis vallatus esset. Scimus autem bonum hoc præ aliis esse optabile, nempe vacuum esse omni metu, nec torqueri vel angi vlla cura. Ideo confirmatio est proximæ sententiæ, quòd gaudium de luce paterni Dei amoris conceptum meritò aliis omnibus præferat: quia interior pax animi quæcunque fingi possunt bona exuperet. [M] Id verò significat Dormiendi metaphora, qua & suprà, 3.b.6, vsus est. *Quia tu Iehoua seorsum in fiducia locasti me.* [A] Addit rationem propter quam sperat securum se ac quietum fore. [M] Non dicit, Quoniam nihil est periculi, nemo erit qui negotium facessat: &, si quisquam hoc tentet, facilè illum, quippe bellandi dexteritate instructus, oppressero: sed, Quoniā de tua ope certus sum, quòd me, etiamsi ab innumeris oppugner, tutum tamen ac talem redditurus sis vt sine vllo periculo quiescam. [c] In summa, gloriatur sibi ita sufficere vnius Dei tutelam, vt sub ea non minus securè dormiat, licet omnibus humanis custodiis nudatus, quàm si multas circum se excubias haberet, vel vndique munitus esset multis sodalibus. Itaq; eius exemplo discamus hunc honorem Deo tribuere, quoties ab hominibus nihil defensionis apparet, vt sola eius manus instar ingētis exercitus in pace nos contineat: [A] scientes quòd maior est qui in nobis est quàm qui in mundo, 1.Iohan.4.a.4. Vnde Apostolus ait, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom.8.f.31. [M] Solius ergo Dei est dare vt firmam pacem habeamus. Cur ergo bonum hoc à mundi Principibus, neglecto, imò plerunque inuito Deo quærimus? Cur non vnius voluntati studemus, à quo vno ac solo omnium rerum prosperitatem pendere scimus?

ARGVMENTVM PSAL. V.

[c] DAVID grauiter iniusta hostium sæuitia oppressus, & plus adhuc malorum metuens, Dei auxilium implorat. Quò autem facilius impetret quod petit, postquam ex precandi ardore magnitudinem doloris sui ostēdit, primò hostium suorum intolerabilem malitiam profert, quam à Deo relinqui inultam absurdum foret. Deinde fidem & patientiam suam consolationem etiam inserit, quasi de prospero successu nihil dubitet. Tandem concludit, vbi liberatus fuerit, fructum gratiæ piis omnibus fore communem.

PRAEFECTO *super Nehiloth, canticum Dauidis.*

Præfecto super Nehiloth. [A] Vox Nehiloth, pro qua alii hæreditates, alii exercitus vertunt, significat insigne aliquod instrumentum musicum olim notum, dictum à sono apum, quem imitabatur. [V] De voce למנצח vide quæ annotauimus suprà, 4.a.1.

2 *Eloquia mea auribus percipe Iehoua, intellige loquutionem meam.*

3 *Attende voci clamoris mei, rex mi, & Deus mi: quoniam ad te oro.*

Eloquia mea auribus percipe Iehoua. [M] Propheta seriò & obnixè Deum orat vt se orantem exaudiat. [c] Incertū est autem vtrùmne solùm temporis quas ab hostibus suis iniurias perpessus est, deploret hoc Psalmo, an verò generaliter de variis persequutionibus queratur, quibus diu vexatus fit sub Saule. Eum etiam quidam ex Hebræis ad Absalom vsque extendunt, quia per viros dolosos & sanguinarios putant Doeg & Achitophel notari. Probabilius tamen videtur, quum Saule mortuo tranquillam regni possessionem adeptus esset Dauid, preces quas in suis ærumnis & periculis meditatus fuerat, scriptis mādasse. Iam, vt verba excutiamus, quòd rem vnam tribus modis exponit, hæc repetitio affectus vehementiam notat & longam orandi perseuerantiam. Nec enim superflua congerie delectatus est, vt abs re profunderet diuersos loquendi modos: sed quemadmodum seriò ad precandum intentus erat, multiplices suos gemitus repræsentauit: [B] & omnib⁹ illis precandi verbis nihil aliud voluit quàm vt votis suis Deus annueret, & tot malis se eriperet. *Intellige loquutionem meam.* [V] Meditationem meam, murmur meum. Verba petit admitti auribus, attendi vociferationi: murmur autem, hoc est inconditam querulationem ex afflicto corde exæstuantem intelligi. Quibus significat, nec frigidè nec pauculis tantùm verbis orasse, sed, prout vrgebat vis doloris, se in deflendis apud Deum suis malis fuisse anxium: & quia non statim apparebat exitus, in iisdem querimoniis repetēdis fuisse assiduum. [M] Singulariter autem notanda est particula meditationis. non enim precationem duntaxat Prophetæ habet, sed & authore Spiritosancto, cuius instinctu Psalmi compositi sunt, de eo nos admonet, quòd cordium nostrorum meditationes non solùm aliis mortalibus incognitæ, sed & nobisipsis plerunque haud admodum intelligibiles, à Deo cognoscantur & intelligantur. Paulus dicit, Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, Rom.8.e.27. Sanctorum gemitus & meditationes in rebus tristibus adeo sunt frequenter inenarrabiles, vt nullis queant verbis exprimi. Verùm qui cordium profunda scrutatur, desideria afflictorum intelligit, ac talis est ad quem animus anxius ac gemens dicere queat, Intellige meditationem meam. [F] Quòd autem disertis verbis Dauid vota non concipit, species est reticentiæ magis emphatica quàm si distinctè loquutus foret. Nam quid cupiat in corde suo premens, melius ostendit se intimos animi sui sensus coram Deo sic efferre, vt lingua ad loquendum non sufficiat. *Attende voci clamoris mei.* [c] Vox clamoris, pro clamosa vel sonora voce, ad notandum studii ardorem pertinet. Neque enim clamauit Dauid tanquam ad aures surdi, sed feruor doloris interiórque anxietas in clamorem erupit. [M] Loquitur enim Propheta ad morem illum paternum, quo aures Patris ad clamorem periclitantis filii omnium sunt attentissimæ. quod ii probè sciunt qui paternos affectus in se sunt experti. Imò non solùm parentes erga liberos in necessitatibus ad se clamantes hoc animo præditi sunt, sed & quibusuis hominibus (de his non loquimur quos verius bestias quàm homines dixeris) affectus hic verè humanus natura est inditus, vt ad quemuis angustiati hominis clamorem & ipsi anxii & ad succurrendum parati, magna commiseratione attendant, nec aliis qualibuscunque negotiis ab hac attentione facilè auerti queant. Tale quid nobis ista Prophetæ precatio de Deo considerandum proponit. *Rex mi, & Deus mi.* Deum vocat regem suum, & Deum suum, vt fiduciam suam implorandique diuini auxilii motum in animo suo confirmet. Ad quem enim subditus in rebus afflictis, præsertim improborum violentia pressus, rectius confugiet quàm ad regem suum, & pius in tentationibus constitutus, quàm ad Deum suum? Ideo rectè, postquam dixit, Attende voci clamoris mei, subiicit, Rex mi, & Deus mi. [B] Q.d. Te regem meum & Deum agnosco, tuo vnius præsidio confido, neque alium vindicem quæro: ad te siquidem & non ad alium vota mea dirigo, precem fundo. ne igitur deseras me: pone tandē modū furori hostium meorum tam insigniter sceleratorū, qui me à tuo populo à tuo cultu depellūt. [F] Discamus hæc Dei elogia in similem aptare vsum, nempe vt Deum nobis familiarem reddamus. Adhæc, quum Dauid rex esset populi Dei, magis ad hoc confugit in rebus aduersis, quòd sciebat se regem ac Deum habere in cælis, quàm ad regiam suam potentiam ac maiestatem. Sciebat enim ne regem quidem sua ipsius, sed magis superni regis ac Dei virtute seruari posse. Vtinam hodie nostri quoque reges hac essent erga Deum fide ac subiectione vt cum hoc pientissimo Dauide ad illum tanquam cælestem regem ac Deum & ipsi confugerent potius quàm quòd tantopere de suis viribus præsumunt & insolescunt. *Quoniam ad te oro.* [V] Futurum Hebræis pro præsenti. [c] Testatur Dauid se non frænum rodere, vt solent increduli, sed ad Deum gemitus suos dirigere. Nam qui posthabito Deo vel intus fremunt, vel apud homines querulantur, indigni sunt quos Deus ipse respiciat. [B] Quidam vertunt, Quando ad te precor: sed videtur potius esse causæ redditio, in qua Dauidi propositum fuit animum suum in fiduciam attollere, sumpto hoc generali principio, quicunque Deum in suis malis inuocant ac precantur, nunquam ab ipso repulsam pati. [M] Dei Dominus vt hac erga ipsum fide simus & nos. [A] Neque enim frustra dictum est, Petite, & accipietis, Matth. capite 7. versu b.7. Item, Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, Marc.11.c.24.

4 *Iehoua mane audies vocem meam: mane disponam tibi, & speculabor.*

Iehoua mane audies vocem meam. [v]Futurum Hebræum pro imperatiuo Audi, vel optatiuo, Audias. Postquam enim Dauid Deum rogauit vt suis votis annueret, nunc ad festinationem eum solicitat. Nam etsi alludere videtur ad preces quæ in templo quotidie sacrificiis coniungi solebant ex Legis præscripto, non tamen dubium est quin longioris moræ tædio compulsus salutem suam accelerari cupiat. acsi dixisset, Simulatque expergiscere, hæc prima futura est mea cogitatio. Tu itaque Domine opem qua indigeo, ne longius differas, sed mox respondeas votis meis. *Mane disponam tibi.* Disponere Deo tantundem valet ac rectà se ad eum applicare. Plerique, quasi ecliptica esset loquutio, subaudiunt Orationem: sed potius testari voluit Dauid se minimè flecti huc vel illuc ac distrahi, sed hunc ordinem sibi esse statutum vt ad Deum confugiat. Est autem tacita antithesis inter vagos & erroneos eorum discursus qui ad mundi auxilia circunspiciunt, vel pendent ex suis consiliis, & rectum fidei ductum quo fit vt pii omnes à vanis illecebris retracti, se ad vnum Deum conuertant. Nam ערך Hebræis Ordinare vel Disponere, interdum Comparare vel Aptare significat. Optimè autem conuenit sensus, quòd profiteatur Dauid se minimè distractum iri per flexuosos circuitus, sed rectà se ad Deum venturum. [m]Vbi videmus quàm necesse sit vt reliqua omnia ex animo abiiciantur, siquis Deum purè inuocare velit, nec sit quod aliorsum mentis cogitationem & intentionem auocet. Non enim verba moratur Deus, sed ipsam cordis intentionē, vt orans totus ab ipso pendeat. *Et speculabor.* [c]Speculandi verbo tam spem & patientiam quàm solicitudinem designat. Nam quum צפה apud Hebræos tam Expectare quàm Aspicere significet, dubium non est quin dicere velit Dauid, postquam suas curas in Dei sinum deposuerit, se suspenso animo quasi in excubiis fore, donec re ipsa pateat se à Deo fuisse exauditum. Etsi autem desiderio semper inquietudo aliqua subest, qui tamen speculatur, quam experis Dei gratiam, patienter eam expectat. Docet hic locus friuolas esse preces quibus non est spes annexa, quæ mentes velut in speculam euehat. [a]Hanc spem alibi Propheta commendat, dicens, Expecta Iehouam, corrobora te: & roborabit Deus cor tuum, & expecta Iehouam, Infrà, 27.d.14.

5 *Quia non Deus volens impietatem tu: non habitabit tecum malum.*

Quia Deus non volens impietatem. [c]Hic sibi Dauid ex hostium malitia & prauitate conciliat Dei fauorem. Est quidem velut abrupta oratio: vt sancti precando sæpe balbutiunt: verùm hæc balbuties Deo gratior est quàm omnes quantumuis ornatæ ac splendidæ rhetorum figuræ. Porro ad hunc scopum tendit Dauid, quum ad summum crudelitatis & perfidiæ venerint hostes sui, fieri non posse quin eos maturè Deus compescat. Ratiocinatur autem ab ipsius Dei natura. Nam quum illi placeat iustitia & rectitudo, inde colligit de improbis & sceleratis omnibus vindictam sumpturum. Qui enim fieri potest vt impunè effugiant eius manum, quandoquidem iudex est mundi? [m]Notandum itaque quo vsu sit sanctis cognitio Dei. Nouit Deum Propheta esse osorem impietatis, malitiæ, insipientiæ, iniquitatis, mēdaciorum ac crudelitatis, indéq; argumentū sumit nō posse cōsistere ante faciē eius impios, malos, insipiētes, iniquos, mēdaces & crudeles. Qui in principū aulis sunt, studiose hoc agunt vt ingenia principum cognoscant: vnde facilè colligunt quid apud eos obtineri possit, quid non. Quāto melius & necessarium magis est ingenium Dei cognoscere, vt inde instruamur quod genus hominum probet, quod reprobet? Præsertim quando periculum est à subdolis & hypocritis, qui specie pietatis negotium faciunt simplicibus ac piis, plurimum conducit ad confirmandas in afflictione fidelium mentes ista diuini ingenii cognitio: vtpote si vrgeat potentia & authoritas hypocritarum, qui mundo videntur propter diuini cultus titulum haberi in pretio, constāter cogitandū est cū Dauide, Nō est Deus amator hypocriseos, nō est amator simoniæ, detestatur idololatriā, quæstū scortationem, &c. ergo fieri non potest vt non detestetur hypocritas, simoniacos, idololatras, &c. [c]Locus certè notatu dignissimus. Scimus enim quantopere hos consternet effrænis impiorum proteruia. Nam quia Deus non statim eam cohibet, vel stupemus attoniti, vel desperatione concidimus. Atqui Dauid hinc potius fiduciæ materiam petit. Nam quo maiore licentia grassantur hostes, eo alacrius Deum vindicē implorat, cuius officium est improbos omnes perdere: quia odio habet omne scelus. Discant ergo pii omnes, quoties illis certamen est cum vi, fraudibus & iniustitia, ad Deum assurgere, vt se ad certam spem liberationis animent: sicuti etiam eos hortatur Paulus. Documentum, inquit, est iudicii eius, quòd nunc crucem sufferatis: quia iustum est apud Deum rependere iis qui vos affligunt, afflictionem: vobis autem, qui affligimini, relaxationem nobiscum, 2. Thessal. capite 1. b. 5. Et certè alioqui non esset mundi iudex, nisi impiis omnibus apud eum merces sua esset reposita. [a]Porro quemadmodum ex hoc loco discimus Deum odio habere omnem iniquitatem, ita colligimus [m]necesse esse vt contrariis delectetur, nempe pietate, bonitate, æquitate, veritate, misericordia, synceritate ac puritate, &c. atque ita complectatur pios, bonos, æquos, veraces, misericordes, synceros ac puros, &c. [c]Nunc notemus huius doctrinæ vsum: nempe dum improbis lasciuientibus nobis obrepit dubitatio an Deus curam nostri gerat, vt hunc clypeum opponere discamus, Deus, cui odio ac detestationi est omnis iniquitas, istos elabi inultos non sinet: licet verò ad tempus eos ferat, tandem conscendet tribunal, séque vindicem ostendet. [a]quemadmodum Christus docet, Luc. capite 18.a.6.7. [c]Cæterùm hinc colligitur etiam vniuersalis doctrina, Deum, quamuis per Satanam & impios operetur, eorúmque malitia vtatur ad exequenda sua iudicia, non tamen esse peccati authorem, nec peccatum ei placere: quia semper iustus ei finis propositus est: vt meritò eos damnet ac puniat quos arcana sua prouidentia impellit quò visum est. *Non habitabit tecum malum.* [v]Quidam vocem רע in masculino genere accipiunt, pro scelesto homine: sed malitia potius intelligitur. Simpliciter enim pronuntiat Dauid nullum Deo consensum esse cum iniustitia. [a]Ideo dicturus est cælestis ille iudex omnibus iniquis, Discedite à me omnes operarii iniquitatis, Infrà, 6.b.9. & Matth. 7.d.23.

6 *Non stabunt stulti coram oculis tuis. odisti omnes qui iniquitatem perpetrant.*

Non stabunt stulti coram oculis tuis. [v]Id est, Non consistunt. Futurum Hebræum pro præsenti. Id est, Non habent apud te locum. Alii, Non statuent se, aut Non apparebunt. [c]Est autem optima consequentia, Deo exosa est iniquitas: ergo de omnibus iniquis iustam vltionem sumet. [a]הוללים insani dicuntur & furentes, id quod se simulabat Dauid agitur apud regem Achisch regem Gath, quum inter manus seruorum huius regis faciem immutasset, & saliuam despumaret. Ibi enim hoc verbi sacra historia vsurpauit, 1. Sam. capite 21 d.13. Transfertur autem ad insanientes improbitate. Hoc significatu huius verbi vsus est & Dauid infrà, Psalm. 73.a.3, & 75.b.5, & 102.b.9. item Ecclesiastes multis in locis. Consonat hic cum Scriptura dogma Stoicorum, quibus omnes improbi & stulti insanire dicuntur. Et quæ dementia, quæ insania grauior quam mentem datam diuinitus in hoc vt omnibus recta ratione prosimus, totam ad lædendum homines conuerteret? [c]In summa, insanos Dauid vocat, more Scripturæ, qui cæca cupiditate ad peccandum ruunt. Nihil enim magis furiosum impiis, qui abiecto Dei timore, nocendi libidine feruntur: imò nulla est amentia deterior quàm Dei contemptus, quo fit vt fas omne peruertant homines. Quamuis autem hoc sibi ad consolationem suam proponat Dauid, simul tamen inde elicitur vtilis eruditio ad timorem Dei. Nam Spiritus Deum scelerum vltorem fore pronuntians, frænum nobis iniicit, ne spe impunitatis peccemus. *Odisti omnes qui iniquitatem perpetrant.* [v]Vanitatem, vel prauitatem. [a]Qui iniquitati dediti sunt, & quorum omnia facta praua & iniqua sunt, eos Scriptura operatores prauitatis aut iniquitatis vocat. [m]Est enim operari iniquitatem, studere iniquitati quouis modo patrandæ: quod studium piorum ac bonorum esse non potest. Peccant quidem & illi: sed iniquitati non student. [a]sicuti Iohannes dicit, Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, eo quòd ex Deo natus est, 1. Ioh. 3.b.9.

7 *Perdes loquentes mendacium: virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur Iehoua.*

Perdes loquentes mendacium. Mendacium quod hic impiis datur, non est quando simpliciter quod verum non est dicitur, (quod nonnunquam vel ex ignorantia & errore vel ex carnis infirmitate, aut simili aliqua tentatione etiam piis accidit, & aliquando dilectionis studio fit) sed quando ex malitia ad nocendum proximo mendacium dicitur. quod genus mentiendi apud pios non reperitur. Tale erat Saulis ad Dauidem mendacium, quum diceret, Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem: modò esto vir fortis, & præliare bella Domini, 1. Sam. 18.d.17. Et Absalonis quoque, quum votū in Hebron soluendū simularet, 2. Sam. 15.b.7. *Virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur Iehoua.* [v]Ad verbum, Virum sanguinum & doli. [s]Hæc appellatio frequens est in Scripturis,

& significat eum qui sanguinem innoxium fundendi facilis aut etiam studiosus est: quem nos sanguinarium dicimus. Ergo sanguinaria crudelitas non est quævis sanguinis effusio, sed ea quæ fraude ac malitia singulari perficitur, qualis erat Cain, Saulis, Doeg, Absalonis & coniuratorum illius: qualis etiam erat Scribarum & Pharisæorum, & qualis hodie est ac plerisque seculis fuit Romanæ sedis pontificum, sacerdotum ac monachorum. Quapropter hic Propheta non simpliciter dixit Effusorem sanguinis, sed Virum sanguinis: nec solùm dixit Virum sanguinis, sed adiecit, Et fraudis. Alioqui & ipsi Dauidi hoc tribuit Deus, quòd multum sanguinis fuderit: nec tamen ob id eum coram Domino abominabilem fuisse legimus. Prohibitum quidem ab ædificatione templi Scriptura meminit, propterea quòd sanguinem plurimum in bellis effudisset, 1. Paralip. 22. b. 8. at Deo ob eam causam execrabilem fuisse non meminit. Non enim effuderat sanguinem ex malitia & fraudulentia cordis impii: sed bella Domini bellauerat, populumque Dei iussu Dei defenderat. Non ergo notantur hoc versu ii qui ex magistratus functione nocentes puniunt, ac sanguinem illorum fundunt: sed impiorum ac malitiosorum hominum sanguinaria crudelitas taxatur, etiamsi non manu, sed consilio tantùm & verbis perficiatur.

8 *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam: incuruabo me templo sancto tuo in timore tuo.*

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ. Hebraismus, pro, ampla tua bonitate siue misericordia fretus. Copula illatiuè accipitur, hoc modo, Quum impios ferre nequeas Domine, ego igitur manu tua seruatus, solennes tibi pro liberatione accepta gratias in templo tuo agam. Itaque promittit Dauid Deo gratiarum actionem. Nam quia hostes suos nuper Deo exosos esse dixerat, nunc concepta salutis fiducia, se ad gratitudinem inuitat. Veniam, inquit, ad templum in multitudine misericordiæ suæ, acsi diceret, quanuis nunc fere perditus videri queat, se tamen Dei gratia saluum fore & incolumem. *Incuruabo me templo.* Adorabo versus templum sanctitatis suæ, vel, Sanctum tuum. Id est, fixis oculis in tabernaculum fœderis. Ergo per templum sanctum intelligit interius sacrarium, in quo arca stabat, quod sanctum sanctorum dicebatur. Nam sicut hanc sacratiorem sedem suam fore Deus promiserat, ita faciem huc vertebant precantes. Cæterùm היכל significat palatium, edytum & sacratiorem aulam. Nam Salomo templum illud superbum nondum extruxerat. Docet autem hic locus, quum nos vrgent extremæ tentationes, statuendam esse Dei gratiam ante oculos, vt inter summa quæque discrimina bene speremus, scientes beatos esse quotquot confidunt in eius protectione. Adhæc quia caro gratiam Dei vel malignè extenuat, vel æstimat vulgari modo, discamus ingentem eius magnitudinem efficere, quæ sufficiat vincẽdis tentationibus. Quanquam autem consilium Dauidis fuit sibi certam salutem polliceri ex Dei misericordia, simul tamen ostendit, vbi fuerit seruatus, gratum se & memorem fore. Obseruandum etiam quòd tabernaculum illud fœderis exile & humile Dei templum vocat, velut aulam quandam regiam. Ita augusta sunt piis, propter Deum, quæ humilia sunt in hoc seculo. Et locus ille erat Deo dicatus. Nunc Christianorum templa vtplurimum mortuis sanctis sunt dedicata. vnde non potest illis talis sanctitas tribui qualem hic Dauid templo tribuebat. Nam sanctum erat templum, quia ad vsum cultus Dei destinatum: delubra verò sanctorum talia non sunt, nec ea quæ vel idololatriæ vel quæstui sacerdotali seruiunt. *In timore tuo.* Quia hypocritæ gratias agendo nihil aliud quàm nomen Dei profanant, vt sunt impuri & polluti: ideo Dauid se asserit venturum cum Dei timore, vt sincero & integro eodē atque animo eum adoret. Hodie pars timore principum, pars amore quæstus, pars ad colendum sanctos delubra ingrediuntur: pauci timore Dei ducti Ecclesiam visitant. Cæterùm ex hoc versu colligere licet generalē doctrinam, donec suæ bonitatis gustum Deus nobis præbuerit, accessum nobis ad eum non patere: nec quenquam rite orare nisi qui gratiam & misericordiam eius expertus, sibi propitium fore statuit ac persuasus est. Adiungitur tamen Dei timor, qui rectam piámque fiduciam à carnis securitate discernat.

9 *Iehoua, duc me in iustitia tua propter aduersarios meos: dirige coram me viam tuam.*

Iehoua, duc me in iustitia tua. Nunc petit à Deo Propheta vt se dirigat, & per medias hostium insidias saluum deducat, &, quum videbitur vndique captus & constrictus, exitum ei patefaciat. Quidam legunt, Duc me iustitia tua. Rectius alii, In iustitia tua. Et iustitia Dei hoc loco (sicuti plurimis aliis locis) pro fide & clementia eius capitur, quam in tuendis fidelibus ostendit. Ideóque præpositio ב tantundem valet ac Pro vel Secundum. Dauid enim Deum sibi itineris ducem essenptans, ex eius iustitia spem impetrandi sibi fecit. acsi dixisset, Domine, quia iustus es, auxilio tuo me protegas, vt prauas hostium machinationes euadam. Sic alibi, In iustitia tua libera me, Infrà. 31. a. 2. Et, In iustitia tua vindica me, Infrà, Psal. 35. d. 24. Item, In iustitia tua libera me & eripe me, Infrà, 71. a. 2. Videmus hoc loco quàm sibiipsis pii nihil in tentationibus tribuant, neque quicquam de industria sua, viribus, consiliis, studiis, &c. præsumant. Qui se ab alio duci petit, satis apertè fatetur quàm nihil sibiipsi tribuat. Duci siquidem puerorum est, cæcorum, claudorum, infirmorum, ignorantium & ouium: ducere alios gloriosum, duci verò, abiectum & contemptui obnoxium. Sed hanc gloriam non curant pii, malentes cum modestia & humilitate saluti suæ consulere, quàm cum inani gloria periculis eam exponere. *Propter aduersarios meos.* Id est, propter eos qui insidiantur vitæ meæ. q. d. Hostes mei summo me studio obseruant, sicubi noceant, sicubi præcipitent: nec licet nisi tuo ducatu, tua prospectione horum euadere insidias. Quo ergo hi magis intenti sunt vt me euertant, hoc tu benignius mihi adsis, ipse me ducens & regens, vt tuis inhæream placitis, tuæ incumbam iustitiæ. Hoc vbi dederis, & tuus me Spiritus in omnibus ad tua iussa deduxerit, bona erunt mihi omnia: nihil officient quamlibet vigilanter & intentè mihi improbi isti insidientur. Chaldæus paraphrastes legit, Propter laudem meam, forsan quòd שיר canticum, & inde laudem nomenque significat. sed nihil hoc ad rem. Porrò quoties de piis legimus, quòd inimicos habuerint, partim detestanda nobis est seculi huius malitia, in quo reperiuntur qui viros Dei omnium pientissimos, placidissimos & probissimos, nemini noxios, sed quibusuis vtiles ac beneuolos, odio prosequi possunt: partim nosipsos consolari debemus, quòd nihil mirum sit si inimicos sortiamur, qui ad eam mensuram dilectionis ac beneuolentiæ erga quosuis nondum peruenimus, quæ declarata est per Dauidem hunc & alios consimiles pios, maximè per Christum omnium piorum caput & principem: quem multi gratis odio habuerunt, Iohan capite 15. d. 25. *Dirige coram me viam tuam.* Idem quod prius postulat, nempe diuinitus se eximi ab angustiis quibus sic inclusus erat vt, secundum carnem, nunquam se exiturum putaret. Sic autem fatetur se vitandis ac fugiendis hostium insidiis parem non esse, nisi & prudentiam suppeditet Deus, & viam per inuia aperiat. Idem & nos eius exemplo facere conuenit: vt nobis diffisi, quum nos consilium deficiet, aut inualescet hostium improbitas, ad Deum properemus, in cuius manu sunt exitus mortis, vt videbimus infrà, 68. c. 21.

10 *Quoniam non est in ore eius rectum, intimum eorum prauitates: sepulchrum patens guttur eorum, lingua sua blandiuntur.*

Quoniam non est in ore eius. Singulare pro plurali, In ore vniuscuiusque eorum. Rectum vocat rectitudinem, veritatem verúmque sermonem. Easdem querimonias denuo repetit, quò maiore odio suos aduersarios apud Deum grauet: in se verò prouocet ipsius Dei misericordiam, qui iniustè oppressis opem se laturum promisit. Atque hoc notandum est, quo crudelius in nos sæuiunt hostes, vel magis sceleratè nos vexant, eo maiore fiducia gemitus nostros in cælum esse tollendos: quia Deus non patietur ad extremum vsque grassari eorum furorem: malitiam quoque & peruersos astus in lucem protrahet. Ergo accusat Dauid hostes suos perfidiæ, quòd nihil rectum aut sincerum loquantur. Causam assignat, dicens, *Intimum eorum prauitates.* Hoc est, Cor eorum plenum est dolis & fraudibus. vel, Intus referti sunt iniquitate. Radicem totius mali notat his verbis. Sic Christus Euangelium blasphemantibus dicebat, Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? siquidem ex abundantia cordis os loquitur, Matth. capite 12. c. 34. *Sepulchrum patens guttur eorum.* Sepulchro aperto & cadaueribus pleno simile dicit guttur suorū aduersariorum. Nam vt sepulchrum apertum expectat cadauer quod conficiat & exedat, ita hostes mei, inquit, sua blandiloquentia eò tendunt vt me pellectum ad se perdant & subuertant. hoc est, me à te deficere faciant. Fatetur ergo Dauid fieri non posse vt illos euaderet, nisi diuinitus esset adiutus. *Lingua sua blandiuntur.* Iterum fallacias illorum recenset, affirmans omnia illo-

eam falsa esse ac subdola. [a] Porro verbum quod hic positum est, significat Hebræis Diuidere & Partiri. Qui enim falso blandiuntur, non veres habet, non vt corde cogitant loquuntur, sed diuidunt & partiuntur verba ad gratiam eorum quibus volunt imponere: quæque vera sunt, ea corde tegunt, quò illaqueent. quos Iacobus ait ex eodem ore dulce & amarum proferre, Iacob. 3.c.10 & communi prouerbio dicuntur ex eodem ore calidum & frigidum spirare. [a] Hinc verò colligimus, non mediocribus iniuriis tentatum fuisse Dauidem, sed illi certamen fuisse cum hostibus deterrimis, & quibus nulla erat vel humanitas vel moderatio. Tamen ferè oppressus non modò continuat suas preces, sed ex statu confuso & desperato materiam sperandi petit. [M] Cæterùm hoc versu vtitur Paulus Apostolus, dicens, Antè causis redditis ostendimus & Iudæos & Græcos omnes peccato esse obnoxios: sicut scriptum est. Non est iustus, ne vnus quidem: non est qui intelligat: non est qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum vsi sunt, &c. Rom. 3.b.9. [c] Quòd autem hoc ad totum genus humanum extendit, non facit præter mentem Spiritus. Nam quum axioma istud pro confesso sumat, sub Dauidis persona nobis describi Ecclesiam tam in Christo capite quàm in membris, sequitur, in hostium numero censeri debere quicunque non regeniti sunt Dei Spiritu, siue exteri sint, siue domestici. Neque enim Dauid hoc loco vel Assyrios vel Ægyptios ad Dei tribunal vocat, sed Iudæos degeneres, qui in carne circuncisi se ex sancta Abrahæ progenie esse gloriabantur. Non ergo detorquet Paulus hæc verba à genuino sensu, ea ad cunctos mortales accommodans: sed propriè asserit ostensum fuisse à Dauide quales natura sint: [M] vt doceat omnibus esse gratiam Christi maximè necessariam.

11 *Desola eos Deus, cadant à consiliis suis, propter multitudinem præuaricationum eorum expelle eos: quoniam rebellant contra te.*

Desola eos Deus. [Y] Perde eos, Errare fac eos. Chaldæus paraphrastes, Condemna eos. [M] Græcus, Iudica eos. [c] Quia אשם Hebræis tam Excindere vel Perdere quàm Peccare significat, & metaphoricè pro Errare vel Hallucinari capitur, vterque sensus præsenti loco aptè quadrat. sed quia continuò pòst subiicit Dauid, *Cadant à consiliis suis,* dubium non est quin hoc primum votum secundo affine sit ac simile. Duo itaque hæc simul coniungimus tanquam causam & effectum: vt Deus mente priuatos in errorem impellat: deinde vt eius sua consilia frustrentur. Vnde enim fit vt impii frustra consulrent, inconsideratè etiam ac sine iudicio ferantur, & turpiter impingant, nisi quia Dominus in astutia eos deprehendit? Iob cap. 5.b.13, & 1. Corinth. cap. 3.d.19. Intercipit eorum vafritiem, spiritu soporis & vertiginis eos inebriat, vt desipiant in rebus minimis. Ergo si nobis timemus ab insidiis & fraudibus hominum, & qui nobis nocere cupiunt, videmus sagaces & acutos esse, redeat nobis in memoriam hæc sententia, perpetuum esse Dei munus stupore & amentia eos percutere qui ad peccandum sapiunt. Sic fiet vt nobis dormientibus quamuis astutas eorum machinationes Dominus flatu suo dissipet, ac tandem prostituat eos ludibrio. In summa, optat Dauid manum Dei iniici suis hostibus, ac prohiberi à prauis suis deliberationibus. Et certè necesse est, quum Satan fraudum omnium artifex omnes nocendi modos impiis suggerat, quæ callidè excogitant, diuinitus in nihilum redigi. [M] Imò verò æquissimum est vt impii suis ipsorum consiliis cadant, quibus aliis ruinam struunt. quod & Gentium poetæ norunt. - Neque enim (ait ille) lex iustior vlla est Quàm necis artifices arte perire sua. [c] Quanquam hic propriè cadere à consiliis Dauid intelligit non assequi neque efficere quod aduersarii statuerant. *Propter multitudinem præuaricationum eorum expelle eos.* [Y] vel, Depelle eos. sub. à te. Metaphora ab iis qui labantes impelluntur. [M] Admonemur autem hoc loco, non esse mox contra quosuis transgressores orandum. Neque enim simpliciter dicit Dauid, Propter transgressiones, sed, Propter multitudinem transgressionum eorum. Notat enim impiorũ temeritatem, qua sine remissione transgressionem transgressioni iungunt, atque ita iram Dei in se concitant: [a] sicuti docet Apostolus, Rom. capite 2.a.5. [B] Diuinæ etiam impulsionis metaphora admodum frequens est in Scripturis, & ideo probè consideranda atque pertimescenda. Præcipitatio enim est & omnium consiliorum atque actionum eiusmodi perturbatio, vt necesse sit sic impulsos penitus interire. *Quoniam rebellant contra te.* [a] Dauid hostibus suis pœnam quam meriti sunt imprecatur: quia dum homini innoxio iniquè & sceleste fuerunt infesti, Deo quoque rebelles fuerunt. Hoc quidem minimè cogitant superbi, tanti esse miseros homunciones vt lædatur Deus in ipsorum persona: neque enim ictus suos magis in cælum putant vibrari quàm si puluerem aut lutum pedibus calcarent. Atqui hanc inæstimabilem mercedem suis cultoribus Deus rependit, quòd in se recipit eorum causam: [a] ita vt qui eos tangat, tangat pupillam oculi ipsius, Zach. 2.c.8. [c] Quisquis ergo rectè sibi conscius erit, nec ab integritate deflexerit, indignè vexatus non est quòd dubitet Deum instar clypei hostibus suis obiicere. [a] Sic Moses negabat murmur Israelitarum esse aduersus homines, sed aduersus Deum ipsum, Exod. 16.b.8. [M] Et Paulus dicit eos Dei ordinationi resistere qui magistratui à Deo constituto resistunt, Rom. 13.a.2.

12 *Et lætentur omnes qui sperant in te, in seculum iubilent: & operi eos, & exultent in te qui diligunt nomen tuum.*

Et lætentur omnes qui sperant. Quidam per futurum legunt, Et lætabuntur. alii, Et lætentur, per formam orandi. [c] Sed siue in futuro tempore siue in modo optandi legantur hæc verba, non ita multum ad sensum interest. vtroque enim modo fixum manebit quod volunt Propheta: nempe si Dei manu liberetur, fructum huius gratiæ piis omnibus fore communem. acsi dixisset, Domine, si mihi opem tuleris, non in me solo residebit tuum beneficium, sed patebit ad omnes tuos cultores: quia sic fiet vt magis confirmetur eorum fides, nomenque tuum celebrent. [a] Non solùm igitur mihi benefacies si me protexeris, & aduersarios meos tibi rebelles propter multitudinem transgressionum eorum proieceris: sed & in vniuersum omnes eos exhilarabis qui fiduciam in te collocant, ac nomen tuum diligunt, vbi viderint te rationem habere iustorum, illisque benedicere, & beneplacito tuo perinde atque scuto quodam tueri. [c] Ergo vt facilius liberationem à Domino impetret, eam à fine vel effectu commendat, quòd piis omnibus maiorem fiduciam suggeret, eosque animabit ad laudem & gratiarum actionem Deo reddendam. Docet autem hic locus, nos Deo ingratos esse, nisi accommodamus in vsum nostrum quæcunque in proximos nostros confert beneficia, quibus testatur bonitatem suam communiter piis omnibus semper expositam fore. ideoque additur ratio lætitiæ, quia Dominus eos proteget. Nam quoties vni ex fidelibus se beneficum ostendit, statuere debent (vt diximus) eundem erga se fore. *Et operies.* [Y] Et operies (siue operire facies) super eos. Futurum Hebræum pro imperatiuo, Operi, vel Protege eos. [c] Porro docet hic locus non aliunde quam ex Dei præsidio nasci verum gaudium: quia licet mille mortibus simus expositi, abunde nobis sufficere hoc debet, protegi nos Dei manu. Sed hoc fiet si nos inanes mundi vmbræ non decipiant, vt sub illis delitescamus. [M] Præterea hæc futuri gaudii commemoratio pollicetur fore vt olim vt pii omnibus liberentur molestiis, & tristitiam præsentis seculi certissimo gaudio commutent, reque ipsa experiantur quàm non frustra spem suam in Dominum collocarint. *Et exultent in te.* Possumus hoc loco duplicis generis gaudium obseruare: vnum quod ex affectu ac sensu priuatæ voluptatis vel vtilitatis nascitur. Hoc genus gaudii piorum non est, nec de hoc Propheta loquitur. Alterum ex affectu dilectionis est, & hoc bifariam considerandum venit. Exultamus enim in eo quem amamus iuxta seculum, vel de quo gloriamur secundum carnem, si ille sit vel in rerum prosperitate vel gloria. Deinde exultant pii in Deo suo, cùm quòd talem Deum habent, tum quòd gloria illius illustratur: vt exultare in Deo idem sit acque exultare propter Deum, quem diligas. *Qui diligunt nomen tuum.* [c] Videmus hic quòd in Deo sperantes dicuntur nomen Dei diligere. Neque enim fieri potest quin suauis sit Dei memoria, nosque solidè oblectet, imò rapiat in amorem sui, postquam ipse nobis suæ bonitatis gustum præbuit. Sicuti rursum omnes increduli sepultum vellent Dei nomen, eiusque memoriam cum horrore fugiunt. [M] Porro nominis Dei in Scripturis multa est mentio, ita vt iam vocetur sanctum, iam terribile, iam magnum, iam gloriosum, iam charum & dilectum, sicut hoc loco videmus: vbi piis fiduciam in Domino habentibus datur quòd nomen eius diligant. Ratio huius est, quòd Deus ipse talis est, & à mortalium etiam mentibus esse sentitur, qui sit sanctus, terribilis, magnus, gloriosus, charus & dilectus, quia bonus, misericors, benignus & clemens. Sumus autem ita comparati vt qualis quisque à nobis existimatur, talibus etiam ad nominis illius mentionem ac recordationem afficiamur. Qui maiestatem ac potentiam regis sui agnoscit, non potest audito il-

lius nomine non sentire aliquem reuerendi illius affectum. qui tyranni sæuitiam expertus est, vel auditu tantùm intellexit, audito tyranni nomine in animo nonnihil consternatur. qui diaboli metu tenentur, quoties nomen illius audiunt, horrorem quendam in animo concipiunt. qui mortem horrent, sine horrore mentionem mortis audire nequeunt. qui patronum habent vel amicum, vel quemcunque alium erga quem amoris prædîti sunt affectu, suauitatem quandam sentiunt quoties nomen illius audiunt. qui inimicum habet, nomen illius execratur, quoties in aures incurrit. Sũma, quid quis de quopiã sentiat, audito illius nomine declarat. Sic erga Dei nomen comparati sumus. Quibus horrori Deus est, illis etiam nomẽ illius horrorem incutit. quibus sanctus, magnus, excelsus ac suspiciendus est, illis & nomen eius sanctum, magnum, excelsum ac suspiciendum est. quibus illius potentia ac bonitas fiduciam in aduersis generat, illis etiam nomen eius animum addit. Sic illud, Turris fortissima nomen Domini, Prouerb. 18. b. 10. Quibus charus ac dilectus est, illi etiam nomen eius diligunt, & quod diligunt, cupidè audiunt. Qualiter ergo quisque de Deo sentiat, in nomine eius declaratur. Affectus cordis, reuerentia, timor, horror, fiducia, dilectio, secreti sunt & abditi: verùm vbi mentio fit nominis Dei, vbi sub nomine Dei vel doctrina, vel præceptum, vel redargutio, vel consolatio, vel promissio, vel cõminatio ex verbo illius proponitur, tum reuera periculum fieri potest & experimentum capi quid quisque de Deo sentiat.

13 *Quoniam tu benedices iusto Iehoua, ut scuto bona voluntate coronabis eum.*

Quoniam tu benedices. [c] Confirmat superiorem sententiam, quòd scilicet ex sua persona commune documentum fidei sumpturi sunt omnes Dei serui: quia ab vno exemplo iudiciũ de perpetua erga omnes pios gratia fieri velit. [b] Tu, inquit, benedices iusto. hoc est, benefacies tandem, non sines vsque à malis & peruersis istis hominibus iustitiam colentem diuexari. Benedicendi verbum Hebræis (quum de hominibus fit sermo) bene precari significat: quum verò ad Deum refertur, tantundem valet ac bene fortunare (vt loquuntur) vel bonis omnibus cumulare. Nam quia efficax est fauor Dei, benedictio eius bonorum omnium affluentiam ex se producit. [a] Fœlices igitur & beati qui hanc Dei benedictionem percipiunt. *Iusto.* [c] Nomen iusti non ad vnum hominem restringitur, sed indefinitè omnes Dei cultores significat. Cæterùm iustos vocat Scriptura non qui tales operum meritis censentur, sed qui ad iustitiam aspirant: quia postquam Dominus eos fauore suo complexus est, peccata non imputando, rectum studium pro iustitiæ perfectione illis fert acceptum. [m] Loquitur ergo Dauid de iustitia imputata per gratiam, & quæ ex regeneratione nascitur. *Vt scuto bona voluntate coronabis eum.* [c] Beneplacito (vel beneuolentia) vndique cinges eum. id est, beneuolentia tua veluti clypeo insigni vndique cinges & munies eum. [c] Significat his verbis Propheta probè fore vndique munitos fideles: quia nulla ex parte illis deerit gratia, quæ & inuictum est propugnaculum, & certam secum salutem adfert. [m] Expendendum verò illud est quod dicit, Beneplacito sicut scuto circundabis eum. Poterat dicere, Potentia sua sicut scuto circundabis eum: ad protegendum quippe afflictos requiritur potentia. vnde & qui infirmiores sunt, fortiorum sese protectioni submittunt. Verùm maluit Spiritus sanctus protectionis beneficium beneplacito ac beneuolentiæ Dei adscribere quàm potentiæ, propter confirmandas imbecillium mentes. Primùm enim ita cõparata est magnorum principum beneuolentia, vt potentiæ viribus quasi administris ad defendendum eos quos complectitur vtatur. Trahit post se beneuolentia potentiam & omnia quæ ad potentiam pertinent: potentia verò non vicissim beneuolentiam. Beneuolentia intus in corde est & velut ipsa mens boni principis: potentia verò in externis consistit: vt meritò beneuolentiæ sit ministra, illámque velut heram sequatur. Deinde potentia Dei quoniam innumeris argumentis mortalium oculis affulget, ita nota est omnibus vt de ea ne impii quidem dubitare possint: de beneuolentia verò illius erga se non ita persuasum est omnibus, sed fides eius electorum tantùm est: in quibus tamen miris modis & innumeris tentationibus, præsertim in afflictionibus, ita impetitur vt necesse habeat diuini verbi veluti fulcris sustentari & erigi. Ad hunc itaque vsum respexit hoc loco Spiritus sanctus, vt persuadeat fidelibus ac diligentibus nomen Dei quòd non simpliciter accepti sint Deo, sed & beneplacito illius planè cincti, nequa parte perdi queant. [a] Est enim Christus Dei Filius optimus eorum custos, qui non patitur quempiam perire qui sit illi à Patre in custodiam traditus: sicuti ipse testatur, Iohan. cap. 6. d. 39, & 10. e. 28, & 17. c. 12. *Coronabis eum.* [c] Quanquam Coronandi verbum, quo Dauid vtitur, sæpe ornatum vel decus Hebræis notat, quia tamen additur similitudo scuti, dubium non est quin metaphoricè pro munire vel circũdare sumatur. Sensus ergo est, quantumuis magna & varia pericula iustos obsideant, Deo tamen propitio saluos fore. [a] Conuenit ergo cum eo quod iam vidimus, Beati omnes qui confidunt in eo, Suprà, 2. c. 12.

ARGVMENTVM PSAL. VI.

[c] DAVID manu Dei afflictus, quia se agnoscit iram Dei sua culpa prouocasse, vt leuationem impetret, peccatis suis veniam dari postulat: simulque deplorat, si è medio tollatur, Dei laudandi facultatem sibi ablatum iri. [a] Deinde de restituta sibi salute gloriatur, & Dei gratiam celebrat, sermonémque ad hostes conuertit, qui eius malis insultauerant, [m] & mortem ipsius auidè expectauerant.

PRAEFECTO *in neginoth super octauam, Canticum Dauidis.*

Præfecto in neginoth super octauam. [m] Chaldæus paraphrastes, Super cithara octo chordarum. Vide suprà, Psalm. 4. a. 1. *Canticum Dauidis.* [c] Cantici nomen ostendit, Dauidem, postquam liberationem à malis quæ deplorat adeptus fuerat, sui doloris affectus hoc Psalmo complexum esse. Quale verò fuerit castigationis genus incertum est. Nam qui restringunt ad morbum, rationem cur ita sentiant satis firmam non adducunt. Insistunt in verbo אמל, quod Ægrotare quidem significat: sed metaphoricè hic accipi magis probabile est. Obiiciunt, Ezechiam, vbi à morbo conualuit, de morte idem cecinisse, Esa. cap. 38. d. 18. Atqui Psalmo 115. c. 17, vbi nulla fit morbi mentio, eadem tamen querimonia in persona totius Ecclesiæ legitur. Quanquam autem ex his verbis elicimus Dauidem in vltimo discrimine versatum esse, fieri tamen potest vt alio afflictionis genere quàm corporis morbo laborauerit. Quare sumamus quod certius est, dura aliqua clade fuisse percussum, vel inflictam fuisse pœnam quæ mortis tenebras vndique eius oculis offunderet. Illud quidem tenendum est, non eodem quo precatus est articulo, Psalmum fuisse compositum: sed quas in periculis & tristitia preces conceperat, postea data relaxatione in monumentum fuisse ab eo digestas: ideóque mœrorem, cum quo aliquandiu luctatum fuisse certum est, cum posteriori lætitia coniungit.

2 *Iehoua, ne in furore tuo arguas me, & ne in ira tua corripias me.*

Iehoua, ne in furore tuo arguas. [a] Hæc ipsa Dei inuocatio animi summos ferentis cruciatus indicium est. [c] Et quamuis malum fortè ab hominibus inflictum esset, prudenter Dauid sibi cum Deo negotium esse reputat. Malè enim in suis ærumnis proficiunt quibus non statim occurrũt sua peccata, vt se iram Dei promeritos esse sentiant. Et tamen videmus quantus torpor omnes ferè occupet in hac parte. Nam quum se miseros esse clamitent, ad manum ferientem vix centesimus quisque respicit. Quare, vndecunque proueniant mala, discamus protinus sensus nostros ad Deum referre, eúmque agnoscere iudicem, qui nos ad suum tribunal reos citat, quando sponte non anteuertimus eius iudicium. Sed quia sæpe fit vt homines, dum coguntur sentire iratum sibi esse Deum, potius ad impias querimonias prosiliant quàm seipsos incusent ac sua peccata: notandum est Dauidem non simpliciter quicquid sustinet malorum Deo ascribere, sed fateri iustam rependi mercedem suis peccatis. Non enim expostulat cum Deo, quasi infestus sæuiat absque causa: sed arguendi & castigandi partes ei tribuens, tantùm optat pœnis statui modum: quibus verbis declarat iustum esse scelerum vltorem. Cæterùm vbi confessus est se iure corripi, summum ius vel rigorem deprecatur. Neque enim pœnam omnino refugit: (quod iniquum esset, atque [illegible] quoque noxium magis esset quàm vtile) sed tantùm iram Dei exhorret, quæ interitum peccatoribus minatur. Nam iræ & furori tacitè opponitur paterna & lenis castigatio: sicuti ex alterius Prophetæ verbis patet. Castiga me (inquit) Domine, sed in iudicio, nõ in ira tua, Ierem. 10. d. 24. [a] Et alibi Dauid ipse sic loquitur, Castigãs castigauit me Dominus, & morti non tradidit me, Infrà, 118. c. 18. [c] Dicitur quidem irasci Deus peccatoribus quoties illis pœnas infligit, sed impropriè: quia nõ modò aliquã gratiæ suæ dulcedinẽ aspergit, quæ dolorẽ mitiget, sed pœnas tẽperans [illegible] clementer manũ suam sustinens, se illis propitium esse demonstrat. Quia tamẽ necesse

est, quoties scelerum vltor apparet, horrore nos percelli, non abs re Dauid pro carnis sensu iram & furorem eius metuit. Sensus ergo est, Ego quidem Domine, dignum me fateor quem in nihilum redigas: sed quia ferendæ tuæ seueritati par non essem, ne me pro meritis tractes: quin potius ignoscas peccata quibus iram tuam in me prouocaui. [V] Correptionem patre dignam non deprecor: at sæuam & immanem qui feram? [M] Discamus hic quòd afflictionem qua premebatur correptionem & castigationem vocet à Deo immissam. Sentit enim se corripi & emendari diuinitus: ideóque intelligit simul visitari peccata sua merito flagello. [M] Ideo iram Dei hac oratione deprecatur. [C] Proinde quoties reb⁹ aduersis premimur, discamus exemplo Dauidis ad hoc remedium confugere, vt Deo reconciliemur: quia minimè sperandum est vt nobis bene sit ac prosperè nisi ipso fauente. Vnde sequitur, nunquam defore malorum congeriem, donec peccata nobis remittat. [A] Imò verò notandum est, afflictiones omnes piis ideo vtiles esse quia remedia sunt ad destruendum peccatum: sicuti Apostolus disertè significat, dicens, Nondum ad sanguinem restitistis aduersus peccatum certando, Hebr.12.a.4. [M] Quare obsecuandus est hac in re paternus erga nos affectus in Deo, quo nos in hoc seculo corripit, ne postea cum hoc mundo damnemur, 1.Corinth.11.d.32. Obseruandum & illud, quòd Propheta, quãuis grauissimo iræ Dei sensu torqueatur, nihilo tamẽ minus nusquã se nisi ad eum ipsum conuertit cuius irã sentire se iudicabat, nullibi auxilium & opem quærit nisi apud eum ipsum à quo percutiebatur. Grauissimum est hoc cogitatu, nedum factu: & tamen ita fieri oportet, & væ nobis si percutientem nos auersati fuerimus. Sperandum est hic contra spem, & impossibilia carnis nostræ sensui tentanda. Facile est ad Deum à facie iræ humanæ confugere: Deo autem ipso irascente maxima oritur inter spem & desperationem concertatio, ita vt difficillimum sit irati Dei opem implorare, & non sentiatur, etiamsi non exaudiat Deus, dicaturque cum Iob, Etiamsi exaudiat, non credo quòd audierit vocem meam, Iob 9.b.14. Magnum est hac in re piorum & impiorum discrimen. Impii & hypocritæ rebus prosperis multi sunt in orationibus, ita vt pii, dum prosperè habent, illis collati tepidissimi videantur. In aduersis verò, vbi Deum iratum sentiunt, ad creaturas confugiunt, Deum verò auersantur. Carent enim vera fide, nec vnquam Deum verè cognouerunt. Pii verò, etiamsi rebus prosperis nonnihil somnolentiæ ac negligentiæ in orationibus ostendunt, in aduersis tamen expergiscuntur: & licet iram Dei sentiant, ad rursus eum ipsum eiulando, querendo & precando conuertuntur. Perniciosum est & culpabile si rebus prosperis ad Deum non conuertamur: impietatis verò iudicium habet, si ne tristibus quidem ad eum petitrahamur, sicuti de Israele, Esa.9.c.13. & historia sacra de rege Asa, 2.Paralip.16.d.12 conqueritur. *Neque in ira tua corripias me.* [V] Castiges me. Videtur aliquid subaudiendum, quale illud quod ex Ieremia nuper adduximus, Ne fortè ad nihilum redigas me, Ierem.10.d.24. Peculiare enim est iratis & malè habentibus vt suos sermones concidant. [B] Cæterùm ira & furor Dei iudicium Dei significat horrendum, quod nemo euadit nisi qui hic precatur misericordiam. Et quum Deus cum tranquillitate iudicet, neque furor & ira sint in eo, tamen Scriptura non potest nobis ostendere qualis Deus appareat iis qui sentiunt iudicium eius, nisi loquatur more nostro de Deo vt de homine. veluti quum dicitur, Osculamini Filium ne fortè irascatur, & pereatis via, quando exarserit breui furor eius, Suprà, 2.c.12.

3 *Miserere mei Iehoua, quia infirmus sum: sana me Iehoua, quia territa sunt ossa mea,*

Miserere mei Iehoua. [M] Post deprecationem iræ & furoris Dei, gratiam & opem illius implorat. [C] Vnde melius patet, iræ & furoris nominibus non sæuitiam vel immodicum rigorem, sed tantùm iudicium notasse, quale Deus in reprobos exercet, quibus clementer tanquam filiis non parcit. Nam si de iusta pœnæ grauitate conquestus foret, nunc tantùm subiiceret, Moderare tibi, ne delicti mensuram puniendo excedas. Ergo ad solam misericordiam se conferens, nihil se aliud optare ostendit quàm ne secum iure agatur. [M] Notandum ergo quòd in miseria & calamitate constitutus, & opem Dei imploraturus, præmittit, Miserere mei Domine. hoc enim obtento, sequuntur reliqua omnia quæ rectè peti possunt. Quid enim impetrari ab eo non potest qui misereri cœpit? Misericordia Dei vnicum est omnium afflictorum refugium, & fons quidam omnium eorum quæ à miseris peti possunt. *Quia infirmus sum.* [V] vel debilis. [C] Quò Deus magis ad ignoscendum propensus sit, Dauid se propè deficere testatur. Infirmum enim (vt prius admonuimus) non se vocat quia ægrotet, sed quia deiectus ac fractus sit. Quia autem hunc finem in pœnis sumendis Deo propositum esse scimus vt nos humiliet, simulac ferulis eius subacti sumus, eius misericordiæ aperta est ianua. Adde quòd quum proprium sit eius munus infirmos sanare, iacentes erigere, fulcire debiles, mortuis denique vitam restituere, hæc vna ratio ad petendam eius gratiam nobis sufficit, si malis succumbimus. *Sana me Iehoua.* Vbi Dauid spem salutis non alibi quàm in sola Dei clementia sibi repositam esse testatus est, suámque deiectionem flebiliter in medium protulit, causæ subiicit suum effectum, sanitatem à Deo petens. Atque hic ordo nobis tenendus est, vt quicquid petimus à Deo bonorum, sciamus ex fonte gratuitæ bonitatis fluere, & pœnis tũc demum eximi postquam nostri misertus est. [M] Rectè ergo post misericordiæ implorationem sanitatem petit: vt discamus Dei misericordiam otiosam esse non posse, sed varia inde beneficia consequi. Qui miseretur esurientis, confestim huc permouetur vt famem cibando auferat si quidem id præstare poterit. sic qui ægroti miseretur, si id posset, mox sanitatem conferret. [A] qui vincto verè compatitur, eum libenter, si facultas adesset, è vinculis eximeret. Hunc in modum Deus quoties peccatoris miseretur, non potest (quippe & omnipotens & summè bonus) afflicto non succurrere, & misericordiæ suæ virtutem ostendere. *Quoniam territa sunt ossa mea.* [C] Confirmat quod nuper attigimus, se ex malorum grauitate spem concipere leuationis: quia Deus ad opem miseris ferendam eo promptior est quo magis vrgeri & fere obrui cernit. Porro terrorem attribuit ossibus. non quod sensu prædita sint: sed quia ea vehementia doloris totum corpus concutitur. Nec carnem nominat, quæ tenerior est: sed ossium nomine intelligit præcipuum robur suum fuisse tremefactum. [A] Vnde discimus quàm difficile sit eos posse subsistere qui serio iræ Dei sensu tanguntur.

4 *Et anima mea territa est valde: & tu Iehoua vsquequo?*

Et anima mea territa est valde. [C] Causam tremoris assignat, animam suam valde territam esse dicens. Nam copula causalem particulam valet. acsi dictum esset, Tam grauis est ac violenta interior cordis anxietas vt totum corporis robur conturbet. Nam animam pro vita accipi non conuenit. *Et tu Iehoua vsquequo?* [B] Plena affectus reticentia. Est enim ecliptica oratio ad exprimendam doloris vehementiam, quæ non animos modò tenet constrictos, sed fauces etiam, vt sermonem in medio cursu absorbeat. Sensus tamen hic in oratione abrupta ambiguus est. Quidam enim subaudiunt, Me affliges, vel corripere perges? alii, Quousque differes misericordiam tuam? Sed quæ proximè sequitur ratio, hunc secundum sensum magis probabilem esse ostendit, nempe dum optat Dauid se à Domino respici. Conqueritur ergo se nunc à Deo relictum esse, vel nullum haberi sui respectum: sicuti longè à nobis abesse videtur quoties eius auxilium vel gratia reipsa non apparet. Hoc autem nobis pro sua indulgentia concedit Deus, vt ipsum accelerare optemus ad opem nobis ferendam: vbi de mora conquesti sumus, ne votum nostrum vel dolor vltra metas erumpat, permittendum esse Dei arbitrio, ne aliter maturet quàm visum fuerit. [M] Notandum verò quòd non dicit, Et tu dolor, tu cruciatus, tu tremor ossium & animæ vsquequo? sed, Tu Domine vsquequo? Omnino significat se iamdudum respexisse, suspirasse, & à dolore quo afficiebatur sperasse releuationem: [A] sed non statim consequutum quod petebat. interea tamen ab orando & implorando non destitit. Ex quo discimus quàm assidua & perseuerans esse debeat piorum oratio, ne statim animum abiiciant, si eorum votis rogatus Deus mox non obsequitur.

5 *Reuertere Iehoua, eripe animam meam serua me propter misericordiam tuam.*

Reuertere Iehoua. [B] Redi Iehoua, inquit. [M] Ergo ab eo auersus discesserat? Certè videbatur ei Deus auersus, ac velut aliò se recepisse, quum tanto eum discruciari dolore sineret. [C] Ergo Dauid sicuti absentiam Dei nuper defleuit, nunc postulat sibi dari signum eius præsentiæ. Nam in eo sita est nostra fœlicitas, si à Deo respicimur. Putamus autem à nobis alienum eum esse nisi probet se habere curam nostri: [M] videmur autem adesse, quum res nostras nostro iudicio ac sensu prosperè ac fœliciter dispensat. Iudicabat itaque Dauid Deum iratum à se discessisse vbi mortis metu terrebatur, & toties opem eius frustra implorare videbatur. ideóque orat vt ad se redeat. hoc est, vt ira remissa beneuolum se ac seruatorem declaret. Certè qui sic sentit, fatetur antea adfuisse sibi Dominum, ac sese beneuolum ac clementem exhibuisse: verùm iam peccatis suis offensum auersum esse ac discessisse. Significat etiam pereundum omnino sibi esse, nisi ille propitius ad se reuertatur.

[c] Vltimo in discrimine versatum fuisse tunc Dauidem ex his verbis colligimus, dum animam suam eripi quasi ex mortis faucibus, & se in salutem restitui precatur. Morbi tamen nulla fit mentio: ideóque de genere afflictionis iudicium suspēdimus. *Eripe animam meam.* [m] E mortis videlicet periculo. Videtur Dauid præsentis vitæ in speciem plus æquo cupidus, dū tam ardenter animam suam in corpore diutius retinere cupit. Quid enim perit pio si in Domino moriatur? Responsio, Vox hæc carnis quidē est, quæ hoc à Deo accepit vt sit vitæ suæ amans: qua in re non peccat. adiunctam tamen habet veram erga Deum fidem, quæ inuocatione declaratur, Deóque hanc gloriam tribuit, quòd sit ipse verus & vnicus ereptor ac conseruator, vitæque ac necis dominus. At spiritualis iudicium ac desiderium aliter comparatum est in piis. Cupit ille liberari & eripi è corpore vanitati ac corruptioni obiecto, scitque nec se nec corpus mortis intercessione periturum. *Serua me propter misericordiam tuam.* [c] Rursus confirmat Dauid quod tertio versu attigerat de misericordia Dei, nempe liberationem se non aliunde quàm ab ipsa sperare. Quare nunquam miseriis suis remedium inuenient homines, donec propria merita, quorum fiducia se decipiunt, obliti, ad gratuitam Dei bonitatem confugere didicerint. [m] Non dicit, Propter bonitatem meam, nec suis meritis quicquam poscit à Domino: imò verò agnoscit se indignum qui eripiatur & seruetur, nisi adsit fons omnis boni, nempe ipsa Dei misericordia.

6 *Quoniam non est in morte memoria tui: in sepulchro quis confitebitur tibi?*

Quoniam non est in morte memoria. [v] Id est, qui mortui sunt, prædicare te non possunt, & celebrare laudibus in Ecclesia & cœtu superstitum. [c] Postquam omnia gratis in nos contulit Deus, nihil vicissim exigit nisi vt simus beneficiorum suorum memores. Ad hanc gratitudinem refertur quod dicit Dauid nullam in morte fore Dei memoriam, in sepulchro nullam fore eius laudem. Nam intelligit, si fuerit eius gratia à morte seruatus, gratum se ac memorem fore: deplorat autem hanc sibi facultatem ereptum iri si fuerit è medio sublatus: quia amplius non versabitur inter homines, vt Dei nomen celebret. [m] Q. d. Quomodo bonitatem ac gloriam nominis tui deprædicabo mortuus? quomodo laudabo te sepultus? quis recordabitur tui mortuus? quis laudabit te in fouea constitutus? Igitur vel gloriæ vel laudis tuæ respectu eripe animam meam, & serua me. *In sepulchro.* [v] In fouea. *Quis confitebitur tibi?* Quis celebrabit te? vel, quis te laudet? Repetitio est. Nam in morte & in sepulchro idem sunt. [a] Dauid erat gloriæ Dei longè studiosissimus: hanc statuerat & cœperat mirum in modum illustrare. si hinc migrasset, videbat futurum vt hostes sui, perditi & nefarii homines, obscurare illam pro viribus fuissent annisi. Hinc ergo tam anxiè orat vt in vita seruari, memorans mortuos & sepultos Dei beneficia in hoc seculo & inter mortales minime prædicare: iam par esse vt & hæc vita habeat qui conditoris bonitatem dignis laudibus extollat. [c] Porro hinc perperam & inscitè quidam colligunt mortuos carere omni sensu, nec vllum in ipsis vigere: quia nonnisi de mutua gratiæ Dei prædicatione agitur, in qua se viui homines exercent. Scimus enim ideo nos in hac terra locatos esse vt vno consensu & ore Deum laudemus, hunc que esse vitæ nostræ finem. Nunc quamuis mors finem afferat talibus præconiis, non tamen sequitur fideles animas corporibus exutas priuari intelligentia, vel nullo tangi Dei affectu. [a] Impius est igitur eorum error, & quauis peste nocentior, qui perinde hominem atque pecus, non corpore modò sed & anima emori statuunt. Loquitur hic Propheta non de eo quid spiritus post mortem in alio seculo faciant vel non faciant, sed quid homo mortuus in hac vita inter mortales facere nequeat, prius tamen ea animo facere cupiat. [c] Adde quòd in morte ipsa Dei iudicium apprehenderat Dauid: quod eum obmutescere cogebat, quoad laudes Deo canēdas. Nam quum sola Dei bonitas sensu percepta os nobis ad eum celebrandum aperiat, vbi ablata est hilaritas, laudes quoque cessare necesse est. Quare nihil mirum si ira Dei, quæ nos terrore absorbet, laudes eius extinguere dicatur. Atque hinc soluitur altera quæstio, cur Dauid mortem tantopere exhorruerit, quasi extra mundum nihil spei residuum foret. Docti viri tres causas numerant cur Patres sub Lege tanto constricti fuerint mortis metu: nempe quòd, gratia Dei nondum Christi aduentu patefacta, nonnisi obscuræ promissiones tenuem futuræ vitæ gustum dabant. Deinde, quòd præsens vita, in qua se Deus patrem declarat, per se sit optabilis. Tertio, quòd anxii erant nequa post suum discessum accideret in religione mutatio. Atqui non satis solidæ videntur istæ rationes. neque enim semper idem timor Dauidis animum occupauit, vtpote qui satur dierum animam in sinum Dei placidè suo tempore deposuit. Secunda autem ratio nobis hodie esset cum vetustis Patribus communis, quando magis illustribus documentis paternus Dei erga nos amor [illegible] in hac vita refulget. Nos verò (vt nuper diximus) in hac [illegible]onia Dauidis aliud considerамus, nempe quòd Dei vltoris manum sibi aduersam instare sentiens, metu obruitur, vt fere obstupescat. Idem & de Ezechia dicendum, quòd non simpliciter mortem sed iram Dei, & quidem non vulgarem, fuerit deprecatus, Esa. 38. a. 3. [m] Interea admonemur hanc debere nobis potissimam esse viuendi causam, vt diuinorum beneficiorum memoria impulsi, laudes Dei quotidie celebremus ac deprædicemus. Sed quotusquisque est qui ad hunc modū sit comparatus, cuius vita Deo no sit dedecori, vt si quærenda sit diuini numinis gloria, mors ad eam statuendam non magis quàm vita sit conducibilis?

7 *Laboraui in gemitu meo, natare facio omni nocte lectum meū, lachrymis meis stratum meum liquefacio.*

Laboraui in gemitu meo. [v] Defatigatus sum suspiriis meis, vel gemendo aut flendo. *Natare facio omni nocte lectum meum.* Præt. Hebr. pro præsenti. Id est, Vt videatur illic innatare. Alii, Macero, vt solent quæ aliquandiu in aquis retinentur & emolliūtur. [c] Quanquam hyperbolicæ sunt hæ loquutiones, non tamē poetice amplificat Dauid suum mœrorem: sed verè & simpliciter quàm durus acerbusque fuerit declarat. Nam semper illud tenendum est, non fuisse corporalibus malis tam grauiter vulneratum, sed quòd Deum sibi infestum cogitans, quasi apertos inferos cernebat: quæ tristitia alias omnes superat. Atque vt quisque sincerè Deo addictus est, eius ira durius percellitur. Quo factum est vt sancti, rara aliàs fortitudine præditi, tenerrimam mollitiem hac in parte ostēderint. Nec aliud nos impedit quàm carnis nostræ stupor quominus in nobis experiamur quod Dauid in se describit. Qui verò mediocriter experti sunt quid sit certare cum formidine æternæ mortis, nullum in his verbis excessum reperient. Quare sciamus Dauidē conscientiæ terroribus afflictum non vulgari modo seipsum cruciasse, sed fere iacuisse exanimem. [a] Dicit se laborasse suspirando & flendo, planéque fuisse defatigatum: eam lachrymarum vim singulis noctibus, quum dolor augeretur, fudisse, vt innatarit in eis lectus. [c] Quòd autem id per singulas noctes accidisse affirmat, hinc colligimus quasi longo dolore contabuisse, & tamen nunquam destitisse à precibus. [m] Meminit autem noctis ac lecti, quæ duo afflictis animis plurimum infesta esse solent. Redeunt enim noctu, [illegible] à reliquorum hominum commercio separati sunt, quæ a[illegible] cruciant & affligunt. Non est igitur commodius te[illegible] quàm noctis, nec aptior locus quàm cubilis ac lecti, ad suspirandum & clamandum ad Dominum.

8 *Caligauit præ ira oculus meus, consenuit propter omnes inimicos meos.*

Caligauit præ ira oculus meus. [v] Contabuit, putruit, veluti à tinea corrosus est, nitorem suum amisit oculus meus. aut, Facies mea tabida facta est, & senium contraxit, planéque deformata est præ summa indignatione, qua indignor hostes meos lætari ob afflictionem meam. Vel, Facies mea similis facta est panno à tineis corroso, aut similis faciei cadaueris. Id est, omnino obscurata est ob indignationem, &c. [c] Vel oculum sibi caligasse dicit: quia & animi dolor facilè ad oculos penetrat, & illinc se maximè profert. *Consenuit.* [v] Vel, inueterauit. [c] Quia verbum עתק interdum significat recedere è suo loco, nonnulli exponunt euanuisse vel fugisse oculorum aciem. Alii intelligunt timore qui ex fletu nascitur, absconditos fuisse oculos. Verbum tamen Consenuit simplicius est, quòd queratur Dauid quasi senio deficere oculos. *Propter omnes inimicos meos.* Sub. angustiis afficientes me, & vitæ meæ insidiantes. Ergo indignabatur inimicis suis, quorum spem & expectationem, simul & fictionem ac simulationem intelligebat, ac quid, si è medio sublatus esset, facturi essent, cogitabat. Accidit hoc multis bonis ac præclaris principibus, vt nequissimos habeant aulicos mortem ipsorum auidissimè expectantes: quos sciat, si voti compotes euaserint, sursum ac deorsum versuros omnia. Vsuuenit tale quid subinde & patribus familias, vel in vxoribus, vel liberis, vel aliis hæredibus. His omnibus sit hoc Dauidis exemplum solatio.

9 *Recedite à me omnes operantes iniquitatem, quoniam audiuit Iehoua vocem fletus mei.*

10 *Audiuit Iehoua deprecationem meam, Iehoua orationem meam suscepit.*

Recedite à me omnes operantes. [c] Postquam dolores suos & molestias exonerauit Dauid in sinum Dei, nunc quodammodo induit nouam personam. [a] Nam his versibus canit vt animum receperit, spéque fultus de ope Domini iam velut victor hostibus suis pie insultarit. [c] Porro non dubium est quin diuturno languore confectus fuerit, antequam ad hanc fiduciam emer-

geret, quia nuper vidimus multas ab eo noctes in continuo fletu consumptas fuisse. Nunc quo molestius ei fuit moræ tædium, alacrius ad canendum triumphum sese excitat. Sermonem verò in aduersarios dirigens, significat hanc non fuisse vltimam partem tentationis, quòd impii hominem tanquam perdito & desperato insultabant. Scimus enim quàm insolenter se efferat eorum superbia & crudelitas contra Dei filios, vbi cruce oppressos vident. Et huc eos Satan impellit vt ad desperationem adigat fideles, dum spem suam ludibrio haberi vident. [a]Prædicat ergo Dauid se tandem flebilibus querelis suis Deum exorasse, & admissam ab eo suam deprecationem: iamque planè exultat eò rem redisse vt à conatu suo nefario inimici sui repulsi sint, ac ita subitò pudefiant: idque ingenti cum perturbatione & terrore: eo quòd iam videant oportere eius quem tantopere oderant, & extinctum iri sperauerant, imperiū perferre. Facessere verò iubet inimicos, quos operatores vocat iniquitatis, viros scilicet subdolos & peruersos, sibique inimicos & insidiatores, quos aliquandiu tulit a se ferre coactos fuerat. Vnde discimus non esse rarum quòd impii piis aliquando insidiosè & inimicè iungantur. Huiusmodi exemplis plena est Scriptura. Nam ab initio iusto Abeli additus fuit impius Cain, Gen. 4. a. 6. Post ea inter medios impios ciues vixit Lot, Ibidē, 19. a. 4. Iacob inimicum habuit fratrem Esau, Ibidem, 27. f. 41. Ioseph suos fratres, qui non poterant cum eo quicquam pacificè loqui, Ibidem, 37. a. 4. Moses Chore, Dathan & Abiron, Numer. 16. a. 1. 2. Dauid sic Saulem, Doeg, Achitophelum, & ipsum quoque filium Absalom, Christus Iudam proditorem & reliquos falsos discipulos, Paulus falsos fratres. Facit hoc ad exercitandam piorum fidem, spem, charitatem & patientiam. [b]Locus verò præsens est de impiorum reiectione. [c]Sic enim à Deo constitutum est vt aliquando fiat impiorum à piis separatio, reiiciantúrque operarii iniquitatis. Est autem ista reiectio duplex. Primùm ita reiiciuntur à piis vt corpora tamen maneant, nec planè separentur. Ea reiectio est quando spe sua fraudantur, & quod astutè cōsultarunt conatique sunt, irritum redditur. Et hæc reiectio frequenter accidit in hac vita. Redeunt tamen ad ingenium, & quod vna via non successit, alia atque alia subinde aggrediuntur. Deinde alio modo reiiciūtur, quando ita discedere coguntur vt nunquam redire queant. Fit hoc partim in hoc seculo, dum morte auferuntur. Sic Saul à Dauide recedebat, nunquam reuersurus, Sodomitæ à Lot, Chore, Dathan, & Abiron à Mose & Aarone, Herodes à puero Iesu, &c. & ab Ecclesia multi falsi patres ac fratres, qui tyrannide gregem Domini afflixerunt: quemadmodum & illi operarii iniquitatis, qui hodie populum Domini opprimunt. Partim ac finaliter fiet hic impiorū discessus à piis in iudicio extremo, vbi omnino & in perpetuum à iustis separabuntur iniusti. Huc respexit Dominus quum partem hanc versus noni citauit, dicens, Multi dicent mihi illo die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? tunc tum confitebor illis, Nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem, Matth. 7. d. 23, & Luc. 13. e. 26. Præterea docet hic locus gratiam Dei piis vnicam esse vitæ lucem: simulac autem aliquod iræ suæ signum dedit Deus, non modò expauescere, sed fere demergi in tenebras mortis. rursus, vbi Deum propitium agnoscunt, vitam illis protinus restitui. [a]Notandum & illud, non vulgarem esse consolationis materiam, si cum Dauide certi fuerimus aduersarios nostros operatores esse iniquitatis. Nam malè haberet si operatores iustitiæ, homines pii, inimici nostri essent: tunc enim infensum nobis Deum haberemus. Nemo itaque turbetur admodum si videat se exosum esse nationi improrum: & rursum, nemo cōtemnat si sentiat se non esse acceptum generationi iustorum. *Quoniam audiuit Iehoua vocem fletus mei.* [c]Per vocem fletus nō modò vehementiam & ardorem designat, sed innuit se luctu & flebilibus querimoniis fuisse occupatum. [a]Quòd autem tantopere gaudet de hostium deiectione, perturbatione & ignominia, dilectioni sinceræ nihil aduersatur. Deplorati enim erant. Nihil verò debet optatius sanctis accidere quàm vt fiat quod bona sua voluntate decreuit Deus. Ideo non possunt nō gaudere & lætitia plenè exultare, vbi ita euenit, quantouis id cum malorum incommodo fiat. *Audiuit Iehoua deprecationem meam.* [a]Iterum de audita sua oratione gloriatur, & gaudet susceptam à Domino deprecationem suam. [M]Notemus ergo Dominum audire deprecationes & orationes suorum, etiam quum iratus videtur, quum eos propter peccata eorum castigat. *Iehoua orationem meam suscepit.* [c]Notandum quòd ter repetit Dauid exauditas fuisse suas preces: quo testatur liberationem se Deo ferre acceptam: & in hac fiducia se confirmat, quòd non frustra se ad Deum contulerit. Atque ita statuere oportet, siquem ex precibus nostris fructum percipere volumus, non fuisse surdas Dei aures ad vota nostra.

11 *Pudore afficiantur & turbentur valde omnes inimici mei, conuertantur, pudore afficiantur subitò.*

Pudore afficiantur & turbentur. [V]Q. d. Inimici mei, qui toti erant in expectatione mortis, pudore suffundantur, & valde terreantur, [a]quia diutius victurus sum quàm putarant. [c]Notanda hic est confidentia & securitas Dauidis quam sibi ex Dei fauore sumit. Nam hinc docemur nihil esse in toto mundo quod non despicere liceat, si persuasi sumus nos à Deo amari. Et simul tenemus quid valeat paternus erga nos eius amor. *Conuertantur, pudore afficiantur subitò.* [V]vel, Abeuntes pudefiant subitò. [M]Imprecatur Dauid hostibus suis confusionem, conturbationem & auersionem. [a]Vnde colligimus desperatos fuisse huiusmodi aduersarios, sicuti iam dictum est. [c]Et per aduerbiū Subitò vel Repentè significat, vbi deplorata videtur piorum salus, præter spem diuinitus ipsos eripi. Nam dum res cōfusas in lætū statum subitò Deus conuertit, eo magis illustrat & admirabilem reddit suam potentiam.

ARGVMENTVM PSAL. VII.

DAVID iniqua calumnia grauatus, Deum sibi patronum ac vindicem aduocat, eique tuendam commendat suam innocentiam. Ac primùm quidem testatur se non malè conscium sibi esse. Deinde ostendit magni referre ad Dei gloriam vt iudicium contra impios exerceat. Tertiò, vt se ad fiduciam animet, Dei bonitatem & iustitiam secum reputat, & promissionem in medium proponit. Postremò, quasi voti compos, hostium suorum stultitiam & irritos conatus deridet: imo Dei auxilio fretus, sibi promittit, quicquid machinati fuerint, in eorum perniciem cessurum.

SIGGAION *Dauidis, quod cecinit Iehouæ super verbis Chus filij Iemini.*

Siggaion Dauidis, quod cecinit Iehouæ. [M]Septuaginta & Hieronymus, Psalmus Dauidis. [?]R. D. Kimhi dicit siggaion fuisse ex instrumentis ad quæ Psalmi fuerint decantati. Aliis videtur esse concentus ad carmen modulandum. alii putant initium fuisse tritæ cantilenæ, ad cuius modulos Psalmum hunc Dauid cantari voluerit. Alii Hebraicum nomen oblectationē reddūt: [M]alii negotium, vel curam & solicitudinem. Alii ignorantiam, id est innocentiam, [a]acsi dicatur hic de Dauidis innocentia tractari. [c]Eorum opinio videtur maximè probabilis qui existimant certā fuisse melodiæ vel cantici speciem: vt si quis vel Sapphicū vel Phalecciū carmē dicat. *Super verbis Chus filii Iemini.* Hoc est, super calumnia qua grauatus fuit Dauid à Chus consanguineo Saulis. Nam hic sine figura proprio nomine exprimitur improbus delator, qui Dauidi odium ex ficto nomine conflauerat, siue à rege fuerit subornatus, siue fauorem captans, vltro Dauidem calumniatus fuerit. Scimus enim Dauidem vulgò magna infamia flagrasse, quasi in regem & socerum suum ingratus ac perfidus fuisset. Quanquam autem Saul ex familia Iemini fuit, nihil tamen absurdi erit, si dicamus vnum ex eius cognatis Dauidem falsò accusasse.

2 *Iehoua, Deus mi, in te spero: serua me ab omnibus persequentibus me, & eripe me.*

Iehoua, Deus mi. [M]Satis pathetico exordio ad Dominum clamat, & opem illius implorat. In hanc vocem non sine magno angustiati cordis affectu, nec sine suspiriis & lachrymis, nec semel tātùm, sed sæpius prorupit. [c]Non est superuacuum quòd Iehouam appellat Deum suum, sed hoc velut aggere opposito tentationum fluctus repellit, ne fidem suam obruant. [M]Significat etiam se alienum esse ab omni falsorum deorum cultu ac religione, nec vllo pacto cum illis communicare quī præter vnum ac verum Deum alios pro diis suis adorant & colunt. [?]Ergo à professione fidei suæ in Deum (vt sancti semper solent) precem auspicatur. Ex hoc enim omnis spes opis diuinæ pendet, si in vnius Dei bonitate fiduciam nostram locauerimus. *In te spero.* [c]Quòd Dauid præfatur Deo se confisum esse, in hoc verbo magna subest emphasis. Est quidem præteriti temporis, ideóque propriè vertendum esset, In te speraui, vel Confisus sum: sed quia tempora verborum subinde mutātur apud Hebræos, verti potius debet, Confido: præsertim quū satis constet continuum (vt loquuntur) actum notari. Neque enim fiduciam iactat Dauid à qua iam exciderit, sed quam cōstanter fouet in suis angustiis. Atque hæc vera est fidei nostræ probatio, quum rebus aduersis afflicti in Deo tamen sperare non desinimus. Hinc etiam colligimus clausam esse precibus nostris ianuam, nisi eam clauis fiduciæ aperiat. Notandum præterea in quem Dauid fiduciam ac spem suam collocet. Nec in Abraham, nec Isaacum, nec Iacobum, nec Mosen, &c. nec quempiam ex Angelis, sed in Deum suum. Pugnat ergo cum illis qui fiduciam ac spem collocant in sanctos, quos deos esse nec credunt, nec dicere possunt. *Serua me ab omnibus persequentibus me.* [a]Persequutores de quibus queritur, Saul & adula-

tores eius fuerũt, qui omnes in viri innoxii necẽ conspirabãt. *Et eripe me.* [A] Huiusmodi repetitiones quæ passim occurrunt, precandi ardorem & vehementiam significant. [M] Orat Dauid vt seruetur & eripiatur. Ergóne alienus est ab ea fide quæ animum securum ac imperterritum reddit? Nequaquam. Eadem vtrobique fides est, tam securitatem præstans quàm pro liberatione orans: nisi quòd aliter in tentatione, & aliter extra pericula loquitur. Itaque sic nobis securitatem per fiduciã in seruatorẽ Deũ nostrũ polliceamur, vt nihilominus in cõspectu ei⁹ humiliter prouoluti dicamus, Domine Deus noster, in te confidimus: serua nos, & eripe nos. [A] Et quoniã multos habet Christi Ecclesia aduersarios, orandum nobis est vt ab omnibus eam persequentibus seruemur & eripiamur.

3 *Ne fortè rapiat ut leo animam meam: lacerret, & non sit qui eruat.*

Ne fortè rapiat ut leo animam meam. [C] Superiore versu Dauid multos sibi hostes esse dixit: hoc autem versu vnum quempiã singulari numero designat. Et certè quum omnium animi in eum accensi forent, meritò ab omnibus suis persequutoribus eripi petiit. Sed quia impia regis crudelitas instar facis contra hominem innoxium totius populi odia inflammabat, meritò etiam in ipsum peculiariter stylum conuertit. Ita versu præcedenti rem describit qualis erat: nunc autem fontẽ vel causam mali ostendit. Et leonis similitudine Saulis sæuitiam amplificat, quò propensior sit Deus ad opem ferendam: sicuti hoc sibi munus vendicat, miseras oues è faucibus luporum eripere. [M] Admonemur autem hac similitudine leonis rapientis ac discerpentis, quid impietas faciat, si eos qui in magistratu sunt corripuerit. Erat Saul rex in populo Dei cõstitutus. Regis est pastorem esse ac defensorem suorum, maximè eorum qui per iniuriam opprimuntur, vt sit veluti patris loco. Sed ecce per impietatem conuersus in leonem persequutorem, raptorem ac discerpẽtem. Mira est hæc metamorphosis pastoris in leonem. Tanti interest in quem cadat potẽtia magistratus, piúmne vel impium. [A] Notum est quoque illud Solomonis, Vt leo rugiens & vrsus esuriens est princeps impius super populũ pauperem, Prouerb. 28. c. 15. *Et non sit qui eruat.* [M] Hoc facit ad periculi imminentis magnitudinem. Nam qui à priuatis reprobis inuaditur, potest per regem ac magistratum eripi, potest eum spe liberationis ad principem suum confugere ac liberari. Qui verò ab ipso rege & magistratu violenter & per iniuriam opprimitur, à quo postea potest eripi? ad quem confugiet? Exemplo hoc Dauidis fugiat ad Dominũ Deum suum, qui nonnunquam sua nos prouidentia in huiusmodi pericula conijcit, vt dum non est inter mortales qui nos è manibus potentum liberet, ad ipsum confugere cogamur. Illud quoque cogitemus, si horrendum est incidere in manus leonis, regumque ac potentum huius seculi, vnde nemo liberare queat nisi Deus noster: quanto magis horrendum sit incidere in manus Dei, è quibus nemo nos quantumuis potẽs eripere queat. Vnde dicitur, Intelligite quæso hoc qui obliuiscimini Dei, ne fortè rapiam, & non sit qui eruat, Infrà, 50. d. 22.

4 *Iehoua Deus mi, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*

Hîc Dauid vt sibi Deum conciliet, se iustè & nullum ob crimen vexari testatur. &, quò plus vehementiæ habeat testimonium, imprecatione vtitur. Nam siquid deliquit, paratum se esse dicit ad subeundam noxam: imò sese ad grauissima quæq; supplicia offert, nisi ab eo crimine prorsus immunis sit cuius eum fere conuictum omnes putabant. Quia autem non alia lege optat sibi à Deo succurri, nisi cõperta fuerit sua integritas, docet nos suo exemplo, quoties ad Deum confugimus, dãdam in primis esse operam vt probè nobis simus conscii de causæ nostræ iustitia. magnam enim ei iniuriã facimus, si eum necessere velimus malæ causæ patronum. *Iehoua Deus mi.* [B] Geminata inuocatio ardentem afflicti animi affectum indicat. *Si feci istud.* [C] Pronomen Istud de re vulgò nota eum loquẽ significat. Vnde colligere licet, calumniam quæ à Chus profecta erat, longè latéque sparsam esse. Quum autem iniustis hominum præiudiciis damnatus nihil remedii in terra cerneret, sese ad Dei tribunal recepit, ac satis habuit coram cælesti iudice suam innocẽtiam asserere. quod pios omnes imitari decet, vt contra peruersos rumores vnico Dei iudicio contenti sint. *Si est iniquitas in manibus meis.* Clarius iam profitetur nullum à se commissum fuisse crimen. [M] Non simpliciter dicit, Si malũ feci: sed, Si feci istud. Quapropter hæc particula, Si est iniquitas in manibus meis, de ea est iniquitate intelligenda cuius à Saule insimulabatur. Iniquitatẽ autẽ in manibus esse est rem iniquam moliri, etiamsi opere perfici nequeat. Habebat Iudas iniquitatem in manibus suis, quum proditionem Domini moliretur, Matth. 26. b. 14. 15. Et Saul, quum Dauidem innocentem persequeretur. Vnde dicebat ad Saulem Dauid, Animaduerte & vide, quoniam non est in manu mea malum nec iniquitas. Quum enim præciderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te, 1. Sam. 24. c. 12: Q. d. Si esset iniquitas ista in manibus meis cuius me gratia persequeris, potuissem illam vtique ipso opere perficere. Quod quia non feci, satis conspicuum est iniquitatem hanc non esse in manibus meis.

5 *Si retribui pacificè degenti mecum malum, & (si non) erui hostem meum sine causa.*

Si retribui pacificè degenti mecum. [C] Duas species commemorat: quòd iniuriam nullam intulerit: quin potius studuerit hostes suos iuuare, à quibus tamen sine causa læsus fuerat. Sic autem resolui debet hic versus, Si quem in pace lacessiui, ac non potius suppetias tuli indignis qui me gratis persequebantur. Nam quum vulgò exosus foret Dauid, acsi regnandi cupiditas eum ad perfidam defectionem impulisset, & struendas Saulis insidias, cui obstricta erat eius fides, priore membro ab illa infamia se purgat. Ideo fortè Saulem vocat pacatum suum, quia iure regio sanctus ac tutus esse debebat, nequid hostile in eum tentare fas esset. Quanquam potest hoc nomen indefinitè accipi, acsi dixisset, Nemo qui modestè se ab iniuria continuerit, ac se humaniter erga me gesserit, verè queretur se fuisse vllo meo maleficio offensum. Et tamen ita vulgò persuasi erant de Dauide, in media pace eum mouisse graues turbas, & causam dedisse bello. Vnde melius apparet, modò probetur Deo, in hac sola consolatione acquiescere. [A] Interea agnoscit hoc esse filiorum Dei officiũ vt inter homines pacem, quantũ in ipsis est, foueant. quod si aliorum culpa turbæ excitentur, & tamen falsis calumniis grauentur pii, acsi dissidiorum essent authores, hoc vnum illis sufficiat, se coram Deo ab omni contentione esse immunes. *Et si non erui hostem meum sine causa.* [C] Nunc longius progreditur, nempe quòd non tantùm bonis amicus fuerit, sed etiam improbis, nec tantùm se cohibuerit ab omni vindicta, sed opem tulerit inimicis, à quibus graues iniurias perpessus erat. Et certè non admodum præclara virtus esset bonos & placidos amore prosequi, nisi in malis quoque patienter ferendis moderatio & æquitas accederet. Vbi verò quispiam non modò acceptas iniurias non retaliat, sed malum beneficentia vincere conatur, verum specimen diuinæ virtutis exhibet, atq; hoc modo vnum se ex filiis Dei esse demonstrat: quia nonnisi à Spiritu adoptionis talis mansuetudo procedit. Sic enim loquitur Christus, Diligite inimicos vestros, benè precemini deuouentibus vos, benefacite iis qui vos odio prosequuntur, & orate pro iis qui lædunt & insectantur vos: vt sitis filii Patris vestri qui est in cælis: quia solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, &c. Matth. 5. g. 44. [F] Quod ad verba spectat, quia חלץ Diuidere significat, quidã, vt nihil subaudiant, ita exponunt hunc locum, Si ego me subduxi à persequutoribus, quin suppetias illis ferrẽ. Receptior tamẽ est altera interpretatio, vt sit eripere vel eruere à periculo: quia separamus quæ volumus in tuto locare. Ita subaudienda erit negatio: quod in Psalmis non rarò fieri videbimus.

6 *Persequatur inimicus meus animam meam, atque comprehendat, & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem collocet. Selah.*

Persequatur inimicus animam meam. [B] Hæc deuotio admodum vehemens est, quia animi sibi optimè conscii. [C] Magnum enim optimæ fiduciæ signum, quòd nullam quantumuis atrocis pœnæ speciem recuset Dauid, si in maleficio deprehensus fuerit. Talem conscientiam si possemus coram Deo afferre, promptior ad ferẽdum nobis statim auxilium esset eius manus. Sed quia sæpe fit vt qui nos infestãt, prouocati à nobis fuerint: vel quia offensi ardemus studio vindictæ, indigni sumus quibus Deus succurrat: imò ianuam nostra intemperies precibus nostris claudit. Persequatur, inquit, inimicus animam meam. [M] Atqui hoc alioqui faciebat: verùm iniustè faciebat: deinde non consequebatur quod volebat. Cupiebat enim ipsum prorsus extinctum, & gloriam illam quam in populo Dei cõsequutus fuerat, prorsus delere ac proculcare satagebat. Hoc erat impio Saulis consilium ac propositum persequendi Dauidem. [C] Quare Dauid dicit se hostium libidini subiici paratum esse, vt vitã suam comprehendant, &c. siquod in se crimen deprehẽsum fuerit. [B] Animæ nomine seipsum vel corpus suum intelligit: idquod in Scripturis non rarò fit. *Et conculcet in terra uitam meam.* Id est me. [V] Nam vitæ in terram conculcatio est vitæ extinctio. *Et gloriam meam in puluerem collocet.* [C] Hoc est, prostituar denique eorum ludibrio, vt etiã mortuus æternæ ignominiæ subiaceam. Quanquam nomen כבוד quidam pro vita sumi volunt, vt iterũ idem repetat. Sed plenior videtur fore sensus si referas ad memoriam. acsi dixisset, Nõ modò me hostis

perdat, sed mortuum quoque afficiat probris omnibus, vt nomen meum in luto vel stercore habitet. Ergo gloriæ in puluere collocatio est nominis & memoriæ qua sibi ipsis boni superstites sunt, (in memoria enim æterna viuit iustus, Infrà, 112. b.6) abolitio. Possumus hic obiter annotare dignam esse malorum hominum gloriam quæ in puluere sepeliatur. Qui dignus nō est vt viuat, dignus vtique non est vt in gloria viuat. Vt viuat autem dignus non est in cuius manibus est iniquitas. Ergo iniquorum & reproborum hominum gloria digna est quæ extinguatur: quæ etiam omnium certissimè extinguetur, & in confusione sepelietur. *Selah.* Adscripta est hæc vox quia memorandum hic candidi & in omnes etiam hostes beneuoli animi exemplum descriptum est.

7 *Surge Iehoua in furore tuo, euehere in hostium meorum indignationibus: & euigila super me ad iudicium quod præcepisti.*

Surge Iehoua. Iam Propheta confugit ad iustum Dei iudicium, & hostium suorum indignationibus iram Dei opponit: atque idem nobis in simili rerum nostrarum statu agendum. Nam dum ardent impii, & ad nos perdendos furoris sui flammas proiiciunt, rogandus est Deus vt ipse quoque incalescat. hoc est, re ipsa ostendat non minus sibi esse zeli & potentiæ ad nos seruandos. Surgendi verbum metaphoricè sumitur pro conscendere tribunal, vel se accingere ad resistendum: quia dormire videtur Deus quàdiu auxilium suum differt. Ideo rogat etiam paulo pòst Dauid vt expergiscatur: quis hoc instar obliuionis erat, miserum & oppressum omni ope destituere. Orat ergo vt exerat potentiam suam. *In furore tuo.* Id est, iratus. q.d. ostende te illis esse iratum. Ira vt motus est & excitatio animi antea quiescentis ac placidi, ita & corpus quoque aliàs quietum, siue id sedeat, vel taceat, excitat, & ad vindicandum impellit. Sic ergo Propheta & Deum per anthropopathiam ad vindictam excitat. *Euehere in hostium meorum indignationibus.* Alii, propter indignationes hostium meorum, contra commotiones, vel ob furores. Id est, commoueant te hostium meorum conatus pleni furore & stomacho. Vel, Euehere. id est, altum & potentem te ostende ad opprimendos hostium meorum conatus. Deus quidem perpetuò sublimis est, nec aliquid excellentiæ illius ain se potest addi: verùm non semper talis in oculis mortalium est qualis est in seipso. Perinde enim atque solis splendor in se quidem perpetuò idem est, non tamē idem semper mortalibus apparet, (videlicet quum vel nubecula quadam tegitur, vel noctu à nobis digressus est, vel eclipsin nō ipse in se, sed hæc inferiora sub ipso patiuntur) ita & sublimitas illa Dei nunquam vllam humiliationem in se passa, mortalibus tamen videtur deiici quando in hoc seculo pro libidine sua quiduis possunt homines impii, & pii periclitantur: exaltari contrà, quando impii deiiciuntur, & pii asseruntur. Admonemur ergo hac particula quò potissimum spectare debeamus, quando contra impiorum Insolentiam iudicium Dei imploramus: nempe vt excellentia diuinæ maiestatis declaretur. *Et euigila super me ad iudicium quod præcepisti.* Expergiscere ad me ob ius regni quod præcepisti. id est, cura vigilantissimè vt regno potiar, quod tuo iudicio mihi decreuisti. fac tandem potiar iure regni quod contulisti, ad quod iuxta præceptum tuum inunctus sum à Samuele, reiecto Saule. Ostendit Dauid nihil se petere nisi ex Dei præscripto. Atque hæc nobis in precibus tenenda est regula, vt vota nostra formemus ad eius voluntatem: sicuti etiam Iohannes admonet, 1. Epist 5.c.14. Nec sanè aliter ex fide concipitur oratio, nisi dum in primis respicimus quid Deus præcipiat, ne temere vel fortuitò prosiliant animi nostri ad appetendum plusquā licet. quemadmodum duobus filiis Zebedæi contigisse legimus, Marc.10.c.35. Dauid ergo vt rite precetur, in verbum Dei & promissionem recumbit. acsi diceret, Domine, nō me aliqua ambitio vel stultus impetus, vel prauum desiderium impellit vt inconsideratè petam quicquid carni meæ arridet: sed mihi prælucet verbū tuum, cui securè innitor. Nam quū Deus vltro ipsum vocasset ad spem regni, eiusdem partes erāt seruum quem delegerat, tueri & asserere. Itaque perinde est acsi dixisset, Quum ego priuata sorte contētus essem, tibi placuit me regem creare: nunc ergo tuū est causam hāc suscipere contra Saulem & eius asseclas, qui tuum decretum euertere moliuntur, dum me oppugnant. Eodem sensu dixit in superioribus, Cadāt à consiliis suis, in multitudine scelerum suorum disperde eos, quia rebelles fuerunt tibi, Suprà, 5.c.11. Verbum עורה posset etiam transitiuè accipi pro erigere vel stabilire Dauidi ius suum: sicuti iam diximus. Summa tamen huc redit, quòd Dei vocatione fretus, manum sibi ab eo porrigi cupit. Ideòque fidelibus cauendum est ne has metas excedant, si Dei præsidium sibi adesse cupiunt. Nititur Dauid omnino veritate & immutabilitate decreti Dei, certus fieri non posse vt non tādem in effectū abeat quod à Deo semel constitutū esse sciebat, quantumuis Saulis impietas & tyrannis repugnare videretur. Sit ergo & nobis petra quædam immobilis, qua nitamur, ista verbi Dei veritas, à qua nos nullis humanarum ac terrenarum rerum spectris auelli sinamus.

8 *Et congregatio populorum circundabit te. & propter hanc in excelsum reuertere.*

Et congregatio populorum circundabit. Versus iste variè exponi solet. Nam quidam Hebræorum illum versui superiori iungunt, hoc sensu, Expergiscere ad me, & fac vt potiar regno quod contulisti. Nam congregatio populorum circundat te: itaque aduersus eam in altum reuertere. Oppugnat te, inquit, populorum congregatio, quum me oppugnat: itaque conscende tribunal aduersus multitudinem illam, quod iampridem reliquisse videris, propterea quòd improbum hostem non punias. Alludit ad locum in quo iudices solent ferre sententiam, qui editus & altus esse solet. Alii ad populum Israeliticum restringunt, acsi promitteret Dauid, simulac in regni solium euectus foret, se operam daturum vt populus, antea dissipatus, iterum coalesceret in purum Dei cultum. Nam sub Saule vel neglecta fuerat religio, vel tanta scelerum licentia grassata fuerat vt pauci ad Deum respicerent. Ergo secundum illos interpretes sensus est, Domine, vbi regem me constitueris, totus populus ex vaga cōfusaque alienatione in viam redibit, vt agnoscant omnes te in medio sui præsidere, téque vt regem vnicum adorent. Sed longè aptior est eorum opinio qui hoc communiter de multis populis dictum accipiunt. Fructum enim liberationis suæ hic commendat Dauid, quia longe latéque patebit eius fama. acsi dixisset, Domine, regnū mihi asserendo non priuatim modò hoc beneficium cōferes in meam personam, sed commune multis populis documentum erit iusti tui iudicii, vt oculos conuertant ad tuum tribunal. Alludit enim Dauid ad coronā populi, quæ regem suum in solenni conuentu circundare solet. Hinc verò apparet quàm fuerit studiosus Dauid gloriæ Domini, quum hoc sibi proponeret futurum, vt Deus serui sui memor liberator & vindex palàm magnificaretur. Hunc scopum sibi propositum habeant quotquot filiorum Dei titulo gloriantur. *Et propter hanc in excelsum reuertere.* In eundem sensum subiicit vt Deus, qui ad tempus in silentio iacuit, in sublime se attollat, vt gloriam suam conspicuam reddat non vni vel alteri, sed totis populis. Subest enim tacita comparatio, etiamsi vnius hominis ratio habenda non sit, esse tamen consentaneum vt Deus mūdum in metu & reuerentia iudicii sui cōtineat. Propter hāc, inquit, in excelsum reuertere. hoc est, Conscende tribunal, vt iudices. q.d. Dum finis impios tyrannos regnare, videris solium regni tui reliquisse: quum verò tuorum te declaras vindicem, videris illud repetere, & iterum in excelsum conscendere, vt iustè & fœliciter omnia administrentur.

9 *Iehoua iudicabit populos: iudica me Iehoua secundum iustitiam meam, & secundum integritatem meam quæ est in me.*

Iehoua iudicabit populos. Pendet hæc sententia ex proximo versu. Precatus fuerat Dauid vt Deus se populis iudicem ostenderet: nunc sumit hoc pro certo & confesso, proprium esse Dei munus iudicare populos. Nam futurum verbi tempus (vt in generalibus sententiis) continuum actum denotat. Neque hic de populo vno tantùm loquitur, sed cunctas gentes comprehendit. Nam quia Deum agnoscit totius mundi iudicem, inde postea ratiocinatur causæ suæ & iuris assertorem fore. *Iudica me Iehoua secundum iustitiam meam.* Q.d. Domine tú solus es ad quem pertinet pronuntiare inter populos, quicunque illi fuerint: tu enim es totius mūdi iudex æquissimus. iudica igitur hostes meos, causam meam tuere, & ostende me harum inimicitiarum non esse authorem. Porro hoc nobis, quoties deserti oppressique videmur, in memoriā redire debet, quia Dei est mundum gubernare, nequaquam fieri posse vt munere suo se abdicet, nihilo scilicet magis quàm vt abneget seipsum. Ex hoc fonte, quantumuis lōga malorum series nobis incumbat, fluet perennis consolatio: quia tutò colligere licebit tutandæ nostræ innocentiæ illi fore curam. absurdū enim foret, eum qui multis populis præest, hominem vnum negligere. Neque enim idem quod terrenis iudicibus illi cōtingit, vt in magnis & publicis negotiis occupatus, priuatas causas negligat. Rectè ergo Dauid implorat iudicium Dei, postquam illi potestatem iudicandi de omnibus tribuit. *Et secundum integritatem meam quæ est in me.* Ad verbū, Et secundum integritatē meam super me. vel, quæ est super me, siue in me. Redundat Quæ est in me, quum Meam dixerit. Iterum suam integritatem in medium profert, ne videatur (sicuti solent hypocritæ) falsò Dei nomen obtendere. Nam quia personas Deus non accipit, nonnisi ex causæ bonitate sperandum est vt stet à parte nostra, nobísque faueat. Peccatores enim,

vt inquit ille, Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit, Ioh. 9.f.31. Et alibi, Re ipsa comperio quòd non sit personarũ respectus apud Deum, sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi, Act.10.f.34. [c]Sed quæritur quomodo suam integritatem iactet coram Deo Dauid, qui alibi deprecatur eius iudicium, [a]dicens, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens, Infrà, 143.a.2. [c]Solutio facilis est, quia hic non agitur quomodo respondeat si exigat ab eo Deus totius vitæ rationem: sed se hostibus suis comparans, non frustra se eorum respectu iustum esse asserit. vbi autem pro se quisque sanctorum in Dei iudiciũ prodit, longè diuersa est ratio: quia tunc vnicum illis asylum superest in misericordia Dei. [m]Non est ergo insolens si vir innocens iustum se & integrum esse in loco glorietur. Aliàs coram Deo iustus primùm est accusator suiipsius, Prouerb. 18. c.17. Verùm contra populi ingratitudinem recenset Samuel iustitiam & integritatem suam, 1.Sam.12.a.3. [a]Moses quoque, Num.16.c.15. & passim Paulus Christi Apostolus contra pseudoapostolos ministerii sui integritatem, diligentiam & efficaciam commẽdat, præcipuè verò, 1.Cor.4.a.1, & 2 Cor.3.a.1, & 4.b.5. Ergo sancti ex Spiritu Dei sciunt pro se Deũ iudicaturũ, & iustitiam qualemcunque dedit, contra eos qui omnis iustitiæ hostes sunt, defensurum. Inde ergo confidunt, & fiducia id ipsum quod pro sua iustitia facturum Deum, indicante & persuadente Spiritu sancto, non dubitant, orant, ac orasse postea in exemplum aliis deprædicant: nihil sibi tamen in his omnibus, sed diuinæ bonitati cuncta tribuentes.

10 *Cesset quæso malitia impiorum, & stabili iustum: quia probans corda & renes Deus iustus.*

Cesset quæso malitia impiorum. [v]Futurum Hebræum pro imperatiuo. [c]Precatur vt Deus impiorum malitiæ modum & finem imponat. Vnde sequitur diuturnam non exigui temporis fuisse crucem. [a]Quòd si verbum גמר transitiuè accipiatur, pro Perdere vel consumere, (vt nonnulli legunt, Consumat quæso malum impios) optaret Dauid vt malum quod cõcipiunt impii, Deus in ipsorũ capita retorqueat. [c]Simplicius tamen videtur illud, vt Dauid suis molestiis exitum dari postulet. ideóque votum à fine mox sequitur. *Et stabili iustum.* [v]Et dirige. [c]Nam vtrumuis modo legas, parum interest. Sensus enim est, vt Deus iustos iniustè oppressos restituat & fulciat: vt constet eos diuinitus in suo statu manere. [a]q.d. Illi aduersarii mei sunt, tu verò inter nos iudicare debes. Deficiat ergo, desinat ac facessat noxa & malitia improborum, qui me nullo meo in eos peccato affligunt, & des seruo tuo rerum successum. *Quia probans corda & renes.* [c]Copula hoc loco non ineptè in causalem particulam resoluitur. neque enim dubium est quin addita ratione precationem suam confirmet Dauid. Quanquam autem iam tertiò ostendit se bonæ conscientiæ testimonio fretum audacter accedere, plus tamen exprimit quàm antea, quòd non externis tantùm operibus integer extiterit, sed arcano etiam cordis affectu puritatem coluerit. Ac videtur fiduciam hanc hostium suorum insolentiæ opponere, à quibus probabile est tales calumniarum nebulas fuisse in vulgus sparsas, vt miserum hominem cogerẽt cor & renes suos Deo in examen offerre. Fieri etiam potest vt fucosos illis prætextus excutiat, quibus satis habebãt homines decipere. Ostendit enim, licet theatri plausum tulerint, hoc nullius esse momenti: quia mox ad Dei tribunal venturi sint, vbi non de titulis vel externo splẽdore operum, sed de cordis integritate erit cognitio. [a] Vtilis certè doctrina. [m] Notatur enim hic cordis humani profunditas, quæ iudicio mortalium est inaccessa. Prauum est, inquit Propheta, cor hominis & inscrutabile: & quis cognoscet illud? Ierem.17.b.9. Et alius, Væ qui profũdo estis corde, vt abscondatis consilia, Esa.29.e 15. Ex hoc fonte omnis generis impostoræ, fallaciæ, insidiæ & machinamenta, quibus simpliciores quotidie decipiuntur, emanant. Videmus interea Deum non latere cordium ac renum secreta: imò eum esse solum qui verè illa cognoscat: sicuti dicitur, Tu solus nosti corda filiorum hominum, 2. Paral.6.e.30. Et quum Propheta dixisset, Prauum est cor hominis & inscrutabile: & quis cognoscet illud? subiecit, Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, Ierem.17.b.9. Quæ particula nobis ad hoc seruit vt sincero corde agamus cum Deo & hominibus, nec dicamus, Deus nõ intelligit. Partim etiam ad consolationẽ facit, contra reprobos qui nos falsò accusant, vt secura consciẽtia causam nostram Deo cognitori omnium commendemus. *Deus iustus.* Ostendit solum Deum esse iustum iudicem, eo quòd non iudicet secundum dicta vel facta, sed secundum corda & renes. Iudicia humana plerunque fallunt, quia falluntur ipsi iudices: non fallit autem iudicium Dei, quia nõ fallitur Deus probans corda & renes. [v]Qua de re vide Rom.2.a.2. vbi de iudicii Dei veritate aduersus hypocritas disputat Apostolus.

11 *Clypeus meus super Deum, qui seruat rectos corde.*

Clypeus meus super Deum. Clypeum pro fiducia per transnominationẽ accepit: nec aliud est quod dixit quàm si posuisset, Fiducia mea in Deo est, &c. Clypeus enim, quũ à iaculis tegatur, fidentem reddit & securũ. Id hic à Deo expectat. [c]Nec mirum est quòd subinde precibus meditationes permisceat, quibus se ad fiduciam animet. Quãtumuis enim alacriter ad Deũ feramur, statim labascit vel ad languorem inclinat ardor noster, nisi vires nouas colligat. Ergo vt eodem tenore preces suas continuet Dauid, sententias sibi ex communi pietatis doctrina suggerẽs, fidẽ suam fouet atq; etiam excitat. *Qui seruat rectos corde.* Dicit Dauid, quia Deus rectos corde seruat, se eius præsidio satis munitum esse. Vnde sequitur rectè sibi fuisse conscium. Quum autem non iustos simpliciter, sed rectos corde dicit, videtur ad interius illud cordis & renum examen respicere. [m] Itaque hic vsus est fidei huius, qua Deum credimus esse probatorem cordium. Ad quid nobis conducit quòd cordium nostrorum rectitudinem probat? An hoc per curiositatem facit? Nequaquam. Facit hoc tanquam Deus & iudex iustus, vt reprobos perdat, ac rectos corde seruet: quod etiam facit. Quapropter notandum est quòd non dicit, Qui seruare potest, sed, Qui seruat rectos corde.

12 *Deus iudicans iustum & contemptorem Dei quotidie.*

Deus iudicans iustum. [a] Variè legitur & exponitur hic versus. Nam sunt quibus hæc lectio placet, Deus iudex iustus, & Deus irascitur quotidie. Sed lectio quam sequuti sumus, ad præsentem causam melius quadrat. Quia enim hoc suis maledictis adepti erant Saul & similes vt Dauidem totus ferè populus damnaret, hac se vna spe pius vir sustentat, quòd Deus, rebus in mũdo confusis, discernit tamẽ inter iustos & impios. Itaque à peruersis hominum iudiciis ad eum prouocat qui falli non potest. Sicuti sanctis viris solenne est, spretis cæcis hominum iudiciis, ad Dei tribunal prouocare, Iob 16. d 19, & Ierem.20.b.7, & Paulus, 1. Cor.4.a.4. [m]quod plurimum valet cùm ad terrendum reprobos, tum ad consolandum per iniuriam oppressos. [c]Quæritur tamen quomodo quotidianum iudiciũ Deo tribuat Dauid, quem videmus pœnas in longum tempus sæpe differre. Et certè Scriptura non abs re eius μακροθυμίας prædicat. Sed quanquam nõ statim iudicia sua exequitur, quia nullum tempus est, imò nullus dies præterit, quo non certis documentis probet, quæ permista sunt in mundo, à se discerni: fixum hoc manet, nunquam eum ab officio suo cessare. Quisquis enim oculos attollet ad considerandum mundi regimen, clarè videbit patientiam Dei longè à conniuẽtia differre: certè fideles de die in diem ad eum intrepidè cõfugiunt.

13 *Nisi conuersus fuerit, gladium suum acuet: arcum suum tendit, direxit illum.*

14 *Et ei parauit vasa mortis, sagittas suas persequentibus aptauit.*

Nisi conuersus fuerit. [v]Quidam hunc versum cum sequenti referunt ad Deum, & eius nomen subaudiunt. acsi dictum esset, Si non resipiscat hostis meus, sentiet tandem Deum suis armis instructum esse ad tuendam iustorum salutem. Hoc sensu versus 15 erit causæ redditio: quia impii quum meras violẽtias concipiãt, parturiãt iniquitatem, & fraudes pariant, rectà Deum impetunt, & ex professo in certamen prouocant. Sed rectius alii vno contextu legunt versum hunc 13 cum mox sequenti: vbi Dauid horribiles hostium conatus referens, Dei gratiam hac descriptione magis illustrat. Nam quum validis copiis & armorum apparatu moniti furiosè in eum irruerẽt, nihil nisi exitium sperantes, quis non dixisset de ipso actum esse? Dicit ergo, Nisi conuersus fuerit. hoc est, nisi sententiam mutauerit, [a]aut impeditus ab alio fuerit hostis meus. [c]Nã conuersio hic non pro resipiscentia, sed tantùm pro diuersa volũtate accipitur: acsi dixisset fuisse in arbitrio hostis quiquid dictasset libido perficere. Vnde melius apparet quàm admirabilis fuerit quæ repentè præter spem sequuta est mutatio. *Et ei parauit vasa mortis.* [c]Quum dicit Saulem parasse arcui suo instrumenta mortifera, significat nihil mediocre agitasse, sed illi fuisse decretum lethaliter vulnerare quem petebat. Subest tamen ironiæ species, dum Dauid sibi mortis formidinem ab hostibus suis proponit. Nam tantundem est acsi dixisset, Nisi animi propositum mutauerit hostis meus, vel impetum suũ ac vires aliò conuerterit, quis impediet quominus sub eius manu peream? [b]Nam gladium suum continuò acuit, arcum tẽdit & collimat. hoc est, in omnem intentus occasionem est vt me perdat, nihil non huius causa tentat, nihil non experitur. [c] Et quum illi arma suppetant, cædem meam modis omnibus machinatur. [a] Quomodo igitur ipse nudus & inermis tam for-

midabilem hostem vincere potero? quomodo non in illius manus incidam? Saulē verò propriè designat. ideóque dicit, *Sagittas suas persequentibus aptauit:* quia Saul multos habebat ad manū satellites, qui operā suam libenter ad perdendū Dauidē locassent.[v] דֹּלְקִים Ardentes quidam vertunt: quia hæc quoque verbi significatio est apud Hebræos: sed persequentium nomen præsenti loco magis conuenit. Cōqueritur autem Dauid, sibi non ab vno tantùm homine fuisse timendum, sed à magna turba: quia Saul multos persequutores in hominē miserum & profugum armabat. Ergo Prophetæ consilium fuit ex periculi magnitudine ingentē Dei gratiam extollere.[a] sicuti Moses ante Pharaonis submersionem describit regis illius potentiam, industriam, animi magnitudinem, qua sperabat mox reducturum populum Dei: vt tandem Dei potentiā illustriorem redderet, qui potuit momento tanti regis ferociā reprimere, imò verò regem ipsum cum toto exercitu perdere ac prorsus delere, Exod. 14. b. 7.

15 *Ecce parturiet iniquitatem, & concepit prauitatem, & pariet mendacium.*

Ecce parturiet iniquitatem. [a] Hactenus quàm formidabile instaret discrimen exposuit Dauid: nunc superbos conatus Saulis cum magnifico apparatu deridens, irritos cecidisse prædicat. [b] Et, quò viuacius exprimeret quàm improbè & obnixè Saul cum suis in suam perniciem incubuerit,[c] & quàm potenter Deus restiterit, miraculum amplificat in re inopinata, per aduerbium demonstrandi. Ecce, inquit, quum iniquitatem enixus fuerit, sicuti molestiam conceperat, demum exiit inanis flatus ac vanitas: quia Deus praua eius consilia frustratus est. iniquitas & molestia pro quibusuis iniuriis sumuntur, quas Saul Dauidi inferre cogitabat. Hac metaphora & alias Scriptura vtitur, Concipietis quisquilias, parietis stipulam, Esa. 33. b. 11. Quanquam autem in verbis ordo inuersus esse videtur, quia parturire antè ponitur quàm concipere, aptissimè tamen distincti fuerunt gradus, modò ita resoluas, Ecce iniquitatem parturiet, quia molestiam concepit. hoc est, sicuti pridem apud se meditatus est mihi perniciem, ita infrire conabitur. Postea addit, *Et pariet mendacium.* quia spe sua deceptus fuerat, quemadmodum dicit Esaias 26. e. 18, ventum parere incredulos, quorum prauæ audaciæ non respondet euentus.[m] Porro notandū est in hisce metaphoricis verbis, quàm sit intimum, feruens, irremissum & improbum malorum hominum studium perdendi pios & innoxios, quod corde conceptum pertinacissimis conatibus ad effectum ducere nituntur. Cōceptus rerum bonarum in mentibus reproborum non hæret. id quod in ipso Saule patet, qui innocentiam quidem Dauidis agnouisse, cùmque illo in gratiam rediisse legitur, 1. Sam. 24. d. 18. Verùm mox ad ingenium reuersus iterum eum persequutus est: sicuti videre est ibidem, 26. d. 21. 25. Denique quum secundò iam reconciliatus esset Dauidi, neque sic tamē à malitia sua destitit. Quod etiam ipse Dauid futurum cogitabat: ideóque ad Philistæos se recepit, sicut legitur 1. Sam. 27. a. 1. Vbi ista scribuntur, Et nuntiatum est Sauli quòd fugisset Dauid in Gath, & non addidit vltra quærere eum, ibidem, versu 4. Perspicuè significat Scriptura non fuisse reconciliationem illam, licet secundò initam, in animo Saulis constantem se firmam: verùm conceptus ille afflictionis & parturitio iniquitatis pertinax erat. imò ne in bonorum quidem mentibus tanta est firmitas, tanta vis & improbitas, tanta sedulitas bonorum conceptuum, quanta est malorum in animis reproborū. Exēplo sit nō hic modò Saul, sed & Iudas proditor, Scribæ ac Pharisæi. In eo verò quod subdit Propheta impios & persequutores mendacium parere, ampla consolationis materia nobis proponitur. Significat enim ipsos spe sua falli, atque prauos eorum conatus Dei prouidentia irritos fieri.[c] Quoties ergo videbimus impios de nobis perdēdis consilia coquere, nobis in mentem veniat ipsos sibi mentiri. Cæterùm patienter feramus si vsque ad partum non appareat frustratio.[a] Nam reprobi multa aduersus Dei filios moliuntur, & ipsis negotium faciunt, eos persequuntur, variis deinde cruciatibus afficiunt: neque tamen desinunt mendacium tandem parere, quia quod volebant nunquā verè assequuntur.[m] Exemplo fuerint Iudæi, qui etsi Christum occiderunt, non tamen pepererunt quod volebant: quia non modò corpus sed & ipsum Christi nomē ac regnum deletum cupiebant. Imò pepererunt quod nolebant, miram sibi & toti genti miserrimam cladē ac perditionem. Ne veniant Romani, dicebant, & tollāt nostrum locum & gentem, Ioh. 11. f. 48. Hoc scilicet parturiebant. Sed quid pepererunt? Exitium scilicet per Romanos illatum. Quid hoc aliud erat quàm mendacium parere?

16 *Puteum fodit, & effodit eum: & cecidit in foueam quam fecit:*

Puteum fodit, & effodit eum. [c] Hic Dauid non tantùm successu caruisse dicit impias machinationes, sed mirabili Dei prouidentia in contrarium finem versas esse. Id metaphoricè primùm facit, similitudinem putei & foueæ vsurpans: deinde sequenti versu sine figura idem simplicibus verbis pronuntiat, quòd scilicet iniquitas redierit in caput authoris.[m] Puteum & foueam cuipiam parare, metaphorica loquutione idem est atque exitium struere. Sic, Foderunt ante faciem meam foueā, Infrà, 57. b. 6. Et, Donec fodiatur peccatori fouea, Ibidē, 94. b. 13. Item, Foderunt foueam animæ meæ, Ierem. 18. d. 20.[f] Fuit etiam prouerbialis apud Hebræos loquendi forma, quisquis puteum fodisset, in eum cadere, quum notare vellēt dolosos homines insidiis suis ac fraudibus capi, vel necis artifices arte perire sua.[m] Sic Saul foueam quidē parauit, eámque altissimam: verùm hanc non sibiipsi, sed Dauidi parauerat. Saul tamen ipse in eam incidit. Et sic mēdacium peperit, dum ipso reiecto Dauid in sublime euectus est.

17 *Conuertetur peruersitas eius in caput eius: & super verticem eius iniquitas eius descendet.*

Conuertetur peruersitas eius in caput eius. [v] עֲמָלוֹ, ærumna, labor, molestia eius, id est vis quam mihi inferre conatur.[a] Quod figuratè dixerat, nunc apertè testatur, impium exitio quod alteri parauerat periturum.[m] Hæc loquutio Conuertetur peruersitas eius in caput eius, frequens est in Scripturis. Super caput venire, descendere, conuerti, est totum hominem occupare à summo vertice ad imos vsque pedes, quasi infundas aliquid capiti, quod totum corpus contingere velis. Ideo hic Propheta in repetitione meminit verticis, dicens, *Et super verticem eius iniquitas eius descendet.* חֲמָסוֹ, iniuria eius, violentia.[v] Vident ergo mali coram malum suum, & consilium malum consultori pessimum. suo enim se gladio iugulant. Nemo potest nocere alteri nisi prius grauius in conscientia sibi. Imò fit, Deo iudice, vt soli pereant qui aliis interitum moliuntur.[m] Cuius rei in Scripturis multa sunt exempla. Nam quid aliud accidit Pharaoni? Exod. 14. g. 28. Quid aliud Sauli? 1. Sam. 31. a. 4. Quid aliud Absaloni? 2. Sam. 18. c. 14. Quid aliud impio Haman, Ester 7. d. 9. 10, Achitopheli, 2. Sam. 17. f. 23, Iudæ proditori, Matth. 27. a. 5. Iudæis item Christi persequutoribus? Matth. 23. d. 38.[m] Vnde Scriptura dicit, Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, relabetur super eum, Prouerb. 26. d. 27. Et iterum, Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber: & qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis, Eccles. 10. b. 8.[c] Duplex autem est huius doctrinæ vsus. Nam quibuscunque nocendi artibus polleant hostes nostri, sperandus est hic exitus quem Deus promittit, vt seipsos proprio gladio confodiant. Neque enim hoc fortuitum est: sed malum quod innoxiis intendunt, Deus arcana manus suæ directione in eorū capita retorquet. Rursum, siquando nos carnis libido ad lædendos proximos vel ad prauum aliquod facinus instigat, succurrat hæc Dei vltio, qui foueam aliis parant, in eam deiici. Ita fiet vt quātum sibi quisque suæque saluti cōsulere volet, ab omni se cohibeat iniuria.[t] Tenendum est igitur quod Christus ipse docet, Omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis, Matth. 7. b. 12.

18 *Confitebor Iehouæ secundum iustitiam eius: & psallam nomini Iehouæ altissimi.*

Confitebor Iehouæ. [v] Celebrabo Iehouam pro iustitia eius. q. d. Quum hæc videro, laudabo Dominum, quòd se iustum præstiterit liberando me.[p] Confiteri Domino in Scripturis significat laudare Dominum, & gratias agere Domino. Hinc & confessio pro laude ponitur.[c] Et quia in hunc finem Deus suos liberat vt sacrificia laudis ei vicissim rependant, Dauid hic pro accepta liberatione se gratum fore promittit, & simul cōfirmat, quòd elapsus esset à morte, hoc minimè esse dubium vel obscurum Dei opus. Neque enim verè & ex animo salutis suæ laudem Deo ascriberet, nisi seriò persuasus esset aliter se quàm humanitus fuisse seruatum. Quare non modò debitam suo liberatori gratitudinem promittit, sed summatim affirmat quod recensuit toto Psalmo, se vitam Dei gratiæ debere, quia non passus esset sibi à Saule eripi.[a] Monemur hic, quoties Dei beneficia nobis obtigisse percipimus, vt Deum dignis laudibus celebremus, eique gratias agamus. *Secundum iustitiam eius.* [c] Iustitia Dei hoc loco pro fide accipitur quam seruis suis præstat in tuenda eorum vita. Neque enim iustitiā suam Deus intus absconditam tenet, sed eam profert in vsum nostrum, dum nos contra omnē iniustā vim defendit, ab oppressione liberat, & quamuis à scelestis hominibus oppugnamur, seruat tamen incolumes. *Et psallam nomini Iehouæ altissimi.* [a] Idem bis dicit.[p] Nam confiteri Domino idem est quod psallere nomini Domini, & (quod in oratione Dominica est) san-

ctificare nomen Dei Patris nostri, Matth. 6. b. 9. Id quod est corde credere, (alioqui quid confiteretur?) totam fiduciam tuam in Deum reiicere, & confiteri verbis, profiteri vita & conuersatione quæ Dei sunt, etiam in cõspectu regũ & mundi aduersantis, &c. Hæc non est Papistica laus & pecuniaria, quam ie tentatio, non pompa illa Ecclesiastica docebit, sicut in hoc Psalmo vides.

ARGVMENTVM PSAL. VIII.

[a] IN hoc Psalmo Dauid cum summa admiratione Dei omnium conditoris sempiternam virtutem celebrat, [c] & paternam eiusdem Dei erga humanum genus beneficentiam reputans, illi gratias agit.

PRAEFECTO *super gittith, canticum Dauidis.*

[y] De voce למנצח vide Psalm. 4. a. 1. [c] An גתית musicum instrumentum significet, an modulationis speciem, an verò celebris ac noti carminis initiũ, incertum relinquimus. Nam qui Psalmum ita vocari putãt quòd in vrbe Gath fuerit compositus, coactam expositionem nimis procul accersunt. [y] Sunt qui vertunt, Super torcularia Psalmus Dauid: & dicunt hunc Psalmum cantatum collectis frugibus & vindemiis factis, in festo tabernaculorum: de quo habes Leuit. 23. f. 34. Sed incerta sunt hæc. [y] Chaldæus paraphrastes existimat גתית citharam fuisse aduectam è Gath.

2 *Iehoua Domine noster, quàm admirabile est nomen tuum in tota terra! ad ponendum decus tuum supra cælos.*

Iehoua Domine noster, quàm admirabile. [m] Hoc primo versu Propheta immensam illam magnificentiam gloriæ Dei in vniuersa terra passim in omnium oculos incurrentem, velut vno internæ considerationis intuitu contemplatus, admiratur ac celebrat. [c] Sed quid totus Psalmus contineat, & quorsum spectet, præcipuè videndum. Proponit quidem sibi Dauid ante oculos miram Dei virtutem & gloriam in toto mundi opificio & gubernatione: sed hanc partem leuiter tantùm perstringens, in consideratione summæ erga nos bonitatis insistit. Et certè quanquam in toto naturæ ordine amplissima occurrit celebrandi Dei materia, quia tamen propria experientia magis afficimur, non abs re ex professo specialẽ erga humanum genus gratiam Dauid commendat: quia hoc est maximè illustre speculum in quo perspicere licet eius gloriam. Mirum tamen est cur ab exclamatione incipiat, quum res ipsa prius narrari soleat quàm extolli eius magnitudo. Atqui si tenemus quod alibi dicitur, non posse verbis exprimi Dei opera, nequaquam mirum videbitur Dauidem hac loquendi forma se fateri narrationi imparẽ. Quia ergo Dauid inæstimabilẽ gratiam, qua Deus humanum genus dignatus est, secum expendens, sensus omnes suos absorberi sentit, vel obrui, exclamat rem admiratione dignam esse, quia verbis concipi nõ potest. Adde quòd Spiritus sanctus, qui Dauidis linguam direxit, nõ dubium est quin communem hominũ torporem in illius persona excitet, ne immensum Dei amorem & innumera quibus fruuntur beneficia parcè tantùm & frigidè, suo more, laudẽt, sed potius neruos omnes intendant ad hoc pietatis exercitiũ. Nam hoc epiphonema quo vsus est Dauid, declarat, vbi intenta ad hanc cogitationem fuerit tota humani ingenii facultas, longè infra subsistere. *Quàm admirabile est.* [y] Magnificum, potens, præclarum, admirandum. *Nomen tuum.* [c] Nomen Dei positum hic est pro celebri eius notitia, quatenus scilicet se nobis patefacit. Nam nimis arguta est eorũ speculatio quibus nihil aliud est Dei nomen quàm Deus ipse. Nam hoc ad opera aut virtutes ex quibus cognoscitur, potius quàm ad essentiam referri debet. *In tota terra.* [y] Q. d. O Domine, quàm magnam esse potentiã tuam ostendit vniuersa terra. *Ad ponendum decus tuum supra cælos.* [c] Terram admirabili Dei gloria plenam esse dicit, vt decus eius supra cælos conscendat. Rectè enim verbum תנה quidam accipiunt in maeor, hoc est infinitiuo modo, pro Locare. Nam in secundo mẽbro amplificatio est: acsi dixisset minorem esse terram quàm vt decus vel magnificam Dei formam contineat. Atque hoc modo אשר non erit relatiuum, sed expletiuam vel exegeticam particulam valebit. [n] Nonnihil simile alibi habetur, Nam magna est super cælos bonitas tua, & vsque ad nubes veritas tua. Attolle te super cælos Deus, & super omnem terram gloriam tuam, Infrà, 108. a. 5. Quemadmodum enim his versibus Vates canere voluit, tam magnam fore Dei super populum suum bonitatem & veritatem, id est certam & solidam beneficentiam, vt vsque ad nubes ea pertingeret, ac supra cælos etiam sese extolleret: & sicut orat vt se Deus & gloriam suam super omnem terram attollat, (id est, se omnibus supereminentem declaret, & gloriam suam in omni terra celebrem reddat) sic in præsenti Psalmo canit, nomen, hoc est virtutem & amplitudinem Dei, vbique in omni terra suspiciendam & tremendam apparere, adeo vt cælos vsque pertingat, omnia sui admiratione replens. Sic alibi, Excelsus super omnes Iehoua, super cælos gloria eius, Infrà, 113. a. 4. [m] Expendendum est autem qua fide quàq. securitate pii viuant in hoc sæculo, in quo diuitias gloriæ Dei passim expositas vident: quum interea impii anxii sint in multis. Etenim is animus qui terram vniuersam ad cælos vsque diuina potentia, sapientia, iustitia & bonitate refertã esse videt, & videndo admiratur ac stupet, non poterit vlla in re anxius reddi ac deiectus.

3 *Ex ore paruulorum & lactentium fundasti robur propter aduersarios tuos, ad profligandum inimicum & vltorem.*

Ex ore paruulorum & lactentium. [a] Iam in ipsum argumentum quod tractãdum susceperat ingreditur: nempe quòd Dei prouidentia vt se proferat in humano genere, non adultã ætatem expectet, sed à prima vsque infantia clarè iam refulgeat quantum satis sit ad refellendos omnes impios, qui profano suo contemptu Dei nomen extinguere cuperent. Quidam Ex ore tantundem ac In ore valere putãt: verùm hoc emphasim, qua vsus est Dauid, perperam diminuit. Sensus ergo est, Deum, vt prouidentiam suam commendet, non opus habere magna rhetorum facundia, ac ne formato quidem sermone: quia mutas infantium linguas ad eam celebrandam satis promptas & disertas habeat. Quæritur tamen quo sensu pueros gloriæ Dei faciat præcones. [c] Quidam hoc fieri arbitrantur quum pueri articulatè loqui incipiunt: quo munere homines omnia inferioris conditionis eximiè antecellunt. sed vana est eorum argutia. [a] Nam, vt demus paruulos ad septennium vsque vocari, quomodo à mamma pẽdere fingent, qui distinctè iam loquuntur? Nihilo melius conuenit allegoricè paruulos & lactentes sumi pro fidelibus, qui Dei Spiritu renati, nihil vetus sapiunt. Et quid attinet Dauidis verba torquere, quorum genuinus sensus tam aptè fluit? Paruulos & lactentes dicit satis validos esse patronos qui Dei prouidentiam asserant. Cur vero non mãdat istas partes, nisi vt ostẽdat linguas infantiles, antequã verbum effari queant, sonorè tamen loqui quàm liberalis sit Deus erga genus humanũ? Vnde enim statim ab vtero egressis alimentum præsto est, nisi quia Deus mirabiliter sanguinem in lac transformat? [a] Vnde etiam sugendi industria, nisi quia idem Deus arcano instinctu linguas eorum aptat? Ergo optima ratione Dauid, quamuis sessent omnes vtiles linguæ, os elingue infantium ad celebrandam Dei laudem satis idoneum esse pronũtiat. [a] Adde quòd omnia fere in pueris referta miraculis existunt. Annon enim & illud planè stupendum, tantam inesse etiam in malis hominibus erga suos infantes charitatem, & infantibus tam inuictam gratiam, vt illos, quũ ipsi nihil nisi vagitu obstrepere, sordibus nauseam ciere, infinito denique labore & cura diu noctuque molesti esse possint, parentes tamen minimè fastidiant, nullis adeo vel sordibus vel laboribus offensi, vt etiam voluptas sit illis inseruire? Hæ sanè diuinæ in nobis imaginis & bonitatis tam admirãdæ reliquiæ sunt, vt ex illis Dominus nos colligere iusserit quid sit nobis expectandum à Patre cælesti, Matth. 7. b. 11. Adhæc, quantis quotidie periculis infantes nonnisi manifesta diuini numinis ope Angelorumque sanctorum ministerio eripiantur, facilè quiuis videt. [a] Vnde non mirum si Propheta, missis aliis propè innumeris diuinæ prouidentiæ testimoniis, infantes & lactentes disertos gloriæ Dei præcones facit. *Fundasti robur.* [c] Quòd Dauid paruulos non solùm testes vel præcones Dei gloriæ inducit, sed eorum ori attribuit firmum robur, magna energia non caret. Perinde enim est acsi dixisset inuictos esse Dei milites, qui totum impiorum exercitum, si ad conflictum ventum fuerit, facilè dissipent ac proterãt. Notandum enim est contra quos infantibus munus iniungat tuendæ gloriæ Dei, nempe contra feroces Dei contemptores, qui gigantum more bellum cælis indicere non dubitant. Quum ergo Cyclopes isti furioso impetu conuellant ac peruertant quicquid est pietatis in mundo, suaque dementia cælum ipsum perfringere conẽtur, Dauid per ludibrium in aciem puerorũ ora educit, & satis validis armis instructa esse ac fortitudine pollere dicit ad prosternendam eorum superbiam. Ideo mox subiicit, *Propter aduersarios tuos.* Neque enim forti potẽria bellare necesse est Deo ad vincendos fideles, qui sponte vocẽ eius sequuntur, propensumque obsequium exhibent simulac digito signum dederit. Fatemur quidem lucere Dei prouidentiam præsertim fidelium causa: quia soli oculati sunt ad eam spectandam. Verùm quia dociles se præbent, placidè ipsos Deus erudit. contra hostes verò propriè se armat, qui nunquam nisi coacti cedunt. [c] Itaque Propheta atheos illos notat, qui eò impietatis proruperunt vt Deum esse ausint negare, totique in id incumbere vt cùm ex suis tum aliorum pectori-

bus omnem Dei cultum profligent. Hi enim vel ex miraculis quæ in sulis infantibus scatent, confutari & confundi possunt. Quidam Fundandi verbum nimis restrictè accipiunt, quòd scilicet in ipso partu vel generatione hominis Deus gloriæ suæ fundamenta iaciat. Sed dubium non est quin pro Stabilire positum sit, acsi dixisset Propheta pro bellicosis & firmis copiis puerorum ora Deo ad perdendos impios sufficere. *Ad profligandum inimicum.* Heterosis numeri est. idem enim Dei & Deum colentium hostes sunt, & suipsorum vltores ac vindices: quia Deum, cui suam causam committerent, nullum habent. In verbo להשבית variant interpretes. Propriè est Facere cessare. Nam est in coniugatione hiphil, à neutro שבת, quod Cessare significat. Sed metaphoricè plerunque sumitur, pro Perdere vel redigere in nihilum: quia interitus finem affert. Alii vertunt, Vt compescas, quasi intelligeret Dauid silentium illis imponi, vt maledicere vel obstrepere desinant. Sed quia ad hostile prælium plena gratiæ allusio est in hoc loco, (vt nuper exposuimus) verbum militare melius quadrat, Ad profligandum, ad abolendum vel perdendum. Quæritur tamen quomodo hostes suos profliget Deus, quorum sacrilega petulantia violenter contra omnia diuinæ prouidentiæ exempla impingere non cessat. Responsio, Non profligantur Dei hostes quòd ad modestiam cogantur: sed quia cum suis blasphemiis & canino latratu turpiter confusi iacent. *Et vltorem.* Vltores vocat eos qui lædunt eos qui fidunt Deo, aut qui pœnas de hostibus suis sumunt, vindictam Deo non relinquentes, quem humana curare non credunt. Summa est, à prima hominis generatione vel exortu ita conspicuum esse diuinæ prouidentiæ fulgorem, vt infantes à matrum vberibus pendentes eorum furorem prosternant: quia, etiamsi centies crepent, frustra robur quod in illa debilitate se profert, subuertere nituntur. Quanquam autem in omnibus incredulis regnet vlciscendi libido, (sicuti Deus filios suos mansuetudinis Spiritu regit) tamen pro loci præsentis circunstantia hoc epithetum Propheta Dei contemptoribus attribuit, qui non modò truculenti sunt in homines, sed væsana rabie ad Deum quoque oppugnandum ardent. Habemus iam huius versus genuinum sensum. Tantùm restat vnus scrupulus: quia videtur Christus testimonium hoc aliò trahere, quum id ad pueros decennes accommodat, Matth. 21. b. 16. Sed facilis solutio est, Christum à maiori ad minus ratiocinari, nihil scilicet absurdi esse si Deus, qui pueros adhuc infantes gloriæ suæ vindices constituit, postquam ad septem annos progressi sunt, præconium ex eorum linguis eliciat. Illa ergo puerorum in templo acclamatio opus diuinæ bonitatis fuit, præcipua admiratione dignum, & hostes Dei confutabat, sicuti reliqua beneficentiæ Dei quæ in infantibus miracula cernuntur.

4 *Quum video cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam ac stellas, quas concinnasti.*

5 *Quid est homo, quòd memor es eius, & filius hominis, quia eum visitas?*

Quum video cælos tuos opera digitorum tuorum. Futurum Hebræum pro præsenti. Et perficitur sententia versu sequenti: ita vt duos versus contexere necesse sit. Hebraicum tamen כי aduersatiuè exponi posset, pro Quamuis, hoc sensu, tametsi in cælesti machina incomparabilis Dei maiestas refulget, ac meritò in sui intuitu detinet hominum oculos, peculiari tamen modo gloriam eius in tam benigno quo homines prosequitur fauore spectari: nec sensus hic malè quadraret. sequimur tamen quod magis receptum est. Cæterùm ad notandum Prophetæ consilium attentos lectores esse conuenit, nempe quòd hac comparatione ingentem Dei bonitatem amplificat: quia mirum sit cæli creatorem, cuius tam sublimis gloria sursum nos in sui admirationem rapit, eousque descendere vt curam generis humani suscipere dignetur. Atque hæc antithesis ex voce אנוש colligitur, quia hominem à fragilitate potius quàm virtute denominat. Videmus enim miseros homines in terra reptando vilissimis quibusque creaturis esse permixtos. Meritò itaque despicere eos posset Deus, nulloque loco ducere, si rationem haberet dignitatis. Ideo interrogatiuè eorum sortem extenuat Propheta, significans inde clarius perspici mirificam Dei bonitatem, quòd tantus opifex, cuius refulget in cælis maiestas, calamitosum hoc & nullius pretii animal summa gloria ornare & innumeris opibus locupletare velit. Neque enim, si in animo erat liberalitatem suam exercere, necesse ei fuit ex puluere & luto deligere homines quos præferret aliis omnibus creaturis: quia suppetebat in cælis materia. Ergo quisquis non stupescit ad hoc miraculum, plusquam ingratus & stupidus est. *Opera digitorum tuorum.* Vocat cælos Dei & opera digitorum eius, ad amplificandam eorum excellentiam, & vt homo diuinam in se beneficentiam magis ac magis admiretur. Qui fit enim vt ab illis tam nobili & præclara opificii sui parte egressus, ad nos vermiculos se demittat, nisi vt bonitatem suam magis illustret? Vnde etiam colligimus, nimis perperam Dei gratia eos abuti qui ex sua præstantia superbiendi ansam arripiunt: quasi verò aut eam adepti sint propria industria, aut meritò eam possideant, ac non potius sua eos origo admoneat, abiectis alioqui & sordidis prorsusque indignis esse collatam. Ergo quicquid in nobis honorificum cernimus, ad gratuitum Dei fauorem celebrandum sensus nostros excitet. Verissimum enim est quod dicit Apostolus, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. b. 7. Notandum est etiam quomodo pius animus, dum cælos suspicit, de maiestate ac gloria Dei admoneatur, quum interea filii huius seculi instar pecudum cælos videant, & de gloria Dei ne tantillum quidem admoneantur. In eo etiam quòd cæli dicuntur opera digitorum Dei, admonentur pii omnes omnipotentiæ Dei, quam etiam in symbolo fidei confitentur, dicentes, Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. *Lunam & stellas quas concinnasti.* Alii, Præparasti, vel fundasti: sed Concinnandi verbum aptius est. Videtur enim respicere Propheta ad pulcherrimum ordinem quo Deus stellarum positum tam aptè distinxit, & cursum moderatur. Solis non meminit, quòd quo tempore videntur luna & stellæ, is non videatur. Dum ergo se hæc suspicere canit, appositè de sole tacuit. Documentum hoc est animi pii, qui se nocturno tempore in contemplatione cæli, lunæ ac stellarum exercet, dum filii huius seculi vel somno grauati stertunt, vel bibunt & ebrii sunt, vel ludunt, vel libidini vacant, vel aliud nequitiæ genus obeunt. *Quid est homo, quòd memor es eius.* Iam hic versus pro maiori parte expositus est, quum ex superiore pendeat, sicuti dictum est. Deum memorem esse hominis tantundem valet ac paterno amore hominem complecti, tueri ac fouere sub fide sua, & prouidentiam suam ad eum vsque extendere. *Et filius hominis.* Sicuti emphasim habet quòd אנוש (quo nomine miseria hominis significatur) potius quàm אדם dixit, ita non sine ratione subiecit בן אדם, filium hominis, nempe natiuitatis conditionem bis ærumnosam notans. Quare quum Seruator testaretur omnem nostram humilitatem se & miseriam, solo peccato excepto, subiisse, filium hominis, id est mortalem, ærumnosum, abiectum, & vnum è vulgo ac infima plebe sese vocabat, eúmque titulum sibi proprium fecerat, Matt. 24. c. 30. 37. & 25. c. 31, & 26. a. 2. f. 64, & Ioh. 3. b. 13. 14, & 5. e. 27. & 6. c. 27. *Quòd eum visitas.* פקד est Inuisere & rationem alicuius habere: quod tam in malam quàm in bonam partem in Bibliis accipitur. Vt enim beneficentiis declarat Deus rationem habere suorum in bonum, ita vltione manifestum facit se rationem habere reproborum in malum. Sensus itaque hoc loco optimè quadrabit, si visitare in bonam partem accipiatur. Quia tamen recordari interdum significat, & iteratio eiusdem sententiæ sub diuersis verbis frequenter in Psalmis occurrit, non incommodè ita vertetur, quasi dixisset hoc mirum esse quòd Deus assiduè de hominibus cogitet. Et hoc obseruatu dignum est, quòd non dicit, Quid est homo, quòd condidisti eum, quòd pascis eum, quòd in vita illum conseruas: sed, Quòd memor eius es, & quòd visitas eum. Quòd conditi sumus, pascimur, & in vita sustentamur, communia bona sunt & reliquis animantibus, quæ & ipsa ab eodem Deo quo nos & creata sunt & aluntur. Verùm aliud omnino est quod Propheta hic prædicat. Memorem esse Deum hominis, & filium hominis visitare, pro eo dictum est quod est singulari dilectionis affectu & studio erga hominem esse præditum, idque singularibus etiam beneficiis declarare. Etenim quæ chariora nobis sunt, illorum solemus cumprimis esse memores, eáque cumprimis & singulatim subinde inuisimus, & potioribus etiam beneficiis afficimus.

6 *Siquidem minuisti eum paululum à Deo, gloria & decore coronasti eum.*

Siquidem minuisti eum paululum à Deo. Copula Hebraica ו in aduerbium causale mutanda fuit, quasi positum esset, Nam certè. Confirmat enim quod nuper dixit de immensa Dei gratia erga homines, quòd scilicet illis se propinquum & eorum memorem ostendat. Ac primò quidem tot decoribus ornatos esse dicit vt eorum conditio diuina & cælesti gloria non longè sit inferior. Deinde externum in omnes creaturas imperium & ius commemorat. ex quo appareat in quàm altum dignitatis gradum eos Deus extulerit. Nec dubium est quin præclaras dotes commendet quæ declarant homines ad imaginem Dei formatos esse, & creatos ad spem beatæ vitæ & immortalis. Nam quòd ratione præditi sunt qua discernant inter bonum & malum, quòd illis inditum est religionis semen, quòd mutua est inter eos communicatio sacris quibusdam vinculis

astricta, quòd inter eos viget honesti respectus & pudor & legum moderatio, hæc non obscura sunt summæ & cælestis sapientiæ signa. Quare non immeritò exclamat David, *Gloria & decore coronasti eum.* [v] Futurum Hebræum pro præterito, vt sequenti versu. id est, honore & gloria ornasti eum veluti corona. [c] Coronari enim metaphoricè hic capitur, quasi dixisset vestitum esse & decoratum honoris insignibus quæ non longè à diuino fulgore absint. [u] In summa, verbo Coronādi veluti regem quendam describit. [e] Dictionem אלהים Græci verterunt Angelos. Et sanè nomen hoc sæpe ad Angelos transferri notū est, & verba Dauidis perinde valent acsi dixisset parum abesse homines à diuino & cælesti statu. Quia tamen magis genuina videtur altera versio, & in eam fere Hebræi consentiunt, eam sequuti sumus. Nec obstat quòd Apostol[9] Ab Angelis posuit, non autem A Deo, Hebr. 2. b. 7. quia scimus quàm liberè sibi permiserint Apostoli citare Scripturæ locos: non quidem vt torquerēt in alienū sensum, sed quia illis satis fuit digito monstrare, quod docebant, Dei oraculis esse sancitum. Quare modò de summa rei constaret, verba mutare nulla illis fuit religio. In nodo altero soluendo plus est difficultatis. Namque cùm hic de præstantia hominum disserat Propheta, & dicat eos ad Deum prope accedere, Apostolus ad Christi exinanitionē trahit. Primo vidēdum est qui conueniat, quod de toto humano genere dictum est, Christi personæ aptari. Deinde quomodo exponere liceat Christū fuisse imminutum in morte sua, dum sine forma & decore sub crucis probro & maledictione quasi deformis iacuit. Tametsi verò sufficeret ad primam quæstionem soluendam quod quidam dicunt, aptam & congruam esse anagogen à membris ad caput, vltra tamen nobis progrediendum est: quia non tantùm omnis creaturæ primogenitus est Christus, sed humani generis instaurator. Nam quæ hic recenset David, propriè ad creationis initium & integram naturam spectant. Porro scimus Adæ lapsu totum humanum genus à natiua sua origine excidisse: quia & prope deleta fuit Dei imago, & exuti fuimus præcipuis donis quæ nos quasi semideos factura erant: denique ex summa excellentia ad tristem fœdamq. inopiam redacti. Tali corruptione cessauit Dei liberalitas quam hic David prædicat, saltem vt in puro suo nitore minimè appareat. Quamuis enim non prorsus extincta fuerit, quantula tamen portio inter miseras ruinas cernitur? Sed quia rursus donorum omnium plenitudinem cælestis Pater in Filium suum contulit, vt ex hoc fonte hauriamus omnes: certe in eum primo gradu cōpetit quicquid per ipsum nobis Deus largitur, imò ipse est viua Dei imago ad quam nos reformari oportet: vnde reliqua omnia dependent. Siquis excipias Dauidem prius rogasse quidnam est homo, quia tam liberaliter Deus in animal contemptibile & nullius pretii fauorē suum effudit, talem non esse in Christo admirationis causam, qui non vnus quilibet est ex vulgo hominum, sed vnigenitus Dei Filius: facilis solutio est, quod humanæ Christi naturæ datum est, esse gratuitū: imò hoc maximè illustre misericordiæ Dei speculum esse, quòd mortalis homo & filius Adæ vnicus est Dei Filius, & Dominus gloriæ, & Angelorum caput. Et simul notandum est, quicquid donorum accepit, ideo magis gratuitum censeri quia magis ad nos pertinet. Ergo præstantia eius & cælestis dignitas ad nos quoque extenditur, in quorum gratiam ea ditatus est. Quod de breui abiectione deinde tractat Apostolus, non est exegeticū: sed κατ' ἐπεξεργασίαν ad suum institutum deflectit quod alio sensu dictum fuerat. Neque enim dubitauit Paulus hoc modo per amplificationem ornare Mosis verba, vbi dicit, Quis ascendet in cælum? &c. Rom. 10. b. 6, & Deut. 30. c. 12. Non ergo tātùm spectauit Apostolus quid David sensisset, verùm ad nomē diminutionis & decoris alludens, illam in morte Christi, hoc in resurrectione constituit. Eōdem fere accedit expolitio illa Pauli ad Ephesios capite 4. b. 8, qua locum Psalmi 68. d. 19 nō tam interpretatur quàm pia deflexione ad Christi personam accommodat.

7 *Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus eius,*

Præfecisti eum operibus manuum. [c] Iam ad secundum illud quod nuper attigimus caput descendit, hinc scilicet constare quanto amore complexus fuerit Deus homines, & quanti eos fecerit, quum illis dominium cōtulit rerum omnium. Nam quum ipse nulla re indigeat, in illorum vsus destinauit omnem cæli & terræ opulentiam. Rarus certè & incomparabilis honor, quòd mortalis homo vice Dei in mundo tāquam suo iure dominatur, & quocunque flectat oculos, videt nihil sibi ad beatam vitam deesse. *Omnia posuisti sub pedibus eius.* [t] Hoc est, vt ei suppeditasti vt imperio & ditioni suæ cuncta subiugaret, iusque fecisti rebus à te conditis perinde atque suis vtendi. Exprimere siquidem Vates voluit illud Mosis, Et benedixit illis Deus. id est, hoc beneficio affecit. Et dixit eis, Crescite ac multiplicamini, ac replete terram, & subiicite eam, atque dominamini piscibus maris, ac volatili cæli, & omni bestiæ reptanti super terram, Gen. 1. d. 28. [u] Et alibi dicitur, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum, Infrà, 115. c. 16. Porro quòd 1. Cor. 15. d. 27 citatur hic locus, vbi de spirituali Christi regno agitur, sicuti videtur ab hoc sensu nimis remotū, in promptu est responsio, nempe generale hoc esse, totū mundi ordinem ita esse compositum vt hominum fœlicitati seruiat. Quomodo id vni Christo propriè conueniat iam ostendimus paulo antè: hoc videndum modò restat, quàm longè pateat omnium subiectio. Certe siquid aduersum est hominibus in cælo vel in terra, iā collapsa est illa ordinis integritas. Vnde sequitur, humanum genus, postquam defectione Adæ dissipatum est, non modò hac tam præclara & honorifica sorte priuatum esse, ac priori dominio non potiri, sed captiuum teneri sub deformi pudendáque seruitute. Quanquam autem Christus legitimus est cæli & terræ hæres, per quem recuperant fideles quod ipsis in Adam ablatum fuerat, non tamen re ipsa plenam imperii sui possessionem adiit. Vnde colligit Apostolus, hoc solidè completum non iri donec abolita mors fuerit. Sic itaque ratiocinatur, Si Christo subiecta sunt omnia, nihil eius membris aduersum esse debet. Atqui videmus mortis tyrannidem adhuc grassari. Sequitur ergo manere spem melioris status. Hoc autē ab illo quod diximus principio manat, naturaliter in hunc finem conditum esse mundum vt ad fœlicitatem hominis spectent singulæ eius partes, tanquam ad suum scopum. Sic alibi probat omnes nos ad Christi tribunal esse olim sistendos vltimo die, quia scriptum sit, Mihi flectetur omne genu, Esa. 45. d. 23, & Rom. 14. b. 10. Subaudienda enim est minor propositio, multos adhuc superbè & contumaciter excutere iugum, & minimè ad genuflexionem esse propensos. [u] Ergo consideremus quid dignitatis humana natura in Christo capite receperit, quomodo per illius obedientiam dignitas hæc non tantùm restituta, sed etiam in immensum sit aucta, accessione videlicet cælestis etiā imperii: quod certè Adamo non erat traditum. Magnum est habere nos Dominum in cælis cui omnis est à Patre tradita potestas, Matth. 11. d. 27, & 28. d. 18, & Ioh. 17. b. 10. Cui omnia tam cælestia quàm terrestria & inferna subesse cogūtur, Philip. 2. b. 10. Adhæc, expendendum quatenus hæc dignitas Christi ad nos tanquam ipsius membra pertineat. Omnia nostra sunt, propter Christum videlicet, 1. Cor. 3. d. 21. Regnamus & sedemus in cælestibus cum Christo, Ephes. 2. b. 6. Verùm ista dignitas in nobis nondum apparet. Videmus impios in hac terra plus habere dominii & dignitatis in rebus terrenis quàm pios. Ferendum hoc est, donec à Patre in ipsam possessionem bonorum omnium introducamur.

8 *Oues & boues vniuersos, atque etiam iumenta agrestia.*

Oues & boues vniuersos. [a] Quod in genere dixerat nunc enumerat per species. [a] צנה vertunt fere Oues: significat gregem, & non solùm ouium, sed & caprarum & omnium minorū pecudum. Singulare verò positum pro plurali est. אלפים Boues reddunt: sed significantur hoc nomine pecora maiora quæ cū homine degūt: vt sunt equi, boues, asini, cameli. ideo quidam Armenta reddunt. Iradum dixit, *Atque etiam iumenta agrestia,* intellexit feras agrestes. Nam has quamlibet truces, quamlibet cautas, venatu capimus, & vtilitatem ex eis multam percipimus. In eo autem quòd scripsit גם, Et etiam, auxesis est, qua incendere admirationem voluit.

9 *Volucres cælorum & pisces maris, quod perambulat semitas marium.*

Volucres cælorum & pisces. [a] Hæc etiam ad amplificandam Dei erga humanum genus liberalitatem addita sunt, quò grati & religiosi ipsum, qui nobis subiecit omnia colētes, iis quæ subiecit in nostra commoda vtamur. Sed nondum penitus soluta videtur proxima quæstio. Nam si expositiuè narrat his duobus versibus Propheta quomodo Deus omnia nobis subiecerit, talis subiectio ad præsentē terrenæ vitæ vsum restringitur. Respondemus, Prophetam hic non omnia complecti de quibus loquutus erat: sed exemplum in parte vna ducaxat vel specie proferre. imò eam maximè partem elegit quæ rudibus quoque & crassis satis conspicua est. Nemo enim tam hebeti vel tardo est ingenio qui, si aperiat oculos, nō videat mirabili Dei prouidentia fieri vt equi & boues hominibus sua obsequia præbeant, vt ad eosdem vestiendos lanam producāt oues, vt iisdem alimentum ex propria carne omne genus animalia suppeditent. Quo magis visibile est dominii huius documentū, quoties vel cibo vescimur, vel fruimur reliquis cōmodis, diuinæ gratiæ sensu nos magis decet affici. Non ergo simpliciter intelligit David omnibus Dei operibus præfectū esse hominem, quia se lana & pellibus vestiat, quia animalium

carne vescatur, quia eorum laborem ad sua commoda applicet: sed tantum demonstrat in hoc spectaculo dominium illud quo ipsum Deus ornauit. Huc autem spectat summa, Deum in homine creando specimen immensæ erga eum gratiæ & plusquã paterni amoris edidisse, quod meritò nos omnes reddere debeat attonitos. Iam quãuis hominis defectione cõditio illa fere pessum ierit, manere tamen adhuc quasdam diuinæ liberalitatis reliquias, quæ ad creandam nobis admirationem sufficiant. Sed quia in hac lugubri dissipatione non amplius refulget legitimus ille naturæ ordo, fideles tamen, quos Deus sub capite Christo ad se colligit, residua bonorũ quibus in Adam spoliati fuerant parte sic potiri, vt ampla illis admirationis materia suppetat, quòd tam benignè ab eo tractentur. Etsi autem Dauid sãtũm in temporalibus Dei beneficijs subsidit, nostrum tamen est altius progredi, vt inæstimabiles cælestis regni thesauros, quos in Christo explicuit, & quæcunque ad spiritualem vitam pertinent dona, reputare, vt hæc consideratio corda nostra ad pietatis studium accendat, nec torpere nos sinat in celebrandis eius laudibus. ^a Interea notandum fideles posse, hoc Dauidis testimonio fretos, quibuslibet vesci, modò id cum gratiarum actione fiat. Quum enim omnia munda sint mundis, nullus superest ciborum delectus. Si enim Christi sunt omnia, sunt & nostra in Christo: sicuti iam ostendimus. Sequitur ergo quòd tota impiorum vita, & quicquid agunt, quicquid edunt ac bibunt, &c. peccatum est. Abutuntur enim omni creatura; etiam vbi optimè agere videntur. non suo enim vtũtur: ergo & cõtra Deũ. Fidelium duntaxat est hic mundus, qui in Christo omnia receperunt. Quomodo enim Pater non cum illo nobis omnia donauit Rom. 8. f. 32. Desinat ergo Papa nobis contra libertatem à Deo in Christo datam præscribere delectum ciborum & iustitiam in elementis huius mundi. Omnia sunt nostra, nihil illorũ qui non credunt: qui de terra perdentur, vt dicitur Prouer. 2. d. 21. Hæc apertè dicit Paulus, Cibos, inquit, creauit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem hanc, quòd omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione suscipitur. Sanctificatur enim, scilicet ad vsum mundum, per verbum Dei, id est fidem, & orationem, id est gratiarum actionem, 1. Timoth. 4. b. 4. Quid ergo libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Si ergo cum gratiarum actione participo, quid blasphemor quasi hæreticus pro eo quòd Christianè gratias ago? Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Verùm sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, 1. Corinth. 10. g. 31. *Quod perambulat semitas marium.* ^s Hoc quidem Hebræi de facultate transeundi nauibus mare interpretantur: sed quum hic Propheta ea enumeret quæ homini Deus subiecit, & nominatim animantes terrestres, aereas, aquatiles, satius est illud Perambulans semitas marium intelligere de marinis omne genus animalibus, quæ adeo diuersis sũt speciebus, omnémque numerum superant, vt credibile sit Prophetæ visum, se nominatis piscibus imperium hominis in res aquaticas non satis explicuisse, quum & in marinas belluas potestatem mirã exerceat, quæ tam variæ támque innumeræ sunt vt haud bene sub piscium se nomine eas comprehendisse putauerit. Quis monstrifica maris omnia, ingentes balenas, phocas, pristes & physeteres aliásque animantes innumeras piscium nomine cogitet? Adhæc non de nihilo est &(vt Plinio lib 9. cap. 2 visum est) illa vulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari esse: præterque ea multa, quæ nusquam alibi. Et subiicit idem, Rerum quidem, non solùm animalium, simulachra inesse licet intelligere intuentibus vuam, gladium, serras, cucumim verò & colore & odore similem. Quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis. Et fortè quia in aliis maris regionibus aliæ belluæ aliáque monstra visuntur, semitas marium dixit potius quàm maris. Quanquam Scriptura hoc plurali non infrequenter vtitur, propterea forsan quòd maris Mediterranei varii flexus ac sinus vulgò quoque maria dicuntur. Alterum igitur & terrestri amphorem mundum quid mirum si piscium nomenclaturæ Vates noluerit includere?

10 *Iehoua Domine noster, quàm admirabile est nomen tuum in tota terra!*

Iehoua Domine noster, quàm admirabile. ^m Versus hic vltimus nihil habet aliud quàm repetitionem primi, qua celebratione nominis Dei eadem qua orsus erat Psalmum concludit. ^y Commodùm autem postquam aliqua ex parte Dei in hominem dignationem exposuit, dignitate & præstantia hominis memorata, iterum admirabundus ita exclamauit. Nam memorando Dei in humanum genus tam præclara munera, non potuit non amplius admiratione diuinæ bonitatis accendi. Id ergo, quò flammam eandem transmitteret in alios, de se in loco testatus est.

^v Vide versum secundum.

ARGVMENTVM PSAL. IX.

^e DAVID postquam recensuit superiores quas adeptus erat victorias, ac in earum successu Dei gratiam & virtutem magnificè extulit: nunc denuo surgentibus nouis hostibus & periculis, implorat eiusdem Dei fidem, quem prius liberatorem erat expertus, eorumque superbiam prosterni optat.

PRAEFECTO *almuth Labben, canticum Dauidis.*

למנצח. Vide Psal. 4. a. 1. *Almuth Labben.* ^o Nonnulli trãsferunt, Super morte Labben: & hunc præcipuum aliquem ex ducibus hostium fuisse volunt. Alii malunt fictitium fuisse nomẽ, putántque in hoc Psalmo notari Goliath. ^a De quo sacra historia refert quòd victus fuerit à Dauide iuuene, 1. Sam. 17. g. 51. ^c Alii musicum fuisse instrumentum docent. Sed probabilius videtur, initium fuisse celebris carminis, ad cuius modulos cõpositus fuit Psalmus. Chaldæus paraphrastes vertit, Super morte viri qui egressus erat de medio castris: Goliath Philistæum significans. ^y Quod autem disputant ^c interpretes quam victoriam hic prædicet Dauid, inane est. Primùm, quòd epinicium esse existimant, in quo simpliciter Deo gratias agat Dauid, contextus eorum errorem coarguit. Etsi enim maior pars in canendis Dei laudibus consumitur, tamen hoc totum ad precationem referri debet. Nam vt animum suum ad fiduciam erigat, more suo commemorat quàm insigni Dei potentia ereptus antè fuisset ex vi & manu hostium. Quare absurdum est gratiarũ actionem, quam multas liberationes complecti voluit, ad victoriam vnam restringere.

2 *Confitebor Iehouæ in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.*

Confitebor Iehouæ. ^v Celebrabo Iehouam. Confiteri Domino, pro celebrare Dominum, vel laudibus vehere Dominum, in Psalmis fere semper legitur. ^c Ita verò præfatur Dauid vt Deum ad opem in præsentibus malis ferendam sibi conciliet. Nam quia Deus continuo tenore gratiam suam erga fideles prosequitur, quicquid in nos contulit, spem nostram in posterum tempus fouere debet. Est quidem in his verbis gratitudinis professio: sed tamen se hac memoria simul animat Dauid ad bene sperandum, & hoc modo ianuam suæ precationis aperit. ^m Porro duobus primis versibus æstum cordis sui ad celebrandum Dominũ gestientis effundit, cuius vehementiã nõ solùm hisce verbis, Celebrabo, Narrabo, Lætabor, Exultabo, Psallam, sed & per ea quæ dicit, *In toto corde meo.* Itẽ, *Omnia mirabilia tua.* quod tamen impossibile erat. Sed sic solet animus in laudem Dei accensus, sic comparata sunt corda piorum, quando sensu diuinæ bonitatis ad laudandum eum accenduntur. Nesciunt præsenti laude & gaudio contenti esse: sed quæ tum sentiunt & faciunt, in sempiternum facere & sentire gestiunt. Nec præter rationem hic sensus & affectus inest piorum mentibus perpetuò sine fine in Deo lætandi, exultandi & psallendi, quando lætitia ista & exultatio diuinæ laudis perpetua futura sit in cælis. ^c Totum cor pro integro accipitur, vel syncero: quod opponitur duplici. Ita se Dauid non solùm à crassis hypocritis discernit, qui summis tantùm labris absque interiore affectu Deum laudant: sed quicquid præclarè hactenus gessit, se in solidum testatur agnoscere profectum à mera Dei gratia. Nam quanuis profanos quoque homines, vbi aliqua memorabili victoria potiti sunt, Deum sua laude fraudare pudeat, videmus tamẽ, postquam vno verbo confessi sunt à Deo se fuisse adiutos, statim ad vanam iactantiam relabi, & sibiipsi canere triumphos, acsi Deo nihil deberent. Denique nihil aliud quàm ludunt quoties obtendunt Dei nomen suis rebus gestis: quia post oblatum Deo libamen, sacrificant suis consiliis, industriæ, virtuti, copiis. Ita enim sub vnius superbi regis persona communis omnium ambitio scitè perstringitur à Propheta Habac. capite 1. d. 16. Imò videmus veteres illos & famosos duces, quum suo nomine supplicationes decerni peterent, nihil minus quàm falsorum deorum honorem curasse, sed tantùm fallaci titulo ad suam iactantiam fuisse abusos. Quare meritò Dauid filiis huius seculi se dissimilem esse affirmat, quorum fallaciam detegit praua illa partitio, dum eius laudis quam se Deo tribuere finxerant, maiorem ad se partem rapiunt. Nam certè hoc non est Deum laudare in toto corde, si vel minimum ex eius gloria delibat mortalis homo, quod sibi arroget: tantum abest vt tolerabilis sit sacrilega hominum arrogantissimorum superbia, qui seipsos efferendo, gloriam eius quantum in ipsis est obscurant. *Narrabo omnia mirabilia tua.* ^v Personæ mutatio, more Hebræorum. Cõfirmat hoc mẽbro quod prius diximus, non de vna tãtùm victoria aut liberatione verba fieri: quia filii in genere meditanda proponit Dauid quæ Deus in eius gratiam miracula ediderat.

Porro miracula appellat non quæuis beneficia sibi diuinitus præstita, sed liberationes illas magis insignes & memoratu dignas, in quibus cælestis potentiæ specimen lucebat. Nam etsi Dominus bonorum omnium author vult agnosci, quibusdam tamen donis clariores notas insculpsit, quæ sensus nostros alioqui torpentes melius expergefaciunt. Ergo perinde est acsi testetur Dauid se non vulgari modo fuisse à Deo seruatum, sed conspicuam illic fuisse Dei virtutem: quia manum suam supra communem & vsitatum ordinem mirabiliter extulerit.

3 *Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo ô excelse,*

Lætabor & exultabo in te. [v] De te, vel propter te. q. d. Tibi victoriam feram acceptam, gloriabor de tuo auxilio. [s] Significat sic se exhibitam opem existimare, tantique pretii habere, vt in perpetuum de ea lætaturus sit atque gloriaturus, tum & gratias acturus. [c] En quomodo sincerè & absque fuco Deum celebrent fideles: nempe dum in seipsis minimè acquiescunt, nec eos inebriat stulta carnis confidentia: sed in Deo suo lætantur. quod nihil aliud est quàm lætitiæ materiam ex mera eius gratia petere, quoniam in ea consistat tota fœlicitas. Tenenda enim est antithesis inter gaudium quod ex seipsis captant homines, & quod in Deo quærunt. Quò autem melius exprimat Dauid se nihil sibi facere reliquum, quod ipsum vana delectatione detineat vel occupet, Exultandi verbum addit: quo significat plenum lætitiæ cumulum sibi in Deo omni ex parte constare, vt ne minima quidem gutta alibi quærenda sit. Iam memoria quoque repetere conuenit quod suprà attigimus, Dauidem priora gratiæ Dei documenta sibi proponere, vt alacrius sua ad Deum vota concipiat. Nam qui precationis suæ exordio sibi lætitiæ materiam in Deo suppetere affirmat, optima fiducia se præmunit. *O excelse.* [a] Neque hoc absque affectu adiectum est. expressit enim eo animi sui de experta iam omnibus supereminente Dei potentia & benignitate exultationem. [v] Et excelsum siue supremum Deum vocat, quòd omnes mortales superet. Has verò tantas grati dignéque in Deum affecti animi flammas sic considerare nos decebit vt tandem incalescamus & nos, quibus multo maiora diuina bonitas contulit, nempe de Satana hoste mentium æternam per Christum victoriam atque salutem. Quin & quotidie ab innumeris nos malis eripit, quæ intentat caro & sanguis.

4 *Quòd conuersi sint inimici mei retrorsum, impegerint & perierint à facie tua.*

Quòd conuersi sint inimici. [b] Præmisit Vates se lætaturum ac gloriaturum in Domino, atque nomini eius cantaturum. [m] Iam consequenter subiicit cur ad hanc δοξολογίαν Dei motus sit: [v] quia scilicet se toties victorem non propria nec militum suorum virtute, sed gratuito Dei fauore fuisse agnoscat. [m] Breuiter autem describit acceptam contra hostes victoriam, & quasi ob oculos rem ipsam exponit. *Retrorsum.* [c] Sensus est, hostes fusos se prostratos, vel in fugam conuersos. *Impegerint & perierint à facie tua.* [v] Corruerint & perierint. Futurum Hebræum pro præterito. [b] Est autem hic ἀντίφρασις. Victi enim & terga dantes contra faciem eorum penes quos victoria est stare non sustinent. ideo à facie eorum se vertunt: quùmque illi insequuntur, facilè fit vt impingant aliquò, indéque cadant & pereant. Hæc iam omnia dicunt Hebræi bis à facie illorum accidere, intelligentes, ab illis aduersa imminentibus, continentérque insistentibus, & facie ac præsentia sua tantopere vrgentibus. [c] Ergo Dauid priore huius versus membro historicè narrat hostes in fugam compulsos: postea ex fidei sensu adiungit hoc non accidisse humanitus vel fortuitò, sed quia Deus contra ipsos in acie steterit. [b] Non enim dicit, Impegerunt aut perierũt à facie mea, vel exercitus mei: sed, A facie tua. q. d. Tu restitisti inimicis meis, tu corda illorum fregisti, tu pro nobis pugnasti, tuam non nostram senserunt potentiam. [c] Prudenter ergo Dauid, quum hostes suos terga dare conspiceret, mentis oculos ad Deum extulit, vt sentiret non aliunde quàm ex abscondito eius auxilio victoriam sibi manare. Et certè ipse vnus est qui spiritu consilii regit simplices, rursumque astutos dementat, stuporéque percutit: qui mollibus & pauidis inspirat fortitudinem, audacissimos verò quosque metu percellit: qui infirmos instruit nouo robore, robustos verò debilitat: qui manus imbelles sustentat, gladios verò à bellicosis defluere facit: denique qui prosperũ ac tristem pugnæ euentum quocunque vult inclinat. Ergo quoties videbimus hostes nostros cadere, cauendum est ne sensus noster in hoc aspectu subsistat: (sicuti profani homines videndo cæcutiunt) sed nobis occurrat hæc doctrina, qui retro aguntur profligari à facie Domini. [m] Proinde nisi præcedat nos in bello facies Dei, nihil expectandum est aliud quàm vt auertamur, retro corruamus, ac pereamus. Nequit enim fieri vt populos Dei sine ope Dei vincat. Non deserit suos Deus, sed pro illis pugnat, nisi illos iratus auersetur. Si verò iratus populum suum deserit, nihil sperari potest aliud quàm vt prosternatur ac vincatur.

5 *Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti in solio iudex iustus.*

Quoniam fecisti iudicium meum. [v] Subaudiendum ex 2 & 3 versu, Celebrabo te, vel lætabor in te: quoniam pro me pronunciasti, sedistique pro tribunali. Videntur inuersa hæc, pro, Quoniam sedisti pro tribunali, vbi pronuntiasti. [c] Vltra progreditur hoc versu, sibi manum adiutricem à Deo fuisse porrectam, quia iniustè affligebatur. Et certè videndum est vt militemus sub Dei auspiciis, si cupimus eum nobis adesse. Ideo appellat ipsum iudicem iustitiæ, vel iustum, quod idem valet. *Iudex iustus.* q. d. Tu Deus pro more tuo & ratione perpetua egisti quoniam bonas causas tuendas suscipere soles. Et epithetum iusti in nominandi casu aptius conuenit, quia sic magis emphatica est loquutio: acsi dixisset Deum tandem suscepisse iudicis personam, tribunálque conscendisse, vt iudicis partes impleret. Ideóque ius & rectum à sua parte stetisse gloriatur, iuris sui & causæ Deum vindicem fuisse dicens. [m] Porro magnæ consolationis est hic versus, quo Deus iustus iudex proponitur, qui causam innocentum & oppressorum pro tribunali sedendo contra quosuis potẽtes, & quàtumuis armatos, & ad bellum accinctos, ac iamiam irruentes vindicet. Interea tamen videamus vt causa nostra sit talis quæ possit contra inimicos nostros per iustum iudicem asseri.

6 *Increpasti Gentes, perdidisti impium: nomen eorum delesti in seculum & in sempiternum.*

Increpasti Gentes, perdidisti impium. [v] גערת, Perdidisti, exterminasti, subuertisti. [c] Gentium nomine intelligit non paucos tantùm impios fuisse deletos, sed ingentes copias, & quidem ex diuersis partibus insurgentes. Hinc autem melius refulget Dei bonitas, quòd in vnius secum sui fauorem ne totis quidem populis pepercerit. *Perdidisti impium.* Hic Dauid hostes prostratos videns, eorum cladi simpliciter non insultat: sed eos iniustitiæ condemnans, dicit quas meriti erant pœnas dedisse. [m] Notandum est etiam quòd non dixit, Percussisti Gẽtes, perdidisti impium: sed, Increpasti gentes, perdidisti impium. Magna vis est diuinæ increpationis: neque enim illa verbis inanibus constat, sicut ea quæ fit ab hominibus, sed virtute & efficacia perdendi. Vnde alibi scriptum est, Ab increpatione tua Deus consopiti sunt & currus & equus, Infrà, Psalmo 76. b. 7. Et iterum, Ab increpatione vultus tui pereunt, Infra, 80. c. 17. Item, Increpauit mare rubeũ, & exiccauit illud, Infrà, 106. b. 9. Hanc increpationis virtutem & Christus expressit, quum ventos & mare increpauit, & increpando sedauit, Matth. cap. 8. c. 26. quum item malignos spiritus increpando eiecit, Luc. capite 8. d. 29. & quum à socru Simonis febrim increpando expulit, ibidem, 4. g. 39. Hominum increpationes, quia verbis tantùm constant, plerunque sunt inefficaces, sicuti & benedictiones. At increpationes Dei vim habent perdendi, sicuti benedictiones saluandi. *Nomen eorum delesti in seculum.* [c] Hoc est, sine spe resurgendi excisi & æternæ ignominiæ addicti fuerunt. Neque enim alioqui discernere liceret quomodo sepeliat Deus nomen impiorum cum ipsis, nisi quia pronuntiat memoriam iusti semper in benedictione fore, Prouerb. capite 10. a. versu 6. [m] Non solùm ergo deletur nomen impiorum, sed ita deletur vt nunquam restitui possit, sed deletum maneat, imò ignominiosum sit in sempiternum. Accidit nonnunquam, permittente Deo, vt nomen boni ac pii viri aliquandiu obscuretur, & veluti sepeliatur: in sempiternum verò nequaquam deletur. fieri enim non potest vt piorum nomen perpetuò obscuretur. Nunquam enim suo, sed Dei nomini perpetuò studens, quod & perpetuò permanet. At impii, quoniam gloriæ Dei nomine suo derogant, necesse est vt in sempiternam conuiciatur ignominiam. Et reuera digni sunt impii populi Dei hostes & diuini nominis obscuratores, vt non solum ipsi pereant, sed & nomen eorum deleatur in sempiternum, & in summam ignominiam conuertatur. *Et in sempiternum.* Ad verbum, [a] In seculum & vsque. Deficit enim alterum עולם, idque crebrò fit. Ex his nos discamus Dominis solius esse hostes deuincere & extinguere, idque in tempore factũrũ, suósque vlturum, vtcunque videatur nonnunquam eos deseruisse: quò ipsius nos præsidio plena fiducia committamus.

7 *Inimici, finitæ sunt solitudines in seculum, & vrbes destruxisti: periit memoria ipsorum cum ipsis.*

Inimici, finitæ sunt solitudines. [c] Variè exponitur hic versus. Quidam enim literam ה pro interrogationis nota accipiunt, acsi Dauid hostes suos compellans quæreret sintne impletæ vastitates, sicut ipsi constituerant omnia prorsus perdere. Nam verbum תמם nunc perficere, nunc etiam finem impo-

re significht. Ita ironicè perstringeret Dauid stultã hostium confidentiam. Alii sine interrogatione magis apertam ironiam faciunt, putántque duplicem statum describi, quia Dauid priore loco hostes inducit sæuo impetu grassantes, & obstinatè pergentes in sua sæuitia: vt videri possint nullum finem facturi nisi penitus exciso Dauidis regno. Deindè versu 8 statuit è regione Deum in solio sedentem, vt furiosos illos conatus reprimat. Si placeat hic sensus, copula in aduersatiuam particulam resoluenda erit, hoc modo, Tu quidem hostis nihil nisi cædes & vrbium ruinas spirabas: atqui demum se iudicem in cælo sedere Deus ostendit, qui res in terra turbatas componat. Aliis videtur Dauid gratias Deo agere, quòd quũ impiis decretum esset omnia perdere, finem imposuerit eorum vastationibus. Coactiua alii impietas vastitates exponunt, quòd Deus iustâ vindicta, quæ in Dauidem machinati fuerant impii, in eorum capita verterit. Alii primùm Dauidem conqueri existimant, quòd Deus miseram populi sui dissipationem tacitus diu tulerit, atque ita factum sit vt impii pro libidine omnia perderent: postea consolationis loco subiicere, Deum tamen præesse rebus humanis. Credibile est, ironicè primùm describi quàm formidabilis inter primos motus fuisset hostium potentia: deinde opponi Dei iudicium, quod illorum progressus repentè præter spem abrupit. Scimus enim, impios, quamuis non apertè abrogent Deo imperium, tamen non minus audacter ad omnem scelerum licentiam ruere, quàm si compedibus vinctus esset. Similem fere loquendi formam annotauimus suprà, Psalm. 7.c.13.

8 *Et Iehoua perpetuò sedet, parauit ad iudicium solium suum.*

Et Iehoua perpetuò sedet, parauit. Sed Iehoua in seculum sedebit. Futurum Hebræis pro præsenti. Vel sedet, sub. pro tribunali. *Parauit ad iudicium solium suum.* Parat. Præteritum Hebræum pro præsenti, in coniugatione quadrata. q.d. Dominus perpetuò sedet pro tribunali paratus iudicio suo liberare iustos ab insidiis & vi improborum. Dicit ergo Deum perpetuò sedere: quo intelligis, quantumuis altè se efferat hominum violentia, & sine modo prorumpat eorum furor, Deum tamen nunquam ex sua sede posse detrahi, nec fieri posse vt se iudicis officio & potestate abdicet. quod secundo membro clarius exprimit. Dicit enim non ideo tantùm regnare vt sublimis emineat eius maiestas & gloria, sed vt mundum iustè gubernet. Hæc autem comparatio auxilii diuinitus allati miraculum optimè illustrat, quod nec impii sibi nocendi modum statuerint, nisi omnibus fùnditus deletis, & initio visa fuerit instare vltima vastitas: rebus verò ita confusis tempestiuè apparuerit Deus. Ergo quoties nihil præter interitum nobis occurrit, meminerimus oculos coniicere ad cæleste solium, vnde rebus humanis prospicit Deus. Omnes enim tẽtationum conflictus hoc clypeo repellere conuenit, licet in mundo ad vltimam desperationem redacti simus, Deum nihilominus iudicem in cælo sedere. Imò quum dissimulat, nec statim medetur malis nostris, fidei sensu apprehendere conuenit occultam eius prouidentiam. Sicut verò hîc Vates ex eo quòd Deus iustus orbis iudex est, colligit non potuisse eum permittere hostiles ex sua libidine in populum Israel grassaretur: ita ex eodem Paulus colligit Deum non posse iniustè vindictam de iniquitate sumere. Quomodo, inquit, alioqui iudicabit Deus mundum? Rom.3.a.6.

9 *Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in rectitudine.*

Et ipse iudicabit orbem in iustitia. Iudicat orbem, ius dicit orbi. Futurum Hebræum pro præsenti. q.d. Ius dicit cunctis populis cum summa æquitate, ita vt ii interficiantur qui morte digni sunt: & ii contrà seruentur, & à morte asserantur, qui extingui non debent. Sicuti nuper testatus est Dauid Deum non otiosa potentia esse præditum, vt deliciis indulgeat, sed vt in recta iustáque mundi gubernatione exerceat suum imperium: sic nunc huius doctrinæ vsum addit. quòd scilicet cælo inclusa nõ sit Dei virtus, sed se ad homines iuuãdos patefaciat. Atque hæc vera theologia est, Deum non imaginari, cum Epicuro, vacantem otio vel deliciis, & qui se vno contentus humanum genus negligat: sed in solio potentiæ & æquitatis locare, vt certò persuasi simus, etiamsi non statim succurrat iniustè oppressis, nunquam tamen eorum curam abiicere. Et certè ita statuẽdum sit, quum dissimulat non deserere suas partes, sed exercere suorum patientiam: ideóque pacatis animis expectandum esse exitum. Pronomen demonstratiuum pondus habet, acsi diceret nõ posse hoc Deo eripi quin ipse mundum iudicet, suáque iudicia ad omnes populos extendat. Vnde sequitur multo magis suorum fore iudicem. *Iudicabit populos in rectitudine.* In æquitatibus. Iudicia hæc recta esse pronuntiat Dauid, vt iniustè & crudeliter vexati auxilium ab ipso certa spe petamus: quia quum populos in rectitudine iudicet, nec iniustas violentias semper impunè grassari sinet, nec innocentiam ope sua fraudabit. In summa, quod Vates hîc canit, Deum omnium iudicem semper pro tribunali sedere, & orbem iudicaturum ex iustitia & æquitate, & consoletur, si iniuriam & opprobrium oporteat pati, & deterreat ab inferenda.

10 *Et erit Iehoua exaltatio pauperi, & exaltatio in temporibus quibus erit in angustia.*

Et erit Iehoua. Pendet hic versus è superiori. Si enim Deus orbem iudicat, & iudicat ex iusto & æquo, & iudicat omni tempore, necesse est oppresso sit perfugium, & eripiat eum tum maximè dum præcipuè opprimitur, id est tempore aduerso. Ergo Propheta occurrit tentationi quæ duriter infirmos percellit, dum se ac sui similes impiorum libidini vident expositos, silente Deo. Nam admonet ideo suam opem differre & in speciem relinquere suos fideles, vt laborantibus & afflictis magis opportunè tandem succurrat. vnde sequitur ipsum minimè cessare in suo officio, siquando bonos & innoxios ad inopiam redigi patitur, si in lachrymis & querimoniis eos exercet: quia hoc modo lucernam accendit vt melius appareant iudicia sua. *Exaltatio pauperi.* Alii, munimentum: alii, arx. Vox Hebræa משגב significat locum editum siue eleuatum, ad quem confugimus imminente calamitate: ideo ponitur pro asylo & perfugio, arce & munimento. acsi diceretur, Et proteget & communiet Dominus oppressum. *Exaltatio in temporibus quibus erit.* Dicit Deum præsidium suum tempestiuè in ipsa afflictione proferre. quo docemur eius prouidentiæ dandum esse spatium, vt tandem se in necessitate proferat. Quare si nihil nobis melius est quàm Dei manu protegi, paternum que eius fauorem sentire, ne adeo molestum sit censeri coram mundo pauperes & miseros: sed dolorem nostrum leniat hæc cõsolatio, non procul abesse Deum, quem ad nos iuuandos ærumnæ nostræ accersunt. Nã tẽpus communiendi & protegẽdi est, sicut & tẽpus afflictionis & crucis. In tempore succurrit Dominus: verùm determinatio opportunitatis huius non est nostræ cognitionis, sed diuinæ patientiæ ac prouidentiæ deputãda. Non sinit nos tentari vltra quàm ferre possumus, 1. Corinth. capite 10. c. 13. At ipse nouit quid & quandiu ferre possumus: imò ipse dat vt ferre queamus. & hoc ipsum etiam auxilii vice est. Vide apud Petrum Epist.2.b.9. *In angustia.* Quibusdam בצרה videtur esse simplex dictio, quæ Hebræis prohibitionem significat: hîc autem metaphoricè pro angustia accipiunt, dum quis in arctum coactus nullum exitum inuenit. Magis tamẽ probabilis est eorum sententia qui ב seruilem literam esse docẽt. Dicitur itaque præsto esse Deus ad opportunitates, tempore dum pios vrget afflictio. Auertere quidem hoc tempus posset, ne vnquam incederent pii in angustias: sed quum iudex æquus sit, & sui quotidie admittãt quæ sunt animaduersione digna, iudicio suo familiam suã primùm castigat, & in viam reuocat, ne planè cum reliquo mũdo condemnetur: eóque aliquid in eos sceleratis permittit: sed in tempore eos vlciscitur, manibus illorum ereptos. Cogitemus ergo quanta sit tribulationum vtilitas. Tribulationibus non modo fides ac patientia nostra exercetur, sed & Deo datur opportunitas bonitatem suam erga nos declarandi. Tantũ itaque abest vt tribulationes deprecari debeamus, vt magis cõueniat illas cupidè complecti.

11 *Et sperabunt in te qui cognoscunt nomen tuum: quia non dereliquisti quærentes te Iehoua.*

Et sperabunt in te. Sperent igitur, Fiduciam igitur habeant. Futurum pro imperatiuo. Hoc versu Propheta fructum hunc consequi docet, quoties iustos liberat Dominus, vt ipsi & reliqui omnes in fiducia gratiæ eius magis ac magis proficiant. Nisi enim persuasum nobis sit Deo curæ esse res humanas, continua inquietudine nos vexari necesse erit. Et quoniam plurimum refert in quem spem tuam conicias, monet Propheta in Deum sperandum esse. Nam quia Deus neminem fallere potest, nequit hæc spes fallax esse. Huc pertinet illud Prophetæ, Maledictus qui confidit in homine. &c. Ierem. capite 17.a.5. Et illud, Nolite confidere in principibus nec in filiis hominum, in quibus non est salus, Infrà, Psalmo 146. a. versu 3. *Qui cognoscunt nomen tuum.* Quia plurimi ad Dei iudicia cæcutiunt, profectum hunc Dauid ad solos fideles restringit. Et certè vbi nulla est pietas, nullus etiam est operum Dei sensus. Notandum etiam quòd Dauid fidelibus tribuit notitiã Dei: quia hinc nascitur religio, quæ ignorantia & stupore hominum extinguitur. Quod autem ad Dei nomen attinet, multi simpliciter pro Deo accipiunt: verùm aliquid amplius hac voce exprimi

c.ii.

iam alibi docuimus. Nam quia occulta & incomprehensibilis est eius essentia, quatenus se nobis patefacit, maiestas eius in nomine statuitur. Et per nomen attributa Dei intelligimus. Vertere igitur possumus, Qui notam ac perspectam habuerint clementiam tuam, qui nouerint bonitatem & humanitatem tuam, &c. Nam de Deo prædicatur quòd sit iustus, bonus, fidelis, suorum defensor, protector eorum qui ipsum quærunt, &c. Et personæ mutatio suauitatem habet, quia non dixit, Et sperabunt in eum: sed, Et sperabunt in te. *Quia non derelinquis quærentes te Iehoua.* Sperandi causam exponit, quia Deus non deserit qui ipsum quærunt. Fit autē hoc duobus modis, vel inuocatione & precibus, vel studio sanctè rectéque viuendi. Et hoc quidem semper cū illo coniunctū est: sed quia hic de præsidio Dei agitur, in quo sita est piorum salus, quærere Deum interpretamur, ad eius fidem confugere. Impii Dominū non quærunt: ideo ab eo deseruntur. Dominū (inquit Propheta) nō quæsierunt: ideo non intellexerunt, Ierem. 10. d. 21. Et de Asa legitur quòd ne in summis quidē Dominum quæsierit, 2. Paral. 16. d. 12. Ergo si diuinum auxiliū sentire cupimus, dum in angustia sumus cōstituti, illū solum quæramus qui suos nusquam deserit. Quærite Dominum (inquit Vates) dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, Esa. 56. b. 6. vt dubium non debeat esse quin inuocantibus adsit.

12 *Canite Iehouæ habitanti in Sion, annuntiate in populis opera eius.*

Cantate Iehouæ. Dauid non contentus priuata gratiarum actione, fideles ad consensum laudandi Dei hortatur: non modò quia ad hoc pietatis officium alii alios incitare debent, sed quia liberationes de quibus agitur, publico solennique præconio dignæ erant. Hoc exemplo docemur, Dei beneficia, quibus suos in dies cumulat, in cœtu publico grato animo esse prædicanda, vt ex his maiorem in posterum fiduciam totus populus concipiat. *Habitanti in Sion.* Deum vocat habitatorem Sionis, vt eum à fictitiis omnibus Gentium idolis discernat. Est enim tacita comparatio inter Deum illum qui fœdus suum cum Abraham & Israele pepigerat, & deos omnes qui passim in mūdo temere colebātur. Neque enim satis est cōfusum Dei nomē in pretio & honore esse, nisi vero & vnico Deo distinctè tribuatur suus cultus. Porro quia Deus locum illum delegerat vbi nomen suum inuocaretur, meritò Dauid hoc illi quasi proprium domicilium assignat: non quòd ipsum fas sit loco includere, (quem cæli cælorum non capiunt, sicut habetur 1. Reg. 8. e. 27) sed quia promiserat illam fore suam requiem in seculum seculi, vt videbimus infrà, 132. d. 14. Neque enim Dauid suo arbitrio sedem illic Deo assignauerat, sed oraculo edoctus erat Deo ipsi placere, sicut à Mose sæpius prædictum erat. Quo etiam confirmatur quod prius diximus, Psalmum hunc non fuisse compositum de cæde Goliath: quia non nisi sub finem regni Dauidis ex Dei mandato, arca fœderis Sionem translata fuit. Durū enim & coactū est quod nonnulli coniiciunt, de re futura Spiritu prophetico Dauidem loquutum esse. Porro alibi quoque in Sion Deus habitare dicitur, veluti infrà, 74. a. 2. & suprà, 2. b. 6. Mons Sion mons Dei dictus est. Sic autem loquitur Propheta de Deo non modò specificandi gratia, vt Israelis Deum significet, (sicuti paulo antè diximus) sed etiam ob id vt Israelem accepti beneficii admoneat, quòd Deus in medio populi sui habitare voluit: ideóque sedem suam in Sion, expulsis Iebusæis, quò & tabernaculum & arcam, deinde & regni sedem transtulerat. Cæterùm videmus, sanctos Patres, dum Sionem concurrerēt ad offerenda Deo sacrificia, nihil aggressos esse proprio motu, sed in fide verbi fundatos suam obedientiam Deo probasse. Vnde sequitur, perperam obtendi eorum exemplum ad excusandos cultus quos sibi superstitiosi homines sponte fabricant. Nullus enim nunquam fuit cultus Deo gratus, nisi ex verbi Dei præscripto institutus. Adde quod tunc non satis fuit à verbo Dei pendere fideles, nisi externis symbolis adiuti sursum mentes attollerent, ipsumque spiritualiter colerent. Vera quidem præsentiæ suæ signa exhibuit Deus in illo visibili sanctuario, sed non vt populi sensus terrenis elementis alligaret: quin potius externa illa symbola scalarum loco esse voluit, quibus in cælum vsque assurgerēt fideles. Nā ab initio Deus & sacramenta & externa omnia pietatis exercitia ad hunc finem retulit vt populi sui ruditati consuleret. Ita hic legitimus hodie est illorum vsus, si nos ad Deum spiritualiter in cælesti sua gloria quærendum adiuuant, non autem occupant in mundo, vel retinent in carnis figmentis. Qua de re posthac opportunior erit tractandi locus. Sicuti autem olim Dominus, quum se incolā Sionis vocaret, solidam fiduciæ, quietis & gaudii materiam populo suo dare voluit: nunc, postquam egressa est Lex è Sion, & ex illo fonte ad nos fœdus gratiæ manauit, sciamus eum vbique præsidere in medio fidelium, qui eum purè & ritè ex præscripto verbi eius adorant. Qua de re vide Matthæum capite 18. c. versu 20, & Iohannem 14. c. 23, & 2. Corinth. 6. d. 16. *Annuntiate in populis opera eius.* Hoc ipsum est quod prius diximus, liberationes de quibus hic agitur, publico solennique præconio dignas fuisse. Nam eas annuntiari iubet inter populos. Sensus enim est, non satis pro sua dignitate celebrari, nisi sua fama totum orbem impleant. Quanuis autem hoc esset quasi surdis canere, hac tamen loquendi forma testari voluit Dauid magis angustos esse Iudææ fines quàm vt immensam illam laudum Dei amplitudinem possent capere. *Opera eius.* Studia eius, vel facinora & egregia facta eius. Ergo non solùm ipsa externa opera Dei, quibus suos tuetur, sed & mentis illius sedulitatem & voluntatis propensionem hac nobis voce considerandam & adorandam proponit, eámque non semel tantùm atque iterum declaratam, sed quæ perpetuò sese exerat. Sic studium vocatur quod crebrò & sine intermissione summa cū diligentia exercetur: & studiosum vocant qui rei cuipiam irremissa diligentia incumbit. Quod eò spectat ne Deum lentum aut segnem cogitemus, vt carni videtur.

13 *Quoniam requirens sanguinem, eius recordatus est, non oblitus est clamoris pauperum.*

Quoniam requirens sanguinem, eius. Requirens cædes, ipsarum (sub. cædium) meminit, vel recordatur. id est, Deus qui quæstionem instituit de cædibus innocentium, tempore suo illarum recordatur, atque vlciscitur. Quum igitur nomen sanguinum in plurali numero hic positum sit, relatiuū quod subiicitur, commodè eòdem referemus. Quia tamen Hebræis satis tritum est ordinem antecedentis & relatiui inuertere, quidam de pauperibus exponunt, hoc modo, Requirens sanguinem, recordatus est ipsorum, nempe pauperum, de quibus paulo pòst loquitur. Quanquam autem ad summam rei parum interest vtroque modo vertas, prior tamen sensus melius fluit. Est autem repetitio eius quod nuper dixerat, Dei virtutem in misericordia cum seruis suis iniustè afflictis præcipuè considerādam esse. vnam enim operum Dei speciem ex multis tanquam apprime memorabilem commēdat, quòd scilicet pauperes à morte liberet, &, siquando ipsos affligi sinit, deinde tamen illatas iniurias vlciscatur. Notandum autem est quòd Propheta de Deo non dicit, Quoniam sciens vel videns sanguinem: sed, Quoniam requirens sanguinem. De hoc fortitan pauci dubitant, quòd Deo nota sint & conspicua mortalium facinora, vt ipso inscio nemo possit occidi vel opprimi. quòd verò non solùm sciat, sed vlciscatur etiam, pauci sunt qui indubitatò credant. Rectè ergo ad hunc modum loquutus est Propheta, nec dixit, Quoniam vltor sanguinis: sed, Quoniam requirens sanguinem. Qui insontes occidunt, aliquid prætexunt, ne videantur occisores sanguinis innoxii. Deinde sanguis pauperum & afflictorum ita est in hoc seculo contemptus, vt plerunque sine vlla æstimatione fundatur. Sciamus ergo Dominum inuestigare causas insontum, vtut illæ occulantur. Deinde non ita contemnere sanguinem miserorum sicut ille à filiis huius seculi contemnitur, sed studiosissimam illius habere rationem. Nota est historia Abelis, Genes. capite 4. b. 9. 10. Deinde & Naboth, 1. Reg. 21. e. 18. 19. Et locus ille Matthæi 23. d. 35, Vt veniat super vos omnis sanguis, &c. Quāquam autem verba quibus Dauid vtitur, continuum actum designent, dubium tamen non est quin Deum requirere innoxium sanguinem, & clamoris suorum memorem esse, ex illis quæ retulit exemplis agnosci velit. Atque iterum inculcat quod prius attigimus, Deum non semper maturè, vt vellemus, occurrere iniuriis, neque inter ipsa initia frangere impiorum conatus: sed potius auxilium suum suspendere, vt irritus videri possit clamor noster. Quod tenere operæpretium est. Nam si Dei auxilium metimur sensu nostro, subinde nobis labascent animi, nec tandem guttam bonæ spei retinebimus. Vellemus (vt diximus) ipsum procul extenta manu anteuertere quas nobis parari videt molestias: ipse autem dissimulat, nec prohibet quominus sanguis innoxius fundatur. sed hæc consolatio nos sustineat, quod tandem reipsa ostendet pretiosum sibi fuisse sanguinē nostrum. Siquis obiiciat serū esse Dei auxilium, postquam malis omnibus defuncti sumus, respondemus, ipsum non vltra quiescere quàm nobis vtile est sub cruce humiliari: nec ideo vindictam auxilio præferre, quasi non semper ad nos iuuandos voluntarius sit ac paratus: sed quia manifestandæ gratiæ non semper idoneum esse tempus agnoscit. Interim hoc singulare est non modò paterni eius erga nos amoris, sed & beatæ immortalitatis testimonium, quòd mortuos etiam curat. Nam si gratia sua nos semper præueniret, quis non affixus esset præsenti vitæ? sed dum mortem nostram vlciscitur, hinc apparet coram Ipso nos manere superstites. Neque enim hominū more colet eorum memoriā quos seruare viuos nō potuit: sed reipsa probat fouere in suo

sinu & custodia qui videntur secundum carnem extincti. Hæc ratio est cur dicat Dauid ipsum recordari sanguinis, dum eum requirit: quia licet suos in ipso articulo ex impiorum gladiis non liberet, cædes tamen inultas non patitur. Eodem posterius membrum spectat, *Nõ oblitus est clamoris pauperum.* Quia licet ad suorum querimonias non statim se attendere effectu probet, tandem à se obseruatas fuisse demonstrat. [m] Notum quidem est non cadere obliuionem in Deum: at interea dũ non vlciscitur, videtur oblitus esse suorum. Contra huiusmodi tentationem corroboramur hac particula, qua nobis Deus in eo commendatur quòd suorum non sit oblitus. Vide Prophetæ locum huc facientem, Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, &c. Esa. 49.d.14. [c] Clamoris verò disertè fit hic mentio, vt vota sua, gemitus & preces ad Deum dirigant quicunque eum cupiunt sentire liberatorem aut vindicem. [m] Vide Luc. 18.b.7. [c] Hæc iterum moneant, siquid indignè patiamur, Deum id vlturum, cui vni causam nostram committere addecet.

14 *Miserere mei Iehoua, vide afflictionem meam ab ijs qui me persequuntur, tu qui me exaltas è portis mortis.*

Miserere mei Iehoua, vide. [c] Hæc videtur secunda esse pars Psalmi. Non enim obiter inserit quæ prius inter media pericula & & curas vota conceperat: sed ex professo Dei opem implorat, petitque vt idem ille, quem sæpe liberatorem erat expertus, gratiæ suæ cursum continuet. ac fieri potest vt hostes iam aliquoties victi, collectis nouis viribus & animis extrema tentauerint: vt sæpe videmus desperatos tumultuosius & maiore impetu furere. Certum quidem est, quum precatus est Dauid, oblatum fuisse illi maximũ terrorem: neque enim abs re Deum suæ afflictionis testem aduocat. Notandum autem est, dum ad Dei misericordiam suppliciter confugit, æquo & modesto animo crucem sibi impositam ferre. *Vide afflictionem meam.* [m] Vulgata Latina habet, Vide humilitatem meam: Chaldæus verò legit, Vide afflictionem vel tribulationem meam. Persuasus de Dei misericordia, ad illam in tribulationibus confugit, & quosuis afflictos confugere docet. Non potest aliunde obtineri salus nisi à solo Deo, nec debet homo pius aliunde petere nisi à Deo suo: cui fidem hanc debet, vt ad ipsum ex animo in necessitatibus confugiat [a] sicuti habetur infra, 50.c.15. [m] Quare qui creaturas inuocant, & stulti sunt & perfidi: stulti, quòd a quam è pumice postulant: perfidi, quòd ex alieno & non legitimo fonte petunt. *Ab iis qui me persequuntur.* Vt afflictionem exprimat, adiicit inflictam sibi fuisse ab hostibus. Sunt afflictiones meritæ, sunt immeritæ. Immeritæ sunt, & ad misericordiam mouendam fortiores, quæ non propter culpam sed odio inferũtur. *Qui exaltas me è portis mortis.* [c] Notandum est hoc epithetum quo Dauid Deum ornat, suum exaltatorem à portis mortis vocans. neque enim melius nomen occurrit pro Hebraico מרומם. Nam primò fidem suam ab experientia confirmat, quia sæpe ereptus fuerat è summis periculis. deinde salutem sibi promittit in ipsis mortis faucibus, quia consueuerit Deus non tantùm vsitatis modis seruos suos iuuare, eorumque malis mederi, sed ipsos è sepulchro educere, postquam spes vitæ præcisa est. Portas enim mortis metaphoricè appellat vltima discrimina quæ interitum minantur, imò iam apertum sepulchrum ostentant: [a] sicuti postea dicet, Circundederant me dolores mortis, & torrentes impietatis terrebant me: dolores sepulchri circundederant me, præuenerant me laquei mortis, &c. Infrà, 18.a.5. [m] Significat itaque his verbis tantam sibi afflictionem ab inimicis illatam vt de vita desperarit, visusque sibi sit iam morti traditus, & à potestate inferorum absorptus. [a] Hanc tamen Deo laudem tribuit vt ipsum fateatur posse afflictum è portis mortis eripere & exaltare. [c] Ergo ne vel præsentium malorum grauitas vel impendentium metus fidem nostram absorbeat, vel preces nostras abrumpat, reuocemus in memoriam, non frustra hoc Deo munus ascribi, quòd suos extollat è portis mortis. [m] Nam hac loquutione pulchrè innuitur, tum demum tempestiuum esse Dei auxilium quando malum videtur esse deploratum. [a] Hinc verò tanta fiducia nascitur, vt fidelis dicere non dubitet, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, Infrà, 23.a.4. [m] Est enim dominus vitæ & mortis.

15 *Vt narrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, exultem in salute tua.*

Vt narrem omnes laudes tuas. [m] Continet hic versus causam ob quam Dauid per Dei misericordiam ab hostibus eripi optet: nempe vt sui liberatoris laudes publicè celebret. *In portis.* [v] Porta in sacris literis significat locũ ante portam in quem populus cogi & conuenire solebat: vbi & iudices congregabantur, vt illic ius redderent. Dicit igitur Dauid se enarraturum laudes Dei in portis congregationis Sion, id est, in locis in quibus conciones haberi solebant à populo Israelitico, in conuentu frequentissimo: acsi dicat In media Ecclesia. Etsi autem simpliciter intelligit, per omnes cœtus, & vbicunque erit populi frequentia, se Dei laudes celebraturum, videtur tamen allusio esse ad portas mortis. acsi dixisset, postquam ereptus est à sepulchro, se daturum operam vt Dei gratiam in maxima luce testetur. [b] Sic tantùm Dei gloriæ viuere sancti petunt. *Filiæ Sion.* [c] Sub filiæ nomine populum vel ciuitatem intelligi notum est: sed vrbem ipsam à præcipua parte denominat. *Et exultem in salute tua.* [v] De salute tua, id est de auxilio tuo salutifero, siue, Vt lætitiam meam profitear de auxilio à te accepto. [c] Quia non sufficit Dei laudes in linguis nostris sonare, nisi ex animo proficiscantur, additur interior lætitia. acsi dixisset, nõ alium sibi finem sibi in animo esse præsentis vitæ frui quàm vt gaudeat se à Deo seruatum esse.

16 *Demersæ sunt gentes in foueam quam fecerunt, in rete quod absconderunt comprehensus est pes eorum.*

Demersæ sunt gentes in foueam. [m] Vulgata Latina habet, Infixæ sunt gentes in interitu: Hieronymus, Demersæ sunt Gentes in interitu. Significat autem שחת foueam. [b] Iam Dauid fiducia erectus hostibus suis insultat. [c] Vtitur autem duplici metaphora: altera à venatoribus, qui lupis & vulpibus fodiunt foueas in quas incidant: altera ab aucupibus. q.d. Parauerant mihi foueas & laqueos: sed in illos inciderunt, industria & arte sua ceciderunt. [c] Hoc verò non fortuitò accidisse, sed opus Dei & illustre iudicii eius specimen esse versu sequenti affirmat. Porro non temere venatoribus vel aucupibus comparat hostes suos. Quãuis enim violentia & impetu sæpe grassentur impii, semper tamen fraudibus & obliquis artificiis patrem suum Satanam imitantur, qui mendacii pater est, Iohan. 8.f.44. Itaque quicquid habent ingenii, ad malitiam & noxia consilia deflectunt. Quoties ergo dolosè perniciem nobis machinantur impii, veniat nobis in mentem, minimè nouum esse si Dei filiis retia & laquei tendantur. Simul autẽ consolatio hæc succurrat, quicquid tentent, euentum non esse in eorum manu, sed Deum illis aduersum fore, non modò vt eos frustretur, sed etiam vt deprehendat in prauis consiliis quæ sibi fabricant, omnesque eorum copias connectat in ipsorum capita. [c] Interea admonemur non esse piorum vt ipsi aliis, etiã impiis, foueas struant, & retia tendant: sed hanc magis esse illorum sortem vt ipsis foueæ ac retia struantur. Cauendum igitur est ne cuipiam foueam aperiamus, vel laqueos ponamus: ne hoc ipsum experiamur quod hic Propheta canit: hoc est, ne nobis ipsis authores simus exitii. Quã de re vide supra, 7.d.16.

17 *Notus est Iehoua iudicium faciendo: in opere manuum suarum illaqueatus est peccator. Higgaion selah.*

Notus est Iehoua iudicium faciendo. [a] Sic ad verbum legitur, Cognitus Iehoua iudicium fecit: sed abrupta est oratio, quam obscuram reddit breuitas: ideóque duobus modis exponitur. Quidam enim exponunt, tum demum cognosci Deum vbi pœnas de improbis exigit. Sed alter sensus melius quadrat, palàm esse & omnibus manifestum, quoties impios illaqueat sua malitia, Deum iudicis partes implere. In summa, quoties contra illos retorquet Deus quascunque excogitant nocendi artes, iudicium eius magis illustre esse prædicat quàm vt vel naturæ vel fortunæ adscribi queat. Nos verò, siquando Deus manus suæ virtutem clarè exerat, discamus aperire oculos, vt fidem nostrã confirment iudicia quæ cõtra Ecclesiæ hostes exercet. [m] Adhæc quòd perditionem hanc impiarum gentium non perditionem simpliciter, sed iudicium Dei vocat, significat primùm esse illã à Deo: deinde esse omnium iustissimam. Esse à Deo inde cogitari potest quòd astutí isti ac versuti homines, contra sua ipsorum consilia, ibi pereunt vbi aliis insidias struxerunt. Certè ipsi volentes ac prudentes in suas ipsorum foueas nunquam caderent, nec à piis in illas truduntur, quibus plerunque sunt ignotæ. Liquet ergo diuina illos dispositione excæcari & inebriari, vt suis ipsorum consiliis capiantur. Esse omnium iustissimã tam est manifestum vt à communi mortalium sensu probetur. *Higgaion.* [b] Quia diuinæ opis miraculum dignè considerari & satis admirari nequit, summámque Dei laudem poscit, adiecit Vates הגיון, quod nomen à verbo הגה venit, internúmque animi murmur & ex grato pectore eructantem Dei laudẽ significat. Voluit siquidem hac voce monere Ecclesiam vt nunquam satis admirandam Dei benignitatem in tam stupendo miraculo pressius consideraret, indéque accenderetur ad prædicãdas Dei laudes totis viribus, tũ excitaretur ad fidẽdũ Deo quouis in periculo, quãdo ille tã insperatò & mirificè soleat adesse suis. [v] Q. de

O rem perpetua meditatione dignam! hoc perpetuò meditari debent fideles: nimirum quòd improbi consilio suo pereant. [C] Eòdem spectat vox *Selah*, quam alibi diximus sic cantum temperasse vt ipsa modulatio rei & argumento congrueret. [M] Discamus ergo hunc esse beneficiorum Dei vsum vt mente memori ea recolamus, ne simus instar pecudum, quibus nullus est iudiciorum Dni intellectus. Bestiarum est beneficiis Dei nonnisi dum adsunt, frui, piorum verò & cordatorum, non modò præsentium vsu delectari, sed & iugi præteritorum memoria ad fidei, spei ac patientiæ augmentum institui. qua in re potissimum est accepti beneficii emolumentum. [P] Græcus vtranque vocem & Higgaion & Selah hoc loco præterit. Chaldæus verò sic reddidit, Iusti ouabunt.

18 *Conuertentur impij in infernum, omnes gentes quæ oblitæ sunt Dei.*

Conuertentur impii in infernum. [V] Reuertentur, recident. Multi in optatiuo transferunt Conuertantur, acsi esset imprecatio: sed potius se & omnes alios pios Dauid in posterum confirmat, quicquid conentur scelerati, ipsis infœliciter cessurum pronuntians. [M] Intelligit autem Propheta non de illis gentibus quarum interitum hoc Psalmo cecinit, sed in genere de omnibus peccatoribus & impiis gentibus populo Dni inimicis, significátque non esse illorum conatus anxiè timendos, quòd statim sint perituri. Et Conuertendi verbo alium quàm putent exitum eos manere significat. Subest enim tacita antithesis inter altitudinē audaciæ & ruinā. Quia enim nullo Dei metu tenentur, sese efferunt supra nubes: deinde, quasi illis fœdus esset cum morte, (quemadmodum dicit Esaias, capite 28. d. versu 15) multo superbius insolescunt. Dum ipsos tam securè furere videmus, admonet Propheta præcipites amenna ferri, vt tandem in sepulchrum decidant, à quo putabant se longissimè distare. His ergo subita & inopinata mutatio nobis describitur, qua Deus, vbi visum est, res turbatas in ordinem restituit. [A] Hoc Paulus Apostolus his verbis significauit, Quum dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient, 1. Thessal. capite 5. a. versu 3. Huius rei exemplum habes apud Lucam, capite 12. c. 19. 20, & 16. e. 22. 23. [C] Quoties ergo extra omne discrimen altè volitant impii, fidei oculis contemplemur quod illis paratum est sepulchrum: certóque persuasi simus, Dei manum, licet occulta sit, prope instare, quæ eorum cursum, quo cælum petebant, ad inferos momento retorqueat. [C] Nomen Hebraicum שאולה, quod dubium est, per infernum commodè hoc loco reddi potest. Tametsi enim non ineptè alii vertūt Sepulchrum, certum tamen est notari aliquid à Propheta vltra communem mortem. alioqui nihil de sceleratis diceret quod non etiam promiscuè caderet in omnes fideles. Sicuti ergo non simpliciter de æterno interitu loquitur, ita etiam sub metaphora sepulchri impios omnes perituros significat, & exitialem illis fore suam confidentiam, qua per omne nefas ad calcandam iustitiam & ad innoxios opprimendos conscendunt. Descēdunt quidem & fideles in sepulchrum, ([A] sicut de se fatetur Iacob, Genes. capite 37. g. 35.) sed non illo violento impulsu qui eos sine spe exitus demergat: quin potius in sepulchro reconditi, spe tamen in cælo habitant. *Omnes gentes quæ oblitæ sunt Dei.* [C] Loquitur de gentibus illis quæ nulla religione tenentur. [M] Et aduerte quòd gentibus tribuit obliuionem Dei. Nemo potest eius obliuisci quem nunquam in mente habuit. Gentes illæ impiæ, idololatræ & hostes populi Dei, Dei hîc oblitæ dicuntur. Ergo aliquando veri Dei cognitionem habuerunt, quam postea reliquerunt, atque obliuioni tradiderunt. Vnque sub Noe reliquiæ illæ totius mundi, vnde cunctæ gentes originem ducunt, cognitionem verbi Dei post diluuium habuerunt, quam post diuisionem à se inuicem, quū in orbem dispergerētur, obliuioni dederunt. Notat hoc in gentibus Propheta, istique obliuioni cunctam illarum impietatem, qua & Deo & populo eius repugnabant, tribuit. Quo exemplo admonemur vt in retinenda memoria Dei non solùm ipsi vigilantes simus, sed & posteros nostros in illa quamdiligentissimè exerceamus. Etenim omnis impietatis & idololatriæ, omnium scelerum & omnis immanitatis origo est ista obliuio Dei.

19 *Quoniam non in seculum in obliuionem erit pauper: expectatio pauperum non peribit in seculum.*

Quoniam non in seculum in obliuionem. [M] Rationem reddit prædictæ consolationis, [C] & priorem sententiam confirmat, quòd Deus non deseret in perpetuum inopes & afflictos. Quibus verbis significat videri quidem posse ad tempus derelinqui. Quare sciamus nobis hac lege auxilium Dei promitti vt tamen non præueniat nostras afflictiones: sed vbi nos diu cruce domuerit, tandem succurrat. [M] Admonemur hîc fieri posse vt homo obliuiscatur Dei cōditoris sui (sicut & Israelitis improperat Moses Deut. 32. c. 15) Deum verò seruorum suorum obliuisci non posse. *Expectatio pauperum non peribit in seculum.* [V] Nulla est negatio apud Hebræos in hac secunda parte versus: verùm eam suo more repetunt ex præcedenti. Hoc est, nunquam Dominus obliuiscetur afflictorum & calamitosorum, neque vnquam excidet spes eorum. hoc est, non erit vana, neque frustrabuntur sua spe. [C] De spe & expectatione nominatim loquitur Dauid vt nos ad preces hortetur. Ideo enim ad nostras ærumnas conniuet Deus quia vult precibus nostris expergefieri. Nam vbi vota nostra exaudit, quasi memor nostri esse incipiat, manū suam potentia instructam ad nos iuuandos porrigit. Sed iterum repetit Dauid non statim id fieri, ne desinamus bene sperare quamuis non statim arrideat prosper euentus. [M] Impii in afflictione vel desperant, vel ad humana, &, si illa non reluceant, ad diabolica consilia confugiunt. At pii vbi affliguntur, nec desperant, nec ad humana nisi more solito, multo minus ad diabolica cōsilia, sed ad Deum suum, cui fidunt, à cuius bonitate pendent, confugiunt, & ab illo opem expectant. Sic tribuit hîc afflictis expectationem Propheta, eosque patienter ad Dominum respicere ait, dum auxiliatricem dexteram, vbi tempestiuum illi videbitur, porrigat.

20 *Surge Iehoua, ne roboretur homo: iudicentur gentes coram te.*

Surge Iehoua, ne roboretur. [M] Propheta Psalmum claudit epiphonemate satis ardenti. Sentiebat insolentiam & arrogantiam Gentium ex eo inualescere quòd, conniuente Domino, impunè quiduis tentarent, & successu quodam in conatibus impiis potirentur. Hinc enim vsqueadeo efferebantur vt sine vllo omninis metu, quasi dii quidam essent, populum Dni opprimerent, & contra Deum ipsum extollerentur. Et quoniam istam arrogantiam & insolentiam non tam Israelis quàm diuinæ gloriæ detrimento esse sentiebat, ardenti affectu Deum orat vt potentiam suam cōtra impios exerat, declaret se verum esse Deum & Dominum vniuersis mortalibus tremēdum. [C] Itaque Surgendi verbum non ad Deum, sed ad externam rei speciem & sensus nostros refertur: quia non sentitur Deus suorum liberator, nisi quum oculis nostris velut pro tribunali sedens apparet. *Ne roboretur homo.* [V] Ne fortificetur homo. id est, ne præualeat mortalis. hoc est, effice ne vires humanæ aliquid esse videantur, ostende humanas vires aduersum te nihil posse. [C] Ratio additur quæ Deum ad vindicandas suorum iniurias inducat, ne scilicet coboretur homo: quia ipso surgente omnem impiorum ferociam protinus concidere necesse est. Vnde enim fit vt improbi vel tam audacter insolescant, vel tantum valeant ad nocendum, nisi quia Deus quiescit, frænumque laxat? Simul verò ac signū iudicii sui ostenderit, solo nutu compescet superbos eorum tumultus, viresque franget. [M] Tanta est enim humani ingenii malitia & arrogantia, vt vires nacta etiam contra Dominum insurgat, adeo vt necesse sit Deum cōtra insurgere, ac talem arrogantiam sua virtute prosternere. [C] Docemur etiam hac precādi forma, quantumuis impotenter superbiant hostes nostri, tamen in manu Dni esse, nec plus posse quàm illis permittit, nec dubiū esse quin Deus, quoties volet, redditurus sit omnes eorū conatus vanos & irritos. Ideóque nomen hominis ponit quod ab ærumnis deductum est, acsi quis Latinè diceret mortalem hominem vel caducum. [V] Nam vox Hebræa אנוש significat hominem infirmum vel imbecillum. *Iudicentur gentes coram te.* Id est, vtinam exerceatur à te in gentes iudicium. hoc est, vtinam à gentibus pœnas scelerum suorum exigas. [C] Nam Deus gētes coram facie sua iudicare dicitur quum eas quodammodo ad tribunal suum stare cogit. Scimus enim incredulos, donec violenter trahantur in conspectum Dei, tergum illi obuertere, vt iudicem suum non cogitent.

21 *Pone Iehoua timorem eis, sciant Gentes quòd homines sunt. Selah.*

Pone Iehoua timorem eis. [M] Hebraismus, O Iehoua incute illis metū. [C] Quanquā מורה Græcus interpres Legislatorem vertit, à ירה deducens, quod Docere interdū significat. Sed circūstantia loci postulat vt pro metu vel terrore sumamus. idque inter omnes sani iudicii doctores conuenit. [M] Nec absre Propheta Deum orat vt gentibus ferocientibus metum incutere velit. [M] Nam hinc potissimùm impiorum hominum insolentia & arrogantia nascitur quòd nullo sunt metu præditi: & hic fons est omnis tyrannidis & impietatis. [C] Porro videndum est de qua timoris specie loquatur Dauid. Nam Deus communiter electos etiam suos timore subigit ad obsequium. Sed quia suum erga eos rigorem temperat, & simul emollit lapidea ipsorum corda, vt sponte & placidè se submittant, propriè nō dicitur eos metu cogere. Erga reprobos diuersum agendi modum tenet. quia enim inflexibilis est eorū durities, vt facilius sit eos

frangi quàm corrigi, violétet indomitam ipsorum contumaciam subigit: non quòd resipiscant, sed quia, velint nolint, illis exprimitur suæ infirmitatis confessio. Quantumuis enim fremant, & ebulliat ipsorum rabies, imò truculentia superent feras belluas, obiecto tamen Dei terrore eum suo impetu sternuntur, atque etiam mole ruunt sua. Sicut de iis legimus qui aduersus Israelem pugnãtes tanto terrore perciti sunt, vt nemine persequente terga obuertere coacti fuerint. Quod quidam exponunt de Dauide, vt sub eius iugum Deus gentes mittat, eiusq. imperio reddat tributarias, frigidum est ac coactum. Terror enim generaliter quæuis Dei flagella comprehendit, quibus retunditur eorum contumacia qui Deo nunquam parerent nisi inuiti. Hinc verò discimus tantam esse filiorum Dei insolescentiam & arrogantiam, vt solo Dei terrore verè coerceri possit. *Sciant gentes quòd homines sunt.* Subiicit quorsum gentes adigi oporteat, nempe vt se mortales homines cognoscant. Quod etsi prima specie videtur esse leuis momenti, non vulgarem tamen doctrinam continet. Quid enim est homo, vt digitum à seipso mouere audeat? Atqui perinde exultat impiorum omnium licentia acsi omnibus impedimẽtis soluti essent. Sibi quidam falsa imaginatione arrogãt quicquid Dei proprium est: denique nunquam eo intemperantiæ ruerent nisi illis ignota esset sua conditio. Non intelligit quidem Dauid eousque profecturos esse impios sub Dei ferulis, vt verè se & ex animo humilient: sed cognitio de qua loquitur, tantùm est experimentalis: acsi diceret, Fac Domine, quãdo eos ignorantia sui in furorẽ præcipitat, vt re ipsa sentiant vires suas stultæ confidẽtiæ esse impares, ac, vbi eos frustratæ et inanes spes, pudefacti iaceãt. Hoc verò sæpe accidere potest, vt tamen non resipiscant quibus ostensa est sua infirmitas: sed satis est cum ludibrio sacrilegam eorum audaciam traduci, vt re ipsa appareat ridiculam fuisse quam de sua virtute fiduciam præsumpserant. Quantum ad electos Dei spectat, aliter eos proficere conuenit, vt infirmitatis suæ sensu deiecti, sponte se omni fiducia exinaniant. hoc verò fiet si homines esse se meminerint. Scitè enim & prudẽter ab Augustino dictum est, totam hominis humilitatem in sui notitia positam esse. Porro quoniam omnibus ingenita est superbia, necesse est promiscuè omnibus à Deo terrorem incuti, vt fideles modestiam discant, reprobi verò licet conscendere non desinant supra humanam sortem, cum dedecore retrocedant. Vtinam verò reges ac principes Christiani Gentilium tyrannorum vestigia non insequantur, sed agnoscant & se vnà cum aliis esse non deos, sed homines. *Selah.* q.d. O sententiam exacta consideratione dignam! expendant homines diligenter apud se hominis vitam bullam esse, vmbram somnium, quicquid item fragile est atque fugax, nec se longioris vitæ spe lactent, vt in omne genus flagitiorum præcipites ruant.

ARGVMENTVM PSAL. X.

CONQVERITVR Dauid suo & piorum omnium nomine de peruersis, malitiosis & importunis hominibus, qui nihil aliud quàm fraudes, rapinas, crudelem violentiam omnéque iniustitiæ genus cogitat. causámq; huius mali assignat, quòd impii & scelerati homines læto & prospero rerum suarum successu ebrii, excusso Dei metu, sibi quiduis impune licere confidant. Itaque opem Dei implorat, vt remedium afferat extremis malis. Nam intoleranda impiorum hominum superbia, impietas & nocendi tam artes quàm conatus describuntur: quibus solus Deus resistere potest.

VT quid Iehoua stas in longinquo, abscondis [te] ad opportunitates in angustia?

Vt quid Iehoua stas in longinquo. Exordium hoc orationẽ exprimit quam mẽtes fidelium etiam præclarorum virorum in tribulationibus sentiunt, dum aliquandiu impiorum malitia pressi probantur & exercentur, ita vt caro se conceptam spem de Deo protectore conceptam, deseri & abiici putet. Videmus tamen vt Propheta desperatis malis remedium quærens, statim ab initio Deum recta compellet. Atque hæc nobis tenenda est ratio, vt turbati & anxii solatium petamus ex Dei prouidentia: quia inter curarum nostrarum agitationes & æstus fixa manere debet hæc persuasio, proprium eius esse munus miseros & afflictos auxilio iuuare. Improprie tamen & per anthropopathiam Deum in loco remoto stare dicit, cuius oculos nihil fugit. Sed quia Dominus secum humano more agere nobis permittit, nihil absurdum continent istæ loquutiones, modo sciamus figuratè ad Deum transferri quod ex præsenti rerum intuitu sensus noster concipit. Nam fieri quidem potest vt homo quispiam iustus iniuriam ante oculos suos pauperi factam non compescat, quia deest facultas: id autem in Deum non competit, qui semper armatus est inuicta potentia. quare si dissimulat, perinde est acsi procul se subduceret. Ergo dubium non est quin magnum animi dolorem hac querimonia Dauid exprimere voluerit. Et sanè ingens est animis piorum tentationis huius grauitas, dum imminentibus impiis, Deus, in quem illi omnem fiduciam suam collocant, à longinquo stare videtur. Nam & magnus dolor nequit non occupare pectus filii, si dum vel in aquis vel in igne periclitatur, videat patrem suum, qui succurrere posset, à longinquo stare, & otiosè interitum suum cernere. *Abscondis.* Verbum העלים, quod Abscondere significat, duobus modis exponitur. nam, secundum quosdam, expostulat Dauid cum Deo quòd se occultet, quasi res humanas sua cura non dignetur. Alii accipiunt pro Claudere oculos: quod simplicius videtur. q.d. Cur conniues Domine impiis ita in innoxios sæuientibus: cur non eorum insolescentiam virtute tua retundis? Porro notandum est, quamuis hic queratur Dauid Deum longè abesse, de eius tamen præsentia certò fuisse persuasum, alioqui frustra eum aduocasset. Interrogatio autem qua vtitur huc tendit, Quid hoc sibi vult Domine, quum tuum sic mundum gubernare, & quem virtute tua sustines, iustitia quoque moderari, vt non citius contra tantam impiorum audaciam te vindicem ostendas? Quanquam Dauid non tam expostulandi causa sic loquitur, quàm vt seipsum ad impetrãdi fiduciam animet. Pro infirmitate quidem sensus sui minimè consentaneum esse dicit vt Deus ab officio suo tandiu cessaret: non desinit tamen interea suum illi honorem deferre: & tantum molestiæ onus, quo grauatur, precibus in eius sinum deponit. Eodem pertinet quod sequitur, *Ad opportunitates in angustia.* vel, tempore quo sumus in ipsa angustia. Nam vt Deus singulis momentis manum suam non proferat, vbi tamen simplices & innoxios opprimi conspicit, non est amplius cessandi tempus. agẽdi enim opportunitas breuiter definitur, quum versantur fideles in angustia. De qua loquendi forma diximus suprà, Psalmo 9.b.10. Hic autem ad verbum habetur, Ad tempora in angustia, pro temporibus quibus sumus in angustia & tribulatione, & malis afficimur ab improbis. Metaphora sumpta ab homine absente, cuius auxilium imploramus, aut, si adest, conniuente ad mala nostra. Q.d. Quodnam tantum est scelus quod possit obscurare elementiam tuam? Causa autem admirationis est summa Dei bonitas, acsi dicat, Quum sis summopere bonus, cur non sentio? cur impiorum repressa audacia seruis tuis in angustia constitutis non ades sed illos tam diu vexari permittis?

a *Præ superbia impius persequitur pauperem. capiantur in cogitationibus quas cogitant.*

Præ superbia impius persequitur pauperem. Ad verbum, Præ arrogantia improbi persequitur pauperem. Hebraismũ ita conuertere licet, In superbia impius persequitur pauperem. Priusquam Dauid imprecationem concipiat contra impios, crimẽ eorum breuiter exponit, quòd scilicet miseros non alia de causa crudeliter vexent, nisi quia superbè eos despiciunt. Sæuitiam vero non parum amplificat hæc circunstantia, quòd humanitatis obliti, pauperibus & afflictis cõtumeliosè insultent. Superba quidem semper est crudelitas, imò superbia omnium iniuriarum mater est: quia nisi quis fastu se efferret supra proximos, & plus æquo sibi arrogans illos despiceret, nobis communis humanitas modestiæ & æquitatis legem præscribit. Sed hic exprimere voluit Dauid, impiis quos accusat, nonnisi altos & feroces spiritus in causa esse cur non lacessiti sæuiant contra miseros & inopes. Quisquis ergo iustè & sine noxa versari cum fratribus cupit, ne sibi placeat cum aliorum contumelia, sed animum suum superbiæ morbo in primis purgare studeat. Aptè verò Propheta impietati superbiam & crudelitatem coniunxit, dum aduersarios suos non impios modo, sed & superbos & afflictorum persequutores esse queritur. Impietas gignit vtranque, & superbiam & crudelitatem: sicut pietas contrà, animi modestiam & benignitatem erga proximum parit. דלק Hebræis tam pati quàm inferre persequutionem significat: ideo quibusdam magis placet in neutro genere accipere. Non male etiam verti posset, pauperem ardere in superbia impii: quia hæc frequentior est verbi significatio. Nam fastus impiorum miseros homines instar ignis deuorat. *Capiantur in cogitationibus quas cogitant.* Illaqueentur in versutiis, vel cogitationibus fraudulentis. Mutatio numeri. pro, Illaqueetur improbus cum sociis scelerum quos habet. Vtinam capiantur, velut laqueis, prauis suis consiliis, quæ cogitant contra pauperes afflictos. Vox Hebraica מזמה (quæ etiam versu 4 reperitur) significat fere prauas & sceleratas cogitationes, peruersasq; & noxia consilia. Vnde alibi dicitur,

Ne cōmoueare propter eum qui prosperatur in via sua, propter virum facientem מזמות, id est abominationes, fraudes, scelera, Infrà, 37.a.7. Et iterum, Cogitauerunt מזמה, malum consilium, quòd nequiuerunt perficere, Infrà, 21.c.11. [m] Notat ergo Dauid hac voce maliciosam astutiā & insidias in aduersarios, quibus ipsi in exitium indesinenter machinabantur. [a] Æquissimum autem fore asserit si illi in astutiis suis & peruersis cōsiliis deprehendantur & pereant. [m] Qua de re vide suprà, 7.d.16. & 9.d.16.17.

3 *Quoniam laudat se impius super desiderio animæ suæ, & violentus sibi benedicit, spernit Iehouam.*

Quoniam laudat se impius super. [a] Orauerat vt improbi consiliis & malis artibus, quibus capere miseros quærunt, ipsi irretirentur: nunc quam dignè hoc precatus sit, exposita impietate, superbia, malitia & duritate eorum declarat. Promiscuè nomine plurali & singulari vtitur, non enim de vno aliquo, sed improbis quibuslibet canit. Variè tamen exponitur hic versus. Quidam in accusatiuo casu vertunt, impium & violentum: quia durum esse putant verba transitiua absolutè posita esse. sed quū satis constet frequēter apud Hebræos casum subaudiri vbi eadē patientis & agētis est persona, cōmodior & aptior erit illa interpretatio quam multi sequuntur, nempe quòd se impios laudet, vel glorietur super desiderio animæ suæ, sibique benedicat. Nunc quæritur quale sit istud animæ desiderium. Sic quidem fere accipi solet, impios sibi blandiri & applaudere, dum fortuna respondet eorum votis, & quicquid illis in mentem venit optare, consequuntur: sicuti paulo pòst subiiciet, prospero suo statu ad quiduis audendum abuti. Sed desiderium animæ hic multo rectius libidinem & intemperantiam notat: vt sensus sit, suauiter eos sibi indulgere in prauis suis cupiditatibus, & contempto Dei iudicio securè à reatu se absoluere. Pro quo Moses dicit benedicere animæ suæ super inuentionibus vel figmentis cordis, Deut 29 c.19. Dicet quidem paulo pòst Dauid, impios sua prosperitate abuti vt sibi delicias faciant: sed nunc grauius aliquid exprimit, quòd scilicet laudem acquirant ex audacia, & in sceleribus suis glorientur: quæ securitas effrænis proteruiæ causa est. Itaque Laudandi & Benedicendi verba eodem sensu posita sunt, sicut impius & violentus synonyma sunt, quod ad præsentem locum attinet: licet inter se differant tanquam genus & species. His conuenit quod proximè additur in fine versus, *Spernit Iehouam.* Nam quod aliqui blasphemare vertunt, alii ad iram prouocare, à contextu remotius est. quin potius Dauid supinæ illius indulgentiæ causam esse docet crassum Dei contemptum. Nam qui Deum fore iudicem reputat, eo terrore obstringitur, ne animæ suæ benedicere audeat, dum sibi malè cōscius est. [a] Interea notādum est discrimē inter pios & impios. Quandiu pii in hoc seculo viuunt, in timore & tremore versantur, tanquam oculis Domini, quem nihil latere potest, cōspicui. impii verò vt Deum fugiunt & spernunt, ita securè voluptatibus & deliciis indulgent, acsi cum morte & inferno pacti essent: sicuti Propheta loquitur, Esa.28.d.15. Sed væ omnibus illis qui sic insolescunt in hoc seculo, acsi nullus sederet in cælo iudex.

4 *Impius in altitudine naris suæ non exquirit, omnes versutiæ eius, non Deus.*

Impius in altitudine naris suæ non. [a] Vertunt alii, Præ violentia iræ suæ. vel, In superbia quam præ se fert, Deum non exquirit impius. Sed passim sensum deprauant, partim extenuant quod exprimere voluit Dauid. Primò verbum Exquirendi absolutè positum perperam restringitur, quum simpliciter intelligat Dauid impios sine examine sibi quiduis permittere, vel non discernere inter fas & nefas: quia illis sua cupiditas pro lege est. imò tanquam legibus soluti, licitum sibi esse fingunt quicquid libuit. Principium rectè agendi in tota vita inquisitio est, dum scilicet neque temere pro nostro ingenio, neque peruersæ carnis nostræ impetu rapimur. Studium verò inquirendi ex modestia nascitur, dum nobis Deum arbitrū & moderatorem præficimus, vt æquum est. Rectè ergo Prophetes impios dicit, omni delectu posthabito, quicquid concupiscunt, securè aggredi: quia elati superbia, nullam Deo iudicii potestatem relinquunt. אף hoc loco in proprio & natiuo sensu accipitur, non autem metaphoricè pro ira: quia fastuosi homines vultu quoque impudentiam suam produnt. [a] Attollunt enim supercilium, & reliquos omnes securè despiciunt. *Omnes eius versutiæ, non Deus.* [v] Ad verbum, Non Deus, omnes cogitationes eius. [c] Hic durius eos (vel saltē apertius) accusat Propheta quòd omnes eorum prauæ cogitationes ostendunt nullum illis esse Deum. Quibus verbis intelligit, sacrilega audacia fas omne & ius peruertere, acsi nullus sederet in cælo Deus. Nam siquem esse Deum persuasi forent, comprimeret eos futuri iudicii metus. Non quòd distinctè negent esse Deum: sed quia suo illum virtute spoliant. Idoli autem instar erit Deus, si otiosa essentia contentus iudicis officio se abdicet. Deum itaque quantum in se est abolent quicunque mundum non subiiciunt eius prouidentiæ, vel ad eum regendum manum eius esse extentam. Neque verò sufficit frigidam de iudicio Dei notitiam concipere, quia is demum verus est prouidentiæ eius sensor qui nos in eius reuerentia continet. Vox מזמה in malā partem accipitur, vt aliàs sæpe, pro astutia & iniquis cogitationibus. vt sit sensus, quum impii nihil non machinari audeant, satis inde liquere omnem Dei metum ex eorum cordibus esse deletum. [b] Chaldæus paraphrastes habet, Dicit in corde suo, Non sunt manifesti ante Deum omnes cogitatus mei. Græcus, Non est Deus in conspectu eius. sed verus sensus est quem notauimus. [m] Notandum itaque hanc malorum omniū radicem esse, Deum spernere, ac sibi ita blandiri & securè agere acsi Deus non esset. Sicut enim fides in Deum suis fructibus exercetur, crescit, confirmatur ac consolidatur, vt pius in cognitione ac cultu Dei quotidie crescat: sic omnino incredulitatis impietas impiis suis fructibus & exercitiis vegetior, auctior & obstinatior redditur.

5 *Prosperantur viæ eius omni tempore: altitudo iudicia tua à conspectu eius, in omnes inimicos suos sufflat.*

Prosperantur viæ eius omni tempore. [a] Huius versus initium variè exponi solet. [c] Græcus, quia putabat à radice חלל deduci futurum יחילו, vertit, Inquinatæ sunt viæ eius. Atqui inter Hebræos satis conuenit esse à radice חיל. Sed multi actiuè sumūt, pro terrorem incutere, vel molestiam afferre: acsi dictum esset, Viæ impii formidabiles sunt bonis, eósq. excruciāt. Quidam etiam ad Deum referunt, quòd viæ eius veniant, hoc est succedant omni tempore: nimis tamen coactè. Sed quum in aliis Scripturæ locis idem valeat quod prosperari, mirum est de loco præsenti inter doctos fuisse controuersiam, quum secundo membro mox clarè ostendat Propheta se de fœlici impiorum statu loqui & continuo lætitiæ tenore, qui eos inebriat. [a] Rectè ergo Chaldæus paraphrastes, Viæ eius, id est instituta prosperantur. [c] Porro non tantùm de ista fœlicitate conqueritur Propheta, sed eorum crimen inde exaggerat quòd Dei benignitate se ad malitiam obdurent. Ideóque sic resolui debet oratio, Quoniam illis continua prosperitas fluit, Deum sibi obstrictum esse somniant. ita fit vt procul à se repellant eius iudicia. quòd siquis aduersetur, statim se flatu posse discutere confidunt. Tenemus nunc simplicem Prophetæ sensum, quòd Deo illudant impii tolerantiæ eius prætextu: sicuti nequam ille Dionysius in secūda nauigatione iactabat deos sacrilegis fauere. Hinc fit vt Dei iudicia longissimè repellant. [m] De hac impiorum prosperitate vide infrà, Psal. 37.a.1.3, & Ierem.12.a.1. *Altitudo iudicia tua à conspectu eius.* [c] Hoc nonnulli tantundem valere putant acsi diceret Propheta nimis clementer impiis ignosci: quemadmodum alibi conqueritur eximi à communibus miseriis. sed hoc durum ac contortum esse apparet. Dicuntur ergo iudicia Dei altitudo esse impiis, quia freti longa distantia, non modò sibi inducias in totam vitam, sed æternum cum morte fœdus promittunt. Videmus enim vt temporis sibi prorogando veternum sibi obducant: imò Deum cælo inclusum fingentes, quasi nihil sibi esset cum eo negotii, sese ad spem impunitatis confirment. Sicuti apud Prophetā minas Prophetarum suis sannis excipiunt, Edamus & bibamus: cras moriemur, Esa.22.d.13. Nam quum seuera denuntiatione vindictæ Dei populum terrerēt Prophetæ, isti fabulas esse clamitabant. Ideóque acriter in eos inuehitur Deus, quòd se ad luctum, cinerem & saccum vocante, ipsi ad citharam & epulas populum inuitauerint. Tandémque iusiurandum subiicit, Viuo ego, si vnquam delebitur iniquitas hæc. Attollunt quidem fideles in sublime oculos, vt Dei iudicia suspiciant: sed non secus metuunt acsi iam capitibus suis instarent. Impii verò contrà, quanuis ea despiciant, ne tamen eorum metu vel cura turbentur, in cælum ablegant: sicuti Epicurei Deum palàm negare non audentes, fingunt in otio deliciari. Ex illo stupore manat stolida confidentia de qua loquitur Dauid, quòd suo flatu se perdituros non dubitant quicquid hostium extiterit. Sic enim ait, *In omnes inimicos suos sufflat.* [v] Ad verbum, Omnes aduersarios suos sufflat in eos. Alterum relatiuum redondat, more Hebræorum. pro, In omnes aduersarios suos sufflat. hoc est, flatu eos prosternit, siue prosternere solet, sub. opinione sua. Q.d. Opinione & sententia sua confidit solo suo flatu se posse prosternere omnes inimicos suos. Hyperbole, qua etiā Galli vtūtur, quū negāt rem aliquā solo flatu haberi posse, hoc est nō facilè aut citò. Vnde hic solo flatu hostes deiicere, est facilè paruóque negotio & citò illos deiicere. Vel, Existimat se tam facilè hostes deiicere posse & extirpare quàm facile est vento arbores conuellere & euertere ra-

dictus. [c] Nam verbum פוח, quod Illaqueare interdum significat, hîc pro Sufflare aptius sumitur.

6 *Dicit in corde suo, Non mouebor in generatione & generatione: quia non in malo.*

Dicit in corde suo. [r] Confirmat Dauid superiorem sententiam, quòd impii statuant in cordibus suis se extra omne mutationis discrimen versari. *Non mouebor in generatione & generatione.* [v] Hebraicè, In ætate & ætate. *Quia non in malo.* Sub. ero. id est, nihil incommodi sentiam. q.d. Improbus cogitare solet intra se nunquam se à gradu & dignitate sua excisurum: sibi persuadet se quamdiutissimè victurum, neque quandiu viuet quicquam incommodorum accepturum. Chaldæus paraphrastes vertit, A generatione in generationem, quem Septuaginta secuti sunt. Quidam sic intelligunt, Per vnam atque alteram ætatem. sub. viuam: quia nō sum visurus incommodum, quia nihil mali accidet mihi. Alii, In generatione & generationem victurus est, cui nihil incommodi continget. Quæ autem sequitur causæ redditio, *Quia non in malo*, duos sensus recipit: vel quòd ex priori immunitate spem quieti & læti status concipiant impii, vel quòd se à communi hominum ordine, falsa et imaginatione separent. Sicuti apud Prophetam dicunt, Quum transibit tempestas, nos tamen minimè attinget, Esa. 28 d.15. Quamuis autem superbas eiusmodi voces sæpe euomant, solùm tamen prauæ arrogantiæ occultum vlcus quod intus fouent, perstringit Dauid: ideòque non recitat quid ore loquantur, sed quid in corde sibi persuadeant. Quæritur tamen cur in aliis accuset Dauid quod de seipso toties profitetur. Nam Dei præsidio fretus, periculis omnibus animosè insultat: sicuti videbimus infrà, 46. b.2. Et certè filios Dei salutem suam in tuto locare conuenit, vt mundo centies ruente stabiles se mansuros cogitent. At solutio facilis est, fideles sibi stabilitatem non alibi quàm in Deo promittere, & quidem talem vt se tamen omnibus procellis expositos esse nouerint, & patienter subiiciant. Longè verò duo hæc inter se differunt: Dei contēptorem, qui prospera fortuna hodie fruitur, humanæ conditionis obliuisci, vt sibi quietum nidum falsa imaginatione supra nubes figat: rursus pium hominē, dum vitam suam de filo pendere milléque mortibus obsessam esse reputat, séque ad ferendas quaslibet ærumnas offert, nec secus in mundo agit acsi in mari procelloso nauiget: solius tamē gratiæ Dei fiducia molestias & anxietates suas lenire ac solari. Dicit impius, Non mouebor (vel non nutabo) in perpetuum: quia scilicet roboris sui duritiē ad omnes impetus sustinendus satis validam esse putat. Dicit fidelis, Vt nutare mihi contingat, imò etiam cadere subindéque in profundum demergi, non erit tamen exitialis ruina: quoniam supponet Deus manum suam. Hinc & altera quæstio soluitur. Nam fideles in seipsis trepidi, ad gratiæ Dei asylum properè confugiunt: impii verò, quamuis expauescant ad strepitum folii cadentis, & in continua inquietudine versentur, callum tamen stuporis obducunt, vel accersunt sibi insanam vertiginem, vt extra se positi mala sua non sentiant. [m] Ergo in hoc versu describitur nobis improborum arrogantia & vana securitas, qua etiam ampliorem sibi fœlicitatem semper pollicentur, tantum abest vt ab ea in qua sunt constituti excidere metuant. Babyloni datur hæc vox, In sempiternum ero domina, Esa. 47. b.7. Verùm ignorabat illud quod tandem in parietem regalis aulæ insculptum fuit, Numerādo numerauit, &c. Dan. 5. g.26. Longanimis quidem est Dominus: sed habet illius patientia mensuram & terminum. Et hodie Roma dicit, In sempiternum ero domina, sedeo regina, &c. Apoc. 18. b 7. [y] Sed Dominus breui conficiet impium Spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui, 2. Thess. 2. b.8. [m] Proinde ne terrenarum rerum prosperitatem ambiamus, nec hanc in impiis admiremur, terreant nos multorum impiorum exempla, præcipuè filiorum Israel, Deut. 32. c.15. Et Sodomitarum abundantia, de qua abunde loquitur Propheta, Ezech. 16. f.49. in summa iudiciorum Dei semper memores, falsam securitatem fugiamus, & neminem contemnamus.

7 *Maledictione os eius plenum est & fraudibus, & malitia: sub lingua eius peruersitas & iniquitas.*

Maledictione os eius plenum est. [b] Vt prioribus duobus versibus descripsit Propheta improborum fœlicitatem & successum, ita his quatuor describit nocendi vias quibus innoxios depeculantur & opprimunt: [c] vt ostendat, si Deus seruis suis succurrere velit, nunc opportunum adesse tempus, quia ad extremum vsque licentiæ prorupit impiorum licentia. Primò conqueritur eorum linguas periuriis & fraudibus refertas esse, gestare vel occultare molestiam & iniurias: quia nihil cū ipsis negotii tractari queat nisi cum damno. Os pro sermone accipitur in sacris literis: lingua pro corde, quòd positum sit sub lingua. Dicit igitur, Improbi vt probis facilius imponāt, pleno ore periuria euomere solent: præterea dolo & fraudibus vtuntur. Nam aliud dicunt, aliud cogitant. אלה, quod maledictionem vertunt, non est verborum execratio quam in alios retorqueant, sed potius deuotio proprii capitis: quia nō dubitant sibi quiduis imprecari, quò melius fallant. Ideòque non malè à quibusdam vertitur periurium. debet enim hoc nomen aliis duobus coniungi. Maledicunt ergo quatenus ad fraudandum & nocendum expedit. hinc molestia & iniquitas: quia laqueos ex dolis, periuriis & malitia contextos sine suo incommodo simplices effugere nequeunt. *Sub lingua eius peruersitas & iniquitas.* [v] Afflictio & vexatio, aut molestia & prauitas, siue vanitas. [a] Malitia impiorum cum fraude & dolis coniuncta quantum nocere possit, exemplo sunt Doeg Idumæus, 1. Sam. 22. b.9. Ziphæi, ibidem, 23. c.19. Serui Saulis, ibidem, 24. a.2. Ioab, 2. Sam. 3. e.27. Siba seruus Miphiboseth, ibidem, 16. a.3. Aman, Esther 3. b.8. Certè sub horum lingua peruersitas fuit & iniquitas.

8 *Manet in insidiis villarū, in latibulis occidit innocentem: oculi eius super pauperem aspiciunt.*

Manet in insidiis villarum. [v] Sedet, habitat. acsi dicat, Struere solet insidias in pagis. Nam in pagis parua est hominum frequentia. Futurum per præsens, etiam versu sequenti. [c] Vel latronibus impios comparat Dauid, qui viarū angustias obsident, & latebras sibi deligunt, ex quibus incautos viatores deprehendant. [m] Hæc enim est impiorum hominum crudelitas, qua ne afflictis quidem insontibus ac pauperibus parcunt. *Oculi eius super pauperem aspiciunt.* [c] Dicit oculos impiorum intentos esse, similitudine à iaculatoribus sumpta, qui collimant semiclausis oculis, vt rectius feriant. Neque verò hîc de vulgo latronum sermo est: sed in magnos prædones stylum dirigit qui sub honorificis titulis pompáque & splendore flagitia sua occultant. Ideo חצרים nonnulli vertūt palatia, quasi Dauid eos ex magnificis atriis spoliaria fecisse dicat, in quibus miseros homines iugulent. Nos verò, vt allusionem esse concedamus, continuum tamen similitudinis filum retinemus: atque ita interpretamur, non secus ac latrones villarum exitus obsident, ita istos, vbicunque sint, suas insidias tendere.

9 *Insidiatur in latibulo sicut leo in cubili suo: insidiatur vt rapiat pauperem. rapit pauperem quum trahit eum in rete suum.*

Insidiatur in latibulo sicut leo. [b] Hic versus idem cauit quod præcedens, nisi quòd Dauid alia comparatione impiorum sæuitiam grauius exaggerat, dicens eos ad prædam inhiare non secus ac leones in suis lustris, æquare verò truculentas bestias maior est inhumanitas quàm latronum more grassari. [m] Hæc itaque viuam habemus eorum omnium effigiem qui non manifesta sed dissimulata tyrannide crudelitatem suam ita perficiunt, vt haudquaquam tales esse videantur. Inueniunt impii perpetuò quod prætexant, quo nequitiam suam obtegat, idque efficiunt vt quos occidunt, iustè occidere putentur. Habent latibula sua, habent laqueos & retia, habent deinde subdolos prætextus, quibus imperitis fucum faciant. Huc seruire cogitur prætextus iustitiæ, prætextus potestatis legitimæ, prætextus zeli erga Deum, &c. quibus impii homines malitiam suam palliant, & iustorum hominum innocentiam opprimunt. [l] Notandū etiam quòd Propheta fraudes & insidias semper violentiæ coniungit, vt clarius exprimat modis omnibus miseros fore Dei filios, nisi cælesti auxilio iuuentur. *Insidiatur vt rapiat pauperem.* [b] Afflictos & pauperes appellat qui ab impiis affliguntur, & pauperes fiunt. *Rapit pauperem.* [c] Hæc alia similitudo dolosas captiones sæuitia mistas clarius exprimit. Dicit enim eos rapere, sed in rete suum trahēdo. quibus verbis intelligit non modò aperta vi & impetu ipsos ruere, sed simul tendere quoque retia quibus decipiant. [a] Nam impietas comitem fere secum habet hypocrisin. *Quum trahit eum.* [v] Hebraicè, In trahendo eum. id est, dum allicit eum in rete suum dilaniandi causa. metaphora sumpta ab aucupio. Hic autem est antecedens pro relatiuo, quum dicit Rapit pauperem, pro, Rapit eum. Per hæc omnia intelligit secreta consilia quibus solent improbi probos obruere.

10 *Contritum humilémque se ostendit: & cadit cum fortibus eius congregatio pauperum.*

Contritum humilémque se ostendit. [v] Atterit sese, deiicit sese, & tū cadit in robusta eius cœtus attritorum. In robusta, hoc est in vngues, in quibus est fortitudo leonis. Vel, comprimit (aut colligit) sese, & cadit viribus eius congregatio, &c. Fut. Heb. pro præs. Leo prædam inuasurus incuruat sese, & humilem facit, vt potentius insiliat in prædam. sic interdum deiectionem animi simulat improbus, vt commodius pauperem op-

primat & euertat. simulat se esse debilem & nullatū virium: & tum corruit in manus eius plenas robore congregatio siue multitudo contritorum, debilium & confractorum. Hoc decimo versu rursus inculcat Propheta quod superioribus versibus ostendit, gestum ipsum quasi per hypotyposin oculis subiiciens. Atterunt se (inquit) & demittunt, ne scilicet truculentia sua procul terreant: quia potius illecebris suis captare volunt quos non possunt nisi propriore accessu lædere. Videmus vt duo simul coniungat, aucupia vel decipulas, deinde subitam violentiam, quoties in illorum manus incidit præda. Nam secunda parte intelligit sæuo impetu præter spem irruere, dum simpliciter videns suæ libidini esse obnoxios, acsi leo ex sua cubatione furiosè cōsurgeret ad prædam lacerandam. Sensus apertus est, vndique metuendus esse impios, quia suam crudelitatem dissimulant, donec plagis suis irretitos teneant quos vorare cupiunt. In verbis aliqua est obscuritas. Nam vbi quidam vertunt exercitum afflictorum, vox Hebraica חלכאים quibusdam videtur esse quatuor literarū. Rectius tamen sentiunt qui docent dictionem esse compositam, ac valere idem quod עדת הנכאים, cœtus contritorum. [c] Quamuis ergo verbū sit singularis numeri, collectiuè tamen per חלכאים magnam turbam designat Propheta, quæ affligitur ab vnoquoque istorum leonum. [b] Eo siquidem robore sunt vt omnem pauperum cœtum facilè sternant. [c] עצומים substantiuè reddere possumus fortitudines: quia non dubium est quin Propheta hoc nomine vngues & dētes leonis denotet, in quibus præcipuum est belluæ illius robur. Quia tamē propriè est nomen roar, non malè conueniet, per similitudinem vngues ipsos & dētes vocari robustos milites. Eodem verò sensus redit, licet fraudulenta demissione vires suas tegant, sunt tamē illis in prompto quasi armatā satellitum turmam, vel vngues vel dentes, simulac oblata fuerit nocēdi occasio. [b] Porro hāc improborum simulationem, istos dolos ac sæuitiam magnā non est opus pluribus explicare: nimium quotidie ab iis quoque qui eode alios reuocare debebant, videntur, & à bonis probè sentiuntur.

11 *Dicit in corde suo, Oblitus est Deus, occultauit faciem suā ne videat in seculum.*

Dicit in corde suo, Oblitus est Deus. [b] Hic versus omnium quæ dicta sunt causam exprimit, [c] & iterum fontem audaciæ notat, quòd scilicet impii ex Dei conniuentia impunitatē sibi promittant. [a] Quòd enim totis adeo viribus in hoc improbi incumbunt vt decipiās, terretiāt, fraudent, despolient, euertant, extinguant quicunque eorum dolis & vi resistere nequeunt, vt in hoc nocendi & perdendi pauperes studio rapacitatem latronum, truculentiam leonum, dolos aucupū superant, inde est quia apud se continuò cogitant Deum rerum præsentium nullam habere rationem, nullam curam, auertisse faciem suam, ne vnquam ista quæ hic fiunt videat. [c] Quia verò non palàm ore proferunt sacrilegam istam blasphemiam, Deum esse oblitum, & clausisse oculos ne vnquam videat, sed profundas sibi cogitationes abscondunt (sicuti habetur Esa. 29. c. 15) Propheta eandem loquendi formam quam prius vsurpat, & mox tertiò repetet, impios sibi intus in cordibus dicere, res humanas à Deo minimè curari. *Occultauit faciem suam.* Quidam subaudiunt, Aut obliuiscitur Deus, aut abscondit faciem suam, & non videbit. q. d. Certè non nouit, aut conniuet, ac simulat se non videre. Alii dicunt, Quamuis videat, obliuiscitur. *Ne videat in seculum.* Vnquam. [c] Notandum quòd impii ex præsenti statu sic æstimant suam fortunā, vt Deum quodammodo sibi obstrictum imaginentur. Vnde fit vt in perpetuum securi sint, quia non reputant post longam Dei tolerantiam grauius instare iudicium: quēadmodum discretè monent Apostoli, Rom. 2. a. 4. & 2. Petr. 3. a. 4.

12 *Surge Iehoua Deus, eleua manum tuam, ne obliuiscaris pauperum.*

Surge Iehoua Deus. [b] Nunc Propheta precationē sanctorum ponit, qua orant vt Deus de improbis illis innocentium oppressoribus (quorum ingenium & nocendi vsus superioribus versibus expressit) vltionem sumat. [c] Porro quanquam hoc morbo communiter laborant cuncti mortales, vt Deum pro carnis suæ sensu otiari vel iacere fingant, dum sua iudicia non exequitur: longum tamen discrimen est inter fideles & reprobos: quia hi errorem ex carnis infirmitate obiectum fouent, sibique blanditias ex stupore cupidè accersunt, donec tādem impia pertinacia ad crassum Dei contemptum se obdurent. Illi autem priores statim è suis mentibus falsam imaginationem excutiunt, séque castigant, & vltro reuocant ad sanam mentem. cuius rei illustre speculum in hoc loco proponitur. Humanis enim loquendi formis Propheta eundem sibi errorem obrepsisse declarat quem nuper in Dei contemptoribus damnauit: sed maiore ad eum corrigendum occurrit, & iniecta manu secum luctatur, vel mentem suam cohibet, nequid concipiat Dei iustitia & gloria alienum. Commune ergo tentationis semen omnibus est insitum, vt Deo manū suam & iudicium occultante, de eius prouidentia dubitare incipiant. Sed longè differunt pii a reprobis: quia alii carnis sensum fide statim corrigunt: alii verò in peruersa imaginatione sibi indulgent. Sic Dauid Surgendi verbo non tam Deum excitat quàm euigilat ipse, vel se expergefacere conatur, vt aliud speret de auxilio Dei quàm conspicit. Continet itaque hic versus vtilem doctrinam, quo magis supinæ ignorantiæ callum sibi impii obducunt, vt Deum res humanas non curare sibi persuadeant, neque scelerum fore vindicem, vt nos eo magis in contrariam partem nitamur. Imò nobis incitamentum esse debet illorum impietas, vt acriter dubitationes repellamus quas illi non modò admittunt, sed sibi data opera fabricant. Dicit ergo Propheta, [v] Surge Iehoua Deus, exurge, quasi scilicet opem laturus oppressis. *Eleua manum tuam*, tanquam percussurus inimicos. [b] Precatur vt contra impios Dei potentia, quæ illis pro libidine sua grassantibus velut retracta videbatur, sese exerat. [a] Manum enim pro potentia sumi compertius est quàm vt quis moneri debeat. Notanda tamen est hæc loquutio. [a] Quum regnant impii, manus illorum exaltata, Dei verò inualida & deiecta: rursus, dum opprimuntur ac puniūtur impii, asseruntur iusti & innocentes, ac regnat Deus: manus impiorum deiecta, contrà, Dei exaltata videtur. Nequit ergo fieri vt simul Dei & impiorum manus exaltentur. Oportet vt hac exaltata illa sit deiecta: hac demissa, illa exaltata. Non simul possunt Deus & impii, iustitia & iniquitas regnare videri. Rursus, fieri non potest vt perpetuò sit impiorū manus exaltata: quia fieri nequit vt manus iustitiæ ac potentiæ Dei perpetuò sit remissa. Itaque sicubi manum impiorum exaltatam viderimus, magno & ardenti affectu & ipsi cum Propheta oremus, ac dicamus, Surge Domine, exalta manum tuā, certi futurum vt manu Dei exaltata, manus impiorum procul reprimatur ac deiiciatur. *Ne obliuiscaris pauperum.* [v] q. d. Ostende te non teneri obliuione pauperum: quod te facere improbi persuasum habent. vindica iniurias eorum qui licet omni humano auxilio destituantur, tibi tamen fidunt. [m] Quanquam verò sciebat Dauid non obliuisci Deum miserorum & afflictorum, orat tamē ne hoc faciat. Et hæc oratio animi est non dubitantis, sed id petentis quod & facere Deum & gloriæ nominis eius conducere nouit. Hoc ipsum orat gloriæ ipsius desiderio, & ad confundendam impiorum de Deo sententiam.

13 *Propter quod spernit impius Deum? dicit in corde suo, Non requires.*

Propter quod spernit impius Deum? [v] Præ contēptu prouocat, blasphemat. Pret. Heb. pro præs. Idem verbū nunc repetitur quo prius vsus fuerat. quod quidam vertunt Prouocare, alii blasphemare: sed Spernendi vox melius quadrat contextui: quia vbi Deo eripitur potestas & munus iudicandi, contumeliosè ex suo solio detrahitur quasi in ordinem cogitur. [c] Dicit ergo, Vt quid spernit impius Deum? [c] Quanquam rationes Deo proferre superuacuum est quibus eum persuadeamus, nobis tamen in precibus secum familiariter (non secus ac filius terrenum patrem alloquitur) agere permittit. Nam vsus precandi semper notandus est, vt scilicet Deus omnium nostrorum affectuum testis sit: non quòd alioqui ipsum lateant, sed quia dum corā ipso effundimus corda nostra, tantundē leuantur curæ nostræ, & augescit impetrandi fiducia. Sic Dauid in præsentia sibi proponens quàm absurdum & intolerabile esset Deum impunè sperni ab impiis, inde spem remedii concepit. q. d. [a] In Domine, maiestatis tuæ gloria securè ab impiis contemnitur, dum te otiosum iudicem esse somniant: imò verò omnem iustitiæ laudem tibi arroganter adimūt. Habe igitur nominis tui rationem, & ostende te res humanas curare, atque oppressorum haudquaquam oblitum. *Dicit in corde suo, Non requires.* [c] Quum nuper conquestus esset Dauid impios negare Deum, vel fingere neglecta hominum cura perpetuò dormientem, nunc eodem sensu dicit non requirere. [b] Dicere in corde suo est cogitare. Hinc discamus vnde malorum impietas corroboretur, quantumque referat quæ sint cordium nostrorum cogitata.

14 *Vidisti, quoniam tu molestiam & vexationem consideras, vt ponas in manum tuam. super te relinquet pauper, orphano tu eris adiutor.*

[c] Hic repentè Dauid sancto zelo accensus in arenam prodit, fidéque instructus sacrilegas illas opiniones acriter repellit. Cæterùm quia nihil apud homines proficere poterat, se ad Deum conuertit. Nam sicut impii proteruam scelerum licentiam sibi facere volentes, procul se à Deo subducunt, & peruersa inconstis errore sibi fingunt longam distantiam: ita ex op

posito fideles à vagis & erraticis opinionibus se colligere operæpretium est,& sursum erectis mētibus Deum quasi præsentem alloqui. Meritò itaque Dauid, ne hominum blasphemiis succumbat, mentis suæ intuitum ab hominibus auertit [A]&, quicquid iudicent profani homines, ingenuè fatetur, imò exclamat, Deum videre, requirere, omnia agnoscere, res humanas curare &c. *Vidisti*, inquit, *quoniam molestiam & vexationem consideras.* Ratio est ad confirmationem huius sententiæ, quia Deus molestiam & vexationem consideret. Nam quia omnium iniuriarū cognitio Dei propria est, Dauid fieri non posse colligit vt impii per fas & nefas grassantibus excurrat. [V]Dicit ergo, Peruersitatem & iram, molestiam & indignationem (vel, Nam iniuriam & indignationem) cernis, vel cernere soles. Vides, inquit, omnia, nihil te latet: iniurias & maleuolentiam improborū erga probos & fideles tuos tu cernis, quæ putant te latere improbi. Indignationem vocat rem indignatione dignam, & quæ illum cui fit iniuria prouocat ad iram. Indignationem igitur dicit qua pii afficiuntur, propterea quòd impii Deum maledictis incessunt. [C] Porro Propheta à genere ad speciem vel hypothesin descendit: quod diligēter notandum est. Nihil enim facilius quàm generaliter fateri mundum & res humanas Deo esse curæ: sed hanc doctrinam aptare ad quotidianos vsus difficillimū. Et tamen friget quicquid de potentia & iustitia Dei Scriptura prædicat, nisi quisque sibi, prout necessitas tulerit, hoc ipsum accommodet. Discamus itaque exemplo Dauidis ratiocinari, quū Dei sit notare quicquid noxæ infertur bonis & simplicibus, ab eo considerari molestias nostras & dolores, etiam dum ad tempus conniuet. Impii dicunt in corde suo, Non videt Deus: pii contrà, Videt Deus, inquiunt, & molestiam ac vexationem considerat. Diuersum igitur est impiorum ac piorum ingenium. Inde verò consolationem petant omnes qui vident neminem ex magistratibus esse qui malitiam impiorum obseruet & retundat, afflictósque tueatur & asserat: discant illi in Deo iusto iudice & vigilantissimo omnium obseruatore sefocillari & erigi. *Vt ponas in manum tuam.* [V]Vt ponas in manibus tuis, sub. eam iniuriam. hoc est, vt paratus sis semper ad repetendam iniuriam, vel eos qui iniuriam & molestiam patiuntur, vt illos vindices. [C]Addit Propheta Deum non otiosa speculatione è cælo despicere quæ hic fiunt, sed suscipere iudicium. Nam ponere in manum nihil aliud est quam seriò & cum effectu cognoscere. Sed nostrum est patienter quiescere quandiu in manu Dei reposita erit vindicta, donec brachium suum ad opem ferendam extendat. [M]Nam ipse quidē Dominus vltionem impiorum ac defensionem oppressorum commisit iudicibus & magistratibus huius seculi, quibus gladium vltorem dedit. vnde & pingi solent reges & imperatores gladium euaginatum manu gestantes symbolum exercendæ iustitiæ & vltionis reproborum. Quia tamen illi vel in furorem versi, quos defendere debebant percutiunt: quos percutere, defendunt, vel cæci molestiam & vexationem aliorum non considerant: pulcherrimè Deum nobis hic Prophetа talem exponit qui huiusmodi magistratibus gladium è manibus auferat, & ipse vindictam exerceat. Itaque non dubitemus futurum vt gladius ille tyrannorum nostri temporis manibus illorum ereptus veniat in manus Dei, qui illo vtatur legitimè. *Super te relinquet pauper.* [C]Significat Dauid dandum esse tempus Dei prouidentiæ, vt pii homines, dum miserè premuntur, suas curas in Dei sinum reiiciant: & postquam suam ei salutem commendauerint, non festinent in suis votis: sed exonerati respirent, donec ostendat reipsa Deus opportunū esse agendi tempus. Deo igitur relinquit quisquis in eius fidem se ita confert, vt fidelem depositarium esse persuasus, maturum redemptionis tempus placidè expectet. Quidam passiuè legūt Relinquetur: sed prior sensus rectior est, & cum ratione grammaticæ conuenit: nisi quòd defectiua est locutio: quia non exprimitur quid relinquat. Sed hic defectus Hebræis tritus est, & in re ipsa nulla est obscuritas, non fore scilicet irritas preces omnium piorum, vbi se totos suáque negotia Deo commiserint. Nam membrum hoc cohæret cum sequenti, *Orphano tu eris adiutor.* Et orphanum metaphoricè nominat quem prius dixerat pauperem. [V]Nam & Scriptura nomine pupillorum & viduarum intelligit eos omnes qui hominum ope carent. Tibi (inquit) se suámque causam committit pauper, neque immeritò: pupillo enim & ei qui humano auxilio est destitutus, adiutor esse soles. Verbum autem præteriti temporis continuum actum designat. [C]Porro videmus hic necesse esse apparere diuinum auxilium vbi cessat humanum. Adhæc, neglecta iustitiæ executio ad eum deuoluitur à quo illa mortalibus est commendata, sicut ad principem redit, si à præfectis illius negligatur. Innuitur etiam hanc esse sortem pauperum & orphanorum vt solum Deum habeant defensorem & adiutorem. Vide Luc. 18. b. 7

15 *Contere brachium scelerati & improbi: quæres impietatem eius, non inuenies.*

Contere brachium scelerati & improbi. [V]Frange, confringe. [C]Idem valet hæc loquendi forma ac frangere potentiam. Non est autem simplex precatio: sed quia impotens hostium furor vt plurimum animos nostros percellit, acsi nullo obstaculo inhiberi posset, hanc fidei suæ fulturam supponit Dauid, ne terroribus succumbat, quòd simulac Deo placuerit impios frangere, eos & quicquid machinantur, subuertet & in nihilum rediget. Quare vt sensus clarior sit, in hunc modum resoluenda est oratio, Domine, simulac tibi visum fuerit frangere brachium impii, momento efficies vt dispereat, & euanescant robusti impetus quibus ad nocendum effertur. *Quæres impietatem eius, non inuenies.* [V]Inquires improbitatem eius, non inuenies. sub. improbum illum. q. d. Quæstionem institue de improbitate eius: non sistet se in conspectum tuum, nec comparebit, improbitatis suæ conscius, vt causam suam defendat. Vel, in nihilum redigetur improbus, & irriti reddentur omnes eius conatus. [C]Precatur quidem Dauid vt Deus auxilium suum & vindictam acceleret: sed interim hac se consolatione sustentat, quòd impii non lasciuiant nisi Dei permissu: quia in eius arbitrio est, vbi tribunal conscēderit, solo conspectu eos delere. Et certè non secus ac sol exoriens nebulas & vapores suo calore discutit, aerémque obscurum serenat: sic Deus, vbi manum suam exerit ad exequendas iudicii partes, quicquid in mundo turbulentum fuit ac confusum restituit. [M]Sic alibi dicit, Vidi impium exaltatum & eleuatum sicut cedrum Libani: transiui, & ecce non erat, Infrà, 37. g. 35. Sic dilabuntur improbi flagello Domini correpti, qui alias in hoc seculo immoti ac sempiterno robore confirmati videntur. [C]Propheta sceleratum & improbum augendi causa posuit: acsi dixisset, quantumuis in sua malitia & impietate insaniant improbi, Deo tamē promptum in manu esse remedium. [B]Hæc nos perpendamus, vt nihil dubitemus & quæ nos indignè patimur Deum videre, & in manū suam causam nostram in tempore sumpturum atque vindicaturum: quam nosipsi penitus ei permittamus, qui vindex est pupillorum ac viduarum, & omnium qui humano præsidio destituti ab improbis diuexantur.

16 *Iehoua rex in seculum & in æternum: perierunt gentes de terra illius.*

Iehoua rex in seculum. [C]Nunc Dauid quasi votis suis potitus, in sanctā gratulationē insurgit, [B]idque morē suo. neque enim deserere suos Deus potest. Ideo fere in omnibus Psalmis in quibus precatio est pro liberatione à malis, subiūcta simul est & gratiarum actio pro liberatione iam percepta. Sic & in hoc Psalmo post ardentem contra impios pauperum oppressores precationem, tanquam impetrata iam & confecta illorum vltione, gloriari sanctos hostibusque insultare facit. Nā quòd Deum appellat æternum regem, fiduciæ & lætitiæ testimonium est. *In seculum.* [V]Regē seculi vocat regem æternum. q. d. Si contriueris vires improborum, & supplicium de ipsis sumpseris, declarabitur tua maiestas, tuum regnum erit æternum, tunc omnes te agnoscent Deum. Oratio est concisa. [C]Interea regis nomine Propheta mundi gubernandi partes Deo asserit: æternitas verò regni huc spectat, temporum angustiis perperam ipsum includi. Nam quia breuis est humanæ vitæ transitus, etiam qui maximis imperiis pollent mortales, seruos suos vt plurimum frustrantur: sicuti Psalmus admonet non esse fidendum in principibus vel filiis hominum, in quibus non est salus: quia exibit spiritus eorum, & reuertetur in terrā suam: quia peribunt omnes eorum cogitationes, Infrà, 145. a. 3. Sæpe enim vires eos deficiunt, & dum tardius se ad iuuandum accingunt, occasio illis effluit. Atqui de cælesti rege magis honorificè sentiendum: quia si non statim exequitur sua iudicia, semper eadem penes ipsum & integra facultas manet. denique non sibi priuatim sed nobis in æternū & vsque regnat: nequid illum impediat longior mora quominus opportunè ad opem mortuis vel desperatis ferendam manum extendat. [A]Habet itaque hæc particula magnam consolationem, qua mentes afflictorum contra tyrānorum violentiam duplici nomine eriguntur: primùm, ex eo quòd regnū non tyrannorum, sed Dei est. Sic & in oratione Dominica dicimus, Quia tuum est regnum & potentia & gloria, Matth. 6. b. 13. Comprehenditur autem regni dictione suprema omniū potestas, gloria, potentia, rerumque omnium moderatio irrefragabilis & inuicta. Deinde ex eo quòd Dominus non sicut terreni reges moritur, sed in sempiternum viuit ac regnat sicuti iam dictum est. *Perierunt gentes de terra.* [C]Sensus est, terrā sanctam inquinamentis & sordibus, quibus polluta fuerat,

purgatã demum esse. Indigna enim erat illa profanatio, quũ terra in hæreditatem data populo Dei, sanctisque eius cultorib⁹ dicata, impios & scelestos incolas aleret. Neque enim per gentes exteros nominat, sed hypocritas, qui Dei nomine iniustè gloriabantur: sicuti hodie plerique titulo tenus Christiani locũ in Ecclesiæ gremio occupant. Nec verò nouum est Prophetis, apostatas, qui à sanctis Patrum moribus desciuerant, probrosè vocare Gentes, nec tantum incircuncisis cõferri, sed etiam Chananæis, qui maximè erant detestabiles. Pater tuus Chanaan, mater tua Chittæa, Ezech. 16.a.3. Alii similes loci occurrunt. Falsos ergo & adulterinos Abrahæ filios Gentium nomine infamans, gratias Deo agit quòd tales corruptelas expulerit è sua Ecclesia. "Fuerat hoc Moses comminatus, dicẽs, Testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de terra quam trãsito Iordane possessuri estis, Deut. 4.d.26. Et Dauid ipse multis indicat, impios exterminandos de terra, iustos verò & humiles illã possessuros, Infrà, 37.d.20.21.f.29. Et est iudicium hoc Dei omnium æquissimum. Quis enim princeps eos ferat qui in terra sua improbè contra se agant? Quis paterfamilias non eiicit eum seruum qui in domo sua vim inferat reliquæ familiæ? ᶜ Cæterùm hoc exemplo docemur, non esse nouum si hodie quoque profani homines Ecclesiam Dñi contaminant. Rogandus tamen est Deus vt domum suam cito repurget, nec sacrum suum templũ porcis & canibus instar sterquilinii exponat. Sic fiet vt sumpto de impiis supplicio, locum amplius non habeant in terra Domini.

17 *Desiderium humilium exaudis Iehoua, diriges cor eorum, intendere facis aurem tuam,*

Desiderium humilium exaudis. ᶜ Confirmat his verbis Propheta quod nuper diximus, nempe dum hypocritæ in Ecclesia regnant, vel sua multitudine fideles obruunt, assiduè rogandum esse Deum vt eos exterminet. Nam veros Dei cultores meritò angere & vrere debet tam fœda confusio. Et Spiritus sanctus hoc oraculo confirmat, quod olim Deus patrum precibus concessit, nos hodie impetraturos, si modò erimus vt decet de Ecclesiæ liberatione solliciti. Humiles dicuntur hic afflicti & iniusta impiorum violentia oppressi. ᵐ Horum desideria & gemitus vice clamoris sunt in auribus Dei: sicuti de Mose legimus, ad quem Dominus dicebat, Quid clamas ad me? Exod. 14.d.15. quum tamen nihil clamoris eo loci legamus. *Diriges cor eorum.* Hoc varie exponunt interpretes. Tantundem quibusdam valet ac dare votis successum. aliis est cor formare, ne quid petant fideles nisi quod iustum ac rectum est: sicuti Paulus docet Spiritum intus dictare gemitus inenarrabiles, Rom. 8.e.26. Vtraque fortè expositio nimis est restricta. Primò enim Dei gratiam in eo commẽdat Dauid, quia suos cultores in rebus turbatis sustenet, ne animos despondeant, fortitudine & patientia instruit, erigit in bonam spem, incitat etiam ad preces. Nam verbum כון non modò dirigere sed stabilire significat. Est autem singulare Dei beneficium dum in tentatione sensus nostros retinet, nec patitur aliò reflecti. *Intendere facis aurem tuam.* Mox sequitur alterũ mẽbrum, non frustra dirigi piorum affectus, vt cum spe & patientia ad obsequium compositi ad Deum respiciant, ipsumque inuocent: quia Dei aures ad exaudiendos gemitus nequaquã surdæ erunt. Ita mutuus duplicis gratiæ consensus hic laudatur, quòd Deus cultores suos deficere vel à fide excidere vel precibus renunciare non sinat, sed ad se reuocet, donec re ipsa appareat spem eorum non vanam nec irritam fuisse. Posset non malè ita resolui oratio, Stabilies cor ipsorũ, donec auris tua, &c. ᵛ Fut. Hebr. pro præsenti. q.d. Præuenis eos vt petant quæ tibi grata sunt, & precibus eorum aurem tuam facilè præbes. ᴬ Hoc ipsum aliis verbis alibi dicit, Iuxta est Dominus iis qui angustiato sunt corde, & humiles spiritu seruabit, Infrà, 34.d.19. Vide etiam quid per Prophetam Dominus ipse polliceatur, Esa. 65.d.24.

18 *Vt iudices pupillo & pauperi: ne pergat amplius terrere homo è terra.*

Vt iudices pupillo & pauperi. ᴬ Vt ius dicas pupillo & misero. ᶜ Proximam sententiam in hunc specialem vsum accommodat, ne dubitent fideles, vbi iniustè oppressi fuerint, Deum tandem fore vindicem, qui ipsos liberet. Quibus verbis admonet fortiter durandum esse sub cruce & ærumnis: quia sæpe Dominus non antè seruis suis vult opitulari quàm ad extrema redacti fuerint. Id quidem factu difficile est: quia cuperet quisque nostrum prorsus immunis esse à molestia: ideòque nisi Deus citò præueniat, lentus & segnis videtur. Verùm si locum dare cupimus eius auxilio, domandus est feruor noster, sedanda impatientia, mitigandi dolores, vsque dum miseriæ nostræ Dei gratiam prouocent. ᵐ Interea admonentur hic omnes nequem egenum, pupillum & oppressum affligant. Exaudit enim Deus illorum suspiria, & causam eorum iudicando exequitur. Sic etiã legimus, Viduæ & pupillo non nocebitis. si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erũt vxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli, Exod. 22.c.22. Deinde discãt hic afflicti pupilli & viduæ, quibus in hoc seculo iudicium & iustitia denegantur, quem iudicem implorare debeant, qui desideria afflictorum exaudiat, & pupillis ac oppressis iudicet. Vide Luc. 18.a.3, parabolam viduæ hue facientem. *Ne pergat amplius terrere homo è terra.* ᶜ Iterum Dei potentiam ad frangendos impios commendat, vt inter tumultuosos eorum impetus firmum nobis maneat istud principium, simulac Domino visum fuerit, euanidum fore quicquid moliuntur. Verbum ערץ quidã in neutro genere accipiunt, vt sit sensus, Ne amplius mortalis homo timeat. Sed ratio postulat transitiuè exponi: nec absurdum est impios, licet capita supra nubes extollant, vocari mortales, vel homines multis ærumnis obnoxios: quia obliquè hoc modo perstringitur væsana eorum audacia, dum suæ sortis obliti, atrocer minas spirant, efflant horrendos terrores, perinde acsi eorũ libidini reprimendæ ne Deus quidem sufficeret. Sensus est igitur, Ne posthac terreat (sub. pupillum) mortalis terrenus, id est terrenus homũcio, qui hic Deo excelso opponitur. acsi dicat, Si semel supplicium de improbis sumpseris, vltra non terrebit pius homo mortalis: quia & probi omnem in te habebunt fiduciam, & impii sibi timebunt. Particula etiam *E terra* continet antithesin inter humile terræ domicilium & cælorum altitudinem. Vnde enim ad oppugnãdos Dei filios prodeunt? è terra scilicet, perinde acsi vermiculi è terræ fissuris emergerent. Atqui hoc modo Deum ipsum impetunt, qui è cælo auxiliũ seruis suis promittit. ᵐ Vtinam verò terrenos se homines & mortales esse cogitent vniuersi potentes in hoc seculo. Detestabilis est tyrannis, etiamsi Angeli hanc exerceant: at multò est detestabilior si exerceant eam homines è terra, ipsi quoque miseri & calamitosi: quos ipsa mortalitas & originis humilitas modestiæ debebat & humanitatis admonere.

ARGVMENTVM PSAL. XI.

ᴱ IN priore parte Psalmi refert Dauid quàm duros exceperit tentationum insultus, & quanta anxietate constrictus fuerit, quo tempore affligebatur à Saule. Deinde sibi de salute diuinitus oblata gratulatur, Dñique iustitiam in mundo regendo prædicat: ᵐ atque illi se ita committit vt non dubitet, etiamsi ipsa fundamenta diruantur, se securum fore.

PRÆFECTO, *Dauidis.* *In Iehoua speraui, quomodo dicitis animæ meæ, Migrate in montem vestrum sicut auis?*

Præfecto, Dauidis. למנצח. Vide Psalm. 4.a.1. *In Iehoua speraui.* ᵛ Spero, spem colloco, confido. Præt. Hebr. pro præsenti. *Quomodo dicitis animæ meæ.* id est, mihi. ᶜ Omnes ferè interpretes querimoniam esse putant, in qua Dauid populares suos accuset quòd latebras vbique quæritans, nihil vsquam humanitatis inueniat. Et verum quidem est, quum huc & illuc erraret Saulis sæuitiam fugiẽs, nusquam tutum illi fuisse perfugium, saltem vbi diu quietus staret. Quare meritò cum sua gente expostulare potuit, quòd nullus hospitio profugum excipere dignatus esset. Sed alius hic respexisse videtur. Nam quum certatim omnes ad desperationem eum impellerent, necesse fuit pro carnis infirmitate non leuiter eum percelli: sed fide munitus interpidè & constanter in Dei promissiones recubuit, vt tentationibus minimè cederet. Has spirituales luctas nũc commemorat, quibus inter vltima discrimina eum exercuit Deus. Itaque Psalmũ in duo membra distinguere conuenit. Antequam enim Dei iustitiam in tuẽda piorum salute celebret Dauid, se cum ipsa morte conflixisse exponit: & tamen fide rectáque conscientia adeptum esse victoriam. Initiò quoque suadebant omnes vt relicta patria in aliquod exilium se abderet, vt nulla spes vitæ residua ei fieret, nisi se abdicaret à promisso regno. Huic peruerso consilio suæ in Deo fiduciæ clypeum opponit. Sed antequam de re plura dicamus, operæpretium est verba interpretari. Verbum נודו, quod vertimus Migrate, scribitur in numero plurali: in singulari tamen legitur: quod tamen corruptè fit. Nam quia hoc sibi vni dictum refert Dauid, doctores Hebræi numerum pluralem non cõgruere putantes, ausi sunt aliter legere quàm scriptum erat. Quod inde clarius colligitur, quia nonnulli eorum sensum literalem retinere volentes, anxiè se torquent cur Migrate potius dictum sit quàm Migra: & tandem ad frigidam argutiam confugiunt, quasi fugæ authores compellent tam corpus quàm animã. Atqui in re nõ difficili tantopere laborare superuacuum fuit: quia certum est non dictum esse Dauidi vt solus fugeret, sed vnà cum suis comitibus, quos omnes idem periculum manebat. Quamuis ergo vnum Dauidem præ aliis aggressi sint, socios tamen complexi sunt, quorum & communis erat

causa & similis periculum. *In montem vestrum*. Multi vertunt De monte vestro, acsi esset בהרכם, &, secundum eos, est mutatio personæ: quia dicendum erat, Transmigra è monte nostro. Sed hoc per se durum ac coactum est. Nihilo etiam melius conuenit quòd ipsi volunt Iudæam vocari montem. Alii legendum putant הר כמו צפור. hoc est, in montem, sicut auis, absque pronomine. Verùm si sequimur quod diximus, optimè fluet contextus, Migrare in montem vestrum: quia habitandi locus in patria non datur. Neque tamen putandum est quempiam certum montem notari, sed ablegatum fuisse Dauidem in rupes desertas, quò illum sors duceret. Huius consilii authores damnans, testatur se Dei promissione fretú ad tale exiliú minimè animú adiicere. Hæc igitur fuit Dauidis conditio, vt in extrema necessitate eum omnes procul in loca deserta extruderent. Expendamus ergo quanta sit inhumanitas & crudelitas impiorum hominum erga pios, qui sunt veluti passerculi in oculis mundi huius. Profligant pios, vt reddãtur vagi & errabundi: quæ miseria dictione Migrandi, deinde & auiculæ similitudine notatur: quæ sic fugatur vt nusquam tutum ac certum consistẽdi locum inueniat. Ipsa Dauidis historia satis indicat quàm nusquam tutus fuerit. Vide 1. Sam. 19. a. 1, &c. vsque ad cap. 27. Cæterum quia innuere videtur diffidentiæ hoc fore signum, si Dauid in fuga salutem statuat, quæritur annon licuerit ei fugere. Imò scimus variis exiliis subinde circumactum, in speluncis quoque interdum latitasse. Responsio, Quanuis instar trepidæ auiculæ fuerit instabilis, & per diuersos errores deflexerit ab hostium aucupiis, tamẽ sic firmus in fide stetit vt se à populo Dei nunquam alienaret. Quãuis enim aliis esset desperatus quasi putridum membrum, se tamen ab Ecclesiæ corpore nunquam disiunxit. Et certè vox illa Migrate ad meram desperationem tendebat. Huic verò trepidationi cedere non debuit, vt de euentu incertus aufugeret. Et ideo expressit animæ suæ hoc fuisse dictum, significans pectus suum penitus fuisse confixum probrosa illa reiectione: siquidem non aliò (vt diximus) dirigi videbat quàm ad labefactandã fidem suam. Summa est, quum semper vixisset innoxius, vt decebat purum Dei cultorẽ, fuisse tamẽ æterno exilio addictum. Docet autem hic versus, quamlibet nos mundus exagitet, semper tamen in statione nostra manendum esse, ne à Dei promissionibus excidamus, vel ne ipsæ nobis excidãt: atque, vt sursum & deorsum feramur, in fide nostra vocationis pedem esse figendum. Quod ad Dauid attinet, sacra historia refert, postquam subducere se à Saulis conspectu coactus fuerat, duodecies latibola mutasse, idque breui admodum tempore. Non iniuria igitur tam frequentes fugas & crebras mutationes erroribus auiculæ hinc inde volitantis, & locum in quo nidificet quærentis, assimulauit.

2 *Quoniam ecce impij tetenderunt arcum, parauerunt sagittam suam super chordam, vt iaculentur in caligine in rectos corde.*

Quoniam ecce impij. Quidam hoc excusationis loco additú putant, in eorum persona qui iubebant Dauidem fuga sibi consulere. Secundum alios, expostulat Dauid cum suis popularibus, qui mortem illi vndique intentatam videntes, hospitium tamen negabant. Sed potius narrationem suam prosequitur. Consilium enim eius est, non modò pericula quibus obsessus fuit, sed mortẽ ipsam ante oculos ponere. Ideo dicit, quocũque se abdiderit, non posse tamen ex hostium manibus elabi. Porro tam miseri status descriptio oblatam à Deo postea salutem magis illustrat. *Tetenderunt arcum.* Allegoria tensi & instructi arcus & suprà habetur, Psalm. 7. b. 13. Significatur ea, improbos Dauidis hostes intẽtissimos ac paratissimos fuisse vt illum perderent: sicut ei qui iam arcum tetendit, & neruo sagittam imposuit, nihil ad feriendum, quod in ipso quidem sit, superest. Iam quantum ad hostes Dauidis attinebat, omnia confecta & in parato erant, vt eum neci darent. *Vt iaculentur in caligine.* Quidã hoc metaphoricè accipiunt: quia astute & per insidias eum circumuenire tentabant. Sed simplicior sensus melius conuenit, nihil esse tam absconditum quò non penetrent hostium iacula: ideóque mortem in omnes cauernas sibi fore indiuiduam comitem. Et sanè vbicũque hostes Dauidis latere eum audissent, hi extemplo aderant eum oppressuri, vt in vastissima vsque deserta, in abruptissimus & hominibus auios montes penetrantes, illum persequerentur. Scribitur enim 1. Sam. 24. a. 3, hos venisse inquisitum illũ in petris caprearum rupicolarũ. Quum ergo dicit In caligine, referri debet ad locum perfugii, vbi boni delitescunt, & latitare student. q. d. Vt suis sagittis figant rectos corde in latebris deprehẽsos. Saulem dixisse legimus, Etiam si se in terram abdiderit, perscrutabor eum, 1. Sam. 23. d. 23. Sic Christiani ad latebras olim adigebantur: & tamen ne sic quidem securi erant. *In rectos corde.* Tales fere sunt qui persequutionem in hoc seculo ab improbis sustinent.

3 *Certè fundamenta destructa sunt: iustus quid operatus est?*

Certè fundamenta destructa sunt. השתות quidam vertunt Retia, quo sensu alibi sæpe nomen hoc Scriptura vsurpat: & exponunt dissipatas fuisse impias fraudes quibus Dauidem adorti fuerant impii. Quod si recipimus, vbi continuò pòst addit, *Iustus quid operatus est?* sensus erit, minimè sua opera vel industria factum esse vt saluus euaderet: quin potius quietum & quasi dormientem diuinitus ex retibus vel plagis hostium fuisse ereptum. Sed nomẽ fundamenti contextui melius quadrat: quia referre pergit quibus angustiis fuerit constrictus, vt iam nihil saluum esset. Nondum enim inter interpretes de sensu cõuenit. Quidam exponunt nusquam esse locum figendi pedis: alii fœdera, in quibus esse debebat stabilitas, subinde à Saule rupta esse. Sunt etiam qui allegoricè intelligant, iustos Dei sacerdotes, qui erant terræ fulturæ, è medio sublatos. Sed metaphoram ab ædificiis sumptam esse dubium non est, quæ dirutis fundamentis tota concidere & pessum ire necesse est: vt queratur Dauid se coram mundo funditus euersum, vt nihil in suis fortunis saluũ maneat. Vnde colligimus pium hominem in summis angustiis constitutum fuisse, & longo tempore cum morte luctatum. *Iustus quid operatus est?* Iterum repetit se immeritò tam crudeliter plecti: idque facit partim vt bonæ conscientiæ testimonio se in malis soletur, partim vt sibi ad spem liberationis reditum faciat. Nam inde ad fiduciam animatus fuit quòd ex causæ bonitate conciperet Deum à parte sua stare, sibique fore propitiũ. Discamus ex hoc loco quãtam consolationem adferat cõscientiæ integritas, quæ certè piis omnibus vnicũ est in rebus aduersis asylum. Vide 2. Cor. 1. c. 12.

4 *Iehoua in templo sanctitatis suæ, Iehouæ in cælo est solium: oculi eius vident, palpebræ eius probant filios hominum.*

Iehoua in templo sanctitatis suæ. Ad verbum, Iehoua in cælo sedes eius, Iehoua in cælo habet solium suum. Nunc sequitur illa quàm diximus gloriatio. Nam humanis auxiliis exclusus Dauid ad Dei prouidentiam se confert. Insignis vero (vt alibi diximus) hæc fidei probatio est, quum tenebris vndique in mũdo circumdamur, lucem è cælo petere quæ nos in spem salutis dirigat. Nam etsi fatentur omnes diuinitus mundum regi, vbi tamẽ tristis rerum confusio caliginẽ obducit, pauci sunt quorum animis hæc persuasio firma penitus insideat. Atqui Dauidis exemplo sic nobis reputanda est Dei prouidentia, vt rebus perditis remedium ex eius iudicio speremus. Subest enim inter cælum & terram antithesis: quia si in terreno & visibili rerum statu fixus stetisset Dauidis sensus, nullum exitum reperisset. Nunc verò quanuis in mundo prostrata iaceat omnis æquitas, perierit fides, Deum tamen integrum in cælo sedere cogitat, à quo speranda sit collapsi ordinis restitutio. Neque enim simpliciter dicit, vt alibi, Deum habitare in cælo, sed regnare tanquam in palatio regio, & solium iudicii illic tenere. Et certè non aliter iustus honor ei defertur nisi quum hoc nobis certò persuasum est, miseris omnibus & iniustè oppressis sacrum esse asylum eius tribunal. Quare dũ in terra grassantur fraudes, doli, perfidia, crudelitas, violentiæ & rapinæ, denique omnia iniustitiæ & scelerum tenebris permista sunt, præluceat tamen nobis fides ad conspiciendum cæleste Dei solium: atque hic intuitus nobis ad tolerãtiam sufficiat. Nam hic admonemur quò oraturi debeamus cor, manus & oculos dirigere, nẽpe ad cælos. huc tendãtur vota fidelium. Tẽplum sanctitatis, vel sanctum (quod sæpius pro Sione capitur) hic haud dubiè cælũ significat: quod etiam repetitio ostendit, *Iehouæ in cælo est solium*. Certum enim est idem bis dicere. *Oculi eius vident.* Considerant. Fut. pro præsenti. aut respicere solent, siue contemplantur, sub. quæcunque fiunt in hoc mundo: vident calamitates afflictorum & impiorum conatus. Ex proxima sententia colligit Dauid nihil Deum latere: ideoque facta hominum in rationẽ tandem cum ipso ventura. Nam si Deus in cælo regnat, & illic locatum est eius solium, sequitur fieri non posse quin rebus humanis intentus sit, vt tandem iudicium suum exerceat. Nam Epicurus & similes, qui otiosum fingunt, potius sternũt illi cubile quàm tribunal erigant. Hæc autem fidei gloria est, Deum mundi opificẽ minimè negligere ordinem à se conditum. Quanquam autem ad tempus iudicia sua suspendat, in solo tamen eius intuitu acquiescere nos decet: sicuti nunc Dauidem videmus vnico hoc solatio contentum esse, quòd Deus præsideat humano generi, & quæcunque in mundo geruntur obseruet: quamuis non protinus appareat eius cognitio. *Palpebræ eius probant filios hominum.* Examinant filios hominis, id est homines. q. d. Vnum me consolatur, quòd quamuis Deus in cælis agat, tamen è regia sua omnia omnium facinora videt, quæ exercent in fideles & pios: oculi Domini explorant & perspiciunt quàm improbi sint homines aduersus eos qui illi fidunt. Non solùm ergo contemplatur & videt, sed exactè etiam intima mortalium probat & explorat. Mirabiles sunt Dei oculi, qui nõ solùm externa facta videt,

ſed & intima cogitata: filios hominum explorant: adeo vt nullus ſit in hac terra quem oculi Dei non contemplentur & probent. Proinde nemo cogitet, Nullius ſum momenti in hoc ſeculo, contemptus ſum & deſpicatus, pauper, vilis, indoctus, &c. putáſne oculos Dei in te eſſe intentos: quam putat tui rationem habere Deum? Quiſquis ſis, ex illis es quos hic Propheta per oculos Dei videri ac probari dicit.

5 *Iehoua iuſtum probat, impium autem & diligentem iniquitatem odio habet anima eius.*

Iehoua iuſtum probat. ᶠ Nunc clarior additur expoſitio, Deum inter iuſtos & iniuſtos diſcernere, & quidem vt minimè ſit ignauus ſpectator. Probare enim iuſtum dicitur, & odio proſequi impios. Verbũ בחן, quod Probare vertũt, examẽ ſæpe notat: ſed hoc loco ſimplicius ſignificat Deũ ſic inquirere de vniuſcuiuſque cauſa, vt iuſtos ab impiis diſtinguat. Homines ſæpe innoxiũ putãt qui ſceleratus & impius fuerit, & cõtrà. At Dei iudiciũ falli nõ poteſt, vt inſontẽ pro ſonte, aut cõtrà accipiat. Quare vt vita noſtra illi probetur, cordis integritas retinenda eſt. *Impium autem & diligentem iniquitatem odio habet anima eius.* ᵍ Id eſt, odit ex animo. Improbum vehementer odit Dominus: licet id proſperis eius ſucceſſibus diſſimulet. Exoſos Deo eſſe dicit qui iniuriis & noxis ſtudent, quia ſicuti mutuã inter homines conſuetudinem inſtituit, eam vult à nobis illæſam coli. Ergo vt ſanctum ſuum ordinem tueatur, iis probis, qui aliis moleſti ſunt, hoſtem eſſe oportet. Iuſto etiam Dei odio amor iniuſtitiæ opponitur, vt ſciamus eos qui ſibi in maleficiis placent, talibus blanditiis nihil proficere. ʰ Notandus eſt etiam hic ordo quem tenet Propheta. Præmittit impietatem: deinde ſubiungit dilectionẽ iniquitatis: & quidem rectè. Nam ex impietate naſcitur iſta iniquitatis dilectio, ſicut ex pietate originem habet iuſtitiæ & probitatis dilectio. ⁱ Teneamus ergo impietatem malorum omnium fontem & radicem eſſe. *Anima eius.* ᵏ Emphaſis eſt in dictione anima eius. Intimum enim & plenum odium hac periphraſi expreſſit. נפש ſiquidem (anima) in hiſce loquutionibus pro animi affectu & voluntate accipitur. Vnde dicere Vates hic voluit, Deum ex animo & tota voluntate execrari improbos illos & violentos.

6 *Pluet ſuper impios, laqueos, ignem & ſulphur: & ſpiritus procellarum [erit] pars calicis eorum.*

Pluet ſuper impios, laqueos. ᵃ Hoc verſu Propheta inexplicabilem vim vltionis, quam manere improbos prædicit, indicaturus, ſimilem eam facit illi quæ abſumpſit regionem Sodomorũ & Gomorrhæ. Conſtituitque David, licet pauliſper ceſſet Deus ac differat, venturum tamen vltionis tempus. Itavidemus gradatim eum ad ſpem fœlicis exitus conſcendere, ne rerum omniũ diſſipatio fidem eius labefactet: quia Deo ſtabile manet in cœlo tribunal, eius intuitu ſe ſuſtinet. Deinde expendit quid requirat iudicis officium. vnde colligit facta hominum Dei oculos non effugere: & quamuis non ſtatim pœnam exigat de maleficiis, odio tamen proſequi omnes improbos. Tandem ſubiicit, quum ornatus ſit Deus potentiã, irritum vel inane non fore illud odiũ. Ita quantiſper à pœnis quieſcit Deus, agnitio iuſtitiæ eius ſpem noſtram probè fouebit, donec effectu probet ſe nunquam à ſua ſpecula diſceſſiſſe. *Laqueos, ignem & ſulphur.* ᵇ Carbones, prunas, id eſt, Inſtar pluuiæ immittet laqueos, vt capiat eos, & perdat. q. d. Acerrimè improbos ſiue impios puniet. De laqueis aucupis intelligit. ᶜ Scitè autem quas Deus infligit pœnas, pluuiæ cõparat. ſicuti enim non ſunt cõtinuæ pluuiæ, ſed eas Dominus quoties viſum eſt emittit: imò vbi maxima eſt ſerenitas, repentè grandinem aut violentum imbrem excitat: ita repẽtinam vindictam ſignificat impiis inſtare, vt hilares & deliciis ſuis ebrii momento pereant. Interea tamen verum eſt Davidem ad Sodomæ & Gomorrhæ excidium alludere. Sicuti enim Prophetæ, quum Dei gratiam electis promittere volunt, redemptionem ſemel factam commemorant: ita dum reprobos terrere volunt, minantur Sodomæ & Gomorrhæ exitium. nec abs re, quum in eo perpetuum iræ Dei documentum extare admoneat Iudas in ſua Epiſtola, verſu 7. ᵈ Legimus autem depluiſſe à Deo ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem: ſic & hoc loco Vates ignem poſuit. ᵉ Prudenter tamen & concinnè, antequã ad ignẽ & ſulphur veniat, laqueos ponit. Scimus enim, impios, quandiu illis parcit Deus, nihil metuere, ſed proteruè exultare quaſi in libero campo: deinde ſiquid aduerſi impendet, effugia ſibi comminiſci: denique ſẽper illudere Deo, quaſi deprehendi nequeãt, donec laqueis ſuis conſtringat. Deus ergo vindictæ ſuæ exordium à laqueis facit, omnia impiis ſubterfugia præcludens. vbi autem irretitos & vinctos tenet, diris & horrendis modis in eos fulminat, ſicuti igne cæleſti Sodomam & vicinas vrbes cõſumpſit. Senſus eſt igitur, Deus ſubita & omnia implicante vltione improbos corripiet. Ea vltio erit ignis quẽ eiaculabitur, & fulmina ſulphureo fœtore omnia replẽtia, qualiolim vltione Deus Sodomitas hauſit. *Et ſpiritum procellarum.* ᶠ Nomen זלעפות alii vertunt incenſiones vel ardores, alii commotiones vel terrores: ſed contextus quam adduximus interpretationem poſtulat. quia ventis procelloſis mouetur tempeſtas, quam ſequitur fulminatio. *Erit pars calicis eorum.* Hoc verbo teſtatur certa fore & rata Dei iudicia, vtcũque fallaci adulatione impii ſe deludant. Multa eſt in Scripturis hæc metaphora. ʰ Sumitur autẽ calix pro menſura vel ſupplicii quo puniuntur impii, ſicut & hoc loco & pleriſque aliis videmus, vel tribulationis quà probantur iuſti, vt Matth. 20. c. 22, & 26. d. 39. Vel fœlicitatis quà inebriantur iuſti, ſicuti videre eſt infrà, 23. b. 5. Quia enim nihil difficilius ſibi perſuadet caro quàm clades & miſerias, quæ fortuitò videntur, diuinitus iuſto temperamento accidere, Deus perſonam patriſfamilias ſibi induit, qui ſingulis diſtribuit ſuam menſuram vel demenſum. Hoc itaque loco ſignificat David, repoſitam certò mercedem impiis, fruſtráque repugnaturos, quũ Dominus iræ ſuæ calicem bibendum porrexerit: nec verò paratum eſſe calicem quem guttatim delibent, ſed quem ſorbere totum cogantur. ſicut illis denũtiat Propheta, Vſque ad fæcem haurietis, Ezech. 23. e. 34. ᵐ Cogitet etiam quiſque in tribulatione conſtitutus, id quod patitur, eſſe calicem à Deo ſibi infuſum & deſtinatum. Deinde eſſe illi additam certam menſuram, ne putet nullum illi fore modum, nullum finem.

7 *Quoniam iuſtus Iehoua iuſtitias diligit: rectum videt facies eius.*

Quoniam iuſtus Iehoua iuſtitias diligit. ᵛ Præt. Hebr. pro præſenti, id eſt, homines iuſtos diligere ſolet. acſi diceret, homines iuſtiorum. Aut potius iuſtitias vocat rectitudinem quæ grata eſt illi: ideo bonis cauſis fauere ſolet. Vnde concludit rectos homines ab eo aſpici. Nuper ab officio Dei ratiocinatus eſt Prophetã vindictam ſumpturum de reprobis: nunc ab eius natura bonis & rectis auxiliatorem fore colligit. Nam quia iuſtus eſt, cõſequens eſſe oſtendit vt iuſtitiam diligat: alioqui enim ſeipſum abnegaret. Frigida enim ſpeculatio eſſet, iuſtitiam in Deo incluſam concipere, niſi in mentem nobis veniret Deum agnoſcere quicquid ſuum eſt, atque huius rei ſpecimen in mundi gubernatione edere. Paulò ante dixerat alio ſenſu, Deum intueri filios hominum: nempe quia iudicaturus eſt de cuiuſque vita: hic verò rectos & ſimplices peculiari cura dignari ſignificat, vt fide ſua tueatur. Atque hæc clauſula ſatis declarat quid toto Pſalmo voluerit, nẽpe Dei præſidio ſaluos fore omnes qui eius gratiæ innixi iuſtitiam ſincerè colunt: ex quorum numero ipſe vnus adeoque præcipuus erat. ˢ Itaque duorum hic admonemur. Primum, vt ſi diligi à Deo voluerimus, ſtudeamus iuſtitiæ, vt illius nomine diligamur à Deo. Alterum, vt ex genere dilectionis & odii obſeruemus quales ſimus. Qui ſentit in ſe amorem rerum iniquarum & ſecularium, cogitet ſe iniquum eſſe & ſecularem. contrà, qui diligit iuſtitiam, & odio iniquitatem proſequitur, agnoſcat donũ Dei, & per gratiã illius propaget illud & augeat. *Rectum videt facies eius.* ᵗ Quanquam variè exponitur hoc membrum, genuinus tamen hic ſenſus eſt, Deum rectorum perpetuam rationem habere, nec vnquam ab illis oculos auertere. Illud enim coactum eſt, rectos viſuros faciem Dei. ᵘ Ad verbum habetur, Rectum viderunt facies eorum: ſed pronomen plurale eſt pro ſingulari: vt vertas, Rectum vultu ſuo intuetur. vel, Rectum facies eius inſpicere ſolet. q. d. A piis vultum ſuum nõ ſolet auertere. More autem Hebraico dicitur, Aſpicit facies eius. pro, Ipſe aſpicit. ʸ Continet autem hæc particula non vulgarem conſolationem, vt in iuſtitiæ ſtudio nihil defatigemur, quamlibet malam gratiam rependat mundus. ſatis ſit Deo nos charos eſſe, eumque ſereno fauentique nos vultu ſemper aſpicere, & tũ præcipuè quum improbi nos crudeliſſimè inſectantur, & non ſolùm amico, ſed & omni aſpectu dedignantur. Iudicium omnium penes Dominum eſt, non penes mortales, eiuſque fauor ſeruat in æternum, quum horum nuſquam non adferat exitium. Neque enim fauet illis ſe diligentibus: ſi qui diligit mundum, non eſt in eo dilectio Patris, 1. Ioh. 2. b. 15.

ARGVMENTVM PSAL. XII.

ᵃ QVERITVR hoc Pſalmo David & iuſtitiã & fidem inter mortales eſſe diminutã, verſutos & fraudulẽtos aſſẽtatores omnia occupare. Orat vt Dominus afflictis, quos illi diuexant, opẽ iuxta verbum ſuum ferat, ᶜ & maturè ſuccurrat. Deinde, vt ſe & omnes pios ſoletur, poſtquam Dei promiſſionem retulit de ferendo ſuis auxilio, fidem eius & conſtantiam in ſeruandis promiſſis commendat. Vnde concludit tandem etiam in maximis corruptelis piorum liberatorem fore.

PRAEFECTO *ſuper octauam, Canticum Dauidis.*

ᵛ למנצח. Vide Pſalmum 4. a. 1. *Super octauam.* ᵃ Quidam per octauam muſicum inſtrumentum intelligunt: alii tonum

esse maluut. Quòd initium carminis nonnulli esse diuinãt, non adeo probabile videtur: hoc quidem conucnit ad modulationẽ referri Vide Psal. 6. a. 1.

2 *Serua Iehoua, quia defecit misericors, defecerunt fideles à filijs hominum.*

Serua Iehoua, quia defecit. [a]Exclamatio est ardenti affectu plena. Velut enim diu cogitabundus, & dolore cordis ex intenta mali huius consideratione intra se pressus, tandē sic prorumpit & clamat animus pius, vt dicat, Serua Domine, quoniam defecit, &c.' q. d. Serua, succurre, fer opẽ ô Iehoua: quia nulli supersunt boni, &c. Sic sanè exclamare solemus quum nihil prorsus præsidij superest: &, nisi subitò Deus auxilium ferat, actum esse creditur. Ergo initiò conqueritur Dauid terram sceleratis hominibus & ad omne scelerum genus proiectis ita fuisse copertam, vt nullum recti & æqui studium vigeret, nemo bonorum esset defensor: nulla denique humanitas vel fides amplius restaret. Credibile autem est tempus notari quo eum persequebatur Saul: quia tūc summi & infimi quique ad insontem & miserum hominem perdendum conspirauerant. Horrendum tamen dictu est, sic in populo electo euersam fuisse iustitiam, vt omnes vno consensu bonæ causæ infensi ad sæuitiam & crudelitatem ferrentur. Neque enim hic alienigenas accusat: sed hoc iniquitatis diluuium grassari in Ecclesia testatur. Quæ ne hodie in tristi corruptissimi & prorsus confusi status aspectu animos despondeant fideles, ferendum patienter cogitent, si eadem sit sua conditio quæ olim fuit Dauidis. Notandum verò quòd Deum hac de causa inclamat Dauid ad opem ferendam, quia nulla superest inter homines rectitudo: vt eius exemplo in summa desperatione ad Deum confugere discamus. Nam & hoc statuendum est, quo res magis in mundo confusæ sunt, Deo maximè opportunum esse seruandi tempus. [m]Sensit etiam Propheta, bonis ac pijs hominibus periculosum esse, si viuendum sit inter impios, mendaces ac subdolos, passim obtinentes. Ideo orat hic vt à Domino seruetur: sicut & alibi dicit, Libera me Domine à labiis iniquis & à lingua dolosa, Infrà, 120. a. 2. Et reuera impossibile est laqueos talium hominum effugere, nisi quis diuinitus seruetur. Etenim sicuti cor hominis peruersi inscrutabile est, ita etiam fraudes illius vitari nequeunt nisi solo diuini spiritus ductu. *Quoniam defecit misericors.* [v]Desijt esse sanctus, aut pius, bonus & probus. Vide Psalm. 4. a. 4. 'Querimoniam nonnulli esse putant de indigna cæde iustorum, acsi dixisset, quicunque æquitatem fidemque colebant, crudeliter à Saule fuisse occisos. sed simplicius accipere præstat, nihil amplius beneficentiæ aut veritatis esse residuũ inter homines.' q. d. Nulli boni supersunt, (enallage numeri est) & fidi imminuti sunt à filiis hominum. id est, desierunt esse inter mortales qui fidem colant. *Quoniam defecerunt fideles à filiis hominum.* [c]Duabus vocibus expressit Dauid vnde constet vera iustitia. Quemadmodum enim duæ sunt iniustitiæ species, violentia & fraus, ita iustè viuitur quum bona fide versantur inter se homines absque iniuria, & mutuam inter se societatem rite fouent, quum neque leones sunt neque vulpes. Quòd si tamen quæ hic describitur confusio nos premat, cauendum est ne vlulemus cum lupis, vel communis scelerum licentia nos abripiat: sed potius ad exemplum Dauidis nos referamus. [m]Interea notandum querimoniam hanc non esse reproborum, sed piorum & iustorum, qui probitatis ac veritatis amore tenentur. Reprobi vt nulla veritatis ac probitatis cura tenentur, ita non admodum de eo dolent quòd numerus bonorum ac veracium diminuitur, nisi quantum is defectus damni aliquid rebus ipsorum allaturus videtur. Licet enim veritatis amici non sint, molestè tamen ferunt si decipiantur: idque non odio mendacij, sed studio res suas promouendi. Obseruandum quoque est, quandiu mundus hic durat, perpetuò reperiri aliquot bonos ac veraces, vt vt paucos. Nam & ipse Propheta infrà satis declarat superfuisse adhuc bonos & insontes, de quorum oppressione & gemitu mentionem facit.

3 *Fallaciam loquitur quisque cum socio suo, labijs blanditiarũ in corde & corde loquuntur.*

Fallaciam loquitur. [v]Fut. Hebr. pro præsenti. Vel, mendacium loqui solent alter cum altero. [c]Partem illam iniustitiæ hoc versu notat quæ veritati contraria est. Dicit in eorum sermone nihil esse syncerum vel simplex, quia ad fallendum intenti sint. *Quisque.* [h]Vniuersalis nota non sic quidem accipienda est, vt intelligamus neminem prorsus superfuisse veracem inter filios hominum, sed quòd malum hoc passim obtinuerit. Et quod dicit, *Cum socio suo,* malum ipsum exaggerat. Minus est decipi à peregrino, ab hoste, ab inimico: amarius verò si id fiat ab amico, proximo, vicino, fratre, sorore, coniuge, &c. Quis hic fallaciam mendacis linguæ effugiet, vbi ne proximo quidem fidere tutum est? Quomodo commercia proximorum declinabimus? Non patitur hoc humanæ conuictus necessitas. Quomodo secure illis vtemur? Reuera non frustra exclamauit, dicens, Serua Domine. *Labiis blanditiarum in corde & corde.* [v]Hebraismus, pro, Sermone blando, duplici animo loquuntur. Labium pro sermone. In corde & corde loqui est duplici animo loqui, aliud dicere, aliud sentire. [c]Fontē hic & primã causam designat Propheta, quia duplici corde loquantur. Vnde & blãditias Hebræi חלקות à diuisione nominant. Nam vt integrum cor ingenuè expandunt quibus propositum est veraciter agere cum proximis, ita perfidi & fallaces partem affectus sui reconditam tenent, & simulationis fuco tegunt, vt nihil certi queat ex eorum sermone colligi. [b]Imòverò quia mali sibiipsis tãtùm amici sũt, alios quosuis fallere & decipere, vt inde sibi emolumenta parẽt, industriam existimant laude dignam. [c]Sit ergo simplex sermo noster, vt character sit recti animi. [m]Et quũ ad hoc potissimùm seruiant blanditiæ & assentationes vt decipiamur, nec sit quisquam qui cupiat decipi, potentissimum hoc decipiẽdi instrumẽtum linguam videlicet blandiloquam, & cor duplex, ceu pestẽ extremam detestemur.

4 *Succidat Iehoua vniuersa labia blanditiarum, linguam magnificentias loquentem.*

Succidat Iehoua vniuersa labia. [m]Consideratione mali huius, quod passim obtinere cernebat, ad hanc diuinæ vltionis imprecationẽ rapitur Propheta, ' vt Deus abscindat perfidas linguas. Quãquam verò dubium est optétne destrui perfidos homines, an priuari tantùm nocendi facultate, cõtextus tamen ad priorẽ sensum magis nos deducit, vt Deus quoquo modo aboleat pestem illam. [m]Et vt exprimat quàm sint detestabiles viri dolosi, & præ nimio fastu insolescentes, imprecationem hanc sic proferre vt conspicuum sit vehementi emphasi esse inspersam. Non enim dicit, Cohibeat Dominus, sed, Succidat Dominus labia dolosa: & addens Vniuersa, multitudinem & abundantiam hominum subdolorum notat. [c]Quòd autem præterita malitia tam ardenter in linguas virulentas inuehitur, hinc colligimus quãto ex his plus noxæ senserit. Et certè gladiis ac telis omnibus magis exitiales sunt fraudes & calumniæ. *Linguam magnificentias loquentem.* [v]Id est, superba & arrogantia. Deique contemptum præ se ferentia. [c]Hinc clarius patet quales illæ fuerint adulationes quarum proximo versu facta fuit mentio. Quidam enim seruiliter & putidè adulantur, vt parati sint quiduis facere & pati: sed hic diuersum genus Dauid notat, nempe qui blãdiendo se tamen magnificè iactant, & captionibus audaciam permiscẽt. Non ergo de sordido & plebeio adulatorum grege loquitur: sed aulicos calumniatores perstringit, qui nõ modò suauiter se insinuant, sed grandiloqua mentiendi libidine obruunt miseros homines. [c]Ergo falsis blãditiis & assentationibus Propheta iungit arrogantiam & solitam perditis aulicis magniloquentiam. Nihil siquidem istis æquè blandum iuxtà & arrogans atque fastuosum: neminem respiciunt, neminem verentur: nihil mentiri eos, nihil fingere pudet, dummodo primas in rebus omnibus obtineant, & sint bonis formidabiles. [m]Mirabile prorsus est huiusmodi hominum ingenium vt fallant, sicubi aliud nequeunt, blanditiis vtuntur: vbi deceperũt, tum primum horrendum minantur, & magna loquuntur.

5 *Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus: labia nostra à nobis sunt: quis Dominus nobis?*

Qui dicunt. [c]Quò plenius horũ arrogantiã Vates exprimeret, vsus est mimesi, ipsorũ verbis superbiã & arrogantiam eorum referens. *Linguam nostram roborabimus.* [v]Lingua nostra præualebimus. vel, propter linguam nostram robusti erimus, id est, authoritatem nobis conciliabimus sermone nostro. [a]Alij legunt, Linguis nostris roborabimur, eo quòd altera lectio minus cum ratione grãmatica cõueniat, propter additam literam ל. [c]Deinde aptior est hic sensus, linguis suis instructos quouis prorumpere. quemadmodum genus hoc hominum suis calumniis omnia deformans, solem tenebris tantum non obducit. *Labia nostra à nobis sunt.* [v]Adulatorum Saulis verba, Periti sumus artis dicendi, possumus quiduis persuadere, sumus apti & idonei ad dicendum: quis est qui sermonem nostrum cohibere possit? quis Sauli dissuadeat quod illi semel suaserimus in Dauidis perniciem? *Quis Dominus nobis?* Q. d. [v]Neminem habemus cui verborum nostrorum rationem reddere cogamur: sumus ipsi domini: quem metueremus? [c]Hoc melius confirmat quod diximus Dauidem non de quibusuis, sed aulicis adulatoribus loqui. Nã summa authoritate præditos esse oportet qui in mendaciis sibi satis esse præsidij statuunt. Atque hic est summus impietatis cumulus, cum tali fiducia insurgere, vt improba verborum iactantia ius & fas omne peruertere nihil pudeat. Perinde enim faciunt acsi apertè Deo ipsi prælium indicerent. [m]Ideo æquissimum est vt tales excindantur, quò conspicuum fiat habere eos Dominum in cælis, quem, si sapuissent, meritò timuissent.

6 *Propter vastitatem inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Iehoua: ponam in salute quem illaqueat.*

Propter vastitatem inopum. [a] Propter vastationem afflictorũ quasi d. commotus calamitate pauperum quam video: quia res pauperum vastatæ sunt. *Et gemitum pauperum.* Propter gemitum, vel eiulatum, vt scilicet opem illis feram. acsi dicat, Hactenus visus sum conniuere: nunc tandem surgam. [c] Iam sibi materiam consolationis proponit Dauid, quòd non passurus sit Deus impios sine fine & modo ita grassari. Verùm vt se & alios ista hac doctrina efficacius confirmet, Deum ipsum inducit loquentem. Est enim hoc magis emphaticum, vbi in mediũ prodit Deus, & ore suo liberatorem se miseris adesse pronuntiat. Subest enim magna emphasis in aduerbio Nũc, quo significat Deus salutem apud se nobis ita esse repositã vt non statim eam proferat. se enim hactenus tacuisse dicit, donec suspirium miseris & clamoribus expergefactus fuerit. *Nunc exurgam, dicit Iehoua.* [b] Q. d. Nunc tempestiuum mihi est cõtra impiorum superbiam & insolentiam exurgere. Nam ingemiscunt mei, & cuncta videntur desperata: sed reipsa ostendam illos non frustra ad me clamasse. [c] Ergo quoties iniuriæ hostium, rapinæ & vastationes nihil nobis præter lachrymas & gemitus reliquim facient, meminerimus iam adesse tempus quo Deus ad iudicium surgere velit. Hæc eadem doctrina animos nostros ad tolerantiam formare debet, ne molestum nobis sit inter miseros & inopes censeri, quorum Deus se vindicem fore promittit. [m] Deinde cogitemus quid expectandum sit quando Dominus cæli ac terræ & rex regum surrecturum se dicit. Videmus in hoc seculo quantum terroris incutiatur aduersariis, & quàm exultent subditi & afflicti, siquando rex quidam potens & ad res bellicas instructus expeditionem contra hostes suos moliue. [a] Quid igitur fiet quum in iudicium surrexerit ille qui solo suo flatu omnes hostes suos in nihilum redigere potest? *Ponam in salute quem illaqueat.* Varia adfertur huius membri interpretatio. [c] Ponere in salute nonnullis tantundem valet ac salutem dare vel afferre, acsi ב superuacuum esset. sed potius iniustè oppressis restitutio in integrum promittitur. Sed quod sequitur plus difficultatis in se continet. Verbum יפיח tũc Sufflare, nunc Illaqueare, interdum etiam Loqui significat. Qui pro Loqui hoc loco positum putant, ipsi quoque inter se dissentiunt. Quidam vertunt, Loquetur sibi Deus. hoc est, apud se decernet: quæ superuacua foret ac frigida repetitio, quia iam retulerat Dei decretum. Magis etiã coactũ est quod alii ad quemlibet piorum referũt: quasi Dauid vicissim ipsos de fide & constantia Dei loquẽtes inducat. Nam huic verbo cõtexunt proximã sententiã, Eloquia Domini &c. Magis probabilis aliorũ opinio, qui decreto Dei subiici volunt sermonem qui ad pios dirigitur. Neque enim satis foret Deum apud se statuere quid facturus sit in salutem nostram, nisi certã nos & nominatim compellet. Nam inde nobis spes salutis affulget quum Deus voce sua ostendit se nobis fore propitium. Alloquitur quidem ipsos quoque incredulos, sed sine fructu: quia surdi sunt: sicuti etiam sine fructu liberaliter ipsos tractat: quia stupidi sunt, ac sine sensu eius beneficia deuorãt. Nos verò, quia sub verbo יפיח promissiones cõmodè & aptè comprehendi posse videmus, ne bis idem dicatur, libenter illum quem posuimus sensum amplectimur, Deum se surrecturum dicere, vt in salutem restituat qui vndique hostium laqueis implicati & capti videntur. Acsi dictum esset, Quamuis inopes & miseros impii irretitos teneant quasi partam prædam, ego tamẽ eos locabo in tuto. Nec verò nouum est demonstratiuum pronomen loco relatiui sumi. Siquis Sufflandi verbum malit, non valde repugnamus: nam hoc modo scitè impiorum superbiam perstringeret Dauid, qui solo flatu quiduis se posse confidunt: vt visum est suprà, 10. b. 5.

7 *Eloquia Iehouæ eloquia pura: argentum fusum in eximio catino terræ, defæcatum septemplicitèr.*

Eloquia Iehouæ eloquia pura. [m] Quoniam versu præcedenti Dominum ipsum induxit, qui se iam surrecturum & salutem populo suo afflicto, vastato ac pauperi allaturum dixerit, iam consequenter hoc agit vt admoneat verbo Dei, omni dubitatione reiecta, quàm firmissimè ac securissimè esse credendum & innitendum. [c] Deum enim in suis promissis certum, fidum ac constantem esse prædicat. Hoc autem verbi Dei encomium frustra interponeret, nisi prius se & alios vocasset ad meditãdas Dei promissiones in reb⁹ aduersis. Itaque hæc series tenẽda est, postquã retulit Deum seruis suis spem propinquæ liberationis facere in vltimis angustiis, iam ad fidei & spei fulturam subucere nihil futiliter vel frustrandi causa à Deo promitti. Quanquam autem hoc leue in speciem videtur, siquis tamen propius & attentius expendat quàm propensa sint ad diffidentiam & impias dubitationes hominũ ingenia, facilè agnoscet quàm vtile sit fidem nostram hoc testimonio fulciri, quòd Deus fallax non sit, nec inanibus verbis nos lactet, nec immodicè vel potentiam vel bonitatẽ suam iactet: sed verbo offerat quòd reipsa præstare vult. Nemo quidem est qui non ex animo se idem sentire profiteatur quod tradit Dauid, eloquia Domini pura esse: sed qui in vmbra & otio verbi Dei fidem suis præconiis liberaliter extollunt, vbi ad serium conflictum ventum est, etiamsi palàm blasphemias in Deum euomere non audẽt, sæpe tamen malæ fidei eum insimulant. Simul enim ac opem suam differt, fidem eius requirimus, ac perinde obstrepimus acsi nos fraudasset. Quanquam ergo nihil generali omniũ consensu magis receptum est quàm Deum esse veracem, pauci tamen solidè in rebus aduersis in hanc eius laudem subscribunt. ideòque magnopere expedit ansam diffidentiæ nostræ præcidere: & quoties de fide promissionum Dei obrepit aliqua dubitatio, statim hunc clypeum opponere conuenit, sermones Dei esse puros. [m] hoc est, nullo mendacio esse obnoxios. Dicere poterat Dauid puram esse & firmam Dei veritatem: verùm, vt mentes nostras non simpliciter voluntate Dei, quæ sine verbo est occulta, sed verbo quod voluntatis declarationem ac manifestationem habet, consoletur & confirmet, maluit dicere Eloquia Domini quàm Voluntas Domini. Deinde poterat dicere, Quod hic loquutus est Dominus, mundum est ac certum: verùm maluit veritatis ac certitudinis encomium non solùm isti eloquio Dei quo afflictis succurrere statuerit, sed in genere quibuscunque eloquiis illius tribuere. Idem dicit, Eloquia Domini, eloquia munda. Sic Solomon, Omnis sermo Dei, inquit, igne probatus, Prouerb. 30. a. 5. Hæc gloria nulli humanæ doctrinæ debetur. In humanis doctrinis sunt opiniones, errores, mendacia: in eloquiis Dei certa cognitio, rectitudo viæ & veritas. In summa, quum mendax sit omnis homo, eloquium hominis, vt hominis, impurum esse necesse est, vt soli Deo, qui mentiri nescit, istud maneat puri eloquii encomium. Quapropter quicquid illi humanitus alluitur, impurum sit oportet. *Argentum fusum in eximio catino terræ.* [v] Excoctum in terra præstantissima, vel in fictili confecto è terra præstantissima & aptissima ad excoquenda metalla. [c] Hæc similitudo argenti tanta quidem eius dignitate & præstantia longè inferior est: sed optimè sensus nostri modulo respõdet. Nam argentum si probè excoctum est, in legitimo pretio apud nos habetur. At Dei verbum, cuius inæstimabile pretium est, non pari honore dignamur, ac vilior nobis ei⁹ est puritas quàm corruptibilis metalli. Quinetiam bona pars sordes in suo cerebro fabricat, quibus nitorem qui in Dei verbo relucet, deformet vel obscuret. [b] Hac eadẽ argẽti similitudine vtitur alibi Dauid, dicẽs, Melior est Lex oris tui super millia auri & argẽti. Infrà, 119. 72. [c] Multi vocem בעליל, quasi simplex esset, Dominũ interpretãtur, [v] Conflatum ipsi Domino terræ. Secundum eos hic esset sensus, verbum Dei instar esse argenti purissimi, quod exactè summáque arte & cura omni fæce purgatum est nõ in vsum vulgarem, sed principis terræ. Sed rectius sentiunt qui ב seruilem literam esse dicunt, & עליל nitidum vel bene positum vas vel catinum esse docent. *Defæcatum septemplicitèr.* [v] Repurgatum septies, id est sæpius. [m] His verbis Spiritus sanctus omnem nobis incredulitatis excusationem adimit. Huc facit quod alibi dicitur, Igne cõflatum est eloquium tuum vehementer, Infra, 119. 140. [c] Nostra ergo interest ista sic animis comẽdare, nequid, dum premit aduersitas, dum nos vastant superbi hostes Dei, de his Domini dictis, quibus se adfore nobis suis verbis promittit, addubitemus.

8 *Tu Iehoua seruabis eos, custodies eum à generatione hac in æternum.*

Tu Iehoua. Nunc Dauid fiducia animatus gloriatur de certa piorum salute, cuius se fore custodem asserit Deus, qui nec fallere nec mentiri potest. *Seruabis eos.* Hoc quidam impropriè ad sermones Dei torquent. Non enim dubium est Dauidẽ ad pauperes illos de quibus loquutus erat, redire. Quod verò numerum mutat, Hebræis satis tritum est, nec ideo ambiguus sensus redditur. Idem ergo significant hæc duo, *Seruabis eos,* & *custodies eum:* nisi fortè secundo loco sub vnius hominis persona dicamus exprimi bonorum paucitatem: quod à ratione nõ discrepat. acsi dixisset, etiamsi vnus tantùm bonus in mundo superstes maneret, Dei tamen gratia & præsidio saluum fore. Sed quia Hebræi dum indefinitè loquuntur, subinde numerum mutant, liberum lectoribus iudicium relinquatur. *A generatione hac in æternum.* Hoc quidem extra controuersiam est, per nomen generationis ingentem turbam impiorum & totum ferè populi corpus notari. Nam quum דור Hebræis tam homines qui eodem seculo viuunt quàm spatium temporis significet, hoc loco haud dubiè Dauid intelligit, non aliter saluos fore Dei seruos quàm si Deus eos tueatur cõtra totius populi malitiam & ab improbis peruersisque ætatis suæ hominibus eos eripiat. Vnde colligimus adeo corruptum fuisse seculum, vt probrosè

David quasi in vnum fasciculum omnes ad vnum coniiciat. [a]Miseri igitur & cæci qui hominum multitudine freti in suis peccatis securè pergunt, acsi non possit Deus quotquot impietati student penitus subuertere. [c]Porro iterum memoria repetere conuenit quod prius diximus, hic verba non fieri de exteris Gentibus, sed de Israelitis & electo populo. Quod notatu dignū est, ne immensa impiorum multitudo nos exanimet, siquando magna paleæ congeries appareat in area Domini, subtus verò pauca tantùm grana lateant. Deinde quantumuis exiguus sit bonorum numerus, fixa hæc hæreat in animis nostris persuasio, Deum fore eorum custodē, & quidē in perpetuum. Nam ideo additur לעולם vt fiduciam nostram procul extendere discamus: quia non semel neque ad vnum modò diem Deus opem à se sperare iubet, sed quandiu grassabitur hominū improbitas. Quo tamen simul monemur, no ad breue tēpus duntaxat paratum nobis esse bellum, sed quotidie in acie standum esse. Quòd si occulta erit Dei custodia, patiēter expectent fideles donec exurgat Deus: & quo maius diluuium exundat, sese in metu & solicitudine contineant. [m]Notandum postremò Dauidem non solùm pios & fideles sui temporis, sed totam piorum generationem ad finem vsque mundi contra generationē impiorum ad fiduciam animare, vt agnoscant pii, donec seculum hoc durat, se Dei gratia seruatum iri. Nam hac dictione Dauid se non modò sui seculi, sed in vniuersum omnibus piis afflictis & pauperibus qui ad finem vsque mundi futuri erant, associat, & conseruationem illorum promittit. Admonemur ergo perpetuam hanc esse impiæ generationis malitiam, vt pios & innoxios alligant & vastent, ac, si possint, prorsus perdant: vt necessaria sit piis perpetua conseruatio. A quo autem illa rectius petetur quàm ab eo qui vt sempiternus Deus est & rex, ita suos etiam in sempiternum conseruare & beatos reddere potest?

9 *In circuitu impij ambulant, dum exaltantur, approbrium filiis hominum.*

In circuitu impii ambulant. [c]Quia סביב Hebræis circuitum significat, quidam allegoricè exponunt impios occupare omnes exitus, vt bonos vndique obsideant. alii etiam subtilius, ambagibus & flexuosis artibus insidias obliquè tendere. Atqui simplex sensus est, improbos sic occupare totam terram vt per omnes eius plagas vagentur: acsi diceret, quocunque vertantur oculi, ipsorum turmas hinc inde occurrere. q.d. [a]Sic obtinuit in populo generatio impiorum pessima vt passim & circunquaque ambulet, adeo vt impossibile sit maliciam eius euadere, nisi suos cultores Deus seruet ac custodiat. *Dum exaltātur, opprobrium filiis hominum.* [v]Alii, Quum exaltantur vilitates filiorū hominum, id est homines nihili & perditi q.d. Circunfluunt vndique improbi, dum probrosi primas inter homines obtinent, & illos sectantur. [c]Contingit enim vt plurimum, sicuti morbi à capite in membra defluunt, ita à principibus ad totū populum manare corruptelas. Sed quia doctissimi grammatici זלת nomen singulare esse docent, alter sensus rectius quadrare videtur: vt legamus, Dum exaltantur, vilitas est filiis hominū, id est, reliquis hominibus. [c]Conqueritur enim improborum tyrannide contumeliosè opprimi humanum genus. q.d. [v]Quū fæx illa hominū euehitur, & primas tenet, reliqui homines iacent. hoc est, abiectè & viliter ab eis tractantur. Aut, vilitas est filiis hominum. id est, vilia, sordida, fœda & quæ nullius pretii sunt, sectantur homines: nihil laudabile & gloriosum patrant homines, adigentibus illos improbis, qui rerum potiuntur, ad omnia turpia, nefaria & ignominiosa. [a]Sed mox præcedens expositio omnium est optima.

ARGVMENTVM PSAL. XIII.

[m]EXPRIMITVR hoc Psalmo animus primū grandi tentatione simul & mœrore cordis in rebus aduersis affectus: deinde ad Deum orando conuersus, ac tādem bona fiducia erga bonitatē Dei recreatus, futurumque sperans vt breui propter acceptam diuinitus salutem gauisurus sit, ac Domino gratias acturus. [v]Itaque eiusdem fere argumenti est hic Psalmus cum proximo.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis.*

2 *Vsquequo Iehoua obliuisceris mei in seculum? usquequo abscondes faciem tuam à me?*

Præfecto, canticum Dauidis. [a]Huius versus expositionem pete ex Psal. 4. 2. *Vsquequo Iehoua obliuisceris mei.* His duobus versibus queritur pientissimus Dauid primū de eo quòd videatur Deus sui esse oblitus: deinde tamē à esse hostis qui illū persequebatur malitiam & tyrannidē, vt in custōdis illius insidiis nulla valere videretur cōsilia, quāuis magna solicitudine reperta. Quod ad primū attinet, verū quidē est tāto passim odio ob falsas calūnias grauatū fuisse Dauidem, vt omnes fere putarent Deum non minus ei esse infensum quàm Saulē & reliquos hostes. Sed hic non tam ex aliorum opinione quàm ex proprio sensu à Deo se negligi conqueritur: nō quòd in eius animo extincta esset promissionum Dei fides, vel in eius gratiam non recumberet: sed quia fieri aliter non potest, vbi diu malis vrgemur, nec apparet vllū opis diuinæ signum, quin se ingerat hæc cogitatio, Deum nostri oblitum esse. Neque enim humano modo vel naturæ sensu in nostris miseriis agnoscimus Deo nostri esse curam: sed fide inuisibilem eius prouidentiam apprehendimus. Sic Dauid, quantum ex re ipsa æstimari poterat, sibi visus est à Deo deseri. simul tamen prætenire fidei luce vsque ad Dei gratiam (quāuis esset abscondita) mentis oculis penetrauit. Itaque nihil vsquam bonæ spei cernens quàm longè se humani ingenii captus extendere poterat, dolore coactus exclamat se non respici à Deo. hac tamē eadem querimonia testatur fide se altius attolli, vt præter carnis iudicium salutem suam in Dei manu esse statuat. alioqui quomodo gemitus suos ad ipsum votaque dirigeret? Sic nobis cum tentationibus luctandum est, vt in ipso conflictu fides nobis dictet superanda esse mala quæ nos ad desperationem solicitant. quemadmodum Dauidem non prohibuit à quærēdo Deo carnis infirmitas, sed affectus in speciem contrarios optimè cōiunxit. [m]Communiter verò hoc omnibus afflictis accidit vt finem rerum tristiū impatienter suspirēt, & de diuturnitate mali querantur. *In seculum.* [v]Perpetuò, in perpetuum. Id est, vsquequo tandem, vel quousque tandem negliges me? Queritur his verbis Dauid auxilium sibi negatum à Deo, aut certe dilatū. [c]Impropria quidem est loquutio, Quousque in seculum: sed cui multo plus subest efficaciæ, quàm si vsitato loquendi more rogasset, Cur tandiu? Significat enim, vt spem suam foueret, séque animaret ad patientiam, procul respexisse: ideóque nō conqueri de malo paucorum dierum, quemadmodum solent teneri & pusillanimes, qui tantùm cernunt ante pedes, & ad primum insultum statim succumbūt. Quare suo exemplo nos docet quàm longissimè extendere mentes nostras, ne præsens dolor spem nobis præscindat. *Abscondes faciem tuam à me?* [v]Auertes vultum tuum à me? quod irati facere solent. Quousque tādem dedignaberis aspicere me? Chaldæus paraphrastes vertit, Splendorem vultus tui. id est fauorem & misericordiam. [m]q.d. Vsquequo Domine obliuisceris me penitus? Habēs huiusmodi loquutiones anthropopathiam: de Deo perinde atque de homine quodam loquuntur. humanum siquidem est obliuisci, & faciem ab eo quem oderis auertere.

3 *Vsquequa ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo in die? usquequo exaltabitur inimicus meus super me?*

Vsquequo ponam consilia in anima mea. [v]Hebraismus pro, Quousque consilia inibo apud me? Ponere consilia in animo dicimur quando quærimus consilia quibus periculum euadamus. q.d. Quousque anxius & dubius rerum agendarū apud me consilia inibo, vt rationem inueniam qua à tot periculis liberer? Scimus in rebus aduersis homines æstuare, ac circunspicere hinc & illuc ad quærenda remedia. præsertim vbi se destitui vident, anxiéque torquentur ac distrahuntur in varias partes: atque in magnis periculis solicitudo & metus subinde consilia mutare cogunt, vbi nulla certa occurrit ratio. Conqueritur ergo Dauid, dū hinc inde accersit cōsilia, tali cōgerie frustra se fatigari. *Dolorem in corde meo.* [v]Anxietatem, vel molestam cogitationem. [c]Dolorem quotidianum coniungens, fontem huius inquietudinis designat. Nam sicuti in morbis acutis cuperent ægroti ad singula momenta locum mutare, & quo acrius dolores vrgent, magis subiti sunt & feruidi ad nouos motus aut mutationes: sic vbi animos occupat dolor, rapiantur miseri homines, ac illis leuius est sine profectu se cruciare quàm sedatis & quietis animis mala sua perpeti. Quanquam autem Dominus Spiritum consilii fidelibus se daturum promittit, non tamē semper ipsum in primo articulo suppeditat, sed quasi per flexuosas ambages ad tempus discurrere patitur, vel perplexos inter spinas hærere. Patientia ergo piis omnibus maximè necessaria est vbi se ex tentatis consiliis nihil aliud quàm animi anxietatem reportasse vident. *In die.* [v]יומם, Interdiu. q.d. non solùm noctu, sed etiam interdiu. Solent interdiu recedere curæ, quæ redeūt nocte. Dicit ergo interdiu: acsi dicat, Quæ in aliis curæ sopiri solent. Quidam vertunt Quotidie: sed potius notari videtur assiduitas, nempe quòd singulis diebus recurrat dolor. *Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?* [m]Hæc erat tentationis grauitas, quòd hostem cernebat inualescere contra se, non solùm perseuerare in malitia. Hoc ergo malū deplorat Dauid, quòd aduersarii audacius insultent, dum ipsum vident diuturno languore prorsus confici. Plurimū autem in precibus valet hæc ratio: quia Deo nihil minus est tolerabile ista crudeli insolentia, dum hostes non solùm

dæ:

miseriis nostris pascuntur, sed quo nos magis deprimi vident, eo altius insurgunt.[M] Porro hæc hostium exaltatio contra pios non aliunde nascitur quàm ex patientia Dei, qua suorum ad tēpus obliuisci ac faciem suam ab illis abscondere videtur. Hinc consequitur nō posse impios diutius cōtra pios exaltari quàm ista patientia Dei duret. Durat autem illa ad momentum: quia non potest sperantes in se diutius deserere. Sic Dauid, Vidi impium, inquit, exaltatum & elatum sicut cedrū Libani. transiui, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius, Infrà, 37.g.35. Et Christus affirmat Deum citò facturum vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, Luc.18.b.7. Quæ omnia non vulgarem consolationis materiam piis omnibus afferre debent.

4 *Aspice, exaudi me Iehoua Deus meus: illumina oculos meos, ne fortè dormiam in morte.*

Aspice. Questus est Dauid se à Deo negligi, Deum à se faciem suam abscondere. nūc ergo orat vt respiciat, & animum ad suā afflictionem aduertat. *Exaudi me.*[T] Quoniam ideo videtur Deus non protinus auxilium suis ferre quia eorum necessitates nō respicit, priore loco petit Dauid vt respiciat Deus: secundo, vt fuerit exaudiat. Neutrū quidem in Deo prius aut posterius est: sed iam prius dictum fuit, sæpiusque erit posthac iterandum, Spiritum sanctum precandi formas ad sensum nostrum data opera accōmodare. Nisi persuasus fuisset Dauid se esse sub Dei oculis, nihil profuisset ad Deum clamare: sed hæc erat fidei cognitio. Interim donec re ipsa Deus ad opitulandum manum exerat, clausos esse eius oculos dictat carnis ratio. Cæterùm tantundem valet loquutio acsi Dei misericordiam priore loco statueret: deinde adiungeret eius auxilium. quia tunc demū nos exaudit Deus dum nostri misertus ad nos iuuandos flectitur. Addit, *Iehoua Deus meus.*[M] q.d. Quoniam alium Deum non habeo ad quem in tribulationibus constitutus confugiam, in quem fiduciam ac spem omnem collocem, à quo totus pendeam, quem etiam solū & verum Deum & omnipotentem & iustitiæ studiosum, malorumque oppressorem & innocentum assertorem sciam, quam te vnum, non possum nec debeo etiam inuocare alium quàm te Dominū Deum meum. Quapropter oro Domine Deus meus, respice & exaudi me. *Illumina oculos meos.* Exprimit his verbis qua in re exaudiri se petat, & quid à Deo impetrare cupiat, nempe illuminari sibi oculos. Illuminare oculos Hebræis tantundem valet ac dare spiritum vitalem. vitæ enim præcipuus vigor in oculis apparet.[C] Hoc sensu dicit Solomon tam miseri hominis quàm rapacis oculos à Domino illuminari, Prouerb. 29.d.13. Et quum Ionathas præ media deficeret, dicit sacra historia caliginem fuisse offusam eius oculis: rursus, postquam fauum mellis gustauit, lucem eius oculis fuisse redditā, 1.Sam.14.d.27. Similis fere metaphora est in verbo Dormiendi, quum ad mortem trahitur. Ceterùm in summa fatetur Dauid, nisi à Deo affulgeat lux vitæ, se mortis tenebris statim iri obrutū, ac se iam esse quasi exanimem, nisi Dominus vigorem inspiret. Q.d. Dispelle tenebras tribulationum à me, quæ me prope enecāt. Quidam totum versum sic exponūt, Habe quæso rationem calamitatis meæ, exaudi me, dona mihi vigilantiam & cautionem, ne imprudens incidam in manus hostis mei, & interficiar: dormiā non eum somnum quo reparātur vires, & membra fessa leuantur, sed qui est mors. Mors piorum dicitur somnus propter resurrectionem carnis. qui resurgēt, velut à somno diuturno excitabuntur. *Ne fortè dormiam in morte.* Vertendum potius Dormiā dormitionem mortis. Nam in huiusmodi solent Hebræi subaudire verbale eius verbi quod in oratione ponitur. id est, ne succumbam tribulationi, & interficiar ab inimico.[A] Fatetur ergo Dauid se non lōgè à morte abesse, nisi Deus respiciat & exaudiat.[C] Hinc verò nobis vitæ fiducia, quòd licet mille mortes nobis intentet mundus, tamen est in manu Dei vitæ nostræ instauratio.

5 *Ne fortè dicat inimicus meus, Præualui contra eum. qui me affligunt, exultant si lapsus fuero.*

Ne fortè dicat inimicus meus, Præualui cōtra eū.[M] Indicat ob id se deprecari interitū ne occasio sit impiis de victoria gloriandi: quæ gloriatio in contumeliam nominis Dei cederet, cuius causa in hæc pericula inciderat.[Z] Dicit ergo indignum esse vt Deus seruum suum impiis ridendum propinet. Erant autem quasi in excubiis Dauidis hostes, vt ludibriis insectarentur eius ruinam. Atqui quū propriū Dei sit munus cōpescere improborū proteruiā, quoties in suis sceleribus gloriantur, meritò à tali iactātia arceri postulat Dauid. Sed notādum est suæ integritatis probè fuisse cōscium ac fretum etiam causæ æquitate, vt indignum esset atque absurdū deseri in periculo, & ab hostibus opprimi. Quare tunc demum cum eo nobis communis erit hæc precatio, si sub Dei imperio & auspiciis militamus, vt nos vincere hostea nequeāt quin de ipso Deo impios agant triumphos.[M] Hæc enim est superbia cordis impii. Vincere gaudet, & hoc nomine super ruina eorum quos impugnat lætatur & exultat. Gloriosum est vincere aduersarios. hinc à victoribus trophæa eriguntur. Hanc gloriam vehementer appetūt filii huius seculi, etiamsi illa multorum millium occisione sit acquirenda. Contrà, piorum gaudent & exultant quando non ipsi sed Deus vincit: nec vincuntur priuati ipsorum sed Dei inimici, quorum ruina non ad ipsorum sed diuini nominis gloriam faciat. Hinc etiam est quòd pii principes, si quando victoria contra hostes potiuntur, non sibi illam sed Deo deputant, non modò ob id quòd sciunt illam non esse in multitudine exercitus, sed à Deo: sed ob eam quoque causam quòd gloriæ Dei magis quam propriæ studēt.

6 *Et ego in misericordia tua spero, exultabit cor meum in salute tua: canc abo Iehouæ, quoniam retribuit mihi.*

Et ego in misericordia tua spero.[V] In bonitate tua spero. Præt. Hebræo præsenti. q.d. Ita obsecro mecum age vt precatus sum. nam ego spero in te.[C] Tametsi nondum sentit Propheta quantum profecerit orando, spe tamen liberationis ex verbo Dei conceptæ fretus, spei clypeum tentationibus opponit, quarum terrore percelli poterat. Quamuis ergo duriter agatur, ac multæ curæ ipsum ad desperationem solicitent, se tamen in fiducia gratiæ Dei & salutis staturum pronūtiat. Hac verò eadem fiducia præditos suffultósque esse conuenit pios omnes, vt in precibus rite perseuerent. Vnde etiā colligimus fide apprehendi Dei gratiā, quæ carnis iudicio abscondita est. Quanquam autem ex diuersia verborum temporibus elicere diuersos sensus liceat, dubiū tamē non est quin testetur Dauid se firmum stetisse in spe promissæ salutis, & staturum vsque in finem, quamlibet graue tentationum onus incumbat. Itaque quum dicit, *Exultabit cor meum in salute tua,* in verbo Exultandi futurum tempus continuū actum designat, quòd scilicet fidei gaudium nullus vnquam mœror ei excutiet. Dicit ergo, Exultabit cor meum propter opem tuam, quæ mihi saluti erit, quum me ab hostibus meis eripies.[C] Notādum verò quòd Dei bonitatem ordine priorem statuit, tanquā salutis causam.[M] Non enim dicit, Ego in iustitia mea & meritis meis, sed, in bonitate tua confido: vt discamus veræ fidei obiectum esse bonitatem Dei, qua pius animus in afflictionibus nititur. Et hæc est fidei natura vt à bonitate Dei, non à nostris meritis, pendeat: sicuti patiētiæ ingenium est vt in rebus tristibus, non prosperis, locum habeat. Hæc fides omnia vincit. *Cantabo Iehouæ, quoniam retribuit mihi.*[Z] Hoc postremum ad futurum tēpus referri debet. Quamuis enim nondū votis suis potitus sit, Deum tamen iam adesse liberatorem non dubitans, ad gratias agendas se obligat. Et sanè ita nos ad precandum accingi decet vt simul ad canendas Dei laudes parati simus: quod fieri non potest nisi certò persuasi simus vota nostra non fore irrita. Quamuis enim non simus à dolore immunes, necesse tamē est vt emergat hæc fidei alacritas, quæ futuræ lætitiæ canticum nobis dictet: sicuti Dauid ad celebrandam Dei gratiā prius se comparat quàm appareat malorum exitus.[M] Notandum est etiam quid Domino pro accepta salute Propheta rependere velit. Cantabo, inquit, Domino. Laudem & canticum promittit. Et quid aliud vel homo egenus & omnium inops præstare potest, vel Deus ille nullius egens exigeret, quàm de accepto beneficio gratiarū actionem, laudem & canticum? Hinc Moses, Exod. 15.a.1, Dibborah, Iudic. 5.a.1. Dauid hic, & Ezechias, Esa. 38.h.9, diuinis beneficiis affecti canticum Domino cecinerūt. Hinc obtinuit in Ecclesia Christianorum mos ille cantandi & psallendi Domino. *Quoniā retribuit mihi.* Vel, benefecit mihi.[V] Chal. paraphrastes, Quòd benignè mecum egit.[B] Nam verbum גמל, quod Retribuere vertunt, non aliud hic significat quàm merum beneficium conferre, sicuti & pluribus aliis locis. Qualis enim esset ista gratiarū actio, Deum mercedem seruo suo debitam rependisse? Quo inepta eorum & friuola argutia refellitur qui ad probāda operū merita locum hunc detorquent. Denique ad canenda Dei beneficia, antequam ea perceperit festinans, salutē, quæ tunc procul remota erat, sibi ante oculos statuit.[V] Dicit ergo Dauid, Non futurus sum ingratus: odas enim edam in laudem Dei, qui me periculo eripuerit.

ARGVMENTVM PSAL. XIIII.

QVARTVM hoc Psalmo Propheta omnia plena esse impiis & perditis hominibus, impiúmque Dei contemptū describit, ad quem se totus fere populus proiecerat. & quò plus grauitatis habeat querimonia, sub Dei persona indicat. Deinde spe remedii quod diuinit[V] instare persuasus est, quātuis anxiè

interim suspiret, se & alios consolatur, & salutem Israeli ex Sione apprecatur.

PRAEFECTO, *Dauidis*, *Dixit stultus in corde suo, Nō est Deus. corruperūt, abominabile fecerunt opus: non est qui faciat bonum.*

Præfecto, Dauidis.[v] Vide suprà, 4.a.1.[c] Plerique ex Iudæis vaticinium in hoc Psalmo editū esse volunt de futura gentis suæ oppressione, acsi Dauid in Spiritu Ecclesiam Dei sub Gentium tyrannide afflictam defleret. Itaque quod hic dicitur ad præsentē suam dissipationem referunt, acsi essent pretiosa illa Dei hæreditas quam deuorant feræ bestiæ. Sed facilè apparet, dum gentis suæ dedecus tegere volunt, ad Gentes sine ratione torquere quod de peruersis Abrahæ filiis dictum est. Certè ouilis Paulo Apostolo magis idoneus erit interpres, qui ad populum Legalem disertè accommodat, Rom. 3.c.19. Deinde, vt nobis desit illud testimonium, contextus clarè demōstrat domesticos potius fideliū tyrannos & hostes quàm exteros à Dauide notari, quod tenere nostra magnopere refert. Scimus enim quā duriter nos cruciet hæc tentatio, quum in media Ecclesia grassari scelerum colluuiē, bonos & simplices iniustè affligi, improbos crudeliter pro sua libidine dominari cernimus. Triste enim hoc spectaculū nos fere exanimat. Quare exēplo quod nobis Dauid proponit nos muniri non parum vtile est, vt in deploratis Ecclesiæ ruinis fiducia liberationis nos sustentet. Dubium quidem non est confusum & perditum Iudææ statum hic describi, quem inuexit Saul quū palam furere cœpisset. tunc enim perinde ac extincta Dei memoria pietas omnis diffluxerat, nec maior vigebat inter homines integritas. De conscleratis igitur & perditis hominibus, qui dum Saul regnum obtinebat, bonis omnibus infesti erāt, virtutem omnem pessundabāt, flagitia euehebant, Psalmum interpretabimur. vnde per se patebit quantum eis & in aliis cōpetat. Quæ enim Scriptura siue de bonis siue de malis habet, fere catholica sunt, quòd vtrique omnibus seculis sui similes sint: sicut & Christus à seipso in bono, & Satan in malitia nihil variat. *Dixit stultus.*[v] Præt. Hebr. pro præsenti, & singulare pro plurali, homines impii dicunt. id est, versant in animo quòd nullus sit Deus iudex, qui scelera hominum puniat, & qui res humanas curet. Hic Psalmus ingenium & naturam hominis infidelis describit: cuius supplicium & pœnam ad salutem innocentium prædicit. Scribitur ergo de origine omnium malorū, hoc est de infidelitate, & Dei contemptu ac obliuione.[c] Cæterū quū נבל Hebræis non modò stultum sed peruersum quoque & nequam hominem significet, non incommodè posset ita exponi in hoc loco: quod tamen magis receptum est libenter sequimur, vt væsaniæ damnentur omnes profani homines, qui abiecto Dei metu se ad iniustitiam proiiciunt. Neque enim vulgaris stultitiæ hostes suos insimulat Dauid: sed potius in eorum væcordiā insanámque duritiem inuehitur quos mundus valde sapere iudicat. Nam qui maximè prudentes & cōsulti tā sibi quā aliis videntur, eos vt plurimū videmus fodere astutiæ latebras, vt Deum spernendo ac ridendo ingenii sui acumen exerceant. Primò itaque sciendum est, quātumuis mundus versutis hominibus applaudat, qui sibi quiduis licentiæ indulgent, insaniæ tamen ipsos à Spiritu sancto damnari: quia nullus est magis brutus stupor quàm Dei obliuio. Simul tamen notandum est vnde colligat eos exuisse omnem pietatis sensum, nempe quia ordinem omnem peruerterint, vt nullum maneat iusti ac iniusti discrimen, nulla honesti cura, nullum humanitatis studium. Non igitur de abscondito cordis affectu pronuntiat Dauid nisi quatenus impii suo indicio se produnt. acsi diceret, Qui fit vt homines isti adeo importunè lasciuiant, nulla sit recti vel æqui apud eos ratio, denique vt immaniter ruat in omne scelerum genus, nisi quia excusso pietatis sensu omnem Dei memoriam, quantū in se est, ex animis suis deleuerūt? Nam quorum animis insidet aliqua religio, eos semper necesse est aliquo modestiæ fræno retineri, ne quiduis audeant. vnde sequitur, vbi suæ libidini absque pudore impii iam præfractè & audacter indulgent, exuisse Dei notitiam. *In corde suo, Non est Deus.*[m] Dicere in corde, Non est Deus, est omnem numinis religionem & obseruātiam, qualiscunque sit in toto orbe, ex animo ridere & stultitiæ damnare, quòd vanum sit credere aliquem esse Deum.[c] Dicit ergo Dauid impios in corde suo loqui: quia licet execrabilem hanc blasphemiā ore non euomant, effrætus tamen vitæ licentia clamat, corda ipsorum omni pietate vacua hanc sibi cantilenam suauiter canere. Non quòd subducta ratione vel formatis (vt aiunt) syllogismis nullum esse Deum statuant: (Deus enim sceleratissimos etiam quosque, vt magis sint inexcusabiles, arcanis conscientiæ punctionibus subinde exercet, vt suum numen & imperiū agnoscere cogantur) sed ipsi quicquid rectæ notitiæ Deus instillat, partim suffocant sua malitia, partim adulterant, donec emortua iaceat religio. Quamuis enim non planè Deum esse negent, cælo tamen includunt iustitia & virtute sua spoliatū: quod est idolum loco Dei fingere. Nam perinde acsi nihil vnquam sibi futurum esset cum eo negotii, à singulis vitæ actionibus procul eum repellunt. Vbi autem detrahitur è solio suo Deus, vt iudex esse desinat, ad summum cumulum peruenit impietas: vt verissimè dictum sit à Dauide, qui securè omnium scelerum impunitatem sibi permittunt, in corde suo Deum negare. Certè rarissimus quisque inuentus est qui ore rotūdo diceret, Non est Deus, præsertim in populo Dei. Impietatem hanc per hypocrisin palliant impii multa interdum de Deo ore falsò garrientes, quū corde intra se negēt Deum esse. Sic Christus Iudæorū primores redarguit, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorū longè est à me, Matth. 15.a.8. Et hoc genus hominū plerūque religionem Dei vsqueadeo simulat vt ad fastigia moderandæ religionis subuehantur. Tandem eò deuentum est in Ecclesia vt palam impii omnem religionem ex animo ridentes, gubernaculis rerum admoueantur. *Corruperunt.*[v] Deprauare solēt, sub. vias suas. *Abominabile fecerunt opus.* Quia Psalmus 53 paucis mutatis verbis nihil aliud quàm huius repetitionē cōtinet, quid inter se differant suis locis videbimus. Vbi hic conqueritur Dauid eos abominabile fecisse opus, illic pro opere ponitur iniquitas. Obseruent autem lectores non de vno vel altero opere Dauidē loqui: sed quemadmodum dixerat eos peruertisse vel corrupisse omnem legitimum ordinem, ita nunc addit totam vitam suā fœdasse, vt sit abominabilis. cuius rei probationem adducit, *Non est qui faciat bonum.* Hoc est, nullam inter se iustitiam colunt, sed omnis beneficentiæ sunt obliti. q.d.[v] Nemo quenquam afficit beneficio. Sua enim isti vbique etiam cum aliorum iniuria quærunt. Sic vsurpatur Benefacere Esa.1.d.17, pro eo quod est iustè & benignè agere cum iis quibuscum verseris. Idem est & bonum facere. Quid enim vates bonum vocet quàm quod Lex requirit? ea autem omnia sic instituit postulat vt inde ad proximos semper aliqua vtilitas perueniat. Inde Græcus habet, Non est faciens bonitatem.

2 *Iehoua è cælis prospexit super filios hominum, ut uideat an sit intelligens, requirens Deum.*

Iehoua è cælis prospexit.[c] Hoc magis emphaticum est, Deum loquentem induci, quam si sententiam tulisset Dauid in sua persona. Nam quū Deus in solio suo cognitor locatur, prodigiosum in modum stupidi sumus nisi terrorem incutiat eius maiestas. Facit enim peccandi consuetudo vt obdurescant homines in suis peccatis, ac tanquam in densa caligine nihil discernant. Dauid ergo, vt talibus blanditiis nihil eos proficere doceat, dū impune regnant scelera in mundo, Deum è cælo testatur speculari & inquirere, vt ipsum non lateat quid inter homines agatur. Etsi autem nulla inquisitione opus est Deo, non tamen frustra terreni iudicis formam suscipit, vt pro modulo nostro paulatim arcanam eius prouidentiam apprehendamus, quæ statim sensu nostro concipi non potest. Atque vtinam huc usque nos deducat hæc loquendi ratio vt discamus nos citare ad Dei tribunal, ac nobis torporem excutiat hæc sentētia, dum sibi delicias mūdus facit, ac reprobi sua vel socordia vel hypocrisi vel impudentia peccata sua sepeliunt, & excutiunt in temulēta sua peruicacia, Deum tamen è cælo prospicere.[m] Notandum autē quòd non dicit Propheta, Dominus in cælo erat: sed, Dominus de cælo prospexit super filios hominum. quibus verbis non solùm eam impietatem iugulat quæ in corde dicit, Non est Deus, sed & eam quæ licet non neget esse Deum, negat tamen eum curare res mortalium. Nec dicit, Super potentes, principes, opulentos, vel super doctos, sapientes & prudentes, aut super iustos ac pios, vel super illam vel illam generationē: sed, Super filios hominum. Subiicit ergo Propheta vniuersum genus humanum diuinæ prouidentiæ, curæ & animaduersioni, neminē eximens, cuiuscunque sit conditionis, nullam totius orbis regionem excludens. Quis enim mortaliū est qui non sit ex filiis hominū? *Vt uideat an sit intelligens.* Quia hinc pendet bene & iustè viuendi ratio, vt luce intelligentiæ regamur, meritò Dauid initio Psalmi stultiam docuit esse omnium scelerum radicem: & hoc loco integritatis & rectæ vitæ exordium a sana mente facit.[m] Et certè hoc primum requirit à nobis Deus vt simus intelligentes. Cōdidit nos ad imaginem sui, ratione ac intelligētia præditos, qua separamur à bestiis brutis, & ratione carentibus. Intelligentiam hanc ob id dedit vt se cognosceremus, & toti ab ipso penderemus. Nec ita se abscondit vt cognosci nequeat. sed inuisibilem potentiam, bonitatem ac sapientiam suam innumeris modis ob oculos vniuersæ carnis exposuit. Meritò igitur cum primis hanc à nobis intelligētiam requirit vt se cognoscamus. Hoc autem non intelligendū est de cognitione essentiæ & secretorum eius, (de quibus Apostolus, O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Rom. cap. 11.e.33.) sed de ea cuius Propheta meminit, dicens, In hoc glorietur qui gloriatur, quòd me sciat, & cognoscat quòd ego sum Dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam

in terra. Hæc enim mihi placent, ait Dominus, Ierem. 9. g. 14. *Requirens Deum.* [c] Quia peperam maior pars ingenium suum ad vafritiem applicat, definit Dauid veram intelligentiam vno verbo, nempe si quæritur Deus: quo significat non aliter probè vitam institui posse nisi homines se totos Deo addicant. [m] Nam quærere Deum est illius tanquam Dei veri & vnici habere rationem in omnibus, illum vnicè colere, timere, & inuocare, præceptis illius morem gerere, & eius voluntatem in omnibus sequi.

3 *Omnes declinauerunt, pariter fœtuerunt: non est faciens bonum, ne vnus quidem.*

Omnes declinauerunt pariter. [v] Ad verbum, Omnis recessit (sub. à via recta) pariter rancidi facti sunt, aut putruerunt: vel, Omnes retrocesserunt & fœtuerunt pariter. Singulare pro plurali. Metaphora à cibis fœtidis & rancidis, à quibus omnes abhorrere solent. [t] Verbum סר quidam Fœtere vertunt, vt proximo verbo respondeat, quod Hebræis est putridum fieri. Sed nulla necessitas cogit duo verba eodem modo exponere, acsi idem bis dicatur. Imò melius conuenit damnari homines impiæ defectionis, quia alienati sint, vel procul recesserint à Deo: postea notari fœtidam corruptelam in tota eorum vita: sicut apostatæ nihil nisi putridum spirant. Et verbum Hebraicum vbique ferè in hoc sensu capitur. Deinde Iesaiæ, 53. a. 4, ponitur verbum סר, quod idem valet. In summa, pronuntiat Dauid sic omnes vagis cupiditatibus fuisse abreptos vt nihil in eorum vita syncerum vel integrum maneat. Hæc est vniuersalis defectio, quæ omnem pietatem extinguit. [a] Tritissima autem est in Scripturis hæc deflexionis vel auersionis translatio. Qui enim iuxta Dñi præscriptū viuit, ille ceu seruus dominum sequitur: qui illud contemnit, velut se ab ipso auertit, & aliò deflectit. Quod ergo Vates dicit omnes deflexisse, idem est acsi dixisset, Legem Dei reiecisse. [c] Porro non partem aliquam duntaxat perstringit, sed omnes pariter in eundem coniicit reatum. Hoc verò detestabile portentū fuit, omnes Abrahæ filios, qui in sacrū Dei peculium electi erant, à primo ad vltimū sic esse corruptos. *Pariter fœtuerunt.* Alii, Abominabiles facti sunt. [m] Tanta est vis mali, ac impietatis potissimùm, vt integras domos, ciuitates, regiones, totum denique mundum corrumpat. Incredibile est quantum possint mutua mortalium commercia ad inficiendum & corrumpendum. Ista defectio primùm modico sumpto initio, eò tandem inualuit vt totum genus humanum simul abominabile reddiderit. Sic Paulus dicit, Modicum fermē tum totam massam corrūpit, 1. Cor. 5. b. 6. Vna ouis morbida totum gregem inficit. Hinc est quòd Deus populo suo præcepit ne commercia & fœdera inirent cum Gentibus, ne ad deos illorum deficerent, Deuter. capite 7. a. 3. Cuius rei multæ sunt causæ. Primùm, ipsa natura mali sic comparata est vt facilius serpat & extendatur quàm bonū. Deinde & nostri corruptio accedit, qua fit vt dociles imitandis turpibus ac prauis omnes simus. Præterea facit huc etiam vis societatis & coniunctionis administra contagionis. Quapropter qui sapit, coniunctionem malorum studiosè declinet. Ex hoc fonte defluxit in prima Ecclesia vsus excommunicandorum reproborum, de quo 1. Corinth. capite 5. a. 3. cuius abolitio, imò deprauatio, plurimum ad corrumpendam Ecclesiam fecit. *Non est faciens bonum.* [a] Hoc est, nemo est qui beneficentiæ studeat, inhumanitas peruasit omnes. *Ne vnus quidem.* [a] Significat omnes palam fuisse perditos ac deploratos. [c] Sed quæritur quomodo exceptionem tollat Dauid, vt ne vnus quidem integer superfit, quum tamen paulo post miseros & afflictos commemoret in Deum sperare. Deinde si omnes impii erant, quisnam fuit ille Israel cuius futuram redemptionem prædicat versu huius Psalmi septimo? Imò quum ipse vnus esset è corpore populi, cur saltem à reliquis se non excipit? Responsio, Quia inuehitur in carnales Abrahæ filios, in eorum ordine exiguum semen quod sibi Deus segregauerat, non censetur. Atque hæc ratio est cur Paulus Rom. capite 3. b. 10, ad totum humanum genus extendat hanc sententiam. Quanquam enim Dauid confusam vastitatem quæ sub Saule fuit deplorat, minimè tamen dubium est ab eo tacitè conferri cum Dei filiis quicunque non sunt Spiritu regeniti, sed feruntur carnis suæ ingenio. Quidam ita soluunt, non vrgeri à Paulo testimonium Dauidis, quasi dixisset naturaliter vitiosos esse homines, sed proponi hanc similitudinem, quòd proceres electi populi scelerati fuerint: ne mirum sit iniustitiā passim regnare in mundo. Verùm nimis frigida solutio est: quia illic minimè disputat Paulus qualis sit maior pars hominum, sed quicunque suapte natura feruntur & aguntur. Notandum igitur est, quum se & exiguas piorum reliquias toti populo Dauid opponit, manifestum statui discrimē inter Dei filios, qui Spiritu eius reformati sunt, & omnes posteros Adæ, in quibus dominatur corruptio & prauitas. Vnde sequitur, nos omnes, quum nascimur, amentiam hanc quæ describitur à Dauide & totius vitæ fœtorem afferre ex vtero, talésque manere donec arcana sua gratia nos Deus in nouas creaturas refingat.

4 *Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatem? vorantes populum meum comedunt panem: Dominum non inuocant.*

Nonne cognouerunt. [v] Annon cognouerunt (sub. Deum esse, aut me esse iudicem) omnes facinorosi, deuorantes (vel deglutientes) populum meum, acsi deuorarent panem? aut, Annon norūt, id est, nunquid ignorant aut ignorare possunt? Aut, Annon nosse potuerunt, (sub. ex iis quæ facta sunt, Deum esse?) Verti potest, An ignorare possunt (sub. quòd male agant) admittētes scelera, & deprædantes, aut expilantes, &c. [c] Interrogatio hæc addita est quæ superiorem doctrinam amplificet. Nam quum dixisset Propheta Deum è cælo facta hominum notare, ac deprehendisse omnes esse peruersos, nunc inducit cum admiratione clamātem, Quænam est ista dementia, quòd ferarum more absque vllo humanitatis sensu in populum meum grassantur qui eum fouere & omnibus officiis prosequi debebant? Porro hanc Deo tribuit personam, non quòd ei nouum quicquam sit vel inopinatum, sed quò eius indignationē magis exprimat. Sic & Propheta Esaias idem ferè argumentum tractans, dicit etiam ipse Deum vidisse, & miratum esse quòd nemo intercederet, Esa. 59. e. 16. Tales quidem affectus in se Deus non suscipit: sed eorum induit formam ac similitudinem, quò maiori horrore nos percellat, dum scelerum nostrorum portentis se quodammodo turbari dicit. Nos verò, nisi plusquam stupidi sumus, totos expauescere conuenit, quum Deus tale detestationis signum nobis proponit. *Omnes operantes iniquitatem.* [m] Notanda est hæc loquutio in Scripturis admodum trita, & in Psalmis iam tertiò repetita. Occurrit enim & Psalm. 5. a. 6, deinde & 6. b. 9 & ter hoc præsenti. Aliquando in genere ponitur pro illis qui cuilibet iniquitati student. at hoc præsenti loco de illis est posita qui iniquè agebant in opere Dei, in magistratu videlicet, in quo debebant populum Dei tanquam vineam eius rite gubernando, velut fideles operarii colere & tutari. Hi quum essent impii, nec vlla religione & fide Dei à prauis studiis cohiberentur, facti sunt operatores iniqui ac perfidi, vastantes quæ debebant colere, opprimentes quos debebant ab aliorum iniuria defendere: lucris suis turpissimis inhiantes, vbi debebāt populi Dei commodis inseruire. *Vorantes populum meum.* [c] Confirmat hæc particula quod initiò diximus, non de externis tyrannis vel professis Ecclesiæ hostibus haberi sermonem, sed de proceribus ipsius populi, qui potentia & honore pollebant. Neque enim hoc aptè in homines à Dei cultu prorsus alienos competeret: quia nihil mirum esset, eos qui viuendi regulam non tenent, violenter prædari. Sed hac circunstātia non parum augetur indignitas, quod ipsi pastores gregem crudeliter deuorant, ac ne Dei quidem populo & hæreditati parcunt. Similis etiam querimonia legitur apud alium Prophetam dicentem, Qui rapiunt pellem eorum ab ipsis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum: & qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum ab eis detrahunt, ossa quoque illorum confringunt, & concidunt quasi iniicienda in lebetem, & velut carnes intra ollam, Mich. 3. a. 2. Si in Babylonios vel Ægyptios ita sæuirent qui Deum se colere profitentur, minimè tamen excusabilis esset eorum iniustitia: sed dum sanguine & carne fidelium pascuntur non secus ac pane, hoc verò mōstrum est quod meritò tam Angelos quàm homines reddat attonitos. Nam si gutta illis maneret sanæ mentis, retraheret eos à tanto furore. Necesse igitur est à diabolo esse excæcatos, vt nihil penitus sentiant, dū scientes ac volentes tam atrociter excoriant ac deglutiunt populum Dei. [m] Vorare est non simpliciter edere, sed summa auiditate latæ & insatiabili ingluuiei quæuis consumenda tradere, sicuti solent animalia voracia, canes, lupi, vrsi, leones & dracones. Itaque hac vorandi metaphora notat Vates in tyrannis illis insatiabilem & inexplebilem auaritiam, [a] quam meritò Paulus malorum omnium radicem appellat, 1. Timoth. 6. b. 10. *Comedunt panem.* [m] Exprimitur hoc simili ingenium tyrannorum, qui perinde subditos premunt, spoliant, vorant absque vlla misericordia & peccati conscientia, acsi ad hoc eos subiectos habeant vt premantur, spoliētur ac vorentur. *Dominum non inuocant.* [c] Iterum fontem & causam designat tam effrænis iniustitiæ, quòd scilicet nulla tangantur Dei reuerentia. Nam religio mutuæ inter nos æquitatis optima est magistra: vbi verò extinctum est eius studium cōcidit etiam omnis iustitiæ respectus. Cæterùm Dei inuocatio, quia præcipuum est pietatis exercitium, non hic solùm, sed pluribus Scripturæ locis totum Dei cultum per synecdochen complectitur. [c] Vnde quum scribitur nato Enos cœptum inuocari nomē Dei, (Gen. 4. d. 26) idem valet atque, Cœptus est Dei cultus. Ita quum subinde Abraham scribitur extruxisse aras, & inuocasse nomen Iehouæ, nihil aliud dicitur quā instituisse eū loca colēdi Dei, & ibi eū coluisse, nomē eius prædicasse, ad timorē eius inuitasse, tum ibi litasse, & fidem suam esse

testatum. Vates itaque istos in quos scripsit, Deum non inuocare quum ait, per synecdochen dixit eos omnis religionis inanes metuque Dei vacuos.

5 *Ibi timent timore, quoniam Deus in generatione iusta.*

Ibi timent timore. Tunc trepidant trepidatione. vel, Tunc trepidabunt timore: quia Deus erit in generatione iusti, id est in natione iusta, stabit pro generatione iustorum. q.d. Nunc lætantur & rerum prospero successu fruuntur impii: tunc verò quum Dominus veniet vt sumat supplicium de ipsis improbis, grauissimè timebunt, vbi viderint Deum adesse & fauere nationi iustæ, id est hominibus iustis. Ergo Propheta iam se & reliquos fideles optima consolatione animat, quod Deus non deseret suos ad extremum vsque, quin tandem appareat eorum vindex. vnde futurum sit vt cum ingenti pauore & consternatione impii Deum esse, eumque iustum iudicem & de cælo prospicientem agnoscere cogantur: quod antea cognoscere noluerunt. Aduerbium loci שם quidam ita exponunt quasi Deus in sanctorum conspectu pœnas sumpturus sit de reprobis, quia in eos exercuerunt suam tyrannidem: sed potius exprimitur pœnæ quam daturi sunt certitudo, acsi eam digito monstraret. Quanquam ex Psalmo 53 colligere licet subitum quoque & inopinatum Dei iudicium notari: illic enim additur, Non est, vel non fuit timor. Scimus quidem membrum illud varie ab interpretibus accipi. Quidam enim subaudiunt nullum parem esse timorem: alii referunt ad cæcas perturbationes quibus vexantur mentes impiæ. Nam & hoc Legis suæ transgressoribus tormentū Deus minatur, vt fugiant nemine persequente, & pauescant à strepitu folii cadentis, Leuit.26.c.17. sicuti videmus ipsos esse suos carnifices, ac intus secum tumultuari sine externo motu. Sed alia videtur esse mens Prophetæ, quòd scilicet rebus tranquillis & prosperis repentè impios Deus fulminet. Nam vbi dixerint, Pax & tuta omnia, eorum capitibus subitum & incredibile exitium impendet, 1.Thess.5.a.3. Ergo hac spe fideles erigit ac sustinet Propheta, quòd impii dum se immunes putabunt ab omni periculo, imò securè triumphos suos agent, subita ruina perdentur. Hoc nominatim falsis doctoribus euenturum Petrus prædixit, dicens, Etiam Dominum qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibiipsis celerem interitum, 2. Petr.2.a.1.
Quoniam Deus in generatione iusta. Hæc est adiecta ratio quare aliquando consternandi sint impii voratores populi Dei, quoniam non deseret Deus populum suum, generationem iustorū ac posteritatem sanctorum suorum, populum sanctum & iustum, quem ipsi deuorât & opprimût. Huius aliquando vindictam sentient, & reipsa experientur quàm nequeat in finem vsque populum suum deserere, & impios illos oppressores ferre. Porro vt Deus suorum salutem asserat, necesse est ipsum contra iniustos & violentos eorum hostes è cælo fulminare. Est tamen in voce דור aliqua ambiguitas. Nam quia Hebræis nomen hoc seculum vel cursum humanæ vitæ interdum significat possit hic elici sensus, quanuis Deus ad tempus dissimulet iniurias, ipsum tamen semper adesse suis seruis, suáque gratia eos per totam ætatem prosequi. Simplicius tamen videtur Deum à parte iustorum stare: vt דור idē hoc loco valeat quod interdum Latinis Natio. Interea dicitur Deus esse in generatione iustorum, singulari fauore, gratia, dilectione, ita vt eam Spiritu suo singulariter complectatur, foueat, & tanquam populum suum dirigat & gubernet, itáque erga eam afficiatur vt dixerit hic Propheta, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, Infrà, 147.d.20. Sic Esaias, Vocaberis, inquit, voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te, Esa.62.b.4. Et iterum, Erudire Ierusalem, ne recedat à te anima mea, &c. Ierem.6.b 8. Psalmus quinquagesimus tertius addit, *Quoniam dissipauit Deus ossa obsidentis te, pudore affecisti: quoniam Dominus reiecit eos.* Quib' verbis clarius explicat Propheta quomodo iustis præsideat Deus, nempe dum eos eripit è mortis faucibus, ac si quis obsidione liberet qui in angustū redacti erāt. Vnde sequitur, patienter nobis ferendam esse oppressionem, si cupimus Dei manu opportunè seruari. Ossa autem metaphoricè robur vel potentiam significant: quia non aliter satis pateret Dei manu conteri impios, nisi opibus & copiis essent formidabiles. Hortatur deinde fideles ad sanctam gloriationem, ne dubitent reprobis instare probrosum interitum: quia scilicet Dominus ipsos reiecit: quo aduersa omnia infœliciter cedere necesse est. Quia מאס Spernere interdum significat, quidam ita vertunt, Quia Deus spreuit eos: sed impropriè. Magis quadraret, Contemptibiles eos reddidit, vel, probro & ignominiæ subiecit. Vnde sequitur, nihil sibi quàm dedecus accersere, dum in sublime quasi Deo inuito contendunt. In summa, certò colligit Propheta, fieri non posse vt impunè cedat impiis quòd populum & generationem iustorum vorant, eo quòd in illa sit Dominus: ideóque futurum vt aliquando conterantur impii.

6 *Consilium pauperis pudore afficitis, quòd Iehoua sit spes eius.*

Consilium pauperis pudore afficitis. Consilium afflicti confundistis, vel cōfundere conamini, id est, pudore & ignominia eum aspergitis, quòd Deus sit spes eius. Vos planè ridetis consilium pauperis probi, quòd omnem fiduciam suam in Deo habeat, & in eo ponat præsidium suum. Inuehitur Vates in istos gigantes quibus ludibrio est fidelium simplicitas, dum in suis miseriis Deum liberatorem quieti expectant. Et certè nihil carni videtur magis absurdum quàm ad Deum confugere dum malis nostris non succurrit: quia scilicet Deum ex præsenti gratiæ eius intuitu æstimat. Ideo increduli, quoties malis obrui vident Dei filios, inanem (vt ipsis quidem videtur) confidentiam illis exprobrant, sannisque suis exagitât hanc securitatem, quòd in Deum, à quo nihil sentiunt auxilii, recumbant. Itaque huic superbiæ insultans Dauid, hanc quoque exitii causam illis fore denuntiat, quòd stultitiæ damnent pauperes & miseros, quia freti Dei præsidio malis non succumbant. ac simul admonet nihil magis esse cōsultum quàm à Domino pendere, atque hanc esse optimam prudentiam, quanuis simus afflicti, quiescere in salute ab eo promissa. Execrandum verò reproborum ingenium, quo pios irrident quòd fiduciam suam in Deo collocant. Dicunt siquidem scelesti illi, dum afflictos huiusmodi & miseros discruciant, & in sua iam habere manu putant, quod alibi scribitur, Deuoluit causam suā ad Deum: eripiat eum: liberet eum: quandoquidem eo delectatur, Infra, 22.b.9. *Quod Iehoua sit spes eius.* Spem Cicero vocat expectationem rerum meliorum, idque virtutis illi tribuit vt sola in rebus aduersis animos afflictorum consoletur & erigat. nam in illis quibus omnia prosperè cedunt locum non habet: quia non sunt præsentium ea quæ sperantur, sed futurorum. Sic Paulus dicit, Spes quæ videtur, nō est spes. Nam quod videt quis, vt quid speraret? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, Rom.8.e.24. Hac spe erigebatur Iob, dicens, Post tenebras spero lucem, Iob 17.c.12. Et iterum, In carne mea videbo Deum saluatorem meum, &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, Ibidem, 19.d.26. Porro benedictus vir qui confidit in Domino, & est Dominus fiducia eius. Et est quasi arbor transplantata, &c. Ierem.17.a.7. Spes enim non confundit, Rom.5.a.5. etiamsi illius possessores rideat totus mundus. Proinde animent ista & erigant afflictorum mentes contra impiorum irrisionem & inania huius mundi spectra, quibus imperiti subinde turbantur. Audiant pii omnes quod Paulus scribit, Indubitatus sermo, dignusque qui omnibus modis approbetur. Nam in hoc laboramus & probris afficimur, quod spem fixam habemus in Deo viuente, qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium, 1. Timoth.4.c.9.

7 *Quis dabit ex Sion salutem Israel? ubi conuerterit Iehoua captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israel.*

Quis dabit ex Sion salutem. Quis det, Hebræa phrasis, pro aduerbio optandi. q.d. O vtinam Deus ex sua Sion, hoc est è cælo opem ferat Israeli, liberando eum à tyrannide Saulis. Salus pro auxilio, in libris sacris. Dauid proposita consolationis doctrina iterum ad vota & gemitus redit. Quo docet, etiamsi diu languere nos Deus sinat, non debere tamen nos tædio frangi, quin semper in ipso gloriemur. deinde hoc in diuturnis molestiis optimum esse solatium, vota subinde repetere. Porro non respicit ad dextram vel sinistram, vt ab vno Deo oculos deflectens alium liberatorem quærat: sed sciscitando, Quis dabit salutem? tantùm feruorem desiderii exprimit. acsi dixisset, Quando tandem Deus salutem suam proferet? Nam addito Sionis nomine spem suam in Deo fixam esse testatur. Nam ille erat sacer locus vnde promiserat Deus se exauditurum seruorum suorum preces, illud erat domicilium arcæ fœderis, quæ arrha & symbolū erat præsentiæ Dei. Quanquam sunt qui Sionem pro cælo ipso accipiant, sicuti paulo antè dictum est. Non ergo dubitat Dauid quisnam futurus sit salutis author: sed anxiè rogat quando tandem prodibit salus illa non aliunde speranda quàm ab vno Deo. Sciebat Propheta salutem olim futuram, nempe sub Messia Filio Dei, cuius habebat à Deo promissionem. verùm adeo desiderabat eam ardenter, vt quasi moræ impatiens iam tū eam dari optaret. Hinc illud Christi, Multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt, Luc.10.e.24. Quæritur tamen, si hæc precatio pertinet ad tempus Saulis, qui conueniat Sionem nominari tanquam Dei sanctuariū. Si cui placeat Spiritu prophetico fuisse prædictum à Dauide quod nondum palam factū erat, non malè senserit: probabilius tamen videtur, postquam arca fœderis in monte Sion locata erat, compositum fuisse hunc Psalmum. Scimus enim Dauidem, vt posteris cōsuleret, per otium æternæ memoriæ mandasse quæ longo antè tēpore acciderant.

dani.

Cæterùm quòd Israelem liberari cupit, hinc cognoscimus non tam priuatim de se cogitasse quàm de communi Ecclesiæ salute fuisse solicitum. Quòd eo diligentius notandum est, quia dum proprius dolor vnumquenque occupat, fere negligitur publica fratrum salus. Atqui singulos suis malis Deus admonet, vt curas suas ad totum Ecclesiæ corpus conuertant: quemadmodum Dauid secum Israelem complectitur. *Vbi conuerterit Iehoua captiuitatem populi sui.* [v]Quum reduxerit Iehoua captiuitatem populi sui, exultabit, &c. id est, quum restituerit Dominus populum suum in pristinam libertatem, & reduxerit in suas sedes, quando exemerit illum tyrannide Saulis, & me Dauidem constituerit regem, habiturus est occasionem exultandi Iacob, id est populus fidelis, & veri Israelitæ qui Deum amant. Statuit his verbis Dauid Deum minimè passurum vt sub perpetuo mœrore tabescant fideles: sicut alibi dicitur, Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent, Psalm. 126. a. 5. Neque enim dubium est quin se & pios omnes rursus confirmet, atque hortetur ad spem liberationis promissæ. Primò itaque dicit, Deum, licet moram trahat, vel saltem non festinet pro nostro desiderio, vindicem tamen fore qui suos à captiuitate redimat. Deinde à lætiore exitu mitigat eorum dolorem, quia in gaudium tandem vertetur. Captiuitas porro cuius meminit, non est Babylonica, vel dispersio inter profanas gentes, sed domestica potius oppressio, quum tyrannicè in Ecclesia dominantur improbi. Quare docemur his verbis, dum tales bestiæ Dei gregem vastant ac disperdunt, vel superbè conculcant, ad Deum confugere, cuius proprium munus est ex dissipatione colligere suum Israelem. Ipsum verò captiuitatis nomen docet, vbi impii pro sua libidine rectum ordinem peruertunt, in medio Ecclesiæ sinu Babylonem esse vel AEgyptum. Quanuis autem sancti populi lætitiam Dauid in tempus liberationis differat, consolatio tamen hæc non modò ad temperandum dolorem nostrum valere debet, sed etiam lætitia condiendum. *Exultabit Iacob, lætabitur Israel.* [u]Tristitia est in captiuitate & afflictio conscientiarum, in liberatione verò gaudium & lætitia. Discamus ergo hoc futuro gaudio proposito quasuis aduersitates non modò patienter sed & cum gaudio perferre. Sic Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, Hebr. 12. a. 2. Hoc scilicet optimum est omnium tribulationum condimentum, ex animo sperare, ac dicere cum Propheta, Dum vertet Dominus captiuitatem nostrã, exultabimus & lætabimur.

ARGVMENTVM PSAL. XV.

[e]DOCET hic Psalmus qua lege Deus sibi Iudæos in populum delegerit, suumque sanctuarium locauerit in medio ipsorum: nempe vt iustè rectéque viuendo se peculiarem & sacrũ eius populum esse testentur.

CANTICVM *Dauidis. Iehoua, quis habitabit in tabernaculo tuo? quis requiescet in monte sanctitatis tuæ?*

Canticum Dauidis. Iehoua, quis habitabit. [v]Commorabitur, deget. Chaldæus paraphrastes vertit, Domine, quis dignus est vt habitet tecum in cælo? Dicunt Hebræi Dauidem vocauisse cælũ tabernaculum, quòd distendatur instar tabernaculi: & per montem idem intelligi. Sunt tamen qui intelligũt per montem, montem Moria. [r]Quia nihil magis tritum est in mundo quàm falsò obtendere Dei nomen, idque sibi magna pars hominum securè indulget, consultò Dauid hominibus relictis Deum ipsum compellat, significans cunctos mortales, si fallaci oculo abutantur, suis blanditiis nihil proficere: quia Deus semper manet sui similis: & quemadmodum fidelis est, ita mutuò fidem vult sibi præstari. Quanuis enim gratis adoptauerit Abraham, stipulatus tamen est vt viueret integer, Genes. 17. a. 1. Atque hæc est generalis regula fœderis quod ab initio cũ tota Ecclesia pepigit. Summa est, frustra ab hypocritis, qui locum in templo Dei occupant, prætexi Dei nomen: quia neminem inter suos agnoscit nisi qui iustitiam & rectitudinem colit tota vita. Videbat Dauid templum ingenti multitudine refertũ esse quæ eundem cultum profitebatur, séque externo ritu in Dei conspectum sistebat: ideo admirantis personam suscipit, & sermonem conuertit ad Deum, qui in confusa hominum mistura suos ab alienis discernit. *In tabernaculo tuo.* Tabernaculi meminit, quia nondum extructum erat templũ. Summa tamen est, non patere ad Deum accessum nisi puris eius cultoribus. [a]Nam vt iniquitatem odit Dominus, ita iniquos omnes & sceleratos auersatur & reiicit, sicuti iam audiuimus, Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum: odisti omnes operantes iniquitatem, Suprà, 5. a. 6. *Quis requiescet.* [v]Sedem habebit. *In monte sanctitatis tuæ.* Repetitio est. [a]pro, Quis tecum habitaturus est commercium ô Domine: cui ad te patebit accessus? [m]Quòd tabernaculum & montem Deo tribuit in terris, in primis notandum est. Non habitat Dominus in manufactis, qui cælos implet & terram. Voluit tamen nominis sui celebritatem certo aliquo loco esse in medio populi sui, quò congregatus in timore & cultu Dei aleretur, audiret Legem Dei, admoneretur beneficiorum illius, instrueretur sub figuris & vmbris, & in vnum corpus coalesceret, à reliquis gentibus totius orbis auulsus ac diuisus. Ob eam causam promisit ei loco suam præsentiam supra propitiatorium arcæ. Et hac ratione quoniam eo loco omnia sub vmbris ac typis agebantur, ne contemneretur, voluit vocari domum Dei, ciuitatem Dei, habitationem Dei, sedem Dei, templum Dei, tabernaculum Dei, montem sanctum Dei, &c. Verùm (sicuti plerunque accidere solet propter corruptum carnis nostræ ingenium) carnales Iudæi elogiis istis abusi, putabant se Deum habere in arca, in tabernaculo, in templo: eàmque ob causam fieri non posse vt de statu rerum suarum vllo pacto periclitarẽtur, propter Dei sui præsentiam, tametsi viuerent flagitiosissimè, essétque populus nullius fidei, nullius iustitiæ & pietatis. Vide historiam de arca Dei exportata contra Philistæos ad castra, 1. Sam. 4. a. 4. Ideo clamabant Prophetæ non habitare Deum in manufactis. id quod Stephanus non rudi plebi, sed ipsis primoribus Pharisæis, Scribis & sacerdotibus, imò illorum concilio magna fiducia obiecit, Act. 7. f. 48. Expendant hic lectores quid illis possit obiici qui Christum lapideo sacrario includunt, illique ad hũc modum subscribunt, Flecte genu, lapis hic venerabilis hospite Christo. Audiant saltem Apostolum dicentem, Non in manufacta ingressus est Iesus, quæ sunt exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, Hebr. 9. f. 24. [b]Porro habitare in tabernaculo Dei, requiescere in monte sanctitatis eius, pro eodem accipit Propheta, nempe ciuem esse in Ecclesia Dei.

2 *Qui ambulat perfectè, & operatur iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.*

Qui ambulat perfectè. [v]Integer, id est integra vita & innocens, qui viuit vitam innoxiam & alienamà dolis: qualiter Iob vixisse legimus, Iob 1. a. 1. [a]Hic itaque discernuntur hypocritæ à piis. Nam illi fucata sanctimonia contenti, à conspectu Dei perpetuò arcendi sunt. [c]Triplex autem est huius doctrinæ vsus. Primò enim, si verè censeri cupimus inter Dei filios, admonet Spiritus sanctus vitæ integritate hoc esse probandum: quia non sufficiat ceremoniis Deum colere, nisi rectè & innoxiè viuamus. Secundò, quia sæpe contingit Ecclesiam Dei multis inquinamẽtis deformem cernere, nequis ad hoc scandalum impingat, discrimẽ ponitur inter perpetuos Ecclesiæ ciues, & inquilinos qui ad tempus sunt illi permixti. Valde necessaria admonitio, ne si Dei templum multis sordibus infectum sit, fastidium & morositas nos ad dissidium impellant. Sordes intelligimus vitæ impuræ & corruptæ vitia. Nam modò pura religio quoad doctrinam & ritus vigeat, hominum delictis non ita nos offendi conuenit vt propterea scindamus vnitatem. Atqui omnium temporum experientia docet quàm grauis sit ista tentatio, Ecclesiam Dei, quæ abstersis omnibus maculis pura nitere debebat, multos impios hypocritas vel sceleratos homines in sinu suo fouere. Hæc olim Catharis, Nouatianis & Donatistis fuit occasio vt à societate piorum desciscerent. Et eadem hodie dissidia renouant Anabaptistæ: quia non putant veram esse Ecclesiam quæ vitia tolerat. Verùm non frustra Christus sibi munus vẽdicat segregandi agnos ab hœdis, Matth. 25. e. 32. quin potius admonet ferenda esse mala quæ corrigere non licet, donec maturũ adueniat purgationis tempus, Ibidem, 13. d. 30. Simul tamen iubentur fideles pro se quisque dare operam vt à corruptelis purgetur Dei Ecclesia. Atque hic tertius est quẽ notauimus doctrinæ vsus. Quãquam enim non ante vltimũ diem perfectè mundabitur sacra Dei area, dum Christus suo aduentu foras paleam eiiciet: hoc tamen facere nunc incipit Euangelii sui doctrina, quam ideo ventilabrum nominat, Matt. 3. c. 12. Quare minimè torpẽdum est in hac parte: sed acriter potius enisi conuenit vt se in casta puráque disciplina contineant quicunque nomen Christo dederũt. Sed illud præcipuè memoria tenendum est arceri iniustos omnes à sanctuarii ingressu, & sacrilegam illorum audaciam dãnari, dum sine vlla reuerentia prorumpunt in cœtum piorũ. [b]Porro vocabulum תמים, quod Innocentem vertunt, si adiectiuum sit, (quod nonnullis videtur) subaudiendũ erit דרך, id est via: vt quod Vates hic dicit, idem sit cum illo Psalmi 101. b. 6. Et qui ambulat in via תמים, id est simplici. hoc est, viuit innoxio instituto, is mihi ministrabit. Si verò vt substantiuum accipitur, idem valebit atque illud, Ego בתמי, id est in innocentia mea, ambulaui, Infrà, 26. c. 11. Notanda est autem tacita antithesis inter inanẽ tituli iactantiã, vel nudam professionẽ quæ ceremoniis constat, & hoc solidũ pietatis testimoniũ quod cõmendat Dauid. Quæri tamẽ posset, quũ Dei cult[9] charitatis officia ordine præcedat, cur hic nulla fidei ac precationũ fiat mentio. Nam certè istis notis decebat legitimos Dei filios ab hypocritis distingui.

In promptu solutio est, fidem, Dei inuocationem, spiritualia sacrificia minimè à Dauide excludi: sed quia multi ceremoniis hypocritæ se vt plurimum venditant (quorum tamen impietatē arguit vita exterior, dum pleni sunt fastu, crudelitate, violentia, fraudibus & rapinis dediti) vt in lucem trahantur quicunque tales sunt, veræ & synceræ fidei probationem petit ex secūda Legis tabula. Nam vt quisque iustitiam & æquitatem cum proximis suis colit, re ipsa demonstrat se Deum timere. Non ergo politica iustitia contentus est Dauid, quasi satis sit hominibus reddere quod suum est, Deū verò fraudare iure suo liceat: sed probos Dei cultores designat à iustitiæ fructibus. Ac primo quidē loco syncerirtatem requirit: vt simpliciter & sine malo astu in negotiis versentur: deinde iustitiam, vt studeant proximis benefacere, neminem lædans, & abstineant ab omni noxa. Tertiò fidem in suis sermonibus, nequid fallaciter vel captiosè loquantur. *Et operatur iustitiam.* Faciens iustitiam idem est quod studens iustitiæ, deditum esse artibus iustis, vnde & Deo gloria & proximis vtilitas proueniat. Sumitur enim צדק iustitia pro eo quod Latini probitatem dicunt: vnde & viri boni nominantur. *Et loquitur veritatem in corde suo.* Loqui veritatem in corde nihil aliud est quàm ex animo veritatem loqui, hoc est fide optima omnia cum proximis agere, promissis nunquam deesse, neque aliud simulare verbis, aliud spectare animo. Quæ veritas fides Latinis dicitur, & definitur à Cicerone, Off. 1, dictorum conuentorúmque esse constantiam & veritatem: quam & iustitiæ fundamentum iure vocat. Vnde & Scriptura ipsam vbique fere cum iustitia coniungit: & vbicunque concidisse illam queritur, & huius simul casum deplorat, vt suprà, 12. a. 1, & aliis multis locis. Ergo dura quidē & impropria est loquutio, loqui in corde, sed quæ melius exprimit sensum Dauidis quàm si dixisset Ex corde. Talem enim cordis & linguæ consensum & symphoniam vocat vt sermo sit viua latentis affectus effigies. Est notandum est quòd non dicit, Et loquitur expeditè, scitè, sapienter, eleganter, ornatè, magnificè, &c. sed, Et loquitur veritatem. Ergo veritas est quæ in verbis eius requiretur qui ciuis regni Dei esse cupiat, quomodocunque illa proferatur, verbis siue multis siue paucis, siue simplicibus siue ornatis & elegantibus: vt non sit quòd rudis quispiam & idiota imperitiam linguæ causetur. Et veritatis hæc est natura & conditio vt simplici perspicuitate gaudeat, perinde atque pudica matrona ornatu honesto. mendacium eget coloribus & fucis instar scorti impudici & lasciui. Ergo fideles posito mendacio loquantur veritatem vnusquisque cum proximo suo, vt præcepit Paulus Ephes. 4. f. 25.

3 *Non detrahit lingua sua, non facit proximo suo malum, & opprobrium non accipit contra proximum suum.*

Non detrahet lingua sua. Præt. Hebr. pro futuro. Postquam breuiter complexus est Dauid quibus dotibus præditos esse oporteat quicunque locum in Ecclesia tenere cupiunt, vitia quædam enumerat, à quibus puros esse conuenit. Ac primùm quidem denuntiat ne sint obtrectatores: deinde vt ab omni maleficio & iniuria sibi temperent: tertiò ne calumnias & falsa probra suo patrocinio adiuuent. Reliqua deinde videbimus. Ergo primo illud malum notat quod plusquam credi queat nocet: tam tamen late apud omnes obtinet, etiam eos qui sibi boni & sancti videntur, vt nullum aliud & latius pateat, & minus animaduertatur. Quid Christiano optabilius esse debeat quàm veræ conseruatio amicitiæ? Huic autem nulla est nocentior pestis atque dum quodcunque malum viderint audierintve homines, idque plerunque vanum, ad alios plerunque deferant. Maledicentiam ergo Dauid, tanquam primum iniustitiæ caput quo læduntur proximi, statuit. Nam si nomen bonum multis diuitiis præcellit, (Prouerb. 22. a. 1) nulla grauior noxa inferri potest hominibus quàm dum violatur eorum fama. Porro non quodlibet conuitium hic damnatur, sed obtrectandi morbus ac libido, quæ ad spargendas calumnias malignos homines incitat. Quanquam non dubium est quin Spiritus sancti consilium sit falsas omnes vel improbas criminationes damnare. Nam רגל plura quidem significat, sed hic accipitur vt 2. Sam. 19. e. 27 : vbi Miphiboseth filius Saul apud Dauidem querebatur se à seruo Siba falsò delatum. רגל, inquit. id est, detulit seruum tuum apud regem Siba. Ab hac voce מרגלים exploratores vocantur. Significat ergo Propheta reprobare se pessimum illud genus hominum quod blandis ac fictis verbis secreta proximi scrutatur, & more exploratorum, quæ cognouit, lingua sua aliò defert. *Non facit proximo suo malum.* Significat his verbis debere à filiis Dei procul abesse omnem iniustitiā, nequid scilicet damni fratribus suis inferant. Socios autem & proximos intelligit non eos tantùm quibuscum familiaris vsus vel necessitudo intercedit, sed omnes etiam qui communi humanitatis vinculo deuincti sunt ac constricti: idque facit augendæ inuidiæ causa, quò magis abhorreant fideles ab omni maleficio: quandoquidem ius humanæ societatis violat quisquis alteri nocet. Itaque sicut ita moderari linguam decet Christianos vt nihil prorsus loquātur quod non & gratiam & vtilitatem adferat audientibus, Dei verò gloriam illustret: ita nihil fieri quoque ab eis debet quod non sit vsui iis apud quos versantur, & nomen Dei sanctificet. Sic enim lux fidei in nobis lucere debet vt visis & in suam vtilitatem perceptis nostris bonis factis, Patrem nostrū homines prædicent, qui in cælis est, & inde Spiritum suum omnis boni authorem nobis mittit, Matth. 5. b. 16. Sic & Paulus, quæcunque verbo vel facto gerimus, hortatur vt ea in nomine Domini Iesu geramus, gratias agētes Deo & Patri per ipsum, Coloss. 3. c. 17. Et sanè hominis iusti & innocentis est proximum nulla in re nec verbis nec operibus lædere, sed sic se erga quosuis studio charitatis gerere vt nemini scienter incommodare cupiat. Porro considerandum nobis est quibus gradibus studium malefaciendi proximo perficiatur. Primus gradus est malum pro malo reddere. Hoc genus malefaciendi mundus etiam excusat, neque in vitio ponere solet. Par pari, inquiunt. Item, Vim vi repellere licet. Verum nos qui Christum sequimur, aliter instituimur. qua de re vide Matth. 5. g. 44, & Rom. 12. d. 17, & 1. Thessal. capite 5. e. 15. Alter maleficentiæ gradus est, etiam immeritis & insontibus vel ex odio vel spe lucri malefacere. Hoc genus malitiæ & prius est priore, & à mundo quoque, nedum Christianis, damnatur. Tertius gradus est & summus, non modò malè meritis, deinde & insontibus, sed & bene meritis malefacere, & malum pro bono reddere. Quisquis vsqueadeo malus est vt etiam benefactoribus suis malefacere non dubitet, is reuera à nullo malitiæ genere abstinebit, quum malitiæ perfectionem sit consequutus. *Et opprobrium non accipit contra proximum suum.* Ad verbum, Non leuat, siue eleuat aut tollit. Leuare probrum quidam pro commissum accipiunt: quia improbi calumnias de nihilo suscitant. Ita esset repetitio eiusdem sententiæ, ne sibi fideles lingua detrahere permittant. Sed aliud hic vitium reprehenditur, nempe credulitas nimia, quâ sinistros de proximis sermones vel auidè haurimus, vel temere admittimus: quibus supprimendis danda potius erat opera. Nam qui ficta mendacia repudiant, quasi patiuntur in terram excidere: qui verò spargunt, & de manu in manum tradunt, non ineptè tollere dicūtur. Sic autem proximos diligere debemus vt non modò ipsi nulla eos in re lædere cupiamus, sed & vt ab aliis id fiat, patienter ferre nequeamus. Hunc affectum omnino adfert vera & syncera proximi dilectio: id quod in illis quotidie experimur qui peculiari amore erga nonnullos afficiuntur. Sic Ionathas existimationem & innocentiam Dauidis etiam contra patrem suum studiosissimè defendisse legitur, 1 Sam. 19. a. 4, & 20. e. 28. Hoc etiam petit æquitas vt quod sibi quisque fieri nolit, aliis non faciat: ac rursus, quæ ab aliis requirit erga se, eadem aliis præstet & ipse. Vide Matth. 7. b. 12. Quum ergo sic animati simus vt famam innocentiámque nostram à proximo contra delatorum improbitatem defendi velimus, omnino æquissimū est vt idem vicissim præstemus proximo, eiusque existimationem studiosè tueamur.

4 *Contemptus est in oculis eius reiectus: timentes autem Dominum honorat: quum iurauerit ad damnum, non mutat.*

Contemptus est in oculis eius reiectus. Vel abominabilis: & sic Chaldæus paraphrastes. Variè tamen istud exponitur. Quidam sensum hunc eliciunt, quòd Dei cultores apud se contemptibiles sint nullóque in pretio. quem si recipimus, subaudienda erit copula, quam Dauid non exprimit. Sed Dauid aliud voluisse videtur. Nam res duas inter se oppositas comparat, peruersos & nihili homines despicere, iustos autem & pietatis studiosos honore prosequi. Hæc duo membra vt inter se respondeant, non aliter possumus quod de contemptu dicitur accipere, quam impios à filiis Dei contemni, & referre quam merentur ignominiæ mercedem. Verum quidem est fideles, quamuis magna cum laude viuant, non tamen efferri confidentia, quin potius sibi displicere: quia sentiunt quantum adhuc ad perfectionem sibi desit. Sed quūm expendimus quid postulet circūstantia loci, non tam humilitatem vel modestiam laudari putamus quàm ingenuum & sincerum iudicium, vbi neque improbis parcitur, & virtuti debitus habetur honor. Nam adulatio, quæ vitia tegēdo alit, non minus pestiferum est quàm vulgare malū. Fatemur quidē, si dominētur improbi, nō ita spernēdos esse quin illis parcamus quantum feret officii nostri ratio: cauendū tamen est ne seruilis assentatio eodem nos cum ipsis reatu impliret. Nam qui eorum scelera non modò dissimulat, sed etiam honore dignatur, sibi probari, quantum in se est, ostendit. Ideo docet Paulus speciem impiæ communicationis esse

vbi scelera non coarguimus, Ephes. 5. c. 11. Et certè hoc nimis peruersum est in hominum fauorē obliquè Deo illudere: quod faciunt quicunque improbis gratificari student. Quamuis non tam personas respicit Dauid quàm delicta ipsa. Nam qui honorificè coli impios videt, ac mundi applausu obstinatiores reddi in malitia, si consensum sponte adiungat, quid aliud quàm regnū vitiis attribuit? Væ autē qui dicunt malū esse bonū, & tenebras lucem, inquit Propheta, Esa. 5. c. 20. [b] Et tamen improbos fere mundus habet in pretio, & plerunque omnia posse videntur: vt non parum à sanctis sæpenumero peccetur, his nimium deferendo. Quotus enim quisque est qui pauperi, sed innocenti & timenti Deum ita inseruire promptus sit vt principi viro, etsi vitiis laboranti, & sæpe omnis religionis vacuo? Tam vnus Deus à nobis respiciendus erat, contēptis hominum personis contemptis, vt quantum velit Deus cuique à nobis tribui, tantum cuique tribueremus. [c] Cæterùm quòd reiectos posuit Dauid pro turpibus & flagitiosis, etiamsi in alto honoris gradu locati sint, nō debet asperum videri vel coactum. Nam si aruspicibus & aliis profanis vatibus repulsos vocare licuit homines nequā & perditos, licet dignitate & opibus pollerent (quemadmodum author est Cicero De aruspicum responsis) cur cælestis interpres non probrosis annumeret quicunque reprobantur à Deo? Summa igitur est, filios Dei liberè iudicare de cuiusque factis, neque gratia ad prauam assentationem inflecti, vt improbos in sua malitia foueant. [b] Reprobos verò & abominabiles intelligit eos qui diuersam à iustis viuendi rationem sectantur. hoc est, qui peruersè ambulant, operantur iniquitatem, loquuntur mendacium in corde suo, detrahunt lingua sua, proximo suo malefaciunt, iurant proximo & mutant, pecuniam suam dant ad vsuram, & munera aduersus innocentem (si quis dederit) accipiunt. Reprobi sunt qui tales sunt: hos auersatur pius. Nam Spiritus sanctus, qui in piis habitat, nō respicit externam reproborum personā, sed cordis ac vitæ impietatem: & secundum hanc appellat eos נמאס, quicquid in hoc seculo vocentur. *Timentes autem Iehouam glorificat.* [c] Non vulgaris virtus est honore prosequi homines pios & iustos. Nam qui sæpe sunt quasi mundi καθάρματα, sæpe fit vt qui sunt illis amici, passim mundi odia in sese excitēt. Ergo maior pars amicitiam bonorum reiicit, & contemptus iactūram patitur: quod fieri non potest sine graui & atroci Dei iniuria. [h] Videmus hic quid à nobis requirat Dominus, nēpe vt non solùm auersemur reprobos, sed & timentes Dei honoremus. Facile est auersari hominem reprobum, præsertim si nos malitia sua læserit: at glorificare timentes Dei non adeo est multorum, neque tam factu facile atque putatur: præsertim si aut pœnitentes sint, & propter anteactæ vitæ turpitudinem adhuc despicabiles, aut sub impiis magistratibus viuant, & persequutioni sint obnoxii, (sicut patuit sub Saule in Ionatha, 1. Sam. 19. a. 4. & 20. f. 30. Sub Achab in Abdia, 1. Reg. 18. a. 4.) aut alias in hoc seculo contempti & abiecti habeantur. Sub Saule, Ieroboam, Achab & Manasse cum periculo coniunctum erat glorificare timētes Dei. Secus sub Dauide, Ezechia, Iosia, &c. Est enim glorificare aliquē habere eum in pretio, delectari illius cōmercio, tueri illius existimationem, succurrere in necessitatibus constituto: quæ omnia sine periculo vix possunt fieri in hoc seculo. Et tamen quum id à nobis Deus requirat, [c] discamus non à censu vel pecunia vel fluxis honoribus homines æstimare, sed pietatem habere in pretio. Et certè nemo ad pietatis studium vnquam animum adiiciet nisi qui Dei seruos reuerebitur, sicuti vicissim eorum obseruantia ad imitationem quoque incitat. [m] Proinde honoremus non eos duntaxat timētes Dei qui alicuius sunt nominis in mundo, sed & eos qui obscuri habētur & abiecti: sicut aurum etiamsi in luto iaceat, mox cognitum colligitur, & in pretio habetur. *Quum iurauerit, erit ad malum.* [r] Iurat in damnū siue incommodū. Præt. Hebr. pro præsenti, vt & versu sequenti. [r] Optimè quadraret Græca versio, nisi puncta obstarent: quibus tametsi nunquā caruerunt Hebræi, credibile tamen est non semper scribendo ab illis fuisse expressa. Nos tamen receptam lectionē sequimur. Sensus autem est, fideles potius iacturam facturos quàm vt à fide discedant. Nulla enim fidei approbatio est vbi quisque stat suis promissis quatenus sibi commodum esse videt. Atqui nihil magis tritum est quam ex leui aliquo damno prætextum captare ad pacta rescindenda, simulac quidpiam alii aliis polliciti sunt. Seorsum expendunt singuli quid sibi vtile sit, & si grauantur promissis stare, ingenia se excogitant longè plus damni quàm timendum sit. Honesta quidē excusatio videtur, vbi quis conqueritur iacturam se facturum nisi à pacto resiliat. Hinc tanta perfidiæ licentia inter homines, quòd se fide data non vltra obstringi putant quàm ferat cuiusque vtilitas. Dauid ergo ista leuitate damnata aliam in promissis constantiam à filiis Dei requirit: & de iuramento loquitur quod etsi damnosum sit iuranti, præstat tamen qui iurauit. *Et non mutat.* [a] Hoc est, non retractat sermonem, non resilit à pacto. [i] Quum ergo fideles iurauerint, etiamsi postea contingat id illis molestum & damnosum esse, præstent tamen, neque vllo periculo ab eo quod iurauerint animum deflectant. Vt Iosue & principes Israelis fidem datam seruarunt Gabaonitis, à quibus decepti sunt, eo quòd iurassent eis in nomine Domini Dei Israel, Iosue 9. c. 15. Sic Ionathas filius Saul Dauidi amicitiā iurauerat: eam etsi periculosam sibi atque fraudi esse sentiret, optima tamen fide synceram coluit, 1. Sam. 20. c. 16. [c] Hic tamen oriuntur quæstiones, Si latroni promiseris redemptionis pretium, atque ita dimissus fueris, an præstanda sit fides. Deinde, si quis indignè fraudatus fuerit, an iusiurandum rescindere liceat. Quod ad latronem spectat, qui pecuniam illi afferet, in aliud incurret vitium: quia communem humani generis hostem non sine publica pernicie sumptibus suis alet. Nec verò hanc necessitatem fidelibus imponit Dauid: sed tantùm priuatis commodis sua promissa, maximè si iuramēto sancita sint, præferri iubet. Vbi quis dolo malo circumuentus iurauit, tanti debet esse nominis Dei sanctitas vt damnū potius patienter sustineat quàm violet iusiurandum. Modò tamen priuatæ vtilitatis respectu non ducatur, fraudem sibi factam detegere licebit. nulla etiam ratio impediet quominus cum parte aduersa placidè transigat. Perperam multi Hebræi interpretes locum hunc ad vota restringunt, quasi hortetur Dauid fideles ad implenda vota, vbi promiserint se ieiunio affligere. Nihil enim magis remotum ab illius mente, quia non nisi de secunda Legis tabula & mutua inter homines rectitudine disserit. [m] Interea tamen cogitemus, si vir pius ac regni Dei ciuis proximo suo, quisquis ille sit, fidem seruat, quāto magis magistratui suo, deinde amplius adhuc Domino Deo suo.

5 *Pecuniam suam non dat ad vsuram, & munus contra innocentem non accipit. qui facit hæc, non labetur in seculum.*

Pecuniam suam non dat ad vsuram. [m] Lege cautum erat ne quisquam in populo Dei vsuram à proximo posceret: quo genere mandati arcebatur studium auaritiæ, & animus poscebatur necessitatibus proximorum absque vllo proprii commodi respectu consultum cupiens. Verùm quoniam fide ac charitate Dei destituebantur, etiam hac in re plurimū delinquebant, sicuti in propheticis literis videre licet, Ezech. 18. b. 8. c. 13. & 22. c. 12. & Nehem. 5. a. 4. [i] Quare hoc versu fidelibus præcipit Dauid ne vel fœnore grauent proximos suos, vel muneribus corrupti iniustis causis faueant. Quod ad prius membrum attinet, quia videtur Dauid in genere & sine exceptione damnare vsuras omnes, nomen ipsum passim detestabile fuit. Sed quum astuti homines sibi fabricassent speciosos titulos, hoc artificio elapsos se putantes, maiore licentia prædati sunt quàm si palàm & apertè fœnerati essent. Atqui Deus sophisticè & fucosis coloribus minimè vult secum agi: sed rem ipsam simpliciter respicit. Quare nulla est deterior fœnoris species quàm iniusta contrahendi ratio, vbi mutua æquitas non colitur. Sciamus ergo, contractus omnes quibus alter ex alterius damno lucrū iniquè captat, quocunque tandem nomine vestiantur, damnari. [m] In eo tamē quòd vsuram Dominus Lege sua in populo Israelis prohibuit, duo notanda videntur. Vnum, quæ sit humani ingenii malitia, qua fit vt quod beneficii speciem habet, ad incommodandum ac perdendum peruertatur. Mutuò dare pecuniam proximo speciē habet beneficentiæ, & si rectè fiat, veræ beneficentiæ genus est. verùm si vsura accesserit, beneficentiam sæpe in maleficentiam peruertit. Vnde & ab Hebræis נשך vocatur, quæ vox Mordendi significationem habet. Mordet enim vsura postremò, quæ primùm beneficium conferre videtur. Alterum quod obseruandum est, admirabilem Dei φιλανθρωπίαν concernit, qua fit vt ea ferre nequeat quæ necessitatibus humanis incommodant, & studium beneficentiæ in populo suo subuertunt. Ipse vsuram illis qui agros colunt omnium vberrimam largitur: & interim ferre non potest vt ab eo cui pecunia mutuò datur vsura exigatur, & charitas mutua lædatur. [i] Quæritur tamen an hoc loco habendæ sint omnes vsuræ. Si præcisè damnentur, periculum est nonnullis, in eas angustias putantes se redactos vt quocūque se vertant, vndique immineat peccatum, ipsa desperatione audaciores facti absque delectu se præcipitent. simul verò ac quidpiam concessum fuerit, multi sibi habenas laxabunt, fœnerandi licentiam sine modo putantes sibi factam esse. Primùm itaque loco admonendi sunt lectores ne ingeniosi sint ad captādos laudandi colores, nec sibi fingāt quicquam esse licitum quod aliis graue & damnosum sit. Iam quod ad fœnus spectat, vix fieri potest vt inueniatur in mundo fœnerator qui non idem sit rapax & iniquo turpique quæstus deditus. Itaque non immeritò olim Cato in eodem fere gradu posuit fœnerari & hominem occidere: quia huic hominum generi propositum est alienum sanguinem exugere. Est etiam valde indignum, dum singuli laboriosè victum sibi acquirunt, dum se agricolæ quotidianis operis fatigant, opifices multū sudando aliis seruiunt, mercatores non modò se exercent laboribus, sed multa quoque incommoda &

pericula subeunt, solos trapezitas sedendo vectigal ex omnium labore colligere. Adhæc, scimus vt plurimum nō eos qui diuites sunt fœnore exhauriri, sed tenues homines, qui potius leuandi erant. Quare non abs re Deus fœnerari vetuit, rationem hanc addens, Si attenuatus fuerit populus meus, non grauabis eum vsura, Leuit. 25.c.15. Videmus finem Legis, ne crudeliter opprimantur pauperes, qui potius misericordia digni erant. Quanquam autem politica fuit lex, quam Deus peculiariter Iudæis tulit, communis tamen gentium & ætatum omnium est ista æquitas, ne miseros homines & attritos deuoremus. Vnde sequitur, sub illicito fœnore non comprehendi lucrum quod sine cuiuspiam iniuria facit qui mutuò dat pecuniam. Nomen enim נשך, quo vtitur Dauid, à Mordendo deductum, satis ostendit, vsuras, quatenus furandi & prædandi licentiam secum trahunt, damnari. Ezechiel quidem quoduis augmentum videtur damnare, Ezech 18.a.4. sed non dubium est quin ad iniustas & captiosas lucrandi artes respiciat, quibus diuites egenam plebem rodebant. Summa hæc sit, modò cordibus nostris insculpta sit quam Christus præscribit æquitatis regula, Quod quisque sibi fieri vult, vt proximis faciat, (Matth. 7.b.12) longa disputatione de vsuris minimè opus fore. [a]Plura de vsuræ prohibitione videri possunt Exod. 22.d.25, & Leuitic. 25.e. 35, & Deuter 23.c.19. [b]Vbi Deus nominatim prohibuit à fratre & populari facultatibus lapso vsuram exigere siue de re pecuniaria, siue esculenta, aut quauis alia. At ab alienigena exigere permisit, vt indicaret suis cultoribus omnia debere seruire. At nobis, qui nos promiscuè omnibus vt filios Dei exhibere debemus, neminem licet vlla in re grauare. *Et munus contra innocentem non accipit.* [v]Id est, non accipere solet, vt scilicet euertat causam insontis. [c]Hoc quidem ad iudices propriè spectat, qui mercede conducti ius & fas omne peruertunt: longius tamen extendi potest: quia sæpe contingit priuatos quoque homines lucro corrumpi, vt suum patrocinium malis causis accommodent. Tales igitur corruptelas quibus à vero & recto abducimur, in genere complectitur Dauid. Quidam iudicum rapacitatem notari putant, dum redemptionis pretium extorquent ab innoxiis, quos gratis iuuare debuerāt: sed diuersum esse sensum ex simili Ezechielis loco patet, cap. 22.c.12. [m]In se quidem malum non est accipere munera, sicuti nec dare munera malum est: verùm sic accipere munera vt iudicium insontis peruertatur, id demū est quod à Spiritu sancto reprobatur: qui eam inter homines integritatē requirit vt suum cuique ius simpliciter seruetur, & nunquam ab æquo rectóque discedatur. *Qui facit hæc, non labetur in seculum.* [v]Non dimouebitur. id est, perpetuò erit ciuis cælestis ciuitatis: [p]manebit in tabernaculo Dei & in mōte sancto eius [c]Hac clausula rursus admonet, nō omnes qui se ingerūt in sanctuariū, perpetuos esse ciues cælestis Hierosolymæ, sed cum Ismaele (cui similes sunt) eiectum iri hypocritas, & quicunque sanctorum titulo mendaciter se venditant. [m]Notandum verò Prophetā non dicere, Qui nouit hæc, qui legit hæc, qui canit hæc, qui prædicat hæc: sed, Qui facit hæc: vt agnoscamus non solum veræ iustitiæ notitiam requiri, sed veram & solidam obseruantiam. [a]sicuti Christus dicit, Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea, Iohan. 13. b.17. Vide item Matth. 7.d.24, & Iacob. 1.d.22. [c]Cæterùm quod Psalmus XLVI toti Ecclesiæ tribuit, ad vnumquenque fidelium hic Dauid accommodat. Ratio illic exprimitur, quia Deus in medio Hierosolymæ habitat. Scimus autem à perfidis & improbis, qui ore tantùm & labiis fictè ad eum accedunt, lōgè remotum esse. [m]Porro non dicit hic Dauid, Qui facit hæc, non tentabitur, non impetetur: sed, Non mouebitur in seculum. Sic enim diuinitus custodiuntur veri pii ac ciues regni Dei vt subuerti ac perdi nequeant. Occidi possunt: è regno Dei moueri non possunt. Nemo itaque futurum speret vt immotè persistāt quotquot de veritatis ac regni Dei scientia gloriātur, si ingruat aliqua tempestas. Non persistent nisi illi qui iustitiæ ex animo student, & ad regnum Dei verè pertinēt. [a]Tales fide vera prædition orint se extra periculum esse.

ARGVMENTVM PSAL. XVI.

[a]DAVID hoc Psalmo orat tutelam Dei. [c]deinde ex meditatione beneficiorum eius ad gratias agendas se accendit. Et quanquam suo cultu nihil Deo commodet, se tamen ei vni addicit, & à superstitionibus alienum fore testatur. Causamque adducit quia plena & solida sit fœlicitas in vno Deo acquiescere, qui nihil suis deesse patitur.

MICTHAM Dauidis. Custodi me Deus, spero in te.

Micham Dauidis. [m]Variè vertitur hæc epigraphe, propter vocem כתם, vnde מכתם deducitur. Significat autem כתם aliquando aurum aut rem pretiosam, aliquando verbaliter, Notauit, Signauit. Vnde quidam vertunt Aureolam Dauidis, quidam, Insigne Dauidis. Solent enim quæ pretiosiora sunt peculiariter obsignari. Non desunt qui dicant מכתם musicum esse instrumentum. Alii volunt fuisse initium carminis vulgaris, ad cuius modulos cantatus fuerit hic Psalmus. [c]Sed probabilior est eorum opinio quibus videtur esse modulationis species. *Custodi me Deus.* [b]Videtur Vates hoc Psalmo præcipuè canere quanta sit dignitas & fœlicitas agere in Ecclesia Dei inter sanctos & electos Dei. A precatione Odam auspicatur, [c]qua se in Dei fidem committit. Nec verò (vt alibi sæpe) Dei auxilium in aliquo certo periculo implorat, sed in totam vitā petit sibi esse custodē. sicuti nō aliter quàm sub eius præsidio tuti sumus tum in vita tū in morte. *Quoniam spero in te.* [v]Præt Hebr. pro præsenti, Spem meam pono in te. q. d. Serua me, non quòd dignus sim tuo beneficio, sed quòd præsidiū meū in te statui, & non in alio. [c]Hoc autem tantundem valet acsi nobis ore Dauidis promitteret Spiritus sanctus Deum ad opem nobis omnibus ferēdam paratum esse, modò certa fide & stabili in eum recumbamus: non alios verò in tutelam ab eo suscipi nisi qui se ei ex animo commendant. Simul tamē monendi sumus, Dauidem, quibuscunque malorum procellis agitatus fuerit, stetisse hac fide subnixum. [b]Et sanè mirum non est si Deus seruorum suorum curam habeat. Quis enim bonus deserat eos qui suæ se fidei cōmiserint? At pius abnegatis omnibus Deo vni sese addicit. non potest ergo fieri vt eius curam ille non habeat, vt cui eum nunquam negligat. qui & solus & summè bonus est. [m]Simul tamen illud cogitandum est, spem hanc exigi talem quæ non sit diuisa & dimidiata, partim in Deum, partim in creaturas directa, nec sit leuis & temeraria: sed in solum Deum tota & integra: deinde ex vero corde vera cum pietate à Deo pendenti profecta. Nec eorum vera spes in Deum est qui proximi erga se spem ac fiduciā in necessitatibus contemnunt & irritam reddunt, si facultas sit adiuuandi.

2 *Dicis Iehouæ, Dominus meus es tu, beneficentia mea nō ad te:*

Dices Iehouæ. [v]Ad verbum, Dixisti, Præteritum pro futuro, & futurum pro imperatiuo: [c]quanquam Propheta de continuo animi sui sensu differit. acsi dixisset, Mihi quidem penitus infixum est ac persuasum nihil vtilitatis ac fructus ad Deum ex me redire: sanctis tamen me adiungam socium, vt eum laudum sacrificiis simul colamus. [v]Verbum est fœminini generis. propterea ferè omnes Hebræi, etiam Chaldæus paraphrastes, subintelligūt animā. Et aliàs animā suam in Psalmis alloquitur Dauid, vt infrà, 42.b.6, & 43.b.5. Hortatur ergo animam suam, hoc est seipsum, vt se Domino planè consecret, & Dominum suum in omnibus agnoscat. [v]Chaldæus paraphrastes, Dixisti anima mea semper. id est, sēper tale testimoniū mihi præbuisti. [c]Præfatur Dauid se nihil Deo posse conferre, non modò quia nulla re indigeat, sed quia ad eum suis obsequiis promerendum nulla suppetat facultas homini mortali. Interea tamen animum colligit, &, quia gratam habet Deus nostram pietatem, se vnum ex cultoribus eius fore profitetur. *Dominus meus es tu.* Fatetur Dauid Deum iure suo posse omnia à nobis exigere, quos sibi tenet in solidum obstrictos. Nam herile imperium ei tribuens, se & sua omnia eius esse prædicat. [m]Q. d. Hoc de te in corde meo sentio, dico & confiteor, quòd tu sis Dominus meus, ego verò seruus tuus, [a]qui tibi me totum ac mea omnia iure debeo. *Beneficentia mea non ad te.* His verbis inopiam suam fatetur. Quanquam duobus modis hoc membrū exponunt interpretes Nam quia עליך verti potest Super te, quidam sensum hunc eliciunt, Deum nullis nostris beneficiis onerari, vt quicquam nobis debeat: ac beneficentiæ nomen passiuè accipiunt, acsi Dauid assereret, quicquid sibi diuinitus collatum est, non prouenire ex obligatione aliqua vel merito. Sententia tamen latius patet, quòd homines, quantumuis sedulò se impendere Deo conentur, nihil tamen præstare queant: quia scilicet ad eum vsque non pertingat quicquid in manu nostra est: nō modò quia ipse nullius rei indiget, se vno contentus: sed quia nos bonorum omnium vacui & egeni sumus, nec quicquā nobis suppetit quo simus erga eū liberales. Ex hac tamen doctrina sequetur illud quod prius attigimus, Deum nullis meritis obstringi posse, vt sit hominibus debitor. Summa est, quum ad Deum accedimus, exuendam esse omnem confidentiā. Nam siquid penes nos esse fingemus, quia præcipuam honoris sui partem ei detrahimus, nō mirum est si nos repudiet. Si verò nostra obsequia agnoscimus per se nihil esse nullóque pretio digna, hæc humilitas quasi suffitus est boni odoris, qui illis gratiam conciliet. [c]Nec est hæc submissio & humilitas piorum talis quæ in verbis duntaxat sita sit: sed intus in corde nascitur, ac sic ab illis sentitur vt ex animo & coram Deo, qui omnem hypocrisim detestatur, dicant, Inutiles serui sumus. Romanus pontifex vocat se seruum seruorum Dei, calamo, coram mundo: quid verò se in conspectu Dei, intus in corde suo faciat, viderit ipse. Non est hoc sanctorum veræ humilitatis, sed hypocritarum ingenium, verbis dicere, Seruus seruorum sum, isque inutilis: & interim fastu ad cælum vsque extolli, & Ecclesiam Dei tyrannide opprimere.

3 *Sanctis qui in terra sunt & praeclaris, omnis voluntas mea in ipsis.*

Sanctis qui in terra sunt. Ad verbum, Sanctis qui in terra ipsi & praeclaris, omnis voluntas mea in eis. Vulgata Latina habet, Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis. Chaldaeus paraphrastes, Sanctis qui sunt in terra, manifestatc fortitudinem eius de caelis: volentibus autem in operibus bonis, omnis voluntas mea in ipsis. Vno fere consensu omnes accipiunt hunc locum, acsi subiiceret Dauid vnum hūc Dni rite colēdi modū esse, si de sanctis eius seruis bene mereri studemus. Et certè quia nulla nostra beneficia ad Deū perueniunt, fideles subrogat in suum locum, erga quos se exerceat nostra charitas. Esset igitur sensus, Ad sanctos tuos perueniūt mea beneficia, & illis prosunt, non tibi. id est, beneficia mea non perueniunt ad te, sed ad sanctos. hoc est, iuuant sanctos, qui in terra habitant, & praeclaros, quos summa prosequor amicitia. q.d. Quia de te bene mereri non possum, ô Deus, qui facultatibus meis nō eges, certè de hominibus bene merebor, erga quos beneuolentiam praecepisti & beneficentiam. Hic ergo legitimus est Dei cultus, quum homines inter se mutuò sunt benefici. Etsi autem ad indignos quoque extendere se charitas nostra debet, (sicut Pater caelestis solem suum oriri facit super bonos & malos, Matth. 5. g. 45) meritò tamen Dauid sanctos aliis praefert, ac in gradu altiore locat. Caeterùm licet haec doctrina sub verbis Dauidis comprehendi possit, longius tamen progreditur: nempe quòd se applicabit ad pios Dei cultores, & illis socius erit, vel comes: sicuti omnes Dei filios fraternae coniunctionis nexu inter se deuinctos esse oportet, vt eodem affectu & studio Patrem suum colant. Nunc videmus Dauidem, postquam confessus est nihil se reperire quod Deo afferat, cui se totum debet, ideo ad sanctos animum adiicere quia Deus à coetu fidelium in mundo celebrari velit, & in hunc finem eos adoptauerit vt sub auspiciis suis & Spiritus sancti ductu vnanimes agant. Docet itaque hic locus, nullum gratius Deo sacrificium esse quàm si serio animum adiicimus ad societatem fidelium, vt sancto pietatis vinculo coniuncti fraternam beneuolentiam colamus. Haec est sanctorum communicatio, quae ipsos à profanis mundi pollutionibus separat, vt sacrum sint Dei peculium. Sanctos autem qui in terra sunt disertè exprimit, quia Deus etiam in hoc mundo illustres gloriae suae notas extare vult, quibus nos ad se deducat. Ac ideo fideles imaginem eius gestant vt nos suo exemplo incitent ad caelestis vitae meditationem. Eadem causa praeclaros vocat, vel magnificos, quia iustitia & sanctitate, in quibus relucet Spiritus eius claritas, nihil pretiosius esse nobis debet: sicut proximus Psalmus praecepit in pretio habendos esse qui Deum timent. Quare summa attentione obseruandi sunt nobis synceri Dei cultores, vt nihil pluris nobis sit quàm in eorum coetum nos aggregare. quod ita demum fiet si prudenter reputemus quaenam vera sit praestantia & dignitas, nec vanus mundi splēdor & fallaces pompae oculos nobis perstringant. Porro nemini nouum esse debet quòd fideles & synceri Dei cultores sancti appellentur. Nam & Paulus Christianas Ecclesias sanctas vocat, etsi multa in illis saepe desiderabantur: sicuti Corinthios sanctos appellat, quos tamen de multis ac magnis vitiis reprehendit. *Omnis mea voluntas in eis.* Id est, illis toto animo delector, & magno eos amore prosequor. Affectus huius in sanctos quem hic Vates de se canit, insigne habemus exemplū in Paulo, qui cupidè adeo fratres inuisebat: quod si minus liceret, literis appellabat: siquando de rebus eorum incertior esset, plurimum afflictabatur: si malè illis res succedere audiret, summè dolebat: sin prosperè, sancta laetitia gestiebat, nō solùm Euangelium, sed & animam suam impartire illis paratus. Hinc illud, Fratres mei dilecti & desiderati, gaudium & corona mea, Philip. 4. a. 1. Similes sanè affectus & desideria in singulis Epistolis identidem de se testatur.

4 *Multiplicabuntur eorum dolores qui offerunt alieno: non libabo libamina eorum de sanguine, nec tollam nomina eorum de labiis meis.*

Multiplicabuntur dolores eorum. Chaldaeus paraphrastes, Multiplicant imagines suas, & postea festinant eis offerre oblationes. Alii, Multiplicata sunt idola eorum, alteri Deo donauerūt. Alii verò, Multiplicentur molestiae eorum qui post alienum festinant. id est, cupidè sectantur alios quàm sanctos. Sed rationem definit Dauid colendi cum sanctis fraterni consensus, pronuntians cum incredulis & superstitiosis nihil sibi fore commune. Neque enim aliter in vnū Ecclesiae corpus coalescimus sub Deo, quàm dum abrumpimus omnes impios nexus, disiungimus nos ab idololatris, & ab omnibus inquinamentis quae purum Dni cultum corrumpunt ac viriant, integri sumus ac immunes. Huc quidem certum est tendere Dauidis consilium, licet in verbis varient interpretes. Nonnullis enim (sicuti nuper diximus) videtur esse interpretatio, acsi Dauid sancto zelo accensus iustae Dei vindictae superstitiosos addiceret. Alii non mutāt futurum verbi tempus: sed nō videtur satis distinctè exprimere quales molestias designat Dauid. Dicunt quidem miseros homines noua assiduè figmenta sibi accersere, in quibus se anxiè torqueant: verùm finis simul notari videtur, quòd scilicet non modò sine profectu se macerent, sed etiam miserè & infoeliciter satagant in suam perniciem. Nam quò se longius abducat ab eorum consortio, hoc axioma sumit, adeo nihil eos proficere vanis suis superstitionibus, vt strenuè laborādo grauioribus subinde malis se inuoluant. Quis enim euentus manet miseros homines, qui sponte se diabolo mancipant, nisi vt eos spes sua frustretur: quemadmodum Deus conqueritur apud Ieremiam, Dereliquerunt me fontem aquae viuae, & foderūt sibi cisternas aridas, quae rimis vndique perfluunt, Ierem. 2. c. 13. *Qui offerunt alieno.* Alii, Qui post alienum Deum festinant. Verbum מהר Hebraeis in coniugatione cal significat Dotare vel Dare: sed quia in coniugatione hiphil saepius accipitur pro Currere vel Festinare multis placuit haec posterior interpretatio, quòd superstitiosi homines cupidè festinent post alienos deos. Et certè videmus eos tanquam furore percitos praecipites ruere: atque hunc importunum ardorem Prophetae illis saepe exprobrant. Itaque placeret hic sensus, si eum communis linguae vsus admitteret. Caeterùm quia notant grammatici alium similem locum non occurrere, alteram sententiam sequimur. Haec verò summa erit, dum substantiam suam profundunt ac dilapidant increduli, non modò perdere quaecunque idolis suis afferūt dona, sed iram Dni in se prouocando nouis subinde molestiis se obruere. Vnde colligere licet quantam afferat infoelicitatem mortalibus cultus ille alienorum deorum. Nam bonorum tam corporalium quàm spiritualium iacturam faciunt qui vano idolorum cultui addicti sunt. Forte etiam ad communem Scripturae doctrinam allusit Propheta, quòd idololatrae, spiritualiter cum vero Deo coniugii fidem violando, cum idolis paciscantur. Nam Ezechiel non abs re Iudaeis exprobrat, quum amator scortum donis alliciat, ipsos mercedem obtulisse idolis quibus se prostituerent, Ezech. 16. d. 33. Optimè tamen constat simplex sensus, dum falsos deos muneribus ornant increduli, non modò sumptum perdere, sed cumulare sibi alios atque alios dolores, quia infoelix tandem est exitus. quemadmodum dicitur, Qui elongāt se à te, peribūt: perdes omnes qui fornicantur abs te, Infrà, 73. d. 17. Et Dominus Mosi praedixit, dicēs, Ecce tu dormies cū patribus tuis, & populus iste consurget, & fornicabitur post deos alienos in terra ad quā ingreditur vt habitet in ea. Ibi derelinquet me, & irritū faciet foedus quod pepigi cū eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquā eū, & abscōdam faciem meam ab eo, & erit in deuorationē. Inuenient eum omnia mala & afflictiones, ita vt dicat in illo die, Verè quia non est Deus mecum, inuenerūt me haec mala. Ego autem abscondam & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quae fecit, quia secutus est deos alienos, Deut. 31. d. 16. Et Moses dixit expulsurum Deum Gentes è terra Chanaan propter cultū alienorum deorum, Ibidem, 18. c. 12. Vehementer itaque errant qui rerum prosperitatem ex eo sperant quòd non vni soli Deo adhaerent, sed vel sanctos mortuos vel Angelos colunt & adorant. Vide Ierem. 44. d. 18. *Non libabo libamina eorum de sanguine.* Id est, quae sanguine constant. Nonnulli sacrificia ex sanguine intelligunt, vel cruenta, vel ex rapinis parta. Sed quoniam Propheta hic non inuehitur in homines crudeles & sanguinarios, sed in genere fictitios ac vitiosos cultus damnat: deinde nō simpliciter sacrificia hic nominat, sed designat libandi ritum: minimè dubium est quin tacitè Legali ceremoniae opponat sanguinis libamen. Scimus enim gustum sanguinis tam in victu communi quàm in sacrificiis veteri populo fuisse vetitum, quò magis à caedibus & omni saeuitia abhorreret. Rursus testātur historiae Gentes in suis sacrificiis sanguinem libare solitas. Pronuntiat ergo Dauid se non modò alienum forè à prauis erroribus qui idololatras seducunt, sed in externa quoque professione sibi curae fore ne vllum det signum consensus. Nam cultus idolorum magna ex parte externis ritibus constabat & perficiebatur: quandoquidem idololatrae struebant diis suis templa, delubra, sacella, lucos, &c. Addebant aras, erigebant illis statuas, ponebant simulachra, opera manuum hominum, vnumquodque suo insigni notatum: vt Bacchus habebat vitem, Ceres spicam, &c. Statuebant certos dies festos, quibus frequentes ad cultum deorum suorum confluebāt: in ipso templi ingressu corpus recenti aqua spargebant: ante aras, statuas, & simulachra procedebant, & suppliciter manibus expansis adorabant, ac vota reddebant: thura & cereos incendebant & offerebant: sacerdotes peculiares quisque deorum habebat: simulachra humeris circumeundo gestabant. Cogitent nunc lectores de cultu diuorum qui adhuc inter Christianos durat, & videant annon eadem & hodie in cultu sanctorum fiant: deinde annon eadem ipsa à diuum

petantur quæ Gentes à diis suis petierunt. *Nec tollam nomina eorum labiis meis.* Eòdem spectat hoc membrum quò mox præcedens.[c] Dauid etiim tanto odio & detestationi sibi fore idola dicit vt ab eorum nominibus tanquam à nefando sacrilegio sibi caueat:non quòd fas oon sit eorum nomina proferre:(quæ subinde in Propheôs occurrunt)sed quia non aliter exprimere potuit Daoid summam detestationem qua falsos deot prosequi debent fideles,quod etiam apparet in loquendi forma qua vtitur:relatiua enim tantùm ponens,idnla ipsa subricet.[B] Hinc discamus ergo quàm lõgè abesse decrat sanctos ab impiorum superstitionibus.[c] Nam suo exemplo Dauid præcipit fidelibm nõ modò vt errores caurant ac impias opiniones, sed etiam vt ab omni consensus simulatione abstinrant. Palàm enim est de externo cultu eum loqui,qui vel puræ vrl peruersæ religionis testimonium est.[a] Vnde & diuus Paulus tantopere à commercio idololatriæ Corinthios dehortatur,1. Cor.8.a.4,& 10.b.7. Nullus est qui patris sui verè amaos vel simulet se iis iunctum qui iniuria patrem suum & conuitiis continuò afficerent. Iam omnis falsus Dei cultus oihil est aliud quàm confessa Dei irrisio. quare & abominatio passim in Scripturis vocatur. Quis ergo Dei studiosus ferat se vel videri huic tam atroci malo affinemt [e] Quòd si fidelibus fas non est vllo symbolo nstendere sibi cum superstitiosis esse consensum,non est quòd sibi indulgeant laruati Nicodemitæ friuolo isto prætextu, occuitam se fidem intus fouere,dum se Papistarum sacrilegiis adiungũt.[e] Quis iam verus sit Dri cultus satis à Paulo describitur, Rom.12.a.1, nosipsos ante omnia Deo offerre hostias rarioonales,boni consulere ac etiam laudare omoia Dei in nos iudicia:tum omnem vitam sic instituere vt vsui sit tam bonis quàm malis.Tum in sacra Eucharistia mors Domini ita prædicanda est vt ei conformemur, peccatis continuò morientes,& vitam iustitiæ meditãtes.[c] Sunt qui alienos & eorum nomina de cultorihus falsorum deorum exponant:sed Dauid potius ipsos deos intelligit. Nam hic scopus est,quanuis superstitionum colluuie referta sit terra,& iocreduli in ornandis suis idolis sine modo prodigi sint, piis tamen & sanctis abominabile semper fore quicquid illi confingunt.

5 *Iehoua pars portionis meæ & calicis mei: tu sustentas fortem meam.*

Iehoua pars portionis meæ. [r] Portio partis meæ, vel pars & portio mea esculenra & portio mra poculenta. Perinde est acsi dicat,Deus est meus cibus & meus potus: à Dro proueniunt omnia huins vitæ necessaria. Capiuntur hic pars, hæreditas, calix, funiculi distributionis,& sors,fere pro eodem. [c] Clarius ergo sententiam suam explicat Dauid. Causam enim ostendit cur se ab idnlolatris disiungens in Ecclesia Dei manere velit,& societatem errorum cum detestatione fugiens, ad purum Dei cultũ aspiret:nẽpe quia in vno vero Deo acquiescat. Nam inde misera illa inquietudo vt phrenetico impetu huc illuc discurrant ac vagentur cæci homines,quia vera Dei notitia priuati sunt. Nec certè fieri aliter potest quin sæpe vacillent quicunque oon sunt in Deo fundati,& qui rectam fidem oon tenent,intra cuius metas se contineant,quin eos abripiat errorum impetus. Cæterùm docet hic locus,eos demum rite in vera pietate edoctos esse quibus vnus Deus sufficit. Nam Dauid partem sortis suæ & hæreditatem vocando, & calicem, se eo voo ita contentum affirmat vt nihil appetat extra ipsum, oec prauis desideriis titilletur. Discamus ergo, vbi se Deus nobis offert,ita eum amplecti vt omnes salutis nostræ partes ac numeros in eo quæramus. Nã ex hoc fonte omoes quæ in mundo grassatæ sunt superstitiooes manasse certum est, quia superstitiosis hominibos vnus Deus non satisfecit. Atqui non aliter à nobis possidetur quàm si portio sit sortis nostræ,hoc est,si nos sibi in rotum addictos teneat, ne vlla amplius iofidelitatis cura nos solicitet. Ideo Iudæos apostatas accusans quòd post idola discurrerent, Ipsi ipsi, inquit, sint portio tua. Quibos verbis ostendit se idolis locum cedere, nisi in solidum nobis sufficiat.[A] Quare non immeritò alibi dicit, Audi populus meus,& contestabor te. Israel,si audieris me, oon erit in te deus extraneus,neque adorabis deum aliennũ, Infrà, 81.b.9. *Et calicis mei.* [c] Sicut allusit Dauid ad hæreditates, quæ inter Iudæos fueruot ita distributæ vt sua quenque sorte contentum esse Lex iuberet:ita nunc sub voce Calicis vel hæreditarii fundi prouentus notatur, vel per synecdochen ordinarius victus:acsi dixisset Deum & proprietate & fructu suum esse.[M] Et certè commoditas omnium abundantissima & prorsus infinita vtique io Deo est, ex quo & per quem & in quo sunt omnia,Rom.11.d.36. Vnde & Paulus dicit,Omnia vestra sunt,&c. 1.Cor.3.d.21. Et iterum,Tanquam oihil habentes,& omnia possidentes,2.Cor.6.c.10. Et hic Propheta,Dominus, inquit, pastor meus,nõ egebo,Infrà,23.a.1. Hunc certè quisquis tanquam partem suam habet,non solùm vitam, sapientiam, consilium, potentiam,auxilium,salutem, pacem, gaudium, securitatem & omnia bona, sed & ipsum horum fontem inexhaustum habet. Deinde quisquis Deum tanquam sortem & hæreditatem suam habet,non poterit de eo gloriari quòd hunc sibi thesaurum vel labore vel merito vel pretio suo acquisierit: sed necesse est obuenisse illum sibi planè gratuitò fateatur:cuius nos gratiæ portionis & calicis metaphoræ admonent, in quibus nec meritis nec laboribus nostris aliquid loci permittitur. *Tu sustentas sortem meam.* [c] Non eã superuacua hæc tertia comparatio: quia plerunque contingit à sua possessione depelli iustos dominos, quia nullus eos tuetur. Deus verò ita se nobis in hæreditatem dedit vt eiusdẽ virtute salua nobis maneat fruitio. Parum enim iuuaret nos semel ipso potitos esse,nisi contra quotidianos diaboli impetus possessionem assereret.[H] Dicat itaque fidelis ex animo,Tu Domine sustentas sortem ac hæreditatem meam,in qua securè conquiescam, etiamsi in hoc mundo omnia prorsus amittam.

6 *Funes ceciderunt mihi in amœnis: utique hæreditas pulchra est mihi.*

Funes ceciderunt mihi in amœnis. [c] Melius confirmat quod iam dixit proximo versu, nempe sedato ac tranquillo animo se in vno Deo acquiescere: imò ita gloriari vt magnificè despiciat quicquid extra ipsum optabile sibi mundus fingit. Nam honorifico elogio Deum extollẽs se quicquam amplius expetere negat.[r] Funes,inquit seu funiculi (sub. distributionis vel mensoris)ceciderunt mihi in amœnis locis. Alii,portiones, hæreditates,sortes. In Palæstina mensores agrorum vtebantur funibus. Paucula sunt subaudienda ex præcedẽti versu, vt dilucidior sit sensus. Quum Deum habeam pro hæreditate, quũ Deus sit fundus meus hæreditarius, optima illa partiũ agri in quas funiculi à mensore porrecti sunt,obtigit mihi:agrorum mensores assignarunt mihi loca amœna. *Vtique hæreditas pulchra est mihi.* [A] Idem fere dicit,sed aliis verbis. Neque enim sibi satisfacere potest in prædicanda tantæ hæreditatis præstantia.[c] Cæterùm multiplex huius doctrinæ vsus est: quia non tantùm ab omnibus superstitionum figmentis retrahere nos debet,sed etiam ab omnibus carnis & mundi illecebris. Quoties ergo nobis obrepunt quæ nos ab vno Deo abducant, ex opposito hæc sententia occurrat, præclarè nobiscum actum esse, quòd se nobis fruẽdum dederit ille qui perfectam in se cõtinet bonorum omniũ summam. Sic fiet vt nobis semper iocunda sit ac suauis nostra conditio: quia nulla beatæ vitæ parte destituitur qui Deum possidet.[M] Qui spiritum huius mundi habent, eos beatos prædicant, & sortes eorum in amœnis cecidisse indicant, qui diuitiis, gloria & potentia conspicui sunt in hoc seculo: sicuti vides infrà, 144.d.15, Beatus populus cuius talia sunt. Verùm Spiritus sanctus electorum Dei fœlicitatem etiam illic prædicat,dicẽs,Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Hanc non agnoscunt nisi possidentes. Agnoscunt autem eam certitudine fidei,quam satellites Antichristi ignorant,imò impognant,doctrinam dubitationis Ecclesiæ Dei proponentes.

7 *Benedicam Dominum qui consulit mihi: etiam noctibus erudiunt me renes mei.*

Benedicam Dominum qui consulit mihi. [r] Celebrabo(inquit Dauid) Dominum,cuius consilio & volũtate ipsum delegi pro hæreditate.[c] Fatetur hoc quoque mera Dei gratia sibi fuisse datum vt in tanti boni possessionem fide veniret. Nihil enim prodesset Deum se nobis liberaliter offerre, nisi fide eum reciperemus: quando reprobos & electos communiter ad se inuitat:sed priores sua ingratitudine tanto bono se fraudãt. Sciamus ergo vtrũque prouenire ex gratuito Dei dono, quòd ipse nostra est hæreditas,& eum fide possidemus. Hoc consilium est cuius Dauid meminit,interior scilicet Spiritus illuminatio,ne pro carnis nostræ cæcitate salutem,ad quam nos vocat, respuamus. Vnde colligimus, nõ minus inscite quàm impiè gratiam Dei lacerari vbi eius optio vel reiectio in libero hominis arbitrio statuitur.[M] Admonemur ergo hoc loco vt in causa salutis nostræ nihil nobis,omnia verò diuinæ bonitati ascribamus, cuius consilio,instinctu & spiritu ad ea ducimur quæ salutaria sunt: alioqui ad pessima quæque propẽsi,& in causa salutis nostræ planè stulti. Hic animus non poterit non gratus esse cœlesti benefactori,qui non solùm miseros saluat,sed & consilium apprehendendæ salutis largitur. *Etiam noctibus erudiunt me renes mei.* [c] De externa doctrina nõ loquitur:quia dicit se nocte erudiri,dum remotus est à conspectu hominum. Deinde quum hoc dicit fieri in renibus suis, non dubium est quin arcanas inspirationes designet. Iam vbi dicit fieri noctibus, obserua numerum pluralem. Dauid non fidei modò initium ascribit Deo,sed assiduè se in eius schola proficere agnoscit: quemadmodum necesse est mentis nostræ vanitatẽ tota vita corrigi,accendi clarius fidei lumen, & modis omnibus nos ad spiritualẽ prudẽtiam altius prouehi.

[M]Ergo Propheta his verbis significat, huc se intimis affectibus, idque noctu, instinctu Spiritus sancti à reliquia curis liberum ac solitarium raptum & motum, vt Deum sortis ac hæreditatis suæ loco eligeret, illique vni sese totum addiceret. Hic videlicet erat Spiritus consilii quem acceperat a Domino, à quo singulis noctibus erudiebatur, ducebatur, imò rapiebatur, vt firma & indubitata fide vni Deo adhæreret, in quo solo veram & perpetuā esset securitatem ac fœlicitatem possessurus.

8 *Pono Iehouam coram me semper: quia à dextera mea est, non mouebor.*

Pono Iehouam coram me. [V] Præt. Hebr. pro præsenti. Id est, propono mihi Dominum ob oculos semper tanquam scopum, vt illius nutu omnia agam. Iterū fidē suam prædicat. Nam Deum in conspectu statuere nihil aliud est quàm tenere omnes sensus suos ligatos, ne aliò diffluant. Necesse quidem est aliis quàm carnis oculis ipsum cōspicere: quia rarò apparet nisi supra mūdum conscendimus: sed fides tamen nos coercet, ne tergum ei obuertamus. Sensus ergo est, Dauidē sic intentū fuisse & affixū Dei prouidētiæ, vt certò persuasus esset, quoties instaret aliqua necessitas, illum sibi præsto fore ad opem ferendam. [M]Acsi diceret, In omnib' afflictionibus, tētationibus & periculis à Domino, sorte & hæreditate mea, pendeo, ad illum suspicio, hunc toto corde inuoco, spem omnem in illum colloco, fide potētiæ, bonitatis, iustitiæ, veritatis illius nitor. in summa, respectu illius firmam & inconcussam fiduciam in omnibus tribulationibus concipio. *Semper.* seu iugiter. [C] Hoc addit vt sciamus constanter innixum fuisse Dei auxilio, vt variis certaminibus agitatum nullus metus aliò reflectere oculos cogeret. [M]Sunt qui tēpore aliquo ad Deum suspiciant: verùm leui tentatione moti oculos aliò detorquent. At ea demum vera pietas, fides ac religio est, quæ nō certis diebus, more superstitiosorum, sed perpetuò & indesinenter Deum ob oculos habet. [C]Ita ergo nos à Deo pēdere conuenit vt certò statuamus, etiam quum longissimè abesse videtur, eum nobis propinquum esse. Hic conspectus efficiet ne inanibus huius mundi spectris ludamur. *Quia à dextera mea est, non mouebor.* [V]Ne labar, ne dimouear, ne nutem. Id est, quia adest mihi ad latus meum dextrum Dominus, vt me iuuet, perire non potero, neque quicquā nocere poterit. [C] Nam hoc mēbrum disiunctim legendum est. Quòd enim alii contexunt, Posui Dominum in conspectu meo, quoniā à dextris mihi est, frigidum videtur, & doctrinam multum enervat: acsi diceret Dauid se experientia metiri Dei præsentiam: quod minimè decet. Plena itaque fuit hæc sententia, quòd sibi Deum præ oculis statuerit, vt se in omnibus periculis ad eum reciperet. Nunc vt alacrior sit ad bene sperandum, quid valeat Dei auxilium & paterna cura sibi proponit: nempe vt suos quibus adest, in firmo statu contineat. Securus ergo est ab omni discrimine, & sibi certam salutem promittit: quia Deū fidei oculis quasi præsentem intuetur. [M]Vnde notandum protectionem Dei sanctis esse certam ac persuasam, non solùm quòd reliquis, sed & quòd ipsis præsto sit. Non enim dicit hic Dauid, Quoniā à dextris est piis ac iustis: sed, Quoniā à dextris est mihi. In tentationibus quidē ea fluctuat, & desertam se esse putat. verùm extra tentationem spiritus piorum sic fide certus est vt dicat, Quia à dextera mea est, non declinabo. [C]Euertitur etiam hoc loco Sorbonicum illud commentum, fideles de perseuerātia finali dubios esse: quia Dauid gratiæ Dei fiduciam in futurum tempus clarè extendit. Et certè misera esset conditio in singula momēta trepidare, acsi de continuo gratiæ progressu nihil nobis extaret. [M]Interea notandum Dauidem non dixisse, Non tentabor, non affligar: sed, Non mouebor. Affligebatur ac tentabatur sanè multis ac magnis tribulationibus: verùm non sic deserebatur vt periret. Posset suos Deus hactenus tueri vt nullis periculis obiicerētur, nec opus esset aliqua protectione: (id quod etiam in futuro seculo nō ad tempus aliquod sed perpetuò faciet) verùm donec in carne sunt, & præsens hoc seculum incolunt, vt in fide, spe ac patiētia exerceantur, cōmittit eos multis tribulationibus: & interim multis argumentis gratiam, fidem ac bonitatē suam in illis declarat. Exempla sunt in patribus, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mose, Prophetis, Christo & Apostolis. Itaque sancti quamuis magnis afflictionibus impetantur in hoc mundo, fide tamen diuinæ protectionis certi ac persuasi dicunt, Dominus nobis est à dextris: non mouebimur. Et impiorum quidē hæc vox est, Non mouebor in seculum, ero sine malo, Suprà, 10. b. 6. Et Babylon dicit, In sempiternum sedebo domina, Esa. 47. b. 8. Verùm fallūtur. Non enim inde spem hanc concipiunt vnde habent eam sancti. Nam ex carnis fiducia & rerum præsentium intuitu summam sibi securitatem pollicentur, dicentes in cordibus suis, Non est Deus.

9 *Propterea lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: etiam caro mea habitabit confidenter.*

Propterea lætatum est cor meum. [V]Præterita sunt apud Hebræos pro futuris aut præsentibus, Lætatur, exultat, requiescit. [C]Commendat Dauid hoc versu incomparabilem fidei fructum, cuius passim meminit Scriptura: nempe quòd non modò tranquilli, sed læti etiā & hilares sub Dei præsidio degimus. Scimus præcipuum beatæ vitæ caput esse *εὐθυμίαν*, sicut nihil infœlicius est quàm inter varias curas & pauores æstuare. Atqui impii quantumuis spiritu vecordiæ aut stuporis se inebrient, nunquam tamen vera lætitia fruuntur nec serena mentis quiete: quin potius turbidos motus intus sentiunt, qui subinde illos perturbant, ac excutiunt torporem. [M]Gaudent adulteri, gaudent fœneratores, gaudent raptores, &c. voti compotes facti. verùm pessimo genere gaudii gaudent. Nam veri gaudii causa est diuinæ protectionis gratia in omnibus periculis præsentissima. [C] In summa, nemini placidè gaudere contingit nisi qui recumbere didicit in vnum Deum, suámque salutem in eius manu reponere. Quum ergo nos innumeræ perturbationes vndique obsideāt, sciamus hoc vnicum esse remedium, oculos nostros ad Deum dirigere: nec modò animos nostros placabit fides, sed pleno etiam gaudio perfundet. Quanquam Dauid non tantùm se intus gaudere affirmat, sed linguam quoque suam, imò carnem huius gaudii participem facit. Et meritò: quia fideles non modò in arcano cordis affectu spirituale gaudium fouēt, sed lingua etiam proferunt, quatenus Deum salutis suæ custodem esse gloriantur. *Et exultauit lingua mea.* [A] Sunt qui כבד, quod propriè gloriam significat, accipiunt hoc loco pro anima & mēte: sed multo rectius pro lingua sumitur, sicuti Genes. 49. a. 6. Nam alioqui trimembris partitio non quadraret. [M] Dauid ergo significat gaudium piorum cordium adeo esse exuberans, vt exultationem linguæ, id est gratiarum actionem ac laudem diuinæ bonitatis gignat. Hæc est apertio illa labiorum pro qua Vates orat, dicens, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudē tuam, Infrà 51. d. 17. Hanc linguæ exultationē homines carnales non exprimendo sed simulando, in quæstum omnium turpissimum verterunt. *Etiam caro mea habitabit confidenter.* [V]Quiescet in fiducia, id est secura omniū periculorum. [C]Quamuis corpus ab incōmodis & molestiis immune non sit, quia tamen non solùm animas nostras sed etiam corpora Deus tuetur, non temere Dauid carni suæ commune facit hoc beneficium, vt securè habitet.

10 *Quoniam non derelinques animam meam in sepulchro, nec permittes misericordem tuum videre corruptionem.*

Quoniam non derelinques animam. [V]Anima hoc loco pro corpore sumitur: sicuti quum dicitur, Super animam nō contaminabit se quisquam in populis suis, Leuit. 21. a. 1. [C]Pergit Dauid in explicatione superioris doctrinæ, ideo scilicet nihil sibi ad plenum lætitiæ cumulum deesse quia ab interitu sibi non metuat. Vnde sequitur, neminem verè Deo fidere, nisi qui salutem sibi à Deo promissam ita apprehendit vt mortem despiciat. Porro notandum est Dauidem non de certa aliqua specie liberationis restrictè loqui (quemadmodum infrà, 49. d. 16, Redemit Deus animam meam è manu sepulchri, & aliis similibus) sed æternæ salutis fiduciam certò concipere, quæ anxietate & metu eum liberet. acsi dixisset paratū semper sibi fore exitum è sepulchro, ne in corruptione maneret. Nam Deus suos ab aliquo discrimine liberans, nonnisi ad breue tēpus vitā illis prorogat. Quantula verò & quàm ieiuna cōsolatio hæc esset, paulisper respirare, donec mors tandem sine spe salutis nos absorbeat? Hinc sequitur Dauidem ita fuisse loquutum eo quòd se attolleret supra communem generis humani sortem. Nam quando in omnes Adæ filios lata est sententia, quia puluis sunt, redituros in puluerem, (Genes. 3. d. 19) eadem sine exceptione omnes manet conditio. Quare nisi in medium prodeat Christus, qui est primitiæ resurgentium, sub putredine omnes iacebunt. Vnde meritò colligit Petrus, Act. 2. e. 30, non potuisse Dauidem ita gloriari, nisi Spiritu prophetico, & in authorem vitæ sibi promissum respexisset, qui solus hoc priuilegio ornandus erat. Hoc tamen non obstat quin Dauid iure sibi immunitatem à morte promiserit: quia Christus non sibi priuatim resurgendo immortalitatem peperit, sed nobis omnibus. Quòd autem Petrus, Act. 2. e. 30, & Paulus, Ibidem, 13. e. 33, in sola eius persona impletum fuisse hoc vaticinium contendunt, sic accipe, ipsum à sepulchri corruptione fuisse prorsus & solidè exemptum, vt membra sua gradatim & pro cuiusque mensura in societatem suam vocet. Nam quum Dauidis cadauer in puluerem redactum sit, aptè colligunt Apostoli ipsum à corruptione non fuisse immunem. Eadem ratio ad fideles omnes pertinet, quorum nemo à putredine intactus vitæ incorruptibilis fit particeps. Vnde sequitur, vitæ plenitudinem, quæ in capite solo residet, guttatim solum vel per partes ad membra defluere. Posset tamen de Christo eadem fere quæstio obiici (qui & ipse in sepulchrum descendit) sed quæ

ad soluendum facilis est. Notanda est enim vtriusque vocis etymologia. Sepulchrum enim שאול vocatur, tanquam inexplebilis gurges qui omnia consumit: שחת verò à corruptione. Quare non tam locus hic notatur quàm qualitas: acsi dictum esset vitam Christi à sepulchri iure fore immunem, quia ne mortuū quidem eius corpus corruptioni erit obnoxium. Porro sepulchrum Christi viuifico Spiritus eius odore scimus perfusum fuisse, vt ei ianua foret ad immortalem gloriam. ᵇ Verè ergo in Seruatore nostro impletū est quod hic dicitur. Licet enim mortuus & sepultus fuerit, non tamen in morte & sepulchro hæsit, sed in triduo rediuiuus immortalem & beatam vitam in corpore quoque suo auspicatus est: vt nō iniuria dicatur inferos nunquam adiisse, neque vidisse sepulchrum. Etenim si de credentibus in se, propter resurrectionis expectationem, Seruator dixit mortem nunquam gustaturos, (Ioh. 8. g. 51) id multo rectius de ipso, qui ipsa est vita & resurrectio, dicitur. Mortuū igitur & verè sepultū confitemur, qui verè mori & sepeliri pro nobis sustinuit. At dum adeo nihil morti in eū cōcessum est vt ipse mortē confecerit, (quod in Osea 13. d. 14 prædictum Paulus 1. Cor. 15. g. 54 citat) rursus verè dicemus eum à morte minimè deiectum, & eius carnē corruptionē nō vidisse. ᴹ Cæterū incorruptio ista quā de corpore Christi vaticinatus est Propheta, nō est carnis ipsius naturæ, sed diuinæ dispositioni ascribēda. Sic Deus Pater causam hāc dispēsauit, vt caro facti Filii sui mori quidē posset, corrūpi verò nō posset. Notāter posita est dictio Sancti, quā & mali spiritus Christo tribuerūt, dicētes, Scimus quòd sis Sanctus Dei, Marc. 1. c. 24, & Luc. 4. e. 33. Huius ob id admonemus vt veritatem carnis Christi illibatam retineamus. *Nec permittes misericordem tuum.* ᵛ Ad verbum, Nec dabis sanctum tuum. *Videre corruptionem.* Videre foueam. Id est, non permittes vt is quem sanctificasti, siue sanctum esse vis & corruptionis expertem, diu commoretur in fouea & sepulchro, & sentiat corruptionē, sitque expers resurrectionis & vitæ æternæ: sed mox resurgere facies. Repetitio est. nam derelinqui in inferno & videre corruptionem idem significant. Videre autem foueam est condi in foueam ad corruptionem: sicut iam abunde dictum est.

11 *Scire facies me semitam vitæ, satietas lætitiarum est cum vultu tuo, iucunditates in dextera tua in seculum.*

Scire facies me semitam vitæ. ᵛ Id est, qua itur ad vitam. hoc est, suscitabis me, & donabis immortalitate. Sumpta metaphora à viatoribus q. d. Donabis me vita non temporaria, sed ea in qua sit omne genus voluptatis, nempe vita æterna. ᶜ Cōfirmat sententiam proximi versus, modumque explicat quo Deus à mortis seruitute eum eximet: nempe quia eius ductu certò ad vitā perueniet. Vnde iterum colligimus quod prius diximus, hic fideles ab extraneis & reprobis discerni quoad perpetuum statum. Nam si quis ostensam viam vitæ Dauidi fuisse dicat, quia viuendi tempus prorogatum ei fuerit, merum erit cauillum. Nimis enim extenuatur Dei gratia, si dicamus eum suis ad pauculos tantum annos vitæ esse ducem: quia hoc modo nihil à reprobis differret, quibus commune est solis lumen. Quòd si hic peculiarem Dei gratiam qua nonnisi filios suos dignatur, commendat Dauid, hæc vitæ extensio haud dubiè ad beatam immortalitatem extenditur: imò ille demum vitæ tenet viam qui sic Deo coniunctus est, vt in ipso non extra ipsum viuat. ᵇ Porro hæc semita vitæ, de qua Dauid hoc loco gloriatur, spiritu hic incipit, in patria autem consummatur. Quibus itaque hunc Spiritum Deus largitur, & ad se trahit, iis notam semitam vitæ facit, qua nimirum æternam vitam adeant. ᴹ Sic enim habendum est, viam vitæ sic esse mortalibus occlusam & absconditam vt nemini pateat. Hoc erat quòd viam ligni vitæ Deus adhibitis Cherubim & flammeo gladio, ne ad hanc accessus esset Adamo, vt viueret in sempiternum, occlusit & inaccessam reddidit, Gen. 3. d. 24. Sed vni Christo monstrata & reuelata est, vt sit nobis author vitæ quam in Adam amiseramus. *Satietas lætitiarum est cum vultu tuo.* ᵛ Id est, cumulatissima abundantia omnium quæ animum lætitia perfundere solent, omne genus iucunditatis est in præsentia tua, apud te, téque comitatur, & tibi astat. Q. d. Vbi præsens es, ibi est omne lætitiarum genus, & quicquid animum verè & seriò lætitia afficit. ᶜ Significat Deo propitio nihil ad plenum fœlicitatis cumulum deesse. Quanquam autem Dei facies pro aspectu tam passiuo quàm actiuo potest accipi, vtrunque tamen simul complectimur: quia ad lætitiæ causam ordine præcedit paternus eius fauor, dū nos sereno vultu aspicit: neque tamē antè exhilarat quàm vicissim amabilem eius vultum conspicimus. Quin etiam hoc membro exprimere voluit Dauid ad quos pertineant deliciæ, quarum plena in manu Dei reposita est copia. Qui fit enim, quum penes Deum sint amœnitates quibus totum mundum repleat, vt tristis & mortifera caligo maiorē humani generis partem occupet, nisi quia non omnes peræquè Deus serenis & paternis oculis aspicit, neque etiam omnibus aperit oculos, vt non alibi quàm in ipso gaudii materiam quærant? Porro satietas fluxis mūdi illecebris opponitur, quæ postquam aliquandiu luserunt miseros homines, ieiunos tandem & famelicos relinquūt. Quantumuis enim se in voluptates ingurgitent, fastidio tamen potius languent quàm satiantur. Deinde temporales deliciæ non secus ac somnia euanescūt. Ad hæc plurali Lætitiarum vtitur Dauid, vt ostendat copiam lætitiarum. *Iucunditates.* ᵛ Delectationes. *In dextera tua in seculum.* Semper, perpetuò. ᶜ Testatur Dauid nusquam inueniri solidum gaudium, in quo acquiescant hominum mentes, nisi in solo Deo: ideóque solos fideles, qui vnica eius gratia contenti sunt, numeris omnibus beatos esse. ᴹ Admonemur ergo omnē lætitiæ causam piis esse ex præsentia Dei, tam in præsenti hac quàm futura vita: in præsenti, quòd ipse à dextris eorū est: in futura, quòd illi ab ipsius dextera stabunt.

ARGVMENTVM PSAL. XVII.

ᶜ PSALMVS hic continet tristem querimoniam de crudeli hostium superbia. Deinde testatur Dauid præter meritum ita se inhumaniter vexari, quia nullam illis sæuiendi causam dederit. ᵇ Simul opem implorat, vt Dei manu liberetur: tandem suam fœlicitatem in cognitione Dei sitam confitetur. ᶜ Etsi autem inscriptio nullum tempus designat, probabile tamē est Dauidem hic de Saule & eius asseclis conqueri.

ORATIO *Dauidis. Exaudi Iehoua iustitiam, attende ad clamorem meum: ausculta precationem meam, quæ non est in labiis fraudulentis.*

Oratio Dauidis. Exaudi Iehoua iustitiam. ᵛ Sub meam. ᶜ Ipsa Psalmi verba abunde indicant Dauidem precationem hanc contra hostes suos, à quibus premebatur summéque angustiabatur, composuisse, ac ita animi sui in maximo periculo à sceleratis inimicis suis deprehensi habitum hic referre. Nam quæ hic persequutoribus suis mala tribuit, & in aliis Psalmis leguntur, vt videre licet suprà, 7. d. 14, & infrà, 55. d. 11. 12, & 56. b. 6. 7. ᶜ Imò causæ suæ bonitatem in medium adducit, quia promisit Deus se minimè passurum vt innoxii opprimantur, quin tandem illis succurrat. Nam quòd iustitiæ nomen quidam exponunt precationem iustam, frigidum nimis videtur. Potius Dauid ex sua integritate fiduciam concipiens, inter se & hostes Deum statuit quasi arbitrum, vt de causa cognoscat. Alibi siquidem vidimus, vbi cum peruersis hominibus nobis negotium est, licere coram Deo innocentiam nostram testari. ᴹ Quærebatur Dauid à Saule ad necem hoc nomine quòd esset affectator regni, ac vitæ illius insidiator. Horum autem ille nihil se vnquam ne somniasse quidem, sed animo simplici gloriæ Dei ac commodis populi studuisse sciebat, etiamsi per Samuelem in regiam esset dignitatem iussu Dei inunctus. Itaque causam hanc suam Domino tanquam iusto iudici commendat, & opem illius implorat. *Attende ad clamorem meum.* ᶜ Quia non sufficeret fidelibus sibi esse rectè conscios, Dauid precationem secundo loco adiungit. Sæpe enim cōtinget profanos quosque homines iure gloriari de bona causa: quia tamen non agnoscunt diuinitus mundum gubernari, subsidunt in conscientiæ suæ theatro, vt loquuntur, ac frænum rodentes contumaciter magis quàm constanter ferunt iniurias: quia ex fide & inuocatione Dei nullum petunt solatium. At fideles non tantùm nituntur causæ suæ bonitate, sed ea Deo tuendam cōmendant: & quoties aliquid contingit aduersi, confugiunt ad eius auxilium. Hæc igitur ratio est cur eam, vt Deus si Dauidem cognoscat iustè & sine noxa officio fuisse perfunctum, ideóque inique vexari ab hostibus, respiciat, præsertim quia fretus eius auxilio bene sperat, & idcirco sincerè ipsum precatur. ᴹ Significatur ergo hoc orationis genere, tametsi à nobis stet & ad Deum interpellet ipsa iustitia, innocentia & æquitas, contrà, inimicorum malitia & iniquitas vltro irā Dei aduersum ipsos prouocet: non tamen agendum esse nobis coram Deo solis querimoniis, accusationibus & vociferationibus, sed supplici etiam deprecatione. Non enim ita iusti sumus vt irreprehensibiles coram eo simus, quem tanquam iustum iudicem inuocamus. Nec conuenit iustitiam Dei sine humili deprecatione implorare, pro qua impetrata vtique gratias agere debemus. *Ausculta precationem meam.* ᶜ Per clamorem & precationē idem significans, sed vox clamoris & eiusdem sententiæ repetitio ad vehementiam notandam valent. *Quæ non est in labiis fraudulentis.* ᵛ Siue labiis doli, id est dolosis, quæ carent sermone fraudulento, quæ sunt syncera & candida. Labia pro sermonibus accipit. ᶜ Quia hypocritæ se magnificè iactant, & in fiduciæ signum vocem tumultuosè efferunt, negat Dauid se dolosè loqui, hoc est fumos obtendere tegendis suis delictis, sed ingenuè prodire in conspectum Dei. ᴹ Dolosa labia sunt primùm eorum qui causam iustam prætendunt, quum sint iniusti, & affligantur meritò. id quod frequenter & multis accidit. Paucissimi sunt quē

tẽtatione,ne dilabamur. Hic Dauid nihil de propriis arbitrii sui viribus præsumit, conscius infirmitatis suæ. Et certè quo pluribus Dei donis prædiò suos sancti, hoc amplius propriam imbecillitatem experiuntur, ne inflentur. Iustitiariorum est de libero voluntatis arbitrio præsumere, infirmitatem propriam non agnoscere, alienam contemnere, & nullo lapsus metu affici.

6 *Ego inuocaui te, quoniam exaudis me Deus: inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.*

Ego inuocaui te, quoniam exaudis. [a] Præt. Hebræum pro præsenti. Nam cõtinuum actum designat, vt plerisque aliis locis.[b] Si particula כי hoc loco est causalis, sensus erit Dauidẽ inde sumpsisse precandi fiduciam, quia fretus Dei promissione vota sua non fore irrita sperabat. Nisi forte magis placeat mutare tẽpus verbi, sicuti quidam faciunt. hoc sensu, Orabo, quia expertus sum hactenus preces meas abs te fuisse exauditas. Videtur tamẽ hic Dauid se bona spe ad Deum inuocandum hortari & animare. acsi diceret, Quum ergo te inuocem, certe ô Deus vota mea non spernes.[b] Hinc discimus ad Deum verè inuocandum eam fidem requiri, qua credamus illum non aspernaturum preces nostras, sed clementer auditurum ac responsurum. Sine hac fide nemo Deum rite inuocabit. Sic dicit Apostolus, Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Rom. 10.c.14. Fides in Deum & corda & ora ad inuocandũ eum resoluit, idémque ab eo petit quod illũ facturũ esse credit. Sic hoc verso Propheta quum dixisset, Ego inuocaui te, quoniam exaudies me Deus,[c] mox postulat sibi concedi quod dixerat se sperare. *Inclina,* inquit, *aurem tuam mihi, audi eloquium meum.* [m] Hoc ipsum petit his verbis quod Deum credebat esse facturum. Etenim qui credit responsurum sibi Deum, simul credit eum & aurem sibi inclinaturum, & verba sua auditurum. Est enim eiusdem clemẽtiæ Dei inclinare aurem, audire verba se inuocantiũ, & respondere inuocantibus.

7 *Mirifica pietates tuas seruator sperantium, ab insurgentibus in dexteram tuam.*

Mirifica pietates tuas. [v] Admirandas fac misericordias tuas, fac insignẽ bonitatẽ tuã. Alii, Segrega (vel substrahe) misericordias tuas, &c. id est, Segrega misericordias tu qui liberas sperantes, subautem. [a] Nã quia verbũ פלה nũc admirabilẽ vel eximiũ reddere, nũc segergare significat, vterque sensus præsenti loco nõ malè conueniet. Nam (vt alibi dicitur) bonitas Dei recõdita est eius cultoribus instar peculiaris thesauri, vt eam opportunè depromat, etiam in vltimo desperationis articulo, Infrà, 31. c.20. Ergo si vertere placeat Segrega, sensus erit, vt Deus illam gratiæ speciem qua solos electos dignatur, erga seruum suum Dauidem proferat. Nam quum promiscuè in discrimen coniiciat bonos & malos, diuerso exitu tãdem probat se non confusè miscere paleam tritico, quia suos separatim colligit. David tamen (multorum iudicio) quia videbat nonnisi raro & insolito modo se posse liberari, ad mirificam Dei virtutem confugit. Nam qui putat eum optare vt Deus persequutoribus gratiam suã arceat, ... violenter contextum torquent. Porro hac circunstan... magnitudo exponitur: quia alioqui satis suisset vsi... modo Dauidẽ iuuari, sicuti suos quotidie Deus ... prosequi & auxilio suo tueri solet. Coegit ergo eum ... impietas miraculum in sua salute expetere.[m] Interea ...emus vt & ipsi benignitatem hanc Dei, qua inuocantes se exaudit, & sperantes seruat, multo sentiamus esse potiorem & admirabiliorem quàm qua cunctis in vniuersum mortalibus, tam malis quàm bonis, corpus, animam, solem, aerem, terram, pluuiam, escam, &c. largitur. *Seruator sperantium.* [a] Hoc elogium quo ornatur Deus, ad spem impetrandi facit. Nam quum sibi Deus seruandi partes asserat quotquot in ipso confidunt, meritò Dauid, qui vnus erat ex illorum numero, salutem promittere sibi potuit. Ergo quoties ad Deum accedimus, primùm nobis in mentem veniat, quia non frustra vocatur Deus sperantiũ seruator, modò in eius gratiam recumbat fides nostra, minimè timendum esse quin paratus sit ad opem nobis ferẽdam. Quòd si clausæ sint omnes viæ, simul etiam in mentem veniat penes ipsum esse incredibiles auxiliandi modos, qui eius potentiam melius illustrent.[m] Porro obseruemus seruandi munus propriè Deo conuenire. Nequit enim seruatoris elogium aliis communicari nisi impropriè, quia non est præter ipsum alius Deus nec in cælo nec in terra, qui seruare possit. Hinc illa sacræ Scripturæ testimonia, Domini est sal⁹, Suprà, 3.b.9. Et, Ego sũ, ego sum, & nõ est absque me seruator, Esa. 43.b.11. Et iterũ, De⁹ iustus & seruans non est præter me, Ibidẽ, 45.d.21. Itẽ, Ego feci, ego ferã, ego portabo & seruabo, Ibidem, 46.b.4. Credendus est autem Deus sic esse seruator, vt non solùm terrena nostra sed & spiritalia curet, nec ad tempus duntaxat sed perpetuò saluet. est enim perfectus ac sempiternus seruator. Et hac fide ducimur ad regnum Christi, in quo est salus æterna. Vnde & Christus Filius Dei verè seruator dicitur: quod vtique esse non posset nisi & verus Deus esset. Etenim seruatorem esse sperantium nihil aliud est quàm Deum esse sperantium. *Ab insurgentibus in dexteram tuam.* [c] Quia participium Sperantes sine adiectione ponitur, quidam interpretes cum hoc versus coniungunt, acsi inuersus esset verborũ ordo. Sic ergo resoluunt, Seruator sperantium in dextera tua ab iis qui insurgunt. Sed quia hoc durum est, expositio verò quam attulimus melius fluit & magis est recepta, eam sequimur. Vno itaque complexu Deo tribuit suos tuendi & seruandi munus, contra omnes impios qui ad oppugnandam eorum salutem insurgunt. Dicuntur autem se efferre contra Dei manũ, quia molestiam piis, quos Deus seruandos suscepit, inferendo, apertè bellum ei intentant.[m] Hoc ergo vrgebat Dauidem, quòd Deo repugnabant qui sibi aduersabantur & insidias tendebant.[c] Vnde etiam hæc sententia doctrinam continet apprime vtilem, violari Deum in nostra persona, quia se nostræ salutis custodem semel professus, quoties iniustè appetimur, manum suam pro clypeo opponit.[m] Itaque considerandum nobis est quæ debeat eorum esse fiducia in conspectu Dei, quorum causa talis est, vt si aduersarios acquirant, non ipsis sed Deo resistatur. Hæc cõditio communis est omnibus iis qui Deo ministrant, ab illo vocati & missi: vt sũt Prophetæ, Apostoli, reges ac principes, &c. Sic Samueli dicebat Deus, Non te abiecerunt, sed me, 1. Sam. 8.6.7. Et Apostolus, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, Ro. 13.a.2. Et Christus ad suos, Qui vos spernit, me spernit, Luc. 10.c.16. Incredibile est quantum ista consideratio fiduciæ adferat contra aduersarios ad Deum interpellandũ.

8 *Custodi me ut nigrum pupillæ oculi, in umbra alarum tuarum absconde me.*

Custodi me ut nigrum pupillæ oculi. [v] Ad verbum, vt pupillam filiam oculi, id est vt pupillam, quæ est oculi præcipua & eximia pars. Hebræi enim nomine בן & בת, quæ præcipua, eximia & admodum chara sunt intelligere solẽt. [a] Aut, vt pupillam, quæ est medium oculi. q.d. Custodi me eo studio quo homines oculorum suorum pupillas custodire solent. Pupilla & filia oculi idem sunt, vt nonnullis placet: duæ voces pro vna, vt alibi, lutum fæcis, pro luto, & orbis terræ, pro terra. Chaldæus paraphrastes vertit, Tanquam sphæram quæ est in medio oculi. *In umbra alarum tuarum absconde me.* [v] Id est, ea diligentia libera me à periculo imminenti qua solent gallinæ subter alas suas abscondere pullos suos, imminente & insidiante miluo. [a] Ostendit Dauid his duabus similitudinibus quàm tuti sint à periculo quos Deus in suam custodiam receperit.[c] Nam quum Deus exprimere volens quantã curam suorum habeat, se gallinæ & aliis auibus similem facit, quæ fouendis & regendis suis pullis alas extendunt, ac pronunciet sibi non minus charos esse quàm est hominibus oculi pupilla, pars tenerrima corporis, sequitur, bellum contra ipsum moueri quoties ad lædendos fideles consurgitur. Nam quum hæc precandi forma à Spiritu sancto dictata sit, promissionem in se continet. Incredibilis verò Dei bonitas, quòd se eousque demittit & quodammodo transformat, vt fidem nostram supra omnes carnis sensus extollat.[m] Dauid alas tribuit Deo, per metaphoram ab auibus illis sumptam quæ pullos suos alarum suarum protectione vel contra solarium radiorum calorem, vt aquila solet, vel aduersus accipitrum ac vulturum rapinam, sicuti faciunt gallinæ, tuentur ac custodiunt. Seruator noster Christus hac similitudine vsus est Matth. 23.d.37.

9 *A facie impiorum qui vastant me, Inimicorum meorum, [qui] propter animam circundant me.*

A facie impiorum. [v] Hebraismus, Propter impios. *Qui vastant me.* vim mihi inferunt. Præteritum pro presenti, & sequenti versu.[a] Mores & vim hostium suorum describit. Ad mores pertinet quòd improbos vocat: ad vim, quòd illos vim sibi inferre dicat.[m] Significat ergo perinde se à facie hostium suorum ad diuinam protectionem confugere, atque pulli à facie vulturis & id genus rapacium auium, quarum etiam vmbram horrent ac fugiunt, sub alas gallinæ sese abdunt. *Qui propter animam circundant me.* In animam. id est, vt vita me spolient. Chaldæus paraphrastes, ad verbum, In animam suam. id est, qui ex animo obsident me. sed simplicior est alter sensus.[c] Dauid itaque hostes suos iterum accusans, gratiã Dei ab innocẽtiæ suæ commendatione sibi conciliat: simul tamen conqueritur de ipsorũ sæuitia, quò Deus ad auxiliandum propensior sit. Dicit enim primò vastandi & perdendi libidine ipsos ardere. Deinde addit se obsideri in animam: significãs non alio pretio quàm morte sua contentos fore. Itaque quo plus terroris nobis incutit hostium crudelitas, eo etiam magis precandi studium acuere debet. Quanquam autem monitore opus non habeat Deus, hic tamen est precationis vsus & finis vt fideles, dum sua mala & fa

licitudines exonerant in Dei ſinum, certò ſtatuant ſuas neceſſitates ab ipſo reſpici. [A] Deinde notemus ob id nos diuina diſpoſitione affligi ab impiis, vt ab illorum facie, quæ terribilis eſt, ad protectionem ac cuſtodiam Dei confugiamus. Et reuera nunquam ſancti ad alas Dei cupidius aduolant quàm dum horrendis modis agitantur ab impiis. Quantumuis gallina pullos ſuos mutata voce ad ſe vocet, parum afficit, niſi vmbra vulturis vel milui vel accipitris terreantur, & perterriti aduolent.

10 *Adipe ſuo clauſerunt. ore ſuo loquuntur ſuperbè.*

Adipe ſuo clauſerunt. [V] Præ pinguedine præcluſerunt, ſub. ſibi os & fauces. Id eſt, præ pinguedine obſtruxerunt ſibi os & fauces. aut, vſque adeo pingues ſunt vt fauces eorum præ pinguedine præcluſæ ſint. Q.d. Diffluunt deliciis, & ob id ſuperba loquūtur. Chaldæus paraphraſtes, Adeps eorum clauſit os eorū. Integra loquutio legitur in libro Iob, Operuit impius faciem ſuam adipe ſuo, Iob 15.e.27. [C] Vel potius per vocem Adipis faſtus, quo non ſecus ac pinguedine turgebant, notari videtur. Eſt autem concinna metaphora, pectus eorū ferocia non ſecus ac pinguedine fuiſſe obthuratum. Neque tamen negamus conqueri Dauidem opulentia & deliciis fuiſſe inflatos: (ſicuti impios videmus, quo pinguius ſaginantur, magis contumelioſè ſuperbire) ſed interius vitium hic deſcribi putamus, quòd ſcilicet cōfidentia vndique ſtipati, ſe & ab omni humanitate ſubducunt, & faſtuoſa contra Deum & homines loquuntur. *Ore ſuo loquūtur ſuperbè.* [C] Dicit inanis confidentiæ ſignum in impiorum lingua extare. acſi diceret, Intus ſuperbia tumēt: neque verò eam diſſimulant, dum verborum ampullas proiciunt. Nam in Oris nomine hic non eſt pleonaſmos, vt ſæpe alibi: quia intelligit Dauid, palàm & plenis buccis efflare contumelias, quæ teſtes ſunt eorum ſuperbiæ. [M] Sic Saul proteruè admodum & arroganter dicebat, Iam vade, & adduc eum: quia filius mortis eſt, 1.Sam.20.f.31. Et iterum, Si in terra fuerit in millibus Iehudah, ſcrutabor eum, Ibidem, 23.d.23. Huiuſmodi magniloquentiā tribuit impiis Dauid quū dixit, Qui dixerunt, Linguis noſtris roborabimur, labia noſtra nobiſcum: quis dominus noſter? Suprà, 12.a.5. Et, Ponunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſit in terra, Infrà, 73.b.9. Eſt autem omnis ſuperba locutio vel in vana gloriatione & noſtri ipſorum iactatione, vel in aliorum contemptu, vel in comminatione & præſumptione eorum quæ & diuini nominis contemptū habent, & vires excedunt. Nos verò diſcamus impiorum hominum ſuperbiam ad aures Dei deferre cum Propheta, nec dubitemus illum reſiſtere ſuperbis, &c.

11 *In greſſu noſtro nunc circundant me, oculos ſuos poſuerunt ad deprimendum in terram.*

In greſſu noſtro nunc circundāt me. [V] Greſſum noſtrum obſeruantes nunc circundant me, vel nos. Nā duplex eſt Hebræis lectio. q.d. Quocunque fugimus, illuc nos inſectantur, ac circūdant. [C] Confirmat quod prius dixit de furioſa nocendi libidine qua flagrabant hoſtes. Dicit enim tam crudeliter fuiſſe intentos ad machinandū exitium, vt quocūque deflecteret, non deſinerent à tergo inſtare. Quum dicit In greſſu noſtro, haud dubiè ſuos comites complectitur: quanquam ſtatim ad ſe vnum redit. Niſi quis fortè alteram lectionem magis probet: quia nonnulli codices habent סבבוני plurali numero. Sed in eo parum eſt momenti: ſimpliciter enim conqueritur Dauid, niſi Deus è cælo manum porrigat, iam ſibi nullum effugium extare: quia ſimulac pedem mouit, inſectantur hoſtes, greſſuſque omnes obſeruant. Quemadmodum enim improbi venatores ferarum veſtigia diligenter & pertinaciter primùm obſeruāt, ignorantibus hoc feris, nihilque minus metuentibus: deinde exploratis illarum veſtigiis ea loca clanculum circundant in quibus latitare conſueuerunt, & in laqueos ac plagas incautas adigere conantur: ita & Saul Dauidem cum ſuis paſſim more venatorio perſequutus eſt. [C] Per aduerbium temporis *Nunc* ſignificat non ſolùm in præſenti pericluſe verſari, ſed ſingulis momentis, quācunque in partem ſe vertat, greſſus ſuos ab hoſtibus inſiſti & vrgeri. Videtur etiam ad certam aliquam hiſtoriam reſpicere, & eam orationē hic referre quā ad Deum in præſenti periculo cōſtitutus deſtinarat. Illa forſitā eſt quæ habetur 1.Sam.23.d.25. Sicut lubet, inſpiciat eam diligenter, & huc conferat. *Oculos ſuos poſuerunt ad deprimendum in terram.* [C] Hoc quidam ita exponūt acſi venatoribus hoſtes conferret Dauid, qui oculis in terram deiectis taciti prædæ inhiant. Geſtum ergo notari putāt in oculis deorſum fixis: & certè fraudulenti homines ſæpe ita compoſito ſunt vultu. Rectius tamen intelligunt alii, hac figura notari continuū & infatigabilem ardorem quo ferūtur impii ad euertenda omnia. Ponere itaque oculos nihil aliud erit quàm applicare totum ſuum acumē & conatus intendere. Quod autem ſequitur, *Ad deprimendum in terram*, tantūdem valebit atque Ad proſternendum. Nam impii, quaſi ſtante mundo ſibi cōcidere neceſſe eſſet, totum humanum genus euerſum cuperent: ideóque ad omnes proſternēdos ſtrenuè ſe comparāt. [V] Dicit itaque Dauid, Hoſtes mei perpetuò in nos oculos fixos habēt, ſiqua obueniat occaſio nos deiiciendi, vt labamur in terram, aſſiduè attenti ſunt & inuigilant, vt perdant nos.

12 *Similitudo eius ut leonis qui expetit ad rapiendum, atque ut leunculi manentis in abditis.*

Similitudo eius ut leonis. [A] Hac ſimilitudine periculi magnitudinē & hoſtium ſæuitiam amplificat. Nam dicit eos ſimiles eſſe leonibus & catulis leonum. [V] Saulē verò hic præſertim notari probabile eſt, eo quòd vnius præcipui alicuius & præpotentis meminit Dauid, quem leoni prædæ inhianti comparat. Eſt autem Scripturæ hoc conſuetum, præſertim in Pſalmis & Prophetis, vt tyrannos impios leonibus aſſimilet. Et Solomon dicit, Leo rugiens & vrſus eſuriens princeps impius ſuper populum pauperem, Prouerb. 28.c.15. Aptè ergo hic Saulem, propter nimiam erga ſe ferociam & crudelitatem, leoni ſimilem facit. *Qui expetit ad rapiendum.* Terribilis eſt leonis etiam dormientis conſpectus. quid autem terribilius eſt quàm ſi leo prædæ propter eſuriem cupidus alicui occurrat? Vnde & illud eſt, Leo rugit: & quis non timeat? Amos 3.b.6. *Atque ut leunculi manentis in abditis.* Sedentis, id eſt delitescentis. [C] Luſtra vel occultas latebras ideo nominat quia hoſtes eius variis lædendi artibus pollebant, & facultas etiam ad manum erat, vt difficile eſſet reſiſtere. Tenenda autem illa ratio eſt, quo inſolentius contra nos ſæuiunt impii, propiorem nobis eſſe Dei manum, vt eorum truculentiæ ſe opponat: cuius hæc propria laus eſt, feras & ſanguinarias belluas compeſcere. [M] Cauēdum itaque nobis eſt ne longius ab eius cuſtodia euagemur, quò ab incurſu tot leonum, qui nos diripere tentant, tuti ſimus.

13 *Surge Iehoua, præueni faciem eius, proſterne eum, eripe animam meam ab impio, gladio tuo.*

Surge Iehoua, præueni faciē. [V] Surge Domine, ſume arma ſtrenui defenſoris more: iam ſatis diſtuliſti opē. nunc ſurge declaraturus vires tuas, præueni faciem hoſtis mei, & illi obſiſte. [C] Quo violentius premebatur Dauid, ſubitum quoque Dei auxiliū implorat. faciem enim pro rapido impetu accipit, ad quem arcendum ſumma feſtinatione opus erat. Quibus verbis docet Spiritus, vbi iam mors prope ſe oſtentat, Deum præſentibus remediis eſſe inſtructum, quæ momento interponere poterit. ſicuti [A] fecit quum miſſo nuncio de incurſione Philiſtinorū Saulem à Dauide iam planè capto auulſit, 1.Sam.23.d.27. [M] Item quū Iſraelitas ante faciem Pharaonis per mare rubrum tranſeuntes mirabiliter eripuit, Exod.14.e.22. Et Petrum miſſo Angelo velut è faucibus Herodis ſaluū fecit, Act.12.b.9. *Proſterne eū.* [C] Propheta non tantùm liberandi partes tribuit Deo, ſed ad impios conterēdos ſimul armat potentia. Quanquam eorum deiectionem nō optat niſi quatenus humiliari neceſſe fuit, vt à maleficiis ceſſarent: quemadmodum ex ſequenti membro colligimus, vbi iterum poſtulat animam ſuam eripi, dicens, *Eripe animam meam ab impio.* Facilè enim paſſus eſſet integros ſtare, niſi viribus ſuis iniuſtè & crudeliter abuſi eſſent. Sciamus ergo Deum ſuis cōſulere, dum impios euertit, frangitque ipſorum robur: vt ſcilicet ab exitio liberet innoxias animas. *Gladio tuo.* [V] Hoc quidam [illegible] ſitiuè legunt, Ab impio, qui gladius tuus eſt. id eſt, qu[illegible] gladio vteris in caſtigandis aliis. Sic verſu ſequenti, A v[illegible] ſunt manus tua. [C] ſed dura eſt hæc loquutio. Verum [illegible] vndecunque proueniant mala, nos Dei manu caſtig[illegible] que eſſe eius flagella, atque hoc aptiſſimū eſſe patienti[illegible]mentum: ſed quia modus loquendi hoc loco eſſet aſperior, deinde precationi non admodum quadraret, alia expoſitio aptior videtur: nempe vt Deus gladio ſuo ipſum eripiat, viros quorū nimis diuturna fuit potentia & fœlicitas, manu ſua percutiat. Gladium enim Dei humanis ſubſidiis opponit. acſi diceret, niſi Deus prodeat ipſe vindex, gladiúmque ſuum exerat, nullam ſpem liberationis reliquā eſſe. Perſpicuū eſt itaque exprimere Prophetam his verbis anguſtiati animi ſuſpiria & clamorē, quibus ipſo vitæ diſcrimine comprehenſus, cæleſtē opē eámque feſtinam & celerrimam implorauit: [A] docens ſuo exemplo pios omnes, vt in aduerſis conſtituti ſolius Dei potentiam & bonitatem reſpiciant, atque ad eum ſupplici precatione confugiant, ſecuri de fœlici ſucceſſu.

14 *A viris manu tua Iehoua, à viris qui ſunt à ſeculo: quorum portio eſt in vita, & abſcondito tuo imples ventrem eorum: ſaturantur filii, & dimittunt reſiduum ſuum paruulis ſuis.*

A viris manu tua Iehoua. [V] Hoc eſt, à viris erue me manu tua, ſiue potentia & fortitudine tua: vt ſit inſtrumenti ablatiuus, ſicuti verſu præcedenti. *A viris qui ſunt à ſeculo.* Q.d. [C] Domine vindica me tua manu, vel ope cæleſti, à viris, à viris (inquam) quorum tyrannis nimis diu viguit, & quos nimis diu in proſperitatis ſuæ fæcibus reſidere paſſus es. Hæc autem repetitio emphati-

ea est: quia Dauid indignitate retentus primò suspendit sententiam: deinde collecto spiritu, qua de re angatur exponit. Cæterùm quia numero singulari nuper vsus fuerat, iam declarat cõplures sibi esse infestos, & quidẽ validos ac potẽtes, vt nulla nisi à Dei ope spes supersit. Particula *A seculo* variè exponitur. Quidã vertunt Temporales: acsi negaret Dauid eorum statum fore durabilem: quod minimè consentaneum videtur. Alii sic vocari putant qui penitus mundo sunt dediti, ac nihil nisi terrenũ sapiũt. Itaque, secundum eos, Dauid brutis animalibus hostes suos cõparat: atque huc quoque referunt quod proximè sequitur, partem eorum esse in vita: quia scilicet Spiritu Dei vacui, bonisque caducis affixi, supra mundum non conscendũt. Portio enim cuiusque dicitur in quo suam quisque fœlicitatem locat. Sed quũ חלד Hebræis seculum vel humanæ vitæ cursum significet, dubium non est quin Dauid queratur hostes suos viguisse vltra iustum tempus. Nam vt tolerabilis sit ad exiguum tempus impiorum proteruia, eos tamen, dum contra Deum lasciuiunt, stabiles manere absurdum est. Atque hunc sensum confirmat præpositio מ, qua exprimit Dauid non à triduo duntaxat vel nuper emersisse, sed iam à seculo durasse eorum fœlicitatem, quã momento euanescere oportuit. Nisi fortè à seculo eos denominet qui rerũ potiuntur inter homines, honoribus & copiis exultant: acsi in eorum tantùm gratiam conditus esset mundus. [a] De taliũ prosperitate & inani confidentia plura Iacobus Cap. 5.a.1. *Quorum portio est in vita.* [c] Significat his verbis impios ab omnibus incommodis esse immunes, ac deliciis affluere, adeóque à communi sorte esse exemptos: sicut vicissim miseri hominis portio in morte esse dicitur. Hoc ergo minimè consentaneũ esse dicit, impios volitare lætos & alacres extra mortis metum, sibique quasi iure hæreditario vendicare quietam ac beatam vitam. [a] Præsentia tantùm respiciunt: de futuris nihil solliciti, omnia Dei iudicia spernunt, genio assiduè indulgent, & omne genus voluptates sequuntur. *Et absconditо tuo imples ventrem eorum.* [v] Et thesauro tuo implere soles. Fut. Hebr. pro præsenti. [c] Dicit Deum bonis suis abditis farcire eorum ventres: vt certè videmus eos non tantùm communi luce & spiritu, alimentis & reliquis commoditatibus promiscuè frui, sed lautius sæpe ac splendidius tractari à Domino, acsi præ aliis delicatos filios in gremio foueret. Itaque absondita Dei bona vocantur raræ & magis exquisitæ lautitiæ. Dura hæc tentatio est, siquis Dei fauorem à terrena fœlicitate æstimet. itaque non mirum est hac circunstantia vehementer fuisse turbatum. Sed meminerimus ex pia querimonia leuationem eum petere, non autem obstrepere Deo: vt nos quoque eius exemplo gemitus nostros discamus in cælum dirigere: nec inuideamus filiis huius seculi qualemcunque illorum & breui perituram portionem, quæ reuera digna non est vt illius nomine quisquam inuideat diuitibus, fastuosis & potentibus, qui in bonis ducunt dies suos, & in puncto in sepulchrum descendunt, Iob 21.b.13. Quidã subtilius exponũt, vocari abdita Dei bona quæ impii ipsi cum stupore vorant, vel quia non apparet ratio cur tã liberaliter sua bona Deus in ipsos profundat. Sed illa quam attulimus expositio vt simplex ac genuina est, alias per se satis refellit. *Saturantur filii.* [v] Saturabũtur liberis. Fut. Heb. pro præsenti. Id est, copiam habent liberorum. [m] Vel datur his verbis huius seculi filiis quòd non solùm ipsi ventris sint mancipia, sed & filios suos in eodem secum ventris luxu educent, & hoc fine bona sua eis relinquãt vt etiã post mortem eorum habeant vnde ventri seruiant. Est igitur hic locus de præpostero amore ac studio parentum erga liberos diligenter notandus, hoc præsertim seculo, quo potissimùm ingluuies ventris non modò regnat in parentibus, sed & in liberos trãsmittitur. *Et dimittent, inquit, residuum suum paruulis suis.* [v] Paruulos intelligit nepotes & posteros. [c] Vltimus gradus est, quòd cõtinua successione diuitias suas ad filios & nepotes vsque trãsmittunt. Nam quum ex filiis Dei non sint quibus promissa est hæc benedictio, sequitur in diem mactationis eos saginari. Ideóque finis querimoniæ est, vt maturè vindictã suã exerat Deus, quando tandiu abusi sunt eius indulgentia. [m] Cæterùm si liberis nostris optimè cõsultũ volumus, curemus primùm vt ipsi in cõspectu illorũ & Dei piè viuamus, ac misericordes simul ac benigni in pauperes: vt & in nobis ac liberis nostris locũ habeat illud, Tota die miseretur & cõmodat. & semẽ illius in benedictione erit, Infrà, 37.e.26. Et illud, Nõ vidi iustũ derelictũ, nec semẽ eius quærẽs panẽ, Ibidẽ, versu 25. Benefacit Deus posteris propter maiorum pietatem, sicuti habetur Exod. 20.b.6. Deinde illos etiam piè iuxta Deum instituamus, & huc dirigamus vt aliquo iusto & honesto exercitio victum quærant. Post mortem non sunt amplius nostri, sed Dei prouidentiæ commissi, qui pater est orphanorũ, Infrà, 68.a.6. Bonitate Domini plena est terra: vnde victum facili poterunt labore quærere.

15 *Ego in iustitia uidebo faciem tuam, satiabor quum euigilauero, facie tua:*

Ego in iustitia uidebo faciem tuam. [v] Id est, paterni fauoris sensum, quo afflictos non modò exhilaras, abstersis doloribus nostris, sed in cælum vsque rapis. [c] Postquã anxiè molestias quæ ipsum vrebant & torquebant, coram Deo exposuit, ne tẽtationum mole obruatur, alis fiduciæ se attollit in serenam tranquillitatem, ita quæ rei legitimo suo ordine compositas videat. Nam hic primùm tacita comparatio est inter statum bene ordinatum, vbi Deus suo iudicio restituet quæ nunc confusa sunt, & turbulentam caliginem, quæ tacente Deo faciémque suam occultãte mũdum occupat. Nam Dauid inter illas quas retulit afflictiones, videri poterat in æternas tenebras demersus: impii enim prospera fortuna, honoribus & diuitiis florentes, videntur Deo propinqui. Atqui Dauid superbæ ipsorum iactãtiæ insultat: & quãuis in speciem procul sit à Deo reiectus, sibi tamen familiarem eius conspectum promittit. [m] Q.d. Hostes mei huc omnia dirigunt vt in bonis ducant dies suos, & rerum abundantiam relinquant filiis suis, & hoc me nomine & quosuis pios omnis iustitiæ studio reiecto persequuntur: ego verò interim, quanuis miserè profligatus & afflictus, iustitiæ studium non deseram, nec abs te dimouebor. [c] Itaque pronomen *Ego* emphaticum est: acsi dixisset suas ærumnas & probra non fore obstaculo quominus ex paterno Dei amore plenam lætitiam rursum percipiat. Nam & hoc notandum est, hoc vno contentum esse ad summã beatitudinis, si Deum sibi propitium sentiat, quo aduerso impiũ frustra se fœlices imaginantur. Dei enim cõspect⁹ nihil aliud est quàm paterni fauoris sensus, quo nos non modò exhilarat, abstersis nostris doloribus, sed modis omnibus beatos & fœlices reddit. [a] Ergo Dauid se hostibus his opponit, & eorum fœlicitati suam præfert. [o] Iustitiæ nomine significat se bonæ conscientiæ mercede nequaquam frustratum iri. Quandiu enim cruce & miseriis suos humiliat Deus, mundus eorum simplicitati petulanter illudit, acsi temere & stultè puritati studerent. Cũ hoc ludibrii genere Dauid nunc luctatur, sibique repositum pietatis fructum esse asserit, modò ab obedientia iustitiæ Dei non discedat: quemadmodum Esaias fideles hortatur vt se hac persuasione sustineant, Iusto bene erit, Esa. 3.b.10. Neque tamen ideo salutis suæ causam ascribit operibus: quia non disputat quibus meritis recipiendus sit in Dei gratiam: sed tantùm hoc statuit, operam non perdere quicunque Deum colunt: quia vtcunque ad tempus faciem ab illis suã subducat, opportunè lucidũ eius conspectũ tãdem restituit. [a] Hoc vnũ solatur Dauidem in rebus aduersis, quòd nouit sibi tandẽ propitium fore Deũ, in quẽ omnẽ suã fiduciã cõiecit. [a] Q.d. Isti suas cupiditates sequuntur, iniustitiæ addicti in ea sibi placent, dum externis bonis circunfluunt: sed citius opinione hæc conuescent, & dabunt scelerũ suorũ pœnas dirissimas. Ergo horũ prosperitas, vt studia eorũ sequar, me nũquam alliciet: iustitiæ & vitæ integritati semper incumbam. etsi in huius studio plurima me mala experiri oporteat, minimè tamen frangar. *Satiabor quum euigilauero.* [v] Satiabor quum euigilauero, specie tua: vel, quũ euigilare feceris similitudinem tuam: aut, quum euigilauerit similitudo tua. id est, quũ ego ad similitudinem tuam conditus respirauero. [m] Argutè quidam interpretes magis quàm propriè ad vltimam resurrectionem hoc restringunt, acsi Dauid spem beatæ lætitiæ differret ac desiderium suspẽderet vsque in futuram vitam. Et satietas quidem hæc de qua loquitur non ante vltimum Christi aduentum suis omnibus numeris constabit: fatemur. sed quia sancti, vbi Deus amoris sui notitia eos irradiat, in hac luce acquiescũt, meritò hanc pacẽ Dauid, vel gaudiũ Spiritus, satietatẽ vocat. Nam etsi impii sua abũdantia crepent, quia tamen inexplebilis est eorum cupiditas, vel quia vento pascuntur, vel quia attoniti bona sua non sentiunt, vel quia diris conscientiæ tormentis laborant, nunquam animis sunt sedatis & tranquillis, sed inter cæcas agitationes æstuãt. Vna est igitur Dei gratia quæ nobis sufficit, ne intempestiuis desideriis huc illuc raptemur. Itaque dubium non est quin Dauid ad inanes mundi lætitias alludat, quæ nihil quàm appetitus irritant: vt nõ alios solido gaudio frui ostendat nisi quibus vnus Deus satisfacit. Quia autem ad verbum Hebraicè dicit, Satiabor in euigilando faciem tuam, vel facie tua, nonnulli priorem sensum magis probantes, euigilare faciem Dei vel expergisci intelligunt, quum lumen gratiæ eius, quod prius nebulis obductũ erat, emergit. Verùm aptius videtur referre verbum Euigilandi ad Dauidem, vt tantundem valeat ac respirare à tristitia. Etsi enim stupore nunquam fuerat oppressus, fieri tamen nõ potuit quin post longam fatigationem quasi sopitus iaceret. Neque enim omnes conflictus tam animosè sustinent ac repellunt sancti quin pro carnis infirmitate languescant ad tempus, vel tanquam offusis tenebris expauescãt. Hanc igitur perturbationem Dauid sopori comparat. Vbi autẽ iterum affulserit Dei fauor, se recepto vigore tranquillum fore dicit. Verè quidem dicit Paulus, quandiu in mundo peregrinamur, per fidem incedere, non per aspectũ, (2. Cor. 5.b.7) sed quia nihilominus effigiẽ Dei non tantùm in Euangelii speculo, sed in tot documentis gratiæ eius quotidie cernimus, se quisque à

corpore exeltet, vt nos satiet spiritualis fœlicitas, donec facie ad faciem se nobis fruendum exhibeat Deus.ᵐ Ergo cogitemus hic, quotiescunque iniustitiam impiis ad hoc facere videmus vt floreãt & regnent in hoc seculo, sanius nobis esse vt iustitiæ dediti vno Dei fauore contẽti simus, quàm vt iniustè cum impiis vincentes, ventri ac splendori huius vitæ seruiamus.

ARGVMENTVM PSAL. XVIII.

[1, B] INSIGNE epinicion est, quo canit primùm certam ac immotam suam in Deum fiduciã: deinde mala quibus fuerat obrutus, postea Dei potentiam & erga se voluntatem sub imagine descriptam prægrandis tempestatis. Mox sui liberationem, tum & innocentiã, atque Dei iudicia in omnes. ᶜPost hæc multas & insignes victorias adeptus, non sibi (vt solent profani homines) triumphum canit: sed Deum illarum authorem iustis encomiis celebrat. Psalmus ergo hic initium est quo magnificè Dauid tam in regno suo auspicando quàm in tuẽdo eius statu admirabilem Dei gratiam extollit: deinde ostendit in regno suo adumbratam fuisse regni Christi imaginem, vt statuant fideles, quamuis inuito & reluctante toto mundo, Christum incredibili Patris potentia semper fore victorem.

PRAEFECTO, *serui Iehouæ Dauidis, qui loquutus est Iehouæ verba cantici huius in die qua eripuit eum Iehoua de manu omnium hostium eius & manu Saulis.*

Præfecto. לַמְנַצֵּחַ. Vide Psalmum 4.a.1. Notandum hic est quòd non solùm ipse Dauid sacrificium hoc laudis Deo obtulit, sed canticum liberationis ac laudis a se compositum populo & Ecclesiæ Dei præcini curauit. hoc videlicet studio mẽtes credẽtium ad fidendũ Deo, illumque in cũctis tribulationibus inuocãdum exẽplo suo excitare voluit. Cogitemus hic quis sit vsus Psalmorũ in Ecclesia Dei, & quàm parũ illi sese accõmodent qui linguam incognitam auribus fidelium cantando ingerunt. ᶜNotandum est etiam tempus quo cõpositus est hic Psalmus, vt sciamus Dauidẽ rebus pacatis non luxuriasse in ebria lætitia: sicuti profani homines, vbi data est illis à malis relaxatio, excussa beneficiorum Dei memoria, vel se immergunt in crassas voluptates, vel cristas erigunt, vel iactantiæ suæ fumis Dei gloriam obscurant. Refert enim sacra historia, quum iam ætate fere confectus esset, defunctusque omnibus molestiis quietus sederet, cecinisse hoc canticum Domino, 2.Sam. 22.a.1. Conuenit etiam inscriptio hæc, quam non temere fuisse appositam ex istis rationibus colligimus. Tempus verò designat, sicuti mox videbimus. *Serui Iehouæ Dauidis.* ᴺDuplex est genus seruorum Dei: generale vnum, speciale alterum. In genere serui Dei sunt omnes pii, propter obedientiam quam illius verbo & volũtati debent, ac præstãt etiã. De hoc seruitutis genere loquitur Apostolus Rom.6.c.16. Specialiter serui Dei sunt quibus aliquid muneris obeundum diuinitus est impositum, siue id fit cum illorum conscientia: quales serui Dei fuerunt Moses, Iosue, iudices, reges, sacerdotes, Prophetæ, Christus ipse, Esa. 42.a.1, & Matth.12.b.18. Et Apostoli, Episcopi ac pastores, doctores etiam & Euangelistæ. siue præter illorum conscientiam & obediendi voluntatem: qualis erat Nabugodonosor, qui Ierem.25.b.9, & 27.a.6, seruus Dei vocatur. ᶜ Dauid verò seruum Dei se nominans, de sua vocatione haud dubiè testari voluit. acsi negaret se temere inuolasse in regnum, sed tantùm Dei oraculo paruisse. Hæc autem in tot procellis maximè necessaria fultura, imò in naufragiis hic vnicus portus fuit, sibi de cælesti mandato probè esse conscium. Nihil enim in rebus aduersis homine miserius, si ingenii sui motu discrimẽ subiit. Optimo itaque consilio Dauid testatum esse voluit se neque ambitione fuisse impulsum ad hæc certamina, quibus grauiter perculsus fuit, neque malis artibus præter fas quicquã tentasse, sed prætulisse Dei mandatum. Quod nobis cognitu non parum vtile est, ne immunitatẽ speremus ab omni molestia, vbi sequimur vocantem Deum: sed nos potius ad duram militiam paremus. Ergo serui nomẽ ad publicum munus hoc loco (vt sæpe alibi) refertur: sicuti quũ Prophetæ & Apostoli se Dei seruos vocãt. acsi diceret se non esse regem à seipso creatum, sed diuinitus electum. Interim digna obseruatu est eius modestia, quòd tot victoriis nobilis, tot gentium dominator, tanta dignitate & opulentia præditus, non alio quã serui Dei elogio se insignit: acsi hoc omni mundi præstantia magis honorificum censeret, fideliter munus à Deo iniunctum obiisse. *Qui recitauit Iehouæ verba cantici huius.* ᴺNotandum hic est quid pii Domino rependere soleant, siquando per illum periculis fuerint erepti ac liberati. Nec aurum illi nec præterea terrenarum aliquid diuitiarum, sed gratiarum actionem & canticum, id est sacrificium laudis, rependunt, quo animi sui gratitudinem erga illum declarant & effundunt. Nihil enim nobis est aliud quod tantis beneficiis ad reddendas vices referre queamus, nec ipse præterea quicquam exigit quàm istam animi gratitudinẽ. Sic alibi dicitur, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me, Infrà, psal. 50.c.15. *Die qua eripuit eum Iehoua è manu omnium hostium eius.* ᶜ Tempus designatur, vt sciamus tunc prorsus tranquillam fuisse regni possessionem, & non semel neque in vno tantum hoste vincendo Deũ illi opẽ tulisse, quũ subinde renouarentur certamina, finis vnius belli initium esset alterius: imò sæpe multiplices copiæ aduersus eum surgerent. Vix enim quisquam alius reperietur à mundo creato quẽ tã variè exercuerit Deus. ᴬ Bellum gessit aduersos Philistæos, Moabitas, Syros, Edomitas & Ammonitas,ᴵ quos à Deo adiutus tandem imperata facere coegit, & vectigales sibi reddidit. ᴮ Quinetiam hostibus alienigenis circumquaque deuictis, quũ iam pacata omnia videbantur, grauissima erupit contra eum coniuratio, eàque authore Absalone eius eius filio, cui aderant potentissimi quique callidissimique regni proceres: quo occiso, alterã excitauit Seba filius Bochri:ᴬ sed ab his omnibus eripuit seruum suum Dominus. *Et è manu Saulis.* Quia Dauidem crudelius quã reliqui omnes maioréque furore & pertinacia Saul persequutus fuerat, ideo disertè exprimitur eius nomen, quum prius generalis facta esset omnium hostium mentio. Neque enim postremo loco ponitur quasi esset recentior, qui iam ante annos circiter triginta mortuus erat, à cuius morte complures exteros hostes debellauerat ipse Dauid, & cõiurationem filii Absalon extinxerat. Quia ergo apprime hanc esse memorabilem Dei gratiam nouerat, quod per tot annos ab innumeris mortibus elapsus esset: imò quot fere dies sub regno Saulis trãsegerat, totidem se miraculis fuisse diuinitus redẽptũ: nõ sine causa præcipuè huius liberationis historiã celebrat.

2 *Et dixit, Diligam te Iehoua fortitudo mea:*

Et dixit, Diligam te Iehoua. Primi duo versus scatent affectibus animi erga Deum liberatorem ardentis, & in laudem illius vbertim prorumpentis. Primò Deũ ipsum alloquitur: nec immeritò. etenim illius amore flagrabat. Porro quia verbum רחם nõnisi in cõiugatione pihel Scriptura vsurpat pro Diligere, hic autem positum est in coniugatione cal, Hebræi quidam interpretantur misericordiam quærere: acsi dixisset Dauid, Domine, quando te misericordem sum toties expertus, perpetuò in tuas misericordias recumbam: atque hæc expositio nõ malè quadraret. Nõ est tamen quòd ab altera magis recepta discedamus.ᴵ Sẽsus est ergo,ᴮ Diligã semper te ô Iehoua, tuóque in amore vt meritò, ita propensissimo animo perseuerabo. Significat enim se Deum in ipsis intimis visceribus amare, imò non modò in præsenti, sed & in futurũ, per omnẽ scilicet vitã, amaturũ. Ideo nõ præsenti, sed futuro tempore vtitur. Notandũ est etiam amorẽ Dei tanquam præcipuum pietatis caput hic poni, quia nulla re melius colitur Deus. Verum quidem est reuerẽtiæ nomine magis exprimi quem illi debemus cultũ, vt in suo gradu emineat eius maiestas: sed quia nihil magis requirit quàm vt omnes cordis nostri affectus possideat, nullũ ei præstãtius sacrificium est quàm vbi liberalis & spontanei amoris vinculo nos sibi deuinctos tenet: sicuti vicissim nusquã melius quàm in gratuita bonitate eius gloria refulget. Ideo Moses summam Legis colligere volẽs, Nũc, inquit, Israel quid à te petit Dominus Deus tuus nisi vt ipsum diligas? Deut.10.c.12.ᴮ Deinde Christus totam Legem dilectione Dei & proximi complexus est, Matth. 22.d.40. *Fortitudo mea.* ᴹ Deum vocat fortitudinem suam, [illegible] illius potentia & auxilio cõtra omnes omnium inimicorum suorum insidias & insultus saluus perstitisset. ᶜ Ostẽdit ergo Dauid se non ita affixum esse Dei beneficiis, vt in authorem sit ingratus: quod vitium omnibus seculis fuit nimium vulgare. Et hodie videmus vt maior pars mũdi, neglecto vel posthabito Deo, suauiter in eius donis se oblectet. Dauid autẽ, ne in hanc ingratitudinem incidat, his verbis quasi nuncupat solenne votum. Domine, quia tu fortitudo mea es, sincero amore tibi addictus ero? ᴹ Hoc autem elogio in genere omnia alia comprehendit quæ sequenti versu subiicit.

3 *Iehoua petra mea, & arx mea, & erutor meus, Deus meus fortitudo mea, sperabo in eum, scutum meum & cornu salutis meæ, eleuatio mea.*

*Iehoua petra mea.*ᵛ Rupes mea & præsidium, propugnaculum meum.ᴬ Quò Dauid testaretur quantum fidei sibi ex tot tentationibus accessisset, quámque aucta sibi fiducia in Deum esset, quàm denique arderet in laudes Dei, amplissimam vocum quibus hæc exprimeret, congeriem in inuocatione posuit, quibus nimirum hoc significare voluit ab vno se Deo omnibus periculis ereptum, seruatum, atque hostibus suis superiorem factum: & idcirco hoc vno se in perpetuum nixurum, hunc amaturũ & prædicaturũ. ᶜ Scimus enim quã difficile sit mentes & corda hominũ tenere Deo addicta. Nã vel Deũ sibi nõ sufficere imaginãtur, vt sẽper alibi subsidia requirãt: vel primo quoque tentationis impulsu ab eius fiducia excidũt. Dauid ergo varios seruandi modos Deo tribuens, modò eum habere salutis suæ præsidem, salutis, supérque se munitum esse testatus.

sed diceret, non modò contra vnum discriminis genus tutos esse quos Deus auxilio suo vult tueri, sed omni ex parte ita sepios esse valido præsidio vt nullæ mortes metuendæ sint. Videmus ergo nõ modò gratitudinis causa hic celebrari Dei laudes, sed etiam instrui fima & cõstanti fide animos, vt subinde ad Deum recurrant, quicquid acciderit: & certò persuasi sint multiplicem esse eius virtutem, prout varias nocendi species excogitãt impii. Nec verò abs re in hac parte iam copiosus est Dauid. Nam si nos vno modo adiuuerit Deus, simulac exorta est noua tempestas, non secus expauescimus acsi nunquam eius auxilium essemus experti. Et qui in vna molestia defensionem ab eo expectant, postea maligne restringunt eius potentiam, perinde faciunt ac siquis in conflictum descendens de pectore securus sit, quia thorace & clypeo munitus est: capiti verò metuat, quia caret galea. Ideo Dauid *munitiones* hic suppeditat fidelibus, vt sentiant se ad nullos ictus esse expositos, modò armati sint Dei virtute. [a] Rupem Deum appellat, metaphora sumpta à refugio. nã propter hostes solemus rupes petere. *Et arx mea.* Secunda metaphora Deũ arcem siue propugnaculũ appellat, quod fortius rupe esse solet. Ideo dicit, *Et liberator meus.* Q.d. Iehoua eripuit me è periculis: nec mirum. est enim potentissimus & inexpugnabilis. [c] Pro Deus meus, rupes mea, habetur 2.Sam.22.a.3, Deus rupis meæ. Et post nomen refugii habetur Arx mea, seruator meus, à violentia seruabis me: quæ pleniorem efficiunt sententiã, sed eòdem spectans. *Deus meus.* [b] Posset legi Fortis meus. אל enim ideo Deus dicitur quòd fortis sit. Verùm magis placet vt legamus Deus meus q.d. In summa Deus meus est, hoc est seruator ac protector meus. *Fortitudo mea.* [y] Robur meum, rupes mea. אל & צור eiusdem sunt significatus, & vtrunque ideo Deo tribuitur quòd virtute & robore omnibus præpolleat. *Sperabo in eo.* [y] In quo sperabo, vel in qua rupe sperare soleo: vt sit futurũ pro præsenti Spero. *Scutum meum.* Clypeus meus, Sic illum vocat, [m] quia sicut clypeo defenditur miles ab ictibus hostis, sic se Dauid diuina protectione in omnibus periculis veluti clypeo quodã aduersus hostium suorum impulsus conseruatũ fuisse prædicat. [b] Hac clypei metaphora vsus est & suprà, 5.a.4. *Et cornu salutis mea.* [i] Hebraismus. Et cornu meum salutiferum, siue cornu in defensionem meam, hoc est potens ac salutaris defensor meus. Per cornu vires intelligit: quia quemadmodũ animalia cornuta se tuẽtur cornibus, ita Dauid auxilio Dei & defẽsione, qua velut cornu vtebatur. q.d. Virtus qua seruor siue liberor à vi & impetu hostiũ meorũ, est Deus, qui veluti cornu petit & conficit hostes meos. [m] Vsus est hac metaphora & Zacharias Pater Iohannis Baptistæ, dicens, Et erexit cornu salutis in domo Dauid pueri sui, Luc.1.f.69. *Eleuatio mea.* Alii, Perfugium meum, vel Arx mea. Significat vox Hebræa משגב locũ editum & eleuatum in refugiũ. [m] Nã sicut ii qui infestãtur, locis sublimibus sese tuentur, sic se Propheta ad Deum velut sublimẽ quandã arcẽ in omnibus periculis cõfugisse dicit. [v] Vel, eleuatio mea, qui me extrahit & eripit è mediis hostibus. Multis verbis ac variis fatetur Deum esse protectorem suum. [f] Quare discamus eius exẽplo, quæcũque nos anxietates impetant, obiicere hos Dei titulos: imò nostræ memoriæ insideãt, vt quicquid timoris ingerat Satan, procul ab ingressu arceatur. Neque enim tantùm in malis præsentibus vacillamus, sed fingimus etiam nobis vana pericula in futurũ tempus, quæ frustra nos conturbent. Hinc etiam discimus, spem foueri præteritorum beneficiorũ quæ à Deo accepimus recordatione. Quare cogitandum nobis est, quoties ex malis quibusdã liberati fuerimus, Deum quoque in posterum fore protectorem nostrum.

4 *Laudatum inuocabo Iehouam, & ab inimicis meis seruabor.*

Laudatum. [y] Id est, celebrem vel laudatum, sub. à me, quum illi gratias ago. Alii vertunt, Laudabilem, vel laudandũ, id est omni laude dignissimum. [c] Sed vocat Deum laudatũ non modò quia dignus sit laude, sed vt significet preces suas laudibus mistas fore. Sic enim videtur exigere loci circũstantia, quòd de superioribus beneficiis gratias agens, eius opẽ nouis votis expetet. Et certè nisi qui gratiæ Dei memoria se eriget, nunquã liberè precabitur. Ideo Paulus hortatur fideles vt in omni precatione cum gratiarũ actione curas suas & petitiones deponãt in sinum Dei, Philip.4.a 6. Adde quòd obstrepunt Deo & expostulant quicunque laudem eius suis votis non coniungunt. *Inuocabo Iehouam.* [y] Possunt hæc futura verti per præsentia, Inuoco, (vel inuocare soleo) & ab inimicis meis seruor, vel seruari soleo. Alii per præteritũ imperfectũ, Inuocabã Iehouam, & ab inimicis meis seruabar. [c] Quanquam autem inuocatio Dei totum sæpe cultum comprehendit, quia tamen hic sequitur precationis effectus, dubium non est quin hic Dauid significet conferre se in fidem Dei, & salutem ab eo petere. Atque hoc spei testimonium subiicit: quia opem Dei imploret in necessitate quisquis in eo sperat. Pronuntiat igitur se saluum fore & omnium hostium victorem, quia ad Deum confugiet. ait enim, *Et ab inimicis meis seruabor.* [m] Significat Deum inuocantes se non spernere, sed eripere ac seruare. Quis enim sperauit in eo, & derelictus est?

5 *Circundederant me dolores mortis, & torrentes impietatis terrebant me.*

Circundederant me. [m] Quoniam inuocationis, inimicorum & liberationis versu præcedenti meminit, iam recto ordine & de periculis ac malitia inimicorum subiicit, vt doceat in quantis malis cõstitutus Dominum inuocauerit, & ex quantis periculis per illum ereptus sit. Faciũt enim ad amplificationẽ illorũ metaphoricæ illæ loquutiones, funes mortis, torrentes impietatis, funes sepulchri, laquei mortis: deinde & verba illa, Circundederant me, terrebant, occupabant me, & ipsa quoque ingeminatio harum vocum. His metaphoris exprimere voluit pericula illa è quibus ope Domini ereptus fuerit, non fuisse vulgaria & leuia, sed talia in quibus pereundum sibi fuisset, nisi diuina beneuolentia succurrisset. [c] Nec verò miru est, poeticè & splendido verborum ornatu amplificari quæ simplici & æquabili stylo describi poterant. nã Spiritus sanctus cũ malignis & prauis hominum ingeniis certare volens, Dauid in hic quasi hyperbolica facundia instruxit, quæ ad consideranda Dei beneficia mundum expergefaceret. Vix vllum est tam palpabile Dei auxilium quod non obscuret nostra malignitas. Ergo Dauid vt efficacius sensus nostros penetret, salutẽ sibi diuinitus allatam in toto mundi opificio conspicuam fuisse dicit. Hoc eius consilium tenendũ est, ne putemus in stylo altiore modũ excedere. Porro summa est, quũ iã redactus esset in vltimas angustias, cõfugisse ad opẽ Dei, & mirabiliter fuisse seruatum. *Dolores mortis.* [y] Funes mortis. [f] Nã חבלים vocant Hebræi vel funes, vel dolores, vel etiã quoduis exitiale malũ: quia hominẽ corrumpit ac tendit in eius interitũ. Vt Psalmus respondeat Cantico, aptè pro cõtritione accipitur: quia illic habetur משברי מות, quod nomen à Conterendo deductum est. Sed quia verbo Circundandi aptior erat metaphora sumpta à funibus vel laqueis, (acsi dixisset se mortis periculis fuisse vndique implicitum) hanc interpretationem libenter amplectimur. [i] Ac cogitemus sic exercitum vnicè dilectum Deo, & iuxta voluntatẽ eius formatum virũ, ne animũ despõdeamus siquando & nos aduersa premunt. *Et torrentes impietatis terrebant me.* Innuit his verbis violento impetu non secus ac naufragio se fuisse obrutũ. Ceterùm torrentes Belial vocat, quia in eũ cõspirauerant improbi homines ac peruersi. vel [y] torrẽtes Belial vocat multitudinẽ tribulationum quæ ab impiis infligũtur: quia vt aqua pereũt homines, quũ nõ possunt resistere, ita & multitudine tribulationũ. [i] Nã apud Hebræos nomẽ illud Belial latè patet: de etymologia nõ consentiũt interpretes. Quidã vertũt Absque iugo. Sed magis recepta opinio est cõpositũ esse ex בלי & יעל: quia nõ ascẽdũt impii, vel nõ proficiunt. Certè quoduis scelus detestabile hac voce designant Hebræi. vnde probabile est Dauidẽ ad suos hostes respexisse, qui impiè & scelestè exitiũ ei machinabãtur. Quanquã mortiferos torrẽtes exponere possumus. [b] Dici etiã potest quòd בליעל singulare pro plurali positũ est. nisi quis vim Satanæ agẽtẽ hostes Dauidis notatã hac voce putet. Nã & pro diabolo interdũ sumitur vt Iudic. 19.f.22, & 1.Sam.10.d.27, & Nahũ 1.d.14, & 2.Cor.6.c.15.

6 *Dolores sepulchri circundederant me, præuenerant me laquei mortis.*

Dolores sepulchri circundederant me. [c] Vel funes sepulchri. Nam & Obsidẽdi vel Cingendi verbo vtitur, & mox eodem sensu adiungit laqueos mortis. [m] Significat autẽ sic iam se velut in morte fuisse, vt haud dissimilis illis fuerit qui fasciis sepulchralib9 ad sepeliendũ ligantur. *Præuenerant me.* Anteuerterant me, occupauerant me. *Laquei mortis.* Significat insidias mortiferas. Q.d. Parũ aberat quin inciderẽ in insidias inimicorũ mortiferas: doli quibus Saul & eius socii mortẽ mihi intentabant, anticipauerãt me, & iã iam periturus erã, laqueis constitutus ante faciẽ meã. Hæc est periculi descriptio, quæ liberationis gloriã illustrat: quia quũ in tãtã desperationẽ coiect9 esset Dauid, humanit9 eripi nõ potuit. [m] Ergo his versib9 nihil aliud dicit quã fuisse se mortis periculis cõprehẽsũ, & ex illis diuina virtute ereptũ.

7 *In angustia mea inuocaui Iehouam, & ad Deum meum clamaui; & exaudiuit de templo suo vocem meam, & clamor meus coram eo intrauit in aures eius.*

In angustia mea inuocaui Iehouã. Per præsens vertere potes, Quũ est (vel erat) tribulatio. siue, dũ tribulatione premor. [f] Canit quò fugerit angustiatus, ad vnũ scilicet Deũ, quẽ intẽta prece implorauit. [c] Quòd autẽ in gurgitẽ mortis iã ferè demersus cor suum precib9 in cœlũ extulit, præclarũ raræ fidei testimoniũ fuit. Sciamus ergo tale speculũ nobis statui ante oculos, atque malorũ

cas

atrocitas nos à precando deterreat. Quòd autem fructũ hunc attulit precatio, hunc melius innotuit diuinitus esse liberatum. [m] Notandum etiam quòd angustiæ inuocationem subiicit. Sic natura comparati sumus vt pressi & angustiati liberationem quæramus, & alienum auxilium imploremus. Extra mẽtis angustias ægrè sincera & vera reperitur inuocatio, simulata verò passim & facillimè. *Et ad Deum meum clamaui.* [c] Dauid appellans Deum suum, se à crassis Dei contemptoribus vel hypocritis discernit, qui necessitate quidem coacti cæleste numen confusè inuocant, sed nec familiariter nec puro corde ad Deũ accedunt, de cuius paterna gratia nihil tenent. Vbi ergo prælucet fides, vt persuasi simus Deum nobis esse Patrem, tunc demum mutuæ communicationi aperta est ianua. [m] Admonemur ergo non solùm quem, nempe Dominum, sed & qua ratione Dominum inuocare debeamus: quòd videlicet Deus noster est. Inuocatio cultum Dei habet. Hunc suo quisque Deo debet. Deus verò communis omnium & singulorum quoque vnus est. Quòd si quisque suum Deum verè inuocaret, & vnus ac verus Deus solus inuocaretur ab omnibus. [c] Adde quòd Dauid Deũ à parte sua statuens, hostibus suis aduersum facit: quod ad commẽdationem pietatis eius pertinet. *Clamaui.* Clamandi verbo ardorem (vt alibi diximus) vehemẽsque studium denotat. [m] Sic qui in necessitatibus constituti, præ cordis angustia Deũ inuocando clamant: clamant autem nonnunquã voce: sicuti patet in Christo crucifixo, Matth. 27. e. 46. Aliquando non voce, sed affectibus, sicut Moses ad Dominum clamauit: ad quem Deus, Quid clamas ad me? Exod. 14. d. 15. quum tamẽ de nullo illius vocali clamore istic legatur. *Et exaudiuit de templo suo vocẽ meam.* [c] Per nomen tẽpli hoc loco non sanctuarium (vt alibi sæpe) sed cælum intelligitur. nam figura quam statim subiiciet, non posset sanctuario aptari. Sẽsus ergo est, quũ à mũdo desertus esset, ac surdæ essent omnium hominum aures, Deum è cælo manũ porrexisse. [a] De voce היכל vide suprà, 11. a. 4. *Et clamor meus coram eo. Sub effusus, intrauit in aures eius.* [m] Prædicat tãtam in Deo fuisse clementiam erga afflictum se & miserum, vt de ipso cælo vocem suã audierit, & clamor ipsius ad aures eius admissus fuerit. Et reuera non immeritò admiranda est hæc & stupenda cælestis regis clementia, qua clamores pauperum de summo cælo veluti regia sua benignissimus audit, si videas quàm grauatim miserorum subditorum querelæ ad aures principum suorum in terris perueniant. Deinde admonemur, quoties cælum ipsum cernimus, ipso suo aspectu tantumnon proclamare, orbem hunc vniuersum, cum omnibus regnis suis, cælestis regis subiectum esse imperio.

8 *Tum commota est & contremuit terra, & fundamenta montium mouerunt se, mouerunt se, inquam, quoniam iratus erat.*

Tum commota est & contremuit terra. [a] His versibus potentiam Dei canit, quam in tempestatibus declarat: de qua totus Psalmus 29 compositus est: septuagesimus quoque sub finem ferè eadem quæ præsens habet: similia quoque ad prædicãdam Dei potentiã memorantur Iob 37. a. 4. [c] Nam quia non poterat Dauid pro dignitate satis attollere quod expertus erat Dei auxilium, imaginem eius in cælo & terra depingit. acsi diceret tam fuisse visibile quàm manifestæ sunt mutationes quæ cælo & terræ diuersam faciem induunt. Nam si æquabilis & idem semper flueret rerum tenor, non ita sensibilis esset Dei potentia. vbi autẽ vel subito imbre vel tonitru vel procellis cælũ transformat, necesse est qui prius torpebant expergefieri: quarum inopinatæ vices Dei præsentiam melius ostẽdunt. Sereno quidem & tranquillo cælo planè conspicua est Dei maiestas: sed quia sensus suos ad eam reputandam non erigunt homines, donec propius descendat, Dauid, vt nos efficacius tangat, repentinas quibus percelli solemus mutationes enumerat, Deumque inducit nunc vestitum obscura nube, nunc procellis turbantẽ, nunc præcipiti ventorum impetu secantem medium aera nũc fulgurantem, nunc iaculantem grandines & fulmina. Summa huc redit, Deũ illum qui omnes mũdi partes sua virtute, quoties visum est, concutit, vbi Dauidi liberator adesse voluit, non minus apertè certisque indiciis apparuisse, quàm si virtutem suã sursum & deorsum in omnibus creaturis exeruisset. *Et contremuit terra.* [v] Terræmotum primò significat q. d. Fiebat terræmotus magnus, quo nihil magis formidabile apparet.

Et fundamenta montium mouerunt se. Et bases montium concussæ sunt, vel concutiebantur. id est commouebantur vehementissimè, vt hostes mei conspicerent tremendam Dei potestatem, quũ ferebat mihi suppetias. Alii, Trepidauerunt: agitauerunt sese. Fut. Hebræum pro præterito. Fundamenta montium concuti est montes radicitus & à fundamentis concuti. [m] Pro fundamentis montium in Cantico habetur cælorum fundamenta, eodem tamen sensu: nihil scilicet tam stabile vel firmum fuisse in mundo quod non trepidauerit, ac loco motum fuerit. Neque tamẽ (vt iam præfati sumus) hoc historicè refert

Dauid: sed istas similitudines adhibet dubitationis tollẽdæ causa, propter hominum socordiam, qui Deum non apprehendunt nisi in externis signis. Quòd enim hæc palam edita fuisse miracula quidam sentiunt, vix credibile est, quum in narranda eius vita Spiritus sanctus de his prorsus taceat. Nec verò hyperbolicus iste loquendi modus calumniis obnoxius esse potest, si nobis in mẽtem veniat nostra socordia, deinde etiã prauitas: sicuti nuper admonuimus. Dauid enim, qui longè oculatior & magis perspicax fuit vulgo hominum, quia apud tardos & hebetes simplici loquendi modo satis proficere non poterat, quam ipse fide & Spiritu senserat Dei potentiã, sub externis figuris describit. Certè minimè dubium est præsentissimum Dei numen certius apprehẽsum fuisse à Dauide quàm stupidũ hominũ vulgus. In terræmotibus, procellis, fulminibus, tristi cælorũ obductione, rapidis ventis manum Dei sentiat. Simul expendere conuenit, quantũuis mirabiliter testatam fecisset Deus gratiam suã in Dauide seruando, multos tamen putasse vel sua industria, vel fortunà, vel aliis naturalibus modis prosperè illi omnia cessisse. Nam talis stupor vel malitia eum coegit vt creaturas omnes testes aduocaret. *Quoniam iratus erat.* [v] Ad verbum, Quoniã iratus erat ei. Quidam volunt לו redundare, aut vertendũ verbũ tanquã nomẽ, Quoniã indignatio erat illi. Nisi quis velit pronomẽ istud referre ad inimicum. Quoniam erat iratus inimico meo, id est inimicis meis. Nã frequenter sine antecedente ponitur relatiuum. Alii vertũt, Quando indignatus est. [m] Innuit Propheta terræmotũ indicium habere iræ Dei, vtcũque disputent Physici de causis naturalibus quibus terra moueatur. [c] Porro prudenter & rectè quidã obseruant Dauidẽ in hac tota descriptione ad communem Ecclesiæ redemptionem alludere. Nam quũ tũc perpetuũ documentũ statuerit Deus vnde colligerẽt fideles salutis suæ esse vindicem, quæcunque postea vel publicè vel priuatim beneficia in populũ suũ cõtulit, primæ illius redẽptionis quasdã fuerũt veluti appẽdices. Ideo aliis quoque locis vt auxilia populo Dei diuinitus præstita commendet, illud tam memorabile specimen quasi archetypũ gratiæ Dei proponit. Et certè quũ eum extorrẽ à patria multi ludibrio haberẽt quasi abdicatũ à Dei familia, multi fremerent regnũ violenter fuisse ab eo raptum, chæc prima fuit ratio cur suæ salutis præsidiũ sub cõmuni populi liberatione includeret: acsi diceret se immeritò repudiari tanquã alienũ, quẽ Deus re ipsa probasset corã se nobile & eximiũ Ecclesiæ mẽbrũ cẽseri. Videmus enim vt Prophetæ, quoties spẽ salutis facere volunt populo, eũ ad primũ fœdus reuocẽt quod miraculis illis in Ægypto, in trãsitu maris rubri & in monte Sinai editis sancitũ fuerat. Terrã irato Deo tremuisse dicit impiorũ respectu. Sic enim sæpe loquitur Deus, se indignatione & zelo accensum pro asserẽda fideliũ salute arma induere.

9 *Ascendit fumus in nares eius, & ignis ex ore eius consumpsit, carbones succensi sunt ab eo.*

Ascendit fumus in nares eius. [v] Induit Deo personam irati hominis, qui fumũ spiret è naribus, ignẽ ex ore, vnde & accendantur carbones. אף Hebræis vel nasum vel nares propriè significat: sed quia metaphoricè interdũ pro iracundia capitur, quidã ita vertunt, Ascendit fumus in furore eius: sed parũ appositè. Nebulas enim & vapores quibus cælum obtenebrescit, Dauid crassiori fumo cõparat quem exhalant nares irati hominis. Atque hinc melius cognoscitur quàm formidabilis sit ira Dei, [illegible] tu suo cælũ obnubilat: solisque & stellarũ omniũ ful[illegible] auferens, tenebris nos opprimit. [m] Respicit ergo [illegible] initium tempestatis, quo dẽsæ nubes & caliginosæ [illegible] menti flatu exurgunt. *Et ignis ex ore eius consumpsit.* [illegible] eius egrediens absumit, sub. omnia. Futurũ Hebr. pro præsenti. Significat Deũ absque maiore conatu, simulac flatũ emiserit è naribus, & os aperuerit, ignẽ excitaturum qui fumo suo totum mundum obscuret, deinde ardore deuoret. Nam quod addit, *Carbones succensi sunt ab eo,* ad distinctionẽ euanidæ flammæ valet. [m] Per ignem ergo & carbones intelligit fulgetra & fulmina. [v] Nã fulmina ignes sunt in nubibus excitati: & carbones tela illa sunt fulminea quæ cælitus vibrãtur. [v] Describit habitum aeris turbulenti.

10 *Et inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.*

Et inclinauit cælos. [v] Et demisit siue demittebat cælũ, id est nubes. Videtur enim, quũ eiusmodi excitat tempestates, demittere cælũ in terrã, vt illic appareant miracula eius. Proinde cælorũ inclinatio tempus obnubilum designat. Nam vbi densi vapores medium aerem occupant, videntur nubes capitibus nostris incũbere: neque id solùm, sed Dei maiestas propiore accessu nobis horrorẽ incutit, & anxietate constringit, qui sereno cælo latẽ effusi eramus in lætitiam. [m] Adde quòd hac loquendi forma festinã Dei properationem ad sumẽdas de impiis pœnas Propheta significat. Demitti siquidem cælum ipsum videtur, & vnã cũ irato Deo ad terras inclinare videtur, quando obnubilatum

montium cacumina occupat, & terram prope cōtingere videtur. Cæterùm meminerimus sub cæli caligine iram Dei nobis depingi: quia sicuti pura luce iucunda Dei facies nos exhilarat, ita cælo turbido, quasi minacibus superciliis in nos rueret, frōtem contrahere præ tristitia cogimur. Interea monemur, nullā in cælo vel terra mutationem fieri quæ Dei præsentiæ non sit testis. *Et caligo sub pedibus eius.* Ne scilicet agnosceretur.

11 *Et equitauit super cherub, & uolauit, uolauit (inquam) super pennas uentorum.*

Et equitauit super Cherub. Per hæc celeritatem auxilii diuini intelligit. q.d. Velocissimè venit vt mihi ferret auxiliū. Nam quemadmodum in nubibus & aeris cōtractione signū Iræ Dei nobis depinxit, acsi fumum è naribus efflaret, ac minitabūdus descenderet ad homines terribili virtutis suæ mole vrgendos: item in fulguribus & fulgetris ignem flammātem ab ore eius exire dixit: ita nunc super ventos & turbines equitantem inducit, vt celeri cursu vel pernici volatu potius totum orbem perlustret. Sic Deus tribuit ventum vice currus, & vento tribuit alas. Similis descriptio habetur infrà, 104.a.3: vbi Deus dicitus vehi super alas ventorum, & illos quaquauersum vt celeres nuntios emittere. Solent verò & profani poetæ ventis alas affingere. habent siquidem hæc energiam quandam ad mouendum rudiorum hominū animos, quum similitudine aliqua rerum sensibilium proponuntur. Cæterùm Propheta non simpliciter Deum facit ventorum moderatorē, & qui sua virtute eos impellat, sed simul dicit equitare super Cherub: vt sciamus ipsos ventorum impetus eius mandato per Angelos gubernari. Scimus enim sub figura Cherubim repræsentatos fuisse Angelos. Itaque dubium non est quin Dauidis consiliū fuerit ad arcā fœderis alludere. Sic enim Dei potentiam in naturæ miraculis hic spectandam proponit vt tamen à templo non recedat, vbi sciebat peculiari modo Deum se filiis Abrahæ patefecisse. Non igitur Deum mundi opificem solummodo celebrat, sed qui cum Israele fœdus pepigit, sibique in medio eius elegit sacrum domicilium. Poterat enim suo nomine vocare Angelos: sed cōsultò visibile arcæ symbolum posuit, vt fideles ad templi cultum animos referrent. Notandum est etiā Cherub singulari numero poni pro plurali. Sunt qui Cherub volucrem exponāt. vnde imagines illæ quas Scriptura Cherubim vocat, quæ erant supra propitiatorium, alas habebant. Sed satis notū est Angelos hac voce significari.

12 *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitibus eius tabernaculum eius, tenebrositat aquarum, nubes cælorum.*

Posuit tenebras latibulum suum. Includit Deum tenebris, obscuris aquis ac densis nubibus, veluti regē turmis satellitū stipatū ac cinctū. *In circuitibus eius tabernaculum eius.* Circū se tabernaculū suum, tenebras aquarū, crassiores nubes. sub. posuit. q.d. Circunfundens vndique tabernaculo suo obscuras aquas, densas nubes. Alii, In circuitu suo tabernaculū suum (sub. constituit) tenebrositatē aquarū, & nubes cæli aut ætheris. Pro Nubes cæli, vertere potes Densitates nubium. Tabernaculū Dei dicit esse atras & dēsas nubes. In Cantico, 2. Sam. 22. b. 12, pro Tenebris, siue tenebrositates aquarū, legitur Colligationes. colligatione enim nubiū inter sese, ob illarū multitudinem, quia sunt plenæ aqua, tenebrescit terra. Repetitio autē est superioris sententiæ aliis verbis, quòd scilicet Deus tenebris aerē obducens homines quodammodo prohibeat à sui conspectu, perinde ac rex quispiam populo insensus in recessum & latebras sese abdit. Falluntur enim qui generaliter hunc versum trahūt ad profundam arcanam Dei gloriam, acsi Dauid humanæ curiositatis audaciā cohibere volens, Deum latere in tenebris diceret. Habitat quidē Deus lucē inaccessam: (1. Timot. 6. d. 16) sed dubium non est quin hæc loquutio ad loci præsentis circunstantiam restringi debeat, ex quem attulimus sensu.

13 *Præ fulgore qui erat coram eo nubes eius transierunt, grando & carbones ignis.*

Præ fulgore qui erat coram eo. A splendore coram eo. id est, à splendido conspectu eius, profectæ sunt nubes cōtra inimicos. Nunc velut ipsum conflictum Dei cum hostibus describit, micantia fulgura, sonitus bombardarū, telàque ignea cōmemorans. *Nubes eius transierunt.* Iterum redit ad fulgetra quæ discussis nubibus cælum aperiūt. ideóque dicit nubes Dei (hoc est quas sibi opposuerat in signum iræ, vt luce vultus sui priuaret homines) transisse præ fulgore eius, vel à fulgore. Nam subitæ istæ mutationes vehementiore potentiæ Dei sensu nos afficiunt. In secundo Samuelis pro hoc legimus, Succensi sunt carbones ignis. *Grando & carbones ignis.* Id est, & fulmina ignita. periphrasis fulminis. Addit grandinē subsequutā esse cū carbonibus ignis. Nam quū scindūtur nubes tonitru, vel erūpunt fulmina, vel nubes se in grandinem resoluūt. Itaque hæc omnia pertinent ad descriptionē tempestatis: perinde acsi diceret, A splendore gloriæ (ità vertit Chaldæus paraphrastes) id est à splendido conspectu eius, egrediuntur nubes, in quibus generantur fulmina, quibus perduntur impii.

14 *Et intonuit in cælis Iehoua, & altissimus dedit uocem suam: grandinem & carbones ignis.*

Et intonuit in cælis Iehoua. Idem aliis verbis inculcat, Deum è cælo tonuisse. *Et altissimus dedit uocem suam.* Strepitum suum. Appellat ipsum sonitum vocem Dei, ne putemus vel fortuitò vel naturalibus causis gigni absque cælesti imperio. Vidēt quidem philosophi medias vel inferiores causas, nēpe vbi frigidi & humidi vapores siccis & calidis exhalationibus in sublime tēdentibus viam claudunt, ex conflictu atque etiam nubium fragore sonitum excitari: sed Dauid supra meteore spiritu conscēdens, Deum præsidem statuit, qui suo iussu penetret in abditas terræ venas, ac inde educat exhalationes, deinde in species distribuens per aerē spargat, conglomeret inde vapores, eósque cum raris & siccis caloribus in pugnā cōmittat, quasi vocē ipse mitteret ex ore suo. Hanc repetitionem Canticum prosequitur sensus tamen per omnia conuenit. *Grando & carbones ignis.* Fulmina intelligit. subinde enim in magnis tempestatibus fulgura micant, fulmina afflantur, & grando repetitis vicibus ingruit. Carbones ignis quidā tela ignea vertunt, eo quòd fulmina ipsi ignes propriè dicantur, qui cælitus decidunt incenso flatu, qui quum in nube luctatur, eduntur tonitrua. Emphasim verò habet & illa orationis cōcisio, quòd bis sine coniūctione dicit, Grando & carbones ignis. Attoniti animi affectū ita expressit. Tenēdum verò est quod prius diximus, Dauidē sub his figuris terribilē Dei potentiam nobis describere, quò gratiam eius in sua liberatione melius illustret.

15 *Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: & fulgura iecit, & perdidit eos.*

Et misit sagittas suas. Id est grandinē & tela ignita, siue fulgetra. *Et dissipauit eos.* Et confregit, vel dispersit eos, id est hostes suos. Dauid iam consilium suū exponit, quū hostes suos scribit fuisse dissipatos sagittis Dei: acsi diceret non manibus hominū vel gladiis fuisse prostratos, sed Deū in ipsos palā fulminasse: nō quòd rē ita fuisse gestā historicè afferat. sed quia rudes & maligni aliter adduci nō poterant vt Deo sentirēt esse eius liberatos. Acsi diceret, Deū è cælo tonare negēt, ac in toto naturæ ordine, præsertim verò in mirādis vicibus, potētiā eius aboleant quicūque nō agnoscūt eius manu me fuisse seruatū. Quia autē fulgura Deus tanquā sagittas iaculatur, metaphorā priore loco posuit: deinde rem expressit suo nomine, dicens, *Et fulgura iecit.* His grandinē & tela cælestia intellexit. *Et perdidit eos.* Hoc est dispersit, & consternatos reddidit hostes Dauidis: quos relatiuis, quū tamē nomina eorū nō præmiserit, ad indicādum animi sui affectum, designauit: sicut suprà, 16. a. 4 & alibi fecit. Circa quæ enim magno affectu animi occupatur, nūquā satis solēt explicare, putātes nō posse latēre alios in quib' ipsi sunt toti.

16 *Et apparuerunt profunda aquarum, & discooperta sunt fundamenta orbis, propter increpationem tuam ô Iehoua, propter flatum uenti iræ tuæ.*

Et apparuerunt profunda aquarum. Effusiones, vada, aluei, fundū. Chaldæus paraphrastes, Profunditates. Id est, increpante Iehoua & insufflante, aluei per quos fluuii rapidissimè decurrere solent, cōspicui facti sunt. Hos alueos atque voragines & abyssos aquarum vocat fundamenta orbis, propter altitudinem eorum. Hoc versu haud dubiè ad miraculū in transitu maris rubri editū alludit: quo cōsilio id fiat prius admonuimus. Nā quia specialibus beneficiis, quæcunque olim Deus in singulos Abrahæ filios contulit, fœdus suū semel cū toto populo sancitū subinde reuocauit in memoriā, vt de cōtinua eius gratia certò persuasi essent, atque vna liberatio specimen illis vel pignus esset perpetuæ salutis: Dauid opportunè auxilium sibi priuatim è cælis oblatū cum illa antiqua Ecclesiæ redemptione coniungit. Quia enim gratia illa quam sibi exhibitam fuisse prædicat, à prima redemptione non erat separanda, quū pars eius & appendix esset, quasi vno momento & miraculum siccati maris rubri & auxilium sibi præstitum intuetur. Summa est, Deum, qui semel viā per mare suis patefecit, & hac lege se vindicē eorū ostēdit vt confiderent sub eius custodia perpetuò se fore incolumes, iam rursus in vno homine seruando admirabilē suā virtutē exeruisse, vt antiquæ illius historiæ memoriā renouaret. Vnde melius liquet Dauidē in his hyperbolis nō poeticè fabulari, sed methodū fidelibus à Deo præscriptā tenere. Simul etiā notanda est illa ratio quæ ad amplificandam Dei gratiam eum coegit, quòd maior pars populi eā clausis oculis præteriret, siue malitia siue stupore. Nomen Hebraicum אֲפִיקֵי, quod quidam Gurgites vertunt, propriè alueos significat: sed minimè ambiguum est est quin hoc loco significet Dauid ipsas aquarum scaturigines fuisse conspicuas, atque ita potuisse discerni vnde fluminibus ad continuum cursum inexhausta vis & copia aquarum sup-

petat. [y] Nam vt præclaram & præpotentem latam sibi Dei contra hostes opem & illorum deiectionem prædicaret, inducit Deum increpatione & spiritu suo tota exhausisse & siccasse flumina, vt alvei, qui semper aquis tecti sunt, iam, absorpta omni aqua, viderentur. *Propter increpationem tuam ô Iehoua.* [z] Mira hic est diuinæ potentiæ amplificatio. Cui enim ad verbum cedunt flumina, eum potentissimum esse oportet. Vnde dicebant illi de Domino seruatore, Quis est hic, cui ventus paret & mare? Matth. 8.d.27. Eadem allegoria vtitur Dauid quum alibi dicit, Increpauit mare rubrum, & exiccatum est, Infrà, 106.b.9. *Propter flatum venti iræ tuæ.* [x] Ab expiratione flatus naris tuæ. Singulare pro plurali, narium. Id est, Quum præ ira spiritum quendam per nares emittis. [b] In hoc verò præterquam quòd maior est diuinæ potentiæ auxesis, etiam allusio est ad desiccationem maris rubri. Nam scriptum est, quum Deus suis vellet iter dare per sinum Arabicũ, immisisse ventum Orientalem prævalidum, qui perflans tota nocte, maris partem exiccaret, ac velut scinderet, Exod. 14.e.21. Sic Psaltes in præsentiarum canit Deum iratum hostibus suis, sustulisse eos tam facilè quã spiritu suo sustulit vna nocte aquas maris rubri. [c] Qua de re plura paulo antè diximus.

17 *Misit de summo, apprehendit me, [atque] extraxit me de aquis multis.*

Misit de summo, apprehendit me, [x] Misit de excelso, vel è sublimi, sub. auxilium. Hic breuiter tam splendidæ narrationis finis ostenditur: nempe vt sciamus Dauidem ex profundis abyssis non propria industria, neque etiam hominum opibus emersisse, sed Dei manu fuisse extractum. Dicitur enim Deus è sublimi auxilium mittere, vbi mirabiliter & modis insolitis nos seruat: atque ita hæc missio terrenis subsidiis opponitur, quibus perperam solemus mentes nostras affigere. Potest quidem hoc de Angelis exponi: latius tamẽ extenditur: quia quibuscũque seruiamur modis, Deus creaturas suas, quæ præsto sunt ad eius nutum, nobis destinat, easque ad opem nobis ferendam accingit. Cæterum licet à cælo proficiscatur quoduis auxilii genus, non immeritò Dauid manum sibi ab excelso fuisse porrectam affirmat, vt beneficiũ hoc incredibile aliis magis communibus κατ' ἐξοχὴν præferat. Est enim tacita comparatio inter hanc virtutem insolitam & alios vulgares ac quotidianos iuuandi modos. Interea cogitemus Deum non agere in cælis otiosum, sed suorum curam gerere, ac illis è sublimi opem ferre. Neque enim propter sedis suæ sublimitatem eos despicit qui in terris afflicti ad ipsum clamant. *Extraxit me de aquis multis.* [y] Hoc est, eripuit me a grauissimis periculis, quæ significant aquæ multæ, id est vehemẽtes. [z] Nam est metaphorica loquutio. Hostium enim sæuitiam rapidis torrentibus similem faciens, quibus centies absorberi poterat, periculi magnitudinem clariùs exprimit, acsi diceret se ex alio naufragio præter spem fuisse ereptum. [a] Consimile est illud, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, Infrà, 69.2.

18 *Eripuit me ab inimico meo forti, & ab odio habentibus me: quoniam robustiores erant me.*

Eripuit me ab inimico meo forti. [c] Nunc rem ipsam absque figura simpliciter narrat, quòd scilicet liberatus fuerit ab hoste robusto, qui eum capitaliter oderat ac persequebatur. Nam inde cõmendat Dei potentiam, quòd nullæ hominum vires obstiterint quominus salutem in vltima desperatione afferret. *Ab odio habentibus me.* [a] Ne vnum hostem duntaxat habuisse videretur, plures hac particula designat, qui fuerunt velut aquæ prævalidæ, à quibus se canit diuina manu extractum. *Quoniam robustiores erant me.* [c] Quia particula כי apud Hebræos vt plurimũ causalis est, in hanc ferè sententiam conueniunt interpretes, Mihi Deus ex alto succurrit, quia magis inualuerant hostes quàm vt sperandum quicquam esset ab hominibus. Vnde etiã colligitur vtilis doctrina, tunc maximè opportunũ esse à Deo tempus ad suos iuuandos, quum sustinendis hostibus sunt impares, imò fracti & afflicti eorum violentiæ succumbunt: non secus acsi naufragus spe natandi amissa in profundum raperetur. Posset tamen etiam aduersatiuè exponi, quamuis superior esset hostis, Dauidem fuisse nihilominus seruatũ. [m] Ergo vniuersam omnium huius seculi principum potentiam ad vnam huiusmodi potestatẽ conferamus, & euanescet planè quicquid hic mundus admiratur. Simul cauendum nobis est ne sic odia potentum huius seculi declinemus & metuamus, vt illorũ gratia contra Dominum peccemus: sed spe auxilii diuini inimicitiam illorũ, si aliter cum Domino fieri nequeat, magno animo sustineamus, memores sententiæ Apostoli dicentis, Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis: imò faciet vnà cũ tẽtatione euentũ, quò possitis sufferre, 1. Cor. 10. c. 13.

19 *Præuenerant me in die calamitatis meæ, & fuit Iehoua baculus mihi.*

Præuenerant me in die contritionis. [y] Præuerterant me die vastationis meæ, perditionis, calamitatis, id est, irruerant in me incautum & nihil tale cogitantem, atque oppresserant oppressione repentina, tempore quo calamitate afficiebar, quum iam accisæ essent res meæ. [c] Aliis verbis cõfirmat proximam sententiam, quia suffultus fuerit Dei auxilio, vbi iam nulla euasio erat. Vndique enim se fuisse circumuentum refert, neque id vulgari obsidione, sed vt hostes miserum vrgendo affligerent. Ex qua circunstantia melius apparet nonnisi Dei auxilio à periculis fuisse ereptum. [m] Videtur autem respicere ad ea quæ 1. Sam. 22.a.1, & 23.d.28 legimus. *Et fuit Iehoua baculus mihi.* [o] Fulcrũ, sustentaculum, firmamentum. Ad verbum, In baculum. Q. d. Adeo erã in summa vitæ meæ desperatione, adeo obruerant me mihique præualuerãt inimici mei potentissimi, vt actum planè fuisset de salute mea, nisi cælitus diuinum affulsisset auxilium. Videmus hic Dauidem infirmitatem suam agnoscere. Nam metaphora eorũ vtitur qui quoniam infirmi sunt, per seipsos subsistere non possunt, ideóque robusto aliquo & firmo sustentaculo innituntur. Huc etiam facit quòd versu præcedenti inimicorum suorũ potentiam agnoscens, robustiores se appellabat. Sic pii infirmitatem suam & aduersariorum vires ad hoc confitentur, vt Deo hanc gloriam tribuant, quòd ipsos sustentauerit.

20 *Et eduxit me in latitudinem: eruit me, quoniam complacuit sibi in me.*

Et eduxit me in latitudinem. [m] Idem rursus alia metaphora vsus canit, sumpta ab illis quibus omnia facta sunt angusta, nec quicquam est securitatis: vel ab illis qui iam in manibus hostiũ cõclusi videntur: quale erat quod filiis Israel Exod. 14 a.3 accidisse legitur, & quod Dauidi contigit, quum in modum coronæ cinctus esset a Saule & eius satellitibus, 1. Sam. 23.d 26. è qua angustia ope diuina eductus fuit, per hoc quòd Philistæis in Iudæam irruentibus, Saulis exercitus ab insequendo ipsum necessariò reuocatus fuit. Dicit igitur, [y] Eduxit me, sub. de angustiis in locũ spatiosum, hoc est, depulsa omni tristitia perfudit me gaudio, quod animum laxare solet. *Eruit me.* Multis verbis prædicat suam liberationem q.d. [a] Solius Dei manu ereptus & in latitudinẽ eductus sum. [c] Vnde enim iam subita à morte in vitã restitutio, nisi quia Deus testari voluit penes se esse exitus mortis? [a] sicuti habetur infrà, 68.e.21. [m] Rectè ergo pii trahuntur interdum in angustias, vt inde liberati securè ac liberè latitudinis beneficium diuinitus datum agnoscant ac prædicent. *Quoniam complacuit sibi in me.* [y] Complacitum erat illi in me. Alii, Dilexit me, vel bene volebat mihi, aut fauebat mihi. [c] Causam liberationis nunc dicit non aliam fuisse quàm merum Dei beneplacitum, vt tota & solida laus penes ipsum resideat. [a] Vt nãque perstet Dei propositum secundum electionem, non ex operibus, (vt Paulus inquit Rom. 9.c.11) prima omnium beneficiorũ Dei causa est vltronea eius beneuolentia: iuxta illud, Fauebo cui fauero, & miserebor cuius fuero misertus, Exod. 33.d.19. Beneplaciti verò meminit hic Dauid, ad vocationem suam respiciens. In hoc enim præcipuè incubuit, certamina quibus agitatus fuerat, non aliunde fuisse excitata nisi quòd paruerat Deo vocanti, eiusque oraculum obedienter amplexus fuerat. Ambitiosi enim & turbulenti homines, qui sua cupiditate præcipites ad [illegible] audendum feruntur, sibique temerè pericula accersunt, [illegible] uis strenuè & animosè luctando sæpe votis potiantur, [illegible] citer tamen ad extremum concidũt: quia indigni [illegible] cia Deus, quum ipsi insanas moles sine vocationis [illegible] to in cælum efferant. In summa, testatur Dauid sib[illegible] per fuisse opem Dei, quia non sponte se ingesserat: sed [illegible] tui fortuna contentus foret, libentérque in caulis ouium vel patris tugurio lateret, vnctus fuerat manu Samuelis: quod gratuitæ electionis Dei symbolum erat. [m] Interea monemus nihil propriis meritis tribuere, sed omnia liberrimo fauori diligentis nos Dei.

21 *Retribuit mihi Iehoua secundum iustitiam meam, secundum puritatem manuum mearum reddidit mihi.*

Retribuit mihi Iehoua secundum iustitiam meam. [m] Græcus & vulgata reddiderunt in futuro, Retribuet, reddet, sicuti versu 25, Et reddet Dominus mihi secundum iustitiam meam, &c. [b] Dauid innocentiam suam & iustitiæ studium piè prædicat, quò in se ostendat Deum iustitiæ studiosos haudquaquam deserere, & in tempore optatam mercedem rependere. [c] Videri tamen posset primo intuitu secum pugnare. Nam qui nuper Dei beneplacito omnia accepta retulit, nũc sibi iustam mercedem rep[illegible]sam fuisse iactat. Verùm si tenemus in quem finem hæc suæ integritatis elogia subiungat Dei beneplacito, facilis erit vtriusque sententiæ consensus. Prius testatus est se nonnisi Deo duce venisse in spem regni, neque hominum suffragiis fuisse euectum, vel proprio motu prorupisse, sed quoniam ita Deo placuerat. nunc secundo loco addit se fidele obsequium præbuisse

Deo, vt nunquam ab eius nutu deflexerit. Vtrunque enim fuit necessarium: vt gratis Dauidem suo fauore præueniret Deus, ipsumque regem eligeret: Dauid autem vicissim obedienter & pura conscientia regnum sibi diuinitus oblatum susciperet: deinde, quicquid tentarent impii ad labefactandam eius fidem, constanter teneret rectum vocationis suæ cursum. Nunc videmus adeo nihil esse dissidii inter duas istas sententias, vt aptissimè inter se respondeant. Dauid hic Deum velut agonothetam statuit, cuius auspiciis & ductu productus fuerit ad obeunda certamina. Hoc verò ab electione pendet: quia fauore suo eum complexus regem creauerat. Postea addit, se iniunctas sibi partes quo debuit obsequio ad finem vsque obiisse. Non mirum ergo si Deus athletam suum, quem ipse vltro asciuerat, & quem videbat bona fide officio defunctum, præsidio suo tutatus sit, atque etiam apertis miraculis testatus sit eius se esse vindicem. Nec verò hic captandæ laudis causa inanem iactantiam effutiuit: sed per os eius vtilem nobis doctrinam dictare voluit Spiritus, nunquam defore nobis auxilium Dei, modò nobis constet vocationis nostræ ratio, nec quicquam iniussu eius tentemus. Interim quoque illud fixum maneat, initium recti cursus esse beneplacitum quo nos Deus adoptat, & vocationem qua nos vltro præuenit. Adhuc tamen restat vna quæstio. Nam si Deus mercedem iustitiæ rependit, videtur, vt quisque promeritus est, ita in quenque esse liberalis. Respondemus, mercedis nomine non ostendi quid Deus nobis debeat: ideóque perperam & falsò meritum vel operum dignitatem ex eo colligi. Sic enim Deus iustus iudex cuique retribuit secundum sua opera, vt tamen omnes sibi teneat obnoxios, nemini verò sit ipse astrictus. Ratio est non ea solùm quam Augustinus reddit, nullam eum iustitiam in nobis inuenire cui præmium reddat, nisi quam gratis donauit: sed etiam quia operum nostrorum maculis ignoscens, in iustitiam imputat quod iure respuere posset. Quòd si nihil operum nostrorum absque venia Deo placet, sequitur non meriti sed indulgentiæ esse mercedem. Cæterùm hic specialis notanda est ratio. Neque enim hic Dauid quasi legitima iustitia fretus coram Deo se ingerit: sed studium suum, quod Deo probari sciebat, contra impias hostium calumnias asserere volens, arbitrium defert ipsi Deo. Scimus enim quàm indignè falsa inuidia grauatus fuerit. Neque verò tam eius fama probris istis impetebatur quàm communis totius Ecclesiæ salus. Quamuis enim Saulem priuatus dolor in rabiem ageret, aliique omnes vt regi nauarent operam, acriter & violento impetu contra Dauidem ruerent: minimè tamen dubium est, Satanæ impulsu regnum tantopere fuisse oppugnatum: quia in vnius hominis persona Deus spem publicæ salutis posuerat. Hæc ratio est cur tam solicitè & vehementer contendat Dauid in asserenda causæ suæ iustitia. Porro vbi ad tribunal Dei cum hostibus suis litigat, non agitur de tota vita, sed de certa causa. Tenendus ergo est disceptationis status, quòd Dauidem scilicet multis criminibus onerabant, primùm defectionis & perfidiæ, quia à rege & socero suo desciuerat: deinde latrocinii, acsi instar prædonis regnum occupasset: seditionis etiam, quasi tranquillum regni statum turbasset: postremò crudelitatis & multorum scelerum, quasi causam dedisset cædibus, & [illegible] illicitis artibus conspirationem suam prosequutus [illegible] ipse autem coram Deo suam innocentiam tueri volens, af[illegible] se integrè & sincerè in hac causa fuisse versatum: quia ne[illegible]us sit quicquam præter Dei mandatum, & quicquid [illegible] hostes, se tamen intra suas metas continuerit. Hinc [illegible]ur, Deum hominibus propitium esse prout dignos [illegible] iudicat: quia tantùm hic asseritur causæ bonitas contra impi[illegible]os calumniatores, non autem in examen vocatur tota hominis vita, vt gratiam quis obtineat, iustúsque censeatur. In summa, Dauid ab effectu colligit suam causam placuisse Deo: non quòd vna victoria perpetuum sit bonæ causæ signum: sed quia manifestis signis auxilii sui ostenderit Deus se stare à parte Dauidis. *Secundum puritatem manuum mearum reddidit mihi.* Rem eandem pro more suo bis canit, nisi quòd iustitiæ dictionem, de qua loquutus, per puritatem manuum nonnihil explicat. Genus enim est iustitia, ad cuius species pertinet manuum puritas, id est vitæ & actuum innocentia.

22 *Quia custodiui vias Iehouæ, & non impiè egi à Deo meo.*

Quia custodiui vias Iehouæ. [V] Obseruaui, obseruaueram vias Iehouæ. Sic vocat præcepta. Id est, quia totus fui in operibus quæ Deo probantur. [C] De puritate manuum suarum loquutus erat, quia tamen videbat peruersa Dei iudicia fieri, vias Domini se seruasse affirmans, prouocat quodammodo ad eius tribunal. Solent idem confidenter iactare hypocritæ: imò nihil illis promptius est quàm per lusum obtendere sacrum Dei nomen. sed Dauid nihil in medium profert quod non re ipsa compertum esset hominibus, siqua viguisset inter ipsos æquitas. Quare eius exemplo danda in primis opera est vt nobis bene conscii simus: accedat deinde hæc magnanimitas, vt spretis hominum falsis iudiciis, vindicem nostrum in cælo quæramus. *Et non impiè egi à Deo meo.* [V] Sub. discedendo. Nec vt impius recessi à Deo meo. vel, nec impiè defeceram, aut improbè egeram. id est, neque per improbitatem defeci à Deo meo. vel, neque impiè sentiens de Deo meo, ab illo defeci. [C] Dicit se non impiè defecisse à Deo, quia semper ad metam vocationis suæ rectà tendebat, quamuis multa impii ad euertendam eius fidem machinarentur. Verbum enim quo vtitur, non lapsum vnum denotat, sed defectionem quæ hominem à Deo prorsus alienat. Quamuis autem Dauid pro carnis infirmitate interdum deliquerit, nunquam tamen recessit à studio pietatis, vel mandatam sibi militiam deseruit. [M] Interea admonemur hic, impietatem esse & defectionem à Deo siquis nulla teneatur viarum, iudiciorum ac statutorum Dei obseruantia. Debet quisque Deo summum obseruantiæ studium, tanquam suo Deo. Huius contemptus rectè impiæ defectionis loco habetur.

23 *Quoniam omnia iudicia eius coram me, & statuta eius non submoui à me.*

Quoniam omnia iudicia. [V] Instituta eius, decreta eius. [M] Intelligit expressa Dei placita quæ populo suo præscripsit, siue illa sint iudicia, siue moralia, (vt vocant) siue ceremonialia. Iam ostendit vnde illa rectè agendi inflexibilis constantia inter tot grauissimas tentationes, quia scilicet mentem suam retulerit ad Dei Legem. Sicuti enim nouos assiduè insultus nobis mouet Satan, ita etiam ad arma confugere necesse est. arma autem nobis suppeditat diuinæ Legis meditatio. [C] Præsenti animo, inquit, semper intueor quid præceperit Deus, quid ei probetur: & huic tum vitam tum mores conformo. [C] Discant igitur quibus cordi est integritas, se in verbi Dei studio quotidie exercere. simul enim ac negligitur doctrina, facilè socordia obrepit, & euanescit omnis Dei timor. [A] Quare non immeritò beatum illum pronuntiauit Vates qui in Lege Dei die ac nocte meditaretur, Suprà, 1. a. 2. *Et statuta eius non submoui à me.* [V] Non reieci à me. In secundo Samuelis legitur, Non recedam ab eo. [C] Porro inter iudicia & edicta subtilius hic non distinguimus: si cui tamen libeat ponere discrimen, iudicia ad secundam Legis tabulam referre conueniet: statuta autem, quæ Hebræis חקים vocantur, de cultu pietatis accipere. [M] Notandum autem est, sinceros non esse in custodiam mandatorum Dei qui partem illorum, quam obseruent, deligunt, reliqua negligunt. Qui enim in vno offendit, omnium reus est, Iacob 2. b. 10.

24 *Et fui perfectus cum eo, & seruaui me ab iniquitate mea.*

Et fui perfectus cum eo. [V] Immaculatus, sincerus, integer. id est, præstiti me illi semper integrum. [B] Qui Legibus Dei seriò studet, is se sincerum Deo præstat: quod hic Dauid de se canit. Fœdere quod icit Deus cum suis, pollicetur illis paternam curam atque prospectionem: & vicissim stipulatur ab illis vt se colant, & præceptis suis studeant. In his qui sincero animo & diligenti studio fuerit, is תמים, id est integer & inculpatus cum eo versatur, & bona fide fœdus seruat. Id poscebat Dominus ab Abraham, quum dicebat ei, Ego Dominus omnipotens: versare coram me, & esto תמים, id est integer, innocens, sincerus. Adhæc, quod prius admonuimus, quia iniustè se Dauid damnari ab hominibus videbat, Deum sibi ferre iudicem hinc clarius patet, quum dicit se fuisse integrum cum eo. Sicquidem de sanctis aliquando Scriptura loquitur, vt eos ab hypocritis discernat, quibus satis est externam ceremoniarum laruam præferre. sed hoc loco Dauid ad refutandos sinistros rumores securè Deum appellat: acsi diceret se iniquas calumnias nihil morari, modò coram Deo sit integer, cuius iudicium nulli maligni & præposteri affectus peruertunt. Porro integritas quam sibi asserit, non perfectio est, sed sinceritas, quæ simulationi opponitur: quod etiam ex proximo membro licet colligere, vbi dicit, *Et seruaui me ab iniquitate mea.* Tacitè enim fatetur se non ita à vitiosis affectibus purum fuisse & immunem, quin sæpe hostium improbitas eum pungeret. Intestinum igitur ei bellum fuit cum multis tentationibus: quia (vt homo erat) fieri non potuit quin multas carnis punctiones sentiret. Sed hæc fuit virtutis eius probatio, manum sibi inicere, & quicquid sciebat verbo Dei aduersum cohibere. Neque enim quisquam in pietatis studio perget, nisi qui sedulò se custodiet ab iniquitate sua. Nam hæc piis omnibus proposita est militia, vt sedulò caueant ne in ipsis regnet peccatum, vt obediant illi per cupiditates eius, Rom. 6 b. 12.

25 *Et reddidit Iehoua mihi secundum iustitiam meam, secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.*

Et reddidit Iehoua mihi secundum. Repetit idipsum quod versu 21 dixerat, [M] Deum suæ innocentiæ rationem habuisse, & pro iustitia sua sibi rependisse. Et, vt ostendat ista secum conscientia veritatis

etiam

absque omni fictione teste Deo dicere, adiicit, *Coram oculis suis.* In quibus verbis non obscura antithesis apparet inter Dei oculos & confusum vel malignum mundi intuitū. Q. d. Quicquid de me Saul & omnes alii inimici mei senserint ac sparserint, hoc vnum mihi sufficit, innocentiam meam & integritatem notam fuisse oculis Dei.[a] Porro hæc omnia Vates de se quoad studiū & conatum piè & inculpatè viuendi cecinit, non quoad actus singulos. Homo fuit, & in carne sua nihil boni deprehēdit. quare & in ipso lex membrorum (de qua Paulus Rom. 7. d. 23) legi mētis aduersans effecit vt subinde omiserit quæ volebat bona, & admiserit quæ oderat mala. At quia hæc seriò detestabatur, illa cupidè sectabatur, sciebat se iam non peccare, & à Deo inter iustos censeri: iuxta illud Iohannis, Qui natus est Deo, non peccat: quia semen Dei manet apud illum: & non potest peccare, eo quòd natus sit ex Deo, 1. Iohan. 3. b. 9.[b] Qua de re plura paulo ante diximus.

26 *Cum misericorde misericors eris, & cum viro perfecto perfectus eris.*

Cum misericorde misericors eris. [v] Cum benigno benignus esse soles, & cum homine sincero sincerè agere soles, siue agis. vel, cum liberali liberalem te præstas, & cum homine sincero probè agis: Fut. Hebr. pro præsenti. Alii, Etenim bono te bonum exhibes, & viro sincero te sincerum præstas. id est, promissiones exhibes propter quas illi bene facis.[c] Dauid eandem sententiam cum superiore prosequitur. Dei enim gratiā qua liberatus fuerat, suæ integritati testem adducens, de cæcis & indignis hostiū calumniis triumphū agit. Fatemur quidē hoc hypocritis solēne esse. Prosperi enim successus eos ita efferunt vt non modò contra homines, sed contra Deum ferociter exultēt. Sed quum illi Deo palam illudant, vbi eos sua tolerantia ad pœnitentiam inuitat, improbæ eorum cōfidentiæ nihil affine habet hæc Dauidis gloriatio. Neque enim ex Dei indulgentia fucum induit suis sceleribus, sed tot auxilia quibus certò expertus erat sibi propitium esse Deum, pro illustribus fauoris eius documentis iure sumpsit. Atque hoc discrimen tenendum est, quòd impii rebus prosperis ebrii impudēter iactant se Deo placere: quū tamen Deo posthabito fortunæ potius sacrificēt. fideles autem ex interiore conscientiæ sensu Dei gratiam prædicant in rebus prosperis. Ita hoc loco Dauid propter causæ suæ æquitatem se diuinitus fuisse adiutum gloriatur. Primò enim ad contextum accommodanda est hæc sententia, quòd Deus hominem innoxium toties à præsenti morte eripiens, benignum se erga benignos & purum erga puros re ipsa probauerit. Deinde communem doctrinam elicere conuenit, Deum nunquam frustrari seruos suos, quin benignè eos tractet, si modò eius auxilium cum mansuetudine & patientia expectent.[c] Sic dicebat Iacob, Respondebit [illegible] faciat ad me Deus iustitiam meā, Gen. 30. e. 33. Finis est, vt bona spe fideles se ad colendam integritatem animēt, quia ad vnūquenque redibit iustitiæ suæ fructus.[b] Dauid enim ab eo quòd Dei erga se iustitiam prædicauit, qui sibi benignè pro innocentia sua rependerit, digreditur ad prædicandam illam in quoslibet. acsi dixisset, Prædico quæ mihi Deus pro iustitiæ studio retribuit. Sic autem ille non erga me solum se habet: quicunque bonitati studet, ei benefacit: & quicū que se integrū erga ipsum, sincerum & fidei seruantem præstat, iusta fœderis cum eo icti ratione ab omni se prauitate custodiens, & iustitiæ pro virili studens, erga eum & ipse integrum se exhibet, largissimè præstans quæ est pollicitus.[a] Porro locus hic vulgò in alium sensum tortus fuit: sic enim nonnulli sunt interpretati,[m] Multū refert quocum hominum genere viuas, cum quibus mortalibus vitæ commercium habeas, iustisne vel iniustis cōiungaris. Etenim si sancto coniunctus fueris, sanctus eris, cū integro integer, cū puro purus, & cū peruerso peruersus eris. Quapropter si sanctus, integer purusque euadere cupis, coniūge te sanctis, integris ac puris. Et sanè sic comparati sumus vt mores eorum quibuscū degimus, præsertim malos, facilè imitemur. Ad malum quippe propensi sumus ab adolescentia, Gen. 6. a. 5. & 8. d. 21. Vnde non abs re Israelitis tanto serio interdicta fuit à Deo omnis idololatrarum societas & communicatio, ne tali commercio ad cultū idolorum abducerentur, Deut. 7. a. 3. Quò etiam pertinet illud Apostoli, Corrumpunt bonos mores colloquia praua, 1. Cor. 15. d. 33. Verùm hæc expositio ad argumentum præsentis Psalmi non facit. Non enim cū hominibus sed cum Deo Vates loquitur, & ista eo sensu canit vt cum præcedentibus (sicuti iam ostēdimus) & sequentibus conueniant.

27 *Cum mundo mundus eris: & cum peruerso peruersè ages.*

Cum mundo mundus eris. [v] Cum candido candidè agere soles: ac cum peruerso peruersè. id est, preter morem tuum durum te vltorem exhibes, qui te promiseras benefactorem. Versu sequenti exponuntur duo isti. *Et cum peruerso peruersè ages.*[c] Licet asperius sit hoc membrum, nihil tamen absurdi continet, imò non sine optima ratione hūc loquendi modum Spiritus vsurpat, vt hypocritas & crassos Dei cōtemptores à sua somnolētia expergefaciat. Videmus enim, vbi de seueris & tremendis Dei iudiciis concionatur Scriptura, vbi Deus ipse horribilē vindictam denuntiat, quàm securè hæc omnia transiliant. Hic ergo brutus & quasi prodigiosus stupor Deum cogit excudere nouas loquendi formas, & quasi alienam personam induere. Sic etiā per Mosem loquitur, Si mecum ambulabitis peruersè, vel temere, ego vicissim contra vos peruersè vel fortuitò ambulabo, Leuit. 26. e. 21. acsi diceret, peruicaciam eorum in causa fore, vt solitæ moderationis oblitus quaquauersum in eos irruat. Hoc enim proficiunt tādem sua duritie præfracti homines, vt Deus ad eos cōterendos sese magis obduret, ac contra saxeos ferreus reddatur. Adde quòd Spiritus sermonem ad impios dirigens ex eorū sensu vt plurimū loquitur. Atqui vbi seriò Deus in ipsos fulminat, cæcis suis terroribus eum transfigurant: quia nihil in ipso concipiunt nisi sæuum, atrox & immane. Iam videmus cur Dauid non simpliciter Deo tribuat iudicis nomen & officium, sed violēto impetu armet: sicut in prouerbio dicitur malo nodo quærendum esse malum cuneum.[a] Præterea Psalmus hoc non in vniuersum aut de quibusuis prauis cecinit, sed de iis qui iā sua voluntate, Lege recepta & intellecta, praui sunt. Hi sanè si Legi bona fide studeant, atque ob id se puros seruant, & bonos omnibus exhibent, beneficentia Dei prolixè fruentur: sin à Deo descistant, agit & ipse peruersè cum illis. hoc est, seueram & horrendam de iis vltionem sumit.[m] Talem se gessit aduersus Israelitas, præsertim eos qui dicebant, Ne fortè veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem, Iohan. 11. f. 48.

28 *Quoniam tu populum pauperem saluum facies, & oculos excelsos humiliabis.*

Quoniam tu populum pauperem. [v] Afflictum, infirmum, debilem seruabis. Futurum, quod per præsens verti potest, saluum facis, siue seruas.[c] Hic versus continet speciem correctionis. Quia enim experientia demonstrat sæpe duriter affligi mansuetos, & sinceros inuolui tristissimis molestiis: ne quis falsò dici putet Deum clementer agere cum mansuetis, admonet Dauid finem esse expectandum: quia etsi non protinus accurrat Deus ad opē bonis ferendam, vbi tamen eorum patientiam aliquandiu exercuit, prostratos erigit, & desperans salutem affert. Vnde sequitur, nonnisi ab exitu æstimandum esse quomodo placidè & humaniter agat Deus cum mansuetis, & purum se gerat cum puris. Nisi enim suspensos cum expectatione teneret fideles, proprium eius non esset afflictos seruare. Atque hoc non vulgare in rebus aduersis solatiū est, consultò differri quod alioqui paratum est Dei auxilium, vt afflicti seruentur. Nec verò nimis acerbæ nobis esse debent quas perferimus iniurias, quæ salutiferum Dei fauorem nobis conciliant.[f] Dicit itaque Dauid, Tu populum afflictum seruas, eos nimirum qui iniuria immeritò affiiciuntur. *Et oculos excelsos humiliabis.* Hoc est, homines fastuosos, & arroganter sustollentes oculos, humilias & deiicis. Horū deiectio & 1 Sa. 2. c. 11. & 5. d. 15 prædicitur, & Prouer. 6. b. 17, inter ea numeratur quæ odit Dominus.[c] Porro in 2. Samuelis legitur, At oculos tuos pones super excelsos, humiliabis eos. vel, Oculi tui contra superbos ad deiiciendum. Sed hæc Varietas in sensu nihil mutat, nisi quòd illic superbis Spiritus sanctus [illegible] tè denunciat, quum ad ipsos euertendos aduigilet De[illegible] se ruinā effugere. Vtriusque verò loci hæc summa [illegible] gis securi impii sibi indulgent, magisque proteruè [illegible] pedibus suis despiciunt, eo propiores esse exitio. Q[illegible] nobis crudeliter insultant, sciamus hoc tantùm ob[illegible] nus præfractam eorum cōtumaciam retundat Deus, quia nondum ad cumulum vsque peruenit eorum superbia.[m] Postremò quum Dei proprium munus sit superbis resistere, humilibus verò dare gratiā, (Iac. 4. b. 6) discamus humilibus & afflictis potius quàm superbis & insolentibus coniungi: sicuti & Mosē fecisse legitur, Exod. 2. b. 11, & Heb. 11. e. 24. 25. Etenim omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur, Matth. 23. a. 12.

29 *Quoniam tu illuminas lucernam meam: Iehoua Deus meus illuminat tenebras meas.*

Quoniam tu illuminas lucernam. [v] Illustras candelam meam. vel, splendere facis lucem meā. Id est, facis vt prospera mihi omnia contingant.[c] Paulo expressior est loquendi forma in Cantico, vbi Deus non dicitur lucernam accendere, sed ipse vocatur lucerna sensus tamen eòdem redit, nempe factum esse Dei gratia vt Dauid tenebris immersus in lucē rediret. Neque enim simpliciter gratiæ ei aguntur quòd Dauidi præluxerit, sed quòd illustrauerit eius tenebras. ait enim, *Iehoua Deus meus illuminat tenebras meas.* [v] Illustrabit tenebras meas. Mutatio personæ à secunda ad tertiam, & futurum pro præsenti vel præterito.[c] Fatetur Dauid in eas angustias se redactum vt similis esset perdito ac

desperato. Res enim confusas tenebris comparat: [V] sicuti Scriptura per lucem siue candelam res secundas passim significat, vt per tenebras, aduersa. Q.d. Siquid mihi secundi acciderit, tu in causa es, qui vertis tribulationes meas in prosperitatem. Id verum esse probat versus sequens, cui præposita est coniunctio rationalis כִּי. [C] Potest quidem hoc per anagogen ad spiritualem mentis illuminationem transferri: sed interim spectandū quid agat Dauid, ne a genuino eius sensu recedamus. Quemadmodū autem agnoscit se Dei fauore non secus ac luce visibili fuisse recreatum, nos quoque eius exemplo statuamus nullū nostris rebus aduersis exitum fore, nisi Deus caligine discussa lucem lætitiæ nobis restituat. Interim ne molestum sit per tenebras iter facere, modò lucernæ vices nobis præstet Deus. [M] Docet enim hoc loco Dauid quis ille sit qui tenebras tribulationum dispellere, lucémque rerum prosperarum reducere queat, & soleat etiam, is nimirum qui & tenebras creat, & lucem format, pacē facit, & creat malum, Esa. 45. a. 7. Solet Deus tenebras primum inducere quibus pii adobruantur, & vel castigentur, vel exerceantur & probentur: deinde tandem lucem liberationis & gaudii restituere. Præcedunt tenebræ: sequitur lux. Sic priores sunt passiones, & posteriores gloriæ, 1. Pet. 1. b. 11. Prior diei pars nox est, alteram solis exortus inchoat. Acerbū quidē est quodcunque afflictionis tempus: verum cordatus homo satius ducet post modici temporis tenebras cum Iob sempiternā veræ fœlicitatis lucem sperare, quàm post exiguam terreni successus lucem ad tenebras transire nunquam finiendas. Nemo itaque nostrum ordinem hunc tenebrarum & lucis filius Dei magno cōsilio destinatum inuertere cupiat.

30 *Quoniam in te contriui exercitum, & in Deo meo transiliam murum.*

Quoniam in te contriui exercitum. [V] Perfregi enim in te aciem. Alii à verbo רוּץ, Currere, vertunt Incurram, vel occurram turmæ, sub. hostium meorum. Hic ostendit quomodo illuminatæ fuerint eius tenebræ: [C] & suas victorias Deo ascribit, quòd ipso duce perfregerit cuneos hostium vel phalanges, & vrbes munitas expugnauerit. Ita videmus, quātumuis strenuus esset bellator, nim tamen nihil sibi arrogare. [M] Deinde, quāta sit fidei virtus in piis, qui non suapte virtute confisi, sed fide in Deū suum corroborati, hostium cuneos & exercitus animo infracto perrumpunt. Hinc Apostulus, Deficiet, inquit, me tempus narrantem de Gedeone, Barach, Sanson, Iepthe, Dauid, Samuel & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugarunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra subuerterunt exterorum, &c. Heb. 11. f. 31. Hāc fidei virtutem innuit Propheta, quū dicit, In te, id est fide erga te, fiducia auxilii tui, perrupi aciem. *Et in Deo meo transiliam murum.* Transilire murum pro vrbem expugnare posuit. [C] In temporibus verborum hoc semel teneant lectores, præteritum & futurū subinde in hoc Psalmo promiscuè vsurpari nō tantùm quia diuersas historias complectitur Dauid, sed quia se statuit velut in re præsenti, & continuum tenorem gratiæ Dei simul contexit.

[illegible] *Dei perfecta est uia, eloquium Iehouæ purgatum, clypeus* [illegible] *sperantibus in ipso.*

[illegible] *est uia.* [V] Id est omnia Dei opera sunt perfecta. Qui[illegible]ne, Deus est cuius perfecta est via. Alii, Deus, integra [illegible] Deus sincerus via sua. id est, præstat quod pollicetur. Nam [illegible] Dei non pro doctrina, sed ratione agendi quam tenet erga suos, capitur. Sensus ergo est, Deum nunquam frustrari seruos suos, neque in ipso articulo deserere, sicuti homines clientibus suis operam non ferunt nisi quatenus expedit: sed bona fide tueri quos suscepit in suam fidem. *Eloquiū Iehouæ purgatū,* [V] Conflatum, id est purum, velut igni examinatū. [C] Quia nobis cum Deo nihil esset negotii, nisi cum verbo suo nobis occurreret, ideo Dauid postquam asseruit Deum non fallaciter iuuare suos, simul addit sermonem eius esse purgatum. Sciamus minimè esse dubitandum quin se Deus integrum effectu ipso erga nos præstet: quia pollicitus est fore salutis nostræ custodē. eius autem promissio certa est veritas. Porro hic per sermonem, non præcepta sed promissiones intelligi ex proximo membro colligitur, vbi dicit, *Clypeus est omnibus sperantibus in eo.* Videtur quidem vulgare hoc elogium, sermonem Dei purū esse omni fraude & fallacia, instar argenti à scoria sua purgati: sed nostra infidelitas facit vt Deus sub hac similitudine fidem suam magnificè commendet: quia nihil magis procliue est, quoties spei nostræ euentus non respōdet, quam vt impiæ de verbo Dei dubitationes statim nobis obrepant. [M] Itaque non solùm hoc de verbo Dei prædicat Dauid, quòd in se sit verum ac firmum, sed quòd tale etiam esse comprobatum sit. Argentum etiam antequam igne probetur, argentum est: verùm certitudo illius tum demum habetur quando probatum fuerit. Huc pertinēt omnia illa experimenta eloquii, quàm sit certum ac verum, quæ in sacris literis proponūtur. Reliqua petant lectores ex Psalmo 12. b. 7. *Clypeus est omnibus sperātibus in ipso.* [V] Id est, defensor est omniū eorum qui in ipso suum præsidiū collocant. q. d. Pollicitus est se fore salutis nostræ custodē: eius promissio certa est veritas: proculdubio protegit omnes qui sperant in ipso. [M] Putant se filii huius seculi bene securos sub protectione & scuto principū: quibus tamen virtus seruandi non est. Atqui scutum Dei valet contra vim principum, scutum verò principum non valet contra manum Dei.

32 *Quoniam quis Deus præter Iehouam? & quis fortis præter Deum nostrum?*

Quoniam quis Deus præter Iehouam? [V] Quis enim Deus? Id est, Quis iure optimo dici possit Deus præter ie? [C] Hic Dauid varia hominum figmentis insultans, qui temere sibi fabricant tutelares Deos, confirmat quod prius diximus, se nihil vnquam nisi Dei auspiciis & mādato fuisse aggressum. Nam si progressus esset vltra vocationis metas, non leuiisset tanta fiducia Deum in partes suas trahere. [A] Porro hæc exclamatio familiaris est in Scripturis, iis qui Dei opem sibi latam prædicāt. Omne horum votū est vt Deus ita vt eum ipsi experti sunt, ab omnibus agnoscatur, & reiecta omni superstitione, vt vnicus seruator colatur. *Et quis fortis præter Deum nostrum?* [V] צוּר petra, defensor & propugnator, à firmitate & stabilitate. [C] Quanquam Dauid vni vero Deo fictitios omnes opponit, simul tamē prosternit omnes vanas spes quibus mundus circūagitur, ne in Deo acquiescat. Neque enim hic de nudo Dei titulo agitur: sed pronuntiat Dauid nihil aliunde auxilii quærendum esse, quia solus ipse potētia & fortitudine sit præditus. Consiliū tamē eius, quod notauimus, tenendum est, quòd scilicet omnibus suis hostibus Deum tanquam ducem sub quo militauit, intrepidè opponens, se nihil libidinosè vel mala conscientia tentasse affirmat. [M] Porro sicuti Dauid Deum prædicat petram esse firmam ac immotam omnibus ipsi innitentibus, ita notandum est, baculum esse arundineum omnes eos quibus, quum dii non sint, humana cæcitas, vanitas & temeritas innititur. Et hæc non modò cognoscenda sunt & credenda de Deo nostro, sed &, exemplo Prophetæ huius, ex animo ad gloriam illius decantanda.

33 *Deus qui accingit me fortitudine, & ponit perfectam uiam meam.*

Deus qui accingit me fortitudine. [A] Virtutem his versibus, qua tot victoriis potitus est, per partes canit. [C] Vtitur autem metaphora vel à balteo sumpta, vel ab ipsis renibus, in quibus Scriptura interdum vigorem aut robur locat. Perinde igitur est ac si diceret se virtute Dei fuisse fortem, qui alioqui futurus erat mollis & eneruis. [V] In secundo Samuelis legitur, Fortitudo mea in exercitu: [A] sensus tamen idem manet. [M] prædicat enim vates animi fortis & infracti virtutem, qua cælitus aduersum hostes præditus fuerat: qua nimirum opus habent quibus bellandum est fortiter ac fœliciter. Nihil enim hic efficit animus fractus, tener ac mollis, qui non modò impetum hostilem ferre non poterit, sed solo hostium irruentium rumore terretur ac deiicitur, adeóque non sibi tantùm inutilis est in rebus bellicis, sed & aliorū animos frangit. Vnde & duces belli ad populum clamare iubebantur, Quis est homo formidolosus & corde pauido? vadat & reuertatur in domum suā, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est, Deut. 20. b. 8. *Et ponit perfectam uiam meam.* [V] Et expeditam reddit. id est, liberam reddit viam meam, ita vt reddatur perfecta & plana, sine vllo offendiculo. q.d. Tollit omnia impedimēta de via mea. hoc est, efficit vt ad finē optatū deueniā. Metaphora sumpta a vinctis. In 2. Samuelis legitur, Et soluit perfectā viā meam, eodē sensu. [C] nam de successu ipso loquitur: quia non sufficeret animis prōptos esse & alacres, viribus etiam pollere, nisi accederet fœlix euentus, quem profani homines vel à sua prudētia vel à fortuna prouenire imaginātur. Dauid autē vni Deo ascribit. Nam via pro cursu actionum ponitur. acsi diceret, quicquid aggressus est, Deum prosperè sua benedictione direxisse. [A] Hic videmus bellorum administrationem talem esse vt fide geri possit à sanctis: sicuti etiam videre est Hebr. 11. f. 33. Loquimur autem de bellis qualia gessit Dauid aduersus hostes Dei, ad asserendam diuini nominis gloriam, & defendendum contra impios populum Dei. Qualia verò inter Christianos & à Christianis aliquot seculis gesta sint bella, & hodie quoque gerantur, quid attinet referre, quum omnia plusquam Ethnica impietate & crudelitate pro libidine imperatorum, regum, principum ac magnatum sine vllo æqui ac iusti respectu gerantur? Vnde haudquaquam præter meritum accidit, quòd dum bellū instituitur, & ad conflictum colluuies hominum deploratorum cōmittitur, nulla prorsus habetur diuini auxilii ratio. Sic enim si-

ve timore Dei ad bella gerenda rapiuntur impii, vt, teste ipsorum conscientia, nihil opis diuinæ sperare curant. Ideo nunc omnia viribus humanis institui ac præsumi videmus.

34 *Ponens pedes meos sicut ceruarum & super excelsa mea stare fecit me.*

Ponens pedes meos sicut ceruarum. [c] Quia multas arces occupauerat Dauid quæ ob arduum & difficilem accessum inexpugnabiles creditæ fuerant, Dei gratiā hac in parte extollit. Nam pedes sicut ceruarum sibi datos fuisse dicens, celeritatem insolitam notat, & quæ in homines naturaliter non competit. Sensus ergo est, extraordinario modo fuisse diuinitus adiutum, vt instar capreæ pernici cursu rupes inaccessas transcenderet. [v] Quidam tamen sic exponunt, Quum cogor fugere, dat pedibus meis celeritatē ceruorum, & efficit vt tādem recipiam me ad arcē in qua tutus sim. [a] Et sanè historia sacra memorat inquisitum eum in rupibus caprearum, in quas vtique non sine ope Domini quoque euaserat fugiens Saulem, 1. Sam. 24. a. 3. Sed videtur hic potius de eo canere quòd quamlibet excelsas & præruptas hostium munitiones diuina fretus ope occuparit: nam hic victorias suas canit. Qui è tribu Gad ad Dauidem venerant, memorantur facie leonibus, pedum celeritate capreis similes fuisse: & ea laude bello illos maximè idoneos Scriptura prædicare voluit, 1. Paralip. 12. b. 8. Vnde & noster hanc sibi ad victorias collatam pedum pernicitatem hic commemorat, non ad fugam. *Et super excelsa mea stare fecit me.* [c] Vocat excelsa sua arces quibus victor iure belli potitus est: quia meritò gloriari potuit se nihil alienum occupare, quum se diuinitus illuc vocatum sciret.

35 *Qui docet manus meas ad bellum, & conteritur arcus æreus brachijs meis.*

Qui docet manus meas ad bellum. [c] Fatetur pugnandi dexteritatem sibi propria industria non fuisse partā, vel exercitatione & vsu: sed obtigisse singulari Dei dono. *Et conteritur arcus æreus brachijs meis.* [v] Præt. Heb. pro præsenti, Et frangitur. id est, dat mihi vires, vt arcum æreum frangere possim. [c] Nisi generaliter verum est vim & peritiam bellandi nonnisi ab arcano Dei instinctu esse, ostendit tamen Dauid his verbis se præter communem & vsitatum hominum morem fuisse ad obeunda certamina fortitudine instructum. quia brachia eius ad frangendos arcus æneos satis valida fuerint. Nam vt fuerit homo neruosus, humilis tamē describitur eius statura: & ipsa similitudo aliquid humana virtute altius designat. Dictio נחשה hic prædurum ferrum significat, hoc est chalybem. Quidam Hebræorum נחתה hic à נחת ducunt (quod est Ducere vel Reducere) vt idem valeat atque Remissus est arcus brachio meo. Hieronymus & Græcus legerunt hoc vt ab hac deductum radice, sed in secunda persona præteriti, vt idem sit atque Posuisti brachium meū arcum æreum, hoc est tam inuictum. sed prior interpretatio certior est.

36 *Et dedisti mihi scutum salutis tuæ, & dextera tua fulciuit me, & mansuetudo tua multiplicauit me.*

Et dedisti mihi scutum salutis tuæ. [v] Et dedisti mihi scutum salutem tuam. Alii, Et protendis mihi clypeum salutis tuæ. Alii, Muniuisti me clypeo tuo salutifico. id est, tu es mihi vice clypei quo defendor in bello: tu me auxilio tuo defendis, velut clypeo impenetrabili. [c] Prædicat se vna Dei gratia tutum & saluum fuisse. Nam sub clypeo diuinæ salutis significat, nisi à Deo mirabiliter seruatus esset, ad multos lethales ictus se fuisse expositum: atque ita clypeus salutis Dei, tegumētis omnibus & armis quibus munitus erat tacitè opponitur. *Et dextera tua fulciuit me.* Alii, Et dextera tua suscepit me, vel confortauit me. [v] hoc est, ope tua seruasti depulsis hostium iaculis. Nam vtut animo forti, pedibus velocibus, brachio robusto, manuumque dexteritate præditus sit miles, nisi diuinitus quasi fideli ac firmo quodam scuto protegatur, fieri nequit vt non tandem prosternatur & cadat. *Et mansuetudo tua multiplicauit me.* Iterum salutis suæ causam ad gratuitam Dei bonitatem refert, qua dicit se auctū fuisse, vel ac magis magis prouectum. Augendi enim verbo continuos fauoris Dei progressus notat. Quidam verūt, Magnificasti me: sensus tamen est, Benignitas tua sic mihi adfuit vt me in dies magis ac magis prouexerit, & res meas, vires ac potentiam conspicuis incrementis amplificauerit.

37 *Dilatasti gressus meos subtus me, & non declinauerunt crura mea.*

Dilatasti gressus meos subtus me. [v] Singulare pro plurali. dilatasti gressus meos. id est, vt quocunque irem, lato & amplo gressu ingrederer: hoc est, liberè & sine metu pateret mihi iter expeditū & inoffensum. [c] Vel per dilatationem ingressus intelligit viam sibi æquabilem per inuia fuisse patefactam. [a] Subest enim antithesis inter latum spatium, & angustias in quibus pedem mouere non licet. Sensus est, quum in extremam desperationem coniectus esset, diuinitus fuisse expeditū. Atque hæc ad corrigendam nostrā diffidentiam apprime vtilis est admonitio. Nisi nobis amœna sit ante oculos planities, in qua liberè exultet caro, trepidamus acsi nos terra deficeret. Teneamus ergo non frustra munus hoc Deo adscribi, vt vias nostras dilatet ac complanet. Huius gratiæ effectum subiicit, dicens, *Et non declinauerunt crura mea.* [v] Et non nutarūt, vacillarūt, crura mea, aut vertebræ meæ. Alii, Et non nutarunt tali mei. Præteritum pro præsenti. Id est, das mihi gressum liberum, vt possim discursare huc illuc: & confirmas crura mea, [c] adeo vt nullo aduerso casu derici possim.

38 *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: nec reuertar donec consumpserim eos.*

Persequar inimicos meos. [a] Istis verbis hostium suorum deletionem & oppressionem canit, quæ quàm sæua & atrox fuerit testātur historiæ, præcipuè verò 2. Sam. 5 & 8, & 10, & 12. [c] In hoc autem intentus est Dauid, vt ab effectu demōstret Deo se propitio in omnibus victoriis vsum esse, vnde sequitur rectam & iustam fuisse eius causam. Nam etsi impiis quoque & sceleratis prosperos successus interdum Deus concedit, exitu tamen ostēdit se illis aduersum fuisse & infensum. Signa autē fauoris qualia patefecit erga Dauidem, soli eius serui sentiunt: vt hoc modo sistetur eos sibi probari & gratos esse. Quanquam autē nimium militariter videtur loqui, dum pronuntiat finem cædibus non facturum nisi omnibus hostibus consumptis, imò videtur mansuetudinem illam obliuisci quæ lucere debet in cunctis fidelibus, vt Patrem cælestem referant: quia tamen nihil tētabat præter Dei mādatum, & Spiritus eius fræno affectus suos regebat, sciamus has non esse hominis sanguinarii vel truculēti voces, sed qui iudicium sibi à Deo iniūctum fideliter exequitur. Et certè scimus tanta ingenii mansuetudine fuisse præditū, vt vel à gutta sanguinis fundenda abhorruerit, nisi quatenus ferebat officii ratio & necessitas. Ergo tenenda est Dauidis vocatio: deinde purus zelus & ab omni carnis perturbatione vacuus. Notandum præterea est, hic vocari hostes quorum indomabilis pertinacia talem Dei vindictam prouocauit. Nam quatenus sustinuit Christi personam, nonnisi de obstinatis vltimam pœnam sumpsit, qui humano imperio in ordinem cogi non poterant. Res enim ipsa demonstrat, nihil ei magis cordi fuisse quā vt resipiscentibus parceret. Sicuti Christus ad pœnitentiam cunctos omnes inuitans, ferreo sceptro conterit qui peruicaciter ad extremū resistunt. Summa est, Dauidē, quum militaret sub Dei auspiciis, rex ab eo electus, & nihil nisi ex iussu eius agendū suscipiēs, fuisse quoque diuinitus adiutū, vt inuictus staret contra omnium hostium insultus, imò ingentes & validissimas copias profligaret. [a] Ita sancti ac pii dum simili feruore opprimunt impios, & de illorū oppressione cum gaudio exultāt, non agere priuatam ac suam ipsorum, sed cum primis diuinæ gloriæ, deinde & populi Dei causam: ob quam eos qui gloriæ Dei resistunt, & fidelem populum opprimunt, odio prosequūtur omnium infensissimo, qui aliàs in suis ipsorum causis sine omnium mitissimi malorúmque tolerantissimi. Sic alibi [illegible] ta hic canit, Nonne odio habentes te Domine odi, & in [illegible] tes in te ira incāduit Perfecto odio odi illos, inim[illegible] mihi, Infrà, 139. d. 22. Quæ ipsum verò priuatim con[illegible] quantuis dura & iniqua, summa cum patientia pertul[illegible] in causa Saulis sic manifestum reddidit vt & ipsi Saul[illegible] raculo, 1. Sam. 24. d. 19. Est itaque præposteræ patientiæ & clementiæ genus, dum ea patienter feruntur quæ gloriæ Dei ac populi illius saluti incommodant, priuata verò iniuria ad vltionem & vindictam excitat. Saul parcendo regi Amalechitarū, (1. Sam. 15. d. 19) Achab dimittendo Benadab regem Syriæ, (1. Reg. 20. g. 42) iram Dei aduersus se prouocarunt. Succensebat Elisæus regi Ioas, quòd tribus duntaxat vicibus percussurus esset Syros, & non prorsus deleturus, 2. Reg. 13. c. 19. Videmus hoc in sacris Scripturis, eos potissimùm qui pietatis laude inclaruerunt, aduersus impios Dei hostes & populi sanctorum oppressores omnium fuisse acerrimos: quales extiterūt Moses, Iosue, Barach, Gedeō, Samuel, Dauid, Ezechias & Iosias. Zelum hunc peperit illis eximia illa dilectio qua erga Deum suum afficiebantur. Hoc zelo accensus Dauid dicit, *Comprehendam eos: nec reuertar donec consumpserim eos.* [v] In Cantico legitur, Et disperdam eos. Hinc verò colligere possumus, eos mox bonam & iustam causam non habere qui persecutione premūtur, malā verò eos qui persequutionem inferunt. Alioqui damnaremus hic Dauidē hostes suos persequentem, & iustificaremus impios quos ille persequutus est, & internecioni dedit. Ideo rectè Christus non simpliciter dixit, Beati qui persequutionem patiuntur: sed adiecit, Propter iustitiam, Matth. 5. a. 10. Qua de re multa Augustinus in Epistola

ad Bonifaciū ſcripta.[c] Porro ſub hoc typo qui nobis hîc à Propheta proponitur, ſciam[n] inuictū regni Chriſti ſtatū fuiſſe adūbratū, vt Dei virtute fretus, proſtratiſtus hoſtibus emergat ſem per ſuperior, rexque maneat inuito mūdo. Quū verò nobis cōmunes ſint eius victoriæ, ſequitur inexpugnabile nobis præſidiū cōtra omnes diaboli conat[a], omnes peccati machinas & cæ nis tētationes promitti. Quāuis itaque tranquillū regnū Chriſt[i] non ſit bellādo obtineat, nobis ſatis ſit ad eius conſeruationem ſemper parata fore Dei manum. Profugus quidem ad tempus fuit Dauid, vt vitam ſuam ferarū cauernis vix tegeret: ſed Deus tandem terga hoſtium vertit, nec modò eoniecit in fugam, ſed etiam proſligandos tradidit. Ita quanuis ad tempus imminent ceruicibus noſtris hoſtes, faciet tādem Deus vt non ſolùm tecta nobis vertant, ſed ante oculos noſtros pereant, vt digni ſunt. Memores interim ſimus ad quam militiam nos Deus vocet, cum quo hominum genere confligere nos velit, & quibus armis inſtruat: vt nobis ſufficiat ſpirituali eius virtute diabolū, carnem & peccatum ſub pedibus noſtris proſterni. Quibus autem gladium dedit, ſi modò ſub capite Chriſto regnent, eos etiam tuebitur, nec iniuſtè opprimi ſinet.

39 *Transfixi eos, nec potuerunt ſurgere: ceciderunt ſubtus pedes meos.*

Transfixi eos, nec potuerunt ſurgere. [V]Futurum Hebræum pro præterito perfecto: quod etiam per imperfectum verti poteſt, Cædebam (vel cæcidi) confregi, vulneraui eos, ita vt nō potuerint ſurgere. In ſecundo Samuelis legitur, Et conſumpſi eos, & confodi eos, nec ſurgent. *Ceciderunt ſubtus pedes meos.* Id eſt, proſtratos in terram poſtea calcaui, vel calco pedibus. Oſtendit perfectam hoſtium deiectionem.

40 *Et accinxiſti me fortitudine ad bellum, incuruaſti inimicos meos ſubtus me.*

Et accinxiſti me fortitudine ad bellum. [V] Idem dicit quod ſuprà, verſu 33.[H] Omnem enim victoriarum gloriam diuinæ virtuti aſcribit, nec ſibi quicquam ex geſtis rebus tribuit. *Incuruaſti inimicos meos ſubtus me.* תכריע, ſupplantaſti, depreſſiſti, proſtraſti humiliaſti, deieciſti. Fut. Heb. pro præterito.[H] Non dicit, Supplātaui inſurgentes in me ſubtus me, quū tamen ipſe eos ope Dei adiutus ſuppreſſiſſet: ſed totam eius rei gloriam Deo tribuit. Haudquaquam mirum eſt ſi tales viri per gratiam ac virtutem Dei multa poſſunt ac perficiunt, quibus id ſolum in votis eſt vt & faciendo & patiēdo gloriam Dei ſui operantis in ipſis extollant & amplificent.

41 *Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem, & odio habentes me ſuccidi.*

Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem. [V] Hebraiſmus. Vertis in fugam inimicos meos.[c] Vel quia ערף propriè ceruicem Hebræis ſignificat. Non incommodus erit ſenſus, datam fuiſſe hoſtium ceruicē, quia Deus mactandos tradiderit. Nam ſequitur, *Et odio habentes me ſuccidi.* Ad verbum, Et oſores mei, & perdidi eos. Antecedens cum relatiuo pro ſolo antecedēte. Aut ſubaudiendo verbum præcedens, vertere potes, Et oſorū meorum dediſti mihi ceruicem, & tum ſuccidi eos. In Cantico legitur, Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem, odio habētium me, & excidi eos. Hoc verè Vates aſſerit. Nam quū vicinæ gentes, Philiſtæi, Moabitæ, Ammonitæ, Edomitæ & Syri, veriti ſucceſſum Dauidis, bellum ei mouiſſent, nullā poſtea cum eis pacem iniit, donec bona eorū parte extincta reliquos ſibi tributarios efficeret. Hi etiam quamlibet multo & potenti exercitu contra eum veniſſent, nonquam tamen nō fugati & cæſi fuere, ſtare contra eum nunquam potuerunt, dederéque tandem ſe coacti ſunt, tanta erat erga ſeruum ſuum Dei benignitas ac clemētia: quam etiam hic meritò celebrat.

42 *Clamabant, & non erat ſeruator: ad Iehouam, & non exaudiuit eos.*

Clamabant, & non erat ſeruator. [V] Vociferabantur. Fut. Hebr. pro præterito perfecto vel imperfecto. Id eſt, Quāuis ad Deum clamauerunt, reiectæ fuerūt eorum preces.[H] In Cantico legitur, Aſpexerunt.[c] Proſequitur Dauid quod prius dixerat, tandem exitu patefactum eſſe quàm falsò iactarent hoſtes Dei nomen, qui ſe ab illis auerſum oſtēdit. Verum quidem eſt ſic eos interdum proſperè agendo fuiſſe elatos, vt vulgò creditum fuerit Deum illis fauere, quum interea Dauid noctè & die clamando nihil proficeret: ſed vbi ſerui ſui patiēntiam ſatis exercuit Deus, illos ipſe vana deiecit ac fruſtratus eſt: vnò nec preces eorum dignatus eſt audire. Tenemus nunc conſilium Dauidis: quia enim diu perperam Dei nomine abuſi fuerāt impii, fallacem illorum iactantiam deridet. *Ad Iehouam.* [V] ſub. clamauerunt, inquam, *Et non exaudiuit eos.* [H] q.d. Fruſtra opem Dei implorauerunt.

[a] Poteſt ex his verbis intelligi quanta fuerit plaga & clades impiorum, qua per Dauidem ſunt percuſſi: tanta nimirum vt ad Dominum clamare coacti ſint. id quod ab impiis plerunque rebus omnibus deſperatis demum fieri ſolet. Sic quū populo Samuel extremam ac deſperatam calamitatem prædicere vellet, dixit, Et in die illo clamabit ad Dominum à facie regis, & non exaudiet, 1. Sam 8.d.18.[c] Porro notandum eſt, de hypocritis, qui nunquam ſincero affectu Deum inuocant, haberi ſermonem. Nunquam enim falles promiſſio, Deum propè eſſe omnibus qui eum in veritate quærunt, Infrà, 145 d.18. Non ergo repudiatos fuiſſe hoſtes ſuos dicit Dauid quum ſecio cordis affectu ad Deum confugerent, ſed quum ſolita impudentia putarent eum ſibi obſtrictum ad ſceleratos ſuos conatus iuuandos. Nam dum vota in vltima neceſſitate cōcipiunt impiō, etſi pauore deiecti metuque trementes humilitatem præ ſe ferunt, non tamen mutant propoſitum vt reſipiſcant. Adde quòd illis audacia & duritiès pro fide eſt, vel dubitando querimonias ſuas profundunt, magis vt Deo obſtrepant quàm vt ſuam fiduciam in eius ſinu deponant.[H] Fruſtra etiam clamatur ad Dominum quando conſummata iam iniquitate tempus viſitationis & iuſti iudicii aduenit. Vnde Prophetas aliquoties diuinitus admonitos legimus ne pro populo pertinaci & iudicio Dei iam obnoxio preces vllas funderēt, eo quòd exaudiendi non eſſent. Vide Ierem. 7.c.16.& 11.e.14.& 14.b.11. Hinc clamat Eſaias, Quærite Dominū dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt: derelinquat impius viam ſuam, & c. Eſa.55.b.6. Et Dominus per Solomonē, Quia vocaui, inquit, & renuiſtis, extendi manum meam, & non reſpexiſtis, &c. tunc inuocabunt me, & non exaudiam, Prouerb. 1.c.24. Et Eſa.1.d.15 tale quid legimus.[c] Cæterùm hinc colligenda eſt vtilis admonitio, quicunque miſeris crudeliter inſultauerint, ac ſuperbè reiecerint ſupplices, Deum etiam ad ſua vota ſue dum ſenſuros.

43 *Et contudi eos ut puluerem coram vento, ſicut lutum platearum attenuaui eos.*

Et contudi eos ut puluerem. [V] Fut. Heb. pro præterito. Et contriui vel cōminui eos vt puluerem. *Coram vento.* In ſecundo Samuelis legitur, Vt puluerem terræ. *Sicut lutum platearum attenuaui eos.* [V] Cōminui eos. In ſecundo Samuelis leguntur duo verba, Comminui eos, diſtendi eos, ſiue contriui eos, dilataui eos. Hyperbole, id eſt, reddidi eos ſimiles luto, quod omniū pedibus ſubigitur. vel, attenuaui eos vt lutum, &c.[V] Hac ſubactionis ſimilitudine omnimodam hoſtium ſuorum comminutionem Vates expreſſit. Hanc verò hyperbolen nemo inſolentem arbitrabitur qui legerit quæ ſacra hiſtoria de duabus Moabitarum partibus deletis & tertia facta vectigali memorat, 2. Sam. 8 a. 2. Itē de Ammonitis, quos eductos è ciuitatibus ferris, tonitris & ſecuribus ſcidit, 2. Sam 12. g. 31. Narrat ſiquidē illic Scriptura ad eum modum ſeciſſe cum cunctis Ammonitarum vrbibus. Hanc verò crudelitatem nunquam Dauid, qui humaniſſimo & clementiſſimo animo præditus fuit, deſignaſſet, niſi ita diuinum iudiciū popoſciſſet. Eo autem ſupplicium poſcebat ſcelus eſt hominem velle clementem eſſe, ac facto ſuo Deū omnis clementiæ authorem inclementer accuſare.[a] Qua de re plura diximus in verſum huius Pſalmi 38. Docemur autem hoc loco, poſtquam impios Deus abiecit, proiicere ad omnem contumeliam, & inſtar luti calcandos tradere. Neque enim tantùm denontiat ſuperbis & crudelibus clauſas fore ſuas aures, ſed minatur etiam ſe facturum vt mercedem eadem menſura recipiant.

44 *Eruiſti me à contentionibus populi, poſuiſti me in caput gentium: populus quem non agnoui, ſeruiuit mihi.*

Eruiſti me à contentionibus populi. [V] Vel rixis, id eſt à populo reluctante & repugnante mihi.[c] Sūmarim colligit Dauid ſe Dei auxilium modis omnibus expertum eſſe: nam & magnum ei diſcrimen ex domeſticis turbis inſtabat, niſi mirabiliter ſedatæ eſſent, feroeia populi in ordinem coacta.[H] Contentiones verò huius populi, à quibus ſe diuinitus ereptum dicit, primùm Saulis ac ſatellitum illius, & Ziphæorum: deinde & rorum qui fuerant ipſi reluctati poſt mortem Saulis ſub Iphiboſeth & Abnere: tertiò voinerſi quoque populi inſidiat intelligit, quibus ab Abſalomo filio pulſus imperius fuerat: ad quas & illa ſeditio pertinet ac defectio quæ à Siba filio Bochri excitata fuerat, 2. Sam. 20. a. 1. Has inſidias omnes, rebelliones, factiones ac defectiones, cōtentiones vocat populi ſui, cantique ex illis ſe ſolius Dei auxilio ereptum.[V] Nam quum tumultuaretur in eum populus, inteſtini illi motus nonniſi à Deo fuerunt compoſiti. *Poſuiſti me in caput gentium.* Id eſt, conſtituiſti me principem gentium.[3] Hoc dicit quòd adiecerit regno ſuo Ammonitas Moabitas, Syros, Palæſtinos, & alias gentes vicinas. Hoc ergo ſecundum præter cōmunem opinionem accidit, vt longè lateque victor gentes vicinas proſterneret, quæ nuper totum ferè Iſraelem fregerant. Fuit enim illa incredibilis renouatio, quòd non modò populum cla-

de affectum subitò restituit, sed tributarios sibi reddidit à quibus pax impetrari nō poterat. Fuisset iam hoc præclarum, si populus accepta graui clade incolumis stetisset, ac viribus iterum collectis recuperasset priorem statum: sed hoc longè præstantius beneficium ex insperato Deus contulit, vt subigeret suos victores. Vtrunque Dauid commemorat: quum tumultuaretur in eum populus, illos intestinos motus nonnisi diuinitus fuisse compositos: deinde eiusdem Dei auspiciis & virtute, validis gentibus sub iugum redactis, propagatum fuisse imperium, quod debile & semifractum fuerat sub Saule. Hinc patet non minus intus & domi quàm contra externos hostes fortè adiutum. In Cantico aliud legitur pro In caput Gentium ponere, nempe תשמרני, quod Custodire significat: ideòque ad stabilem & diuturnam regni possessionem refertur. Scimus enim quàm difficile sit in officio retinere qui iugo nōdum assuefacti sunt. Ideo nihil frequentius quàm imperia nuper parta nouis motibus concuti. Dauid autem in Cantico Deum pronuntiat dignitatis quā ipso auspice adeptus erat, vt gentibus dominaretur, fuisse custodem. Porro quum nobis in hoc typo Spiritus sanctus regnum Christi depingat, scimus hūc tam erigēdi quàm cōseruandi eius modū, vt Deus nō solùm exerto brachio pugnet cōtra professos hostes qui aliunde insurgunt, sed etiā domesticos tumultus & rixas compescat. Quod etiam in Christi persona palam ostensum fuit ab initio: quia primum ei obstaculum fuit ab infana gentis suæ contumacia. Iam temporum omnium experientia ostēdit, dissidia & contentiones quibus Ecclesiam scindūt & lacerant hypocritæ, non minus noxia esse ad labefactandum Christi regnum quàm violentos hostium conatus, nisi Deus manum suam opponeret. Ergo vt regnum Filii sui promoueat ac tueatur, non modò externos hostes coram ipso prosternit, sed eum liberat à domesticis contentionibus. *Populus quem non agnoui, seruiuit mihi.* Hoc est, populus quem non pro meo populo reputabam olim, cuius tanquam alieni ab Israele nullam rationem habui, is iam seruit mihi, id est, agnoscit me dominū ac regem suum. Intelligit autem Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Philistæos & Syros, quos omnes dominio suo subiecerat. [t] Porro totus hic contextus optimè confirmat quod nunc attigimus, non restringi narrationem hanc ad Dauidis personam, sed vaticinium esse de futuro Christi regno. Potuit quidem gloriari Dauid, populos quorum mores & ingenia non nouerat, sibi fuisse subiectos: sed quoscunque deuicit, non fuisse vel prorsus incognitos vel tam procul dissitos certum est. Quare tunc Deus nonnisi sub obscura vmbra delineauit immensum Filii sui regnum, cuius amplitudo ab ortu solis vsque ad occasum patet, totumque mundum occupat.

45 *Ad auditum auris obtemperauerunt mihi, filij alieni mentiti sunt mihi.*

Ad auditum auris obtemperauerunt mihi. [v] Id est, ad solam famā nominis mei, simulatque de me audierūt. [c] Et hoc verè ad Christi regnum pertinet. Nam etsi nomen adeo celebre sibi conciliauerat Dauid ex victoriis, vt multi armis depositis vltro ad deditionem descenderent, quia tamen armorum potentia illi quoque fracti fuerūt, quam sub oculis ipsorum infœliciter experti erant vicini, propriè non dicentur obsequium præstitisse ad solam famam. Verius hoc in Christum cōpetit, qui verbo subigit sibi mūdum, & ad solum auditum morigeros sibi reddit qui prius rebelles fuerant. Ergo quatenus Christi personam sustinuit Dauid, Deus gentes remotas, & quæ prius Israeli quoad cōsuetudinem fuerant incognitæ, eius imperio subiecit. Sed fuit illud præludium promissæ Christo dominationis, cuius fines ad vltimas vsque mundi plagas oportuit extendi. Armis etiam & bellica virtute tantum nomen sibi Dauid peperit, vt multi ex hostibus metu fracti deditionem facerent. Sed ita sub typo ostēsa fuit Gentium subiectio, quæ solo Euangelii præconio in ordinem coactæ sunt. Nam fidei obedientia, in qua fundatum est Christi imperium, ex auditu est. [h] Pulchrè etiam hoc loco innuitur quid sit verè ac ritè seruire, & quæ sit vera & inculpabilis seruitus. Id quod obseruandum est hoc præsertim nostro seculo, in quo plures sunt qui de seruitute Dei contēdant quàm qui Deo verè ac rite seruiant. Seruire Deo est obedire voci eius, & ad auris auditum animo esse parato & prompto. Seruire Deo est aurem ad audiendum verbum præcipientis Dei, mentem ad intelligendum, cor & animum ad consentiendum, omnes corporis vires ad exequendum & obediendum adhibere. Quapropter vbi non est obedientia ista ad auditum auris accommodata, dici non poterit quòd Deo rite seruiatur. *Filii alieni mentiti sunt mihi.* [c] Hoc loco describitur quod in nouis dominationibus vt plurimū accidere solet, vt scilicet victorem suppliciter adorent qui redacti sunt in potestatem, sed ficta & coacta humilitate, quia seruiliter, non sponte, parent. Nam quod Mentiendi verbum quidam interpretes aliò transferunt, quasi diceret vel inani spe delusos fuisse hostes, vel vt pœnam effugerent, mendaciter negasse quicquam hostile se machinatos, non satis expedire videtur Dauidis mentem. Quare generaliter, vt alibi, pro seruiliter humiliari capitur. Nam verbum כחש, quod Hebræis est Mentiri metaphoricè interdum tantundem valet atque humiliari vel subiectionis iugum suscipere, ficto tamen & illiberali modo. Filios autem alieni vocat, vel alienorum, qui prius sui iuris prorsus ab Israele diuisi fuerant. [a] Hi licet coacti, parere Dauidi cœperunt, quando Dei auxilio tot victoriis potitus est. quam seruilem subiectionem verbo Mentiendi notat: veluti quum dicitur, Beatus es Israel: quis tibi conferendus? seruatus es per Iehouam, qui clypeus auxilii tui & gladius potentiæ tuæ: & mentientur tibi inimici tui, & tu super excelsa eorum calcabis Deut. 33. d. 29. In his sanè verbis satis liquet, mētiri inimicos Israeli idem esse quòd fieri ei supplices, & penitus potētiæ illius subiici. Quod vel illud abunde declarat, Et super excelsa eorum calcabis: quod idem significat atque si dixisset, Super colla eorum pones pedem tuum. id quod vtique extremæ subiectionis est. Vide item similem loquendi formam infrà, 81. d. 16. Et forsan inde mentiri pro trepidante & maximè seruili subiectione Scriptura vsurpare solet: quòd qui ita subiecti sunt, multa soleant, timore nimio adducti, iis mētiri quibus seruiunt, & quorum potentiam maximè formidant. Sic fures Latini pro seruis dicebant, quòd serui omnes furari soleant, propter nimiam scilicet erga eos herorum parsimoniam. Nequid ergo obscuritatis pariat hæc loquendi forma, simpliciter reddere possumus, Seruiliter mihi supplices facti sunt. [c] Hoc verò videmus etiam in Christo impleri, ad quem multi supplices accedunt duplici & perfido animo, quos ideo aptè Spiritus alienigenas vocat: quia etsi electo populo permixti sunt, sincera tamē fide nō coalescūt in idem corpus, vt Ecclesiæ filii censeri debeant. Verum quidem est cunctos Gentiles initiò ex alienis fuisse ascitos: sed vbi induunt nouum affectum, qui prius erant hospites & aduenæ, sunt ciues sanctorum & domestici Dei, Ephe. 2. d. 19.

46 *Filij alieni defluxerunt, & contremuerunt è clausuris suis.*

Filii alieni defluxerunt. [v] Futurū Hebræum, Defluent, pro defluxerunt: alii, Deciderūt. Id est, vires alienigenarum emarcuerūt. hoc est, perierunt alienigenæ, quemadmodum folia quæ decidunt, perire solent. [a] His verbis eorum formidinem succum vitalem exhaurientem, ac veluti folium exarefacientem, Vates significare voluit: quam amplificauit eo quod subiecit, *Contremuerunt è clausuris suis.* [v] vel, trepidauerunt ex suis penetralibus. [v] q. d. Metu perculsi in lucem prodierunt. [c] Hoc amplificat terrificum illud omen de quo diximus. Est enim hoc trepidationis non vulgare signum, qui latebris tegūtur, aliisque munitionibus sunt inclusi, metu perculsos in lucem prodire. Porro sicuti hostes Dauidis ex suis penetralibus extraxit timor vt supplices occurrerent, ita incredulos Euangelium timore perculsos ad præstandum Christo obsequium cogit. Hæc enim (teste Paulo) vis est prophetiæ, vt conscientias arguens, & manifestans occulta cordium, qui rebelles antè fuerāt, metu prosternat ad dandam Deo gloriam, 1. Cor. 14. c. 24.

47 *Viuit Iehoua, & benedictus sit fortis meus, & exaltetur Deus salutis meæ.*

Viuit Iehoua, & benedictus. [v] Viuens est. id est, ostendit se summa virtute esse præditum, quum exerit virtutem suam contra inimicos meos. q. d. Deus meus nō est deus mortuus & vitæ expers, vt idola, quæ suis opem ferre non possunt. [c] Quod si optandi modo legere placet, Viuat Deus, aspera erit loquutio: quā tamen sumpta ab hominibus translatio excusat, quibus moris est in hūc modū nō tantùm bene precari, sed etiā honorifica acclamatione suos duces in sublime extollere. Ita esset quasi triumphale elogium. [m] Nam ad hunc modum regibus acclamabatur: sicuti videre est 1. Sam. 10. d. 24, & 1. Reg. 1. e. 34. 39, & 2. Reg. 11. c. 12. Et Christo ipsi, Matth. 21. a. 9, & Luc. 19. f. 38, & Iohā. 12. b. 13. Sic etiam solemus optare vt quos amamus & ex animo complectimur, diu viuant. [c] Non malè tamen quadrat simplex affirmatio, eo quo diximus sensu. Cæterùm vita hæc quæ Deo tribuitur, ad eius essentiam restringi non debet, sed potius ex operibus æstimāda est, quæ vitam eius nobis manifestāt. Simul enim ac virtutem suam ab oculis nostris subduxit, euanescit etiam ex animis sensus ac notitia vitæ eius. Itaque viuere dicitur quatenus claris potentiæ suæ documentis mundum sua manu contineri demonstrat. Hanc Dei vitam quia experimēto senserat Dauid, laudibus & gratiarum actione prosequitur. Nam si in præsenti indicatiui legamus, Viuit Dominus, copula quæ sequitur, illationem valet: ideóque sic resoluenda est, *Ergo benedictus sit fortis meus.* [v] Ad verbum, Et laudetur rupes mea. id est, omni laude dignus est propugnator meus, siue præsidium meum. Significat Deum, qui robur confert. *Et exaltetur Deus salutis meæ.* Et exaltandus est, sub. ab omnibus. [c] Epitheto Fortis, deinde Serua-

toris, confirmat Dauid quod prius diximus, Deum nō clam viuere in seipso duntaxat, sed vigorem suum proferre in gubernatione totius mundi. אֵל enim transitiuè hic ponitur, pro eo qui robur suppeditat.[M] Concinnè autem Propheta hic coniunxit vitam, benedictionem & exaltationem. Sensit ista tria electis à Deo vbertim prouenire, sic vt in sempiternum habituri sint & vitam & benedictionem & gloriam. Quid enim aliud expectamus in futuro illo seculo quàm primùm veram ac sempiternã vitam, deinde copiosissimã & infinitam benedictionem, id est inexhaustam fœlicitatem, & tertiò gloriam filiorum Dei?

48 *Deus [est] qui dat ultiones mihi, & adduxit populos sub me.*

Deus est qui dat ultiones mihi. [C] Rursus acceptas Deo refert quas adeptus est victorias. Sicut enim nunquam eas sperasset nisi fretus Dei auxilio, ita nunc eundem agnoscit vnicum authorem: ac, ne defunctoriè laudis partem aspergere videatur, disertè repetit, nihil se habere nisi quod datum est. Ac primò quidẽ fatetur se virtute cœlesti fuisse instructum, vt de hostibus quas meriti erant pœnas exigeret. Quia autem primo intuitu absurdum videri posset à Deo armari fideles ad vindictam, tenenda est (vt prius admonuimus) Dauidis vocatio. Neque enim priuatus homo erat, sed pro regia potestate iudicium quod exequutus est, diuinitus ei iniũctum erat. Quisquis læsus est, si ad se vlciscendum prosilit, Dei partes occupat. Itaque non sine sacrilega temeritate illatas sibi iniurias retaliant priuati homines. Sed Deus, qui se vindicem esse pronuntiat, reges & magistratus gladio armans, vltionum suarum ministros constituit. Itaque vindictas posuit Dauid pro iustis pœnis quas Dei mandato reposcere licuit: modò tamen rite composito Spiritus zelo ageretur, nō carnis impetu. Nisi enim ad vocationem talis moderatio accedat, frustra iactabunt reges sibi vltionem à Deo mandatam: quia non minus præposterum est permisso gladio ad carnis libidinem abuti, quàm eum Dei iniussu arripere. Quapropter nemo se ingerat in hoc munus, vt vindictam sumat de malis vel suis vel aliorum hostibus, nisi ad hoc diuinitus vocetur: vt & ipse cum Dauide dicere queat, Deus est qui dat vindictas mihi. Deinde quibus à Deo datum est, vt ad gloriam illius & populi sancti assertionem vindictam sumãt de malis, faciant hoc cum magno zelo, & magni æstimẽt, religioséque exequantur. Leuitæ & Phinees propter vindictæ zelum sacerdotij dignitatẽ sunt assequuti, Exod. 32. f. 27, Numer. 25. b. 7. Saul verò quoniam impositum vindicandi munus haud fideliter est exequutus, proiectus est à Deo, regnóque priuatus, 1. Sam. 15. f. 26.[C] Porro Ecclesiæ sub Christi auspiciis militanti non alia quàm aduersus obstinatos vindicta permittitur. Iubemur beneficiis certare cum hostibus, pro eorum salute precari: ergo simul optanda illis est resipiscentia & sanitas mentis, donec certò constet perditæ esse ac desperatæ malitiæ. Interim resignanda est arbitrio Dei vindicta, ne ante tempus præcipites feramur.[A] Non enim frustra dicit Dominus, Mihi vindictam, & ego rependam, Deut. 32. e. 35.

Et adduxit populos sub me. [V] Et subdidit. In Cantico legitur, Et deiecit, eodem sensu. Id est, dedit vt vlciscerer me de hostibus meis, subiecit populos mihi.[M] Admonẽtur hic principes & magistratus, vt cum præ oculis habeant cuius est potẽtiæ vel subiicere populos, vel rursus impiorum potentiæ eximere. Inexcusabilis est eorum dementia qui, quum perpetuò timeant ne qua in subditis oriatur seditio ac rebellio, nihilo tamen magis ad eũ respiciunt qui totum orbem vnico momento seditionibus exagitare & populos inter se committere potest. Nisi ille aspirauerit, nemo adeo potens est vt populos sibi subiiciat. Notum est Pharaonis exemplum, qui quo magis populum Israelis opprimere sibique subiicere conabatur, hoc minus quod volebat efficiebat, imò hoc magis seipsum deiiciebat ac perdebat. Et Ieroboam quoque, 1. Reg 12. f. 18: & Philistæi, 1. Sam. 13. a. 5, peruerso consilio ad subiiciendos sibi Israelitas vsi leguntur: ad quẽ modum etiam inter Christianos solent qui ambitione dominandi laborant: quorũ aliqui vsqueadeo insaniũt vt Euangelio Christi locum in subditis suis permittere detrectent, quò magis eos sub se retineant: quasi regnare nequeant nisi Christo Dei Filio repugnent: cuius tamẽ est populos principibus subiicere. Subditi quoque admonentur vt sentiant se non humana sed diuina dispositione subiectos esse magistratibus, videantque ne illis reluctentur, nisi Deo reluctari velint.[A] sicuti copiosè ostẽdit Paulus, Rom. 13. a. 3.[M] Et præterea fieri non potest vt sese ex ista subiectione liberent, & in libertatem asserant, nisi liberentur ab eo per quem sunt in conditionem ac sortem subditorum coniecti. Etenim Domino subiicicnte quis tantæ poterit esse potentiæ, vt liberos reddat eos quos ipse vult esse seruos?

49 *Eruitor meus ab inimicis meis: etiam ab insurgentibus in me exaltasti me, à uiro iniquo eruisti me.*

Erutor meus. In secundo Samuelis legitur, Et educis me. *Ab inimicis meis.* Id est, de potestate inimicorum meorum.[M] Vulgata lectio, De inimicis meis iracundis. *Etiam ab insurgentibus in me.* Etiam præ inimicis meis, vel supra aduersarios meos. *Exaltasti me.* Futurum Hebræum, pro præsenti vel præterito, Eleuas.[C] Colligit ex periculis & difficultatibus, se aliter non potuisse saluum euadere, nisi Dei manu seruatus esset. Huc enim pertinet eleuatio de qua loquitur, mirabiliter se fuisse sublatũ, ne victrici hostium violentiæ succumberet. *A viro iniquo eruisti me.* Ad verbum.[V] A viro iniuriæ, id est violento.[A] Singulare pro plurali: nisi placeat Saulem hic perstringi, cuius[M] in ipsa Psalmi epigraphe facta est mentio.

50 *Propterea confitebor tibi in Gentibus ô Iehoua, & nomini tuo psallam.*

Propterea confitebor tibi in Gentibus.[V] Laudabo, celebrabo te. id est, gratias agam. *Et nomini tuo psallam.* Et nomini tuo canam. id est, in honorem nominis tui laudes dicam.[C] Hoc versu docet Dauid, beneficia Dei quæ retulit, nouo & insolito præconio digna esse, vt eorum fama ad Gentes vsque penetret. Subest enim tacita comparatio inter ordinarium Dei cultum, quo tunc solebant fideles in templo defungi, & hanc gratiarum actionem, quæ tam angustis finibus capi minimè poterat. Sensus est igitur, Domine, non tantùm ex præscripto Legis ritu gratias tibi agam in cœtu fidelium, sed longius manabũt laudes tuæ, sicuti per totum orbem memorabilis est tua in me gratia.[M] Bis verò idem dicit. Nihil enim aliud est celebrare Deum quàm psallere nomini eius. hoc est, laudes illi canere, quibus nomẽ illius extollatur ac celebre reddatur.[A] sed crebræ sunt istiusmodi repetitiones in Psalmis, ad indicandum animi ardorem quo sanctus vir ad laudes Dei celebrãdas totus æstuabat.[C] Ceterùm ex hoc loco vaticinium de futuro Christi regno elicitur: quia nisi in societatem electi populi allectæ fuissent Gentes, frustra inter surdos & absurdè cantatæ fuissent laudes Dei. Quare scitè Paulus & appositè hoc testimonio probat non esse fortuitam Gentium vocationem, Rom. 15. b. 9. Pluribus enim locis postea videbimus Dei laudibus sacrum domicilium assignari in Ecclesia. Quare alibi quàm in Iudæa non potuit rite & cum fructu celebrari Dei nomen, donec perforatæ essent aures Gentibus: quod factum est vbi eas Deus per Euangelium asciuit.[M] Vnde & peculiariter admonemur quàm debeamus istam Dei misericordiam, qua Christo Filio eius tanquam capiti ac seruatori subditi sumus, totis viribus deprædicare & extollere: nec extollere tãtùm, sed & curare ne nos illa reddamus indignos, sicuti faciunt increduli & ingrati. Huius admonet Apostolus Ephes. 2. c. 10, & aliis locis.

51 *Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam uncto suo Dauid, & semini eius usque in seculum.*

Magnificans salutes regis sui. [V] A secunda ad tertiam transiens de se loquitur in tertia persona. Qui magnã salutem affert regi suo. Vertitur & per præteritum, Qui magnificauit salutes regis sui. id est, magnificè me regem suum iuuit, magnam opẽ tulit mihi, quem regem constituit. In Cantico legitur, Ars salutũ regis sui.[C] Versus hic à fine demonstrat cur tam liberaliter Deus egerit cum Dauide: quia scilicet eum vnxerat in regem. Nam se regẽ Dei vocando, se nec temere irrupisse, nec prauis factionibus obtrusum fuisse testatur, sed iure legitimo regnasse: quia sic Deo placuit.[M] Dicere poterat, Qui seruauit regẽ suũ: verùm quoniã eã beneficentiã plurimi faciebat, sic eã celebrare voluit vt diceret se magnificè esse seruatum. Et hic gratitudinis affectus non solùm ex eo quòd dona & beneficia Dei pii in se quàm sint ampla & magnifica, sed inde quoque prouenit quòd seipsos considerant, quàm sint nihili, quàmque meriti nõ sint vt à Deo respiciantur. Sic Iacob dicebat, Minor sum cunctis miserationibus tuis, Gen. 32. c. 10. Et hic Propheta, Quid est homo, quòd memor es eius? Suprà, 8. b. 5. Et iterũ, Quis ego sum Domine, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? 1. Paralip. 17. c. 16. Et Maria, Magnificat, inquit, anima mea Dominũ: & exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. Quia respexit ad humilitatẽ ancillæ suæ, &c. Luc. 1. e. 46. Itaque qui propriæ vilitatis & humilitatis sensu destituũtur, hoc ingenio præditi esse non possunt vt beneficia accepta magnifaciant, adeóque veram ac competentem gratitudinem ostendant. Quantũ enim sibiipsis tribuunt, tantum magnificentiæ benefactoris adimunt.

Et faciens misericordiam uncto suo Dauid.[C] Probat vnctionis symbolo se nonnisi iure legitimo regnasse: quia Deus Samuelis manu eum vngendo, non secus ius regnandi asseruit quàm si manu sua palam è cœlo exerta in regio solio locasset. Hanc electionem cõtinua salutum serie magnificè fuisse sancitam dicit. Vnde sequitur, ex professo cum Deo bellare omnes quibus rata non est eius vocatio. Causam simul ascribit Dei clementiæ, vt sciamus in mero Dei beneplacito fundatum fuisse illud regnũ.[M] Simulque innuit, quæ à Deo acceperat beneficia, non sibi vt homini

priuato, sed tanquam regi & Christo Dei fuisse impensa. Hoc autē pacto non tam Dauidi quàm populo ipsi concredito benefactum fuerat à Deo. Illa enim salus regis pii & cordati, salus populi. Proinde discent hic reges & principes ac reliqui magistratus quò referre debeant siquid beneficiorum ac donorum Dei acceperint. Discant etiam quid de seipsi sentire, nempe esse se reges Dei & seruos Dei, & quid ea eo sibi corā Domino Deo suo polliceri debeant. *Et semini eius usque in seculum.* [v] Q.d. Beneficiis prosequutus est & prosequetur Dauidem, quem vnxit in regem, & posteros eius in seculum. [c] Ex hac autem clausula apertius constat quod prius diximus, Dauidem non tam historicè narrare mirificas & varias gratiæ Dei species quas ipsa expertus erat, quàm de perpetuo regni statu vaticinari. Ac notandum est seminis nomine non quoslibet posteros intelligi, sed peculiariter notari successorem illum cui se fore in Patrem Deus pollicitus fuerat, 2.Sam.7.c.14. Nam quum prædicta esset regni stabilitas quàndiu sol & luna in cælo fulgerent, necesse fuit ad eum descendere qui rex æternus, non temporalis, futurus erat. Itaque semen suum nobis commendas Dauid eximia illa promissione ornatum, quæ nec in Solomonem nec in alium quempiam ex successoribus perfectè competit, sed in Filiū Dei vnigenitum: sicut Apostolus hac dignitate ipsum Angelis antecellere docet, Hebr.1.b.4.5. Itaque rectè proficiemus in hoc Psalmo, si vmbra nos ad corpus deducat. [m] Habet enim hic versus in ipsa medulla occlusum regni Christi mysterium, primū in vocibus regis ac Christi Dei, quæ propriè Christo Filio Dei competunt. Deinde in magnificentia Dei erga regem & Christum suum. Ea siquidem quæ Dauidi cōtigit, vmbratilis quædam fuit, respectu eius quæ in Christo est declarata: in quo verè magnificè egit Deus, non modò ipsum è manibus inimicorum & ipsa morte, sed & omnes in eum credentes ex potestate inferorum liberando, & in regnum suum tam Gentes quàm Iudæos vocando & assumendo. Tertiò in æternitate quoque bonitatis erga semen Christi, hoc est erga fideles omnes. de quo semine vide Esa.53.c.10. [b] Perpendamus igitur ista & nobis scripta, Deūque sui similem perseuerare. Tantùm ei[9] misericordia nitamur, ipsumque & nostrum robur, rupem, munimentum, ereptorem, Deum, propugnatorem, clypeum, virtutem saluificam & perfugium credamus esse: & illuminabit nostram quoque lucernam, viámque nostram sic expeditam efficiet, & eam largietur de hostibus victoriam, vt & nos prædicandi eius super nos bonitatem materiam simus habituri amplissimam.

ARGVMENTVM PSAL. XIX.

[m] ARDENTI zelo [c] Dauid fideles ad considerandam Dei gloriam hortari volens, primò eius speculum in cælorum machina & exquisiti ordinis artificio proponit. Deinde Legis præcellentiam ostendēs, ad eam nos reuocat, in qua magis familiariter se Deus patefecit electo populo. Itaque hanc peculiarem gratiam pluribus verbis prosequitur, Legis vsum commendāt. [b] Postremò à peccatis seruari orat, & vt placeant probaque sint quæcunque vel corde meditatur, vel ore loquitur.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis,*

2 *Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat firmamentum.*

Perfecto, canticum Dauidis. De voce למנצח vide suprà, 4.a.1. *Cæli enarrant gloriam Dei.* [b] Certum est Vatem versibus septem prioribus Dei potentiam in cælorum machina tam insigniter declaratam prædicare. [c] Sunt enim huius Psalmi duæ partes: quarum in priore Dei gloriam celebrat Dauid ab operibus: in altera autem notitiam plenius in verbo elucentem prædicat. Quanquam autem nonnisi cælorum meminit, non tamen dubium est quin sub nobilissima parte, & cuius excellentia magis conspicua est, totum mundi opificium per synecdochen designet. Nihil certè tā est obscurū vel contēptibile in minimis terræ angulis, in quo nō aliqua virtutis & sapientiæ Dei nota cernatur: sed quia cælis insculpta est expressior imago, hos præcipuè Dauid elegit, quorum splendore nos ad totum mundum lustrandū dirigeret. Nam vbi quis ex cæli intuitu Deum agnouerit, non modò in terræ superficie, sed in minimis quibusque plantulis eius sapientiam & virtutem reputare & mirari discet. [b] Porro Scriptura dicere solet Deum cælos creasse & extendisse, opus adeo illustre, magnificum atque immensum, vt suprà, 8.a.4. & infrà, 96.b.5. & 136.a.5. Huius admonet etiam Dauid hoc versu, [c] in quo etiam vnam suo more bis repetit. Cælos enim inducit tanquam testes ac præcones gloriæ Dei, personam mutæ creaturæ alienam attribuens, quæ magis ingratitudinē exprobret hominibus, si tam clarum testimoniū surdis auribus prætereunt. Efficacius enim mouet ac afficit hæc loquutio, quàm si dixisset cælos monstrare. Est quidem hoc magnum, in cælorum splendore oculis nostris offerri viuam Dei imaginem: sed quia sensus melius excitat sonoræ vocis prædicatio, vel certiùs saltem ac maiore cum profectu docet quàm simplex conspect[9] cui nulla coniuncta est admonitio, notanda est huius figuræ emphasis, quòd cælos suo præconio Dei gloriam enarrare dicit. *Et opus manuum eius annuntiat firmamentum.* רקיע [v] Expansum vel extensio. id est, Ipse aer & tota cæli exactissima structura testatur quàm eleganter & ad amussim operetur Deus manibus suis. Vox Hebræa רקיע, pro qua Expansum siue extensionem vertūt, pro cælis & aere accipitur, qui sunt expansi velut pellis: iuxta illud, Qui extendis cælū velut pellem, Infrà, 104.a.2. [m] Cogitemus hic quàm sit opus hoc Dei vastum, amplū, latissimè extensum, aspectu iucundum, ornatu speciosum, tempore diuturnum, ac robore firmū. Licet hæc nobis omnia ad gloriam Dei expendere, etiāsi occultiora cælorū miracula ignoremus. [c] Hæc itaque repetitio exegetica est. Exponit enim Dauid quomodo gloriam Dei cæli nobis prædicēt: quia scilicet apertè testentur nō se fortuitò conflatos esse, sed ab opifice præstantissimo mirabiliter conditos. Fieri enim non potest quin ad ipsum vsque authorem nos attollat cælorum intuitus, ac mirabilis quæ illic apparet distinctio, ornatus & splendor luculentum eius prouidentiæ testimonium reddant. Creationis quidem tempus & modum Scriptura explicat: sed etiam Deo tacente, cæli ipsi eius manibus se compositos fuisse clamitant: quod ipsum ad testandam eius gloriā abunde sufficit. Simul enim ac Deum agnoscimus mundi opificem, mentes nostræ in admirationem immensæ eius bonitatis, sapientiæ & potentiæ rapi necesse est. Nam quis sātùm lunæ vices & solis ortus atque occasus, tū recessus & accessus, pro dignitate explicet? Iam aliorū syderum neque sciri numerus potest, nedū virtutes pernosci. Solus siquidem Deus (vt canit hic Vates) qui & numerum stellarum tenet, & sua illis nomina imponit, Infrà, 147.a.4. Ex eodem hoc Dei inexplicabili stupendóque opificio Dei maiestas & potentia cùm alias tum Iob 9.a.7.8. & 38.c.14. deprædicatur.

3 *Dies diei eloquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam.*

Dies diei eloquitur sermonem. [v] Ad diem eructat. Quanquam subtilius intelligūt philosophi quàm pulchrè distincti sint stellarum ordines, vt in tanta multitudine nihil sit cōfusum, huius tamen prouidentiæ Dei rudibus & illiteratis certius documentum est continua dierum successio. Dauid ergo hic à cælis non descendit ad alias mundi partes: sed ab effectu magis sensibili & propinquo confirmat quod nuper dixit, in cælis non solùm splendere imò etiam resonare Dei gloriam. Etsi autem variè exponi possunt verba, sensus tamen ferè idem manet. Nonnulli sic resoluunt, nullum diem præterfluere quo non insigne aliquod documentum suæ virtutis Deus edat. Alii verò notari volunt doctrinæ incrementa, vt semper dies posterior noui aliquid afferat. Durius est quod intelligunt quidam, dies & noctes inter se colloqui, & de conditoris sui gloria differere. Neque verò dubium est quin Dauid ex ordinatis dierum & noctium vicibus solis & lunæ stellarumque cursum & reuolutionem mirabili Dei consilio temperari doceat. Siue autē Diem de die vertamus, siue Diem ad diem, parum interest: quia tantùm notatur concinna temporum series quam dierum & noctium successio efficit. Dies quidē vnus, si satis attēti essemus vt decebat nobis idoneus esset gloriæ Dei testis. nox etiā vna idē officiū præstaret. sed quum videmus solem & lunam quotidie suo [illegible] mūdum cōplecti, interdiu solē super capita nostra extare, lunā succedere vicibus, gradatim solem ascendere, & simul propius ad nos accedere, postea iter suum reflectere, vt à nobis paulatim recedat: hinc dierum & noctium longitudinem confici, & hanc varietatem æquabili lege ita esse dispositam vt quotannis recurrat: hæc longè clarior testificatio est. Quare non immeritò Dauid, quanuis Deus nullum verbum faciat, dierum tamen ac noctium tam bene aptatam seriem de gloria Dei magnificè concionari dicit: nec iam ignorantiæ prætextum reliquum esse hominibus. quia quum doctorum officio tam probè fungantur dies & noctes, satis scientiæ ex eorum magisterio consequi possint. [b] Verbum יביע Eructare vertere solent, & id nonnunquam significat: sed ad sermonem significandum inde translatum est quòd propriè Scaturire significet. sermo enim ex ore vt riuus è fonte ebullit. *Et nox nocti indicat scientiam.* [v] Q.d. Vicissitudo illa dierum ac noctium perpetuo suo cursu & ordine Dei potētiam & sapientiam concelebrāt. Nam Deus per sapientiam suā cælo certum illum & constantem motum indidit.

4 *Non est sermo, nec [sunt] verba [ubi] non audiatur vox eorum.*

Non est sermo, nec sunt verba. [a] Ad verbum, Non eloquium & non sermones, non auditur vox eorum. [v] Id est, nulli sunt populi, quantumuis differant linguis, quos non doceat communis cælorum sermo & præconium quod creatori suo reddunt: nec

quicquã præter socordiã obstat quominus alienissimi quique quasi ex ore vnius doctoris proficiant. Quidam simul contexũt duos versus, acsi suspensa esset sententia vsque ad posterius mẽbrum, In omnem terram, &c. Itaque, secundum eos, sensus est, quamuis muti sint cæli, nec loquendi facultate præditi, satis tamen alta & canora voce prædicare Dei gloriam. Sed si hoc voluit Dauid, quorsum attinebat ter repetere non esse illis articulatum sermonem? frigida sanè esset rei notæ inculcatio. Prior igitur expositio vt magis recepta est, ita melius cõgruere videtur. Nam in lingua Hebraica, quæ concisa est, sæpe aliquid subauditur: præsertim Hebræis tritum est relatiua omittere. Adde quòd tertia negatio בְּלִי exceptionem magis denotat à membris prioribus: acsi dictum esset, non obstare linguarum discrepantiam quin vbique exaudiatur cælorum præconium. Facit enim linguarũ dissonantia vt cesset mutua inter varias gentes cõmunicatio: & qui facundissimus est in sua gente, inter exteros obmutescat, vel barbarus sit, si loqui tentet. Imò siquis linguarum omnium notitia sit instructus, non poterit tamen Græcum simul & Latinum compellare: imò simulac sermonem ad hos vel illos conuerterit, ab aliis intelligi desinet. Dauid ergo tacita cõparatione amplificat huius testimonii efficaciã quod cæli creatori suo reddunt. acsi diceret, tam communem illis esse sermonẽ, vt ab omnibus etiam lingua & regione dissitis facillimè intelligi queant. [a] Porro cogitandum hic est qua ratione Propheta nõ Angelos, cælestes spiritus, vel mare illud immensum aut alia insignia opera Dei inducat, (quum tamen & ipsa gloriã Dei enarrent) sed cælos visibiles illos, deinde diem & noctem ac solem: quæ tamen nec sola nec omnem opificis Dei gloriam deprædicant. Non caret hoc diligẽti ratione. Nam vt aspectus cælorum & solis, deinde & vicissitudo illa dierum ac noctium per orbem vniuersum nemini non patet, ita & gloriã Dei passim omnibus considerandam proponunt: id quod non potest ab omnibus illius operibus præstari. Verùm quia quæ & quotidiana sunt, & vbiuis locorum nemini non exposita, hoc ipso quòd & quotidiana sunt & passim obuia, vilescunt: ob id visum est Spiritui sancto pios & electos admonere, vt in illis potissimùm gloriam diuinæ maiestatis cõsiderent ac deprædicent in quibus illa vulgò vilescere consueuit.

5 *In omnem terram exiuit scriptura eorum, & in extremum orbis eloquia eorum, soli posuit tabernaculum in ipsis.*

In omnem terram exiuit scriptura eorũ. [m] Docet hoc versu Propheta cælos gloriam Dei adeo sonora voce vbique locorum deprædicare, vt sonus ac verba prædicationis eorum terrã vniuersam ad fines vsque totius orbis penetrent ac repleant: [c] ita vt intelligant homines vbique terrarum cælos ipsos ad celebrandam Dei gloriam propositos esse testes. Cæterùm quia nomẽ קַו nũc lineam, nunc structuram Hebræis significat, quidam hunc sensum eliciũt, quòd cælorum architectura quasi lineam ad regulam composita, longè latéque gloriam Dei prædicet. Sed quum metaphoricè cælestis machinæ splendorem Dauid hic doctoris instar de gloria Dei concionantem inducat, frigida esset ista loquutio, lineam cælorum exire in vltimos vsque terræ fines. Adde quòd statim proximo membro verba vbique exaudiri subiicit. Quid autem verbis affine cum specie ædificii? Quòd si vertamus Scripturam, hæc duo optimè conuenient, in cælis, tanquam in volumine omnibus conspicuo, descriptã esse Dei gloriam, & simul inditam illis esse sonoram vocem, quæ ad omniũ aures perueniat. Atque ita monemur visibilẽ (vt ita loquamur) esse sermonem illum cuius facta prius fuit mẽtio. Oculis enim non auribus loquuntur cæli. vt meritò eorum speciem tam distinctè ordinatam Scripturæ comparet Dauid. [m] Est enim bonorum operum Dei tam admirabilis machina, tam constãs vigor, tam certus ordo, támque ineffabilis intelligentia, vt gloriã Dei quauis sonorissima etiam voce clarius deprædicẽt, vt nõ sit angulus aliquis orbis vbi vocalissima eorum concio nõ audiatur. Porro nomen קַו etiã versum in scriptione significat: vt satis patet ex eo loco Prophetæ, vbi Deus Iudæos pueris nondum satis per ætatem docilibus comparans, sic loquitur, Erit illis præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum, versus ad versum, versus ad versum, paulisper ibi, paulisper ibi, Esa. 28.c. 10. Itaque sensus est, gloriam Dei non obscuris literulis notatam, sed splendido charactere expressam esse, cuius lectio omnibus exposita sit ac facilis. [v] Quidam allegoricè Paulum locum istum adduxisse scribũt, dicentes sonum Euãgelicæ prædicationis per Apostolos factæ peruenisse in omnes terras, Rom. 10. d. 18. Verùm si propius locum Pauli intueamur, Paulus à literali sensu huius loci non recessit. [c] Nam de Gentium vocatione disserens, principium illud sumit, saluum fore quisquis inuocauerit nomen Domini: deinde addit non posse inuocari donec ex Euangelii doctrina cognitus fuerit. Cæterùm quia Iudæi speciem sacrilegii non carere ducebant quòd Paulus salutis promissionem Gentibus vulgaret, quærit annon ipsi quoque audierint. Ac respondet ex hoc loco, apertam illis fuisse scholam in qua pietatem & Dei cultum discerent: quia in omnẽ terram exiuit, &c. Verùm intempestiuè tunc Paulus dixisset Euangelii vocem ex ore Apostolorum fuisse in toto mundo auditã, quæ vixdum ad paucos peruenerat. Certè aliorum prædicatio nondum exierat in regiones longinquas, sed Iudææ finibus adhuc manebat inclusa. Porro eius consilium minimè ambiguum est. dicere enim voluit iam anteactis seculis Deum patefecisse Gentibus suam gloriam, atque hoc amplioris doctrinæ fuisse præludium. Nam etsi ad tempus separata fuit electi populi conditio à Gentibus, mirum tamen videri non debuit quòd vtrisque tandem Deus promiscuè se patefecit, quos pridem cõmuniter ad se inuitauerat: sicuti alibi dicit, quo tempore passus est Deus Gentes errare per vias suas, non tamen se reliquisse ἀμάρτυρον, Act. 14. c. 16. *Et in extr. ... orbis eloquia eorum.* Notãda venit hoc loco cõmunis illa & generalis erga quosuis mortales beneficentia, qua diem, noctem, cælos, solẽ, & quæ alia sunt huiusmodi, communiter omnibus vbique totius orbis nationibus impertit. Cuius ad hoc admonemur à Christo, vt illam tanquam sinceri filii Dei imitemur, Matth. 5. g. 45. Simul etiam cogitandum est quàm nulla relinquatur excusatio omnibus illis qui Deum creatorem suum nõ agnoscunt, quasi prorsus sit abditus, obscurus & mutus. Loquitur omnibus etiam in extremis orbis finibus constitutis, nec loquitur obscuris verbis quæ intelligi nequeant, sed operibus quauis voce clarius insonantibus. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mũdi, dũ per opera intelliguntur, peruidentur, ipsáque æterna eius potentia ac diuinitas, Rom. 1. c. 20. *Soli posuit tabernaculum in ipsis.* [c] Sub cælis. Domicilium, inquit, circunscripsit in cælis ipsi soli, vt illic tanquam in sublimi theatro melius cõspiceretur. [a] Quia nullum æquè sidus vt solis iubar, Dei maiestatem attestatur, Vates de sole peculiariter subiicit, in altissimo gradu positum esse. Nã etsi aliis planetis sunt etiam sui cursus & quasi stadia, & firmamentum stellas omnes fixas in suam reuolutionem trahit: rudibus tamẽ & indoctis Dauid astrologiæ arcana frustra conatus esset tradere. Itaque satis habuit crasso stylo ingratitudinis arguere totum mundum, nisi in solis conspectu in pietate proficiat. Hæc ratio est cur dicat tentorium ei paratum esse.

6 *Et ipse tanquam sponsus egrediens de thalamo suo, gaudet ut potens ad currendam viam suam.*

Et ipse tanquam sponsus egrediens. [c] Dicit egredi solem ab vna cæli extremitate, & transire celeriter in partem oppositam. Neque enim inter philosophos de integro solis circuitu disputat, sed rudissimis quibusque se accommodans, intra ocularem experientiam se continet. ideóque dimidiam cursus partem, quæ sub hemisphærio non cernitur, subticet. *De thalamo suo.* [b] Solem facit similẽ sponso egredienti ex vmbraculo suo. Mos Hebræis fuit, ac etiamnũ obseruatur, vt sub expãso velo spõso spõsa tradãtur: è quo quũ progreditur, cunctos exhilarat, & nuptiarũ festum incipitur. Ad quod & Iohãnes allusit, quũ dicebat, Amicus sponsi gaudet quum audit vocem eius, Iohan. 3. d. 29. Sic exoriente sole, & mane os aureum orbi proferente, vniuersi orbis facies mirum in modum recreatur ac velut innouatur. [c] Ergo dignitas & ornatus solis hac sponsi similitudine commendatur. *Gaudet ut potens ad currendam viam.* [v] Exultat vt gigas, aut velut heros. Futurum Hebræum pro præsenti. vel, exultare solent, vt potens aut athleta aut cursor, ad currendam viam, id est ad decurrendum spatium suum. Vbi inquit, ortus est sol, peragit cursum suum prompto, læto & alacri animo, quemadmodũ alacri & generoso animo tendit cursor ad metam sibi in stadio propositam. De ortu solis loquitur. [c] Mira autem fuit olim eorũ pernicitas qui vel quadrigis vel pedibus in stadio certabãt, quæ etsi longissimè abfuit à celeritate solis, nihil tamen in communi hominum vsu inuenire potuit Dauid quod propius accederet. [a] Adde quòd hæc similitudo propter nimiam imparitatem nonnihil habet gratiæ. Admodum impar siquidem similitudo est inter heroem singulari celeritate præditum, & solem, qui à carceribus (vt dici solet) Orientis ad metam vsque Occidentis vnius diei cursu pertingit. Huius tamẽ generis similitudinibus Scriptura non illubens vtitur. Talis sanè est quòd nubes & cælos Dei tabernaculum, motum ventorum remigium alarum, tonitruum vocem, sagittas eius fulmina fecit. Hæc vtique dispacitas obiecta animo stupere Dei amplitudinem facit, quam collatam rebus humanis videt adeo nullis, quãlibet excellentibus, apud nos posse conferri.

7 *Ab extremo cælorum egressio eius, & reuolutio eius usque ad extrema eorum: & non est qui se abscondat à calore eius.*

Ab extremo cælorum egressio eius. [m] Q. d. Tanta est in sole velocitas vt summo miraculo vastos illos cælorum campos vnius diei spatio percurrat: & quum id quotidie faciat, nihilo tamen lassatur. *Et reuolutio eius usque ad extrema eorum.* [v] Et recursus eius,

circuitio lustratio. Per extrema cæli intelligit quatuor cæli partes, Ortum, Occasum, Meridiem & Septentrionem. Q.d. Cursus solis, quem tam celeriter peragit, est ab Oriente ad Occidentem: ab altero extremo cælorum est egressus eius, & recursus eius vsque ad alterum extremum. *Et non est qui abscondat se à calore eius.* [v] Et nihil est quod abscondatur. Nihil est ad quod non perueniat calor eius. Sol præterquam totum cælū lustrat, emittit calorem sine quo viuere non possumus. sentiūt omnia calorē solis viuificum. [c] Hoc verò mirabile Dei opus est & insigne bonitatis specimen, quòd vis solis in terram vsque penetrans, sua inspiratione eam fœcundat. Vel potius quia Vates neminem vel nihil abscondi dicit à calore solis, de violēto æstu, quo tam homines quàm reliqua animantes, plantæ etiam & arbores torrentur, particulam hanc intelligere possumus. quia viuificum calorem, quo nos vegetari sentimus, effugere nullus cupit.

8 *Lex Iehouæ perfecta, conuertens animam: testimonium Iehouæ fidele, sapientem efficiens paruulum.*

Lex Iehouæ. [A] Propheta ad alteram Psalmi partem descendit. [c] Postquā enim totum humanum genus ostēdit satis à mutis magistris doceri de vnico Deo, Iudæos nunc aggreditur, quibus magis Deus innotuerat per verbum suum. Nam quod de ipso testantur cæli, non eousque deducit homines vt veram pietatem perdiscant: sed tantùm huc valet vt reddantur inexcusabiles: [A] sicuti Paulus docet Rom.1.c.20. Verum quidem est, nisi essemus nimis hebetes, esse in mundi theatro satis multa documēta quæ nos ad pietatem inuitent: sed quia in luce clara cæcutimus, sine verbi subsidio nihil nobis prodesset splēdida ista gloriæ Dei repræsentatio, licet sonoræ concionis loco esse debeat. Itaque Deus quos ad salutem vocare statuit, peculiari gratia dignatur: sicuti olim quāuis omnibus sine exceptione testatus sit se esse Deum, tamē Abrahæ filiis seorsum Legem dedit, quæ certiore & magis propinqua notitia eos imbueret. Vnde sequitur, Iudæos duplici vinculo ad Deum colendum obstrictos esse. Nam quum Gentes, quibus tantùm per mutas creaturas loquutus est Deus, nulla ignorantia excuset, quanto minus tolerabilis est eorum stupor qui vocem ex sacro eius ore profectam audire negligunt? Hic ergo finis est, vt se alacrius addicant Iudæi in Dei obsequium, quos sanctiore vinculo sibi deuinxit. [M] Hoc etiam beneficium cum primis populo Dei considerandum à Mose proponitur, Deut.4.f.36. Et ab hoc ipso Propheta, Infrà, 147.9. Et ab Apostolo Paulo, Rom.9.a.4. *Perfecta.* [V] Immaculata, sincera, integra. Sub Legis nomine non tantùm intelligit regulam iustè viuendi, vel decem præcepta, sed comprehēdit totum fœdus quo Deus populum illum a reliquo mūdo distinxerat, ac totam Mosis doctrinam: cuius partes deinde enumerat sub vocibus testimonii, statutorum, & aliis. Neque enim elogia hæc quibus Legem commendat, solis decem præceptis quadrarent, nisi accederet adoptio gratuita, & quæ ex ea dependent promissiones, denique totū illud doctrinæ corpus ex quo cōstat vera religio & pietas. Prima autem Legis commendatio est, quòd sit integra, vel perfecta: quo verbo significat Dauid, siquis in Lege Dei rite sit edoctus, ei ad perfectam sapientiā nihil defore. Quamuis enim profanis scriptis aspersæ sint veræ & vtiles sententiæ, & Deus aliquam iustitiæ notitiam indiderit hominum animis: facit tamē naturæ corruptela ne qua inter homines reperiatur pura lux doctrinæ, sed mutila quædam principia, & quidem implicita ignorantiæ tenebris. Vnde meritò Dauid laudem hāc vendicat Legi, quòd in se perfectā & absolutā sapientiam contineat. *Conuertens animam.* [F] Hæc animæ conuersio pro instauratione ponitur. Sunt tamen qui nimis argutè hic philosophantur de pœnitentia & reformatione hominis. Verum quidem est non recreari animam Dei Lege quin renouetur in iustitiam: sed tenēdus interea est simplex Dauidis sensus, quòd sicut anima vegetat corpus, sic etiam Lex vita sit animæ. Dicit autem animam restitui, ad miserum statum alludens in quo omnes nascimur. Etsi enim quædam primæ originis reliquiæ adhuc supersunt, quia tamen nulla pars ab inquinamēto & labe pura manet, sic vitiata animæ conditio parùm à morte differt, prorsúsque ad mortem tendit. Itaque necesse est vt Deus adhibito Legis suæ remedio succurrat. nō quòd per se id præstet Legis litera, (vt postea fusius dicetur) sed quia Deus ad restituendas animas verbi sui organo vtitur. *Testimonium Iehouæ fidele.* [V] Testimonium Iehouæ firmum, constans. q.d. Lex Domini fallere non potest. Repetitio est proximæ sententiæ: vt Legis integritas & fides, & veritas testimonii idem valeant: nēpe vbi nos verbo Dei regendos tradimus, non esse errandi periculum: quia certò hac via Dominus suos in salutem dirigit. *Sapientem efficiens paruulum.* [V] Imperitum, simplicem. [c] Eruditio in sapientia videtur adiecta esse tanquam instaurationis animæ principium. Nam quum præstantissima animæ facultas sit intelligentia, eam Dauid ex Lege petendam docet: quia naturaliter ea destituimur. Neque enim paruulorum nomine vnam tantùm hominum speciem designat, acsi alii per se satis saperent: sed primò admonet, nullos recta intelligentia præditos esse, donec in Lege Dei profecerint. Simul etiam ostēdit quales Dominus discipulos postulet, nempe qui stultescant apud se, & in puerorum ordinem descendant, ne impediat proprii sensus altitudo quominus Dei verbo se penitus dociles afferant. Paruulos ergo intelligit non ætate, sed animo & intellectu: nec de sapientia mundi loquitur, sed de ea quæ est ex cognitione Dei. Hac de re Solomō in Prouerbiis suis aliquot capitibus diligēter & copiosè agit. Et Iere.6.g.24. Et Moses Deut.4.a.6 Quantū ad voces Hebraicas quibus Lex Dei significatur, certum est interdum eas confundi: sicuti ex aliis locis colligere promptum est. עדות quidem generaliter pro conuentione accipitur, qua Deus vbi se Deum fore pollicitus est Abrahæ filiis, vicissim ab ipsis fidē & obedientiam stipulatur. est igitur mutua inter Deū & populū pactio. פקודים quæ Statuta vel Præcepta omnes vertūt, pro edictis in genere passim accipiuntur, Quare non rectè quidam ad ceremonias restringunt. מצוה verò, quod proximè sequitur, synonymū est.

9 *Præcepta Iehouæ recta, lætificantia cor: præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos.*

Præcepta Iehouæ recta. [V] Mandata, iussa. [c] Quanquam nihil nisi vulgare dicere videtur, quum statuta Domini recta vocat, siquis tamen antithesim consideret inter rectitudinem Legis & flexuosas vias quibus se inuoluūt homines, dum sensum proprium sequuntur, hoc elogium non parui esse momenti intelliget. Scimus quantopere sibi quisque addictus sit, & quàm difficile sit falsæ prudentiæ confidentiam ex animis nostris reuellere. Emphatica igitur doctrina est, nec aliter non posse institui vitam hominis quàm si formetur ad Dei Legem, extra quam semper in tortuosis ambagibus erratur. [V] In summa, recta vocat præcepta seu statuta, quia rectum ad vitam iter docent, non flexuosum, quale docet caro & cautio humana. *Lætificantia cor.* [c] Addit secundò statuta Dei exilarare cor: quia nulla alia est nisi bonæ conscientiæ solida lætitia: qua tunc demum fruimur vbi certò sumus persuasi vitam nostram Deo placere. Vera quidem pacis origo est ex fide, quæ nos gratis Deo reconciliat: sed hinc etiam piis Dei cultoribus inæstimabile gaudium oritur quòd sciunt non temere nec frustra se fatigari, quū Deū vitæ suæ arbitrum & approbatorem habent. Itaque Lex Dei animum pii hominis ad ea quæ Deo probantur promptum reddit & alacrem. Delectantur enim pii Lege ac verbo Dei sui, inque eo quo delectantur, magna animi iucūditate noctes ac dies meditantur, ac meditantes exhilarātur. [c] In summa, hæc hilaritas prauis omnibus illecebris & voluptatibus opponitur, quæ exitialiter miseras animas inescant. acsi diceret Dauid, quicunque peccando se oblectant, multiplicem dolorum materiam sibi accersere: sincerum verò gaudium Legis studio acquiri. *Præceptum Iehouæ purum.* [V] Mutatio numeri à plurali ad singulare. *Illuminans oculos.* [c] Subindicat his verbis perperam aliunde peti boni & mali discrimen: quia vitæ puritatē inquinent suis fæcibus quicquid ex se comminiscūtur homines. Deinde eos cum toto suo acumine cæcos esse, & semper in tenebris errare, donec ad cælestis doctrinæ lucem conuertant oculos. Vnde sequitur, non alios rectè sapere nisi qui Deum sequuntur ducem & magistrum, & ad facē quam verbo suo præ se fert attenti sunt. [M] Sic enim nobis cum Dei tum nostrarum rerum cognitio subministratur, (id est, tam Dei voluntatis quàm nostræ corruptionis certi sumus) si in Legē respicimus, in qua vera & cælestis sapientia continetur. [A] In illam igitur perpetuò respiciamus, ne simus sicut mulus & equus, quibus non est intellectus. [M] Paulus concupiscētiam peccatum esse nesciebat, nisi Lex dixisset, Ne cōcupiscas, Rom.7.b.7. Hactenus Legis efficaciam Propheta egregiè ac insigniter commendauit. [c] Verū hinc emergit nō parua quæstio, quia hæc Legis encomia quæ referuntur à Dauide, Paulus funditus euertit. Quomodo enim hæc inter se conuenient, quòd Lex corrigat animas, sit tamen mortua & exitialis litera: quòd corda exhilaret, spiritum tamen seruitutis afferens incutiat terrorem: quòd illuminet oculos, velo tamen opposito lucem intus supprimat? Sed primò memoria tenendum est quod primò admonuimus, Dauidem non de nudis præceptis disserere, sed complecti totum fœdus quo sibi Deus Abrahæ filios in populum adoptauerat. Itaque regulæ bene viuendi gratuitas salutis promissiones adiungit, imò Christum ipsum, in quo fundata erat adoptio. Paulus vero, cui negotium erat cum peruersis Legis interpretibus, qui eam à gratia & Spiritu Christi separabāt, nudū Mosis ministeriū attingit. Porro certū est, vbi Legem non viuificat Spiritus Christi, non inutilem modò sed mortiferam quoque esse suis discipulis. Nam extra Christum nonnisi inexorabilis rigor in Lege viget, quo

tu humanum genus ira Dei & maledictioni subiicit. Deinde manet in nobis carnis rebellio, quæ Dei & Legis odium in nobis accendit: vnde manat tristis illa seruitus & horror. Hæc diuersa Legis acceptio facilè speciem dissidii in Dauidis & Pauli verbis conciliat: quia Pauli consilium est ostendere quid Lex sene sum (quatenus sine promissione gratiæ seuerè quod debemus Deo exigit) præstare nobis queat: Dauid totam Legis doctrinã commẽdat, cui Euangelium respondet: ideóque Christum sub ea includit. [M]Loquitur enim de ea Legis efficacia quæ reperitur in regeneratis. In iis Lex operatur per Spiritum Dei quæcunque hic à Vate recensentur, non quatenus in litera est & tabulis lapideis, sed vt est cordibus credentium digito Dei inscripta. Hactenus videlicet in istis operatur, cõuertens animas, sapientiã præstans paruulis, lætificans corda, & illuminans oculos: hactenus vtilissima est & iucundissima, quum per se cõsiderata terrorem potius mentibus trepidis incutiat.

10 *Timor Iehouæ mundus, permanens in seculum: iudicia Iehouæ, veritas: iustificata sunt pariter.*

Timor Iehouæ mundus. [V] Purus, sincerus. Quidam vertunt, Religio (vel reuerentia) Iehouæ sincera est. [C] Per timorẽ hic intelligitur ratio colendi Dei. itaque actiuè sumitur hoc nomen, pro doctrina quæ nobis præscribit quomodo Deum timere oporteat. Sic enim vt plurimũ metnunt homines Deum, vt falsos & vitiosos cultus excogitando iram eius magis in se prouocent. Meritò igitur Dauid præpostera hominum studia obliquè damnans, obseruantiam Legis puram ab omni sorde esse affirmat. [M]Dixit paulo antè Legem Dei corda exhilarare: nũc verò timorem erga Deum commendat. Videntur hæc parum inter se conuenire, gaudium videlicet cordis & timor, eadem in re & erga eundem Legislatorem. Sic habet in rebus humanis vt ii potissimùm timeant qui conscientiam peccati seruunt in corde, diligant verò qui cum gaudio imperata faciunt. At hîc videmus non solùm diligere pios, quorum corda mandatis Dei lætificantur, sed & timere. [A] Verùm hæc timoris species spirituali gaudio, quod ex Lege nascitur, minimè repugnat. Dictũ est enim timoris nomine rationem colendi Deum hoc loco significari. Docemur autem Deum sic colendum esse, vt à nobis ametur quatenus Pater est, timeatur verò quatenus Dominus & Iudex. *Permanens in seculum.* [C] Dicit timorem hunc mundum perpetuò stare: ac si vocaret æternæ fœlicitatis thesaurum. Videmus enim vt cæco impetu mũdus ad res euanidas feratur: quo fit vt inanem beatæ vitæ vmbram captando veram beatitudinẽ amittat. *Iudicia Iehouæ veritas.* [V] Iudicia Dei vocat Leges quibus Deus ostendit quid iudicet agendum esse. Leges, inquit, à Deo latæ vt iuxta illas viuamus, sunt veræ, hoc est, nihil habent imposturæ: sunt enim per omnia iustæ. [C] Quidam tamen iudicia tantùm de secundæ tabulæ præceptis exponunt, sed perperam: quum Dauidi propositum sit, fructum quem ex Dei Lege percipiũt fideles, variis loquẽdi modis celebrare. Itaque Dei præcepta veritatis elogio insigniens, quicquid posthabita Lege ex arbitrio suo suscipiunt homines, vanitatis insimulat. Nec certè melius nos ad studiũ amorémque Legis incitare poterat quàm ista admonitione, eos omnes qui sibi extra Legem Dei capiunt viuendi consilium, seipsos fallere, merásque imposturas sectari. [A] Nam veritas hîc vanitati opponitur. *Iustificata sunt pariter.* [V] Iustificata sunt simul. vel, simulque iusta. q.d. Omnia ad vnum sine exceptione recta sunt: nihil in eis maculæ aut vitii deprehenditur: sed absoluta sunt omnibus numeris. [C] Hoc elogio Legẽ Dei ab omnibus profanis doctrinis discernit: quia nihil maculæ aut vitii in ea deprehendatur, sed absoluta sit omnibus numeris, vtcunque iudicio rationis & sapientiæ humanæ videatur diuersum, quæ res non vt sunt, sed vt apparent, æstimat.

11 *Desiderabilia magis quàm aurum & quàm aurum multum, & dulciora melle & stillatione fauorum.*

Desiderabilia magis quàm aurum. [C] Commendat Legẽ Dei tam à pretio quàm à dulcedine. [C] Pendet autem hoc elogium ex superioribus: quia tot ac tantæ vtilitates, quas nuper recẽsuit, meritò efficiunt vt auro & argento posthabitis, summi & vnici thesauri loco nobis sit cælestis doctrina. *Et quàm aurum multum.* [V] Et quàm obrizum multum. pro quo nonnulli Gemmam vertũt, sed hæc magis recepta interpretatio est, de auro puro & probè recocto: quam & multi Scripturæ loci cõfirmant. Est autem nomen deductum à [illegible], quod Roborare significat: vnde conii cere licet non certæ regionis aurum sic vocari, vt Ophir, sed arteficio purgatum. Quin potius apparet & Ieremiæ cap. 10.b.9, terram Vphaz inde nomẽ sumpsisse quia auri nitidissimi fodinas haberet. Etymologia auri obrizi incerta est, nisi quòd Hieronymus diuinat quasi ophrizon ita dici, hoc est allatum ex terra Ophir. Summa est, non æstimari pro merito Legem, nisi eam omnibus mundi diuitiis præferimus. Hæc autem æstimatio si apud nos obtineat, facilè nimia auri & argenti cupiditate animos nostros purgabit. [M]Ergo vt Legis diuinæ thesaurum supra cuncta terrena Dauid extollat, dicit eam talem esse quæ magis debeat appeti quàm aurum purgatissimum. Sic alibi dicit, Lex oris tui super mille thesauros auri & argenti, Infrà. 119.72. Et Solomon, Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, Prouerb 3.b.14. Et iterum, Doctrinam magis quàm aurum eligite, Ibidem, 8.b.10. Habent huius seculi diuites opes suas perituras, fideles, perpetuas: illi terrenas, hic cælestes: illi quas latro vel fur quispiam auferre, hic quas nemo, ne portæ quidem inferorum, abripere potest. Verùm hunc diuinæ Legis thesaurum nemo agnoscit nisi possideat: possident autem soli fideles ac regenerati. Carnales vt illius sunt expertes, sic eum agnoscere nõ possunt: quia sensu Spiritus ac fidei destituuntur. Quapropter accidere videmus vt qui acquisito cælesti thesauro, fastidio terrenarum opum afficiuntur, à sapientibus & prudentibus huius mundi quasi inepti ac stulti rideantur. *Et dulcior melle.* [A] Sicuti Legem Dei vereri & plurimi æstimare debemus, ita quoque amari à nobis debet. [C] Nam ad reuerentiam accedat etiam amor & delectatio necesse est, vt Lex non modò ad obsequium nos cogat, sed suauiter etiam alliciat: quod fieri non potest quin simul corrigantur carnis deliciæ, quibus nos inescati mirum non est quamdiu insipido gustu iustitiam Dei respuimus. [M]Ergo à iucunditate & suauitate Legem Dei commendat Dauid. Nam quid dulcius melle? inquiũt illi qui problema Sãsonis soluebant, Iudic. 14.d.18. Porrò sicut collationem hanc non potuit facere Propheta nisi vtriusque dulcedinis periculum fecisset, ita nemo poterit excellentiam cælestis ac spiritualis dulcedinis, item & opulentiæ supra terrenam terrenarum rerum suauitatem extollere, nisi & illius imperfectionem & huius perfectionem per experientiam cognouerit. [C] Ceterùm hinc iterum colligere licet, non de nudis præceptis & mortua litera haberi sermonem, sed promissiones, quibus offertur gratia, simul comprehendi. Nam si Lex tantùm iubendo terreret, quomodo esset amabilis? Certè si à spe veniæ & Spiritu Christi separetur, tam procul abest à mellis dulcedine, vt sua potius amaritudine miseras animas interficiat. *Et stillatione fauorum.* [V] Repetitio est. nam mel est liquor fauorum. Alii vertunt, Et stillatione, placentis melle confectis, id est dulciora stillatione fauorum aut aromatis, dulciora (inquam) placentis melle confectis.

12 *Etenim seruus tuus illustratur in eis: in custodiendo ea merces multa est.*

Etenim seruus tuus illustratur. [V] Seruus quoque tuus admonetur per ea sub. quid illi agẽdum. aut, cautior redditur, sub. in rebus agendis. Quanquam hoc generaliter ad quoslibet pios extẽdi potest, rectè tamẽ de ipso Dauide accipitur, vt testetur se proprio experimento probè tenere quicquid hactenus docuit. Et certè nemo de cælesti doctrina verè & seriò differet, nisi qui eã penitus animo infixam alit. Fatetur ergo Dauid se, quicquid habet prudentiæ ad regendam & formandam vitam, ex Dei Lege adeptum esse. Quamuis tamen de se propriè loquatur, generalẽ in suo exemplo regulam proponit, si ratio vitæ bene instituendæ quæritur, vnam Dei Legẽ satis superque sufficere: simulatque ab ea disceditur, multis erroribus obnoxium esse cursum. Ac notãdum est quòd Dauid, ex abrupto sermonem ad Deum conuertens, eum sui dicti testem citat: quò citius persuadeat sincerè se & ex intimo affectu loqui. ac si diceret, Optabiliorem affirmo Legem Dei auro purgatissimo, dulciorem melle purissimo: non id tamen quibusuis, sed timentibus Deum & Spiritu cælesti præditis. Hoc verò non inani coniectura adductus affirmo: expertus sum, dum tantum, ô Deus, ex ea fructum percepi, sic illa monitus, sic contra mala quæuis communitus, & ad bona quæuis institutus, vt in posterum cautior atque circunspectior factus sim. [C] Verbum [illegible] tam Docere quàm Cauere significat. Ideo quidam vertunt hoc loco, Docetur, vel admonetur seruus tuus per Legis mandata: rectè quidem: sed plenior est sententia, si circunspectum reddimus vel cautum qui se Deo regẽdum tradit. [B] Dicere enim Vates voluit, per illa præcepta (id est Legem & decreta Dei) se seruum Dei cautiorem prouidentioremque factum, quo minꝰ delinqueret, viueretque inculpatius. [M] Cæterùm considerãda hic nobis est Prophetæ persona. Erat rex populi Israelis, & hactenꝰ quoque seruus Dei agnoscit hoc, quũ se seruũ Dei vocat: & tantum abest vt se putet propter regiam maiestatem ab obseruantia mandatorum Dei exemptum, vt fateatur se esse seruum Dei, & mandatis illius plusquam cæteros obstrictum. Vide Deut. 17.d.18, quid regi hac de re præcipiatur. *In custodiendo ea merces multa est.* [C] Declarat his, quicũ

que se Deo addicunt ad seruandam quam præscribit iustitiam, minimè operam ludere: quia ampla illis merces apud eum reposita est, nempe vita Dei, vita æterna, & sola beata. Hinc Paulus fidei & iustitiæ comites semper adiungit pacem & gaudium. [e] Porro hæc quoque non vulgaris est cummẽdatio Legis, quòd in ea Dominus nobiscum paciscitur, séque ad remunerandan nostra obsequia quodammodo obligat. Etsi enim iure suo à nobis exigit quicquid Lex continet, liberaliter tamen quam non debet mercedem seruis suis promittit. Verum quidem est, irritas esse Legales promissiones nostro vitio, quia longè a plena iustitia vel perfectissimus quisque abest: nulla autem hominibus speranda est operum merces, donec Legi in solidũ satisfecerint. Ita hæc duo bene inter se cõueniunt: vitam æternam operum mercedem fore, siquis Legem omni ex parte impleat: & tamen in Lege denuntiari maledictionem cunctis hominibus: quia totus mũdus operum iustitia destituitur. quod etiam mox ex proximo versu patebit. Postquam enim hoc Legis beneficium celebrauit Dauid, quòd Dei cultoribus amplam mercedẽ offert, statim aliò sermonem transferens exclamat, Delicta quis intelligit? vbi reos æternæ mortis pronuntians cunctos homines, quicquid ex operum meritis concipi potest fiduciæ in nihilum redigit. [h] In summa, merces fructus quidem est sanctorum operum, sed quam nemo suis operibus promereri potest. nam gratuitò confertur. [c] Siquis obiciat, frustra Legem isto encomio ornari, quod effectu caret, prompta respõsio est, quia in fœdere adoptiuo inclusa est gratuita peccatorum venia, (ex qua dependet iustitiæ imputatio) fidelium operibus mercedem, quamuis indebitam, rependi. Nam quod in Lege Deus perfectis iustitiæ obseruatoribus promittit, fideles paterna eius indulgentia obtinent, dum illorum conatum & pium obsequẽdi studium pro iustitiæ perfectione gratũ habet. [m] Sicuti enim hoc vnum spectant pii vt Domino Deo suo gratificentur, (longè enim à mercenariis differunt) ita Dominus illorum fidem quæ per dilectionem operatur, gratuita sua misericordia (est enim fides Dei donum) ampla mercede coronat: vt in nobis coronare illum tantùm sua dona agnoscamus.

13 *Errores quis intelligat? ab occultis munda me.*

Errores quis intelligat. [v] Errata quis intelligat? Ignorantias quis intelligere possit? Hæc exclamatio ostendit quomodo Legis promissiones, quibus addita est conditio, accipere conueniat: nempe simulac in medium prodeunt, vt quisque vitam suam examinet, nec facta modò sua, sed cogitationes etiam exigat ad perfectã illam iustitiæ normã quæ in Lege traditur. [c] Sic fiet vt ad vnũ omnes spe mercedis abscissa, ad Dei misericordiã confugere necesse habeant. Neque enim reputare satis est quid Legis doctrina cõtineat, nisi etiam veniamus ad nostras personas, in quibus reperietur defectus. [y] Nam quamlibet Legi Dei studeamus, quamlibet solicitè necubi impingamus caueamus, vitari tamen non potest quin in multis labamur, atque ita peccatorum teneamur, quorum ipsi nobis conscii nõ sumus, quæque nostram conscientiam fallunt. At non potest vita verè beata esse, nisi ad vnguem diuinæ Legi respõdeat pura omnis peccati. Papistæ simulac audiũt, Qui fecerit hæc, viuet in ipsis, (Leuit. 16. a. 5) securè operum suorum meritis æternam vitam alligant, acsi in eorum arbitrio esset Legem præstare, cuius sumus omnes trãsgressores nõ tantùm in vno apice, sed in singulis partibus. Ideo Dauid quasi labyrintho obsessus, delictorũ multitudine se obrui cũ admiratione fatetur: [m] vbi & propriam infirmitatem (imò corruptionem) agnoscit, qua fiebat vt Legis diuinæ perfectioni haudquaquam responderet. Q. d. Lex quidem Dei perfecta in se est. verùm quis adeo perfectus est vt contra illam non peccet? imò quis adeo cautus & suiipsius obseruans est, vt delicta sua, quib[us] quãdo & quomodo ab hac Legis diuinæ perfectione præuaricetur, intelligat? Acsi diceret, Talis ego non sũ. Scio me plura delinquere quàm ipse intelligam. Hoc igitur primò tenendum, quia Legis iustitia destituimur in nostris personis, ideo etiam à spe mercedis, quæ illic promittitur, excludi: deinde, non vno aut altero delicto, sed innumeris nos coram Deo reos constringi: vt eum acerbissimo dolore deflenda sit nostra prauitas, quæ non tantùm Dei benedictione nos priuat, sed vitam conuertit in mortem: sicuti non dubium est quin Dauid, postquam Deum liberaliter præmium offerre dixerat omnibus qui Legem obseruãt, horrore perculsus eruperit in hanc vocem, Errores quis intelligat? Vbi per שגיאות, (vel errores) quidam minora peccata notari putant: verùm Dauid simpliciter dicere voluit, pluribus Satanæ fallaciis nos implicari quàm vt quisque centesimam malorum suorum partem sentiat. Errore quidem & incogitantia sæpe delinquunt sancti: sed contingit etiam Satanæ laqueis irretitos non perspicere crassa peccata. Vnde meritò errores in genere vocantur, quibus sibi præ stupore homines & carnis illecebris decepti indulgent. Se enim & alios ad Dei tribunal citans, quamuis sibi conscii non sint, non tamen ideo absolui admonet: quia Deus longè acutius cernat quàm hominum conscientiæ: vt attentissimos quosque maior pars sui reatus fugiat. *Ab occultis munda me.* [e] Confessioni subiicitur venia precatio. Mundandi enim verbum non ad regenerationis donum sed ad gratuitam veniam refertur. nam Hebræis נקה innocentem esse significat. Acsi diceret Dauid, Ab iis affectibus, verbis & actibus me libera quæ quum tuæ Legi aduersentur, mihi tamen placent, aut saltem non vt par est displicẽt. Plurima siquidem etiam sanctissimos vitia subinde fallũt, & adeo quidẽ vt nõ rarò pro virtutibus amẽtur. Itaque de erroribus mẽtem suã Vates clarius explicat, occulta peccata vocãs, in quibus scilicet homines seipsos decipiunt, nec sponte modò & accersitis blanditiis, sed quia ad Dei iudicium non penetrãt. Porro ad nos iustificandos inanis est ignorantiæ prætextus, nec cæciore quicquã prodest: quia in propria causa nemo idoneus est iudex. Itaque à Dei absolutione petenda mundities. Iam si in iudicium Dei venire necesse est quæ nos fugiunt errata, nisi veniã deleantur, quomodo impune euadet qui arguente ipsum conscientia suus iudex esse cogitur? Iam memoria tenendum non vno tantùm reatu nos teneri, sed obrui innumera colluuie. Nam quo diligentius in se quisque inquiret, ille fatebitur cum Dauide nullum fore modum vel finẽ, si Dominus occulta mala nostra detegat: quia nemo comprehẽdit quot modis sit obnoxius. Vnde etiam apparet quàm supina hypocrisis dementauerit Papistas, quibus facile & expeditũ negotiũ est semel quotannis omnia peccata in fasciculum colligere. Iubet decretum Lateranensis concilii confiteri semel in anno omnia peccata: nulla spes veniæ nisi sub conditione hac relinquitur. Quisque in aurem sacerdotis demurmurans, pulchrè se defungi existimat, quasi digitis supputare posset quæcunque toto anno peccata admisit: quum severo examine vix ad partem centesimam sancti perueniant, ideóque consentiãt in hanc vocem Dauidis, Errata quis intelligit? Nec valet exceptio, satis esse si faciant singuli quod in se est, Nam quũ impossibile sit præstare quod Lex iubet, necesse est quisquis sano timoris Dei sensu præditus est, desperatione obrui quandiu hac necessitate obstringi se putat: qui autem hoc modo exonerant peccata, prorsus esse stupidos. [m] Notandum est etiam quòd Propheta Deo tribuit scientiam occultorum delictorum, quæ nosipsi nõ intelligimus. Vocat delicta quædam occulta, eo quòd ipsi delinquenti sunt incognita: & tamen orat Deum vt illa condonet: quod absurdè diceret, nisi Deum secretorum cognitorem esse sentiret. Hic in Scripturis vocatur cordium ac renum scrutator. Cogitemus itaque non posse nos celare cum consilia nostra, quantumuis secreta, & in cordis penetralibus altissimè abdita, cui etiã ea nota sunt quæ nos latent.

14 *Etiam à superbiis prohibe seruum tuum, ne dominentur mihi: tunc perfectus ero, & mundus ero à præuaricatione magna.*

Etiam à superbiis prohibe seruum tuum. [v] A flagitiis cohibe, ab insolentiis auerte (vel retrahe) seruum tuum. Per superbias intelligit apertas transgressiones, quibus adiuncta est cõtumacia. [e] Prohibendi verbo significat (quæ carnis est ad peccandum proclinitas) statim sanctos etiam ipsos defluere, vel præcipites ferri, nisi sua custodia Deus eos arceat. quasi diceret, Non ideo rogo à latentibus & occultioribus vt me purges Deus, quasi reliquorum peccatorum periculum euaserim: video me, si tu non serues, si à me mala non auertas, adhuc in quæuis ruere posse. Oro etiam vt à flagitiis quoque me seruum tuum (qui me iampridem tibi totum addixi, & nihil prius in votis habeo quàm ad tuas Leges viuere) serues, omniáque scelera à me amoliaris. [m] Videmus ergo neminem esse adeo sanctum, iustum, ac singulari dono Spiritus præditum, qui nequeat non simpliciter modò, sed & enormiter ac flagitiosè peccare. [c] Notandum enim quòd Dauid seruum Dei se nominans, fatetur tamen se opus habere fræno, ne contumaciter ad transgrediendam Dei Legem erumpat. Nam etsi Dei Spiritu regenitus gemebat sub vitiorũ suorum onere, sciebat tamen quanta sit carnis peruicacia, & quàm facilè obrepat Dei obliuio: vnde nascitur contemptus & impietas. [m] Et res ipsa declarat quàm non frustra sibi metuerit Dauid. Incidit enim in enormia crimina, adulterii & homicidii. [c] Quòd si à transgressionum periculo tutus non fuit Dauid, qui in Dei timore vsqueadeo profecerat, quomodo sibi per liberum arbitrium moderabitur homo carnalis, in quo dominantur innumeræ libidines? [m] Adhæc, si vir iste tanto studio cauendorum scelerum præditus, quamuis magnopere orauerit vt cohiberetur per diuinam gratiam à temerariis peccatis, imò ab occultis quoque & ignotis mundaretur, nihilo tamen minus

in tam grandia & enormia scelera incidit, quid putabimus illis euenire non posse quantumuis temerarium & flagitiosum, qui tam nullo cauendorum peccatorum studio præditi sunt? Discamus igitur, quamuis iam abnegatione nostri domita sit carnis lasciuia, nobis tamen metuere: quia nisi nos contineat Deus, furiose ebulliet superbia contra Deum. Atque hanc sententiam confirmat mox addita ratio. *Ne dominentur mihi.* Clarè enim hoc verbo affirmat se non modò imparem fore ad resistendum nisi succurrat Deus, sed scelerum imperio se prorsus fore addictum. Docet ergo hic locus non modò totum genus humanū naturaliter peccato mancipatum esse, sed ipsos quoque fideles, nisi ad eos regendos assiduè inuigilet Deus, & in perseuerantia confirmet, fore peccati mancipia. De hac peccati dominatione & seruator meminit, Iohan.8.d.34, & Paulus, Rom.6.d.18, & Petrus, 2.Epist.2.d.19. [c] Altera etiam vtilis admonitio hic traditur, nunquam pro impetranda venia orandum esse, quin simul petamus Dei virtute in posterum nos armari, ne præualeant tentationes. Quanquam autem stimulis concupiscentiæ pungimur, non tamen despondere animos conuenit, sed rogādus est Deus vt nos cohibeat. Optasset quidem Dauid nullum in se vitiosum motum sentire: sed quia agnoscit, donec exuerit corruptam naturam, se nunquam à peccati reliquiis fore immunem, se ad pugnandum Spiritus gratia instrui postulat, ne iniquitas victrix dominetur. *Tunc perfectus ero.* [v] Integer, sincerus. [c] Hunc honorem spirituali Dei præsidio tribuit, vt eo fretus certam sibi victoriam contra omnes Satanæ exercitus promittat. [a] Et certè qui se Dei virtute armatum esse nouit, non est quòd sibi ab hostibus quamlibet vafris & potentibus metuat. *Et mundus ero à præuaricatione magna.* [v] Et innocens ero à transgressione graui. Alii, Et mundabor à scelere grandi, seu à grauiore defectione. פשע enim huiusmodi scel[v] significat quo velut à Deo desciscitur. Hac voce vsus est suprà, 5.c.11. [c] Fatetur ergo Dauid, nisi diuinitus adiutus fuerit, se immensa malorum turba & congerie oppressum iri. Neque enim ab vno tantùm vel altero scelere mundum se fore dicit, sed à multis. Vnde sequitur, simulac nos destituit gratia Dei, nullum fore peccati genus quo nos Satan non illaqueet. Hæc igitur Dauidis confessio precandi solicitudinem in nobis acuat: quia inter tot ac tam multiplices insidias minimè torpendum est. Rursum, pia illa gloriatio in cordibus nostris palmam obtineat, quamlibet multis & validis copiis nos oppugnet Satan, modò auxilietur nobis Deus, inuictos tamen fore, atque ita staturos vt nobis maneat incolumis integritas. [m] Etenim iustitia, Integritas & innocentia fidelium non est ipsorum propria, neque ex ipsorum viribus: sed hæc est illorum iustitia, quòd per gratiam Dei mundantur, cohibentur, ac liberantur à peccatis. Tunc innocentes sunt & iusti, quando per gratiam Dei gratis accepta peccatorum remissione iustificantur.

15 *Sint ad beneplacitum eloquia oris mei, & meditatio cordis*
mei coram te Iehoua, petra mea, & redemptor mi.

Sint ad placitum eloquia oris mei. [v] Hebraismos, pro, Complaceant, sint accepta vel grata, sub. tibi. [b] Expressius Dei gratia ad rectè sanctéque viuendum muniri se postulat. Summa enim est, vt non modò à transgressionibus eum Deus prohibeat, ne in externum actum erumpant, sed vt linguam quoque & animū formet in obsequium Legis suæ, [v] vt quicquid siue cogitet siue loquatur, Deo gratum sit. [c] Scimus quàm difficile sit etiam perfectissimis, verba & cogitationes ita frænare vt nihil Dei voluntati aduersum vel animo vel ore concipiant: & tamē hæc interior puritas præcipuè à nobis in Lege exigitur. Quo autem rarior est virtus exacta hæc cordis & linguæ continentia, eo magis discamus quàm necessaria sit nobis Spiritus gubernatio ad vitam rectè probéque instituendam. [b] De factis non meminit hic Dauid: corde enim & ore ad Legem Dei institutis, non possunt esse facta praua. [b] Nam bona arbor fructus bonos facit, Matth. 7.c.17. [c] Per nomen beneplaciti ostendit non aliam esse bene viuēdi regulam, quàm si Deo placere ac se probare homines studeant. [m] Illud quoque expendēdum est, quòd non simpliciter dicit, Et cogitatio cordis mei: sed, *Et meditatio cordis mei.* Aliud est simpliciter, obiter ac semel aliquid cogitare, (id quod frequēter in corde hūmano accidit) & aliud meditari. Meditatio est qua rem aliquam seriò, diu ac frequenter in corde versam[v], ore proloquimur, &, si fieri queat, opere quoque adimplere gestimus. Hac meditatione commendanda sunt Deo quæ illi probari volumus: cui haudquaquam placere possunt illorum orationes qui euanidis ac obiter natis cogitationibus ad orandum prosiliunt, quamuis sibiipsis admodum seriò & (vt loquuntur) deuotè precari videantur. *Coram te Iehoua.* Hac particula Vates fucū omnem exclusit. facile siquidem est hominibus nostra approbare. *Petra mea.* [v] צורי rupes mea, [b] propugnator & tutor meus. [v] Significat hac voce, se Dei solius præsidio niti, & omnis iustitiæ, atque inde & salutis authorem agnoscere. *Et redemptor mi.* [v] Et liberator meus, [v] vel vindex meus. [c] Hæc appellatio ad impetrandi fiduciam valet. [c] Videtur etiam Vates ad id respexisse, quòd sola Dei bonitate à peccatis, atque ita ab æterna pernicie, liberari se posse sentiret. Verè enim solus virtutes suo Spiritu iis quos ad id delegit, inserit, peccata depellit, suæque tandem Legi planè conformes reddit. Vocat ergo Deum rupem suam, hoc est sustentatorem omnium firmissimum, deinde & redemptorem, id est liberatorem & ereptorem. Qui extra periculum sunt, sustentantur, in aduersis & periculis constituti redimuntur & liberantur. Vtrunque necessarium, & vtrunque in vno Deo quærendum, qui solus & conseruare potest, & eripere. [b] Ipse donet nobis hæc solida fide percipere.

ARGVMENTVM PSAL. XX.

[c] PRECATIO communis est pro rege Israelis, vt ei Deus auxilium in discrimine ferat: & pro statu regni, vt eum tueatur incolumem: quia publicam salutem in se continet. Cui adiungitur promissio, Deum regni istius, cuius author est, fore præsidem, vt perpetuæ eius conseruationi inuigilet.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis.*

Præfecto, canticum Dauidis. [c] Quanquam inscriptio ostendit Psalmum à Dauide fuisse compositum, nihil tamen absurdi est quòd de se in aliorum persona loquitur. Nam quum iniunctum ei esset Prophetæ munus, meritò fidelibus dictauit precandi formam, non tam imperio vel regio edicto seipsum commēdans, quàm ex doctoris officio ostendens ad totius Ecclesiæ studium & curam spectare, vt regnum quod erexit Deus, saluum maneat. Neque verò ad certum tempus preces hanc restringere debemus. Fieri potest vt prima occasio sumpta ex vno bello fuerit, siue contra Ammonitas, siue contra alios hostes. consilium tamen Spiritus sancti fuit, ordinariam precandi formam Ecclesiæ tradere, cuius vsum ex verbis fuisse colligimus, quoties discrimen aliquod instabat. Datur enim exemplum tam principibus quàm populis vt illi ad vnum Deum in periculis confugere, & hi pro principibus suis suppliciter Deum precari hinc discerent. Plurimū situm est in principibus, quos oportet toti populo prospicere, & deos quosdā præstare. Dum enim religiosi principes rerum potiuntur, omnia ad pietatem & morum honestatem instituunt. contrà, vbi regnant impii, quæcunque pietati & honestati aduersa sunt, plantant & defendunt: oppugnant verò & opprimunt quicquid quouis modo pietatem & honestatem resipit, id quod historiæ regum Israel & Iehuda abunde testantur. Proinde vix aliud est pro quo enixius orare populus debeat quàm pro salute pii principis, si quidē nactus sit. [c] Cæterùm quanquam filiis suis in genere præcipit Deus pro regibus orare, peculiaris tamen fuit huius regni & ab aliis omnibus distincta ratio: quia Deus populum suum nonnisi per manum Dauidis & seminis eius gubernare & tueri statuerat. Præcipuè verò notandum est sub typo regni temporalis descriptum fuisse longè melius regimen, vnde pendebat plena Ecclesiæ lætitia & fœlicitas. Itaque huc consultò respexit Dauid, vt omnes Dei filios hortetur ad piam solicitudinem pro regno Christi gerendam, quæ nos ad continuas preces extimulet.

2 *Exaudiat te Iehoua in die angustiæ, eleuet te nomen Dei*
Iacob.

Exaudiat te Iehoua. [a] Prioribus quatuor versibus orationem pro rege habitam, sexto, causam, reliquis de victoria gratulationem & epinicion quoddam cecinit. [m] Orat populus vt rex à Deo exaudiatur, exaltetur, adiuuetur, fulciatur, & adimpletionem consilii sui consequatur. [c] Porro Spiritus sanctus orantem populū inducens vt Deus regis votis respondeat, simul admonet reges ipsos officii, vt in suis negotiis fidem Dei implorent. [b] Id si fieret, quàm longè alia esset regnorum hodie & rerum publicarum facies! Quicunque siquidem verè credunt vnius Dei ope omnem salutem constare, illis nihil prius in votis esse poterit quàm vt eidem sua omnia approbent. *In die angustiæ.* [c] Diem angustiæ vel tribulationis nominans, à molestiis non fore immunes ostendit reges & principes, ne animos despondeant siquando eos periclitari contingat. Summa est, quòd fideles, ne à capite corpus separetur, communibus suffragiis preces eius adiuuant. *Eleuet te.* [v] Id est, in loco arduo (hoc est tuto) collocet. [m] Exaltatio regis est victoria & quæ inde nascitur gloria. Nam & superior esse dicitur qui vincit, & inferior, qui vincitur. *Nomen Dei Iacob.* [a] Quod nomen Dei pro Deo ipso ponitur, ratione non caret. Nam quia nobis incōprehensibilis est Dei essentia, quatenus nobis patefacta est eius gratia & virtus, in eū sperare conuenit. Itaque ex nomine inuocatus

fciat

di fiducia nascitur. Cupiunt ergo fideles regẽ protegi Dei auxilio, eo ius nomẽ inuocatur inter filios Iacob. Neque enim eorũ probamus opinionem qui putant mentionem Patriarchæ fieri, quem Deus non absimili modo ac seruum suum Dauidem exercuit. Potius credendum est, vsitato Scripturæ more populũ electũ hac voce intelligi: quia hæc quoque adoptionis pars erat, sub tutela regis diuinitus præfecti degere. Hinc tenenda est anagoge quam attigimus. Quando enim Christus rex noster pro æterni sacerdotii ratione apud Deum intercedere non desinit, totum Ecclesiæ corpus eius precibus succinere conuenit, sicuti etiam nulla spes est nos exauditum iri, nisi ipso præeunte. Hæc verò non exigua leniendis nostris doloribus consolatio est, quòd nostras angustias, quoties affligimur, suas esse ducit: modò simul in mentem veniat animos in tribulatione colligere: quia hic Spiritus oraculo prædictum est, regnum Christi periculis & incommodis obnoxium fore.

3 *Mittat tibi auxilium de sanctitate: & de Sion fulciat te.*

Mittat tibi auxilium de sanctitate. [H] Orat populus hoc versu quod & præcedenti, & sequentibus. *De sanctitate.* De sancto, sub. loco. [V] Id est, è sanctuario, vbi erat arca, signum præsentiæ Dei in terra Israel. *Et de Sion fulciat te.* Firmet te. [C] Hoc est, auxilietur tibi è monte Sion, vbi arcam fœderis locari iubens, domicilium sibi illic delegit. Nam quia non patitur carnis infirmitas vt in cælum vsque homines euolent, obuiam ipse prodit, & per externa fidei exercitia ostendit se illis propinquum. Sic arca fœderis præsentiæ eius pignus fuit populo veteri, & sanctuarium cæli imago. Sed quia Deus montem Sion designans, vbi perpetuò ipsum colerent fideles, regnum sacerdotio coniũxerat, hoc sacrum vinculũ Dauid haud dubiè spectauit. Atque hinc conicere licet Psalmum hunc à Dauide iam sene sub extremum vitæ tempus fuisse compositum. Nam quum prophetice quidam de Sione loquutum putant, priusquam in eo delecta esset arcæ statio, coactum videtur parumque probabile. Vide suprà, 3.a.5.

4 *Recordetur omnium sacrificiorum tuorum, & holocaustum tuum incineret. Selah.*

Recordetur omnium sacrificiorum tuorum. [A] Vtinam olfaciat omnia munera tua. id est, grata habeat. Olfaciat dicit, quòd thus in illis incenderetur in memoriam offerentis, Leuit. 2.a.1. [V] Vel potius verbum hoc זכר pro attendere hoc loco accipitur, sicuti aliis pluribus locis. [B] Ita obliuisci sæpe tantundem valet ac negligere vel non dignari sua cura & intuitu. Summa est, vt Deus re ipsa demonstret sibi accepta fuisse regis sacrificia. [H] Lex præcipiebat ne quisquã in conspectu Dñi vacuus appareret, Exod. 23.c.15, & 34.c.20. Hinc est quòd veteres precationibus suis sacrificia, libamina & holocausta coniunxerunt: id quod adeo solẽne erat vt & Saul, quum irruentibus Philistæis Dominum inuocaret, Samuel verò nondum aduenisset, ne sine sacrificiis discederet, per seipsum sacrificare præsumpserit, quum tamen id illi non liceret, 1.Sam. 13.b.9. Iudicabat enim infœliciter se conflicturum cum hostibus, Domino nondum sacrificiis placato. Quod autem Saul modo illicito fecit, id Dauid licitè (hoc est secundum Legis præscriptum) obseruauit. Ideo recordantur hic libaminum & holocausti illius, orántque Dominum vt in ipso conflictu memor esse velit sacrificiorum regis. [C] Duæ quidem species ponuntur: מנחה, quæ ornandis omnibus victimis legitima erat accessio, & per se etiam offerebatur: deinde holocaustum. sed per synecdochen omnia sacrificia notare voluit Dauid: sicuti etiam sub sacrificiis vota & preces complexus est. Scimus enim, quoties orabant Patres sub Legẽ, spẽm impetrandi fundatam in sacrificiis fuisse: sicuti etiam hodie non aliter gratæ sunt nostræ orationes Deo, nisi quatenus eas sui sacrificii odore Christus perfundit & sanctificat. Ergo solennes regis preces, quæ victimis & oblationibus annexæ erant, cupiunt fideles valere ad prosperum successum. *Et holocaustum tuum incineret.* [V] In cinerem vertat. sub. Deus, igni cælitus demisso, quo testetur sibi gratum esse sacrificium. Leuit. 9.d.14, & 1. Reg. 18.f.38. Alii, Pingue faciat, vel sit, aut æstimet. [H] Quod ad nos attinet, tametsi nullas iam offerimus pecudes, vt pecudes offerre solebant: admonemur tamen vt quicquid Deo damus, pingue sit, id est selectum: ne videlicet mammonæ ac veneri seruemus pinguia, & Christo in pauperibus demus quisquilias. Notus est locus Malach. 1.d.14, qui etiamnũ obseruandus est. Quid enim sunt eleemosynæ nostræ nisi oblationes quædam, quibus Deo gratificari volumus? quales autem demus eleemosynas, & quãtum insumamus in studium ventris, non est quidem opus vt admoneamus: dignum tamen quod omnes pii deplorent. Nam hoc velu ti certo indicio proditur qua fide demus eleemosynas. *Selah.* [V] Additur hæc particula vt ostendatur quanto ardore pro rege populus debeat orare. Q.d. Quàm magnum est offerre oblationem Deo gratam! quàm magni momenti est holocaustũ à Deo probari, & preces ab eo exaudiri!

5 *Det tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum impleat.*

Det tibi secundum cor tuum. [B] Hoc versu apertis & simplicibus verbis populus precatur quod præcedẽti tropicè. [C] Nã affectus & cõsilia regis Deo commendat. Porro quia absurdum esset à Deo petere vt morem gerat stultis prauísque desideriis, tenendum principium est, regem hic describi nõ ambitioni suæ deditum, non flagrantẽ auaritia, non pro sua libidine quiduis appetentem, sed intentum muneri sibi iniuncto, publicæque saluti addictum, vt nihil nisi Spiritus instinctu & præscripto oris Dei postulet. *Et omne consilium tuum impleat.* [H] Consilia tribuunt Dauidi regi suo, adimpletionem verò illorum agnoscunt non esse regis, sed Dei: ideóque illam à Deo impetrare orando conantur. Ergo quantumuis potentes sint reges terræ, non sunt tamen illorum consilia alia conditione quàm communi mortalium omnium: quæ talia sunt vt rectè de illis dictum sit, Homo proponit, Deus disponit. Et alibi, Cor regis est in manu Dei, Prouerb. 21.a.1. Admonemur itaque vt tam nostra quàm magistratuum nostrorum cõsilia agnoscamus esse inania & inefficacia, nisi diuinitus adimpleãtur: atque eam ob causam bonorum consiliorum adimpletionem petamus à Deo, malos verò malorum conatus firma fide contemnamus: scientes nihil eos efficere posse, nisi consensus Dñi accedat.

6 *Exultabimus in salute tua, & in nomine Dei nostri vexillum eleuabimus: impleat Iehoua omnes petitiones tuas.*

Exultabimus in salute tua. [V] Ouemus in salute tua, id est de victoria qua incolumis potitus fueris. [C] Vel, fac Domine vt exultemus. Quidam putant fideles officio precandi defunctos in bonam spem se erigere, imò certa spe erectos quodammodo iam triumphũ agere: sicuti Dauid eiusmodi gratulationes precibus subinde permiscet, quibus ad continuandum crescat alacritas. Sed omnibus propius expensis, probabilius est finem diuinæ gratiæ vel fructum notari: ideóque subaudiendam esse particulam Vt. Nam fideles quò facilius regi suo impetrent Dei fauorem, communẽ lætitiam & gratiarum actionem in mediũ proponunt, ac si dicerent non pro capite vnius hominis se esse solicitos, sed de totius Ecclesiæ vtilitate. *In salute tua.* Etsi hoc tam ad Deum quàm ad regem potest referri, quia sæpe Dei salus vocatur quam ipse confert: contextus tamen postulat de rege magis intelligi. Nam quia populus in regis anima viuebat, (sicuti dicit Ieremias Thren. 4.d.20) ideo nunc testantur fideles eo saluo & florente se omnes hilares fore ac beatos. *Et in nomine Dei nostri vexillum eleuabimus.* [V] Vexillum iactemus, aut attollamus. q.d. Vtinam habeamus occasionem attollendi vexillum more triumphantium. Alii, vexillum erigemus: alii, triumphabimus. [C] Verbum Hebraicum tãtundem valet ac vexillare, si apud Latinos receptum foret. Sensus autem est, agnituros Dei gratiam fideles, vt eius triumphum celebrent. Itaque suum gaudium à profanis tripudiis distinguũt, dum profitentur se vexillum erecturos in nomine Dei. [A] Qui falsos deos colũt, hostibus superiores facti, idolis suis vexilla erigunt: sicuti in papatu cernere licet. At pii sicuti vnum agnoscunt victoriæ authorem Deum, ita illius duntaxat nomine exultant, & illi gratias agunt. *Impleat Iehoua omnes petitiones tuas.* Repetit quod versu quinto dixerat.

7 *Nunc noui quòd seruauerit Iehoua unctum suum: exaudiet illum de cælis sanctitatis suæ in fortitudinibus salus dexteræ eius.*

Nunc noui quòd seruauerit Iehoua. [C] Nunc sequitur gratulatio, in qua recitant fideles se expertos esse Dei bonitatem in tuenda regis salute. [H] Nam quisque pius è populo Dei inducitur vt singularem Dei erga regem beneuolentiã agnoscant. [C] Simul tamẽ annexa est fidei doctrina, quòd Deus re ipsa ostenderit sua virtute stare regnum Dauidis, quia in sua vocatione fundatum sit. Sẽsus ergo est, certa experientia liquere Deum custodem esse eius regni quod ipse instituit, & cuius est author. Nam Messiæ epitheto in hunc finem ornatur Dauid vt statuant fideles legitimũ esse & sacrum regem, quem Deus à se electum externa vnctione testatus fuerat. Quòd ergo ex maximis periculis ereptus fuerat Dauid, hoc Dei gratiæ adscribunt fideles: simulque causam addunt, quia Deus suo præsidio tegere ac tutari voluerit quem iusserat vngi in regem populi sui. [H] Interea videmus quid de rege suo pii sentiunt, sic nimirum vt agnoscant eum vnctum Domini. Hæc cogitatio fons erat debitæ obseruãtiæ & obedientiæ quæ tãquã seruo ac Christo Dei præstãda, & nõ tã in hominẽ regẽ quã in Deũ ipsum dirigẽda erat. *Exaudiet illum.* [V] Quòd exauditurus sit illũ. [C] Spẽ futuri temporis clarius adhuc hoc membro confirmat, quòd Deus regem è cælo exaudiet. Retinen-

dum est enim futurum verbi tempus: quia dubiũ non est quin documentum quod iam exhibuerat Deus, extendant ad continuam regni confirmationem. *De cælis sanctuarii sui.* Hic iam alterius sanctuarii mentio fit, nempe cælestis. Sicut enim Deus per arcam fœderis ad populum descendere tunc dignatus est, quò familiarius innotesceret: sic etiam rursum mentes suorum ad se sursum trahere voluit, nequid de ipso carnale vel terrenũ conciperent, atque vt scirent toto mundo superiorem esse. Iam sub visibili & manu facto sanctuario commendatur paterna Dei indulgentia, & familiaris vsus quem cum populo suo habet: sub sanctuario autem cælorum, immensa potentia, imperiũ & maiestas. Itaque preces Dauidis in mõte Siõ fundebãtur: sed à Domino in sacrario cælorum auditæ sunt. Id est, Deus verè cælestem opem illi tulit, & per seipsum hostes eius deiecit: qui in cælis, propter immortalem eorum substãtiam & vim omnibus inferioribus rebus maiorem, peculiariter habitare dicitur, eo quòd in illis potentiam & diuinitatem suam præclarius exerit. Sic quòd Solomon Dominum dedicato templo orabat vt quas ipse & alii in eo preces funderent, ipse in cælo audiret, nihil aliud orabat quàm vt ope sua è cælis lata (hoc est, tali vt cælestẽ ac diuinam virtutem referret) preces in templo fusas audiuisse se declararet, 1. Reg. 8. c. 19. *In fortitudinibus salus dexteræ eius.* [v] In potentiis salus dexteræ eius. Ordo inuersus Hebræis pro, In potentiis dexteræ eius est salus. Præterea Hebraismus est, pro, In forti dextera eius est salus, virtute sua omnes seruare potest. [c] Vel tantundem vales In fortitudinibus salutis acsi dixisset potentes salutes, vel potentias salutares. Itaque in ipsa loquutione est hypallage. Sensus tamen huc redit, Et pro sua admirabili virtute seruet Deus regem suo mandato vnctum: quia Spiritus, qui hanc precem dictauit, tot Satanæ furiosis conatibus videbat fore obnoxium, vt vulgari modo stare non posset. Non tamẽ reiicienda est altera expositio: nempe quòd fideles, vt se melius animent, sibi proponunt salutem dexteræ Dei esse in fortitudinibus, hoc est satis validam ad superanda quæuis obstacula.

8 *Hi in curru, & hi in equis [fidunt:] at nos nomen Iehouæ Dei nostri memorabimus.*

Hi in curru, & hi in equis fidunt. [m] Vt terrorem illum quem mũdus multitudine curruũ & equorũ inferre & incutere, indéque victoriam de piis reportare conatur, populus sanctus reprimeret, imò contẽptibilem esse admoneret, opponit illi spem suam quam in numine Dei sui conceperat. [c] Neque enim ad solos Israelis hostes hæc sententia restringi debes: quia fideles potius cum reliquo mundo conferuntur. Nam cunctis fere mortalib[us] videmus hoc esse ingenitum, vt quantis quisque opibus, potentia vel militaribus copiis præditus est, tantum concipiat animi & fiduciæ. Testatur ergo populus Dei se non vulgari hominum more spem locasse in armis vel bellico apparatu, sed tantùm in auxilio Dei. Quum autẽ hæc duo inter se opponit Spiritus, notandum est, simulac mentes nostras occupat carnis fiducia, Dei obliuionem quodammodo obducere. Fieri enim non potest vt qui sua virtute confisus victoriam sibi promittit, in Deum respiciat. Itaque videmus hoc loco discrimen impiorum & piorũ in rebus arduis. Impii, quoniam fide nominis Dei ac fiducia bonitatis illius destituti sunt, aliter se, vbi res graues & difficiles tẽtãdæ veniũt, gerere nõ possunt quàm vt, iuxta humanæ rationis consiliũ, rebus visibilibus ac sensibilibus instructos sese reddãt quãoptimè. Sic perpetuò legim[us] gẽtes aduersus populũ Dei ad confligendum his rebus confisas venisse. Pii contra, quoniam potentiam Dei & bonitatẽ Dei agnoscunt, ac fide nominis illius præditi sunt, fiducia diuini auxilii magis quàm viribus carnis instructi, periculis sese committunt. Sic dicunt hoc versu impios in curru & in equis fidere: & addunt, *At nos nomen Iehouæ Dei nostri memorabimus.* [v] Nominis Iehouæ Dei nostri recordabimur. Id est, inuocabimus Deum nostrum, vires illius & auxilium implorabimus, illi soli fidentes. Alii, De nomine Iehouæ Dei nostri commentabimur. [c] Recordãdi verbo vtitur Propheta, vt ostendat fideles nõnisi vacuos omnibus impedimentis ad Deum confugere. Porro hæc Dei recordatio primùm fideles, quibuslibet copiis polleant, retrahit tamen à vana confidentia, nequid aliunde quàm ex mera Dei gratia expectent. Deinde, si omnibus subsidiis orbati sint ac destituti, confirmat tamen, vt intrepidè & constanter Deum inuocent. Sicuti rursum, profani homines vbi viribus pollent, superbia excæcati nõ dubitant securè Deum contẽnere: ad inopiam verò redacti, miserè expauescunt. Denique nobis hic Dei memoriam commendat Spiritus, quæ tam in nuditate quàm in copiis vigorẽ suũ retinẽs, vanas spes, quibus inflari solet caro, subigat. [m] Fides nominis Dei piis omnibus loco curruũ & equorum esse debet. Sic enim auxilio Dei armati prosternunt hostes suos, quantumuis armatos & multos. Vnde etiam præceptum erat in Lege ne rex populi Israelitici multiplicaret sibi currus & equites, sed librum Legis sedulò inspiceret, Deut. 17. c. 16. Et, ne sibi timeret populus, si-quando hostes multis curribus & equis instructos aduersum se venire cerneret, Ibidem, 20. a. 3. Quibus præceptis quid exigebatur aliud quàm vt magis fide nominis Dei quàm armis, curribus & equis confisi prælium inirent? Sic fortes extiterunt pii fide, & per hanc bella gesserunt, regna vicerunt, & castra exterorum subuerterunt, &c. vt habetur Heb. 11. f. 33. Ad hunc modum armatus pugnabat Dauid aduersus Goliath excellenter armatum, 1. Sam. 17. f. 48. Et Israelitæ quãdiu sic fide nominis Dei armati bella gesserunt, amplam de hostibus victoriam reportarunt: postquam verò ad brachium carnis, relicta diuini nominis fiducia, conuersi sunt, & cum Gentibus more Gentium certarunt, semper infœliciter pugnarunt. De Christianorum bellis quid dicendum sit, nemo cordatus non videt ac deplorat. [c] Verbum נזכיר, quia est in cõiugatione hiphil, trãsitiuè quidam exponũt, Recordari faciemus. Sed quia nouum non est neutraliter etiã accipi verba apud Hebræos quæ propriè trãsitiua sunt, amplexi sumus quod præsenti loco melius quadrabat.

9 *Hi incuruati sunt, & ceciderunt: at nos surreximus, & ereximus nos.*

Hi incuruati sunt, & ceciderunt. [v] Hi incuruabuntur & corruent: at nos surgemus & erigemus nos. Præteritum Hebræũ pro futuro. Vel probabile est, hic tanquam digito monstrari Israelis hostes, qui diuinitus prostrati fuerant, quum nihil minus futurum putarent. Subest autem tacita antithesis inter ferociam qua ad tempus elati fuerant hostes, quum audactes irruerent ad omnia perdenda & populi Dei oppressionem. Sicuti enim surgere nonnisi eorum est qui prius iacebant, ita incuruari & cadere propriè dicuntur quos prius sua securitas in sublime extulit. Ergo ab euentu docet Propheta quanto satius sit spes omnes nostras ad Deum vnum applicare, quàm propriis viribus inniti. [m] Neque tamen putandum est damnabilem esse armorum & reliquarum creaturarum vsum, acsi illo reprobato spectandum sit duntaxat in nomine Dei. Nam & illi ipsi qui hoc Psalmo proponuntur, & reliqui pii reges, armis vsi sunt. Nõ reiicitur vsus, sed fiducia armorum & creaturarum. Vsus communis est piis & impiis: discrimen verò consistit in fiducia quam pii in Dominum Deum suum, impii verò in creaturas collocant. Distinguẽdum ergo est ad hunc modum, vt vsus creaturis, fiducia verò creatori deputetur.

10 *Iehoua serua: rex ille exaudiat nos in die qua inuocauerimus.*

Iehoua serua. [a] Vt versu septimo retulit voces populi de parta iam victoria triumphãtis, & authorem eius Deum agnoscentis & celebrantis, ita hic memorat voces adhuc pugnantium. Quo ipso rursus prædicat & quo confisus populus pugnarit, quóque adiutus vicerit. *Rex ille exaudiat nos.* [c] Quidam vno contextu legunt, Iehoua serua regem: fortè quia absurdum illis videtur, ad regem terrenum quod Dei proprium est transferri, vt scilicet inuocetur atque exaudiat. Verùm si in Christum, vt oportet, coniicimus oculos, nõ erit cur miremur, Dauidi & eius successoribus, quatenus personam eius gestarunt, per similitudinem attribui quod in ipsum competit. Quia autem per eius manum nos regit Deus ac seruat, non aliunde sperãda est salus: sicut etiam fideles olim ad regem suum, tanquam salutificæ Dei gratiæ ministrum, confugere solebãt. Hinc illud Ieremiæ quod prius citauimus, Spiritus oris nostri Christus, de quo diximus, In vmbra tua viuemus inter Gentes, Thren. 4. d. 23. Ideo etiam quoties restitutionem Ecclesiæ suæ promittit Deus, symbolum salutis proponit in regno. Nunc videmus, non absque optima ratione fideles induci auxilium à rege petentes, cui in fidem & custodiam dati sunt, & qui Dei loco in capite eorum præsidet, sicuti Micheas dicit, Transibit rex coram ipsis, & Iehoua in capite eorum, Mich. 2. d. 13. Quibus verbis significat regem fore instar speculi, in quo affulgeat Dei imago. Redeamus nũc ad præsentem locum. Ecliptica loquutio, quum dicitur, Serua Domine, maiorem continet emphasim quàm si adiectum fuisset nomẽ: quia hoc modo ostendit Dauid, cõmuniter ad totum Ecclesiæ corpus spectare salutẽ istam. Et Psal. 118. d. 25 eadem verborum forma concipitur precatio, quam eandem esse certum est. Summa est, vt Deus regem suum benedicẽdo, totius populi seruator appareat. *In die qua inuocauerimus.* Hic exprimitur salutis modus, vt rex Dei virtute instructus sit ad liberandum populum, quoties eius opẽ implorauerint: quia non aliter quàm eius manu & opera promiserat Deus suos fore saluos. Hodie, manifestato Christo, discamus hunc honorem deferre, ne aliam salutem nisi quàm nobis à Patre afferet, speremus. Eius verò tunc demũ futuri sumus participes si omnes sub cõmuni nostro capite in vnũ corpus collecti, mutuã alii pro aliis curã geram[us], nõ autẽ seorsum quisque sibi consulat. [a] Porro hoc Psalmo moneri debemus, pii principis & populi esse vt in omni periculo hoc

primum consilii capeent, vt Deo se precibus commendent: neque prius quicquam posse principi à populo optari quàm vt Deus eius precibus annuat. eius enim est cõsilia salutaria & immittere & secundare. Omnis virtus, omnis successus, omnis victoria Dei solius opus & donum est. Hæc nemo ignorare videri vult: sed res ipsa clamat paucissimis vera credi. alioqui longè alia consilia principes inirent, & esset multo alia in populo pietas. A quo enim animus prima expectat, eum & ante omnia suspicit, gratiæque eius nihil penitus præfert. Verè itaque orandũ vt hæc omnibus nota videantur, Deus vel paucis ad veritatem persuadeat.

ARGVMENTVM PSAL. XXI.

ET hic Psalmus epinicion est & publica gratiarum actio pro fœlici regis statu. Eius autem & superioris similis fere est ratio. Nam sicuti illic dictata fuit communis precãdi forma, vt totus populus pro capitis sui salute esset solicitus: ita nunc ostenditur incolumem regis statum ad publicam lætitiam spectare: quia hoc modo Deus totum corpus seruare integrum volebat. Præcipuè verò Spiritus sanctus fidelium mentes in Christũ direxit, qui regni huius finis erat & perfectio: vt scirent non aliter quàm sub capite diuinitus ordinato se fore saluos.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis.*

Præfecto, למנצח. Vide suprà, 4.a.1. *Canticum Dauidis.* Psalmus de Dauide, siue pro Dauide, pro successu Dauidis. Agit hic Dauid de successu regni sui. Sunt qui ab alio quàm à Dauide existimant Psalmum hunc editum fuisse pro salute Dauidis: alii rectius Dauidi ipsi tribuunt.

a *Iehoua, in fortitudine tua letatur rex, & in salute tua exultat quamuehementissimè.*

Iehoua, in fortitudine tua letatur rex. [v] De virtute tua: id est, de ope tua. *Lætatur.* ישמח, gaudebit, lætabitur. quod futurum aptè retineri potest. [c] Poterat Dauid priuatim gratias Deo agere pro victoriis & aliis insignibus donis quibus ornat[us] fuerat. sed testari propositum habuit non modò se Deo authore regnare, sed etiam quicquid in eum Deus contulerat, in publicã omniũ vtilitatem redire. Ac initiò quidem statuunt fideles ita regem Dei auspiciis creatum esse Dauidem, vt eius mẽdi curam Deus ipse susceperit. Itaque apparet Psalmum in hunc quoque finem compositum fuisse, vt sibi promitterẽt stabilem ac diuturnam fore hanc Dei gratiam: sicuti necesse erat vt starẽt in firma fiducia, de rege bene sperare, cuius conspectus Dei propitii & fauẽtis speculum erat. Sensus autem verborum est, Domine, virtute tua regem sustinẽs, efficies vt per te saluus maneat, atque ita salutem suam potentiæ tuæ ascribens, non vulgari modo in te lætetur. Robur enim & salutem haud dubiè pro valido & robusto auxilio posuit, significans Dei potentiam in rege tuendo fore talem vt eum omni periculo liberum & saluũ præstaret. [m] Porro hæc piorum admiratio magis concernit diuinæ virtutis & opis Dauidi præstitæ laudem quàm Dauidis exultationem. Significat enim tam potenter ac luculenter à Domino adiutũ esse regem, vt nisi planè stupidissimus sit, prorsus indicibili gaudio gestire eum & exultare oporteat. *Et in salute tua exultat quàm vehementissimè.* [v] Et de salute tua, & de ope tua. Salutem vocat opem qua Deus eripere solet. Id est, quia autor victoriæ illi fuisti: [a] vel, quia saluum illum ac incolumẽ seruabis. Nam futurã regni stabilitatem & fœlicitatem hic significari iam diximus.

3 *Desiderium cordis eius dedisti ei, & prolationem labiorum eius non prohibuisti. Selah.*

Desiderium cordis eius dedisti ei. [m] Hic subiiciunt fideles quæ Dauidi regi suo Deus beneficia impendit: [c] simúlque notatur gaudii causa, quòd regis vota exaudierit Deus, ac liberaliter dederit quæcunque optabat. Nam hoc teneri & penitus animis infixum esse operæpretium fuit, prosperos omnes Dauidis successus totidem esse Dei beneficia ac etiam documẽta legitimæ eius vocationis. Ac Dauid quidem his verbis significat se carnis desideriis vota non laxasse, vt profani homines libidinose huc & illuc animos sine delectu applicãt: sed ita frænasse suos affectus vt nihil nisi rectum & æquum expeteret. Etsi enim quibusdam vitiis (vt fert hominum infirmitas) laborauit, bis etiam turpiter lapsus est: continua tamen regni administratio talis fuit vt facile constaret Spiritum sanctum primas illic tenere. Sed quia Spiritu prophetico in Christum maximè respexit, qui non sibi sed in bonum nostrum regnat, & cuius vnicum votum ad salutem nostram tendit: hinc colligere licet vtilissimam doctrinã, minimè timendum esse, quoties pro Ecclesia oramus, ne Deus preces nostras repudiet, quas nõnisi præeunte cælesti nostro rege concipimus. *Et prolationem labiorum eius non prohibuisti.* [v] Et prolationem labiorum eius non denegasti ei. Prolationem siue sermonem labiorum vocat ea quæ precatus est. [m] Obseruãdum autem hoc loco quales sint piorum orationes. Nõ meminit hic versus labiorum tãtùm, sed & desiderii cordis. Sic sancti ore petunt à Deo quæ corde desiderant: contrà, hypocritæ labiis Deo appropinquantes, corde sunt ab eo remotissimi, Esa. 29.d.13, & Matth. 15.a.8. *Selah.* [B] Additur hæc particula acsi diceretur, O magnam & admirabilem Dei beneuolentiam erga Dauidẽ!

4 *Quoniam præuenisti eum benedictionibus boni, imposuisti capiti eius coronam auream.*

Quoniam præuenisti eum. [v] Hebraismus. pro, Omni genere bonorum vltro affluere facies eum: quorsumque se vertat, erit fœlicissimus: etiam nihil tale cogitantem afficies amplissimis beneficiis. Verbum est futuri temporis: sed [c] mutatio temporis in verbis rei contextum non abrumpit. itaque hanc sententiam libenter in tempus præteritum transferimus: sicuti Hebræis scimus satis tritã esse hanc enallagen. [B] In præsenti ergo nihil aliud canitur quàm regem voti sui factum compotẽ, omnéque genus beneficiis à Deo fuisse cumulatum. [E] Qui tamen Psalmum hũc restringunt ad vltimam victoriam quam de exteris gentibus adeptus est Dauid, & coronam cuius hic fit mentio, regis Ammon fuisse putant, (quam celebrat sacra historia, 2.Sam.12.g.30) nimis extenuant quod de perpetua regni fœlicitate dictauit Spiritus sanctus. Nec verò dubium est quin posteros suos vsque ad Christum cõplexus fuerit Dauid: atque ita assiduos gratiæ Dei progressus in seruando regno illo commẽdauerit. Neque enim de vno tantùm homine dictum fuerat, Ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium (1.Sam.7.b.14) sed oraculum illud à Solomone vsque ad Christum extendi debuit: sicuti optimus testis est Esaias, completum fuisse docens quum filius datus est vel exhibitus, Esa 9.b.6. Porro quum dicit, *Præuenisti*, significat vltro Deum fore liberalem & ad largiendum propensum, vt non modò rogatus annuat, sed etiam vota regis anteuertens, omni bonorum genere præter spem eum cumulet. [m] Vnde admonemur qua fide & spe debeamus ab eo quæ necessaria sunt petere, qui suos, etiam antequã petant, optimis benedictionibus præuenire solet. Quis autem nostrum est quem nõ magnis beneficiis etiã inscium & nihil illorum petentem præuenerit? *Benedictionibus boni.* [c] Per benedictiones intellige affluentiam vel largitatem. Quidam Hebraicum טוב bonitatem vertunt, sed rectius alii pro beneficentia vel gratuitis Dei muneribus & donis accipiunt. acsi dictum esset, nihil regi defore ad beatæ vitæ summã, quia Deus sponte eum multiplici bonorum copia ad locupletãdum eum occurret. *Imposuisti capiti eius coronam auream.* [v] Id est auri puri, vel gemmeam. Vide suprà. 19.c.11. Hebræi dicunt per hoc intelligi fauorem Dei: acsi dicat, Stabiliet regnũ illius perpetuò. [c] Itaque coronã disertè nominat, quia regni erat insigne: acsi dixisset Deum eius regis quem ipse creauerat, fore custodẽ. Iam verò quum Propheta cidarim, postquam ad longum tempus iacuisset, reponendam in Christi capite testetur, colligim[us] hoc cantico erectas fuisse pias mentes in spem æterni regni, cuius vmbra tantùm vel obscura imago in filiis Dauidis proposita fuit. Quare hic regni Christi perpetuitas asseritur: quia nõ hominum fauore vel suffragiis impositus fuerit solio, sed Deus è cælo caput eius corona ornauerit. Porro lõgè alia est hæc Christi corona ab ea triplici quam Romanus pontifex in capite gestat. Vt enim Christi regnũ non est ex hoc mundo, ita spiritualis est & æterna hæc corona, quam à Patre suo accepit. Papæ verò corona ex rebus terrenis & corruptibilibus, licet in oculis mundi pretiosis, confecta est. Hanc verò ab eo accepit à quo primatum suum accepit, qui se regna mundi distribuere posse dicebat, Luc. 4.a.6. Clemens quintus (si Platinæ verbis fidem habemus) in pompa coronationis suæ equo deturbatus, carbunculum vnum pretii aureorum sex millium è tiara sua amisit. Talia è capite Petri nũquam decidisset. Sed hoc ludibrio Satan regno Christi illudere voluit, quasi regnum Christi dominium sibi in mundi sumat imperia: qua suspicione Christum ipsum recens natum in carne coram Herode primùm, deinde & crucis tempore coram Pilato grauare sategit. Vnde & clamabant illius satellites, Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari, Iohan. 19.b.12.

5 *Vitam petiit à te, & dedisti ei longitudinem dierum in seculum & seculum.*

Vitam petiit à te, & dedisti ei. [E] Hoc versu & sequentibus beneficia Dei per partes explicat, docens non vulgari Dei benedictione seruatum fuisse regem. [c] Confirmat autem hic versus quod nuper attigimus, Psalmum hunc ad vnius hominis personam minimè restringi. Quanuis enim prorogata fuerit Dauidis vita, vsquedum senio confectus & satur dierum è terra migraret, breuius tamen fuit eius curriculum quàm vt ad

istam dierum longitudinẽ accesserit, quæ pluribus seculis constare dicitur. Imò si tempus à primordio regni Dauidis ad exilium Babylonicum supputes, non reperietur hæc longitudo in Dauidis successoribus. Quare non dubium est quin regem æternum hic cõprehendat Dauid. *In seculum & seculum.* [V] Quidam hic de futura vita & sempiterna intelligunt, qua proculdubio potitus est Dauid absoluto præsentis vitæ cursu: sed longè certius alii ad continuum regni statum referunt, sicuti iam dictum est. [C] Subest autem hic cõparatio inter obscurum & contemptibile, imò grauissimis periculis refertum & desperationi affine regni principium, deinde incredibilem illam gloriam quæ sequuta est, quum Deus regnum illud à communi ordine eximens, fere supra cælos locauit. Neque enim vulgare est elogium, quàdiu sol & luna in cælo fulgebũt, stabile fore regnum illud. Infrà, 89. f. 37. Ergo Dauid se vitam petiisse è memorans, tacitè in quas sæpe angustias redactus fuerit notat: vt sit sensus, Domine, ex quo seruum tuum facta vnctione ad spem regni vocasti, talis fuit eius conditio vt pro singulari beneficio duceret elabi à faucibus mortis: iam verò nõ solùm tua gratia saluus euasit, sed pollicitus etiam es continuam per multa secula in eius posteris successionem. [H] Et certè quum Dauid in discrimine vitæ esset constitutus, non hoc petierat vt multorum seriò potiretur, sed tantùm vt è periculo mortis eriperetur. [C] Itaque hoc non parum amplificat Dei gratiam, quòd miserum hominem ferèque exanimem, quum trepidè mortem deprecaretur, inæstimabili hoc honore dignatus sit, vt regale sceptrum ad posteros in seculum vsque transmitteret. [A] Sic à Dei bonitate plura quàm peteret impetrauit. [C] Quod quidam exponunt, Dedisti ei vitam quam petebat, & quidem vt dies eius pertraherẽs in seculum & perpetuò, frigidum est ac coactum. Tenẽda est enim illa antithesis inter principium regni infirmũ & ignobile, & illud inopinatum decus quo Deus seruum suum ornauit, testem aduocans lunam, siquando semen eius deficeret. Simile in Christo quoque specimen editum fuit, quem Pater à contemptu, ignominia, morte, sepulchro, desperatione in cæleste imperium extulit, vt sedeat perpetuò ad eius dexteram, futurus tandem iudex mundi. [A] Manet enim princeps in perpetuum, & à Deo constitutus est iudex viuorum & mortuorum, Act. 10. g. 42.

6 *Magna est gloria eius in salute tua, gloriam & decorem posuisti super eum.*

Magna est gloria eius in salute tua. [V] Id est, propter opem quam tulisti ei. [C] Significat his verbis populus, regem suum, quia Dei manu protegitur, & auxilio liberatur, magis illustrem fore quàm si vel tranquillè cum omnium plausu regnaret, vel hominum opibus & præsidio defensus esset, vel sua denique virtute & industria stetisset inuictus: quia inde clarius apparuit, nonnisi Dei auspiciis & mandato dignitatem regiam adeptum esse. Hoc ergo regibus profanis relinquunt fideles vt se rebus suis gestis nobilitent, famàmque sibi cõparent ex propria virtute: quia diuinæ gratiæ approbationem pluris quàm omnes mundi triumphos faciunt. Interim tale sibi promittunt Dei auxilium quod regi magnificè ornando sufficiat. *Gloriam & decorem posuisti super eum.* [V] Honorem & splendorem, celebritatem & magnificentiam, siue claritatem. [B] Obseruãdum hic vnde vera dignitas & authoritas petenda sit. Cui enim Dominus benignè adfuerit, is ilico verẽdus omnibus & suspiciendus reddetur. Ita Ecclesia Christi Ierusalem initiò propter præsentem Dei opem in tanta omnium admiratione erat, vt nemo auderet temere se illi adiungere, Act. 5. c. 13. Ita quandiu populus Israel Deum propitium habebat, summa illis erat dignitas, ingens maiestas, maximusque nominis eorũ terror: vt contrà, nihil vilius, nihil abiectius & contemptius, quum Deum contra se sceleribus suis prouocabant. [H] Itaque qui cupit honorari, talem se gerat vt propter Dominũ possit magnificari. Glorificet ipse Deum, nec dubitet de eo quod dicitur, Qui honorificauerit me, honorificabo eum, inquit Dominus, 1. Sam. 2. f. 30. Peruersus hodie quærẽdi honoris mos inoleuit, primùm in eo quòd magno studio ambiunt honores, quibus vltro debebat honos offerri etiã non quæsitus: deinde quòd peruersimodè quæritur honos, eã via quæ magis ad ignominiam quàm ad honorem ducit, dum non Dei sed hominum voluntati studetur.

7 *Quoniam magnificasti eum benedictione in seculum, Lætificasti eum in lætitia vultu tuo.*

Quoniam posuisti eum benedictionem. [V] Hebraismus: pro, In eum locum constituisti eum vt omni genere bonorum perpetuò affluat. Nam ברך significat etiam beneficẽtiam & bonorum omnium affluentiam & multiplicationem. Certum tamen est, plus aliquid hac loquendi forma exprimi: nempe tam vberem bonorum copiam affluere regi, vt meritò diuinæ beneficẽtiæ exemplar esse possit: vel etiam vt inter precãdum vulgò futurum sit nomen eius celebre ad exẽplum. Dicunt enim Hebræi poni in maledictionem qui sic redduntur detestabiles, & quibus tam horribilis infligitur Dei vindicta, vt imprecationibus & diris seruiat eorum nomen. Ita vicissim dicitur in benedictionem poni sub cuius nomine vota concipimus: quemadmodum siquis dicat, Deus te eodem fauore quo seruum suum Dauidem prosequatur. Hæc interpretatio reiicienda non est: illa tamen contenti sumus, quòd rex omni bonorum genere abundans, præclarũ sit liberalitatis diuinæ exemplar. [B] Similis oratio habetur Gen. 12. a. 2, de Abraham, cui Dominus dicebat, Erisque ברכה, id est (vt vulgò vertunt) benedictio: sed Hebraicè valet Vir beneficentiæ, qui nimirum omni genere bonorum affluit. *Lætificasti eum in lætitia vultu tuo.* Id est, benigno summique fauoris teste vultu intuitus es illum, & inde tantis beneficiis cumulans, indicibili gaudio perfudisti. Chaldæus habet, Lætificabis eum gaudio à conspectu tuo. [C] Quæ loquutio diligẽter notanda est. Non enim tãtùm intelligit populus Deum regi benefacturum, quia benignè & paterno oculo eum respiciet: sed hanc propriam designat gaudii causam, quòd rex ipse Deum sibi propitium agnoscet. Neque enim sufficeret Deum curã nostri gerere, nobisque prospicere, nisi vicissim nobis sereno suo vultu irradiãs bonitatis suæ gustum præberet: quemadmodum iam vidimus, Multi dicunt, Quid ostẽdet nobis bonum? Illustra Domine faciem tuam super nos, & salui erimus, Suprà, 4. b. 7. Et sanè hæc solida est fœlicitas, Deum nobis propitiũ sentire, vt quasi sub eius oculis habitemus. [B] Hinc ergo discamus vnde verum & solidũ gaudium expectãdum, ex solo nimirum beneuolo Dei aspectu, ex vno Dei erga nos fauore. Hinc Paulus perpetuò pacẽ & gaudium fidei fructus facit.

8 *Quoniam rex sperat in Iehoua, & in misericordia altissimi non declinabit.*

Quoniam rex sperat in Iehoua. [C] Hic rursum gloriantur sancti regem suum fore stabilem, quia Deo innititur: & modum quoque exprimunt, nempe in spe vel fiducia. Totus versus vno contextu legendus est, vt tantùm sit vnum principale verbum, regem, quia spe fundatus erit in Deo eiusque bonitate, ruinis quæ huius mundi regna euertunt, non fore obnoxium. [B] Ergo causam hic dicit omnis fœlicitatis quæ regi cõtigit diuinitus. [H] Nõ dicitur, Quoniam rex iustus fuit aut Dei gratiã promeritus est: sed, Quoniam rex sperat in Iehoua. Itaque spes & fiducia in Dominum meriti loco sunt, quo gratiæ & fauoris Dei compotes euadimus. *Et in misericordia altissimi non declinabit.* [V] Non nutabit. [B] Q. d. Ingẽs futura est regi huic fœlicitas: causa huius est, rex bonitate Dei totus nititur. hinc enim est vt non possit vel nutare, hoc est in aduersum aliquod inclinare, optatò & fœlicissimè cadant ei omnia oportet. [C] Porro quum antè dictum fuerit, quæcunque regi suo tribuunt fideles, spectare ad totum Ecclesiæ corpus, communis hic offertur promissio, quæ nos inter varias mundi iactationes in tranquilla statione contineat. Quanuis enim tanquam in rota voluatur mundus (vnde fit vt repẽte decidant qui in summum culmen fuerant euecti) regnum tamen Iuda, & sub eius typo regnum Christi, excipitur. Sed meminerimus hac demum firmitate subniti qui certa fide in Dei gremium se coniiciunt: eiusque misericordia freti salutem ei suam cõmendant. Nam & sperandi materia simul exprimitur, quòd Deus clementer suos foueat, quos gratuitò amplexus est. [H] Pulcherrimè ergo hoc versu spes credentis & misericordia Dei, in quem creditur, sic coniungũtur, vt admoneamur nec spem credentis aliquid sine Dei beneuolentia consequi, nec beneuolentiã Dei cuipiam non speranti prodesse. Vt rectè scripserint quidam fidem habere se correlatiuè ad bonitatem Dei tanquam ad obiectum: atque ideo quòd fides iustificare dicitur, nihil esse aliud quàm si bonitatẽ Dei iustificare dicamus. Haud itaque putandum est quòd propter fidei in se dignitatem iusti simus, sed quòd propter bonitatẽ Dei fide apprehensam iusti reputemur. Nec caret emphasi Altissimi vocabulum: ostendit enim fundamentum nostræ in Deum fiduciæ esse firmissimam. Nam ille omnium potentissimus & excellentissimus est, qui sperantes in se nunquam frustrari potest: quemadmodum ex variis Scripturæ locis in promptu colligere licet.

9 *Inueniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniet odio habentes te.*

Inueniet manus tua omnes. [V] Assequetur (vel apprehendet) manus tua omnes inimicos tuos. Acsi dicat, Non effugient omnes inimici tui manum tuam, siue potentiam, qua illos comprehendes ac perdes. Alii vertunt, Satis erit (vel sufficiet) manus tua ad perdendos omnes inimicos tuos. [A] Hactenus descripta fuit interior regni fœlicitas: nunc additur (sicuti necesse erat) inuictum contra hostes robur. Perinde enim valet acsi rex hostiũ omniũ victor prædicaretur. Diximus autẽ hoc mẽbrũ minimè esse superuacuũ: quia nõ satis esset intus florere regnũ & pacẽ,

opibus omniqua bonorum copia refertum esse, nisi ab externa quoque violentia probè munitum foret. Atque hoc præsertim regno Christi conuenit, cui nunquam hostes desunt in mũdo. Etsi enim non semper oppugnatur aperto marte, sed aliqua interdum relaxatio conceditur, malitiam tamen & nocendi libidinem nunquam exuunt Satanæ ministri: ideoque euersionem regni Christi moliri nũquam desinunt. Bene autẽ habet quòd rex noster, qui manum suam opponit ad nos protegendos, omnibus est superior. *Dextera tua inueniet odio habentes te.* Assequetur, apprehendet. Idem verbum quod paulo antè. Per manum plagas intelligunt, & per dexteram, potentiam. q.d. Non effugient inimici tui manum tuam, qua illos omnes cõprehendes ac perdes, quantumuis potentes videantur & inuicti.

10 *Pones eos ut clibanum ignis in tempore iræ tuæ: Iehoua in furore suo disperdet eos, & consumet eos ignis.*

Pones eos ut clibanum ignis. Tanquam fornacem ignis, velut fornacem. id est, facies eos perire vt ligna quæ coniiciuntur in fornacem ardentem. Vel, ardere eos facies instar clibani ardentis & incensi. vel, igni tam violento subitóque voranti vt est ignis fornacis in qua lapides in calcem excoquuntur, absumes eos. Est enim hypallage, sicut & alibi, Pones eos sicut ignẽ qui comburit syluam, sicut flammam quæ incendit montes, Infrà, 83.c.15. Intelligendum, Tantum ignem ponam vel mittã in eos. Vtrobique autem allegoria est, & significatur grauissima Dei vltio, instar ignis vi ingenti & subitò omnia vorantis. Vnde colligimus, non de quibuslibet hic fieri sermonem, sed de impiis & vesanis Dei contemptoribus, qui contra vnigenitum Dei Filium gigantum more insurgunt. ipsa enim pœnæ atrocitas sceleris grauitatem ostendit. Putant quidam Dauidẽ alludere ad supplicii genus quod cum de Ammonitis sumpsisse refert sacra historia, 2.Sam. 12.g.31. sed magis probabile est metaphoricè exponi horrendum exitium quod omnes Christi aduersarios manet. Quamuis enim furore ardeant contra Ecclesiam, & sua sæuitia mundum inflamment, vbi tamen ad cumulum peruenerit eorum impietas, hæc illis merces reposita est apud Deum, vt in suam fornacem coniectos absumat. *In tempore iræ tuæ.* Verba sunt populi ad regem. hoc est, quum iratus in eos fueris, penitus absumentur. *Iehoua in furore suo disperdet eos.* Deuorabit eos, absorbebit eos. Ne videretur hæc vlsio viribus regis attribui, subiicitur Deum in furore suo illos omnes absumpturũ. omnia enim Dei virtute perficiuntur. *Et consumet eos ignis.* Primo membro huius versus rex ipse vltor vocatur: deinde trãsfertur munus hoc ad Dei personam: tandẽ vltionis exequutio igni tribuitur. quæ tria optimè inter se conueniunt. Scimus enim Christo mandatum fuisse iudicium, vt hostes suos in ignem æternum præcipitet: sed operæ pretium fuit disertè exprimi, non hominis hoc sed Dei esse iudicium. Est enim à Deo cõstitutus iudex omnium. Non minus etiam vtile fuit extremã & terrificam vindictæ speciẽ exponi, quò expergesieret eorum torpor qui Dei minas alioqui securè contemnunt. Iam hoc idem ad piorum consolationem non parum valet. scimus enim quàm formidabilis sit impiorum crudelitas: cui facilè succumberet fides nostra, nisi ad Dei iudicium assurgeret. Tempus iræ admonet patienter ferendam esse crucẽ, donec exercere nos & humiliare Domino placuerit. Discamus ergo, si non statim potentiam suam exerit ad perdendos impios, spem nostram ad illud tempus extendere quod cælestis Pater iudicio suo præfixit: & rex noster terrifica sua virtute armatus, prodibit ad sumendam vltionem. Nunc enim, quandiu dissimulat, non oblitus est vel sui vel nostri: sed ridet eorum amentiam qui impunè grassando plus audaciæ in dies colligũt. sicuti iam audiuimus, Habitãs in cælis ridebit, Dominus subsannabit eos, Suprà.2.b.3. Etsi autem nobis parum suauis est iste Dei risus, militia tamen nostra defungi nos oportet, donec adueniat vltionis dies qui idem redemptionis annus erit: sicut Propheta loquitur, Esa.34.b.8. Cæterùm multis Scripturæ locis ira Dei consumens aduersarios per ignem declaratur. Variæ sunt pœnæ quibus peccatores diuinitus puniuntur, vtpote gladii, famis, pestis, bestiarum, inundationis aquarum. verùm vbique per ignis supplicium extremam perditionem impiis intentari videmus. Exempla sunt Sodomitæ, Gen.19.e.14. Item murmuratores, Numer.11.a.1, & 16.e.35. Item duo quinquagenarii duces, 2.Reg.1.b.10.c.12. Itaque statuendum est, inimicos Dei non modò temporaliter in hac vita, sed & perpetuò in futuro seculo puniendos, igne scilicet illo qui non extinguetur. Vnde Chaldæus hoc loco rectè gehẽnæ meminit. Neque enim intelligendum est hoc versu, omnes Dei hostes terreno igne in hac vita puniendos: sed illis denuntiatur exitium, facta ad pœnam allusione qua Sodomam & Gomorrham olim Deus perdidit. Quia enim illud fuit præ aliis diuini in omnes impios iudicii memorabile documentum, imò illa fuit visibilis imago æternæ gehennæ quæ reprobis parata est: frequẽter in Scriptura occurrit hæc similitudo. Curiosum autẽ nimis esset de eo disputare, qualisnã futurus sit ignis ille sempiternus, & non magis per gratiam Christi noctes ac dies in id incumbere, ne aliquando quod nunc ignoramus, re ipsa experiri cogamur. Vide suprà, 11.b.6.

11 *Fructum eorum è terra perdes & semen eorum à filiis hominum.*

Fructum eorum è terra perdes. Et ista exaggerationem diuini iudicii aduersum impios futuri exprimunt, dum etiam posteritatem hostium tollendam indicant. Per fructum siquidem eorum & semen filios, nepotes & posteros significat, qui de terra perituri sunt. Est autem hoc satis tritũ doctrinæ caput in Scriptura, Deum non modò de primis scelerum authoribus pœnã exigere, sed reiicere in sinum filiorum. Vnde colligere licet quanta sit ira Dei aduersus impios, qua non ipsi tantùm, sed & posteritas eorum graui vltione afficitur. Magna certè abominatio est impiorũ in conspectu Dei: quia fit vt illis ne in terra quidem & inter filios hominum locus vllus relinquatur, nedum in cælestibus. Neque tamen, dum ita vindictam suam prosequitur in tertiam & quartam generationem, temere insontes scelestis inuoluit: sed quum maledictum sit impiorum semen, quod gratia sua priuauit, & omnes sint filii iræ, vltimo exitio deuotis non minus in filios quàm patres iusta est eius seueritas. Quis enim litem intentet, si gratiam qua suos complectitur, ab indignis subducit? Vtroque enim modo quàm sibi charũ sit ac pretiosum Christi regnum demonstrat: quòd ad fidelium posteros misericordiam producit vsque ad mille generationes, & in reprobis residet ira eius vsque in tertiam & quartam generationem. *Et semen eorum à filiis hominum.* Id est, ab hominibus. Vti enim suprà, 4.a.3. filios viri pro viris dixit, ita non hic solũ, sed passim in Scripturis, filii Adam (id est hominis) pro hominibus ponuntur. Sicuti Græci παῖδας Ἀχαιῶν pro Græcis vsurpant.

12 *Quoniam declinauerunt super te malum, cogitauerunt cogitationem [quam] non potuerunt [perficere.]*

Quoniam declinauerunt super te malum. Intenderunt, expanderunt. Nam quia verbum נטה Hebræis nunc Expandere nunc Diuertere significat, vtroque modo non incommodè verti potest: quòd scilicet impii quasi expãsis retibus conati sint Dei potẽtiam sibi subiicere, vel eius opprimendæ causa malitiam suã deflexerint: quemadmodum si quis torrentem cauata fossa in locum aliquem deriuet. Pronuntiat ergo Dauid hoc versu qua ratione prædixit excidium impios esse promeritos: quia non hominibus solùm terreno molesti fuerint, sed impetum suæ superbiæ cõuerterint in Deum ipsum. Quemadmodum enim suprà, 2.c.2, dictũ fuit, regnum illud in Dauidis persona Dei mandato consecratũ violare nemo potuit, quin Deo nefarium ac sacrilegum bellum inferret. multo autem magis in oppugnatione regni Christi violatur Dei maiestas: qui nonnisi per eius manum dominari vult in mundo. *Cogitauerunt cogitationem quam non potuerunt perficere.* מזמה, scelus, dolum, fraudem. Dicit eos cogitasse fraudem vel consilium quod effectu carebit. Quibus verbis perstringit cæcam eorum audaciam qui aduersus Deum bellando quiduis tẽtare non dubitant. Vnde quisque facilè colligere potest quàm misera sit sors impiorum, qua illis permittitur vt odio ac zelo aduersus veritatem ac pietatem Dei ducantur, imò rapiantur, multáque & admodum molesta conentur: vt autem quod cogitant, meditantur & conantur, perficere nequeant. id quod ipsis omnino molestissimum est, dum conatus suos irritos esse cernunt. Adhæc, quum videmus hic cogitationem & conatũ mali in impiis per Spiritum sanctum damnari, nõ dubitemus eodem loco boni quoque cogitationem & conatum apud Deum esse, vt etiamsi effectus non sequitur, probetur tamẽ Deo & acceptetur.

13 *Quoniam pones eos tumulum, in funibus tuis præparabis [sagittas] contra faciem eorum.*

Quoniam pones eos tumulum. Quia שכם Hebræis humerum propriè significat. quidam sensum illum retinent, acsi diceret capita ipsorum deiectum iri, vt in corporibus curuatis humeri emineant. ita, secundum eos, metaphoricè notatur futura hostium subiectio. Magis tamen altera expositio inter Hebræos quoque recepta est, quòd Deus in aliquem angulum retrusos à maleficiis arcebit. nam שכם pro parte vel regione vel loco sæpe accipitur. Sed quia paulo pòst producit Deum arcu instructũ, vt sagittas suas in eorum faciem dirigat, dubium non est quin metaphoram continuans eos tumulo comparet vbi figi solet scopus. Ita pulchrè sensus fluet, Tu Domine statues eos instar tumuli in quem sagittas tuas emittas. *In funibus tuis præparabis sagittas contra faciem eorum.* Id est, & facies eorum tanquam scopum sagittis tuis assiduè petes. Vel, & arcu tuo collimabis in faciem eorum. Alii, arcum instruxisti sagittis, nihil ipsis repugnã

cibus, eos perimens. Hinc discamus nullis viribus impios posse sese defendere, oppugnante illos Christo.[c] Huic igitur nos committam[e], & ad patientiam erudiamur, donec ad suum finē Deus opportunè adducat impios.[h] Tūc enim adimetur eis omnis facultas excutiendi plagas Dei, illique sese eximendi, quū illis similes sint fusuci qui palis ad hoc alligantur vt iaculis impetantur.

14 *Exalta te Iehoua in fortitudine tua, cantabimus, & psallemus fortitudinem tuam.*

Exalta tè Iehoua in fortitudine tua. [e] Attollere, exaltare. q. d. ostende potentiā tuā ferēdo auxilium regi.[c] Tandem Psalmus precatione clauditur, quæ rursus confirmat, regnum cuius fit mētio, cum Dei gloria sic coniunctum esse vt illic relucear eius potentia.[b] Orant itaque fideles vt porro & semper se Deus virtute sua extollat, hoc est, exerendo suam potentiā declaret se omnibus supereminere vt perpetuò sancti virtutem eius deprædicēt. Vnde subiicit, *Cantabimus, & psallemus fortitudinem tuam.* [h] Quibus verbis pollicentur se potentiam Dei, tanquam hostium victricem, canticis ac Psalmis celebraturos. Ergo delectat eos nō perditio impiorum, dūm illi à Deo perdūtur, sed gloria exaltatæ Dei & declaratio potentiæ illius, ad quam magis quàm ad suā ipsorum salutem ac liberationem respiciunt. Quāquam autem Deus in extollendo Dauide virtutem suam olim extulit, quod tamen hic dicitur, nonnisi in Christo solidè impletum est: qui ita nobis præfectus est in regem à Patre celesti vt idē sit Deus manifestatus in carne. Ceterùm vt reprobis meritò terrorē incutere debet diuina eius virtus, ita nobis suauissimæ cōsolationis plena describitur, quæ nos ad gaudium, cantica & gratiarū actiones incitet. Et (vt Psalmi huius expositioni finem imponamus) meminerimus regni Christi successum hic describi.[h] Nā Christus verè rex ille est cuius desideria & petitiones à Deo Patre perficiuntur, quem Pater optimis benedictionibus cumulauit, corona regni cælestis inaugurauit, sempiterna vita donauit, gloria & splēdore illustrauit: ad hoc vt sit mortalibus omnibus sempiterna benedictio, posuit: æterno gaudio cum vultu suo lætificat, & sic firmauit vt in sempiternum moueri nequeat. Denique & hæc illius sors est vt omnes illius inimici nihil efficiant aduersus ipsum cogitando, meditando, consultando & conādo, nisi hoc tantùm vt sese extremæ, certæ & perpetuæ perditioni reddant obnoxios. Quæ omnia Spiritu fidei præditis non vulgarem consolationem adferunt.

ARGVMENTVM PSAL. XXII.

DAVID Christi se typum apertè admodum hoc Psalmo exhibet. Constat enim sub eius persona describi primùm crucē & afflictionem humilitatémque & abiectionem Christi, deinde illius ereptionē, & postremò regni illius ad extremos vsque orbis terminos prorogationem.[c] Ita Psalmus duobus membris illud Prophetæ vaticinium explicat, E carcere & iudicio sublatus est. generationem eius quis enarrabit? Esa. 53. c. 8.

PRAEFECTO, *super ceruam auroræ canticum Dauidis*

Præfecto, super ceruam auroræ canticum Dauidis. [h] Titulus hic variè exponi solet tam ab Hebræis quàm à nostris:[c] quia mysteria quædam sublimia in re parua multi ex eis quærunt. אילת quidam pro stella matutina, alii pro fortitudine accipi volunt: rectius tamen pro ceruа accipitur. Iam quia prophetiam esse de Christo Apostoli luculenti sunt testes, putarunt veteres non satis magnificè ornari Christi dignitatem, nisi Ceruæ nomen allegorico sensu ad sacrificium transferrent. Idem tētarunt quibus magis placebat nomen Auroræ. sed quia in istis argutiis nihil solidi reperitur, præstabit quod simplicius ac magis genuinum est eligere. Mihi certè credibile est initiū fuisse cantilenæ vulgaris: nam quomodo alioqui inscriptio Psalmi argumento conueniat non videmus. Ex contextu autem apparet Dauidem hic nō vnam modò persequutionem, sed quascunque sub Saule passus est complexum esse. an verò rebus suis iam prosperis Psalmum hūc composuerit incertū est, nisi quòd statuere licet, quæ in mediis curis, anxietatib' & mœrorib' meditatus est, hic describi.[h] Interea tamen & hoc obseruandum, Licet de seipso Dauid tanquam de typo futuri Christi canat, quædam tamē interserit quæ propriè de ipso exponi nequeant, sed quasi porrecto digito Christum designant. vt ita Spiritus Dni sese prodat non tam de Dauide res gestas quàm de futuro Christo vaticinium hic texere: quandoquidē is vnus est in quo omnia consummari oportebat.

2 *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? elongatus es à salute mea, & à verbis rugitus mei?*

Deus meus, Deus meus. [a] Ab hoc versu vsque ad vicesimum tertium Dauid quibus in malis fuerit, quàm anxiè & ardenter Dei opem implorarit canit: inde ad finem vsque, de diuinæ gloriæ verǽque religionis illustratione & dilatatione, quæ eo restituto erat futura. Vtrunque verò ita cecinit vt apertè videas illū haudquaquam sese, nisi quantum ad rationem typi attinet, sed ipsum seruatorem in commemoratione tam afflictionis quàm vtilitatis ex sua salute futuræ, ob oculos habuisse.[h] Porro iste, quemadmodum & sequentes, mirè patheticos est.[c] & duas notabiles sententias continet, quæ etsi in speciem videntur contrariæ, quotidie tamen piorum animis simul obrepunt. Quòd se à Deo relictum & abiectum dicit, querimonia videtur esse hominis desperati: quæ enim residua est fidei scintilla, vbi in Deo nihil auxilii sentitur? & tamen quòd Deum suū bis appellat, suósque gemitus in eius sinum deponit, non obscura est fidei confessio. Atqui hoc intestino conflictu pios exerceri necesse est quoties fauoris sui signa Deus subducit, vt quocunque vertant oculos, nihil præter noctis tenebras occurrat. Atque hoc fidelibus accidere dicimus, vt secum luctādo tam carnis infirmitatem prodant quàm fidem testentur. Reprobos enim, quia diffidentiæ suæ indulgent, obruit sua anxietas, vt ad Dei gratiam fide non aspirent. Quòd autem se Dauid sustinuerit, neque à tentatione fuerit absorptus, ex verbis colligere promptū est: quia etsi eum grauiter vrgebat tristitia, non tamen in hanc vocem erupit, nisi strenuè resistēdo, Deus meus, Deus meus. Idem quotidie quisque fideliū in se experitur, vt pro carnis sensu à Deo se reiectum & desertum existimet: fide tamen apprehendat absconditam gratiam. Ita fit vt in eorum precibus cōtrarii affectus simul permixti sint ac impliciti. Fieri non potest quin Deū vel propitium vel aduersum carnis sensus ex præsenti rerum aspectu cōcipiat. Ergo vbi nos diu in mœrore iacere & quasi tabescere siuit, perinde nos affici necesse est secundum carnem, acsi eum cepisset nostri obliuio. Vbi totam hominis mentem occupat talis anxietas, demergit in profunda incredulitate, vt ad remedium amplius non aspiret. Si verò ex opposito succurrat fides, idem ille qui ex re ipsa Deum sibi infensum vel alienū æstimat, in promissionis speculo latentem ac remotam eius gratiā conspicit. Inter hos duos affectus alternant hi, dū Satā obiectis iræ Dei signis eos ad desperationem impellit, & præcipites agere molitur: fides autem ad promissiones eos reuocans, patienter quiescere & in Deum recumbere docet, quousque paternam faciem rursus proferat. Nunc tenemus ex quo fonte profecta sit tam hæc exclamatio, Deus meus, Deus meus, quàm querimonia quæ statim additur, *Vt quid dereliquisti me?* Nam quum doloris vehementia & carnis infirmitas vocem hanc exprimeret, Ego à Deo relictus sum, ne oppressus succumberet, correctionem dictauit fides, vt Deum suum intrepidè vocaret à quo se relictum putabat. Imò videmus priores dedisse partes fidei: quia antequam sibi promittat querimoniam proferre, occupandi causa præfatur se nihilominus ad Deum suum confugere. Et sanè quia carnis affectus, simulac ebulliunt, non facilè cohibentur, imò nos abripiunt vltra metas, maturè inter ipsa principia frænādi sunt. Itaque optimum ordinem tenuit Dauid, fide præueniens dolorem suū, & pia inuocatione temperans quod postea de malorum suorum magnitudine deplorat. Si enim præcisè dixisset, Cur Iehoua me deseris? visus esset acerba expostulatione fremere aduersus Deum: imò periculum erat ne qua immodica doloris amaritudo eius animum inficeret. Nunc verò fidei repagulum sibi opponens, sensus omnes suos compescit, ne vltra iustum modū prosiliant. Nec superuacua est repetitio, dum bis Deum suum nominatim atque etiam paulo pòst tertiò inculcat idem elogium. Nam quia arduum est ac molestum cum hac tentationis specie certamen, vbi Deus quasi abiecta nostri cura ad nostras miserias & gemitus conniuet: ideo in quærenda confirmatione enixius Dauid insistit. Neque enim primo statim congressu palmam obtinet fides, sed multis agitationibus exercita victrix tandem emergit. Interea nō dicimus Dauidem tam animosum & infractum fuisse athletam vt non vacillauerit eius fides. Quamlibet enim seriò conentur fideles subacto carnis suæ sensu totos se Deo addicere, aliqua tamē infirmitate semper laborant. Hinc illa claudicatio sancti Iacob, cuius mentio fit apud Mosen, Gē. 32. f. 24: quia licet superior fuerit in lucta, vitiosi tamē defectus notam gestauit. Talibus exemplis suos ad perseuerantiam animat Deus, ne infirmitatis sibi conscii animos despondeant. Quare hæc nobis ratio tenenda est, quoties tumultuatur caro nostra, & quasi violentis procellis ad impatientiam nos rapit, vt contra nitamur ad cohibēdos eius impetus. Sic fiet vt duriter quidem iactemur, ex naufragio tamen semper emergat fides nostra.[b] Et, vt ad Dauidē redeamus, restatur hic se summo dolore afflictum, ad Deum pro auxilio indesinenter clamasse, nec tamen fuisse auditum. Sunt autem omnia mirè pathetica. Primùm geminatio inuocationis ingentem animi dolorem indicat. Deinde quòd nomine אל (quod Deo, propterea quòd potenter auxiliari solet, tribuitur) inuocat, eundem testatus est. Nam querlse subindicat Deum, alioqui omnipotentem, suorū

auxiliatorem, erga se nullam iuuandi virtutem exerere. *Elongatus es à salute mea.* Longè abes à salute mea atque à verbis, &c.[c] Ex hac querimoniæ forma elicimus, Dauidem non frustra verba, quibus fulciret fidem suam, iterasse. Neque enim simpliciter pronuntiat se à Deo relictum: sed addit remotũ esse à salute sua: quòd scilicet periclitari eum videns, nullum bonæ spei signum daret. Nam quum penes Deum sit iuuãdi facultas, vbi salutem nostram hostium libidini expositã vidẽs, quiescit tamen perinde acsi non curaret, quis non dicat manum suã retrahere, ne nos liberet? *Et à verbis rugitus mei.* Alii, Longè à salute mea verba rugitus mei.[e] Per verba rugitus significat nõ leuibus tormentis se fuisse cruciatum. Certè non ea fuit animi eius mollities vt ob vulgare aliquod malũ sæuos vlulatus ederet: ingentem ergo mœstitiam fuisse oportet, quæ homini mansueto & ad subeundas ærumnas infracto rugitum extorserit,[a] vocem scilicet immanem, qualem viri alioqui fortes, quũ intolerabili cordis angore distringuntur, & quamlibet renitentibus vis doloris lachrymas & eiulatum exprimit, emittere solẽt. Vocem etiam hanc Scriptura leonibus tribuit, vti & infrà, versu 14. Etenim natura doloris est vt cogat in vocem erumpere, eo quòd faciat spiritum retinere, qui tum quando retineri amplius nequit, vniuersus cũ clamore emittitur. Vt igitur Dauid summè doluit, ita plurimũ spiritus potenter retinuit, qui simul erumpens postea immanè fremuit id quod rugitum vocat, nõ humanam sed leoninam vocem.[c] Iam quum Christus in cruce pendẽs inter vltimos spiritus eandem vocem ediderit, (Matth. 27.e.46) videndum est qui conueniat vnigenitum Dei filiũ tanto doloris motu perculsum fuisse, vt se à Deo patre relictũ clamaret. Coegit hæc absurditas multos interpretes ad captãdum effugium. Itaque dixerunt Christum ex vulgi magis opinione quàm proprio sensu ita conquestum esse. Sed interea non viderunt se multum detrahere ex beneficio redemptionis, dũ Christum à terroribus quos peccatoribus incutit Dei iudiciũ, prorsus immunem fuisse fingunt. Inanis verò fuit hic metus, quòd veriti sunt Christum tanto dolori subiicere, ne eius gloriam minuerent. Nam quum clarè testetur Petrus impossibile fuisse eũ retineri à doloribus mortis, (Act. 2.d.24) sequitur non fuisse immunem ab illis & penitus liberũ. Et certè suscepta nostra persona nostróque reatu, necesse habuit ad Dei tribunal se instar peccatoris sistere. Hinc horror ille & pauor qui ad deprecandam mortem eum coegit: non quia tam acerbum illi foret è vita migrare, sed quia ante oculos erat Dei maledictio quæ peccatoribus incumbit. Quòd si primo conflictu elicitæ fuerũt sanguinis guttæ, vt opus fuerit consolatore Angelo, (Luc. 22.e.43) non mirum est si in vltimo agone confessus est tãtum dolorem. Interea notandum est, sic humanos affectus passum esse Christum vt carnis infirmitate lapsus non sit: quia naturæ integritas purũ ab omni excessu eum præstabat. Tentationes ergo quibus eum aggressus est Satan, sine vllo vulnere, quod notam claudicationis relinqueret, vincere potuit. Minimè verò dubium est quin illo clamore palam ostenderit Christus, quanuis hic suas miserias deploret Dauid, Psalmum hunc tamen prophetico Spiritu de se fuisse compositum.[m] Itaque obseruanda hic est veritas carnis assumptæ in Christo, contra Eutychetis hæresim. Nam ita oportuit Christum per omnia nobis similem fieri, quibusuis tẽtationibus obnoxium, vno dempto peccato. De qua re Apostolus Heb. 2.d.17, & 4.d.15. Deinde videmus non solùm veram humanam carnem habuisse Christum, (id est doloribus, afflictionibus & passionibus, adeóque morti ipsi obnoxiam) sed & verã animam hominis, contra Apollinaristas, qui tradiderunt Christum humanam duntaxat carnem, non etiam animam assumpsisse: qui deinde victi Scripturis confessi sunt Christum animam quidem humanam assumpsisse, sed non mentem animæ humanam, verùm verbum illi loco mẽtis fuisse. Hic verò videmus non solùm cruciatus corporis in Christo, sed & animi tentationes maximas, & tales sanè quæ non verbo Dei, sed mẽti humanæ competunt. Quod enim dicit, Quare dereliquisti me? & quæ sequitur, magis animi afflicti tentationes exprimũt quàm corporis.

3 *Deus meus, clamo per diem, & non exaudis: & nocte, & non est silentium mihi.*

Deus meus, clamo per diem. Hic versus non minus ardet, dum queritur se die noctéque frustra opem Dei implorare, propterea quòd non annuat Deus, vt silere daretur.[p] Q.d. Me totum negligere vt inimicum videris, & odisse. dum enim iugiter clamo, non annuis mihi.[c] Exprimit ergo longam mali durationem, quæ molestiam ac tædium augebat. Accessit etiam grauior tentatio, quòd clamando visus est operam ludere. Nam quum vnicum malis nostris remedium sit Deum inuocare, si precibus nihil proficimus, quid amplius residuũ est? Cõqueritur ergo Deũ ad sua vota quodãmodo surdũ esse. Siquis quærat quomodo de Christo possit dici quòd ad Deum clamauerit nocte ac die, quũ tamẽ nonnisi semel in cruce legatur ad Deum clamasse aut secundò, & ter in horto: responsio facilis est, non intelligendum hoc de diuturno illo clamore qui vocalis fuerit, sed magis de gemitu & clamore mentis, qui adeo vehemens fuerit vt non immeritò leonis illum rugitui compararit. Sic Mosi dicebat Dominus, Quid clamas ad me? Exod. 14.d.15. quum tamẽ nihil planè de vocali clamore legatur hoc loco. Et reuera magnus est clamor mentis coram Deo, eorum qui rebus aduersis premuntur, & huiusmodi tentationibus adobruuntur, etiamsi vox nulla foris audiatur. *Et non est silentium mihi.*[c] Sensus est, nihil solatii eũ sentire quod eius animum tranquillet. Quãdiu enim vrgebat afflictio, animi inquietudine impulsus fuit ad clamãdum. Atque hic perspicitur fidei constantia, quam non fregit malorum diuturnitas. Hæc enim rite precandi regula est, vt qui visus est diu sine profectu aerem verberasse, nõ propterea desistat.[m] Vnde liquet, eos qui mox atque quod petunt nõ datur, ab oratione cessant, vel non seriò petere, vel non vera fiducia petere. Interim hoc fidelibus conceditur paterna Dei indulgẽtia, vt si voto suo frustrati ad tempus fuerint, suas anxietates in eius sinum exonerent.[m] Admonemur etiam silentii nomine, à nemine afflicto & ad Deum clamante quietam & tranquillam mentem obtineri posse nisi Deo respondente. Quemadmodum enim liberi, quãdo oculis lachrymabundis parentes suos inclamant, quieti non reddũtur nisi responsum nacti & exauditi: ita habent animi piorum in afflictionibus ad Deum suspirantiũ & clamãtium. Neque enim possibile est vllam animorũ trãquillitatem cuiquam afflicto posse contingere nisi responsione diuina placidóque respectu beneuolentiæ reste. Hinc illud toties, Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus, Infrà, 80.a.4.b.8.d.20. Exemplum habes in muliere Chananæa, quæ à Christo discedere noluit, donec benignè ab eo respecta & audita fuit.

4 *Et tu sanctus inhabitans laudes Israelis.*

Et tu sanctus.[v] Sanctus habitator (vel sessor) laudum Israelis. Id est, habitans in loco in quo se celebrat Israel, nempe in tabernaculo. vel, in loco de quo gloriatur Israel.[c] Copula quæ Hebraicè legitur, in aduersatiuam particulam haud dubiè resolui debet. Sunt qui putant æternum & immutabilem Dei statum opponi miseriis quas sentiebat Dauid. sed simplicior & magis genuinus sensus occurrit: nempe quòd Deus se electo populo semper ostenderit propitium. Neque enim hic agitur qualis sit in cælo, sed qualem se hominibus ostenderit. Nunc quæritur suámne querimoniam his verbis exaggeret Dauid, quòd solus ipse nihil à Deo impetret: an verò tanquam clypei obiectu tentationem repellat, dum sibi Deum proponit perpetuum suorũ liberatorem. Certè, vt fateamur hoc ad doloris auxesin valere, dubium tamen non est quin diffidentiæ remedium sibi accersat Dauid. Quia enim periculosa erat tentatio videre se à Deo deseri, ne eam assidua meditatione aleret, mente ad continua documenta gratiæ Dei reflexit, ex quibus conciperet aliquod bonæ spei fomentum. Non ergo tantùm quærere voluit qui fieret vt Deus, qui clementer semper egerat cum populo suo, nunc miserum hominem, quasi naturæ suæ oblitus, omni solatio & ope destituat: sed clypeũ etiam arripere quo se tegeret cõtra ignita Satanæ tela.[a] Acsi diceret, Clamo equidem ad te die ac nocte: neque tamen exaudis. Atqui nulla mihi propterea desperationis materia offertur, quum nõ possis in æternum reiicere preces seruorum tuorum, qui soles eorum defensor & liberator esse.[c] Nam Deum vocat sanctũ, quia semper maneat sui similis. *Inhabitans laudes Israel.* Dicit Deum inhabitare laudes Israel, quia beneficus erga electum populum, laudis materiam cõtinuo gratiarum tenore suppeditet. Nisi enim bonitatis suæ gustum præbeat Deus, nos obmutescere necesse est. Iam quum Dauid sit vnum ex membris, contra obstacula nititur, vt speret se in societatem corporis tandem receptum iri ad canẽdas Dei laudes.

5 *In te sperauerunt Patres nostri, sperauerunt, & eruisti eos.*

In te sperauerunt Patres nostri.[a] Exaggerat querelam ab exemplo Patrum, qui quum opem Dei implorarunt, adiuti semper ac malis quibusuis eius ope erepti sunt, nec vnquam spe sua frustrati ac inde pudefacti sunt.[c] Simulque causam reddit cur Deus inter laudes populi sedeat: quia scilicet ad fideles seruandos manum suam semper habuerit exertam. Dauid enim (vt nuper diximus) ætatum omnium exempla colligit, quibus se erigat & confirmet, certóque sibi persuadeat, quando neminem vnquam ex electo populo repudiauerit Deus, se quoque vnum fore ex eorum numero quibus salus in Dei manu reposita est. Ideo disertè commemorat se ex eorum progenie ortum esse qui exauditi fuerant, significans se eiusdem quam experti erant gratiæ hæredem esse. Respicit enim ad fœdus quo Deus Abrahæ genus sibi adoptauerat: quia parum esset tenere quæ Deus seruis suis exhibuit misericordiæ documenta, nisi se ad eorum ordi-

nem quisque nostrum aggreget: sicuti Dauid in Dei Ecclesia se includit. *Sperauerunt, & eruisti eos.* [p] Q.d. Dum premerentur angustiis Patres nostri, & in te vnum suam locarent fiduciam, [a] non defuit illis adiutrix manus tua. quomodo igitur fieri posset, quum tui similis semper maneas, vt me ad te clamantem à conspectu tuo reiicias? [m] De Abraham Isaac & Iacob legimus, Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterũ. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, Infrà, 105.b 15. Item de filiis Israel legitur in Ægypto existentibus, quòd ad Dominum clamauerint, & liberati sint, Exod. 2.d.12. & 3.b.7. Et in libro Iudicum crebrò reperitur, Clamauerunt ad Dominum, & misit eis seruatorem, Iudic. 2.c.16. Ad has & reliquas priorum temporum historias Dauid respicit, vt fidem suam erigat.

6 *Ad te clamauerunt, & euaserunt: in te sperauerunt, & non fuerunt pudore affecti.*

Ad te clamauerunt, & euaserunt. Et erepti sunt, vel liberati. *In te sperauerunt.* [c] Quòd ter repetit Patres sperando salutem adeptos esse, non dubium est quin verecundè insinuet communem sibi cum illis spem esse: qua fit vt promissionum effectus ad nos perueniat. Nam vt in suum vsum quis accomodet quæ Deus olim seruis suis præstitit beneficia, in promissiones gratuitas & fidem illis subnixam oculos dirigere conuenit. Porro vt fiduciam hanc non fuisse frigidam vel emortuam demonstret, simul dicit eos clamasse. Se enim Deo fidere impudenter mentitur quisquis in malis suis torpens eius opem non implorat. Ergo ex precibus cognoscitur fidei veritas, sicuti bonitas arboris ex fructu. Interim notandum est, non alias censeri coram Deo legitimas preces nisi quæ ex fiducia manãt, & cum ea sunt coniunctæ. Neque enim temere Dauid inter verba sperãdi medium clamorem locat. *Et non fuerunt pudore affecti.* [p] Hoc est, nullus vnquam ex eis abs re relictus est. [m] Videmus hic vtilissimum esse perpendere qua fide & spe maiores nostri à Deo pepẽderint, & ab eo pendentes in aduersis adiuti sint. In hunc vsum diligenter legendæ sunt Scripturæ sacræ, quæ variis exemplis abundant in varios credentium vsus. Qua de re vide Rom. 15.a. 4, & 1. Cor. 10. c. 11, & Iacob. 5.d.17. Est itaque nostri temporis castiganda negligentia, quòd penè nulla habetur Scripturæ sanctæ ratio. Historias Gentium multi cupidè legunt, [a] quibus vilescit sacræ Scripturæ simplicitas. Et tamen de Gentilium maioribus dici non potest, In te sperauerunt Patres nostri, sicuti de Iudæorum patribus verè dicitur.

7 *At ego sum vermis, & non vir: opprobrium hominum, & contemptus populi.*

At ego sum vermis, & non vir. [p] Id est, res sum vilissima, & virorum nouissimus. *Opprobrium hominum.* [a] Execratus inter homines. *Et contemptus populi.* [v] Passiuũ est. contemptus vel despectus à populo. Quidam vertunt, Et reiectamentum populi. [b] Dicit se ita cõtemptum atque execratum, vt nihil hominibus, nihil omni populo æquè probrosum, æquè detestabile haberetur. [c] Non obmurmurat Deo, quasi indignè secum agatur: sed sortem suam deplorans, quò magis Dei misericordiam prouocet, dicit se non haberi hominis loco. Videtur quidem primo intuitu ad deiiciendum animum, imò ad fidem abolendam id spectare: sed ex contextu certò patebit ex opposito proferre quàm misera sit sua cõditio, vt inde spem leuationis concipiat. Ergo ab impossibili arguit, fieri non posse quin tãdem manum porrigat Deus afflictissimo & desperato. Nam si omnium qui mediocriter fuerũt vnquam afflicti misertus est, quomodo seruum suum desereret in profundissima omnium malorum abysso demersũ? Hoc modo quoties ingẽti afflictionũ mole obruimur, inde petendum est sperandæ liberationis argumentũ potius quàm desperationi nos dedamus. Quòd si hunc præstantissimum suum seruum tam duriter exercuit Deus, & eousque deiecit vt locus ei non esset inter cõtemptissimos homines, ne molestum nobis sit eius exemplo humiliari. Quanquam in mentẽ nobis præcipuè venire debet Filius Dei, in quo etiam hoc fuisse impletum scimus: sicuti Prophetæ vaticinio testatum fuerat, Contemptus fuit, nec reputauimus eum: vir fuit dolorum, non forma ei neque decor vt quisque abscõderet ab eo faciẽ suam, Esa. 53. a. 3. Quibus verbis satis refellitur friuola eorum argutia qui in Vermis nomine philosophati sunt, acsi singulare aliquod mysterium in Christi generatione notaret Dauid, ac nõ potius se infra homines deiectum fuisse, & quasi ex animantium numero resectum diceret. Quòd autẽ huc se redigi passus est Dei Filius, imò ad inferos vsque descendit, adeo cælestem eius gloriam non obscurat, vt potius illustre speculum sit incomparabilis erga nos eius gratiæ. [m] Quis enim explicuerit profundissimum Dei consilium quo Filium suum vnigenitum nostri gratia in istam abiectissimã abominationẽ detruserit? Inexhaustas certè Patris diuitias fuisse oportet & inæstimabilẽ erga genus humanum charitatem, quum Filium suum à peccatoribus segregatum ita humiliari voluerit, vt eo nihil abiectius haberetur, quò in summam dignitatem eueheremur.

8 *Omnes videntes me subsannant me, diducunt labium, mouent caput.*

Omnes videntes me subsannant me. [c] Exponit proximam sententiam. Dixerat se infimis quibusque & quasi populi quisquiliis esse probro: nunc quibus vulgò affectus fuerit probris recitat: nempe quòd verborum probris non contenti, tum labia protrahendo, tum quatiendo capita, petulantiam in gestu ipso prodiderint. [a] Alibi vicinis se factum opprobrium queritur, Infrà, 31.c.12. Idem de populo Israel, Infrà, 44.b.14. At hic omnibus mortalibus, populo vniuerso: id quod nõ adeo molestum fuisset, si hominibus tantùm se vidisset & audisset abominationi esse. *Diducunt labium.* [c] Quidam aperire in labio pro conuitia proferre exponunt: sed id congruere non videtur. ɔ enim supernacaneum est, vt sæpe apud Hebræos. Itaque vertere possumus, Diducunt labium: quia hic gestus est palam & contumeliosè illudentium. *Mouent caput.* [p] Q.d. modis omnibus irrident me, contemnunt & subsannant.

9 *Deuolue* [*res suas*] *ad Iehouam, eruat eum, eripiat eum, quoniam complacuit sibi in eo.*

Deuoluit res suas ad Iehouam. [v] Hebraismus. pro, Et commisit res suas omnes Iehouæ, pẽdens ab eo solo. [a] Id demum supra omnem existimationem cruciabat, quòd & à Deo reiectum hostes planè impii iactarent, suámque in illum fiduciam planè irriderent. [c] Scimus enim, Dauidem, vbi se iniustè damnari in mundo videbat, huc confugere solitum, vt sibi bene conscius Deum haberet in cælo vindicem. Nunc illi exprobrant omnes inani iactantia temere gloriatum esse de auxilio Dei. Vbi est Deus ille, inquiunt, in quem recubuit? vbi ille amor quo confisus est? *Eripiat eum, quoniam complacuit sibi in eo.* [v] Hebraismus. pro. Deamat eum Deus, vt ipse ait. vel, quum dicat se diligi ab eo. [a] Ironia est, qua dicere volebant stultè & ridiculè illum fecisse, quòd Deo diligi se charumq; tãtopere haberi arbitratus fuisset. [c] Porro nullum est Satanæ magis lethale telum ad vulnerandas animas, quàm dum promissiones Dei in ludibrium vertẽdo, spem nobis excutere tentat. Quanquam non simpliciter irritas fuisse Dauidis preces, & fallacem quem iactabat Dei amorem dicunt: sed eum obliquè perstringunt tanquam hypocritam, qui falsò Dei nomen, à quo alienus erat, obtenderet. Quàm acerba fuerit tentatio quisque ex proprio sensu æstimare potest: sed remedio quo vsus est, sincerum fiduciæ suæ affectum probauit: quia nisi Deum habuisset certum testem, nunquam ausus esset querimoniam hanc ad eum deferre. Quare danda opera est, quoties hypocrisim nobis obiectant homines, vt interior cordis sinceritas apud Deum pro nobis respondeat. Atque hæc vna sacra nobis sit anchora, quoties mordacibus sannis fidem nobis excutere molitur Satan, Deum citare testem, vt suam in nobis tuendis iustitiam asserat: quando nulla fœdior blasphemia inuri potest eius nomini quàm dicere, vana fiducia inflatos esse qui spem in eo reponunt, séque irrita opinione decipere qui se Deo charos esse persuasi sunt. Iam quum eodem telo appetitus fuerit Filius Dei, nihilo magis fidelibus, qui eius membra sunt, parcet Satan. [a] Nemo enim mortalium (nedum Dauid) adeo vt redemptor noster in cruce pendens, abiectus, omni ludibrio affectus & execratus vnquam fuit. [m] Nam ipsum non obscuri homines, sed (vt Euangelistæ testantur) primores ac seniores, sacerdotes & Scribæ & Pharisæi: deinde non isti soli, sed omnis multitudo simul vno ore irridebant, condemnabant, explodebant tanquam à Deo reprobatum & damnatum. [a] Et prætereuntes conuitia iaciebant in eum, mouentes capita, & dicentes, Confisus est Deo, eripiat eum, siquidem vult eum, Matth. 27.e. 43. [c] Quare hoc clypeo fideles omnes munitos esse conuenit, quantumuis deplorati sint apud homines, si tamen curas suas in Deum coniiciant, non fore irritas eorum preces. Verbo גל optimè exponitur natura & vis fidei, quæ in Dei prouidentiam reclinans, curarum & molestiarum oneribus animos nostros leuat. [a] Propheta autem exprimere voluit se (præcipuè autem Christũ) omnia sua ceu conuoluta Domino detulisse & addixisse. [a] Quod & Petrus his verbis significat, de Domino Iesu loquens, Qui quum maledictis incesseretur, non regessit maledicta: quum malis afficeretur, non minabatur: sed tradidit vindictam ei qui iudicat iustè, 1. Pet. 2.d.23.

10 *Quoniam tu es eductor meus ab vtero, confidere faciens me super vbera matris meæ.*

Quoniam tu es eductor meus ab vtero. [v] Quũ sis extractor meus. [p] Nasci me fecisti & fouisti in vulua. *Confidere faciens me super vbera matris meæ.* [v] Sperare faciens me super vbera. pro, ab vberibus. [p] qui lacte mammillarum mirabiliter nutriuisti me, am-

plam mihi fiduciæ materiam præbuisti. [c] Rursum nouam munitionem erigit Dauid, qua Satanæ machinas sustineat ac repellat. Colligit enim Dei beneficia quibus pridem didicerat ipsum sibi esse Patrem. Imò antequam nasceretur, tale paterni amoris specimen sibi fuisse à Deo exhibitum refert, vt meritò mortis caligine oppressus, vitam ab ipso sperare audeat. Hanc enim prudentiam dictat Spiritus fidelibus, vt in rebus trepidis testimonia diuinæ bonitatis colligant, quæ valeant ad fulciendam fidem. Sic enim statuendum est, quum Dei nunquam fatigetur liberalitas, nec eius diuitias exhauriat largitio, sicut à prima infantia patrem eum experti sumus, talem ad vltimum vsque senium nobis fore. [b] Sic alibi idem Propheta dicit, Deus meus eripe me de manu impii, de manu iniquè agentis & violenti. Quoniam tu expectatio mea Domine Deus, fiducia mea à iuuentute tua. Super te innixus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu eductor meus es, in te laus mea semper, Infrà, 71. a. 4. [c] Itaque quòd fatetur se manu Dei eductum ex vtero, & super vbera matris sibi datam esse fiduciæ materiam, sensus est, ita naturaliter in lucem prodire infantes, & lacte materno pasci, vt illic reluceat admirabilis Dei prouidentia. Vilescit quidem hoc miraculum assiduo vsu: verùm nisi ingratitudo stupore oculos nostros velaret, in sui admirationem nos raperent quotquot eduntur in mundo partus. Quid enim obstat quominus in suo fœtore centies putrescat fœtus, antequam instet nascẽdi maturitas, nisi quia Deus arcana & incomprehensibili sua virtute in sepulchro viuum custodit? Iam in lucem editus, quum sit obnoxius tot miseriis, digitum autem ad se iuuandum mouere nequeat, quomodo ad diem vnũ viueret, nisi eum exciperet Deus paterno gremio fouendum? Meritò itaque addit Propheta,

11 *Super te proiectus sum à vulua: de ventre matris meæ Deus meus es tu.*

Super te proiectus sum à vulua. [b] Id est, curæ tuæ demandatus sum, tua solius cura saluus euasi, & veluti exposititius tibi fui à matrice. [c] Dicitur infans super Deum proiici: quia nisi teneros fœtus pascat, præsitque omnibus nutricis officiis, in ipso nascendi articulo iam eos expectant centum mortes, quibus statim suffocarentur. *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Concludit tandem Deum suum fuisse. Etsi enim ad bruta quoque animalia similis eius gratia in speciem ostenditur, patrem tamen humano tantùm generi peculiariter se ostendit. Quanuis autem infantes non statim imbuat Deus sui notitia, dicitur tamen illis fiduciam dare: quia re ipsa ostendens sibi curæ esse eorum vitam, ad se quodammodo eos reuocat: sicuti alibi dicitur pullos coruorum, qui eum inuocãt, alere, Infrà, 147. b. 9. Quum autem Deus ratione carentes ita præueniat, quæsitus & rogatus spem suorum minimè frustrabitur. Quo etiam argumento luctatus est Dauid ad tentationẽ domandam. [h] Porro de illis mulieribus hic notandum est, quæ quum infantes suos alere possint, aliis lactandos exponunt, quàm parum illæ expendant opus Dei, & summam illam prouidentiam qua infantibus vltro prouidet. Nam contra prouidentiam & ordinem matres huiusmodi facere videntur. Apertum nanque & euidens est prouidentiæ diuinæ argumentum in eo quòd, postquam partus tempus aduenit, sanguis ille quo alitus est puer in vtero, in supernas corporis partes & ea membra quæ iam antea, ætate nubili, potissimo loco corporis (nempe in pectore) accreuerunt, sese confert, & ad fouenda vitæ ac lucis rudimẽta præsto est, ac recens natis victum notum & familiarẽ affert. Quid ergo istæ faciunt aliud, quæ pueros aliis nutricibus alendos exponunt, quàm quòd hunc ordinem diuinæ prouidentiæ euertũt? Nihil aliud quærunt quàm vt vberibus sint minus flaccidis ac turgidis, quasi illa non liberorum alendorũ, sed venustatis duntaxat gratia acceperint. Deinde & nomen & officium non satis rite præstant quæ hoc faciunt. Nam non solùm hoc matris est vt gignat, sed vt & quod genuit alat ac prouehat. Terra quod gignit, etiam nutrit: arbor quod profert, etiam suo succo alit: aqua quod producit, & educat: animantia, etiam tigrides, fœtus suos non solùm pariunt, sed & nutriunt. Adde quòd non sine periculo infans tener, recens natus, adhuc rubens, ab eo nutrimento quo in vtero nutritus est auellitur, & alieno addicitur & comminitur. Triticum in aliud solum iactum degenerat vel in auenam vel in siliginem: vitis aliò translata mutat ingenium: plantula recens reuulsa à paterna terra, flaccescit & velut emoritur: atque ideo illam qui sapiunt, quantum fieri potest, cum terra natiua transferunt. Proinde siqua morigera cupit esse diuinæ prouidentiæ, siqua gaudet matris nomen & officium perfectè adimplere & obtinere, siqua infantem suum affectu materno prosequitur, illique quoad fieri licet consultũ, nec vllam malis moribus occasionem obiicere cupit: acceptũ infantem, quem in vtero non visum aluit, extra vterum post partum, nisi magna vrgente necessitate, non abiiciat, sed diligentius alat, & studiosè fingat. Gaudent virgunculæ non minus in plantatione flosculorum quàm in rigatione: cur non & eodem modo vera & germana mater nõ minus haberet gaudii in nutriẽdo quàm in gignendo infante? [a] Certè Paulus inter piæ viduæ laudes hãc non postremam nominat, si filios educarit, 1. Timoth. 5. b. 10.

12 *Ne elonges te à me quoniam angustia est propinqua, quia non est auxiliator.*

Ne elonges te à me. [b] Nunc Dauid precem subiicit, & concepta opem diuinam impetrandi fiducia, [c] prouocat alia ratione Dei misericordiam, quòd vrgeatur summis angustiis. *Quoniam angustia est propinqua.* [b] Dolor & agonia vrget admodum. [c] Nec verò dubium est quin sibi proposuerit Dauid quod passim Deo officium tribuit Scriptura, vt miseris succurrat, & paratior sit ad opem ferẽdam, quo res nostræ magis angustæ sunt. [h] Videmus etiam quòd ipsa tribulatio ad Deum clamare faciat, & quæ differentia sit inter pios & impios in rebus aduersis. Illi magna fiducia ad Deũ clamãt: isti desperãt. & quod aliis dat causam desperãdi, aliis dat ad Deũ clamandi causam. [c] Eòdẽ spectat quod mox additur, *Quia non est auxiliator.* [r] Quia repetitum, loco Et coniunctionis. [h] Significat Propheta, tum opportunã esse Deo occasionẽ suis opẽ ferendi quũ omnia videntur desperata. [c] Itaque ipsa desperatio instar scalæ fuit, quæ Dauidis mẽtẽ ad precandi affectum attolleret. ita nos malorũ sensus colligere debet sub alas Dei, vt auxilii sui præsentia solicitum se de salute nostra esse demonstret. [h] Sed hæc diuini auxilii experientia carni quidẽ ardua est, & nihil aliud allatura videtur quàm ipsissimam perditionem. Hãc sancti, licet cum magnis angustiis, experti sunt. verùm incredibile est quantum roboris fidei quantumque gaudii spiritus illis accedat qui hac in re sunt exercitati. Pauci sanè inueniuntur quibus ista per experientiam sint cognita.

13 *Circundederunt me tauri validi: tauri Basan obsederunt me.*

Circundederunt me. [c] Iam de hostium suorum sæuitia & truculento furore cõqueritur: ac primò quidem tauris, deinde leonibus, tertiò canibus eos cõparat. Scimus, vbi accensa est taurorũ ira, quàm terribili impetu ferantur: leo etiam infestum & humano generi formidabile animal: iam canibus quàm acris & infesta sit ad nocendum audacia, vbi in hominem irati insiliunt, notum est. Summa est, hostes Dauidis adeo fuisse sanguinarios & crudeles, vt feris belluis similes magis essent quàm hominib[9]. *Tauri validi.* Non simpliciter vocat tauros, sed robustos. Nam quòd quidam רבים Multos transferunt, non ita conuenit. Verũ quidem est ingentibus copiis Dauidem fuisse oppugnatum: sed ex secundo membro patet, de fortitudine, non de numero hic agi. nam addit, *Tauri Basan obsederunt me.* Sic eos vocat quasi bene saginatos, ideóque proceros & fortes: quia montem illum scimus opimis & pinguibus pascuis fuisse nobilem. [h] Nam Basan regio est citra Iordanem, regnum habens potens & LX ciuitatũ, Deut. 3. a. 4. & Iosu. 13. d. 30. Huius rex erat Og, gigas ac præualidus. Hoc regnum Basan, deuicto rege atque interempto, ceperunt Israelitæ, Numer. 21. g. 34. 35. Illud quum esset diues pascuorũ selectorũ, haberentque Rubenitæ & Gaditæ pecorum magnorum magnam multitudinem, petierunt sibi regionẽ eam pro sorte sua dari: quod & factum est, Numer. 32. a. 1. Vnde colligimus, regionem Basan alendis selectioribus pecoribus ac iumentis comodam fuisse: id quod & Zachariæ 11. a. 2 videre est. Hinc factum est quòd Prophetæ volentes ferociam & improbas vires potentum ac principum in populo perstringere, assimilarunt eos tauris Basan: vt hoc loco Psalmi, & Ezech. 39. e. 18. & Amos 4. a. 1. legimus. Hoc scilicet est quod Dauid hic de hostibus suis queritur. Qui ergo fuerunt illi? Si Dauidem spectes, tauri Basan fuerunt principes aulici apud Saulem, quibus Saul selectiora terræ dederat: qualis erat Doeg & alii consimiles. Si Christum, non quiuis Iudæi, scribæ, sacerdotes in terra Iudæa, sed qui erant Hierosolymis, in loco quæstus & opimorum pastuum vberrimo, qui reliquis omnibus dominabantur.

14 *Aperuerunt super me os suum, [vt] leo rapiens & rugiens.*

Aperuerunt super me os suum. [r] Falsas aduersariorum suorum calumnias & accusationes intelligit, quibus innocentem grauare imò opprimere conabantur. *Vt leo rapiens & rugiens.* [a] Hæc similitudo ferociam hostium Dauidis optimè exprimit. Constat enim leonem famelicum esse ferocissimum. [h] Leonis item impetus & rugitus horrendissimus esse fertur. Vnde est illud, Leo rugiet: & quis non timebit? Amos 3. b. 8. Nam si ipse leonis conspectus reliquis animantibus formidabilis est, quid erit illius rugitus? quid apertus rictus & ad vorandum iamiam paratus? Et tamen Dauidis exemplo admonemur non esse deiiciendum animum, si potentes sint & ferocissimi aduersarii nostri, sique nos ita circundederint vt nulla parte pateat effugium. Nã hæc omnia talia sunt vt misericordiam Dei vltro efflagitent &

olliciat, vt hoc citius nobis succurrat, si modò totam nostram fiduciam in eum coniecerimus.

15 *Sicut aqua effusus sum, & separata sunt omnia ossa mea: factum est cor meum sicut cera, liquefecit se in medio viscerum meorum.*

Sicut aqua effusus sum. [V] Defluxi. [H] Hactenus dixit se à feris belluis obsessum non procul à morte absuisse, acsi singulis momentis vorandus esset: nũc interiorem quoque mœstitiam deplorat, ostendens quanto sit metu consternatus, quanta formidine & angustia deiectus, & propè in nihilum redactus, propter immensum istum aduersariorum furorem & præsentissimum interitum. Vnde colligimus ad pericula minimè fuisse stupidũ. non enim vulgarem metum fuisse oportet quo propemodum euanuit, quo dissoluta sunt eius ossa, & cor liquefactum. Videmus ergo Dauidem non instar immotæ rupis verberatum fuisse fluctibus, sed intus duris agitationib⁹ fuisse perculsum: quibus sustinendis pro carnis infirmitate impar erat, nisi Spiritus virtute fuisset adiutus. *Et separata sunt omnia ossa mea.* Hoc est, nullum est ex ossibus meis quod officium suum faciat: titubant crura, brachia velut elixata dependent, nihil roboris est in toto corpore. Atque istud fieri videmus in iis qui graui aliquo metu præoccupantur. Sic dicebat hic idem Propheta, Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, Suprà, 6.a.3. *Factum est cor meum sicut cera.* [M] Magnitudinem metus exprimit similitudine ceræ defluentis à facie ignis: deinde quòd non tantùm dicit, Cor meum factum est sicut cera, sed addit, *Liquefecit se in medio viscerum meorum.* Quid metus cordi inferat notum est omnibus. Sentitur enim ita illius palpitatio, vt & prope constitutis sit animaduertibilis. [B] calor enim pect⁹ deserẽs facit cor colliquescere. [C] Quomodo autem passiones istæ in Christum cõpetãt nuper admonuimus. Nã vt verus erat homo, infirmitatibus carnis nostræ verè obnoxius fuit, citra corruptelã dũtaxat. Integra enim naturæ puritas quæ in eo fuit, humanos affectus non aboleti, sed moderatur tantùm, ne excessu sint vitiosi. Dolorum itaque magnitudo sic eum debilitare potuit, vt composito tamẽ animo inter quæuis tormẽta se Deo subiiceret. Nobis etsi idem non datur, (qui & affectus turbulentos patimur, & eos ita nunquã cohibemus quin sua intẽperie huc vel illuc nos impellant) exemplo tamen Dauidis animos colligere oportet, & infirmitate fere exanimes ad Deum gemere, vt nos instauret.

16 *Aruit tanquam testa fortitudo mea, & lingua mea iungitur faucibus meis, & in puluerem mortis posuisti me.*

Aruit tanquam testa fortitudo mea. [V] Viror meus, succus meus. [H] Virorem intelligit quem nobis suppeditat radicalis humor: quia per illum viuimus. [M] Dicit ergo omnes corporis vires præ nimio metu exaruisse. Quomodo id apud formidine correptos naturaliter accidat, norunt physici: nos ita fieri re ipsa videmus. Omni robore destituuntur: deinde & magna ariditate conficiuntur: vnde & magnam sitim patiuntur, quam & Christus tulit in cruce, Iohan. 19.e.28. [B] Nã dum calor deserit pectus, humorem in intimis absumens, ariditatẽ inuehit, & sitim excitat. [M] Et quẽadmodum gaudium excitat hominis spiritum, & omnes corporis vires viuidas reddit, ita nimius metus deiicit & exiccat. *Et lingua mea iungitur faucibus meis.* [V] Q.d. Loqui amplius non potui præ ariditate linguæ & sitis necessitate. [M] Videmus & istud fieri in metu exanimatis, vt loqui nesciant, etiamsi planè interficiantur. [C] Nam immodico mœrore nõ modò absumũtur vitales spiritus, sed omnis fere succus aduritur. [M] Contrà, videmus lætitiam ita hominis spiritum afficere, vt eius linguam ad exultationem & cantum etiam resoluat. *Et in puluerem mortis posuisti me.* [V] Puluis mortis pro terra sepulchri & ipso sepulchro. [M] Q.d. Quid dico? Ita sum exanimatus & omnibus cùm animi tum corporis viribus exhaustus ac destitutus; vt non sim dissimilis illis qui iamiam sepeliendi ad sepulchra deferuntur. Nihil superest nisi vt instar mortui sepeliar. [C] Significat his verbis omnem sibi spem vitæ ablatam: quo sensu etiam dicit Paulus se accepisse mortis iudicium, 2.Cor.1.b.9. [B] Aptæ sunt dolentibus & querentibus hyperbolæ. [M] Credibile tamen est Dauidem in istis angustiis fuisse, quũ cinctus esset exercitu Saulis in deserto Maon, quemadmodum legitur 1. Sam.23.d.26. [B] Nam actum de eo erat, nisi propter irruentes Philistæos Saul coactus fuisset inde suos abducere. Certè tum velut à præualidis tauris & rabidis canibus planè conclusus erat, qui que iamiam ipsum perempturi vtique rugienti & inhianti iam in prædam leoni similes erant: qua simul necessitate illic cõstrictus procul dubio summo in metu fuit, & morti proximus. Hyperbolicè tamen de se loquutus est, vt nos longius deduceret: quia horribile Christi cum morte certamen, quo elicitus fuit sanguis pro sudore, descensus ad inferos, quo iram Dei peccatoribus debitam gustauit, exinanitio denique ipsa, nullis vulgaribus loquendi formis satis exprimi potuit. Iam de morte loquitur Dauid vt solent perturbati homines, qui pauore attoniti nihil præter puluerem & nihilum concipiunt. Quoties autem sanctorum mentes occupat hæc caligo, permista semper est aliqua infidelitas, quæ eos statim ad lucem nouæ vitæ emergere non patitur. In Christo autem mirabiliter duo hæc fuerunt cõiuncta, terror ex Dei maledictione se ingerens, & patientia ex fide tranquillans omnes motus, vt sub Dei imperio quiescerent. Nos, qui pari non sumus virtute præditi, siquando nihil nisi interitum cernentes attoniti ad tempus iacemus, paulatim tamen eniti oportet ad spem quæ mortuos viuificat.

17 *Quoniam circundederunt me canes, congregatio malignantium circundederunt me: foderunt manus meas & pedes meos.*

Quoniam circundederunt me canes. [M] Græcus & vulgata Latina habent, Canes multi: [B] Iterum causam reddere videtur summæ anxietudinis qua conficiebatur, metusque qui eũ planè exanimabat. Nam vt antè à tauris, ita hic à canibus se, ceu feram, circundatũ queritur. [M] qua similitudine aduersariorũ sæuitiam & furorẽ ob oculos ponit. Notum enim est quo impetu quóue furore ferãtur canes venatici ceruam in saltu nacti. Ita planè cinxerunt me hostes mei, vt non minore impetu & furore vitæ meæ vim faciant, quam canes solent ceruæ iam in retibus existenti. [B] Mox autem quos canes intelligat, ipse exponit, dicens, *Congregatio malignantium circundederunt me.* [M] Vocat hostes suos malignãtes seu impios & perniciosos: quod hominum genus sunt quibus quia nihil est timoris Domini, omne studium ad opprimendum innoxios insumitur: qui ex animo malitiæ student, & in rebus pessimis (vt inquit Solomon) exultant, Prouerb.2.c.14. Illis contrarii sunt מטיבים benefici, qui toti in eo sunt vt aliis prosint magis quàm sibiipsis. Porro non potuisset aptius Propheta conspirationem & furorem aduersariorum Christi depingere, quàm quòd eos concilium malignorum vocat, si res ipsas, vt ab Euangelistis describuntur, inspicias. Vide Matth.26.a.3.& 27.a.1, Marc.14.e.43, & Luc.22.a.2, & Iohan.18.a.3, qui fuerint illi maligni. *Foderunt manus meas & pedes meos.* [C] Ad verbum habetur, Sicut leo manus meas. Quum verò in hãc lectionem hodie conueniant omnes libri Hebraici, à tanto consensu recedere nobis religio esset, nisi ita cogeret sententiæ ratio, & probabilis esset coniectura locum à Iudæis fraude esse corruptum. Certè non dubium est quin Græcus interpres literà Vau legerit, vbi Iod nunc habetur. Quod enim garriunt Iudæi, de industria inuersum fuisse literalem sensum, colore prorsus caret. Quid enim opus erat in re non necessaria tam audacter ludere? In eos verò cadit non leuis falsitatis suspicio, quibus vnicum studium est Iesum crucifixum spoliare suis insignibus, ne Christus & redẽptor appareat. Si recipimus quod volunt, perplexus & valde obscurus erit sensus. Primùm defectiua erit loquutio, ad quam supplendam repetẽdum esse dicunt Obsidendi verbum. Sed quid illud est, manus & pedes cingere? Nam ad has partes nihilo magis spectat obsidio quàm ad totum hominem. Deprehensi, ad delirus fabulas suo more confugiunt, leonem, vbi quispiam occurrit, circulum facere cauda antequã ad prædam ruat. Vnde satis apparet ratione eos destitui. iam quum similitudine leonis proximo versu vsus fuerit, superuacua nunc esset iteratio. Omittimus (quod ex nostris quidam obseruat) nomen cum nota similitudinis coniunctum fere aliter punctuari. Neque tamen de fatigendis Iudæis laboramus, quorũ indomita est ad rixandum pertinacia. tãtùm breuiter ostendere voluimus quàm improbè ob diuersam huius loci lectionẽ Christianos exagitẽt. Nam quod obiiciunt, ex Legis præscripto neminẽ confixũ fuisse clauis, in eo crassam historiæ inscitiam produnt: quia certum est Romanos multa ex patrio more in prouincias transtulisse. Si Dauidem obiiciant nunquam cruci fuisse affixũ, facilis solutio est, metaphoricè conquestum esse, non secus sẽ cõstringi ab hostibus quàm qui perfossis manibus ac pedibus ad lignum affigitur: quales etiam metaphoræ paulo pòst occurrent. [M] Cæterùm de fossione manuum ac pedum Christi in historia passionis Christi nihil memorarunt Euangelistæ: sed Iohan. 20. f.25. g.27, in historia Thomæ satis habetur testimonii: præter id quod Christus ipse à resurrectione sua ostendit suis discipulis manus ac pedes, Luc.24.f.40.

18 *Numerabo omnia ossa mea: ipsi aspiciunt [&] intuentur me.*

Numerabo omnia ossa mea. [V] Numerare licet, numerarem, aut numerare possem. Sic aliàs sæpe vertitur futurum. עצמות dicuntur Hebræis ossa, à robore. ideo hoc nomen interdum vel ad amicos, quorum præsidio fortes sumus: vel in defensione, ad argumenta & rationes, quæ causæ robora sunt, transfertur. Ideo quidam præsentem locum sic exponunt, Rationes meas numerando nihil proficiam: quia semel decretum est hostibus meis, per fas aut nefas, nullo æquitatis respectu, me perdere. Alii verò, Si colligã quæcunque ad me iuuandum facere videntur auxilia, nihil proderũt. Sed expositio quæ magis recepta est, sim-

plicior, & magis genuina videtur: nempe vt queratur Dauid in corpore macie cōfecto ossa apparere.[a] Quod si de Christo cruci affixo interpretari libeat, sensus erit,[b] Potuisset quis omnia ossa mea numerare: ita in cruce distentus sum. Vult enim his verbis significare quàm non sit simpliciter vulgari modo cruci affixos, sed singulari quadam crudelitate & sæuitia præter omnem misericordiam ita extēsus vt potuerint omnia eius ossa numerari. Quanto id fiat dolore, permittimus illorum iudicio qui simile quiddam in quæstionibus experti sunt. *Ipsi aspiciunt, & intuentur me.* [a] Diximus Dauidem queri in corpore macie confecto ossa apparere:[c] nunc adiungit hostes voluptatē capere ex tali spectaculo. Concinnè autem fluit contextus, tam inexplebilem esse hostium sæuitiam, vt miserum hominem languore cōfectum & quasi tabidum cernentes, oculos tamen tam tristi spectaculo pascant,[a] & inde voluptatē capiant.[b] Sic enim Videre & infrà, 37.g.34, vsurpatur, Quum excidentur improbi, videbis. id est, videndo voluptate afficieris. Item, Ab omni afflictione liberasti me, in inimicis meis videbit oculus meus, Infrà, 54.b.9. Videbit (inquam) quæ maximè volet: vnde summè gaudebit: vel, intuebitur illos cum voluptate, quòd dignas dederint sua improbitate pœnas.[a] Certè non parum doloris affert patientibus, quum animaduertunt adstantium non misericordiam & compassionem, sed animi singularem quādam lætitiam, quam ex illorum cruciatu concipiunt. Hoc autem quo pacto in Christo impletum fuerit, Lucas inter cæteros narrat, quum dicit hostes Christi stetisse, & inspexisse crucifixum, Luc.23.e.35.

19 *Diuiserunt vestimenta mea sibiipsis, & super vestem meam proiecerunt sortem.*

Diuiserunt vestimenta mea. [b] Futura Hebræis, pro præsenti aut præterito.[c] Quod de vestibus hic dicitur, translatitiū est. perinde enim est acsi dixisset fortunas omnes suas in prædā esse expositas, vt solent victores vel spolia diripere, vel inter se sortiri quid cuique obtingat. Sua enim ornamenta, opes suas & quæcūque possederat, vestibus comparans, conqueritur, postquam illis spoliatus est, cum ludibrio inter hostes diuidi tanquam præmium victoriæ. Quo magis augetur indignitas: quia non secus ac de homine mortuo triumphum agebant.[b] Ergo Dauid hoc versu indicat tam certò hostes arbitratos ipsum se perempturos, vt modū de præda ac vestibus eius inter se diuidendis constituerint. Acsi diceret Dauid, Vide ô Deus vt de me prorsus actum sit, nisi tu subitam opem feras: iam hostes internecionis meæ certi adeo sibi videntur, vt meas, tanquam extincti, vestes inter se diuiserint. Non semel enim indubitatum hostibus fuit se illum iamiam extincturos: vt quum Saul audisset eum in Ceilah esse, Iam (inquiebat) tradidit Dominus illū in manus meas, 1.Sam.23.a.7. Item quum cinctum iam teneret in deserto Maon, & vicibus aliquot aliis, vti 1.Sam.23.d.17 legimus.[a] Dubium tamen non est quin metaphorica loquutione vestium diuidendarum, victoriam quam hostes iactabant, exprimere voluerit. [c] Quòd autem literaliter (vt aiunt) & absque figura locum hūc citant Euangelistæ, (Matth.27.d.35, & Iohan.19.d.24) in eo nihil est absurdi. Nam quò certius sciremus in hoc Psalmo Christū nobis prophetico Spiritu descriptum esse, eorum quæ adumbrata sunt in Dauide, visibile complemētum cælestis Pater in persona Filii sui extare voluit. Matthæus paralyticos, cæcos & claudos suis morbis sanatos referens, hoc modo completum fuisse dicit Esaiæ vaticinium, quòd Christus ad tollendas nostras infirmitates missus fuerit: quum tamen Propheta spiritualem illic medicum nobis Filium Dei proponat, Esa. 53.a.4. & Mat. 8. c.17. Sed (vt ad credendum tardi sumus & difficiles) nihil mirum si pro nostra crassitie palpabilis demonstratio nobis fuit exhibita, quæ ad expergefaciendum stuporem nostrum sufficeret. *Et super vestem meam proiecerunt sortem.* [a] De hoc abunde Iohannes cap.19.d.24.

20 *Et tu Iehoua ne elonges te, fortitudo mea ad auxilium meum festina.*

Et tu Iehoua ne elonges te. [b] Ne procul absis. sub. à me. Succurre misero & miris modis anxio, ne deseras me in tantis malis.[c] Tenendum memoria est quicquid hactenus de se exposuit Dauid. Nam quum nihil ad miseriarum cumulum deesset, nec interim scintilla vlla micaret futuræ liberationis, quòd non solùm patienter durauit, sed ex desperationis abysso emersit ad Dei inuocationem, admirabile est fidei documētum. Notemus ergo Dauidem suas lamentationes non fudisse tanquam vanas & irritas, vt sæpe anxii homines temere proiiciunt suos gemitus: quia preces additæ satis demonstrāt sperasse quem optabat exitum. *Fortitudo mea ad auxilium meum festina.* Quum Deum nominat suam fortitudinem, in hoc epitheto clarius fiduciæ suæ testimonium reddit. Non enim dubitanter concipit sua vota, sed sibi promittit quod nondum videt auxilium. Hæc scilicet est vera oratio corā Deo, sentire periculum, & clamare desiderio cordis vt libereris, & vt patienter feras manum Dei, & expectes eum liberatorem: sicut alibi dicitur, Expecta Dominum, viriliter age, & roborabit cor tuum, & expecta Dominū, Infrà, 27.d.14. Est enim fides earum rerum quæ sperantur substantia, argumentū eorum quæ non videntur, Hebr.11.a.1.[b] Festinandi verbo ostendit quàm necessarium sit ei diuinum auxilium. Q.d. Nullum aliud præsidium superest, nihil in me virium reliquū: sed neque mora cædis vlla relicta. Accelera igitur, propera vt me iuues: noli me diu relinquere viribus omnibus exhaustum, ô Deus, fortitudo mea.

21 *Erue à gladio animam meam, è manu canis vnicam meam.*

Erue à gladio animam meam. [a] Versu præcedenti auxilium petierat: nunc subdit quale petat auxilium, nempe non tale vt hostes conterat, sed vt liberet animam & vitam suam à præsenti periculo omnium grauissimo. *Et è manu canis.* [b] Singulare pro plurali, canis pro canum, hoc est aduersariorū. Manus pro vi & potētia.[c] Vel per gladium & per manum canis, per os leonis & cornua vnicornium, intelligitur præsens mortis periculum, & quidem multiplex. Vnde colligimus, quū in se prorsus deficeret à morte obsessus, stetisse tamen fortem in Domino, & vitæ spiritum semper in eius animo viguisse. *Vnicam meam.* Quidam sic animam vocari putant quòd chara illi & pretiosa esset: sed Dauid potius significat inter tot mortes nihil sibi opis in toto mundo offerri. sicuti infrà, 35.e.17, eodem sensu vnica anima ponitur, pro solitaria, & quæ subsidiis omnibus destituitur. Quod etiam ex Psalmo 25.e.16 clarius patebit: vbi pauperem & vnicum se vocans Dauid, haud dubiè amicis omnibus se orbatum & à toto mundo desertum conqueritur.[a] Conuenit ergo particula hæc cum versu 12, Ne elongeris à me quoniam tribulatio proxima, quoniam non est auxiliator.

22 *Serua me ab ore leonis, & à cornibus vnicornium exaudias me.*

Serua me ab ore leonis. [b] Vt periculi præsentiam & magnitudinem rursus ab oculos ponat, commemorat os leonis,[a] sicuti versu 14, Aperuerūt super me os suū vt leo rapiens & rugiens. qua similitudine hostium suorum crudelitatem omnium immanissimam notat. *Et à cornibus vnicornium.* Vulgati interpretes nunc monocerota, nunc rhinocerota vertunt Hebraicā vocem ראם: quum tamen alia fera sit monoceros, alia rhinoceros. Hæc (vt Plinius scribit, & nomen ipsum indicat) in nare cornu vnum habet, alter genitus hostis elephanto. Altera verò (vt idem testatur) media in fronte vnum & nigrum cornu habet, idque cubitorum duûm eminens. De hac scribit feram asperrimam esse, quam viuam capi negant, reliquo corpore equo similem: capite, ceruo: pedibus, elephanto: cauda, apro: mugitu graui. Hanc verò in Scripturis nomine ראם designari coniecturæ sunt. prima, à cornuum eminentia: ea enim notatur infra, 92.c.11, Exaltabis vt vnicornis cornu meum. Nisi hanc exaltationem intelligas virtutis, ita vt sæpe in Scripturis exaltatio accipitur. Altera, ab inuicto robore & potentia, ad quam alluditur Num. 23.d.22. Fortitudo illi vnicornis. Tertia, ab indomabili ferocia. sic namque de hac scribit Iob, Nunquid volet tibi seruire monoceros? num pernoctabit ad præsepe tuum? Nónne alligabis monocerota loro tuo, vt aret? num complanabit post te sulcos? Iob 39.b.12. His namque verbis voluit Dominus indicare hanc feram ad vsus hominis mansuefieri non posse. Quanquam autem & rhinocerota sæuam admodum feram esse, quum dimicet cum elephanto, certum sit: altitudo tamen cornu, quæ animali tribuitur quod in Scriptura ראם dicitur, non ita conuenit. [b] Cæterùm non incommodè vnicornibus, bestiis videlicet nemini domabilibus, Dauid hostes suos & Christi aduersarios, pios in speciem, comparat. hoc quippe sunt ingenio hypocritæ vt nulli veritatis doctori cedant. *Exaudias me.* [b] Vel, responde mihi. Hebraismus. pro, exaudiēdo eripe me. Propterea nonnulli sensum reddentes, verterunt, Eripe me.[c] Hebraica enim loquutio Latinis auribus dura esset & obscura, Responde mihi (vel exaudi me) à cornibus: sed apertus est sensus: quia tantùm causa pro effectu ponitur. inde enim liberatio, quia Deus nos exaudit.[b] Ponitur etiam præt. Hebr. pro fut. & futurū pro imperatiuo.[c] Si roget quispiam quomodo hoc Christo aptari possit, quem Pater non eripuit à morte, respondemus vno verbo, fuisse potentius ereptū quàm si periculo occursum foret: quanto scilicet plus est resurgere à morte quàm graui morbo sanari. Quare mors non obstitit quominus testata sit demum resurrectio, Christum fuisse exauditum, Vide Hebr.5.c.7.

23 *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio congregationis laudabo te.*

Narrabo nomen tuum fratribus. [a] Præcipuam hoc versu & sequentibus ad finem vsque Psalmi causam canit cur tam anxiè salutem orarit, quantúmque fructus ea attulerit.[b] Promittens autem, vbi liberatus fuerit, se nō fore ingratum, cōfirmat quod

prius diximus, se nunquam tentatum e sic fuisse deiectum quin se ad resistendum colligeret. Quomodo enim se ad sacrificium gratiarũ actionis pararet nisi ex præsumpta salutis fiducia? Nã, vt demus Psalmum fuisse compositum postquam re ipsa obtinuit Dauid quod volebat, non tamen dubium est quin meditationes illo tempore à se conceptas postea in carmẽ retulerit. Notandum verò quòd non vulgare gratitudinis symbolũ promittit, sed quale pro raris beneficiis Deus exigebat: nempe vt fideles in sanctuarium conuenirent, atque illic solenni ritu testatam facerent quam experti erant gratiam. Huc enim pertinet publica gratiarum actio, primùm vt se modis omnibus exerceant fideles in Dei cultu, & alii alios mutuò inuitẽt. Scimus autem incredibilem Dei potentiam, & quidem non vno genere miraculi, in seruãdo Dauide refulsisse. Quare mirum non est si ad profitendam suam pietatem solenni voto se obliget. Acsi diceret, Quòd opem tam anxiè imploro, ô Deus, non tantum huc respicio vt ego seruer, quantũ vt sit occasio laudãdi nominis tui. Libera igitur seruum tuum vehementer afflictũ & in ipsa morte comprehensum, vt sit copia laudandi nominis tui. Mox enim atque ereptus fuero, totus in hoc ero vt nomen tuum extollam, fratribusque meis & toti Ecclesiæ tuæ palam ac dilucidè narrẽ, prædicem ac celebrẽ. [C] Per fratres designat Israelitas, non solùm quia ex eodem genere orti erant, sed magis quia communis religio eos tanquam sacrum vinculum spirituali cognatione inter se deuinctos tenebat. [M] Obseruandũ autem est hoc loco quantopere gloriam Dei propagare cupiãt electi, vsque adeo videlicet vt in maximis afflictionibus nihil æquè doleat atque ademta glorificandi ac laudandi nominis Dei occasio: & rursus nihil adeo in votis sit vt illud summopere deprædicandi. Notanda est etiam sincerissima φιλαδελφία omnium filiorum Dei & inuocantium nomẽ eius. Quia Dauid Israelitas ex animo diligebat, non satis habebat gustasse per se bonitatem erga se diuinam, & cognouisse nomẽ Domini gloriosum, nisi & illud fratribus suis prædicaret. Ad hunc modum conuenit vt omnes qui filii Dei censemur, comparati simus, maximè qui verbo præsunt Ecclesiæ Dei, deinde & qui in magistratu sunt. Egregium omnium piorum magistratuũ exemplum proponitur in isto rege, qui & gloriam Dei ex animo propagatã cupiebat, & populum sibi cõmissum fratrũ vice diligebat, totus in hoc vt pietatẽ in illis plãtaret. [A] In summa admonentur hic fideles omnes, vt beneficiorum quæ à Deo acceperunt memores, laudibus Dei prædicandis se totos applicent: sicuti hortatur Petrus, dicens, Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrũ accessit, vt virtutes prædicetis illius qui è tenebris vos vocauit in admirabilem suam lucem, 1. Pet. 2. b. 9. [C] Porro hunc versum Apostolus Hebr. 2. c. 11 ad Christum accõmodans, colligit eiusdem nobiscum naturæ fuisse participem, nobisque vera carnis societate fuisse coniunctũ, quos pro fratribus agnoscit, tamque honorifico nomine dignatur. Diximus iã aliquoties (quod idẽ ex fine Psalmi tuincere promptum erit) sub Dauidis typo Christum hic nobis fuisse adumbratum. Scitè ergo Apostolus & prudenter obseruat sub hoc nomine sancitum nobis fuisse cũ Christo ius fraternæ cõiunctionis. Etsi autem competit hoc aliquatenus in totum genus humanum, vera tamen fruitio penes fideles solos residet. Qua ratione etiam Christus ore suo titulũ hũc restringit ad discipulos, dicens, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Iohan. 20. d. 17. Illam enim carnis cognationem qua nos sibi sociauit, impii dissidio incredulitatis suæ abrumpunt, vt sua culpa alieni prorsus reddantur. Quemadmodum enim Dauid totum Abrahæ genus hac voce complexus, sermonem continuò pòst ad veros Dei cultores specialiter dirigit: ita Christus, qui diruta maceria cũctis Gentibus adoptionem publicauerat, séque hoc modo obtulerat in fratrem, non alios quàm fideles in gradu fratrum retinet. [A] sicuti disertis verbis testatus est, dicens, Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et protẽsa mano sua in discipulos suos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit voluntatem Patris mei qui est in cælis, ipse meus frater & soror & mater est, Matth. 12. d. 48. Et iterum, Nolite timere. Ite, renuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam: ibi me videbunt, Ibidem, 28. b. 10.

14 *Timentes Iehouam laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum, & timete ab eo omne semen Israelis.*

Timentes Iehouam laudate eum. [M] Quia versu præcedenti dixerat se narraturũ nomen Dei fratribus suis, laudaturũmque Deũ in medio Ecclesiæ, subiicit iam quomodo sit illud facturus, & qui sint illi fratres, & quæ Ecclesia in cuius medio promittat se celebraturum Deum. Fratres suos vocat timẽtes Dominum, semen Iacob: quos & Ecclesiam vocat, in qua velit laudare Dominum. [C] Itaque hic certius exprimitur ille quem diximus publicæ gratiarum actionis fructus, nempe inuitatio qua quisque pro se Ecclesiam ad Deum laudãdum suo exemplo stimulat. Recitat enim se in hunc finem in cœtu celebraturum nomẽ Dei, vt fratres suos ad idem agendum hortetur. Sed quia se in Ecclesiam vt plurimum ingerunt hypocritæ, & in area Domini palea tritico permista est, nominatim pios & Deum timentes compellat. Et certè quanuis pleno gutture Dei laudes impuri homines detonent, nihil aliud quàm profanant eius sacrum nomen: quemadmodum videbimus infrà, 50. c. 16. Esset quidem optandus omnium mundi ordinum concentus: sed quia prima pars harmoniæ ex sincero cordis affectu fluit, nemo legitimus erit gloriæ Dei præco nisi qui eum reuerenter colet. *Vniuersum semen Iacob glorificate eum.* [V] Magnificate eum. [C] Nominat quidem semen Iacob & Israel, ad communem populi vocationem respiciens: & certè per eum non stetisset quominus omnes filii Abrahæ Deum vno ore laudarent. sed quia multos videbat degeneres Israelitas, ab illis veros & integros discernit: simúlque ostendit non rite celebrari Dei nomen nisi vbi viget interior pietas. Ideóque reuerentiam iterum coniungit Dei laudibus in sua exhortatione. *Et timete, inquit, ab eo omne semen Israelis.* Hoc addit, quia lusorium est quicquid hac in parte tentant hypocritæ. [M] Interea monemur quòd sicut Israelitarum tum temporis potissimùm erat deprædicare laudes Dei, propterea quòd esset populus Dei: ita ad nos pertinere, qui Christiani vocamur, populusq; & Ecclesia Dei sumus, vt primi simus in laude Dei: sicuti ex nuper citata Petri exhortatione ostendimus. [C] Cæterùm quum metum commendat hic Propheta, de eo loquitur non qui absterreat fideles à Dei accessu, sed verè humiliatos in eius sanctuarium adducat: sicut dictum fuit suprà, 5. b. 8. Siquis miretur Dauidem hortari ad laudãdum Deum eos quibus nuper hanc laudem dederat, prompta est responsio, sanctissimos etiam quosque tam pleno Dei timore nunquam esse imbutos, quin opus habeant continuis stimulis. Quare minimè superuacuum est quòd timentes Deum iubet ab eo metuere, vt supplices coram eo se prosternant. [M] Discamus ergo hoc loco quonpacto euadamus laudatores Dei, oremúsque Deum vt mẽtes nostras vera pietate imbuat, corda purget, vitam emendare donet, ne turpi dissonãtia ipsum magis offendamus quàm laudemus.

15 *Quia non spreuit nec abominatus est humilitatem pauperis, neque abscondit faciem suam ab eo: & dum clamaret ad eum, audiuit.*

Quia non spreuit nec abominatus est. [M] Seipsum intelligit per eum cuius afflictionem respexit Dominus, clamorémque exaudiuit. [C] Hæc verò mutua communicatio inter fideles vigere debet, vt alii aliis gratulantes, gratias pro cuiusque salute communiter agant: sicut etiã docet Paulus, Vt ex multis personis, inquit, pro dono in nos collato per multos gratiæ agãtur pro nobis, 2. Cor. 1. b. 11. Cæterùm hæc Dauidis confessio in alterum quoque finẽ spectauit, vt eandem erga se Dei fore misericordiã singuli sperarent. [M] Tametsi enim seipsum intelligat, non tamen dicit, Quoniam me non contempsit, nec faciem suam à me auertit: & quum clamarem ad eum, exaudiuit me: sed in genere quasi de quouis afflicto dicit, Quoniam non spreuit nec abominatus est humilitatem pauperis. [V] seu afflictionẽ afflicti. [M] Cur hoc? Ideo scilicet quòd cuperet magis ipsam Dei bonitatem cõmendare quatenus cuiuis afflicto parata est, quàm quatenus eam in sua persona expertus erat. Erat enim totus in hoc vt eam aliis quoque commendabilem ac laudabilẽ faceret. Oportebat ergo eam ita prædicare, vt agnosceretur Deus non solùm Dauidis habuisse rationem vt Dauidis, sed vt afflicti: quatenus scirent & alii afflicti idem se ab isto Deo sperare debere. [C] Interea docemur his verbis patienter ferendas esse afflictiones, quandiu visum fuerit Domino ad inopiam redigere: vt tandem miseris oppressis succurrat. *Neque abscondit faciem suam ab eo.* [A] Quãdiu Deus auxilium suum differt, dicitur faciem suã abscõdere: quia non videtur suorũ curam gerere. Vnde & à Propheta dicitur Deus absconditus vel abscondens se, Esa. 45. c. 15. *Et dum clamaret ad eum, audiuit.* [M] Hanc laudem pii quique Deo tribuunt, vt clamantes ad se exaudiat. Nam & Deus ipse laudem & gloriam istã sibi adscribit, dicens, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te: & glorificabis me, Infrà, 50. c. 15. Est ergo diuina laus planè quam Dauid hic & innumeris locis, simul & omnes pii Deo tribuunt, & ipse quoque Deus laudi sibi ducit. Nemo igitur hanc gloriam, quæ Deo verè debetur & soli, in creaturas transferre præsumat.

16 *A te laus mea in congregatione multa: vota mea reddam coram timentibus eum.*

A te laus mea in congregatione multa. [V] De te laus mea. Hebraismus. causa vel fundamentum laudis meæ tu es. vel, ex te peto canendi argumentum. Itaque subaudiẽdum erit verbum, Proueniet (vel profluet) laus mea à te. Quod ideo dictum interpretamur, vt salutem suam Dauid testetur se Deo in solidum acceptã ferre. Scimus enim quàm multi laudandi Dei prætextu suas

& suorum laudes ebuccinent, & relicto Deo hinc inde accersant materiam ad canendos suos triumphos. [m] Ergo Dauid quod alios facere iussit, (nempe Deum laudare, glorificare, atque ab eo expauescere) hoc se quoque facturum pollicetur. Nam ita habet animus pius, vt quoniam desiderio gloriæ Dei ardet, non solùm ad laudandum Deum & glorificandum alios adhortetur, sed ipse etiam hoc magno ardore præstet. Nec contentus est vt hoc faciat in præsenti & vbiuis, (id quod tamen & absque dubio diligenter fecit) nisi & ad futurum illud, idque coram magna concione, publica gratulatione facturũ se polliceatur, imò magis cum inæstimabili gaudio glorietur: quemadmodum solent qui ardẽtissimis affectibus in ea rapiũtur quæ animis ipsorum iucunda videntur. *Vota mea reddam.* [c] Repetit idẽ quod nuper attigerat, se publicè editurũ gratitudinis suæ signa, quibus alios ædificet: idque non absque solenni pietatis exercitio quod Lex mandabat. Nam in arduis negotiis, & vbi instabat aliquod discrimen, vouere solebant sacrificium pacificum, quod voto suo potiti soluebant. Ergo quum vnus esset ex sanctorum numero Dauid, ad communem Ecclesiæ normam (vt decebat) se composuit. Hæc vota sunt quæ se nuncupasse inter extremas angustias significat, & ad quorum solutionem magno & alacri fiduciæque pleno animo se accingit. [m] Et sanè videtur hic non simpliciter polliceri se uaturum se soluturũmque promissa vota, sed magis ingenti gaudio gloriari ac gestire de futura illorũ solutione. Atque certè talis planè requiritur animus ad reddenda vota, ita vt sacrificium laudis perpetuò cohæreat solutioni votorum. Sic alibi, Immola Deo, inquit, sacrificiũ laudis, & redde altissimo vota tua. Infrà, 50.c.14, Idem fere legis infra, 67.c.13, & 116.c.14.18. *Coram timentibus eum.* [v] Pronomen tertiæ personæ loco secundæ, timentibus te. [c] Quanquam promiscuè coram omnibus hac votorum ceremonia Dauidem defungi oportuit, se tamen iterum cupere fatetur vt quicunque aderunt testes, puri sint cultores Dei. Ita quanuis in manu nostra non sit purgare Dei Ecclesiam, officiũ tamen nostri est puritatem optare. [m] Alibi dicit, Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, Infrà, 116.c. 14. Item, Vota mea reddam in conspectu omnis populi eius, Ibidem, versu 18. Iam non erant omnes timentes Dei quotquot populo Dei accensebantur. verùm talis erat Dauidis in populum affectus, vt omnes cuperet veros esse Dei cultores. [c] Cæterùm Papistæ locum hunc ad fictitia sua vota torquentes, magis insulsi sunt ac ridiculi quàm vt longa refutatione opus sit. Quid enim simile puerilibus ineptiis quibus pro sua imaginatione Deum placare tentant, cũ hoc sancto gratitudinis testimonio, quod non modò Patribus dictauit pietatis sensus, sed Deus ipse præcepit Lege sua, ratumque habuit? Imò qua fronte stultas & fœtidas suas superstitiones sacrificio omnium præstantissimo æquare audent, nempe gratiarũ actionis? sicuti Scriptura ostendit, præcipuam cultus Dei partem in eo sitam esse vt testentur fideles Deum se agnoscere bonorum omnium authorem.

27 *Edent pauperes, & saturabuntur: laudabunt Iehouam quærentes eum: viuet cor vestrum in seculum.*

Edent pauperes & saturabuntur. [v] Humiles, afflicti, mansueti. [a] Hi sunt qui abnegarunt semetipsos, & manui Dei se penitus commiserunt. His in Euangelio Dominus hæreditatem terræ pollicetur. Matth.5.b.5 Iidem sunt timẽtes Deum, & verum semen Iacob, quorum rationem habuit Dauid in votorum suorũ persolutione. [c] Respicit enim hic ad morem tunc receptum. nã solebant epulari in sacrificiis, vt satis notum est. Tale verò epulum promittit quo exerceat suam charitatem ac probet. Ac sanè ea demum grata suauisque Deo oblatio est, cui annexa est humanitas & misericordia: alioqui ceremoniæ quibus Dei cultum profitentur homines, cum toto suo splendore & pompa in fumum euanescunt. Quod autem ad ceremoniam spectat, [b] vt conditio erat השלמים (idest victimarum pacificarum) simul vesci illis qui ad sacrificium vocabantur, ita sacro tum epulo rex adhibuit totum Israelem. Nam legimus singulis viris & mulieribus dedisse libum vnum, vnam portionẽ carnis, & vini sextarium, 2.Sam.6.c.19, & 1.Paralip.16.a.3. Eo itaque epulo Israelitæ accepti, saturati fuerunt & in Domino exhilarati: quem & summa lætitia vnà cum rege deprædicarunt, eoque sancta iucunditate & voluptate affecti domũ redierunt. [c] Itaque nõ simpliciter erogaturũ se promittit pauperib[e] & famelicis vnde ipsos pascat, sed alia de causa dicit epuli fore participes: vt scilicet oblata cõsolationis materia reuigescat in eorum animis hilaritas. Nam quasi in speculo intuebantur Dei bonitatem miseris omnibus expositam, quæ incredibili solatio leniret malorũ omnium dolorem. Ideo addit, *Laudabunt Iehouam quærentes eum.* Hoc est, gratias agẽt qui fidunt & credũt ei, & verbo eius obediunt. Etsi enim saturitas ipsa ad gratias Deo agendas incitare debuit, non tamen dubium est finem sacrificii notari. Proinde nõ solum in eo Dauid iocundatur quòd afflicti saturandi sint, sed & agnituri & laudaturi diuinã bonitatem: ad quod quasi cõmunem omnium gerẽdorum scopum epulationem illam facturam sperat: [c] quod clarius etiamnum ex clausula versus liquet, *Viuet cor vestrum in seculum.* Pronomen secũdæ personæ loco tertiæ, Cor eorum. Certè viuificandis in seculum cordibus prandium vnũ sufficere non poterat, sed spes de parato apud Deũ auxilio concepta: qua liberationẽ vnius hominis cuncti fideles ad se meritò trahebant. Vnde sequitur ita celebratas fuisse Dei laudes in pacificis, vt spem quoque suam illic exercuerint. [m] Notanda item est hæc loquutio, Viuet cor vestrum, eo sensu vt idem sit atque Gaudebit cor vestrum. Sic alibi, Videbunt afflicti, & lætabuntur inquirentes Dominum: & viuet cor vestrum, Infrà, 69.g.33. Qui enim in tristitia & luctu sunt, interea dum adhuc Dominum quærũt, quid adhuc sunt quàm quasi mortui? Vide in frà, 143.b.7. Quòd autẽ illi qui propterea quòd voti cõpotes sunt, hilares sunt & in gaudio viuentes, viuere dicantur, audis Dauidem de inimicis suis ita querentem, Inimici autem mei viuunt, Infrà, 38.d.20. Id est, regnant & lætantur. Vnde Iacob quum vidisset plaustra, &c. ita exhilarabatur vt Scriptura dicat, reuixisse spiritũ eius, Gen.45.g.27. Et Christus suis dicebat, Quũ videritis hæc fieri, suspicite, & leuate capita vestra, Luc.21.f.28. [c] Cæterùm quia hypocritis satis est mortua ceremonia defungi, Dauid legitimum sacrificii vsum ad veros & sanctos Israelitas restringit. Hæc enim certa est pietatis nota, Deum quærere. Quòd si sacris epulis in spiritualem vitam refecti fuerunt Patres sub Lege, multo vberius hodie hæc vis se proferet in sacra Christi Cœna, modò verè & ex animo Dominum quærant quicunque ad eius participationẽ accedunt. [l] Nam hoc beatum epulum de quo hic loquitur Dauid, in sacra Eucharistia non tam repræsentatur quàm geritur: id quod eorũ animi probè experiuntur qui fide accedunt: quum mortem sibi manducent qui sumunt indignè. Nam dum Christi mortem prædicamus, dum in quantam potestatem ab illa exaltatus est commemoramus, certè id celebramus quo æterna nostra redemptio & salus constat, quo Dei super nos bonitas ita declarata est vt nulla te potuerit amplius. Recordamur siquidem in Dei nos filios & hæredes adoptatos. [a] Hinc vera animi satietas, hinc perpetuum gaudium & certa spes immortalitatis ac vitæ æternæ.

28 *Reminiscentur & conuertentur ad Iehouam omnes fines terræ: & inclinabunt se coram te vniuersæ familiæ Gentium.*

Reminiscentur & conuertentur ad Iehouam. [v] Recordabuntur, sub. bonitatis Dei. [c] Hic locus citra cõtrouersiam ostendit Dauidem in sua persona non subsistere, sed promissum Christum describere sub typo: quia tunc notum principium esse debebat, diuinitus creatũ esse regem vt sub vno capite populus in beatam vitam coalesceret: quod solidè tandem in Christo completum fuit. Fatemur quidem magnum & celebre fuisse inter vicinas gentes nomen Dauidis: sed quatula hæc fuit mundi portio? Adde quòd exteros quibus imperii sui iugum imposuit, nunquam adduxit ad purum Dei cultũ. Quare multum abfuit coacta illa seruitus, quæ terreno regi profanas gentes subiecit, à voluntario pietatis obsequio, quod ex dissipatione ad Deũ eas colligeret. Non vulgaris autem his verbis notatur mutatio, redituras esse ad Deum, vbi probè eius gratiam agnouerint. Quinetiam ad sacri epuli societatem eas inuitans, in Ecclesiæ corpus manifestè inserit. [m] Q.d. Quid de Israelitis dico, illósque ad laudandum Deum excito, quasi illi soli ad regnum Dei pertineant, regnumque Dei Iudææ duntaxat finibus comprehendi queat, & non magis vsque ad orbis terrarum fines propagandum sit? Omnes orbis termini, omnes Gentium nationes ad Dominum conuertentur, illumque adorabunt, illius gloriam agnoscent, quæ se adeo exeret in vniuerso orbe, vt nullæ sint nationes quæ eam non admiraturæ sint & amplexuræ. [c] Quod verbũ Recordandi quidam ad renouatam in Gentibus fidei lucem trahunt, acsi tunc illis subiisset Dei memoria, cuius oblitæ fuerant ad tẽpus, nimis argutum & remotum videtur. Conuersio quidem vel reditus cuius fit mentio, significat impia defectione alienatas prius fuisse à Deo: sed recordatio non aliò spectat nisi quòd insignibus Dei miraculis expergefactæ Gentes, ad puram religionem, à qua dilapsæ erant, iterũ se conferent. *Et inclinabunt se coram te vniuersa familia Gentium.* [v] Et adorabunt. [m] Hoc passim Prophetæ docent, nempe omnes orbis nationes ad Christi regnum venturas. Sic enim Isaias loquitur, Parum est mihi vt suscites fæces Israelis: eris salus mea vsque ad extremum terræ, Isa. 49 b.6. Et Paulus Prophetarum testimonia de salute Gentium contra fastum & cæcitatem Iudæorum diligenter ad corroborandos Gentium animos adduxit, Rom. 9.e.11, & 10.c.13, & 11.a.4, & 15.b.9. [c] Notandum autem cultum Dei ex eius notitia deduci: quia Dauid hoc loco supplices ad eum adorandum venturos dicit qui in meditatione operum Dei hucusque profecerint, ne amplius superbo contẽptu contra ipsum lasciuiant. Quem sensum expressius confirmat quæ mox additur ratio.

29 *Quoniam Iehouæ est regnum, & dominabitur Gentibus.*

Quoniam Iehouæ est regnum. [c] Dicit Iehouæ esse regnũ, vt Gentibus imperet. Nam quod alii intepretantur, non mirum esse si Gentes ad tribuendum Deo honorem cogantur, à quo creatæ sunt, licet cum ipsis vitæ fœdus non pepigerit, tanquam frigidum repudiamus. Nec enim dubium est quin conueniat hic locus cum aliis pluribus vaticiniis, quibus erigitur solium Dei, in quo Christus ad gubernandum orbem præsideat. Quanquã ergo promiscuè ad totum orbem patet Dei prouidentia, sciamus tunc verè dominari vbi discussis tenebris & effusa verbi sui luce cõspicuus eminet. Talis apud Esaiam est regni eius descriptio, Iudicabit populos, & arguet Gentes, Esa.2.a.4. Porro quum orbem terrarũ non antè sibi Deus subegerit quàm dum Euangelii prædicatione sponte se passi sunt in ordinẽ cogi qui prius indomiti fuerant, conuersionem hanc nonnisi Christi ductu & auspiciis factã esse colligere licet. Siquis obiiciat nunquam totum orbem fuisse conuersum, facilis solutio est, tempus quo repentè per Euangelium passim innotuit Deus, conferri cum veteri illo statu, dum sui notitiam Iudææ finibus inclusam tenuit. Scimus enĩ fulgetri instar celeriter Christũ ab ortu in occasum penetrasse, vt vndique Gẽtes in Ecclesiam accerseret. [a] Et sic impletum fuit quod alibi dicitur, Postula à me, & dabo Gẽtes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, Suprà, 2.c.8. Item, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ, Infrà, 72.b.8.

30 *Comedent, & adorabunt omnes pingues terræ: ante ipsum inclinabunt se omnes descendentes in puluerem, & qui animam suam non viuificauit.*

Comedent & adorabunt. [v] Comedent, sub. de sacrificiis pacificorum quæ obtulerint. acsi dicat, Sacrificabunt illi. Præterita Hebræa pro futuris. [c] Nequis pro absurdo ducat nunc pingues terræ admitti conuiuas ad epulum quod nuper pauperibus tantùm destinare visus est, sciamus pauperibus ideo datũ esse priorem locum quia illis maximè proposita erat in exẽplo Dauidis consolatio. Secũdo tamen loco diuites & beatos adiungi necesse fuit, ne putarẽt ab eiusdem gratiæ participatione se excludi. Quanuis enim ad quærendum doloris solatium eos non vrgeat præsentium malorum necessitas, remedio tamen opus habent, ne se inebrient deliciis, sed potius gaudium suum in cælo reponant. Deinde quum ipsi quoque obnoxii sint variis incommodis, maledicta erit eorum opulentia, si in terris mẽtes ipsorum detineat. Summa est, cõmune fore sacrificium hoc tam vegetis & pinguibus quàm macilentis ac semimortuis: vt priores deposita ferocia coram Deo se humilient: alteri verò quanuis deiecti, animos spirituali gaudio attollant ad Deum bonorum omnium authorem: sicuti vtrosque Iacobus admonet, Glorietur frater qui est humilis, in sublimitate sua: contrà, qui diues est, in humiliatione sui, Iacob.1.b.9. Quòd si Deus sub Lege plenos famelicis, splendidos obscuris, fœlices miseris ita coniunxit, multo magis hodie sub Euangelio valere debet ista ratio. Quum ergo sibi diuites alibi victũ offerri audiũt quàm in terrena abundantia, discant ita sobriè libare quæ ad temporalem vsum largitus est Deus, ne illis insipidæ sint spirituales epulæ, vel ad eas nauseent præ fastidio. Quandiu enim residebunt in suis fæcibus, nunquam eas pio desiderio appetent, vel oblectationẽ vllam capient ex gustu. [m] Certè Dauid ostendit hoc versu non minus opus habere pingues terræ (hoc est diuites & potentes) gratia illa diuini pabuli in regno Christi, quàm miseros & afflictos. Qua in re simul omnem gloriam mundi vanam & inanem reddit, vt non sit verus cibus animæ nec certa salus nisi in vno regno Christi. *Ante ipsum inclinabunt se omnes descendentes in puluerem.* [a] Ad verbum, Descensores pulueris, id est, qui descendunt in sepulchrum. Vide suprà, versu 16. Vel, qui in puluerẽ rediguntur. *Et qui animam suam non viuificauit.* [c] Sicuti macerari pingues conuenit vt Deo se pascendos offerant, ita famelicos certa & intrepida fiducia animat Dauid, ne ipsos impediat sua inopia ab accessu: imò ipsos quoque mortuos ad epulandũ inuitat: vt qui sunt despectissimi & fere coram mundo fœtidi, se tamen ad sacram Dei mẽsam ingerere audeant. Quum dicit, Et qui animam suam non viuificauit, mutatio numeri sensum nonnihil obscurat: certum tamen est Prophetam hoc velle, eiusdem gratiæ sibi fore socios qui iam videntur in cinerem redacti, & in quibus nulla speratur à morte in vitam restitutio. [v] Quidam interpretãtur de Christo, Quum tamen animã suam non viuificauerit. acsi dicat, Licet Christus morte turpissima moriturus sit, non propterea deterrebuntur Gentes à fide in ipsum. Sed altera expositio multo melior est.

31 *Semen eorum seruiet ei, narrabitur Domino in generatione.*

Semen eorum seruiet ei, narrabitur Domino. [m] Hoc est, posteritas colet eum. [c] Quò beneficii magnitudinẽ extollat, tale fore dicit cuius nunquã ad posteros delenda sit memoria: modũ tamen eius perpetuandæ exprimit: quia orbis cõuersio, de qua loquutus est, non momentanea tantùm erit, sed per continuas ætates propagabitur. Vnde iterũ colligimus, hic nõ celebrari Dei gloriam, quæ ex caduco & euanido rumore nata ad Gẽtes peruenerit, sed quæ suis radiis mũdum illustrabit vsque in finem. Quare hic insigni elogio asseritur Ecclesiæ perpetuitas. nõ quòd semper floreat, vel æquabili tenore fluat eius successio: sed quia Deus nomen suum in mundo extingui nolens, semper aliquos suscitabit à quibus piè colatur. [b] Dicit ergo Dauid, Posteritas credentium addicta erit Iehouæ. [c] Iam tenendũ est, semen hoc in quo custodiendus erat cultus Dei, fructum esse incorruptibilis seminis: quia non aliunde Ecclesiam suam gignit Deus & propagat nisi ex verbo, quod est semen incorruptibile: de quo Apostolus Petrus, 1.Epist.1.d.23. *Narrabitur Domino in generatione.* [c] Hoc duobus modis exponitur. Quidam nomen Hebraicum דור pro ætatũ successione accipiunt, alii pro generatione: quo sensu Latinis dicitur hominũ natio. Vterque sensus non malè quadrat, & in idem fere recidunt: nisi quòd probabilius est, electum Dei populum & peculiarem gentem hac voce designari, quæ censeatur Dei hæreditas. Cæterùm quia non legitur hic essentiale nomen Dei Iehoua, (vt paulo antè, versu 19) sed Adonai, non improbãda est eorũ sententia quibus videtur disertè Christus Ecclesiæ præfici, vt in censum suum referat quotquot nomen Deo Patri dederint. Et verò quia cælestis Pater electos omnes Filio in fidem & custodiam dedit, pro suis non agnoscit nisi qui ex illius grege fuerint. [1] Ex qua obseruatione id pia mẽs discet, idem Dei & Christi regnum hic celebrari, eũque ipsum eundem Deum & hominem esse. Hominis tamen regnũ, quod in pugna contra peccatum & intercedendo pro nobis apud Patrem administrat: olim cessabit, & diuinitatis tãtùm regnũ erit, quando scilicet erit Deus omnia in omnibus, 1.Cor.15.d.28.

32 *Venient, & annuntiabunt iustitiam eius populo genito, quia fecit.*

Venient, & annuntiabunt iustitiam eius. [c] Cõfirmat quod antè diximus, quia Patres beneficii notitiam ad filios quasi per manus transmittent, semper celebre fore eius nomen. Vnde & alterũ illud colligitur, sola gratiæ Dei prædicatione fieri vt nunquam intereat Ecclesia. Simul cura & studiũ propagãdæ veræ doctrinæ nobis iniungitur, quò post mortẽ nostrã superstes maneat. Nã quum hoc piis omnibus cõmune tribuat officium Spiritus sanctus, operã dare instituendis liberis, vt noua soboles ad Deũ colendum succedat, summæ turpitudinis damnatur eorũ ignauia quibus Dei memoriam æterno silentio obruere nulla religio est: vt per eos non stet quominus intercidat. [b] Dicit ergo, Venient. id est, nascentur qui annuntiabunt populo ex ipsis nasciture iustitiam eius: quia fecit, nimirum iustitiam. hoc est, benignitatem mirificã præstitit, [a] iuxta promissiones suas. [c] Nam iustitiæ nomen hoc loco refertur ad fidem quam Deus in suis seruandis præstat: cuius memorabile documentum fuit Dauidis liberatio. Nam seruum suum à vi & iniuria improborum vindicans, iustum se probauit. Atque hinc colligere licet quàm chara sit Deo nostra salus, quòd eam cum iustitiæ suæ laude cõiungit. Si ergo in eo relucet Dei iustitia quòd spem nostrã non frustratur, non deserit nos in periculis, sed præsidio suo saluos & incolumes præstat: nõ magis metuendum est ne desit nobis, quum ita feret necessitas, quam ne obliuiscatur sui. [b] Præterea hinc discendum vnde sit Ecclesiæ perpetuitas, nempe ex Euangelii annuntiatione, quæ à maioribus ad minores cõtinuò trãsmittitur. Fide nãque constat Dei familia: ea ex auditu est annuntiati Euangelii, quo Dei iustitia reuelatur, & prædicatur immensa illa bonitas, quòd nobis Deus & Pater esse voluit, atque huius causa Filium suum, quo maius nihil habuit, in mortem pro nobis dedit, cũ eo nihil nõ donaturus: vt rectè Paulus Rom.8.f.32 colligit. *Populo genito.* [v] Id est, qui nascetur ab eis. Alii, Populus natus, siue genitus, nempe à Deo: vt ait Iohan.1,b.13. q.d. Populus ex Deo natus Euangelio prædicato annuntiabit iustitiam Dei, qua illos iustificabit, vel qua iustum se esse ostendet, præstando quod promiserat. [c] Meminerimus autem non pro particulari aliquo auxilio, sed pro humani generis redẽptione confessionẽ laudis à nobis exigi. In summa, Spiritus sanctus per os Dauidis præconium resurrectionis Christi nobis commendat. *Quia fecit.* Quidam particulam כי resoluunt in pronomen אשר: acsi dictum esset, Iustitiam quam fecit. plenior tamen loquutio est, Eo quòd iustitiæ suæ specimen exhibuerit Deus, effectu vel reipsa demõstrans se fidũ esse suorũ custodẽ.

ARGVMENTVM PSAL. XXIII.

[a] DAVID hoc Psalmo populo Dei ob oculos ponit quanta sit animi de prouidentia Dei erga se fidelissima persuasi pax, securitas, prosperitas & omnimoda fœlicitas. [c] Apparet autem eo tempore compositum fuisse Psalmum quo Dauid tranquillum regnum adeptus prosperè & ex voto agebat. Neque enim preces habet admistas, neque mala deplorat petendæ leuationis

causa, sed meram gratiarum actionem continet. Ergo in rebus lætis & prosperis ne similis sit profanis hominibus, (qui dum videntur sibi fortunati, sepulto Dei suauiter in delicias se immergunt) in ipso prosperi status authore se oblectat: nec tantùm agnoscit eius beneficio quietum nunc ab omnibus incommodis molestiisque immunem se agere, sed eiusdem prouidentia vsque in finem beatum fore confidit, & quidem in eum finem vt se in puro eius cultu exerceat.

CANTICUM Dauidis. Iehoua pascit me, non deficiam.

Canticum Dauidis. [a] Vel Psalmus Dauidis. *Iehoua pascit me.* [v] Pastor meus, pascens me. *Non deficiam.* Non egebo. q.d. Nullius rei indigere potero. [m] Primus hic versus summam totius Psalmi continet, qua omnia quæ dicturus est, paucissimis verbis comprehēdit, imò pleno spiritu protinus effundit. Non egebo, inquit, hoc est, nihil desiderabo eorum quæ mihi aliqua in re necessaria poterunt esse: omnia abunde & affatim, idque suo quæque tempore aderunt: optimè mihi prouisum est, animo sum omnium pacatissimo, sorte omniū fœlicissima. Quare? quia pastorem habeo prudentem, optimum, fidelissimum. Quis ille est? Dominus, inquit, qui solus potest esse Dominus, qui solus est & viuit, à quo omnia subsistunt. [c] Porro quum suis beneficiis tāquam paternæ suæ dulcedinis gustu Deus nos blandè ad se inuitet, nihil tamen magis procliue est quàm vt pace & lætitia nobis obrepat eius obliuio: imò non tantùm plurimos inebriat fœlicitas, vt sine modo exultent, sed etiam ferociam parit, vt superbè proteruiant aduersus Deum. Itaque vix centesima pars, dum suis commodis fruitur, se tēperanter continet in timore Dei. Quo diligentius obseruandū nobis est hoc exemplum Dauidis, qui in summo dignitatis gradu, in splendore opum & honorum, in maxima opulentia, inter regales delicias, non modò testatur se Dei esse memorem, sed ex eius beneficiis scalas sibi facit quibus ad eum propius conscendat. Atque hoc modo non tātùm frænat carnis lasciuiam, sed se acrius stimulat ad gratitudinem & pietatis exercitia: quemadmodum ex clausula Psalmi patet, vbi se dicit habitaturū in domo Domini in longitudine dierū, versu 6. Sic & suprà, 18 a.1, quo tēpore plausus ei vbique dabantur, seruum Dei se vocando, quàm composito esset ad modestiam affectu ostendit, simulque suam gratitudinem celebrandis eius laudibus professus est. [m] Cæterùm expendenda in se est parabola pastoris & ouium: quoniam hac frequenter Prophetæ vtuntur, & Christus eam multis verbis vsurpat, Iohan. 10. b. 11. Quum vellet Propheta cōmendare paternam illam bonitatem, qua populum suum Deus ex Ægypto eductum tanta fide & cura tutatus est, præsentiam suam illis in nube per diem & in columna ignis per noctem exhibens, dicit, Deduxisti sicut oues populū tuum, Infrà, 77. d. 21. Et abstulit sicut oues populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto. Et, Deduxit eos in spe, & non timuerunt, Infrà, 78. e. 53. Item, Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouē Ioseph, Infrà, 80. a. 2. Et, Quia ipse est Dominus noster, nos autē populus eius & oues pascuæ eius, Infr. 95. a. 7. Et Prophetæ quū prædicere volunt quopacto Deus suos in Cristo sit visitaturus, parabola ista pastoris & ouium vtuntur, vt Esa. 40. c. 11, Ierem. 23. a. 4, & Ezech. 34. c. 10. 12. In summa, multa admodū in Scripturis hæc translatio est, qua pii oues, Deus pastor vocatur. Nō est enim aliud pecus quod æquè pastoris opera Indigeat, quod minus sibiipsi prospicere possit, (vnde & prouerbium natum est, Ouilli mores) & tamen iusta tanto sit hominibus vsui. Ita necesse est hominem prorsus perire, nisi eum ducat & foueat suo Spiritu Deus: quo destitutus, nihil earum rerum quibus salus constat, vel suspicari potest. At si se fidei conditoris commiserit, is eum sic pascit, sic curat, vt & ipsi nihil desit, & aliis quoque sit commodo atque fructuosus, cunctáque eius & dicta & facta aliquam hominibus vtilitatē afferant, propterea quòd à Spiritu Dei cuncta quā optimè disponentis proficiscuntur. [c] Itaque Dauid sub hac pastoris similitudine, Dei erga se prouidentiam commendat: acsi dixisset non secus habitam sui curam à Deo ipso quàm pastor solicitus est de ouibus sibi commissis. Quòd autem frequenter in Scriptura Pastoris nomen (sicuti iā ostendimus) Deus vsurpat, personámque induit, non vulgare est teneri in nos amoris signum. Nam quum humilis sit & abiecta loquēdi forma, singulariter erga nos affectus sit oportet, qui se nostra causa ita demittere non grauatur. mirum itaque nisi tam blanda & familiaris inuitatio ad eum nos alliciat, vt tutò & placidè sub eius custodia quiescamus. Sed notandum est, non aliis pastorem esse Deum nisi qui infirmitatis inopiæque suæ conscii, eius præsidio sentiunt se egere, & sponte in eius ouili manentes, ei se regendos tradunt. Dauid, qui virtute & copiis præstabat, libenter tamen ouem se confessus est, vt Deum haberet pastorem. quis ergo nostrum se ab hac necessitate eximet, quos omnes propria infirmitas conuincit plusquam esse miseros, nisi sub eius pastoris tutela degamus? Cæterùm memoria tenere conuenit, in eo fœlicitatis summam constitui, si ad nos gubernandos extenta sit eius manus, si degamus sub eius vmbra, eiusque prouidentia in salutem nostrā inuigilet. [m] Nam tota salus ouis præ cæteris animantibus est vt pastorem habeat, eúmque fidum ac prouidum: contrà, ipsa perditio est ouium, si vel omnino pastore careant, vel negligentem habeant & talem qui quæ sua sunt quærat. [a] Deus autem fidelissimus est suorum omnium & pastor & custos. [c] Quare vt omnia nobis abunde suppetant, sciamus non aliunde nos beatos esse nisi quia Deus in suo grege censere nos dignatur. Adde quòd tunc demū cum legitimo honore tribuitur officium pastoris Deo, vbi persuasi sumus vnicam eius prouidentiam nobis sufficere. Nam sicut in summa abundantia vacui sunt & famelici quorum Deus non est pastor, ita certum est, nobis, quos in curam suam suscepit, nihil ad plenam bonorum copiam defore. Ideo Dauid se à nullo defectu metuere pronuntiat, quia à Deo pascitur. Non deficiam, inquit, nullius rei egebo. [m] Quid enim desideraret qui Deum pastorem habet? Ouis quidem multis eget: per se verò sibiipsi nulla in re satis est: verùm omnia quibus opus habet, bonus ac fidus pastor abunde illi suppeditat. Proinde auferendum est cor nostrum ab omnibus creaturis, & in vnam pastoris nostri prouidentiam transferendum. Siquis obiiciat Dauidem multis eguisse, vel ipso teste, Ego egenus & pauper sum, Infrà, 40. d. 18. Et Paulus testatur se in nuditate, frigore, ieiuniis, fame & siti, &c. fuisse, 2. Cor. 6. a. 4, & 11. f. 27. Quomodo ergo omnia habent quorum Deus pastor est? Responsio, Hæc satietas & abundantia sanctorum, de qua Dauid hic gloriatur, non est oculis carnis & rationis humanæ iudicio comprehensibilis, quēadmodum neque illud quod dicit, Dominus pastor meus. Nam subinde alia facies externè apparet in sanctis: quia videntur omnium miserrimi, afflicti, omnibus bonis destituti ac desolati: quum contrà filii huius seculi appareant omnibus bonis affluentes. Verùm oportet, neglecta ista externæ conditionis facie, ipsa corda considerare, quibus illa egeant, quibus abundent. Paulus istud pulchrè exprimit, dicens, Quasi moriētes, & ecce viuimus: vt castigati, &c. 2. Cor. 6. b. 9. Et Dauid ipse quum dixisset, Ego verò egenus & pauper sum, mox subiicit (ea nimirum fiducia quam & hoc loco ostendit) Dominus autem solicitus est de me, curam mei habet, Infrà, 40. d. 18. Istam satietatem quæ ex fiducia prouidentiæ Dei nascitur, mundus agnoscere nequit, solam eam spectat quæ est ex præsenti rerum opulentia. Sed piorum animus in se quietus est, siue res terrenæ adsint, siue non adsint. Ego didici, inquit Paulus, in quibus sum, iis contentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere, vbique & in omnibus institutus sum & saturari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum per Christum, qui me corroborat, Philip. 4. c. 11.

2 *In pascuis herbosis accubare facit me, ad aquas requietum deducit me.*

In pascuis herbosis accubare. [v] In caulis herbæ, in pascuis herbidis. [c] Nam pascua vel campos herbæ pro herbosis & pinguibus posuit. Si Tuguria vertere placet, sensus erit, paratum esse stabulum in pascuis optimis, sub quo tegatur à solis æstu. Nam si in frigidis regionibus molestus est ouium gregi immodicus ardor, multo minus tolerabilis foret æstas in Iudæa sine stabulis. quò etiam videtur referri verbum רבץ. *Ad aquas requietum deducit me.* [v] Ad aquas quietum vel lenitatum, id est placidas & leniter fluentes, quæ carent omni periculo. [c] Nam ad ouium potum incommodi sunt rapidi torrētes atque etiam vt plurimum noxii. [m] Explicat verò Dauid hoc versu quod vno verbo summatim dixerat, nempe nihil sibi defuturum. [c] Refert enim quàm liberaliter sibi prospectum sit, à similitudine qua vsus est non discedens. Summa tamen huc redit, nihil à cœlesti pastore fuisse omissum, quominus fœliciter degeret sub eius cura. [m] Quando verò primarium est quod ad bonum pastorem pertinet, vt gregi de pascuis optimis prouideat, ideo huius etiam primo loco meminit. Ita & Dominus per Prophetam mox atque collecturum se dixerat ouiculas hinc inde incuria falsorum pastorum dispersas, primùm hoc promittit, nempe pasturum se illas locis optimis, Ezech. 34. d. 14. [c] quibus verbis largam abundantiam ad omnes vitæ vsus pollicetur. [m] Porro sicuti pastor hic cœlestis est & spiritualis, ita pascua in quæ suos ducit, spiritualia sunt, cœlestis est & spiritualis alimonia. Nam fide verbi sui fideles suos pascit: [a] quemadmodum etiam Christus ipse magnus ouium pastor haud obscurè indicat his verbis, Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam & in iudicium non veniet sed transiuit à morte in vitam, Iohan. 5. d. 24. q.d. Qui pabulum istud accipit, viuet in æternum. [c] Ergo Dauid larga abundantiam ad omnes vitæ vsus pratis herbidis comparat & aquis leniter fluentibus, vel etiam commoditatem, tuguriis: quia non satis esset pabulo oues saturari, nisi aquarum potus & vmbra

stabuli in refrigerium accederet. [a] Discant verò pastores, quibus commissa est Ecclesiæ cura, oues sibi concreditas pascuis optimis pascere, & illis administrare quæcunque ad fouendam spem æternæ vitæ faciunt. Audiant quid Petro dictum sit, Diligis me? pasce agnos meos, pasce oues meas, Iohan. 21. c. 15. Discant etiam qui Christiani haberi volunt & gregis Dominici ouiculæ, sacrũ verbi Dei pabulum recipere, & se in ouili Christi, vbi perpetuò vox eius auditur, continere, ne à lupis, qui interdum veniunt in vestimentis ouium, rapiantur ac lacerentur.

3 *Animam meam conuertit, ducit me per semitas iustitiæ, propter nomen suum.*

Animam meam conuertit. [y] Quiescere facit, tranquillam reddit, restituit. Quia munus quoq; boni pastoris est souere suas oues, vel etiam infirmas refocillare, hoc à Deo beneficium se recipere prædicat Dauid. Nam restitutio animæ, vel conuersio (vt habetur ad verbum) tantundem valet ac reficere vel restaurare: quemadmodum dictum est suprà, 19. b. 8. Ea restitutio est certa diuinæ erga se bonitatis fiducia, quæ penitus mentem refingit, & solido eòque iugi gaudio perfundit: vt fidei semper Paulus pacem & gaudium associat. Hæc illa vita est quam iustus fide sua (hoc est indubitata de fauore Dei erga se persuasione) viuit, Habac. 3. a. 4, & Rom. 1. b. 17. Hac itaque fide, fiducia, vita, gaudio, alacritate, quibus animus restitutus, reparatus & recreatus fuerit, eos ducit agitque in omnibus Spiritus Dei: suo enim qui eiusmodi sunt, renuntiarunt. *Ducit me per semitas iustitiæ.* [c] Vias iustitiæ pro facilibus & planis posuit. Quemadmodum ergo nuper dixit, quæcunque ad vitæ cõseruationem spectant, benignè sibi à Deo suppeditari, ita nunc addit se protegi ab omni molestia. Sũma est, Deum nulla in parte fidelibus suis deesse: quia & eos sua virtute sustinet, vegetat, viuificat, & noxas omnes auertit, vt per vias æquabiles commodè incedant. [m] Et aduerte quòd non dicit, Ostendit mihi semitas rectas: sed, Deducit me in semitas rectas. Deinde non simpliciter semitas aut quasuis, sed rectas. tertiò, nõ dicit, Impellit, sed, Deducit me. atque ita declarat sibi neque hac in re deesse boni pastoris sui officium. [c] Cæterùm nequid suæ dignitati arroget, tantæ liberalitatis causam Dei bonitati adscribit, hæc omnia præstare dicens *propter nomen suum.* [m] Nomen Dei est quicquid gloriosum de Deo prædicatur: vnde nomẽ Dei multis locis (vt & isto) pro gloria & laude Dei sumitur: vt quod dicit Propter nomen suum, nihil sit aliud quàm Propter gloriam suam. Q. d. Quòd tanta mihi diligentia consulit bonus ille pastor meus, vt nulla in re deficiam, non propter meam iustitiam (quæ nulla est) sed propter nominis sui gloriam facit. [c] Et certè quòd nos sibi in oues eligit, & nobis impendit pastoris officia, prorsus gratuitũ beneficium est: vt infrà, 65. a. 5 videbimus. [m] Sic Iacob dicebat, Minor sum cũctis miserationibus tuis, &c. Gen. 32. c. 10. Et hic idẽ Propheta, Propter nomẽ tuum deduces me, & enutries me, Infrà, 31. a. 4. Et Samuel, Propter nomen suum magnum non derelinquet Dominus populum suum, 1. Samu. 12. d. 22. Et Dominus ipse per Prophetam, Propter nomen meum longè faciam furorẽ meum, Esa. 48. b. 9. Et alibi, Et feci propter nomen meũ, ne violaretur coram Gentibus in quarum medio erant, Ezech. 20. b. 9. Itẽ, Non propter vos ego faciam, sed propter nomẽ sanctum meum, Ibidem, 36. e. 21. f. 36.

4 *Etiamsi ambulauero per vallem vmbræ mortis, non timebo malum, quoniã tu mecum es. virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Etiamsi ambulauero per vallem. [y] Etiamsi mihi sit ambulandum aut versandum. id est, etiamsi versarer in tenebris exitialibus & summo periculo. [c] Quia fideles, quãuis tutò sub Dei manu habitent, non tamen procul absunt à multis periculis: imò, quò melius sentiant quàm sibi necessaria sit Dei protectio, communibus miseriis subiacent obnoxii: nominatim hic eum memorat Dauid, siquid aduersi contigerit, se recumbere in Dei prouidentiam. Ita non promittit cõtinuas delicias, sed etiam ad varios euentus fortiter subeundos Dei auxilio se munit. [y] Per vallem vmbræ mortis pericula mortis intelligit. [m] Q. d. Etiamsi in ipsa sit mortis pericula incurrendum, nihil tamen metuam, sed summè securus ero, propter præsentem tuam custodiam, qua mihi nõ aliter ades quàm fidus pastor suæ ouiculæ, quam summa diligentia & fide ducit ac reducit. *Non timebo malum.* [a] Hoc est, tutus & securus incedam. *Quoniam tu mecum es.* [b] Id est, mei curam præsens geris, [p] tanquam fidus pastor & potens. *Virga tua & baculus tuus.* [y] Et pedũ tuum. [c] Dauid in metaphora persistens, quam Deus in gubernandis fidelibus curã adhibet, pastoris baculo & pedo cõparat, ea se ad vitæ tutelam contentum esse dicens. Quẽadmodum enim si per vallem obscurã oberret ouis, sola pastoris præsentia ab incursu ferarum aliisque noxis tutã ipsam præstat: ita nũc pronũtiat Dauid, quoties in aliquod discrimẽ inciderit, sibi in pastorali Dei cura satis fore præsidii. Iam videmus vt in prospera lautáque fortuna nunquam oblitus fuerit se hominem esse, sed nunc etiam quæ accidere poterant aduersa, maturè fuisse meditatũ. Et certè hinc tanta nobis trepidatio, vbi nos Deus cruce exercet, quòd quisque vt placidè dormiat, carnis securitate se inuoluit. Atqui ab hoc torporis somno longè differt fidei quies: imò quũ rebus aduersis fidem examinet Deus, sequitur neminẽ verè fidere nisi qui ad omnes vincẽdos metus inuicta cõstantia armatus est. Neque tamen se omni metu vacuũ esse iactauit Dauid: sed tantùm fore superiorem, vt intrepidè, quocũque deductus fuerit à pastore suo, pergat. quod ex cõtextu melius patet. Primò dicit, Nõ timebo malum: sed causam mox reddens, apertè fatetur se in baculi pastoralis respectu quærere timoris remedium. Quorsum enim consolatio ista, nisi quia metus eũ sollicitat? Tenendũ igitur est, quũ Dauid animo apprehẽderet quæ incidere poterant incõmoda, non aliter fuisse tentationũ victorem, nisi quia se in Dei curam eiecit: quod ipsum (licet obscurius) hac etiã particula antè dixerat, Quoniam tu mecũ es. Neque enim Dei præsentiam requireret timoris vacuitas. Adde quòd non vulgaribus tantùm & quotidianis malis opponit Dei præsidium, sed quæ mortis caligine mẽtes perturbant. Nam צלמות grãmaticis Hebræis videtur esse dictio composita, quasi dicas lethalem vmbram. Alludit autem Dauid ad obscuros recessus aut ferarũ cauernas, quò siquis accesserit, statim primo ingressu occurret mortis terror. [a] Porro non mirum si in virga Pastoris sui gloriatur Dauid. [m] Intelligebat enim quàm facilè posset per incursus bestiarum perdi: deinde sentiebat vsum bonũ virgæ pastoris sui, quomodo per illam à periculis colliberetur. Nam ad hoc vtitur virga sua pastor, vt ouẽ vel à reliquo grege declinantem, vel aliàs aberrare volentẽ, vel negligẽter sequentẽ, coërceat, vrgeat & impellat. Satius autẽ est virga pastoris, ne periret, castigari, quàm in bestiarum dentes incidere, aut per valles obscuras perpetuò oberrare. Nihil enim ouiculæ perniciosius esse potest quàm si destituatur pastoris sui virga. [a] Quare nemini mirũ esse debet, si securũ se & modis omnibus tutũ affirmat Dauid sub paterna Dei custodia. [c] Nunc quando Deus in Filii vnigeniti persona se nobis luculentius quàm olim Patribus sub Lege pastorem exhibuit, non satis honoris tribuimus eius custodiæ, nisi cõiectis in eam oculis calcamus omnes formidines.

5 *Præparas in conspectu meo mensam, coram hostibus meis: impinguasti in oleo caput meum, calix meus exuberans.*

Præparas in conspectu meo mensam. [y] Ad verbum, Parabis (vel instrues) in conspectu meo mensam. [c] sed verba futuri temporis continuum actum hoc loco designant. Dauid ergo iam sine figura repetit quæ sub pastoris similitudine hactenus narrauit de Dei beneficẽtia. Dicit enim eius largitate sibi suppetere quæcunque necessaria sunt ad vitæ vsum. Parare mensam tantundẽ valet ac sine molestia & difficultate victum largiri, perinde ac si pater filio cibum porrigeret. [m] Vtitur ergo metaphora satis eleganti, mensæ scilicet non vulgaris aut simplicis, sed summo studio, non ad vulgarem quendam, sed ad præcipuum amicum excipiendum, copiosissimè paratæ & instructæ. vnde meminit apparandi, ordinandi instruendi verbi. Est enim ערך ita ordinare quicquam qualiter magna cura & diligentia bellorum acies & præcipua cõuiuia parari solent. *Coram hostibus meis.* [a] Vel è regione hostium meorum. [b] Beneficium amplificat circumstantia addita, quòd licet sibi inuideant multi maleuoli, perditumque cupiant, imò Dei benedictione fraudare conẽtur: Deus tamen ipse liberalem se ac beneficũ præstare non desinat. [a] Mensam ergo parandam sibi canit in conspectu inimicorũ: quæ securitatis & fœlicitatis quædam amplificatio est. Adeo nanque ex Dei beneuolentia tutum se & securum fore prædicat, vt videntibus inimicis suis, nec potentibus iam quicquam lacessere, epulaturus sit & planè deliciaturus. Et quæ lautitiæ, quæ deliciæ, quæ voluptates queant cõferri iucunditati & gaudio quo fruitur animus de Dei erga se fauore & cura ad veritatem persuasus? *Impinguasti in oleo caput meum.* [c] Hoc pertinet ad morem tunc vsitatum. scimus enim tunc lautioribus conuiuiis adhibita fuisse vnguenta: vt nemo suos hospites vel cõuiuas splendidè excipere videretur nisi vnguẽtis delibutos. [m] sicuti ex Christi verbis colligere licet, Oleo caput meũ non vnxisti, Luc. 7. g. 46. Et, Quũ ieiunas, vnge caput tuũ, ne videaris ieiunãs, Matth. 6. b. 17. Et Ioab mãdabat mulieri quã ad regẽ pro Absalomo mittebat, ne caput vngeret, vt videretur verè lugere, 2. Sam. 14. a. 2. Erat igitur lætitiæ signũ caput vngere. *Calix meus exuberans.* Meminit & copiosi calicis, propterea quòd & hoc haberetur in opiparis & magnificis conuiuiis, vbi more veterum cuique conuiuæ cõuiuii dominus suam calicis portionẽ abundè admetiebatur. [a] Ergo tam effusa olei copia quàm plenitudo calicis ad ad exuberantiam referri debet quæ exuperat necessarios vsus. Est enim commendatio regalis illius opulentiæ qua sacra historia testatur Dauidem fuisse non mediocriter ornatum,

Quanquam autem non omnes peræquè liberaliter tractentur, nemo tamen reperietur quem noo Deus sua beneficentia obstringat: vt fateri necesse sit beneficum suis omnibus esse Patrem: interea se quisque pro vberiore donorum copia ad gratitudinem incitet. Nam si malignus est qui in pane cibario paternam Dei prooidentiam non agnoscit, quanto minus tolerabilis erit eorum socordia qui sine gustu diuinæ bonitatis plena copia se ingurgitant? Dauid igitur suo exemplo diuites officii admonet, vt eo maiore animo prorumpant ad gratiarum actionem qoo indulgentius ipsos Deus pascit. Cæterùm meminerimus, etiam quibos affluit largior copia, moderationem nihilo minus tenẽdam esse quàm si ad mediocrem & temperatũ modò vsum facultas suppeteret. Nam quum plus satis ad luxuriem proni simus natura, non ideo profusus est Deus erga fideles vt hunc in ipsis morbum irritet. Tenenda est enim omnibus illa Pauli regula, vt sciant non minus abundare qoàm penuriam pati, Philip.4.c.12. Ne egestas nos deiiciat, tolerantia fulciri opus est: rursus ne vltra modum efferat largitas, cohiberi opus est temperantiæ fræno. Dominus etiam dum fideles locupletat, simul lascivas carnis copiditates restringit continentiæ spiritu, vt modum sponte sibi præscribant ipsi. non quòd nefas sit diuitibus frui liberalius præsenti copia quàm si restrictè cũ illis Deus ageret: sed quia omnibus cauendum est (adeóque ipsis regibus) ne deliciis & luxuria diffluant. Quanois enim Dauid sibi plus iure permiserit quàm si vnus quiuis fuisset è vulgo, aut si in tugurio paterno mansisset: sibi tamen moderatus est inter lautitias, vt eum pinguedo minimè saginaret. Vnde factum est vt paratam sibi diuinitus mensam ab hara discerneret. Hoc quoque notatu dignum est, quum ex prædiis, vectigalibus alióque regoi prouentu viueret Dauid, Deo tamen gratias egisse, acsi ex eius manu quotidie cibum perciperet. Vnde colligimus non fuisse opibus suis excæcatum, sed Deum semper statuisse patrẽfamilias, qui cibum & potum ex suo penu depromptum opportunè distribueret.

6 Veruntamen bonum & misericordia persequentur me omnibus diebus uitæ meæ, & habitabo in domo Iehouæ in longitudinem dierum.

Veruntamen bonum & misericordia. [a] Certè bonitas, vel fœlicitas. [b] Quæ versus mox præcedens allegoricè per instructã mensam, delicias vnguenti & copiam, eadem hic versus simpliciter canit, addens tantæ fœlicitatis perpetuitatem. [c] Nam earum rerum tenorem extẽdit Dauid vsque ad finem vitæ suæ. [e] Vnde autem fiducia hæc, vt Dei beneficentiam & clementiam æternas sibi fore comites promittat, nisi ex permissione qua Deus sua erga fideles beneficia condire solet, ne insipido palato temere vorentur? Nam antea quum sibi diceret in mortis tenebris intentos fore oculos ad contemplandam Dei prouidentiam, satis testatus est se non pendere à rebus externis, nec gratiam Dei carnis suæ sensu metiri: sed etiam vbi omnia terrena adiumenta deficient, sibi fidem manere in verbo Dei inclusam. Quanuis ergo eum expetientia ad bene sperandum alliceret, præcipuè tamen promissionem amplexus est qua suos Deus in posterum confirmat. Siquis obiiciat temere hominem in hac caduca vita sibi æquabilem prosperæ fortunæ cursum promittere, respondemus Dauidem non ita loquutum esse vt legem Deo imponeret: sed quantum fert mundi conditio, Dei erga se beneficentiam sperasse, qua contentus foret. Neque enim dicit calicem perpetuò fore plenum, vel caput delibutum vnguentis: sed in genere, quia infatigabilis est Dei bonitas, colligit eum sibi in finem vsque fore beneficum. [s] Insignis verò auxesis est in verbo *Persequentur.* Homines alioqui persequuntur fœlicitatem: sanctos autem & qui Deo sese crediderunt, persequitur fœlicitas: nec tanto studio illi vt bene eis sit quærunt, quanto Deus, vt bene eis faciat: idque non breui aliquo tempore (vti solent homines) sed omni æuo: quemadmodum & illi diuinæ se prouidentiæ nunquam subducunt, æternùm in domo Domini sedentes, hoc est inter oues eius, in Ecclesia eius, fide syncera charitatéque sedula vitam degentes. *Omnibus diebus uitæ meæ.* [m] Longè aliud vsuuenit inter mortales, qui quem hodie amant, cras odio prosequentur, non minus ad lædendum quàm antea ad iuuandum parati, etiamsi nulla ratione odium moueris, nesciásque mutati animi causam aliquam. Ea scilicet est mortalium inconstantia in benefaciendo: secus verò in odiendo. [a] At Dei benignitas nunquam benefaciendo defatigatur: sed nouis subinde beneficiis suos cumulare solet. [a] Hoc Patris nostri cælestis ingenium nobis imitandum proponit Christus, Matth.5.g.44. *Et habitabo in domo Iehouæ.* [c] Dauid hac clausula apertè demonstrat se in terrenis voluptatibus aut commodis minimè subsistere, sed scopum sibi in cælo figere, ad quem omnia referat. Perinde enim est acsi dixisset se non viuere tantùm vt viuat, sed potius vt se exerceat in Dei timore & cultu, & in tota pietate in dies proficiat. Manifestum enim discrimen inter se & profanos homines statuit, quibus satis est ventrem suum lautè sarciri: neque id modò, sed etiam tãti sibi esse significat Deo viuere, vt inde omnes carnis commoditates æstimet. Palam affirmat hunc se finem in omnibus quæ retulit Dei beneficiis spectasse, vt habitaret in domo Domini. Vnde sequitur, sublata huius boni fruitione, eum pro nihilo duxisse reliqua omnia: acsi dixisset se non aliter oblectari terrenis commodis, nisi simul ex Dei grege esset: sicuti etiam alibi scribit, Beatum populum dicens cuius hæc sunt: beatus popolus cuius Iehoua est Deus, Infrà, 144. d. 15. Quorsum enim tantopere appeteret in templo versari, nisi vt sacrificia simul cum aliis offerret, aliísque fidei exercitiis proficeret ad meditationem cælestis vitæ? Certum igitur est Dauidem præsentium bonorum adminiculis ad spem æternæ hæreditatis fuisse euectum. vnde colligimos belluinos esse homines, quibus proposita est alia fœlicitas quàm vt ad Deum tendant. [m] Notandum verò templum in Scriptura sæpe domus Dei nomine significari, veluti Esa.56.c.7, & Matth. 11. b. 13. Tametsi enim Deus non habitet in templis manufactis, (Esa.66.a.1, & Act.7.f.48, & 17.f.14) tamen voluit eam domum in qua placuit populum suum ad celebrãdam nominis sui gloriam conuenire, hoc nomine insigniri, vt eo maiore erga illam reuerentia teneretur, & licet crassius, tamen aliquousqoe ad pietatem iostitueretur. Ideo eum locum sancti Patres magna religione coluerunt: quemadmodum ex multis Psalmorum locis & aliis Scripturæ testimoniis colligere licet. Vnde etiam discimus quo animo nos Christiani debeamus esse erga conuentus Ecclesiasticos, quom & nobis præsentiæ diuinæ facta sit promissio per Christum, qui ait, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ sum, Matth.18.g.20. *In longitudinem dierum.* [v] Hebraismus, pro, In multos dies. [m] Discant hic illi potissimùm quibus præ aliis (vt isti Dauidi) contigit diuina bonitate frui, siue in corporalibus, siue in spiritualibus, cur Dauid optet in domo habitare in longitudine dierum: quia scilicet cupiebat accepta diuinitus beneficia grato animo expendere, Deóque vicissim laudes decantare. [s] Porro breuis hic Psalmus est: at siquis singula pia curiositate vestiget, indubiè videbit totam sanctæ & beatæ vitæ rationem, graphicè in eo descriptam. Dominus det videndi eam oculos, & cor omni studio complectendi. Amen.

ARGVMENTVM PSAL. XXIIII.

[c] QVVM Deus totum humanũ genus condiderit, & imperio suo contineat, gratiam qua electum populum dignatus est, hac comparatione amplificat Dauid, nempe quòd sanctuarium instar domicilii erexit, vt habitaret inter filios Abrahæ. simulque ostendit, quãuis Iudæis omnibus expositum esset sanctuarium, non tamen quibuslibet Deum propinquum esse, sed veris tantùm pietatis cultoribus, qui se à mundi sordibus purgarunt, vt sanctitati & iustitiæ se addicerent. Porro quia extructo templo luculentius apparuit Dei gratia, eam splendido elogio cõmendat, quò alacrius fideles in eius colendi studio proficiant. [m] Sunt qui argumentum istud desumptum existimant ex historia apparentis Angeli, locúmque templi struendi monstrantis: sicuti legitur 1.Paralip.21.c.18.

DAVIDIS *Canticum. Iehouæ est terra & plenitudo eius, orbis, & habitantes in eo.*

Dauidis canticum. Iehouæ est terra. [m] Magnus est animus Prophetæ [a] in prædicanda Dei gratia & bonitate erga homines: quemadmodum ex canticis quæ ad manus nostras diuina prouidentia peruenerunt, promptum est colligere. [c] Vt itaque eam dignationem Dei commendet, qua dignatus est certo quodam loco, inter electum populum suum sedem figere (vtpote cum Hierosolymis) vtitur collatione totius terræ erga istum locum diuinæ habitationis. [c] Videbimus autem aliis compluribus locis conferri filios Abrahæ cum reliquo mũdo, vt melius inde pateat gratuita Dei bonitas, quòd eos ex omnibus populis suo fauore amplexus est. Huc ergo tendit Psalmi exordium, Iudæos nihil habere à seipsis cur ad Deum propius quàm Gentes vel magis familiariter accedant. Nam quum Deus sua prouidentia mundum in statu conseruet, peræquè ad omnes extenditur imperii eius potestas: vt meritò vbique colendus sit, sicuti omnibus sine exceptione paternam erga eos curam ostendit: [a] quemadmodum videmus infrà, 36.b.7, & 104.d.27, & Matth.5.g.45, & 10.c. 29.30. Porro quum Iudæos prætulerit aliis Gentibus, sacrum aliquod coniunctionis vinculum intercedere oportet, quod eos à profanis hominibus discernat. Hoc argumento ad sanctitatẽ eos inuitat & hortatur Dauid: quia æquum est, quos sibi in filios Deus adoptauit, proprias notas gestare, ne prorsus cæteris similes sint. Non quòd ad Deum præueniẽdum eos incitet, vt sibi eius gratiam concilient: sed à fine electionis admonet ratam demum & firmam honoris possessionem fore, si ad piè rectéque viuendum aspirent. Frustra enim seorsum collecti essent in peculiũ Dei, nisi sanctitati darẽt operam.

In summa, Deum totius mundi regem esse prædicat, vt ipso naturæ iure cũcti mortales ad eius cultum sint obstricti. Deinde commemoraturus cum exigua hominum parte pepigisse salutis fœdus, & erecto tabernaculo dedisse filiis Abrahæ præsentiæ suæ symbolum, vt certi essent ipsum in medio sui residere: cordis & manuum puritati dandam esse operam docet, si in sancta eius familia censeri cupiant. *Et plenitudo eius.* ᵛ Hebraismus, pro, quicquid in ea cõtinetur, siue quicquid ipsa continet. ᶜ Nã plenitudinis nomine comprehendit Dauid omnes copias quibus ornata est terra: præcipuè verò homines ipsos designat, qui maximè illustre sunt terræ ornamentum & decus. Nam si desicerent, nõ minus deformis esset vastitas & solitudo terræ, quàm si reliquis opibus eam Deus nudaret. Quorsum enim tam multiplices fructus, tanta abundantia & amœnitas, nisi vt vsus & cõmoditas perueniat ad homines? Itaque Dauid proximo mẽbro mentem suam explicat, quòd de hominibus maximè loquatur. Nam quum idem soleat bis repetere, idem valent plenitudo terræ, & orbis habitatores. Neque tamen negamus, diuitias quibus in vsum hominum affluit, simul cõprehendi. Idem certè Paulus, quum de cibis disserit, hoc testimonio confirmat nullum alimenti genus immundum esse, quia Domini est terra & plenitudo eius, 1. Cor. 10. f. 26 ᴹ Delinquebatur in escis tempore Pauli duplici nomine. Quidam nullo respectu charitatis ad offendiculum vescebantur quibuslibet. Illos redarguit multis: non quòd immundis vescerentur & prohibitis, sed quòd libertate sua ad destructionem conscientiarum imbecillium abutebantur. Istos instruit nihil esse per se immundum, & licitum esse vesci quibuslibet, etiam siquid esset idolis oblatũ. nihil enim esse idolum neque idolothytum: omnes creaturas esse Dei, mortalibus diuinitus concessas, nec obesse creaturis quòd essent in abusum cultus idolorum raptæ. Terram non esse dæmoniorum, sed Dei. Proinde filiis Dei licere creaturis Dei de plenitudine terræ frui. Nam, vt alibi dicit, Omnia vestra sunt, 1. Cor. 3. d. 21. Licet enim & Gentes quæ Deum Patrẽ non agnoscunt, in hac terra habitent, bonisque Dei creaturis potiantur, nostræ tamen sunt, non illorum. Nam nos sumus filii Dei, & hæredes Dei, & cohæredes Christi, Rom. 8. d. 17. Neque tamen inde sequitur bonorum proprietatem nullum habere locum inter Christianos. Oportet enim ordinem esse etiam inter filios Dei. Terra Chanaan erat filiorum Israel, à Domino data: nihilominus tamen diuidebatur in proprias tribuum possessiones, & habebant intra se diuites & pauperes: diuitibusque nihil aliud præcipiebatur quàm vt pauperes & inopes alerent. Ita & Paulus præcipit diuitibus huius seculi non vt diuitias abiiciãt, sed vt libenter aliis largiantur, 1. Timoth. 6. d. 17. Et alibi, Vt vestra abundantia (inquit) subleuet illorum inopiam, 2. Cor. 8. a. 2. Et alibi non dicit, Omne quod in macello est, edite: sed, Quod in macello venit, 1. Cor. 10. f. 25. Propterea summopere errarunt quidam Anabaptistarum, qui pertinaciæ suæ prætextũ ex hoc loco sumentes, mox atque aliò relegantur, abire renuunt, dicentes, Domini est terra: non potestis nos hinc eiicere: eodem hic iure vobiscum in terra Domini versari nos æquum est. Christus, quum, vt ex terra Gerazenorum post suffocatos sues abiret, rogaretur, haudquaquam id facere detrectauit: qui tamen multo iustius potuisset isto prætextu vti, Matth. 8. d. 34. Paulus item & Silas Philippos relinquere, rogantibus id magistratibus, haudquaquam recusarunt. Admonemur ergo hic vt cum gratiarum actione vescamur bonis Dei creaturis, citra vllam conscientiam. Ditiores agnoscant terram esse Domini & plenitudinem eius. Quòd si magnam huius terræ portionem possident, nouerint se de magna reddituros esse rationem, expectẽtque à Domino quod ipsi in alios, quibus sua committunt, designant. Iustum est vt agnoscatur telluris ac fundi dominus, reddaturque quotannis debitus census ac reditus. Hoc exigunt à suis villicis: reddãt ergo idẽ & ipsi fundi sui domino. Deinde videant vt & aliis locũ permittant in hac terra habitandi: ne audiant à Propheta, Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituũ. Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ & absque habitatore, Esa. 5. c. 9. Pauperes intueantur Christum, qui quanuis esset Dominus omnium, & hæres vniuersorum, non tamen habebat vbi caput reclinaret, Matth. 8. c. 20. In hoc gaudeant quòd nomina eorum scripta sunt in libro vitæ. Quòd si pressuram in hac terra Dei patiuntur, cõmendent causam suam domino terræ, cui ista fit iniuria. Potest & hoc loco argui sacerdotum auaritia & quæstus ille impudens, quo terram Domini ad mortuorum sepulturam vendiderunt.

2 *Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina firmauit eam.*

Quia ipse super maria fundauit. ᵛ Iuxta maria, ad maria. Situs enim cõtinentis est supra mare & flumina, non in ipso mari & aquis. Nam dixit Deus, Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida, Genes. 1. b. 9 Sic paulo pòst, *Super flumina.* ᶜ Confirmat Dauid iure sub Dei manu esse homines, vt eum vbique orbis regem agnoscant, idque ab ipso creationis ordine: quia palàm in tota terræ superficie admirabilis Dei prouidentia relucet. Sumit autem quod maximè conspicuum est eius rei documentum. Qui fit enim vt terra super aquas emineat, nisi quia Deus cõsultò hospitium parare hominibus voluit? Nam & philosophi fatentur, quum aquæ elementum terra superius sit, fieri præter naturam vt vlla regio sicca & habitabilis maneat. Itaque hoc insigne miraculum magnificè extollitur in Scripturis, quòd Deus violentos maris impetus compescat, ne statim terra obruta succedat horribilis confusio, Iob 38. d. 25. Nec etiam tacetur à Mose in historia creationis, quemadmodum paulo ante citauimus. Postquam enim aquas narrauit ita effusas fuisse vt totam terram obtegerent, addit speciali Dei mandato cessisse, vt spatium vacuum relinquerent animalibus postea creandis. Hinc colligimus, antequam extarent homines, iam Deo curæ ipsos fuisse, quòd hospitium aliásque commoditates eis parauerit: nec prorsus reputasse alienos, quibus non minus benignè prospexit quàm propriis liberis paterfamilias. ᴹ Porro sic loquitur Propheta de terræ fundatione & situ, vt nõ solùm prædicet dominium Dei quod habet in terram, sed simul commendet ipsius sapientiam, industriam & omnipotentiam in fundando & parãdo terram. Id quod facit & infra, 136 a. 6. Nam homines ædificaturi, magnásque moles fundaturi, non in liquidum sed in solidum fundamenta iaciunt. At contrà Dominus tantam machinam superstruxit aquis, elemento omnium liquidissimo. ᶜ Etsi autem non disputat philosophicè Dauid de terræ situ, vbi dicit super maria fundatam, sed populariter loquens ad rudium captum se accõmodat, non tamen ratione caret loquendi forma, quæ sumpta est ab ipso cõspectu. Terræ quidem elementum, quatenus in ordine sphærico infimũ locum occupat, infra aquas subsidit: sed quum pars habitabilis aquis sit superior, vnde fieri dicemus vt stabilis maneat hæc distinctio, nisi quòd aquæ diuinitus instar fundamenti substratæ sunt? Iam si ab ipsa mundi origine paternam curam Deus ad totum humanum genus extendit, prærogatiua honoris, qua cæteris præstant Iudæi, ex gratuito delectu nascitur. ᴹ Proinde hæc terræ fundatio quam nobis ob oculos ponit Spiritus sanctus, mentes nostras incitare debet, vt inde sumamus argumentum pietatis & amoris Dei adorandæque illius maiestatis & omnipotentiæ. Quis enim non summè colat eum in cuius manu putat omnem salutis suæ summam cõstitutam esse? Quis non gubernatorem nauis qua vehitur, summo studio colit & obseruat? Et quæ est ista insania, quòd eum non colimus qui molem istam, qua sustentamur, tanto miraculo ita fundauit, vt nulla queat ratione comprehendi quomodo subsistat: sed fatẽdum sit illam omnino diuina virtute subsistere, quæ vniuersam istam molem potest vnico momento subuertere, idque sine omni suo periculo? quod certè nauclerus, si nauem subuertere velit, non poterit. ᵇ Hoc miraculũ pluribus canit Psal. 104. & admodũ eleganter Iob. sic enim inducit sibi Deũ loquentẽ, Vbi eras quũ fundarẽ terram? eloquere, si quidem tanta tibi est intelligentia. Quis posuit mensuras eius? si quidem nosti: aut quis extendit super eam regulam? in quo sunt fixæ bases eius? aut quis vidit lapidem anguli eius? & reliqua, Iob 38. a. 4. Quum tanta sit diuinæ maiestatis potentia, adhuc tamen tantus est carnis nostræ stupor, vt quemlibet personatum vermiculum, aliqua hominũ opinione inflatum, plusquam Deum fictorem, cõseruatorem, vitæ necisque dominum miremur, suspiciamus, metuamus.

3 *Quis ascendet in montem Iehouæ? & quis stabit in loco sanctitatis eius?*

ᶜ Quòd erecto sanctuario domiciliũ sibi inter Iudæos elegit Deus, meræ esse gratiæ, quia per se notum erat, tacitè hic solùm notatur. præcipuè verò Dauid in altero membro insistit, vt veros Israelitas à falsis discernat. Nam inde argumentum sumit vt Iudæos ad sanctam & rectam vitam hortetur, quia segregati sint à Deo in peculium. Quanuis enim reliqui homines, quatenus ab ipso creati sunt, pertineant ad eius imperium, qui tamen locum in Ecclesia obtinet, propius ad eum accedit. Ergo quoscunque admittit Deus in gregem suum, ipsa adoptione ad sanctitatem vocat. ᴬ Nam finis nostræ electionis est vt sancti simus & irreprehensibiles in conspectu Dei in charitate, Ephes. 1. a. 4. Item. Non vocauit nos in immunditiam, sed in sanctificationem, 1. Thess. 4. b. 7. *Quis ascendet in montem Iehouæ?* His verbis obliquè hypocritas perstringit Dauid, quibus nulla religio erat sacrũ Dei nomen falsò obtẽdere: vt scimus ipsos inanibus tãtùm titulis & externis insignibus efferri. imò data opera celebrat hãc singularẽ Dei gratiã, vt pro se quisq; discat, nisi se ad purum Dei cultũ sanctificet, ab accessu sanctuarii arceri. Verum quidem est impios & sceleratos frequentasse taber-

naculum, ideóque illis per Prophetam Dominus exprobrat quòd indignè terant pauimētum atrii sui, Esa.1.d.12. sed hic disputat Dauid quibus iure ingressus pateat. Nam quum sacra sit domus, siqui perperam illuc & præter fas irrumpūt, corū corruptela & abusus nihil quàm pollutio est. Quia ergo legitimus non est eorum ascensus, Dauid eū pro nullo ducit: imò sub his grauis inclusa est obiurgatio, quòd impuri homines dum ascēdere audent in sanctuarium, suis illud sordibus inquinent. Qua de re plura diximus suprà, 15.a.1. [A] Certè is qui dignè vult in sanctuarium Dni ascendere, debet in primis diligenter expendere qualis sit naturæ Deus, nequid afferat in conspectum Domini quod oculos diuinæ maiestatis lædat. Lædit autem quicquid à vera iustitia alienū est. Amator enim iustitiæ Deus est, & iniquitatis osor, sicuti suprà, 5.a.5, ostendit Dauid. *Et quis stabit in loco sanctitatis eius?* [C] Videtur hic Propheta perseuerantiam notare. acsi dixisset, Quis ascendet in montem Sion, vt se in Dei conspectum sistat? קום Hebræis (fatemur) surgere significat: sed pro stare plerunque accipitur: vt visum fuit suprà, 1.b.5. Quanquā autem repetitio est eiusdem rei, non tamen simplex est: sed finē ascensus exprimens, auget, vt sæpe alibi. Hæc summa est, vtcunque tempore Dauidis permisti in Ecclesia essent bonis mali, declarat tamen quàm friuola sit externa professio, nisi accedat interior veritas. Nam quod de tabernaculo fœderis dicit, ad perpetuum Ecclesiæ regimen accommodare oportet. [M] Porro interrogationis vehementia aliquid habet ponderis & admirationis. Quis ascendet? quis stabit? Quasi diceret, Certè nō cuiusuis hoc erit, certè oportet vt non vulgaribus sit moribus præditus qui dignitate ista fruatur. Et locum sanctitatis dicit, vt admoneat sanctorum esse apparere corā Domino in loco sanctitatis eius. Atque ideo in Lege cautū erat vt immundis non daretur aditus in locum sanctitatis Dei. quo iam significabatur nō esse quorūuis verè ciuem esse sanctorum & domesticum Dei.

4 *Mundus manibus & mundus corde, qui non extulit in uanum animam suam, & non iurauit ad fraudem.*

Mundus manibus, & mundus corde. [M] Ad interrogationem versus præcedentis habent tres sequentes responsionem. his enim ostenditur, quis ille sit qui dignus habeatur ad hoc vt ascendat in montē Domini, & consistat in loco sanctitatis eius, nēpe qui planè sit mūdus. [C] Nā manuū & cordis puritate, & nominis Dei reuerentia totam pietatem Vates complectitur, & vitam rectè compositam designat. Vera quidem puritas in corde sedem habet: sed fructus suos in operibus manuū profert. Ideóque scitè puro cordi adiungitur totius vitæ mūdities: quia ridiculè quis iactabit sibi integrum cor esse, nisi bonam radicem à fructibus demōstret: neque rursum sufficiet manus, pedes & oculos ad iustam normam formare, nisi externam continentiam præcedat cordis puritas. [M] Est autem manuum puritas & innocentia non solùm sita in iis actibus quæ manu geruntur, sed & in aliis, quæ non manu sed consilio quoque aguntur. Hinc Pilatus lauabat manus, ostendere volēs se innocentem esse à sanguine Christi, Matth.27.c.24. Et Dauid ad mulierem Thecuitam dicebat, Nūquid manus Ioab est tecum? 2.Sam.14.d.19. Ergo & animi consilia manibus adscribuntur, quæ si fuerint nocentia, manus faciunt nocentes. Externa tamen sanctitas hominibus conspicua, manuum puritate propriè designatur. [C] Sicut verò absurdum videtur, priorem locum manibus tribui, & non cordi, facilis responsio est, sæpe effectus nominari ante suas causas: non quòd præeant ordine, sed quia interdum vtile est incipere à rebus magis notis. Vult ergo Dauid Iudæos in Dei cōspectum afferre puras manus, & quidem ex corde non ficto. Addit enim, *Et mundus corde.* [M] Est autem cordis puritas quam Deus requirit, nihil aliud quàm voluntas illicitis concupiscentiis libera: quam per cordis circuncisionem requirere se significauit Deut.10.d.16. Intelligimus autem per illicitas concupiscentias non solùm eas quæ sunt erga mulieres in viris, vel erga viros in mulierib[9], sed omnes in vniuersum quæ dilectioni Dei & proximi repugnant. Ergo non solùm coram Deo locum non habent qui factis noxiis impuras manus habent, sed & illi qui cordibus sunt impuris. Inde Christus adulterum eum esse censet coram Deo qui mulierem ad concupiscendum eam videt: & homicidam, qui irascitur fratri suo, Matth.5.d.18. Et Iohannes ait, Qui odit fratrem suum, homicida est, 1.Iohan.3.c.15. *Qui non extulit in uanum animam suam.* [C] Extollere (vel assumere) animam sumitur pro iurare. Itaque exigitur à Dei cultoribus religio in iureiurando: &, per synecdochen, sub vna specie notatur fides in omni negotio ac integritas. Quòd autem de iuramētis sermo sit, ex particula exegetica, quæ mox additur, colligere licet, vbi dicit, *Et non iurauit ad fraudem.* Quia tamen duplex lectio est in voce Animæ, (hoc est, legi potest Animam meam, vel Animam suam, propter punctum hirec) quidam Hebræi interpretes relatiuum primæ personæ de ipso Deo accipiant: quod tanquam durum & coactum repudiamus. Est autem emphatica locutio, quæ significat, animas suas quasi vades offerre Deo quicunque iurant. Nisi fortè magis placeat tollere animam positū esse pro applicare ad mendacium: quod in medio relinquimus: quia ad sensum parum interest. Nascitur tamen hic quæstio, cur fidem & Dei inuocationem ne verbo quidem attingat Dauid: sed quæ facilis est ad soluendum. Quia enim rarò contingit vt quis cum fratribus suis iustè & innoxiè se gerat, nisi vero Dei timore præditus, vt soliciè ambulet in eius conspectu: non abs re pietatē ab his testimoniis æstimat Dauid. Qua ratione Christus vocat præcipua Legis misericordiam, iudicium & fidem, Matth.23.c.23. Et charitas à Paulo dicitur nunc finis Legis, 1.Timoth.1.a.5, nunc perfectionis vinculum, Colos.3.c.14.

5 *Accipiet benedictionem à Iehoua, & iustitiam à Deo salutis suæ.*

Accipiet benedictionem à Iehoua. [M] Versus iste commemorat quid expectare debeat qui mundis manibus, mūdo corde & ore montem Dei ascenderit, & coram Deo steterit, nempe benedictionem, id est beneficentiam singularem, & præcipuam Dei probitatem erga se. [C] Itaque Dauid, quò efficacius permoueat animos, pronuntiat nihil esse optabilius quàm censeri in Dei grege & inter Ecclesiæ domesticos. Tenenda verò est antithesis inter veros Israelitas ac degeneres. Nam quo sibi plus licentiæ indulgent improbi, eo confidentius nomen Dei obtendunt, acsi obstrictum sibi tenerēt: quia iisdem ornati sunt symbolis quibus fideles. Itaque demonstratiuum pronomen *Hæc* in versu sequenti, pondere non caret: quia discretè excludit totam illam adulterinam gentem quæ tantùm ceremoniarum larua superbiebat. Et nunc quum de benedictione loquitur, significat, non omnes qui se titulo tenus pro Dei cultoribus venditant, promissæ benedictionis fore participes: sed qui suæ vocationi ex animo respondent. Cæterùm (vt iam diximus) hæc valde efficax est ad pietatem & probam vitam exhortatio, dum audiunt fideles se in iustitia colenda operam nō ludere: quia certa benedictio apud Deum reposita sit. [M] Quid autem fœlicius, quid beatius obtingere posset quàm diuina benedictione potiri, habereque Deum seruatorem & patrem beneuolum? *Et iustitiam.* [C] Iustitiæ nomē duobus modis potest exponi, vel pro omnibus Dei beneficiis, quibus se iustum esse probat ac bonæ fidei erga fideles: vel pro iustitiæ fructu. Mens quidē Dauidis minimè dubia est, sperandum non esse vt ad eos perueniat iustitiæ merces qui iniustè sacrum eius cultum profanant: rursus, fieri non posse vt veros suos cultores frustretur Deus: quia propriū eius est beneficiis iustitiam suam testari. Hinc alibi dixit Propheta, de præceptis Domini loquens, In custodiendis illis retributio multa, Suprà, 19.c.12. *A Deo salutis suæ.* [V] Sic Hebraicè, pro salutatore suo.

6 *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem tuam, Iacob. Selah.*

Hæc est generatio quærentium. [M] Declarat hoc versu qui sint de quibus loquitur. hoc est, qui sint qui puri corde, ore & manu in montem Domini ascendant: nempe qui Dominum quærūt, & faciem eius inuisunt. [C] Iam verò notimus hac demōstratione deleri ex catalogo seruorum Dei fictitios omnes Israelitas, qui Circuncisione tantùm & pecudum sacrificiis freti, seipsos Deo offerre non curant: interim se temere ingerunt in Ecclesiam. Tales enim quanuis Dei studio se teneri simulent, templi accessu nihil aliud habent propositum quàm se longius subducere. Quia autem nihil magis tritum in ore omniū erat quam omnes esse sanctum semen, nomen sanctæ generationis restrinxit ad puros Legis obseruatores: acsi dixisset, non omnes qui secundum carnem progeniti sunt ex Abrahā, legitimos propterea filios esse. Verè quidem dicitur aliis pluribus locis, (vt infrà, 27.c.8 videbimus) eos faciem Dei quærere qui testandæ pietatis causa coram arca fœderis se in cerémoniis exercent: nempe si sincerus affectus illuc eos ducit. Sed quoniam hypocritis externa quædam Dei quærendi species communis est, quem tamen suis ambagibus fugitant, pronuntiat hoc loco Dauid non verè quæri Deum nisi præeunte sanctitatis & iustitiæ studio. [M] Illi enim quærentes Dominum sunt, qui manibus sunt innocentibus, cordibus puris, linguis non subdolis. *Quærentium faciem tuam.* [C] Quò plus energiæ habeat sententia, eā in secunda persona repetens Dauid, sermonem ad Deum cōuertit. Perinde enim est acsi hypocritas, qui pro nihilo ducunt abuti Dei nomine, ad ipsius Dei tribunal citaret: significans, quicquid garriant apud homines, aliud fore Dei iudicium. *Iacob.* [V] Aut subaudiendum In, acsi dicat, Talis est generatio eorum qui in Iacob quærunt faciem Dei: aut verbum substantiuum, hoc modo, Iacob sunt & veri Israelitæ qui quærunt faciem Dei. [C] Et sic Iacob collectiuè additum esset ad superioris doctrinæ cōfirmationē. acsi dixisset, licet totum carnale semen Iacob à Gentibus distinguat Circuncisio, non aliter cognosci electum populum quàm

Dei reuerentia & timore. Sicut Christus dicebat, Hic est verus Israelita, in quo dolus non est, Ioh. 1. g. 47. Iudæi increduli quũ essent, generatio praua & peruersa, gloriabantur plurimum se generationem esse iustorum, generationem sanctam, cuius origo esset ex Patribus, Abraham, Isaac & Iacob, atque ideo participes esse se diuinæ benedictionis. Sed vanam hãc gloriationẽ esse Propheta disertè ostendit, si absit pietatis studium: sicuti etiam Iohannes Baptista, Matth. 3. b. 9, & Christus, Iohan. 8. e. 39, haud obscurè docent. Idem faciundum est & Episcopis illis qui quum de successione Apostolorum glorientur, fidem Apostolorum non modò non prædicant, sed & impugnant. *Selah* adiectum monet vt idipsum probè perpendamus, solos nempe Dei obseruantes serióque studiosos, veros filios Iacob, verum Dei populum haberi, neque alios in montẽ Dei peruenire, quicunque corpore accedant.

7 *Eleuate ô portæ, capita vestra, & eleuate vos portæ perpetuæ: & intraibit rex gloriæ.*

Eleuate ô portæ, capita vestra. Attollite. Abrumpit Dauid sermonem, optátque templi Hierosolymitani extructionem, vt arcam (quam Iehouæ nomine significat) inferat. Vtitur autẽ prosopopœia, vt exprimat vehementem quendam zelum & ardorẽ ad domum Dei extruendam. Alloquitur portas domus Dei futuræ, nondum existentes, hortatúrque vt propere struantur, festinéntque ad excipiendum Dominum ac regem gloriæ. Nam quia nondum extabat magnificus ille templi splendor, in quo plus fuit externæ dignitatis quàm in tabernaculo, Dauid hîc de futura eius structura concionatur: atque hoc modo fideles animat vt libentius maioréque fiducia ceremoniis Legalibus operam impendant. Fuit enim beneficium Dei non vulgare quòd Deus visibili symbolo in medio ipsorum residebat, cœlestéque suum domicilium volebat in terra cõspici. Atque huius doctrinæ vsus inter nos quoque hodie vigere debet, quia inæstimabilis Dei gratia est, nos pro carnis nostræ infirmitate pietatis exercitiis sursum ad Deum attolli. Quorsum enim verbi prædicatio, sacramenta, sacri ipsi conuentus, totumque externum Ecclesiæ regimen, nisi vt nos Deo coniungant? Non abs re igitur Dauid cultum Legalem tam celebri encomio commẽdat, quum se Deus in arca fœderis fidelibus offerret, certumque pignus daret præsentis sui auxilii, quoties fuisset inuocatus. Etsi autem non habitat Deus in templis manufactis, neque eum oblectant externæ pompæ: quia tamen vtile fuit, & ita etiam placuit Deo, rudem & quasi infantilem populum terrenis elementis ad Deũ euehi, non dubitat hîc Dauid sumptuosum templi ædificium ad fidei confirmationem proponere, vt certò statuant Iudæi nõ esse illud inane theatrũ: sed vbi Deum ex præscripto verbi eius rite colunt, stare se ante eius oculos, vt effectu propinquum sentiant. Summa igitur est, templum quod sibi Deus in mõte Sion extrui iusserat, quo maiori splendore vincebat tabernaculum, eo magis illustre fore speculum gloriæ & potentiæ Dei inter Iudæos habitantis. Interea sicuti ipse ingenti templi desiderio flagrabat, sic eundẽ ardorẽ in omniũ piorũ cordibus accẽdit, vt magis ac magis in Dei timore proficiant Legalibus rudimentis adiuti. *Et eleuate vos portæ.* Intelligit per portas quidem totã domũ synecdochicè: verùm interea singulari affectu portas alloquitur, vtpote per quas ingressurus esset Dominus, hoc nomine fœlices quòd per ipsas erat futurus ingressus Domini in domum suam. De proposito autem ac desiderio ædificandæ domus Dei vide 1. Paralip. 22. b. 7. *Perpetuæ.* Æternæ, sempiternæ. Portas vocat æternas quarum diuturna stabilitas in verbo Dei fundata erat. Etsi enim materia & artificio excelluit templum illud, summa tamẽ præstãtia in eo sita fuit, quòd eius ædificio insculpta erat promissio Dei, quã alibi videbimus, Hæc requies mea in seculũ seculi, Infrà. 132. d. 14. Ad hæc, æternæ dici poterãt portæ illæ tẽpli, quòd in hac domo certa ac cõstãs Dei sedes futura esset, quæ hactenus incerta & vagabũda fuerat. Nã arca intra templũ fixa permansura erat, non (vt antea) de loco in locum transferenda: id quod Dominus Dauidi promisisse legitur, 2. Sam. 7. b. 10. antea nanque incerta fuerat: primùm in deserto, deinde in Gilgal, postea in Siloh, quartò in terra Philisthiim, quintò in Bethsemeth, sextò in Kiriathiarim, septimò in domo Obededom, octauò in ciuitate Dauid: nonò demum in templo Hierosolymitano solidam mansionem inuenit, vbi & vsque ad destructionem ac desolationem mansit. Vnde & Solomon dicebat, Ædificãs ædificaui domum in qua permaneres, locum vbi habitares לעולמים, id est per secula, 1. Reg. 8. b. 13. Itaque dubium non est quin subaudienda sit tabernaculi antithesis. Nam quum tabernaculo nunquam fixa fuisset sedes, (sicuti ostendimus) sed variis hospitiis subinde exceptum quodammodo peregrinaretur: vbi mons Sion electus est, firma cœpit esse Dei statio. Iam quia Christi aduẽtu visibilis illa vmbra euanuit, mirum non est in monte Sion templum non conspici, cuius amplitudo totum orbem occupat. Si quis obiiciat, tempore Babylonici exilii dirutas fuisse quas Solomon ædificauit portas, respondemus in illa temporali ruina stetisse decretum Dei, cuius virtute paulo pòst sequuta est templi instauratio: quod perinde fuit acsi semper integrum durasset. Locum hunc inscitè corrupit Græcus interpres. Etsi enim ראשים Hebræi metaphoricè interdum vocant principes, relatiuum tamen annexum non alium sensum admittit quàm vt portæ capita sua attollãt. alioqui dicendum esset Principes vestri, vel vestros. Quàm stultè etiam ac turpiter hoc loco abusi sint Papistæ ad crassa ludibria quibus Christum ad inferos penetrãtem inducunt, ex genuino verborũ sensu plus satis patet. Hinc verò discamus sanctũ Dei verbum sobriè reuerenterque tractare, ac Papistas detestari, qui in eo peruertendo nefariis suis sacrilegiis quasi impune ludunt. *Et intrabit rex gloriæ.* Hæc verba satis produnt vnde vehemẽs illud Dauidis desiderium ad ædificationẽ domus. Ingredietur, inquit, rex gloriæ. Hac appellatione arcam testamenti celebrat, propterea quòd pollicitus fuerat Dominus habitaturum se supra illam inter alas Cherubim. Vide Numer. 10. d. 35, & Iosue 3. c. 11. 17, & 2. Sam. 6. a. 2.

8 *Quis est iste rex gloriæ? Iehoua fortis & potens, Iehoua potẽs in prælio.*

Quis est iste rex gloriæ? Rex ille gloriosus diuina maiestate verẽdus. Magnam emphasin continet hæc interrogatio. Personam enim admirantis suscipit Propheta, quò efficacius doceat inexpugnabili virtute Deum venire instructum ad tuẽdam populi salutem, vt sub eius vmbra salui sint fideles. *Iehoua fortis & potens.* Robustus, validus, heros. Huc spectant hæc elogia quibus extollitur Dei virtus, vt sciãt Iudæi non sedere otiosum in templo, sed vt præsto sit ad opem suis ferendam. Iam verò dictum fuit non habitasse Deum in templo, acsi immensa eius essentia illic inclusa foret: sed illam virtutis & gratiæ fuisse præsentiam, vt ferebat promissio per Mosen data, Vbi memoriam posuero nomini meo, veniam ad te, & benedicam tibi, Exod. 20. d. 24. Id sibi non frustra esse promissum, sed Deum verè in medio sui stare senserunt fideles, qui non superstitiosè quasi templo affixum quærebant, sed externo templi cultu adiuti tendebãt in cœlum. Sũma est, quoties Deum populus in templo inuocauerit, effectu ipso palam fore quàm nõ inane sit vel lusorium præsentiæ Dei symbolum arca fœderis: quia Deus potentẽ manum suam protegẽdæ fidelium saluti semper exeret. Quòd autem Dauid Deum regem facit gloriæ, quũ ipse rex esset à Deo constitutus: exemplum est quo admoneantur reges ac principes terræ, omnem suum potentatum, gloriam & potẽtiam non sibiipsis sed Deo adscribere, scirẽque se nonnisi seruos esse summi ac veri regis. *Potens in prælio.* Hoc est, rex est bellica virtute potẽs & insignis, rẽxque exercituũ. Hic admonetur electus populus victoriarũ Dei, quas insignes tulit in Ægypto, in mari rubro, in Chanaã, de Amorrhæis, Moabitis, Syris, Philistæis, Idumæis: vt sciant cuius virtute hos omnes hostes suos superarint. Deinde excutitur è manibus regũ ac magnatum impiorũ gloria virtutis bellicæ, de qua tantopere gloriantur. Hinc illa piorum precatio, Dissipa Domine gentes quæ bella volunt, Infrà, 68. d. 31. Ne ergo metuamus eos qui bella crepãt, & mox ita arma proruunt. Sors bellorum est in manu Domini, non in manu hostium impiorũ. Qua de re vide infrà, 33. c. 16. 17, & 44. b. 7.

9 *Eleuate ô portæ, capita vestra, & eleuate vos portæ perpetuæ: & introibit rex gloriæ.*

Eleuate ô portæ, capita vestra. Hæc repetitio testatur quantopere animus Dauidis studio domus ædificandæ flagrarit: sicuti sacra historia testatur, 1. Paralip. 22. d. 14, & 31. c. 14. Admonet etiam hæc repetitio, fideles in hac meditatione non posse nimis esse assiduos vel sedulos. Iam quum Filius Dei carne indutus apparuit rex gloriæ & Iehoua exercituũ, nõ vmbratili figura tantùm, sed verè tẽplũ suũ ingressus est, vt in medio nostri habitet. Quare nihil obstat quominus gloriemur nos eius virtute fore inuictos. Quanquã autẽ neque mõs Sion hodie locus est sanctuario dicatus, neque amplius arca fœderis imago Dei est habitantis inter Cherubim: quatenus tamẽ cõmunis nobis ratio est cum patribus, vt verbi prædicatio & sacramenta Deum nobis coniungant, hæc adminicula reuerenter amplecti cõuenit: quia fieri non potest, si impio fastu spernuntur, quin Deus se tãdem prorsus à nobis subducat.

10 *Quis est iste rex gloriæ? Iehoua exercituum ipse est rex gloriæ. Selah.*

Quis est iste rex gloriæ? Eadem responsio cum superiore, nisi quòd hic Iehouã exercituũ ponit pro eo quod dixerat Fortis & potens, Iehoua potens in prælio: subindicãs iam debellatum esse, & pacem populo contigisse: iuxta id quod Dominum sibi dixisse de Filio suo narrabat, 1. Paralip. 22. b. 9. Vide locum illum.

ARGVMENTVM PSAL. XXV.

EST hic Psalmus variis affectibus mistus. Dauid enim hostibus

suis

sæuitia vexatus, vt opem à Deo impetret, primùm agnoscit peccata sua hoc modo iustè à Deo ipso castigari. ideóque eorum veniam petit, quò Deum habeat propitium ac liberatorem. Deinde gratiam Spiritus sancti implorat, qua fretus inter varias tentationes se contineat sub Dei timore. Meditationes verò pluribus locis inserit, quibus vel se ad benè sperandum stimulet, vel à mundi illecebris sensus suos ad Deum colligat. ᵃ In fine annectit precatiunculam pro toto populo Dei.

DAVIDIS. *Ad te Iehoua animam meam leuo.*

Dauidis. ᵛ לדוד Sub. Psalmus. Hic Psalmus est eorum quorum versus à literis iuxta ordinē alphabeti Hebraici incipiunt. desunt tamē Beth & Vau atque Resch: & incipiūt duo versus in Aleph, totidē in Resch: quanquā à Beth incipiat statim altera dictio versus secūdi, vt tertia quinti à vau: à Pe initiū habet versus vltimus. Causam huius instituti certā ne Hebræi quidē reddere possunt. Apparet vulgatā rationē carminis fuisse: etsi perpauci Psalmi (nēpe præter hūc quatuor, vt 34. 111, 112. & 119) hoc carminis genere constant, iidémque non pari ratione. *Ad te Iehoua animam meam leuo.* ᵛ Attollo. Futurum Hebræum pro præsenti. ᶜ Præfatur Dauid se non circumagi huc & illuc infidelium more, sed spem suam & vota dirigere in vnum Deum. Nihil enim veræ & sinceræ Dei inuocationi magis contrarium quàm vacillando circumspicere (sicuti profani homines solent) an aliqua mundi auxilia succurrant: interea verò Deum omittere, vel non rectà se conferre in eius fidem & tutelam. Nam qui putant Dauidem testari se fuisse penitus Deo addictum, acsi in sacrificium se obtulisset, non satis attendunt rationem contextus. Potius ad impetrādi fiduciam sumit quod in precibus maximi est momenti, spem sibi fuisse in Deo fixam, nec mundi illecebris fuisse impeditum vel retentum quominus liber & solutus ad Deum ascenderet. Quare hæc sit nobis ritè orandi regula, non distrahi in spes vanas & ancipites, nec in terrenis auxiliis subsistere: sed Deo tribuere hunc honorem, vt ex intimo affectu vota nostra ad Deum tollamus. ᴹ Notandum est quoque non dixisse vatem, Ad te Domine leuo vocem meam, sed Animā meā. Et vocem quidē ad Deum leuauit: verùm id tale non est in quo veræ orationis regula consistat, quæ mentis ad Deum eleuatione constat. Est itaque oratio vera ac genuina, secundum hanc Prophetæ vocem, eleuatio mētis ad Dominū Deū. Sic & Anna mater Samuelis ad Eli sacerdotem dicebat, Effudi animam meā in conspectu Domini, 1. Sam. 1. c. 15. Sine hac eleuatione mentis oratio similis est corpori mente ac spiritu destituto.

2 *Deus meus in te spero, ne pudore afficiar, ne exultent inimici mei de me.*

Deus meus in te spero. ᵛ In te confido, In te fiduciam habeo, vel, te nitor. Præt. Hebr. pro præsenti. ᶜ Ex hoc versu colligimus, quod deinde clarius patebit, Dauidi fuisse cum hominibus negotium. sed quia persuasus erat hostes suos esse quasi Dei ferulas, merità eius manu coërceri postulat, ne magis insolescant. ᴹ Quo docemur, quoties nobis homines negotium faciunt, ad Deum vnum confugere, sine cuius permissu ne capillum quidem nobis eripere possunt. ᶜ Sperādi verbo confirmat quod nuper dixit de animæ ad Deum eleuatione. Nam vel ita modus exprimitur quo se fideles animæ sursum attollunt, vel fiducia & spes adduntur tanquam illius effectus causa. Et certè his alis è mundo sublati sursum erigimur. Dauid ergo toto animi desiderio ad Deum raptus fuit: quia promissionibus eius fretus salutem haud dubiam inde spectabat. *Ne pudore afficiar.* ᵇ Ne me repellas, ne confundas faciem orantis fiducialiter. ᶠ Erubescit qui petit, & non exauditur, non solùm coram iudice, sed etiam multo magis coram aduersariis, contra quos iudex innueatur: qui interim gloriātur, quasi iustam habeant caussam, dum iudex videtur ab illis stare. Optat ergo Dauid ne pudefiat. acsi diceret. ᴹ Fac ne frustra in te sperasse videar: id quod facies, si mihi pro spe & fiducia in te collocata succurreris. ᶜ Porro hæc deprecatio ex communi Scripturæ doctrina sumpta est, pudefieri nunquā posse quicunque in Deo sperant. ᶠ Qua de re vide suprà, 22. b. 6. Spes enim non confundit, Rom. 5. a. 5. *Ne exultent inimici mei de me.* ᶜ Hæc ratio ad prouocandam Dei misericordiam notanda est, ne obnoxius sit hostium ludibriis, quorum improbitas non magis pios animos vulnerat quàm Deum ipsum lacessit. ᴹ Timet ergo Propheta confundi, non quòd suam ipsius confusionem tantopere exhorreat & gloriam quærat: sed propter inimicorum malitiam confusionem hanc deprecatur, quæ in lætitia, ex eo cōcepta quòd frustra sperasset, de gloria Dei plurimū detriuisset: quæ in hoc potissimùm consistit quòd sperantes in se non deserere prædicatur.

3 *Etiam omnes qui expectant te, non afficientur pudore: pudore afficiantur præuaricantes sine caussa.*

Etiam omnes qui spectant te. ᵃ Si verba in optandi modum resoluas, hoc versu precationem suam continuat Dauid: & quod de se vno dixerat, communiter ad cunctos fideles extendit. Sed diuersa sententia magis probatur, vt Dauid fructum gratiæ Dei ostendat, qui ex liberatione sua proueniet. Pondus autem subest in particula Etiā. Nam quia sciebat multorum oculos in se esse coniectos, nec obscuram esse eius in Deo fiduciam, suum exemplū longè patere intelligit: quia scilicet omnes Dei filios eriget, ac prosternet improborum ferociam. Posset etiam alius esse sensus, acsi in fidei suæ cōfirmationē sibi proponeret Dauid quod passim Deus promittit. ᵛ acsi diceret, Certè omnes sperantes in te non pudefient. ᶜ Sed illa quam attulimus interpretatio, videtur omnium amplissima. Nam per scelestos qui perfidè agunt sine causa, non dubium est quin peculiariter hostes suos intelligat. Ergo vbi liberatus fuerit, docet non fore priuatum beneficium, cuius ad omnes perueniet fructus: sicuti fieri nō poterat quin multorum labasceret fides, si fuisset à Deo relictus. ᴹ Obseruandum verò quòd pios in Dominum sperantes vocat expectantes Dominum. ᴹ Rectè planè dat sperantibus expectationem Domini, idque duplici nomine: primùm, quòd sic consueuerit suis succurrere Dominus, vt non mox opem ferat quādo id ab afflictis petitur, sed auxilium tantisper differat dum & suæ gloriæ & suorum sit saluti commodum & opportunum: vt hac de causa necesse sit sperantibus ab illo auxilium, banc succurrendi opportunitatē patienter expectare. Deinde quòd hoc sit ingenium spei vt se ad futura & expectanda extendat. Quisquis ergo ex sperātibus in Dominū esse instituit, ad hoc animū suum confirmet, vt patientem & indefessam spei suæ coniungat expectationem: iuxta illud, Si moram fecerit, expecta, Habac. 2. a. 3. *Pudore afficiantur præuaricantes.* ᶜ In hoc membro opposito ratiocinatur, si confusi iacerant improbi, ab Dei gloriā id spectare: quia eorum in rebus prosperis exultatio palam Deo illudit, dum contempto eius iudicio audacius ad licentiam peccandi ruūt. ᴹ Videmus itaque hoc loco quatenus optandum sit piis vt consilia inimicorū frustrentur, ac ipsi pudefiāt, hactenus scilicet vt Dei gloria ex afflictorū liberatione magis illustretur. ᶜ Quod addit, *Sine caussa*, ad crimen amplificandum valet. Minus enim ferenda est eius prauitas qui nulla iniuria lacessitus vltro ad lædendos homines innoxios fertur. ᴹ Posset & dictio ריקם sumi pro Frustra, hoc sensu, quòd iniquè agētes sic frustra iniquè agāt, vt quod proponunt non consequantur: & hæc est sors impiorum iniquè agentium. ᴬ Verùm prior expositio aptior est.

4 *Vias tuas Iehoua scire fac me, semitas tuas doce me.*

Vias tuas Iehoua scire fac me. ᵛ Ostende mihi, demonstra mihi, notas mihi fac. ᶜ Per vias Domini interdū significat Dauid lætos & salutares exitus, vt alibi visum fuit: sæpius verò intelligit sanctè iustéque viuendi regulam. Hic quia mox additur veritas, precationis summa est, vt Deus seruum suum in fide promissionum suarum retineat, neque sinat huc vel illuc dilabi. Ita enim compositis ad patiētiā animis nihil perperā tētamus, si toti pendemus à Dei prouidentia. Non ergo simpliciter hoc loco postulat Dauid Spiritu Dei regi, ne à recto cursu deflectat, sed sibi patefieri quàm verax & fidelis sit Deus in suis promissis, vt quietus sub eius oculis degat. Siquis generalē esse sensum malit, acsi Dauid Deo se gubernandum traderet, non multum refert: quia tamen probabile est, sub Veritatis nomine, in proximo versu, exponi quasnā vias Domini & semitas vocet, ad præsentem circunstantiam votum referendum esse videtur: quòd scilicet Dauid vel ab impatiētia, vel à cupidine vindictæ, vel ab illicito quouis feruore metuens, promissiones Dei penitus cordi suo insculpi postulet. Diximus enim; quandiu viget in animis nostris hæc cogitatio, Deo nos curæ esse, domandis tentationibus optimum esse frænum. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. f. 31. ᶠ Quòd si tamen vias Dei & semitas pro doctrina accipere placeat, nobis semper illud fixum est, Dauidem ad cæcos impulsus respicere, qui nos rebus aduersis iactatos præcipitant in longos errores, donec verbo Dei cohibiti fuerint vel sedati. Ita sensus est, Quicquid acciderit, ne vnquā permittas Domine me excidere à viis tuis, vel cōtumacia, vel praua aliqua cupiditate abripi: sed potius pacatū me sub tua obedientia contineat tua veritas. ᵃ Interea discendum hic est quanta sit in nobis omnibus ignorantia veri, & quàm necessaria hæc precatio vt Deus nos vias suas & semitas doceat. ᴹ Dauid non præsumit se ita omnia scire vt non habeat opus vt doceatur, quanquam insignis Propheta Domini: contra eos qui hodie dicunt, An ego ignoro quid sit credendum, quid faciendum? Quin recusant etiam preces fratrum pro acquirenda veritate: putant turpe esse si dicant se cupere veritatis cognitionē. Deinde videmus etiam hic quàm non cupiat facere quod sibi ipsi, sed quod Deo rectum videtur: contra bonæ intentionis defensores.

5 *Ambulare fac me per veritatem tuam, & doce me: quia tu es Deus salutis meæ: te expecto omni die.*

Ambulare fac me per veritatem tuam. [V] Duc (vel deduc) me in veritate tua vel, deduc me per fidelitatem tuam, aut per fidem tuã. id est, da vt credam te esse promissorum seruantem. *Doce me.* [C] Quòd inculcas sibi patefieri vias, séque doceri in illis & dirigi, non superuacuum est. Nam quum sensus nostros obtenebrent res aduersæ, quàm difficile sit in illa caligine discernere quid sequi oporteat, vnumquenque docet propria experientia. Quòd si Dauidi tam eximio Prophetæ tantáque luce intelligentiæ prædito hæc demonstratio necessaria fuit, quid nobis fiet, nisi Deus in afflictionibus nebulas discutiat, ne lucis suæ conspectum impediant? Sẽper igitur petendum, quoties aliqua tentatio nos perturbat, vt nobis prælucеat Dei veritas, ne peruersa cõsilia captãdo per flexuosas ambages vagemur. [a] Ouiculæ enim sumus ad errandũ nimiũ procliues, nisi summus ille ouium pastor verbi sui luce præcedat, & veluti gregem suum in veritate sua dirigat. *Quia tu es Deus salutis meæ.* [V] Seruator (vel saluator) meus. Notãda est hæc causæ redditio. Deum enim salutis suæ vocando, quæ iam ab eo perceperat beneficia, ad spẽ futuri temporis applicat: & ita argumentum sumit ab ipsius Dei natura & quasi à propriu officio: quia scilicet hac lege tuẽdam suscipit fidelium salutem, & eorum necessitatibus subuenit, vt eandem gratiam in finem vsque velit prosequi. [M] Non dicit Dauid, Quoniam ego iustus sum, tibi semper seruiui, totius diei laborẽ sustinui, velut illi in Euangelica parabola dicebant, Matth. 20. b. 12. Non obiicit quis ipse sit, & quid præstiterit, quidque promeruerit: sed magis quid Deus sit, quidque sibi ipsi de illo pollicitus, & qua fide in illũ sit. Nec caret emphasi pronomen Tu. q. d. Te vnum imploro: quoniam tu es Deus meus, Deus (inquam) salutis meæ: tũ quòd non sit alius Deus qui possit saluare præter te, tum etiã quòd tibi vni omnem salutem cõcredidi. *Te expecto omni die.* [C] Quia huic tantæ Dei bonitati necesse est vt respondeat nostra fiducia, hanc quoque profert Dauid vnà cum perseuerantiæ testimonio. Nam per totum diem (vel omnes dies) significat se infatigabili constantia pependisse ab vno Deo. Atque hoc fidei proprium est, inter summas anxietates respicere in Deum, & quasi tacita quiete in promissum eius auxilium recumbere. [M] Solet autem fidem nostram moruia aliqua exercere, vt robustior reddatur. Multi facilè incipiunt, sed statim decidũt. sed qui perseuerauerit in finem vsque, saluus erit, inquit Christus, Matth. 10. c. 22, & 24. b. 13. Et Apostolus, Patientia vobis opus est, Heb. 10. g. 36. [C] Ceterùm vt memoria beneficiorum Dei spem nostram foueat ac sustineat, reputare discamus qualem se iam nobis exhibuerit: sicuti Dauid hanc sibi fulturam statuit, quòd Deum expertus sit salutis authorẽ. [F] Hæc fides est qua iustus viuit & saluatur ipsaque ἐρεισμα vnctio & sempiterna sanctorum consolatio.

6 *Reminiscere miserationum tuarum Iehoua, & misericordiarum tuarum, quia à seculo sunt.*

Reminiscere miserationum tuarum Iehoua. [V] Sanctis inter orandũ vt ab hostibus eos Dominus seruet, & vias suas doceat, (in quo solida sita fœlicitas est) iure occurrunt ipsorum peccata & scelera. Horum ergo, simulatque in mentem veniũt, veniam precantur, séque ipsos, non Deum, (etsi ad Deum sermonem dirigant) misericordiæ Dei & benignitatis (ex qua nimirũ sola spes vitæ constat) admonẽt. Hoc in Dauide cernere licet, quem cõstat fuisse grauiter afflictum, vt omni fere misericordiæ gustu priuatus foret. perinde enim ad gratiæ suæ memoriam reuocat Deum ac si eius esset oblitus. Hæc igitur hominis non parum anxii & mœsti querimonia est. q. d. [E] Habe Domine non delictorum meorum rationem, sed miserationum tuarũ, quas pollicitus es. Cæterum hinc colligimus, etiamsi ad tempus subtrahat Deus omne bonitatis signũ, & ad mala nostra conniuens tãquam alienos deserat, fortiter tamen luctandum esse, donec ex hac tentatione ad votum quod audimus, animus noster perrũpat: nempe vt Deus quasi ad pristinam suam consuetudinem reuersus, clemẽtius nobiscum denuo agere incipiat. Neque enim hæc precandi forma locum habet, nisi vbi faciem suam à nobis abscondit, séque vlla nostri cura tangi dissimulat. *Et misericordiarum tuarum.* [A] Alii, Et bonitatum tuarum. Diuersis vocibus idem fere significantibus vtitur, ad ostendendum precationis ardorem: sicuti quum alibi dicit, Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam: secundum multitudinem miserationum tuarum dele transgressiones meas, Infrà, 51. a. 1. [C] Porro Dauid ad miserationes & bonitates cõfugiẽs, nihil se de suis meritis spei præsumere testatus. Nam qui ex solo misericordiæ Dei fonte haurit, nihil in se reperit quod Deum ad remunerationem obstringat. *Quia à seculo sunt.* [V] Id est, quibus nunquã vti desiisti, vel, quia semper fuisti misericors. [C] Quoniã aditũ ad misericordiæ Dei fontẽ claudebat interruptio, Dauid optimo remedio hoc obstaculũ superat: quòd scilicet Deus, qui natura misericors est, quamuis ad tẽpus suspẽdat manũ suã, non tamen vel seipsum abneget, vel ingenitum sibi misericordiæ affectũ exuat, qui deficere nihilo magis potest quàm æterna eius essentia. [M] Quod ergo dicit tale est, Recordare Domine quàm perpetuò fueris misericors. quomodo à seculo misertus sis miseriæ mortalium, bonus fueris, clemens & propitius erga omnes inuocantes te. Nũquam te alium exhibuisti miseris mortalium rebus quàm summe misericordem. Nihil ergo nouũ est quòd misericordiam tuã imploro, & tu nihil facies insolẽs, nihil contra ingenium tuum, si mei quoque fueris misertus. [C] Hæc nobis doctrina tenenda est, Deum ab initio fuisse misericordem: vt siquando rigidus erga nos & inexorabilis appareat, non tamen sui dissimilem putemus, vel propositum mutasse. Atque hinc colligimus in quem vsum passim Scriptura referat eum omnibus seculis suos clementer respexisse. Fixum quippe hoc manere debet, quamuis Dei bonitas interdum lateat quasi sepulta, nunquam tamen extingui. [M] Admonemur ergo vt ex operibus misericordiarũ Dei, quibus sacra Scriptura abundat, istã fiduciæ nostræ confirmationem & in omnibus aduersis consolationem petamus. Nam hoc est quod & Paulus admonet, dicens, Quæcunque præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. a. 4.

7 *Peccatorum adolescentiæ meæ & præuaricationum mearum ne memineris: sed secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Iehoua.*

Peccatorum adolescentiæ meæ. [M] Iam diximus solenne esse ad Deum ex animo orantibus, opémque illius implorantibus, vt inter orandum peccatorum suorum admoneãtur. Nequit enim fieri vt animus verè cum Deo colloquens, qui summa est iustitia, propriæ iniustitiæ, interea dum illius ambit amicitiam & beneuolentiam, non admoneatur: vt non illi mox occurrant quæ contra eum deliquit. Quemadmodum enim si implores amici cuiusdam opem, in quem plerasque deliqueris, fieri non poterit vt non occurrat quid & quomodo aduersus illum peccaris: vt opus habeas mox veniam illorum & altissimam obliuionẽ precari, sicuti in fratribus Ioseph videmus, Gen. 50. c. 15. Ita & hoc loco vsuuenit Dauidi. [C] Nam quia optimè sciebat peccata nostra maceriam opponere inter nos & Deum, ne exaudiat vota nostra, vel manum ad nos iuuandos extendat: hoc impedimentum nũc tollit. Verum quidem est in genere, præposterè & frustra orare homines, nisi à peccatorum remissione exordium faciant. Nulla enim spes obtinẽdæ gratiæ nisi Deo propitio. quomodo autem nos amabit, nisi prius gratis sibi reconciliet? Hic ergo (vt diximus) legitimus est orãdi ordo, primo accessu petere vt peccata nobis condonet. Sed disertè hic confessus est Dauid, se non aliter quàm abolitis peccatis fore gratiæ Dei participem. Ergo vt suæ bonitatis memor sit Deus, eum peccata nostra obliuisci necesse est, quorum conspectus fauorẽ eius à nobis auertit. Iam verò apertius confirmat quod prius diximus, quamuis iniustè in eum sæuirent improbi, se tamen acceptũ ferre peccatis suis quicquid patiebatur. Quorsum enim ad Dei misericordiam confugiens peccatis suis veniam dari posceret, nisi quia meritas se pœnas dare agnoscit? Prudẽter ergo animũ conuertit ad primam mali causam, vt verum remedium inueniat: atque ita suo exemplo nos docet, quũ vrget nos externa aliqua afflictio, non modò rogandum esse Deum vt nos ab ea eripiat, sed vt peccata nostra deleat, quibus & iram eius & flagella prouocauimus. Alioqui imitabimur malos medicos, qui neglectis morborum causis, dolorem tantùm leniunt, & aduentitia tantùm fomenta adhibent ad curationem. [M] Sed quid est quòd nominatim meminit Dauid delictorum & trãsgressionum iuuentutis? An præterea non peccauit amplius? aut nullius momenti facit delicta senectutis, quum illa videãtur maiore pœna digna esse? Quidam putant ista dici per extenuationẽ, quasi facilè veniã mereantur quæ in iuuentute cõmissa sunt, vbi minus est sapientiæ & plus ardoris & impetus ad malum. [C] Verùm non ideo quæ adolescens peccata commisit hoc loco commemorat, quasi nullius recentis culpæ sibi sit cõscius, sed quò maiori se reatu obstringat: nec solummodo leuia delicta fatetur: (vt solent hypocritæ, qui defunctoriè vno verbo reatum fatentes, vel effugiã quærũt, vel extenuãt culpæ grauitatẽ) sed repetit ab ipsa pueritia quot modis irã Dei in se cõcitauerit. Atque ita se nõ cœpisse nuper reputans, sed pridem peccata peccatis cumulasse, sub ipsa cõgerie quodammodo se incuruat. Deinde, si Deus summo iure agere velit, non hesterna modò vel paucorum dierum delicta in iudicium ventura significat: sed quicquid à puero deliquit, posse nunc meritò imputari. [M] Habet enim hoc in se iuuentus, vt sit ad malum prona. vnde plerũque ætas illa, vt lubrica, vitiis abundat, dum cæca carnis sequitur libidinẽ. Sequens verò ætas lucem quãdam affert, vnde agnoscatur quid in priori sit gestum: vt tunc primùm incipiamus agnoscere & deteg-

tis suis reputet, semper rogandus est vt paterna indulgentia infirmitates nostras toleret: quia sine gratuita remissione peccatorum nulla operum retributio speranda est. *Iniquitati meæ.* [M]Quòd in singulari dicit, aut loquitur de ipso fonte peccatorũ, deprauata videlicet natura, aut intelligit præcipuũ aliquod peccatum & enorme, quo præ cæteris angebatur aliquando obnixius. [E] Et, quò certius exprimat totum se à mera Dei gratia pendere, disertè ponit, Propter nomen tuum, significãs, Deũ, quoties ignoscit suis, non aliunde causam sumere quàm à seipso: sicuti versu septimo dixit eodem sensu, Propter bonitatem tuã. [M] Et hoc peculiare est illi, sicuti videre est suprà, 23.a.3, & infrà, 31.a.4. Nã hoc adminiculo sustẽtandæ fiduciæ omnium cõmodissimo vtitur. [C] Quanquam ipsa culpæ magnitudine coactus fuit ad implorandum Dei auxilium: quia mox sequitur confessio, *Quoniam multa est.* Vel magna: (vtroque enim modo verti potest nomen רב) acsi dixisset. Magno quidẽ onere me premũt peccata, vt ipsa magnitudo vel grauitas spem veniæ præcidere mihi queat: sed pluris est immẽsa tui nominis gloria Domine, quàm vt me repudies. [M] Huiusmodi cõfessio magnitudinis peccati magis valeret in hoc seculo ad impediẽdam veniam quàm ad impetrãdam: sed apud Deum, qui benignus est & fidelis, plurimũ valet. Nam his verbis nihil aliud dicit Dauid, neque aliud apud Deum sonat quod dicit, Parce iniquitati meæ, quoniam multa est, quàm si ægrotus dicat ad medicum, Sana me, quoniã vehementer ægrotus sum. Nos verò magis in hoc sumus vt peccata nostra aut negemus, aut certè extenuemus.

12 *Quis est vir timens Iehouam? docebit eum viam quã eligat.*

Quis est vir timens Iehouam. [A] Exclamationem habet hic versus natam ex cõsideratione eius quòd mera bonitas & fides Dei in nos est (eóque certa nostra fœlicitas) quicquid Deus nobis præcipit, si id obseruemus. [C] Hoc enim perpendens Dauid, atque iterũ secum meditans qualem se Deus seruis suis exhibeat, nouum vigorem colligit. Diximus enim nihil magis esse procliue quàm vt flaccescat precandi attentio, nisi promissionum Dei recordatio eam sustentet. Interea dubium non est quin se partim accuset Dauid, partim verò meliore spe concepta ad Dei timorem hortetur. Primùm enim significans ideo recta intelligentia sanóque iudicio destitui homines, quia Deo se cum reuerentia & timore regendos non offerũt, suæ socordiæ imputat quòd obtenebrata mẽte post suas cupiditates vagatus sit. rursum verò, si Deo se addicat, & docilem præbeat, Spiritum sanctum sibi viæ ducem promittit. [S] Dicit ergo, Quis est vir timẽs Iehouam? q. d. Quisnam ille vir? quàm fœlix quàm beatus est qui Iehouam timet, & studiosè colit, in viis eius gradiens! Ita alibi dicit, Beatus vir ille qui timet Dominum, Infrà, 112.a.1. Videtur etiam hæc interrogatio notare illorum paucitatem qui Deum timẽt. Nam etsi promiscuè omnes orant, & præ se ferũt aliquod pietatis studiũ, quotus quisque se penitus excutit? imò suo torpori indulgent fere omnes. Itaque rarissimus est Dei timor, quo fit vt Spiritu consilii & prudentiæ mundus vt plurimum priuetur. *Docebit eum viam quam eligat.* Quidam verbũ hoc in futurum tempus resoluũt, acsi dictum esset, Deum monstrare viam quam ipse probat, & per quam vult homines incedere. sed rectius alii electionem hanc ad vnumquẽque referũt: acsi dictum esset, modò nos ad Dei timorem simus compositi, ipsum nõ defore suo officio, quin Spiritu prudẽtiæ ad viam eligendam nos dirigat. Nam quũ nobis instituenda est vitæ ratio, velut in biuio stamus, imò in singulis fere actionibus hæremus suspẽsi ac perplexi, nisi Deus nobis ad viã mõstrandam occurrat. Dicit ergo Dauid, quãuis nesciãt homines quid sit rectũ, & quid ipsos eligere oporteat, modò tamẽ pia docilitate se ad Deũ sequendum accingãt, illum semper certũ ac fidum ducem fore. Porro quia hic timor Dei nõ est nobis ingenitus, temere hinc quispiam ratiocinetur Deum cessare, donec sua præparatione se insinuent homines in eius gratiam, vt rectos eorum conatus adiuuet. Nam de prima hac gratia cõcionatus est Dauid, quòd Deus transgressores doceat: nunc verò secundam addit, quòd regendos suscipiat qui iam domiti sunt ac mansuefacti, vt præeunte Spiritus luce teneãt quid facto opus sit. [A] Vnde colligere possumus hominem nec benè à se incipere, nec progredi posse. Deus enim est qui in eis operatur velle & perficere, pro bona voluntate, Philip.2.b.13.

13 *Anima eius in bono commorabitur, & semen eius hereditate accipiet terram.*

Anima eius in bono commorabitur. [V] Pernoctabit, conquiescet. id est, summa lætitia perfruetur. [A] Verbum quo vtitur Vates, pernoctare alicubi significat. ita eo vsus est seruus Abrahæ, quũ diceret ad puellam Rebeccah, Estne domui patris tui locus nobis לין, (Gen.24.c.23.) id est ad pernoctandum, vbi noctem agamus? Sed hinc ad quietam immorationem non noctis solùm, sed perpetuam, vox traducta est: vt alibi, Habitans in abdito altissimi, in vmbra omnipotentis habitabit, seu quietem aget, Infrà, 91.a.1. Et iterum, Auris auscultans admonitioni vitæ, inter sapientes morabitur, Prouerb.15.d.31. hoc est, fixam sedem habebit. Iã in bono morari quietẽmve agere, quid aliud est quam pro voto bonis perfrui? [C] Et si summa est hominis fœlicitas nihil aggredi vel tentare nisi authore Deo, summum quoque & incomparabile beneficium est illum habere vitæ ducem, ne vnquam aberremus: sed adiungitur accessionis vice terrena benedictio, in qua prioris gratiæ fructus palam apparet: sicuti etiam docet Paulus, pietati non solùm æternam salutem, sed quæ ad præsentẽ vitam spectant, etiam promitti, 1.Timoth.4.c.8. Summa est, veros Dei cultores non spiritualiter modò beatos esse, sed ab eo quoque benedici quoad præsentis vitæ statum. [M] Quis autem ille est qui non cupit dies bonos, vitam bonam, animũ hilarem, & fœlicem rerum suarum successum? Nemo certè est qui non hæc omnia auidè percupiat. Colat ergo quisque Dominum, agnoscat eius voluntatem, illum solum ducem sequatur: & conquiescet in bono anima eius. hoc est, prosperè ac fœliciter aget. [C] Verum quidem est non semper ex animi voto fideles tractari, nec certo & æquabili modo fluere quas optarent commoditates: imò sæpe quum impii deliciantur, molestiis & ærumnis vexari eos contingit. sed sciendum est, quoties suam benedictionem Deus subducit, eos expergefieri, vt se procul adhuc à perfecto Dei timore distare sentiant. Interea tamen quatenus expedit, sic fruuntur Dei beneficiis, vt præ hominibus profanis & Dei contemptoribus verè sint fœlices: quia in extrema inopia Deum tamen sibi esse præsentẽ persuasi, in hoc tuto cõsolationis portu quiescũt. Hoc certè verissimum est, ex vno fonte oriri omnes nostras miserias, quia cursum benedictionis Dei nostris peccatis abrumpimus: & tamen eius gratiã in hac tam confusa perturbatione lucere, vt sanctorum conditio melior sit: quia etiamsi bonis non saturãtur, paternum Dei fauorem assiduè gustant. Atque huc libenter referimus animæ nomen, quod scilicet in percipiendis Dei donis non sint insipidi: vt ad eos placãdos longè plus valeat mediocritas quàm impiis satisfaciat summa abundantia. Ergo sua vt quisque sorte intus contentus est, & cum hilaritate patientiam & quietem colit, eius anima dicitur habitare in bono. [S] Quòd Iudæi & alii quidam interpretantur hũc versum de quiete post mortem, argutum magis est quàm firmum. [B] Potius enim Vates de terrenæ vitæ statu loquitur. Deinde amplificandi causa secundo loco addit, *Et semen eius hæreditate accipiet terram.* Q. d. Deus suos cultores perpetuo suo fauore prosequetur. [M] Nam semen eorum prosperè habebit. [C] Hinc verò colligimus mortem seruis Dei non esse interitum, nec extingui dum migrant ex hoc mundo, sed manere superstites. Absurdum enim esset, Deum vita priuare in quorum gratiam aliis benefacit. Quatenus autẽ terræ hæreditas ad filios sanctorum perueniat, tum alibi dictũ fuit, tum fusius videbimus infrà, 37.f.29. Hoc autem loco Dauid obiter ostendere voluit timentem Deum potiturum beneficio fœderis diuini, habiturum Deum protectorem & beneficum etiam in præsenti vita. Q.d. Verè beatus est qui Dominũ timet & colit. Nam non solùm ipse bene habebit & beatè, sed & posteri eius quieta possessione terram hanc fœlicem diuino munere firma possessione habitabunt. Hinc verò colligimus non vulgare esse Dei beneficium, probi ac pii parentis esse filiũ. Potens, inquit, in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur, Infrà, 112.a.2. Et alibi, Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem, Infra, 37.e.25. Sed videndum vt posteri etiam iustorũ maiorum suorũ vestigia sequantur. [S] Quod enim hic dicitur, non de degenerante posteritate intelligendum est, sed maiorum suorum fidem & mores referente.

14 *Secretum Iehouæ timentibus eum, & pactum eius ut scire faciat eos.*

Secretum Iehouæ timentibus eum. [V] Sub. reuelatur, vel reuelari solet. [C] Confirmat his verbis quod nuper dixerat, Deum omnibus piis doctorem & magistrum fore, versu 12. [M] Q.d. Nemini secretum Domini, voluntas illius & ratio fœderis ipsius communicatur, nisi timentibus ipsum. Est autem præcipuæ amicitiæ signum reuelatio secreti. Hinc & Christus, Seruus, inquit, nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis, Iohan. 15.c.15. *Et pactum eius ut scire faciat eos.* [V] Ordo inuersus, pro, Vt notum faciat iis pactũ siue fœdus suum. [C] Idem bis (suo more) repetit hoc versu. Neque enim aliud est fœdus Dei quàm secretũ vel cõsilium. Sed nomine secreti doctrinæ excellentiam cõmendat, quæ nobis proposita est in Lege Dei. Vtcunque enim alto fastu profani homines Mosen & Prophetas despiciant, agnoscunt tamen fideles in eorum doctrina sibi cælorum arcana patefieri, quæ humanæ sapientiæ modum longè superant. Itaque quisquis in Lege rite proficere cupit, reuerenter suscipiat quam continet doctrinam. [M] Commodè ergo Iudæos admonet Da-

uid multum sibi de fœdere Domini pollicentes, non pertinere illud nisi ad timentes & colentes Dominum: imò ne agnoscere quidem bonum diuoi fœderis nisi quos ipse faciat illud agnoscere. [e] Vnde etiam hic locus nos omnes ad modestiam & humilitatem inuitat, ne freti proprio ingenio, aut solertiæ nostræ coofisi, perrumpere tentemus ad mysteria, quorũ notitiam singulare esse Dei donum pronuntiat Dauid. Deinde quum timor Dei ingressus esse dicatur ad rectam iotelligẽtiam, (Infrà, 111.b. 10) quãtum quisque in fide crescere cupit, progressos etiam in Dei timore faciat. Cæterùm vbi viget pietas, periculum non est ne in Deo quærendo operam ludamus. Arcanum quidem est Dei fœdus, humano captu altius: sed quum Deus non frostra quæri velit, quicũque ad eius cultũ recto studio aspirant, Spiritus ductu peruenient ad cælestẽ sapientiam, quæ in eorũ salutẽ destinata est. [m] Vnde etiam admonemur, in causa fidei nostræ non esse expectandum vt rectè decernant & statuant in conciliis qui nihil adferunt nisi secularis eruditionis spumas, ad fundum secretorũ Dei haudquaquam penetrantes, sed in superficie literæ natantes: sed requiri timorem Dei, hoc est viros timentes Dei, quibus Dominus decreta soa reuelet. [c] Obliquè etiam literales discipulos Legis perstringit Dauid, qui falsò & inaniter fœderis Dei participes se iactabant. Etsi enim voce sua promiscuè alloquitur Deus bonos & malos, nisi tamen adsit sincerus affectus, surdis canit. quemadmodum dicit Propheta, impiis Legẽ esse similem clauso & obsignato libro, Esa.18.d.11. Itaque mirum non est puros Dei cultores, quibus arcanum suum reserat, à scelestis vel hypocritis discerni. Hac verò spe sibi proposita Dauid fidẽter ad Dei scholam accedens, & alios secum adducens, non obscurè ostendit detestabile esse eorum figmentum qui à Scripturæ non secus ac labyrinthi accessu totam plebem arcent: quasi verò non disertè ex quolibet ordine vocẽtur ad fœderis Dei notitiam quicunque eum ex corde timent.

15 *Oculi mei semper ad Iehouam: quoniam [spero quòd] ipse educet è reti pedes meos.*

Oculi mei semper ad Iehouam. [a] Sub. suspiciunt. Eò nanque vnde afflicti salutem expectamus, manus & oculos tendimus. De quo orantium gestu dicebat hic Vates, Domine mane exaudies vocem meã, mane disponã tibi, & speculabor, Suprà, 5.a.4. [c] Postquam ergo Dauid fœlicitatem timẽtium Dominum pariter & benignitatẽ ac veritatem Dei erga illos extulit, fidẽ suam eiúsque perseuerãtiam nõ iactantiæ causa hoc versu celebrat, sed vt impetrandi fiducia alacrior reddatur ad precandum. Nam quia omnibus qui in Deum respiciunt, data est promissio, spem eorũ nõ fore irritã, nec posse pudefieri, sæpe se hoc clypeo sancti muniunt. Interea suo exemplo legitimam precãdi rationem aliis præscribit, vt scilicet defixos contineant in Deo suos sensus. Nam oculorum nomine (quorum sensus acertimus est, & intũ hominem ad se rapit) omnes affectus notari rarum non est: [m] veluti quum dicitur, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, Infrà, 121.a.1. Et, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, Infrà, 120.a.1. Item, Defecerunt oculi mei suspicientes in excelsum, Esa.38.c.14. *Quoniam ipse educet è reti pedes meos.* [c] Hæc ratio spem desiderio esse coniunctã clarius ostendit: acsi dixisset se non dubitanter ac trepidè merorẽ suam conicere in auxilium Dei, sed quia persuasus est sibi fore liberatorem. Et pronomen Ipse emphaticum est: docet enim se non circunspectare hoc & illuc, (eorum more qui alternãdo varias sibi salutes confingunt) sed Deo vno contentum esse. Rectè verò per id à quo pedem suum eductum iri à Deo canit, quidam ex Iudæis intelligunt tendiculas peruersæ cupiditatis, quam Hebræi יצר רע (id est malum suggestorem vel prauum cordis figmentũ) vocant. Sed quia aduersitatum & afflictionum ab hostibus statim meminit, præstat hoc de hostium insidiis intelligere.

16 *Respice super me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum.*

Respice super me, & miserere mei. [m] Precatione Psalmũ concludit satis clara et manifesta: qua (vt videre est versu 19) cõmemorat se magnis tribulationibus & angustiis comprehensum esse, atque ideo opem Dei implorat. [c] Et quoniam nobis hoc dictat carnis sensus, Deum, nisi ab eo iuuemur, oblitũ nostri esse, ordinem sequitur Dauid quò nos ducit natura, rationẽ sui à Deo haberi petẽs, acsi antè neglectus foret. Sic autem resoluenda sunt verba, Respice ad me, vt miserearis mei. Causam enim salutis ponit Dei intuitum: cui deinde effectus subiicitur: quia simolac nos dignatus fuerit Deus sua cura, manus etiam ad auxilium ferẽdum parata erit. *Quia unicus & pauper sum.* Hic adflectendum Deum suam miseriam proponit, vocans se vnicum, hoc est solitarium, [a] cui scilicet nullus sit auxiliator, deinde pauperem. [a] q. d. Tibi soli relictus sum egenus & miser. [c] Nec verò dubium est quin ad promissiones alludat quibus pronuntiat Deus se miseris & desperatis præsto fore ad opem ferendam. [c] Interea hoc genere crucis suos Deus exercet, vt eos non solùm multis oppugnãdos obiiciat, sed amicorum etiam & proximorum ope & solatio destituat, solitudinéque simul affligat: [a] quò sola spe freti tandem agnoscant solius Domini salutem esse, beatósque omnes qui in eo fidunt.

17 *Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt: ab angustiis meis educ me.*

Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt. [v] Dilatauerunt, sub. se, vel locũ suum, siue cor meum. Id est, repleuerunt cor meum, & ita distenderũt illud. [c] Fatetur hoc versu non modò externũ sibi bellum esse cum hostibus & molestiis quas inferunt, sed intus etiam mœrere & angoribus se torqueri. [b] Q. d. Internæ tẽtationes meæ multæ sunt. [c] Nam loquutio qua vtitur, significat tantã esse curarum cõgeriem vt omnes cordis sui partes occupet, quemadmodum si violentæ aquæ longè latéque grassando regionem aliquam obruerẽt. *Ab angustiis meis educ me.* [b] Hoc est depulsis malis quæ me premunt, tu, qui solus potes, educ me ex coartationibus meis, vt cordi meo angustiato fiat spatiũ. Cæterùm quando totum cor Dauidis videmus anxietate fuisse possessum, non est quòd miremur si nos interdũ sua mole tẽtationes deiiciant: sed cum Dauide petamus vt nobis Deus quasi in desperationis articulo succurrat.

18 *Vide afflictionem meam & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.*

Vide afflictionem meam. [b] Vide deiectionem & angustiam animi mei: attẽde quod patior, vt liberes alioqui periturum. Querimoniis istas toties inculcãs, satis ostendit non leuibus se malis fuisse tentatum. quod sedulò notandum est, vt nobis, quum eodem exercebimur modo, suppetat ratio orandi. Tale enim speculum nobis Spiritus sanctus proponit, ne afflictionũ multitudini vel oneri mẽtes nostræ succũbant. *Et laborem meum.* [v] Et molestiam meam. [a] Intelligit hac voce omne genus afflictionis quibus premebatur. *Et parce omnibus peccatis meis.* [c] Vt malis suis leuationem obtineat, rursus petit remitti sibi peccata, sibi reuocãs in memoriam quod paulo antè attigerat, se non aliter sperare Deum sibi propitium, nisi gratuita venia reconciliatus esset. Et certè nimis stupidi sunt qui externa liberatione cõtenti, mala intestina non excutiunt, sed quantum in se est, cuperent perpetua obliuione sepulta esse. Ergo Dauid vt remediũ inueniat suis molestiis, à peccatorum remissione incipit: quia Deo irato & infesto omnia infœliciter nobis cedere necesse est: peccatis autem nostris meritò semper irascitur. Atque hæc regula tenenda est, quanuis ob diuersos fines Dominus suos cruce erudiat, quoties tamen affligimur, ad conscientiæ examen nos vocari, vt supplices reconciliationem cum Deo quæramus. Vide Hebr.12.b.4.

19 *Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.*

Vide inimicos meos. [v] Videre hîc pro cõsiderare sumitur. [b] q. d. Displiceat tibi hostium meorum sæuitia & crudelitas, qua me opprimere conantur. [c] Sancti se charos Deo, inuisos autem inimicos suos dubitare nõ possunt. Hinc in precationibus suis vt Deus et illos aspiciat, (hoc est declaret se videre) vt ipsorum tolerantiam, ita hostiũ improbitatem, ipsos liberando, illos perdẽdo, precantur. *Quoniam multiplicati sunt.* [b] Q. d. Euadere eos non possum. sum enim solus, ipsi verò multi. Sic alibi, Domine, quàm multiplicati sunt tribulãtes me! multi insurgẽtes aduersum me, Suprà, 3.a.1. [c] Expostulat autem de hostium suorũ copia et crudelitate, quia eo propensior est Deus ad suos iuuandos quo magis premũtur, & pro grauitate periculi potẽtius succurrit. *Et odio iniquo oderunt me.* Hoc est violento, tyrannico, sanguinario, vel iniusto & implacabili.

20 *Custodi animam meam, & erue me: ne confundar, quoniam speraui in te.*

Custodi animam meam. [a] Id est serua vitam meam. [c] Quia tantus erat hostium furor vt placari non posset nisi Dauidis morte, custodem vitæ suæ Deum aduocat. vnde colligitur extrema illa quam diximus necessitas. [a] Hucusque Deus suos permittit impus. Sed quamlibet altè malis sæpe sancti mergantur, semper tamen emergunt, quòd fiducia in Deum vinci malis non possit. *Ne confundar, quoniam speraui in te.* [c] Hæc particula duplicem sensum admittit. Quidam futurum tempus retinẽt, acsi statueret Dauid se iam exauditum esse, & in optato successu spei mercedem sibi promitteret. Rectius tamen sentire videntur qui legunt, Ne pudefiam: vt Dauid precationem suam continuet. Summa est, quando in Deum recumbit, ne eum spes de salute concepta frustretur. nullus enim ad serium precandi affectum efficacior stimulus quàm vbi testari licet in ipso nos confidere. Quo magis rogãdus est Deus vt spem nobis augeat, si exigua est, torpentem excitet, nutãtem stabiliat, debilem con

firmet, erigat etiam collapsam. [a] vt in aduersis constituti dicere possimus, [m] Libera nos Domine, adiuua nos, custodi nos, quoniam sperauimus in te, quoniam expectauimus te.

21 *Perfectio & rectitudo custodiant me, quoniam te expecto.*

Perfectio & rectitudo custodiant. [v] Integritas & æquitas, sinceritas & rectũ. [c] Quibusdam videtur simplex esse precatio, acsi Dauid se ab omni noxa immunem seruari postulet, quemadmodũ innoxiè se gessit, & abstinuit tã ab omni fraude quàm iniuria. Alii votum duplicant, vt sibi purum et integrum cordis affectũ donari petat, ne scillcet ad vindictã vel alia tuendæ vitæ suæ illicita media prosiliat. Ita sensus esset Domine, quãquam me caro ad quærenda quælibet subsidia solicitet, hostes etiam sua importunitate huc me impellant, cohibe tamen prauos in me affectus, vt me in pura & integra æquitate cõtineam, atque æquitas & rectitudo tanquã duæ optimæ salutis custodes mihi sufficiãt Prior tamen sensus melius quadrat: quia mox adiungit suæ integritatis testimoniũ, dicens, *Quoniam te expecto* Quisquis enim Deum expectat placido & mãsueto spiritu, quiduis potius perferet quàm vt sibi permittat iniustitia cũ hostibus certare. [v] A te, inquit, omnia expecto, & totus à te pẽdeo. [h] tibi ergo tempora liberationis commendo. [c] Itaque profitetur Dauid se ita rectè versatũ esse inter homines, vt ipsum hostes immeritò lacessant: & quia sibi optimè conscius est, Deũ implorat innocentiæ suæ vindicem. [a] Hunc sensum sequitur Chaldæus paraphrastes, qui sic reddidit, Sinceritas & rectitudo seruabũt me. Sed quum iam tribus locis Dauid cõfessus sit iure se castigari, mirũ videri possit quòd nũc de sua integritate gloriatur. Alibi iam soluta fuit hæc quæstio, vbi diximus, sanctos, quantũ ad se attinet, in Dei cõspectum semper cum veniæ deprecatione supplices prodire: hoc tamen nõ obstare quominus causæ suæ bonitatẽ corã Deo cõmemorent. Et tamẽ quòd se in Deo sperasse dicit, necessariò addi oportuit: quia vt nostri defensionẽ suscipiat Deus, nõ satis est ius & rectitudinem à parte nostra stare, nisi Dei promissionibus innixi sub eius patrocinio tutelâque quiescimus. Ita sæpe contingit vt strenuis & cordatis viris, dum ingenio suo freti, vel à fortuna pendentes, bonas causas defendunt, non tamen respondeat successus. Ergo vt Deus nostræ integritatis vindex sit & protector, primùm colenda est cum hostibus nostris iustitia & integritas: deinde committenda est Deo nostra salus. [a] Vide Suprà, 7.a.4.5.

22 *Redime Deus Israelem ex omnibus angustiis eius.*

Redime Deus Israelem. [a] Hæc plena fiduciæ precatiuncula, & nõ sine affectu, epiphonematos loco subiecta est, qua ostẽdit Dauid quale fuerit istud hostiũ genus de quibus cõquestus est. [c] Intestinos enim fuisse credibile est, qui Dei populo, quasi malum visceribus inclusum, molesti erant. Nam ex verbo Redimendi colligimus dura seruitute oppressam tunc fuisse Ecclesiam. Itaque dubium non est Saulem, & qui tyrannicè cum eo dominabatur, in hoc Psalmo perstringi. [a] Et quòd Israelem dixit, electionis & fœderis Dei sese admonuit: imò de eo gloriatus est, causámque cecinit cur Deus se & quotquot veri Israelitæ sunt derelinquere hostibus nequeat, sed sit tandẽ semel ab omnibus aduersis eos liberaturus. [c] Atque ita ostendit se non priuatim consulere suæ saluti, sed complecti communem totius populi statum: quemadmodum mutua inter sanctos societas postulat vt singuli publicis miseriis affecti, apud Deum vno consensu gemant. Hoc verò ad fidei confirmationem non parum valuit, quòd Dauid nihil se à toto fidelium corpore separatim habere cogitans, quas patiebatur iniurias, sibi cum omnibus piis duxit esse communes. sed illa etiam tenẽda ratio, vt dum sua quisque mala deplorat, simul etiam curas suas & vota extendat ad totam Ecclesiam. [a] Ergo Dauid cùm pro se tum toto populo precatus, animos sanctorum ad expectandam plenam ab omnibus malis redemptionem accendit.

ARGVMENTVM PSAL. XXVI.

[m] PSALMVS iste animũ repræsentat malorũ improbitate immeritò tentatũ & afflictum, & innocẽtiam suam cõfidenter iusto iudici Deo iudicãdam & vindicandã offerentẽ. [c] Et quoniã Dauidi certamen erat cũ hypocritis, ad iudicium Dei prouocat, odiosè eos perstringens, quòd falsò Dei nomen obtenderent. Tandem quasi voti compos sacrificum laudis pro liberatione promittit. [m] Apparet autem hunc Psalmum referendum esse inter eos qui tempus quo à facie Saulis proiectus erat, cõcernunt.

DAVIDIS, *Iudica me Iehoua: quoniam ego in perfectione mea ambulaui, & Iehouæ fisus sum, non nutabo.*

Dauidis. Iudica me Iehoua. [v] Iudicito pro me, [a] aut, fac pro me iudicium. [a] Quia Dauid nihil reperiebat æquitatis in hominibus, ad Dei iudicium confugit. Iudicare autem Hebræis dicitur qui causæ cognitionem suscipit. Perinde igitur est acsi Dauid appellet Deum iuris sui vindicem. Nam quum ad tempus nos hostium iniuriis & petulantiæ exponit, videtur causam nostram negligere: vbi verò cohibet hostes nostros, ne pro libidine grassentur ad nocendum, re ipsa demonstrat sibi curæ esse defensionem iuris nostri. Itaque discamus exemplo Dauidis, vbi destituimur hominũ præsidio, cõferre nos ad Dei tribunal, & in eius protectionẽ acquiescere. [a] Neque enim surdas habebit aures ad clamorem eorum a quibus in veritate fuerit inuocatus. *Quoniam ego in perfectione mea ambulaui.* [c] Hoc variè exponi solet. Quidam vno contextu legunt, Iudica me, quia ego in integritate mea ambulaui: alii verò ad posterius mẽbrum referunt, Quia ambulaui in mea integritate, ideo non nutabo. Non incõmodè ad vtrunque extẽdi potest. Nam quia proprium Dei munus est bonas causas asserere ac tueri, eum sibi patronum constituẽs, integritatis suæ & spei testem citat: vnde & fiduciam impetrãdæ concipit. acsi diceret, [a] Video Domine nullã haberi inter homines innocẽtiæ meæ rationem: nam vndique tanquã flagitiosus & omnium miserrimus malis premor. Quum igitur homines in causa mea cæcutiant, nec vt eam agnoscere velint, qui meam sinceritatem & integritatem optimè nosti, & tueri potes. [c] Si tamen disiungere placet, magis probabile videtur seorsum hanc sententiam legere, Iudica me Iehoua: deinde sequatur altera precatio, ne Deus nutare ipse permittat, quia se innoxiè & sincerè gessit. [a] Cæterùm de hac propriæ innocentiæ attestatione & iudicii diuini prouocatione diximus suprà, 7.b.9, & 17.a.3. [c] Notanda est etiam emphasis in pronomine possessiuo. Non enim simpliciter testatur Dauid se integrũ fuisse, sed constanter perrexisse in recto cursu, nec deiectũ fuisse à proposito, quãlibet violentis machinis impulsus fuerit. Scimus enim, vbi nos improbi inuadũt, si vi aut malis artibus nos obruant, quàm difficile sit eundẽ retinere animum. In eo enim ponimus spes victoriæ, si fortiter & strenuè arma armis & fraudes fraudibus opponimus. Atque hæc tẽtatio probos & moderatos homines vt plurimum percellit, qui alioqui rectè agendi studio tenemur, vt hostiũ importunitate coacti à via deflectãt. Itaque discamus, exemplo Dauidis, etiam quum datur nocendi occasio, & quum hostes variis modis nos lacessunt & solicitãt, firmi in gradu nostro manere, nec ab integritatis nostræ tenore sinamus nos vllo modo abduci. *Et Iehouæ fisus sum.* [a] Etsi Vates sinceritatis & integritatis studiosus erat, suam tamen fiduciam non tam in causæ suæ bonitate quàm in Dei benignitate collocauit. Addit, *Non nutabo.* Q.d. Fac vt licet vndique affligar, nunquã excidam à vera fide & spe quam in te habeo. [r] Solus bonitatis & misericordiæ tuæ respectus ita me fulciat vt nunquam à te deflectam.

2 *Proba me Iehoua, & tenta me: funde renes meos & cor meum.*

Proba me Iehoua, & tenta me. [v] Periculum facito de me. *Funde renes meos & cor meum.* Examina, excoque, explora. Metaphora à repurgatoribus auri & argenti sumpta. [c] Quo se magis indignè & præter meritum calumniis premi videbat Dauid, accensus fuit doloris vehementia vt intrepidè iustitiam suam assereret: nec tãtùm ab externis sceleribus se purgat, sed etiam de cordis sui rectitudine puróque affectu gloriatur. [m] Neque tamen putandũ est quòd præsumat se ferre posse iudicium Dei in causa totius vitæ suæ erga Deum: ([a] quum alibi dicat, Delicta quis intelligat? Suprà, 19.d.13. [m] Et, Non intres in iudicium cũ seruo tuo Domine, quoniã non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs, Infrà, 143.a.2.) [c] sed hic cũ hostibus suis tacitè se cõparat. Nã quia crassi erãt hypocritæ, superbè iactãtes Dei nomen, hãc eorũ impudentiam ac duritiam traducit corã Deo: [m] sicuti iam habuimus suprà, 7.a.5. [c] Declarat verò hæc cõtestatio quàm bene sibi cõscius fuerit, quũ audet Dei iudicio omnes animæ suæ recessus examini subiicere. Notãdum semper est, hostium improbitate fuisse coactũ vt se tam magnificè efferret. Nisi enim iniustè damnatus fuisset ab hominibus, suppliciter deprecatus fuisset tale examen: sicuti iam diximus. Sciebat enim rectè agendi studium, quo flagrabat, procul adhuc à summa perfectione abesse. Sed vbi se falsò grauari videt, hominum iniquitas eum animat, vt ad Dei tribunal accedere non dubitet. Cæterùm quia sciebat externam innocentiæ speciem illic non magni esse momenti, synceram cordis rectitudinẽ in medium profert. [a] Nam cor & renes pro intimis cogitationibus & affectib⁹ ponit: [a] sicuti Hebræi renum nomine quod maximè in hominibus reconditum est, notare solent. [a] Vide suprà, 7.c.10, & 16.b.7. Dauid ergo bene sibi conscius, totum se Deo examinãdum offert: non vt securi homines (vel potius stupidi) qui sibi blandientes, suis deliciis fucum se Deo facturos putant. Neque enim dubiũ est quin se probè & penitus excusserit antequam ita confidenter prodiret in conspectum Dei. Atque hoc in primis videndum est, si cupimus nos Deo probare, vt non modò abstinuerit ab iniuria qui iniustè læsus est, sed etiam perstiterit in recto affectu: [a] vt de conscientiæ integritate securè ac cõfidenter coram Deo, qui renes & corda nouit, gloriari possit.

3 *Quoniam misericordia tua coram oculis meis est, & ambulaui in ueritate tua.*

Quoniam misericordia tua coram. [M] Quia innocentiæ suæ causam agit, post imploratione iusti iudicis, vitæ suæ cursum & institutum declarat, taléque esse ostēdit in quod ea facinora, quæ sibi falsò imputabantur, cadere non potuerint. Commemorat enim qua fuerit semper pietate erga Deum, quàm ob oculos habuerit bonitatē Dei, quàm in veritate & fide Dei ambulauerit. [C]Potest tamen vno contextu hic versus legi, & diuidi in duo membra, licet eodem fere sensu. Si contexere vno tenore placeat, vtrunque verbū principale erit, hoc modo, Quia mihi bonitas tua, Domine, versata semper est ante oculos, & in fide tua quieui, prauas omnes cupiditates frænaui in animo meo, ne hostium malitia lacessitus, ad retaliandum impellerer. Ita in hoc versu esset causæ redditio. Probabilis etiam est altera expositio, Quia bonitas tua mihi ante oculos fuit, ambulaui in veritate quam præcipis. sed tunc superuacua esset copula: quod Hebræis satis vsitatum est, [A]sicuti iam vidimus sup. 25. c. 11. [C] Etsi autem affinis est hæc sententia priori, satius tamē est sequi quod à verbis minus remotum est. Quia enim rara & difficilis virtus est non tantùm se cohibere à maleficiis, vbi omnia huc prouocant, sed à cordis integritate non deflectere: declarat Propheta quomodo inter tam arduas tentationes prosequutus sit rectum cursum: nempe quia Dei bonitatem, qua suscitā suos coseruat, ob oculos sibi proposuit, ne ad peruersas artes declinans, illius patrocinio se priuaret: fidémque eius sequutus, animam suam in patientia possederit: quia certò persuasus erat fieri non posse vt Deus fideles suos deserat, qui in eum recumbūt. Et certè nisi Dei bonitate fretus, inter tot ac tam duros insultus pedem in colenda integritate non fixisset. Atque hoc inter Dei filios & profanos homines notabila discrimen est, quòd illi meliorem exitum à Domino sperantes, ab eius verbo pendent, neque inquietudine ad noxias artes feruntur: hi verò posteriores, qui antius bonas causas sustineant, quia tamen ignota est illis Dei prouidentia, rapiantur huc & illuc, illicita consilia capiant, confugiunt ad fraudes: denique nihil aliud habent propositum quàm malum malo vincere. Vnde etiam miseri & tristes, interdum etiam tragici exitus: quia posthabita Dei gratia, tantùm ad versutias & calliditates intenti sunt. Summa est, Dauidem in seruāda iustitia constantē fuisse, quia Deum sibi duce statuerat. [D]Nam testatur, ex bonitate fidéque Dei erga se sibi aonogisse quòd & ipse cum proximis ex bonitate & fide omnia ageret: ita vt quātum non solùm in aliorum hominum, sed & in sua ipsius conscientia erat, ne Dei quidem iudicium formidaret. *Et ambulaui in ueritate tua.* Priore loco mentionē facit bonitatis, deinde addit veritatē: quia nōnisi ex promissionib᷒ cognoscitur bonitas, quæ nos infracta animi magnitudine per omnes tentationes dirigat.

4 *Non sedi cum uiris mendacibus, & cum occultantibus se non introiui.*

Non sedi cum uiris mendacibus. [V] Non mansi, non habitaui, cum vanis & fallacibus viris. [M] Subiungit consequenter Dauid fugiēdorum malorum studium, quo semper præditi sunt illi qui veram erga Deum pietatem custodiunt, quàm scilicet semper horruerit malorum, noxiorum, subdolorum & impiorum commercia, quàm odio habuerit malignorum conspirationes & cœtus. [C] In summa, profitetur se longè dissimilem fuisse hostibus suis. Nam semper antithesis notanda est, quòd praui homines nocendo & lædendo probitatis studium ei nunquam excusserint. Posset etiam hic versus cum superiore coniungi tanquam sententiæ complementum, quòd Dauid confisus Dei gratia se ab impostoribus subduxerit. Sedendi autem & Ingrediendi verbis cōsilii participatio & operū societas notatur: sicuti dictū est suprà, 1. a. 1. Negat enim Dauid sibi cū vanis & fraudulētis hominibus fuisse quiquā cōmune. [M]Interea tacitè describit quales habuerit aulicos regum Saulis à Deo proiecti, quorum praua studia semper horruerit. Vocat enim eos מתי שוא viros vanos. Vani sunt non solùm vana meditantes, sed & qui quod dicuntur non præstant, nubes ac fontes sine aqua: vt si dicas regibus consiliarios imprudentes & stultos, Ecclesiæ pastores non pascentes, Episcopos cæcos, canes mutos. &c. Tales reuera viri vani sunt, id est nihil minus quàm quod dicuntur. [A] Ab huiusmodi viris vanis & nihili se semper alienum fuisse Propheta gloriatur. Et certè hoc optimū remediū est quod nos à consessu impiorum reuocet atque arceat, si oculos in Dei bonitatem defigimus: sicuti nunquā ad eorum vafritiē accedet qui in Dei fide ambulabit, eius prouidentiæ omnes euentus committens. *Et cum occultantibus se non ingrediar.* [V]Cum occultis, id est absconditis, latentibus, dissimulatoribus, versutis, quærentibus latebras. q. d. Cum fucatis non habui cōmercium. [C] Nam quos priore membro dicit homines vanitatis, eosdem נעלמים nunc vocat, hoc est tectos & fallaciis implicitos. Nam inde simulandi vanitas, quòd homines versuti aliud habēt in animo reconditum quàm lingua ostēdant. Hoc verò nomen ab עלם deduci absurdum est, nec ad rem pertinet eorum imposturas puerorum ludo conferri. Verum quidem est, quicunque fraudibus dediti sunt, subsannatores esse: sed quorsum tam coacta expositio, quum palam sit fontem monstrari vnde prodeunt mendacia & fraudes? Ita scitè fides, quæ in Dei promissiones intēta est, flexuosis omnibus & prauis consiliis opponitur, quibus nos inuoluit incredulitas, quoties Dei præsidio suum honorem non tribuimus. Docet enim suo exemplo Dauid, minimè timendum esse ne impiis in prædam nos exponat nostra simplicitas, vbi promittit Deus nos sub manu sua tutos fore. Sua quidem etiam filiis Dei prudentia est, sed quæ longè à carnis astutia differt. Sic enim duce & rectore Spiritu insidias præcauēt, vt tamen sibi ad nullā vafritiem habenas laxent. [A]Vanos igitur & subdolos hostes suos Dauid appellat. [M] Tales sunt qui simulata rerum gerendarum fide quæstum suum curant, etiam cum regni damno, idque titulo administrandi regni: & qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala verò corde profundo fouent & parturiunt. Et tales habet Ecclesia quoque hypocritas, qui pietatem in quæstum mutarunt, qui plorant ante aras, qui lupum ouilla veste tegunt, [A]qui Domino Iesu non seruiunt, sed suo ventri, Rom. 16. a. 18.

5 *Odi cœtum malignantium, & cum impiis non sedebo.*

Odi cœtum malignantium. [V]Ecclesiam noxiorum, sceleratorum. [B]Contestationem illam iterum repetit, quantopere scilicet ab impiis abhorreat. Prius negauit consuetudinem sibi cum illis fuisse: nunc apertius declarat, cum detestatione se fugisse illorum consortium: id enim exprimitur odii nomine. Verum quidem est passim odio haberi improbos: sed quotusquisque se ab illis subducit, ne illorum mores imitetur? Dauid vtrunque ponit, sibi fuisse exosos illorum cœtus, séque cum illis non cōmunicasse. vnde apparet, non tam cum personis quàm cum vitiis ei fuisse bellum. [C]Interea hostes suos מרעים, hoc est, malitiosos vocat. Hi sunt quibus studiū est malefaciendi, quemadmodum טובים illi sunt qui benefaciendo delectantur. *Et cum impiis non sedebo.* רשעים impii sunt, irrequieti, turbatores scelerati, quorum corda sunt instar maris perpetuò fluctuantis. [C] Aliam moderationem ponit Vates, se ita fugere improbos vt tamen eorum odio Ecclesiam Dei non deserat, neque se à societate diuinitus mandata abdicet. In hac autem parte non leuiter à multis peccatur, qui dum vident malos bonis permistos esse, pollui se contagione existimant, nisi protinus discessionem fecerint à toto grege. Iam olim Donatistas & antea Catharos ac Nouati discipulos ad noxia dissidia impulit hæc morositas: & nostro seculo Anabaptistæ eodem fastu diuortium à sanctis Ecclesiis fecerūt: quia videbant non purgatas esse omni sorde, sicuti optandum fuerat. Imò quum Donatistæ pertinacius verbis insisterent, ridiculos se fecerunt in actione quadam. Indictus erat conuentus ad sedandas discordias. Quum honoris causa sedere iussi essent à tribuno, stare se dixerunt, quia nefas esset cum improbis sedere. Tunc lepidè Augustinus excepit, Cur ergo ad nos intrare vobis religio non fuit? Verū que enim simul scriptum est, Ad malignos non ingrediar, &, Cum sceleratis non sedebo. Prudenter itaque Dauid zelum suū temperat, vt se ab impiis separans non tamen desinat templum frequentare, quoad postulat Dei mandatum & præscripta in Lege ratio. Certè dum cœtum improborum nominat, colligere licet nō exiguum fuisse eorum numerum. tunc igitur volitasse credibile est, quasi soli in populo Dei excellerent, atque etiam dominarētur. Hoc tamen non obstitit quominus Dauid ad sacrificia accederet. Publicè quidem curādum est ne tali flagitio inquinetur Ecclesia, priuatim etiam pro se quisque eniti debet ne remissio & indulgentia vitiorum morbos foueat: siquando tamen non viget ea seueritas, singulos fideles non impedit talis corruptio, quin piè & sanctè in Ecclesiæ societate maneant. [C]Interea notandum quid Dauidem retinuerit, nempe sacrorum participatio, [A]non humanarum ceremoniarum inanis superstitio. [B]Ergo videmus vt fugiendus sit bonis malorum conuictus, nimirum vt vitiorum vitetur & contagio & approbatio: & nihil illis tamen negetur quo à nobis iuuari possint, si nostra ope egeant.

6 *Laui in innocentia manus meas, & circundedi altare tuum Iehoua.*

Laui in innocentia manus meas. [V] Futurum Hebræum pro præt. aut præsenti. Laui siue lauare soleo in munditia. [C] Hic se in cōmuni sacrorum vsu à sceleratis separat, qui eundem profitebantur Dei cultum, séque magna pompa primos iactabant, acsi penes eos esset templi dominium. Quum igitur hoc Dauid cum hypocritis haberet commune quòd simul templum ingrediebantur, & altare circundarent: vt se probet verum Dei cultorē, non externis tantùm ceremoniis se defungi testatur, sed sincera pietate ad Deum colendum venire. Neque enim dubium est

quin ad solennē ablutionis ritum alludat, qui sub Lege in vsu fuit. Sed quum hypocritæ vera puritate neglecta tātùm in aqua munditiem quærerent, hic crassa eorum superstitio perstringitur. Volebat enim Deus symbolo illo homines suæ pollutionis admonitos ad pœnitentiam hortari. Adeo igitur externa lotio per se nihil profuit, vt hypocritas lōgius arceret à Dei accessu. Ideo plus sordium & fœditatis ab illis lauando contrahi arguit Propheta, vbi suam ablutionē in puritate fore pronuntiat, נקיון enim munditiem cuiuslibet rei significat, indéque ad innocentiam transfertur. Ita inane studium quo se fatigant hypocritæ, videmus rideri, vbi eorū lotionibus detrahitur puritas: [a] sicuti etiam Dominus per Prophetam ostendit, Esa. 1.c.11. [b] Fieri quoque potest vt ad ritum precantium Vates hic respexerit. Solent enim seriò precantes manus ad cælū tendere: quod qui absque innocentia vitæ totius fecerint, audiunt illud Prophetæ, Quum expāderitis manus vestras, tegam oculos meos: & quum preces cumulaueritis, non audiam: manus vestræ plenæ sunt sanguine, id est multo innoxio sanguine, quem fudistis, cōtaminatæ, Esa. 1.d.15. [a] Probabilius tamen est Dauidem allusisse ad frequentia veteris populi baptismata: sicuti iam dictum est. [c] Nos verò, exemplo Dauidis, vtcunque in Ecclesia emineant improbi, templáque occupent eorum turmæ, sic colamus externam professionem fidei, ne falsò obtendamus externa symbola veræ pietatis loco: deinde vt ab omni scelerum macula puri & vacui simus. *Et circundabo altare tuum Iehoua.* [b] Hebræi istud ad hostias referunt quibus Dauid altare Domini circundederit, & non abs re. Nam vt ardebat studio Dei ardentissimè, ita crebris id hostiis testari summa voluptate studebat. Et hinc obseruandum est, eos qui spiritalem Dei cultum verè sectantur, esse & in sacris ceremoniis religiosissimos, sed sic semper vt cuncta eò referāt ad quod illa instituta sunt, nempe vt totius vitæ integritas promoueatur. Cæterùm quia populo altare attingere non licebat, Circundandi verbo vsus est Dauid.

7 *Vt audire faciam vocem confessionis, & enarrem omnia mirabilia tua.*

Vt audire faciam vocem confessionis. [Y] Vt audire faciam (vel audi tam faciam) vocē laudis. Hebraismus, pro, palam te celebrem. [c] His verbis ostendit sacrificia se in legitimū vsum ac finem referre, a quo hypocritæ procul absunt. Quorsum enim pietatis exercitia instituerit Deus minimè tenent, atque etiam parui pendunt: quia satis est simulationis pompam vel spectrum Deo obtendere. Ergo Dauid spiritualem cultum à lusorio & ficto discernere volens, se ad celebrandum Dei nomen in templum venire affirmat. [i] Fuit autem nominis Dei prædicatio semper in omni sacro cœtu primaria: sicuti videre est suprà, 5.b.8, & 22.f.17. [c] Itaque synecdoche est in verbis Prophetæ: quia vnica tātùm species attingitur. Sacrificiis enim non tātùm mandata fuit gratiarum actio, sed etiam meditatio pœnitentiæ ac fidei. Sed quia vltimus finis est (vel saltē præcipuus respectus) vt cognitis Dei beneficiis celebretur eius bonitas, absurdum non fuit sub hac parte reliquas comprehendi. Sic etiam infrà, 50.c.14, omnibus externis ceremoniis opponitur vnicum laudis sacrificium, acsi in eo posita esset pietatis summa. Et alibi dicitur, Quid rependam Domino pro omnibus eius muneribus? Calicem salutum accipiam, & nomen Iehouæ inuocabo, infrà.116.b.12. [M] Discimus autem hoc loco quo affectu & studio erga Ecclesiam & domum Dei esse debeamus, quid item agendum sit in Ecclesia Dei. Illic enim nomen Dei palam celebrari oportet. Hoc studio quisquis fuerit, certè inter hæreticos haberi non poterit, etiamsi cum Dauide eiectus ex Ecclesia & excōmunicatus agat inter Philisthæos & Turcas. *Et enarrem omnia mirabilia tua.* [a] Quò melius illustret Dauid raram Dei potentiā, eiusque beneficia splēdidius extollat, vtitur mirabilium nomine: acsi diceret non vulgari modo se fuisse à Deo adiutum. Sic alibi, Celebrabo, inquit, Dominum in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, Suprà, 9.a.2.

8 *Iehoua, dilexi habitaculum domus tuæ, & locum habitaculi gloriæ tuæ.*

Iehoua, dilexi habitaculum domus tuæ. [M] Græca & vulgata Latina habent Decorem domus tuæ. Nam מעון quidam deducunt ab oculo, atque pulchritudinē vel aspectum vertunt. quod sequutus est Vetus interpres. sed quia vbique fere pro domicilio capitur, sequimur quod simplicius est. Confirmat autem Dauid hoc versu se non defunctoriè venire in templum, sed serio affectu. Nam profani homines, quāuis etiam ipsi veniāt ad sacros cœtus, latebras tamē hoc modo quærūt ad fugiēdum Dei conspectum: pii verò & integri homines non vanæ ostētationis causa frequentant templum: sed quia rectà aspirant ad quærendum Deum, libenter & cupidè quæ illic offert Deus adiumēta ad suū vsum accommodant, ac vtilitas ipsa desiderium & amorem in eorum cordibus accendit. [a] Et qui Deum ex animo colit, nusquam libentius est quàm vbi eundem colentes conueniunt, & apud quos cum fructu Dei laudes cantare queat. [c] Ostendit etiā hæc cōtestatio, Dauidem, quālibet alios fide præcelleret, veritū tamen fuisse ne vulgaribus istis rudimentis quæ Deus Ecclesiæ tradiderat, eum priuaret tyrannica hostium violentia. Nam se communi disciplina & ordine opus habere videns, de retinenda templi possessione soliciè cōtendit. Vnde colligimus quàm prauum sit eorum fastidium qui tanquam super vacua contemnunt pietatis exercitia, quibus ne ipse quidem Dauid carere potuit. Fuit quidem alia eius temporis ratio, fatemur, quū Lex adhuc instar pædagogi veterem populum seruiliter præ nobis regeret: hoc tamen nobis commune est quòd adminiculis opus habet fidei nostræ infirmitas. Quum verò in hunc vsum destināuerit nobis Deus tam sacramenta quàm totum Ecclesiæ ordinem, væ eorum superbiæ qui securè transuolant quæ videmus sanctis Dei seruis tanto in pretio fuisse. *Et locum habitaculi gloriæ tuæ.* Hebraismus, pro, Gloriosi. Vel significat tabernaculum vbi erat arca fœderis, quam vocat gloriam Dei, [a] sicuti. 1. Sam. 4.d.21. [a] Quòd enim sanctuarium domus Dei vocatur, & locus domicilii gloriæ eius, scimus quàm frequenter in Scriptura occurrant huiusmodi loquutiones ad testandam Dei præsentiam: non quòd Deus vel in templo habitaret, vel etiam animos suorum terrenis symbolis affixos tenere vellet: sed quia necesse fuit fideles de præsentiæ Dei virtute commonefieri, ne se putarent frustra eum quærere: sicuti iam alibi dictū fuit. Cæterùm vt inter nos habitet Dei gloria, viuam eius imaginem in verbo & sacramentis lucere oportet. Vnde sequitur, quæque censentur templa in Papatu, fœda potius esse Satanæ prostibula. [a] Nam quum Deus, qui spiritus est, in spiritu & veritate coli velit, illic non apparet nisi idolorū colluuies & inanis quidam verborum strepitus, quibus Dei maiestas summa contumelia afficitur.

9 *Ne congreges cum peccatoribus animam meam, & cum viris sanguinolentis vitam meam.*

Ne congreges cum peccatoribus animam. [Y] Ne colligas vel reponas, seponas. Id est, ne perdas me cum improbis, quum de ipsis sumes pœnas. [c] Postquam de sua innocentia testatus est, ad precationē redit, Deum vindicem implorās. Videri quidem primo intuitu posset absurda precatio, ne Deus iustum eodem exitio cum sceleratis inuoluat: sed Deus pro paterna indulgentia tam liberas expostulationes suis permittit, vt precando suas ipsi anxietates corrigant. Dauid enim hoc votum concipiens, sibi ante oculos posuit iustum Dei iudicium, vt solicitudine ac metu se eximeret: quia à Deo nihil magis alienum sit quàm promiscuè bonos reprobis miscere. Nam quū אסף Hebræis nūc colligere nunc perdere significet, hoc loco positum est pro congerere in aceruum, sicuti in confusa strage fieri solet. Talis fuit Abrahæ obiectio, Absit à te vt iustum interficias cum impio, sitque eadem conditio iusti & impii, Gen. 18.c.25. Sciamus ergo dictari à Spiritu sancto has precādi formas, vt certò persuasi sint fideles Deum nunc de cuiusque causa cognoscere, vt tandem æquum iudicium proferat. [b] Dauid igitur, sicuti nullum scelerum consortium habuit cum reprobis, & cum piis religioni cultuique Dei se totum dedidit, ita iure precatur ne se Deus cum sceleratis vltione sua colligens absumat & perdat. [M] Atque ita indicat sibi semper ob oculos esse quid maneat eorum studia qui impii & scelerati esse pergunt. Id quod & ipsum facit ad seruandum integritatis & innocentiæ studium. Admoneat hoc eos qui adhuc nonnihil commercii habent cum improbis, vt cedant & fugiant, soletúrque eos qui iam accesserunt, vt perdurent. Vide Malach. 3.d.14. *Et cum viris sanguinolentis vitam meam.* [c] Pro peccatoribus & sceleratis ponit nunc sanguinarios, amplificās quod dixerat. Etsi enim non ad cædes vsque prorumpunt multi improbi, se tamen temporis successu ad sæuitiam obdurant. Nec verò Satan quiescere eos sinit, quousque in cruenta facinora præcipitet. [b] Quare haud immeritò viri sanguinarii & crudeles dicuntur, qui perdere cupiunt quicunque eorum cupiditatibus obsistunt. Vide suprà, 5.b.7.

10 *In quorum manibus est prævaricatio, & dextera eorum plena est muneribus.*

In quorum manibus est prævaricatio. [Y] Breuis descriptio impiorū & virorum sanguinum. Vox זמה dolum significat versutū, peruersum cōsilium, fallaciam, calūniam: qua voce vsus est hic Vates, suprà, 10.a.2, & 17.a.3. [c] Hebræis propriè interior dolus est ac machinatio. sed hic non ineptè ad manus transfertur: quia exprimere voluit Dauid, impios, de quibus loquitur, non modò secum tacitè fraudes agitare, sed etiam manibus strenuè exequi quicquid malitiæ in animis cōcipiunt. Q.d. Semper iniquè agunt, semper fructificant morti, quicquid [a] moliuntur & faciunt, nihil quàm dolus est & prævaricatio. *Et dextera eorum plena est muneribus.* [b] Hoc est, Quæstum sectantur, non veritatem. [a] Vt auidissimi sunt munerum, quibus iudicia vendant, ita pluri-

ras iam acceperunt. Chaldæus reddidit, Sordidis muneribus. id etiam שחד significat. Vide suprà, 15. b. 5. [c] Porro hinc colligere licet non quoslibet è medio vulgo homines, sed proceres ipsos notari, in quos hoc genus corruptelæ cõpetit. Nã etsi mercede conduci possunt gregarii & sordidi homines, scimus tamẽ munera iudicibus & aliis proceribus, penes quos est potestas, offerri. Scimus etiam tunc pessimos homines rerum potitos esse: ãdeóque non esse mirum si queratur Dauid iis fuisse expositum nundinationi. Monemur autem hoc loco, fieri aliter non posse quin se ad iniquitatẽ prostituant qui muneribus delectãtur. Nec certè frustra pronuntiat Deus excæcari donis oculos prudentum, & peruerti iustorũ corda, Exo. 23. b. 8, & Deut. 16. d. 19. Vide etiam quid de munerum amatoribus dicat Propheta Esa. 1. f. 23, & 5. e. 23.

11 *At ego in perfectione mea ambulo: [propterea] redime me, & miserere mei.*

At ego in perfectione mea ambulo. [v] In synceritate mea, vel innocentia. [a] Professionem innocẽtiæ & religionis repetit: [c] in qua repetitione notanda est circunstantia quæ Dauidis iustitiam melius illustrat: quia scilicet inter tot tentationes constanter in via perrexit. Videbat plurimos muneribus repentè ditescere: vt hodie quicunque gubernacula tenent, breui tẽporis spatio accumulant magnã vim opum, extruunt sumptuosa palatia, prædia longè latéque extẽdunt. Quòd nullis illecebris ad æmulationẽ flexus fuit, documentum exhibuit raræ & heroicæ virtutis. Meritò igitur se affirmat, quamuis illos mundus beatos duceret, non fuisse à solita integritate abductum: vt inde pateat plus tribuisse prouidentiæ Dei quàm malis artibus. *Propterea redime me.* Q. d. Quando candidè & innocenter me gero, totusque abs te pẽdeo, redime me à malis quæ mihi intẽtant reprobi. te enim solum redẽptorem meum spero. [c] Hinc verò colligimus duris angustiis seruũ Dei tunc fuisse constrictum. [a] sicuti etiam variis modis exercitum fuisse sacra historia docet. *Et miserere mei.* [c] Notãdum hic est quòd Vates redemptionẽ quam petit, ex Dei gratia & misericordia, tanquam ex proprio fonte, deducit. causam verò, effectui suo subiicit prius vidimus. [v] Impii iustitiarii pro meritis cumulandis seruiunt Deo: iustus autem misericordiam tantùm precatur.

12 *Pes meus stetit in rectitudine: in cœtibus benedicam Iehouæ.*

Pes meus stetit in rectitudine. [v] In recto, hoc est in loco recto & plano, id est tuto. [c] Duobus modis exponi potest hic versus. Putant enim quidam Dauidem his verbis asserere quam inter homines æquitatem coluerat. sed rectius alii sentiunt celebrari Dei gratiã, simúlque gratitudinẽ promitti. Metaphoricè ergo dicit se fuisse seruatum incolumem. [v] Q. d. Affectus meus non fuit obliquus, vel à veritatis semita deflexus. [a] mihi perpetuò adfuit tuum præsidium, quo à malis hactenus seruatus sum. *In cœtibus benedicam Iehouæ.* [c] Quia Dauid sciebat se nonnisi Dei manu suffultum stetisse, ideo ad laudem & gratiarum actionem se accingit. Nec verò tãtùm dicit se priuatim fore beneficii memorem, sed publicos etiam conuentus testes fore. quia ad exẽplum interest, quam quisque expertus est Dei gratiam, palam celebrari. [v] Dicit igitur, Laudem tuam Domine in frequentia populi non tacebo, nec negabo nomen tuum. [a] Iterum ergo obseruandum quid præcipuè studeant verè sancti, quidve imprimis deceat cœtus sacros: nihil sanè prius quàm vt Dei bonitas rectè prædicetur & agnoscatur. In hac extollenda toto pectore cunctos decet incumbere Dei filios. hinc nanque fides amórque Dei & nascitur & alitur, qui fons est omnium virtutum: sed absque vita Deo digna nomen Dei potius vituperatur quàm prædicatur.

ARGVMENTVM PSAL. XXVII.

[a] PSALMVS iste vota & meditationes continet quibus se inter magna discrimina exercuerat Dauid. Nam gratiarum actio quam admiscet, compositum fuisse ostendit postquam liberatus fuerat Dauid. Et fieri potest vt quas diuersis meditationibus preces conceperat, simul commemores. [m] Itaque exemplum hic habemus animi à Deo pẽdentis, quomodo se in quouis periculo habeat, & qua potissimùm re sese soletur, &, ne desperet, sustentet. [c] Mira quoque Dauidis pietas in hoc relucet, quòd neque optauit in alium finem viuere quàm vt Deum coleret, neque vlla anxietate vel cura ab hoc proposito deflecti potuit.

DAVIDIS. *Iehoua lux mea, & salus mea: à quo timebo? Iehoua fortitudo vitæ meæ: à quo trepidabo?*

Dauidis. [a] Certũ est de insigni periculo hic Dauidem agere: an verò à Saule, vel exteris, aut denique ab Absalomo fuerit, nõ satis cõstat. quanquã quæ canit, non parũ illi discrimini quadrare videntur in quo erat, quũ persequente eum Absalomo exercitũ suum contra illum ordinasset ducibus Ioab, Abisai & Ithai Gethæo, ipse, ita cogentibus suis, in oppido Manahaim trans Iordanem euentus prælii expectans. de quo legimus 2. Sam. 18. a. 2. Siue autem de hoc siue de alio periculo oda hæc cõscripta sit, tribus primis versibus vt se in discrimine deprehensus animarit, & in spem bonam erexerit, in exemplum sanctis canit. [c] Sic autem accipi potest initium Psalmi, vt Dauid iam Dei misericordiam expertus, testimonium gratitudinis suæ edat. Probabilior tamẽ diuersa sentẽtia, quòd propositũ sibi cum grauibus tentationibus certamen videns, se præmuniat, ac fiduciæ materiam colligat: sicuti necesse est sanctos acriter secum luctari, vt dubitationibus, ad quas nimis propensa est caro, repulsis ac subactis, alacres & expediti ad orandum properent. Dauid ergo variis agitatus procellis, tandem seipsum colligit, & victricem aduersus curas quibus æstuauerat, vocem emittit, Deo propitio & fauente nihil esse metuendum. [a] Exhibet enim se tanquam iam secũ periculi magnitudinem in quo erat, considerantem: & statim consideratione Dei, in quo spem omnẽ collocauerat, quicquid in eo erat, fortissimè contemnentem, salutémque sibi securissimè pollicentem. [c] Huc etiam spectat verborum cõgeries, quòd Deum non modò lucem suam nominat, sed salutem quoque & vitæ suæ rupem, vel robur. *Iehoua,* inquit, *lux mea.* [a] Q. d. Etsi omnia mortis tenebras minentur, tutus tamen ero. Nam Iehoua, nocte mortis etiam ingruente, lux mea est & gaudium: vnde tuta erit omnis vita mea. [c] Hunc ergo quasi triplicem clypeum variis terroribus opponere voluit, qui ad eos excipiẽdos sufficeret. Lucis autẽ nomine iucunditatem & beatæ vitæ summam notari satis tritũ est. *Et salus mea.* Hoc est, qui me hactenus seruauit, & adhuc seruare potest. *A quo timebo?* Quis mihi nocere poterit, quum talem directorem & salutem habeam? [a] q. d. Vicinus est exercitus hostilis, imminent mihi qui vorare carnem meam moliuntur: sed quæ mihi occasio metuendi, quum ex Deo salus sit mihi promissa? Nam illi omnia mea curæ sunt: quẽ itaque metuam? *Iehoua fortitudo vitæ meæ.* [c] Expositionis causa adiungit salutem esse ac robur vitæ: quia scilicet Dei ope tutus sit, & immunis seruetur à mortis tenebris. Inde certè metus omnes oriri deprehendemus, quòd nimis chara sit nobis vita: eius verò non agnoscimus Deum custodem. Itaque nulla erit animis trãquillitas, donec persuasi erimus vitam nostram probè munitam esse: quia eam Dominus manu virtutéque sua tuetur. [a] Quare omnem in eum curam nostram reiiciamus: quia ipsi cura est de nobis, (1. Pet. 5. b. 7) & fidus est vitæ nostræ custos & protector. *A quo trepidabo?* [c] Hæc interrogatio & geminatio ostendit quantũ Dei præsidio tribuat Dauid, quum securè cunctis hostibus & noxiis insultat. Et certè non aliter Deo iustus defertur honor, nisi dum eius ope freti de certa salute gloriari audemus. Itaque Dauid quasi in trutina appẽdens quicquid potentiæ est in mundo & inferis, totum hoc pluma leuius esse ducit: quia vnus Deus longè præponderet. Discamus ergo tanti facere Dei virtutem ad nos seruandos, vt ad profligandos omnes metus præualeat. non quòd in hac carnis infirmitate à pauore semper intactæ sint fidelium mentes: sed quia statim recepto vigore, ex alta fiduciæ arce pericula omnia despicimus. Ideo trepidant qui nunquam gustarunt Dei gratiam: quia recũbere in ipsum nequeunt, quem sibi sæpe infensum concipiunt, vel saltem à se procul remotum. Verum vbi nobis ante oculos versantur Dei promissiones, eiusque gratiam offerunt, atrocem ei iniuriã facit nostra incredulitas, nisi imperterrito animo eũ omnibus nostris hostibus audemus opponere. Quũ ergo blandè nos ad se Deus inuitet, ac salutis nostræ fore præsidem affirmat, vbi eius promissiones amplexi sumus, (quia persuasi sumus eum esse veracem) simul eius potentiam in sublime extollere conuenit, vt animos nostros in sui admirationem capiat. Tenenda enim est ista comparatio, Quid ad Deum omnes creaturæ? Porro hanc fiduciã longius extendere conuenit, vt omnes conscientiæ formidines discutiat: sicuti Paulus de æterna salute disserens liberè exclamat, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. f. 31.

2 *Quum appropinquarent aduersum me maligni, ut ederent carnem meam, hostes mei & inimici mei, ipsi impegerunt, & ceciderunt.*

Quum appropinquarent aduersum me. [c] Cur hæc sententia reddatur in futuro tẽpore (sicuti faciunt nonnulli interpretes) nulla est ratio. Cæterùm, vt retineamus præteritũ tẽpus, quo vsus est Propheta, duplex tamen adhuc sensus esse potest, vel vt Dauid celebret quam Dei beneficio adeptus erat victoriam: vel referat qualiter se ad bene sperandum animauerit in ipsa tentatione, priora scilicet Dei beneficia secum reputãdo. quæ posterior expositio magis arridet. Summa autem huc redit, non esse cur dubitet in posterum Dauid de auxilio Dei, quod antè expertus fuerat: quia ad fidei confirmationem nihil magis valet quàm earum rerum recordatio in quibus Deus clarum tam gratiæ

quàm veritatis & potentiæ specimen nobis edidit. Itaque hunc versum & proximè sequentem simul connectimus. In hoc enim priore David in memoriam sibi reducit quas antè sub Dei auspiciis victorias tulerat. inde verò concludit, quibuscunque obsessos fuerit copiis, & quicquid machinentur hostes, se intrepidè staturum. [a] Quo exemplo docet nos, ex præteritis Dei beneficiis spem in posterum cõcipere, quum Deum habeamus propitium & fauentem, qui benefaciendo suis nunquam fatigatur. [c] קרב Appropinquare significat: sed hic refertur ad irruptionem quam fecerunt hostes Dauidis, quum eum vrgerent. Quod quidam Pugnare vertunt, frigidum est. *Maligni.* Vocat hostes suos peruersos vel malignos, tastandæ suæ Innocentiæ causa. *Vt ederent carnem meam.* Immanem inimicorum suorum truculentiam exprimit, eos ad vorandam carnem suam institisse referẽs. [b] q.d. Absque vlla misericordia nocere & perdere volebãt, sicut leo paratus ad prædam: vt dictum est suprà, 17.c.12. *Hostes mei & inimici mei, ipsi impegerunt.* [a] Diuersis verbis vtitur, innuens sibi negotium fuisse cum magna & crudeli hostium copia. Q.d. Etsi multi erant qui me totum opprimere conabantur, diuino tamen auxilio saluus hactenus euasi: illi verò non modò non præualuerunt mihi, sed miserè perierunt, & in foueam quam fecerant (vt alibi dicitur) ceciderunt, & omnino corruerunt.

3 *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si consurgat aduersum me prælium, in hoc ego fido.*

Si consistant aduersum me castra. [c] Infert (sicut diximus) ex sua experientia, quicquid acciderit aduersi, bene sperandum esse, nec de potentia Dei iam vsu perspecta dubitandum. Id quidem primo versu testatus erat: sed probatione interposita iterum repetit, [M] & irremissam confidentiam atque animi securitatem exprimit. [c] Castrorum & exercitus nomine cõplectitur Propheta quicquid formidabile est in mundo. acsi diceret, quamuis conspirent cuncti mortales in suam perniciem, se eorum vires parui pendere: quia superior sit Dei virtus, quam ipse à sua parte stare nouit. *Non timebit cor meum.* [b] Q.d. Si impiorum cohors me circumdederit vt perdat, non est quòd formidem. nam fiducia in Deum saluabor. [c] Porro se pronuntians securum fore, non prorsus à metu se eximit: (quod magis stupori tribuẽdum esset quàm virtuti) sed opponit fidei clypeum, ne obiectis terroribus cor suum succumbat. *Si consurgat aduersum me prælium, in hoc ego fido.* Particulam In hoc quidam trahunt ad sequẽtem versum, quòd se habitaturum in domo Dei confidat: sed potius ex superiori doctrina pendet. Tunc enim fructum suum opportuno tempore fides profert, quum in mediis periculis fortes & intrepidi stamus. Intelligit ergo David, quia Dei præsidio nititur, vbi ad rem ventum fuerit, spem suam inuictam fore. [a] q.d. Si negotium mihi facere perrexerint improbi, & aduersus me pugnare tentauerint, huic ego fido, hac re nitar, quòd scilicet Deus sit lux mea, salus mea, robur vitæ meæ, in hac re, inquam, fiduciam habebo.

4 *Vnum petij à Iehoua, hoc requiram, ut inhabitem in domo Iehouæ omnibus diebus uitæ meæ: ut uideam pulchritudinem Iehouæ, & quæram in templo eius.*

Vnum petii à Iehoua, hoc requiram. [M] Græca & vulgata Latina habent Vnam: quidam subaudiunt petitionem. sensus eòdem redit. [c] Sunt autem qui hoc ad vaticinium referunt de perpetuo regni statu, in quo non priuata modò Dauidis ipsius, sed totius populi fœlicitas sita erat. acsi diceret se tam singulari gratiæ testimonio contentum nihil aliud dies & noctes cogitasse. [a] Huius voti mentio fit in sacra historia, vbi David hæc inter cætera dixisse legitur, Nunc, ô Iehoua, oraculum quod de seruo tuo & de domo eius edidisti, firmum sit in sempiternũ, & fac quemadmodum loquutus es. Confirmetur & magnum fiat nomen tuum in sempiternum: vt dicatur, Iehoua sebaoth, Deus Israel, & domus serui tui Dauidis perstet coram te. Nam tu Deus auribus serui tui hoc insusurrasti, ædificaturum te illi domum. Hinc inuenit seruus tuus quod oret coram te, 2. Sam. 7. d. 15. [a] Sensus tamen simplicior esse videtur, quum patria extorris, vxore spoliatus, cognatis orbatus, cunctis denique opibus priuatus foret, se tamen horum desiderio non ita fuisse anxium, prout ipsum vrebat ac cruciabat hæc molestia quòd exularet à sanctuario Dei, & sacrorum vsu careret. Subest igitur in voce Vnum tacita antithesis, quia commodis omnibus posthabitis, intentus fuit David ad cultum Dei, vt minus acerbum esset domus suæ accessu quàm sanctuarii prohiberi. Vno igitur contextu hæc legenda sunt. *Vnum petii à Iehoua, hoc requiram.* Neque enim probabile est obscurum aliquod votum notari quod supprimat, quum apertè clamet qua maximè cura angeretur. [M] Ostendit ergo se præ omnibus bonis quibus liceat in hac vita frui, vnũ hoc extollere, si detur pacificè in domo Dei habitare. [a] Porro cur domum Dei sanctuarium vocet, rationem reddidimus suprà, 26.c.8. [c] Et quum dicit, Hoc persequar (siue hoc requiram) adiungit propositi constantiam, quòd non desinet has preces iterare. multos enim videmus magno impetu incitari, in quibus non modò successu temporis languescit ardor, sed momento fere extinguitur. Ergo in hoc voto se tota vita perseueraturum affirmans, hac nota ab hypocritis se discernit. [a] simulque pios omnes hortatur ad orationis perseuerantiam. ad quod etiam Dominus noster Iesus Christus proposita iudicis & viduæ parabola discipulos suos hortatus est, Luc. 18. a. 1. &c. [c] Videndum tamen est quænã ratio tantopere Dauidem stimulauerit. Poterat certè extra tẽplum Deum inuocare: quocunque etiam profugus migraret, secum ferebat eximiam Dei promissionem, vt externi ædificii conspectum morari non debuerit. videtur etiam crassum quiddã imaginari de ipso Deo, acsi eum ligno & lapidibus alliget. Verùm si prudenter expẽdimus verba, colligere prõptum erit altiò ipsum spectasse quàm ad præclaræ structuræ & quãlibet pretiosi ornatus conspectum. Nam quum addit, *Vt uideam pulchritudinem Iehouæ,* loquitur quidem de templi pulchritudine: sed eam non tam in oculari specie locat quàm in typo cælesti qui Mosi fuit propositus: sicuti dicitur, Vide vt omnia facias iuxta exemplar quod tibi in monte ostensum fuit, Exod. 25. d. 40. Quia igitur non ad hominis arbitrium composita fuit tẽpli forma, sed rerum spiritualium imago fuit, ad hunc finẽ oculos suos omnésque sensus direxit Propheta. Quo magis detestabilis est eorum vesania qui locũ hunc ad picturas & idola detorquent: quæ adeo inter tẽplorum decora numerari non merentur, vt potius stercora sint & spurcitiæ quæ totam sacrorum puritatem inquinent. [a] Qua de re nonnihil iam diximus suprà, 16.b.8. [c] Videndũ nunc an similiter affecti esse debeant fideles sub Christo. Etsi autem fatemur longè nos à Patribus differre, quatenus tamen suos adhuc sub aliquo externo ordine continet, terrenísque rudimentis ad se deducit, manere adhuc tẽplis suum decorem, qui affectus votáque fidelium meritò ad se rapere debeat. Nam verbum, sacramenta, preces publicæ, aliàque eius generis adminicula reiici nequeunt absque impio Dei contẽptu, qui illic velut in speculo vel imagine se nobis repræsentat. *Et quæram in templo eius.* [v] Et vt inuestigẽ, & vt scruter, sub. promissiones eius, & similia. Alii, Et lustrem templum eius.

5 *Quia abscondet me in tabernaculo [suo] in die mala abscondet me in abscondito [loco] tabernaculi sui, in petram exaltabit me.*

Quia abscondet me in tabernaculo. [M] Tutabitur me, proteget me, defendet me, conseruabit me suo adiutorio. [c] Promittit sibi nõ fore irritã suam precationẽ. Quamuis enim ad tempus visibili sanctuario careat, non tamen dubitat, vbicunque sit, Dei manu se protectum iri. Alludit autem ad templum, quod fidelibus erat symbolum præsentiæ Dei. acsi diceret, in concipiendo voto quod retulit, se minimè lusisse operam: quia quisquis Deum verè & sincero animo quærit, tutus latebit sub vmbra præsidii eius. Ita non inanẽ templi figurã esse testatur: quia illic alas suas quodammodo expãdit Deus, vt fideles sub tutelam suam colligat. *In die mala.* [v] In die aduersitatis. *Et abscondet me in abscondito loco.* [a] Q.d. Hæc mea fiducia, quòd quæ promisit mihi Dominus, præstabit. scio enim quòd abscõdet me in die malo (quã maximè desæuient contra me hostes) velut in tabernaculo suo, in latibulo tentorii sui, quò nullus illorum peruenire poterit, in rupem omni vi humanæ inaccessam extollet. Hoc est, Non minus tutũ me seruabit quàm is esse possit quẽ rex in suum tabernaculum recipiat, quò nemini nisi regi summè morigero adire permittitur: aut qui in rupem celsam euectus sit, ad quam hostes prorsus cõscendere nequeant. *In petram exaltabit me.* [v] In rupem extollet me, in locum editum, tutum & inaccessum statuet me. [c] Cõcludit, quia nihil magis in votis habet quàm sub istas alas confugere, temporibus aduersis paratum sibi fore asylum in protectione Dei, quod rupis similitudine inexpugnabile esse dicit. solebant enim arces olim munitionis causa in locis excelsis extrui. Quanquam autem nunc vndique cingatur ab hostibus, se tamen superiorem fore gloriatur. Loquutio quidem trita est in Scripturis, qui mœrore oppressi sunt, curuos incedere ac demisso vultu: contrà autem, reddita lætitia caput attollere. Sic David dicebat, Tu Domine scutum pro me, gloria mea, & exaltans caput meum, Suprà, 3.a.4. Sed quia hic obsidio ab altera parte ponitur, exprimere voluit se in illo Dei receptu sublimem fore, vt securè tela hostium despiciat, quibus alioqui fuisset cõfossus. Quòd verò in tales angustias redactus quæ propinquam mortem minitabantur, se victorem fore confidit, insigne fidei suæ specimen præbet: quo docemur non metiri Dei auxilium externa specie vel externo modo: sed media quoque in morte salutem sperare ex victrici eius manu.

6 *Et nunc exaltabitur caput meum super inimicos meos, in circuitibus meis, & sacrificabo in tabernaculo eius sacrificia vociferationis: cantabo & canam Iehouæ.*

Et nunc exaltabitur caput meum. [v] Et mox extollet caput meum, vel exaltabit. [a] hoc est, victorem & superiorem me reddet: sicuti præcedenti versu expositum est. *In circuitibus meis.* [v] Id est, qui circũ me sunt. *Et sacrificabo in tabernaculo eius.* [c] Votum gratiarum actionis nuncupans, postquam è discrimine ereptus fuerit, se iterum in spe liberationis confirmat. Scimus fideles solenni ritu, vbi aliquod memorabile Dei beneficium experti erant, vota soluisse sub Lege. Hic ergo Dauid in suo exilio, vbi prohibebatur à templi accessu, se iterũ ad altare venturum gloriatur, vt Deo laudem sacrificet. *Sacrificia vociferationis.* [v] Iubilationis. id est, quæ cum clangore tubæ & summa iubilatione fiunt. [b] Nam ad holocausta & pacifica clangebatur, ex Lege, buccinis: vt legimus Num. 10. a. 1. Eaeũ verò sonus תרועה vocatur Hebræis. Dauid prætereà nabla, citharas & cymbala adiunxit: sicuti legimus 1. Paralip. 16. a. 5. *Cantabo & canam Iehouæ.* [a] Hoc est, gratias illi agã, [z] & cum gaudio prædicabo eius beneficia, & ad id alios adhortabor. Videtur etiam Dauid sacrã iubilationem & cantica, quibus se Deo gratias acturum profitetur, tacitè opponere profanis mundi triumphis. [a] Vide quomodo fideles sub Christo in huiusmodi exercitiis spiritualib' seipsos excitare debent, Ephes. 5. d. 19.

7 *Audi Iehoua vocem meam [qua] clamo: & miserere mei, & exaudi me.*

Audi Iehoua vocem meam qua clamo. [v] Quum clamauero. [m] Addit, pro suo more, & precationem, [a] quam ad versum vsque 13 continuat. [c] Recitat autem quibus armis instructus fuerit ad eluctandas tentationes: [m] simulque ostendit se ista fiducia esse, & hanc expectare non tanquam ex merito vel debito, sed ex gratuita Dei bonitate, atque ideo precibus ambiendã. [c] Clamandi verbo vehementiam notat, (vt alibi diximus) quò Deum ad opẽ ferendam citius flectat. *Et miserere mei, & exaudi me.* [z] Gratiam præsta, & postulata cõcede. [m] Orat vt non proiiciatur, sed misericordiam inueniat. [c] quia quo magis premuntur fideles, ipsa necessitas Dei gratiam conciliat.

8 *Tibi dixit cor meum, Quærite faciem meam: faciem tuam Iehoua quæram.*

Tibi dixit cor meum. [a] Versus iste subobscurus est propter personæ mutationem in verbis. [c] verùm quisquis propius expendet mentem Dauidis, videbit contextum optimè fluere. Quia enim nostrum non est temere irrumpere ad Deum, nisi prior ipse nos inuitet, initiò refert Dauid se fuisse meditatum quàm comiter & blandè suos Deus præueniat, dum ad faciem suam quærendam vltro hortatur. postea asserit se alacritate concepta venturum quò Deus vocat. In dictione לך ambiguus potest esse sensus, tantundem Hebræis valet ac Latinis Tibi. Sed quia litera seruilis ל non rarò pro De sumitur, non malè vertetur, De te dixit cor meum. Probabilius est tamen notari mutuum Prophetæ cum Deo colloquium. Diximus nuper fieri non posse vt quisquam fide assurgat ad Deum quærendum, donec eius inuitatione patefactus fuerit aditus. quemadmodum etiam alibi ostendimus Prophetæ testimonio, Dicã illis, Vos populus meus: & illi vicissim mihi, Tu Deus noster, Zach. 13. d. 9. Iam ergo Dauid se hac claue ianuam sibi ad Deum quærendum fuisse apertam dicit: quia veluti Deo succinens, promissionẽ hanc in Deũ attulerit. Et certè nisi hac præeunte symphonia, nemo inuocationis chorum ducet. Simul ergo ac Deum se liberaliter nobis offerre audimus, prompto animo respõdeamus Amen, eiúsque promissiones non secus reputemus nobiscum acsi familiaris cum eo nobis sermo esset. Ita nihil opus est anxium artificium & longas ambages quærere, quibus se fideles in Dei gratiam insinuent: quando hæc præfatio facilem illis viam sternit. Quantumuis indigni sumus quos excipias Domine, mandatum tamen tuum, quo accedere nos iubes, satis animi nobis facit. Vox ergo Dei in animis nostris non secus atque echo in concauis locis resonare debet, vt ex mutuo cõcentu emergat inuocationis fiducia. [a] Hæc germana est & simplex huius loci expositio. *Quærite faciem meam.* [m] Vulgata Latina habet, Exquisiuit te facies mea. Chaldæus, Exquisiuit facies mea. [a] Sed ad Deum referri hoc debet, acsi Deus afflictis loqueretur, & diceret, Implorate vos auxilium meum, quærite me. [z] Quanquam dubium non est quin Dauid hic quoque ad sanctuarium alludẽs, manifestationis modum intelligat quo se Deus aliquatenus visibilẽ reddebat. Quanquam enim de eo nihil crassum vel carnale imaginari fas est, quia tamen arcam fœderis præsentiæ suæ tesseram esse voluit, non absurdè passim vocatur eius facies. Verum quidem est peregrinari nos à Deo, quandiu in mundo degimus, quia remota est fides ab aspectu: (sicuti docet Paulus 2. Cor. 5. b. 6. 7) [c] sed æquè verum est, in speculo & ænigmate Deum à nobis cerni, donec vltimo die palam se nobis exhibeat, 1. Cor. 13. d. 12. Quare dubium non est sub hac voce notari adminicula quibus Deus nos ad se attollit, ex sua immẽsa gloria ad nos descendens, atque in terra nobis proponens imaginẽ cœlestis suæ gloriæ. Cæterùm quia in vnius Dei arbitrio est se nobis conspiciendum præbere, (quod facit in verbo & sacramentis) in hoc intuitu retineri oculos nostros decet: ne idem nobis contingat quod Papistis, qui Deum erraticis suis figmentis impiè transformãt, dum ei pro libidine affingunt qualescunque in suo cerebro pinxerũt imagines. *Faciem tuam Iehoua quæram.* [a] Q. d. Quũ tu blandè me ad te inuites, vt scilicet tuum auxilium implorẽ, inquirã & ego faciem tuam. hoc est, te colam, te inuocabo, tibique omni virtutis studio accedere, approbaréq; me tibi studebo. Hæc verò quum se studio Dei esse præditũ sentiret, dici non potest quàm illi fiducia opis diuinæ augebatur. siquidem hinc agnoscebat se negligi à Deo non posse, cuius tantum apud se studium sciebat. Qui namque quærunt Dominum, non possunt illum non inuenire seruatorem atque beatorem. Quæritur autem, dum eius cognitio voluntatisque eius obseruantia & gratificatio quæritur.

9 *Ne abscondas [igitur] faciem tuam à me, neque declinare facias ad iram seruum tuum: auxilium meum fuisti: ne derelinquas me [igitur] neque deseras me, Deus salutis meæ:*

Ne abscondas faciem tuam à me. [a] Eleganter continuat eandem loquendi formam, licet diuerso sensu. Facies enim Dei ad sensibilem gratiæ eius & fauoris effectum hic transfertur. acsi dictum esset, Fac Domine vt re ipsa experiar te mihi fuisse propinquum, tuámque virtutem in salute mea palam contempler. Tenenda enim est anagoge à verbo Dei ad experimentalem (vt loquũtur) gratiæ notitiam quia vt Deus se nobis actu (vt vulgò dicunt) præsentem exhibeat, antè in verbo quærendus est. *Neque declinare finas in ira seruum tuum.* [a] Vel, ne abiicias in ira seruũ tuum. [c] Quidã Hebræi interpretes paulo exactius exponunt, Ne seruum tuum occupari finas in prauis mundi curis, quæ nihil sunt quàm ira & furor. Sed rectius verbum נטה pro auersari vel remouere accipitur. Probabilior est eorum sententia qui dicunt, Ne declinare ad iram facias seruum tuum: quia fieri nõ potest quin, vbi à Deo ad extremum vsque quispiam deseritur, tumultuosè fremat, séque indignationis feruore præcipitet. Siquis Dauidem huic tentationi putet nunc obuiam ire, non repugnamus: meritò enim sibi ab impatientia timuit, quæ nos labefactat, & deiicit è gradu. Primã tamen expositionem retinẽmus, quam & duo verba quæ postea sequuntur, cõfirmant. Atque ita in iræ nomine tacita erit peccati confessio: quia Dauid, licet agnoscat iure se à Deo posse deiici, iram eius deprecatur. *Auxilium meum fuisti: ne derelinquas me.* [z] Versus iste ardet affectibus. [c] Nunc enim Dauid priora Dñi beneficia in memoriam reuocando, sese ad spem impetrandi animat: & hoc argumento Deum ad opem suam continuandam inducit, ne mutilum opus suum deserat. [s] Q. d. Hactenus mihi auxilio fuisti: ne ergo nunc deseras. *Deus salutis meæ.* Insunt his omnibus ardentes affectus & in eo quòd concisè adeo dicit, Fuisti auxilium meum, & in eo quòd se seruum Dei vocat, quòd deseri & abiici deprecatur, quódque Deum suum & seruatorem appellat. Obseruandum verò vt flagranter, quamlibet firmata spe, opem implorasse se canat. In huiusmodi enim certũ discriminibus spiritus quidem sperando & audendo prõptus est, at caro infirma. Vt ergo & in hac spiritus robur & fiducia redundet, metúque tormentorum vel ex parte leuet, fundere preces sancti solent tam vehemẽtes, quæ non tam preces quàm questus sunt animi excruciati.

10 *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, & Iehoua collegit me.*

Quoniam pater meus & mater mea. [v] Quando pater meus & mater mea derelinquunt me, Iehoua colligit me. Vel potius, Quamuis pater meus & mater mea dereliquerint me, Iehoua colliget me. Quia ex sacra historia patet, Isai, quatenus facultas tulit, filio suo Dauidi quod debebat officiũ præstitisse, (1. Sam. 22. a. 3) [c] allegoricè quidam hic proceres & consiliarios notari putant: quod nullo modo conuenit. Et verò in hoc scrupulo frustra insistunt, quia hic non conqueritur Dauid se inhumaniter à patre vel matre fuisse proditum: sed hac comparatione magis amplificat Dei gratiam, quòd semper sibi paratam sentiet, quãuis omni hominũ auxilio destitui contingat. Etsi enim particula כי apud Hebræos vt plurimum est causalis, sæpe tamen pro aduerbio tẽporis poni notũ est. Voluit igitur exprimere Dauid, quicquid beneuolentiæ, amoris, studii, curæ, officii inter homines inueniri potest, longè inferius esse Dei misericordia qua suos

complectitur. Summus certè hominum amor in parentibus residet, qui non minus tenero affectu liberos quàm propria viscera diligunt. Atqui Deus nos altius euehit, pronuncians per Prophetam, etiamsi mater obliuiscatur fœtus sui, semper nostri se fore memorem, Esa. 49. d. 15. In hoc gradu eum collocat Dauid, vt ipse, qui fons est omnis bonitatis, longè supra cunctos mortales emineat, qui natura maligni sunt ac restricti. [a] Quò etiam spectant verba Christi dicentis, Si vos quum sitis mali, nostis dona bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui est in cælis, dabit bona, si postuletis ab ipso? Matth. 7. b. 11. [c] Defectiua autem oratio est, qualis illa Prophetæ, Abraham nesciuit nos, nec Israel nos agnouit: tu tamen pater noster es, Esa. 63. d. 16. Summa huc tendit, quamuis naturaliter propensi sint terreni parentes ad prolem suam iuuandam, imò ardenter eius fouendæ curam suscipiant: tamen vbi extincta fuerit omnis in mundo pietas, Deum erga suos fideles patris simul & matris officio functurum. Vnde sequitur, perperam à nobis æstimari Dei gratiam, nisi omnes carnis sensus fides nostra superet. Centies enim contingeret euerti naturæ ordinem potius quàm vt Deus suis desit. [a] Itaque videmus quanti faciat Dauid bonitatem Dei, quam in illius promissione apprehendit, & quàm fortiter illa nitatur: [a] vt discamus veram animi cõsolationem in Dei promissis quærere, & in eum fiduciam omnem collocare, etiamsi nullum in hominibus auxilium appareat. solus enim omnia potest.

11 *Doce me Iehoua viam tuam, & deduc me per semitam rectitudinis propter hostes meos.*

Doce me Iehoua viam tuam. [c] Putant multi Dauidem hîc à Deo postulare vt eius Spiritu regatur, ne cum hostibus improbè & sceleratè agendo certet: quæ doctrina perutilis est, ([a] sicuti ostendimus suprà, 16. a. 2. d. 11) [c] sed præsenti loco quadrare non videtur. Simplicius est, Dauidem cupere manum sibi diuinitus porrigi, eiúsque ductu ad fœlicem exitum, quò hostium insidias & vim euadat. Nam quum dicit, *Et duc me per semitam rectitudinis*, viæ rectitudinem difficultatibus, obstaculis, salebris & præcipitiis opponit: quibus superandis impar erat, nisi ducis partes ad eum regendum Deus susciperet. Addit, *Propter hostes meos.* [a] significans se in maximo fuisse discrimine, à quo sola Dei manu liberari poterat. Eodem sensu dicebat, Domine deduc me in iustitia tua propter tribulantes me, rectam fac coram me viam tuam, Suprà, 5. b. 9. [c] Cæterùm quisquis ita se Deo committere cupiet, primùm ab astutia & malis artibus abstineat necesse est. Neque enim sperandum vt obliquis & prauis consiliis Deus benedicat, qui nonnisi simplicibus, & qui se in eius fidem conferunt, optabilem euentum promisit. [a] In summa, improbis præripitur nocendi facultas, quum innocentiæ & pietati sedulò studetur.

12 *Ne tradas me voluntati hostium meorum: quoniam surrexerunt in me testes mendaces, & loquens iniquitatem.*

Ne tradas me voluntati hostium meorum. [a] Consolatur se ab indignitate & peruersitate hostium, orans ne se Deus illorum animo peruersæque cupiditati permittat. Nonnunquam enim נפש pro desiderio & cupiditate accipitur. acsi Dauid dixisset, Ne me permittas arbitrio vel libidini hostiũ: atque ita significat cupide inhiare ad se perdendum. Duobus enim modis suos Deus eripit: vel impiorum sæuitiam placando, vt mansuescant: vel vbi furore ardere siuit, manus eorum & violentiam compescendo, vt frustra nocere cupiant ac conentur. [c] Hoc pacto Petrum Apostolum Deus è carcere eripuit, videlicet quum mox ab Herode rapiendus erat in mortem, Act. 12. a. 6. *Quoniam surrexerunt in me testes mendaces.* [b] Opprimere nituntur veritatis assertorem inuentores mendacii. *Et loquens iniquitatem.* [a] Id est loquentes, (singulare pro plurali) [v] iniquitatem, violentiam, iniustitiã, iniuriam. [c] Dicit se tam calũniis falsísque delationibus quàm vi aperta impugnari. Proferre enim violentiã eos asserit qui præter arma & cædes nihil iactãt. Ita videmus sanctum virũ vndique fuisse miserè oppressum. Neque enim eius integritas, quam scimus fuisse singularẽ, cum à virulentis calumniis eximere potuit. interim ab ea parte viribus & potẽtia obruebatur. [a] His forsan notauit Semei & alios, qui mentiebantur initiis ipsum inuasisse regnum, & cædis Saulis obstrictum, atque ideo à Deo reiectum, 2. Samu. 16. a. 5. Hi et mendaciis summa iniuria seruum Dei afficiebant, & plurimorum ab ipso animos abalienabant. [c] Quare siquando impii in nos non tantùm minaciter & crudeli impetu surgant, sed etiam infament, vt videantur iure nobis infesti, veniat nobis in memoriam Dauidis exẽplum, qui vtroque modo impetitus fuit. imò succurrat, Christum Dei Filium non minus iniuriæ à linguis mendacibus quàm à gladiis passum esse. Cæterùm in solatiũ nobis dictata fuit hæc precatio, vt Deus innocẽtiam nostrã asserat, & defensionis suæ clypeum opponat hostium truculentiæ. [a] Nam quum Deus ipsa veritas sit, qui faueret mendaciis? quúmque ipsa sit iustitia, qui permitteret innocẽtem libidini violentorum? Hæc ergo orans sanctus vir, sese consolatus est, spémque sibi de victoria contra istos confirmauit.

13 *Nisi credidissem me visurum bonitatem Iehouæ in terra viuentium.*

Nisi credidissem me visurum bonitatem [a] In hoc versu aposiopesis est. [c] Quidam tamen particulam לולא affirmandi causa positam esse putant, acsi species esset iurisiurandi: sicuti Hebræis tritum est ecliptice iurare. abrupto enim verborum contextu, imprecationem subaudiunt, vel periurii pœnam. Plures tamen in diuersam sentẽtiam descendunt, quòd Dauid sola fide se fuisse suffultum dicat, qui alioqui centies periisset. Hunc igitur sensum eliciunt, Nisi Dei promissione subnixus certò statuissem me incolumẽ seruatum iri, stetissémque in hac fide, extinctus eram. nec apparebat vllum remedium. [a] Planè igitur despondissem animum, & defecissem inter tot calamitates, nisi credidissem videre bonum Iehouæ. Videre in bono, est enim Hebraicè בטוב est frui bonis: sicut videre in inimicis est voluptatẽ capere, intuendo eorum infortunium. de qua videndi ratione diximus suprà, 22. d. 18. *In terra viuentium.* [c] Quòd nonnulli terram viuorum ad cælestem hæreditatem referunt, coactum est, atque etiam ab vsu Scripturæ dissidet. Nam quũ Ezechias conqueritur in suo Cantico spem sibi fuisse ablatam videndi Dei in terra viuorum, præsentem vitam hauddubiè designat: quia mox sequitur, Non aspiciam hominẽ vltra cum habitatoribus orbis, Esa. 38. b. 11. Et similis loquendi forma iterum nobis occurret infrà, 116. b. 9. Credidit autem Dauid se adhuc fruiturum bonitate Dei in hoc mundo, quia omni gratiæ eius gusto ad tẽpus priuatus, nullam lucis scintillam aspicere poterat. Ergò ex mortis caligine sibi gratiæ Dei aspectum promisit: & hac fide sustinuit suam vitam, quamuis secundum carnis sensum deplorata esset ac perdita. Notandum tamen Dauidem non temere progressum esse vltra quã pollicitus esset Deus. Tametsi enim pietas promissionem habet non tantùm futuræ vitæ, sed etiam præsentis, (1 Timoth. 4. c. 8) Dauid tamẽ nunquã hanc hypothesin sumere ausus esset, nisi speciali aliquo oraculo instructus. Et certè promissus erat ei successor qui semper in solio eius sederet, 1. Sam. 7. b. 11. Meritò itaque se nunquam moriturum sperauit nisi hoc completo. Quare, nequis præpostera exempli eius imitatione fidei metas transiliat, tenere conuenit quid ipse proprium & à nobis separatum habuerit. In genere tamen nos omnes sperare oportet, quamuis nos non apertè liberet Deus, nec fauorem suum visibili modo declaret, propitium tamen in hac quoque vita semper nobis fore. [a] Neque enim in se sperantes deserere potest, Suprà, 9. c. 11.

14 *Expecta Iehouam, corrobora te, & corroborabit Deus cor tuum: & expecta Iehouam.*

Expecta Iehouam. [v] Expecta ad Iehouam, fortis esto: & corroborabit, &c. Dubitari potest an à seipso Dauid sermonem ad alios conuertat, suóque exemplo eos hortetur ad fortitudinem & patientiæ constantiam: sicut in fine Psalmi 31. f. 19, postquam priuatim de se loquutus est, transitum facit ad omnes pios. Sed quia hîc in singulari numero loquitur, nec vllam notam apponit vnde colligere liceat sermonem ad alios dirigere, probabile est cũ sibiipsi addere stimulos ad fiduciam, ne vnquã animo labascat. Quia enim sibi infirmitatis erat conscius, salutem verò suam nouerat sub fidei custodia seruatam esse, opportunè se in futurum tempus confirmat, [v] & seipsum ad perseuerantiam hortatur. acsi dicat, Pẽdeas à Domino, & esto forti & infracto animo: & animos sufficiet tibi. totus pende ab eo: [a] non diffidas de auxilio affuturo per eum. [c] Porro sub verbo expectandi se admonet de nouis exercitiis, crucémque sibi tolerandã proponit. Tunc enim Deũ expectare dicimur vbi subducta gratia sua languere nos sub ærumnis patitur. Dauid ergo vno certamine defunctus, ad alia obeunda se de integro comparat. [a] Sic quum vita fidelium assidua sit militia super terram, nunquam sibi quietem promittere debent, quin simul ad nouos hostium insultus excipiendos se præparent. Vnde colligimus quam necessariæ sint preces, quibus armati victoriã sibi ex Dei manu & virtute promittere possunt. *Corrobora te.* [c] Quia nihil magis difficile est quàm tribuere Deo hunc honorẽ, vt ab eo pẽdeamus quũ se procul occultat, vel auxilium suũ differt: ideo se Dauid ad robur colligendum incitat. acsi diceret, Si tibi obrepit trepidatio, si fidem tuam tentatio concutit: si carnis tuæ sensus fluctuat, ne succũbas: sed potius excitare infatigabili animi virtute. Cæterùm hinc discimus non contumacia fortes esse Dei filios, sed patiẽtia, vbi Deo animas suas placidè cõmendant: sicuti Propheta dicit, In spe & silẽtio erit fortitudo vestra, Esa. 30. d. 15. *Et corroborabit Deus.* Quia ad tã arduos conatus sufficere non poterat Dauid, robur sibi à Deo precariũ accersit. Si tãtùm

dixisset, Viriliter age, visus esset in medium proferre liberi arbitrii sui motus: sed quum mox vice correctionis subiiciat Deum præsto adfore, qui robur suppeditet, satis clarè ostendit, quum strenuè laborans sancti, aliena virtute pugnare. Neque enim (vt fingunt Papistæ) in primam aciem conatum suum emittit Dauid, postea Dei suppetias aduocas: sed vbi se ad officium hortatus est, quia viribus se destitui agnoscit, defectus remedium quærit in Spiritus gratia. [a] Discant itaque fideles non suam ipsorum, sed Dei armaturam induere, vt de hostibus suis victoriam referant. Qua de re vide Ephes. 6. b. 11. *Et expecta Iehouam.* [c] Quia Dauid tota vita sciebat militandum esse, ac subinde emergere nouos conflictus, & sæpe in longum tempus extrahi sanctorum molestias, iterum repetit quod dixerat de expectando Deo. [b] Q. d. Suspice ad Iehouam, totus ab eo pende, ne dubites illum tibi in omnibus affuturum. [a] His monemur promissa Dei, dum aduersis exerciti angimur, in mentem reuocare, studioseque expendere. Neque enim aliud est quo magis animi credentium in spem bonam erigantur. sed fide, id est, firma solidáque persuasione opus est, nequis de eis addubitet.

ARGVMENTVM PSAL. XXVIII.

[m] ETIAM Psalmus iste animũ exprimit in periculis constitutum, & ad Deum pro auxilio clamantem. [c] Nam Dauid ex ingentibus periculis ereptus, suo more, primùm quæ inter angustias conceperat vota, deinde gratulationē & Dei laudes conscripsit, vt alios suo exemplo ad id agendum adduceret. [a] In fine Psalmi ponitur precatio quam habuit pro populo. [e] Probabile autem est de Saulis persequutionibus hic tractari.

DAVIDIS. *Ad te Iehoua clamo, petra mea ne taceas à me: si fortè sileas à me, & assimiler descendentibus in sepulchrũ.*

Dauidis. Ad te Iehoua clamo. [v] Futurum pro præsenti, Te Iehoua inuoco. [m] Orat primò pro exaudiione precum suarum in genere, & ne deseratur, quemadmodum & præterito Psalmo fecit. Quemadmodum enim fides piorum in omnibus periculis principali suo obiecto (nempe bonitate & misericordia Dei) nititur, ita & in precationibus singularibus plerunque priore loco pro illa obtinenda precatur. [c] Interea præfatur sibi receptum esse ad vnius Dei opem: quò tam de fide sua quàm de bona conscientia testetur. Etsi enim multis passim miseriis laborant homines, vix tamen centesimus quisque ad Deum confugit: sed maior pars vel frænum contumaciter arrodit, vel in aerem spargit inanes vlulatus, vel desperatione victa malis succumbit: quia & omnes fere sibi malè cõscii sunt, neque vnquã gustarũt quid valeat Dei gratia, vt in eam respiciant. *Petra mea.* [a] Fortitudo mea, seu protector me[v]. Quia dixerat, Ad te clamo, cõmodè subiungit, Petra mea. q. d. Propterea ad te clamo quòd scio se vnum esse protectorem meum. [c] Ad hæc, Deum robur suum vocando, melius confirmat, non modò in vmbra & quiete se persuasum fuisse de auxilio Dei, sed eandem fidem in vltimis tentationibus adhuc fouere. *Ne taceas à me.* Ne obsurdescas, vel ne sileas à me. Oratio concisa. pro, Ne sileas, ita vt non respondeas mihi siue orationi meæ. Vates hic (vt & aliàs) per silere (vel tacere) permittere, negligere, quiescere significat. Rectè enim nihil facere pro nihil loqui dicit, quando loqui pro facere Scriptura passim vsurpat. De hoc tropo legimus dixisse populum iudicibus, quum arguerent quòd Dauid regem occiso Absalomo non reuocarẽt, Nunc quare vos silentes estis (vel siletis. hoc est, cessatis, omittitis, negligitis) regem reduceret 2. Sam. 19. b. 10. Similis tropus reperietur & infrà, 83. a. 2. Precatur ergo hic Dauid ne cesset Deus se iuuare in periculo constitutũ. [a] Nam sicut Scriptura Deum respondere dicit fidelibus, dum re ipsa ostendit eorum vota sibi curæ fuisse: ita sensibili ac præsenti eius auxilio opponitur Silendi verbum, vbi se preces audire dissimulat. *Si fortè sileas à me.* [v] Hebraismus, de quo iam dictum est. pro, Ne si fortè vocis meis non responderis, peream. *Et assimiler descendentibus in sepulchrum.* In foueam, lacum. Hic pro sepulchro בור positum est. [a] Quanto in periculo fuerit, eo ostendit quòd queritur se alioqui parem futurum fuisse descendentibus in sepulchrum, hoc est mortuis, (id est, actum de se fuisse) nisi Deus opem tulisset. [c] Quanquam non modò exprimere voluit periculi magnitudinẽ; sed etiam simul professus est, quum salute indigeat, se non huc & illuc circunspicere: sed ita pendere ab vno Deo vt extra eius gratiam nullas spes sibi residuas faciat. Perinde enim est acsi dixisset, Nullus sum, si à me discesseris: nisi tu vnus succurras, perii, [m] quemadmodum qui iam sepeliendi efferuntur. [c] Neque enim sufficeret, eum qui mi serè affligatur, suas miserias sentire, nisi inopiæ suæ conuictus, ac diffisus mundi præsidiis, ad Deum vnum se colligeret. [m] Videmus itaque quomodo Propheta omnem salutem suam collocet in manus solius Domini, ita vt si ipse deserat, sciat de se planè actum esse. O animum planè à Deo pendentem!

2 *Audi vocem deprecationum mearum dum clamo ad te, dum eleuo manus meas ad adytum sanctitatis tuæ.*

Audi vocem deprecationum mearum. [a] Ardorem & vehemẽtiam precationis vtique ex periculi magnitudine natam indicat. [c] Ad hæc, repetitio qua vtitur, anxietatis signũ est: precandi ardor & vehementia ex vocis nomine & Clamandi verbo colligitur. Significat enim se cura & metu perculsum, non frigidè precatum esse, sed flagrasse ingenti desiderio: vt qui doloris impetu compulsi clamorem attollunt. *Quum eleuo manus meas.* Hic per synecdochen res signo notatur. Trita omnibus seculis fuit ceremonia vt homines precandi causa manus sursum leuarent. Gestum hunc profanis quoque & idololatris extorsit natura, vt visibili signo ad Deum vnum sensus suos dirigerent. Certum quidem est maiorem partem, vbi ceremonia hac defungitur, in figmentis suis euanescere: sed tamen ipsa manuum leuatio, vbi abest hypocrisis & fallacia, piæ & veræ precationis est appendix. [a] Vide Esa. 1. d. 15, & 1. Timoth. 2. c. 8. *Ad adytum sanctitatis tuæ.* [v] Ad oraculum sanctuarii (vel sanctum) tuum: in quo scilicet erat arca, vnde Deus opem se laturum implorantibus promiserat. [a] Nam דביר interior locus est tabernaculi, vel adytum, in quo locata erat arca fœderis, [a] vnde responsa Deus dabat, & preces suorum audiebat. [c] Sic enim à responsis vel oraculis vocatur, quæ Deus inde ad testandam populo gratiæ suæ præsentiam edebat. [a] Quod quia se facturum promiserat, versus hoc oraculum precabantur etiam absentes. [c] Itaque Dauid hoc loco non dicit se manus in cælum tollere, sed ad sanctuarium, vt scilicet illo subsidio adiutus in cælum vsque facilius conscenderet. Neque enim tam crassus fuit vel superstitiose affixus externo sanctuario, quin sciret Deum spiritualiter quærendum esse, ac tunc demum ad ipsum accedere homines dum relicto mundo fide in cælestem gloriam penetrant. Sed quia hominem se esse meminerat, noluit hoc infirmitatis suæ adminiculum negligere. Nam quia fœderis Dei tessera erat sanctuarium, promissæ gratiæ præsentiam Dauid illic non secus atque in speculo intuebatur. Sicuti nunc fideles, vt Deum sibi propinquum esse statuant, ad Christum rectà intendere conuenit, qui sub humili carnis habitu ad nos descẽdit, vt ad Patrem eueheat. Sciamus ergo Dauidem nõ aliter in sanctuario hæsisse, quàm vt promissione Dei subnixus mundi elementa transcenderet, in quibus tamen se ex Legis præscripto exercuit. [a] Quod igitur dicit, idem valet atque si dixisset, Extendo ad te, ô Deus, manus meas. Oraculum enim illud sedes Dei erat.

3 *Ne trahas me cum impiis, & cum operantibus iniquitatem, loquentibus pacem cum proximis suis, & malum in corde eorum [est.]*

Ne trahas me cum impiis. [v] Ne trahas, sub. ad mortem. Summa est, ne in causa dissimili Deus iustum cum sceleratis promiscuè eodem exitio permiserat. [a] Idem ergo orat quod prius, quum dicebat, Ne colligas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinum animam meam, Suprà, 26. c. 9. [c] Porro non dubium est quin hostes suos designans suam integritatem obliquè asserat. Q. d. Ne tollas me vltione quæ hostibus meis, non mihi, maximè si eis conferar, debetur. [c] Neque tamen in hunc modum precatus est, quasi Deum putaret nullo delectu habito temere in homines sæuire: sed potius à natura Dei ratiocinatur sibi esse bene sperandum: quia proprium eius sit pios à reprobis discernere, ac singulis rependere iustam mercedem. Vide Gen. 18. e. 19. *Et cum operantibus iniquitatem.* [a] Per פעלי און (operarios iniquitatis) intelligit studiosos prauitatis, [c] & homines in totum sceleribus deditos: [a] de quibus suprà, 5. a. 6. [c] Nam etsi interdum labantur filii Dei, vel aberrent, vel quouis modo delinquant, non tamen eos oblectant sua vitia, quin potius ad resipiscentiam eos solicitat Dei timor. *Loquentibus pacem cum proximis suis.* [a] Hoc est, qui fidem & amicitiam verbis simulant, corde autem malum cogitant. [c] Definit & amplificat hostium suorum malitiam, quòd amicitiæ simulatione perfidè bonos circumueniant, aliudque lingua proferant, aliud occultum gerant in corde. Est autem tolerabilior aperta prauitas quàm hæc vulpina astutia, quæ se ad nocendum blandè insinuat. [a] Vnde nõ mirum si huiusmodi corde duplices Scriptura valde execretur. [m] Talis erat Saul, quum fingeret nuptias filiæ, 1. Sam. 18. f. 25. Tales erant serui eius, qui Dauidi suadebant amari se à rege. Talis erat etiam Achitophel consiliarius Dauidis: id quod postea patuit in coniuratione Absalomi, 2. Sam. 16. e. 15. Expertus itaque meritò exhorret hoc falsæ & fraudulentæ amicitiæ malum, orans ne supplicii illorum particeps sit. [c] Monemur etiam hac sententia, Deo maximè esse detestabiles quicunque blanditiis tanquam veneno adoriuntur simplices & incautos. *Et malum in corde eorum est.* Videmus hic, prouerbiales sententias, quæ passim in Euangelicis historiis leguntur, ad perpetuam normam non semper exi-

gendas esse: qualis est illa Christi, Ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. c. 34. Solent enim astuti homines amicitiam sæpe verbis prætexere, quum nihil quàm odium proximi intus foueant: sicuti hoc loco videmus. Dominus etiam hypocritas hunc in modum per Prophetam suum arguit, Propterea quòd appropinquauit populus iste ore suo, & labiis suis honorauerunt me: cor autem eius elõgauit se à me, &c. Esa. 29. d. 13. Matth. 15. a. 8.

4 Da eis secundum opus eorum, & secundum malum operum ipsorum: secundum opus manuum suarum da eis: redde retributionẽ eorum ipsis.

Da eis secundum opus eorum. [C] Postquam innocẽtiæ suæ rationem à Deo haberi petiit, [M] subdolis illis ac malitiosis hostibus suis imprecatur vltionem à Deo, eámque talem quæ conueniat tãtæ improbitati. hoc est, qua ipsi sentiant & experiantur hoc ipsum quod aliis malitiosè simulata amicitia struxerunt. [C] Congeries autem verborum ostendit diu multúmque sub onere gemuisse, antequam ad expetendam hanc vindictam prorumperet. Nam eos non semel, nec exiguo tempore, neque in vno genere peccasse significat, sed eos progressos esse continuis maleficiis, vt prorsus intolerabilis esset eorum audacia. Scimus autem quàm molesta & grauis tentatio sit, cernere impios absque modo & fine grassantes, perinde acsi conniueat Deus ad eorum audaciam. Dauid ergo quasi diuturna tolerantia fessus, & sub mole fatiscens, postulat vt tandem cõpescat Deus hostium lasciuiam, qui pridem scelera sceleribus addere non cessabant. Ita videmus in hoc versu nihil esse superuacuum, vbi operibus adiungit facinorum malitiam & opera manuum, & quod meriti sunt, rependi tertiò postulat. *Et secundum malum operum ipsorum.* [V] Et iuxta malitiam operum eorum, [P] quæ perpetrare nõ cessant aduersus te. *Secundum opus manuum suarum da eis.* [M] Redde illis talionem quam merentur, vt sciant se perperam & malignè egisse. *Redde retributionem eorum ipsis.* [L] Repende illis suam malitiam, recidat eorum malum super ipsos, non super me. [M] Non simpliciter malum illis imprecatur, sed vehementi affectu aduersum eos ardet: id quod ipsa verba toties idem repetentia, deinde & talionem studiis ipsorum competentem ingeminantia, satis exprimunt. [C] Sed eadem opera Dauid fiduciam suam testatur. Quam iactantiam filiis Dei sæpe expriment hypocritæ, dum suis cauillis mundi iudicia eludunt. Videmus enim vt improbissimus quisque sua impunitate non contentus, vltro in crimen vocet innoxios, & lupus (vt est in prouerbio) agnos de aqua turbata accuset. Dauidem igitur hæc necessitas ad implorandam Dei fidem compulit. Hic rursum de cupiditate vindictæ perplexa oritur quæstio, [M] num deceat Dei filios dira imprecari hostibus suis, quos ex Dei Lege iubentur diligere. [C] Hanc quæstionem paucis expediemus, quia alibi tractata fuit. Ac primò certum est, si nos ad expetendam vindictam caro incitat, affectum hunc coram Deo peruersum esse. Præterquam enim quòd Deus hostibus malum imprecari priuatæ iniuriæ respectu quenque nostrum vetat, fieri non potest quin affectus omnes qui ex odio nascuntur, sint turbulenti. Non est igitur quòd Dauidis exemplum obtendant qui sua intemperie feruntur ad expetendam vindictam. Neque enim sanctus Propheta priuato dolore hic excandescit, vt hostes exitio deuoueat, sed deposito carnis affectu de re ipsa iudicat. [M] Neque enim de illis loquitur qui sibi duntaxat aduersabantur, sed qui erant omnis pietatis hostes, atque ideo magis Dei & populi quàm sui inimici. Iam quemadmodum dilectio Dei & proximi, si vera sit, exigit vt inimicos priuatos diligamus: ita postulat vt Dei & populi sui hostes summo odio prosequamur. Qua de re iterum dicemus infrà, 139. d. 21. Adde quòd credibile est Dauidem prophetico spiritu inter orãdum raptum, vidisse pœnam improbis istis paratam: ideo rectè ad imprecandum eam permotus fuit. Nam hoc habent pii, vt libenter orent Deum vt ea faciat quæ facturum illum sciunt: sunt enim illius voluntati cõformes. Quare vt impiis malè quis precetur, antè omnis perturbatio facessat necesse est. Deinde adhibenda est quoque prudentia, ne malorum quæ nos offendũt indignitas ad inconsideratum zelum nos præcipitet: quod ipsis Christi discipulis accidit, dum igne cælesti absumi cupiunt qui magistro hospitium negauerant. Atque hoc quidem se facere ostendunt Eliæ exemplo: Christus tamen eos seuerè increpãs, nescire dicit quo spiritu agantur, Luc. 9. g. 54. In primis tenenda est cõmunis regula, vt nobis totius generis humani salus cordi sit ac curæ. ita fiet vt non modò locum demus misericordiæ Dei, sed etiam optemus reduci ad sanam mentem qui deploratо animo videntur in suam perniciem ruere. In summa, Dauid liber & vacuus omni præpostero impetu, præditus etiam spiritu discretionis & iudicii, non tam suam quàm Dei causam hic egit: & hac precatione se & alios fideles admonuit, impios, quamuis ad tẽpus impunè proteruiant, venturos tãdem ad cæleste tribunal. [M] Et quia non sibi sed aliis hunc Psalmum cõposuit, rectè illum ita temperat, vt habeant improbi quo à facinoribus suis absterreantur, obseruatis contra se piorum votis: & pii, vnde cõsolentur. Sunt itaque imprecationes istæ Dauidi quidem familiares, verùm non mox (sicut iam ostendimus) cuiuis imitabiles. [B] Vide suprà, 5. c. 11, & 6. c. 11.

5 Quoniam non aduertunt animum ad opera Iehouæ, & ad opus manuum eius: destruet eos, & non ædificabit eos.

Quoniam non aduertunt animum ad opera. [V] Fut. Hebr. pro præsenti. Intelligunt, aduertunt animũ. [L] q.d. Quia prouidentiam Dei non intelligunt, multo minus curant. [M] Subiicit rationem superioris imprecationis, in qua satis patet quod nuper diximus, hoc in illis respici à Dauide, quòd pietatis essent hostes & Dei contemptores. [C] Simulque radicem impietatis detegit, improbos dicens ita esse audaces ad nocendum: quia dum hominibus infesti sunt, nec ab vlla maleficii specie abstinẽt, non putant sibi cum Deo esse negotium. Etsi enim eos pungit cõscientia, se tamen blanditiis demulcent, tandémque contumacia ad stuporem obdurant. Ac primò quidem rebus prosperis ebrii Deum sibi amicum esse fingunt. bonos verò, qui multis ærumnis oppressi sunt, ab eo nõ curari: denique fortuitò rotari mundum. ita sponte cæcutiunt in clara luce. Sic aduersarii Dauidis quum volentes ignorarent eum diuinitus creatum esse regem, animos ad eum persequendum sumpserunt. Quare de hac eorum crassa ignorãtia conqueritur, sicut eam generaliter omnibus impiis exprobrat Propheta Esa. 5. c. 10. Opera Iehouæ hîc dicuntur beneficia quibus Deus Israelem affecerat per Dauidem: ex quibus facilè agnouissent præsentem Dei virtutẽ. Quia ista non animaduertebant, fiebat vt pertinaci odio & fraudulentis insidiis oppugnarent vnctum Dei, & Deum ipsum in vncto illius. [A] Nam ordinatione & decreto Dei, non hominum suffragiis aut voluntate, vnctus erat Dauid in regem, 1. Sam. 16. c. 13. [C] Porro hæc doctrina duplicem vsum continet: quia non mediocre filiis Dei solatium est, ita persuasos esse, dum iniquè vexantur, Dei prouidẽtia vtiliter exerceri ad patientiam: & rebus in mundo turbatis ac confusis, Deum sedere nihilominus in cælo moderatorem. Deinde ad subigendos carnis nostræ impetus aptissimum est hoc frænum, ne tanquam andabatæ in tenebris certemus, acsi Deus res humanas non respiceret. Quare sedulò reputare discamus quæcunque Deus exercet iudicia, quæ totidem sunt iustitiæ eius in regẽdo humano genere documenta. Quòd si etiam omnia confusè misceri contingat, fidei oculos ad consideranda occulta Dei iudicia in cælũ attollere conuenit. Sed quum Deus etiam in magna caligine nunquam desinat proferre quædam suæ prouidentiæ signa, inexcusabilis socordia est ad ea non attendere. quam prauitatẽ exaggerat Propheta, iterum repetens, *Et ad opus manuum eius.* Innuit enim reprobos securè pergendo, quicquid ad frænandum eorum furorem operum Dei occurrit, calcare. [M] Non enim simpliciter occultum aliquod opus Dei, sed ne manifestum quidem obseruare dignantur: [A] adeo amentes sunt & excæcati. Vnde commodè subiicitur, *Destruet eos, & non ædificabit eos.* [V] Destruat eos, & non ædificet eos. vel, nec postea ædificet. id est, perdat eos in æternum, sine vlla spe futuræ instaurationis. [C] Quidam substantiui loco esse volunt quod in hoc versu præcessit: acsi diceret, Belluinus hic furor eos destruet. sed potius subaudiendum est nomen Dei: atque ita optimè fluet contextus. Quia tamen verba sunt futuri temporis, potest ita exponi sententia, vt Dauid iam sibi promittat quem reprobis nuper optauit interitũ. neque hic sensus repudiandus est: quanquam magis probabile est illum vota sua continuare. Sic autem pessundari cupit impios vt rursus nunquam emergant, vel recuperent priorem statum. Hoc enim sibi vult trita Hebræis figura, Destruat, & nõ ædificet: sicuti Malachias primo capite a. 4 loquitur de Edom. Nos verò, ne insanabili plaga feriamur, discamus expergefacere sensus nostros ad reputanda Dei opera, quæ nos ad timorem eius erudiant, contineant in patientia, & in pietate confirment. [A] Neque enim inultum feret Deus beneficiorum suorum contemptum, quanquam improbi ex longa Dei tolerantia impunitatem sibi polliceantur.

6 Benedictus Iehoua, quoniam audiuit vocem deprecationum mearum.

Benedictus Iehoua, quoniam aud. [C] Hæc est secunda pars Psalmi in qua Deo gratias agere incipit Propheta. Hactenus enim vidimus quomodo se inter discrimina precãdo exercuerit. hac verò gratulatione docet nõ vanas fuisse preces: atque ita suo exẽplo cõfirmat, Deũ, quoties verè & ex animo quæretur, præsto ad opẽ suis ferendã fore. [A] Canit ergo victoriam Dauid cõtra coniuratos, [B] nolẽs ingrato animo quæ à Deo acceperat beneficia, præterire. Sic alibi dicit, Benedictus Deus, qui nõ abstulit orationẽ meam, & misericordiam suam à me, infrà, 66. d. 19.

ita percōmodè hoc Psalmo Propheta potentes admonet, omnē gloriæ & potentiæ laudem Domino esse tribuendā. ᶜ Videmus ergo cur ad filios potentum, aliis omissis, peculiariter sermonem conuertat: quia scilicet nihil eis magis tritū est quàm altitudine sua ad sacrilegium abuti, dum sibi furiosè arrogāt quicquid Dei proprium est: saltem vt modestè se Deo subiiciant, & suæ fragilitatis memores recumbant in eius gratiam, quasi vi compelli necesse est. *Afferte gloriam.* ᴬ quam scilicet vobisipsis hactenus tribuere præsumpsistis. *Et fortitudinem.* ᶜ Rectè iubet Deo afferri robur: quia potentes huius seculi, falsa imaginatione delusi, virtutē qua præditi sunt, sibi aliunde quàm è cælo suppetere reputant. Summa est, vt fastu deposito, falsaque propriæ virtutis opinione, Deum glorificent sicut meretur.

2 *Date Iehouæ gloriam nominis eius, incuruate vos Iehouæ in gloria sanctitatis.*

Date Iehouæ gloriam nominis eius. ᵛ Id est dignā nomine eius, hoc est ipso dignā. ᶜ Gloriam nominis eius vocat eius maiestate dignā, qua cum proceres mundi fraudare solent. ᴹ q.d. Nomen illius est Dominus, omnipotēs, &c. Hanc illi gloriam nolite adimere, ᴬ sed integram relinquite. ᶜ Repetitio quoque ostēdit vehementius vrgendos esse, vt illis iusta confessio extorqueatur. *Incuruate vos Iehouæ.* ᵛ Adorate Iehouam. *In gloria sanctitatis* Vel, in decore sancto, aut in magnificentia sanctuarii. hoc est, in sanctuario magnifico & decoro, in tabernaculo fœderis, vbi se manifestabat. ᶜ Nam per splendorē sanctuarii nō cælum (vt quidā volunt) sed tabernaculū fœderis intelligit, symbolis gloriæ Dei ornatum. sic enim liquebit ex cōtextu. Et cōsultò eius loci meminit Propheta in quo se verus Deus patefecerat, vt ad purum eius cultum, superstitionibus valere iussis, se conferant cuncti mortales. Neque enim sufficeret confusè numen aliquod cæleste coli, nisi vnus & idem Deus colatur. quod fieri non potest donec reuocatus fuerit mundus ab omnibus figmentis. ᴬ Videmus his duobus versibus Prophetā significare, nihil tam sublime, nihil adeo virtute & potentia præstans esse, quod non supplex Deo canere laudem debeat, cuius potentia & virtus tanto interuallo cuncta præcellit. ᴹ Quis enim est qui ista scribit? An fortè plebeius ac humilis quispiam, potentum gloriæ inuidens? Nequaquam. rex est, isque non minus potēs ac gloriosus quàm quisquam nostri temporis, potentissimus etiam. O si tales potentes haberet hodie populus Dei, quanto melius haberent Ecclesiæ Christi! Orandus itaque Dominus est vt & tali animo donentur qui rerum potiuntur.

3 *Vox Iehouæ super aquas, Deus gloriæ tonare facit, Iehoua super aquas multas.*

Vox Iehouæ super aquas. ᵛ Sub. auditur. Ratio quare laudandus Deus. Vox Iehouæ, pro tonitru. ᶜ Nūc naturæ miracula cōmemorat. ac Dei quidem nō minus potentiā quàm bonitatē poterat in operibus eius celebrare: deinde quū nihil sit in ordinario naturæ cursu, in tota cæli & terræ machina, quod nos ad Dei notitiam non inuitet, poterat (sicut suprà, 8.a.4, & 19.a.1) totúmque cælorum exercitum terrámque cum sua opulentia in medium proferre. sed ea tantùm Dei opera eligit quæ non solùm testantur orbem ab eo semel fuisse conditum, eiusque imperio gubernari: sed torpentes quoque expergefaciunt, & quasi inuitos trahunt ad eum suppliciter adorādum: quod etiam fateri coactus est Horatius, nō profanus modò poeta, sed Epicureus & impurus Dei contemptor, his versibus, Parcus deorum cultor & infrequēs, Insanientis dum sapientiæ Consultus erro, nūc retrorsum Vela dare atque iterare cursus Cogor relictos. Namque Diespiter, Igni corusco nubila diuidens, Plerumque per purum tonantes Egit equos volucrémque currum. Quo bruta tellus, & quæ sequuntur. Et experientia ipsa loquitur, qui audacissimè Deum contemnunt, ad tonitrua, procellas & similes impetus maximè expauescere. Non abs re igitur Propheta nos ad species istas reuocat, quæ barbaris & stupidis incutiunt aliquem diuinitatis sensum, & quantumuis ignauos & socordes excitant. Non dicit solem quotidie oriri, spargi eius radiis viuificam lucem: non dicit pluuiam leniter stillare, quæ suo succo terram fœcūdet: sed tonitrua, violentos imbres, & quæ terrifico motu mentes hominum percellunt, in testimonium adducit. *Deus gloriæ tonare facit.* ᴹ Vocem Domini (sicuti iam dictum est) vocat tonitru illud horrendum in tempestatibus. Dicit Deum gloriæ tonare, ᴬ significans illi omnem gloriam meritò tribuendam, qui tam horrenda voce potentiam ac virtutem suam patefacit. ᶜ Loquitur certè Deus in omnibus suis creaturis: sed eas voces nunc commemorat Propheta quæ dura increpatione somnolētiam nostram (vel potius veternum) corrigāt. Diximus enim præcipuè ad eos spectare hunc sermonem qui præfracta duritie omnem Dei notitiam, quātum in se est, repellunt. Et ipsæ loquendi figuræ satis exprimunt, Dauidi fuisse propositum terrore subigere contumaciam, quæ alioqui non libenter cedit. Ter enim inculcat vocem Dei in magnis & impetuosis imbribus audiri. *Iehoua super aquas multas.* ᴮ Hoc est super nubes, quas tenebras aquarum (id est tenebrosas vel obscuras aquas) vocauit. Nubes siquidem, definitore Aristotele libro De mundo, & interprete Budæo, est crassamentum exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. Quia igitur nubes aquas gignunt, & ex humidis exhalationibus gignūtur, per metonymiam, aquæ à Vate vocantur.

4 *Vox Iehouæ in potentia, vox Iehouæ in gloria.*

Vox Iehouæ in potentia. ᵛ Cum potentia. q.d. Validum & potēs tonitru. *Vox Iehouæ in gloria.* Est cum magnificentia, cū decore, cum splendore. hoc est, plena virtutis & magnifici splendoris. ᵉ vel, magnifica est & splendens. ᶜ Dicit vocem hanc esse cum virtute & magnificentia, hoc est prævalidam & magnificam: eo quòd virtutis Dei verendæque potētiæ eius tam clarū & formidabile indicium sit. Haud dissimilia & Iob cecinit, Audite sonitum: cum tumultu vox eius, & murmur egredietur de ore eius. Sub omni cælo spargitur, & lux eius omnes plagas terræ illustrat. Post hanc premit vox, & tonat voce excellentiæ suæ, nec obsistunt nubes, quum audita fuerit vox eius. Tonat voce sua portentosa Deus, maiora efficit quàm vt queant cognosci, Iob 37.a.2.

5 *Vox Iehouæ confringens cedros: confringit (inquam) Iehoua cedros Libani.*

Vox Iehouæ confringens cedros. ᴹ Quia dixerat, Vox Domini in virtute, subiicit & eius efficaciā: quam in robustis ac sublimioribus arboribus per vehemētiam flatus omnia robusta concutientis & nonnunquam prosternentis, exercet. Atque ideo non quasuis arbores, sed cedros (sublimes videlicet) ponit, idque Libani, in quo monte sunt altissimæ. Commemorat notos mōtes Libani & Sirion, quorum in Scripturis non modica est celebritas. ᶜ Videmus itaque vt Propheta, ad frangendam hominum duritiem, singulis verbis Deum formidabilē inducat. Ac videtur quidem obliquè superbis & vana cōfidentia turgidis amentiam exprobrare, quòd vocem Dei tonantem non audiant, quæ scindit aerem fulminibus, concutit excelsos montes, procerrimas quasq; arbores prosternit ac deiicit. Quale enim portentū est, vbi omnes brutæ mundi partes coram Deo tremunt, solos homines sensu & ratione præditos non moueri? Adde quòd si ingenio & doctrina valent, sibi obstruendis auribus incātationes accersunt, ne ad eorum sensum vox Domini, quantūuis sonora penetret. Neque enim de causis inferioribus satis argutè sibi videntur disserere philosophi, nisi longa distantia Deum à suis operibus separent. Diabolica autem hæc scientia est, quæ in naturæ contēplatione nos retinens, à Deo auertit. Siquis hominem cognoscere appetens, præterita tota facie, intuitū in extremos tantùm vngues defigat, meritò ridebitur eius stultitia. Atqui maiore amentia laborant philosophi, qui ex mediis & propinquis causis vela sibi contexunt, ne manum Dei palam operantem agnoscere cogantur. ᴮ Cæterùm quum dicit vocem Iehouæ confringere cedros, notanda est hæc loquutio. Vocem hanc diximus tonitruum esse: iam fulminibus deiiciuntur arbores, non tonitruo. sed Vates communem hic naturam spectauit. Etenim si in nube luctetur flatus aut vapor, eduntur tonitrua: si erumpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetra. Hæc Plinius libro secundo, cap. 43. Aristoteles de his scribit libro De mūdo, interprete Budæo. Flatus verò in nube implicitus & crassa & humida, continuatum nubis spissamentum violenta eruptione confringens, mugitum edere cum ingenti fragore solet, qui tonitru dicitur, modo haud absimili spiritus vehementer in aqua impulsi. Fulgetrum est spiritus ignitus & coruscans, dum nubes dirumpitur. At verò quod fulserit, si ad terram vsque cursim illisum sit, fulmen vocatur. Hæc Aristoteles. Ex his iam videtur, eundem flatum esse & tonitruum & fulgetrum & fulmen: tonitruum autem dici quum adhuc in nube luctatur, maximè autem quum nubis spissamentum violenta eruptione perfringit: fulgetrum, quum ardet & coruscat dirupta nube: fulmen, quum in terram idem illiditur. Adhæc, quum omnia tria simul fere accidant, tonitru, fulgetrum, fulmen, eo tamen ordine vt primum sit tonitru, proximum fulgur, vltimum fulmen: non est insolens quòd per tonitrum (quod sensibilius est, eóque plus terret, tum & primum est) reliqua Vates intellexerit. Fulgetra tamen nominatim memorat versus septimus, quum canit vocem Iehouæ flammas igneas secare. hoc est, ceu excisas ignis partes eiaculari. Quòd autem antè fulgura videntur, & fulminis ictus sentitur, priusquam tonitru exaudiatur, tarditas efficit auditus, qui naturæ est aereæ & spirabilis, quum oculi sint igneæ: tum & lux velocior est sonitu. *Confringit (inquam) Iehoua cedros Libani.* ᶜ Propheta cedros Libani præcipuè commemorat (sicuti iam attigimus) quia illic admodum proceræ & formosæ erant.

6 *Et saltare facit eas quasi uitulum: Libanum & Sirion, quasi filium unicornium.*

Et saltare facit eas quasi uitulum. [y] Et exilire facit eas more vituli: vel, subsilire facit eas instar vitulorum. *Libanum & Sirion, quasi filium unicornium.* Sub. subsilire (inquam) facit. [c] Metaphora planè poetica, & cui coniuncta est hyperbole, vtitur, dicens Libanum saltare ad vocē Dei, quasi vitulum, Sirion verò instar vnicornis quod scimus pernicissimum esse animal. Alludit autem ad terrificum tonitruum fragorem, qui montes videtur à suis radicibus fere euellere. Libani meminit, qui mons cedros, & Siriō, qui & ipse vel cedros vel alias arbores robustiores habet. Libani passim in Scriptura & aliis authoribus mētio fit: Sirion mons Hermon est. Qui enim Hermon aliàs vocatur, eum Sidonii Sirion, & Amorrhæi Senir appellant: vt legimus Deut. 3. b. 10. Ptolemæo idem Hippus dicitur. Iunctus est Antilibano: & fieri potest vt cum Hippo totum Antilibanum Scriptura hoc nomine significat it. De fera quam Scriptura ראם vocat, & alii vnicornem, alii rhinocerotem reddunt, diximus suprà, 22. c. 22.

7 *Vox Iehouæ excidens flammas ignis.*

Vox Iehouæ excidens flammas ignis. [y] Dissectas eiaculans. vel, soler elicere, id est eiicere. q. d. Vnà cum tonitru emicat fulgetrū. [m] Commendat Dei potentiam à fulgetris, dicens Iehouam excidere flammas ignis, dum scilicet exhalationes quasi eius malleo percussæ in fulgetra & fulmina erumpunt. [m] Et certè hoc terribile in tempestatibus & non mediocre diuinæ potētiæ indicium est, quòd in medio nubium & aquarum flammas ignis eiaculatur, quum nihil naturæ ignis æquè sit contrarium atque illa vis aquarum in cæli tempestatibus effusa. [z] Subiicit hoc descriptioni violentiæ fulminis in disiectione arborum, notās fortè incendium quo icta fulmine conflagrare solent. [c] De his rebus acutissimè Aristoteles in Meteoris disputat, quantum ad propinquas causas: nisi quòd præcipuum caput omittit. Esset quidem vtilis & iucunda rarum rerum inuestigatio, si nos, vt decebat, manu duceret ad ipsum naturæ authorem: sed vbi totidem obstaculis nos moratur ac retardat quot occurrunt mediæ causæ, nihil est magis præposterum. Perinde enim istud est ac si quis in primis rudimentis tota vita subsistat. denique hoc est ita discere vt nihil vnquam scias. Vnum igitur laude dignum acumen est, vehiculis istis attolli ad cælum vsque, vt non tantùm confusus sonitus aures nostras feriat, sed vox Domini ad pietatem erudiat.

8 *Vox Iehouæ trepidare facit desertum: trepidare facit Iehoua desertum Cades.*

Vox Iehouæ trepidare facit desertum. [y] Parturire facit desertum, parturire facit Iehoua desertum Cades. [c] Quidam exponunt quòd Deus parturire facit desertū Cades, quia in populi transitu multa in eo miracula ædita fuerunt: sed hic sensus longè petitus & nimis coactus est. Videtur enim potius alludere Dauid ad communem hominum sensum. Nam quum per se horridæ sint solitudines, plus illic terroris incutiunt tonitrua, grandines & procellæ. Non displicet tamen pro feris ipsis desertū accipi per synecdochen. [h] Dei ergo potentiam ab eo prædicat quòd bestias ac feras deserti perterrefacit. nam & hoc fit in tempestatibus. Quædam animantia sæuiente tempestate saltus ac nemora linquunt, quædam prorsus præ nimio terrore emoriuntur. *Trepidare facit Iehoua desertum Cades.* [z] Deserti Cades meminit, quòd sit multo vastissimum & maximè horrendum, per quod populus Israel quadraginta annis circunductus fuit, postquam esset ex Ægypto egressus. Hebræorum sapientes serībūt quinque nominibus vocatum esse hoc desertum, Sinai, Sin, Cades, Cadmoth, Paran, Numer. 33. c. 16. & Moses idem desertū Sin & Cades dictum testatur. Cades dictum putant quòd filii Israel sint in eo parati & idonei redditi qui terrā Chanaan ingrederentur. קדש enim Præparare significat. Alii scriptores eremū Arabiæ vocant. pertingit vsque Idumæam, Num. 10. c. 16.

9 *Vox Iehouæ parturire facit ceruas, & detegit syluas: & in templo eius totus eius [populus] dicit laudem.*

Vox Iehouæ parturire facit ceruas. [c] Hic versus exegeticè additus est. [a] Exponit enim quid per desertum Vates versu superiori intellexerit, nempe feras quæ illic delitescunt. [m] Dicit autem vocem Domini ceruas ad parturitionem adigere, videlicet perterrefactas tempestatum violentia. [z] Ferunt has difficillimè parere: proinde terroris magnitudinem eo indicat, quòd tempestate consternatas canit parere. Et haud scimus an de intēpestiua parturitione & abortu hoc intellexerit. Sic enim magis diuinæ potentiæ miraculum auxerit, vt cuius vox parturire faceret ante legitimum tempus & eas animantes quæ suo etiam tempore ægrè enituntur. De ceruarum parturitione vide Iob 39. a. 4. & Aristotelem libro 6. De natura animalium, cap. 29. [c] Subest autem (vt diximus) tacita comparatio. Est enim plusquam absurdum & monstro simile, homines Dei voce non affici, cuius vis tam efficaciter se exerit erga feras bestias. Iam quædam fœda ingratitudo est, in toto naturæ ordine non sentire eius prouidentiam & imperium: sed detestabilis est ista socordia, ratis saltem & insolitis eius operibus, quæ feras bestias ad obsequiū cogunt, ipsos non doceri. *Et detegit syluas.* [y] Et denudat. Præt. Hebræum pro præsenti. [z] Dicitur vox Domini syluas detegere, vel quia nullis integumentis arcetur quominus in abditissimos quosque recessus & cauernas penetret: vel quia fulmina, imbres & procellosi venti, foliis decussis arbores denudant. Vterque sensus non malè cōuenit. *Et in templo eius totus eius populus dicit laudem.* [y] Dicit gloriā. id est, sancti omnia Deo tribuunt, & eum laudant. [c] Quum Vox Dei totum mundum impleat, séque diffundat in vltimas vsque plagas, eius tamen gloriā in sola Ecclesia celebrari dicit Propheta: quia scilicet Deus illic nō modò articulatè loquitur, sed blandè etiam fideles ad se inuitat. Terrifica enim eius vox, quæ variis modis in aere tonat, sic verberat hominum aures, & corda pulsat, vt tamen recedere quàm appropinquare malint. Omittimus quòd bona pars surdis auribus sonitum vocis diuinæ in procellis, imbribus, tonitru & fulminibus præterit. Quia ergo non eousque proficiunt homines in illa vniuersali schola, vt se Deo subiiciant, scitè Dauid specialiter fideles dicit, laudes Dei in templo eius canere: vtpote qui familiariter edocti paterna eius voce, totos se addicunt in eius cultum, & consecrant. Nemo enim ritè gloriam Dei prædicat nisi qui voluntarius est eius cultor. Ac posset istud in modum querimoniæ accipi, vt Dauid accuset totius mundi silentium: quia quum vbique vox eius personet, nusquam prædicentur eius laudes nisi in vnico tēplo. Videtur tamen piorum exemplo totum humanum genus hortari ad celebrandum Dei nomen, & consultò templum statuere quasi auditorium gloriæ Dei: vt sciremus ad Deum verè cognoscendum & laudandum alia voce opus esse quàm quæ per tonitrua, imbres & procellas in aere, montibus & syluis auditur. Nisi enim articulatè nos doceat, & quidem paterni amoris gustum præbens ad se blandè alliciat, muti semper iacebimus. Sola est igitur salutis doctrina quæ eius gratiam totámque voluntatē nobis clarè patefaciens, corda nostra exhilarat, oráque nostra aperit ad canēdas eius laudes. Itaque hinc eius laudandi ratio discenda est. Et certè videmus nullum tunc in toto orbe, excepta Iudæa, fuisse pietatis lumen. imò philosophi, qui visi sunt ad Dei notitiam propius accedere, nihil prorsus afferunt quod eum verè glorificet. Quicquid enim de religione disserunt, non modò frigidum est, sed fere insipidum. Ergo in solo eius verbo lucet veritas quæ nos ad pietatem adducat. [z] Potest etiam hic esse sensus huius particulæ, Quum perterrefaciat omnia portentosa vox Domini, suos tamen recreat, & laudem dicere cōpellit. Quāto enim potētiorem Deum & formidabiliore virtute insignem agnoscunt, tanto solidiore spe firmantur, & gaudio pleniore perfunduntur, vt quibus contigerit hunc Deum vindicem, protectorem & patrem habere. Ex his discendum vt de tēpestatibus & aliis operibus Dei sentiendum, vtque memoranda sint. Quicquid huius accidit, sunt qui illico dicūt, Naturale hoc est, causam eius Aristoteles reddit. Quasi verò non & naturæ author Deus sit, aut quicquā sit quod non ipsius solius nutu certáque dispositione fiat, vt sunt ab eo ex nihilo omnia condita. Pius itaque, quantumlibet solito naturæ cursu opera Dei euenire videat, nihilo minus potentiam & bonitatem autoris religiosè suspiciet, metúmque & reuerētiam Dei in se & aliis excitare dabit operā. Impiorum est nullam operum Dei rationē habere, vti canit versus quintus Psalmi proximè præcedentis: qui etsi de peculiaribus illic Dei operibus dictus sit, res ipsa tamen docet catholicā eam sententiam esse. [m] Certè deploranda est quorundam duritia plusquā agrestris & ferina, qui tam euidenti potentia Dei nihil mouentur, quum illum agnoscant robustissimæ arbores & syluestres feræ. [a] כבוד Hebraicè habetur, quod gloria & dignitas verti solet: sed hic propriè laudem sonat. Etenim gloriæ laudem Vates intellexit, sicut & versu 2.

10 *Iehoua in diluuio sedit, & sedebit Iehoua rex in seculum.*

Iehoua in diluuio sedit. [y] Et sedebit, & præsidebit. Futurū pro præsenti, Iehoua diluuio præsidet. Quidā volunt vau hoc loco esse similitudinis particulam, sic vertentes, Iehoua præfuit in ipso diluuio: ita sedebit rex in æternum. q. d. Vt Iehoua fuit author diluuii tanquā rex, ita semper penes eum erit summa potestas. Et sic Dauidem ad illam memorabilem Dei vindictā alludere putant, quum semel orbem terrarum submersit, Gen. 7. d. 21. quia tunc testatum fecit omnibus seculis se hominum esse iudicem. Hæc expositio repudianda non est: etsi hæc sententia longius extenditur. Idem enim argumentum prosequitur Dauid, admonēs ipsas quoque inundationes, quæ terræ interitum minantur, sic temperari Dei prouidentia, vt ipsum guber-

nacula semper tenere appareat. Ergo inter alia potẽtiæ Dei documenta hoc cõmemorat Dauid, etiam quum maxima aeris intemperie videntur elementa inter se misceri & cõfundi, Deum tamen è solio suo cælesti regere ac moderari istas perturbationes. [a] Chaldæus hunc versum sic reddidit, Deus in tẽpore diluuii super sedem iudicii sedit, vt vicẽ redderet prauis, sedisque super sedem misericordiæ, & liberauit Noe, & regnabit super filios eius in secula seculorũ. [m] Verùm simpliciter (vt dictũ est) Dei potentiam celebrat Dauid ab aquarũ multitudine, quas aliquãdo instar diluuii effundit: sic tamen eas moderatur & regit vt palam sit virtutem eius magnificam esse. Ideo exegeticè addit, *Et sedebit Iehoua rex in seculum.* [a] Q.d. Etsi magna pars hominum hæc omnia naturæ viribus aut fortunæ tribuat, solus tamen Deus est qui hæc omnia gubernat, & eius potentia perpetuò duratura est.

11 *Iehoua robur populo suo dabit: Iehoua benedicet populo suo in pace.*

Iehoua robur populo suo dabit. [c] Redit ad superiorẽ sententiam, Deum scilicet, quãuis promiscuè virtutẽ suam visibilem exhibeat toti mũdo, peculiari tamen modo erga electum populum exerere. imò longè aliter quàm suprà, nunc eum describit, qui scilicet non metu & formidine prosternat quos alloquitur, sed potius sustentet, foueat ac confirmet. [a] Etenim omnẽ suam potẽtiam in bonũ populi sui exerit, virtute instruit, neà malis opprimãtur: tum omnium beneficiorũ genere cumulat, & pacem (hoc est trãquillum rerum successum) donat. Nõ igitur perterrefieri, sed spe optima erigi lætitiáq; affici oportet eos qui Dei populus cẽsentur, quotiescunque se Dei virtus & potentia clarius profert. Hinc iubet suos Christus, quũ vltima die tota orbis machina ruinã minabitur, attollere capita sua, & gaudere, eo quòd redẽptio eorum proxima sit, Luc. 21. f. 28. Ita quouis tẽpore quanto Deus suam potentiam luculentius exerit, tanto sanctos magis exhilarari oportet, eo quòd quicquid gesserit Deus, ipsis bono esse necesse sit: & sperare tanto insigniora gesturum, quanto maiore orbi se magnificentia insinuat. Et, vt nihil peculiare atque insigne designet, (vt pleræque tempestates accidere videntur) adhuc gaudere necesse est filios Dei vel ex eo solo quòd audiant Deum suum, cuius potentiam mundus alioqui ridet, sic mortalibus metum incutere, suámque maiestatem declarare. Roboris nomen totum statum continet. Dauid itaque, quicquid ad tuendam vitã fidelium pertinet, à sola Dei gratia pendere significat. *Iehoua benedicet populo suo in pace.* Amplificat Dei gratiam erga fideles, verbo benedicendi. Dicitur enim benedicere Deus in pace quos tam liberaliter ac benignè tractat, vt nihil ad prosperum vitæ cursum plenámque fœlicitatẽ desit. [a] Quẽadmodum vidimus suprà, 23. a. 1. Et alibi dicitur, Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eũ, Infrà, 34. b. 10. [c] Hinc ergo discamus sic revereri Dei imperium, vt tamen ab eo prospera omnia speremus: & quantũ ipse valet immensa potentia, certò persuasi simus, inuicto præsidio nos munitos esse.

ARGVMENTVM PSAL. XXX.

[a] HOC Psalmo Dauid ex magno aliquo discrimine liberatus gratias Deo agit, & alios ad prædicandam Dei bonitatem magnis affectibus inuitat & hortatur. [b] Deinde fatetur, quia sibi in rebus prosperis nimis securè blanditus fuerat, confidentiam suam meritò correctam fuisse. Tertiò, postquam breuiter mœrorem suum exposuit, ad gratiarum actionẽ iterum reuertitur.

PSALMVS *cantici dedicationis domus* Dauidis.

Psalmus cantici dedicationis. Quidam inter Psalmũ, canticum, canticũ Psalmi, & Psalmum cantici sic distinguũt, vt Psalmus sit sonus organi, cessante voce humana: canticum verò, quum voce fit modulatio sine concinente organo: canticum Psalmi, quum vox humana concentum sequitur organi: Psalmus verò cantici, vbi contrà. Hebræorũ doctores differẽtiæ huius rationem se ignorare ingenuè agnoscunt. [b] Porro scribunt Iudæi Psalmum hunc à Dauide esse cõscriptum pro dedicatione templi: alii, primi templi extructi per Solomonem: alii, secũdi ædificati per reduces è Babylone: alii, extruendi per Messiam quem expectant. [c] Dubitant etiam quidem interpretes à Dauidéne compositus fuerit hic Psalmus, an author eius fuerit quispiam ex Prophetis, postquam ab exilio Babylonico reuersi sunt Iudæi. Domus enim templum illis significat. Sed quum inscriptio disertè nomen Dauidis exprimat, magis videtur probabile de priuatis ædibus haberi sermonem. Porro quòd diuinant quidam, Dauidem, quum palatiũ dedicare vellet, graui morbo fuisse correptũ, solida ratione non nititur: quin potius coniicere ex sacra historia licet, simulac palatiũ suum ædificauit, tranquillè & commodè illic habitasse. Dicebat enim Prophetæ Nathan, pudendum sibi esse quòd quiesceret ipse in domo cedrina, arca verò fœderis sub pellibus iaceret, 2. Sam. 7. a. 2. Deinde ad morbum restringere quod hic de periculo refertur, nulla ratio cogit. Magis credibile est, quum extincto Absalom, deletáque eius factione, & composito exitiali illo motu quasi postliminio in pristinum regni statum reuersus esset, hanc Dei gratiam celebrasse. Commemorat enim se ideo fuisse Dei manu castigatum quia lætiore fortuna nimis exultans & fere ebrius falso & stultè æternam à rebus aduersis immunitatem sibi promiserat. Porro magnificam & regiam illam domum, cuius paulo antè meminimus, iã incolere cœperat, regno vixdũ bene pacato. tunc igitur nondum humanæ fragilitatis obliuio obrepere potuit, quæ iram Domini prouocaret, periculumque accerseret quod ab vltimo interitu parum abfuit. Quare absurdum nõ est, ob recuperatum priorem statum, hoc Psalmo celebrari Dei gratiam. Domum enim quæ incestis stupris Absalom aliisque flagitiis polluta fuerat, iterum dedicare necesse fuit. Et sub hoc nomine videtur notari restitutio tam in vitam quàm in regnum: acsi diceret, hunc se hymnum cecinisse Deo postquam rebus publicè compositis domum quoque suam solenni more dedicauit, vt in sua familia degeret. Cæterùm de hac Legali ceremonia breuiter hoc notandum est, quia ad reputanda Dei beneficia segnes admodum & frigidi sumus, hoc genus exercitii veteri populo fuisse mandatum, vt agnosceret nullius rei vsum sine gratiarum actione purum & legitimum esse. Ergo sicut in primitiis prouẽtum totius anni Deo ferebant acceptum, sic etiam domos consecrando, Dei se inquilinos esse fatebantur, quia eos hospitio exciperet. Ideo si delectus ad bellum fieret, hæc iusta vacationis causa fuit. Adde quòd hoc ritu simul admonebãtur, tunc rite & ordine vnumquemque domo sua frui si quoddam esset Dei sacrarium, vbi vigeret pietas & sincerus eius cultus. Nunc quamuis cessauerint Legis figuræ, tenẽda est tamen Pauli doctrina, quæcunque Deus in vsum nostrum destinat, fide & precibus demum sanctificari, 1. Timoth. 4. b. 4. [m] Sed hodie mortales conuiuiis domos suas dedicant, præterea parum expendentes diuinũ beneficium. Non adeo malus mos esset quòd gratulationis vice amici vel munuscula mittunt, vel conuiuio excipiuntur, si illud ex animo beneuolo fieret, & fieret erga quẽuis proximum. quid verò desit scimus plus satis. Pauci sunt qui Dei munus agnoscãt: atque ideo plerique luxu plusquam Gentili ædes hodie struunt, pauperum obliti. Nõ potest fieri vt quã donum Dei gratis agnoscit, illo abutatur. Nos exigimus à liberis nostris vt ad quoduis munusculum grati sint, idque vel capitis denudatione, vel dexteræ porrectione, vel genuflexione testentur, ad hoc vt sciant se beneficium accepisse, & acceptum bene collocent. Quare non idem erga patrem nostrum cælestem declaramus?

2 *Exaltabo te Iehoua, quoniam exaltasti me, nec lætificasti inimicos meos de me.*

Exaltabo te Iehoua. [p] Glorificabo te Domine, & nomen tuum ornabo & laudibus eueham. *Quoniam exaltasti me.* Extulisti me, sub. è profundo. id est, eripuisti è profunda morte. Metaphora à fouea. Alii. Attraxisti me. [c] Quia tãquam è sepulcro in auram vitalem sublatus fuerat, nomen Dei se exaltaturũ promittit. Sicut enim Deus nos in profundũ demersos manu sua in altũ erigit, sic vicissim nostrũ est laudes ei ore & lingua efferre. [a] Alioqui bis ingrati sumus, si beneficiis affecti, & è periculis erepti, ab actione gratiarum cessamus, quam scimus coram Deo vice sacrificii boni odoris esse. Inuoca me in die tribulationis: eripiã te, & glorificabis me, Infrà, 50. c. 15. Et, Sacrifica Deo confessionem, &c. Ibidẽ, versu. 14. *Nec lætificasti inimicos meos de me.* [v] Aut propter me. Vel, Nec fecisti vt de me gauderẽt hostes mei. [c] Hostes, quibus lætitiæ materiam non fuisse præbitam dicit, tam domesticos quàm exteros intelligere licet. Quamuis enim improbi & maleuoli seruili adulatione eum coluerint, occultũ tamen odium fouebant, vt parati essent ad insultandũ, si oblata fuisset occasio. [b] Conuenit hæc particula cum illo versu, Confundantur & conturbentur valde omnes inimici mei, conuertantur & erubescant repente, Suprà, 6. c. 11.

3 *Iehoua Deus meus, clamaui ad te, & sanasti me.*

Iehoua Deus meus, clamaui ad te. Q.d. [p] Anxio corde auxilium tuum desiderans vociferatus sum ad te. *Et sanasti me.* Hoc versu ratiocinatur se Dei gratia saluũ esse, quia in ipso mortis articulo vota sua ad Deum vnum direxerit, ac repentè senserit non frustra se id fecisse. Nam hinc certius colligimus Deum nobis salutis esse authorem, vbi preces nostras exaudiuit. [a] Sic alibi dicebat, In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum vociferatus sum: & exaudiuit de tẽplo suo vocem meã, & clamor meus coram eo introiuit in aures eius, Suprà, 18. a. 7. [c] Ceterùm quia verbum רפא Hebræis significat Sanare, hac ratione inducti sunt interpretes quidam vt ad morbum restringerent. Sed quia certum est interdum sumi pro restituere, imò

ad altare vel donum trāsferri, vbi instaurationis fit mentio: aptè hic de qualibet liberatione exponere licebit. Neque enim tantum in morbis periclitatur hominis vita, sed etiā aliis pluribus modis. Et scimus hāc loquendi formā passim in Psalmis occurrere, quòd Dauidi reddita fuerit vita quoties eum Dominus è graui summóque aliquo discrimine eripuit. [a]Vide suprà. 6. a. 3.

4 *Iehoua ascendere fecisti ab inferno animam meam, viuificasti me à descendentibus in sepulchrum.*

Iehoua. [b]Geminatio inuocationis, quòd tertiò Iehoua dixit, affectus ardentioris indicium est. *Ascendere fecisti.* Induxisti, reuocasti, exaltasti. *Animam meam.* Hebraismus frequens, anima mea loco pronominis ego, aut me. [c]Hæc subiecit Dauid amplificandi causa. Neque enim gratiæ magnitudinem se verbis assequi putauit, nisi sepulchro & foueæ conferret illius temporis caliginem quo se in fugam trepidè coniicere coactus est, vt latebris vitam suam protegeret, donec sedata esset tumultus flamma, 1. Sam. 13. d. 15. Ergo tanquam rediuiuus se mirabiliter à præsenti morte extractum fuisse prædicat. Et certè quanta rerum omnium desperatio miserè eum vrgeret, ex sacra historia patet. [a]Hanc alibi periculi magnitudinem declarabat, Circundederant me funes mortis, & torrētes impietatis terrebāt me. Funes sepulchri circundederāt me, præuenerāt me laquei mortis, Suprà, 18. a. 5. *Viuificasti me à descendentibus in sepulchrum.* [v]Ad verbum, Viuificasti me à descendendo me in foueam. Hebraismus est, pro, Vitam mihi restituisti, ne descenderem in foueam, siue in sepulchrum, hoc est, ne morerer.

5 *Canite Iehouæ misericordes eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius:*

Canite Iehouæ. [c]Quò suam gratitudinem melius testetur, sanctos omnes ad canēdas Dei laudes sibi socios aduocat, & ab vna specie transit ad totum genus. Quia enim præter spem seruatus hoc exemplo de perpetua & immensa erga cunctos fideles Dei bonitate edoctus fuerat, in hanc exhortationē erumpit, qua cōmunem totius Ecclesiæ salutem cum sua complectitur. Neque enim recitat tātùm qualem ipse Deum expertus fuerit, sed quam liberaliter propēsóque fauore suos omnes iuuare soleat. Denique vno documento admonitus, ad generalem doctrinam sensus suos refert. [m]Excitat ergo alios ad laudandum secum Dominum: [a]sicut alibi dicit, Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius simul, Infrà, 34. a. 4. [m]Nam ita habēt pectora affectu laudandi Deum prædita. Non enim satis est à se laudari Deum: cupiunt id fieri etiam ab aliis. Hoc sentiamus & nos de sanctis qui hodie supra Deum etiā coluntur. *Misericordes eius.* Vel mansueti eius. [c]Quid valeat epithetū חסידים, quo sæpe fideles insignit Dauid, dictum est suprà, 16. e. 10. Cælestis enim adoptio eos ad beneficentiæ studium accēdere debet, quò Patris ingenium referant, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, Matth. 5. g. 45. Nihil autē est quo propius ad Deū accedant homines quàm beneficentia. [a]Vocat ergo Propheta fideles māsuetos siue bonos Dei, id est ex Deo natos: quo significauit neminē verè bonum esse qui non sit Dei, hoc est ex Spiritu Dei renatus, eóque quātus est, Deo deditus: & rursus neminem Dei esse, neminē populo eius iustè accenseri, nisi qui bonitati studeat, omnium vsibus sese addicēs. *Et confitemini memoriæ sanctitatis eius.* [v]Et celebrate memoriā sanctitatis eius. id est, celebre reddite nomen sanctum eius. [c]Vel memoria sanctitatis ad tabernaculū referri potest: acsi iuberet Dauid omnes Dei filios prodire coram arca fœderis, quæ memoriale erat præsentiæ Dei. Litera enim Lamed locum sæpe denotat. Eorū tamen expositio reiicienda non est quibus memoria tantundem valet ac nomen. Et certè suis operibus memorabilem se Deus reddit, vbi relucet gloriæ eius imago, cuius intuitu nos ad eum laudandum expergefieri conuenit.

6 *Quoniam momentum est in furore eius, vita in voluntate eius: vesperi pernoctabit fletus, & mane lætitia erit.*

Quoniam momentum est in furore eius. [a]Quoniam hortatus est fideles vt Iehouæ canerent, & memoriam eius augustam redderēt vsque bonitatis ipsius præconio, nunc bonus volens materiam offerre, [m]sic bonitatem Dei deprædicat, vt ostendat eum non gaudere nostris afflictionibus, & siquādo irascatur, iram statim remittere, & magis vita nostra delectari quàm morte. *Vita in voluntate eius.* חיים ברצונו. Sub. in sic, In vita, in beneuolētia sua. vel, in beneplacito suo. Hebraismus pro, tēpore vitæ lōgissimæ est in beneplacito suo. q. d. Momentanea est illius ira: (hoc est, breuissimo tempore affligit) amor verò quo nos prosequitur, per omnem vitam durat. [c]Nam vitam momento opponi extra controuersiam est: ideóque pro longa duratione vel continuo diuturni temporis progressu accipi. Fatetur ergo Dauid, siquando suos castigat Deus, non tātùm mitigare pœnarum rigorem, sed statim placari, & iræ suæ modū imponere: indulgentiam verò & fauorem prorogare in longum tempus. Ac generalem sententiam (vt diximus) proferre maluit quàm speciatim de se loqui: vt intelligant pii omnes continuum hunc gratiæ tenorem ad se pertinere. Hinc tamen colligimus quanta specie sua māsuetudine, quàm prōpto obsequio Dei ferulis tergum subiecerit. Scimus à primo ætatis flore toto fere vitæ tractu multiplici afflictionum congerie ita fuisse exercitum, vt miser & ærūmnosus præ omnibus aliis censeri potuerit: Dei tamen bonitatem prædicans, se leuiter exiguo tempore & quasi in transcursu rebus aduersis iactatum esse agnoscit. Porro hinc rara moderatio & æquitas, quòd pluris æstimauit Dei beneficia, & in cruce toleranda magis se placidum præbuit quàm vulgò mundus soleat. Si prosperè nobis est, sine sensu vocamus Dei beneficia: certè nobis per socordiam effluunt: simul verò ac triste aliquid & aduersum accidit, perinde conquerimur de eius rigore acsi nunquam benignè & clementer nobiscum egisset. Denique morositas nostra & tædium in dolore seculum ex momento facit: malignitas verò & ingratitudo gratiam Dei, quantumuis in nos prorogetur, momētaneam esse fingit. Sola igitur nostra prauitas impedit quominus reipsa sentiamus omnes iram Dei breuem esse, gratiam verò toto vitæ cursu in nos propagari. Neque enim frustra toties pronūtiat se misericordem & propitium esse in mille generationes, longæ patientiæ, tardum ad iram, ad dandam veniam propensum & facilem. Et quod dicit per Prophetam, quia ad regnum Christi spectat, quotidie impleri necesse est, Ad momētum in ira mea afflixi te: sed misericordiis sempiternis te colligam, Esa. 54. c. 7. Conditio quidem nostra tot miseriis in hoc mundo implicita est, tantáque varietate agitatur vt nullus fere dies sine molestia & dolore prætereat. Deinde inter tot dubios euentus fieri non potest quin assiduè anxii simus ac trepidi. Quocunque igitur se vertant homines, labyrinthus malorum eos circundat: sed quālibet multis iræ suæ signis terreat Deus atque humiliet fideles suos, dulcedinem tamē gratiæ suæ semper aspergit, quæ mœrorem tēperet ac leniat. Ergo si iusta trutina examinēt iram & beneplacitum, semper verum erit illam esse momentaneam, hoc autem extendi vsque ad vitæ finem. Quanquam vltra progredi conuenit. Perperam enim includitur Dei gratia intra caducæ huius vitæ fines. Ac omnino sic habendum, nullos, nisi qui cælestis vitæ cursu supra mundū feruntur, seriò hunc indefessum & perpetuū gratiæ Dei cursum sentire, vt alacriter eius castigationes perferāt. [a]Itaque omnē etenim afflictionem, quamlibet diuturnam, diurnam æstimant quicunque vero iudicio præditi sunt, mirumque est vt indecon solentur. Æternā scimus quicūque Christum agnoscimus, nobis vitam donatam, eámque ex sola Dei beneuolentia: annon momentaneum igitur videri debeat, multis etiamsi seculis discruciari oporteret? Id qui parum perpendunt, dum affliguntur, nihil aliud quàm crucem sibi duplicant, & Deum offendunt. Correctio quamliber salutaris, dum vrit, inamœna quidem res est, vt Hebr. 12. c. 11 dicitur. At dum spectamus quæ non videntur, (vt Paulus scribit 2. Cor. 4 e. 17. 18) & mentem vltra cruciatus in æterna bona, quæ nos manent, traiicimus, verè momētaneum & leue nobis fit quicquid patimur. ita oblectat vel sola futuræ fœlicitatis attentior cogitatio. Quid enim atrox adeo & immane patiatur Christianus, cuius dolorē non excutiant, dum se cogitat in filium à Deo adoptatum, omninóque fore, & breui, vt imagini primogeniti per omnia respondeat: omnium virtutū numeris absolutus, æternúmque beatus? [c]Adde quòd Deus suis nunquam tam graues vel diuturnas pœnas infligit, quin manum subinde retrahat, & aliquo solatio condiat doloris acerbitatem. Ita quisquis ad vitæ cælestis meditationem erectus erit, nunquam afflictionibus, licet continuis, succumbet: & illis ingentes ac multiplices Dei gratias conferens, tantū his deferet honoris vt bonitas centuplo iram præponderet. [a]Proinde dum vel cum morbis vel aliis aduersis conflictamur, nihil prius à Deo Patre orandum quàm vt donet mentem auocatam à malis quæ premunt, in æterna bona, quæ nobis pollicitus est, (quibus tamen nihil minus sentitur) traiicere & in die malorum (vt dicitur Ecclesiastici 11. c. 17) memores esse bonorū ad quæ etiam indulgentissimus Pater aduersis quæ immittit nos tantùm parat. *Vesperi pernoctabit fletus, & mane lætitia erit.* [v]In ipsa vespera manebit [aliquis] in fletu: & ipso mane exultatio. sub. aderit. Alii, Ad vesperam aderit fletus, mane autem ouatio. Vel, Ad vesperam accedat fletus licet, sub auroram tamen lætitia. sub. redit. q. d. Si fortè sub vesperum accedat flebile quiddam, illud in ipsa aurora in gaudium commutabitur. Eandem sententiam figuratè repetit. [c]Non intelligit simpliciter vnius noctis fore afflictionem: verùm siqua tanquam vespere aut in solis occasu caligo incubuerit, lucē paulo pòst exorituram, quæ tristes animos recreet. Huc tendit Dauidis cōsilium, nisi essemus nimium præcipites, Dominum, etiam vbi ad breue tempus nos malorū caligine obruere visus est, semper opportunè suggerere lætitiæ materiam, acsi post noctem surgeret aurora. [c]Quod respexit Paulus

quum diceret, Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra, 2. Cor. 1. a. 5.

7 *Et ego dixi in fœlicitate mea, Non uacillabo in sæculum.*

Et ego dixi in fœlicitate mea. [v] Dicebam (aut dixeram) in tranquillitate mea, Non mouebor in sempiternum. Vel, cogitabam, dum prosperè me habebam, Non nutabo vnquam. Id est, quum confirmatum esset regnū meum, quum omnia mihi succederēt ex animi sententia. [a] quum tāto studio tantáque frequentia ad me in Hebron venissent primores ex Israel, regémq; vnxissent. De quo legimus 2. Sam. 5. a. 3, & 1. Paral. 11. a. 1. Quumque externi quoque reges me venerarentur, cogitabam nō fieri amplius posse vt vel labascerem. [c] Hæc est confessio cuius antea meminimus, in qua se agnoscit iustè & meritò dedisse stultæ securitatis pœnam: quia scilicet conditionis suæ oblitus nimium rebus prosperis se addixerat. Quietis enim nomine trāquillum & fœlicem regni statum intelligit. Alii שלו vertunt abundantiam: (quo sensu alibi sæpe accipitur) sed contextui melius quadrat nomē quietis. acsi diceret, vbi vndique arrisit fortuna, nec quicquam apparuit periculi vnde timendum esset, mentē suam quasi sopore fuisse perfusam, vt sibi continuum fœlicitatis cursum promitteret. Hæc enim fiducia etiam sanctis, dum in suis deliciis tāquam in fæcibus resident, subinde obrepit. Ideo Ieremias se indomito vitulo cōparat, antequam subigeretur à Domino, & assuefieret ad iugum, Ierem. 31. c. 18. Etsi autem primâ specie leue esse videtur hoc vitium, colligere tamen ex pœnis licet quantopere Deo displiceat: quod nobis mirum non erit, si reputemus ex qua radice nascatur, & quos rursum fructus ex se pariat. Quum enim innumeræ assiduè mortes nobis versentur ante oculos, & tot mutationū exempla nos ad timorē curámque solicitēt, diabolica superbia fascinatos esse oportet qui sibi persuadent vitam suam à communi totius mundi sorte immunem fore. Vident confusa varietate misceri totam terram, & singulas eius partes quodammodo huc illuc versari: perinde acsi non essent ex hominum numero, imaginātur se fore semper stabiles, nec vllis mutationibus obnoxios. Hinc etenis lasciuia, vt suis cupiditatibus licēter indulgeant: hinc fastus & crudelitas, hinc etiam precandi negligentia. Quomodo enim ad Deum confugerent, quos nullus stimulat vel mouet suæ necessitatis sensus? Est enim Dei filiis sua pia securitas, quæ turbulentis mūdi procellis tranquillos eorum animos tenet: sicuti David, etiamsi totum mundum quatefieri vidisset, Dei promissioni intuxus, de regni sui perpetuitate bene sperare debuit. Sed fideles quanuis fidei suæ alis in sublime elati res aduersas despiciant, quia tamē reputant cōmunibus molestiis se esse obnoxios, comparāt se ad tolerātiam, singulis horis intenti sunt ad excipiēdos ictus: in ea militia, ad quā se norunt destinatos, excusso torpore se exercēt: trepidè se conferunt in fidem Dei, nec se alibi tutos fore confidunt quàm sub eius manu. Imò verò cum timore & tremore (sicuti Paulus admonet Philipp. 2. b. 15) suam ipsorum salutem operantur: soliciteque curant vt in timore conuersantes, incolatus sui tempus transigant, 1. Pet. 1. c. 17. [c] Aliter David, qui prosperi status illecebris captus æternam sibi quietem ex proprio sensu magis quàm ex Dei verbo pollicitus est. Idem accidit & sancto regi Ezechiæ, qui nuper afflictus graui morbo, simulac bene ex voto successit, carnis vanitate ad superbiam & ostentationem rapitur, 2. Paralip. 32. f. 14. Quo magis cauere nos decet ne inter lætos successus blanditiis suis nos fascinet Satan. Quo igitur quisque benignius tractatur à Deo, à talibus insidiis diligētius sibi caueat. [a] Noxia enim & valde periculosa est huiusmodi securitas & inanis cōfidentia. [c] Neque tamen credibile est sic obtorpuisse Dauidem, vt Deo contempto malis omnibus insultaret: (sicuti multos Cyclopes videmus, dum suauiter in sua crapula demersi sunt, proteruè ridere omnia Dei iudicia) sed mollis quædam inertia mentem eius occupauerat, vt frigidior esset ad precādum, non penderet à Dei fauore: denique fluxæ & caducæ fœlicitati nimium confideret. [a] Cæterùm de regni Dauidis prospero successu & iis quæ tunc temporis acciderunt, vide 2. Samu. 5. b. 12.

8 *Iehoua beneplacito tuo stare fecisti in monte meo fortitudinem: abscondisti faciem tuam, & fui territus.*

Iehoua beneplacito tuo stare fecisti. [c] Hoc versu notatur discrimen inter fiduciam quæ in verbo Dei fundata est, & carnis securitatem quæ ex arrogantia emergit. Neque enim fideles, dum in Deum recumbunt, segnes interea sunt ad precandum: quin potius sedulò reputantes quanta discriminum congerie cingantur, & quotquot humanæ fragilitatis exempla cernunt, his admoniti ad Deum suspirant. Hac igitur in parte deliquit Propheta, quòd anchoram suam figens in præsenti opulentia & pace, aut vela expandens ad secundos ventos, à gratuito Dei fauore non pepēdit, vt singulis momentis paratus esset, quicquid contulerat, in eius manū resignare. Notanda est enim antithesis inter stabilitatē cuius fiducia ex pace concipitur, & quæ locatur in gratuito Dei fauore. *Stare fecisti in monte meo fortitudinem.* [v] Stabilimisti monti meo virtutem. Vel, stare feceras mōtem meum in fortitudine. id est, dignitatem meam regiam in robore stabiliueras. [c] Quidam hoc de monte Sion exponunt. alii accipiunt pro arce munita: quia olim solebant in montibus & locis editis propugnacula extrui. Verum sicuti metaphoricè pro solida fultura nomen hoc accipitur, ita dubium non est quin Propheta ad montem Sion alluserit. Stultitiam ergo suam accusat David quòd non reputauerit (vt decebat) nihil in nido quem sibi fingebat esse firmitatis, sed in solo Dei beneplacito & [a] gratuito eius fauore, quem hic montis robori & stabilitati opponit. [a] q. d. Quum adeo me beneficiis tuis cumulares, cogitabam, Deus finē tandem dedit calamitatū mearum: quod promisit nūc præstare incipit, posthac nihil me deiiciet, sempiterna fœlicitate fruar. Et sanè res ita habere videbatur. omnino enim solidū robore meū montē reddidisti. hoc est, me vt montem robustum firmasti, ne vlla vis hostiū regno deturbare possit. Itaque perpetuum mihi rerum successum facilè promittebā, nec expectabam vllam amplius mutationē. Quid autē tum accidit? *Abscondisti faciem tuam.* [v] Subaudiēdum Statim. sic, Statim vt abscōdisti (vel auertisti) faciem tuā. hoc est, statim vt me rursus affligi permisisti. *Fui territus.* Cōturbatus, cōsternatus. [v] Nunc fatetur, postquā priuatus est Dei donis, hoc quasi elleboro mentē suā à prauæ cōfidentiæ veterno fuisse purgatam. [a] Nam auersionem faciei Domini vocat aduersitates immissas. Qua de re vide sup. 10. a. 1. [c] Mira certè & incredibilis ratio quòd Deus abscondita facie suā, tanquam obductis tenebris, serui sui oculos illuminauit, qui in clara luce nihil videbāt. Sed ita necesse est nos violenter cōcuti ad abigendas blanditias, quæ & fidem suffocant, & inuocationem Dei morantur, & dulci amentia nos prorsus obstupefaciunt. Quòd si tali remedio opus habuit David, non ea prædīti sumus sanitate, quin vtile nobis sit pinguedinē securitatis inopia abstergi. Itaque non est quòd miremur Deum subinde abscondere faciem suam, ad cuius intuitum, dum serena affulget, perperā cæcutimus. [h] Notandum est igitur Deum nonnunquam suos in rebus prosperis plus æquo resolutos, immissis afflictionibus humiliare, [a] vt hoc pacto humiliati, ac suæ fragilitatis admoniti, ex solo Dei fauore & beneplacito, non ex prospero rerum successu, pendeant. Quod vt David agnosceret, Dominus eum variis periculis obnoxium esse voluit.

9 *Ad te Iehoua clamaui, & ad Dominum oraui dicendo,*

Ad te Iehoua clamaui. [v] Futura Hebræa pro præteritis. [c] Iam sequitur castigationis fructus, quòd David in vtranque aurem prius dormiens, suámque pigritiam obliuione fouens, repentè expauefactus clamare ad Deum incipit. Nam sicut ferrum vbi diuturna quiete rubiginem contraxit, accommodari ad vllos vsus non potest, donec igne recoctum & malleo cōtusum fuerit: sic postquam semel præualuit carnis securitas, nemo se ad precandum alacriter accinget, nisi cruce maceratus, & probè subactus. Atque hæc præcipua est afflictionū vtilitas, dum miseriæ nostræ conscios ad expetendam Dei gratiam reuocant.

10 *Quæ utilitas in sanguine meo, quum descendero in foueam? nunquid confitebitur tibi puluis? nunquid annuntiabit ueritatem tuā?*

Quæ utilitas in sanguine meo. [a] Nunc memorat precem quam consternatus fuderat ad Deum. [c] Nonnulli ita exponunt, Quid profuerit me vixisse, nisi eousque vitam meam proroges donec cursum vocationis meæ absoluero, [m] & veram religionem instaurauero in Israele, debellatis hostibus meis? [c] Verùm nimis restricta videtur esse sententia. Nec certè sanguis hic pro vita, sed pro morte ponitur. acsi diceret Quem ex morte mea fructū elicies? Quod ex altero membro certius colligere licet, vbi cadauer suum ad anuntiandas Dei laudes inutile fore conqueritur. *Nunquid confitebitur tibi puluis.* [v] Num celebrabit te puluis? id est, homo, in puluerem redactus. Chaldæus paraphrastes, Nunquid possunt te laudare habitantes in puluere? *Nunquid annuntiabit veritatem tuam?* [h] Num prædicabit promissionum tuarum certitudinem qui mortuus fuerit? [c] Disertè videtur facta esse veritatis mentio, quia cōsentaneum non erat Dauidem immatura morte è medio abripi, antequam præstaret Deus quod de futuro hærede promiserat. Nam quum mutua sit relatio inter Dei promissionē & fidem nostrā, veritas quasi media est, qua Deus palam ostendit se non ideo liberaliter verbis nobiscum agere vt nos inani spe lactet, ac demum frustretur. Porro vt longiorem vitam obtineat, argumētum ducit à Dei laudibus, ad quas celebrandas nati sumus & conditi. acsi diceret, Quorsum me creasti, ô Deus, nisi vt toto vitæ meæ curriculo testis ac præco sim tuæ gratiæ ad illustrandum nomen tuum? Atqui hoc studium mors mea abrumpet: quia extinctus ad æternum silentiū redigar. [a] Videmus hoc loco quomodo sancti in Dei gloriā tantùm viuere cupiunt. [c] Exoritur tamen quæstio, annon mors

etiam fidelium, quæ coram Deo pretiosa est, periode ac vita Deum glorificet. [a] Scimus quid de se Paulus pronuntiet, Spero quòd nulla in re pudefiam: sed cum omni libertate, vt semper, ita nunc quoque magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem, Philip.1.c.20. Responsio, Dauid nõ simpliciter loquutus est de morte: quia circunstantiam addidit quam tractauimus suprà, 6.b.6 Nam quia successorem illi Deus promiserat, hac spe præcisa non immeritò terruit eum frustratio, vt coactus exclamaret, Quæ vtilitas in sanguine meo? Gloriæ enim Dñi intererat superstitem eum manere, donec voti sui compos fidei præstitæ ac completæ testimonium Deo redderet. Itaque quum quærit an puluis confitebitur Deo, non prorsus eripit mortuis eius laudandi facultatem: vt exposuimus suprà, 6.b.6. Nam si fideles carnis onere grauati, in hoc tamen pietatis officio se exercent, quomodo exuti & soluti corporis vinculis resides cessarent? Tenendum igitur est, Dauidem non tractare ex professo quid agant vel in quo se exerceant mortui: sed tantùm respicere in quem finem viuamus in hoc mundo, nempe vt alii aliis vicissim gloriæ Dñi simus præcones. Hac meditatione defuncti vsque ad vltimã vitæ metã, in morte obmutescimus.

11 *Audi Iehoua, & miserere mei, Iehoua esto adiutor mihi.*

Audi Iehoua, & miserere mei. [x] Hebræi subaudiunt, Propterea dixi. sic, Idcirco dixi, Audi Iehoua, libera me ab hoc discrimine. [c] Hac clausula priorem querimoniam temperat & corrigit. Absurdum enim fuisset quasi desperatã salute expostulare cum Deo, & in hoc fremitu desinere. Postquam ergo flebiliter rogauit quid morte sua Deus proficeret, se ad liberiorem precandi formam animat, & noua spe concepta implorat Dei misericordiam & auxilium. Priori autem loco gratiam Dei statuit, vnde operi quam flagitat, sperare debuit. *Iehoua esto adiutor mihi.* [x] Fer mihi auxiliũ, mihi (inquã) viribus destituto in tanto discrimine. [x] Cæterùm possunt hoc versu Hebrææ linguæ gnari certo argumẽto cognoscere, Hebræa Biblia, eo tẽpore quum Græca & vulgata versio conflata est, punctis caruisse. Etenim si puncta tollas, hic versus legi potest ad eum modum quo versus est à Græco & Latino interpretibus: receptis verò pũctis non item. Legunt autem illi sic, Audiuit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus.

12 *Conuertisti planctum meum in chorum mihi, soluisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.*

Conuertisti planctum meum in chorum. [x] In tripudium mihi. Subaudiẽdum autem aliquid, cuiusmodi, Statim vt oraui: vt postea sequatur, Vertisti. id est, eripuisti me ab imminẽtibus periculis. [a] Gratiarũ actione, à qua exorsus fuerat, Psalmũ claudit. Nam quòd incolumis euasit, Dei opus & beneficium esse confirmat. Deinde causam finalem adiungit, vt quòd reliquum est vitæ, ad canendas Dñi laudes impendat. Porrò sicuti fatetur Dauid se in malis non fuisse stupidũ vel ferreum, quum tristis & mœstus lugeret, ita ostendit luctu ipso ad deprecandam iram Dei se fuisse deductum. Vtrunque maximè dignum est obseruatu, ne stolidam duritiem fingamus in sanctis, quæ omnem doloris sensum eis ademerit: deinde, vt sciamus lugendo pœnitentiam meditatos esse. Hoc posterius sacci nomine designat, quum dicit, *Soluisti saccum meum.* [x] Dissoluisti saccum meum, vel discinxisti saccum, aut exuisti me sacco. Saccus erat vestis publicè lugẽtium. [x] Solenne enim fuit veteri populo saccum in luctu induere, & quidem non alia de causa, nisi vt reorum more suppliciter in sordido habitu ad veniam impetrandam coram cœlesti iudice prodirẽt. atque etiam scimus Orientales populos præ aliis ad ceremonias fuisse procliues. [a] Sacci ergo dissolutione & exuitione, luctus remotionem Vates (per synecdochẽ) intellexit. [c] Iam tenemus, Dauidem, quamuis patienter se Deo subiiceret, non fuisse dolore vacuum: sed videmus simul tristitiam eius fuisse secundum Deum, sicuti Paulus loquitur 2.Cor.7.c.10. quia testandæ pœnitentiæ causa ad saccum se contulit. [a] De hoc pœnitentiæ signo frequenter Prophetæ loquuntur: sicuti videre est Esa.22.c.12, & Ioel 3.b.5. [c] Tripudii verò voce non intelligitur lasciua quæuis vel profana saltatio, sed grauis & sancta professio lætitiæ, qualem recitat sacra historia, quum Dauid arcam fœderis in locũ suum deferret, 2.Sam. 6 c.16. Cæterùm si dãdus est coniecturis locus, hinc etiam colligere licet, magnum hoc discrimen de quo loquutus est Dauid, ad morbum aliquẽ perperam restringi. Neque enim verisimile est saccum induisse quum lecto affixus iaceret. Non esset quidem per se hæc satis firma ratio, sed tamen in re dubia pondere non caret. Significat igitur Dauid se deposita lugubri veste, à squalore & sordibus ad festiuam fuisse reuersum, idque totius Dñi gratiæ ascribens, liberatorem suum fuisse testatur. *Et accinxisti me lætitia.* [a] Amictum se gaudio dicit, quia materia causisque gaudii vndique eum Dominus circundederat. Ideo se perpetuò laudaturum & celebraturum ipsum mox profitetur, dicens,

13 *Propterea canet tibi gloria mea, & non tacebit: Iehoua Deus mi, in seculum confitebor tibi.*

Propterea canet tibi gloria mea. [a] Clarius exprimit hoc versu se agnoscere in quem finem diuinitus à morte ereptus fuerit, sibique curæ futurum vt iustum gratitudinis officium Deo rependat. [x] Græca & vulgata Latina habent, Vt cantet tibi gloria mea. Alii, Anima mea. Mea autem non est in Hebræo, sed simpliciter כבוד, gloria. Chaldæus paraphrastes, Propterea laudabunt te honorabiles mundi. [x] Alii vertunt, Canet tibi quisque gloriam. Alii, Psallet tibi decus. Nõnulli volunt gloriam ad superiores animæ partes referri. Sed quia non additur pronomen, (sicuti iam dictũ est) alii vertere malunt in accusatiuo casu, acsi diceret Propheta beneficium hoc esse dignũ quod publicis omniũ præconiis celebretur. Sed quia coactæ sunt huiusmodi interpretationes, manemus in sententia quã posuimus. Nomen כבוד pro lingua interdum metaphoricè sumi certũ est, vt Gen. 49.a.6, & Suprà, 16.c.9. [a] Decus præcipuum hominis est facultas loquendi: hoc in Dei laudem potissimùm vsurum se Vates canit. Porro quum idem mox adiiciat perpetuò se Dñi laudes celebraturum, contextus exigit vt peculiariter officium suum hic commemoret. Sensus ergo est, Domine, quia ideo me seruatum agnosco vt laudes tuæ in lingua mea resonent, hanc tibi operam fideliter præstabo, & partibus meis ad mortem vsque defungar. *Et non tacebit.* [x] Non cessabit à gratiarum actione. Psallere & non silere apud Hebræos amplificat. acsi dictum esset, Ne lingua mea muta sit, vel debita laude fraudet Deum, sed potius se in eius gloriam consecret. *Iehoua Deus mi.* Semper ad vnum Deum respicit: & vt illum in periculis inuocauit, ita illi soli, vbi saluus euasit, gratias agit. *In seculum confitebor tibi.* [x] Gratiam & misericordiam tuã prædicabo, & beneficia tua semper agnoscã. Docemur hic, præter alia, afflictiones immitti in nostram salutem, easque nonnisi propter afferendam gloriam Dei esse depreeandas, cum sanctis breue esse quicquid affligit, æternum quod afficit gaudium. [x] Ex his itaque petenda est patientiæ virtus in rebus afflictis.

ARGVMENTVM PSAL. XXXI.

[c] DAVID ex summo aliquo discrimine, vel etiam pluribus liberatus, primùm quas preces conceperit obiectis sibi mundi terroribus, recitat. [a] Deinde gratias Deo agens non sine ardenti affectu, inuitat ad admirandam illius bonitatem in quoslibet qui ipsum timent: & ad studium Dei, qui à se pẽdentes deserere non potest, hortatur.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis.*

Præfecto, canticum Dauidis. [x] Probabili coniectura duci videntur qui Psalmum hunc ad eam historiam respicere putant quæ legitur 1. Sam. 23.d.25, in qua Dauid ab exercitu Saulis sic conclusus fuisse scribitur vt euadere se posse desperaret. [c] Certè vel maximum aliquod è suis periculis, vel plura etiam commemorat, sicuti plerisque aliis locis. [x] Est autem hic Psalmus sic compositus vt varius sit affectibus mixtus. Iam orat Propheta, iam bene fidit, iam queritur & æstuat, mox gratias agit & exultat. Apparet verò ad hunc modum esse eum attemperatum à Propheta, vt declararet quo fuerit in illis periculis animo, quas passus sit angustias, quid & quomodo ad Deum precatus, & quomodo per illũ à mediis angustiis ereptus sit ac liberat⁹. quæ omnia post liberationem ad id commemorare ac carmine publicè decantando complecti voluit, vt populum Dñi suo doceret exemplo qua deberet esse erga Deum fide ac fiducia, & ad illum in tribulationibus cõfugere. Vnde & diuinæ bonitatis deprædicationem interserit, & pios quosuis ad fiduciam & dilectionem erga Deum amplectendam hortatur.

2 *In te Iehoua speraui, ne pudore afficiar in seculum: in iustitia tua eripe me.*

In te Iehoua speraui. [x] Vel per præsens, Spero. [c] Propheta hoc versu qua precationis forma in suo cruciatu & anxietate vsus sit, refert: in quibus verbis mirè ardentes affectus spirat. [a] Vt verò præcipua in omni afflictione consolatio est, sentire apud se fiduciam in Deum, (inde enim fit vt & de auxilio Dei dubitare nequeat) ita hanc initiò potissimùm iactat, indéque orat vt Deus se eripiat, ne hostium libidini expositus non tam ipse pudefiat (qui alia sibi de ipso Deo pollicitus erat, palámque apud omnes iactauerat) quàm ipsius obscuretur gloria: de quo omnis Scriptura prædicat, haud posse pudefieri qui ipsi fuerint confisi. [c] Itaque fiduciæ argumẽtum sumit quia sperauit in Domino, vel etiam confidat. Verbum enim præteriti temporis (vt aliàs sæpe) videtur hic continuum actum notare. Tenebat enim principium illud, fieri non posse vt spes quæ in Deo recumbit, non frustretur. Interea nihil affert præter vnicam fidem, salutẽ sibi ideo tantùm promittens quia Dei ope & gratiã saluum se

fore credat. Vide suprà, 11.a. 5.b.6. [c] Quia ergo alibi exposita fuit hæc sententia, & sæpius recurret, satis est eam vno verbo attigisse. Vtinam sic in ea omnes se exerceant, vt cum Dauide, quoties ad Deum accedimus, præfari liceat, ex hoc fonte manare preces nostras quia salutem nostram in Dei manu repositam esse persuasi sumus. [b] Hic nulla merita profert Vates. Nam fidele omnia nouit esse Dei, nihil sibi arrogat, vt hypocritæ in bonis operibus cōfidentes, quæ ex hoc ipso bona nō sunt quòd in eis confidunt. non enim fiunt ex fide. *Ne pudore afficiar in seculum.* [v] Ne vnquam sinas me pudefieri, si scilicet non exaudieris me. q.d. Ne patiar repulsam. [c] Particula tamen In seculū (seu In æternum) duobus modis exponi potest. Quia enim gratiam suam interdum subducit Deus, non malè cōueniet hic sensus, [b] Quanuis nunc ope tua destituar, ne tamen ad finem vsque vel perpetuò me abiicias. Ita Dauid contra tentationes se patientia armare volens, temporalibus angustiis frustrationem opponeret. Siquis ita accipere malit, quicquid acciderit malorum, vt semper ad opem ferendam præsto sit Deus, subindéque, prout res postulabit, manum porrigat, hic quoque repudiandus nō est. [m] Interea obseruandum est exemplum pii animi, quòd nulla in re minus sustinet pudefieri quàm in certitudine spei ad Deum. Hinc primò etiam pie deprecatio confusionis: quemadmodum & suprà, 22. b. 6, & 25. a.2. Nam ista confusio recidit in gloriam Dei, quæ est, quòd non deserere sperantes in se prædicatur in omni Scriptura: sicuti iam dictum est. *In iustitia tua eripe me.* [c] Petit liberari in iustitia Dei, eo quòd Deus fidem seruis suis datam præstando iustum se probet. Nimis argutè philosophātur qui Dauidem ad iustitiam quam Deus gratuitò suis largitur, confugere dicunt: quia propria operum iustitia vacuus sit. Stultè verò alii, qui Deum pro iustitia sua seruare sanctos putāt: quia sic meriti sunt vt æquum sit mercedem illis rependi Nam ex frequenti Psalmorum vsu colligere promptum est, iustitiam Dei pen fide accipi, qua suos omnes tuetur qui se eius præsidio tutelæque cōmittunt. Acsi diceret Dauid, [a] Ex magno hoc discrimine eripe me Domine, pro tua iustitia: [b] qua nimirum soles ex fide optima & quambenignissimè agere cum iis qui tibi sese concrediderint. De hac iustitia vide suprà, 5.b.9, & 22.g.32. [c] Ergo à natura Dei spem suam cōfirmat Dauid, quia seipsum abnegare nequeat.

3 *Inclina ad me aurem tuam, celeriter erue me, esto mihi in petram fortem, & in domum munitam, ut serues me.*

Inclina ad me aurem tuam. [m] Hæc precatio ardet vehementibus affectibus. [c] Ostendit enim quāto ardore accensus fuerit animus Dauidis ad precandum: quia non rhetorum more orationis splendorem vel ornatum affectat, sed tantùm affectus sui vehementiam aptis verborum figuris describit. Q.d. Vehementissimè desidero te mihi adiutorem, qui maximè vrgeor, & tu solus succurrere nosti, vis & potes. *Celeriter erue me.* [c] In hac etiam festinatione quam optat, ostenditur periculi magnitudo: acsi diceret, mox de vita sua actum fore, nisi Deus auxilium suū acceleret. [a] Sic alibi, Deus vt eruas me, inquit, Domine ad auxilium meū festina. Infrà, 70. a. 2. *Esto mihi in petram fortem.* [v] Hebræi carent adiectiuis propterea dicunt, Petra fortitudinis, domus munitionum, vel mnimentorum: pro, petra (siue rupe) forti, & domo munita. Domus pro quouis loco vsurpatur Hebræis.

4 *Quoniam petra mea & munitio mea es, & propter nomen tuum duc me, & deduc me.*

Quoniam petra mea & munitio. Vel, Quoniam rupes mea & turris mea tu. [c] Arcis, propugnaculi & rupis nominibus significat Dauid se hostibus suis imparem esse ad resistēdum: ideóque vnicam spem restare in Dei præsidio. Acsi diceret, [b] Tu solus es ad quem confugio semper, qui me suscipis ac defendis, & nemo alius. fer igitur opem ad te clamanti, quum vnus sis per quem seruari atque eripi periculo & possum & spero. [a] Congeries tamen hæc tam harum appellationum quàm inuocationis auxilii, periculi in quo erat, atque anxietudinis qua inde coarctabatur, pondus ac magnitudinē indicat. *Et propter nomen tuum duc me.* [c] Posset vno contextu legi hic versus, Quia tu mihi es instar arcis munitæ, propter nomen tuum dirigas me, ac deducas toto vitæ cursu atque ita copula (vt suprà, 15.c.11) superuacua esset. [c] Sed diuersus sensus aptior videtur, quòd Dauid hac meditatione interposita, se non modò ad studium precādi, sed impetrandi quoque fiduciam animet. Scimus enim hoc illi esse familiare, precibus miscere quæ ad tollendam dubitationē & certitudinem confirmandam valeant. Postquam ergo suam necessitatem exposuit, iam vt animum colligat & erigat, statuit certum fore voci sui successum. Prius dixerat, Sis mihi in rupem & propugnaculum: nunc addit, Certè tu es arx mea & propugnaculum, significans se non temere iactasse has voces: vt multa optare solent à Deo increduli, quos dubii euentus timor suspensos tenet. Hinc etiam alterum deducit, quòd perpetuo vitæ cursu Deum habiturus sit ducem ac gubernatorē. Ac duobus quidem verbis rem vnā designat, propter varios casus & inæquales vices quibus circumagitur hominum vita, ac si dixisset. Siue per montes arduos reptandum, siue per salebras enitendum, siue inter spinas ambulandum sit, te mihi perpetuum ducem fore confido. *Et deduc me.* [a] Ne vnquam seruum tuum deseras, quicquid illi acciderit. [a] Iure perfecto deduci, minari moderarique se orat, qui humanis viribus elabi non poterat: deducente autem minātéque Domino omnia pericula & hostium machinamenta euasurus facillimè. [c] Porro quia semper vacillandi materiam in se reperiunt homines, disertè petit Dauid vt Deus nomen suum vel gloriam respiciat: sicuti nō aliunde ad nos iuuādos propriè inducitur. Atque ita tenēdum est, Dei nomen, quatenus meritis omnibus opponitur, vnicam salutis nostræ causam censeri. [a] Sic alibi dicebat hic idem Vates, Propter nomen tuum Domine, parces iniquitati meæ, Suprà, 25.c.11.

5 *Educ me è reti quod absconderunt mihi: quoniam tu es fortitudo mea.*

Educ me è reti quod absconderunt. [a] Periculum memorat, & iterum fiduciam suam prædicat, similem se faciens auiculæ quæ iam reti vel laqueo capta tenetur. [c] simulque insidias & fraudes quibus circumuentus fuerat ab hostibus hac retis similitudine notat. Scimus enim de eius morte inita sæpe fuisse consilia quæ nullum effugium relinquerēt: & quum magna astutia pollerent hostes, propter incredibile odium acrius ad eum perdendum fuisse intentos quàm vt sibi humanitus cauere potuerit. Hac de causa Deum appellat suam fortitudinem, dicens, *Quoniam tu es fortitudo mea.* Tua solius virtus & fortitudo sufficit ad scindendos omnes laqueos quibus irretitos vides miseros homines. [b] Per te igitur potero superare & nihili facere quæcunque mihi intentantur.

6 *In manum tuam commendo spiritum meum: redemisti me Iehoua Deus ueritatis.*

In manum tuam commendo spiritum meum. [v] Futurū Hebræum continuum actum haud dubiè designat: itaque in præsenti aptè vertitur. [c] Iterum fidem suam Deo proponit Dauid, ac testatur se tantum honoris tribuere Dei prouidentiæ vt suas omnes curas in eam exoneret. Quisquis enim se cōmittit in Dei manum & custodiam, non modò cum sibi fert arbitrum vitæ & mortis, sed placidè inter omnia pericula in eius præsidium recumbit. [s] Non vulgaris ergo fiduciæ est quòd Vates Deum robur suum vocat, quòd spiritum suum manibus eius commendat, quòd denique Deū fidei vel veritatis, hoc est perpetuò sibi similem appellat. [c] Notandū verò est, fieri non posse vt quis vitā suam Deo verè commendet, nisi qui mille mortibus se expositum reputans, illam vel de filo pendere sentit, vel ab euanido flatu nihil ferè differre. Sic Dauid in summa desperatione vnū hoc sibi reliquum facit, vt Deo vitæ custode ac præside fretus in cursu suo pergat. Mirum est autem, quum nos omnes tam multa solicitent, vix centesimum quenque hucusque sapere vt vitā suam in Dei manu deponat. Læti & securi in diem multi viuunt, acsi certum conditiō nidus esset trāquillus & ab omni incommodo reconditus: simul verò ac metus aliquis obiectus est, prorsus eos exanimat anxietas. Ita fit vt nunquā se ad Deum referant: quia vel se decipiunt vanis illecebris, vel trepidatione perculsi, pauoréque attoniti, nullum paternæ eius solicitudinis gustum capiunt. Porro quum nos varii curarum æstus exagitent, ac interdū etiam præcipites deiiciant, vel abripiant à recto officii cursu, vel saltē de gradu moueāt, omnibus sedandis vnicum hoc remedium est, Deum, qui nobis author est vitæ, eundē quoque esse conseruatorem, vnum hoc omnium onerum leuamen, ne mœrore oppressos desperatio absorbeat. Quādo itaque Deus vitæ nostræ curam suscipere & gerere dignatur, quanuis subinde variæ mortes impendeant, discamus semper ad hoc asylum confugere: imò quo pluribus quisque periculis obnoxius est, in hac meditatione studiosius se exerceat. Hic denique nobis contra omnes insultus discriminum clypeus sit, contra omnes iactationes & procellas sit statio, quanuis de salute nostra actum sit, Deum tamen fidum esse eius custodem. hinc deinde emergat precatio, vt eam Deus tuendam & asserendam suscipiat. Efficiet etiam hæc fiducia vt quisque se ad obeundum vocationis suæ munus prompto obsequio accingat, & constanter intrepidéque cōtendat semper ad metam. Vnde enim fit vt tam multi segnes sint ac resides, alii perfidè officiū deserāt, nisi quia nimium prouidi terrēmur periculis & incommodis, nullum interea prouidentiæ Dei locum relinquunt? Denique quisquis in Dei præsidio nō aquiescit, vt eius fidei & tutelæ vitam suam cōmendet, nondum quid sit viuere bene didicit. Cōtrà verò, quisquis Deum statuet vitæ custodem, eam vel in media morte sal-

.:am fore non dubitabit. Neque enim vitam nostram ideo tantùm deponere oportet in manu Dei vt illam in mundo superstitem cōseruet, sed etiam vt ab interitu vindicet in ipsa morte: sicut Christus exemplo suo docuit. Quēadmodum enim Dauid vitam sibi inter mortis discrimina prorogari optauit, sic Christus caducæ huius vitæ metam egressus est, vt in morte spiritus saluus foret, Luc.23.f.46. Generalis ergo est ista precatio, qua vitam suā Deo cōmendant fideles: primum, vt eā manu sua protegat, quādiu periculis mūdi huius obnoxia est: in morte verò, in qua nihil præter interitum cernitur, arcana sua custodia seruet incolumem. Sic porro statuendum est, nec in vita nec in morte à Deo nos vnquam deseri: quia quos præsidio suo saluos ad finem vsque deducit, tandem ad se recipit morientes. [a] Ideo Petrus fideles ad hanc fidem hortatur, dicēs, Proinde qui affligun tur iuxta voluntatē Dei, tāquam apud fidelem conditorem deponant animas suas benefaciendo, 1. Petr.4.d.19. [c] Cæterùm hic vnus est ex præcipuis Scripturæ locis ad corrigendam diffidentiā maximè idoneus, primum ne se peruersis curis & molestiis vltra modum torqueant fideles: deinde ne metu fracti ab officio discedant, ne ad captandas vanas spes & fallacia subsidia defluāt vel labantur, ne terroribus succūbant, ne denique mortem exhorreant: quæ licet carnis sit interitus, animas tamen non extinguit. Præcipuè verò ad superādas omnes tētationes valere hoc debet quòd Christus animam suam moriens Patri commendans, omnes suorum animas custodiendas suscepit. Ideo & Stephanus eum custodem inuocat, Domine Iesu, suscipe spiritum meum, inquit, Act.7.g.59. [m] In summa, admonentur hic pii omnes vt spiritum suum ei cōmendent qui illum dedit, quique solus eum conseruare potest. ad hoc autem exigitur primùm fides futuræ vitæ, deinde custodia spiritus: de qua Paulus 1. Thes. 5.d.23. Tertiò, fiducia erga Deum. Porro quia anima sedes est vitæ, ideo pro vita accipi saos notum est. *Redemisti me*. Quidam tempus præteritum in futurum conuertunt: quod necesse non est. Certum est enim Dauidem se ad fidendum animare, & quæ iam expertus erat gratiæ Dei documenta in memoriam reuocare. Hoc enim non leuiter nos in posterum cōfirmat, vt certò persuasi simus Deo vitam nostram fore curæ, si iam prius liberator noster fuerit. Atque huc pertinet epithetum quo Deū insignit, dicens, *Iehoua Deus veritatis*. [v] Substantiuum pro adiectiuo, verax & fidelis. [c] Deum veracem vel fidelem nominat, quia eundem perpetuò futurum credat qualis antea fuit. Ita hoc vinculo precandi fiduciam & spem futuri auxilii cum superioribus beneficiis connectit. acsi diceret, Domine, tu qui similis tui semper manes, neque hominum more animum mutas, iam re ipsa testatus es te salutis meæ esse vindicem. Nunc igitur in manu tua animam, cuius fuisti seruator, depono, certò sciens me sub tua custodia perire non posse. [c] Quod Dauid hic de terrena vita pronuntiat, Paulus ad æternam salutem trāsfert. Noui, inquit, cui crediderim, & quòd potens sit ad seruandum depositum, 2. Timoth.1.c.12. Et sanè quum e a liberatione temporali Dauid tātum conceperit fiduciæ, plusquam maligni & ingrati sumus, nisi contra omnes Satanæ machinas inuictā fortitudine instruit redemptio Christi sanguine parta. [a] De qua Petrus Apostolus copiosè disserit, 1. Epist.1.c.18.d.19.

7 *Odi obseruantes vanitates frustra: at ego in Iehoua spero.*

Odi obseruantes vanitates frustra. [v] Vanitates mendacii, aut vanitatis, id est vanitates fallaces & vanissimas. Alii, funes vanitatis. Chaldæus paraphrastes, Odi obseruantes opera quæ præ se ferunt vanitatem & mendacium. [c] Quò melius exprimat fidem suam in Deo penitus defixam esse, vitiosis affectibus, qui mentes nostras auertere à Deo solent, & quibus plurimum laborant increduli, purum se fuisse affirmat. Nam contrariorū antithesis (vt scimus) rem melius illustrat. [a] Nouerat vir plus Deo haudquaquam probari impiorum studia & fallaces artes, quibus nimium fidunt: ideo testatur his missis se in solum Deū recumbere. [z] Cæterùm nomen הבלי ad magicas artes restringi (vt quidam faciunt) absurdum est. Fatemur quidem talibus imposturis valde addictos fuisse Orientales, vt vulgare inter eos foret malum: sed quum innumeris fraudibus mentes hominū illaqueet Satan, & totidem illecebris à Deo auertat, speciem vnam dūtaxat notari à Propheta nequaquā probabile est. Quascunque ergo vanas spes nobis fingimus quæ nos à Dei fiducia retrahant, vanitates generaliter appellat Dauid, & quidē falsitatis vel mendacii: quia etsi ad tempus magnifica ostētatione nos pascunt, tandem deludunt ac frustrantur. Itaque testatur se, abiectis vanitatibus quas ad spes sibi fabricandas imaginari homines solent, in vnum Deum respicere. Quia verò non modò se quisque inebriat fallacibus mundi illecebris, sed alii alios decipiūt, disertè asserit Propheta sibi odio fuisse omnes qui se talibus mēdaciis implicāt. vt certè summopere nobis fugiēdi sunt, nisi vltro velimus noxiis eorum captionibus irretiri. [a] Qua etiā ratione alibi dicit, Non sedi cum viris vanitatis, & cum versutis non ingrediar. Odi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo, Suprà, 26.b.4. Et iterum, Nonne odio habentes te Domine odi, & in insurgentes in te ira excandui? Perfecto odio oderam illos, inimici fuerunt mihi, Infrà, 139.d.21. *At ego in Iehoua spero.* [c] Hoc mēbrum coniunctim legendum est: quia & causam odii assignat, & simul testatur, non aliter spem suam homines Deo addicere, nisi ab omnibus auocamētis abhorreant. [m] Facilè ergo hinc apparet tam ari eos qui in res vanas spem suā collocarint: vt si quis diuitiis vel potentia vel sapientia sua nitatur, vnde homini non poterit esse salus.

8 *Exultabo & lætabor in misericordia tua: quia vidisti afflictionem meam, & agnouisti in angustiis animam meam.*

Exultabo & lætabor in misericordia. [c] Hic inseritur gratiarū actio: quanquam multi suspensam orationem esse malunt, ac Dauidē votum concipere, si fuerit è præsenti discrimine liberatus. Sed quia nulla conditio apponitur, probabilius est, cum abrupto precandi contextu sibi exitum promittere, de quo gratias meritò agat. Nec verò mirum est diuersos affectus in Psalmis misceri, in quibus tam suas tentationes quàm fidei luctas exposuit Dauid. Deinde quum iam salutē adeptus cecinerit Dei laudes, interdum diuersa tempora complectitur, sicuti hic dicit, *Quia vidisti afflictionem meam*. Vbi per respectum allatæ sibi opis effectū intelligit. *Et agnouisti in angustiis animam meam.* [v] Et animū aduertisti ad tribulationes animæ meæ. vel, auxilio lato te habere rationem mei declarasti. Quid sit respicere Dominum, vide suprà, 10.e.12.d.14. Quid verò agnoscere eius, suprà, 1.b.6, & 8.b.5. Sed & hic quid Vates vtroque intellexerit ipse sequēti versu explicat, dicens,

9 *Nec conclusisti me in manum inimici: sed stare fecisti in latitudine pedes meos.*

Nec conclusisti me in manum inimici. [a] Non tantum in me potuerunt hostes quantum voluissent. [m] Subest his verbis tacita antithesis, quum esset vndique conclusus duris angustiis, mirabiliter se à Deo fuisse ereptum. Eòdem etiam pertinet quod additur, *Stare fecisti in latitudine pedes meos.* [v] Id est, fecisti vt latè, intrepidè & liberè egrederer & ingrederer, liberans me subitò ab imminentibus periculis. Nam his verbis notatur subita & inopinata mutatio. [m] Obseruandum autem quòd non dicit, Exultabo & lætabor propter liberationem meam: sed in misericordia seu bonitate tua. Nam reuera bonitas illa Dei qua se sciebat ex ipsis hostium manibus ereptum, maiore gaudio Dauidem affecit quàm ipsa liberatio. [a] Cæterum de tropo loci spatiosi, vide suprà, 4.a.2.

10 *Miserere mei Iehoua, quoniam angustia est mihi: computruit præ ira oculus meus, anima mea & venter meus.*

Miserere mei Iehoua, quoniam angustia. [m] Describit consequenter æstum & querimoniam animi sui, & quantum doloris, metus & anxietatis expertus sit, [c] vt Deum ad succurrendum flectat: nō quòd rationibus ad eum persuadendum opus sit, sed quia fideles, vt curas suas exonerent, familiariter secū agere patitur. Nam quo pluribus vrgentur malis, dum ea coram Deo deplorāt, tantundem se erigunt ad spem auxilii impetrandi. Etsi autem hyperbolicæ videri possent loquutiones, Dauidi tamen propositum fuit sensus suos in medium proferre. [m] Primò dicit summam angustiam sibi esse: deinde enumerat per partes. *Computruit præ ira oculus meus.* Contabuit præ ira, corrosus est præ indignatione (id est, similis factus est vesti à tineis corrosæ præ angore) oculus meus. [c] Quanquam simul per vocem iræ ostendit non ita se in constantia ferreum vel passionum expertem fuisse, quin prorumperet eius dolor ad nimiam vehementiam & ardorem. Vnde colligimus sanctis durū sæpe & arduum fuisse cū suis passionibus certamen, nec eorū patientiam fuisse immunitatem à tristitia: sed anxiè luctando hoc tandem esse adeptos, ne eos malorum congeries obrueret. *Anima mea & venter meus.* [v] Hoc est, vis illa animæ quæ appetit cibum, & ventriculi vis, quæ cibum concoquit, prorsus defecit, & mœrore contabuit. [m] His verbis doloris & anxietatis suæ vehementiam declarat, quam non solùm animus, sed & ipsum corpus, vita ipsa, succus vitalis ita senserit, vt & foris cadaueri verius quàm homini viuo similis fuerit. [a] Sic alibi dicebat, Cōturbata sunt omnia ossa mea. Et caligauit præ indignatione oculus meus, inueterauit inter omnes tribulantes me, Supr.6.a.3.b.8. Et iterum, Aruit tanquā testa vigor meus, & lingua mea faucibus meis adhæret, & in puluerem mortis posuisti me, Suprà, 22.d.16. [c] Vnde apparet nec leuiter nec ad breue tēpus his malorum tormentis fuisse vexatum. Ea certè mansuetudine præditus erat vt non excandesceret exiguo impulsu, neque tristitiæ intemperantia se conficeret. Deinde ad mala toleranda pridem erat assuefactus. Ergo nonnisi durissimè, imò incredibili modo afflictus, eousque indignationis prorupit. Hic itaque indignationem qua Da-

uid contabuit, eam intelligimus qua ipse propter immeritam & indignissimam hostium suorum contra se saeuitiam indignabatur, affligebatur, adeóque dolore & animi aegritudine obruebatur, vt superna, media & inferna corporis eius fere tabe consumerentur.

11 *Quoniam defecit præ dolore uita mea, & anni mei præ gemitu: concidit in ærũna mea uirtus mea: & ossa mea cõputruerunt.*

Quoniam defecit præ dolore uita mea. [r] Consumpta est præ anxietate vita mea. [f] Per vitam quidam non ineptè sensus vitales intelligunt: simpliciter tamen exponere licet quòd mœrore consumptus vitã suam & animos effluere & deficere senserit. [b] Q.d. Deficio viribus & operibus, perpetuo dolore conficior. [a] Atque his verbis iterum nõ tam mollitiem suam quàm malorum atrocitatem deplorat: etsi Dauidem minimè puduit infirmitatẽ suam, cui remedium quærebat, liberè fateri. *Concidit in ærumna mea uirtus mea.* [r] Debilis reddita est, corruit. Omnes fere vertũt, Impegit (seu corruit) in iniquitate mea virtus mea. & עון (fatemur) vtrunque Hebræis significat, delictum scilicet & pœnam. [b] Sed quum Dauid vitã animósque in vel præ mœstitia ac gemitu defecisse queratur, & soleat ad idem facientes particulas coniungere, non videtur ratio cur iniquitatem cum ægritudine & gemitu coniunxisset. Hebræi ergo per iniquitatem hanc mala intelligunt quibus indignè premebatur. Sæpe enim peccatum & prauitas accipitur pro pœna peccatorum & prauitatis, quoties nimirum habetur vt peccata & impietas vel populum vel priuatos afflixerit. [c] In summa, quum עון pro pœna interdum sumatur, huic contextui melius in eo significatu congruere videtur. Quãquam autem verum est, quicquid vnquam malorum perpessus est Dauid, culpæ suæ ascribere solitum: quia tamen tantùm hîc recitans suas miserias, causam subticet, probabile est rem vnam pluribus modis, suo more, exprimere. *Et ossa mea computruerunt.* [r] Idem verbum quod precedenti versu. Nequaquam subsistere valeo nisi opẽ tuleris. Nam tot patior miserias & calamitates vt omnis virtus mea corruerit.

12 *Propter omnes hostes meos fui opprobrium, & uicinis meis ualde, & terror notis meis: uidentes me foris fugiebant à me.*

Propter omnes hostes meos fui opprobrium. [m] Non sine magno animi dolore commemorat quàm contẽptui fuerit in persequutionis suæ miseria non solùm alienis, sed & amicis, notis & vicinis. [c] Quidam vertunt Præ hostibus: & quia litera mem sæpe apud Hebræos comparatiuè accipitur, sensum hunc eliciunt, quòd amici & familiares Dauidis eum super omnes eius hostes probrosum duxerunt. Sed aliud voluit, quum passim esset exosus, totúmque populum in suam factionem traxissent hostes, infamia se apud amicos & propinquos flagrasse: sicuti commune iudicium, quasi violẽta tempestas, abripere animos nostros solet. Ideo copula Vau in dictione ולשכני amplificandi causa posita est, quòd detestabilis fuerit Dauid non alienis modò, (quibus antè fuerat ignotus) sed præcipuis amicis. Scimus afflictos atque in discrimine cõstitutos ægritudine plurimũ leuari, si quos habeant apud quos si non præsidium, saltem animum compatientem & amicam consolationem inueniant. Iam queritur Dauid his non solùm se fuisse destitutũ, sed omnibus etiam à quibus hæc debuerat iure expectare, habitum execrabilem: quia vicinis quoque suis probrosus haberi cœperat. adeo inualuerant apud eos hostium calumniæ. *Et terror notis meis.* [r] Et pauor, horror familiaribus meis. *Videntes me foris fugiebant à me.* [a] Queritur familiares se etiam exhorruisse, [f] & quum procul aspicerent, fugisse. Nam aduerbio Foris significat nõ fuisse dignatos miserum hominem propiore accessu: imò, [b] ne propter ipsum in periculum venirent, (vt Achimelech & reliqui sacerdotes, 1. Sam. 22. d. 18,) omnem quamuis remotum conspectum fugisse: quòd sibi fraudi & dedecori fore ducerent vllum ostẽdere amicitiæ signũ. De huiusmodi probro alibi etiam queritur, dicens, Qui dilexerãt me & amici mei, è regione plagæ meæ steterunt, & propinqui mei à longinquo steterunt, Infrà, 38. c. 12.

13 *Obliuioni datus sum sicut mortuus à corde: factus sum sicut uas perditum.*

Obliuioni datus sum sicut mortuus. [b] Excidi de memoria hominum, nihil curantium de omnibus beneficiis meis & probitate. [c] Prosequitur eandem sententiam, seque non secus ex omnium memoria deletum fuisse cõqueritur acsi mortuus fuisset. Etsi enim quorundam post mortem viget memoria apud superstites, sæpius tamen contingit euanescere: quia nec quicquam est commercii, nec viui mortuos aliquo officii genere prosequi aut iuuare possunt. Idem confirmat similitudine vasis corrupti. *Factus sum*, inquit, *sicut uas perditum.* [r] Similis fui fictili confracto, vel quod perit. id est, habitus sum ab hominibus vt vas confractum. [c] Hac loquutione extremus contemptus & deiectio notatur. acsi dixisset, [m] Habitus sum etiam notis meis pro re fœda & nauseam ciente, instar mortui & perditi, cuius nulla vnquam futura sit restitutio. [c] In summa, nullo iam loco vel numero dignus ab ipsis censeor.

14 *Quoniam audiui uituperationem multorum, pauor circunquaque, dum consultant pariter aduersum me: nam ut tollant animam meam, cogitant.*

Quoniam audiui uituperationem multorum. [a] Addit postremò se exagitatum vulgò fuisse multis probris, & perculsum fuisse terroribus. [a] Audiui, inquit, vituperationem, seu conuitium, contumeliam multorum. hoc est, multos me ementitis criminibus infamantes. [c] Quamuis magis placeret רבים hîc magnos vertere quàm multos. Inde enim augetur indignitas si primores, qui non minus iudicio quàm authoritate pollent, eos tradoeunt & infamant quasi sceleratos: quia apud plebeios instar est præiudicii quicquid ab illis profectũ est. Optimè ergo congruet hic sensus, à toto procerum ordine contumeliosè damnatum fuisse Dauidem, vt eorum splendore oppressa fuerit afflicti hominis innocentia. Interea videmus quid expectandum sit ab amicis tristi fortuna: vt verissimũ sit illud, Si fueris fœlix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris. [c] Quia proceres Dauidem multis probris & criminibus infamabant, nemo ei fauoris signum audebat ostendere, nullus illi amicus erat: sed omnes pendebant à vanis rumoribus, acsi inmeratis criminibus obnoxius esset. [m] Admonemur etiam isto exemplo vt cauti simus, ne & nos ad eum modum contemnamus & exsufflemus quemuis vel à magistratu vel à multitudine proiectum: quando adeo in iudiciis suis Deus occultus est & mirabilis: ne eum per imprudentiam & temeritatem contẽnamus qui Deo charus sit: vt hic factum videmus. *Pauor circunquaque, dum consultant aduersum me.* [r] Circunquaque, sub. mihi fuit. vel, timor circunstetit me. [c] Confirmat quod modò diximus de magnis & proceribus superiorem sententiam intelligendam esse. Nam quum de iisdem loquatur, aptius in primores hoc competere certum est quàm in obscurum vulgus. Porro videmus impios sic fraudulentis consiliis inter se conspirasse ad perdẽdum Dauidem, vt prius inuidiam ei conflauerint tanquam homini scelesto & reprobo: sic etiam conuitiis eum lacerasse, vt proteruiã fuco grauitatis tegerent, de eius pernicie inter se consultando, acsi iam minimè ferendus esset. Itaque non mirũ est tot ac tam acerbis tentationibus (sicut super visum fuit) vulneratum fuisse eius animum. *Vt tollant animam meam, cogitant.* [b] Verbum זמם significat callidè cogitare: de quo dictum est suprà, 10. a. 2. [b] Acsi diceret, Quum iure & veritate nequeant vincere, dolis omnia agunt, & versutè seruum tuum opprimere moliuntur. [?] In his verò cogitandum quousque Deus suos humiliet. item Christũ seruatorem infra cunctos mortales abiectum, in Dauide hæc patiente fuisse adumbratum, neque minus de ipso quàm de se ista Dauidem cecinisse. Quæ si rectè perpenderimus, minus displicebimus nobis siquando similia acciderint.

15 *At ego in te speraui Iehoua: dixi, Deus meus tu.*

At ego in te sperans Iehoua. [r] Vel sunt præterita pro præsentibus, spero, dico. [a] Adhæc positum hîc copula Vau, sed aduersatiuæ particulæ loco. Nam fidei suæ cõstantiam omnibus quas retulit tentationum machinis opponens Dauid, negat se fuisse labefactatum, sed potius firmum stetisse in salute à Deo speranda. neque tamen ita se fuisse magnanimum prædicat quin pro carnis infirmitate fere oppressus iacuerit. Hæc enim quamuis in speciem contraria, simul coniungi debent, cũ dolore cõtabuisse, vigoréque omni fuisse priuatum: & tamen bona spe suffultum, vt à Dei inuocatione non desisteret. Sic ergo in tristitiæ dirorúmque cruciatuum tenebris fuit demersus vt occulta lux fidei intus fulgeret in eius corde: sic gemuit sub ingenti tentationum mole vt animum tamen ad Deum inuocandum colligeret. Ergo per multa obstacula enixus est vt ad hanc confessionem emergeret. [a] Vnde colligere licet quantã in summa illa animi deiectione spem aluerit. In anima & toto corpore incredibilis vis anxietudinis, ægritudinis & indignationis desæuiebat, vorabat sanguinem, exedebat ossa, tabidum reddebat omne corpus: adhuc tamen firmam in Deum fiduciam retinebat. *Dixi, Deus meus tu.* [c] Definit spei suæ modum, quòd scilicet secum ita reputauerit, Deum sibi nunquam defore. sed loquutio notanda est, Dixi, Deus meus tu. quo verbo significat ita statuisse penitus in animo suo vt nullam contrà dubitationem admitteret. Donec enim præualuerit ista persuasio, vt sensus nostros occupet, semper incerti vacillabimus. Notandum tamen est, istud dicere non modò interius esse & arcanum, (vt in corde potius quam in lingua resonet) sed ad Deum ipsum quasi vnicum testem dirigi. Nihil enim difficilius est, vbi fidem nostram deludi videmus à toto mundo, quàm sermonẽ ad Deum vnum dirigere, & acquiescere in hoc conscientiæ nostræ testimonio quòd sit Deus noster. Atque hæc vera demũ fidei pro-

basio est, quamlibet violenti fluctus insurgāt, quamlibet etiam duri impetus nos concutiant, stabile hoc principium retinere, nos sub Dei esse tutela, & liberè in ipso in hunc modum loqui, Tu Deus noster es. [b]Sic ergo Dauid. Vtcūque me malis obruis, & excarnifices formidine, mœrore tristique ira, attamen Deus meus es tu, ego tua bonitate fidus tu haudquaquam hanc vsque subduces. tuæ fidei me concredidi: deserere me nullatenus poteris. Nam (vt alibi dictū est) non relinquis quærentes te Domine, Suprà, 9.c.11.

16 *In manu tua sunt tempora mea: erue me è manu inimicorum meorum & à persequentibus me.*

In manu tua. [v] Id est, Tempus æui mei & vitæ meæ. [c]Quò alacrius salutē suam Deo commendet, præfatur se eo custode fretū nō imaginari fortuitos & cæcos euētus quos vulgò metiunt homines. Perinde enim est acsi dixisset, Domine, penes te est mortis ac vitæ meæ arbitriū & potestas. [b]In tua manu, non hostium, sunt tempora mea, spatium æui mei. Quanquam non temere plurali numero vsus est, sed vt casuum varietatem notaret qua agitatur vita hominum. Non ergo de vitæ termino tantùm loquitur, acsi vel tempus suum vel dies suos in manu Dei esse simpliciter dixisset. Neque enim dubium est quin varias reuolutiones cogitans, tótque discrimina quæ assiduè impendent, tot inopinatos euentus qui subinde accidunt, securè nihilominus recumbat in Dei prouidentiam: quia statuit eam moderatricem esse vtriusque fortunæ, vt loquuntur. Videmus primò vt non in genere tantùm vocet Deum mundi gubernatorem: sed vitam suam affirmet esse in eius manu: neque id simpliciter, sed quibuscunque versari modis contingat, inter omnes vicissitudines positā semper esse sub Dei manu. [a]Cōsoletur hoc nos aduersus improbitatem impiorum, qui & vitæ & omnibus rebus nostris insidiantur: scientes tempora nostra non esse in illorum, sed Dei manu. Quòd si tempora Dauidis fuissent in manu Saulis, protinus extinctus fuisset. Monemur etiam hoc loco vt auellamur à rebus perituris, adhereamusque illi in cuius manu sunt tempora nostra. Insani sunt admodum qui quum diuitiis cumulandis, honoribus acquirendis, & id genus nugis inhiant, illis sese addicunt qui seruare non possunt in vita, & eum negligunt in cuius manu sunt omnium mortalium tempora. *Erue me è manu inimicorum meorum.* [a]Ex superiori sententia precationē deducit vt seruetur è manu hostium. Q.d. Quum tempora mea in manu tua sint, [b]fac vt nō preualeāt persequutores, quātumlibet malè velint. [a]Nam etsi nulla sit elabēdi via relicta, adhuc tamen potis es seruare. Addit, *Et à persequentibus me.* [a]Vt ostendat quales habeat inimicos, nimirum atroces persequutores, & vitæ suæ crudeliter insidiantes.

17 *Lucere fac faciem tuam super seruum tuum, serua me propter misericordiam tuam.*

Lucere fac faciem tuam super seruum. [b]Hoc est, fer opem, qua te fauere mihi & beneuolo dignari me aspectu testeris. [c] Dictum est suprà, 4 b.7, & postea videbimus pluribus locis, hāc loquendi formam ductam esse à communi hominum sensu, qui se à Deo non respici existimant nisi re ipsa & effectu ostendat se gerere eorum curam. Non enim secus faciem eius obscurant afflictiones, ac nebulæ solis splendorē. Petit igitur Dauid præsenti Dei auxilio sibi palam fieri ipsum sibi propitium esse ac fauentem: quod in afflictionum caligine cernere non ita facile erat. Quanquam duobus modis faciem suam super nos illustrare dicitur: vel quum oculos aperit ad res nostras curandas, vel quum fauorem suum nobis ostendit. Sunt quidem hæc duo simul coniuncta, imò alterum ex altero pendet: sed in priore loquutione pro sensu carnis nostræ tribuitur Deo mutatio, quæ propriè in Deum non competit: secunda autem loquutio exprimit, nobis potius quàm Deo clausos esse vel hebetes oculos, quandiu non videtur miserias nostras curare. *Serua me propter misericordiam tuam.* Seruandi verbo quid prius voluerit explicat. Quia autem nulla tunc extabat salutis ratio, ad eam sperandam proposita bonitate se animat. acsi diceret, Scio nihil in me esse vnde salutem mihi polliceri audeam: sed quando summè bonus, clemens ac misericors es, precor vt ad te confugienti opem non deneges. [a]Non meritis nostro, quæ nulla sunt, sed precibus, quas (scio) bonitas tua auersari non potest.

18 *Iehoua, ne pudore afficiar, quoniam inuocaui te: pudore afficiantur impij, excidantur in sepulchro.*

Iehoua, ne pudore afficiar. [v]Vel per præsens, Inuoco te. [c]Prosequitur suam precationē, &, quò plus spei concipiat, se hostibus suis opponit: quia bis absurdū fuisset illos impune elabi, quorū impietas irā Dei apertè prouocabat: innoxiū verò hominē, qui in Deū recubuerat, cū frustratione ludibrio exponi. Tenemus nūc quid valeat cōparatio. Porro spei vel fiduciæ loco nūc inuocatio ponitur, & meritò: quia necesse est vt ad Deum confugiat, & vota sua clamorésque dirigat quisquis in eius prouidētia recumbit. *Excidantur in sepulchro.* [v]Id est, postquam perierint, deferantur ad sepulchrum. Vel potius, Sileant in sepulchro. id est, silentes efferantur ad sepulchrum. Chaldæus paraphrastes, Taceant, & descendant in infernum. [c]Silere in sepulchro tantundem valet atque impios morte compesci, ne amplius noceant. Silentium verò tam dolosis & perfidis machinationibus quàm tumultuoso fastui opponitur. Ideo mox proximo versu addit,

19 *Obmutescant labia mendacia, quæ loquuntur aduersum iustum dura cum superbia & contemptu.*

Obmutescant labia mendacia. [b]Notat improborum insolentiam & petulātiam, in quòd neminem verētur, omnes præ se contemnunt, cunctis se superbè præferunt, quicquid eis in buccam venerit, contra innocentes blaterant. [c]Complectitur etiam voce labiorum mēdacii, tam vafritiem & fictos ad persuadendum colores & calumnias, quàm ventosam iactantiā. addit enim, *Quæ loquuntur aduersus iustum dura.* Durum sub. verbum. Singulare pro plurali, id est verba atrocia. Alii. Rem superbam, siue superba. Dicit eos durum vel præfractum loqui contra iustos, idque in superbia & contēptu: quia tam audaces ad mētiendum reddebat hostes Dauidis peruersa elatio: quæ semper fere contumeliā ex se parit: quia fieri vix potest quin alios cōtemptim despiciat quisquis arrogat sibi plus iusto. *Cum superbia & contemptu.* [a]Fastus iste improborum & contemptus quo Deum & homines pro nihilo habens, graphicè describitur suprà, 10.a.4.b.5.

10 *Quàm multa est bonitas tua quam reposuisti timentibus te! exercuisti confidentibus in te coram filiis hominum.*

Quàm multa est bonitas tua. [a] Hoc versu & sequentibus prædicat bonitatem Dei erga suos copiosam & immensam: [c] ac non sine exclamatione testatur benignum erga suos cultores & beneficum esse Deum suprà quàm sensus noster capiat. Bonitas enim hic pro effectu suo capitur. Interrogatio autem vehementia non caret: quia non simpliciter prædicat Dauid benignum esse Deum, sed in admirationem bonitatis, quam expertus erat, rapitur. Neque enim dubiū est quin pro sua experientia erumpat in hanc vocem: quia mirificè & inopinato modo ex suis malis liberatus fuerat. [a] Nec simpliciter dicit, Quàm bonus es Deus timētibus te! sed, Quàm multa est bonitas tua quam, &c. hoc est, bonitas tua est ita magna & multa erga timentes te, vt sit instar thesauri copiosi & infiniti. [c]Itaque fideles suo exemplo iubet supra mentis suæ captum assurgere, vt longè plus sibi promittant & expectent à gratia Dei quàm concipiat humana ratio. *Quam reposuisti timentibus te.* [v] Ad verbum, Abscondisti, pro reposuisti, recondisti. [c] Bonitatem Dei cultoribus absconditam esse dicit, quia peculiaris est eorum thesaurus. Etsi enim sese variis modis extendit ad profanos & indignos, ipsisq; promiscuè est exposita, longè tamen vberius & luculentius se profert erga fideles: quia etiam soli omnibus Dei beneficiis fruuntur in salutem. Adde quòd Deus licet solem suum oriri faciat super bonos & malos, (Matth. 5.g.45) imò se brutis quoque animalibus liberalem exhibeat: se tamen verè & in solidum patrē non declarat nisi seruis suis. Quare non abs re abscondita dicitur fidelibus Dei bonitas, quos propius & magis familiariter fauore suo prosequi dignatur. Sunt qui bonitatem Dei absconditam intelligunt, quia Deus sæpe filios suos cruce & miseriis exercens, suam erga eos gratiam occultat, neque tamen eorum obliniscetur. Probabilius tamen est pro reposito thesauro sumi: nisi fortè ad piorum sensum id referre placeat: quia soli (vt dictum est) diuinæ beneficentiæ fructum animis percipiunt, quum impios impediat brutus stupor ne Deum agnoscāt beneficum Patrem, dum se ingurgitant eius opibus. Ita fit vt Dei bonitas omnes mūdi partes impleat ac occupet, vulgò tamen ignota sit. Sed Prophetæ mentem certius aperiet antithesis inter fideles & extraneos. Nam statim additur, *Exercuisti confidentibus in te coram filiis hominum.* [v] Ad verbū, Operatus es. Hebraismus, pro exhibuisti, vel præparasti, coram filiis huius seculi: acsi diceret, Imò quæ fecisti in te cōfidentibus, tam manifesta sunt vt tua in illos benignitas cunctis mortalibus conspiciatur. [a] Notanda est autem hæc antithesis inter Dei domesticos & extraneos. [c] Sicut enim homo prouidus ita erit in omnes liberalis vt filios tamen vel domesticos non defraudet, nec prodigè largiendo exhauriat domum suam: ita Deus exteris benefaciens, filiis tamen seruare nouit quod in ipsos competit quasi hæreditario iure. Augustinus parum appositè his verbis probat, eos qui sine fide horrēt iudicium Dei, non gustare eius bonitatem. & eius error clarius proximo membro refellitur, vbi Dauid pronuncias ipsum Deum coram mundo hoc testatum facere, nempe inæstimabili bonitate se erga cultores suos esse præditum, vt eorum saluti prospiciat. Vnde colligimus, non de æterna beatitudine, quæ pios in cælis manet, his tractari, sed de auxiliis ac beneficiis quæ ad præsentis vitæ conseruationem per-

tinentque adeo manifesta esse docet vt profani quoque homines oculati eorum testes esse cogantur. Etsi enim omnia Dei opera clausis oculis præterit mundus, ac maximè paternam eius erga sanctos curam ignorat, certum tamen est quotidie sic fulgere eius documenta vt ne reprobos quidem lateat, nisi quatenus oblatam sibi lucem suffocant. Itaque verè pronuntiat Dauid, Deum coram filiis hominum exerere bonitatis suæ testimonia erga fideles, vt certò constet non temere nec frustra eum coli. [a] Bonitas igitur Dei erga suos instar est ditissimi thesauri qui exhauriri nequit, & ad hoc repositus est vt seruiat necessitatibus & saluti piorum. Nam is vsus est thesaurorum siue quos parentes liberis, vel reges regnis suis, vel respublicæ ciuibus recondunt, vt necessitatis tempore ad manum sit vnde quæ necessaria sunt petantur. [b] Huius autem thesauri communio non percipitur nisi fide & timore Dei: vt constat ex iis locis, Iehoua pascit me: non egebo, Suprà, 23.a.1. Et, Timete Iehouam sancti eius: quoniam non est penuria timentibus eum. Catuli leonum indigebunt, & famem patientur: sed quærentes Iehouam non deficient vllo bono, Infrà, 34.b.10.11.

21 *Abscondis eos in abscondito faciei tuæ ab elationibus viri: abscondis eos, tanquam in tabernaculo, à contentione linguarum.*

Abscondis eos in abscondito. [v] Fut. Hebr. pro præsenti. [c] Gratiam Dei hac in parte specialiter cõmendat, quòd fideles ab omnibus noxis defendit ac tuetur. Nam quũ assiduè innumeris modis eorum salutem oppugnet Satan, eisque maior pars mũdi infensa sit, multis discriminibus obnoxios esse necesse est. Itaque nisi eos sua manu protegeret Deus, ac subinde ad opẽ ferendam occurreret, miserrima esset eorũ conditio. Alludit autẽ ad illam absconsionem cuius suprà meminit. Quanquam primo intuitu durior esse videtur metaphora, aptissimè tamen exprimit hoc vno tutos & saluos esse fideles, si Dominus eos respiciat: [a] iuxta id quod dictum est versu 17, Lucere fac faciem tuam super seruum tuum. [a] Itaque magnificè hoc elogio extollitur prouidentiæ Dei virtus, quòd sola ad omne malorũ genus repellendum sufficiat, ac radiis suis perstringat improborũ omnium oculos, manusque eneruet. Quibusdam alludere videtur Propheta ad sanctuarium: quod etsi non prorsus reiiciendum est, non satis tamen solidum videtur. *Ab elationibus viri.* [v] Ab arrogantiis virorum, vel cuiuscunque. [a] Dicit abscondi fideles à superbiis viri: quia nisi Deus cõpescat reprobos, scimus quàm furioso impetu contra bonos & simplices efferre se audeant. sed quãlibet effrænis sit eorum libido & insolentia, nequid tamẽ bonis noceat, mirabiliter Deus ex fulgore aspectus sui vmbram opponit, [a] eorũmque conatus frequentissimè frustratur, ac inanes reddit. [c] Quidam רכסי vertunt conspirationes, alii prauitates, sed nulla ratione. nec verò respondet etymologia: quia ab eleuando deductum est. *Abscondis eos tanquam in tabernaculo.* [a] Similitudo sumpta est à tabernaculo regio, in quod qui receptus fuerit, saluus est: sicuti diximus suprà, 27.b.5. Proximè enim reges & in conspectu eorum, in ipsorum tabernaculo summa securitas est: eò nihil audaciæ peruenire permittitur. Quare pro summa tutela, abscondi in abscõdito faciei Domini (id est coram eo) dixit. De hac tutela & securitate fusius canit Psalmo 91. *A contentione linguarum.* [v] A rixa, à calumniis. id est, facis vt tuti sint à linguarũ virulentia, ne verbis lædi possint. [c] Superbiæ additur contentio linguarũ: quia etsi Dei filiis metuenda est hostium crudelitas, superat tamẽ virulenta eorũ maledicentia: quod plus satis expertus est Dauid. Quum autem nobis meritò charior esse integritas debeat quàm vita nostra, discamus iustitiam colere, vt freti Dei patrocinio falsas omnes calumnias spernamus: sempérque nobis in mentem veniat, proprium hoc esse Dei munus, suos ab iniustis probris asserere. [a] Nam hoc ad consolationem nostram facere plurimũ potest, permouetéque vt ad custodiam Dei solida fide confugiamus, quò conseruemur.

22 *Benedictus Iehoua, quoniã mirificauit misericordiam suam erga me tanquam in ciuitate munita.*

Benedictus Iehoua, quoniam. [v] Laudabilis est Iehoua, quia mirabilem fecit bonitatẽ suam, &c. Hebraismus, pro, Omni laude dignus est Iehoua, qui miro quodã modo ostẽdit misericordiam suam in me, tutando me perinde acsi fuissem in vrbe munitissima. [a] Generales quas posuit sententias, priuatim ad se accõmodat, ac prædicat in liberatione vitæ suæ mirificã fuisse Dei bonitatem. *Tanquam in ciuitate munita.* [a] Quia de auxilio loquitur quod in rebus cõfusis & perditis repẽtè præter spem allatũ erat, rectè subauditur similitudinis nota Tãquam. Nam quum ad omnes ictus pateret Dauid, iniuriisque omnibus expositus esset, sibi in hac nuditate & inopia pluris fuisse Dei auxilium iactat quàm vrbẽ bene munitã vel inexpugnabile propugnaculum. [b] Et sanè hoc piorũ ingenium est vt quãuis Dei bonitatẽ quocunque modo acceptã plurimi æstimẽt, & grato animo deprædicent, Dauid totã sui conseruationẽ Dei bonitati fert acceptã, licet ipse magna sit vbique industria & cura vsus. Et vt opẽ diuinæ bonitatis reddat quamcõmendatissimam, cõparat eam ciuitati bene munitæ, in qua securus ab hostium insultu esse possit. Monemur itaque his verbis, vt & nos eadem animi gratitudine istam Dei custodiam, & quicquid diuinitus vnquam quouis modo accepimus, deprædicemus.

23 *Et ego dicebã in trepidatione mea, Excisus sum ab oculis tuis: verum exaudisti vocem deprecationũ mearum dum clamarẽ ad te.*

Et ego dicebam in trep. [c] Fatetur hoc versu Dauid se diffidentia sua promeritũ fuisse vt desertus & abiectus à Deo periret. Probrosum hoc quidem erat coram hominibus: sed quò melius illustret Dei gratiam, non dubitat vitii sui dedecus palam facere. [a] sicuti iam fecit Psalmo superiori, quum diceret, Ego autẽ dixeram in quiete mea, Non mouebor perpetuò, Suprà, 30.b.7. [a] Eandem fere confessionẽ repetet alibi, Ego dixi in præcipitatione mea, Omnis homo mendax, Infrà, 116.a.11. [m] Scimus tam à quibusdam exponi pro fuga, quasi Dauid mortẽ fugitans, propterea quòd impar esset ad resistendum, hoc pauore fuerit perculsus. sed rectius ad animi perturbationẽ refertur. Itaque siue festinationẽ vertas, siue alio modo, intelligit se quasi præcipitẽ fuisse abreptum, vt se putaret à Deo negligi. Opponitur autem hæc festinatio rationi sedatæ & cõpositæ: quia etsi metu perculsus fuit Dauid, non tamen succubuit, acsi fixa in eius mente stetisset hæc persuasio. Scimus enim sæpe terroribus inquietari fideles, & feruore impatientiæ vel nimium celeribus votis quasi præcipites impelli: sed postea redire ad seipsos. [m] Cõfitetur ergo Dauid diffidentiam suam, quã in periculo expertus fuerat, [a] vt illustriorem reddat Dei gratiam. *Excisus sum ab oculis tuis.* [v] Proiectus (siue reiectus) sum à cõspectu oculorũ tuorum. [a] q. d. Nihil de me curas, videor tibi neglectus. *Verùm exaudisti vocẽ deprecationum mearum.* [a] Hoc est, quum remotissimos videbaris, maximè affuisti. [c] Ex hoc cõtextu patet nunquã excussam fuisse Dauidi fidem: dicit enim exauditas fuisse suas preces. atqui extincta fide necnon precandi affectum concipere non potuit. quare hic festinationis motũ lapsus fuit. Quòd si sanctũ Dei Prophetã tantáque præstantia ornatum in desperationem rapere potuit præpostera cogitationis festinatio, quantopere nobis timẽdum est ne exitiali ruina animi nobis concidant? Etsi autem ad amplificandam Dei gratiam pertinet hæc confessio, (vt diximus) mox tamen satis demonstrat Dauid, fidem suam, quãuis cõcussa fuerit, non fuisse tamen radicitus euulsam: quia precari interea non destitit. Ac sæpe hoc modo luctatur sancti cum propriã diffidẽtia, vt partim labascãt, partim animos suos colligãt & efferant ad procẽdum. Nec obstat carnis infirmitas quominus etiã fere deiecti, indefessi Deo athletas se præbeãt. Quãquam autẽ tentationi Dauid strenuè repugnauerat, se tamẽ indignum fuisse agnoscit Dei gratia, quã sua dubitatione quodammodo arcebat. Nã particula אכן hoc loco aduersatiuè capitur, quòd scilicet præter meritũ saluatus fuerit Dauid: quia cũ eius infidelitate certauit immensa Dei bonitas. Quia tamen nota est affirmationis apud Hebræos, possumus reddere Vtique tamẽ. Nec verò dubiũ est quin variis eam tentationibus opponat, quibus animũ eius huc illuc impulsum fuisse credibile est. *Dum clamarẽ.* [a] Clamãdi verbo & periculi magnitudinẽ & precãdi ardorẽ significare voluit. [m] Pertinet hoc quoque ad diuinæ bonitatis iustificationẽ, quæ clamantes ad se non deserit. Itaque imminẽtibus periculis ratio desperat: fides, etsi fortiter tẽtetur: clamando tamen ad Dominum perseuerat, [a] & quod petit impetrat, modò ab eius bonitate oculos non deflectat.

24 *Diligite Iehouã omnes misericordes eius: fideles custodit Iehoua, & reddit abunde superbè se gerenti.*

Diligite Iehouam. [v] Misericordiam Dei expertus alios docet, & confortat fideles vt persistent. [c] Non enim hortatur pios ad Dei timorẽ & reuerentiam (sicut multi volunt) sed tantùm eos ad fiduciam animat, acsi iuberet prorsus addictos esse Deo, spes omnes suas in eum cõiicere, & in eo penitus acquiescere, ne aliò ferantur. Vnde enim fit vt nos oblectent nostra figmenta, nisi quia nõ sapit nobis Deus vt par erat, nec ei sensus omnes nostri vt par erat adhærent? Quare dilectio hæc votorũ omniũ summam in se continet. Naturaliter bene & beatè sibi esse cupiunt omnes. sed dum maior pars illecebris mundi capta, mendacia & imposturas diligit, vix centesimus quisque mentẽ ad Deum applicat. *Omnes misericordes eius.* [v] Id est, quotquot sensistis misericordiam eius & bonitatẽ. [c] Alii vertũt Mãsueti, alii, Sancti: sed idem manet sensus. perinde enim est acsi diceret Dauid, Considerate me quicunque Deo nomen dedistis, è quantis me malis in quan tam dignitatẽ & potentiam euexerit. Meo igitur exẽplo Dei bonitati fidite, & curã vestri in omnibus prouidentiæ illius committite. *Fideles custodit Iehoua.* [c] Sensum quem posuimus confirmat hæc ratio. Mansuetos enim ad Deum amandum hortatur

Propheta, quia veraces custodiat. Perinde ergo est acsi contentos esse iuberet eius præsidio. Interim admonet rectæ conscientiæ studendum esse, & integritatem colẽdam: quia Deus rectorum ac veracium se fore custodem promittit. [M] Videndum est tamen quæ sit huius custodiæ ratio. Nam quid opus est fidelibus peculiari custodia Dei in hoc seculo, quum nullũ sit aliud hominum genus quod dignius sit vt adametur? Quid enim aliud est fidelis quàm talis homo qui animo sit candido, veraci & syncero, expers omnis doli ac fraudis? At talis certè indignus est qui odio habeatur & lædatur. Hoc profectò verissimum est. at in hoc apparet quanta sit mundi malitia & crudelitas, quòd hos ipsos summo furore prosequitur quos debebat summo amore simul & honore prosequi. Huius exemplum est in ipso Danide, quem ista fidelitas, quæ fauore digna erat, in maxima pericula coniecit, vt periturum illi fuisset nisi adfuisset diuina custodia. Iam quia mundus hoc nequitiæ perpetuò habet vt malos ac subdolos foueat, bonos ac fideles perdere cupiat, speciali Dei protectione & custodia pii omnes indigent. *Et reddit abunde superbè se gerenti.* [A] Particula יתר על varie exponitur. [C] Superbiam quidam vertunt, hoc sensu, Deus pro superbia retribuet superbè agentibus. Alii exponunt, Ad cumulum, vel Vltra mensuram: quia יתר Hebræis residuum significat: pro quo posuimus Abunde. Nonnulli intelligunt, Vsque ad filios & nepotes qui residui manebunt ex eorum semine: [A] vt cum locis illis Scripturæ conueniat qui testantur Deum iniquitates patrũ reiicere in sinum filiorum. [C] Verùm quia eadem vox sæpius pro excellentia accipitur, dubium non est quin Propheta facetè superbos perstringat, qui suam præstantiam sibi non modò clypei sed inuictæ munitionis loco contra Deũ esse fingunt. Quia ergo eos excæcat vel fascinat sua potestas, vt intemperanter ac sine modo abiectis & debilibus insultent, eleganter Propheta dicit, pro excellentia qua turgent, repositam illis esse mercedem: ne vbi videmus illis prosperè ad tempus succedere, praua æmulatio nos solicitet, vel certè nos frangat & exanimet eorum ferocitas, dum quiduis sibi licere putant. [A] Quanta enim huiusmodi improbis insit animi elatio ac arrogãtia, Vates ipse apertis verbis ostendit suprà, 10.b.5.6, & 11.a.5. [C] Summa igitur est, Quamuis sibi plaudat impii, dum impunè in sceleribus suis grassantur, fideles autẽ in multis timoribus & periculis versentur: vos tamen Deo addicite, & recumbite in eius gratiam: quia veraces semper defendet, superbis verò quam meriti sunt mercedem rependet. [M] Obseruandum hic est superbia impiorum iram Dei potissimum incitari. Hinc illud est quod Petrus omnibus humilitatem inculcat, dicens, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, 1. Epist. 5.b.5. Nam omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur, Luc. 18.c.14.

25 *Roboramini, & roborabit Deus cor vestrum, omnes sperantes in Iehoua.*

Roboramini. [V] Viriliter agite, fortes estote. [C] Eòdem pertinet hæc exhortatio. Hæc enim constantia de qua præcipit, in illo Dei amore fundata est, vbi toto corde quam promittit salutem, omnibus illecebris valere iussis, amplectimur. Neque tamẽ superuacua est fortitudinis & cõstantiæ mentio: quia vbi quis in Deum recubuerit, ad multos Satanæ impetus sustinendos se cõparet atque armet necesse est. Primũ ergo est vt nos placidè in Dei fidem ac tutelam tradamus, ac bonitatis eius gustus sensus omnes nostros retineat. Deinde vt firma constantia & infatigabili virtute instructi subinde ad noua prælia stemus accincti. Quia tamen nemo sponte sua ad pugnandum sufficeret, Dauid spiritum fortitudinis sperare à Deo & petere nos iubet. Quod notatu apprime dignum est. Nam hinc colligimus, vbi nos officii admonet Spiritus Dei, non expendere qualis sit cuiusque facultas, nec officium ipsum propria hominum virtute metiri: sed potius ad preces nos accendere, vt defectum nostrum solus qui potest Deus corrigat. *Et roborabit Deus cor vestrum.* [A] Idem fere extulit alibi, licet singulari numero, Expecta Dominum & viriliter age: & confortabit cor tuum, Suprà, 27.d.14. [M] Quibus verbis ad patientiam & perseuerantiam pios omnes hortatur. Iusto enim Dei iudicio non mox puniuntur superbi, sed tantisper tolerantur diuinitus, donec omni planè excusatione reddantur indigni, mẽsurámque suam adimpleuerint: sicuti Christus Iudæis dicebat, Implete mensurã patrum vestrorũ, Matth. 23.d.32. Et Paolus, Vt impleant peccata sua semper, 1. Thess. 2.d.16. Ita scilicet non statim Chananæos expulit: quia nondum erat adimpleta malitia eorum, Gen. 15.c.16. *Omnes sperantes in Iehoua.* [B] Quos prius misericordes Dei sine mansuetos vocauit, modò sperantes in Iehoua appellat: vt sciamus hoc proprium esse munus filiorum Dei vt fiduciam suam in solo Deo collocatam ad finem vsque retineant, & ab eo solo pendeant à quo bonum omne proficiscitur.

ARGVMENTVM PSAL. XXXII.

[M] AGITVR hic de gratuita peccatorum remissione: in qua sita est tota hominis fœlicitas. [B] Dauid enim probè & seriò expertus quàm miserum sit Dei manum sentire ob peccata infestam, exclamat hoc summum & vnicum esse beatæ vitæ caput, si Deus hominem abolito reatu sibi gratuitò reconciliet. [B] Inde alios docet vt iudicia Dei agnoscant, qui improbis mala, bona bonis dispensat: vnde summa sit iustitiæ studiosis de Deo lætitia & exultatio.

DAVIDIS *intelligentia. Beatus vir cui dimissa est præuaricatio, cui tectum est peccatum.*

Dauidis intelligentia. [V] Vel, Erudiens Dauidis. [C] Hæc inscriptio gustum aliquem argumenti præbet. [V] Quidam putant משכיל nomen esse carminis & harmoniæ ad cuius modos decantatus fuit hic Psalmus: alii volunt nomen esse instrumenti musici: nonnulli putant ex versu 8 desumptũ esse. sed rectius est ex toto contextu fuisse Psalmo impositũ. [V] acsi diceretur, Psalmus eruditione plenus. [C] Dauid enim post longos & horribiles cruciatus, quũ Deus propositis iræ suæ signis eum seuerè torqueret, tandem gratiam adeptus, documẽtum hoc ad suum & totius Ecclesiæ vsum accõmodat, vt se aliósque erudiat in præcipuo salutis capite. Quia enim fieri non potest quin miserè trepident cuncti mortales, donec certò persuasi sint Deum sibi esse propitium, vel (quod deterius est) seipsos & Deũ obliti, in mortifero stupore iaceant: non alibi quàm in gratuita peccatorum venia sitam esse fœlicitatem docet: quia nec quicquam miserius sit quàm Deum habere aduersum, nec aliter nobis propitius sit quàm vbi paterna indulgentia peccatis nostris ignoscit. [M] Itaque Psalmus iste magni in Ecclesia Dei Prophetæ maximã eruditionem viua experientia probatam, certam & indubitatam in se complectitur. Hæc Spiritus sancti eruditio & intelligentia adeo magna est & abscondita hypocritis & iustitiariis, vt totus fere mundus (qui non intelligit) hodie pugnet contra eam, quã nemo veram esse scire poterit nisi Deo docente per Spiritum suum sanctũ, qui filiorum Dei dux & doctor est. *Beatus vir cui dimissa est præuaricatio.* [V] Cui condonatũ est scelus. [M] Primi duo versus habẽt exclamationẽ animi cum peccatorũ sensu omniũ grauissimo luctantis. [C] Dauid enim tam ex ardenti cordis affectu quàm ex seria meditatione erũpit in hanc exclamationem, [M] O beatos quorum remissæ sunt trãsgressiones! [C] Nam quum totus fere mundus à Dei iudicio sensus suos auertens mortiferam sibi obliuionem inducat, falsisque deliciis se inebriet, Dauid, sicuti iræ Dei metu fuerat perculsus vt ad quærendam misericordiam se cõferret, alios etiam clara & sonora voce expergefacit: pronũtians, eos demum beatos esse quibus placatus est Deus, vt pro filiis agnoscat, quibus meritò inimicus esset. Tametsi autẽ alios hypocrisis & superbia excæcat, alios crassus Dei contemptus, vt de quærenda venia minimè solliciti sint, fatentur tamẽ omnes venia sibi opus esse, nec sanè quisquã est quem non ad Dei tribunal accuset propria conscientia, multisque stimulis pungat. Hanc igitur cõfessionem profanis quoque hominibus extorquet ipsa natura, quia nemo perfectus est, necessariã omnibus esse veniam, ac tum demũ præclarè nobiscum agi, quũ peccata Deus remittit. sed interea multis caliginẽ obducit hypocrisis, multos demulcet peruersa carnis securitas, vt nullo aut frigido iræ Dei sensu tangantur. Et accedit duplex error, quòd peccata sua omnes extenuant, nec centesima ex parte reputant quàm sint Deo obnoxii. Deinde friuolas sibi expiationes fingũt quibus se à noxa liberent, Deique gratiam redimãt. Ita omnibus seculis passim inualuit hæc opinio, quamuis singuli vitiis laborent, simul tamen ornatos esse meritis quæ illis gratiam concilient corã Deo: deinde quamuis iram Dei prouocent suis delictis, in promptu esse piacula & satisfactiones quibus se absoluant. Atque hæc Satanæ impostura communiter in Papistis, Turcis & Iudæis aliisque gentibus regnat. Itaque quisquis non friuola amẽtia abreptus fuerit in Papatu, sententiam hanc admittet, miseros esse homines nisi cum illis clementer agat Deus, peccata non imputãdo. sed longius progressus est Dauid, totam hominum vitam iræ & maledictioni Dei subiiciens, nisi quatenus mera gratia Deus ad se recipere dignatur. Huius rei Spiritus, qui per Dauidem loquutus est, per os Pauli certus nobis est interpres ac testis, Rom. 4.a.6. Nisi vsus fuisset hoc testimonio Paulus, tanquã ad genuinam Prophetæ mẽtem penetrassent lectores: sicuti Papistæ licet cãtillent in templis suis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, tamen quasi vulgare aliquod leuisque momenti dictum prætereunt. Atqui Paulo hæc plena est iustitiæ fidei definitio, acsi dixisset Propheta tunc demũ beatos esse homines quũ Deo gratis recõciliati pro iustis cẽsentur. Hæc igitur beatitudo quã celebrat Dauid, omnibus hominum meritis in nihilũ redactis, operũ iustitiam euertit. Nam cõmentum partialis iustitiæ, quo se Papistæ & alii deludunt, futile est:

quia ne inter eos quidē qui cælestis doctrinæ luce carent, quisquam reperietur tam væsanus, qui sibi perfectam iustitiam arroget: (quod etiam testantur expiationes, lauacra & alia placandi Dei remedia, quæ semper in vsu fuerunt cunctis gētibus) sed interea suas virtutes perinde obtrudere Deo non dubitant, acsi magnam beatitudinis partem sibi ipsi acquirerēt. Dauid autem longè alium ordinem præscribit, vt in quærenda fœlicitate omnes ab hoc principio incipiant, non aliter sibi propitium fore Deum quàm si gratis ignoscat, & fauore suo dignetur qui æterno interitu digni essent. Ac meritò pronuntiat Dauid, sublata misericordia miseros in solidum maledictos esse cunctos mortales: quia quum naturaliter tātùm ad malum ferantur omnes, donec regeniti fuerint, totam eorum vitā Deo exosam & abominabilem esse certum est. Deinde etiam post regenerationem quum nullum hominis opus sine venia Deo placere queat, à spe salutis excludi necesse est: certè nihil præter anxiam trepidationem illis restabit. Durum hoc Papistis videtur, sanctorū opera, quia maculis aspersa sunt, mercede indigna esse. sed in eo crassam inscitiam produnt, quòd Dei iudicium, cui obscurus est stellarum splendor, ex suo sensu æstimant. Fixa igitur maneat doctrina hæc, quia non aliter iusti coram Deo reputamur nisi gratuita peccatorum remissione, hanc æternæ salutis esse ianuam: ideóque solos esse beatos qui in Dei misericordiam recumbunt. Tenēda enim est illa quam notauimus antithesis inter fideles, qui remissionem peccatorum amplexi acquiescunt in mera Dei gratia, & reliquos omnes, qui ad gratiæ asylū confugere negligunt. [a] Obseruandum autem quos beatos pronuntiet, non qui nulla peccata admiserint, (nemini enim hominum id datum est) sed quibus peccata sint donata, quibus tecta, ne ea vindex Dei oculus intueatur, à quibus scilicet faciē Deus auerterit. Id quod alibi orauit, dicens, Peccatorum iuuentutis meæ & transgressionum mearum ne reminiscaris, Suprà, 25.b.7. [a] Et iterum, Absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, Infra, 51.b.11. *Cui tectum.* [b] Hoc est, cui nullum Deus peccatū imputat, sumendo de illo cōmeritas pœnas.

2 *Beatus homo cui non imputat Iehoua iniquitatem: nec est in spiritu eius dolus.*

Beatus homo cui non imputat Iehoua. [v] Futurum Hebr. pro præsenti aut præt. [c] Quòd ter idem inculcat Dauid, nō est superuacua repetitio. Per se quidem hoc satis clarum erat, beatum esse hominem cui remissa est iniquitas: sed quàm sit persuasu difficile, vt cordibus penitus infixum maneat, experientia ostendit. Maior pars (vt admonuimus) suis illecebris capta, quantum in se est, conscientiæ terrores omnémque iræ Dei metum procul à se depellit. Quanquam autem Deum sibi propitium appetūt, fugitant tamen magis eius conspectum quàm ad eius gratiam ex animo sinceréque aspirent. Quos verò Deus verè expergefecit, vt tangantur viuo miseriæ suæ sensu, assidua inquietudo exagitat, vt difficile sit eorum animos pacare. Gustāt quidem Dei misericordiam, & eam apprehendere conantur: sed subinde ad multos insultus vel expauescunt vel nutant. His duabus de causis pluribus verbis in testanda peccatorum remissione insistit: nempe vt sopitos excitet, securis solicitudinem iniiciat, torpentésque impellat: deinde vt trepidas & anxias mentes certa constantique fiducia tranquillet. Apud priores talis est huius doctrinæ vsus, Quid facitis miseri? si vos vna & altera punctio nō solicitat, si ad incutiendum terrorem non sufficit qualiscunque peccatorum agnitio, quàm peruersum tamen est immensa congerie obrutos securè adhuc dormire? Apud debiles autem & trepidos non parum solatii & confirmationis continet hæc repetitio. Nam quum subinde recurrant dubitationes, non satis esset vna in lucta superiores stare. Ergo ne inter varios motus, quibus turbantur, desperatio eos absorbeat, Spiritus sanctus remissionem peccatorum pluribus verbis confirmat & sancit. [a] Notādum tamen est quòd ad hanc iustitiam & beatitudinem acquirendam fide in Christum opus est: sicuti etiam de ea Paulo Apostolo omnis disputatio est eo quem citauimus loco. Et non simpliciter de fide, sed sola fide: nequis putet quicquā posse per opera: quæ licet accedant, fructus tamen sunt iustitiæ eius, non causa. [c] Proinde expendere diligenter conuenit quid valeant loquendi formæ quibus Propheta vtitur. Certè remissio de qua hic agitur, cum satisfactionibus non conuenit. Deus enim leuando aut tollendo, deinde tegendo & non imputando peccata, gratis ignoscit. Quare Papistæ satisfactiones suas & supererogationis (vt vocant) opera ingerendo, beatitudine ista se priuant. Adde quòd Dauid verba hæc ad plenam veniam extendit. Itaque intempestiua hic est pœnæ & culpæ distinctio, qua Papistæ dimidiam tantùm veniam faciunt. Nunc tandē videndum est ad quos pertineat hæc fœlicitas: quod ex circunstantia temporis colligere promptū est. Nam quum didicit Dauid se vnica Dei misericordia beatū esse, non erat ab Ecclesia alienus: imò præ aliis multis profecerat in timore cultuque Dei & vitæ sanctitate, séque exercuerat in omnibus pietatis officiis. Post istos progressus ita eum exercuit Deus vt proram & puppim salutis suæ in gratuita cum Deo reconciliatione locaret. Nec verò frustra Zacharias in suo Cantico hanc salutis scientiam vocat, tenere remissionem peccatorum, Luc. 1. g. 77. Ergo vt quisque sanctitate maximè excellit, se à iustitiæ perfectione adhuc longè abesse sentiat, ne alibi confidat quàm in mera Dei misericordia. [a] Semper illud occurrat menti, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis permanebit: Infrà, 130.a.3. Et, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs, Infrà, 143.a.2. [e] Vnde apparet, nimis crassè hallucinari qui in peccatorum remissione nonnisi initium iustitiæ esse putant. Nam quum se quotidie multis delictis obstringāt fideles, nihil proderit viam semel adeptos esse, nisi eadem eos gratia vsque ad vltimam vitæ metam prosequatur. [a] Hac ratione docuit nos Christus ad finem vsque vitæ petere à Patre cælesti peccatorum remissionem, Matth. 6. b. 12, & Luc. 11. a. 4. [c] Siquis obiiciat beatos alibi vocari qui timēt Dominum, qui ambulant in viis eius, (Infrà, 128. a. 1) qui integri sunt corde (Infrà, 119. 1) facilis responsio est, quia nullibi reperietur perfectus Dei timor, Legis obseruatio & cordis integritas, quicquid vbique Scriptura de beatitudine prædicat, in gratuito Dei fauore, quo nos sibi reconciliat, esse fundatum. *Nec est in spiritu eius dolus.* [M] Quoniam veritatem & cordis integritatē diligit Deus, [c] hac particula voluit Vates discernere fideles tam ab hypocritis quàm à stupidis contemptoribus, quorum vtrisque nec curæ est ista fœlicitas, nec eius potiundæ ratio constare potest. Malè sibi conscii sunt scelerati, sibi tamen in suo fœtore placent: obstinant se ad impudentiam, minas ludibrio habent, vel saltem fallacibus blandiis se inuoluunt, ne cogātur in Dei conspectū prodire. Ergo quāuis vrantur miseriæ suæ sensu, vel cæcis tormentis vexentur, peruersa tamen obliuione metum omnem Dei suffocant. [a] De his copiosè Petrus 2. Epist. 3. b. 5, & Iudas. a. 4. [b] Hypocritæ, siquando eos mordet conscientia, inanibus pharmacis leniunt dolorem: si eos Deus ad tribunal suum citat, laruas quasdam pro defensione opponunt: nec vnquam integumentis carent quibus lucem è cordibus suis arceant. Hos omnes impedit interior dolus ne fœlicitatem quærant in paterno Dei amore. Quinetiam multi eorum vel proterunt corā Deo, vel superba confidentia turgent, vt se beatos somnient quamuis aduerso Deo. Significat ergo Dauid, neminē antè gustare quid valeat peccatorū remissio quàm ex eius corde abstersus fuerit dolus. Porro quid intelligat per hoc nomē, ex iis quæ diximus colligere licet. [v] Dolus enim est simulatio & fucus, qui in illis est qui sincero corde ad Deum non conuertuntur. [c] Quisquis ergo se non examinat coram Deo, quin potius Dei iudicium fugitans vel se abdit in tenebras, vel foliis obtegit, secum dolose agit & cum ipso Deo. ita non mirum est si malum non sentiens medicinam respuit. [a] In summa, dolus hic nihil aliud est quàm fraus, simulatio, hypocrisis, stupiditas, torpor, præpostera securitas, occultus Dei contemptus, [a] & reliqua quibus homines iram Dei accersere solent. [c] Huius doli notandæ sunt duæ illæ quas attigimus species. Quāquam autem non ita obduruerunt multi quin tangātur aliquo timore & gratiæ desiderio, sibi tamen interea indulgent, vel frigidè mouentur ad veniam quærendam. Hinc fit vt nondum capiant quàm inæstimabilis sit fœlicitas Deum habere propitium. Talis fuit ad tempus Dauid, cui obrepsit dolosa securitas ad obtenebrandam eius mētem, ne ad huius fœlicitatis studium emergeret. Hoc eodem morbo laborant sæpe sancti. Quare si hac fœlicitate quam nobis proponit Dauid, frui cupimus, sedulò curandum est ne Satan fallaciis corda nostra occupans, miseriæ nostræ sensum nobis adimat, in qua tabescere necesse est quicunque subterfugia quæritant. [a] Hic verò dolus nulla ratione detegitur melius & agnoscitur certius quàm quum doloribus & cruciatibus corpus & animū Deus exagitat. id quod in difficilioribus morbis solet vsu venire. Ibi in mentem venit prauitatis quæ antè latebat: amor sui sese egregiè prodit, dum tam molestè fertur quod Deus optimo consilio immisit. Tum incipiunt sancti sibi displicere, frāgi penitus, & Deo sese confrerare totos, subiicere se tribus quibuslibet ex animo. Canit itaque hic Psaltes de se quæ in seipso expertus est. Quare quod tantus Dei amicus in se exemplum proposuit, probè considerandum est.

3 *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea in rugitu meo toto die.*

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa. [v] Dum tacui, contabuerunt, aut putruerunt. vel, dum tacerem, contabescebant. [c] Sentētiam quam posuit, propria experientia cōfirmat, quòd scilicet humiliatus Dei manu, senserit nihil esse miserius quàm ab eius gratia alienari. Quibus verbis significat non posse doctrinam hanc rite percipi donec iræ suæ sensu nos Deus exercuerit. Nec verò de mediocri examine loquitur, sed extremo rigore se penitus

est. [M] Porro docemur hic cui sint confitenda peccata, & quæ confessio sit quæ remissionem peccatorum impetrat. [C] Vnde quum eadem inter nos hodie vigere debeat confitendi ratio quæ olim patribus sub Lege fuit, satis hoc loco refellitur tyrannicũ Papæ edictum, quo nos à Deo ad suos sacrificos ablegat. [M] In verbo etiam remittẽdi excluditur satisfactionis recõpensatio. Est enim verbũ gratiæ, nõ satisfactionis. Quẽadmodum enim non est meritũ vbi gratia est, (sicuti Apostolus dicit Rom.11.a.6) ita nequit esse satisfactio vbi peccatũ gratuita misericordia remittitur. Deinde nõ solùm excluditur satisfactio qualis loco pœnitẽtiæ iniungitur à pontificiis, sed quæ post mortẽ fingitur in purgatorio. [A] Nõ enim de dimidia sed perfecta peccati remissione differit hic Propheta: sicuti versu 2 ostẽdimus.

6 *Propter hoc orabit ad te omnis mansuetus tẽpore inueniendi: profectò in inundatione aquarũ multarum ad eum non pertingent.*

Pro hoc orabit. [M] Quoniam bonitatem Dei cõmendauit in eo quòd mox ad cõfessionis propositũ peccata remiserit, deinceps his duobus versibus ostendit quid cognitio bonitatis huius faciat in illis qui eam tenẽt, nempe hoc, vt eo ampliore fiducia & ipsi ad Deum pro peccatorũ remissione & diuinæ gratiæ impetratione orẽt. [C] Disertè ergo exprimit, quicquid hactenus proposuit in sua persona, cõmuniter spectare ad omnes Dei filios. Quod sedulò notãdum est: quia ob diffidẽtiam nobis ingenitã maior pars ægrè & malignè Dei gratiã ad se admittit. Hinc etiã colligimus cõfessionis actu (vt loquũtur) veniam nõ fuisse promeritũ, sed fide magis & precibus: quia hunc potiundæ eiusdẽ modũ fidelibus præscribit, vt ad orationẽ cõfugiant, quæ verũ est fidei sacrificium. [A] Iterũ fideles חסידים, hoc est misericordes seu mansuetos, vel (vt alii malunt) sanctos appellant. tales sunt quicũque bonitati studẽt. [M] Acsi diceret, Propterea quòd adeo bonus es & misericors vt peccata cõfitenti mox planè remittas, quisquis istã bonitatẽ tuam cognoscit, & ei fidit, preces suas nõ sine certa impetrãdi fiducia ad te instituet. [C] Cæterùm discamus in Dauide editũ fuisse à Deo clemẽtiæ specimen quod nõ tantùm ad nos omnes pertineat, sed etiã ostendat quomodo reconciliatio quærẽda sit. Quãquam autẽ vniuersalis nota ad cõfirmationẽ cuiusque piorũ valet, simul tamen ostendit nemini spẽ salutis aliter fieri, quàm si corã Deo supplices se prosternãt, quia eius misericordia omnes ad vnũ indigẽt. *Tẽpore inueniendi.* [V] Tẽpore inuẽtionis. id est, quod ab ipso inuentũ fuerit ad eam rem idoneum, tẽpore quo inueniri solet. [C] Quidam hoc tẽpus ad solẽnes & statas precãdi horas referunt, [a] quod matutinum erat, & vespertinũ. Alii tẽpus intelligunt quo, offerẽte se familiarius Dei bonitate, & plenius afflante pectus Spiritu superno, cor velut inuitatur ad orationẽ. Nonnulli ad tẽpus referũt quo homo eoe situm vacuũ ad precem fundendam inuenit. [C] Sed rectius alii locũ hunc cõparant cum illo Prophetæ, Quærite Dominũ dum inueniri potest, inuocate eũ dum prope est, Esa.55.b.6. Sẽper quidem tẽpestiuè quæritur Deus: quia singulis momentis egemus Dei gratia, & ipse etiã vltro nobis occurrit. sed quia nos segnities vel etiã socordia impedit ab eo quærẽdo, hic Dauid articulos propriè designat quibus fideles sua necessitas solicitat. [M] Admonemur itaque non esse cõtemnendam oblatam hanc gratiã quæ nobis offert peccatorũ remissionẽ, sed in tempore acceptandam dum offertur. Est enim tempus gratiæ, est & iræ: gratiæ, resipiscẽtibus: iræ, obstinatis. Tẽpus gratiæ est tempus inueniendi, tẽpus iræ, non inueniendi. [A] Vide 2.Cor.6.a.1.2, & Hebr.4.d.16. [C] Cæterùm quòd hoc loco abusi sunt Papistæ, vt sibi accerserẽt è cælo patronos, indigna quidem refutatione est insulsitas: hinc tamẽ perspicere licet vel quàm scelerate corruperint totã Scripturã, vel quàm crassa inscitia in rebus apertis hallucinati fuerint. *Profectò in inundatione.* [a] Hoc est, hac prece sancti impetrant vt, etiãsi inundent aquæ plurimæ, (hoc est, mala plurima) nõ pertingãt ad eos. [M] Qua de re est totus fere Psalmus 91. [a] Congruit autẽ hic locus cũ illo Prophetæ vaticinio, Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit, Ioel.2.g.32. Nam sensus est, etiãsi nos vndique circundẽt profundi mortis gurgites, metuendũ non esse ne nos absorbeant: sed tutos & incolumes fore, modò nobis fide receptus sit ad Dei misericordiam. Emphatica igitur circũstantia est, in ipsa morte salutem certam esse fidelibus, modò se in asylum gratiæ Dei conferant. Nam sub diluuii voce notantur quæuis discrimina quibus vitandis nulla ratio apparet. Qui tropus & alibi sæpius legitur, vt suprà, 18 b.17, & infrà, 69.a.1.

7 *Tu absconsio es mihi, ab angustia custodies me: clamoribus liberationis circundas me. Selah.*

Tu absconsio. [V] Latibulũ, profugium, [b] spes & fortitudo mea. [C] Nunc ad gratias agendas se cõuertit, [A] & suo exẽplo pios omnes ad bene sperandũ animat: acsi diceret, [a] Verè tuti erũt à quibuslibet malis qui tuæ se clemẽtiæ cõmiserint, qui tuam tutelũ orarint seriò. tu enim mihi protectio es, ab infestãte malo quolibet seruabis me, & ab aduersis quæ inciderint sic eripies, vt vndique nihil circum me futurũ sit vnde non sint gratiæ tibi summa cum lætitia agẽdæ. Idem nãque & alii abs te iure expectabunt. *Ab angustia cust.* [V] A tribulatione seruabis me. Alii, Ab hoste custodies me. [C] Quanquã paucis verbis celebrat Dei gratiam, subest tamen in hac breuitate multa energia. Nam primò alium salutis portũ esse negat quàm Deum ipsum: deinde fidũ sibi in posterũ fore custodem promittit. Libenter enim retinemus futurũ verbi tẽpus, quod alii nulla ratione in præteritum vertunt. Neque tamen se immunẽ à tribulationibus fore putat: sed illis Dei præsidium opponit. *Clamoribus liber. circ.* [V] Canticis (vel orationibus) liberandi circundabis me. Phrasis Hebraica, pro, Lætitia qua gaudere solent qui ab hostibus liberati sunt, perfundes me. [C] Hic Dauid, quicquid acciderit malorum, sibi Deum liberatorẽ fore cõfirmat. Nam verbo Circundandi multiplices ac varias salutis species designat: acsi diceret innumeris modis se Deo fore obstrictum, vt vberrima hinc inde materia eius laudandi suppetat. Videmus interea vt suo more gratitudinis officium Deo offerat, pro auxilio cãtica ereptionis ponens. [M] Apparet etiam vndenã sit liberatio & securitas à malis, nimirum ex gratuita peccatorũ remissione. Nã nisi remissa sint peccata, manemus sub ira Dei, priuati illius gratia & singulari protectione. Est autem ex peccatis nostra perditio. Rectè itaque adscribitur illis protectio à tribulatione quibus peccata remissa sunt, quibus facta est copia ad diuinã gratiam implorandam. Et quid mirũ, quum hinc sit salus nostra & vita verè beata & æterna? *Selah.* [b] Addita est hæc particola vt nimirum diligentius Dei suos tuentis bonitas & cura cõsideretur. [A] nam in eius meditatione nemo satis assiduus esse potest.

8 *Intelligere faciam te, & docebo te viam per quam ambules: consulam tibi oculo meo.*

Intelligere faciam te, &c. [V] Erudiam te, [b] faciam ne erres. [a] Vertit sermonem ad vnum quemlibet doctrinæ & monitionis sanctæ capacem: [c] &, quò plus energiæ habeat exhortatio, sermonem ad singulos dirigit. Nam facilius in animos penetrat quod dicitur, vbi quisque peculiariter doctrinam ipsam ad se applicat. [a] Docet autem & monet ne obbrutescamus, iussa Dei parũ studiosè expendentes, & salutẽ quam adferunt, malè agnoscentes. Nam qui his animũ probè intenderit, vltro in via Domini curret, vt qua sciat se ad vitã beatam & sempiternã peruenturũ. [C] Porro quũ omnibus Dei filiis salutis via hic mõstretur, summopere cauendũ est ne ab ea vel minimũ quis deflectat. *Consulam tibi oculo meo.* [V] Annutam super te oculo meo. vel, cõsulam tibi prospectione mea. id est, ipse videbo quid tibi sit vtile. [C] Discamus ex hoc loco, hac lege nos Deo recõciliari vt quisque fratres suos eiusdẽ beneficii participes facere studeat. Ac solicitudinẽ suam per oculi innuitũ melius declarat. Interea tenendum est, quicunque de salute nostra soliciti sunt, eos nobis à Domino constitui viæ duces. Vnde apparet quàm paternè nobis prospiciat. Chaldæus paraphrastes hunc locũ sic reddidit, Ponam super te in bonũ oculum meum. hoc est, tui curam getam, prospiciam tibi, ipse dispiciam & videbo quid tibi conducat, quò iter tuũ dirigas. Sic postea videbimus, Ecce oculos Domini erga timẽtes eum, ad eos qui sperant in misericordia eius, Infrà, 33.d.18. Potest & familiaris hic esse sensus quẽ Hebræorũ quidam afferunt, Dabo tibi cõsilium ab eo quod vidi oculis meis, atque in memetipso expertus sum. Peccaueram, & ingrediebar via nõ bona. id aduersis admonitus intellexi: & vltione adactus ad Dominũ reuersus sum toto corde, factúsque est ille mihi propitius, & suscepit pœnitentem. Hoc ergo tibi cõsulo, ne obbrutescens intelligere in te Dei bonitatem negligas: sicuti versu sequenti dicitur,

9 *Ne sitis sicut equus, sicut mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno os eius [est] ad coercendum, ne appropinquet tibi.*

Ne sitis sicut equus. [V] Mutatio numeri Hebræis frequens, pro, Ne sis. [C] Breuiter nunc sui consilii, quod se daturum præfatus est, summã exponit. omnes enim ad placidam docilitatem hortatur, atque vt deposita contumacia spiritum mãsuetudinis induant. [M] Ne sitis, inquit, sicut equus, sicut mulus. hoc est, ne sitis instar animantium brutorũ, quæ nisi cogantur, sessori suo non obediunt. *Quibus non est intell.* [V] Infinitiuus Hebr. pro nomine. *In camo & fræno os eius.* Hebraicè ad verbum legitur, In lupato & fræno os eius ad constringendum (vel constringere) non appropinquare ad te. Infinitiuus pro futuro aut præsenti. Latinè sic, Quorum os nisi lupato & fræno constringas, non appropinquabunt (vt appropinquant) ad te. Vel, quorum os lupato & fræno coercere oportet, ne accedant ad te. Id est, ne mordeant. Vterque sensus potest cõmodè ex verbis Hebraicis elici. [C] Quidam sic reddunt, Capistro & fræno maxillam eius constringes, ne calcitrent contra te. [a] Alii, Ne pugnent contra te, aut repugnent tibi. Sic magis apparet ratio cur fræni & lupati

meminerit, quibus nō solùm id efficitur ne propius bestiæ istæ sessori accedant, sed magis vt ad nutum eius obediant, & nihil contra pugnent. Muli autē & equi ideo præ aliis meminit quòd eorum ad vsus humanos formatio & adactio notior sit. [C] Prudenter autem de corrigenda duritie pios admonet: quia si attenti essemus ad Dei ferulas vt decebat, certatim quisque ad quærendam Dei gratiam properaret. Nunc vnde tanta in omnibus tarditas, nisi quia vel stupidi sumus vel etiam refractarii? Brutis autem animalibus præfractos omnes comparans David, pudorem illis incutit, & simul denuntiat, contra stimulos calcitrando nihil proficere. Homines (inquit) equorum ferociam subigere norunt frænis & lupatis: quid igitur Deum putāt facturum, vbi eos intractabiles expertus fuerit?

10 *Multi dolores [erunt] impio: at sperantem in Iehoua misericordia circundabit.*

Multi dolores erunt. Nunc sine figura confert impios ac pios, quid vtrosque maneat apud Deum commemorans. [E] Ac primò pronuntiat qualis rebelles & obstinatos maneat cōditio. Prius dixerat Deum nō carere frænis vel lupatis, quibus eorum proteruiam compescat: nunc addit nullum illorum miseriis finem vel modum fore, donec prorsus consumpti fuerint. Quanuis ergo ad tēpus nobis parcat Deus, terreat nos hæc denuntiatio, ne temporalis impunitas nos obduret, neque sic nos decipiat prosperitas, cui Deus maledicit, quin recondiei isti dolores, quos Deus reprobis omnibus minatur, nobis in mentem veniant. [A] Certè misera prorsus & calamitosa est impiorum conditio. Nam licet securitatem sibi polliceantur, eorum tamen animos infiniti dolores occupant: ita vt verissimè dictum sit a Propheta, Non est pax impiis, Esa. 57. d. 21. Nam habent contra se Deum ipsum, huius iræ sunt obnoxii tam in isto quàm in futuro seculo: quandoquidem nulla disciplina ad resipiscentiam duci sustinent, [A] nec reputant quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, Hebr. 10. f. 31. [M] Deinde sibiipsis quoque in hac vita summas molestias pariunt, dum voluptatibus ac desideriis carnis obsequuntur. Exempli vice sit animus auari, qualis describitur 1. Timot. 6 b. 9. [M] In summa, quantuis iucundum videatur secundum carnem viuere, fit tamen vt etiam ipsæ carnis deliciæ plus habeant fellis quàm mellis. *At sperantem in Iehoua misericordia circundabit.* [C] Sicut innumeris vindictis armatum esse Deum contra reprobos dixit, rursum addit immensa bonitate instructum esse, qua suos omnes subleuet. Summa est, nō aliud esse malis nostris remedium nisi vt humiliati sub Dei manu, salutem nostrā in sola eius misericordia fundemus: eos verò qui in Deum recubuerint, omnibus numeris beatos fore: quia vndecunque eos oppugnet Satan, Dominus cum suo præsidio occurret. [M] Itaque potest hic meritò obseruari quid intersit inter afflictiones piorum & impiorum. Pii affligūtur vel vt erudiantur & emendentur, ne cum mundo damnentur (1. Cor. 11. g. 31) vel vt probentur per patientiam, & in spe confirmentur, Rom. 5. a. 5. quas afflictiones sibiipsis non accersunt, sed aliunde illatas patienter ferūt, idque cum fructu vel resipiscētiæ vel probationis. Impii verò non ita, nā vt equi feroces & indomiti tractantur, donec penitus pereant.

11 *Lætamini in Iehoua, & exultate iusti, & laudate omnes recti corde.*

Lætamini in Iehoua. [E] Postquam David veram fœlicitatē piis omnibus promptam & expositam esse docuit, [E] cōmoditer eos ad gaudium, lætitiam & ouationem inuitat. [C] Iubet autem in Iehoua lætari: acsi diceret nihil obstare quominus Deum sibi propitium esse statuant, qui tam benignè & comiter ad reconciliationem se offert. Interea notemus hunc incōparabilem esse fidei fructum, (quem etiam cōmendat Paulus Rom. 5. a. 1) dum scilicet piorum conscientiæ trāquillæ & hilares pace & gaudio spirituali fruuntur. Nam vbicūque vigebit fides, eam sequetur hæc sancta gloriatio. Sed quia mūdo sua impietas obstaculū est ne ad huius gaudii participationem accedat, ideo solos iustos compellat David, quos eosdem rectos corde nominat: vt sciamus, externæ iustitiæ speciem, quæ hominibus arridet, nihil esse coram Deo. Sed quomodo iustos vocat quorum tota fœlicitas in gratuita Dei clementia posita est, dum illis peccata non imputat? Respondemus, non alios recipi in gratiam nisi qui sibi in vitiis displicent, & ex animo resipiscunt. non quòd pœnitentia sibi veniam acquirant, sed quia à Spiritu regenerationis diuelli nunquā potest fides. Iam verò vbi se Deo addicere cœperunt, rectitudinē cordis illorum perinde accepti habet acsi integra esset ac perfecta. Neque enim solùm hominē Deo reconciliat fides, sed quicquid in eo adhuc est imperfectū sanctificat, vt gratuita Dei indulgentia iustus sit, qui nullo merito tantum bonum acquirere sibi posset. *Et laudate omnes recti corde.* [V] Quidam sic reddunt, Et incitate ad ouationem omnes rectos corde. [A] sed alia lectio aptior est, vt eosdem appellet rectos corde quos priore membro iustos nominauerat: sicuti expositum est.

ARGVMENTVM PSAL. XXXIII.

[M] HABET Psalmus iste adhortationē ad laudandum Deum omnium planissimā, proposito argumēto in generali eius prouidentia, qua sustinet, tuetur ac gubernat totum mundū. Deinde paternam erga electum populum eius curam celebrat, simul ostendens quàm necesse sit peculiari eius tutela pios foueri.

EXVLTATE *iusti in Iehoua: rectis pulchra est laus.* 1

Exultate iusti in Iehoua. [V] Ouate iusti in Domino. [M] Psalmus iste id habet in principio quod præcedens in fine. Excitat enim iustos & rectos corde ad exultationē spiritus in Domino. [C] Nominatim autem fideles vel iustos compellat: quia soli idonei sunt gloriæ Dei præcones. Neque enim increduli, qui Dei bonitatem nunquam gustarunt, eum possunt ex animo laudare: & Deus nomen suum impiis eorum linguis attingi non vult. sicuti fusius dicetur infrà, 50. c. 16. [M] Et iam audiuimus Prophetā hæc de re dicentē, Timētes Dominū laudate eū, omne semen Iacob glorificate eum, Suprà, 22. c. 24. [C] Sed ex cōtextu melius patebit cur hæc exhortatio solis fidelibus propriè cōueniat. Nam sequitur, *Rectis pulchra est laus.* [V] Decora est, vel conuenit. [C] Hoc multi exponunt rectis laudē congruere: quia si ad idem tentandum se accingunt impii vel hypocritæ, id in Dei probrū & dedecus magis vergit quàm in laudem: imò nihil quàm sacrum eius nomen profanant. Ac verè quidem hoc dicitur, quēadmodum iam admonuimus, Deū sibi consultò in hunc finē gratuita adoptione creare Ecclesiam in mundo vt nomen suum rite à legitimis testibus laudetur. Genuinus tamen sensus est, laudem rectis decorā esse, quia nihil potius est in quo se exerceant. Et certè quum assiduis beneficiis Deus celebrandæ suæ gloriæ materiam ipsis præbeat, ac immēsa (vt vidimus supra, 31. f. 20) eius bonitas in proprium thesaurum ipsis sit reposita, eos de laudibus Dei silere turpe & absurdum foret. [A] Vt ergo bonitatē Dei verè percipiunt & agnoscunt, ita nihil ipsis optabilius acciderit atque Dei laudes celebrare. [C] Itaque summa huc redit, hoc præcipuum esse studium in quo iustos occupari deceat, vt iustitiam, bonitatē & virtutem Dei, quarū notitiam animis infixā gerunt, prædicent apud homines. [V] Quod ad verba attinet, vbi pulchrā laudem transtulimus, aptè etiam legi posset Desiderabilem, ab [illegible], quod optare vel expetere significat. Et certè quum fideles tam suauiter alliciat Deus, totis animi votis ad laudes eius canēdas eos ferri cōuenit. [M] Notandū est etiam quòd Propheta adhortationi laudis præmittit exultationem spiritus in Domino. Nequit enim verè laudare Dominū nisi cuius spiritus exultat in Domino, & ad laudandum Dominū sensu bonitatis eius excitatus est. Sic & beata Virgo glorificationē Dei & exultationē spiritus cōiungit. [C] Postremò notandū quòd vbi iustos posuit Propheta, nomine rectitudinis (sub quo cōprehēditur interior animi sinceritas) statim quæ vera sit iustitia definit.

2 *Confitemini Iehouæ in cithara: in nebel & decachordo canite ei.*

Confitemini Iehouæ in cithara. [V] Celebrate Iehouam in cithara. [E] Non dubiū est quin Vates vehemētiam & ardorē affectus in Deo laudādo hoc versu exprimat, vbi in hūc vsum instrumēta musica applicari iubet. Nihil enim vult à fidelibus omitti quod mētes sensusque hominū ad canendas Dei laudes accēdat. Etsi enim nōnisi articulata voce propriè celebratur Dei nomē, hæc tamen adminicula quibus se magis incitare fideles solent, non frustra addidit, præsertim quum apud veterē populum verba faceret. Discrimen nanque tenendum est, ne quicquid Iudæis olim præceptū fuit, promiscuè ad nos trahamus. Nec verò dubium est quin cymbala pulsare, canere ad citharā & nablum, totumque illud musicæ genus, cuius mētio freqnēter in Psalmis occurret pars fuerit Legalis pædagogiæ. Loquimur de solenni tēpli cultu. Nam & hodie si musicis instrumētis se exhilarēt fideles, fatemur hoc illis debere esse propositū ne à Dei laudibus suam lætitiam separēt. sed dum sacros suos cōuentus peragunt, nihilo magis ad canēdas Dei laudes cōgruere arbitramur musica instrumēta quàm si quis suffitus, lucernas & similes Legis vmbras in vsum reuocet. Stultè itaque hoc (vt alia multa) à Iudæis mutuati sūt Papistæ. Homines externis pōpis deditos oblectat ille strepitus: sed Deo magis placet quam nobis per Apostolum suum commendat simplicitas. Nam Paulus Deum in publico fidelium cœtu benedicere nonnisi lingua cognita permittit, 1. Cor. 14. d. 16. Certè vox hominis, quanuis non vulgò intelligatur, mortuis omnibus organis præstat. Quid ergo de cantillatione dicendum, quæ tantùm inani sonitu aures verberat? Siquis obiiciat, musicam ad excitandos hominum animos plurimum valere, fatemur id quidem: sed timendum semper est ne qua corruptela obrepat, quæ & purum vitiet Dei cultum, & homines superstitione illiget. Porro quum de periculo nos disertè Spiritus sanctus admoneat per os Pauli, vltra quàm illic nos docemur progredi non modò inconsideratum

zelum, sed impiam pertinaciam esse dicimus. *In nebel.* Hoc musicum instrumentum alii nablum, alii psalterium, alii fides vocant. *Et decachordo canite ei.* עשור (quod decachordum reddunt) quidam id tanquam epitheton nabli acceperunt, eo quòd absque coniunctione illud sequitur. Sed quamlibet polysyndeto frequentissimè Scriptura vtatur, habet tamen suis locis & asyndeton. Cæterùm ex alio loco abundè liquet עשור nomen esse instrumenti diuersi à נבל. Sic enim habet, Super decachordu & super nebel, Infr. 92.a.4. Porro 1. Paral. 15.b.17, & 16.a.6.7, & 25.a.5 (quibus locis de sacris cantoribus legitur) mentio fit præter citharas & nabla, etiam מצלתים, id est cymbalorum, & חצצרות, hoc est buccinarum vel tubarum. Iosephus lib. Antiq. 7. cap. 12 scribit cinnoræ, id est citharæ, decem fuisse chordas, & plectro percuti solitas: nebel verò duodecim chordas, & tangi consuetudine digitis. Huiusmodi instrumentorum figuræ mutantur quotidie. vnde mirum non est nihil modò certi de his posse dici: vt neque Hebræi quicquam de his solidi tradunt. Præstiterit ergo hic obseruare: (sicuti iam dictum est) quàm nihil omiserit Dauid eorum quæ vlla ratione Dei cultum vel augere vel illustrare potuerunt, [A] secundum eius temporis rationem in quo viuebat sanctus hic Dei seruus.

3 *Cantate ei canticum nouum, doctè pulsate in clamore.*

Cantate ei canticum nouum. [B] Laudandi Dei innouatum studium voluit excitare: quod ex renouata diuinæ bonitatis propensione solet exurgere. [C] Nam quum de magnificis Dei operibus ac de Ecclesiæ præsertim conseruatione postea disserat, non mirum est de nouo cantico (hoc est raro & exquisito) eum præcipere. Nam quo propius & diligentius expendunt fideles Dei opera, altius etiam in eius laudes efferri æquum est. Iubet ergo meditari non vulgare canticum, quod tam splendidæ materiæ respondeat. [A] Sic alibi dicit, Dedit in os meum canticum nouum, laudem Deo nostro, Infrà, 40.a.4. [B] De iis sanè quæ homines summè afficiunt, & quorum memoriam penitius cupiunt infigere, solent fere nouas componere cantilenas. Sic Moses transmisso mari rubro & extincto Pharaone hymnum cecinit, Exod. 15.a.1. Et Debora fugato Iabin rege Chenaanitarum, atque occiso duce eius Sisera, Iudic. 5. a. 1. Nemo verò huius studiosior fuit Dauide, [A] qui hic etiam præclarum & nouum canticum à fidelibus requirit, propterea quòd de re maximi momenti, vt iam diximus, disserturus erat. *Doctè pulsate in clamore.* [V] Benefacite pulsando cum iubilatione, vel, bene modulamini in clangore. Hebraismus, pro pulsate siue sonate suauiter & arte vnà cum voce læta. Eadem loquutio & Esa. 23.d.16. [C] Nisi dicere velimus Prophetam fideles hortari vt strenuè psallendo incumbant. Sic enim verbum היטיבו exponi potest. [B] De tubæ clangore vide suprà. 17.c.7. [V] Cæterùm admonemur hoc loco vt singula Dei beneficia recenti laude & hymno celebremus & extollamus, posteritatique consecremus. Fuit & hic mos apud veteres pios. Hodie cantica facta turpia amatorum ac bellatorum [A] non sine magna nominis Dei profanatione celebrantur. Sed breui futurum est vt hæc mundana gaudia in extremum luctum conuertantur.

4 *Quia rectum est verbum Iehouæ, & omne opus eius in fide.*

Quia rectum est verbum Iehouæ. [M] Iam incipit causas reddere quare debeant iusti & recti exultare in Domino, illique laudes canere. [C] Ac primò generalem (vt nuper diximus) Dei prouidentiam, qua regitur totus mundus, proponit, dicitque in toto operum suorum cursu Deum sic imperium suum exercere vt refulgeat vbique summa æquitas & fides. [M] Prima itaque ratio exultandi & laudandi Deum sumpta est à veritate, fide, iustitia & bonitate Dei. *Et omne opus eius in fide.* [C] Verbum & opus quidam volunt esse synonyma, sed nos ita distinguimus vt verbum tantundem valeat ac consilium Dei, vel mandatum: opus verò sit eius effectus & executio. Geminatur quidem sententia diuersis verbis: (vt alibi passim) sed rara non est in repetitionibus modica deflexio, vt idem variè & pluribus modis dicatur. Summa est, quicquid statuit Deus ac mandat, rectum est: quicquid opere ipso perficit, fidelis & verax. Interea notandum est verbum non accipi pro doctrina, sed pro mundi gubernandi ratione. [S] Ergo quæcunque Deus instituit, quæcunque agit, quæcunque gerit, summa cum æquitate & fide instituit, agit & gerit.

5 *Diligit iustitiam & iudicium, misericordia Iehouæ plena est terra.*

Diligit iustitiam & iudicium. [C] Confirmatio est proximæ sententiæ, quia Deus scilicet natura iustitiam & æquitatem amet. Vnde sequitur, fieri non posse vt eum præposteri affectus, more hominum, ad praua consilia rapiant. [M] Nec satis dicere habuit Dauid de Deo quòd iustus sit, iudicium & iustitiam faciat: sed affirmat eum diligere iudicium & iustitiam: vt non solùm facta Dei, sed & illius ingenium commendet. [C] Videtur tamen primo intuitu hoc vulgare & friuolum esse Dei elogium: quia fatentur omnes Deum in suis operibus optimam æquitatis regulam tenere. Quorsum ergo (dicet quispiam) noui cantici, quasi in re insitata, nuper facta est mentio? Sed primò plus satis constat quàm turpiter excutiat bona pars mundi ad Dei iustitiam, dum vel neglectim prætereit innumera prouidentiæ eius documenta, vel etiam fortuitò accidere imaginatur. Accedit autem deterius vitium, quòd nisi Deus votis nostris obsequitur, statim obstrepimus eius iustitiæ. Ita postquam hoc principium in ore omnium pro confesso volitauit, Deum iustè omnia agere, vix centesimus quisque fixum in animo suo retinet: alioqui simulac prodit hæc doctrina in medium, Deo ita placere, quisque se eius arbitrio obedienter subiiceret. Nunc vbi rebus aduersis ægerrimè coguntur homines in ordinem, vt Deum agnoscant ac profiteantur iustum esse, in prosperis verò diffluunt & euanescunt: non mirum est si affirmet Propheta Deo iustitiam esse cordi, vt rectum moderatorem esse persuadeat. Itaque quisquis hanc doctrinam penitus imbiberit, sciat se multum profecisse. [M] Quidam hoc ita interpretantur vt intelligendum sit Deum iudicium & iustitiam in aliis diligere, id est exquirere ab aliis. [C] Sed hoc à contextu remotum est: quia hic Spiritus sancti consilium est, contra impietatis venenum, quod in multorum cordibus residet, Dei gloriam asserere, [M] & ea prædicare quæ ingenium Dei commendant, & ad laudandum eum incitant. Non autem propriè facit ad laudem cuiusquam, si dicatur ab aliis exigere vt iusti sint, sed magis si dicatur ipse iustitiam & iudicium sectari & præstare. *Misericordia Iehouæ plena est terra.* [C] Hic alteram virtutis speciem in Deo commendat Propheta, quòd plena sit terra eius bonitate. Etsi autem Dei iustitia ad celebrandum eius nomen meritò stimulare nos debet, acrior tamen stimulus est eius bonitas: quia vt quisque beneficum & misericordem ipsum sentit, magis ad eum colendum afficitur. [M] Adhæc, non simpliciter his verbis Deus bonus esse asseritur, sed magis prædicatur bonitatis eius abundantia, quæ tanta est vt terra sit illius declaratione & vbertate repleta. [C] Itaque adhuc de omnibus Dei beneficiis sermo habetur, quæ spargit in totum humanum genus. Ea dicit Propheta, quocunque vertamus oculos, passim occurrere.

6 *Verbo Iehouæ cæli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.*

Verbo Iehouæ cæli facti sunt. [M] Hæc est altera ratio ad laudandum & colendum Deum inducens, sumpta ab illius omnipotentia, quam in creatione mundi considerandam proponit. [C] Nam hac ratione melius expergefiunt hominum mentes ad reputanda Dei opera. Donec enim agnitus fuerit mundi creator & opifex, quis credat ab eo curari res humanas, mundique statum eius consilio & manu gubernari? Mundi autem creatio ad Dei prouidentiam continua serie nos deducit: non quòd tam dexterè ratiocinentur omnes, vel tam recto iudicio præditi sint, vt mundum statuant, eadem Dei virtute quam se in illo creando semel exeruit, hodie sustineri: quin potius maior pars eum de cælo otiosum spectare fingit quicquid in terris agitur. Sed aliter ritè nemo tenet mundum à Deo conditum, nisi persuasus quoque sit ab eodem foueri & conseruari in suo statu. Scitè igitur & aptè Propheta, vt nobis certitudinem infigat prouidentiæ Dei in continuo naturæ ordine, nos ad ipsam mundi originem reuocat. [B] Porro id canit Propheta quod Gen. 1. a. 1 legitur: quanquam cælorum tantùm atque astrorum ac maris nominatim meminerit, vt in quibus præclarius Dei maiestas relucet maximè nobis, quibus hæc etiam videntur. [C] Itaque nomen cælorum synecdochicè pro vniuersali mundi machina posuit: quia (vt dictum est suprà, 19.a.2) eorum maximè conspectu in admirationem rapimur. Ideo mox addit eorum exercitum. *Et spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Nomine exercitus sydera & stellas intelligit, vsitato Scripturæ more: nam si hoc ornatu carerent cæli, quodammodo vacui essent. [M] Sunt qui legunt, Omnis virtus eorum: sed rectius multo legitur exercitus, vel ornatus. [A] Sicuti quum dicitur, Perfecti sunt itaque cæli & terra, & omnis exercitus eorum, Genes. 2.a.1. [C] Cælos autem dicens Vates verbo Dei conditos, potentiam eius magis amplificat: quòd solo nutu contentus neque accersiuerit aliunde subsidia, neque etiam multum operæ vel laboris impenderit ad tam splendidum & nobile opificium. Quanquam autem verbum & Spiritum oris tam externis omnibus mediis quam laboris difficultati, quæ in Deo fingi posset, opposuit Propheta, verè tamen & certò hinc colligimus, mundum per æternum Dei Sermonem (qui Filius est vnigenitus) fabricatum esse. Sobriè hoc elogio veteres vsi sunt contra Sabellianos, vt æternam Spiritus deitatem assererent. Atqui ex aliis locis patet (ac præsertim ex Esaiæ vaticinio) spiritum oris notari sermonem. Sic enim de Christo loquitur, Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum interficiet impium, Esa. 11. a. 4. Sicut autem potestate & efficacia plenus sermo allegoricè vocatur oris sceptrum, ita alio fine postea dicitur halitus, nimirum ad discrimen denotandum sermonis Dei,

& inanis resonantiæ quæ ex ore hominum prodit. Ergo in probanda deitate Spiritus hoc testimonio Sabellium vrgere non auderemus. Quare nobis sufficiat Deum verbo suo ita cælos formasse vt hinc probetur æterna Christi diuinitas. Siquis obiiciat non fore distinctas personas, si voces Verbi & Spiritus sint synonymæ, respondemus non simpliciter spiritum hic poni vt aliis locis, in quibus apertè à Verbo distinguitur, sed figuratè spiritum oris pro ipsa pronunciatione sumi, acsi dictum esset, simulac halitum vocis suæ emisit Deus, vel protulit verbo quid fieri vellet, cælos repente extitisse, & quidem incredibili stellarum copia & varietate instructos. Verum quidem est, similitudinem hanc ab hominibus sumptam esse; sed alibi sæpe docet Scriptura, æterno illo Sermone qui vnigenitus Dei Filius in carne apparuit, mundum fuisse creatum. Vide Gen. 1. a. 1, & Iohan. 1. a. c.

7 *Congregans velut in acervum aquas maris, ponens in thesauris voragines.*

Congregans velut in acervum aquas maris. [a] In eo potentiam Dei commendat Propheta, quòd tantam aquarum vim tam miraculosè cohibuerit, & adhuc hodie velut in vtrem inclusam cohibeat. [b] Itaque non omnia quæ de singulis mundi partibus dici poterant prosequitur, sed breuiter sub vna parte alias omnes designat. Cõmendat autem insigne in mundi superficie & dignum notatu miraculum, quòd Deus elementum aquæ fluidum & instabile, instar solidi acerui collectum suo arbitrio teneat. Fatentur enim physici, & experientia palam clamat, aquas terra superiores esse, quum liquidæ sint & diffluant. qui fit ergo vt se non effundant ad terram obruendam, & hæc quæ loco inferior est, sicca emineat? Hic certè perspicimus, Deum, vt generis humani saluti consuleret, arcanis aggeribus aquas cohibuisse, & hodie tenere clausas. Et eleganter Propheta iussu Dei consistere pronuntiat, acsi firmæ ac solidæ materiæ aceruus foret. Nec abs re hoc diuinæ virtutis specimen alibi commendat Spiritus, sicuti Iob 38. a. 8, & Ierem. 5. e. 22. [d] Qua de re vidimus suprà, 24. a. 1, & rursum videbimus infrà, 104. a. 3. 5. d. 25. *Ponens in thesauris voragines.* [e] Q. d. Conclusit certo loco seruandas abyssos non aliter quàm thesauri concludi solent. Quidam vertunt, Velut thesauros reposuit abyssos. [c] Videtur Vates hoc ipsum repetere quod dixerat, sed cum amplificatione, quia Deus non tantùm immensam aquarum molem in mari compescat, sed in ipsis quoque terræ visceribus mira & incomprehensibili virtute recondat. Nam quisquis elementa inter se conferet, præter naturam fieri dicet vt abyssi vel immensi gurgites aquarum subtus terram lateant, qui potius debuerãt eam submergere. Atque hic altera quoque Dei virtus refulget, quòd terram tot caui meatus & voragines non singulis momẽtis absorbeant. Nam etsi chasmate interdum pereant vrbes & agri, corpus tamen ipsum in suo gradu manet. [a] quod nõnisi Dei potentiæ, sapientiæ & bonitati tribuendum est.

8 *Timeat à Iehoua omnis terra, ab eo paueant omnes habitatores orbis.*

Timeat à Iehoua omnis terra. [a] Prædicata Dei potentia & bonitate, & fabrica cælorum vastique maris coertione, (quo excitare animum voluit vt & reliquarum rerum quas verbo perfecit, miracula perpenderent) concludit iustam esse causam cur reuerenter subiiciat se totus orbis imperio Dei, à quo suam habet originem, & a quo seruatur. Nam timere & metuere à Iehoua nihil aliud est quàm formidabilem eius potestatem suspicere. *Ab eo paueant omnes habitatores orbis.* [b] Q. d. Quum tanta sit Dei potentia vt ad verbum illius steterint hæc omnia, cælum, terra, maria, & spiritu oris eius tanta moles sustineatur: quid aliud sequitur quàm vnum illum esse timendum colendùmque ab omnibus in vniuersum terræ habitatoribus, in cuius manu est omnis omnium mortalium salus, qui vno momento potest omnia hæc quæ de nihilo cõdidit solo verbo, inuertere ac perdere? Siquis quærat, Quomodo hæc admonitio de timẽdo Deo conueniat initio Psalmi, vbi iubentur fideles exultare in Domino? Quæ conuenientia est gaudii & timoris? nihil impedit eundem in eodem & gaudere & timere: veluti quum dicitur, Exultate ei cum tremore, Suprà, 2. c. 11. Videtur tamen hoc versu Dauid iam non eosdem quos antea (videlicet iustos & rectos) alloqui, sed magis eos qui istam Dei potentiam ac prouidentiam vel ignorabant, vel contemnebant, atque ideo Deum hunc non colebant: quos omnes ad timorem & cultum Dei hortatur.

9 *Quoniam ipse dixit, & fuit: ipse præcepit, & extitit.*

Quoniam ipse dixit, & fuit. [b] Vt Propheta quosuis ad Dei timorem permoueat, validissimam & fortissimam rationem subiungit, omnipotentiam Dei nobis ob oculos exponens, quæ in eo notatur quòd verbo omnia potest. [c] Est autẽ hoc nimis crassi stuporis, non intẽdere ad Dei præsentiam, à quo est nostrum esse, & in quo status noster cõsistit. Vtrunque enim attingit Propheta, orbẽ fuisse simulac Deus loquutus est, & eiusdẽ mandato aliquem habuisse statum. quia non satis fuisset momento esse conditũ, nisi suffultus Dei virtute staret. Deus ergo non magno apparatu ad mundi creationẽ vsus est: sed vt probaret immensam verbi sui potentiam, iussit vt imperium protinus esset opus. [b] Natura autem sic comparati sumus vt ei cui maiorem esse potentiam existimamus, plus etiam deferamus, iussáque illius studiosius perficiamus. Quum ergo Deus omnẽ aliam potentiã infinito excedat, vt qui dicto cũcta efficiat, debuerat meritò à nobis præ omnib[9] metui, coli & venerari. Et planè ita res haberet, si verè id de eo persuasi essemus quod vno ore omnes iactamus, nempe verbo ipsum condidisse & seruare omnia. Rectè ergo author Epistolæ ad Hebræos scripsit, Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, Hebr. 11. a. 3. Iã fides (vt inquit Paulus 2 Thess. 3. a. 3) non est omnium. *Ipse præcepit, & extitit.* Pronomen הוא, Ipse, non caret emphasi. q. d. Hic ipse est & solus, cuius verbum verbum virtutis est, cuius præceptum necessariam executionem habet. Quare quia omnia sunt in eius manu, & præterea nulla re opus habet, cuius ministerio carere nequeat. Liberam habet & infinitam virtutem, cui nemo resistere potest. hac potestate solus est præditus. [a] Proinde solus suspiciendus rex vniuersorum. [e] Cæterùm verbum præcipiendi vel mandandi confirmat quod paulo antè diximus, sermonem nihil aliud esse quàm nutum, & loqui nihil aliud quàm iubere: quod tamen sic accipere cõuenit vt in hoc nutu vel mandato se proferat æterna Dei sapientia. [m] De huius verbi potentia & virtute Esa. 10. d. 26, & Ierem. 15. a. 1, & infrà, 105. b. 16. d. 34, & 148. b. 18.

10 *Iehoua irritum facit consilium gentium, irritas facit cogitationes populorum.*

Iehoua irritum facit consilium gentium. [e] Postquam breuiter attigit mundi creationem, ad institutum sermonem redit, quotidianos scilicet euentus certos esse prouidentiæ Dei testes. [m] In hoc itaque visenda est diuinæ voluntatis & prouidentiæ potentia & efficacia, quòd Gentium studia, cõsilia & cogitationes dissipat & irrita reddit, consilium verò suum in effectum semper ita ducit vt nunquam irritum fieri queat. [c] Porro nequis miretur Deum hic induci à Propheta quasi hominibus aduersum, qui dissipet eorum consilia potius quàm stabiliat, & ad prosperum successum adducat, exemplum elegit quod ad piorũ consolationẽ maximè valebat. Scimus enim quàm multa assiduè audeant homines, & præter ius & fas machinentur, vt suis artibus totum mundum peruertere conentur, vt se tyrannicè efferant ad calcandos bonos & simplices. Quid ergo miserius si in tanta libidine permissa illis esset exequendi libertas? At vbi ex alto pronuntiat Deus, suarum esse partium discutere quicquid decernunt, & in nihilum redigere quicquid deliberant, nihil obstat quominus ipsis feruidè tumultuantibus quietem colamus. Quare dicitur euertere Deus cõsilia hominum, non quòd eorum frustratione ex professo se oblectet, sed vt cõpescat eorum temeritatem: quia omnia protinus miscerent si succederet ex voto. imò quia bellum cum Deo suscipere, cõtra æquitatem ruere, probos & innoxios vexare non desinunt, necesse est eorũ furori opponi Dei præsidium. Imò quia maior hominum pars contempta modestia in confusam licentiam fertur, non de singulis tantum hominibus, sed de totis populis loquitur Propheta, dicens, *Irritas facit cogitationes populorum.* Q. d. Quamuis inter se conspirent homines, magnisque copiis hoc vel illud aggredi deliberent, consilia tamen eorum erunt irrita: quia Deo non erit plus negotii in dissipanda ingenti multitudine quàm in paucis cohibendis. [m] Magnæ putatur potentiæ & efficaciæ si tota quædam gens vel populus cõspiret in aliquod propositum, idque cum cõsilio & singulari studio: verùm Dominus est qui vnus omnia omnium studia & cõsilia irrita reddere potest. Admonemur hoc loco ne terreamur cõsiliis prauorũ: quandoquidem facilè à Domino dissolui possunt. Vnde insultat Propheta populi Dei aduersariis, Consulite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non stabit, Esa. 8. b. 10. [c] Quãquam autem Deo propositum fuit nos bona spe cõtra improborum audaciam munire, simul tamen cauendũ esse admonet nequid nisi suo iussu & auspiciis tentemus. [m] Imò verò licet certum sit Dominum dissipare consilia reproborum, debemus tamen vt id in salutem nostram præstet ab eo petere: sicuti factum legitur à Dauide, qui dicebat in summa animi angustia constitutus, Infatua quæso Domine consilium Achitophel, 2 Sam. 15. f. 31. Vide iterum infrà, 81. a. 4. e. 14, & Act. 4. f. 29. Adhæc queritur Ieremias iniri aduersus se consilia: queritur autem ad Dominũ, nimirum tanquam opem illius implorans, Ierem. 11. d. 19. Non est itaque in contemptum omnium eorum quæ geruntur rapiendum quod hic consolationis gratia memoratur, sed magis ad hoc vt educti liberè inuocemus gratiam illius cuius est reproborum consilia irrita facere.

11 *Consilium autem Iehouæ in seculum stat, cogitationes cordis eius in generationem & generationem.*

Consilium autem Iehouæ in seculum stat. [a]Tanta est Dei virtus ac potentia vt non modò aduersariorum suorum consilia dissipare possit, sed omne suum consilium semper in effectum ita ducere vt nunquam irritari possit: sicuti per Prophetam loquitur, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Esa.46.c.10. Porro immensam Dei potentiam sic extollit Propheta vt in eius altitudine fidem nostram ædificet. Neque enim consilium laudat quod nos in cælo absconditum procul suspicere & reuereri velit: sed quia passim testatur sibi cordi esse iustitiam & rectitudinem, sibi curæ esse iustos & probos, sibi in animo esse opitulari suis cultoribus dum iniustè premuntur, intelligit Propheta hoc stabile & ratum fore. Ita declarat in quem finem Deus cōsilia Gentium dissipet: quia scilicet ad violandum omnem ordinem nullo delectu feruntur. Primùm ergo discamus Dei consilium inspicere in verbi speculo: vbi verò statuerimus nihil eum promittere nisi quod præstare apud se decreuit, statim nobis occurrat hæc firmitas de qua disserit Propheta. Sed quia eius cursum innumeris obstaculis abrumpere multi contendunt, imò toti interdum populi, veniat quoque in mentem prior sententia, vbi multa agitauerint homines, in Dei manu & arbitrio esse dissipationem. In hac practica notitia fidem nostrā haudduhiè exerceri voluit Spiritus: quia frigidū alioqui & fructu vacuum elogium hoc esset. Atqui vbi nobis propositū fuerit Deum suos tueri velle, & eripere & omnibus periculis quicunque eius nomen inuocant, quicquid moliātur in perniciem nostram impii, nos minimè terrebunt eorum studia & conatus: quia simulac Deus se opposuerit, nulla erit astutia quæ eius consilium eludat. [m]quemadmodum per Solomonem dicitur, Non est sapientia neque intelligentia neque consilium contra Iehouam; Prouerb.21.d.30. Vnde meritò reprehenduntur Israelitæ quòd consilium ceperint, sed non ex Deo, Esa.30.a.1. *Cogitationes cordis eius in generationem & generationem.* Sub. permanebunt, aut perdurabunt.

12 *Beata gens cuius Iehoua est Deus eius: populus quem elegit in hereditatem sibi.*

Beata gens cuius Iehoua est Deus eius. [v]Aptè cohæret hic versus cum proximo: quia parum prodesset quod de perpetuitate consilii Dei dictum fuit tenere, nisi ad nos pertineat. Ergo beatos esse exclamans Propheta quos Deus in tutelam suscepit, consilium eius (cuius nuper meminit) non esse recōditum admonet, sed vigere & spectari in Ecclesiæ salute. Atque ita videmus, non eos qui frigidè speculātur Dei potentiam, sed qui in suum præsentem vsum aptant, rite demum agnoscere mundi gubernatorem. [a]Meritò autem gentem illam beatam Vates esse pronuntiat cuius Iehoua est Deus eius: quia qui Deum tutorem, seruatorem & beatorē habet, non est quòd hostium suorum insultus aut quiduis aliud aduersum metuat. [m]Quis ei nocere poterit qui omnipotentem Deum habet sibi fauentem & beneuolum? In quo non potest populo suo succurrere is qui aliorū irritare, & sua consilia in perpetuum, nemine prohibente, statuere & perficere potest? [c]Porro quum Propheta beatitudinem nostram in eo locat si Iehoua sit Deus noster, fontem diuini erga nos amoris designans, vno verbo complectitur quæcunque ad vitā fœliciter degendam expeti solent. Nam quòd salutis nostræ curam suscipere, fouere nos sub alis suis, necessitatib[v] prospicere opem auxiliumque in periculis ferre dignatur, hoc totum ex eius adoptione pendet. *Populus quem elegit in hæreditatem sibi.* [b]Hoc est, cui se Deum (nempe tutorem seruatorem & beatorem, hoc est summum & omne bonum) exhibet, quem velut hæreditariā eóque singulariter charam possessionem excolit. [c]Nequis putaret tantum bonum consequi homines proprio marte vel industria, nominatim Propheta ex fonte gratuitæ electionis fluere docet quòd censemur in Dei populo. Verum quidem est, hac lege creatos initio fuisse homines in Adæ persona, vt omnes filii Dei essent: sed alienatio quæ ex peccatō sequuta est, tanto bono nos priuauit. Ergo donec gratuitò nos adoptet Deus, miseri sumus naturaliter omnes, nec alia est fœlicitatis ianua quàm vt mero beneplacito indignos eligat. Vnde apparet quàm insulsè corrumpant hunc locum qui ad homines trāsferunt quod Deo assignat Propheta, acsi eum sibi in hæreditatem eligerent. Fatemur quidem verum Deum ab idolis fide discerni: sed tenēdum est principium istud, nihil cum eo nobis esse commune nisi sua gratia nos præueniat. [a]Est enim illud verissimum, Ipse prior dilexit nos, 1.Iohan.4 d.19. [p]Et, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, Iohan.15 c.16. Item, Non est volentis aut currentis, sed miserentis Dei, Rom.9.d.16. In summa, humanæ vires ad hanc beatitudinem nihil sunt. [m]Ceterùm phrasis Scripturæ est quòd populum suum solet Deus vocare hæreditatem suam, id est peculiarem populum & quasi propriè ad se pertinentem. Nota erat ista metaphora Israelitis. Vult itaque hanc electionis dignitatem & gratiam Propheta illis inculcare ad hoc vt grati sint, & non frustra illam accipiant. Ita monet & fideles Petrus, 1.Epist.2.a.5.

13 *E cælis respexit Iehoua, vidit omnes filios hominum.*

E cælis respexit Iehoua, vidit. [i]Quia mundo nihil difficilius persuadetur quàm Deum cuncta sua prouidentia gubernare, (eo quòd multarum rerum cur ita fiant, rationē inuenire nequeat) [c]eandem doctrinam Vates prosequitur, non versari scilicet fortuitò res humanas, sed Deum occultè dirigere quicquid agatur. [m]Nam ad laudem & omnipotentiam Dei non solùm pertinet omnia posse verbo virtutis suæ, & voluntatem habere ita cunctipotentem vt nemo ei queat resistere: sed simul vt & omnia quæ geruntur sciat, & cūcta moderetur, suósque tueatur. Porro Dei intuitum ideo commendat Propheta vt nos vicissim fidei oculis inuisibilem eius prouidentiam aspicere discamus. Etsi enim ob oculos nobis assiduè versantur clara eius documenta, maior tamen pars hominum cæcutit, & pro sua cæcitate fortunam cæcam fabricat: imò quo vberius & pleniore copia suam bonitatem in nos effundit, minus ad eum attollimus sensus nostros, sed præposterè in externa quæ circunstant media fixi subsidunt. Hāc indignitatem castigat Propheta, quia nulla grauior Deo fieri potest iniuria quàm vbi cælo otiosus includitur. nam perinde est acsi in sepulchro iaceret sepultus. Qualis enim Dei vita si nihil cernat vel curet? *Vidit omnes filios hominum.* [m]Id est, omnes homines. Q.d. Penitissima omnia intuetur, & cor & opera, quid qua fide fiat.

14 *Ex habitaculo solii sui prospexit super omnes habitatores terræ.*

Ex habitaculo solii sui prospexit. [v]De basi, de firmo domicilio suo. [c]Sub voce solii à consequentibus ostendit quàm absurdus sit stupor Deum sensu & intelligentia nudare. Significat enim cælum non ad delicias (vt somniant Epicurei) otiosum esse palatium, sed regiam è qua imperium suum per omnes mundi partes exerceat. Quòd si in cælorum sacrario sedem ad orbem regendum sibi locauit, sequitur minimè negligere res terrenas, sed summa ratione & sapientia eas moderari. [m]Ergo non temere inculcat Propheta habitationem cæli, vnde relucet immēsa Dei potentia, & vnde tot experimenta diuinæ prouidentiæ & gubernationis in terris apparuerunt: vt visum est in Adamo, in Cain, in diluuio, in euersione Sodomæ & Gomorrhæ, in liberando populum Israelem ex Ægypto, in subuertendo Pharaonem, in percutiendo Assyrium, in obsidione Hierosolymorū. Mundus ex eo quòd audit Deum habitare in cælis, putat se securè hic quiduis tentare posse, propterea quòd quasi separatus sit à conuictu nostro, & absens quasi in longinquam regionem à nobis diuisus. [a]Imò verò securitatem sibi inde pollicetur quia scriptum sit, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum, Infrà, 115.c.16. Acsi Deus terram hominum libidini sic tradidisset, vt quicquid in ea geritur minimè curet. [m]Atqui Propheta ex ea ipsa cælesti habitatione argumētum sumit omnipotentiæ, scientiæ & prouidentiæ Dei, videreque illum velut de sublimi specula quadam omnia.

15 *Qui formauit simul cor eorum, qui considerat omnia opera eorum.*

Qui formauit simul cor eorum. [a]Rationem addit cur Deus non solùm omnia videat, sed etiam omnia mortalium instituta intelligat: nempe quòd omnium corda finxerit. q. d. Quomodo non intelligeret omnia omnium mortalium opera, quum omnium corda finxerit? [c]Hoc autem videtur data opera fuisse additum quò sibi certò persuadeant fideles, vtcunque se astutiis, fraudibus & clandestinis artibus subducere à Dei conspectu conētur impii, & sibi cauernas effodere, Dei tamen oculos penetrare in istas tenebras. Ab ipsa autem creatione ratiocinatur, fieri non posse quin Deus ad rationem & iudicium consilia hominum factáque vocet: quia etsi flexuosos quisque recessus in animo suo occultat, vt mirè alii ab aliis differant, ac in tanta varietate confusa sit caligo: Dei tamen oculos non perstringi neque offuscari, quin idoneus sit operis sui cognitor. Ergo per aduerbium Simul non intelligit vno temporis momento formata fuisse hominum corda, sed omnia ad vnum & sine exceptione formata esse, vt frustra notitiam fictoris sui latere vel subterfugere conentur. [m]Cæterùm expendendum est quo vsu nobis hic locus esse possit, si bona fide illum capiamus, & memori mente fixum retineamus. Primò, qui credit omnia sua facta, imò cogitationes etiā penitissimas oculis diuinæ maiestatis conspicuas esse & omnium notissimas, (hoc est, qui credit se in oculis Domini Dei sui versari) quando is temere committet quæ oculos illos omniscios ac semper vigiles lædere sciat: quum horrendum sit in eius manus incidere qui potest

& corpus & animā perderē in gehēnam? Hebr.10.f.31, & Matth. 10.c.28. Est etiam ista fides optimum remedium contra hypocrisim omnibus agnatam, qua fit vt cupiamus videri coram hominibus quales reuera non sumus. Vide Matth. 6. b. 16, quomodo Christus ipse contra hypocrisim hoc argumento sæpe vtatur. Deinde quis potest exprimere quantam consolationem exhibeat contra impiorum consilia & insidias quòd Dominus noster in cælo est, qui omnia videt, omnia intelligit, omnia moderatur? Tertiò redduntur & conscientiæ innocuæ miterum in modum hac fide pacatæ, siquando præter meritum affligi contigerit. Christus & Prophetæ & Apostoli vt sontes occisi sunt: verùm in cælis est qui innocentiam eorum & cognouit & vendicauit. Hoc videlicet faciet omnib[us] iniquè pressis. Vide suprà, 7.b.9, & 10.d.14, & 17.d.13.14. Videmus ergo Dominū Deum non operum modò sed & cogitationū hominum optimum cognitorem esse: sicuti etiam alibi dicitur, An qui plantauit aurem non audiat? an qui finxit oculū non videat? Infrà, 94.b 9. Nec dissimilia sunt quæ apud Esaiam legūtur, Peruersitas vestra profectò simile habet luto figuli. Nam idem facitis ac si diceret opus opifici, Non fecisti me: & fictile de fictore, Non intelligit, Esa. 29. e.16. In his omnibus siquidem hoc argumentum est, Deus finxit formauitque hominem nō secus atque figulus è luto vas fictile: nihil igitur in homine esse potest quod Deū fallat. Huc etiam spectare potest sententia, homines erraticis cogitationum suarum figmentis non minuere Dei imperium, quominus arcana sua prouidentia temperet quæ putant fortuitò accidere. Videmus enim vt vanas spes sibi fabricando, Dei virtutem huc & illuc transferant, nec eius ope se putent agere, quādiu ad se tuendos mediis & adminiculis sunt instructi: sicuti versu mox sequenti videbimus. Neque tamen in ista prouidētiæ Dei causa curiosè disputandum, vnde tot sint mala in vita mortalium, quum Deus dicatur omnia videre, scire, posse, moderari, omnium corda pro suo arbitrio fingere. Quòd si te offendunt quæ mala tentari vides, progredere longius, & vicissim vide vnde tot bona etiam ex malis malorum conatibus, velit nolit Satan, oriantur. Vel inde cognosce Deum esse qui rerum moderetur habenas. Non oportet priuatim quædam ac seorsum intueri, sed ipsum vniuersum ac rerum omnium circulum ac summā: & si mala vides, tribue illa Satanæ, tribue tibi ipsi vel hominum malitiæ: bona ascribe Deo, qui solus bonus est, & peccati author esse non potest. *Qui considerat omnia opera eorum.* Animum aduertens, intelligens. Si quæ intus latēt optimè perspecta habet & cognita, multo magis quæ exterius geruntur illi comperta erunt.

16 *Non saluatur rex in multitudine exercitus, potens non euadet in multitudine roboris.*

Non saluatur rex in multitudine. Quoniam Propheta in eo est vt omnipotentiam diuinæ prouidentiæ populo Dei commendet, rectè vires creaturarum & eas potissimùm deiicit, & inanes ad saluandum esse declarat, quæ plerunque in rebus mortalium magni æstimantur. Regis maximæ copiæ sunt, quibus nihil non cōfecturus videtur: deinde mascula gigantū & potentum virtus nemini non formidabilis est: equorum item robur non parum valet, & his omnibus mundus, qui externa miratur, plurimum etiam tribuit. Dauid autem Spiritu sancto afflatus asserit hæc omnia ad saluandum esse inefficacia: vt ostendat vitam hominum non propria virtute, sed vnius Dei gratia, stare incolumem. *Potens non euadet in multitudine roboris.* גבור fortis, heros, gigas. Reges & gigantes potissimùm sorte cōmuni exempti sibi videntur & extra telorum iactum esse: quòd siquid aduersi acciderit, facilè sibi exitum promittunt, denique virtutis suæ confidentia ebrii, vix se reputant mortales esse. Hanc quoque superbiam magis obdurat stulta vulgi admiratio, dum ad eorū potentiam obstupescit. Quòd si neque rex suis copiis, nec gigas suo robore, simulac ventū est ad aliquod discrimen, saluus euadit, frustra totum humanum genus relicta Dei prouidentia ad terrenas opes circumspicit. Vnde sequitur nihil esse miserius tā fortibus quàm infirmis, donec in Dei præsidiū recūbāt. Quod vt compertum nobis magis fiat, reuocentur in memoriam potentissimi reges, quorum nullus vnquam sua potētia à morte saluari potuit. Rex Assyriorum maximis copiis ac bellica potentia elatus, Hierosolymam obsedit: at vna nox ei ostendit verum esse quòd hic dicit Dauid, qua omnem pene exercitum ad vnius Angeli impetum amisit, & postea ad sua profugus à filiis suis occisus est, 2.Reg.19.g.37, Esa.37.g.38. Rex Chaldæorum potentissimus impetum Persarum ferre non potuit, Dan.5.g.30. Persarum potentia Alexandro magno cedere iussa est. Is quoque quum factus esset omnium potentissimus & illustrissimus, in medio cursu defecit, nec seipsum seruare potuit. Non est ergo vt fiduciam habeamus in potentia regum: quemadmodum alibi dicitur, Nolite confidere in principibus, nec in filios hominum, in quibus nō est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Infrà, 146.a.3.4. Idem de gigātibus & potentibus huius mundi dici potest. vsqueadeo infirmum est ipsorum robur vt seipsos saluare nequeant. Quid enim posset caro vtut robusta, sine Dei virtute? Eōdem pertinet quod mox sequitur.

17 *Mendacium est equus ad salutem, & in multitudine roboris sui non eripit.*

Mendacium est equus ad salutem. שקר, vanitas, fallacia. Nomē pro verbo. q.d. Fallit equus si illi fidamus. Sub voce equi quodcunque auxilii genus per synecdochen designat. siquidem in genere sentit, qui terrenis medus vitam suam probè munitam existimant, vt plurimum in ipso articulo destitui, & miserè delusos perire, vt hoc modo eorum stultitiam Deus coarguat. Verum quidem est nec frustra reges armari gladio, nec superuacuum esse equorum vsum, nec quas Deus opes & copias ad tuendam hominum vitam suppeditat, esse inutiles, si quidē rectum quisque modum in vsu ipso teneret: sed quia maior pars quo pluribus cincta est munimētis, eo longius à Deo recedit, falsaque imaginatione portum ab omni molestia immunem sibi fingit, iure Deus hanc væsaniam frustratur. Hinc fit vt sæpe sine effectu effluant Dei dona: quoniam ea mundus ab authore separās, eius quoque benedictione priuatur. Et certè nostri temporis exempla satis declarāt quàm verum sit quod hic spiritus de potentum & equorū robore canit, licet pauci admodum ad manū Dei respiciant. Vide Prouerb. 21.d 31.

18 *Ecce oculus Iehouæ super timentes eum, in sperantes in misericordia eius.*

Ecce oculus Iehouæ super timentes. Nunc à Domino vno salutem petendam docet. Nam postquam docuit nihil sæpe prodesse quæcunque putātur ad tuendos homines optima esse præsidia, (imò nihili esse, vbi in illis locatur salus) iam ex opposito demonstrat, fideles, quāuis neque magna potentia sint præditi, neque opibus abūdent, vnica tamen Dei gratia satis esse tutos, & perpetuò saluos fore. Non parum illustrat Prophetæ mentē hæc comparatio, quòd reges & gigantes nihil habent inexpugnabile suum robur: sanctos verò in fame & penuria Deus viuificet, ac si restituat vitam mortuis. Nunc melius tenemus quorsum Propheta totum mundi robur deiecerit, non vt prostrati iaceant homines scilicet, vel desperatione fracti marcescant, sed vt deposita omni superbia contrahant omnes suos sensus ad vnum Deum, & ab eius tutela vitam suam pēdere statuant. Porro oculum Dei ad seruandos suos cultores intentū esse dicens, plus exprimit quàm si dixisset ad eos sustinendos manum eius & virtutem sufficere: quia obrepere infirmis poterat dubitatio an ad singulos eam extendere Deus vellet. nunc verò dum ipsum quasi in excubiis sedentem inducit vt fidelibus prospiciat, nō est cur quisquam amplius trepidet ac secum disceptet, de præsenti Dei auxilio certus, modò sub eius prouidētia quietus maneat. Hinc clarius elucet quàm verè prius dixerit beatū esse populum cuius Iehoua est Deus, versu 12: quia extra ipsum quicquid virtutis & opum suppetat, inane, fallax & euanidum tandem erit: ipse autem solo intuitu fideles suos protegat, succurrat eorum inopiæ, famelicos pascat, mortique destinatos viuificet. Etsi autem Dei prouidentia fouetur totum humanum genus, scimus tamen eum paterna cura nonnisi suos filios peculiariter dignari, vt verè ab eo suas necessitates respici sentiant.

19 *Vt eruat à morte animas eorum, & viuificet eos in fame.*

Vt eruat à morte animas eorum. Vt liberet, eripiat. *Et viuificet eos in fame.* Hebraismus, pro, seruet eos in vita. Quidam vertunt Nutriat, alii, Vt alat eos. Ergo oculus Iehouæ est super timentes ipsum, quicunque bonitatem eius expectant, vt liberet eos à morte, dum vel pestis grassatur, aut bellum: & vitam defendat, dum fame laboratur: curans ne quid eis desit ad vitam necessarium. Adiicit siquidem manu largissima hæc omnia, dum in primis quæritur regnū Dei, & eo digna iustitia, Matth.6.d.33. Porro quū sibi Deus in fame & morte prompta remedia ad seruandam piorum vitam esse asserat, monemur tunc eius prouidentiæ deferri iustum honorem dum in extrema penuria animos non despondent fideles: quin potius è sepulchro spem sursum attollunt: quia Deus in hunc finem esurire suos ad tempus patitur vt postea satiet, mortisque tenebras offundit, vt vitæ lucem reddat. imò tunc demum fiduciam nostram solidè in eo locare incipimus vbi mors ante oculos nobis versari cœpit: quia mundi subsidia, donec suæ vanitatis experimentum dederint, sensus nostros tenent implicitos sibique addictos. Cæterùm si liberatio à morte & à necessitate famis illis expectanda & speranda est qui Deum timent & colunt, & non illis qui fiduciam suam ponunt in brachium carnis, quàm non sentiunt cum ista Dauidis fide qui putant res mortalium periclitaturas, si maiorē

diuinæ maiestatis & gratiæ quàm regum ac principum rationem habuerimus? Nos igitur hic admonemur vt studeamus ambire oculum, id est fauorem ac gratiam Dei, qui solus nos potest ex omnibus periculis eripere. Quis princeps vnquam potuit suos in mortis ac famis periculo conseruare? Notandum est postremò fideles duobus insignitos esse titulis, quibus tota vitæ nostræ perfectio continetur. Primum enim est vt Deum reuerenter colamus, deinde vt intenti simus in eius gratiam. Et certè hypocritæ quamuis fidem plenis buccis iactent, nunquam tamen Dei bonitatem vel summis labris gustarunt, vt ab eo expectent quod sibi necesse est. Quòd autem in Dei cultum & reuerentiam se totos fideles dedunt, hic affectus ex fide nascitur: imò præcipua hæc pars censetur legitimi cultus, quòd ab eius misericordia pendent. Vnde etiam expectationi credentium obiicitur hic Dei benignitas, vt admoneamur obiectū spei & expectationis nostræ non esse vel nostrum meritum, vel debitum aliquod Dei auxilium, sed illam vnam bonitatem Dei totius nostræ salutis fundamentum & caput.

20 [Ideo] *anima nostra expectat Iehouam: [nam] auxilium nostrum & clypeus noster est.*

Ideo anima nostra expectat Iehouam. Tres vltimi versus vocem habent populi Dei, id est credentium, & omnem spem in vnum Deum collocantium. Nam quicquid hactenus de prouidentia Dei, ac præsertim fideli qua suos tuetur custodia, Vates disseruit, non tam à seipso protulit quàm ex ore Spiritus sancti. Nūc itaque in persona totius Ecclesiæ succinit nihil esse melius quàm salutem nostram Deo committere. Ita videmus fructum superioris doctrinæ cunctis fidelibus proponi, vt securè excelsóque animo in paternam Dei curam se reiicere non dubitent. Nam hac de causa nihil priuatim de se Propheta testatur, sed sibi pios omnes adiungit in eiusdem fidei consensum. Ac subest emphasis in voce Animæ: quia etsi Hebræis trita est loquutio, serium tamen affectum exprimit, acsi dicerent fideles se integro ac sincero corde respicere in Deum, quia scuti & auxilii loco sibi esse ducant. Interea notādum patientia opus esse quādiu auxilium hoc differtur. Quò etiā pertinent loci qui iubent nos auxilium expectare à Domino. *Auxilium nostrum & clypeus noster est.* Emphasim etiam habent hæc verba. Q.d. Sperent alii in brachium carnis, præsumāt de suis viribus: nobis Deus noster auxilium est & scutum. In hunc sperat anima nostra, hunc expectat. Scimus quòd Domino seruante & protegente, nulla creata virtute superabimur.

21 *Certè in eo lætabitur cor nostrum: certè in nomine sanctitatis eius sperabimus.*

Certè in eo lætabitur cor nostrum. Iussi sunt gaudere fideles & exultare in Domino. hoc se facturos pollicentur, & addunt rationem, nempe quòd sperent in nomen sanctum eius. Quia tamen particula כי, quæ hic bis repetitur, variè sumitur apud Hebræos, duplex potest esse sensus. Nam si vtroque mēbro affirmatiuè exponimus, tā de sua lætitia quàm de spe gloriabūtur fideles. Nec displicet vno cōtextu (distinctè tamē) hæc duo referri, sic, Certè Deus semper nostra lætitia erit, certè sacrum eius nomen instar arcis inuictæ nobis erit ad refugium. Vnde enim fit vt in Dei inuocatione cōstanter persistant fideles, nisi quia eius gratia cōtenti, in gratia & mœrore retinēt solatium istud quod cor alacritatē sustinearum? Probè igitur priore loco fideles cor suū lætari in Domino prædicāt, quia non vagantur post mundi illecebras, vt pro varia fortunæ inclinatione nutēt ac vacillent, sed in gratuito & paterno Dei fauore totam beatæ vitæ summā includunt. Deinde secūdò addunt, *Certè in nomine sanctitatis eius sperauimus.* Vt ostēdat se firmam hanc in Deū fiduciam ad finē vsque retinere velle. Si tamen particulā כי causaliter accipere libeat, nō minus aptè & cōcinnè sensus fluet, Quia spes nostra in Deo defixa fuit, nō deerit ipse suis partibus, quin perennē gaudii materiam suppeditet. Et certè experientia cōuincit mœrore obrui homines, & in curis, doloribus & anxietate tabescere, vt mercedē suæ vanitatis reportent: quia nihil difficilius est quàm spes eorum vni Deo astringi, ne exultent in fallacibus suis blanditiis. Annotandum verò hic est vnde sit vera cordis lætitia, nempe ex spe diuinæ bonitatis. Ita & alibi, Lætabuntur omnes qui sperant in te: in seculum exultabunt, & proteges eos, & locū dabuntur in re diligentes nomen tuum. Suprà, 5.c.12. Sanctum verò nomen Dei dicitur (vt alibi sæpe) id est celebre & venerandum, nihil in se habens vani, sed omnia verissima & augustissima: ne dubitemus omnem spem in illud collocare. quemadmodum alibi dicitur, Et sperabunt in te cognoscentes nomen tuum: quoniam non dereliquisti inquirentes te Domine. Suprà, 9.c.11.

22 *Sit misericordia tua ô Iehoua super nos, quemadmodum sperauimus in te.*

Sit misericordia tua ô Iehoua super nos. Hoc vltimo Propheta nomine populi precatur vt re ipsa sentiant fideles non frustra se Dei bonitate fuisse subnixos. acsi dicerent, Fac Domine vt tua bonitas iuxta spem nostram in nos iugiter exeratur. In te duntaxat fixa est nostra fiducia. tu igitur qui solus à malis eripere potes, succurre pro tua misericordia opem tuam implorantibus. Porro Spiritus hanc orandi regulam per os Prophetæ dictando, ianuam Dei gratiæ aperiri docuit vbi non aliunde salus vel expetitur vel speratur. Suauissima interim consolatio hinc elicitur, modò ne spes nostra in medio cursu fatiscat, minimè timendum esse quin Deus suam erga nos misericordiam continuo tenore prosequatur vsque in finem. Docet enim hic locus quomodo Deus confidentes in se & omnia à se expectantes habeat: nempe quòd perpetuò eis adesse soleat, iuuare & defendere in omnibus, consolari & recreare, vt iugiter in ipso & de ipso gaudeant, iuxtàque spem suam sempiterna bonitate eius perfruantur. Hæc sors est electorum & à Dei prouidētia in omnibus pendentium.

ARGVMENTVM PSAL. XXXIIII.

MOVVS David ex singulari illo beneficio quo ipsum Deus in terra Palæsthinorum non sine miraculo seruauit, Deo gratias agit: & hac occasione perpetuam Dei gratiam erga pios omnes celebrat, eósque tum ad fidem tum ad pietatis studium hortatur, hanc vnam rationem vitæ fœliciter atque ex voto transigendæ esse affirmans, purè & innoxiè sub Dei cultu & timore versari in mundo. Cuius rei præclarum in seipso exemplum considerandum affert.

DAVIDIS, *quum mutauit ipse vultum suum coram Abimelech: qui expulit eum: & abiit.*

Dauidis, quum mutauit ipse vultum suum. Sensum suum, rationem suam, sermonem suum. id est, dum fingeret sensum suum esse immutatum. hoc est, quum insaniam simularet. Ex hoc titulo patet quodnā Dauid hic prædicet Dei beneficium. Nam quum ad regē Achis tractus esset, quem infestissimum omnium hostem (excepto Saule) habebat, credibile non erat impune dimissum iri. Ergo vnicus vitæ redimendæ modus fuit, saliuæ spumas, toruo aspectu & vultus deformitate insaniam fingere. Nec mirum: quia Achis certa spe victoriæ depulsus, quum iacturam suam & dedecus vni Dauidi ascriberet, feruebat implacabili in eum odio. Quòd ergo præter suam & omnium spem emissus fuit, mirabile gratiæ Dei specimen in eo editum fuisse agnoscit, quod ad commune totius Ecclesiæ exemplum pertinet. Vide historiam 1. Sam. 21. a. 1. *Coram Abimelech.* Reges Palæsthinorum Ahimelech vocabantur, sicuti reges Ægyptiorum Pharaones. Et Romani imperatores nomen Cæsarum mutuati sunt à Iulio, qui primus tyrānidem occupauerat. Et scimus, multis ante natum Dauidem seculis, reges qui ætate Abrahæ dominati sunt in Gerar, sic fuisse vocatos, Gen. 20. a. 2. Quare mirum non est de manu in manum transisse ad posteros hoc nomen, vt omnibus regibus Palæsthinæ commune foret. Accommodatum autem regibus nomen, quos patrum loco esse decet populo. Idem enim est אבימלך quod pater meus rex. Hic autem rex ad quem Dauid fugerat, Achis proprio nomine dictus fuit. Vox Hebræa טעם, pro qua vultū reddunt, quia gustum & intelligētiam quoque significat, posset hoc modo aptè exponi, quòd insipidus apparuerit. Verbum à quo deducitur, quum propriè gustare significet, transfertur ad rationem, intelligentiam & omnes sensus. Bene ergo conuenit intelligentiæ nomen: quia Dauid se mente alienatum finxit. sed quia ex sermone & vultu composito maximè homo cognoscitur, vt de ipso iudicium fiat, rectè verterunt alii, Dauidem mutasse vultum quia hoc modo gustum & notitiam sui abstulit. Quāquam autem hoc artificio elapsus est Dauid, diuinitus tamen se fuisse ereptum non dubitat: nec insaniæ simulationi tribuit salutis laudem, sed potius agnoscit arcano Dei instinctu mitigatam fuisse hostis sæuitiam: vt qui rabie prius ardebat, ludibrio contentus fuerit. Et certè minimè sperandum fuit vt Achis tam strenuum hominē, quem toti regno suo exitialem expertus erat, & à quo fuerat grauibus damnis affectus, contemptim expelleret. Interea videmus hic quæ fuerit miserabilis conditio Dauidis, & quanta extiterit patriæ ingratitudo, ex qua profligatus ad hostes fugere cogitur, pro qua paratus fuerat animam toties exponere, quámque ex tantis periculis liberauerat. Nascitur autem hic quæstio, an Spiritus sancti ductu vesaniā finxerit Dauid. Hæc enim duo simul cōiungere videtur, stultitiæ fictionē, & optabilem successum. Vnde cōiicere licet eundem Spiritum à quo dictatus fuit Psalmus Dauidi, ad fallendū regem Achis authorē ac ducē fuisse. Responsio, Si Dominus ita suos interdū liberet vt aberrent ipsi in eligendis mediis, vel labantur, in eo nihil est absurdi. Ergo liberatio opus Dei fuit. vitium intermedium, quod culpa non vacauit, Dauidi ascribi debet. Sic Iacob benedictionem adeptus est Dei fauore ac beneplacito: simulta

men admissa fuit matris astutia, quam fuisse vitiosam constat, Gen.27.a.7. Constat ergo aliquam actionem regi à Dei Spiritu, & tamen sanctos, qui eius organa sunt, à recta linea deflectere. Ideóque in excusando Dauide laborare superuacuũ est: qui potius culpandus videtur quòd vitam suam Deo simpliciter non committens, se & gratiam Spiritus quo regebatur, ludibrio exposuerit apud impios. Etsi enim asserere nihil audeam[*], aliquod tamen infirmitatis signum in hoc mendacio apparet. Siquis excipiat, Dauidem celebrare Dei gratiam, quòd vultu & sermone mutato mortem effugerit, respondemus iterum disertè circunstãtiam exprimi à Dauide quæ Dei gratiam magis illustret quia nõ imputatus fuerit lapsus. [m]Tanta est enim Dñi erga suos benignitas vt nunquam eos in maximis periculis constitutos derelinquat, etiamsi multa interdum infirmitatis suæ signa proferant. [m]Vnde Psalmus iste non parum fidem nostram confirmat: sicuti videbimus.

2 *Benedicam Iehouæ in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

Benedicam Iehoua in omni tempore. [y]Laudabo Iehouam, vel prædicabo. [b]Q.d. Semper gratias agam liberatori meo & seruatori. [c]Beneficii memorem se tota vita fore promittens, eius magnitudinem extollit. Etsi enim quotidie suos Deus iuuat, vt se in eius laudibus assiduè exerceant: certum tamẽ est, beneficium quòd æterna memoria dignum vocatur, ab aliis vulgaribus distingui. Itaque sanctis quidem hæc tenenda est regula, vt quicquid in ipsos bonorum Deus contulit, subinde in mentem reuocent: siquãdo tamen in illis seruãdis splendidius exerat suam virtutem, eo maiore studio ad testandam suam gratitudinem eniti decet. Quòd si vnico beneficio nos sibi Deus vsque ad vitæ finem obstringit, vt nunquam fas sit à canẽdis eius laudibus cessare, quid vbi nos innumeris cumulat? *Semper laus eius in ore meo.* [a]Idem repetit aliis verbis, ad testãdum animi sui affectum, quo totus laudibus Dei celebrãdis ardebat. q.d. Nunquã à laudibus Dei mei cessabo, sed semper illi gratias agam, & tempore tribulationis & consolationis: quicquid posthac acciderit, agnoscam bonam eius erga me voluntatem, & gratus illi ero.

3 *In Iehoua laudabit se anima mea: audient humiles, & lætabuntur.*

In Iehoua laudabit se anima mea. [y]Gloriabitur, iactabit se. [a]Hic laudem quam prius in ore suo fore perennem dixerat, ex corde profecturam addit: vt ab inani linguæ sonitu, quo se venditant multi hypocritæ, illã discernat. Sic enim personare Dei laudes in ore nostro debent vt præeat semper interior animi affectus. Itaque hoc modo anima non spiritum vitalem, sed affectuum sedem significat. acsi diceret, sincero animo gloriãdi materiam sibi in vno Deo fore, vt tantam salutem nulla vnquam obliuio obscuret. [a]Potest hæc particula etiam verti, Laudat anima mea Iehouam: & sensus idem erit. Nam de Domino gloriari aliud non est quàm laudes eius magno affectu deprædicare. *Audient humiles, & lætabuntur.* [c]Hoc membro fructum gratiarum actionis notat, quia scilicet inde bonam spem concipient afflicti & miseri homines. Nam ענוים vocant Hebræi non quoslibet miseros, sed qui malis subacti & humiliati nihil ferociæ spirant, sed demissi sunt ac supplices. Hos participes gaudii fore dicit, non simpliciter pro charitatis affectu, sed quia in exemplo Dauidis commune gratiæ documentum à Deo propositum esse persuasi, animos à mœrore sursum erigent. Gaudium ergo ex spe oriturum esse pronuntiat: quia velut accepto salutis pignore alacriter se ad Deum conferent.

4 *Magnificate Iehouam mecum, & exaltemus nomen eius simul.*

Magnificate Iehouam mecum. [b]Q.d. Decet nos pariter prædicare beneficentiam Dei, ne simus ingrati. [b]Hortatur alios fideles vt vnà Deum prædicent. [c]Atque ita alterum fructum commemorat gratiarum actionis, quia alios scilicet exẽplo suo ad idem pietatis officium impellet: imò pios omnes in societatem accersit & inuitat, hortatúrque vt Deum vno consensu magnificè extollant. Itaque docemur, quoties vnicuique suorum opem Deus tulerit, nos incitari ad bene sperandum, & dum quisque accepta priuatim beneficia commemorat, publicè omnes simul ad Deũ laudandum stimulari. Nam & in hunc finem palam apud homines gratias Deo agimus, non tantùm vt gratitudinis nostræ sint testes, sed vt ipsi quoque sequantur nostrum exemplum. [m]Videmus præterea quanta gratitudine ardeant pii, auxilium Dei experti, ad laudandum Deum: quum interea impii, (qui & ipsi multis & magnis Dei beneficiis potiuntur) sint prorsus ad laudem Dei stupidi, ac plusquam irrationales bestiæ muti. *Et exaltemus nomen eius simul.* [y]Iucundissimus est iste mutuus in laudẽ Dei piorum affectus congratulandi, videlicet siquis adflictus à Domino fuerit liberatus, & simul magnificandi diuinam clementiam. Quid aliud hic prædicatur in mutuo isto piorum affectu quàm vera erga Deum & proximum dilectio? [a]Sic hortatur Paulus fideles vt idem mutuò inter se sentiant, ac vnanimiter vno ore glorificent Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, Rom.15.a.5.

5 *Quæsiui Iehouam, & exaudiuit me, & ex omnibus timoribus meis eripuit me.*

Quæsiui Iehouam. [m]Quia versibus præcedentibus dixit se laudaturum Dominum perpetuò, & simul ad illius laudem & alios adhortatus est: [a]apertius nunc & susius explicat quod nuper attigerat de gaudio, rationem reddẽs cur Deum à fidelibus magnificari oporteat. Ac primò suas preces auditas fuisse refert. Quæsiui, inquit, Iehouam. [y]Studiosè quæsiui, requisiui, exquisiui. [c]Quid sit Deum quærere, & proximo membro patet. Nam alibi diuerso sensu capitur: tãtundem enim valet atque animum adiicere, & studia sua applicare ad Deum colendum, & intentos habere ad eum omnes sensus. hic verò nihil aliud est quàm confugere ad eius opem: quia mox sequitur. *Et exaudiuit me.* seu respondit mihi. Propriè autem votis & precibus respondet. [b]Sensus est igitur, Equidem tota fiducia imploraui Dominum quum tribularer, & consolatus est me. Nam illius beneficio ereptus sum ex periculo quod imminebat. [m]Notandum hoc loco Dominum vbique locorum quæri posse & inuocari. Dauid extra terrã Israel proiectus, & in aula regis impii constitutus, Dominum exquisiuit, & ab eo exauditus est. *Et ex omnibus timoribus meis eripuit me.* [y]Ex omnibus pauoribus vel terroribus meis. [c]Pauores suos pro ipsis periculis, quæ animum eius metu perculerant, accipit, effectum scilicet pro causa. Quanquam minimè dubium est quin se territum fuisse & timoribus agitatum fateatur. Neque enim sedato animo sua discrimina quasi procul è sublimi despexit, sed diris curarum tormẽtis vexatus, meritò potuit suos metus ac pauores narrare. imò plurali numero ostẽdit se non vno tantùm modo fuisse expauefactum, sed huc illuc inter varios perturbationes distractum fuisse. Et certè ab vna parte se ad carnificinam adductum videbat. subire etiam poterat diuersus timor, ne eum Achis ad Saulem gratificãdi causa mitteret: vt solent impii vltro citróque lusus sibi facere ex Dei filiis: [a]sicuti de Christo à Pilato & Herode factum fuisse legimus, Luc.23.b.12. [c]Iam quia semel proditus erat Dauid ac detectus, vix fieri potuit quin vndique, si fortè elapsus foret, insidias tenderent Saulis latrones. Sed odium Achis, quod ex morte Goliath & exercitus sui clade cõceperat, multas formidines gignere potuit: quum & in promptu esset vlcisci, nec leni supplicio placabilis videri poterat crudelitas. Hoc diligenter notandum est, ne siquando terremur nostris periculis, nos à Dei vocatione impediat nostra mollities: quia ne Dauid quidem, quem heroica virtute inter alios excelluisse scimus, ferreo animo metus & trepidationes repulit, sed ipse quoque pauoribus vehemẽter concussus fuit. [b]Obseruandum verò quãta Dei bonitatis admiratione Deum Dauid celebret ob ereptionẽ, quam animales homines suæ potius sagacitati & fortunæ acceptã retulissent. Plurimi sanè quotidie minori dexteritate concinnatis fallaciis vitæ discrimini sese expediunt, qui id tamẽ pro Dei beneficio habendum ne cogitant quidem. Sed qui Deo quicquam tribuerent, qui ne esse quidem Deum planè persuasi sunt?

6 *Aspicient ad eum, & confluent: & facies eorum non afficientur pudore.*

Aspicient ad eum, & confluent. [c]Versus iste & sequẽs debet cum proximo contexi. Suam enim experientiam retulit Dauid, quæ aliis exemplo futura erat, vt ad Deum rogandum intrepidè accederent. Nunc ergo venturos dicit, & quidem fœlici successu. [b]Nam visa Dei bonitate in ipso tam clarè demonstrata, sese totos ad Deum recipient, & ab illo exaudientur. [c]Cæterùm quãquam in duobus primis verbis præteritum tempus Hebraicè ponitur, dubium tamen non est quin sic resolui sententia debeat, Vbi ad eum aspexerint & confluxerint, non pudefient eorum facies. Itaque per futurum tempus aptè redduntur: quia non narrat Dauid quid gestum fuerit, sed gratiæ sibi exhibitæ fructum commendat. Particula Ad eum à quibusdam refertur ad Dauidem: quia se mox afflictum eum vocat qui inuocauerit, quémque Dominus audierit. [c]Rectius tamen de ipso Deo exponitur, hoc sensu, [b]Iam postquam me magnificè adeo Deus iuuit, respicient ad eum & festinabunt, commissuri nimirum se eius præsidio, neque pudefient eorum facies. *Et confluent.* Accurrent, vel concursabunt. [y]Nonnulli verbum נהרו deduci putantes à radice נור, verterunt Illuminari. acsi diceretur, Aspicient ad eum, & splendebunt, vel illustrabũtur: & ita Chaldæus paraphrastes. sed accurrendi seu confluendi verbũ melius huic loco congruit. acsi dixisset Vates, Nunc speculũ extabit in quo liceat serenam & propitiam Dei faciem conspicere. Audebunt igitur posthac miseri homines sursum attollere oculos, & ad

Deum quasi expediti accurrere: quia nulla amplius dubitatio eos tardabit vel segnes reddet. [a]exempla enim coram posita non parum afficiunt. [b]Quòd si tamen magis arrideat Illuminandi verbum, sensus erit, Qui in tenebris antè torpebant, quasi exorta luce oculos ad Deum erigent: & qui pudore oppressi iacebant, nouam vultus alacritatem induent. Quia eòdem recidit summa, potest vtraque interpretatio recipi. *Et facies eorum non afficientur pudore.* [b]Hoc est, ipsi non patientur repulsam. [c]Facierum meminit, quòd pudor in facie se prodat.

7 *Iste pauper clamauit, & Iehoua audiuit: ex ex omnibus angustiis eius seruauit eum.*

Iste pauper clamauit, & Iehoua. [a]עני, Pauper, afflictus. [b]Pios omnes David de se loquētes inducit, quò magis emphaticè exprimat quantum momenti ad coanimandos habeat suum exēplum. Pauper iste, inquiūt, clamauit. ergo pauperes omnes Deus ad clamandum inuitat. Nam in Dauide expendunt quæ ad communem piorum vsum pertinent: quia non magis eum exaudiuit Deus quàm hodie exaudire vult & paratus est omnes miseros: qui eadem fide gemitus suos, vota & clamores ad ipsum dirigunt. [M]Pulchrè itaque Vates ex singulari sibi præstito beneficio pensandam proponit generaliter in omnes diuinam bonitatem. Nec est quòd cogites, Iste afflictus erat iustus, erat Propheta Deo singulariter charus: ideóque facilè quum clamaret, fuit exauditus. Ego verò reus habeo: peccator sum. Non hoc dicit, Iste iustus, iste Propheta, &c. clamauit: sed, Iste afflict[9], iste pauper clamauit, & Iehoua audiuit. Ad hoc ergo vt clamans ad Dominum exaudiatur, satis est si sit afflictus, & fiducia erga Deum præditus. *Et ex omnibus angustiis eius seruauit eum.* [a]Q.d. Stupentes pii & admirabundi dicent, En iste profugus, proscriptus, neci destinatus, ab omnibus contēptus & reiectus, cui tam aduersa omnia euenerunt, cui nullus omnino apud suos locus reliquus est, sic à Domino adiutus est vt cunctis eum periculis & malis eripuerit, quum esset obrutus innumeris. [A]quomodo igitur in aduersis constituti de tam beneuoli patris auxilio dubitaremus? Sperandum itaque nobis est, vt nobis afflictis opem laturus sit.

8 *Castrametatur Angelus Iehouæ circum timentes ipsum, & eripit eas.*

Castrametatur Angelus Iehouæ circum. [a]Iam tutelam Dei erga quoslibet ipsum verè colentes celebrat: simulque docet in ipso satis ad seruandum esse virtutis, quia ad innumeros telorum ictus exposita est hominum vita: præsertim verò fideles, qui velut oues sunt in medio luporum, quasi multis mortibus obsessos in singula momenta nouum aliquod discrimen solicitat. Idro asserit Dauid Angelorum præsidio Dei cultores protegi ac defendi, [a]ne scilicet lædantur, ab hostibus, qui circunquaque illos castra sua ponunt, quò eos perdant. [c] Huc quidem tendit Propheta vt certò persuasi sint fideles, quāuis multis noxiis obiecti sint, Deum tamen fidum esse vitæ custodem. Sed quò magis eos in hac spe confirmet, non frustra simul addit, manu & opera Angelorum tueri quoscunque vult esse saluos. Sufficeret quidem Deo ad hoc præstādum sua vnius virtus: sed vt nostræ infirmitati indulgeat, Angelos adhibere ministros dignatur. Neque enim parum hoc valet ad fidei confirmationem, præsto semper esse ad Dei obsequium ingētes copias, quoties vult opem nobis ferre: imò Angelos, qui vocantur cælestes principatus & virtutes, ad vitæ nostræ custodiam semper esse intētos, quia hoc sibi munus iniunctū esse nouerunt. Meritò quidem vocatur Deus Ecclesiæ suæ murus & quoduis genus propugnaculi: sed auxilii sui præsentiam pro modulo ruditatis nostræ in Angelis suis explicat. [a]sicuti promiserat Israëlitis Deus Angelū suum missurū qui eos præcederet, & in promissam terrā introduceret, Exod.23.d.20. [c]Cæterùm quod Dauid de vno Angelo pronunciat numero singulari, ad omnes extēdere cōuenit: quia vocantur simul omnes spiritus administratori ad salutem nostram curādam, Hebr.1.d.14, Et alibi Scriptura docet plures singulis destinari Angelos, prout scilicet Domino visum est, nobisque vtile esse nouit. Vid. 2.Reg 6.c 15, & infrà, 91.c.11, & Luc.16. e.22. [A] Contrà, Angelus vnus pluribus interdum saluandis destinatur. Nam Angelus vnus Hierosolymam obsidione liberauit, percussis de exercitu Assyrii tyranni cētum octogintaquinque millibus, 2.Reg.19.g.35. [c]Summa hæc sit, quamlibet multi hostes nos oppugnent, multáque discrimina nos obsideant, Angelos tamen inuicta Dei potentia armatos excubare, & ab omni parte opponere suum auxiliū, vt nos eripiant à malis omnibus. [b]Porro ex his & aliis similibus locis tam noui quàm veteris Testamenti, quibus docemur Angelos esse spiritus ministros, in ministerium missos propter electos, non est colligēdum inuocandos esse, colendos & adorandos Angelos, id quod Papistæ non minus impiè quàm absurdè faciunt. Neque enim docet hic Dauid laudare & extollere Angelos sed Dominū: nec docet eos quærere & inuocare, sed Deū ipsum: neque dicit, Castrametatur Angelus Dei in circuitu timentium se, sed timentiū eum, id est Dominum, vbi timendi verbum idem est atque colendi: vt timentes Dominum sint colentes Dominum. Ad hæc de Angelorum ministerio istud inter cætera audiemus, Quoniam Angelos suos præcipiet adesse tibi, vt custodiāt te in omnibus viis tuis, Infrà, 91.c.11. nulla illic de adoratione & inuocatione mentio. Quin potius statim eripiendi potestas soli Deo tribuitur, Quoniam me cōcupiuit, eruam eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Inuocabit me, & respondebo illi, Ibidem, versu 14.15. Non sunt ergo Angeli libera potestate præditi, sed sunt ministri parati in omnem voluntatem Dei. Præterea Angelos non esse colendos constat ex Colos.1.c.18, & Apoc.19. b.10, & 22.b.8.9. *Et eripit eos.* [a]Futurum Hebræum pro præsenti, Et tuetur eos, vel liberat, aut liberare solet. Nam per futurum dicunt Hebræi quod Latini exprimūt per infinitiuū & verbum Soleo. Hoc verò ad Deum, non ad Angelum, referri debet.

9 *Gustate & videte quòd bonus Iehoua: beatus vir qui sperat in eo.*

Gustate & videte quòd bonus Iehoua. [M]Prædicat hoc versu bonitatem Dei, quam degustandam populo Dei & certo experimēto cognoscendam proponit. Atque obliquè homines insimulat socordiæ, qua hanc Dei bonitatem, quæ illis notissima esse debuerat, non teneant. Verbo enim gustandi insipidos esse arguit, & simul causam assignat, quòd sine gustu deglutiant Dei beneficia, vel maligno studio supprimant. Tantùm ergo expergefieri eorum sensus iubet, vel certè palatū afferri aliquo gustu præditum, vt Dei bonitas innotescat, imò perspicua fit. Ad verbum est, Gustate & videte, quia bonus: sed particula כי exegeticè capitur. Sūma est, per Deum minimè stare quominus certis experimentis compertam habeant eius bonitatem fideles, quos hic peculiariter Dauid compellat tanquam expertus. Vnde colligimus ipsos quoque communi stuporis vitio laborare. [a]Tandem velut accensus Dauid exclamat, *Beatus vir qui sperat in eo.* [c]Qua promissione doctrinam quam modò diximus, cōfirmat. Idro enim beatus est qui in Deo sperat, quia neminem gratiæ suæ cupidum frustratur. Sed nobis sola incredulitas obstat quominus largè & munificè omni bonorum affluentia satiet. [M]Videmus itaque vnde sit diuinæ bonitatis gustus, ex fiducia scilicet in illam. Nam qui fidit, inuocat: qui inuocat, exauditur & saluatur. hic ille gustus. [A]Similis sententia habetur supra, 2.c.12.

10 *Timete Iehouam sancti eius: quoniam non est penuria timentibus eum.*

Timete Iehouam sancti eius. [a] Nunc hortatur ad Dei timorem & cultum, quòd nihil possit iis qui eo præditi sunt, deesse. [c] Scimus quomodo sibi vulgò prospicere soleant homines, vt quisque vel ad fraudes, vel ad rapinas, vel ad iniustam violentiam declinet. Fieri verò nō potest quin fideles titillet æmulandi cupiditas, vt sibi permittant vlulare inter lupos: atque vt libenter abstineant ab omni iniuria, publica tamen viuendi ratio quasi tempestas eos abripit, séque interea necessitate excusari putant. His tentationibus frænum inicit Dauid, ac omnia optimè cessura promittit, modò se in Dei timore contineant, quem omnibus iniquis artibus & consiliis opponit: quia maior pars stultitiæ damnat quicunque simplicitati student, quòd ita sibi ac suis commodis malè consulant. Quanuis ergo sibi metuant profani homines ab inopia (vnde eos carnis sensus ad quidnis tētandum solicitat) Dauid hic testatur Deo curæ esse fideles, ne vnquam ipsos egere sinat. Nullus, inquit, metus vel diffidētia vos abducat à recti studio: quia bonos & probos Deus nunquam destituit. *Quoniam non est penuria timentibus eum.* [b]Hoc est, non egebunt, nec mente nec corpore, Domino superno Patre semper eos nutriente. [c] Itaque hunc Deo honorem Vates deferre iubet, vt plus ab eo vno expectent quàm impii ab illicitis suis artibus. [M]Abunde enim & affatim iis consulit Deus qui se timent: eos verò auxilio suo destituit qui se contemnunt. [B] Cæterùm quia effræni quodam feruore passim ebullit in mundo iniquitas, sanctos disertè alloquitur vt sibi caueant: quia apud promiscuam multitudinem nihil proficeret. Est enim hoc paradoxon, quum malorum libidini exposita sit bonorum & simplicium integritas, in hac tamen plus esse præsidii quàm in omnibus peruersis remediis. Nec verò absurdum est, sanctis, qui iam sponte innocentiam colunt, præceptum hoc dari, ne recedant à Dei timore: quia scimus quàm procliue sit, dum nulla spes prosperè & beatè viuendi nisi in mundi illecebris apparet, lucem pietatis obrui & extingui. [A]Ergo fixum hoc nobis quod dicit Dauid tenere oportet, nihil deesse Deum verè colentibus. Quod seruator noster his verbis confirmat, Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis, Matth.6.d.33.

11 *Catuli leonum defuncti sunt, & famem patiuntur: sed quærentes Iehouam non deficient omni bono.*

Catuli leonum destituti sunt. [a] Aptissima comparatione doctrinam superiorem illustrat, quòd Deus suis suppeditet quantum satis est, ac eorũ egestati succurrat: quum leones, qui truculentia superant omnes mundi prædones, tamen oberrent famelici. [b] Nam leones, præsertim iuniores, nõ potest facilè deficere præda, ob maximum eorum robur. at citius tamen fame peribunt quàm desit boni aliquid Deum ex animo quærentibus. [c] Sunt tamen qui metaphoricè sub leonum nomine violentos & rapaces notari putant: sed hoc nimis argutum est. Simpliciter enim asserit Dauid, qui sibi ab omni iniustitia temperant, plus hoc modo profecturos quàm rapiendo & prædando: quia ipsi quoque leones feræque bestiæ ad prædã natæ, sæpè esuriant, quum Dominus eos pascit. Potius ergo leones inedia & fame dicit perituros, quàm vt necessario victu fraudet Deus rectos & simplices, qui sola eius benedictione contenti, non aliunde quàm ex eius manu alimenta quærunt. Quisquis verò ita in Deum reiiciet curas suas, sibique nutritium ac patrem fore statuet, quietus & placidus inter homines absque vlla noxa versabitur. [d] Simile quid postea audiemus, Puer fui, etiam senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem, Infrà, 37.e.25. Et, iacta super Dominum onus tuum, & ipse enutriet te, Infrà, 55.d.23. [e] Siquis obiiciat bonos & probos sæpe à penuria non esse immunes, respondemus, tempestiuè ad opem ferendam, vbi in vltimas angustias redacti sunt, manum Dei extentam esse, vt semper vltimus euentus demõstret, non frustra quicquid opus est ad tolerandam vitam, ab ipso peti. *Sed quærentes Iehouam non deficient omni bono.* [f] Hoc est, nullo bono destituentur. [g] Obseruandum hic est qui sint timentes Dominum, nempe qui illum requirunt. Quid est autem Dominum inquirere quàm in omnibus voluntati illius studere, illumque præ oculis habere? Animaduertant etiam qui penuriam formidant, & discant vnde sit vera & certa opulentia, nempe ex beneuolentia Domini, quæ filios Dei perpetuò fœlices reddit & beatos. Non ergo securi sunt à penuria potẽtes ac diuites huius mundi, sed timentes Dominum.

12 *Venite filij, auscultate mihi: timorem Iehouæ docebo vos.*

Venite filij, auscultate mihi. [a] Hebræi verbo imperatiuo vti solent pro aduerbio hortantis, vt verbo Agite Latini. [c] Vehementius insistit Dauid ad cohortandos fideles, ne quicquam sibi vtilius esse putent quàm iustè & innoxiè cum omnibus versari. Nam quia maior pars optimum prosperè & commodè agẽdi compendium esse imaginatur, si quisque vi, fraudibus & iniuriis & aliis nocendi modis superior esse contendat, necessaria est huius doctrinæ repetitio. Cæterùm quia subactis animis opus est, filios appellans, blando hoc & amabili nomine prauos omnes affectus mitigat. Neque enim quisquam inter totiosultus quietus stabit, nisi qui mansuetudinis spiritu formatus fuerit ad summã modestiam. Præfatur itaque Propheta, quam tradit viuendi legem, seruari & coli non posse nisi à mansuetis & morigeris. Eòdem etiam spectat quod dicit, Venite, seu agite, & attentos esse iubet: nempe vt deposita omni cõtumacia, sedatóque impetu & feruore, dociles se ac tractabiles præbeant. [b] Nec frustra filios appellat quos erudiendos & in timore Dei fingendos suscipit. Hoc enim Scripturæ vsitatissimũ est. Nam & Solomon in Prouerbiis identidem dicit, Fili mi, quum ad quemlibet doctrinæ sacræ capacem sermonem dirigit. Ita & filii Prophetarum discipuli eorum dicti sunt, 2. Reg. 2.a.3. *Timorem Iehouæ docebo vos.* Timorem Domini, cui promittit suos discipulos se assuefacturum, intelligit verum Dei cultum, & piam viuendi regulam. acsi dixisset, Quum virtus & iustitia in omnium ore volitent, paucos tamen esse qui vitam probè & rectè instituant: quia ignorant quid sit Deum colere.

13 *Quis vir ille qui vult vitam, diligit dies, vt videat bonum?*

Quis vir ille qui vult. [a] חפץ חיים, cupiat vitam, longæuam aut beatam. Hebræi sæpe omittunt adiectiua, quæ facilè subaudiuntur. *Diligit dies.* Optat dies. Subaudiẽda quædam, sic, Quis (inquam) optat sibi dies multos? *Vt videat bonum?* Videre bonum phrasi Hebraica dicitur, pro frui bonis. [b] Non interrogat Propheta an quisquam ita sit affectus, acsi sponte omnes miseriam sibi accerserent: (scimus enim bene & feliciter agendi commune omnibus esse votum) sed in præposteris studiis cæcitatem & amentiam perstringit, quòd quum strenuè omnes ad captandum quod sibi vtile sit cursitent, vix centesimus quisque in animum inducat, pacem trãquillumque & optabilem vitæ statum iustitia & æquitate redimere. Suos ergo discipulos admonet Propheta totum fere mundum inscitia labi & errare, dum aliunde sibi beatam vitam promittit quàm ex Dei benedictione, qua solos simplices & integros dignatur. Sed plus vehementiæ continet hæc exclamatio, vt melius expergefiant torpentes & sopiti animi. acsi dixisset, Quum omnes fœlicitatem appetant, qui fit vt ad eam obtinendam nemo fere adiiciat animũ, ac sibi potius quisque sua culpa varias molestias accersat? [b] Siquis velit hoc de vitæ lõgitudine exponere, sciat nullam aliam longæuitatem esse præstantiorem quàm qua fidelis statue huius vitæ migrat in cælos. Quanquã perpauci fuerunt inter eos quorũ singulariter effulsit pietas, quique in hoc peculiariter constituti fuos vt hic Dei gloriam illustrẽt, qui non admodum annosi euadant. Paulus inter tot pericula, tot graues casus & diras persequutiones, quadragesimum annum in prædicatione Euangelii excessit: sic & alios huius sortis in prouectam vsque ætatem vixisse, quanuis sæpissimè de vita periclitatos, legimus. Plurimos quidem hinc rapit Deus antequam vitæ præsentis metas attingant, sed quos futuræ, non huius vitæ vsibus destinarit. Quos in medio cursu hinc vocat, vt pauci sunt, ita in exemplum id fit vitæ huius alacriter & fortiter cum futura commutandæ. Sed præstat hæc quæ Dauid hoc loco canit, de præsentis vitæ fœlicitate, quam alioqui omnes appetunt, simpliciter exponere.

14 *Custodi linguam tuam à malo, & labia tua à loquẽdo dolum.*

Custodi linguam tuam à malo. [c] De rara virtute hic præcipit, vt simus in sermonibus veraces & minimè astuti: [a] iuxta id quod præcipit Apostolus, Deposito mendacio loquimini veritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra, Eph. 4.f.25. [b] Quanquam latius nonnulli extendunt, putantes maledicentiam hoc priore membro damnari. Simplicius tamen ac rectius est intelligere quod secundo membro repetit. *Et labia tua à loquendo dolum.* Hoc est, ne dolosè cũ proximis loquamur, vt verba nostra laquei sint ad circumueniendum. Quia autem nihil difficilius est quàm ita moderari sermones nostros vt lingua purus sit mentis character, ideo sedulam custodiam exigit Dauid, ne ad fallendum eam diffluere sinamus. [m] Sic alibi orat, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstans labia mea, Infrà, 141.a.3. [a] Vide hac de re Iac. 3.b.5.

15 *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.*

Declina à malo, & fac bonum. [a] Breuis quidem est hæc exhortatio, sed quæ rectam viuendi regulam in se continet. [c] Iubet enim Dauid his verbis vt filii Dei ab omni iniuria abstineant, séque exerceant ad beneficentiam. Vulgò citari solet hic versus acsi de duabus pœnitentiæ partibus concionatus esset Dauid. Nam hic primus est resipiscentiæ gradus, vt peccator vitia quibus addictus est, abiiciat, priorique vitæ renuntiet: deinde mores suos formet ad iustitiam. Sed hic propriè quomodo cũ proximis versari oporteat docemur. Quia autem sæpe contingit vt qui in aliquam hominum partem liberalis est vel etiam prodigus, (saltem suis officiis multos iuuat) fraudando & nocendo lædat alios, ab hac parte meritò incipit Dauid, vt sibi à malo tẽperent qui Deo vitam suam probare cupiunt. Rursum, quia plerique si fraudem aut vim aut damnum nemini attulerint, probè se defunctos existimant, meritò adiunxit alterum præceptũ de beneficentia. Neque enim suos Deus otiosos esse passus, sed in commune suas operas conferre, vt alii aliorum commodis mutuò consulant ac studeant. [m] Ergo malum facere hoc loco est nocere proximo: bonum facere, est benefacere proximo. [a] Hoc sensu clamat Esaias, Desinite malefacere, discite benefacere, Esa. 1.e.17. [m] Verbo autem declinandi innuit Propheta quàm adhæreat nobis malum, & quasi comes quidam perpetuus consectetur: vt sit studiosè declinandum. *Inquire pacem, & persequere eam.* [c] Iam pacis fouendæ curam commendat. Scimus autem humanitate & tolerantia foueri: sed quia sæpe negotium est cum morosis hominibus, vel præfractis, vel ingratis, vel quos minima quæque occasio ad pugnas inflammat, quia multi improbi nos subinde lacessunt, alii sua prauitate, quantũ in se est, bonorum animos à se alienant, alii videntur offensiones de industria captare: non simpliciter quærendam esse pacem docet: verùm siquãdo fugitare nos videbitur, ad eam persequendam constanter eniti iubet. Est quidem hic aliquis modus: quia vbi omnia tentauerint probi & modesti homines ad pacem redimendam, adeo non emollient vel ad æquitatem flectent improborum animos, vt potius eorum acuant malitiam. Deinde eorum impietas nos sæpe cogit ad dissidia: imò dum ipsi Deum prouocãt quasi bello apertè indicto, perfidia esset nõ repugnare. Sed hic tantùm Dauid in priuatis negotiis vult nos mansuetos esse & faciles, & sedulò operam dare ne pax effluat, vtcunque eam retinere molestum sit & incõmodum. [a] Proinde quamlibet pacis occasionem anxiè venari, & quamdiligentissimè vestigare, quæque prima obuenerit, eam persequi totis viribus, arreptámque tenere fortissimè, officiũ erit Christiani: neque quisquam alius id præstiterit, eo quòd ad hoc omnimoda sui ipsius negatio necessaria sit: ad quam venire nemo potest

nisi qui certus sit alium esse qui sui curam longè melius gerere & velit & possit. Id iam eorum tantùm est qui per Christum se iam rem se sciunt à Deo in filiorum loco numerari. Qua de re vide Math.5.a.9,& Rom.11.d.18,& Hebr.12.d.14, & 1.Pet.3.b.11,& Iohan 13.d.34,& 14.d.27,& 15.b.11.

16 *Oculi Iehouæ super iustos, & aures eius ad clamorem eorum.*

Oculi Iehouæ super iustos. Causam reddit cur cauendū ab omni iniuria tam verbis quàm factis, omni studio autem in id incumbendum vt in pace cum omnibus viuentes, benefici simus in quoslibet. Dicit oculos Domini intentos esse in iustos, vt scilicet omnibus eorum commodis prospiciat, ne quid boni careant: siqua inciderit calamitas, simulatque inuocauerint, audit eos: quia aures habet clamori eorum auscultantes. Hæc sanè optima est patientiæ solatia, dum persuasi sumus nos à Deo respici, atque vt quisque se in recti & æquitatis studio continet, illius præsidio tutum & incolumem fore. Ergo ne fideles mundi libidini se esse expositos putent, dum innocentiæ dant operam, atque hic metus à via eos abducat, hortatur Dauid vt mentem referant ad Dei prouidentiam: nec dubitent eius alis se protegi. Dicit autē oculos Dei intentos esse ad custodiam iustorū, quò alacrius in sua integritate pergant boni & simplices, nihil soliciti aut de vindicta hostium suorum, aut de afflictionum suarum exitu: quia Dominus eorum iustitiam abunde suo tempore asseret. Ista sæpenumero inculcat Propheta, vt fideles ad diuinæ prouidentiæ considerationem reuciat. Vide suprà, 31.b.8, & 33.d.18. Cæterùm quos prius timentes Dominum & à malo declinantes & bonitati studentes vocauit, nunc iustos appellat: ne quis de iustificatione quæ per fidem in Christum est, sibi placens, sic viuat vt vita iniustum eum esse clamet, quicquid verba sonent. Est enim illud verissimū, Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, 1.Iohan.3.a.7. *Et aures eius ad clamorem.* Sic oculos Dei intētos ad custodiam iustorum affirmat Propheta, vt interim ad vota & preces eos stimulet, siquando iniustè lacessat eos mundus. Nam aures Dei ad clamorem apertas esse dicens, admonet hoc opportunum esse remedium in omnibus ærumnis, vt Deum vltorem imploret qui præter ius & meritum affligitur. Imò verò clamoris dictio non simplicem, sed talem precationem exprimit, quæ & eiulatus & anxiam auxilii implorationem includat. Ergo non pudet sanctos ac iustos, dum in tribulationibus suos, anxiè & cum clamore opem Dei implorare, quantumuis eius generis inuocatio speciem interdum habeat impatientiæ. Ingens verò consolatio est omnibus illis qui probitati, iustitiæ, æquitati & bonitati student in hoc seculo, agnoscere oculū Domini non dormire, nec illius aures obstrusas esse, dum ipsi premuntur aduersis, & sincero corde vota sua coram eo effundunt.

17 *Vultus autem Iehouæ contra facientes malum, vt succidat è terra memoriam eorum.*

Vultus autem Iehouæ contra facientes. Vultus, id est, ira. Pronuntiat ex aduerso, quamuis interdum ad hominum scelera Deus in speciem conniueat, quia non statim pœnas exequitur, nihil tamen fugere eius conspectum. Dum sceleratis, inquit, peccandi audaciam addit impunitas, vigilat Deus. *Vt succidat è terra memoriam eorum.* Hoc est, vt in nihilum redigat quod illi maximè curant, nempe memoriam eorum. Nam tale pœnæ genus Propheta consultò exprimit: quia impii non modò ad tempus vsque vitæ beatos se fore confidunt, sed immortalitatē sibi fingūt in mundo. Volunt, dum in mundo regnant, viri nominis haberi, famosi & illustres, putatur illorum memoria fore perpetua. verùm sic iudicio Domini tolluntur & exterminantur è mundo vt ne fama quidem nominis superstes relinquatur. Testimonium hoc scitè accomodat Petrus, 1.Epist.3.c.12, ad mitigandos nostros dolores, & sedandam impatientiam, quoties malorum proteruia transuersos nos impellit: quia ad moderationem seruandam nihil vtilius est quàm pendere ab auxilio Dei, & bona conscientia fretos ei deferre iudicium. Suspiciuntur quidem in hoc mundo improbi & pene adorantur: verùm de cælis in illorum malitiam intentus est vultus Dei seuerus & terribilis, à quo omnia illorum studia obseruantur. Contrà, piis succurrere semper paratus est, & eos de manibus impiorū liberans, se eorum curam gerere ostendit. Siquis obiiciat longè aliud experiri bonos, qui diu multùmque vexati, nihil tandem auxilii sentiunt: respondemus, Deum neque palam neque semper eodem modo bonis succurrere, sed tamen ita temperare eorum miserias vt eos non deserat. Adde quòd etiam optimi Dei præsidio se defraudant: quia vix centesimus quisque innocentiam adeo purè colit quin sua culpa aliquid malè sibi accersat: Deus autem, simulac lapsi suos, ne peccata in ipsis radices agant, statim eos castigat, & quidem durius quàm reprobos, quibus indulget in exitium. Et tamen vtcunque res in mundo permistæ sint ac confusæ, sentient probi homines non frustra opem Dei contra vim & iniurias sibi esse promissam: sicuti dicitur Luc. 18.b.7, & Rom.12.d.19.

18 *Clamant [iusti] & Iehoua exaudit, ex omnibus angustiis eorum eripit eos.*

Clamant iusti, & Iehoua exaudit. Præteritum Hebræum pro præsenti, q.d. Quum clamant iusti, audiuntur à Domino. Est enim continua doctrina: quia non refert quid semel aut iterum factum sit à Deo sed quid perpetuò facere soleat. Affirmat ergo Dauid Dominum Deum iustos ad se clamantes audire, malisque omnibus eripere. Et clamandi verbo admonet, quamuis Deus iustos tueatur non tamen esse à rebus aduersis immunes: mirificè enim temperat suum in illis seruandis præsidium, vt multis certaminibus eos exerceat. Hic etiam non leuis ad precandum stimulus nobis esse debet, quòd liberatio non promittitur nisi Deum inuocantibus. Neque enim prouidentiam suam ita vult à piis reputari vt otiosi torpeant, sed potius vt salutis suæ custodem esse persuasi, ad eum vota sua dirigant.

19 *Propinquus est Iehoua contritis corde: & attritos spiritu seruat.*

Propinquus est Iehoua contritis corde. Amplificat & longius extendit superiorem doctrinam, Deum liberatorem suorum esse, quamuis ad vltimum redacti ægrè iam Spiritum trahant. Nam hæc dura est probatio, gratiam Dei vsque eo differri & subduci à sensu nostro dum spiritus nos deficiat: imò hoc incredibile est paradoxon, vbi cordis languore confecti fideles fere tabescunt, Deum illis esse propinquum. Sed ita clarius refulget illius virtus, dū è sepulchro nos attollit. Adde quòd fideles prorsus deiici & atteri conuenit, vt non nisi in Deo respirent. Vnde etiam colligimus, veræ tolerantiæ nihil esse magis aduersum quàm altitudinem illam de qua garriunt Stoici: quia non prius verè humiliati censemur quàm dum cordis afflictio coram Deo nos prosternit, vt iacentes erigat. Ergo Deus corde confractos, hoc est malis oppressos, atque adeo grauiter afflictos, animoque saucios & consternatos, benignè respicit, vt eos tandem à malis eripiat. Idem canit Vates, dicens. Desiderium humilium exaudisti Domine, diriges cor eorum, auscultabit auris tua, Suprà, 10.d.17. Hos & seruator ad se vocat, Matth.11.d.28. Dei siquidem est innaturquos iam potiotiuuet quàm omni alio auxilio destitutos, & auxilio opus habentes. Tales iam sunt quotquot Christi sunt & piè viuere instituūt, propterea quòd huiusmodi persequutionem ferre in hoc seculo oporteat. Eos Deo peculiariter curæ esse qui ab hominibus & deseruntur, & iniuria præcipuè afficiuntur (vt pauperes, viduæ & pupilli) multis canit Psalmus 10.d.14. Plena profectò suauissimæ consolationis doctrina, Deum ne tunc quidem à nobis discedere quum malorū congeries nos quasi exanimatos obruit. *Et attritos spiritu seruat.* Hoc est, è malis eripit, & mirū in modum consolatur, ne spe & precibus fraudati videantur. Notandus autē hic ordo quo Deus suis auxiliatur. Iusti student bonitati & iustitiæ erga quoslibet: hoc nomine affliguntur: afflicti redduntur corde confracto & contrito: contriti & confracti clamant ad Dominum. Contrà, Dominus in cælis oculis & auribus intentus est in iustos: vitam illorum innocentem ac piam probat: clamantes ad se exaudit: exauditos liberat, idque ex omnibus tribulationibus, quantæcunque illæ fuerint. Breui tabella depingit Vates cursum illum hinc iustorum in hac vita, illinc Dei desuper iustorum rationē habentis: quæ tamen non poterit nisi fidei oculis conspici. nam ratio humana illam intueri non potest.

20 *Multa sunt mala iusti: & à cunctis ipsis eruit eum Iehoua.*

Multa sunt mala iusti. Quàm diuersa piorum & sceleratorū sors sit, pluribus exaggerat, ac præuenit cogitationes quæ vt plurimum mentibus nostris obrepunt, qui fieri possit vt iusti curæ sint Deo, qui assiduè tot aduersis fluctibus iactatur. Quorsum enim Dei protectio nisi vt placido otio fruantur qui vitam quietam agunt? & quid magis absurdum quàm tumultuosè vexari qui nemini facessunt negotium? Ergo ne fidem prouidentiæ Dei nobis excutiant tentationes quibus assiduè impetimur, tenenda est hæc admonitio, quamuis iustos Deus gubernet, illisque prospiciat, subiectos tamē & obnoxios esse multis miseriis vt probati talibus experimentis specimen edant inuictæ suæ constantiæ, Deumque liberatorem melius sentiant. Nam si liberi essent ac vacui omni molestia, torperet fides, cessaret Dei inuocatio, incognita & sepulta lateret eorum pietas. Ergo variis documentis eos exerceri vtile est, ac præcipuè in hunc finem vt agnoscant inter mortes innumeras se mirabiliter à Domino seruari. Fortuitum enim videri posset quod rarò contingeret. vbi autem nullo fine & modo alia atque alia mala recurrunt, si Dominus semper manum porrigat, non iam obscura est eius gratia. Dauid ergo, quicquid malorum impendeat, fideles ani-

mis paratos esse iubet, quia nunquam eos Deus sustrahitur: cui nō magis arduū est millies quàm semel à morte eripere. [A]Quò pertinet quod scribit Iacobus, Pro summo gaudio ducite fratres mei, quoties in tētationes incideritis varias, illud scientes, quòd exploratio fidei vestræ parit patientiam, Iacob. 1. a. 2. *Et à cunctis ipsis eruit eum Iehoua.* [V] Futurum Hebræum pro præsenti, Liberat & eripit, vel eripere solet. [D]Q. d. Etsi plurima incidūt iusto mala, ex omnibus tamen eum Dominus eripit, ita vt nulla in re prorsus lædatur. [A]Nam cui Dominus fauet, quid nocere potest?

21 *Custodiens omnia ossa eius, unum ex his non est contritum.*

Custodiens omnia ossa eius. [A]Omnia eius membra integra saluat [C]Hoc non parum ad amplificationem valet, vt sciamus omni ex parte illæsos fore quos Deus tuendos suscepit. Deum ergo facturum pronunciat ne vnum ex ossibus nostris frangatur. quo sensu dicit Christus, capillos capitis nostri numeratos esse, Matth. 10. c. 30. [A]Ossiū vero hic meminit, eo quòd ossibus corporis robur potissimùm nitatur. [H]Porro si ossium curam gerit, multo magis spiritus.

22 *Interimet impium malitia: & odio habentes iustum deuastabuntur.*

Interimet impium malitia. [V]Vel per præsens, Interficit & deuastat. q. d. Malum iugulat authorem mali. [C] Quidam tamen רעה pro miseria accipere malunt, vt sit sensus, impios miserè perituros, quia tandem malis succūbent. Sed altera interpretatio plenior est, quòd eorum improbitas, qua se munitos putant, in eorum capita recidet. Sicut ergo prius docuit nusquam melius esse præsidium quàm in recta & innocua vita, ita nunc denuntiat, quicquid peruersè aggressi fuerint impii, ipsis exitiale fore, quāuis aliunde nemo quicqam moueat. [A]Sic alibi dictum est, In reti quod absconderunt, comprehensus est pes eorum, Suprà, 9. d. 16. *Et odio habentes iustum deuastabuntur.* [C]Hoc membro fieri in gratiam iustorum dicit quòd impii sibi sunt propriæ mortis artifices. [A]Nam quid aliud male viuendo & pios opprimendo proficiunt quàm quòd Dei irā super se thesaurizant? [C]Sit igitur hic nobis murus aheneus & inexpugnabilis, quamuis ingentes hostium copiæ nos circūdent, non esse metuendas, quia iam exitio sunt deuotæ. [A]Hac ratione Scriptura toties pios omnes admonet vt omnes mundi insultus securè contemnant: scientes, impios, vbi multa machinati fuerint, miserè tandem perituros. [H]Videmus hic præterea odium iusti manifestum esse impietatis & malitiæ indicium. Quisquis hominem innocētem & iustum odio prosequitur, manifestè testatur quòd sit impius & malus: nihilque illi expectandum est aliud quàm vt demum vastetur.

23 *Redimit Iehoua animam seruorum suorum, & non deuastabuntur omnes sperantes in eo.*

Redimit Iehoua animam seruorum suorum. [C]Confirmat iterum Dauid hoc versu quòd Deus redemptor sit seruorum suorum. Nam quomodo inter tot discrimina vel momento vno salui essent, nisi Deus manum suam opponeret? Sed verbo redimendi exprimitur seruandi modus, à quo valde caro abhorret. Prius enim morti addictos esse oportet quàm Deus redemptor appareat. Vnde sequitur, eos gratiæ Dei ianuam præcludere qui nimis præcipites feruntur, ac nisi eorum festinationi respondeat, virtutem eius non apprehendunt. [H]Obseruandum est & aliud quòd eos quos Propheta antea vocauit iustos & contritos corde, iam vocat seruos Dei. [E]Et, nequis seruos Dei à morali (vt loquuntur) philosophica virtute tantùm æstimet, hac præcipua nota insignit, quòd in Deo ipso confidunt, vnde etiam salus pēdet. Sic enim ait, *Et non deuastabuntur omnes sperantes in eo.* [A]Nā (vt alibi dictum est) beati omnes qui confidunt in eo, Suprà, 2. c. 12. [H]Commendantur nobis hisce elogiis fides erga Deum & obedientia. Fides inuocat, adorat, sperat, amat, pugnat aduersus Satanam, mundum, carnem & sanguinem. Obedientia seruit & colit, ac totum hominem diuinæ voluntati subiicit. Hæc est iustorum pietas, ob quam à Deo deseri nequeunt, quantumuis anima, (id est vita) eorum in discrimen rapiatur. [A] Videmus igitur quanta consolatione refertus sit hic Psalmus.

ARGVMENTVM PSAL. XXXV.

[H]HABET hic Psalmus interpellationem Prophetæ ad Deum iustum iudicem, aduersus impios hostes, Saulem [C]& eos qui scelerate & destinata malitia obsequiū suum huic regi impio venditabant. [D]Nata est autem hæc interpellatio ex incredibili innocentiæ fiducia, certàque cùm vltionis de illis sumendæ tum opis sibi ferendæ expectatione. [C]Quia ergo oraculo & sacra vnctione fretus, meliorem exitum sperabat, gratitudinis suæ testimonia passim admiscet: atque hæc tādem est Psalmi clausula, postquam seruatus fuerit, tota vita Dei laudes celebraturum.

DAVIDIS. *Litiga Iehoua cum litigantibus mecum, pugna cum iis qui pugnant mecum.*

Dauidis. [D]Titulus hic scribitur, vt nemo dubitet ab ipso Dauide compositum esse Psalmum. *Litiga Iehoua cum litigantibus mecum.* [V]Disceptа cum disceptantibus mecum. vel, contende cum contendentibus mecum, aut cum litigatoribus meis. Alii, Iudica iudicātes me. [H]Implorat animò auxilium Dei contra hostes suos. [C]Nam quia non modò vitam Dauidis aperto marte impetebant hostes, sed calumniis & falsis delationibus molesti erant, vtriusque mali remedium postulat. Priori enim loco Deū aduocans causæ suæ patronum, significat cum improbis & maledicis negotium sibi esse: deinde ad arma suscipienda eum incitans, se violenter opprimi ostendit. Etsi autem valde indignum est, sanctum virum, qui de omnibus optimè semper meritus fuerat, neminem læserat, tam publicè quàm priuatim dignus propter suam humanitatem & modestiam erat omnium fauore, non tamē hoc fuisse adeptum vt virulētas linguas effugeret: nobis tamē vtile est cognitu, & apprime ad exemplum prodest. Neque enim mirum aut nouum videri debet si nos carpant ac mordeant homines maligni, qui ne Dauidi quidē pepercerunt. Sed vt nobis grauis acerbàque sit eorum iniuria, incomparabile solatium hinc affertur, quòd suum patrocinium Deus ipse falsis accusationibus opponit. Surgant ergo calumniatores, fictisque criminibus nos proscindant, modò contra Deus partes defensoris agere ne grauetur. *Pugna cum iis qui pugnant mecum.* [V]Expugna impugnantes me. Vel, deuora deuorantes me. Dubiū non est Dauidem hic precari vt Deus armatæ hostium violentiæ resistat. Summa est, quòd mendaciis obrutus & crudelitate oppressus, nec quicquam reperiens auxilii in mūdo, tam vitam suam quàm famam Deo tuendam cōmendat. Et obserua quàm commode vtatur anthropopathia ista, vocans Deum ad arma capessenda, instar fortis athletæ, quibus insontem & oppressum ac circumuētum ab improborum violentia protegat, qui plurimum istius generis armis, minātes interitū insonti, fidebant. Q. d. Spirant aduersarii mei bellum, instructi sunt armis, de quibus præsumunt: ego verò desertus ac destitutus omni auxilio, spem omnem in te pono. Tu itaque cum litigantibus litiga, tu impugnātes me expugna, tu produc scutum, hastam & lanceā, & occurre armatus armatis, vt sentiant arma tua, qui de suis armis præsumūt, multo potētiora esse omnibus viribus humanis.

2 *Apprehende clypeum & scutum, & surge in adiutorium meum.*

Apprehende clypeum. [V] Celeriter apprehende clypeum. Alii Robora (vel corrobora) clypeum. sub. tuum, vt eo me tuearis. [C] Impropriè hoc ad Deum transferri certum est, qui nec lancea nec clypeo indiget, solo flatu vel nutu cōtentus ad hostes suos profligandos. Huiusmodi tamen figuras, quæ primo intuitu asperæ videri possent, nō abs re Spiritus sanctus vsurpat, quo certius pro sensus nostri ruditate, præsentiā auxilii Domini infigat cordibus nostris. Nam quum se oculis nostris ingerant noxæ & pericula, vndique occurrant manifesti terrores, mors denique ipsa palam appareat, difficile est abscōditam & inuisibilem Dei virtutē concipere, quæ nos omni cura metúque liberet. Deorsum enim sensus nostri (vt crassi sunt & terrestres) feruntur. Ergo vt gradatim fides nostra ad cœlestem Dei potentiam conscendat, inducitur, hominū more, gladio & clypeo instructus. sicut & alibi, quum dicitur vir bellicosus, (Exod. 15. a. 3.) certum est nostræ infirmitati hoc concedi: quia non aliter pro suo modulo caperent mentes nostræ immensam illam virtutem quæ omnes auxiliandi formas in se continet, nec aliunde subsidia accersit. Sensus autem est, vt Deus arcana sua & intrinseca virtute armatus, se vnum sufficere demonstret contra omnes impiorū apparatus & copias. [V]Sunt qui ad Dauidis clypeum hoc referant, perinde acsi diceret Propheta, Da robur clypeo meo, vt possim te duce tueri me. [A]Sed rectius ad Deum refertur eo quo diximus sensu. *Et scutum.* [C]Nomen צנה quidam iaculum aut aliud teli genus esse volunt: sed quia scutum propriè significat, (vt vidimus suprà, 5. c. 13) non est cur in alienū sensum torqueri hoc loco debeat. Nec verò absurdum est clypeo (vt alibi sæpe) scutum adiungi: & magis consentaneum erat quoduis telum poni cum lancea, cuius proximo versu fit mentio. Incipit ergo Dauid ab armis, vt Deus hostium impetus sustineat ac repellat. *Et surge in adiutorium meum.* [A]Q. d. Qui impiis videbaris impotens & cessator, nunc fortiter insta, me propugnando fortissima manu tua.

3 *Et educ lanceam, & interclude viam in occursum persequentium me: dic animæ meæ, Salus tua sum.*

Et educ lanceam. [V] Ad verbum, Et euacua, vel denuda. [C] Id enim significat verbum ריק: quod tamen hic simpliciter pro depromere vel exerere accipitur. *Et interclude viam in occursum persequentium me.* [V] Et prodi obuiā persequutoribus meis, vel, præ-

occupa ex aduerso persequẽtes me: aut, cõclude viam aduersus persequẽtes me. [c] Verbũ סגר tantũdem valet atque claudere apud Hebræos: sed quũ velit Dauid, quasi interposito muro vel aggere, Dei obiectu prohiberi hostes ab accessu, quidam rectè vertunt, Obsiste ad occursum persequororibus meis: nisi quis malit Intercludere occursum vel obstaculo morari: quæ omnia eodẽ redeunt. Nam eorũ opinio qui nomen esse cõtendunt, nullo modo probabilis est. *Dic animæ meæ, Salus.* [b] Quidam exponunt, Arcana inspiratione mihi declara te præsentem esse & saluantẽ. alii autem, Fac vt sentiam te animæ vitæque meæ curã gerere, & istis me periculis erepturũ. [c] Et certè dubiũ nõ est Dauidẽ optare penitus animo suo infixũ esse ac persuasum quod ex præsenti rerũ intuitu statui non poterat, salutis suæ authorẽ esse Deum. Nã (quæ nostra socordia est ac stupiditas) Deus sæpe dormientes ac nihil tale sentiẽtes nos liberat. Quare emphatica loquutio est qua sibi viuum gratiæ Dei sensum dari precatur, vt hoc clypeo armatus quoslibet insultus sustineat, & per omnia obstacula & angustias perrũpat. acsi diceret, Domine, quicquid se ad labefactãdum cor meum ingerat, firmũ in hac fiducia me retine, salutẽ mihi apud te certò esse repositã: atque, vt me huc vel illuc impellant tẽtationes, sensus meos ad te reuoca, vt salus tua omnibus periculis superior emineat: imò perinde acsi vocem ore emitteres, intrepidè statuã, te propitio me saluũ fore. [a] Porro Dominum salutem esse alicuius tam præclarum ac incredibile beneficiũ est, vt qui hoc verè agnoscit & credit, securus dicere possit quod Dauidẽ iam dixisse legimus, Dominus lux mea & salus mea: à quo timebo? Suprà, 27.a.1. [a] Hoc verò dicere possunt qui abnegarũt sese, & omnia mũdi præsidia despõderunt.

4 *Pudore afficiantur & erubescant quærẽtes animam meam: conuertãtur retrorsum & pudore afficiantur cogitantes malũ meum.*

Pudore afficiantur & erubescant. [a] Iam Deum cõtra hostes suos vltorẽ implorat: nec tantùm rogat vt frustretur ac irritos reddat eorum conatus, sed etiam mercedem quã meriti sunt repẽdat. [b] Primùm pudefieri hostes orat, ita scilicet frustratis eorũ conatibus vt illi ipsis cedant exitio. [m] Acsi diceret, Ita pugna pro me, ita me defende, vt hostes mei sentiant se non tam mihi quàm tibi bellũ intulisse, cogãturque cum pudore ab incœpto desistere. Hoc certè factum est vbi Dauidem, extincto Saule & deleta illius domo, in regem euectum esse viderunt. [a] Sic alibi dicebat, Confundantur & conturbentur valde omnes inimici mei, cõuertantur & erubescant repente, Suprà, 6.c.11. Ita hoc loco, *Cõuertantur retrorsum & pudore afficiantur cogitãtes malum meũ.* [c] hoc est, sic spe sua votóque deiiciantur qui malignis consiliis suis insequũtus me ad mortẽ, vt se agnoscãt operã suam lusisse.

5 *Sint ut gluma ante uentum, & Angelus Iehouæ impellat eos.*

Sint ut gluma ante uentum. [v] Vt puluis, palea tenuis, quisquiliæ. [c] Iam longius progreditur, vt similes sint paleæ vel quisquiliis, qui sibi videntur altis radicibus bene firmati. [l] acsi diceret, Fac Domine vt hostes mei, qui viribus suis gloriantur, viles sint adeo, vt quisquiliis similes facti [a] nusquã queant consistere, nulla certa consilia sequi, sed continuò de malo in malum præcipitentur. [a] Vide eandem similitudinem suprà, 1.b.4, & 18.d.43. Quãquam in posteriori loco ponitur vox דחה: sed sensus eodẽ redit. *Et Angelus Iehouæ impellat eos.* [c] Sicuti vento agitãtur quisquiliæ, ita inquietudinem illis optat ab arcano Angeli impulsu. [b] Siquis autem velut vento palea expositus non habeat vbi consistat, quid certi agat? Iam quum accesserit ad hæc impulsio Angeli, omni vento potentioris, quàm infœliciter præcipitari & rotari necesse est? [c] Hinc verò colligimus, ideo turbari impios, nemine persequente, quia spiritu vertiginis eos Deus percellit, & inquietudine distrahit, vt secum ipsi tumultuentur. [a] sicuti per Prophetam dicitur, Impii sunt velut mare impulsum. nam quiescere non potest, propellũntque aquæ eius cœnum & lutũ. Non est pax (dicit Deus) impiis, Esa.57.d.20.

6 *Sit uia eorum tenebræ & lubricitates, & Angelus Iehouæ persequatur eos.*

Sit uia eorum tenebræ & lubricitates. [v] Substantiua pro adiectiuis, tenebrosa (siue caliginosa) & lubrica. [c] Grauior est hæc imprecatio superioribus, vt quocunque pedem moueant, illis occurrant tenebræ & loca lubrica. *Et Angelus Iehouæ persequatur eos.* [b] Hoc est, elidat eos & prosternat. [c] In summa, quicquid tentent, & quocunque se vertant, cupit illis omnia consilia & conatus infœliciter cadere, adeo vt neque consilium suppetat neque ratio, imò ne respirandi quidem detur tempus. Has partes Angelis mandari mirum non est, per quorum manum iudicia sua Deus exequitur: etsi non minus de diabolis quàm Angelis cælestibus ad Dei obsequium promptis locus exponi potest. Scimus enim diabolo permitti quam in reprobos exerceat tyrannidem. Vnde sæpe dicitur malus Dei Spiritus Saulem inuasisse, 1.Sam.18.c.10, & 19.b.9. Sed quia diaboli nonnisi inuiti trahuntur ad exequenda Dei mandata, etiam vbi eorũ opera Deus vtitur, Scriptura electos & sanctos Angelos quasi in superiore gradu ministros statuit. Exercet ergo Deus sua iudicia per Angelos reprobos, sic tamẽ vt electos Angelos ipsis præficiat. Qua ratione etiam soli vocantur legitimi principatus, Ephes. 3.b.10, & Colos.1.c.16, & aliis similibus locis. Siquis obiiciat nõ esse consentaneum vt Angeli, qui ministri sunt gratiæ & salutis, datique fidelibus custodes, cõtra reprobos sæuiãt, solutio est in promptu, nõ posse excubare ad piorũ tutelam quin simul ad bellandum instructi sint, nec posse suo auxilio eos protegere quin eorũ hostibus infestos se opponãt. [l] Cæterùm hæc animi atque factorum perturbatio, exagitatio & præcipitatio, quam Dauid hostibus suis imprecatur, malum illud erat quod Cain fratricidæ Dominus inflixit, quum diceret, Eris incertus & vagabundus in terra, Gen. 4.b.12. Neque enim tantùm solum identidem vertere eum oportuit, (leuicula ea pœna fuisset, & de Abraham quoque ac sanctis aliis nõ minus quàm Cain sumpta) sed confusus erat animi, ac omnium consiliorum factorumque miserrima disturbatione percellebatur, vt nihil non inauspicatò cederet, nihil non noxium experiretur. Idipsum est quod & populo suo transgredienti Leges suas Dominus minatus legitur. Percutiet te Iehoua (inquit Moses) amentia, cæcitate & stupore cordis, erisque palpitans in meridie, vt cæcus palpitat in tenebris: nihil habebis in eis quæ institueris prosperum, calumniam & rerum direptionem quotidie patieris, nec erit qui seruet, Deut.28.c.28. Item, Et in gentibus illis vbi captiuus fueris, nihil habebis tranquillum, nulla erit pedibus tuis quies, dabitque illic tibi Iehoua cor trepidans, oculos deficientes, & animã languidam, &c. Ibidem, g.65. Istam animi perplexitatem & tum consiliorum tum factorum continuam euersionem Pharao, Saul, Achaz aliique impii principes egregiè experti sunt: vt Scriptura testatur: & siquis animaduertat, videbit eo malo obnoxios quicunque Deo carent. Ad tẽpus, dum sua bona hic recipiũt, (effusa enim adeo Dei bonitas est vt hostes eius participes faciat) videntur impii aliquo rerum successu gaudere: at siquis perturbationem & afflictionem quam in animo hi perferunt etiam quum videntur fœlicissimi, intueri posset, haud obscurum vel ambiguum mali huius specimen cerneret. Sed & illa, bone Deus, qua videntur tranquillitate & fœlicitate frui, quàm est fluxa, caduca, momẽtanea, si reliquo æuo compares quo infinito atrocius quàm hic descripta sunt mala patiuntur! [c] Porro quantum ad imprecationes spectat, tenendum memoria est quod alibi diximus, Dauidem neque priuatam causam agere, nec temere effutire quicquid dictauit bilis, nec zelo inconsiderato ad perniciem hostibus suis optandam ferri, sed duce Spiritu moderata vota in reprobos cõcipere: à quibus procul absunt quicunque vindictæ cupiditate vel odio vel incomposito alio carnis motu aguntur. [a] Sic alibi dicebat hic idem Vates, Destrue illos Deus, cadant à consiliis suis, in multitudine transgressionum eorum expelle eos, Suprà, 5.c.11. Et iterum, Conuertetur prauitas eius in caput eius, & super violentia eius iniquitas eius descendet, Suprà, 7.d.17. Item, Cõuertantur impii in infernum, omnes gentes obliuiscentes Dei, Suprà, 9.d.18.

7. *Quoniam sine causa absconderunt mihi foueam retis sui, sine causa foderunt animæ meæ.*

Quoniam sine causa absconderunt mihi. [c] Testatur se non frustra abuti Dei nomine, nec perperã sibi accersere patronũ. profert enim suam innocentiam in medium, & se nulla sua culpa tam duriter affligi cõqueritur. Quod diligenter notandum est, nequis in Dei conspectum temere prosiliat, vel eum aduocet vindicem, nisi bona conscientia fretus. Quum autem se insidiis & malis fraudibus impetitum fuisse dicit, in eo subest tacita integritatis suæ commendatio. *Foueam retis sui.* [b] Hoc de insidiis eorum dixit, similitudine à venatoribus mutuata, qui lupis & aliis bestiis foueas parant, & tegentes abscõdunt, vt imprudentes ad expositam escam accurrẽtes, in foueam incidant, & uno reti aliquo imposito, vel saltẽ foueæ altitudine capiantur. Querelam de insidiis eorum eo auxit quod adiecit, *Sine causa foderunt animæ meæ.* [v] Subaudi foueam. Nam apud Hebræos omne verbum includit nomen quod ab ipso deducitur, vt à Fodio fouea. [b] Sensus est, Insidias struxerunt vt me perderent, [a] sæpissimè tentarunt me penitus subuertere ac opprimere. Voluit ita declarare quanto insidiandi sibi studio flagrarint.

8 *Veniat ei contritio quam non cognoscit, & rete ipsius quod abscondit, capiat eum, cum tumultu cadat in illud.*

Veniat ei contritio quam non cognoscit. [v] Tumultus quem non nouit. De eo tumultu loquitur quo subita infertur ruina. Alii vertunt, Calamitas, quam non præuidit, aut quam ignorat. Nõnulli, Interitus aut excidium quod nescit, id est improuisum & ni-

expectatum. [c] Nam quia nomen שואה nunc tumultum, nunc cladem significat, multi vertunt, Veniat illi perditio, aut vastitas, aut ruina. [a] Sed sensus melius conuenire videtur, si dicamus Dauidem iterum precari vt Deus in hostium capita retorqueat quam homini iusto & innoxio machinari fuerant perniciem. Nam statim subiicit, *Et rete ipsum quod absconderunt, capiat eum: cum tumultu cadat in illud.* Vel, cum fragore corruat in illud. Certè quod alii reddunt, In cladem ipsam cadat, asperum & coactum est. Optimè autem fluit sententia, quoniam securè in suis fæcibus quiescunt, & quasi procul essent ab omni telorum iactu, nihil metuunt: vt malum inopinatum eos repentè quasi tempestas obruat. Nihil enim illis minus credibile est quàm suas acies & astutias prauáque studia, & quascunque bonis & simplicibus captiones intentant, ipsis authoribus exitio fore. Aptissimè itaque Dauid optat eos cadere in retia quæ tetēderunt, cum tumultu. hoc est, vt ad malum subitum expauescāt: quia quo maiore licentia exultant homines, propter spem impunitatis falso conceptam, eo magis attonitos reddit improuisus terror. Interea dubium non est quin Dauid cladem aliquam nouam & insolitam denotet. Veniat ergo tumultus quē ignorat. hoc est, vbi pacē fallacibus illecebris sibi promiserit, percellat eum horror insolitus, & eum tumultuoso pauore sentiat se laqueis suis deprehensum. [a] Miram verò amplificationē continet hic versus. Nam calamitate opprimi per se abunde miserum est: magis autem si incidat subitò & cum tumultu præterque omnem expectationem, de qua ne cogitaris quidem: maximè autem, si quē eo ipso perire oporteat quod pararit alteri. Vehementiam imprecationis habet & illud, Cum fragore incidat in eam. sub. foueam. quo altam foueam & subitam in hanc præcipitationem, quæ cum tumultu & fragore quodam fit, significauit.

9 *Anima autē mea exultabit in Iehoua, in salute eius lætabitur.*

Anima autem mea exultabit in Iehoua. [y] Quidam in optatiuo legūt, Exultet, aut lætetur. [c] Sed Dauid nō tā vota cōtinuat quàm se Deo gratum fore promittit. quod melius ex proximo versu patet, vbi magnificè beneficium hoc extollens, eius memoriam omnibus corporis sui partibus celebraturū se dicit. Ergo quum alii fortunæ tribuant quòd seruati sunt, alii suæ industriæ, pauci admodum integram Deo laudem reddant, Dauid hic se acceptæ gratiæ memorem esse asserit. Anima mea, inquit, non liberatione sibi ignota, sed in Dei laude lætabitur. [a] Sic dixit in superioribus, In Domino laudabit se anima mea, Suprà, 34. a. 3. *Lætabitur in salute eius.* [b] Hoc est, anima mea de ope sibi præstita à Deo gloriabitur, & illi gratias aget.

10 *Omnia ossa mea dicent, Iehoua quis similis tibi, eripiens afflictum à fortiori se, pauperem item & egenum à diripiente eum?*

Omnia ossa mea dicent ei. [y] Pars pro toto. totus corpus meum. [c] Præconium gloriæ Dei amplificandi causa ad ossa sua transfert, acsi linguæ officio non contentus, omnia corporis sui mēbra applicaret ad canendam Dei laudem. Etsi autem hyperbolicè loquitur, tamen sine fictione demonstrat eo studii feruore se esse præditum vt neruos & ossa impendere cupiat ad testandam pietatem. [b] Q.d. Tota anima mea & quantus quantus sum, fatebor & dicam, *Iehoua quis similis tibi, eripiens afflictum à fortiori se.* [c] Clarius definit suum illud in salute Dei gaudium, nēpe quòd vni Deo in solidum ascribet quā adeptus est salutem. Sic enim vulgò laudatur Deus inter homines vt vix decimā iuris sui partem obtineat. Dauid autem ab aliis omnibus eum separans, distinctè pronuntiat totam liberationis gloriam in eum solum competere. Et certè ita Deo quod suum est asseritur, quum ornatus sua virtute spes omnes nostras sibi addictas tenet. Quid enim attinet nomen Dei sonare in ore nostro, si eius potentiam & bonitatem pro arbitrio nostro partimur? Piè ergo Dauid magnitudinem Dei hoc elogio commendat, quòd vindex sit pauperum, quòd inopes & afflictos eripiat à violētis prædonibus. acsi diceret proprium eius officium esse opem ferre miseris. Quibus verbis docemur bonā spem in afflictionibus retinendam esse: quia non est cur animos nostros debilitent hostium vires & copiæ, quantumuis præualeant, dum è cælo pronuntiat Deus in hunc finem se regnare vt validis & fortibus resistat. Quòd si gutta sanæ mentis esset in filiis huius seculi, qui potentiam suam ad nocēdum & debiles opprimēdos effundunt, subsisteret profectò eorum audacia, neque ad iram Dei prouocandam vltra tenderent. [a] Dominus populum in Ægypto afflictum & diris cruciatibus affectū è manu regis impii tandem eripuit, Exod. 14. e. 31. Iacobū quoque de manu fratris Esau, Gen. 33. a. 4. Iosephū à morte quā aduersus eum fratres eius intentauerant, Ibidē, 37. e. 18. Plenæ sunt huiusmodi exēplis Scripturæ, vt fiduciam inde discant quotquot à robustioribus & validioribus affliguntur. *Pauperem item & egenum à diripiente eum.* [b] Hoc est à violentis raptoribus & iniquis fideles suos seruat. Eiusdem rei repetitio aliis verbis.

11 *Insurrexerunt testes mendaces: quæ non noueram, interrogauerunt me.*

Insurrexerunt testes mendaces. [a] Ad verbū, Exurgent testes iniqui, seu violenti. [c] Futuro tēpore designat quid diu passus sit. [b] Exaggerat hostium suorū crudelitatem, [c] deplorās se calumniis ita fuisse oppressum vt defensioni locus non fuerit: quo nihil grauius & acerbius accidere potest ingenuis hominibus sibique bene cōsciis. Nec verò tantùm falsis criminibus se grauatum fuisse dicit, sed audaciā ac proteruiam in testibus accusat, quòd violenter surrexerint, [a] & manifestò calūniantes falsissimis criminibus ipsum apud Saulem insimulauerint. Huc pertinet quod addit, *Quæ non noueram, int.* [y] De eo quod non agnoscebam, vel de eo cuius conscius non eram, interrogabant me. [c] Non ergo fortunis tantùm spoliatus fuit Dauid, & in exilium indignè eiectus, sed etiam iuris prætextu oneratus infamia & probris. In has angustias cōiectus rectà se ad Deum cōtulit, innocentiæ suæ vindicē sperans: [a] sicuti iam dicētem eum audiuimus, Ne tradas me volūtati hostium meorū: quoniam surrexerunt in me testes mēdaces, & loquuti sunt iniquitatē, Suprà, 27. d. 12. [c] Ita filiis Dei ambulandum est per infamiam & bonā famā, 2. Cor. 6. b. 8. & patienter ferendæ calumniæ, donec eorum innocentiam Deus è cælo asserat. Nam quod olim prouerbio inter homines profanos iactatum fuit, Nullum pulchrius theatrum esse bona conscientia, magnificè quidem in eo loquuti sunt: sed fieri non potest vt quēpiam sustineat conscientiæ puritas, nisi ad Deum confugiat. [a] Cæterùm quàm noxii & periculosi sunt falsi testes, docent historiæ Naboth, Christi seruatoris & Stephani. Vnde mirū videri non debet si de hac iniuria non semel queritur Dauid.

12 *Reddunt mihi malū pro beneficentia: sterilitatē animæ meæ.*

Reddunt mihi malum pro beneficētia. [c] Rursus hostium malitiam exaggerat, quòd nō modò insontē & nihil tale meritū improbè vexabant, sed quòd multis magnisque beneficiis affecti, iniquissimam mercedē rependebant. Etsi autem hæc indignitas quoad sensum carnis maximè vulnerat probos homines, videturque minimè tolerabilis: dici tamen nō potest quātū hoc afferat solatii, vbi testari coram Deo licet nos officiis omnibus perfunctos esse quæ ad humanitatem flectere debēt hostium animos, sed eos implacabili sæuitia ad nocendum rapi. Deus enim barbaram hanc & feram ingratitudinem non sinit inultam. [a] Cauendum itaque nequis hoc tam fœdo ingratitudinis vitio inquinetur: quemadmodum Paulus dicit, Videte nequis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini tum erga vos inuicem, tum erga omnes, 1. Thes. 5. c. 15. *Sterilitatem animæ meæ.* [y] Orbitatem. sub. rependerunt. [c] Hac circunstantia melius exprimitur hostium Dauidis crudelitas, quòd mansueti & placidi hominis animam orbare conati sunt. hoc est, ita nudare & destituere vt desperatione obrutum perderēt. שכול siquidem orbitatem & sterilitatem significat: sed hic pro desolatione & bonorum omnium priuatione ponitur.

13 *At ego in ægrotatione eorū, vestimentum meum erat saccus: affligebam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinum meum reuertebatur.*

At ego in ægrot. [b] Hostium suorū crudelitatem & singularem perfidiam in eo taxat quòd canit se malis ipsorum indoluisse. [c] Nam quædam officia enumerat quæ sanctiora quædā mutui amoris vincula esse debebant, si quis apud eos vigeret æquitatis sensus. Non dicit autē se pecunia vel opibus eos iuuisse, vel fuisse aliis modis liberalem: (quia fieri potest vt manu exporrecta constrictus interdum sit animus) sed veri & serii amoris certiores notas profert, quòd non secus indoluerit coram Deo, & anxius fuerit eorum malis, quàm si lugeret matris mortē: deinque non aliter erga eos atque germanos fratres affectus fuerit. Quū iure ita sibi deuinctos teneret, quid hac ingratitudine fœdius, quòd rebus eius aduersis odii sui venenū in eum euomuerint? Quod ad verba, ægrotationē metaphoricè accipit pro quouis incōmodo vel tristitia. Significat enim Dauid, quoties illis malè esset, socium se doloris fuisse. *Vestimentum meum erat saccus.* [y] Hoc est, induebar sacco. *Affligebam in ieiunio animam meam.* [c] Saccum & ieiunium tanquam precationis adminicula posuit. Etsi enim pransi quoque orāt fideles, nec quotidie ieiunium sibi indicūt orandi causa, nec saccū induere necesse habēt quoties prodeunt in Dei conspectū: scimus tamē, vbi maior aliqua vrgebat necessitas, adhibita fuisse hæc exercitia: in clade publica vel periculo saccū omnes induebāt: & ieiuniū omnibus cōmune erat, vt simpliciter reatū suum cōfessi iram Dei placarēt. Siquis priuatim affligebatur, iisdē luctus insignibus se ad precādi ardorē stimulabat. Tantundē ergo valuit saccus in Dauide acsi reū se substitueret hostiū loco, qui infesti ruebāt in eius perniciē. Porro vt saccū & cinerē numeremus inter ritus Legales, hodie idē ma-

net apud nos ieiunii vsus. Quare si nos Deus ostensis iræ suæ signis ad pœnitentiam inuitat, meminerimus non modò preces solito more fundendas esse, sed addendos etiam stimulos qui ad humilitatem nos solicitent. *Et oratio mea in sinum meum reuertebatur.* [v] Sic quidam vertunt, propterea quòd veteres fere orabant incurui quum essent in luctu: atque ita precatio quasi in sinum reuertebatur. Si ita accipias, nõ tam precationẽ quàm habitum precandi Psaltes hac oratione expressit. Hanc nonnulli, In precationibus curuabar. alii, Reuertatur. acsi dicat, Adeo bene precabar vt orationẽ meam redire velim in memetipsum, vt siqua malè illis imprecatus fuero, in me recidant. [c] Verùm Dauid dilectionis suæ testem facit precationem, quam se in sinum fudisse narrat. Nam hic genuinus est sensus, quòd non ambitiosè vota sua corã hominibus iactauerit (vt multi longè plus ostentant quàm in animo lateat) sed tacitè secum & remotis arbitris precando testatus sit quàm sincerè & ex animo doleret. Sicut enim eos dicimus gaudere in sinu qui arcano & interiore sensu contenti sunt, ita etiam in sino flere & precari aptè dicetur qui suas lachrymas & vota in aerem non spargit ad captandam hominum gratiam, sed contentus vno Deo teste, affectus suos apud se continet. Quanquam non negamus hac loquendi forma notari precantis gestum: acsi diceret, capite demisso & complicatis brachiis (vt mœsti solent) corpus se curuasse ad orandum. sed tenẽdum præcipuè eius consilium est, quòd in votis nihil fictum fuerit. Quòd quibusdam videtur esse obtestatio, & hunc sensum eliciunt, Domine, nisi illis prospera omnia optauerim, quicquid mali est, in meipsum vertatur, coactum est. Nihilo etiam plus coloris habet altera expositio, Quia pro ipsis orando nihil profeci, fructus orationis ad me reuersus est. Propius ad mentem Prophetæ & verba hoc accederet, Non secus pro ipsis ac pro me oraui. Sed quod suprà retulimus de arcano affectu, sanis lectoribus (vt speramus) satisfaciet. [m] Sed oritur hic quæstio, Quum hic dicat Dauid se pro afflictis aduersariis suis orasse, cur tanta vehementia hoc Psalmo contra eos vindictam & vltionem diuinam solicitat? Responsio, Pro impiis orant sancti, sed donec sperare possunt pœnitentiam & resipiscentiam. postquam verò viderint eos desperatos, magis id orant quod facit ad gloriam nominis Dei. Id fecit hic Dauid.

14 *Tanquam amicus, tanquam frater meus [esset, sic] ambulabam: tanquam lugens matrem, pullatus humiliabam me.*

Tanquam amicus, tanquam frater meus. [a] Hoc est, habui eos & tuli vt amicissimos, [c] nec secus erga eos versatus sum acsi quisquam eorum mihi fuisset frater. *Tanquam lugens matrem.* [c] Alii, Iuxta luctum matris. Quidam Hebræi exponunt hic אבל pro puero lugente matrem suam. sic (inquit Dauid) ego dolui, & tristis incessi, quum illis aliquid aduersi accidisset, atque filius pullatus, quum luget matris mortem. Alii hunc sensum faciunt, Vt super filium mater dolet & angitur, sic pro inimicis meis fui solicitus & humiliatus. sed prior expositio Hebraico contextui melius quadrat. *Pullatus humiliabam me.* [v] Incuruabar. id est, tristis deiecto capite incedebam, vt qui mœsti sunt. [a] Summam animi angustiam his verbis significare Vates voluit. [m] Quo exemplo docemur quàm non sit hominis pii calamitatibus humanis, etiam eorum qui mali sunt, non condolere.

15 *Sed [ipsi] in claudicatione mea læti sunt, & congregauerunt se, congregauerunt se [inquam] aduersum me abiecti, nec sciebam: sciderunt [labia, & non siluerunt.*

Sed ipsi in claudicatione mea læti sunt. [v] Quoniam claudicationis voce vsus est Propheta, [a] diuinant quidam eius Dauidi fuisse luxatum alii ex morbo claudicasse somniant. [c] Sed siquis totum contextum expendat, nihil clarius est quàm notari casus aduersos. acsi dixisset, Simulac labascere me viderunt & ruinæ propinquum, quasi facto concursu simul conati sunt me prorsus euertere. Ergo hic eadem fere metaphora est quæ nuper in voce morbi, versu 13. Fuit autem hoc nimis truculenti furoris, quum sæpe in hostium suorum infortunio mansuescant homines, vt miseros odisse vel persequi desinant, veteres Dauidis amicos eius deiectione ad insultandi proteruiam accendi. *Et congregauerunt se.* Paucos quidem initiò designauit: sed nunc promiscuũ & ignobile vulgus adiungit, augẽdæ indignitatis causa. non quòd peræquè accuset omnes, sed vt melius pateat quàm hostiliter fuerit oppugnatus. Credibile enim est, qui tunc rerum potiebantur, faces ad excitandum commune incendium fuisse, vt certatim populus ad Dauidem perdendum manus tolleret. [b] Ergo dicit eos conuenisse non quidem vt amicorum officium præstarent, (quod ipse, dum affligerentur, præstiterat illis, & illi forsan etiam simularunt) sed conuenisse contra se, vt suam quisque alteri lætitiam manifestarent, & viderent quid sibi de casu eius sperandum esset, atque ita omnium ludibrio exponeretur. *Congregauerunt se aduersum me abiecti.* [c] Bis repetit fuisse congregatos, ad notandam pertinaciam. nisi fortè ita resoluere libeat, Congregati sunt non modò quibus aliquis prætextus erat, sed vsque ad cõtemptissimos. נכים propriè dicuntur flagellati vel percussi: sed rectè accipitur hoc nomen pro hominibus probrosis vel contemptis. Quanquam nonnulli interpretes à כאב deducunt, quod est dolore afficere, & actiuè exponunt, Dolorem inferentes. sed prior ille sensus melius congruit, Dauidem à sordida plebis fæce cõtumeliosè fuisse tractatum. *Nec sciebam.* Vel, non noui. Hæc particula tam ad causam quàm ad personas referri potest: rectius tamen de personis intelligitur, hoc sensu, Tantum abest vt queri possint aliqua iniuria se fuisse à me lacessitos, vt mihi prorsus sint ignoti. Simul autem inclusa erit querimonia, quòd populus nulla ratione insaniat, quando nullius sceleris sibi sit conscius Dauid, nec suspicari possit vnde tantum odium. [a] Affirmat igitur se nihil tale de eis fuisse suspicatum. Boni enim ex sese de aliis iudicantes, ab omnibus meliora expectant. *Sciderunt labia, & non tacuerunt.* [c] Ad verbum est, Sciderunt, & non tacuerunt. Sed scindendi verbo non dubium est metaphoricè notari oris apertionem. acsi diceret, labiis distentis petulanter sua conuitia iactasse. Et quod addit non tacuisse, repetitio est Hebræis trita, ad vehementiam exprimendam vel excessum. acsi diceret, maledictis nullum fuisse modum vel finẽ, dum pleno gutture improbi homines quicquid in buccam venit profundunt, [a] & hominẽ innoxium variis criminibus & contumeliis grauare non cessant.

16 *Inter perfidos subsannatores subcinericii panis frendendo aduersum me dentibus suis.*

Inter perfidos subsannatores. [c] Quidam vertunt, Cum hypocritis: sed simpliciter narratur à Dauide conspiratio hostium. Et summa est, inter homines dolosos & ad fallendum natos, deinde proiecti pudoris, vnũ hoc assiduè agitari, quomodo miserum hominem perdant. Atque nunc redit ad duces & capita, ex quibus malum oriebatur: quia hoc elogium in magnam plebis partem, quæ agebatur inconsiderato motu, non congrueret. Disertè igitur aulicos proceres aliósque non absimiles accusat sæuitiæ, quòd velut rabidæ feræ dentibus contra se frendant. Primo autem loco perfidos vocat, vel sceleratos, quò facilius opem & auxilium à Deo impetret, vt in vltima necessitate vocans. deinde subsannatores significat perfricta fronte, & omni verecundia excussa proiectos esse ad quiduis audendum. [a] Liquet ergo sanctum virum hic queri peruersos, abiectos leuesque homines de malis suis lætatos esse, & sibi illusisse. Id quod Chaldæus vidit: sic enim versum hunc reddidit, Verbis delusoriis & superbis & derisoriis strinxerunt super me dentes suos. *Subcinericii panis.* [c] Vox מעג propriè significat panem in foco sub cineribus coctum. Quidam tamen, quia sensum appositum elicere non poterant, sumi putarũt pro garrula dicacitate vel sermone ocioso. Alii longius recedere ausi sunt, quòd dicatur eis subsannatio esse loco panis, quia scilicet pascant se & oblectent sannis & ludibriis. Sed propria nominis significatio retinenda videtur. Quãquam potest adhuc duplex esse sensus. Quidam enim מעג sumentes pro placenta, putant hic perstringi ligurritores, qui lautas & opiparas mensas aucupabantur: quales semper multi in aulis principum circumuolitant. Aliis verò magis placet seruiles & sordidos homines perstringi, qui minimo linguas suas ad maledicendum addicerent: sicuti omnibus seculis reperti sunt qui frusto panis (vt loquuntur) linguas venales prostituerent. Sed, aliis locis expensis, vbi Dauid ingenia morésque hostium suorum describit, hæc probabilior videtur coniectura, mensarios scurras notari, qui inter pocula de eius cæde disputabant. Conqueritur ergo inter delicias cœnarum agitatos de sua nece sermones fuisse ab impiis, qui pudorem omnem abiecerant. *Frendendo aduersum me dentibus suis.* [a] Q. d. Extremum malum moliuntur, de nece mea consultabant inter se. [v] De aduersariis Stephani dicitur, Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebãt dentibus in eum, Act. 7. g. 54. [a] Hæc loquutio extremum contemptum significat & inuidiam maximam. [a] Obseruemus autem, non Dauidem solum, sed & Deum seruatorem nostrum ab hoc hominum genere plurima passum. quare nos decet nihil stupescere dum eadem obuenerint.

17 *Domine vsquequo videbis? eripe animam meam à tumultibus eorum, à leonibus vnicam meam.*

Domine vsquequo videbis? [v] Sub. istud, & cõniuebis? [a] Quanquam particula כמה (pro qua Quousque vertũt) apud Hebræos ambigua est, Latinè significat, Quousque videbis, vt tacitus cesses? Sed æquè quadrabit altera versio, Quando tandem post longam dissimulationẽ videre incipies? Cæterùm eòdem redit sententia. Cõqueritur enim Dauid de tolerãtia Dei, quòd nimis cõniueat lasciuientibus impiis, vindictámque suspẽdat. [a] Acsi Vates diceret, Domine quãdiu feres indignitatẽ rei, [v] nec feres opẽ, &

depelles istorum improbitatem? Etsi autem Deus fideles iubet quieté expectare dum ipse maturum ferendi auxilii tempus esse iudicet, permittit tamen vt moræ tædium, quo vruntur, in precibus deplorent. Simul ostendit se non importunè præcipitem ferri sali desiderio, sed quia vltimis angustiis cogitur. Addit enim, *Eripe animam meam.* [a] Retrahe, reuoca, reduc animā meam. *A tumultibus eorum.* Alii, A desolationibus: alii, A calamitatibus eorum, [b] vel ab insidiis quas intentant. *A leonibus vnicam meam.* Hæc omnia extremam angustiam notant. [c] Nam & tumultuosè ipsos vitā suam impetere dicit, & leonibus comparat, & animam suam vocat solitariam. [a] Nam qui vnicam accipiunt pro chara & pretiosa, non satis attentè reputant mentem Dauidis, sicuti suprà, 22.d.21, dictum fuit. Sensus est igitur, A b omnibus derelictum consoleris, & periclitantem inter sæuos inimicos defendas ac vindices.

18 *Celebrabo te in cœtu magno, in populo multo laudabo te.*

Celebrabo te in cœtu magno. [a] Versus iste votum habet celebrandi nominis Dei coram multitudine. Hoc in primis optant sancti: quia Deum ex toto corde diligunt, & norunt se nullam prorsus posse Deo gratiam referre, à quo accepisse sese agnoscunt quicquid boni vel cogitant: [c] & quia nihil est quod rependant Deo præter sacrificium laudis, sicuti infrà, 116.c.17, videbimus. Hoc etiam modo ad impetrandi fiduciam se animat, dum in mediis curarum & discriminum fluctibus quasi iam voti compos, in gratiarum actionem erumpit. In quo perspicitur inuictæ fortitudinis testimonium, quòd profugus & extorris, nudatus omni auxilio, denique in summa desperatione, tamen adhuc de laudanda Dei gratia cogitet, votáque nuncupet solennis sacrificii, acsi in mortis tenebris fulgeret liberatio. Nec tantùm de priuata gratiarum actione loquitur, sed quam erepti ex maximis periculis, ex præscripto Legis edere solebant in cœtu publico. *In populo multo laudabo te.* Quidam vertunt, In populo forti aut robusto: & argutè excogitāt magna virtute præditam esse Ecclesiam: ideóque vocari populu fortem. Sed quū simpliciter Dauid frequentiam & multitudinem populi designet quæ ad sacros cōuentus agendos in sanctuarium ascendere solebat, dubium non est quin suo more bis idem repetens, post magnam Ecclesiam subiiciat populum multum. Nam Hebraicum nomen vtrunque significat. [a] Sic alibi dicebat, Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te, Suprà, 22 e.23. Et, A te laus mea in cœtu magno, vota mea reddam coram timentibus eum, Ibidem, f.26.

19 *Ne lætentur qui inimici mei sunt immeritò: neque odio habentes me sine causa, innuant oculo.*

Ne lætentur. [c] Quia ex ruina & interitu Dauidis tripudium captabant hostes, [b] precatur hoc versu ne permittat Dominus vt de successu suo contra innocentem gaudeant, & voluptatem de malo suo percipiant, [a] tàmque improbo voto indulgeant. *Qui inimici mei sunt immeritò.* [a] Vt Deum suæ causæ propitium habeat, iterum testatur nulla sua culpa se illis exosum esse, sed mera prauitate impulsi ad tam crudelem affectum. Magni enim interest bonæ conscientiæ testimonium afferre coram Deo, vt sit ad nos iuuandos propensior. Nam quòd שקר quidam accipiunt pro fallaciter, acsi insidiosos hostes hac voce notaret Dauid, nimis argutè philosophantur: ac repetitio quæ mox sequitur, ostendit Dauidem conqueri de voluntario ipsorum odio, quòd homini amico & bene merito nulla offensa prouocati sponte infesti essent. *Odio habentes me sine causa.* [a] Sæpe queritur Dauid se odio habitū ab hostibus sine causa, vt suam innocentiam testetur. Vide 69.a.5, & 119.16. *Innuant oculo.* [y] Colliment oculo. Alii, nictent oculo. [c] Nam קרץ hic accipitur pro nictare limis oculis per ludibrium: sicuti supr. 22.b.8, caput mouere, & diducere labia.

20 *Quia non loquuntur pacem, & super scissuras terræ verba fraudulenta cogitant.*

Quia non loquuntur pacem. [y] Futurum Hebræum pro præsenti. [c] Rursus declarat sibi negotium esse cum implacabili hostium genere, & ad sæuitiam prorsus obstinato, quò plus fiduciæ de propinquo sibi auxilio cōcipiat. Sic enim statuere cōuenit, quo duriùs vrgemur, eo certiùs sperandam esse liberationem. Dicit igitur nihil sonare præter tumultus & cædes. [b] Q.d. Insidiantur modis omnibus, & dolos struunt, hominem innoxium penitus perdere cupientes. *Et super scissuras terræ verba fraudulenta cogitant.* [a] Hæc sententia subobscura est, propter dubiam significationem nominis רגע. Nam quum eius radix nunc scindere, nunc quiescere significet, quidam vertunt Mansuetos terræ: alii autem, Cum quietis terræ. ac intelligunt pingues & saturos, qui placido otio fruuntur. sed vtrique videntur sensus coactos accersere. Nihilo etiam alii rectius exponūt, In cauernis vel locis abditis: ne scilicet praua & versuta eorum consilia pateant. Atqui aptissima metaphora per scissuras terræ intelligere licebit homines calamitosos, qui velut fracti sunt ac mutili. Dicit igitur Dauid, hostes suos, simulac rupturam aliquam patere vident, toto conatu incumbere ad euersionem. Nam qui contra Dauidem integra & florēte eius fortuna ne mutire quidem vnquam ausi essent, labenti exitium machinari cœperunt: vt sciamus impios homines seruili ingenio & timidos vt plurimum esse, neque efferri ad ferociam nisi quum ex bonorum & simplicium ærumnis oblata est occasio.

21 *Et dilatauerunt aduersum me os suum: & dixerunt, Euge euge, vidit oculus noster.*

Et dilatauerunt aduersum me os suum. [y] Et distenduor, dilatant os suum. id est, aperto ore aduersus me loquuntur. [a] Vel os suū distendunt cōtra me, ob nimiam scilicet de casu meo lætitiam. *Dixerunt, Euge euge.* [m] Vox Hebræa interiectio est gaudentis, aut magis insultantis. [a] Vide infrà, 40.d.16, & 70.a.4. *Vidit oculus noster.* Subaudi, quod diu optauimus. [c] Isti ergo distento ore clamantes inducuntur, Euge euge, & sibi cum plausu gratulantes, quòd Dauidem viderint prostratum iacere, atque ita læto spectaculo potiti sunt. [a] Talem de seruatore triumphum egerunt Iudæi, quum iam esset sepulchro demandatus: sed quanto suo malo? Eadem iam sors & nos manet, si modò libeat hæc simul mala perferre.

22 *Vidisti Iehoua, ne taceas, Domine ne elonges te à me.*

Vidisti Iehoua. [y] Aut per præsens, Vides, sub. iniurias quibus me afficiunt. [b] Nosti quales sint inimici mei: ne dissimules. [c] Subest autem antithesis inter hunc Dei aspectum, & illum priorem, de quo sibi plaudebant improbi. acsi diceret, Vos cupidè hauritis meas miserias: atqui Deus quoque oculatus est ad notandam sceleratam eorum malitiam qui tam crudeliter pascuntur alienis incōmodis. [a] Non poteritis illius iudicium effugere qui citò vindictam faciet electorum suorum. [a] Quanquam Dauid cum suis hostibus non disceptat: quin potius recta se ad Deum confert, & machinis illis quæ diruere eius animum quatefacere poterant, Dei prouidentiam instar valli opponit: [a] sciens id verissimum esse quod alibi cecinit, Oculi Domini super iustos, & aures eius ad clamorē eorum: vultus Domini super facientes malum, vt deleat è terra memoriam eorū, Suprà, 34.c.16. [a] Magna ergo consolatio est in verbo Vidisti. Hanc enim significationem habet, Vtcunque hactenus, præualentibus mihi improbis istis, visus sis non videre quæ mihi iniqua & atrocia fecerunt, scio tamen te vidisse omnia, eóque tandem iudicium de me facturum, & ius meum adserturum. Id ergo vt facias oro. [c] Et certè hæc demum solida munitio est contra hostium ludibria, vbi illis omissis mentes nostras ad Deum colligimus, & paterna erga nos cura eius freti, petimus vt reipsa declaret sibi nō incognitas esse molestias nostras: imò quo feruentius inhiare videt improbos ad nostram perniciem, celerius ad opitulandum accurrat. Quod pluribus loquēdi formis exprimit Dauid. *Ne taceas.* [a] Ne dissimules. *Domine ne elonges te à me.* Sic alibi, Et tu Domine, ne procul absis, fortitudo mea ad auxilium meum festiua, Suprà, 22.c.20.

23 *Excita te, & euigila ad iudicium meum Deus mi & Domine mi ad causam meam.*

Excita te. [y] Exurge. *Et euigila ad iudicium meum.* Vt ius mihi dicas. id est, vt ius meum vindices. De anthropopathiis istis, Vidisti, ne sileas, ne elongeris, excitare, euigila, vide suprà, 7.b.7, & 10.c.12, & 28.a.1. [a] Has verò voces rite emittere potuit Dauid, qui iam persuasus erat pauperes & afflictos à Deo respici, & obseruari omnes iniurias. Ergo, vt ritè composita sint vota nostra, fulgeat in cordibus nostris primùm necesse est fides prouidentiæ Dei: nec tantùm ordine præcedat omnes affectus, sed etiam temperet ac dirigat. [a] vt Deus tandem nostri misertus, à malis, quæ iustè alioqui patimur, gratuito suo fauore nos eripiat. *Et Domine mi ad causam meam.* Q.d. Quando inter homines non est iudicio locus, tu pro tua benignitate ius meum tuere, & à persequutoribus iniquis eripe me.

24 *Iudica me secundum iustitiam tuam Iehoua Deus mi, & ne lætentur de me.*

Iudica me secundum iustitiam tuam. [y] Ius mihi redde. id est, pronuncia de iure meo. [c] Confirmat proximā sententiam, vt Deus iuris sui patronus sit atque assertor. Nam quia ad tempus quasi neglectus iacuerat, iustitiā Dei sibi proponit, quæ nō patitur vt iustos ad extremū deserat. Quædā igitur obtestatio est, vt Deus, quia iustus est, seruū suum in bona causa defendēs, documentū edat suæ iustitiæ. Et certè vbi omni auxilio priuati exclusique

videmur, nullum est vincendæ tentationis efficacius remedium quàm Dei iustitiam non posse excidere, ex qua pendet nostra liberatio. Sic Paulus, vt fideles ad patientiam hortetur, Iustum, inquit, est apud Deum rependere iis qui vos affligunt, afflictionē, 2. Thess. 1. b. 6. [a] Notādum verò est iustitiam Dei hoc loco non significare Dei seueritatem, à qua quidam dicunt se ad misericordiā eius prouocare. Nam iustitia, summa bonitas est. Secundum hanc ergo orat se hic sanctus iudicari, nequaquam secundum seueritatē. neque enim hanc etiam collatus hostibus ferre potuisset. Etsi enim minus pœnarum, tantum tamen dare eum, seuerè iudicante Deo, oportuisset, vt vires eius infinito superassent. At Dei bonitas amplexu ipsum erat, suique studium indiderat. Hinc par erat vt quod in ipso cœperat perficeret, & peccata eius condonaret, quando & ipsum eorum pœniteret ac pigeret: hostes autem extingueret, qui non tam Dauidis quàm omnis boni hostes erant, & Deum planè pro ludibrio habebāt. [a] Simile quid quum Propheta diceret, Euigila super me ad iudicium quod mādasti, Suprà, 7. b. 7. *Et ne lætentur de me.* [c] Rursus Dei iustitiam appellat hac in parte, vt compescat hostium insolentiam. Nam quo superbius insultāt, eo Deus paratior est ad succurrendum.

25 *Ne dicant in corde suo, Euge animæ nostræ: neque dicant, Disperdidimus eum.*

Ne dicant in corde suo, Euge. [y] Vah anima nostra. vel, vah votū (siue desiderium) nostrum. q. d. Pro voto successit. נפש enim significat etiam votum & cupiditatem: [a] veluti quum dictū est, Ne tradas me in animam infestantium me, Suprà, 27. d. 12. Id est, ne permittas me eorum libidini: vel, ne tradas me eorum desiderio. [c] Itaque Dauid graphicè hostium suorū ferociam depingit, loquentes iterum inducens: vt ostendat, si pro libidine eorum succedat, nullum proteruiæ modum facturos. Quia autem tanto magis in se prouocant Dei vindictam quanto se magis efferunt, non immeritò Dauid hoc argumento spem suam erigit, precésque suas sancit & obsignat. *Neque dicant, Disperdidimus eum.* [y] Vorauimus eum. [b] Q. d. Assequuti sumus quod voluimus. [a] Actum enim est de eo.

26 *Pudore afficiantur, & erubescant pariter læti malo meo: induantur pudore & erubescentia magnificantes se super me.*

Pudore afficiantur. [a] Vt versu quarto huius Psalmi, ita & hic orat vt pudore afficiantur improbi sui hostes, frustrati scilicet spe sua, & irritis factis impiis eorum conatibus. *Erubescant pariter.* [c] Subest emphasis in voce Pariter, vel simul. Nam etsi bellum à magna turba motum fuisse ostendit, neque tamen se exanimari terrore, quin statuat, simulac Deus manum sustulerit, omnes ad vnum posse vno ictu facilè prosterni. [a] Eo igitur non tam vota quàm suam in afflictione consolationem canit: ita futurum enim credebat. quùmque id memoraret, & Dominum vt id præstaret precaretur, mirum in modum animo confirmabatur, inque spem optimam erigebatur. *Læti malo meo.* [a] Quum dicuntur Dauidis malum appetere, in eo crudele odium apparet. [a] Nam pii, quum eodem dilectionis vinculo sint inter se colligati, tantum abest vt de alterius malo voluptatem capiant, vt alienis ærumnis grauiter afficiantur, ac etiam sæpe ingemiscant. sicuti versu huius Psalmi 13 ostensum fuit. *Induantur pudore & erubescentia.* [y] Et ignominia. [a] Valet hæc repetitio ad rei certitudinē & fidei Dauidis ampliorem confirmationem. *Magnificantes se super me.* Attollentes sese. [c] Quòd se extollunt vel magnificant, signum est superbiæ. Ergo vt Deo exosos reddat Dauid, cōtumelia & fastu plenos esse dicit. Iā quū à Spiritu sancto dictata fuerit hæc precandi forma, superbos omnes haud dubiè manet exitus qualis hic prædicitur, vt cum pudore & ignominia retrorsum abeant. Vide suprà, 6. c. 11.

27 *Laudent & exultent qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Iehoua, qui vult pacem serui sui.*

Laudent & exultent qui volunt. [y] Ouent, iubilent. [c] Commodè etiam hæc duo verba in futuro tempore vertere liceret non minus quàm in optandi modo: sed in eo parū est momenti. Dauid enim à fructu commendat quam sibi optat liberationem à Deo: quia scilicet communis erit piis omnibus gaudii & bonæ spei materia, simulque ad canendas Dei laudes ipsos excitabit. *Qui volunt iustitiam meam.* [y] Qui delectantur iustitia mea, qui fauent iustitiæ meæ. [a] Ostendit etiam fuisse qui se, quamlibet abiectum, adhuc ob iustitiæ studium dilexerint, & fœlicia sibi optarint: quos, vt Dei filios, par erat pii voti sui fieri compotes. quod quum oraret & ipsum, fiduciam sibi auxit. [c] Itaque fidelibus hunc affectum tribuit, quòd ius hominis innoxii saluum manere cupiant. Et certè hoc humanitas postulat, vt quoscunque iniustè cernimus affligi, si iuuandi ratio non suppetit, saltem fauore prosequamur. *Et dicant semper, Magnificetur Iehoua.* Hoc est, benedicat semper tuo nomini, celebrent perpetuò tuam immensam bonitatem. *Qui vult pacem serui sui.* Id est, cui placet vt seruus suus rerum successu fruatur. [b] Nam Pacis nomine omnium rerum successus in Scripturis significari solet. Ita quum Ioseph rogaret, Estne patri meo pax? (Gen. 43. f. 27) dicere voluit, Nunquid rectè habet pater, & rerum successu fruitur? De hac pace vide suprà, 4. b. 9, & 27. b. 3. [c] Porro Dauid magnificentiam Dei videtur tacitè opponere impiorū fastui, cuius versu præcedenti meminit. Quia enim omnia audendo gloriam Dei, quantum in se est, obscurant, optima ratione votum hoc ex opposito cōcipiunt fideles, vt reluceat Dei maiestas, dum re ipsa demonstrat seruorū suorum curæ se tangi, sibique cordi esse eorum pacem.

28 *Et lingua mea loquetur iustitiam tuam, omni die laudem tuam.*

Et lingua mea loquetur iustitiam tuam. [y] Meditabitur, resonabit. [a] Eadem voce הגה (id est, meditari & loqui) vsus est Propheta suprà, 1. a. 2, & 2. a. 1. [c] Repetit autem hac clausula, quibus par est laudibus se Dei iustitiam celebraturum, qua seruatus fuerit. [m] Videmus hic qua sint fiducia & spe præditi sancti in mediis afflictionibus, potissimùm quum ad Deum orant. Sperat Dauid se non deserendum, sed fore aliquando vt magna animi gratulatione sit cantaturus laudē & prædicaturus bonitatem & iustitiam Dei: quin & eos quos credebat sibi beneuolos esse, amaréque iustitiam, & de sua innocentia gaudere, olim gauisuros ac laudaturos bonitatem Dei, qui suos non deserat. *Omni die laudem tuam.* Q. d. Gratias agam sine cessatione, nunquam obliuiscar beneficentiæ tuæ. [a] Conuenit cum eo quod iam vidimus, Benedicam Dominū in omni tēpore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34. a. 2. Et iterum, Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero, Infrà, 146. a. 1. [a] Hinc autem & nos discamus, toto die (hoc est semper) Domini iustitiam, hoc est absolutissimam bonitatem deprædicare, de ea loqui perpetuò. Nihil enim est quod vel æquè nos Dei filios deceat, vel cum maiore fructu fecerimus: siquidem salus nostra in amore studióque Dei sita est,

ARGVMENTVM PSAL. XXXVI.

[c] DAVID ab improbis & sceleratis grauiter vexatus, de eorum prauitate conqueritur: tum deinde confugit ad immensam Dei bonitatem, quæ non solùm promiscuè cunctos mortales, sed peculiariter filios suos prosequitur: vt in hac fide respiret, quòd Deo propitio tandem liberabitur. Quod patet ex clausula, vbi se Dei præsidio saluum fore reputans, contra omnes impiorum insultus sese armat ac munit, ac illorum casum simul prædicit.

PRAEFECTO, *serui Iehouæ Dauidis.*

Præfecto, serui Iehouæ Dauidis. [c] Cur hic tantùm & suprà, 18. a. 1, ornetur Dauid titulo serui Dei potius quàm alibi, incertum est. [a] Hoc tamen putant Hebræi voluisse eum significare, quamlibet multum deplorati, quique nullum Dei timorem habent, rebus secundis vtantur, ipse autem & multi alii pietatis studiosi, innumeris aduersis exerceatur, se nihilominus in studio obseruationéque Legis diuinæ perseuerare, & sese seruum Iehouæ approbare. [y] Scimus enim quam rara sit virtus, vbi impune grassatur impietas, & caliginem nobis offundit, suspicere fidei oculis Dei prouidentiam, quæ animis nostris ad patientiam compositis, constanter nos in pietate retineat.

1 *Dicit impietas scelerato in medio cordis mei, Non [est] pauor Dei ante oculos eius.*

Dicit impietas scelerato, in medio. [m] Hic versus obscurus est & variè redditus. [a] Ad verbum est, Dictum transgressionis, vel, Dicit transgressio impio. Quia tamen litera ל interdum pro מ sumitur, vertūt quidam, Impietas de scelerato loquitur in corde suo. acsi diceret Propheta se penitus sensire ex sceleribus quæ perpetrant impii, nullo ipsos tangi Dei timore. Sed quia à verborum proprietate discedere opus non est, rectius alii sentiunt, quòd scilicet Propheta dicat malitiā impii hominis, quæ videtur latere incognita, clarè in corde suo loqui, séque certum esse testem quid ipsa suggerat. Ac primò quidem notandum est non de externis sceleribus loqui Prophetam, sed penetrare ad fontem ipsum. acsi diceret, Quamuis astuta simulatione tegant impii suam malitiam, mihi tamen satis comperta est,

vt mihi videar eam loquentem audire. Verum quidem est, quia ruunt impii & profani homines in omne scelerum genus, acsi nulla vnquam reddēda esset ratio, tale ex eorum vita iudicium posse ferri: sed hoc expressius est, quòd interior ipsorum peruersitas seruis Dei apertè se prodat. Loquitur autem Dauid non de quibuslibet, sed de perditis Dei cōtemptoribus. Multi enim lasciuiunt in suis vitiis, quos tamen non occupat hic væsanus furor. sed vbi obduruit quispiam ad peccandum, tādem impietas hanc ei socordiam dictat, vt, contempto Dei iudicio, sine metu perrumpat quocunque libido impulerit. Itaque peccandi securitas, præsertim vbi accedit contēptus & ludibrium, quasi Satanæ fascinum est quod hominem desperatum prodit. [a] Etsi autē vera religio pias mentes continet in Dei timore, & impias cogitationes procul arcet, hoc tamen nō obstat quominus in corde suo perspiciāt horribili furore agitari impios, dum nec Deum curant, nec iudicio eius tanguntur. [a] Dicit itaque Dauid, Scio, & sic cogito apud me & in animo meo, improbitatem suggerere impio, Nihil est quòd timeas. *Non est timor Dei ante oculos eius.* Malarum suggestionū finem Vates breuiter demonstrat, nempe vt sensu boni & mali extincto vel soffocato, improbi quiduis audeant, acsi non sederet Deus in cælo iudex. [a] quemadmodum alibi dictum est, Impius in altitudine naris suæ nō exquirit: omnes eius versutiæ, Non Deus, Suprà, 10. a. 4. Et, Dixit in corde suo, Non nutabo in generationem & generationem: quia non in malo, Ibidem, b. 6. [c] Sensus ergo est, Sceleratū hominem alloquitur impietas, in corde meo, eum ad extremā væsaniam solicitans, vt abiecto Dei metu se ad peccandum proiiciat. hoc est, Non secus mihi notum est quicquid volutant impii in corde suo, acsi Deus me testem & arbitrum locasset ad retegendam hypocrisim, qua detestabilem suam malitiam profundè sepultā esse putant. Quòd ergo nulla Dei reuerentia impios cohibet à peccādo, ex occulto isto alloquio oritur quo eos dementat sua prauitas, vt brutorum animalium instar sibi indulgeant. Quia oculi sunt quasi vitæ duces, & alios sensus motu suo huc & illuc trahunt, ideo dicitur timor Dei esse ante oculos, quum vitam hominum regit, ac quocunque se vertunt occurrens, obiectu suo libidines refrænat. Ergo contraria loquendi forma significat Dauid, sine Dei respectu licentiosè vagari impios: quia eos excæcauit sua prauitas. [a] Hoc ipsum testantur passim Prophetæ, qui etiam abditas impiorū cogitationes tanquam sibi probè perspectas in lucem proferunt, quò acrius illi pungantur ac pudefiant. Qua de re vide Esa. 18. d. 15.

3 *Quoniam blanditur sibi in oculis eius, donec iniquitas eius inueniatur ad odium.*

Quoniam blanditur sibi in oculis eius. [a] Vt impii nullam Dei rationem habent, ita sibiipsis impendio placent atque adulantur. [c] Itaque à fructibus vel signis ostendit Propheta nullum vigere Dei timorem apud impios: quia in sceleribus ita se oblectāt, vt aliis omnibus execrabiles, foueant tamē suam pertinaciam, séque vltro ad pergendum obdurent. Primò dicit eos blanditiis alere sua vitia, ne sibi peccando displiceant. [a] Quod verissimum est. Nam prauis cupiditatibus indulgentes, securè se ab omni reatu absoluunt: quemadmodum alibi vidimus, Quia se laudat impius super desiderio animæ suæ, & violentus sibi benedicit: spernit Iehouā, Suprà, 10. a. 3. [c] Sed quum additur, *Donec iniquitas eius inueniatur ad odium,* his verbis notatur extrema obstinatio. Sensus enim est, dum sibi falsò adulantur, hucusque progredi vt eorū iniquitas sit omnibus execrabilis, [a] & summo Dei & hominū odio obnoxia palam deprehēdatur. Nam & hominibus paulo rectiore iudicio præditis intolerabile habetur siquis sua scelera laudet. [c] Vertunt quidam, Vt ipse suam iniquitatem ad odium inueniat. acsi diceretur, [v] Præuaricatio seu impietas lenibus verbis suadet impio vt suam peccandi voluntatem expleat, designet iniquitatem quam cupit, ad odiendum illam, hoc est ad odium vsque & fastidium. [c] Intelligit ergo intēperanter impios ruere, donec ex satietate obrepat fastidiū. Nemo enim adeo nequā est quin sibi interdum displiceat. Alii ad Deum referunt, hoc sensu, vt Deus huiusmodi iniquitatem iratus iudicet, & non dimittat, sed imputet. Sed primus ille sensus genuinus est, impios, quāuis impiis omnib9 sint exosi: (quia eorū iniquitas patefacta & deprehensa bilem omnibus mouet) nulla displicētia tangi, quin potius sibi plaudere dum eos populus exsibilat, & scelestam eorū vitam exhorret. Hāc igitur amentiam in illis dānat Propheta, quòd eos non moueat scelerū suorum fœditas, quæ omnes offendit: quia omne boni & mali discrimen, quantū in se est, abolent, ac suæ conscientiæ stuporem inducunt, ne illos ad resipiscētiam stimulet. [a] De hoc vnicè tenaso sibi malo questū Deum legimus apud Prophetā dicentē, Agnitio vultus eorū testificabitur contra eos, & peccatū suum sicut Sedom annuntiauerunt, & non absconderunt, Esa. 3. b. 8. [a] Et alibi, Qui lætātur facere malum, & exultāt in peruersitatibus mali, Prouerb. 2. c. 14. Et Paulus dicit, Qui posteaquā peruenerunt eò vt dolere desierint, semetipsos dediderūt lasciuiæ, ad patrādam immunditiam omnē cum auiditate, Ephes. 4. c. 19. [c] Attentè certè considerandus est hic stupor, quòd homines in sensum reprobū coniecti, dum in se prouocant omnium mortalium odia, malorum tamen suorum sensu priuati sunt. [a] Inuenire hic est deprehendere palàmque odio dignam prauitatem cognoscere.

4 *Verba oris eius [sunt] iniquitas & dolus: desiit intelligere ut bene agat.*

Verba oris eius sunt iniquitas. [a] Pergit fructus tantæ peruersitatis canere. [m] Q. d. Quid in corde gerat impius, testantur verba oris ipsius. *Desiit intelligere,* [v] Desiit instituere cor suum, renuit erudiri: vel, detrectauit intelligere. [c] Vtrunque mēbrum huius versus eòdē referri potest, quòd scilicet impii mendaciis ludentes, nullam intelligentiæ lucē admittant. Et certè hanc esse Dauidis mentem probabile est: quia hic non simpliciter pios accusat quòd dolis & captionibus alios circumueniant, sed potius quòd nihil in ipsis rectum sit vel sincerum. Diximus iam antè eum nō agere de vitiosis hominibus, in quibus manet aliquod Dei semen, sed de profanis contemptoribus, qui suis peccatis sunt prorsus addicti. Dicit ergo illis semper fallaces esse in ore prætextus, quibus sanam omnem doctrinam illudant. [l] Nihil enim bene vel loquuntur, vel cogitāt, vel agunt, sed neque sustinent se ad hæc erudiri & moneri. *Vt bene agat.* [m] Vt improbitatis auxesim Vates exprimat, addit malitiæ studium tantum esse in impiis, vt negari nequeat carere eos omni timore Dei. [c] Dicit enim eos vltro supprimere omnem delectum boni & mali, quia meliores esse nolint. Scimus rationem ad bene agendum hominibus ducem esse. Eam ergo dicit reprobos fugitare, ne vitam suam in melius corrigere cogantur. Docemur autem his verbis, siquando à via deflexinus, hoc vnicum esse remedium, aperire mentis oculos, vt boni & mali discrimen ab errore nos reuocet: contrà, vbi quis intelligētiam respuit, hoc desperationis signum esse. [m] Videmus etiam quis sit fons omnis iniquitatis, nempe nullo præditū esse timore Dei. Ex hoc emanant omnis generis flagitia. [a] sicuti etiā Paulus disertè docet, qui enumeratis variis flagitiis quibus scatent improbi, tandem subiicit, velut horum omnium causam redditurus, Non est timor Dei præ oculis eorum, Rom. 3. c. 18. Nam quum sapientiæ caput sit Dei timor, vbi ab eo discessum fuerit, quid recti vel sinceri restabit? [m] Quanto igitur præsens seculum hoc mali occupauit apertius, [a] (nam quotusquisque est qui serio Dei timore sit præditus?) hoc maiore studio interest magistratus suo gladio coercere ac punire mortalium & impiorum prauitatem.

5 *Iniquitatem cogitat in cubili suo. stat super viam non bonam, malum non abiicit.*

Iniquitatem cogitat in cubili suo. [l] Anxius & sedulò cogitat deceptiones & mendacia, quò quod libuerit statuat. [c] Notatur hic interior malitia & profunda obstinatio. Multos enim cōtinget, licet non aliàs pessimè affecti sint, labi & delinquere, quia repentè se offert occasio. Dauid autē reprobos, vbi subducti sunt ab hominum conspectu, consilia malè agendi intus coquere dicit: atque ita, quāuis nulla se illecebra obiiciat, nullum eos incitet malum exēplum, sibiipsis esse scelerum authores ac magistros absque alieno impulsu. [a] Hoc ipsum improbos facere affirmat Propheta, dicēs eos iniquitatem cogitare in cubili suo. [a] Noctu, quum maximè scilicet vacat animus, tempus est vt ad se homo redeat, & meliora cogitet, si etiam toto die iniquè vixisset. Sed vbi deest timor Dei, omnia ad malum seruiunt. In lecto ergo cogitans improbi noctu quomodo die quosque iniuria afficiant, & sua commoda cum aliorum incommodis augeant. [c] Porro quum hac nota reprobos insigniat Dauid, quòd meditentur scelera super cubile suum, docentur fideles longè aliò sua studia conferre vbi soli sunt, nempe vt vitam suam examinando, malas cogitationes strenuè à se repellant. *Stat super viam non bonam.* [v] Futurum Hebræum pro præsenti aut præterito. Insistit in via non bona. [c] Hoc ad pertinaciam pertinet, quòd impii in via obliqua & peruersa insistant. hoc est, scientes & volentes se ad peccandum obdurent. [m] Nam verbū יצב indicat obfirmare se in viam non bonam, hoc est, se totos addicere peruersis institutis, & destinata quadā malitia semper paratos esse, præsentes ac prōptos ad malum aliquod designandum. [c] Tandē ratio additur, *Malum non abiicit.* Hoc est, malum illis non displicet. Voluntaria enim cæcitas eos præcipitat, vt sceleribus vltro se māncipent. [a] Proinde hæc particula hūc sensum habet, Quid opus verbis? Impius nihil mali auersatur: ideo necesse est vt cūcta eius cogitata, dicta & facta noxia sint & pestilētia. Iam nobis occurrat antithesis inter reprobos & fideles. Illi seipsos falsis adulationibus decipiunt: hi cohibērur fræno timoris Dei. Illi cauillis obtegunt vel fucant sua delicta. & lucem in tenebras conuertunt: hi verò libenter agnoscūt se peccasse, &

ingenua confessione ad pœnitentiam se hortantur. Illi repudiant sanum omne iudicium: hi ad vitæ lucē emergere semper cupiunt. Illi super cubile cogitant varios peccādi modos: hi sedulò intenti sunt ne sibi peccandi cupiditatem accersant. Illi altè se demergunt in Dei cōtemptu: hi verò in malorum suorum displicentia libenter sese exercent: atque hac occasione de corpore mortis huius liberari percupiunt.

6 *Domine usque ad cælos misericordia tua: veritas tua usque ad nubes.*

Domine usque ad cælos misericordia tua. [a] Putant multi, postquam exposuit Dauid quanta passim grassetur in mundo corruptio & peruersitas, occasione hinc sumpta prorumpere in admirationem incredibilis patientiæ Dei, quòd humanum genus tanta scelerum colluuie refertum fauore & beneuolentia prosequi non desinat. [b] Quemadmodum & seruator noster de bonitate Patris testatus est, quòd solē scilicet suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos, Matth. 5.g.45. [c] Sed alius videtur huius loci sensus. Propheta enī vbi de summa hominum prauitate disseruit, ne ipse quoque tanquam diluuii impetu abreptus deficiat, seipsum colligit. Sic enim ferè damnamus impios vt se in animos nostros insinuet cōtagio, ac vix centesimus quisque purum se & illibatū in vera pietate conseruat, postquam de aliorum malitia conquestus est. Sensus ergo est quamuis tristis & horrenda confusio appareat, quæ instar vasti gurgitis absorbere posset pias mentes, Dauidem nihilominus statuere mundum plenum esse Dei bonitate ac iustitia, & optima æquitate cælum & terram ab ipso regi. Et certè quoties animos nostros cōcutit & percellit mūdi corruptio, cauendum est ne sensus noster subsistat in hominum malitia, qui miscent omnia ac perturbāt: sed in hac turbulētà caligine occultam Dei prouidentiam suspicere contendit. Cæterùm Dauid duobus versibus quatuor præcipuas Dei virtutes per synecdochen enumerat, significans in summa, inæstimabilem Dei virtutem ac potentiam cum pari iustitia reputandam nobis esse, licet mundum temere versari dictet carnis sensus. *Vsque ad cælos misericordia tua.* [M] Græca & vulgata Latina habēt, Domine in cælo: & Chaldæus paraphrastes, In cælis cælorum. [c] Intelligit autem Propheta bonitatē Dei altitudine cælos ipsos æquare. [M] Et certè tanta est bonitas Dei, excellentia & infinita copia, vt terram sursum ad cælos vsque & infra ad abditissimas vsque abyssos repleat. [b] Eadem ratione adiungit, *Veritas tua vsque ad nubes.* Veritas hoc loco vel pro fide accipi potest quam Deus in suis promissis præstat, vel pro iusto temperamento in quo liquida & minimè fallax rectitudo eius perspicitur. Sed complures alii loci ad promissiones referre cogunt, in quibus seruandis fideliter sibi constat Deus.

7 *Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus magna: hominem & iumenta seruas Iehoua.*

Iustitia tua sicut montes Dei. [c] Sequitur iustitiæ Dei elogium, quam excelsis montibus Dauid comparat: (nam quicquid eximium, magnum & præstans est, id Dei dicunt esse Hebræi) quia illic clarius refulget gloria Dei. *Iudicia tua abyssus magna.* [b] Admonet hîc, quocunque vertamus oculos, sursum & deorsum, iusto Dei iudicio omnia disponi. Solet in diuersum sensum citari hic locus, quod scilicet iudicia Dei captum nostrum longè superent, sintque magis abscōdita quàm vt eorū ratio apprehendatur: nec ineptè huc aptatur similitudo abyssi. Latius tamē patere Dauidis verba colligitur ex cōtextu, nempe quantūuis magna scelerū abyssus inter homines exundet, terrámque obruat, maiorem tamen esse prouidentiæ Dei abyssum, vt iustè omnia dispenset ac tēperet. Quoties ergo in cæca & obscura iactatione vacillat fides nostra, veniat nobis in mentem, in tota mundi gubernatione iudicia Dei meritò conferri abysso quæ cælum & terram implet atque occupat, vt immēsa sua amplitudine curas omnes nostras & molestias deglutiat. [M] Itaque [illegible] (iudicia) sunt modi illi diuinæ prouidentiæ, quibus totum mundū Deus tanta bonitate administrat vt sint veluti profundū & copiosum quoddam mare. Discamus ergo bonitatē hanc Dei expendere & magnifacere, maximè quum videamus siue in nobis siue in aliis illam non extingui improbis nostris flagitiis. Discamus (inquam) & nos ad illius cōsiderationem stupefieri, nec putemus id nobis parum esse decorum, quum videamus tot locis Scripturæ sanctæ illam tantopere commendari. *Hominem & iumenta seruas Iehoua.* [c] Huc spectat hæc sententia, quum Deus ad bruta vsque animalia curā suam dignetur extendere, multo magis eum prospicere rebus humanis. Et sanè quoties de prouidentia Dei obrepit dubitatio, clypeum hunc opponere cōuenit, fieri non posse vt Deus, qui pecoribus alimenta suppeditat, tueturque in suo statu, negligat humanum genus. Nam quòd iumenta quidam de belluinis hominibus allegoricè exponunt, nimis coactum est. [a] Simpliciter enim Dei prouidentiam his verbis Propheta amplificat, acsi diceret, [b] Omnium salus, conseruatio & substantia à te omnium creatore est, qui omnia moderaris & conseruas, & in gloriam tuam ordinas electorumque tuorum salutem. [a] Sic postea audiemus, Vniuersa ipsa in te sperāt, vt des escam eorum in tēpore suo. Dabis illis, colligent: aperies manum tuam, saturabuntur bono, Infrà, 104.d.17. Et iterum, Qui dat iumentis escam suam, filiis coruorum, quum clamauerint, Infrà, 147.c.9.

8 *Quàm pretiosa est misericordia tua Deus: ideo filii hominum in umbra alarum tuarum confident.*

Quàm pretiosa est misericordia tua Deus. [M] Græca & vulgata Latina habent, Quēadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. [b] Pretiosam vocat Dei misericordiam, hoc est præclarā, & modis omnibus excellentem. [b] Nihil enim nobis optabilius vel vtilius Dei beneficentia. *Ideo filii hominum.* Et filii hominū, id est homines. *In umbra alarum tuarum confident.* Quòd exponunt quidam pretiosam esse clementiam Dei, & pretiosos qui in ea confidunt hominum filios, à verbis remotum est. Nimis etiam argutè quidam exponunt, diis (hoc est Angelis) & filiis hominum eximiam esse Dei clementiam. Et mirum est rabbinos ita perperā sudare in fabricandis cōmentis, quum per se dilucidus sit Prophetæ sensus: nēpe quia excellit & se magnificē profert Dei misericordia, ideo in vmbra eius cōfidere filios hominū. Nam quum hactenus Dei bonitatē laudauerit Dauid, quæ se in omnes creaturas diffundit, certum est hîc agi de peculiari fauore quo filios suos complectitur. Etsi enim communiter de filiis hominum videtur haberi sermo, quæ tamen mox sequuntur, propriè in solos fideles competunt. Atque ita consultò nominat illustrandæ gratiæ Dei causa, quòd mortales ex Adam progenitos sub alas suas colligere non grauetur: sicut quum dixit, Quid est homo, quòd memor es eius: vel filius hominis, quòd visitas eum? Suprà, 8.b.5. Nunc summam huius loci tenemus, quamuis perditè luxurient in sceleribus impii, non tamen obstare hanc tentationem, quominus fideles Dei bonitate freti, in paternam eius curam se coniiciant: cuius bonitatis gustum impiorum mētes, vt sunt insipidæ, nunquam percipiunt, vt inde ad fidem deducti sub vmbra alarum Dei quiescant. [c] Chaldæus hunc sensum videtur voluisse reddere. sic enim hunc versum reddidit, Quàm pretiosa misericordia tua Deus! homines autem in vmbra diuinitatis tuæ sperabunt. Porro alarum similitudo satis in Scripturis trita est, qua Deus exprimit non aliter sua tutela nos foueri quàm pullos sub matribus: atque ita familiariter & blandè ad se nos inuitat. [a] Quemadmodum videre est supra, 17.c.8, & Infrà, 57.a.2, & 61.a.5, & 63.b.8, & 91.a.4, & Matth. 23.d.37.

9 *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potum dabis eis.*

Inebriabuntur pinguedine domus tuæ. Inebriabunt se, implebunt se, saturabuntur opulentia, &c. [b] Dubium non est quin pinguedinem domus Dei appellet bonorum affluentiam quæ non omnibus promiscuè est proposita, sed reposita filiis qui totos se eius fidei committunt: [a] sicuti alibi visum est, Quàm magna bonitas tua, quā abscondisti timētibus te! Suprà, 31.f.20. [c] Quidam restringunt ad spirituales gratias: sed probabilius videntur cōprehendi omnia Dei beneficia, quæ tam ad præsentis vitæ vsum quàm ad æternam & cælestem beatitudinem pertinēt. nisi quòd notandum est ita coniungi cum puro fidei sensu quo fit vt ritè & legitimè illis in salutem nostram fruamur. Nam quum se ingurgitent impii bonorum Dei copia, saginatur quidem eorum caro perinde ac porcorum, sed anima eorum semper est famelica. Solos (vt diximus) fideles satiat Dei liberalitas: quia illis pignus est paterni erga eos amoris. [a] Habent etiam Spiritū adoptionis, Spiritum filiorum Dei, qui eos de Dei erga se fauore & beneuolentia certos reddit: ita verè beat, & (vt Psaltes hic canit) satiat, [a] ac in spe æternæ vitæ retinet. *Et torrente deliciarum tuarum potum dabis eis.* [c] Cibo & potu plena & perfecta notatur satietas, fluuii verò nomine, copiosa vbertas.

10 *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Quoniam apud te est fons vitæ. [a] Confirmat proximam doctrinam, cuius tā vtilis est cognitio vt nullis verbis exprimi queat. Nam quum impio abusu optima quæque Dei dona profanent increduli, nisi discrimen illud quod positum à nobis est, tenemus, præstaret nos centies inedia perire quàm largiter Dei beneficentia pasci. Ergo quum minimè agnoscant increduli se in Deo moueri, viuere & esse, quin potius propria virtute stare imaginentur: hic ex sensu piorum & quasi in eorum persona affirmat Dauid, fontē vitæ esse in Deo, quo significat nullam vitæ guttam extra ipsum posse inueniri, & quæ non fluat

ex eius gratia. [A] Proinde hoc loco expendere cõuenit Dei prouidentiam & bonitatẽ, non in eo tantùm quòd omnia viuificat, sed etiam eadẽ in suo esse conseruat & tuetur. [M] De qua generali Dei bonitate multa Christus in medium profert Matth.5.g.45, & 6.d.26. vbi eam nobis in hoc considerandam proponit quòd non solùm bonis, sed & malis benefaciat, solémque suũ omnibus producat, sed & volucres cæli pascat, & lilia agri vestiat. Et alibi affirmat ne passerculum quidem cadere in terram sine voluntate Patris nostri, Ibidem, 10.e.29. Paulus item & Barnabas eandem Gentibus proponunt, dicentes, Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia cor eorum, Act.14.e.17. Item, Ipse dat omnibus vitam & inspirationem, & omnia, Ibidẽ, 17.f.25. [A] Hæc omnia diuinæ in homines bonitatis testimonia in eo cõprehenduntur quòd Dauid hic dicit fontem vitæ apud Deum residere. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* [V] Consequemur lumen, hoc est, tenebris & ignorantia liberabimur. [C] In metaphora luminis emphasis est expressior, luce carere homines, nisi quatenus eos Dominus irradiat. Quòd si hoc de luce vitali verè prædicatur, quomodo ad vitæ cælestis intuitũ erimus oculati, nisi Dei Spiritus nos illuminet? Nam tenẽdum est, sic naturaliter præditos esse homines intelligentia, vt lux in tenebris luceat, quam tenebræ non comprehendunt: quòd autem illuminantur, supernaturale esse donum. Interea soli fideles sentiunt lumen se à Deo mutuari, ne in tenebris sepulti iaceant. [A] Sunt qui lucis nomine fœlicitatem intelligunt: (sicuti interdum afflictio & miseria per tenebras in Scripturis significatur) [A] sed prior expositio præsenti contextui melius congruit: vt agnoscamus, illuminationem qua soli à Deo electi donantur, supernaturale esse illius donum. [A] Vtinam verò his fidem habere detur: quàm prono pectore nos Dei præsidio committeremus, eodéque amore & studio eius flagrantes detestaremur quicquid prauum, sectaremur cupidissimè quicquid rectum sit!

11 *Protrahe misericordiam tuam ad cognoscentes te, & iustitiam tuam ad rectos corde.*

Protrahe misericordiam tuam ad cognoscentes te. [V] משך, obtende, extende, prolixam fac. Q.d. Quoniam misericordia tua semper indigent, & ea sola saluãtur qui in te credunt, eam ad finẽ vsque erga eos prosequere. [C] Nunc se Dauid ad precandum conuertit. Primùm quidem in genere postulat vt Deus erga pios omnes misericordiam suam contineat: deinde priuatam causam suam agit, auxilium Dei contra hostes suos implorans. [A] Putant Hebræi, quod canit, Protrahe (vel extende) bonitatem tuam, ad id referri quod antea dixerit, Vsque ad cælos bonitas tua, versu 6: quasi nunc petat vt detrahat eam atque impertiat suis. [C] sed nimia pueriliter errãt. Nam vbi nuper ita loquutus est Dauid, nõ voluit (vt dictum est) illam cælo includere: sed simpliciter testatus est vbique esse expansam: hîc autem nihil aliud optat nisi vt Deus suam misericordiam erga pios ad finem vsque prosequatur. [A] vt scilicet plenius illam sancti percipiant, eóque ad Dei imaginem assurgant fœlicius. *Et iustitiam tuam.* [C] Misericordiæ Dei iustitiam annectit tanquam effectum suæ causæ. Diximus autem alibi, in eo lucere Dei iustitiam quòd suorum patrocinium suscipit, eorum innocentiam tuetur, iniurias vlciscitur ac reprimit, & in asserenda eorum salute fidelem se probat. Hoc verò totum quum gratuitò illis præstet, meritò à bonitate seu misericordia incipit Dauid, eámque ordine priorem locat, vt ex mera eius gratia pendere discamus. *Ad rectos corde.* Notanda sunt epitetha quibus hoc versu describit fideles: nẽpe quòd Deum cognoscant: deinde recti sint corde. Nam hinc colligimus à Dei notitia oriri veram pietatem, & rursum fieri nõ posse quin lux fidei corda nostra ad rectitudinem formet. [A] Quicunque enim verè Deum cognouerit, is & amabit, eóque erecto & æquo corde erit, nihil sibi, omnia autem proximis in gloriam Dei quærente. [C] Interea tenendum est, tunc rite à nobis Deum cognosci dum ei suum honorem tribuimus, nempe vt in eum recumbat nostra fiducia. [M] Est enim Dei cognitio triplex: communis omnium, qua dicunt vnum esse Deum qui creauerit omnia: deinde, qua voluntas & bonitas ipsius cognoscitur: postremò, qua pro Deo Domino Patre suo illũ agnoscit qui pius est, vt filius patrem, & pater filium agnoscit: iuxta illud, Non noui vos, Matth.7.d.23. &, Cognoscunt me meæ, & ego cognosco illas, Iohan.10.c.14 Posteriores duæ cognitiones sunt Christianorum tantùm, hoc est verè piorum & electorum.

12 *Ne veniat mihi pes superbiæ, & manus impiorum ne migrare faciat me.*

Ne veniat mihi pes superbiæ. [V] רגל גאוה, pro pes superborum. hoc est, ne inuadant me superbi. *Et manus impiorum ne migrare faciat me.* Impellat me, commoueat, dimoueat, abducat. sub loco meo. [C] Precationem quam concepit Dauid (vt paulo antè admonuimus) ad suam personam accommodat: sed communiter pro omnibus Dei filiis votum concipiens, testari voluit se nihil sibi priuatim petere, sed tantùm optare Deum propitium: quia vnus sit ex piorum & rectorum numero qui ad Deum respiciunt. Pedem superbum & manum sceleratorum eodem sensu posuit. Nam quum impii in bonorum perniciem audacter ruant, pedes attollant ad eos calcandos, manus etiam ad quoduis facinus habeant paratas, rogat Dauid vt compescat tam ipsorum pedes quàm manus: atque ita fatetur se illorum insolentiæ & cõtumeliis ac violentiæ fore obnoxium, nisi maturè Deus succurrat. [M] Videmus hoc loco quò refugium nostrum collocare debeamus aduersus insultus hostiles impiorũ, nempe in vnam Dei bonitatem: quam imaginari & certò credere debemus esse rectis corde instar valli, quo ab incursu hostili defendantur, & pereant improbi.

13 *Illic ceciderunt operarii iniquitatis: impulsi sunt, nec potuerunt surgere.*

Illic ceciderunt operarii iniquitatis. [V] Vel est præteritũ pro futuro. Illic cadent, quò scilicet me impellere conabantur. [C] Fiduciam ex voto suo colligit, non dubitans, quod petiit, se iam impetrasse. Atque ita videmus vt fidei certitudo sanctos ad precandum dirigat. Cæterùm quò certius ad bene sperandum se animet, impiorum ruinam, licet adhuc sit abscondita, quasi digito ostendit. Neque enim superuacuum est aduerbium Illic: quia dum secunda fortuna superbiunt impii, illis mundus plaudit: Dauid quasi è sublimi fidei specula procul aspicit eorum interitum, nec minus securè de eo pronuntiat quàm si prope instaret. [A] Inducit enim se vt qui præuideat iam vel tempus vel locum ruinæ improborum. [C] Cæterùm vt nobis constet eadem fiducia, meminerimus perperam eos facere qui temporis articulos ex votorum suorum feruore definiunt: sed dandum esse locum prouidentiæ Dei, vt surgat in iudicium quando eius arbitrio opportunum fuerit tempus. *Impulsi sunt.* Quum dicit esse impulsos, in lubrico eos agitari intelligit, vt minimè stabilis sit eorum fœlicitas. [A] sicuti antea dictum est, Sint quasi palea coram vento, & Angelus Iehouæ impellat eos. Sit via eorum caligo & lubricitates, & Angelus Iehouæ persequatur eos, Suprà, 35.a.5. *Nec potuerunt surgere.* [V] vel, Impellentur, nec poterunt surgere. [C] Nam Propheta innuit tãdem exitialem fore eorum casum, vt nunquã speranda sit restitutio. [A] Ergo quanquam impii externis bonis ad tempus æquè ac boni, & plerunque plusquam boni, fruantur, tandem tamen dant impietatis suæ pœnas, & impelluntur, vt consistere nulla ratione queant. [A] Pii interdum labi possunt: sed prosequente eos Dei misericordia resurgunt tandem, & ad se redeuntes diuinum auxilium implorant, & sentiunt. Improborum verò casus omnino exitialis est: nam illis resurgere minimè datur.

ARGVMENTVM PSAL. XXXVII.

[M] QVONIAM periculũ est ne qui imbecilli adhuc fide sunt, & minus exercitati in rerum cognitione, per impiorum prosperitatem offendantur, & à pietatis studio auocentur, cogitantes [A] vel fortuitò regi mundum, fortunámque dominari, vel nullũ Deo esse bonorum & malorum discrimen: [A] hic Psalmus consolatur & confirmat eos, [A] docens timentibus Deum & ex iustitia viuentibus omnia optimè cessura, eósque verè fœlices futuros: impios autem, vtcunque ad tẽpus florere videantur, tandem excindendos & penitus delendos.

DAVIDIS. *Ne commoueare propter malignos, neque zelaueris facientes iniquitatem.*

Dauidis. [C] Hæc inscriptio Psalmum hunc Dauidis esse ostendit, qui diuino Spiritu afflatus, sensus nostros à præsenti rerum intuitu auertens, iubet in Dei prouidentia tantisper quiescere dum seruis suis manum porrigat, & rationem seuerè ab impiis reposcat, tanquam furibus & sacrilegis, qui paterna sua beneficentia fœdè abusi sunt. *Ne commoueare propter malignos.* [V] Ne succenseas ob malos, ne irriteris propter malignos, ne tibi bilem moueant malitiosi. [C] Hoc generale principium sumit Dauid, non esse cur filios Dei torqueat vel anxios habeat impiorum læta conditio, in qua suauiter sibi placent: quia breui euanescet. contrà, quantis ad tempus laborent fideles, talem esse eorum exitum vt meritò sua sorte contenti esse debeant. Pendet autem hoc totum à Dei prouidentia: quia nisi persuasi simus iusto eius imperio mundum gubernari, statim vacillabunt & tandem concident mentes nostræ. [A] Pios igitur Propheta consolatur, & vt in pietatis studio strenuè pergant hortatur. [C] Id verò vt facilius efficiat, duos vitiosos affectus cohibet, qui tamen inter se plurimum sunt affines, & quorum alter alterũ gignit: ne succenseant in reprobis fideles: deinde ne praua æmulatio eos solicitet. Primùm enim dum vident impiis

bene esse, quia colligere promptum est Deo non esse curæ res humanas, periculum est ne abiiciat Dei timorē, & alienētur à fide: [a]quia nullum apparet piè viuētibus operæpretium. [c]Altera tētatio sequitur, quia eos trahat exēplum, vt scelerum societate se inuoluāt. Hæc germana est sentētia. Nam quòd quidā אל תתחר interpretantur, Ne te misceas, coactum est, ac refelli poterat ex contextu. Nam certè versu octauo, vbi disertè furoris & iracundiæ fit mentio, absurdum esset, verbum hoc, quod subiicitur eodem sensu & in eundem finem, aliò trahere. Deinde optimè ordinem tenet Dauid: quia vbi indignationem nobis mouit impiorum prosperitas, mox lapsus ad æmulationem nimium procliuis est. Prius ergo cauendum admonet ne mentes nostras irritet caduca vel potius imaginaria fœlicitas, deinde inuidia nos ad peccandum incitet. q. d. Infirmi quum vident impios florere in hoc mundo, non turbentur, neque commoueantur, perinde quasi Deus hominum curam abiecerit: neque eos torqueat inuidia propter prosperitatem illorum: quoniam fluxa prorsus & caduca est huius mundi fœlicitas. *Neque zelaueris facientes iniquitatem.* [V]Neque inuideas facientibus iniquitatem, id est, ne illis inuideas prosperum rerum successum. Alii, neque vrat te æmulatio ob facientes iniquitatem. [I]Q. d. Ne ita torqueat te inuidia propter improborū fœlicitatem, vt etiam ad malum designandum abripiaris. [M]Sunt quidem illi mali, sunt operarii iniquitatis, ac proinde digni quibus omnia malè cedant: interea tamen cauebis ne æmulatione tangaris propter eos, & à recto deflectas. Quare

2 *Quoniam tanquam herba velociter succidentur, & sicut olus germinis decident.*

Quoniam tanquam herba velociter succidentur. [V]Instar graminis velociter marcescent, aut marcescendo cōcident, siue flaccessēt. *Et sicut olus germinis decident.* Et sicut viror herbæ, id est virēs herba. [B]Rationem reddit cur improborum fœlicitati inuidere non debeamus, quòd illorum fluxa, caduca, fallax & vmbra fœlicitatis sit, non fœlicitas: sanctorum autem & à Deo pēdentium, certa, perpetua, vera, non vmbra, sed fœlicitas ipsissima. [c]Impii, inquit, si hodie florēt, cras succisi exarescēt. Acsi diceret, [M]Cogitas improbos dignos esse qui succidātur & pereant: & quia non statim vides hoc fieri, doles, indignaris, & inuidia moueris. verùm hæc facis præter causam: nam omnino interibunt. Sed virent (dices) ac florent. An propterea stabiles sunt? Nunquid & herbæ virent, ac citò deciduæ & flaccescunt? Idem eueniet & istis. [c]Porro non mirum est si virētis herbæ similitudo frequenter in Scripturis occurrat: quia valde apposita est. Videmus enim quàm emarcidus sit herbarum vigor, qui vel vnico venti flatu deiectus, vel solis æstu exustus, sponte concidit sine manu hominis. Atqui Dei iudicium instar falcis fore pronuntiat Dauid ad eos excidendos, vt momento exarescant. [a]Notanda enim est particula מהרה, velociter. Nā significat impiis insperatū exitium fore: quemadmodum Paulus dicit, Quum dixerint, Pax et tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnāti, nec effugient, 1. Thess. 5. a. 3. Vide item 2. Pet. 2. a. 1. [a]Et postea videbimus Vatem orare vt populi Dei hostes gramini tectorum, quod priusquam euellatur arescit, similes reddantur, Infrà, 129. b. 9. Cui & Esaias Assyrios similes fore prædicebat, 2. Reg. 19. e. 26. [M]Quum ergo ita habeat impiorum conditio vt prosperitas ipsorum sit breui peritura, quam causam habent qui illi indignantur & inuidēt? Quum vides diuitem impium in rebus mundi florentem, & cui omnia ex animi sententia succedunt, quid aliud vides quàm fœnum viride & breui casurum, cuius ea sors est vt demetatur antequā sponte cadat: aut herbam, quæ etsi non demetatur, tamen sponte sua citò decidit?

3 *Spera in Iehoua, & fac bonum: inhabita terram, & pascere fideliter.*

Spera in Iehoua, & fac bonum. [c]Iam ad secūdum membrum descendit, fidelibus, quia sub Dei tutela sunt, bene & fœliciter cessura esse omnia. [B]Volens itaque ab admiratione falsæ fœlicitatis qua superbiunt improbi, reuocare pios omnes, docet vnde petenda sit vera & permanens fœlicitas, à fiducia scilicet in Deum, & dilectione studióque bene merendi, ac omnia ex fide agendi in proximos. [c]Nec verò temere à fidei doctrina incipit, hortans ad locādam in Deo fiduciam: quia nihil difficilius quàm homines, dum circumaguntur in mundo, manere sedatis & compositis animis, nec vlla perturbatione quatefieri. [M]Adde quòd spem in Dominum studio bonitatis ideo præmittit quia nisi illa adfuerit, nemo beneficētiæ & bonitati seriò vacare poterit. Spes enim (Quintiliano teste) voluntatem facit: desperatio & diffidentia abstrahit ab omni studio boni. nam cogitat omnia fieri frustra. Itaque rectè præmittitur spes in Dominum. [a]Ait ergo Dauid, Nitere Iehoua, nihil obsecutus quòd illi nituntur opibus suis: id fiduciæ est & fidei qua iusti viuunt. [c]Neque enim satis est negligere quæ nimio ardore vulgò solent expeti. Nam ea præditi sunt animi altitudine quidam ex philosophis, vt opes contemnerent iniustè partas, à fraudibus & rapinis abstinerent, quinetiam seuerè exagitarēt vanum impiorum splendorem, quem stultè vulgus miratur. sed fide vacui Deum fraudarunt suo honore. [M]Vnde factum est vt eos lateret vera fœlicitas. [a]Quare antequam ad colendam probitatem hortetur Vates, iubet vt nostrā in Deum fiduciam collocemus. *Et fac bonum.* Hoc est, stude beneficentiæ, quum illi intenti fraudibus & rapinis sunt. Id dilectionis est nunquam quæ sua, sed tantùm quæ aliorum sunt, quærētis, omniáque ad salutem proximorum instituētis. [c]Sicut ergo Dauid à fide facit exordium, vt Deum ostendat bonorū omnium esse authorem, nec sperandos esse prosperos successus nisi ab vnica eius benedictione: ita notanda est probitatis eius cōiunctio: quia rectè & innoxiè viuet, ac beneficentiæ studebit quisquis Dei fidei se committet. [M]Non dicit, Et disce quid sit bonum ac rectum: sed, Fac bonū, inquit. Nos docti sumus ac diserti in eo quid sit bonum: verum in faciendo bonum, stupidi & muti. [M]Scimus autem quid dicat Iacobus, Qui nouerit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur, Iac. 4. d. 17. Væ ergo omnibus de quibus Propheta dicit, Benefacere nescierunt, Ierem. 4. e. 22. *Inhabita terram.* [c]Significantius loquitur quàm si promitteret iustos tutò habitaturos in terra. Nam perinde est acsi eos in rem præsentem adducens, in possessione locaret, [a]ac diceret, Si ita comparatus fueris, vt coniecta in Deum tua fiducia probitatem colas, licebit vt terrā inhabites, rerum omnium dominus, eóque eum successu rerū certo & confirmato. [c]Ergo his verbis diuturnum fore piorū statum pronuntiat: quia etsi hospites & inquilini sunt in mūdo, Dominus tamen sua manu eos protegit, vt securè quiescant. Quod rursus confirmat proxima particula, *Et pascere fideliter.* Nam Dei custodia fretos sine cura & anxietate quiescere ipsos iubet. Variis tamē expositionibus laceratus fuit hic locus. Quidam pascendi verbum actiuè accipiunt: & aliis quidem fidem pascere tantundem valet atque alere in cordibus Dei promissiones. Aliis videtur Dauid præcipere vt fide pascamus fratres nostros, purum Dei verbum, quo spiritualiter aluntur animæ, illis ministrantes, [V]quomodo sumitur apud Prophetam, Et pascent vos scientia & intelligentia, Ierem. 3. c. 15. [c]Alii fidem accipiūt pro sinceritate, vt fidem pascere sit veraciter se gerere inter homines. Sed prorsus exigit loci circunstantia (quod etiam patitur Hebraicæ linguæ proprietas) vt רעה passiuè sumatur. Huc etiam inclinat maior pars interpretum: qui tamen postea inter se dissident. Quibusdam enim placet nos pasci fide, quum nobis Dei promissiones sufficiunt, & quasi illis satiamur. Alii exponunt, Pascere fructu fidei: quia Deus re ipsa ostendet nō frustra verbo suo habitam fuisse fidem. Alii resoluunt, Cibus tuus sit veritas, nec quicquam te magis oblectet quàm simpliciter & ingenuè cum proximis versari. Affinis est alia expositio, quanquam nonnihil differt, Ne viuas ex rapto, sed legitimo victu contentus sis. Certè in re perspicua sic hallucinatos esse doctos homines turpe ac pudendū est. Nisi enim data opera quenque ad quærendum nouum commentum impelleret sua ambitio, statim occurreret germanus Prophetæ sensus, Inhabita terram, vt ea fruaris stabili quiete. אמונה enim non solùm Hebræis est veritas aut fides, sed etiā firma diuturnitas. Quis autē non videt, postquam iustis data erat terræ possessio, hoc posterius exegeticè fuisse additum? [a]Solet enim Propheta eandem sententiam mutatis verbis ingeminare. In eadem significatione vox אמונה sumitur apud Mosen, Et fuerūt manus eius אמונה id est firmitatis: hoc est firmæ & immotæ, Exod. 17. d. 12. Sicut ergo illa, Nitere Iehoua, & fac bonum, ad idem pertinēt, regulam scilicet rectè viuendi, ita sequētia duo, ad fœlicitatem, habitare scilicet tutò in terra, & habere vnde pascatis, viuásque sine inopia. Perpauci enim sunt, & ii ad sublimiorem rationem nominis Dei illustrandi electi, quibus Dominus, si pietatem colant, non det commodam & in hoc seculo vitam degere. Priscis tamen, vt de futuris bonis non perinde doctis, plura de successu rerum præsentis vitæ promissa legimus. [A]Vide suprà, 23. a. 1. & 34. b. 10, & 1. Timoth. 4. c. 8.

4 *Et oblectare super Iehoua, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Et oblectare super Iehoua. [I]Hoc est, placeat tibi quicquid Deus fecerit. [B]Prædicat primarium pietatis fructum, ipso scilicet Deo oblectari, cognito iam ve patre & fonte bonorū omnium largissimo: id quod vsu venit omnibus qui ipso fidunt & nituntur. [M]Itaque hæc oblectatio vanis & fallacibus mundi illecebris opponitur quæ profanos homines sic inebriant, vt spreta Dei benedictione nō aliam somnient beatitudinem quàm quæ ad momentum se ingerit eorum oculis. Atque hæc antithesis inter erratica & vesana gaudia, quibus se mundus decipit, & veram quietem in qua se continent fideles, diligenter notanda

est: quia siue nobis arrideant omnia, siue nos Dominus infortuniis exerceat, semper retinendum est illud principium, quia Deus portio nostra est, funiculum præclarè nobis cecidisse: sicuti suprà, 16.b.5 vidimus. Quare huc sedulò reuocandi sunt assiduè animi, non aliter nobis bene esse nisi quatenus propitius est Deus, vt læotia quam de paterno eius fauore concipimus, omnes mundi voluptates superet. [b]Quid autem est oblectari super Iehoua? Est illum solum amare, in illo planè absorptum esse, est relictis & neglectis omnibus terrenis, toto animo ab illo vno pendere. Nequit enim esse vera oblectatio si animus sit in multa diuisus. Vide infrà, 73.d.25. Oblectationis huius testimonia sunt amor verbi Dei, & studium illi placendi per pietatem vitæ. Hæc duo si defuerint, satis testantur nos non Domino, sed carne delectari eui studere deprehendimur. *Et dabit tibi petitiones cordis tui.* [c]Præcepto additur promissio, si vno Deo ita contenti erimus, ipsum, quicquid optauerimus, liberaliter daturum. non quòd statim obtineant fideles quicquid inconsideratè illis in mentem venerit: (sicut neque vtile esset Deum prauis cupiditatibus morem gerere) sed tantùm hoc voluit Dauid, si aliis post sua figmenta vagantibus sistimus in solo Deo sensus nostros, alia suo ordine accessura. [a]Et verè fideles quicquid optarint percipiunt. optāt enim & volunt solùm ea quæ ad illustrandam Dei gloriam faciunt, quæque sola quoque ipsis bono sunt. [b]Qua de re vide 1. Iohan.5.c.14 15. [a]Docemur ergo hoc loco quæ sit via per quam reddamur votorum nostrorum compotes, ea adepti quæ ex animo desiderare poterimus. Mundus putat hoc situm esse in diuitiis, in potētia, in honore huius seculi: & hoc nomine beatos existimat diuites, potentes & honoratos, quòd frui detur omnibus quæ desiderare poterunt, quum nihil illis hominibus adsit minus. Nam etiāsi videantur in quibusdā prosperè habere, & rem desideratā adepti esse, tamen re ipsa admodum multis molestiis afficiuntur, & spe sua frustratur. Non enim finis desideriorum inuenitur in impiis, propterea quòd vt sitis hydropicis potando, ita istis desideria carnaliter viuēdo magis incitantur & augentur quàm restringuntur. Secus verò habent pii. Nam verè potiuntur desideratis, & ita satiantur vt nihil copiosius vltrà. Potant enim ex ipso bonorum omnium fonte Deo, in quo deliciantur, quem vnum amāt, & à quo vno pēdent. [a]Hoc sibi vult promissio illa Abrahæ patri fidelium facta, Ero merces tua magna, Gen.15.a.1. Cui contrarium est quod visum se Israeli queritur Propheta, Nunquid desertum factus sum Israeli? Ierem.2.f.31.

5 *Deuolue super Iehouam viam tuam, & confide in eo, & ipse faciet.*

Deuolue super Iehouam viam tuam [a]Hortatur iterum ad fiduciam in Deum: [c]& clarius exprimit ac confirmat proximam sententiam. Vt enim Deus votorum nos compotes faciat, curas nostras spe & patientia in eum iicere oportet. Itaque hinc discimus quomodo inter molestias, discrimina & perturbationum fluctus, trāquillis animis simus futuri. Vias pro negotiis omnibus accipi non dubium est. Itaque vias suas in Deum deuoluit qui actionum suarum cursū eius arbitrio resignans, & patienter expectans vtranque fortunam, curas quibus angitur, & quicquid oneris eum premit, in eius sinum exonerat. [b]Neque tamen eorum morem sequi oportet qui otiosi aliis omnia committentes, ipsi altum dormiunt: sed postquam fecerimus quæ facienda sunt, imò antequam ordiamur, & interea dum in opere sumus quod nos concernit, profectum omnium & effectum Domini moderationi permittere debemus, vt is quæ nobis sunt impossibilia præstet & perficiat: ad exemplum agricolæ, qui fructum laborū suorum bona spe Domino committit, cuius est dare incrementum: sicuti Paulus dicit, 1.Cor.3.b.7. [c]Ideo rursus in Deum Vates sperare iubet, dicens, *Et spera in eo, & ipse faciet.* Quibus verbis significat sola spe iustum tribui Deo honorem, vt vitam nostram moderetur. atque ita communi morbo quo fere omnes laborant, medetur. Vnde enim fit vt reprobis inuidrant filii Dei, sæpe æstuent aut vacillent, dolori intemperāter indulgeant, interdum etiam fremant ac tumultuentur, nisi quòd se immodicè curis implicant, & sibi nimis cupidè absque Deo prospicere volētes, quasi in abyssum se demergunt: saltem coaceruant sibi curarum molem, cui tandem succumbere coguntur? Huic vitio occurrens Dauid, nos admonet, si volumus suscipere vitæ nostræ regimen, consulere rebus nostris, acsi essemus tanto oneri ferendo, longè falli: ideóque vnum esse remedium vt coniectis in Dei prouidentiam oculis, inde anxietatū omnium solatium petamus: quēadmodum Petrus hortatur, Omnem curam vestram in illum conuicite. nam illi cura est de vobis, 1. Pet. 5. b. 7. [c]Quisquis huic Prophetæ consilio parebit, ex horribili quo se frustra omnes fatigant labyrintho emerget: quia vbi negotia nostra Deus regenda susceperit, nunquam deerit fœlix successus. Vnde enim fit vt nos deserat ac frustretur, nisi quia ei viā præcludimus, nimium sapere nobis volentes? Quare si eum agere permittimus, fungetur ipse suo officio, neque spem nostram eludet, sicuti iustè incredulitatem nostram punit. [a]Et sanè eiusmodi euentum & operæpretium confidentibus sibi Deus efficit, vt palam omnibus fiat eum iustitiæ rationem habere, fauerèque iis qui illi student. Atque id est quod canit versus sequens.

6 *Et educet sicut lumen iustitiam tuam: & iudicia tua sicut meridiem.*

Et educet sicut lumen iustitiam tuam. [a]Hoc est, quòd iustè & recto iudicio vitam instituis & agis, id Deus benefaciendo amplissimè tibi, téque pulcherrimè asserendo, in lucem proferet, & meridiana luce clarius celebriusque reddet. [c]Occupatio est, qua dubitationes præuenit quæ nos vtplurimum angunt, dum nobis videmur Deum purè colendo & cum proximis iustè agendo operā ludere: imò dum nostra integritas vel improborū calumniis est exposita, vel nobis damnosa est apud homines, ideóque contemni à Deo creditur. Dauid ergo Deum passurum negat vt semper in tenebris lateat nostra iustitia, sed vindicem eius fore, vt conspicua fulgeat, dum scilicet mercedem rependet, qualem optamus. [b]Nam educi iustitiam nostrā vt lumen, (hoc est clarescere) & iudicia nostra sicut meridiem, (id est rectam vitæ rationem splendescere vt meridiem) nihil aliud est quàm iustitiæ ac vitæ rectæ ac ordine institutæ dignam tādem rationem haberi, & percipi fructus eius. Dum enim improbis omnia secundant, & piis aduersa cuncta accidunt, videtur eorū iustitia & iudicium (id est vita ex iustitia & æquitate instituta) obscura esse ac latere. Quum ergo Dominus suum in sanctos fauorē declarat, vltionémque sumit de sceleratis, manifestúmque facit esse virtutis operæpretium, tum velut lumē iustitiam suam facit prodire, & iudicium eorum splendescere: idque tanto clarius & magnificentius, quanto consummatiore suos fœlicitate donat. [c]Egregia sanè ad noctem allusio, cuius tenebras aurora repentè exoriens discutit. Quoties ergo indignè grauamur, & Deus sibi innocētiam nostram probari dissimulat, non est cur nos magis conturbet ista vicissitudo quàm dum noctis tenebræ operiunt terram, quia diurnæ lucis expectatio spem nostram sustinet. [l]Tum autem splendoris verus meridies erit quando Christus dicet, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, Matth.25.c.34. Quanquam & hic sæpenumero sancti eos pietatis fructus percapiāt vt proximè meridiem eorum lux videatur accedere. Certè Dauidis diu obscurata iustitia tum quasi meridiana luce resplenduit, quum in tam augustum regnum exaltatus tam eximia fœlicitate florebat. Ita euenit & Abrahamo, Iacobo, Iosepho, Mosi, Christo & Apostolis. Et si idem nobis in hac vita nō contingat, continget certè in futura: sicuti Christus dicit, Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum, Matth.13.f.43. Et Paulus, Vita vestra (inquit) abscōdita est cū Christo in Deo. quandocunque Christus manifestatus fuerit, vita nostra, tunc & vos cum illo manifestabimini in gloria, Coloss.3.a.3, & 1.Iohan 3.a.2 idem fere habetur.

7 *Sile Iehouæ, & spera in eo: ne commouearis propter eum qui prosperatur in via sua, in viro perpetrante scelera.*

Sile Iehouæ, & spera in eo. [b]Eadem canit quæ prioribus versibus, nempe nō esse causam cur bonis stomachum moueat prosperitas malorum, quum hi breuiter adeo perituri sint, illi autem terram præcipuo dominio possessuri. [c]Proinde hortatur vt patienter & modestè feramus quicquid inquietare animos nostros solet. Nam inter tot certaminum agitationes patientia non vulgari opus est. [a]Ait ergo, Sile Iehouæ hoc est, cede illi tui curam, [b]permitte illius prouidentiæ corrigenda quæ corrigenda videntur, vide ne aduersus illum obmurmures aut tumultueris. [c]Porro silentii metaphora (quæ frequenter in Scripturis occurrit) aptissimè declarat fidei naturam. Nam vt affectus nostri Deo obstrepunt, ita fides in placidum obsequium nos componens, tumultus omnes in cordibus nostris compescit. Hoc itaque verbo Dauid nos tumultuari vetat, (sicuti faciunt increduli) vel cum fremitu nos opponere eius imperio: sed quietis animis cedere, vt opus suum in silentio peragat. [a]Nouit enim tempus & liberationis suorum, & vindictæ quam de impiis sumpturus est. *Et expecta eum.* [c]Quia חול Hebræis nunc dolere nunc expectare significat, quidam verbum התחולל accipiunt hoc loco pro temperatè dolore, vel ferre patienter dolorem. Simplicius etiam posset exponi pro dolere coram Deo, vt testis sit omnium nostrarum molestiarum: quia dum hærent increduli, magis obmurmurant contra ipsum quàm suas quesitiones coram eo proponant. Diuersus tamen sensus magis receptus est, quòd scilicet Dauid ad spem & tolerantiam nos hortetur, acsi diceret, Permitte te Domino, tu quiesce, & sine vt teipsum regat Deus ad suum beneplacitum. Quòd si te eripere & de hostibus tuis vltionem sumere tardauerit, illum

nihilominus expecta. [a] aderit enim opportuno tẽpore,& quod tibi vtilissimũ erit,tandem bonitate sua efficiet. Hoc sensu spem silentio coniungit Propheta, Esa. 30.c.15. *Ne commouearis propter eum qui prosperatur in via sua.* [b] Ne ægrè feras impiorum prosperitatem. [a] Iterum repetit quod primo versu dixerat: [c] ac multis adeo ab indignatione contra fœlicitatem improborum reuocat, eo quòd hæc etiã plus nimio vrat sanctos infirmiores: [a] sicuti videbimus infrà, 73.a.2. *In viro perpetrante scelera.* [c] Vel peragente consilia. Nam hoc secundum melius quadrat cõtextui. Verum quidem est מזמות sæpius accipi in malam partem, pro fraudibus,& captionibus noxiis: sed quum זמם interdum generaliter cogitare significet,sensum hunc admittit linguæ Hebraicæ proprietas, vt facere consilia tantundem valeat atque perficere quod quis statuit. Videmus autem hæc duo connecti: vias suas ex animi voto disponere, vel secundare,& facere consilia. Durum enim hinc scandalum nobis obiicitur, vbi impiis arridet fortuna,acsi Deus impiorum sceleribus faueret: imò in nobis tunc accenditur indignatio. Itaque Dauid breui admonitione non contentus,prolixius in hac re insistit. Non enim superflua est verborum congeries,quæ sequitur.

8 *Desine ab ira, & missum fac furorem: ne mouearis vsque ad peccandum.*

Desine ab ira,& missum fac furorem. [v] Iram relinque, quam scilicet cõcepisti ob improborum fœlicitatem. [c] Hic iterum iracundiæ frænum iniicit,furorem sedat, & indignationem mitigat: sed plura remedia (vt necesse est ad morbum curatu difficilem) adhibet. Atque hoc modo quàm irritabiles simus ac propensi ad concipiendas offensas admonet, nisi strenuè luctando turbulentos nostros affectus in obsequium cogamus. Quanuis autem non sine molestia & sudore carnis impetus subigãt fideles, vbi eos ad impatientiam stimulat impiorum prosperitas, hæc tamen repetitio in lucta perseuerandum esse docet: quia si constanter persteтimus, non irriti tandem erunt nostri conatus. *Ne mouearis.* [v] Alii, ne te misceas. sed eodem verbo vtitur quo vsus est versu primo. *Vsque ad peccandum.* [c] Quidam vertunt, Saltem ad peccandum, acsi iuberet Dauid iram mitigare, ne ad nocẽdum prosiliat. Sed quum אך sæpe affirmet apud Hebræos, dubium non est quin Dauid potius doceat, fieri aliter non posse, nisi statim ac celeriter offensioni nostræ occurrerimus, quin ad peccandum nos impellat: sicuti alibi dicitur, Abrumpet Deus funem impiorum, ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas, Infrà, 125.a.3.

9 *Quoniam maligni excidentur: at expectantes Iehouam ipsi hæreditate accipient terram.*

Quoniam maligni excidentur. [v] Causam subiicit eorum quæ præcepit, nempe quòd excidẽdi sint improbi, boni terram hæreditariò possessuri. [c] Nec abs re idem sæpius inculcat, lætam & secundam fortunam, qua potiuntur impii, nihil esse aliud quàm laruam aut spectrũ: quia primus intuitus solus nostros occupat ne ad exitum attendant: vnde iudicium fieri decet. [a] Ergo quod virentis herbæ similitudine versu 2 dixerat, nunc absque figura pronuntiat, impios è terra excidendos. *At expectantes Iehouam ipsi hæreditate accipient terram.* [a] Hoc est, fruentur Dei promissionibus,& eis prosperè omnia succedent. [f] Notanda est antithesis inter duo membra. Prius impios excisum iri pronuntians,significat virere & florere donec maturum adueniat excidii tempus. Deinde fidelibus terram hæreditario iure assignãs, intelligit sic victuros vt Dei benedictio eos ad mortem vsque prosequatur. Porro à fine (vt paulo antè docuimus) æstimanda est hominum conditio. [a] sicuti etiam Iacobus de sancto viro Iob loquens, hortatur. Ecce, beatos dicimus eos qui sustinent. Tolerantiam Iob audistis, & finem Domini audistis, quòd valde misericors sit Dominus ac commiserans, Iac.5.c.11. [c] Ex epitheto etiam quod Dauid filiis Dei ascribit, colligimus dura militia eos exerceri, vt probetur eorum fides. Non enim pios vel iustos nominat, sed expectantes Iehouam. Quorsum autem ista expectatio, nisi sub crucis onere gemerent? [a] Necesse est igitur vt quisque nostrũ studioso animo reuoluat quod alibi habuimus, Expecta Dominũ, viriliter age,& confortabis cor tuum:& expecta Dominũ, Suprà, 27.d.14. [c] Et certè terræ possessio quã Vates filiis Dei promittit, non semper est oculis exposita: quia & peregrinos in ea vagari oportet, nec patitur Dominus sedem vsquam figere: quin potius circumagit, vt alacrius ad cælestẽ quietem aspirent. Caro enim semper hic nidulari cupit, atqui nisi instabiles huc & illuc feramur, obrepit cæli ac æternæ hæreditatis obliuio. In hac tamen inquietudine nõ eripitur ista terræ possessio cuius meminit Dauid: quia & certò sciũt se legitimos esse mundi hæredes: vnde fit vt tranquilla conscientia pane suo vescantur:& quãuis inopia laborẽt, Deus ipsorũ necessitatibus in tẽpore succurrit. [a] sicuti iam audiuimus suprà, 34.b.10.c.11. [c] Postremò quãuis è mundo eos exterminare conẽtur impii, & indignos reputent qui hauriant communem aërem, Deus tamẽ extenta manu eos protegit, [a] & omnia eorum ossa custodit, vt vnum ex eis non frangatur, Suprà, 34.d.21. [c] Denique sic eos virtute sua sustinet, vt securius in exilio viuant quàm impii in suo nido cui affixi sunt. Ita hoc bonum quod celebrat Dauid, interius est ac occultum ex parte: quia non capit carnis nostræ stupor quid sit possidere terrã. Et tamen verè ac luculento effectu sentiunt fideles non frustra sibi illud promissum esse: quoniam iacta in Deum anchora vitã de die in diem placidè transigunt. Et Deus re ipsa declarat vmbram manus suæ ad eos tuẽdos sufficere. [a] Emphasim habet illud המה. id est, Illi terram hæreditariò possidebunt. [a] q.d. Qui Dominum certa fide & patientia expectant, quãtumuis abiecti & mundo despicabiles videantur, tamen illi ipsi quos mundus è medio statim sublatos vellet, terram sunt hæreditate possessuri altissima cum pace: quemadmodum rursus versu 11 dicetur.

10 *Et adhuc paululum, & non erit amplius: contemplaberis locum eius, & non erit.*

Et adhuc paululum, & non erit impius. [c] Confirmat proximam sententiam, [a] dicens, ne affligat mora, per breui excidendos improbos radicitus, ita vt considerantibus locum eorum nihil sit de eis appariturum reliquum: quum mansueti, qui se Domino consecrarunt,& cruci subiecerunt, terram sint hæreditariò possessuri cum summa quiete & pace, eáque huiusmodi vt omni bonorũ genere affluant, planéque delicientur. [c] Obiicere enim promptum esset, longè alium mundi statum à nobis conspici quàm prædicet Dauid, quia impii in suis deliciis exultant: fideles verò assiduo languore miserè tabescunt. Itaque à præcipiti iudicio nos reuocans, ad exiguum tempus quiescere nos iubet, dum radicitus illos Dominus euellat, gratiæ verò suæ efficaciã erga eos declaret. Hanc ergo prudentiam à fidelibus requirit, vt iudicium suum paulisper suspendant, donec è cælo ostendat Deus adesse tempus plenitudinis: atque ita non subsistant in singulis momentis, sed mẽtem extendant ad Dei prouidẽtiam. *Et contẽplaberis locum eius,& non erit.* [v] Hebraismus, pro, Quumque contemplatus fueris, siue aduerteris animum diligẽter, vt scias locum vbi habitat, nusquã reperies. [a] Vide versum huius Psalmi tricesimumquintum.

11 *At mansueti hæreditate capient terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

At mansueti hæreditate capient terram. [v] At afflicti, humiles, [a] qui improbos virtute euincunt, bonis maximis perfruentur,& terræ hæreditate cum pace gaudebunt. [c] Quòd nunc pro expectantibus Iehouam mansuetos ponit, optima ratione nititur. Nisi enim quis statuat Deum mirabiliter suos tueri non secus atque oues inter lupos, vim vi pellere semper tentabit. Sola igitur spes mansuetudinem ex se parit: quia frænando carnis impetus, feruorémque placando, ad æquitatem & tolerantiam erudit qui se Deo subiiciunt. Atque hinc videtur sumpsisse Christus quod in Euangelio legimus, Beati mites: quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ, Matth.5.a.5. *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Etsi pacis nomen generaliter apud Hebræos sumitur pro omni prospero rerũ successu, melius tamen huic loco conueniet alter sensus, quòd dum impii turbas sibi mouebunt, & Deus vndique ipsos terroribus implicabit, fideles se multa pace oblectabũt. non quòd expertes sint omnis molestiæ, sed quia interior animi tranquillitas illos fulciat, vt momẽtaneum esse reputantes quicquid perturbationum sustinent, spe serenitatis permissæ interea lætentur. [a] Etenim hoc discrimen est inter filios huius seculi & filios Dei, vt illis nunquam vera pax contingat, propter assiduum animi cruciatum qui ex peccato nascitur: hi verò summa quiete gaudeant non intus modò, verùm etiam inter præsentis vitæ negotia, quæ cũ aliis hominibus habent communia. Norunt enim quòd quæcunque ab impiis aduersa sibi inferuntur, exercitia sunt pietatis & certa speratæ salutis adminicula.

12 *Cogitat impius contra iustum: & frendet aduersus eum dentibus suis.*

Cogitat impius contra iustum. [v] זמם. Molitur, machinatur. [a] q.d. Dolosè cogitat, vt inueniat ansam calumniandi iustum ac prorsus opprimendi. [c] Præuenit Dauid quod obiici poterat contra proximam sententiam. Vbi enim serena quies & lætitia, quum improbi insaniant, & nihil nõ moliantur cõtra Dei filios? Deinde quomodo in posterum bonam spem fouebunt qui vident multis se mortibus circundatos? Respõdet igitur Dauid, quanuis eorum vita petatur variis periculis, quicquid tamen machinentur impii, tutus esse Dei ope & præsidio, ac in sempiternum saluos fore. Ita consilium Dauidis est timori nostro occurrere, ne impiorũ malitia nos vltra modum terreat, acsi essemus eorũ libidini expositi. [M] Est certè non mediocris est tentatio quòd

impii iustos perpetuo odio, insidiis & quibusuis malis persequuntur: vt meritò dixeris impiorum odium aduersus iustos esse fatale & inextinguibile. ᵃNotum enim est quod dicit Apostolus, Quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum Spiritum, ita & nunc, Gal. 4 d. 29. Et iterum, Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2 Timoth. 3. c. 12. ᵇNecesse igitur erat vt huic tentationi Propheta occurreret, docens irritos tandem fore omnes impiorum conatus, & pios Dei manu ereptum iri. *Et frendet aduersus eum dentibus suis.* ᵐSignificat his verbis perpetuum hoc esse & constans impiorum ingenium, vt iustos summo odio prosequantur. Et vsqueadeo est hoc ingenii commune omnibus impiis, vt nulla sit cognatio, nulla ne naturalis quidem & vterina necessitudo, per quã impediatur. Id quod videre est in Abel & Cain, Ismael & Isaac, Esau & Iacob, quos exempli vice commemoramus. Dentium frendor impiis tribuitur, quòd vindictæ cupiditate & nocendi desiderio semper ardeant. Vide Act. 7. g. 54, in occisione Stephani.

13 [Sed] *Dominus irridebit eum: quia videt quòd veniat dies eius.*

Sed Dominus irridebit eum. ᵇ Q. d. Quæcunque molitur impius, Deus facilè impediet. ᶜFatetur Dauid improbos tam fraudibus instructos esse ad nocendũ quàm virulẽtia & rabie ardere, quũ dicit eos consilia insidiosè excudere & frendere dentibus. sed hoc concesso mox addit irritos fore eorum conatus. Quanquã frigidè videtur nostris doloribus mederi: tantùm enim Deũ ridentem inducit. Quòd si curæ habet salutem nostram, cur non maturè ad resistendum festinat, séque acriter opponit hostiũ nostrorum furori? Sed hæc iusta patientiæ nostræ probatio est, (vt dictum fuit suprà, 2. b. 4.) quòd Deus non statim armatus prodit ad impios profligandos, sed conniuet ad tẽpus, manumque suspendit. Quia autem sensus carnis nimis lentum esse putat, & ex cessatione colligit otio suo contentum negligere res humanas, non parum efficax ista consolatio est, cum ridentem fide intuetur: quia inde statuimus non stare in cælo ignauum, vel clausis oculis mundi gubernationem fortunæ permittere: sed cõsultò cessare, quia interim eorum stultitiã despicit. ᵐBene ergo nobis quòd Dominus non ignorat cogitationes & consilia impiorum. Deinde & ipsa irrisionis causa plurimam consolationem adfert. Quæ illa? Quòd scilicet impossibilia conantes irridet. Quare impossibilia, quum sint potentes in hoc seculo, contrà, iusti imbecilles? Ideo scilicet quòd quum Dominus sit cum & pro iustis, non potest non irritum esse quicquid illis mali intẽtatur. Rideamus ergo & nos impios omnes, & nihil dubitemus irrisioni olim exponendos, qui iam à Domino irridentur. *Quia videt quòd veniat dies eius.* ᶜ Ne rursus obmurmuret caro cur ridere malit Deus quàm vlcisci, ratio additur, quia videt propinquum esse diem interitus. Vnde enim fit vt rerum indignitas nos cõturbet, nisi quia vbi subitum remedium non apparet, de meliore statu desperamus? Qui autẽ videt carnificẽ exerto gladio stare à tergo scelerati hominis, iam vindictam nõ expetit, sed læto potius spectaculo fruitur. Ideo admonet Dauid minimè consentaneum esse vt Deus nostro more succenseat, qui impios videt exitio propinquos esse. Tacitè enim hic Deus ab hominibus discernitur, qui inter res turbulentas cæcutiunt, neque præ anxietate & metu possunt ridere: quin potius moræ tædio fremũt & indignãtur. Atqui non satis est tenere aliam esse Dei rationem, nisi discamus patienter flere in Dei risu, vt lachrymæ nostræ sint obedientiæ sacrificium. Interim rogandus est vt nos suo lumine illustret: quia sic fiet vt fidei nostræ aspectus eiusdem risus nos faciat participes in media tristitia. ᵃObseruemus hic diem esse constitutum certum & fixum quo pereundum est impiis: deinde illum non tardare, sed aduentare ac esse velut in itinere. Sic versu 2, Tanquam herba velociter succidentur, & versu 10, Adhuc paululum, & non erit impius. Nam quum videbuntur perdituri pios ac iustos, inopina vltione opprimentur, & radicitus excidentur.

14 *Gladium euaginauerunt impij, & tetenderũt arcum suum, vt ruere faciant pauperem & inopem, vt iugulent rectos via.*

Gladium euaginauerunt impii. ᶜ Nunc longius progreditur Dauid, quòd scilicet impii gladio & arcu armati mortem filiis Dei minitentur: idque facit vt tentationes præueniat quibus alioqui nos deiici necesse foret. Neque enim Dei promissiones in vmbra & quiete locum habẽt, sed in grauissimis pugnis. Ergo nũc docet pace illa de qua versu vndecimo disseruit, minimè priuari iustos, quanuis præsentem illis mortem impij intentent. Ac sic resolui debet oratio, quanuis gladium exerant peccatores, & arcum tendant in perniciem iustorum, quicquid tamen conantur, exitiale ipsis fore. ᵐNam omnes illorum conatus aduersus iustos irriti erunt & vani. *Et tetenderunt arcum suum.* Q. d. Paratissimi sunt ad nocendum, nisi illis resistatur. Sic alibi, Certè ecce impii tendunt arcum, aptarunt sagittas super neruum, vt iaculentur in occulto contra rectos corde, Suprà, 11. a. 2. *Vt ruere faciant pauperem & inopem.* ᴵ Hoc est, vt omni humano præsidio derelictos opprimant, & prosternant. *Vt iugulent rectos via.* Vt integros & bene de Deo sentientes occidant, & quantum possunt persequantur eos qui rectè incedunt. ᶜNotandæ sunt loquutiones quibus exprimitur misera iustorum cõditio, donec ipsis tandem succurrat Deus. Vocantur enim egeni & pauperes: deinde comparantur victimis; quia nulla ad hostiam vim repellendam suppetit facultas, sed potius sub eorum pedibus oppressi iacent. ᵃquemadmodum Paulus testatur Rom. 8. g. 36. ᶜVnde sequitur, minimè eis in hoc Psalmo promitti felicitatẽ cuius æquabilis tenor semper appareat, sed in miseriis & afflictionibus spem illis læti exitus proponi, quo se sustineant. Cæterùm quia malos quoque sæpe contingit sua culpa exosos esse, & duriter vexari, addit rectos via, præter meritum affligi significans. Prius dixerat rectos corde: quo verbo laudata fuit interior cordis integritas. nunc verò probitatem in externis vitæ officiis commendat: atque ita ostendit non modò iniustè affligi qui nullis maleficiis hostes suos prouocauerint: sed dum lacessuntur iniuriis, non deflectere tamen à rectitudine. ᵃsicuti Dauid ipse de se testatus est, dicens, Ego autem in integritate mea ambulabo, Suprà. 26. d. 11.

15 [Sed] *gladius eorum intrabit in cor ipsorum, & arcus eorum confringetur.*

Gladius eorum intrabit in. ᵇ Hoc est, se suo gladio iugulabunt, & in laqueum incident quẽ aliis parauerunt. ᶜ Non iam de risu loquitur Dauid, sed vindictã impiis denuntiat: quemadmodum alibi vidimus, postquam dissimulando aliquandiu passus est Deus impios proteruire, deinde in ira sua loqui ad eos prosternendos, Suprà, 2. a. 4. ᵐSumma autem est, adeo nihil profecturos, vt gladius quem strinxerant, rediturus sit in eorum viscera, & arcus conterendus: ᵐiuxta illud, Malũ consilium consultori pessimum. ᵃEt, Puteum fodit, & effodit eum, & cecidit in foueam quam fecit, Suprà, 7. d. 16. ᴮHæc verò si credere daretur, quàm securo animo Domino sileremus, ac præstolaremur dum nos à vi malorum assereret!

16 *Melius est paululum iusto quàm diuitiæ impiorum multæ.*

Melius est paululum iusto. ᴱ Versus hic sine vlla probabili causa variè hactenus expositus fuit. המון quidem Hebræis nunc magnam hominum turbam, nunc rerum abundantiam significat, interdum etiam epitheton numeri pluralis cum substãtiuo singularis numeri iungitur. Sed qui in hunc sensum trahunt verba Dauidis, paucos iustos impiorum multitudini præstare, apertè ea deprauant, ac totam sententiam corrumpunt. Alii exponunt, exiguum quod possidet iustus, melius esse magna impiorum affluentia. Atqui nulla necessitas cogit, contra grammaticæ rationem nomen רבים (quod multos vel magnos significat) torquere ad nomen המון. Itaque dubium non est quin Dauid tenuem vnius iusti fortunam cum opibus & copiis multorum impiorum comparet. Quanquam epitheton רבים non ineptè sumetur pro magnatibus, qui authoritate & potentia valent. Dauidis certè consilium minimè obscurum est, quanuis impii excellant in mundo, referti sint magna abũdantia, & suis opibus confidant, pauxillum tamen quod possidet iustus, pluris esse quàm omnes illorum aceruos. ᵐ Atque hoc optimum remedium tentationis eius est qua subinde tentãtur pii, ob multitudinem scilicet & potẽtiam diuitiarum, quibus impii in hoc seculo abundant, quibusque omnia posse videntur, & ita corroborari vt à nemine prosterni queant. Sic enim infirmi cogitare possunt, (sicuti etiam alibi habetur) Quomodo cognouit Deus? &, an est scientia in excelso? Ecce isti impii & abundantes in seculo obtinuerũt diuitias, Infrà, 73. b. 12. Huius rei meminit & Iob, cap. 21. a. 7. Isti tentationi occurrit Vates, ᵃ præferens pauxillum iusti omnibus impiorum diuitiis. Atque hinc colligimus Dauidem non tam de externo statu disserere quàm de arcana benedictione Dei, quæ verè iustos locupletat: quia etsi in diem victitent, è cælo tamen non secus ac manna pascuntur: quũ impii semper esuriant, vel in sua abundantia sepulti putrescant. Quò etiam spectat quæ mox additur ratio.

17 *Quia brachia impiorum confringentur: sustentat autem iustos Iehoua.*

Quia brachia impiorum confringentur. ᵃ Q. d. Omnes impiorum opes euanescent ilico, hæreditas autem iustorum, fauente eis Domino, perpetua erit, nec possunt vllo vnquam bono destitui. ᴱSignificat Vates nullam in mundo esse stabilitatem nisi manu Dei suffultam. Quum ergo soli iusti à Deo fulciantur, impiorum verò robur frangendum sit, ᵃsequitur impiorum miseram esse conditionem, hoc est vanam ac instabilem. ᵐVn-

de Christus diuitiis dat fallaciam, Matth. 13.c.22. & Paulus incertitudinē, 1. Timoth. 6.d.17. [b]Brachia pro robore Dauid posuit, & intellexit robur facultatum. [a]Quando ergo huius seculi potentes & diuites non in Deo viui, sed in caducis rebus spem suam collocant, necesse est eos tandem pudefieri, & corruere: sicuti postea videbimus, Videbunt, (inquit) iusti, & timebunt, & super ipsum ridebunt, & dicens, Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam, & sperauit in multitudine diuitiarum suarum, corroboratus est in prauitate sua, Infrà, 52.b.8. Proinde videmus iterum hoc loco, vt rite & prudenter æstimetur vera fœlicitas, oculos in futurum tempus tollendos esse, imo dirigēdos ad occultam Dei gratiam & abscondita iudicia: quia nisi fide persuasi simus Deum nos in sinu paterno fouere, semper nobis molesta erit nostra tenuitas: rursus, nisi occurat nobis ista brachiorum fractio, impiorum fortuna nobis in pretio erit. Quòd si penitus infixa erit cordibus nostris hæc doctrina, vbi didicerint fideles in fulturam benedictionis Dei recumbere, non minus suauiter & iucundè pauxillo se oblectabunt quàm fortiter altos opum cumulos quibus gloriantur impii, quasi ex alto despicient. *Sustentat autem iustos Iehoua.* [b]Hoc est, fauore suo suffulcit, agnoscitque dies eorum. hoc est, vitæ eorum curam gerit. Quare eorum hæreditatem (id est bonorum possessionem) sempiternam esse oportet: nec vnquam pudefiens necessariis destitui, quantumuis aduersa tempora incidant: sicuti mox dicetur. [c]Interea monemur, quàdiu propriis viribus nituntur & suo robore insolenter se iactans impii, expectādum esse dum conterat Deus ipsorum brachia. Nostræ autem infirmitatis hoc optimū esse solatium, quòd nos Deus ipse sustinet, & fauore suo dignatur: [a]qui omnibus huius mundi thesauris meritò præferendus est.

18 *Nouit Iehoua dies integrorum, & hereditas eorum in seculum erit.*

Nouit Iehoua dies integrorum. [a]Confirmat altera ratione fœlices esse iustos, (quos hic vocat integros ac sinceros) quòd scilicet Domino sint curæ, [c]adeo vt omnibus eorum necessitatibus optimè prospiciat. Vtilis autem & valde necessaria est hæc doctrina. Videmus enim quàm propensa sint ad dubitationem hominum ingenia, & quàm eos sorqueant superfluæ curæ, quibus finem & modum ponere nequeunt. Interea obrepit alterū vitiū, dum volunt vltra quàm liceat esse prouidi: & tamē, vt acumine & industria polleāt, subinde in capiendis cōsiliis labūtur: deinde successus eos non rarò destituit. Quare nihil vtilius est quàm assiduè nobis proponi Dei prouidentiam, quæ sola optimè nobis consulere potest. Hac ratione nunc dicit Dauid dies iustorum Deo esse cognitos. hoc est, eum minimè latere quibus subiacerant periculis, & quibus subsidiis opus habeant. Huius autem doctrinæ vsus ad singulas mutationes aptandus est quæ nobis ruinam minātur. Vtcunque enim versemur ac iactemur, atque ipsa varietas singulis momentis præsentem mortem ostentet, sufficere nobis debet hæc cōsolatio, non solum dies nostros à Deo numeratos esse, sed varios etiam casus, qui nobis subeundi sunt, ei esse cognitos. Quum sic inuigilet Deus ad tuendam nostram salutem, in hac peregrinatione non secus animos quiescere nos conuenit quàm in fundo hæreditario. Quoniā enim à Deo respicimur, inde colligit Dauid hæreditatem nostram esse perpetuam, dicens, *Et hereditas eorum in seculum erit.* Hoc est, eorum possessio sempiterna erit. [m]E regione colligi potest dies impiorum Deo esse odibiles, atque ideo non diuturnos: iuxta illud, Impii non dimidiabunt dies suos, Infrà, 55.d.24. Quis autē non intelligit, in vsu & fructu eius fœlicitatis quæ est ex opulentia, potissimum esse si vita permittatur diuturna? Ad quid enim diuitiæ valebunt ei qui in medio cursu hinc abripitur? Hoc est quod diuiti in Euangelio diuinitus dicitur, Stulte, hac nocte repetent animam tuam abs te: & hæc quæ parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & nō est in Deo diues. Luc. 12.c.21. Caeterùm quum Dauid integros dicit protegi a Domino, nos ad sincerum probitatis studium hortatus: ac, si cupimus sub Dei præsidio tuti latere, mansuetudinem colamus, facessatque à nobis diabolicum illud prouerbium, Inter lupos vlulandum esse.

19 *Non afficientur pudore in tempore malo: & in diebus famis saturabuntur.*

Non afficientur pudore. [a]Hoc est, nō patientur repulsam à Deo, [b]petentes redemptionem à periculis: quia spem suam in Deum collocarunt: quæ sola hoc habet (sicuti sæpe dictum est) vt non pudefaciat. *In tempore malo.* [a]Hoc est, tempore aduersitatis, tempore belli aut famis. [m]Temporis mali magnus est etiam apud impios metus. Sed quomodo se in illud parant? Instruunt se magnis copiis, atque ita putāt se optimè instructos aduersus mali temporis impetum. Sed spes seu desideriū impiorum peribit, loquitur Propheta, Infrà, 112. b.10. *Et in diebus famis saturabuntur,* Q.d. [b]Abundabunt iusti omnibus bonis, curante Deo, cui se commendauerunt, impiis omni bono & Domini fauore destitutis. [c]Docet autem hic versus non promitti immunitatem fidelibus qualem expeteret caro, ab omnibus incommodis, sed liberationem: quæ etsi reipsa percipitur, non tamen gustatur nisi fide. Nam duo hæc coniungere oportet, sicuti malis in hoc mundo permisti sunt fideles, ita famem & res aduersas vtrisque esse communes: vnum esse discrimen, quòd Deus in necessitate suis manum porrigens, impios deserit. Siquis obiiciat, malos sæpe tempore famis lautè epulari & largiter saginari, quum boni inedia laborent: respondemus, saturitatem cuius hic fit mentio, præcipuè in eo sitam esse quòd quum tenuiter victitent fideles, imò ieiuni ac steriles ad parcum victum suspirent, Deus tamen ipsos alit non secus acsi suppeteret longè vberior copia quàm incredulis, qui totum mundum sine satietate ingurgitant. Adde etiam, temporales istas benedictiones (vt alibi diximus) non semper esse perspicuas, vt æquali modo fluant. Nam quanuis aperta sit Dei manus, ipsi sumus restricti, & nostra infidelitas non leue obstaculum est eius beneficentiæ. Iam quia statim diffluere caro nostra, restrictius nobiscū agit Deus: & ne sua indulgentia nos corrumpat, parcè erogando quod alioqui plena copia largiri paratus esset, ad frugalitatē nos erudit. Certè quisquis expendet quàm simus omnes ad lasciuiam & delitias propensi, esuriem qua Deus exercet suos fideles non mirabitur. Caeterùm quanuis non suppeditet Deus quantum satis esset ad nos saturandos, nisi tamen nobis obstet nostra ingratitudo, in fame etiam & egestate sentiemus benigne & liberaliter ab ipso nos ali. Reliqua quæ ad huius loci expositionem facere possunt, vide suprà, 33.d.18.19, & 34.b.10.12.

20 *Quia impii peribunt, & inimici Iehouæ sicut pretiosum agnorum consumentur, in fumo consumentur.*

Quia impii peribunt. [c]Particula causalis כי aduersatiuè posita est: nisi fortè altius sententiam repetere placeat. Sed aptius cohærent ista antitheta, quòd iusti satientur in fame, impii autem etiam in media abundantia pereant: quia scilicet vbi sua copia confidunt, Deus occultis modis eos in nihilum redigit: [f]quia non credunt eum prouisorem, liberatorem, Patrem. *Et inimici Iehouæ.* [c]Dauid impios vocans Dei inimicos, admonet eius vindicta iustè opprimi, quam suis sceleribus sibi accersunt. [m]Magna etiam consolatio est piis omnibus, quòd inimici Domini sunt qui eos odio habent, & impiè agunt. [b]Non est igitur quòd sibi metuant fideles, acsi causa cadere possent, quum Deus, qui eos tuetur, satis fortis sit & potens ad omnes hostes non tam iustorum quàm suos facilè prosternendos. *Quasi pretiosum agnorum consumentur.* [v]Quidam vertunt, Sicut pretiositas agnorum: aut, sicut id quod pretiosum aut optimū est in agnis: & volunt periphrasim esse adipis, acsi diceretur, Peribunt sicut adeps agnorū. [f]Sed quum יקר præstantiam (vt alibi diximus) Hebræis significet, dubium non est agnos selectiores & eximiæ pinguedinis notari: quod optimè ad antithesin quadrat. Hinc enim discimus (quod etiam docet alter Propheta, Ierem. 12.a.3) sagināri impios in diem mactationis, vt eorum interitus maturior sit, quo lautius fuerint tractati. [a]Sunt tamen qui כרים pro campis, & יקר pro herba accipiunt qua campi decorantur, vt pretiosum camporum dici queat. nisi malis metathesin esse יקר pro ירק. Verùm mox præcedens interpretatio certior videtur, vt locus hic de agnis præstantioribus intelligatur. *In fumo consumentur.* [c]Hoc est breui euanescent: quia nihil suberit in illis firmi vel solidi. Qui per nomen pretii adipem intelligunt, ad fumum cōsumi interpretantur, sicut pinguedo liquefit vel arescit. Sed videant lectores priorem sensum melius congruere. [a]Conuenit enim hæc sententia cum ea quam iam audiuimus. Quoniam tanquam fœnum velociter succidentur, & tanquam herba virens marcescent. [b]hoc est, valdè subitò annihilabuntur, [v]dispersibunt, euanescent. [a]Quæ enim est horum vita nisi vapor fumi, (vt inquit Iacobus cap. 4. c. 14) qui ad exiguū tempus apparet, & deinde euanescit?

21 *Mutuatur impius, & non soluit: sed iustus donat & dat.*

Mutuatur impius, & non soluit. [m]Habet hic versus amplificationem & auxesim eius quod suprà versu 16, paululum iusti ingentes impiorum copias excellere, dixit. Declarat enim quàm non solùm sibiipsi satis habeat iustus, sed tam efficax sit quæ ipsum prosequitur Dei benedictio, vt ipse aliis etiam ex modica & tenui sua facultate succurrat. [c]Falluntur tamen qui putant hic malæ fidei damnari impios, quòd fraudando alienum capiant: rursus laudari in filiis Dei humanitatem, quòd parati sint ad leuandam fratrum inopiam. Potius enim Dei benedictionem erga pios commendat Propheta, & ex opposito, testatus impiis nunquam satis esse. Summa igitur est, Deum abunde largiri suis vnde sint erga alios benefici, impios autem semper esse famelicos

eos, vt eos ad fraudes & rapinas cogat inopia. Et certè nisi oculis nostris obiectum esset stuporis & socordiæ velum, quotidie apparerent huius rei documenta. Nam quantumuis abundent impii, facit tamē inexplebilis eorum cupiditas vt hinc inde quasi prædones rapiant, neque vnquam sint soluendo: interea suppeditat Deus filiis suis quod non modò sufficiat in mediocres vsus, sed vnde etiam alios iuuent. Non quidem negamus reprehendi impios quòd intemperanter omnia vorando suos creditores fraudent: laudari etiam iustos, quòd in rectum finem vtantur Dei beneficentia: sed consiliū Prophetæ est docere quid valeat Dei benedictio. [m]Q.d. Tam excellit iusti fœlicitas copias impiorum, vt quum impii semper hinc inde capiant & prædentur, imò ne ea quidem soluant quæ mutuò acceperunt, iustus ita abundat vt de suo quoque largiatur aliis. Videtur Propheta respexisse ad locum illum Mosis, vbi sic legimus, Si audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ ego præcipio tibi hodie, benedicet tibi, vt pollicitus est. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nemine mutuum accipies, Deut. 15. a. 6.

22 *Quia benedicti ab eo, hæreditate accipient terram: & maledicti ab eo excidentur.*

Quia benedicti ab eo, hæreditate. [c]Hic versus sensum quem nuper adduximus cōfirmat. Nam discrimen statuitur in Dei benedictione vel maledictione. Ergo si quæritur vnde filus Dei ad inopes iuuandos & exercendam beneficentiam facultas, cur impii æs alienum assiduè contrahant, cuius solutio extorqueri nūquam potest: respondet Dauid illos esse benedictos à Domino, hos autem eius maledictione pessundari. [m]Discimus ex hoc loco, ex gratia & beneuolentia Domini veram esse fœlicitatem, & ex illius indignatione summam infœlicitatem: [t]sicut Solomon ait, Benedictio Domini diuites facit, Prou. 10. c. 22. [c]Quod actiuè quidam מברכיו exponunt, Benedicentes iusto, coactū nimis est. Sūma enim est, neque à cælo neque à terra nobis prouenire quicquid ad tuendam vitā & colenda humanitatis officia necessarium est, sed profluere à solo Dei fauore: si autem gratiam suam subducat, totius mundi affluentiam non posse nobis sufficere. [a]Hoc ipsum multis docet Christus Matth. 6. d. 27. Et alibi, quum dicit, Videte & cauete ab auaritia: quia non in abundātia cuiusquam vita eius est ex iis quæ possidet, Luc. 12. b. 15. *Et maledicti ab eo excidentur.* [b]Quemadmodum Deus suis prospicit in omnibus etiam iis quæ ad vitæ præsentis vsum pertinent, ita impii tam hic quàm alibi in desideriis fatiscessent, & miserè torquebuntur, donec penitus perierint. [a]Quia totum opulentia non poterit eos liberare ab ira & furore Domini, quem suis sceleribus & impio Dei contemptu sibi thesaurizarunt.

23 *A Iehoua gressus hominis diriguntur, & viam eius vult.*

A Iehoua gressus hominis diriguntur. [c]Quidam simul hæc duo connectunt, Dei gratia præparari gressus piorum, quòd scilicet non propria virtute sequantur homines quod iustum est ac rectum, sed quatenus Spiritus Domini eos gubernat: vnde secundum colligunt, Deum fauore prosequi & probare quod suum est. Sed Dauid simpliciter diuinæ erga pios benedictionis elogia continuat: in quibus hoc meritò celebrandū est, quòd quicquid instituunt, in fœlicem & optabilē successum ab illo dirigitur. *Et viam eius vult.* [v]Futurum pro præsenti. Et viæ eius fauet, vel viam eius gratam habet, aut via eius grata est ei. [c]Notanda hic ratio est cur Deus secundet ac bene fortunet omnes euentus in cursu vitæ nostræ: nempe quia nihil tentamus quod non ei placeat. Nam copula particulæ causalis loco posita est: atque ita resolui debet sententia, Quoniam Deo grata est piorum via, gressus ipsorum ad lætum finem adducit: vt sensus sit, Quia videt Deus fideles recta conscientia agere, neque deflectere à via quam præscripsit, ideo benedicit ipsorum studia. Et certè quum generaliter loquatur Propheta, certum tamen sit de solis fidelibus haberi sermonem, posterius membrum expositiuè accipere necesse est: ita via pro instituto & ratione viuēdi ponitur. acsi diceret nihil aliud esse propositum piis nisi vt ad Dei vocationem vitam suam forment, ac sequantur quod ille mandat. Gressus autem ad externos euentus referuntur. [m]Sic de iusto prius cecinit, Et erit tanquam arbor plantata super riuos aquarum, quæ fructum suum dabit tempore suo, & cuius folium non defluet, & quicquid faciet, secundabitur, Suprà, 1. a. 3. Hinc admonemur neminem prosperari posse qui propriis carnis consiliis ducitur ac regitur.

24 *Quum ceciderit, non collidetur: quia Iehoua sustentat manum eius.*

Quum ceciderit, non collidetur. [v]Futurum Hebræum, quod per præsens verti potest, Quum ruit, non corruit: quum cadit, non collidirur. [c]Vulgò hic versus locum prouerbii obtinuit, siquādo iustus delinquat, lapsus eius non esse mortiferos: sed nihil hoc ad Dauidis mentem, qui de piorum fœlicitate cōcionatur. Simplex ergo doctrina est, vbi Deus seruos suos calamitatibus affligit, eas simul mitigare, vt non prorsus succūbant: sicut Paulus dicit deiici quidem ipsos, sed non perire: laborare, sed non destitui, 2. Cor. 4. c. 9. [a]Et prius hunc Prophetam dicentem audiuimus, Multa mala iusto, & de omnibus his liberabit eum Dominus. Custodit omnia ossa eius, vnum ex his non est fractum, Suprà, 34. d. 20. [c]Quidam non collidi iustos dicunt, quia non despondent animum, sed potius inuicta fortitudine sustinent quicquid oneris incūbit. Et certè fatemur hanc esse causam cur non obruantur, quia propter mollitiem nō succumbant oneribus. latius tamen extendimus verba, sic paterna Dei clementia temperari piorum ærumnas, vt sub mole non fatiscant, vel cadendo non ruant præcipites. Ex quibus verbis discimus, fideles, quamuis Deum purè colant, & innocentiæ studeant, non tamen stabiles semper manere in eodem gradu, sed multis incommodis quatefieri & deiici: tantùm hoc inter eos & incredulos esse discrimen, quòd ruinæ lethales non sunt. Scimus enim, etiam si leniter percutiat Deus reprobos, cedere illis in causam vltimi exitii. Vlterius progreditur Solomo, dicens iustum septies vno die cadere, & toties resurgere, Prou. 24. b. 16. Quibus verbis admonet non rarò affligi pios in vita, sed & quotidianis exercitiis probari, neque tamen vnquam deseri à Domino. [b]Nam illic admonet Solomon nequis impius requiem iusti turbare nitatur: quia etsi effecerit vt cadat, nequeat tamen ille perire, eo quòd semper releuetur à Domino. *Quia Iehoua sustentat manum eius.* [b]Hoc est, tenet manum iusti, ne cadat, instar pueri palpitantis. [c]Notandum hic est leuissimum quemque casum ad nos conterendos satis fore, nisi Dominus manum supponeret. [a]Hinc Paulus, vbi fideles dixit habitos esse velut oues quæ mactationi destinātur, mox subiecit, Verùm in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos, Rom. 8. g. 36.

25 *Puer fui, etiam senui, nec vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.*

Puer fui, etiam senui. [b]Testatur Vates se ipsa edoctum experientia, non posse iustum deseri à Domino. [c]Quum enim ad senium vsque progressus esset, negat se vidisse quenquam ex iustis vel ex eorum posteris mēdicare panē. Sed ex re ipsa difficilis & perplexa quæstio nascitur: quia certū est multos iustos ad mendicitatē redactos esse. Quod autē de sua experiētia prædicat Dauid, ad omnes ætates pertinet. Adde quòd ex Mose sententiam hanc hausit. Nam mendicitas inter Dei maledictiones censetur: & ab ea Dei cultores Lex disertè eximit, Deut. 26. a. 4. Quomodo igitur conueniet, neminem ex iustis mēdicum fuisse, quum Lazarum inter abiectissimos mendicos statuat Christus? Luc. 16. e. 20. [m]An simpliciter ex verbis Prophetæ colligi oportet mendicitatem signum esse impietatis? Sed ne frustra grauentur boni, videndum est quomodo sit intelligenda Prophetæ sentētia, ne cogamur vel mendacii arguere dictum Prophetæ, vel temere quosuis condemnare mendicos. [m]Proinde memoria tenendum est quod prius attigimus, in temporalibus Dei beneficiis nō posse præfigi certum & æquabilem modum. Sunt enim multiplices causæ cur non peræquè suum erga omnes pios fauorem declaret Deus in mundo: quia alios castigat, dum aliis parcit: quorundam occultos curat morbos, ab aliis abstinet, quia opus non habent simili remedio: quorundam patientiam examinat, prout Spiritu fortitudinis instruxit: quosdam denique proponit in exemplum. Promiscuè autem omnes iræ suæ signis humiliat, vt talibus stimulis excitentur ad pœnitentiam. Denique variis afflictionibus ad cælestis vitæ meditationem eos inuitat: neque tamen irritum est vel inane quod Lex pronuntiat, terrenis benedictionibus Deum seruos suos dignari, vt documēta sint sui erga eos fauoris. Fatemur, inquam, non frustra neque de nihilo promitti fidelibus copiam quæ ad victum sufficiat, modò addatur exceptio, quatenus scilicet expedire Deus nouerit. Sic enim fiet vt refulgeat in communi hominum vita Dei benedictio, & tamen inopia quidam fideles laborent: quia ipsis vtile est. Quòd si ad mendicitatem redigi contingat quempiam ex fidelibus, sursum tollendæ sunt mentes ad beatam illam hæreditatem, vbi largè rependet Deus quicquid fluxis suis benedictionibus nunc deest. Tenēdum etiam alterū illud, si fideles communiter iisdem pœnis inuoluat quibus impios vlciscitur, quum iisdem videat morbis implicitos, in eo nihil esse absurdi. Nam etsi vsque ad Dei contemptum non prosiliunt, neque addicti sunt sceleribus, neque etiam sibi placent vel defixi sunt in suis vitiis, non tamen soluti sunt omni reatu. Quare non mirum est si temporalibus pœnis interdum subiaceant. Hoc interea verum est, Deum suis prospicere, vt sorte sua contenti nulla re egeant: quia parcè victitando liberaliter interim viuunt: sicuti dicit Paulus, Didici abundare, didici & penuriam pati, Philip. 4. c. 12. [m]Adde quòd Propheta hortatus ad studium iustitiæ, misericordiæ & beneficentiæ. Illi plerunque tentatio futuræ penuriæ negotium facit, quasi passurus sit inopiam

iustus ex eo quòd iustitiæ & beneficentiæ studet. Hoc pernegat. Interea tamen non negat subinde euenire vt iustus quoque in casu vel priuato vel communi ad horam necessitate famis prematur. Nam & ipsi hoc vsuuenit, quum cogeretur panem petere à sacerdote Ahimelech, 1.Sam. 21.b.6. Item à Nabal, ibidem, 25.a.5. Et idem contigit Eliæ Prophetæ, qui panem petiit à vidua Sareptana, 1.Reg. 17.b.11. Verùm propriè loquendo, tales casus transitorii non reddunt mendicum: sed mendicus rectè is dicitur qui mendicitate perpetua sese sustentat, (qualis erat ille cæcus à natiuitate, quem Christus illuminauit, Iohan.9.b.8. [A] & claudus, Act. 3.a.2.) non autem is qui semel atque iterum fame adactus panem petit à proximo. [A] Quanquam fieri etiam potest vt iustum perpetua mendicitas affligat, sicuti paulo antè dictum est, etsi id rarò contingit. [M] Vix enim semen iusti eò necessitatis adigitur vt panem mẽdicando quærat. Variæ autem sunt mẽdicitatis causæ. Quibusdam causa est vel sua vel maiorum suorum ignauia, aliis vita flagitiosa, qui sua vel ludendo vel potando vel scortando temere consumpserunt: nõnullos impellunt morbi & defectus corporales, vtpote cæcos, claudos, mutilos, hulcerosos: alios perdidit casus quidam tristis vel priuatus vel cõmunis: priuatus, vt solet in incendio fieri: communis, vt vastatio bellica. Sunt quos tyrannis diuitum & potentum eò adigit vt mendici fiant. Quum itaque variæ sint causæ, vix certi quicquã statui potest in vniuersum de mendicitate. Hoc tamen verum esse deprehenditur, quòd innumera flagitia reperiri in mendicis diximus quæ certè impietatis sunt indicia. Nequimus enim impietatem aliter iudicare quàm ex vita flagitiosa, velut arborem ex fructu. Interea tamen non possunt omnes dici impii. Nam & in diuitibus multa scelera deprehendũtur: neque tamen omnes propterea pro impiis sunt habendi. Mendicitas ipsa in se miseria est, & flagellum Dei, & inter Dei maledictiones posita. Vnde stultissima est & nihil minus quam Christiana & Euangelica professio, institutum eorum qui se mẽdicos, præter omnem necessitatem, ex ordine humanitus instituto profitentur: quasi religio sit & vita Deo placens sectari otium & ignauiam, & interim de aliena viuere quadra. Hoc institutum indignum est homine Christiano, & potissimùm monachis, qui tamen hac in re sibi mirũ in modum placent, & reliquos omnes despiciunt.

26 *Omni die donat, & mutuum dat, & semen eius [est] in benedictione.*

Omni die donat. [V] Beneficus est, miseretur, benignè agit. [C] Repetit quod iam semel dixerat, Dei gratiam inexhaustum esse bonorum omnium fontem: ideóque dum se exerit erga fideles, nõ modò ipsis suppetere quod satis sit in priuatum vsum, sed vnde aliis largiantur. *Et mutuum dat.* [M] Hoc ad charitatem proximi pertinere docet Christus Matth.5.g.42, & Luc.6.e.34.35. *Et semen eius est in benedictione.* [C] Hoc variè exponitur. Quin de piorum filiis loquatur minimè dubium est, idque colligitur ex versu proximo: sed quòd illos ad benedictionem fore dicit, quidã sic accipiunt acsi dixisset fore beneficentiæ Dei ministros. Ita, secundum eos, sensus esset, patrum imitatores fore in iuuandis pauperibus & liberalitate erga omnes exercẽda. sed hoc nimis argutũ videtur. Non recipimus etiam quod alii docent, tam insignem fore erga filios piorũ Dei gratiam, vt in formulam bonæ & faustæ precationis trahatur. Fatemur hanc loquendi formam pluribus locis ita accipi: sed hic nihil aliud voluit Dauid quàm celebrare continuam fauoris Dei à patribus in filios seriem: acsi diceret, non extingui Dei benedictionem vbi iustus quispiam moritur, sed peruenire vsque ad eius filios. Et certè nulla est certior hæreditas in quam nobis succedant filii, quàm vbi illos nobiscum Deus paterno suo fauore complexus benedictionis suæ consortes facit. [M] Hæc omnia probè notent quotquot consultum volunt liberis suis. Non placent ista carnis iudicio, quæ putat negligi liberos, si per misericordiam succurrẽdum sit egenis dando, & mutuum dando.

27 *Recede à malo, & fac bonum: & habitabis in seculum.*

Recede à malo, & fac bonum. [B] Repetit hortationem ad studium beneficentiæ: vnde omnis vera fœlicitas pendet. [M] Docet non deserendum esse iustitiæ studium propter temporalem impiorum prosperitatem: quia ad fœlicitatem cuius meminit, perueniunt qui abstinẽt ab omni iniuria, humanitatis officia colunt, & beneficentiæ dant operam. Quanquam autem sententia hæc minimè congruit cum sensu carnis, certum tamen est totum genus humanum nõn aliam ob causam tot incommodis ac molestiis inuolui, nisi quia pro se quisque iniuriis, fraudibus, rapinis & maleficiis deditus, Dei benedictionem respuit. Se ergo ipsos homines impediunt quominus agant fœliciter in mundo, & quisque lætus ac tranquillus quod suum est possideat. Non temere igitur Dauid à superiore doctrina ad hanc exhortationẽ delabitur: quia si mansueti terram possident, vt quisque sibi bene esse optat, sic etiam debet ad probitatem & beneficentiam animi. Notandum etiam est hæc duo non sine ratione ab eo coniungi, vt beneficentiæ studeant fideles, & ab omni maleficio sibi temperent. Nam (vt suprà, 34.c.15 visum fuit) continget sæpe aliquem non modò humaniter se gerere erga certos homines, sed plena etiam manu de suo largiri: sed interim aliunde rapere ac prædari vnde suam erga alios liberalitatem ostẽtet. Ergo quisquis officia sua cupit Deo probari, sic bene mereri studeat de fratribus qui ope eius egebunt, ne vni succurrat cum alterius iactura, vel hunc illius mœstitia exhilaret. Atque his duobus verbis breuiter secundam Legis tabulam complexus est Dauid, primùm, vt manus suas ab omni noxa puras contineant fideles, ac nemini præbeant querimoniæ materiã: deinde ne sibi viuant, ac priuatis commodis sint addicti, sed quoad suppetet facultas, in commune prodesse cupiant. [M] Notandum simul quod non simpliciter dicit Propheta, Non facias malum: sed, Recede à malo: innuens induendum esse horrorem & abominationem quandam & fugam mali: vt satis non sit non facere malum quum nequeas, sed etiam si queas, nihilo minus fugias ac detesteris. In summa, vult admonere Dauid vt qui iustitiæ velit dare operam, omne malitiæ commercium prorsus fugiat. Nec tantùm à malo recedere admonet, sed & quod bonum est facere. Neque enim satis est ad iustitiæ & veræ pietatis studium esse innocentem, nisi simus & boni, id est, operibus beneficentiæ fœcundi. Vnde Christus non dicit, Ite maledicti in ignem æternum, quia panem & vestimentum meum mihi abstulistis: sed, Non pauistis esurientem, potum sitienti non præbuistis, hospitem non collegistis, nudum non operuistis, Matth. 25.d.41. Esse sterilem est esse malam arborẽ. Sterilis ager maledictus dicitur, Hebr.6.b.7. Seruus nequam vocatur qui pecuniam Domini sui non ad vsuram dederat, licet diligẽter seruasset, Matth.25.c.26. Quid ergo faciunt qui omnem vitæ probitatem in hoc esse putant si nemini sint noxii, si manifestis sceleribus careant, interea ad hoc vnum intenti vt sibiipsis commodè viuant, quicquid accidat aliis? [A] Sciamus ergo primum malum esse non fecisse bonum. *Et habitabis in seculum.* [V] Et habita in æternũ. Imperatiuus pro futuro, habitabis perpetuò, sub. in terra. Q.d. multum diuque inhabitabis terram. Sic in principio huius Psalmi, versu 3, Inhabita terram. [C] Diximus autem antehac, hanc Dei benedictionem, quæ iustis promittitur, non semper æquali modo perspici, vt terram inhabitent: ac causam attulimus, quia vix vllum tantæ integritatis exemplũ reperiat Deus inter homines, quin sua culpa miserias sibi procreent qui sunt inter alios perfectissimi: ideo nihil mirum si Dominus suam benedictionẽ subducat, saltẽ aliqua ex parte. Deinde scimus vt luxurient affectus carnis, nisi Dominus frænum iniiciat. Adde quòd ad meditationem cælestis vitæ nemo satis alacriter properat, nisi variis stimulis vrgeatur. Hinc fit vt possessio terræ quam Dauid assignat filiis Dei, non semper sit pedum positio: quia multæ inquietudines eos perturbant. Neque tamen fictitium est quod promittit. Quanuis enim experientia communis nondum liquidò demonstret filios Dei hæredes esse terræ, sentimus tamen pro mensura nostræ fidei quid valeat Dei benedictio, quæ assiduè instar fontis inexhausti scaturit. Certè plusquã cæci sunt qui non vident præmium hoc iam rependi iustis hominibus quòd Deus eos suo præsidio tuetur ac sustinet. [M] Nam reuera vt impio non est pax & securitas, ita soli iusto pax vera est & securitas, quum omnia illi in bonum cedant.

28 *Quia Iehoua amat iudicium, & non derelinquit misericordes suos, in seculum custodientur: semen autem impiorum succidetur.*

Quia Iehoua amat iudicium. [M] Nunc argumenta subiicit quibus & fidem faciat isti pollicitationi de quieta & secura terræ inhabitatione, & studium iustitiæ persuadeat. Sumit autem illa primùm de ingenio Dei, deinde de ingenio iusti. [C] Quod ad Deum attinet, confirmatio proximæ sentẽtiæ notanda est: quia sumitur ex altiore principio, nempe Deo placere iustitiam & rectitudinem. Quod videtur quidem esse mutilum: sed quia pro confesso sumit Dauid quod piorum omnium cordibus infixum esse debet, mundum regi Dei prouidentia, optimè ratiocinatur. Primò itaque tenendum est Deo curæ esse statum generis humani, nec agitari fortuitò, sed consilio eius dirigi, vt rerum omnium euentus suo arbitrio moderetur, manuque gubernet. Addendum secundò quod hic cõmemorat Dauid, placere Deo iustitiam. Inde sequitur, quisquis iustè & innoxiè versatus fuerit inter homines, beatum fore: quia Deo propitio tandem illi bene succedere necesse est. [M] Si enim quod iustum est ac rectum diligit Deus, vtique non potest non fouere eos qui recti sunt & studiosi, declinantes à malo, & quod bonum est operantes. Eam rationem assignauit iam quum diceret, Oculi Domini super iustos, & aures, &c. Supr.34.e.16. [C] Sed meminerimus, promissionem de qua agitur, inde pendere quòd Dominus piorum custodiam suscepit, non vt eos semper foueat in

vmbra & otio, sed vbi cruce exercuerit, vt tandem illis succurrat. Magnum enim his verbis pondus subest, *Et non derelinquit misericordes suos.* Perperam ergo interpretantur hunc Psalmum qui Dei gratiam, qua suos fideles in hac vita prosequitur, a spe & patientia auellunt. imò, ne iudicium repentè quis præcipitet, pias mentes suspendit Propheta, donec iudicium suum post mortem impiorum erga eorum posteros demonstret. [a] Sic enim ait, *In seculum custodientur: & semen impiorum excidetur.* [c] Quod perinde valet acsi iterum assereret, quàuis non statim appareat Dei iudicium, impios & sceleratos nihilo meliore esse loco: quia iusta eos pœna in filiis suis manet. Quòd si erga illos Dei maledictio non statim vim suam exerit, mirum non est si fauorem suum erga fideles occultum contineat. [m] Itaque quum ita animatus sit Deus, vt non solùm quod iustū est ac rectum, sed & ipsas personas iustorum diligat, próque charis ac summè dilectis habeat, nec deserere queat: quomodo non quietè haberent quotquot iustitiæ operam suam collocant, [a] modò spe & patientia toti à Deo pendeant? Quod autem ad impiorum semen attinet, iam sæpe audiuimus, quia à Deo maledictum est, penitus excisum iri. [m] Nam odio habet Dominus & improbitatem & improbos: sicuti suprà, 5. a. 6, dictum est. Nequeunt ergo durare, etiamsi ad tempus florere videantur. Quod vtinam probè expenderent qui impiè posteritati suæ consultum volunt diuitiis malè collectis. Qui cupit posteritatem diuturnam, caueat ab impietate tam sua quàm suorum. Nam ea demum est quæ excidium adfert.

29 *Iusti hereditate accipient terram, & habitabunt in seculum super eam.*

Iusti hæreditate accipient terram. [a] Repetit perpetuam eámque beatam terræ possessionem & inhabitationem quæ iustis promittitur. [c] Non est autē superuacua huius doctrinæ repetitio, quam animis nostris insculpere admodum difficile est. Nam quum omnes fœlicitatem expetant, vix tamen centesimus quisque eam à Deo expectat: quin potius vt bene sibi cōsulāt, quasi data opera certatim prouocant Dei vindictam, dum alii fraudibus & periuriis se contaminant, alii feruntur ad rapinas, alii genus omne sæuitiæ exercent, alii cædibus quoque & veneficiis grassantur. [h] Qui verò iustitiæ dant operam, & toti à Dei prouidentia pendent, consolabuntur subsidio rerū necessariarum, & pacificè viuent. *Et habitabunt in seculum super eam.* A Domino custodientur, vt filii & hæredes, iuxta animum & corpus Domino fideliter commendati. [c] Sic enim perpetua habitatio intelligi debet, nempe quia inter motus turbulentos Deus tamen eos suis alis protegit, &, quum nihil sit sub luna stabile, quasi in tuto portu saluos præstat. Huc deinde accedit interior tranquillitas, quæ centum vitis præcellit: atque ita meritò pro incomparabili priuilegio censetur. [m] Itaque iusti hæreditario possidebunt terram. id est, securè possidebunt eam, & ex iure diuino, idque in æternum, hoc est diutissimè. Nam etsi moriantur iusti, semen tamen ipsorum benedictum erit à Domino, quum vicissim semen impiorum sit planè extinguendum. Cuius rei exemplum esto Saul & Dauid.

30 *Os iusti loquetur sapientiam, & lingua eius proferet iudicium.*

Os iusti loquetur sapientiam. [v] Vel per præsens, loquitur sapientiam, aut verba sapientiæ plena. Alii, disserit de sapientia: alii, meditatur sapientiam. Nunc argumenti vice adducit ingenium iusti, quod ita comparatum est vt non delectetur meditatione malitiæ aut verbis iniquis, sed magis delectetur eo quod iustum est ac rectum: ita vt non sustineat ne loqui quidem nisi quod rectum sit. *Et lingua eius proferet iudicium.* [v] Æquitatem, id est recta & vtilia. Quia hypocritis solenne est, quicquid de rectis & iustis prædicat Spiritus Dei securè ad suum commodum obtendere, definit Dauid quā à filiis suis Deus exigit iustitiam: ac eam in tria capita distinguit: quòd sermo eorum sincerus sit, quòd Lex Dei in eorum animis dominetur, quòd vitam rectè instituant. Dicit os iustorum loqui sapientiam: quod quidam ita exponunt acsi diceret Dauid iustos aliis ad bene viuēdum duces esse ac magistros. Itaque disserere de sapientia, & de iudicio loqui, tantundem illis valet ac pia doctrina formare alios, & instituere in timore Dei. Verùm sapientia & rectitudo tam profanis sermonibus & impuris, quibus Dei nomen impii delere conantur, quàm versutiis & fraudibus omnéque genus insidiis simulque minis ac terroribus, opponitur. Sensus ergo est, iustos honorificè & reuerenter Dei iustitiam extollere, vt se & alios in tota pietate erudiant: deinde tam in suis quàm in aliorum negotiis, quod rectum est sine fuco probare, nec sophisticè colorem inducere malis causis: denique nunquam à vero deflectere. [a] Huc facit Apostoli præceptum, Omnis sermo spurcus ex ore vestro ne procedat, sed siquis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, vt det gratiam audientibus, Ephes. 4. f. 29. Et, Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere, Coloss. 4. a. 6. [m] Hæc vera est sapientia & intellectus, meditari, loqui, sapere & cogitare quòd iustum est & rectum. Sed hodie habetur sapientia quæ nihil aliud est quàm peruersa calliditas & astutia ad malum. de qua Propheta loquitur, Sapientes sunt vt faciant mala: bene autem facere nesciunt, Ierem. 4. e. 22. Christianorum sapientia talis est vt ex sapientibus iuxta seculum faciat stultos. Vide 1. Cor. 3. d. 18.

31 *Lex Dei eius in corde eius: ideo non nutabunt pedes eius.*

Lex Dei eius in corde eius. [c] Sequitur cordis integritas, quæ etsi ordine præcedit, non tamen absurdè secūdo loco ponitur: quum Scriptura in virtutibus aut vitiis recitandis non tam curiosè ordiné obseruat. Hinc porro ista integritas cordis, si Lex Dei cordi insideat, quæ sola & optimam vitæ regulam præscribit, & frænat omnes prauos affectus & libidines, & animos ad iustitiæ studium format. Neque enim fieri potest vt quis constanter se addicat rectitudini, posthabito sui respectu fratribus se impendat, renunciet auaritiæ, superbiam domet, & cum proprio ingenio bellum gerat, nisi timore Dei sit præditus. [a] Itaque salutaria loquuntur pii: quia Lex Dei in cordibus eorū. hoc est, quòd nihil potius cogitant aut pluris faciunt quàm voluntatem Dei probè agnouisse, & vitā iuxta eam diligenter instituisse. [a] Hypocritæ, qui Deum labiis honorant, habent Legem Dei in ore, sed non in corde: pii verò in ore & in corde. *Ideo non nutabunt pedes eius.* [v] Gressus eius. [b] Non errabit nec lingua nec vita. [c] Hoc tertium membrum est quod ad externa officia refertur. Putant nonnulli promissionem esse: sed quum Dauid iustitiæ definitionem hucusque contineat, sensus est, quāuis multæ peccandi occasiones filios Dei solicitent, ac magna etiam hominū pars, quantum in se est, prauitate sua eos à Dei timore abducat: quia tamen Lex Dei occupat & regit eorum corda, non vacillare, sed fixo gradu stare in proposito, vel certè rectum cursum tenere. [a] Hæc diligēter nobis sunt obseruāda. Nam nō pauci sunt qui quum omnium iustissimi haberi velint & plusquam Christiani, de quauis tamen re libentius quàm Lege Dei loquuntur.

32 *Obseruat impius iustum, & quærit interimere eum.*

Obseruat impius iustum. [a] Speculatur, respicit, considerat. [u] Repetit ea quæ supra egit, versibus 12. 13. 14 & 15. [c] Simulque clarius modum exprimit possidendæ terræ, quòd scilicet Deus fideles suos vndique hostibus obsessos tueatur. [a] Canit enim iustis strui à malis insidias, & parari vim: at Dominum ita tueri illos vt non solùm nihil incommodi ab improbis sentiant, sed ipsos videant miserè perire: [a] modò spe & patientia instructi auxilium ab vno Deo expectēt. [c] Vnde iterum colligimus, antehac non fuisse piis promissum quietū statum & ab omni molestia immunem. Neque enim congruerent hæc inter se, fideles in pacata hæreditate vacare otio ac deliciis, & tamen quasi oues è faucibus luporum quotidie eripi. Interea hoc piis consolationem adfert, quòd inter varias noxas salui tamen Dei auxilio euadent. [m] Commodè verò Dauid impiorum insidias subiicit præcedentibus, quibus iusti ingenium & sapientiam loquentis Legémque Dei sui in corde habentis descripsit: vt intelligamus hoc potissimùm esse cuius gratia nequeant impii ferre conuictum iustorum, qui tolerabiliores essent impiis, si sapientiam istam ex Lege Dei manātem tacerent, & quod rectū & æquum est non sequerentur. *Et quærit interimere eum.* [a] Semper crudelis est impietas. Nam impii patrem suum Satanam referunt, qui homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, Iohan. 8. f. 44. Hinc dicitur Cain fratrem occidisse, quia ex maligno erat, 1. Iohan. 3. b. 12.

33 *Iehoua non derelinquet eum in manu eius, nec condemnabit eum quum iudicabitur.*

Iehoua non derelinquet eum in. [b] Q. d. Etiamsi in manu eius sit, euadet & liberabitur. [c] Præmonet Dauid fideles, vbi hostes suos in excubiis sedere viderint, & captare omnes nocendi rationes, speculandam ex opposito esse quam pro suorum salute curā Deus gerit, & quas agit excubias, vt eos seruet incolumes. Fateor quidem Dauid formidolosas esse per se insidias quibus impii non modò fortunas bonorum appetunt, sed vitam: quin crudeliter in eorum exitium conspirant. iubet tamen nos infractis animis stare: quia Deus se vindicem fore promisit. Et notāda est circunstātia liberationis, quòd eam scilicet eousque differat dum iam mors imminet. *Nec damnabit eum quum iudicabitur.* Hoc est, Non sinet eum iniuria iudiciorū opprimi dum accusabitur, & causa eius agetur. [c] Monemur hîc, quantuis sedulò boni sibi ab omni inuidia caueant, conentur de omnibus benemereri, fugiant omnes offensas & iurgia, fore tamen falsis accusationibus expositos. Neque enim pronunciat Dauid, plaudēte toto mūdo eorum virtutes celebratum iri iustis laudibus;

ſed vbi in iudicium tracti fuerint & calumniis fere oppreſſi, & damnatis ſint ſimiles, cõtentos eſſe iubet Dei præſidio, qui tandem ab iniquis hominum iudiciis aſſeret eorum innocentiam. Siquis obiiciat multos ex filiis Dei, poſtquam damnati fuerant, ſæua & acerba morte fuiſſe mulctatos: [m](nã occiſi ſunt ab impiis Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, Stephanus & plerique alii, qui iuſti fuerunt, & Legẽ Dei in cordibus ſuis ſcriptam habuerunt, ac ſapientiam loquuti ſunt) [c] reſpõdemus eorum tamen vindicem in cælis ſedere. Nam quantuis ad crudeliſſimam mortem cum ſumma ignominia captus fuerit Chriſtus, ab illa tamen damnationis anguſtia ſublatus eſt: (vt dicit Propheta Eſa. 53. c.8) & ſic Deus agit quotidie cum eius membris. [m] Itaque Propheta hoc loco nihil agit aliud quàm vt doceat iuſtos Deo charos & bene commendatos eſſe, atque ita Deum illos etiam probè contra inſidias impiorum tueri, quorum conatus non ſinat hoc aſſequi quod volebant. Quòd autem ſubinde permittit vt affligantur & aliquando occidantur à reprobis, hoc nondum tale eſt vt dici poſſint à Deo deſerti, licet carni hoc videatur. ſicuti dictum eſt ſuprà, 31.a.1. Neque inde ſequitur impios aſſequutos eſſe quod quærebant. Nam illi non ſolùm hoc quærunt vt occidant corpora, ſed magis hoc ſpectant vt extinguãt ipſam pietatem & opinionem iuſtorum. hoc eſt, vt impietatem ſuam tueantur. Hactenus non permittit Deus impiis quod quærunt. [c] Siquis rurſus excipiat Dauidem hic non de futura vita, ſed de præſenti piorum ſtatu concionari, repetenda eſt quam prius attulimus ſolutio, terrenas ſcilicet Dei benedictiones reſtringi ad eius conſilium: atque ita quatenus expedire nouit, nunc ſupprimi vel in totum vel ex parte, nunc conſpicuas extare, non autem fluere æquabili modo. Continget ergo ſanctos martyres, vbi damnati fuerint, morti etiam addici, quaſi à Deo relictos: quia ne ipſis quidem quicquam melius vel magis optabile eſt quàm vt Dei gloriam morte ſua illuſtrent. Neque tamen ipſe idem qui impiis ad exercendam ſæuitiam frænum laxat, aſſertor eſſe deſinit iuſtitiæ ſuorum: quia coram Angelis & tota Eccleſia ſibi probari demonſtrat, & ſe cognitorem fore oſtendit. imò è tenebris quibus demerſi ſunt, eos attollens, facit vt eorum cineres ſuauiſſimum odorem ſpirent. Denique vbi paſſus fuerit Dominus indignis probris ipſos obrui, feret ipſe ſententiam qua iuſtam eorum cauſam ab iniuſtis calumniis aſſerat. [m] Videmus etiam hoc loco ingenium & hypocriſim impiorum, qui licet extinctos cupiant fideles, in hoc tamen ſunt vt id ita faciant ne dici queant vim intuliſſe iuſtis, ſed magis puniuiſſe ſontes. Atque ideo Propheta meminit iudicii quo impii perniciem iuſtis intentant. Et hoc videtur innui per verba obſeruandi & quærendi ad necem: ne intelligamus hoc geri ad morem latronum, qui itinera obſidentes obſeruant eos qui prætereunt, &, ſi commodum ſit, occidunt: ſed magis hoc fieri per iniqua iudicia: ad quem modum & Chriſtus caput iuſtorum iudicatus & condemnatus eſt. Hac via ita proceſſerunt Chriſtianorũ concilia, vt non ſit vſpiam etiam apud gentes ſimiles cernere machinationes aduerſus iuſtos. Verùm bene habet quod ſubditur, At Dominus nõ damnabit eum quum iudicabitur. Licet per impios condẽnetur iuſtus, idque in conciliis & iudiciis, à Domino tamen non condemnatur. Videmus hic quid ſit quod perpetuò obiiciunt illud Chriſti, Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo, Matth.18.c.18.

34 *Expecta Iehouam, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: quum ſuccisi fuerint impij, videbis.*

Expecta Iehouam. [a] Iterum hortatur ad fiduciam in Deum, & ad obſeruandum viam Domini, hoc eſt vitam proximorum commodis expoſitam, [c] vt ſcilicet fideles freti Dei promiſſionibus ac ſuffulti, nullis tentationibus ſe huc illuc per vias obliquas & peruerſas trahendos permittant, ſed maneant conſtantes in obſequio Dei. Primùm itaque ad ſpem & patientiam eos hortatur, acſi iuberet in rebus confuſis intentos eſſe ad Deum, & quieſcere, donec faciem ſuam, quam abſcondit, denuo oſtendat. Hinc naſcitur iſtud alterum, *Et cuſtodi viam eius.* [a] Q. d. Ne deflectas ab ea ad humana præſidia aut illicita media. [c] Vbicunque enim vigebunt ſpes & patientia, facilè mentes frænabunt, ne ad quicquam illicitum proſiliant. Et certè quòd quiſque malis artibus ſua commoda procurat, hanc reperiemus eſſe cauſam, quia nemo in Deum recumbit, vel, vbi mox fortuna non arridet, fruſtra integritatem coli putat. Primo diſcamus ex hoc loco, ſi multi etiam ex probis & ſimplicibus vitam miſerè in continuis laboribus trahunt, pœnam hanc meritò luere, quòd vix centeſimus quiſque Deum patienter expectat, rectúmque curſum proſequitur: tantum abeſt vt certò ſtatuant proprium illius eſſe munus non modò ex ſtercore ſuos erigere, ſed eruere etiam ex ſepulchris. [a] Diſcamus ergo ad finem vſque perſeuerare, & in patientia poſſidere animas noſtras, vt nobis in vocatione noſtra ambulantibus Deus tandem pro ſuo in nos paterno fauore ſuccurrat. Non deerit ſuis promiſſis, modò illius aduentum patienter expectemus, & in via eius ſolicitè nos contineamus. [m] Admonemur itaque hoc loco quando expectatio noſtra & patientia vera ſit & infallibilis, rurſus quãdo fruſtranea ſit & vana. Viderint hic qui quum omnis generis flagitiis ſcateant, & magis proprias quàm Domini vias ambulent, nihilominus ſibi opem quandam & auxilium pollicentur. Addit promiſſiones, *Et exaltabit te.* Q. d. Certò te eripiet, duntaxat per patientiam expectes manum eius. [c] Nec verò Dauid exaltandi verbo abs re vſus eſt, vt ſciamus, tunc demum fidelibus ſæpe à Deo manum porrigi vbi calamitatum mole obruti videntur. *Vt hæreditate capias terram.* [a] Rurſus ſubiicit, eos qui pietati operam dederint, terræ hæredes fore. [a] qua de re vide verſus 3.9.11.18.22.29 huius Pſalmi. *Quum ſuccisi fuerint impii, videbis.* [v] Quum excidentur, vel exterminabuntur. [m] Pollicetur experientiam eorum quæ hactenus pollicitus eſt. Q. d. Crede, ſpera, expecta, cuſtodi viam Domini: quæ promitto ipſe olim certò experieris, videlicet quum iudicium impiorum aduenerit, vt exterminentur, in quorum exterminio videbis & comperies rem, vt admoneo, cùm iuſtorũ tum impiorum ita habere apud Dominum. [c] Nec abs re dicit perituros impios coram oculis piorum: quia niſi diuerſus eſſet exitus, optimos quoſque facilè ad peccandum alliceret conditio in qua ad tempus reprobi lætantur. Et ſanè eiuſmodi ſpectaculis nos quotidie Deus oblectaret, ſi ad cernenda eius iudicia oculati eſſemus. Et tamen quanuis totus mundus cæcutiat, non deſinit Deus ſceleribus hominum iuſtam mercedem rependere, niſi quòd occultioribus modis illa puniens, fructum hunc, quo nos priuat ſtupor noſter, à nobis ſubducit. [a] Ergo Propheta iuſtos dicit viſuros, non ſine ſingulari de Dei auxilio voluptate, excidi ſceleratos. Sic enim videre paſſim in Pſalmis accipi inuenias, de quo nonnihil ſuprà, 22.d.18, diximus.

35 *Vidi impium fortem, & ſe extendẽtem, inſtar lauri viridis.*

Vidi impium fortem. [v] עריץ, Robuſtum, terrificum, inſignem, potentem. id eſt magna authoritate præditum. [c] Nam verbum à quo deducitur, nunc terrere nunc roborare ſignificat. *Et ſe extendentem.* Alii, Et vireſcẽtem. Nam participium מתערה accipiunt pro viridi. ſed potius tantundem valet acſe diſcooperiens vel extendens, ſicut arbores proceræ & patulæ ramos diffundunt. Nec verò dubium eſt quin ferociam eorum perſtringat Dauid qui ſe intemperanter efferunt. Confirmat enim propria experientia quod nuper diximus, quanuis impios inebriet ſua fœlicitas, & admirationi ſint apud omnes, caducam tamen eſſe & euanidam, ideóque nihil aliud quàm merum figmentum. *Inſtar lauri viridis.* [v] Quidam vertunt, Velut arbor indigena quæ pulchrè frondet. Alii, ſicut arborem ramoſam. Græca & vulgata Latina habent; Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedrum Libani. Sic legit & Arabs, quum tamen dictio Libani non ſit in Hebræo. [b] Potenti arbori excelſæ & patulæ aſſimilat Dauid nobilem, potentem florentémque improbum, qui nec ſibi nec aliis videatur facilè poſſe euerti. [c] Et hoc non eſſe nouum vel inſolens dicit, ſi impius proſpera fortuna clarus ſe longè latéque extendat, & terrorem etiam incutiat ſimplicibus. [b] At iam nihil habet ſtabile aut firmum vt illico perire & euaneſcere oporteat, & adeo vt nuſquam quicquam eius appareat. Talis ſanè Saul fuit, Doeg, Abſalom, Achitophel: & noſtro ſeculo nõ paucos quotidie videmus peſſum ire, quorum inuicta videbatur potentia & maximè firma fœlicitas.

36 *Et tranſiuit, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus.*

Et tranſiuit, & ecce non erat. [v] Et præteriit, abiit, euanuit. [m] Græca & vulgata Latina habent, Et tranſiui, in prima perſona: ſed veriſimile eſt Græcam lectionem corruptam eſſe, & pro παρῆλθε poſitum παρῆλθον. Hanc corruptionem ſequuti ſunt Hieronymus, Iuſtinianus & Felix Pratenſis. Chaldæus legit, Et tranſiuit de mundo. [c] Affirmat Dauid momento euaneſcere illam magnitudinem quæ non ſine admiratione ſpectata fuit. nam tranſire poſitum eſt pro euaneſcere. Atque ita admonet pauliſper ſedendum eſſe, dum ex tranſitu appareat nebulam duntaxat fuiſſe quicquid mundus in fortuna impiorum miratur. *Et quæſiui eum, & non eſt inuentus.* [m] Adiiciunt Græca & vulgata Latina, Locus eius, quod in Hebræo nõ eſt. [a] Cæterùm hæc omnia non ſine magna emphaſi ponuntur, acſi diceret Vates, Iam videram florẽtem improbũ, & velut annoſam arborem optimè radicatum, vt ſempiterna fruiturus fœlicitate crederetur: & dum reſpicio, iam euanuit, dilapſus eſt, ecce nullũ amplius video: & adeo diſperiit vt etiam inquirẽte me nuſquã

possit inueniri. Sic verè euenit omnibus impiis, & citius omnium opinione, si modò nos possemus Dei iudicium æquanimiter expectare, & interim innocentiæ studere. Proinde locus hic probè notandus est illis qui spem suam collocant in fallaces seculi huius diuitias & caducas dignitates. Expēdant exemplum Haman in historia Ester, Cap. 7. d. 10. Sic prius dixit Dauid de impiis loquens, Periit memoria eorum cum ipsis, Suprà, 9. b. 7. Ergo ne dubitemus, quæ de impiorum interitu hic dicuntur, esse verissima, vt vt videantur potētissimi & in sua conditione firmissimi. Tantum enim abest vt per potentiam istam & prosperitatem vanam conseruari queant, vt momento citius atque ita prorsus sint interituri, vt si quæras eos, non sis inuenturus amplius. Hoc ipsum est quod aliis verbis extulit Dauid, dicens, Quia non animaduerterunt ad opera Iehouæ & ad opus manuum eius, destruat eos, nec ædificet eos, Suprà, 28. b. 5. Hoc est, penitus pereant, vt nulla deinceps reliqua sit illorum memoria.

37 *Obserua integrum [hominem,] & considera rectum: quia finis huius hominis pax.*

Obserua integrum hominem, & considera. Alii, Custodi innocentiam, & vide æquitatem. Chaldæus, Serua integritatem, & respice iter rectum. Sed rectius תם hoc loco pro integro & sincero homine accipitur. Nam exemplum diuersum innocentis & recti proponit, quem iubet Vates obseruare & considerare, vt in eo discamus quàm præstet innocenter & iustè vitam instituere. Eiusmodi enim hominis postrema pax est. hoc est, tandem qui tales fuerint, pace & fœlicitate fruentur, quum posterma sceleratorum & improborum exterminanda sint, hoc est omni infœlicitate & miseria excipienda. *Quia finis huius hominis pax.* Q. d. Etsi prima illorum tempora videantur acerba & admodum turbulenta, posteriora tamen bonitate Domini tranquilla sunt. Exemplo sint Abraham, Iacob, Ioseph, Iob, & ipse Dauid. Hortatur ergo Dauid fideles vt attentius quæcunque occurrunt tam gratiæ Dei quàm iudicii exempla considerent: sed simul docet perperam fieri iudicium ex proximo intuitu: quia nisi sedatis mentibus expectetur opportunitas, quæ in Dei arbitrio posita est, sæpe extincta fide simul effectus promissionum Dei peribit. Hæc ratio est cur requirat custodiam, & aspicere iubeat: quia dum sensus nostros occupat quæ semel oblata est oculis tentatio, nobis festinatio hallucinandi causa est. Quòd siquis velut è specula oculos suos procul extendat, verè hoc dictum fuisse agnoscet, sine tandem discerni reprobos à iustis. Atque hæc sententia correctionis loco addita videtur, vt discamus iudicium suspendere, si non statim exequitur Deus quod hactenus docuit: & si vota nostra nimis ebulliunt, statim occurrat hæc moderatio, nondum venisse finem, dandumque Deo esse tempus quo res confusas in ordinem restituat. Huius autem rectè & in loco admonet Dauid, quoniam ad patientiam adhortatur. Ita & Apostolus Petrus priores dicit esse Christi passiones, & posteriores glorias, 1. Epist. 1. b. 11. Et Paulus dicit, Quòd si filii, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si quidem simul cum eo patimur, vt & nos cum eo glorificemur, Rom. 8. d. 17. Et alibi, Quòd si certet etiam aliquis, nō coronabitur nisi legitimè certauerit, 2 Timoth. 2. a. 5. Cui congruit Iacobi sententia. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus iis à quibus fuerit dilectus, Iac. 1. b. 12. Et iterum, Ecce, beatos ducimus eos qui sustinent. Tolerantiam Iob audistis, & finem Domini audistis, quòd valde misericors sit Dominus ac commiserans, Ibidem, 5. c. 11. Quin & in vsu seculi ita habet, vt primùm sint ferendi labores, tandem expectanda laborum præmia.

38 *At præuaricantes dissipabuntur pariter: nouissimum impiorum succidetur.*

At præuaricantes dissipabuntur pariter. At transgressores delebuntur: vel, scelerati consumentur: aut, iniqui destruentur, ac Dei iudicio simul damnabuntur. Præteritum Hebræum pro futuro, sicuti multis aliis locis. Opponit Dauid sortem impiorum sorti iustorum: impiis destructionem & postrema minatur perniciosa, iustis verò pollicetur pacem & salutem à Domino: nequid temere de impiorum prosperitate aut piorum afflictionibus iudicemus. *Nouissimum impiorum succidetur.* Finis miserorum succiditur. Id est, impii ad postremum pereunt, aut fine suo frustrantur. Quidam nomen אחרית de posteris accipiunt, sed malè: quia tantùm in exitu discrimen ponit Dauid, quia Deus postquam seruos suos duriter exercuit, rebus eorum aduersis benedicens, impiorum lætitiam in luctum conuertit. Vt discamus non tam præsentem vtrorunque statum quàm finem intueri. Sicut alibi Prophetam hunc audiemus, Et cogitaui, inquit, vt cognoscerem hoc: sed labor est in oculis meis, donec veniam ad sanctuarium Dei, & intelligam nouissimum eorum, Infrà, 73. c. 16. Hoc ipsum fidei oculis cernebat Iacobus, quum diceret sceleratis diuitibus & hypocritis, Affligimini & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem, Iacob. 4. c. 9. Et paulo pòst, Agite nunc diuites, plorate vlulantes super miseriis vestris, quæ aduenient vobis, Ibidem, 5. a. 1. Porro notandum est quòd Propheta nequit satis inculcare antithesim illam sortis piorum & impiorum, quæ in eo est quòd iustos tuetur, liberat ac saluat, & benedicit: impios verò maledicit, perdit atque excindit: id quod plusquam decies hoc Psalmo recitat, vt videri possit carnalibus inanem esse ταυτολογίαν. Qua in re admonemur quomodo ista nunquam plenè ac perfectè satis obseruemus & credamus, quum sint talia quæ obseruata plurimum ad studium pietatis faciant. Et sanè nihil est quod magis animos nostros ad Christianam patientiam formet, quàm iugis & assidua vicissitudinis huius recordatio. Quicquid ergo mundus iudicet, quicquid moliantur impii homines, teneamus illud verissimum quod Propheta loquitur, dicens, Iusto bene erit, Esa. 3. b. 10, Contrà, Impii, vt vt in mundo firmissimi videantur, de terra tandem penitus excidentur & perdentur, Prouerb. 2. d. 22. Horum igitur terrificis comminationibus & machinamentis non terreamur: sed hunc solum timeamus qui habet potestatē corpus & animam perdere in gehennam: sicuti Christus apertè testatur, Matth. 10. c. 28.

39 *Salus verò iustorum à Iehoua: [qui] fortitudo eorum [est] in tempore angustiæ.*

Salus verò iustorum à Iehoua. Non à seipsis, non à sanctis mortuis, sed à Domino salus iustorum est, qui saluos facit credentes. Ergo quicquid accidat, iustis tamen salus fient: quia in manu Dei sunt, & nunquam potest eorum obliuisci. Quod diligenter notandum est, vt afflictissimos hæc fiducia sustentet, quam à Deo sperant salutē, certam esse: quia æternus est Deus, suóque imperio mundum gubernat. sicuti dicebat Christus, Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei, Iohan. 10. e. 29. Retinet autem Dauid principium illud, quia Deo probatur iustitia, fieri non posse vt sinceros eius cultores deserat, fraudétque suo auxilio. Itaque fideles in ipsum recumbere iubet non solùm dum ex voto res procedunt, sed vbi premunt afflictiones. Cæterùm quòd salus omnis sit à Domino, vbique admonet sacra Scriptura. Et Gentes id adeo cognouerunt, vt omnem mortalium ætatem, vitam & quæcunque necessaria, in deorum curam & prouidentiam incluserint, atque ideo cultu illorum ea eblandiri ab illis conati sint. Varro enumerauit deos qui hominis curam agant à prima conceptione vsque ad sepulchrum, incipiens à Iano vsque ad Næniam, quæ in funeribus senū celebrabatur. Deinde omnibus mortalium necessitatibus, actionibus, casibus proprios Deos definiuit. De quibus copiosè Augustinus De ciuit. Dei, libro 6. cap. 9. Sola pseudochristianorum superstitio hoc inuenit, vt salutem petat ab iis quos negat interea esse deos, & tamen cultu deorum colit. *Fortitudo eorum.* Creberrimè hoc Deo tribuitur quòd sit suorum fortitudo & robur. Vnde discimus fideles in rebus aduersis nequaquam posse consistere, nisi eos sustentet Dominus. *In tempore angustiæ.* Docet his verbis Propheta sufficere si modò virtutem suppeditat seruis suis Deus, ne angustiis constricti deficiant, vel sub grauibus miseriis gementes tandem succumbant.

40 *Adiuuabitque eos Iehoua, & eruet eos: eruet [inquam] eos ab impiis, & seruabit eos: quia sperauerunt in eo.*

Adiuuabitque eos Iehoua, & eruet. Non est necesse vt futurum tempus mutetur, quia ad finem respicere Propheta iubet. q. d. Quamuis misera sit in speciem iustorum conditio, non tamen deseret eos Dominus, sed opportuno tempore illis auxiliabitur. *Eruet eos ab impiis.* Bis eruendi verbum inculcat Dauid, vt se ad tentationes ferēdas assuefaciant filii Dei, &, si longius eos Deus extrahat, subinde in memoriam reuocēt, vbi satis expertus fuerit eorum patientiam, demū liberatorem fore. Non est igitur superuacua hæc repetitio. Omnes experimur quàm ægrè credamus nos Deo curæ esse, & dignā cuiusque operibus mercedem repensurū, ideo nunquam satis Dei in suos prouidentia & innocentiæ operæpretium celebrari potest. *Et seruabit eos.* Hoc est, non permittet impiis vt noceant iustis quantum vellent. *Quia sperauerunt in eo.* Insignis fidei & spei commendatio. Non dicit, Hæc omnia piis contingent, quia sine peccato sunt, aut quia hæc benefactis suis promeruerunt, à carnibus abstinuerunt, sic & sic induti sunt, &c. sed, Quia sperauerūt in eo. Tanta siquidem est Dei bonitas vt nequeat in se sperātes deserere. Vnde & alibi dicitur protector sperātium in se, Suprà, 17. b. 7. Quare modis omnibus beati sunt omnes qui sperāt in eo, Suprà, 2. c. 12.

ARGVMENTVM PSAL. XXXVIII.

[B] DAVID morbo sæuiore & acerbiore (vt conjicere licet) correptus, Dei tam atrocem, etsi peccatis suis debitam castigationem deprecatur. [C] Quò autē Deum ad misericordiam melius flectat, [B] vim morbi intolerabilem, amicorum defectionem, inimicorū crudelitatem miris affectibus queritur. [H] sicuti omnia suo loco & ordine videbuntur.

PSALMVS *Dauidis ad reminiscendum.*

Psalmus Dauidis ad reminiscendum. [V] Ad cōmemorandum, sub. beneficium Dei, quo à graui morbo liberatus fuerat: vt alios prouocaret ad similiter orandum, quando in morbum inciderent. Vel, quo ipse sua mala commemorat. [C] Itaque hæc inscriptio ad argumentum refertur. Nam quod initium vulgaris cantici quidā fuisse putant, (sicuti in aliis Psalmis ascribi solet cantilenæ exordium vnde petenda erat modulatio) frigidū est. Potius ergo Dauid, ne statim efflueret castigatio qua defunctus erat, memoriale hoc tam sibi quàm aliis composuit. sciebat enim quàm facilè & citò nobis euanescant pœnæ diuinitus inflictæ, quibus in totam vitam nos erudiri decebat. deinde memor erat suæ vocationis. Nam quum toti Ecclesiæ præfectus esset magister & doctor, quicquid in schola Dei priuatim didicerat, in cōmunem vsum aptare debuit, vt omnibus prodesset. Atque ita monemur perutile esse exercitii genus, memoria sæpe repetere quas ob peccata nostra Deus pœnas exegit. [H] Sed (proh dolor) omnibus fere mortalibus hoc quasi peculiare est, vt postquam conualuerunt, acceptæ castigationis prorsus obliuiscantur, & quod ad emendationem vitæ facere debebat, in cassum & irritū abire sinant: [A] quum tamen nihil melius sit quàm ad percutientem se serò conuerti, Esa. 9. c. 13.

2 *Iehoua, ne in furore tuo arguas me, nec in ira tua corripias me.*

Iehoua, ne in furore tuo arguas. [B] Morbos præcipuè ad exagitandam sanctorum desidiam & pellendam hypocrisim diuinitus immitti, ex multis Scripturæ locis colligere licet. Homo Dauid erat, & humaniter nonnunquā viuebat. Cùm igitur morbis tū aliis aduersis excutiebat illi subinde indulgētissimus Pater torporē & ignauiam, pietatisque studium in eo accēdebat. [C] Cæterùm non simpliciter pœnā sibi remitti postulat Dauid, sed tantùm vt Deus rigorē iræ suæ moderetur. Vnde colligimus Dauidem carnis suæ votis fræna non laxasse, sed precatū esse ex affectu pietatis rectè cōposito. Naturaliter enim optarēt omnes sibi dari impune peccandi licentiam. Atqui Dauid seipsum cohibet, nec Dei indulgentiam sine modo extendit: sed cōtentus est pœnæ mitigatione. Acsi diceret, Ego me tibi permitto castigandum: sed vide interea ne me durius tractes quàm sim ferēdo, ac judicium tuum ad infirmitatis meæ modum attēperes, ne mali grauitas me prorsus obruat. Hæc (vt diximus) precatio ad pietatis normā composita fuit: quia nihil aliud cōtinet quàm quod Deus omnibus suis filiis promittit. Iam verò notādum est Dauidem non intus secū fremere, sed querimoniam suam proferre coram Deo, neque obstrependi causa, sed simpliciter cū ingenua confessione, deinde cū veniæ fiducia. *Nec in ira tua corripias;* [H] Q.d. Cupio ferre pœnā non irati Domini, sed benigni patris. [C] Iram & furorem pro summo rigore posuit Dauid, & paternæ castigationi opposuit.

3 *Quoniam sagittæ tuæ descenderunt in me, & descendit super me manus tua.*

Quoniam sagittæ tuæ desc. [V] Vel, contortæ sunt in me, depressæ sunt. Alii, demissæ sunt in me, & demissa est manus tua. [C] Ostendit summa necessitate se cogi ad petēdam malis suis leuationē, nēpe quòd oneris magnitudini succūbat. Hæc semper in precibus tenēda est regula, vt Dei promissiones nobis versentur ante oculos. Promisit autē Deus se pœnas de suis non quas meriti sunt, sed quas ferre possunt, sumpturū. Hæc ratio est cur toties sancti suam infirmitatem cōmemorent, dū nimis grauiter premuntur. *Et descendit super me manus tua.* [H] Morbū suum, quem suprà correptionē & castigationem diuinā interpretatus est, apertè hoc versu Deo ascribit, dum illū dicit esse sagittas & manū Domini. Quēadmodum & Iob dixit, Sagittæ Domini sunt in corpore meo, Iob 6. a. 4. Et, Manus Domini tetigit me, Ibidē, 19. c. 21. quum esset vlcere pessimo toto corpore percussus. Prudenter autem Dauid sagittas Dei & manum vel plagā nominat quem patitur morbū: quia nisi persuasus esset diuinitus se affligi, ad petendū inde vulneris remedium nunquā animum induxisset. Videmus vt excutiant fere omnes in Dei judiciis, ac fortuitos esse casus somnient, vix autem cētesimus quisque manū Dei respiciat. Atqui Dauid in morbo, sicut in aliis rebus aduersis, manū Dei suis oculis proponit ad puniēda peccata armatā. Et sanè quisquis in mali sui sensu subsistit, nihil à pecudibus differt. Sed quum nos de judicio admoneant omnia eius flagella, hæc vera fidelium prudētia est, manū percutientis respicere, vt loquitur Propheta, Esa. 9. c. 13. Itaque pronomen emphaticū est: acsi dixisset non esse sibi cum homine mortali negotium, cuius manus sagittas pro virtutis suæ modo vibraret, sed Deum lōgè alio impetu jaculari sua tela. [H] Sunt tamē qui sagittas Domini hic intelligunt cōminationes Dei quibus conscientia propter delicta feritur: & corpori Dauidis nihil putāt hic accidisse morbi, sed omnia esse ψυχικά. [A] Verum prior expositio contextui optimè quadrat.

4 *Non est integrum in carne mea propter iram meam: non est pax ossibus meis propter peccatum meum.*

Non est integrum in carne mea. [V] Non est perfectio, nō est sanitas. [C] Quidam formā vertunt: sed non videtur tam aptum esse. [H] Concussionē & dolorem enim animi tum corporis ex vlcere queritur, & addit, *Propter iram tuam.* [A] Hoc est, eo quòd mihi infensus sis. *Non est pax ossibus meis.* [V] Id est, non est quies mēbris meis. Nā pax pro quiete ponitur, quòd in pace omnia sint tranquilla: ossa verò, pro ipsis mēbris. *Propter peccatum meum.* [C] Iam sequitur alterum mēbrum, in quo justitiæ laudem Deo tribuit Dauid: sine quo prior notitia nihil aut minimū prodesset: imò interdum animos hominū exasperat, vt iram Dei magis prouocent, dum eum insimulant crudelitatis, & execrandas blasphemias in eum euomunt. Quare nihil magis præposterum quàm imaginari nudam & absolutā (vt loquuntur) Dei potentiā, quæ eum justitia sua spoliet. Ideo Dauid, simulac Deum sibi infensum concepit, conuertitur ad sua peccata: quia iam antè statuit non esse tyrannū qui injustè sæuiat, sed æquum judicem, qui nunquā irascitur nisi offensus. Ergo si velimus justam Deo laudem tribuere, discamus exēplo Dauidis, iræ eius peccata nostra cōiungere. [B] Fateamur iram meritò ob iniquitates nostras accensam & sæuientē esse, [A] curemúsque statim eum ipso reconciliari, vt de remissione peccatorū nostrorum certi, liberationem ex afflictionibus & periculis speremus.

5 *Quoniam iniquitates meæ transierunt caput meum: sicut onus graue grauiores fuerunt me.*

Quoniam iniquitates. [V] Vel per præsens, transcendunt, superāt, supergrediuntur. [C] Cōqueritur sub ingenti mole se esse demersum vt prorsus deficiat: iterum tamen confirmat superiorē doctrinā, quòd Deum meritò ita seuerū & formidabilem sentiat. Etsi enim nomen עון pro pœna sæpe sumitur, scimus tamen id esse trāslatiuum. Neque etiam negamus quin Dauid ad effectū trāsferat quod causæ propriū est, dū iniquitates vocat quas sua culpa pœnas cōtraxit: disertè tamē simul fateri vult imputandū esse suis peccatis quicquid malorū sustinet. Neque enim exemplo Cain cum Deo expostulat de immodica pœnæ atrocitate. Dicebat ille, Maior est pœna mea quàm vt sim ferendo, Gen. 4. b. 13. Et quidem eadē voce עון illic vtitur Moses: vt in verbis Dauidis & Cain sit aliquid simile. Sed Dauidis cōsilium longè diuersum fuit. Nam quò obreperent eius animo tentationes istæ, Quàm duriter te Deus tractat! certè quū nullam habeas tui leuandi rationē, vult te perditum & extinctū: non modò spernit tuos gemitus, sed quo magis dejectū videt, violenter persequitur. vt impiis istis figmentis aditū præcluderet, clypeum hunc opposuit, justo Dei judicio se affligi. Nā & nuper ascripsit peccatis suis totā iræ Dei grauitatē, & paulo pòst repetet, quicquid patitur, sua amētia fuisse cōflatum. Quāuis ergo sua mala deplorans videri posset in speciem cū Deo litigare, hanc tamen modestiam retinet, quia Deus puniendo modū non excedit, nihil præter deprecationē sibi restare: quum impii quantumuis sibi malè cōscii, Deo tamen obmurmurēt, non secus ac feræ indomitæ catenas quibus cōstringuntur, dentibus mordent. *Sicut onus graue grauiores facti sunt me.* [V] Aggrauatæ sunt præ me. id est, ponderosiores sunt quàm vt illas ferre queam. Q.d. Dolor infirmitatis propter iniquitates meas inflictus occupauit omnia corporis membra, & ita præualuit vt præ illo penitus deficiam, nisi me tua gratia sustineat.

6 *Putruerunt, contabuerunt liuores mei, propter stultitiā meam.*

Putruerunt, cōtabuerunt liuores mei. [V] Sanie diffluunt liuores mei, siue vibices ex castigatione tua cōtractæ. alii, vlcera mea. [C] Mali diuturnitatē hoc versu cōmemorat: quod leuationis impetrādæ valere debuit. Nam quū Dominus apud Prophetā pronuntiet impletā fuisse Ecclesiæ malitiam, & se pro peccatis duplicia ei rependisse, (Esa. 40. a. 2) significat, vbi satis exegit pœnarū, se maturè placari: imò si longius prosequutus fuerit suam vindictā, pro sua clementia quasi tædio affici, vt liberationem acceleret. sicut alibi dicit, Examinaui te, sed non instar argenti, ne te consumerem, Esa. 48. b. 10. Huc ergo spectat quod de mali duratione conqueritur Dauid, vt justis pœnis perfunctus tandem leuationem obtineat. Fuit autē hæc non leuis tētatio seruo Dei, continuo languore confectum quasi in malis suis putrescere, &

in saniem liquefieri. In quo magis miranda est eius constantia, quæ non magis fracta fuit moræ longitudine quàm immenso malorum oneri succubuit. [a]Quoties ergo auxilium suum differt Dominus, discamus exemplo Dauidis fiduciam non abiicere, scientes fieri non posse quin auxiliatricem Dei manum tandem sentiamus: quia in se sperantes nunquam deserit. *Propter stultitiam meam.* [c]Quòd stultitiã suam loco peccati ponit, ad extenuandam culpã minimè pertinet: (sicut hypocritæ, dum effugere reatum nequeunt, vt tamẽ excusent dimidia ex parte, fucum ignorantiæ obtendunt, vel errore & incogitantia se lapsos esse tergiuersantur) sed secundum Hebraicæ linguæ phrasim per stultitiæ nomen se desipuisse fatetur, quòd carnis libidini obsequutus fuerit aduersus Deum. Et certè passim quantumuis atrocia scelera Spiritus designans, non subleuat reatum hominum, acsi leuibus tantùm delictis obstricti essent: quin potius vesani eos furoris accusat, quòd prauis desideriis excæcati contra opificem suum ruant. Itaque semper cum stultitia vel amentia coniunctum est peccatum. Et hoc sensu Dauid de stultitia sua loquitur, acsi diceret se fuisse mẽte alienatum, & instar pecudis abreptum, & circumactum bruto impetu, dum neglecto Deo suas cupiditates sequutus est.

7 *Incuruatus sum, inclinatus sum vehementissimè: omni die niger ambulo.*

Incuruatus sum, inclinatus sum. [v] Incuruatus & depressus sum. vel, depressus sum, & incuruatus sum. Alii, distorto corpore sum & incuruo. [a] Descriptio hæc satis ostendit extremis doloribus oppressum fuisse sanctum virum, vt mirum sit sub tanta malorum congerie viguisse fidem quæ animum eius sursum attolleret. Porro quum se curuatum fuisse dicit, videtur tacitè suam deiectionem opponere multorum peruicaciæ, qui nullis Dei flagellis humiliantur, quin potius duritie sua cum ipso luctantur. Etsi enim malis suis cruciari necesse est, se tamen quodammodo obstupefaciunt. Hac ergo circunstantia Dauid cælestem suum iudicem ad misericordiam flectit, quòd non fuerit vnus ex præfractis, qui rigida ceruice stant erecti contra Dei manum, sed deiectus iacuerit. sicuti etiam pios omnes Apostolus hortatur vt se humilient sub robusta Dñi manu, 1. Pet. 5. b. 6. Quare discamus non aliud leuandis malis nostris esse remediũ, nisi vt deposita omni peruicacia curuemur sub Dei ferulis. [a]Et notandum est, quo grauiorem Dñi manum super nos esse sentimus, eo maiorem humilitatem à nobis requiri: sicuti Dauid dicit se non simpliciter, sed valde incuruatum & humiliatum esse. *Quotidie niger ambulo.* [v] Atratus, mœstus, obscurus, & facie subnigra. [c] Quidam pullatum vertunt, ac interpretantur de externo vestitu, cuius niger color semper insigne luctus fuit. Sed verior est eorũ sententia qui nigredinem cutis intelligunt. scimus enim vt macie & squalore homines deformet mœstitia. Ergo à signo doloris magnitudinem ostendit Dauid, quòd natiuus color perierit in sua facie, & similis sit cadaueri iam arefacto. [a] Similem huic querimoniam audiuimus, quum diceret, Aruit tanquam testa vigor meus, & lingua mea faucibus meis adhæret, & in puluerem mortis posuisti me, Suprà, 22. d. 16.

8 *Quoniam renes mei impleti sunt combustione, & non est integritas in carne mea.*

Quoniam renes mei impleti sunt combustione. [c] Quidam כסלים vertunt Ilia: magis tamen recepta opinio est locum notari sub renibus qui vergit ad coxendices, vel medium inter fœmora & ilia, vbi creditur fuisse vlcus. In voce quoque נקלה variant interpretes. Nos in versione sequuti eos sumus qui primam verbi originem retinent. קלה enim Hebræis comburere significat. Neque tamen malè alii pro fœditate accipiunt. Quanquam ad vlcus restringẽdum non videtur: quia simplex sensus est, renes ardore corruptos esse, vel ilia, vel fœmora, aut certè fœtore scatere. Nam & vstionibus pars illa maximè obnoxia est, & illuc quoque vt plurimum defluunt putridi humores. [a] Summa est, Dauidem sic excruciatum fuisse vt totum corpus deiectum fuerit ac prorsus inutile redditum. [c]Nam quòd allegoricè exponunt quidam Dauidem sibi visum fuisse fœtidum, dum suã ignominiam expenderet, nimis coactum est. *Et non est integritas in carne mea.* [v]Perfectio, sanitas, sanũ quicquam. [a]Idem dicit quod initio versus quarti.

9 *Debilitatus sum, & attritus sum vehementissimè: rugio præ fremitu cordis mei.*

Debilitatus sum, & attritus sum. [v] Dissolutus sum ac deiectus vel contritus aut percussus. [a] Q. d. Plenus sum doloribus & angore mentis. *Rugio præ fremitu cordis mei.* [v] Præ anxietate cordis mei, præ turbatione, præ tumultu cordis mei. [c] Confirmatio est superioris sententiæ. Exprimere enim variis loquendi formis voluit quàm intolerabilis esset doloris vehementia. Nam quum parum virile existimetur erumpere in clamorem vel rugitum, Dauidem verò sciamus ad mala ferenda mollem non fuisse, sæuissimis tormentis cruciatum fuisse colligimus: quia lachrymis non contentus, vociferari etiam coactus fuerit. Etsi autem שאגה (quod rugitum vertimus) ab alio verbo deductum est quam quo hic vsus est Dauid, sensus tamen clarius est, se tumultuoso cordis impetu cõpulsum fuisse ad clamorẽ. [a] De huiusmodi rugitu, voce scilicet immaniore, quam exprimere solet vis acerbior doloris, spiritu diu contento, vide suprà, 22. a. 2.

10 *Domine coram te est omne desiderium meum, & suspirium meum à te non est absconditum.*

Domine coram te est omne desiderium. [m] Hic versus fiduciam & spẽ in Domini fidem & gratiam exprimit: quam commodùm querimoniæ intermiscet, ad confortandam fidem in precatione. [c] Non enim tam Dei respectu hoc addit quàm vt se instrueret impetrandi fiducia, atque ita ad precandum animaret. Quanquam autem duplex potest esse sensus, vel quòd Dauid statuat vota sua & gemitus exaudiri à Domino, vel quòd testetur se curas suas & molestias deposuisse in sinum Dei: vterque tamen sensus in eundem finem redit. Quandiu enim dubitant homines an gemitus sui ad Deum perueniãt, misera cõsternatio huc & illuc eos exagitat, metúsque eorum deuinctas tenet ac captiuas, ne ad Deum assurgant. Hinc autem precandi alacritas nascitur, vbi persuasi sumus gemitus nostros nõ euanescere in medio aere, sed familiariter à Deo exaudiri. Hoc igitur non mediocre solatium Dauidi esse potuit, non accedere dubio & trepido animo ad Deum, sed præsumpta hac quam diximus fiducia: sicut alibi loquitur, lachrymas suas repositas esse in vtre Dñi, Infrà, 56. b. 9. Nam vt nobis ad Deum pateat aditus, credendum est ipsum esse remuneratorem, vt dicit Apostolus Hebr. 11. b. 6. Sed alter sensus videtur melius congruere, quòd Dauid referat se exonerasse mœrores suos in gremium Dei. Nam ideo nihil proficit maior pars hominum gemendo in suis doloribus, quia vota & suspiria ad Deum non dirigit. Ergo Dauid, vt intrepidè sibi promittat Deum fore liberatorem, suarum anxietatum testem semper & conscium fuisse dicit: quia neque frænum intus momorderit, neque querelas & vlulatus in aerem profuderit, (vt solent increduli) sed coram Deo ipso exposuerit suos omnes affectus. [m] acsi diceret, Domine omne desiderium & suspirium meũ tu nosti, qui corda probas & renes: [b] tu solus scis quæ sunt ad te suspiria mea, quæ necessitates, quæ vota. [b] Quousque ergo sines, ô Domine, tantopere me discruciari? [a] tu enim optimus mihi testis es, nosti omnia mea desideria & vota ex intimo cordis affectu in sinum tuum effusa, propter spem & fiduciam quã in te solum conieci. [b] Persuasum siquidem sanctis est se à Deo diligi, nec deseri posse. Vnde dũ caro moræ impatiens afflictatur, queruntur id Deo Patri: ac inde mox quoque mirum in modum consolantur, spe firmata fieri haud posse vt mala premant diutius, quum chari Deo sint, quósque cruciatus ferant probè norit.

11 *Cor meum circumiit, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum.*

Cor meum circumiit. [v] Circumcursat, circumagitatur, circumvagatur, vertitur in gyrum. id est, alia atque alia versat. Q. d. Crucior variis cogitationibus. Verbum סחרחר, quo hic Dauid vtitur, peregrinari aut vagari significat: sed pro agitatione hoc loco capitur, quam generat anxietas, vbi destituimur consilio. Prout enim vexantur inquietudine homines, ita se in omnes partes versant, atque ita circumagitur cor ipsorum, vel discurrit. [a] Adde quòd sæuiente dolore animi & corporis, solet cor palpitare insolentius. Vt igitur vehementiore se dolore confectum diceret, ait cor planè circumiuisse ac circumagitatum fuisse, penitusque inuersum. [c] Sed quum fides, vbi nos addicit Deo in obsequium, sensus nostros eius verbo affixos teneat, obiici potest quæstio, quomodo cor Dauidis perculerit hic vagus error. Respondemus, quamuis suffultus Dñi promissionibus in suo gradu consisteret, non fuisse tamen humanæ infirmitatis expertem. Nec certè fieri aliter potest quin simulatque incidimus in aliquod discrimen, caro nostra varios circuitus nobis ingerat, & ad captãda consilia distrahat in multos errores. Hic firmissimus quisque labasceret, nisi sibi frænum iniiceret, quo retentus ac cohibitus fuit Dauid, nempe sensus omnes suos verbi Dei cancellis inclusos tenens. Imò in precibus quieti plus satis experimur quàm erraticæ sint mentes nostræ, quas difficile est eodem tenore intentas ad finem vsque dirigere. Si hoc extra serium examen contingit, quid fiet in grauibus tempestatum procellis, quæ mille mortes ostentant, nullum exitum? Quare mirum non est si cor Da-

uidis abripuerit, vt inter æstus turbulentos variis agitationibus obnoxium fuerit. *Dereliquit me virtus mea.* Addit se virtute fuisse priuatum, perinde acsi homini mortuo se conferret. Et sanè quò nos Deus penitus excutiat, & nostras nobis vires ostendat, sinit nos ad hunc modum nonnunquam confici. Sic & Dominus præ immensa doloris vi sanguinem sudauit, Luc. 22.e.44. *Et lumen oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum.* Ipsi, הם, sub. oculi. id est, non funguntur suo officio. Posset etiam legi, Ipsum, nempe lumen, vt הם pro הוא accipiatur. Hoc autem quidam ita accipiunt acsi diceret Dauid nihil sibi fuisse residuum consilii vel prouidentiæ: adeo vndique vrgebat desperatio. Simplicior tamen sensus erit, ablatum ei fuisse vitale lumen: quia illic præcipuus se exerit animæ vigor. Hac verò loquutione satis innuit se in summis doloribus fuisse.

12 *Qui diligebant me, & sodales mei à conspectu plagæ meæ stant, & propinqui mei à longinquo stant.*

Qui diligebant me, & sodales mei. Ad verbum, Diligentes me, & socii mei de coram me steterunt, id est, subducti à plaga mea auersi à me steterunt, cessantes ab omni humanitatis officio. Nunc alias circunstantias ad augendam mali grauitatem addit, quibus Deum ad misericordiam prouocet. Vna est, quòd desertus fuerit ab amicis, sodalibus & propinquis, apud quos nihil solatii reperire potuit. Id autem accidere potuit vel superbia vel timore. Si contemptu se ab homine misero subduxerunt, crudeles erant ac superbi: si inuidiæ metu operam negarunt, timiditas fuit minimè excusabilis. *Et propinqui mei à longinquo stant.* Hoc certè Dauidis calamitatē non parum exaggerat, quòd ne amici quidem & propinqui signum aliquod miserationis ostendere ausi sunt. Est enim ista acerbissima tentatio, vbi quis magna amicorum copia floruit, deinde ab omnibus deseritur. Sic alibi queritur, dicens, Dum aspicio ad dexteram, & video, non est qui me agnoscat, Infrà, 142.a.5. Item Iob ita questus est, Fratres mei præterierūt me, vt fluuius qui alueo suo decurrit, Iob 6.c.15. Et quum Christus esset cruci affixus, narrat Lucas notos eius stetisse procul, Luc. 23.g.49. Paulus item de se hunc in modum scribit, In prima defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt, 2.Timoth.4.c.16. Quibus exemplis armati parremus nos ad patientiam, vt æquo animo feramus siquid simile nobis (Deo ita volente) contigerit.

13 *Et laqueos tetenderunt qui quærebant animam meam, & qui captabant malum meum, loquuti sunt prauitates, & dolos omni die meditantur.*

Et laqueos tetenderunt. Sequitur altera circunstantia, quòd hostes tēdiculas posuerint, loquuti sint in eius perniciem, & dolos inter se machinati sint. Summa est, quum amici ignaui sedeant, hostes strenuè satagere & acriter incumbere ad ipsum perdendum. Sicuti Christus dormientibus suis discipulis dicebat, Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradit. q.d. Quum vos dormiebatis, proditor cum hostibus vigilabat. *Qui quærebant animam meam.* Hoc dicit Dauid quia vt capitales erant eius hostes ac sanguinarii, mediocri damno non contenti eius interitum feruidè expetebant. Interim tamen non tam queritur vi & armis fuisse grassatos quàm dolosas eorum conspirationes accusat, quas metaphoricè primò designat per laqueos: deinde sine figura addit, *Et qui captabant malum meum, loquuti sunt prauitates.* Iniqua, perniciosa. *Et dolos omni die meditantur.* Hoc est, quasi occultis susurris inter se consuiunt quomodo mihi noceant. Ardens certè nocendi studium eo expressit quod adiecit Omni die: præ flagranti scilicet cupiditate perdendi me, & de rationibus quibus me extinguerēt commentandi, assiduè meditabātur, & veluti inter se murmurabāt. Iam quia certum est Dauidem non petere fucatam rhetoricam ex foro, qua Deum sibi conciliet, sed potius argumenta ex Dei verbo sumere, in vsum nostrum aptanda sunt quas hic ad fidei suæ confirmationem sententias colligit. Si nos deficiunt omnia mundi præsidia, alii nos fraudāt iustis officiis, alii nihil quàm cædem nostram spirāt: veniat nobis in mentem, non frustra hæc inter precandum Deo proponi, cuius proprium est succurrere miseris perfidè desertos ac perditos in suam tutelam suscipere, compescere improbos, nec modò resistere eorum violentiæ & temeritati, sed astutis etiam consiliis ire obuiam, fraudésque eludere. Quemadmodum iam plerisque locis vidimus, & rursum visuri sumus.

14 *Ego verò tanquam surdus non audio, & sicut mutus qui non aperit os suum.*

Ego verò tanquam surdus non audio. Futurum Hebræum pro præsenti, vel potius pro præterito imperfecto Audiebā. id est, dissimulabam me audire quæ in meam perniciem dicerent. *Et sicut mutus qui non aperit os suum.* Suam aduersus hostium perfidiam & violentiam, insignem mansuetudinem canit, dicens similem se factum surdo & muto, quique nihil responsi, nihil confutationis contra inimicorum sycophantias ac calumnias habuerit.

15 *Sum (inquam) sicut vir qui non audit, & in cuius ore non [sunt] redargutiones.*

Sum (inquam) sicut vir qui non audit. Repetitio cum expositione. Addit enim, *Et in cuius ore non sunt redargutiones.* Reprehensiones. id est, non habet quod respōdeat. Duas ob causas muto & surdo se comparat. Nam primò significat falsis & peruersis iudiciis ita se obrutum vt ne verbum quidem iustæ defensionis causa facere liceat. Deinde patientiam suam in medium profert coram Deo, quò magis eum ad misericordiam inclinet. Talis enim mansuetudo non tantùm calamitosis & innoxiis hominibus fauorem meritò conciliat, sed veræ quoque pietatis signum est. Nam qui pendent è mundo, & tantùm hominum respectu aguntur, si iniurias suas vlcisci non poterunt, vociferando quanta intemperie ferueat ipsorum animus ostendent. Ergo vt quis placidè & sine tumultu petulantiam hostiū, iniustos impetus, calumnias & fraudes perferat, eum necesse est in Deum recumbere. Cæterùm quisquis statuet Deum esse suū vindicem, spem suam in silentio fouebit, eiúsque opem imploratam compescet suos affectus. Ideo Paulus concinnè dicit tunc dari locum iræ, vbi coram mundo oppressi acquiescimus tamen in Deo, Rom. 12.d.18. sicuti rursum, quisquis fræcum laxat suis passionibus, præripit quoad potest, Deo vindictam, nec eius auxilio aditum concedit. Certum quidem est, Dauidē, si data esset audientia, paratum ad suam innocentiam tuendam fuisse: sed quum nihil proficeret, imò quum videret excludi se ac prohiberi omni patrocinio, se in tolerātia continuit, cæleste iudicem expectans. Ergo se perinde tacuisse dicit acsi iam conuictus obmutesceret. Est autem perquam difficile, vbi rectè nobis sumus conscii, patienter & clauso ore ferre iniustā damnationem, acsi nos deficerēt omnes rationes, & nulla residua esset excusatio. Verùm vbi sepulta est omnis æquitas, & nullus superest rationi locus, silere præstat quàm loqui. Hac ratione legimus Christum coram præside Pilato & Herode obmutuisse, quos sciebat ab æquitate nimis alienos, Matth. 27.b.14, & Luc. 23.b.9. Neque enim frustra dictū est à Solomone, Omnia tempus habere, tempus loquendi, & tempus tacendi, Eccles.3.b.7. Et alibi dicitur, Vbi non est auditus, ne effundas sermonem, Ecclesiastici 32.a.6.

16 *Quia te Iehoua expecto, tu respondebis Domine Deus mi.*

Quia te Iehoua expecto. Præteritum Hebræum pro præsenti. Hic fontē patientiæ demōstrat Dauid, quòd scilicet Dei gratia confisus, omnes mundi tentationes superauit. Et certè nunquā ad lenitatem cōpositus erit hominis animus, neque etiā motus suos frænabit, donec in spei statione residere didicerit. Ostendit etiam cur quālibet morbo sæuissimo esset cruciatus, & ab amicis desertus, calūniis tamen inimicorū nihil respōderit, omnia tacitus tulerit, muto & surdo similis: nēpe quòd pendebat penitus à Deo, quē non dubitabat se in tēpore precantem peccatorū veniam auditurū. Id ergo præstolans, ad omnes impiorum calumnias obsurdescebat. *Tu respondebis.* Addit se assidua meditatione spē suam aluisse ne deficeret. Atque hæc vnica est perseuerandi ratio, quum Dei promissionibus instructi, eum interpellamus. Imò fidem eius & in seruandis promissis cōstantiam ante oculos ponēdo, nobis sumus ipsi pro eo sponsores. Itaque Paulus non abs re patientiam spei coniungit & consolationi, Rom. 15.a.5. *Domine Deus mi.* Repetitio verborum ostendit sanctum virum in ardua & difficili fuisse lucta. Tu (inquit) Domine mi Deus mi exaudies. Nempe quia Deo moram trahente periculum erat ne vel tædio languesceret, vel in desperationem caderet, nisi hac duplici munitione opposita constanter & intrepidè pugnasset.

17 *Quia dixi, Ne fortè lætentur de me, in lapsu pedis mei aduersum me se extulerant.*

Quia dixi, Ne fortè lætentur de me. Hac quoque circunstantia fidem suam & precandi studium confirmat, quòd si contigerit eum deseri, triumphum acturi sint hostes. Hæc autem indignitas non parui est apud Deum momenti vt nobis opem ferat: quia improbi proteruè insultando non modò bellum cum carne nostra gerunt, sed rectà oppugnāt fidem nostram, & labefactare conantur quicquid est in nobis pietatis. Quorsum enim tendunt eorum ludibria nisi vt irritum & inane esse persuadeant quicquid pollicitus est Deus? Hanc ob causam sic Vates iste dicebat, Deus meus in te confisus sum, ne confundar, ne lætentur inimici mei super me, Suprà, 25.a.2. Sciebat Dauid se quamlibet nunc irato sibi Deo charum esse, odio autem haberi hostes: eo quòd illi non tam se quàm Dei gloriam pessun-

dare conarentur. Dicebat ergo iure, Silui ad omnes quantumuis falsas delationes & infamationes hostium meorum. Dixi enim in corde meo & oraui, ne potiti victoria de me, in quo non peccata mea sed pietatem & iustitiam oppugnant, lætentur. Id (scio) præstabit tandem Deus: [a]quia nominis sui gloriam semper tueri & asserere paratus est. [c]Contineo igitur nunc me, nec quicquam regero, quamuis multa illi & dira contra me mentiantur. *In lapsu pedis mei.* [b]Dum nutat, vacillat, commouetur pes meus. *Aduersum me se extulerunt.* Præteritum Hebræum pro præsenti. Id est, magnifica & superba aduersum me loqui solent, super me extolluntur, & insultant mihi. [a]Potest enim aptè præteritum retineri. [c]Ostendit enim Dauid non frustra se percelli hoc metu, ne scilicet de se lætentur hostes: quia iam expertus sit superbas eorum iactantias. Docemur autem & hoc loco, eo plus spei concipere de propinquo Dei auxilio quo crudelius insolescunt hostes nostri, vel iam rebus aduersis grauatos magnifico suo fastu calcarūt. [b]Quum itaque eousque ira Dei desæuisset vt iam de Dauide actum esse videretur, & perpetuo dolore cruciaretur, vt spes erat Dominum statim clementiam quoque suam declaraturum, ita obmutescens ad omnia præstolabatur dum placatus amātissimus Pater ipse mala omnia depelleret.

18 *Quoniam ego ad claudicationem paratus sum, & dolor meus coram me est semper.*

Quoniam ego ad claudicationem paratus sum. [c]Fecit hic versus vt putarent interpretes Dauidem laborasse aliquo vlcere, ex quo timenda esset perpetua claudicatio. Sed quàm infirma sit hæc diuinatio, suprà, 35.c.15, ostendimus. Certè nulla maior ratio est cur Dauidē fingamus fuisse claudum quàm Ieremiam, vbi dicit hostes suæ claudicationi inhiare, vel esse intentos, Ierem. 20.c. 10. Potius itaque metaphorica loquutio est, qua significat Dauid, nisi Deus celeriter succurrat, spem nullam sibi esse recuperandi pristini status: sed ita esse afflictum vt tota vita mutilus vel debilis incedat. Et expositionis loco sequitur, *Et dolor meus coram me est semper.* Sensus enim est, vsqueadeo vrgeri vt ne ad momentum quidem aliquid relaxationis concedat obliuio. Vtroque membro fatetur Dauid malum suum esse incurabile, nisi remedium à Deo impetret: nec se ferendo esse parem, nisi ipsius Dei manu erectus & suffultus fuerit. Hinc fit vt sensus omnes suos & vota ad vnum Deum colligat: quia simulatque ab eo deflexerit, præsentem ruinam cernat. [m]Sed quòd tam anxiè deiectionem cùm mentis tum corporis queritur, non videtur indicium esse animi patienter flagellum Domini ferentis, sed magis impotenter lugentis & conquerentis. Verùm ista simpliciter non sunt signa animi impii, nisi accedant alia quædam. Angustiam suam questus est & Christus, questi sunt illam & sancti quique non sine fide & spe diuini auxilii. id quod impii facere nesciunt.

19 *Quoniam iniquitatem meam annuntio, timeo propter peccatum meum:*

20 *Inimici autem mei viuentes roborantur, & augentur potentia qui me odio habent sine causa.*

Quoniam iniquitatem meam annuntio. [b]Futurum Hebræum pro præsenti, patefacio. [c]Comparatione amplificat quod nuper dixit de hostium fastu & probris. Dicit enim, quum ipse in sordibus & squalore iaceat instar scelerati hominis, ipsos alacres & lætos volitare, imò cristas attollere, quia potentia & viribus polleant. Sed prius notare operæpretium est quo sensu dicat se peccatum annūtiare. Falluntur enim qui simpliciter hūc locum accipiunt acsi petendæ veniæ causa reum se coram Deo profiteretur. Volunt illi nunc ferè idem reperi quod iam vidimus, Peccatum meum tibi notum feci, iniquitatem meam non operui, &c. Suprà, 32.b.5. Atqui hoc loco non tam de sua pœnitentia loquitur quàm tristem & calamitosum suum statum deplorat. ideòque peccatum & iniquitas pro afflictionibus sumuntur vel pœnis quæ signa erant iræ Dei. Acsi diceret manum Dei sibi aduersam esse & infestam, vt ex miseriæ intuitu vulgò iudicet mundus hominem esse damnatum & reprobum. Quò clarior sit sensus, coniunctim duo isti versus legendi sunt. Ego iniquitatem meam annuntio, &c. deinde, *Inimici autem mei viuentes.* [a]Q. d. Dum extremis malis discrucior, & variis doloribus angor, hostes mei lætantur, & misero mihi insultant. Et dum expauesco à peccato meo, (hoc est, dum anxius doleo, solicitus sum, cupiens his malis eripi) illi roborantur, & potentia augentur. [c]Neque tamen interea negandum est quin reputet Dauid, quæ sustinet mala, sibi à peccatis prouenire. [a]sicuti ipse confessus est versibus 4.5 & 6. [c]In hoc enim differunt pii homines à profanis, quòd rebus aduersis admoniti de suo reatu, suppliciter se sistunt ad Dei tribunal. Ergo à signis vel effectis causam æstimans, duo simul complectitur: quòd prostratus sub ingenti malorum congerie iaceat: deinde quòd hæc omnia mala iustæ sint castigationes. Viuere istud quod hostibus tribuit, tantundem valet ac florere rebus prosperis. Iraque addit roborare & augeri potentia. Sic enim verbum עצם hoc loco debet exponi: quia multiplicari impropriè diceret. Neque enim conqueritur eorum numerum crescere: sed potius eos attollit, vt cum opibus simul maiorem audaciam colligant ad bonos & simplices opprimēdos. acsi pia quadam querulatione diceret, Dum interim ego sileo & perfero omnia, tuam opē expectans, illi hostes mei & indignè odientes, prosperè agunt, valéntque & roborantur, viribus opibúsque aucti. *Qui me odio habent sine causa.* [b]Quò indignitatem hanc melius exprimeret, [c]ac Deum magis propitium inueniret, addit nullo suo merito ab illis se oppugnari. Et certè vt suo nos fauore protegat Deus, semper danda opera est ne quem lædamus, & ne cuiusquam in nos prouocemus odium.

21 *Et reddentes malum pro bono, aduersantur mihi, eo quòd sequor bonum.*

Et reddentes malum pro bono. [c]Plenior est cōfirmatio proximæ sententiæ, quòd iniurias pro beneficiis rependerent. Quāquam his verbis vltrà progreditur Dauid, quòd scilicet non tantùm ab omni maleficio abstinuerit, sed etiam de illis sit bene meritus. Quo minus excusabilis est eorum rabies, quæ nō modò sine causa eos ad nocendū impellit, sed neque vllis officiis mitigari potest. [a]Sic alibi querebatur, dicens, Repēdunt mihi malū pro beneficētia, sterilitatē animæ meæ, Supr. 35.b.12. Magnopere quidē ingenuas mētes excruciat hæc indignitas, dū tam iniquā mercedē rependunt mali & peruersi homines. sed vbi succurrit hæc cōsolatio, hac ingratitudine non minus Deū offendi quàm eos qui iniuriam sustinent, non est quòd vltra modū turbētur. Ergo ad leniendum dolorē semper valeat hæc doctrina, quoties iniuriis nos afficiūt improbi, quibus studuimus benefacere, Deum fore certum iudicem. [a]Notādum etiam discrimen est piorum & impiorū. Illi de omnibus etiam inimicis suis bene mereri student, (sicut edocti sunt à Domino, Matth. 5.g. 44) nec vnquam malum pro malo reddere habent in animo: tātum abest vt pro bono malū rependere parati sint. Impii verò vt Satanæ spiritu aguntur, ita malum pro bono repēdunt. *Aduersantur mihi.* [b]Fut. Hæbræū pro præsenti. *Eo quòd sequor bonū.* [c]Sūmus hîc desperatæ malitiæ gradus adiungitur, quòd exosum habuerint integritatis studium in Dauide. Nimis enim præposteros esse oportet, prauóque & contorto ingenio, quibus ita rectitudo displicet vt data opera cum eius cultoribus bellum suscipiant. Est quidem ista grauis tentatio, quo sincerius ad Deum colendum pii incumbunt, eo sibi plures molestias accersere: sed abunde illis sufficere debet hæc consolatio, quòd non modò eos subleuat bona conscientia, sed Dei misericordiam erga se hac maximè de causa propēsam esse norunt. Qua fiducia freti, in Dei conspectum prodire audent, &, quia cōmunis est ei causa, vt eius patrocinium suscipiat, familiariter rogare. Certè Dauid regulā suo exēplo cūctis fidelibus præscripsit, vt omnia mundi odia potius prouocent quàm vt minimū declinent ab officio, neque hostes habere refugiant quos vidēt bono & omni iustitiæ aduersari. [a]Nam sicut se à Deo alienat qui huius mundi amicitiam venatur, (teste Iacobo, cap. 4.a. 4) ita is verè Deo coniungitur qui impiorum odia nil moratur, sed omnem huius mundi altitudinem fortiter despicit, modò vni Deo placeat.

22 *Ne derelinquas me Iehoua: Deus mi ne elonges te à me.*
23 *Festina ad auxilium meum, Domine salus mea.*

Ne derelinquas me Iehoua. [a]Q. d. Quum sit mihi negotiū cum tot superbis & astutis hominibus, ne quæso destituar tuo auxilio. *Deus mi ne elonges te à me.* [b]Tropus est. id est, ne longè facias opem tuam. Vide suprà, 10.a.1.c.11. [c]In hac clausula votorum suorū caput & totius precationis summā breuiter perstringit, vt scilicet ipsum ab hominibus desertum & miserè omnibus modis afflictum Deus excipiat & erigat. *Festina ad auxilium meum.* [c]Tribus loquendi formis vtitur Dauid, Dei misericordiam & fauorem implorans: ne ipsum deserat, vel eius curam abiiciat Deus: ne remotus sit: sed opem suam acceleret. Persuasus quidem erat Dauid Deum semper propinquum esse seruis suis, nec momento vno longius tardare quàm oportet: sed (quemadmodum alibi vidimus) nihil mirum si sancti, dum curas suas & mœrores exonerant in gremium Dei, vota concipiant ex carnis suæ sensu. Neque enim vel infirmitatem suam fateri pudet, vel quæ obrepunt dubitationes tegere expedit. *Salus mea.* Quamuis mora Dauidi secundum carnem molesta esset, vno tamen verbo clarè demonstrat se non dubitanter precari, quum Deum appellat salutem suam vel salutis præsidem. Nam quod quidam Ad salutem vertunt, coactum & violentum est. Potius enim Dauid machinis omnibus,

quibus impetitam fuisse eius fidem vidimus, mutum hunc opponit, indubiam sibi nihilominus in Deo salutem esse. Sicut ergo à nullo alio salutem expectabat, ita vnum hunc inuocabat, solique æstus animi sui querebatur. Id verò est cõuerti ad percutientem se. Quod dum facere renuimus, nihil aliud quàm Dominum quodammodo compellimus percutere nos acerbius: donec manũ eius sentientes agnoscamus nostram peruersitatem: vt populo suo facturum se minabatur, Esa. 9.c.13. Discamus ergo hinc, dum afflictiones immittuntur aut morbi, dum etiam amici deserunt, & hostes præualent, nihil aliud esse quàm castigationem Domini in viam nos ita reducere volentis. nemini indignemur, cum nemine expostulemus, simus mutis & surdis similes, quique quod respondeant nihil habent: agnoscamus nos omnia probè commeruisse, fateamur ingenuè nostram prauitatem, nihil excusemus, nihil eleuemus, ad percutientem potius nos conuertamus, ipsi vni dolores nostros queramur: expectemus æquanimiter dum ipse opem ferat: hanc imploremus, nihil addubitantes illum nos in tempore respecturũ, & ab omni malo liberaturum, pendentes ab ipso per omnia, vnum inuocantes, meritis malis nos offerẽtes, & ingenuè omnia meruisse corde & ore confitentes. Nam si tanta pati hunc tam sanctum suum Deus voluit, qui quicquid peccarit, tam sedulò tamen simul Legi Dei studuit, ac beneficiis prosequi quoslibet tam curauit diligenter: quid nobis debetur, in dilectione, qua sola Lex impletur, tam miserè cessantibus? Pensitemus hæc omnia præsenti animo. Dici non potest vt nos sint adiutura, præsertim vbi aduersa inciderint.

ARGVMENTVM PSAL. XXXIX.

[a] DAVID acerbissimis quibusdam doloribus exagitatus, [b] refert initio Psalmi quanta doloris amarulentia ad querelas nimia intemperie feruẽtes impulsus fuerit. Fatetur enim, quum ad tolerantiam & silentium se parasset, mœroris tamen vehementia prorupisse quò minimè volebat. Deinde expostulationes precibus mistas recitat, quæ summam animi perturbationem ostendunt: vt satis appareat non vulgari conatu eum desperatione luctatum esse.

PRAEFECTO *Iedithun, canticum Dauidis.*

Præfecto. [a] לַמְנַצֵּחַ. Vide suprà, 4.a.1. *Iedithun.* Quidam ex Hebræis putant aliquod carmen celebre fuisse, cuius initium fuerit יְדוּתוּן, Iedithuno, ad cuius modulationem & hic Psalmus cantatus sit. [c] Sed satis notum est Iedithun vnum fuisse quos sacra historia celebrat, 1. Paral. 16.d.38, & 25.a.1. [c] Ideo probabilius est, Psalmũ hunc datum fuisse præfecto cantorum qui erat ex eius familia. Quidam etiam Dauidem hic de morbo aliquo conqueri diuinant. sed nisi vrgeat ratio, generales sententias ad vnam speciem restringere absurdum est. imò ex tam diro cruciatu quem describit, coniicere licet vel multas afflictiones comprehendi, vel certè vnam ex omnibus grauissimam, & quæ in longum tempus protracta fuerit. Tenendum verò est Dauidem hoc Psalmo non prædicare virtutem suam, quòd vota ad pietatis regulam composita coram Deo conceperit: sed potius infirmitatis suæ vitium fateri, quòd efferbuerit immodico dolore, & impetu raptus fuerit ad expostulandum.

2 *Dixi, Obseruabo vias meas, ne peccem lingua mea: custodiam os meum clausura, dum stat impius coram me.*

Dixi. [a] Canit initio Psalmi Dauid, quum magnis doloribus premeretur, statuisse nequid intemperantius effutiret. sed addit dolores vi coactũ fuisse vt in querelas paulo vehementius quàm par erat erat prorumperet. [c] Hac itaque circumstantia amplificat Dauid doloris atrocitatem, quòd præter animi sui propositum in acerbissimas querelas proruperit. Summa enim est, quũ animo ad patientiam composito silentium sibi imperasset, vi tamen doloris hoc consilium excussum fuisse, & voces extortas ex quibus pateret nimis intemperanter eum dolere. Dicendi verbo notum est sæpe non externum sermonẽ, sed quid animo quisque conceperit, notari. Ideóque interdum additur In corde. Intelligit ergo Dauid se non ostentasse fortitudinem in hominum oculis, sed coram Deo fuisse longa meditatione probè munitum ad mala perferenda. Atque hæc sedulitas notãda est. Neque enim ad cauendum frustra tantopere intentus fuit: sed quia suæ fragilitatis conscius erat, deinde sciebat quàm multiplices insidias struere soleat Satan, circumspexit huc & illuc, & custodiam in omnes partes opposuit, ne à dextra vel sinistra furtim obrepens tentatio in animũ penetraret. Ergo clausi vndique erant aditus, nisi ingenti doloris acerbitate violenter perrupta & auersa fuisset eius cõstantia. [a] Quò enim sancti & suas vires & Dei in se bonitatẽ probè agnoscãt, sinit interdum Deus illos supra quàm videantur ferre posse, affligi & cruciari. Vnde plerunque ita sibiipsis excidũt, atque cruciatuum violentia rapiuntur, vt ea tum dicant tum faciant quæ indignissima eis habeantur. Iob vir erat & Dei testimonio integer ac bonus, veráque Dei reuerentia eximius. at quàm diræ tamen & impiæ videntur querelæ quas illi tribuit Scriptura! Maledicere enim diei quo editus in lucem, nocti qua sit conceptus, pœnas quas luat peccatis grauiores esse, detestari vitam, tam præstabile donum Dei, & innumera huius generis alia quæ de Iob legimus, (Iob 31.a.1) vtique animi suo supramodum impotentis & Dei iudicia ferentis indignissimè. Iam quid videatur magis impium atque debacchari ita contra optima Dei cõsilia iudiciáque æquitatis incomparabilis? At sicut pater filii amãtior, dum sæuius illum cædit, non adeò grauiter fert quædã ab eo dicta impatientius, sed dolori ea condonat: ita amantissimus nostri Deus non abiicit suos in atrocioribus cruciatibus indignius, pro naturæ scilicet ingenio, querulantes, & non tam iudicii quàm doloris verba fundentes. *Custodiam os meum clausura.* [a] Cohibebo os meum capistro, ponam custodiæ vice ori meo capistrum, vel fiscellam: [b] nequid scilicet peccem loquendo aduersus Deum. [c] Quod Dauid se capistro os clausisse dicit, ne loquendo peccaret, non ita intelligere conuenit quasi satis habuerit intus premere & vorare quicquid eum angebat: nihil enim quàm fucũ faciunt qui vultu & sermone speciem mansuetudinis præbent, quum intus contumacia turgeant. Sed quia lingua nihil est magis lubricum, testatur Dauid se tanto studio incubuisse ad frænandos affectus, vt ne verbũ quidem ex ore effluerét quo proderet aliquam impatientiam. Et certè rara fortitudine præditũ esse oportet quisquis verè & sincera deliberatione linguã suam continet: cuius tam procliuus est lapsus: [a] quẽadmodum multis ostendit Iacobus, Cap.3.b.5. *Dum stat impius coram me.* [c] Omnes fere hanc particulam ita accipiunt acsi mœrorem suum texisset Dauid, ne blasphemandi occasionem daret improbis, qui simulac filios Dei vident malis succumbere, petulanter insultant non sine ipsius Dei ludibrio. Sed plus quiddam exprimere videtur Standi verbo, nempe quòd impios rerum potiri videns, hanc indignitatem (quæ alioqui non parum bonos vrit & cruciat) tacitus perferre decreuerit. Non simpliciter ergo dicit se improborum conspectu fuisse detẽtum ne illis ridendum se propinaret: sed quum florerent pessimi homines, & superiores gradu alios despicerent, sibi fixum fuisse in animo placidè quiescere. Certè clarè ostendit se fuisse obsessum sceleratis hominibus, vt liberum gemitum edere non posset quin cederet in risum & fabulam. [b] Metaphora qua vtitur, sumpta est à bobus, quibus os capistro obstruitur ne germinum tenera præcerpant. Quod illis fieri, dum triturãt, Dominus prohibuit, Deut. 25.a.4. Ibi enim eo verbo Scriptura vsa est vnde מַחְסוֹם, quod Psaltes posuit, deducitur. [c] Iam quum Dauidi tam difficile fuerit linguam suam compescere, ne obmurmurando peccaret, discamus eius exemplo, quoties nos angunt molestiæ, ad moderandos nostros affectus acriter eniti, nequa impia aduersus Deum obtrectatio nobis excidat.

3 *Obmutui silentio, tacui à bono, & dolor meus turbatus est.*

Obmutui silentio. [a] דוּמִיָּה. Subaudiunt quidam præpositionẽ, vt sit, In silentio, vel præ silentio. alii, silendo siue tacitus. Q.d. Tandiu silui vt pene viderer mutus. Iam ostendit Dauid non euanidum fuisse illud consilium cuius meminit, sed reipsa testatum fecisse quàm penitus cordi infixum esset. Dicit ergo se instar muti ad tempus tacuisse. quod insigne patientiæ documentum fuit. Itaque non vt solent leues homines, tacere proposuit, vt effectu careret voluntas: sed diu & constanter se ad patientiam exercuit, neque id silendo tantùm, sed prorsus obmutescendo, acsi elinguis foret. *Tacui à bono.* [c] Quidam particulam hanc sic exponunt quòd non modò nullam protulerit impiam vel temerariam vocem, sed in totum à loquendo abstinuerit, [a] ne fortè laxato ore in bona & mala prorupisset. [c] Alii putant siluisse à bono, quia miseriis obrutus nihil vsquã solatii inuenerit, vel dolor prohibuerit à canendis Dei laudibus. [a] Alii, silui à bono. Id est, tacui mea benefacta, nec excusaui me. Sed quoniam præmisit se capistrasse os suum dum staret improbus, ne peccaret lingua, [c] genuinus hic sensus est, quanuis suppeteret iusta defensio, vel nõ deessent honesti expostulandi prætextus, vltro tamen cessisse. Quanuis ergo aduersus improbos opponere liceret iustũ innocẽtiæ suæ patrocinium, causam tamen suam deserere maluit quam sibi ad aliquã doloris intemperiem frænũ laxare. *Et dolor meus turbatus est.* [a] Interim dolor meus incruduit, irritatus est, exagitatus est. [c] Dicit, vbi aliquãdiu se ita constrinxit, tandem violentia doloris perrupta fuisse claustra quæ linguæ suæ opposuerat. Quòd si Dauid tã strenuus athleta in medio cursu certaminis defecit, quanto magis similem lapsum metuere nobis necesse est? Turbatũ verò dolorem suum fuisse dicit, quia magis accẽsus fuerit eius ardor ad tumultuandum, vt statim videbimus. Quidam Corruptũ vertunt, ac-

si factus esset deterior, sicut vulnus putredine vel tabe ingrauescit. sed hoc coactum est. [c] Interea notandum est Dauidem maxima animi angustia oppressum fuisse, & variis certaminibus agitatum, adeo vt eum cum desperatione luctari oportuerit.

4 *Incaluit cor meum in medio mei, in meditatione mea exarsit ignis, tandem loquutus sum lingua mea.*

Incaluit cor meum in medio mei. [b] Valde perturbatus sum animo. *In meditatione mea exarsit ignis.* [b] Id est, dum mecũ immurmurarem. [c] Nunc similitudine amplificat doloris magnitudinem, quòd dolor occultè suppressus plus caloris conceperit, donec ardor ingens magis ac magis inualesceret. Atque hinc vtilem admonitionem colligere licet, nempe quo se quisque magis ad Dei obsequium comparat, totóque studio enititur ad patientiã, eo acrius pungi: quia totas suas vires ad eum oppugnandum Satan exerit, qui stupidis non adeo molestus est. Itaque siquando in nobis ferueant magnæ vstiones, memoria reuocandum erit certamen hoc Dauidis, ne animos despondeamus, vel saltẽ ne ad desperationẽ infirmitas nostra nos præcipitet. Siccæ & calidæ exhalationes quas sol æstate excitat, si nihil in medio aere obstaret, sursum absque tumultu ascenderent: nubes autẽ oppositæ, dum liberum cursum impediunt, ipso conflictu tonitrua generant. Idem & piis cõtingit, quibus sursum ascendere in animo est. Nam si ad vagas cogitationes transferrent animum, quasi liberi essent discursus: nunc dum se Deo addicere conantur, ex carnis impedimentis exoritur repugnantia. Ideo quoties impetus suos emittet caro, & ignẽ in cordibus nostris accendet, sinamus nos eodem tentationis genere exerceri quod plurimum molestiæ Dauidi exhibuit. *Tandem loquutus sum lingua mea.* [b] q. d. Tandem non potens amplius me continere, in verba prorupi, ita vt fit dum doloris incendium incaluerit, spiritibus diu contentis. [c] Fatetur hic se mali grauitate victum stultas & temerarias voces profudisse. Nam in sua persona humanæ infirmitatis speculum nobis ante oculos ponit, vt periculo admoniti sollicitè sub vmbram alarum Dei confugere discamus. Et quum dicit lingua se loquutum esse, non est pleonasmus, sed plenior delicti cõfessio, quòd scilicet in apertos clamores eruperit. [b] Vates ergo vt aliàs, ita & hìc naturæ ingeniũ expressit. Et quisque ita apud seipsum experitur, dum sæuiente aliquo dolore acerbiore sese compescit, & à querelis ac vociferatione continet, calorem intra se cum dolore incrementa accipere, donec in clamorem erumpere compellat.

5 *Notum fac mihi Iehoua finem meum, & mensuram dierum meorum quæ sit, ut sciam cuius sim æui.*

Notum fac mihi Iehoua finem meum. [a] Scire fac me, vel indica mihi. [b] Nunc recitat querimoniam suam, in quam post diuturnum silentium eruperit ad Deum. [c] Vnde apparet perperam & vitioso excessu fuisse abreptum, quia cum Deo expostulat: sicuti ex contextu clarius patebit. Miscebit quidem paulo pòst sanctas & rite compositas preces: sed hic indignè fert, quum fluxus sit & caducus homo, se nõ mitius tractari. Cuiusmodi querelis sermones Iob fere referti sunt. Non ergo sine stomacho & indignatione dicit, Quando tu Deus meum tam seuerè agis, fac saltem vt sciam quãtum mihi temporis præscripseris ad viuendum. [b] Si in multa secula vitã mihi prorogaturus esses, & vt bonis rursus fruerer concessurus, ferri posset vltio tam atrox, cruciatus tam acerbi: spes scilicet vitæ melioris dolorem leuaret. [c] Atqui momentum est vita mea. Quid ergo sibi vult tantus rigor, & cur immensam malorũ congeriem in caput meum accumulas, acsi multis seculis adhuc victurus essem? Quid iuuat me natum esse, vt per cõtinuam malorum seriem breuissimum vitæ tempus misere traducam? *Vt sciam cuius sim æui.* [a] Alii, quàm tẽporalis sim. alii, quandiu mundanus sim. id est, quandiu victurus sim in hoc mundo. [c] Nam חדל quidam mundanum vertũt, alii temporalem. Posterior interpretatio quadrare non potest: quia nondum palam exprimit vitæ suæ breuitatem, sed ambiguè adhuc loquitur. Si nomẽ Mundani placeat, sensus erit, Ostende an mihi vitam vsque ad mundi finem prorogare velis. Sed rectius sentire videntur qui simpliciter exponũt Dauidem rogasse quandiu victurus esset. Ideo coniunctim legi debet proximus versus.

6 *Ecce instar palmorũ posuisti dies meos, & æuum meum tanquã nihil coram te: profectò vniuersa vanitas omnis homo stans. Selah.*

Ecce instar palmorum posuisti. [a] Ad verbum, Palmares dedisti, vel pugillos, hoc est breues, vt mensuras quatuor digitorum. [c] Nam טפח mensura est quatuor digitorum: quæ hic pro exigua mensura sumitur. acsi diceret vitam hominis subitò transuolare, & finem eius initio fere esse contiguum. Vnde concludit cunctos mortales coram Deo meram esse vanitatem. *Et æuum meum tanquam nihil coram te.* חלד potest hic propriè pro ætate aut vitæ spatio accipi. Nam quò magis Deum ad misericordiam promoueat, suæ fragilitatis testem ipsum citat: significans eum minimè latere quàm euanida sit hominis vita. *Profectò vniuersa vanitas omnis homo stans.* [a] Consistens, vel existens. id est, quamlibet firmus consistere videatur. [c] Vniuersa vanitas (vel omnis) tantundem valet acsi dixisset, in toto humano genere nihil esse præter meram vanitatem. Hoc autem prædicat de hominibus vbi consistunt. hoc est, dum in præcipuo suo vigore volunt aliquid censeri. Etsi autem has querimonias Dauidi expressit mœror, notandum tamen est tunc demum sentire homines quàm nihil sint dum premuntur rebus aduersis. Res enim secundæ eos inebriant, vt suæ sortis obliti & torpore stupidi somnient immortalem statũ in terra. Quanquam autem apprime vtilis est fragilitatis nostræ notitia, cauendum tamen est ne prauo tædio nos ad indignationem stimulet. Verè Dauid & sapienter pronunciat, etiam dum maximè excellere homo videtur, totum nihil aliud esse quàm bullam ex vanitate conflatam. in eo solùm peccat quòd ansam expostulandi cum Deo inde arripit. Sic ergo nobis misera nostra conditio displiceat, vt prostrati & supplices ad Dei misericordiam tollamus oculos. Quod etiam mox facit Dauid, seipsum corrigens. Neque enim subsistit in illa confusa lamentatione, sed fidei sensu transcendit ad cæleste solatium. [a] Interea apparet quæ sit afflictionum vtilitas, quæ hoc in se habent quòd vanitatem vitæ istius nobis declarant, & ob oculos exponunt, desideriumque mortis adferunt. Alioqui ita comparati sumus, vt si liceat pro nostro genio & arbitrio viuere, nunquam relicto hoc seculo ad cælestem patriam abire cupiamus. *Selah.* Hanc particulam expendendi & considerandi notam adiecit Vates, sicuti plerisque aliis locis. [b] Nam præsentis vitæ vanitas ac breuitas probè expensa plurimum valet ad modestiam homini persuadendam.

7 *Certè in vmbra obambulat vir, profectò in vanum tumultuantur: congregat & nescit quis colliget ea.*

Certè in vmbra obambulat vir. [a] Quidam hic צלם pro tenebris accipiunt, vt vitæ huius miseriam intelligant & calamitatem, hoc sensu, [c] vitam hominis euanescere antequam possit cognosci. sed simpliciter prædicat Dauid de singulis hominibus quod Paulus ad totum mundum extendit, nempe transire eius figuram, 1. Cor. 7 f. 31. Atque ita negat firmũ in illis esse statũ: quia species virtutis, quæ ad breue tempus apparet, mox effugiat. [b] Ergo Propheta hominis vitam vmbræ meritò comparat, quæ non solùm inanem imaginem rei habet, sed & instabilis est: iuxta illud, Qui quasi flos oritur & decidit, & fugit velut vmbra, Iob 14. a. 2. Istam rerum instabilitatem, vt qui modò sanus est, cras ægrotus: qui diues, cras mutata fortuna egenus: qui in deliciis, cras in summo mœrore, experimur, & ob oculos versantem habemus quotidie: & tamen non obseruamus. *Profectò in vanum tumultuantur.* [a] Turbantur, perstrepunt, tumultibus sese ingerunt. Futurum Hebræum pro præsenti. [c] Quum hic dicit Propheta homines tumultuari, cumulus est vanitatis. acsi dixisset videri in hoc natos homines vt his ridiculi sint: quia parum à spectris differunt: & tamen stultis imò insanis curis frustra se fatigent. [b] Quod & Iob breuitati vitæ nostræ iungit, dicens, Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, Iob 14. a. 1. Vide item infrà, 90 c. 10. *Congregat, & nescit quis colliget ea.* [c] Clarius exprimit homines desipere, quòd dũ se anxiè occupant in coaceruãdis opibus, illis in mentem non venit subita migratio. Quorsum enim se adeo macerarent, nisi quia imaginãtur nihil sibi sufficere? Perinde enim sua inexplebili cupiditate omnes mundi copias ingurgitant acsi centum seculis essent victuri. [a] Verbum צבר, quod congerere quidam vertunt, est minutulis accessionibus rem augere: quod iis proprium est qui multo labore & molestia rem faciunt. [c] Porro non eodem omnino sensu Dauid hominum auaritiam deridet quo Solomo, Ecclesiastici 2. b. 15, & 5. b. 9. quia non tantùm de hæredibus loquitur: sed generaliter dicit eos satagere, quum tamen nesciant ad quem peruenturus sit fructus. Vellent quidem sibi consulere: sed quæ dementia est infœliciter se torquere in anxiis curis, quæ nullum finem nec modum habeant? Feruidas enim & præcipites curas damnat, quibus abrepti profani homines cælum terræ miscẽt, dum se mortales esse non reputant: tantum abest vt agnoscant vitam suam ad quatuor digitos restringi. Quanquam autem Dauid ex incomposito & turbato animi affectu hoc protulit, per se tamen vtilem doctrinam continet, nullum ad temperandas superuacuas curas melius remedium esse quàm vt in mẽtem nobis veniat vitæ nostræ curriculum quasi palmare esse. [a] Proinde relicta huius vitæ vanitate, & eiusdem breuitate perspecta, fugiamus ad summum bonum, ad Deum nostrũ, in quo omnia sunt æterna, iucunda, vera ac solida, stabilia & certa. Et hoc est quod subdit Vates.

8 *Et nunc quid expectaui Domine? spes mea in te est.*

Et nunc qui expectaui Domine? [a]Vel per præsens, expecto. [c]Postquam confessus est Dauid se animi feruore fuisse nimis turbatum, iam ad sanam & quietam mentem se recipit. Vnde melius patet quod prius admonuimus, Psalmum ex precibus rectè ordinatis & ex inconsideratis querelis esse compositum. Diximus autem Dauidem hic facere initium rite precandi. Idem interdum sentiunt priuati homines quod ipse confessus est: sed non eousque eos adducit propriæ vanitatis notitia vt solidam fulturam in Deo quærant: imò seipsos sponte stupefaciunt, vt suauiter dormiāt in sua vanitate. [b]Dicit itaque Dauid, Iam quæ expectatio mea, quid mihi sperem, quum nimirū nihil nisi inanitas sit omnis hominum vita & quicquid moliuntur? Tu certè vnus es in quem spes mea recumbit, [b]omnibus aliis contemptis. [c]Cæterùm discamus & hoc loco, neminem seriò ad Deum respicere vt ab ipso pendeat, vel spem in eo defigat, donec suæ fragilitatis conuictus fuerit, adeòque in nihilum redactus. Pondus enim subest in aduerbio Nunc, acsi dixisset, ex blādiniis quibus sopitæ hominum mentes tenentur, se iam expergefactum. Sed vltra hoc rudimentum progredi necesse est: quia non satis est trepidè quærere quid nobis agendum sit, nisi occurrat nobis Deus, in quem recumbat nostra expectatio. Quis ergo profanis hominibus nihil prodest de suo nihilo ita conuinci vt tamen in eo subsistant, discamus ad vlteriorem progressum eniti, vt Deus nos exanimes viuificet: sicuti proprium munus eius est ex nihilo omnia creare. quia tunc homo vanitas esse desinit, & verè incipit aliquid esse vbi Dei manu exceptus sursum aspirat. *Spes mea in te est.* [b]Q.d. Non iam hæreo rebus caducis, sed in te tātùm respicio. Sic alibi dicit, Quid mihi est in cælo, & tecum nolui quippiam in terra, Infrà, 73.d.25.

9 *Ab omnibus igitur præuaricationibus meis libera me: opprobrium stulti ne ponas me:*

Ab omnibus igitur præuaricationibus meis. [a]פשעי, transgressionibus, sceleribus meis. [c]Pergit in contextu piæ sanctæque precationis. Neque enim iam rapitur doloris impetu, vt cum Deo expostulet, sed reum se corā Deo suppliciter statuens, ad misericordiam confugit: quia dum se à sceleribus eripi postulat, Deo iustitiæ laudem ascribens, miseriæ quam sustinet culpam in se suscipit: neque vnius tantùm peccati se accusat, sed fatetur multiplici reatu se esse obstrictum. Atque hæc regula nobis tenenda est, si leuationem in malis nostris quærimus. quia donec fons ipse exhaustus fuerit, nunquā mala ex malis fluere desinēt. Certè mitigationē suorum malorum petebat Dauid. sed quia sperabat, simulac reconciliatus esset Deo, futurum quoque vt scelerum pœnæ finem acciperent, tantùm petit sibi remitti peccata. Monemur autem hic externas afflictiones esse peccatorum pœnas: quia agnoscit Dauid se propter peccata sua castigatum esse diuinitus. Ita quoque dicebat Christus ad paralyticum, Fili, bono animo esto: remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9.a.2. Et ad eum quem apud probaticam piscinam curauerat, Ecce, iam sanus factus es, vade, & noli amplius peccare, ne tibi quid deterius contingat, Iohan. 5.c.14. [a]Et quum Paulus multis verbis reprehendisset Corinthios ob abusum quem erga Dominicam Cœnam commiserant, subiecit, Propter hoc inter vos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi, 1.Cor. 11.g.30. [c]Monemur igitur exemplo Dauidis, non tantùm ab ærumnis quæ nobis molestæ sunt, leuationem petere, sed incipere ab ipsa causa, vt Deus peccata nobis non imputet, sed aboleat nostrum reatum. [m]Nos verò ante omnia pœnam & plagam corporis deprecamur, de peccatis rarò soliciti. Siquis quærat, quomodo Dauid petat se eripi à peccatis quæ iam commissa prætereiant, certè oportet vt senserit se adhuc in illis teneri captiuum, ita vt nequiuerit se suapte virtute ex illis eruere. ideo scilicet orat se diuinitus ab illis eripi. Quomodo ergo adhuc erant præsentia, & ita potenter præsentia vt illorum se agnoscat esse captiuum? Responsio, Facto quidem transierant, reatu verò adhuc erant præsentia, & nihil minus quàm euanida. Proinde ne reputemus nos iam liberos esse à peccatis quæ commisimus, quòd actus ipsorum transierunt, sed curemus vt bonitate & misericordia Domini ab illorum quoque reatu eripiamur. Cæterùm cōmodissimè Propheta verbo eripiendi vsus est. adferunt enim ipsissimū exitium peccata, nisi gratia Domini illis eripiamur. *Opprobrium stulti ne ponas me.* [c]Hæc particula tam actiuè quàm passiuè exponi potest. hoc est, ne Deus ipsum prostituat impiorum ludibriis, vel ne eodem probro eni addicti sunt impii, ipsum inuoluat. Quia vterque sensus non malè conueniet, libera sit lectoribus optio. Adde quòd נבל non modò stultum, sed etiam contemptibilem ac nihili vel nequam significat. Certum quidem est reprobos omnes intelligi, quos Scriptura stultitiæ damnat: quia rectā intelligētia priuati furiosè in Dei contemptum feruntur. [a]Si priorem sensum recipimus, [m]observandum erit quàm solicitè detrectent sancti fieri opprobrium impiis, quos religionis gratia habent infensissimos. Istuc verò frequenter, maximè in Dauide, legimus. [a]Etenim reprobi, vbi sancti seuerius à Domino castigantur, eos tanquam frustratos spe sua in Deum, & nullum fecisse piè viuendo operæpretium irrident, & pro ludibrio habent. Id quum gloriæ Dei deroget, infirmioribúsque offendiculo sit, iure ipsum deprecantur. [m]Vide Suprà, 25.a.2. & 38.d.17. [a]Hodie quoque eodem affectu plurimi pii ad Deum clamant, ne veritatis causam eousque tentari & labi sinat, vt impiorum opprobria ad veritatis & nominis diuini ignominiam ferre cogantur.

10 *Obmutui, non aperiam os meum: quia tu fecisti [istud].*

Obmutui, non aperiam os meum. [e]Hic iam se obiurgat Dauid, quòd non tenuerit silentium illud quod antè vidimus doloris vehementia fuisse abruptum. Ergo quòd se obmutuisse dicit, non æquabilis & perpetuæ moderationis elogium est, sed vitii correctio, acsi impatientiam suam castigans ita secum loquutus foret, Quid facis? Nam silentium tibi iniunxeras: nunc autē obmurmuras & obstrepis Deo. quid autem hac tua audacia proficies? *Quia tu fecisti istud.* [a]Optima ratio cur homines obmutescere debeant dum aduersis premuntur, quòd scilicet à Domino castigentur. [b]Tu (inquit) fecisti istud. q.d. Scio quòd abs te proficiscātur hæc omnia quæ meritò pro peccatis meis patior. [c]Continet autem hic locus valde vtilem doctrinam: quia nihil ad compescendos doloris impetus aptius est quàm vbi nobis in mentem venit, non cum homine mortali, sed cum Deo esse negotium, qui semper iustitiam suam contra omnes obstreperos hominum susurros imò cōtra insanos clamores asseret. Vnde enim fit vt in tantam impatientiam ruat maior pars hominum, nisi quia non reputat se cum Deo rixari? Ergo dum alii in fortunam reiiciunt, alii in homines, quicquid mali acciderit, alii varias causas sibi fingunt, vix autem centesimus quisque agnoscit Dei manum, liberè sibi in querimoniis indulgent. Cōtrà Dauid, vt prauos omnes & vitiosos excessus cohibeat, se ad Deum conuertit: & quia ab eo profectum est quod patitur, sibi obmutescendum esse statuit. Et sanè quis est qui nesciat Deum omnia æquissimo suo iudicio disponere? Quis factā sibi ab eo iniuriam meritò queri potest? [c]Itaque quū Dauid extremis malis afflictus, quia Deum agnoscit eorū authorem, legem tacendi sibi imponit, hoc sciamus vnum esse ex præcipuis exercitiis fidei nostræ, humiliari sub forti Dei manu, & cum silentio acquiescere eius iudiciis: [a]sicuti Petrus admonet, 1.Episto.5.b.6. [c]Cæterùm notādum est tunc demum placidè & sedatis animis homines se Deo subiicere, vbi persuasi sunt non solùm absoluta potentia facere quicquid libuerit, sed iustum esse iudicem. Nam etsi impii se eius manu percuti sentiunt, quia tamen eum insimulās sæuitiæ & tyrānidis, non desinūt horrēdas in ipsum blasphemias euomere. Interea sic Dauid occulta Dei iudicia reuerenter suspicit & adorat, vt sola eius voluntate contentus nefas esse ducat verbum contra facere.

11 *Remoue à me plagam tuam: à vulnere manus tuæ ego defeci.*

Remoue à me plagam tuam. [m]Precatur amolitionem plagæ quam Dominus inflixit, & cogat vt veniam adeptus clementer tractetur. Q.d. [c]Tu me percussisti, tuque solus sanabis. Te igitur vnum inuoco, nec alii dolores meos queror. [c]Neque tamen hæc oratio silentium illud cuius nuper meminit, perturbat: quia vota nostra si ad Dei præscriptum formentur, minimè turbulenta sunt, vt iram Dei prouocēt, sed ex fidei & patientiæ silentio manant. Verū quidem est, vbi quis ardenter Deum compellat, fieri non posse quin permisceat suos affectus, querimonias profundat, & egerat immodicum ardorem. Sed videmus Dauidem, qui tumultuosè nuper mala sua deflebat, nunc pacato animo expēdere quid meritus sit, & veniam precari. Summa autem est, vt Deus pœnam quam inflixit, relaxet. Ratio additur. *A vulnere manus tuæ ego defeci.* [v]A bello, à conflictu, ab excitatione, vel cōtentione. Alii, Propter infestam manum tuam. id est, nam plaga quam misti inflixisti, confectus sum. [c]Nihil excusationis adfert ad leuandam culpā, sed infirmitati suæ parci cupit. acsi diceret, Nisi citò plagā hanc manus tuæ sustuleris, non potero amplius durare: nam defeci planè. Proinde matura auxilio tuo, ne planè inteream. [a]Chaldæus ita habet, eodem sensu, Amoue à me vultum tuum, à percussione validæ manus tuæ ego consumptus sum.

12 *In correptionibus propter iniquitatem castigas hominem, & liquescere facis vt tinea desiderium eius. profectò vanitas omnis homo. Selah.*

In correptionibus. [b]His verbis atrocitatem iræ Dei exaggerat, acsi diceret, Quum in ira tua via obiurgando hominem corripere, grauis adeo est correptio tua vt homo ea planè conficiatur ac tabescat, & euanescat quicquid in eo fuerit desiderabile

uut speciosum, omne robur, omnisque vigor corporis nõ secus uri oditur & cõsumitur quàm vestis à tinea. [c] Sicut ergo priuatim se consumptum esse dicit quia Dei manũ sentiat sibi aduersam, ita quoque generalem sententiam addit, si Deus summo iure nobiscũ agere aggressus fuerit, nihil fore reliquum nisi vt omnes eo irato deficiant. Ac disertè ostendit se nõ de quolibet homine vel de gregariis tantùm loqui: quia si viros castiget Deus, quicquid in ipsis pretiosum est liquefaciet. Summa est, neminem mortalium tãta virtute aut gloria excellere quem ira Dei, si vehemẽtius in eum exarserit, non sit protinus in nihilum redactura. Sed verba propius excutere conuenit. Neque enim Dauid simpliciter commemorat quàm formidabilis sit ira Dei, sed in omnibus pœnis exigendis iustitiam eius prædicat. Profanis etiam hominibus iudicia Dei interdum terrorem incutiunt: sed in furorem eos impellit sua cæcitas, vt nihilo minus cum ipso litigẽt. Per correptiones intelligit seueras pœnas quæ meri rigoris testes sunt ac iræ signa. Scimus enim Deum sæpe ferulis suis ita percutere fideles vt puniendo clemẽtiæ & amoris gustum simul præbeat, nec solùm temperet ipsas pœnas, sed solatii condimento suaues reddat. Hic ergo non de paterna castigatione cõcionatur Dauid, sed quam reprobis infligit, dum iudicium quale meriti sunt, in eos tanquam inexorabilis iudex exercet. Hoc rigore dicit cunctos mortales statim liquefieri vel tabescere. [a] Et quum addit, *Propter iniquitatem*, Deum ab omni iniustitia vindicat, atque improbis adimit expostulandi occasionem. Nam si debitam iniquitati mercedem rependit iustus iudex, quis aduersus eum insurgere audeat? *Et liquescere facis.* [v] Et illicu tabescere facis. *Vt tinea.* sub. perdere solet. [c] Videri posset primo intuitu absurda comparatio Dei cum tinea. Quid enim affine habet vermiculo immensa Dei maiestas? Responsio, Aptissimè Dauid hac similitudine vsus est, vt sciamus, quamuis non palam è cælo fulminet Deus, non aliter tamẽ occulta eius maledictione consumi reprobos ac tinea cæco morsu pannum vel lignum absumit. Et simul respicit ad excellentiam, quam dicit quasi putredine corrumpi vbi Deus infestus est, sicuti pretiosissimas quasque vestes sua tabe conficit tinea. Hoc modo Scriptura varias similitudines ex optimis causis sumptas ad diuersos respectus aptare solet. Ezechias quum Deum similem facit leoni, refert hoc ad animi sui sensum, quia pauore exanimatus conciderat, Esa. 38.e.13. Hic verò admonet Dauid, quamuis non perspiciat mundus horribilem Dei vindictam, reprobos tamen arcano eius morsu consumi. [b] Hoc simili vsus est & Esaias, dicens, Ecce omnes ipsi tanquam vestimentum veterascent, tinea comedet eos, Esa. 50.d.9. Et iterum, Sicut vestimentum comedet eos tinea, & velut lanam deuorabit eos vermis, Ibidem, 51.c.8. Videtur itaque hic Vestimentum subaudiendum: vt non rarò aliquid, quod ex reliquis verbis satis intelligitur, omittere Scriptura solet. *Desiderium eius.* [v] Desiderabile eius, vel quicquid in eo est desiderabile: alii, decorem eius. Desiderium pro desiderabili & eximio: vt quum dicitur, Dederunt desideria sua pro cibo, Thren. 1.d.11. *Profecto vanitas omnis homo.* [c] Opportunè iterum nunc repetitur sententia hæc, quòd omnis homo sit vanitas: quia nũquam nisi manu Dei prostrati in nos descendimus, vt vanitatis nostræ cognitio omni fiducia nos exinaniat. Vnde enim fit vt sibi tam stultè placeãt omnes, atque etiam applaudãt, nisi quia spõte ad suas infirmitates cæcutiunt quandiu illis parcit Deus? Vnum igitur remedium est purgandæ superbiæ, vbi territi iræ Dei sensu non modò sibi displicere sed prorsus se deiicere incipiunt. [m] Ergo notandũ ex hoc loco quàm vana sit gloriatio de corporali vel robore vel flore, quum mox vnico tactu plagæ Dei marcescat. Obseruet ista stolidissima iuuentus, quæ nullam Dei rationem habet, propter iuuentutis florem insolescẽs. [a] Imò verò obseruent mortales omnes quanta sit humanæ vitæ vanitas, nisi Dei fauor adsit, qui hominis animum regat. *Selah.* [b] Hoc adiungere Vates voluit, quò moneret hæc omnia expendenda esse diligẽtius & alta mente reponenda.

13 *Audi orationem meam Iehoua, & clamorem meum auribus percipe, ad lachrymam meam ne ut surdum te exhibeas: quia peregrinus sum apud te, inquilinus ut omnes patres mei.*

Audi orationem meam Iehoua. [m] Postquam nominatim quid peteret expressit, orat suppliciter exaudiri precationem suam, atque gradatim amplificat precandi vehemẽtiam. Secundo enim loco clamorem ponit, tertio lachrymas. *Et clamorem meum auribus percipe.* [v] Et vociferationem meam. *Ad lachrymam meam.* [m] Clamoris & lachrymarum meminit, vt animi sui angustiam exprimat planè miserabilẽ, ad hoc vt se in spe impetrãdi cõfirmet, idque respectu diuinæ bonitatis, qui suorum angustiam, clamorem & lachrymas contemnere nesciat. [a] Non est igitur hæc gradatio rhetorica, quæ ad ornatum & splendorem verborum tantùm valeat: sed quemadmodum Dauid ex serio & intimo cordis affectu fleuit, nobis omnibus præscribit orandi legem. Sic alibi dicebat, Laboraui in gemitu meo, natare faciam per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis colcitram meam madefaciam, Suprà, 6.b.7. & paulo pòst, Audiuit Dominus vocem fletus mei, Ibidem, b.9. *Ne ut surdum te exhibeas.* [v] Ne obsurdescas, ne taceas. Q.d. [b] Ne dissimules miserias meas & orationẽ. [a] Vide suprà, 28.a.1 *Quia peregrinus sum.* [c] Quòd se peregrinũ & inquilinum vocat, his vocibus iterum ostẽdit quàm miserabilis sit sua conditio. Et disertè addit, *Apud te.* non tantùm quòd a Deo peregrinantur homines quandiu in mundo habitant, sed eodem quo prius sensu dixit, Dies mei tanquam nihilum apud te, versu 6. quia scilicet Deus absque monitore satis nouerit homines breue itineris spatium in terra conficere, vel exiguo tẽpore in ea manere tanquam inquilinos. Summa est, Deum è cælo videre quàm misera sit nostra conditio, nisi nos sua misericordia excipiat. [m] Fatetur ergo Dauid vitam hanc suam esse instar eius qui extra patriam in terra aliena versatur, imò nullo certo loco diu hæret, sed breuiter transit, & ad patriã properat. Addit, *Vt omnes patres mei.* Sic alibi, Quoniam peregrini nos sumus coram te & aduenæ, quemadmodum patres nostri, 1. Paralip. 29.d.15. Quæ ideo commemorat eo loco vt fateatur se cum suis hic nihil habere proprii, nihil certi, nihil diuturni, sed esse tantùm terræ istius hospites. Ad eum modum & Iacob vitam suam peregrinationem vocauit, quam & patribus & maioribus suis adscripsit, Gen. 47.b.9. Hac dè re vide Hebr. 11.c.13, & 2. Cor. 5.b.6.

14 *Desine à me, ut roborer, antequam uadam, & non sim.*

Desine à me. Cessa à me, declina, recede, deflecte. [c] Ad verbum est, Claude à me: ideo quidam exponunt, Fac vt maceria sit inter nos interposita, ne manus tua ad me perueniat. Alii subaudiũt Oculos: sed quod ad rem ipsam, parum interest: quia postulat Dauid sibi dari pauxillum relaxationis dum vires recuperet, vel saltem respiret ante mortem. *Vt roborer.* [v] Ad verbum, Et roborabor. q.d. Vt vires recipiam, vt refocillet. [b] Cessa aliquantulum percutere, vt respirem, & resumptis viribus confor ter. *Antequam uadam.* Hoc est, antequam ex hac mortali vita discedam. *Et non sim.* [v] Ad verbum, Et non ego. [c] Hæc clausula perturbationem carnis respicit: quia videtur expostulando liberum moriendi tempus sibi petere, vt solent homines mœroris sui tædio confecti. Verè quidem agnoscit nullã esse spem recuperandæ salutis donec ab ira supersedeat Deus: sed perperã inducias sibi tantùm ad moriendũ dari postulat. Posset quidẽ excusari hoc votum, acsi dixisset, Domine, quia si ita in me sæuire pergis, mihi necesse erit miserè perire, da saltem aliquod tẽporis momentum quo trãquillus animam meam in manus tuas deponam. Sed ex verbis facilè colligimus doloris amaritudine infectum fuisse eius animum, vt puram & fidei dulcedine conditam precationem concipere non posset. Dicit enim, Antequam abeam, & non sim. Quæ loquendi forma propè ad desperationem accedit. Non quòd mortem Dauid putaret esse interitum, vel abiecta spe salutis exitio se addiceret: sed quia dolore occupatus animũ suum non ita alacriter vt decebat sursum attollit. Atque hæc sententia in querimoniis Iob non semel legitur. Sciendum igitur est, quamuis sedulò compesceret Dauid carnis suæ affectus, hic tamen adhuc aliquid turbationis fuisse passum, vt modum excederet in dolore. [b] Interea discãt ex hoc Psalmo quos grauioribus subinde & acerbioribus afflictionibus Deus exagitat, omnia peccatis suis ferre accepta, vnique Deo & Patri queri, & opem à nullo alio orare: & indicibilem etiam in mediis cruciatibus consolationem experientur. Diligẽter verò obseruent, quicquid acciderit, Domini manũ esse, qui solus & percutit & sanat, dum ei visum & nobis salutare fuerit: ne quis, cõtempto Deo, cum stulto vulgo à diuis morborum & aliorum incommodorum subleuamen petat: quod vnus Deus, qui operatur omnia in omnibus, præstat.

ARGVMENTVM PSAL. XL.

[c] HOC Psalmo Dauid ex ingẽti aliquo periculo, & fortè non vno, sed multis, Dei se ope ereptum gloriatur, eiusque inexplicabilem erga timentes se bonitatem admiratur, [c] & prouidentiã celebrat, quæ se ad totum genus humanum extendit. Deinde totum se Deo fore addictum profitetur, ac breuiter definit quomodo rite colendus sit. Mox iterum ad gratiarum actionem redit, multisque elogiis prosequitur eius laudes. [b] Postremò vt Deus hostes suos deiiciat, & bonos benignitate sua exhilaret, precatur.

PRAEFECTO, *Dauidis canticum.*

למנצח Vide sup. 4.a.1. [m] Psalmus iste (cuius bona pars Christo adaptatur) partim gratulatorius est, prædicans acceptũ diuinitus auxilium & Dei bonitatem paratam omnibus illum inuocantibus, partim verò precatorius. Quodcũque autem malunt

fuerit de quo Dauid se auxilio Dei ereptum hic canit, indubiè anceps & perdifficile fuit. Hebræorum quidam putant morbū fuisse. sed qualecunque extitit, fidem suam expugnare non potuit. pertinaci enim vsque fiducia Dei opem præstolatus est. Id quò indicaret, cecinit,

2 *Expectando expectaui Iehouam, & inclinauit [aurem suam] mihi, & audiuit clamorem meum:*

Expectando expectaui Iehouam. ᵛ Geminatio verbi summā curam & diligentiam significat. Vertere potes, Expectabam. ᶜ Cōtinet exordium Psalmi gratiarum actionē, qua Dauid non modò è periculo sed ex præsenti morte se ereptum fuisse commemorat. Diuinant quidam morbum fuisse, sicuti iam dictum est; sed coniicere potius licet, multa pericula, quibus defunctus erat, hic cōplecti. Et certè non semel ad extremum vsque de vita periclitatus est: vt meritò dicat exitiali se gurgite fuisse abreptum & demersum in luto cœnoso. Fidei tamen suæ constantiam ostendit, quòd non desierit sperare in Deo, quamuis mali diuturnitas patientiam excutere posset. Neque enim simpliciter se expectasse dicit, sed repetitione significat diu se fuisse anxiū. Ergo quo longius extracta fuit tentatio, eo clarius enituit fidei documentum, vbi moram æquo & quieto animo pertulit. Summa igitur est, quum opem suam suspenderet Deus, non tamen Dauidis animum tædio elanguisse: postquam verò iustū patientiæ suæ specimen edidit, tādem fuisse exauditum. *Et inclinauit aurem suam mihi.* ᵛ Et declinauit ad me, vel diuertit mihi, inflexus est. *Et audiuit clamorem meum.* Vociferationem meam, vel implorationem. ᴮ Quum enim Dauid in maximis malis hæreret, se inducit velut ex profundo ad Deum vociferatum, & Deum, quum opem tulit, quasi ex alto se ad ipsum demisisse, & aurem ad vociferationem suam inclinasse. ᶜ Porro nobis in eius exemplo vtilis doctrina proponitur, quamuis non statim appareat Dei auxilium, quin potius data opera nos suspensos & anxios teneat, non tamen cedendum esse: quia fides nonnisi lōga tolerantia solidè probatur. Animum etiam addere debet exitus quem prædicat: quia licet pro desiderii nostri feruore tardius succurrat Deus, multū à frustratione distat eius quies vel dissimulatio. Nam si inuictum fidei robur nos sustineat, tandē aderit opportunum liberationis tempus. ᴹ Itaque non satis est semel ac iterum clamare ad Dominum, sed opus est vt patienter ac perseueranter infracta spe prædicti opem ipsius expectemus. Scriptū est enim, Si morā fecerit, expecta eum, Haba. 2. a. 3.

3 *Et extraxit me è cisterna perstrepente, à luto cœnoso: & statuit super petram pedes meos, direxit gressus meos.*

Et extraxit me è cisterna perstrepente. ᶜ E puteo resonante, è cisterna strepitus, id est in quam aquæ decidunt magno impetu, aut de puteo in quo aquæ nimia agitatione perstrepebant, & sonitum edebant. ᴮ Quidam lacum desolationis vertunt, quia verbum שאה, vnde nomen שאון descendit, tam perdere aut vastare quàm resonare significat. Sed aptior est allusio ad profundos gurgites, vbi tumultuoso impetu aqua fertur. Nā metaphoricè ostendit, non longius se abfuisse à mortis periculo quàm si in altum puteū & violenter aquarum feruore perstrepentem proiectus foret. Eòdem spectat quod sequitur, *E luto cœnoso.* ᵛ Ad verbum, E luto cœni: sed substantiuū ponitur vice adiectiui, cœnoso, siue limoso, id est coploso. ᴾ Nota est metaphora ab iis qui luto quod est sub aquis, ita inhærent pedibus, vt submersioni proximi sint, dum emergere non possunt. De qua & alibi dicit, Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est stabile, Infrà, 69. a. 2. ᶜ Significat ergo Dauid tenaciter se fuisse defixum in suis malis, ex quibus non facile esset eum auelli. *Et statuit super petram pedes meos.* ᵛ Super rupem. Petrā siue rupem pro tuto ab omni periculo perfugii loco vsurpat Scriptura. Vox Hebræa סלע significat etiam arcē & munitionem, quòd arces vt plurimum super rupes construantur. *Direxit gressus meos.* Confirmauit, corroborauit, apparauit. ᶜ Dauid hac subita & incredibili mutatione magnitudinem gratiæ Dei optimè illustrat, dum pedes suos in rupe locatos fuisse dicit, quum totus antè aquis obrutus esset: gradus suos vel stabilitos vel directos, qui prius non tantùm in lubrico vacillabant, sed erant in cœno defixi. Nam elegās est antithesis profundæ aquæ & luti, in quo homo nequit vel cōsistere vel inde sese expedire & petræ, in qua firmus quis stat, gressúque est expedito. Sic inter se sunt tempus in quo suos deserit Deus, & quo iuuat. Dum enim deserit, vbique hærent, & in perpetua quadam morte versantur, vnde nullis possunt viribus explicare: vbi rursum eos respicit & liberat velut immota petra cōsistunt, & gressus habent expeditos, eo quòd succedunt eis omnia.

4 *Et posuit in os meum canticum nouum, laudem Deo nostro, videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Iehoua.*

Et posuit in os meum canticum nouum. ᴹ Reddit hic rationem huius cantici, vnde ad illud sit motus: ᴮ simúlque finem liberationis suæ notat. Nam quocunque modo opituletur nobis Deus, nihil vicissim compensationis exigit nisi vt grati simus ac memores. Itaque quotquot beneficiis nos prosequitur, toties os nobis aperit ad celebrandum suum nomen. Quum ergo Deus liberaliter nobiscum agendo ad canendas laudes suas inuitet, meritò reputat Dauid, quandoquidem tam mirabiliter fuit ereptus, suggestā sibi noui cantici materiam. Et nouum ponit pro singulari & exquisito: sicuti genus liberationis nō vulgare erat, sed æterna memoria dignū. Etsi enim nullum est tam leue Dei beneficium quod non magnificè prædicare deceat, quo tamen potentius manum suam exerit ad nos iuuandos, vehementius ad hoc pietatis exercitium nos accendi æquum est, vt cantica nostra gratiæ magnitudini respondeant. ᴹ Vocat ergo Dauid hunc Psalmum canticum nouum, propterea quòd de recenti & nouo Dei auxilio canit. Sic solent pii recentia opera & beneficia Dei recenti quoque carmine celebrare, & posteritati consecrare. Qui vsus & apud nos esset, si beneficiis Dei ad ipsius laudem permoueremur. Sunt qui res turpes recenti carmine celebrant: opera Dei rarissimus est qui decantet. Vide suprà, 33. a. 3. *Laudem Deo nostro.* ᵛ Sub. dedit, inquam, id est, dedit occasionem laudandi Deum nostrum. ᴮ Nā dum hic est quæ sit illa laus Dei ad quam diuinitus aperiuntur ora piorum: nempe prædicatio diuinæ bonitatis, qua clamantes ad se & audit, & miseros & afflictos non despicit, sed liberat & seruat. Hanc laudem Deo canit Vates hoc Psalmo, seséque illam annuntiaturū pollicetur in Ecclesia magna. Idem vidimus suprà, 22. e. 23. & 34. a. 2. *Videbunt multi, & timebunt.* ᶜ Auxilii quod expertus est fructus latius extendit, quia scilicet multis commune erit documētum. Et certè quæ in vnumquemque fidelium beneficia confert Deus, testimonia esse vult suæ perpetuæ erga omnes bonitatis, vt alii aliorum exemplo edocti eandem gratiam sibi expositam fore non dubitent. *Et sperabunt in Iehoua.* ᴮ Quem scilicet viderunt benignè adeo suo cultori adfuisse. ᴹ Acsi diceret, Meo exemplo admoniti quamplurimi incipient Deum agnoscere, colere, omnémque spem ac fiduciam in illum collocare. ᶜ Videtur quidem primo intuitu minimè inter se congruere duo hæc, timere & sperare: non tamen sine ratione ea simul coniunxit Dauid. Neque enim spem quisquam de gratia Dei concipiet nisi qui prius imbutus fuerit eius reuerentia. Nam generaliter timorem accipimus pro sensu pietatis, quem in nobis generat potentiæ, æquitatis & clementiæ eius agnitio. Valuit quidem iudicium Dei quod exercuit contra hostes Dauidis, ad omnes terrendos: sed potius intelligit Dauid, salute quam adeptus erat, multos expergefactum iri vt se Deo addicant, & reuerenter se contineant sub eius imperio: quia agnoscunt iustum mundi iudicem. Iam verò quisquis ex animo se Dei imperio subiicit, spem cum reuerentia necessariò coniunget, præsertim vbi ante oculos versabitur gratiæ testimonium, quo Deus ipse communiter omnes ad se inuitat. Diximus enim Deum misericordem & beneficum erga alios ideo nobis proponi vt statuamus eundem erga nos fore. Iam istud Videre cuius meminit Dauid, nō ad oculos tantùm, sed præcipuè ad mētis sensum refertur: quia etsi promiscuè viderunt omnes quod acciderat, multis tamen non venit in mētem agnoscere liberationem Dauidis opus esse Dei. Quia ergo in considerandis Dei operibus tam multi cæcutiunt, sciamus eos modò cēseri oculatos quibus datus est intelligentiæ spiritus, vt non occupemur in euentis, sed occultā Dei manum fide perspiciant. ᴹ Interea obseruādum nobis est quorsum spectent tot diuinæ beneficentiæ exempla quæ diuina Scriptura passim continet, huc nimirum, vt ad Dei timorē & spem erudiamur: sicuti Apostolus his verbis hortatur, Quæcunque præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. a. 4.

5 *Beatus vir ille qui posuit Iehouam spem suam, nec respexit ad superbos, & qui diuertunt [ad] mendacium.*

Beatus vir ille qui posuit. ᵛ Verti potest per præsens, ponit, aut per futurum coniunctiui, posuerit. *Spem suam.* fiduciam suā. Hebraismus, ponere Deum fiduciam suam, pro collocare in eo suam fiduciam. Recitat Dauid qualem bene sperandi materiam sua liberatio piis omnibus datura sit, nempe vt contemptis omnibus mundi illecebris, se totos in eius fidem securè committant, nec modò persuasi sint beatos esse qui in vno Deo sperant, sed omnes spes contrarias fallaces & maledictas fore. Nam ista persuasio non nascitur nobiscum, sed partim ex verbo Dei, partim ex operibus concipitur. Quanquam solus operum Dei conspectus (vt nuper diximus) hanc lucem

minimè in nobis accenderet, nisi Deus verbo suo prælucens beneuolentiam nobis suam ostenderet. Vbi autem se nobis propitium fore pollicitus est, certis etiam documentis bonitatē suam testatā faciens, quod ore protulit manu obsignat. Itaque Dauid non abs re commemorat, quia ex profunda morte extractus est io vitam, fideles hoc experimento esse edoctos quod naturaliter homines sibi non facilè persuadent, beatum esse quisquis vno Deo contentus est. [m]Cæterùm quū nihil videatur in oculis mundi illis qui spe à Domino pendent miserius, declarandum est quomodo passim in Scripturis beati dicantur, ideo scilicet quòd benedictione & gratia Domini potiuntur, nec vspiam deseruntur. Vide Ierem. 17. a. 7. *Nec respexit ad superbos.* [c]Quia nos ingenii nostri vanitas ferè deorsum retrahit, &, quum vltro ad fallacias simus omnes propēsi, multis prauis exēplis tentamur, subiicit Dauid beatum esse qui non respicit ad superbos. רהבים quidam vertūt diuites vel magnates huius seculi, sed perperam: quia coniunctim hæc duo ponuntur, superbia & abstractio ad mēdacium. Respicere ergo ad magnates non significat (quod illi imaginantur) ad eorum potentiam & opes se applicare, quasi inde penderet salus: sed tantundem valet atque eorum exemplo ad imitationem rapi. Nam quum passim volitent superbi homines, qui Deo contempto fœlicitatis summam in sua ambitione, in fraudibus, in rapinis, in astutia locant, statim obrepit peruersa æmulatio: præsertim vbi illis pro voto succedit, vana spes ad idem tentandum nos solicitat. sicut vidimus suprà, 37. Quare prudenter & nō sine magna necessitate Dauid, vt in pura vnius Dei fiducia sensus nostros contineat, à malis exemplis cauere præcipit, quæ nos ad defectionem vndique solicitant. [m]Et sanè maxima tētatio est respectus superborum, qui rerum prosperitate in hoc seculo potiuntur. Fœlices igitur sunt qui horum fastum nihil morantur, sed spem omnem suam in Deum transferunt. *Et qui diuertunt ad mendacium.* [c]Quòd Propheta dicit superbos ad mendacium diuertere, hoc modo stultam carnis confidentiam breuiter definit. Quid enim aliud est eorum superbia qui figmenta sua in Dei locum subrogant, quàm fallax illusio? Certè quisquis vel minimum sibi arrogat, vento stultæ opinionis inflatus, sibi in perniciem suam blanditur. [v]Sunt tamen qui hîc intelligāt ariolos & malorum artium studiosos. verùm expositio prior melius congruit. [c]Nam piæ quæ in vnū Deum recumbit fiduciæ opponitur superbia & vanitas: quia nec quicquam carni difficilius est quàm acquiescere in vno Deo, & mūdus semper fastuosis hominibus refertus est, qui sibi in vanis illecebris placētes piorum animos statim labefactarent, nisi iniectum esset frænum hoc ad cohibendas omnes erroneas & vagas opiniones.

6 *Multa fecisti tu Iehoua Deus, mirabilia tua: & cogitationes tuas super nos non licet ordinare ad te. narrabo & loquar, præualent supra narrationem.*

Multa fecisti tu Iehoua Deus. [v]Hebraismus, quem nonnulli sic conuertunt, Multa sunt mirabilia tua Iehoua Deus mi, quæ fecisti. Alii, miranda multa patrasti. [c]Quāquam autem in verbis nonnihil dissentiunt interpretes, satis tamen cōuenit Dauidem cum admiratione expendere Dei prouidentiam, qua gubernat humanum genus. Ac primò quidem exclamat magna vel multa esse operum Dei miracula: significans Deum inæstimabili sapientia sic moderari res humanas, vt eius opera, quæ assiduo vsu vilescunt, longè humanum captum superent. Ita videmus ab vna specie ad totum genus cōscendere: acsi diceret non hoc tātùm vno facto Deum probasse quam de humano genere paternam curam gerit, sed generaliter in singulis mundi partibus fulgere admirabilem eius prouidentiam. [c]Est autem hæc exclamatio animi ex diuinæ bonitatis cōsideratione exultātis. Q. d. Verè fœlix est quisquis tibi ô Deus, fuerit confisus. Plurima enim nō mihi solùm, sed toti humano generi benignè & magnificè fecisti, non modò in præsenti, sed & antea sæpe ac omnibus seculis. *Et cogitationes tuas super nos non licet ordinare ad te.* [v]Hebraicè ad verbum habetur, Et cogitationes tuas nobis non est ordinare tibi. Quod sic quidam vertunt, Et cogitationum tuarum erga nos non potest iniri coram te ratio. Alii postremum verbum prioris partis huius versus cōiungunt huic secundæ parti, hoc modo vertentes, Admirandorum facinorum tuorum & consiliorū tuorum erga nos non potest iniri coram te ratio. Alii, Mirabilia tua & consilia tua sunt propter nos, neque licet illa in ordinē redigere ac recensere coram te. Q. d. tot & tanta sunt beneficia tua erga nos, vt nemo ea in ordinem redigere ac coram te recensere possit. [a]Alii particulam אלינו (super nos) exponunt comparatiuè: acsi dictum esset Dei consilia sensu nostro altiora esse. Sed Dauid potius quam Deus suscipere de nobis curam dignatur, cōmendat, affirmans Deum incomprehēsibili sapientia ita regere humanū genus vt eius opera in suū & legitimū ordinem digerere nostrū nō sit: quia sensus nostri priusquā in tātā altitudinē perueniāt, sua tarditate deficiūt. Additur *Ad te.* quia etsi ex parte reputamus quàm mirificè nobis Deus prospiciat, restringitur tamen hæc cognitio ad modulum nostrum: ideòque infra immensam Dei gloriam longè subsistit. Nam qui exponunt Dei cōsilia ad Deum non referri, quia maior pars casum & fortunam dominari imaginantur, (quasi Dauid hominum ingratitudinem perstringeret, qui Deum laude sua fraudant) haud dubiè falluntur. Nam mox subiiciēs, vtcunque opera Dei referre conetur, se in media narratione deficere, satis ostendit, piam & sanctam meditationem in qua se exercent filii Dei, non vltra tenuem gustum conscendere. Tenemus nunc mētem Dauidis. Nam de salute sibi diuinitus allata præfatus, occasione inde sumpta, Dei prouidentiam in fouendis & tuendis hominibus generaliter prædicat. Est autem propositum fideles hortari ad considerandam Dei prouidētiam, ne in eam suas omnes curas reiicere dubitent. Quòd enim alii vel inquietudine æstuant, vel ad minimos quosque flatus trepidāt, alii terrenis præsidiis se munire satagūt, ex doctrinæ huius inscitia oritur, quòd Deus res hominū suo arbitrio gubernet. Iam quia maior pars Dei prouidentiam suo sensu æstimans, eam malignè obscurat vel extenuat, prudenter Dauid eam in suo gradu locans, obstaculum hoc tollit. Quare huc spectat sententia, vt reuerēter suspiciant homines in operibus Dei quod sensu non comprehendunt, & quoties eos caro ad obstrependum solicitat, sese supra mūdum euehant. Dormire videtur Deus si cessat, nempe quia externis modis eius manum alligantes, occultis modis agere non reputamus. Quare discamus ex hoc loco, quamuis nos fugiat operum eius ratio, semper in consiliis suis admirabilē esse. Cohæret autem hic versus cum proximo: quia nemo ritè Deū sibi in solidam fiduciam proponit nisi qui clausis oculis permittit se regendum eius arbitrio. Nec temere, quum hactenus in tertia persona loquutus esset, sermonem ad Deum nunc repente conuertit, quò nos efficacius in hac sobrietate & modestia erudiat. Cæterùm quum negat distinctè opera Dei posse cognosci, non ideo nos vel notitia vel inquisitione absterret: sed temeritatem nostram compescit, quæ in hac parte nimis alioqui exultat. Atque in hunc finem disertè exprimitur particula Ad te, qua monemur, etiam siquis sedulò ad meditāda Dei opera sit intētus, tantùm fines vel circuitus attingere. Quamuis ergo procul à nobis distet tanta altitudo, danda est tamen opera quoad in nobis erit, vt per cōtinuos profectus magis ac magis ad eam accedamus: sicut etiam videmus manum à Deo nobis porrigi, vt hæc mirabilia, quorum minimè sumus capaces, quatenus expedit, nobis patefaciat. Nihil enim magis præposterum quàm appetere crassam inscitiam prouidētiæ Dei, quia nondum perfectè à nobis comprehenditur, sed tantùm ex parte gustatur. sicuti hodie videmus quosdam totis neruis non alio prætextu eniti nisi quia intelligentiam nostram superat. Quasi verò æquum sit non plus Deo permittere quàm nobis sensus externi consentaneum esse dictet. Lōgè aliter Dauid, qui aciem suam immenso fulgore oppressam sentiens, fatetur mirabilia esse quorum rationem non capit: neque interim abstinet ab omni eorum mentione, sed pro sua mensura ad piam meditationē incumbit. Vnde colligimus quàm stulta sit & futilis ista cautio, quia ardua sunt consilia Dei, prorsus de illis tacēdum esse. Atqui Dauid oneri succumbens, conscendere tamen non destitit, nec propterea obmutuit quia ad narrandum impar esset: sed satis habuit fidem suam & sermonem admiratione claudere, dicens, *Narrabo & loquar, præualent supra narrationem.* [b]Hoc est, assequi nemo potest altitudinem & profunditatem consiliorum & operum tuorum, quibus bonitatem tuam erga homines iugiter declaras: neque tamen propterea desistam pro meo modulo ea considerare & aliis etiam prædicare. [v]Ad verbum habetur, Multiplicata sunt a narratione. [b]hoc est, plura & maiora sunt quàm vt enarrari queant.

7 *Sacrificium & oblationem non amasti: aures autem perforasti mihi, holocaustum & sacrificium pro peccato non postulasti.*

Sacrificium & oblationem non amasti. [a]Sacrificium aut donum non amas, aut expetis, sacrificio & oblatione non delectaris, sacrificium & oblatio non sunt tibi accepta. [c]Hic Dauid canere volens quàm cupiat Domino in se tam benefico gratificari, [c]non modò sacrificium laudis aut vitulos labiorum (sicut loquitur Hoseas Propheta cap. 14. a. 3.) sed Deo se totum offert ac cōsecrat. acsi dixisset se iam penitus addictum esse Deo, quia liberatus incredibili eius virtute vitam ei bis debeat. Interea tamen de vero eius cultu disserens, ostendit non esse positum in externis ceremoniis, sed spiritualem potius esse. Itaque sensus est, non accedere ipsum cum externa tantùm pompa & Legalibus figuris in conspectum Dei, sed integram cordis pietatē afferre. Scimus autem, quum omnium animos occuperet religio, vt nemo se palam & in totum ab eius obsequio subducere audeat, magnam tamen partem flexuosis ambagibus diuertere

Quo fit vt perfunctoriè Deum colendo fere ludant. Hac occasione David quisnam rationalis sit Dei cultus memorat, vt se discernat ab hypocritis, qui ore solùm ad Deũ appropinquant, vel certè frigidis ceremoniis eum placare volunt. [a]quemadmodum Dominus apertè per suum Prophetã, Esa.29.d.13, & Christus servator noster hypocritis obiicit, Matth.15.a.8. [m]Cæterùm mentione sacrificiorum, oblationum, holocaustorum & victimarum, quæ pro peccatis solebant offerri, David summatim omnia Legis sacrificia comprehendit. [a]Quare mirum videri posset cur dicat ea à Domino non amari, quum ea ipse in Lege præceperit. [b]Sed David noluit dicere Deum hæc prorsus noluisse (tum enim vigebãt Leges per Mosen traditæ) sed quòd non voluerit vt præcipua, verùm ante omnia studium voluntatis suæ & nominis sui celebrationem. Simile est illud Prophetæ, Sic dicit Iehoua sebaoth Deus Israel, Auferte holocausta vestra cum hostiis pacificis, & comedite carnes. Non enim loquutus sum patribus vestris, neque mandaui eis die quo illos eduxi ex Ægypto, de holocaustis & hostiis pacificis. Sed hoc est quod præcepi illis, Audite quæ ego vobis præcipio, & ero vobis in Deum, & eritis vos mihi in populum, & versemini in omnibus quæ ego vobis mãdauero, quò vobis bene sit, Ierem.7.c.20. Hic ex eo quòd quum Dominus populum suum sibi primò assumpsit, Deumque illi se omni beneficiorum genere exhibuit, nihil de sacrificiorum ceremoniis præcepit, voluit populum Vates colligere, sacrificia per se absque cordis pietate oblata Deo prorsus esse abominationem, non autẽ si cum cordis pietate fuissent exhibita: sicuti etiã Esa.1.c.11 legere est. [c]Sũma est, Deum à suis cultoribus non exigere ceremonias, sed sincero cordis affectu, fide & vitæ sanctimonia cõtentum esse: neque oblectari visibili sanctuario, altari, suffitu, victimis, luminaribus, vestitus splẽdore, externis ablutionibus. Vnde colligit aliam sibi Dei colendi legem ac regulam tenendam esse, nempe vt ei se totum tradat. [a]Hoc ipsum est quod præcipit Paulus Apostolus, dicens, Obsecro vos fratres per miserationes Dei vt præbeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Et ne accommodetis vos ad figuram seculi huius, sed trãsformemini per renouationem mentis vestræ, &c. Rom.12.a.1. *Aures autem perforasti mihi.* [y]Id est, aures cauatas tribuisti mihi, vt audirem Leges tuas, auscultare me tibi fecisti. [n]Quidam ad præceptum Legis Davidem putãt alludere. Siquis enim seruus, quum tempus manumissionis aduenerat, libertatem negligeret, in publicum productus hoc coram populo dicebat: tum subula aurem perforabat herus, vt stigma esset perpetuæ seruitutis. Sed videtur coacta esse hæc argutia. Simplicius alii tãtundem valere docent atque aptare in obsequium: neque enim vnam duntaxat aurem, sed vtranque nominat. Iam scimus natura surdos esse homines: quia hebetudine aures illis obstructæ sunt donec eas perforet Deus, [m] cuius proprium est Legem in cordibus nostris scribere: sicuti se facturum per Prophetam pollicetur, Ierem.31.f.33. Ergo hac voce notatur docilitas ad quam formamur Spiritus sancti gratia. Potest tamen hoc loquendi genus ad circunstantiam huius loci propius accommodari, Davidem nõ fuisse graui & tardo auditu, sicuti vulgus hominum, vt in sacrificiis nihil nisi terrenũ intelligeret: sed purgatas fuisse eius aures, vt melior esset Legis interpres, externósque omnes ritus ad spiritualem Dei cultum referret. Nam aurium perforationem quasi parenthesim includit, de sacrificiis ex professo tractans: vt aptè resolui possit oratio in hunc modũ, Domine tu mihi aures aperuisti, vt dextrè agnoscam quorsum spectet quicquid mãdasti de sacrificiis, nempe ea per se nihil afferre oblectationis: quia tu, qui spiritus es, non moraris terrena hæc elementa, nec carne vel sanguine indiges: ideóque aliquid altius & præstantius requiri. Iam siquis obiiciat sacrificia tamen ex Dei præcepto fuisse oblata, nuper diximus Davidem hic spiritualem Dei cultum ab vmbratili distinguere. In hac verò cõparatione nihil mirum si sacrificia nullius momenti esse dicat: quia tantùm adminicula erant pietatis, tendebántque in alium finem. Quum ergo talibus rudimentis ad fidem & pœnitentiam populum suum exercuerit Deus, colligimus sacrificiis colinoluisse. Semper enim illud tenendum est, quicquid per se Deo non placet, sed propter aliud duntaxat, si pro vero eius cultu censetur, repudiari. [a]Ideo Christus legitimũ Dei cultum non in ceremoniis seu externis ritibus locat, sed in spiritu & veritate. Quum enim Deus spiritus sit, sola illi cordis integritas propriè placere potest, Iohan.4.d.24.

8 *Tunc dixi, Ecce veni: in volumine libri scriptum est de me*

Tunc dixi, Ecce veni. &c. [y]Vel præteritum pro præsenti, venio. [c]Aduerbio Tunc significat non prius idoneum se fuisse discipulum quàm Deus aures aperuisset: cæterùm vbi arcano Spiritus instinctu edoctus fuit, dicit se prompto & alacri fuisse animo ad parendum. Atque hic optimè à seruili coactóque obsequio vera obedientia discernitur. Sciamus ergo, quicquid offerant homines Deo, friuolum & putidũ esse, nisi seipsos offerãt: [e]deinde hanc quoque oblationem nullius esse pretii nisi voluntaria sit: sicuti clarius versu sequenti patebit. [m]Seipsum ergo offert David promptum ac voluntarium ad obedientiam Dei, in quam agnoscit se consecratum, Addit, *In volumine libri scriptũ est de me.* [c]Quia Græcus interpres nomen capitis posuerat, dum volunt quidam argutè philosophari, cum suis ineptis commentis ridiculi fuerunt. Atqui nominis Hebraici מגלה eadem est etymologia quæ voluminis apud latinos. Barbari rotulum dicerent. [a]Sed quid de se scriptum David affirmat?

9 *Vt facerem voluntatem tuam Deus mi: volui, & lex tua in medio viscerum meorum* [est.]

Vt faciam voluntatem tuam Deus mi. [a]In Lege Dei scriptum est, Deum requirere hoc præcipuũ, imò solum, & quicunque verè sancti sunt, idẽ summopere studere, vt sese, quãti quãti sunt, Deo addicant, & animũ potius quàm pecudũ hostias offerant. In primis siquidem timor & amor Dei, (& quidem ex toto corde) in omni Scriptura exigitur, & de sanctis idẽ ante omnia laudatur, ac etiã vbique prædicatur. [c]Itaque quæri hic potest quo sensu peculiariter sibi vindicet David quod omnibus commune est ac promiscuum. Nam quum Lex cũctis hominibus præscribat sanctè viuendi rationem, non videtur in vnum hominẽ vel paucos competere quod hic dicitur. Responsio, Quanuis communiter ad omnes pertineat literalis doctrina Legis, quia tamen per se mortua est, & nihil aliud quàm aerem verberat, Deus alio modo suos docet, & quatenus interior & efficax ista Spiritus doctrina proprius est eorum thesaurus, in arcano Dei libro nonnisi de ipsis scriptum est vt Dei voluntatem complectantur. Personat quidem vox Dei in totum orbem, vt inexcusabiles reddantur quicũque non obtemperant: sed tantùm in corda piorum penetrat, quibus in salutem destinata est. Sicut ergo imperator militum suorum nomina recipit, vt certus sit eorũ numerus: sicut magister suos discipulos in catalogum refert: ita Deus filios suos in libro vitæ descriptos habet, vt sub iugo suæ disciplinæ eos contineat. *Volui.* [y] Q.d. Voluntatem tuam cupio facere, magnóque illius desiderio teneor. [a] Sic de iusto scribitur quod in Lege Domini voluntas eius sit, Suprà, 1.a.2. Quo ostenditur verum esse quod iam diximus, nempe nullius pretii sumptius oblationem esse, nisi voluntaria fuerit. [c]Notanda enim sunt hæc verba, Ecce venio. Item, Volui facere beneplacitum tuum. Siquidem Hebraicum verbum חפצתי tantũdem valet ac complacuit mihi, vel libenter acquieui. Notatur itaque tam promptitudo ad parendum quàm liberalis affectus & pergendi constantia. acsi dixisset, liberè se prætulisse colendi Dei studium aliis omnibus curis & votis, nec sponte duntaxat se fuisse morigerum, sed firmo animi proposito se regulam piè viuendi amplexum esse. Quod iterum tertio membro melius confirmat, dicens, *Et Lex tua in medio viscerum meorum est.* [y]Intestinorum vel præcordiorum meorum. Vox Hebræa מעי dualis est numeri, quòd superiora viscera significet, nempe cor & pulmonem, quæ à visceribus inferioribus, iecore, liene & renibus, separãtur diaphragmate siue septo transuerso. vnde & pro corde accipitur. Q.d. Legẽ tuam vehementer amplector, [a] meditor eam toto corde semper. Hinc sequitur, quantumuis resplẽdeant hominum opera, nisi tamen ex viua cordis radice nascantur, meras esse laruas. deinde frustra in obseruationem Legis cõponi pedes & manus & oculos, nisi à corde incipiat obsequium. [b]Hinc ergo discendum quis sit verus Dei cultus, nẽpe ita nos vt Dei Lex docet, esse in corde affectos, totos Dei volũtati deditos, nihil prius cupere quàm ipsi gratificari. Hic si desit cultus, quiuis facilè agnoscet quàm frustra tentemus placere Deo ceremoniis, quum à se institutas, vbi ista cordis deuotio desit, tantopere sit abominatus. [c]Cæterùm ex aliis Scripturæ locis notum est proprium esse munus Spiritus sancti Legem Dei cordibus nostris insculpere. Non agit quidem in nobis Deus tanquam in lapidibus, vt sine cordis nostri sensu vel intrinseco motu nos rapiat: sed quum naturaliter ingenita sit nobis voluntas, naturæ autem corruptione vitiata sit, vt semper ad peccandum inclinet, corrigit eam in melius, vt liberè appetamus iustitiam, à qua toto affectu prius eramus auersi. Atque hinc vera libertas, vbi corda nostra, quæ prius mancipata erant peccato, Deus in obsequium suum format. Restat scrupulus vnus: quia videtur Apostolus, Hebr.10.a.5, violenter locum huc torquere, dum ad Christum solum restringit quod prædicatur de omnibus electis: & præcisè contendit abrogata esse Legis sacrificia, quæ tantùm per cõparationem negat David Deo grata esse: & Græci interpretis potius quàm Prophetæ verba recitans, plus colligit quàm Davidi propositum fuerit docere. De Christi persona solutio facilis est: quia David nõ suo tantùm priuato nomine loquutus est, sed in genere quid conueniat omnibus Dei filiis ostendit. Vbi autem in medium

prodit Ecclesiæ communitas, ad caput ipsum ascendere necesse est. [z] Quod ergo de quolibet sanctorum scriptū esse dicit, præcipuè Christo cōpetit: imò de nullo nisi quatenus Christi mēbrum est, & in se Christum habet, verum fuerit. Caput siquidē sanctorum est, à quo prouenit quicquid quisquam boni habuerit. [c] Nec obstat quod paulo pòst quæ sustinet mala, culpæ suæ imputat Dauid: quia minimè nouum est ad Christum impropriè vitia nostra transferri. De abrogatione Legalis cultus ita respōdemus, non ineptè ex Prophetæ verbis elici. Neque enim hic locus alius compluribus per omnia similis est, vbi sacrificia respuit Deus ac damnat, quæ ab hypocritis oblata, meritò ob eorum immunditiem sordebant: quia illic propter abusum & corruptelam damnat Deus externam speciem, quæ nihil aliud erat quàm inane figmentū: hic verò quum de se Propheta disserat, qui sincerus erat Dei cultor, & Deum sacrificiis oblectari neget, inde colligere promptum est spectasse in alium finem, & puerilia fuisse rudimenta quæ veteri populo Deus ad tempus mandauerat. Quòd si eorum veritas & substantia in Christo cōtinetur, certum est eius aduentu fuisse abolita. Dauidis quidem seculo adhuc vigebat eorum vsus: sed tamen admonet perfectū Dei cultum absque sacrificiis cōstare suis omnibus numeris: & ceremonias quiddam esse aduentitium vel accidentale, vt loquuntur. Idque obseruatu dignum est, vt sciamus, Deum, vbi figuras sustulit quas ad tempus præceperat, non tamē esse sui dissimilem: quia tantùm in his exercitiis hominum habuit rationem. Quòd autem Apostolus Græcum interpretem sequutus, vocem corporis, quæ apud Dauidē non habetur, ad suum propositū deflexit, in hac allusione nihil est absurdi. Neque enim ex professo mentem Dauidis sumit explicandam: sed quia prius dixerat vnico Christi sacrificio alia omnia fuisse abolita, simul addit corpus aptatum fuisse Christo, cuius oblatione voluntatē Dei perficeret. [c] Scimus enim Apostolos in citandis Prophetarum testimoniis liberiores fuisse, nec semper verbū verbo reddidisse. Qua de re vide Rom. 10. d. 18, & Ephes. 4. b. 8.

10 *Annuntiaui iustitiam in cœtu multo: ecce labia mea non prohibebo, Iehoua tu nosti.*

Annuntiaui iustitiam in. [m] Vulgata Latina habet, Annuntiaui iustitiam tuam, sicut & Arabs: quum Tuam nec in Hebræo sit, nec in Græco: [k] sed facilè subaudiri potest pronomē, quod versu mox sequenti exprimitur. [n] Porro ex vero Dei studio gratificandique sincera voluntate id continuò nascitur vt homo nihil prius cupiat atque vt quamplurimis prædicet & commendet Dei iustitiam, fidem, opem, benignitatem, veritatem, hoc est immensam bonitatem, qua cum suis ac omnibus & iustè & ex optima fide, & ad salutem ipsis, eámque veram ac solidam, cūcta agit. Quantopere ergo hoc ipsum studuerit Dauid, quámque nihil hic cessarit, canit non sine ardentibus affectibus, hoc versu. [c] Nam gratitudinem suam rursus in medium profert, & studium iustitiæ Dei magnificandæ erga alios ostendit, dum testatur se eam in cœtu magno anuntiasse. [v] Hoc etiam ideo dicit vt Deum prouocet ad cōtinuum beneficētiæ cursum. Nam quum Deus quoties se ostendit erga nos liberalem, ad gratias agendas nos inuitet, hæc quoque vna ratio est cur sui similis esse pergat, dum nos videt gratos esse ac memores. Nec verò arcano tantùm affectu vel priuatim Deo se laudē dedisse Dauid affirmat, sed publicum eius se fuisse præconem in solenni cōuentu: sicut tunc fideles hostiis pacificis solebant testari suam pietatem, si qua insignis liberatio ipsis contigerat. Nam cœtus magnus de quo loquitur, non ad forensem vel profanum concursum refertur, sed ad legitimā Ecclesiam, quam tunc scimus solitam cōgregari ad sanctuarium. [a] Et vtitur verbo בשר, quod propriè est renuntiare rem nouam, quæque plurimū afficiat. Prophetæ, præsertim Esaias cap. 52. b. 7, eo vtuntur, vbi de prædicatione Euangelii loquuntur. Vide infrà, 68. b. 12. Quanquā & de infausta renuntiatione alicubi in Scriptura vsurpetur. Vnde ille qui cladē Israelis & filiorū Eli nūtiabat, nihilominus מבשר vocatur, 1. Sam. 4. c. 17. Sed quoniam cum iustitia Dei hoc verbū coniūctum est, vtique propriam Euāgelii significationē implet quod nimirum est publica salutis singulari Dei bonitate perfectæ renūtiatio, & quasi præconis voce diuulgatio. Vnde & hic Psaltes Christum in se delineauit, qui præ omnibus aliis in id vnctus fuit vt Patris bonitatem & expectatam omnibus salutem, quàm latè orbis patet, renuntiaret. De quo Esa. 61. a. 1, & Luc. 4. c. 18, & Matth. 11. a. 5, & Ephes. 1. d. 17. *Ecce labia mea non prohibebo.* [v] Futurum Hebræum pro præterito prohibui, continuo. [a] q. d. Non temperaui à prædicatione bonitatis tuæ & fidei, sed palam eam celebraui in communem fidelium ædificationem. *Iehoua tu nosti.* [c] Huius rei testem appellat Deum, non tantùm vt se discernat ab hypocritis, qui plenis sæpe buccis resonant Dei laudes absque vllo affectu: sed quò certius testatum faciat, sedulò & ingenuè se operam dedisse narrandis Dei laudibus, sibique curæ fuisse nequa parte eum fraudaret. Hæc autem asseueratio non leuis momenti rem tractari admonet. Etsi enim præconiis nostris non indiget Deus, multis tamē de causis vult hanc inter nos mutuam exercitationem vigere.

11 *Iustitiam tuam non abscondi in medio cordis mei: veritatem tuam & salutem tuam dixi, non celaui misericordiam tuam & veritatem tuam in cœtu multo.*

Iustitiam tuam non abscondi. [c] Dicit se non occultasse in corde iustitiam Dei, quam celebrare palam cōuenit in mutuam ædificationem. Et certè quisquis eam intus supprimit, ipsum Dei nomen quantum in se est sepultum vellet. *Veritatem tuam.* Notanda est hæc nominum congeries, quæ ad idem notandū pertinet. Iustitiæ enim coniungitur veritas, salus & misericordia; quorsum nisi vt pluribus elogiis Dei beneficium illustret? Notandum tamen est quomodo inter se differant. quum inde colligere licebit quàm rectè & aptè competant in liberationem de qua nunc tractatur. Si hæc quatuor in suum ordinem digerere placeat, misericordia tenebit primum gradum, qua sola adducitur Deus vt nos respicere dignetur. Iustitia est continua eius protectio, qua suos tuetur, & benignitas qua ipsos fouet: sicuti iam alibi dictum est. Porro nequis dubitet perpetuo tenore æquabilem fluere, additur veritas: quo nomine docemur Deum sui manere similem, nec iuuando fatigari, nec vnquam manū suam retrahere. Quanquam simul tacita subest promissionum indicatio: quia nemo rite iustitiam Dei apprehendet nisi qui in verbo, vbi offertur, eam amplexus fuerit. Salus iustitiæ effectus est: quia Deus gratuitum suum fauorem erga suos prosequitur, assiduè opem ferendo, donec saluos in solidum præstiterit. *Et salutem tuam dixi.* אמרתי, Dixi, pro celebraui & prædicaui, more Hebræorum ponitur. *Non celaui misericordiam tuam.* [a] Dominus ideo fideles suos gratiæ suæ & misericordiæ participes facit, vt eam quoque aliis anuntient, ac in ea tota quiescant: quēadmodum Petrus hortatur, dicens, Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrū accessit, vt virtutes prædicetis illius qui è tenebris vos vocauit in admirabilem suam lucem. Qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quōdam non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti, 1. Petr. 2. b. 9. *Et veritatem tuam.* Qua scilicet semper similis tui manens, deesse non potes iis omnibus qui nomen tuum purè inuocant. *In cœtu magno.* Emphasim habet quòd bis meminit Ecclesiæ magnæ, in qua laudes Dei toto cordis affectu à fidelibus celebrari debent.

12 *Tu [ergo] Iehoua ne prohibeas miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper custodiant me.*

Tu ergo Iehoua ne prohibeas miserationes. [v] Ne substrahas, cohibeas, contineas tanquam clausas scilicet, ne pertingant ad me. [c] Clarius videmus quod versu 10 attigimus, Dauidem loqui de sua gratitudine, vt Deum retineat propitium: & os aperuisse ad canendas Dei laudes, vt nouas subinde gratias eliceret: quibus silentii nostri malignitas plerunque ianuam claudit. Quare diligenter notanda est relatio, vbi Dauid se labia non clausisse dicit, vt vicissim Deus suas misericordias non obseret vel cohibeat. qua docemur Dei bonitatem semper fore nobis promptam, imò instar fōtis inexhausti erga nos diffluere, nisi eius cursum abrūperet nostra ingratitudo. [m] Dicit ergo Dauid, Domine, labia mea non prohibebo quominus erumpāt in laudem tuam: tu vicissim (oro) miserationes tuas à me ne prohibeas. [c] Miserationes, vel רחמים, de quibus loquitur, parum a bonitate differunt. neque tamen de nihilo placuit Dauidi hæc varietas, sed quia aliter sibi satisfacere non poterat in gratia Dei extollenda: deinde quia fontem clementiæ vel bonitatis ostēdi operæpretium fuit, nempe dum miseriis nostris mouetur ad opem nobis ferendam. [a] Sic alibi dicit, Miserere mei Deus secūdum misericordiam tuam, secūdum multitudinem miserationum tuarum dele transgressiones meas, Infrà, 51. a. 3. *Misericordia tua & veritas tua semper custodiant me.* [c] Dauid salutis suæ custodiam in Dei bonitate & fide locat: quia initiū (vt paulo antè diximus) à gratuito Dei fauore facere necesse est, vt ad nos vsque perueniat eius liberalitas. Sed quia Deum nonnisi antè nobis propitium concipimus quàm nobis amoris sui fidem faciat, meritò constantia eius & in seruandis promissis veritas annectitur. Notanda est verò est particula תמיד, semper, iugiter. docet enim sanctos agnoscere se omnibus horis ac momentis egere opera Dei, fide & bonitate Dei. Qua in re certè fatentur hæc duo: primum, hanc vitam innumeris esse tentationibus obnoxiam: deinde se ita esse infirmos vt nequeant suis se viribus, ratione & industria tueri: ita vt nisi diuinitus, idque bonitate Dei, seruentur, planè pereundum existat.

13 *Quoniam circumdederunt me mala innumera, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre: multiplicatæ sunt præ capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me.*

Quoniam circumdederunt me mala. Rationem subiungit quare misericordiam, fidem & bonitatem Dei imploret, precetúrque vt per illam semper custodiatur. Phrasis autem Hebraica plus exprimit quàm Latinè redditur. Dicit enim עלי, super me: significans non modò vndique se ad omne latus esse obsessum, sed capiti etiam suo malorum congeriem incumbere. Interea non conqueritur vel immeritò vel supra culpæ suæ modum se affligi: quin potius ingenuè fatetur rependi peccatis suis mercedem. Nam si עון (vt alibi sæpius vidimus) pœnam quoque significat, etymologia tamen spectanda est. Ergo quum Dauid quas sustinet pœnas, fructus vel effectus iniquitatis vocet, subest modesta confessio. Vnde colligimus quanta mansuetudine & reuerentia Dei iudiciis se submiserit, qui ingenti malorū congerie oppressus, suas iniquitates ex opposito longè latéque extendit, ne Deum nimiū rigoris insimulet. *Mala innumera.* Ad verbum, Vsque nō numerus. Dicit se innumeris afflictionibus premi, vt ex malorum è quibus ereptus erat magnitudine amplitudinem benignitatis Dei erga se amplificet. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Fatetur afflictiones istas esse flagellum peccatorū suorum. Hoc autē veteres omnes ita de Christo exponunt, vt nostra peccata sint ipsius non propriè, sed dispensatione qua se mediatorem inter nos & Patrem obtulit. *Et non potui videre.* Et pro vt. Ita vt non potuerim videre. *Multiplicata sunt præ capillis.* Præualuerūt, vel plures fuerunt quàm capilli capitis mei, quare animo destituor præ dolore. Agnoscens se mala quibus implicitus fuerat, suis peccatis meruisse, Dei in se bonitatem canit, nō tam ob depulsionem calamitatis & infortunii (quod multò maximū ipsum destituerat) quàm ob liberationem ab iniquitate & prauitate animi, qua vt infinita quotidie peccata admittebat, ita infinitis quoque malis sese obnoxium reddebat. Item dum videmus tam seuerè tractatum fuisse Dauidem, discamus etiam sub extremis malis gemētes, iudicem nostrum suppliciter deprecari. *Et cor meum dereliquit me.* Hoc est, omnis virtus & vitæ vigor. Cor enim omnium virium fons est. Ostendit autem se non fuisse stupidum vel lapideū, quum relictus vel desertus fuerit à corde suo. Perinde enim est acsi non modò fractum sed exanimatū se iacuisse dicat. Sic alibi queritur, Factum est cor meum tanquā cera liquescens, in medio ventris mei, Suprà, 22. d. 15. Et iterum, Cor meum circuiuit, deseruit me virtus mea, & lumen oculorū meorum, ipsum quoque non est mecum, Suprà, 38. b. 11. Cordis tamen defectū vel deliquium intellige de carnis sensu: quia precandi constantia certo documento est fidem nunquam penitus in eo fuisse extinctam: sed quum inops consilii & virtute exinanitus secundum hominem esset, non abs re cor suum euanuisse dicit. Vnde discimus in sanctis nihil esse minus quàm securitatem in afflictionibus, licet ex animo diuinæ bonitati sese committant.

14 *Placeat tibi Iehoua liberare me: Iehoua ad auxilium mei festina.*

Placeat tibi Iehoua liberare me. Verbum quo vtitur Dauid, ex mero beneplacito velle significat. Ergo liberari cupit gratuita Dei misericordia. q. d. Fac Domine vt gratia tua & misericordia, quæ magna est, à tot malis quæ me premunt, liberer. Sic alibi, Propter nomen tuum Domine parces iniquitati meæ, Suprà, 25. c. 11. *Iehoua ad auxilium mei festina.* Licet peccatorum suorum meminerit, tamen pro liberatione ex malis, quæ peccatorum suorum gratia ferebat, bonitatem Domini implorare non dubitat. Imò verò velut moræ impatiens, petit vt Deus liberationem non differat. Accedet huc criticus aliquis: interpretabitur impatientiam & quædem alia. sed istos affectus boni consulit in suis Deus, quos sublimis quidam spiritus planè reprobaret. Nam etsi tardante Deo contra tædium nobis luctandum est, pro sua tamen indulgentia hanc precandi formam cōcedit, vt pro voto nostro acceleret. Sed hac de re diximus suprà, 27. d. 14.

15 *Pudore afficiantur & erubescant pariter quærentes animam meam ut perdant eam: auertantur retrorsum & pudefiant volentes malum meum.*

Pudore afficiantur & erubescant. Exprimit iam quid in omni tribulatione potissimùm vrgeat ac premat, videlicet quòd intelligebat afflictiones suas, si aliquandiu duraturæ sint, vergere ad contumeliam gloriæ Dei, propter impios, quibus ridiculum & insaniæ loco erat sperare in Dominum, & ad deiectionem piorum, qui spem suam in Deum transtulerant. Ideo suo more inimicos ad Dei tribunal citās, ex eorum crudelitate & iniustis sceleratísque odiis fiduciam exorandi petit. Nam ita statuendū est, quo iniquiùs nobis molesti sunt hostes, ac infestius in nos sæuiunt, Deum ad nos iuuandos magis propensum fore. Atque hæc non vulgaris cōsolatio est, cum eorum improbitate tentare Dei misericordiam, vt paratior sit ad ferēdum auxilium quo ardentius illi ad nocendum feruntur. Hac ratione Dauid de suis hostibus loquens, confidenter Deum interpellabat, dicens, Fac eos errare Deus, cadant à consiliis suis, in multitudine scelerum suorum disperde illos: quoniam rebelles fuerunt tibi, Suprà, 5. c. 11. *Quærentes animam meam ut perdant eam.* Animam pro vita posuit. Apparet autē quàm sæui & crudeles fuerint hostes Dauidis, quippe qui nō solùm illum bonis omnibus huius mundi sed & vita ipsum priuare moliebantur. quod animæ suæ orbitatem appellauit, Suprà, 35. b. 11. *Auertantur retrorsum.* Retrocedant, agantur retrorsum, compellantur desistere turpiter inuidiosi. *Et pudefiant qui quærunt malum meum.* Hoc est, vani & irriti fiant omnes conatus eorum qui seruum tuum perdere student. Cæterùm quo affectu istas precationes conceperit Dauid, iam aliquoties dictum est, atque hic memoria repetere conuenit: nequis iracundiæ suæ fræna laxans, eius exemplum prætexat. Semper enim damnabitur eorum κακοζηλία qui carnis impetum pro Spiritus zelo ducem sequuntur.

16 *Desolentur in mercedem pudoris sui qui dicunt mihi, Euge euge.*

Desolentur in mercedem pudoris sui. Hebraismus est. quasi dicas, Pro eo quòd me pudefacere conabantur. vel, sicuti hoc vnum spectarunt vt me ignominia opprimerent, & confuso ac perdito petulanter insultarent, ita similis confusio in eorum capita recidat. Similis est oratio illi quæ apud Prophetam habetur, Et desinet zelus Ephraim, & afflictores Iehudah excindentur, Esa. 11. d. 13. Et hic enim intelligit Vates zelum Ephraim quo ferebatur contra Iehudah, & afflictores Iehudah, non qui ipsum Iehudah, sed qui in Iehudah affligere solebat Ephraim. Vnde ibi sequitur, Ephraim non æmulabitur Iehudah, & Iehudah non affliget Ephraim. *Qui dicunt mihi, Euge euge.* Hoc est, qui me derident, vt confundar. Hoc membro genus illud confusionis designat, falsos pœnas referens quibus miserum & calamitosum hominem traduxerant. Videmus hic ingenium impiorum esse vt afflictionibus miserorum oblectētur. pœna tamen hæc illos manet vt tandem pudefiant & confundantur. Porro vt hinc docemur, vbi nos atrociter insectati fuerint hostes, paratam illis mercedem esse, vt in eorum capita quicquid machinati sunt Deus retorqueat aut reuoluat: sic eadem doctrina moderationis frænū esse debet, vt nos humaniter cum proximis geramus.

17 *Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Iehoua, qui diligunt salutem tuam.*

Gaudeant & lætentur in te omnes. Alio argumento, quod etiam alibi sæpe vsurpat, vtitur ad impetrandam liberationem. Non quòd ad Deum persuadendum rationes proferre opus sit, sed quia fidem nostram his fulturis confirmare vtile est. Quia ergo Deus communiter ab omnibus, non tantùm ab vno vel altero, vult agnosci misericors, quoties vnum ex suis aliquem liberat, commune beneficium præstat quod simul fideles in se transferre debent, dum in vnius hominis persona spectāt qualis erga omnes futurus sit Deus, qui sibi non est dissimilis. Ergo se nihil priuatim sibi petere ostendit, quod non ad totā Ecclesiam pertineat. Precatur vt Deus sanctos omnes exhilaret, vel communem ipsis præbeat gratulandi materiam, vt de eius auxilio certi alacriter ad ipsum se conferant. Vnde statuimus Deū in singulis hominibus suæ erga nos bonitatis specimen edere. *Omnes quærentes te.* Hoc est, qui tibi placere gestiunt & obedire. *Et dicant semper, Magnificetur Iehoua.* Hoc proprium est fidelium exercitium, se totos celebrandis Dei laudibus addicere: sicuti nihil magis cupiunt quàm eius nominis & gloriæ sanctificationem. Magnificari hic sumitur per extolli, exaltari & magnum fieri. *Qui diligunt salutem tuam.* Quod pios dicit amare Dei salutem, notatu dignum est: quia hinc colligimus verè demum fidem nostram probari si non aliunde quàm ab vno Deo seruari speramus aut cupimus. Nam qui sibi varias imaginantur salutes in hoc mundo, salutem quæ à se peti Deus iubet, negligunt vel respuunt. Idem valet quod prius dixerat Deum quærere: quia vt quis è Deo totus pēdeat, & cupiat eius gratia saluus esse, necesse est abiecta omni vana spe ad amplexandū eius virtutem adiicere omnes sensus. Hic rursus notanda sunt duo antitheta. Dixerat nuper improbos quærere vitam suam: nunc fidelibus diuersum affectum tribuit, quòd Deum quærant. Illorum subsannationem retulerat, Euge euge: hos aliter loquentes inducit, vt semper magnificetur Deus. Videmus itaque piorum esse quærere Dominum, & diligere salutē Domini. id est, nihil illis esse iucundius quàm in tribulationi-

bus pendere à Domino, & expectare sentiréque bonitatem Domini qua seruentur. Non habent hic locum cultores & inuocatores sanctorum.

18 *Ego autem pauper [sum] & egenus, [at] Iehoua cogitat de me: auxilium meum & liberator meus es: Deus mi ne tardaueris.*

Ego autem pauper sum. עני afflictus. [a] Conijcit se in numerũ pauperum & afflictorum, & confirmatam suã in Deũ fiduciam canit. *Iehoua cogitat de me.* [c] Hæc oratio sic resolui potest, Quãuis miser essẽ & inops, Deus cogitauit de me. Quia enim vt quisque miser est, & à mundo contemnitur, ita fingimus Deo non esse curæ: statuendum est miserias nostras non parere Deo fastidium, vt nobis consulere grauetur. Sic tamẽ potius legamus, Quum ego miser & egenus essem, Dominus meam necessitatem respexit, vt hac circunstantia Dei gratiam amplificet. Nam si maturè nos Deus sua bonitate præueniens non expectat dum nos res aduersæ vrgeant, non tam clarè apparet eius erga nos fauor. Hæc igitur comparatio non parũ illustrat Dei gloriam in liberatione Dauidis, quòd homini despecto & ab omnibus reiecto, spéque & ope destituto, manum porrigere dignatus sit. Iam si Dauidem huc inopiæ redigi oportuit, nõ mirum si gregarii homines eodem sæpe modo humilientur, quò sentiant & seriò agnoscant Dei manu se ex desperatione fuisse ereptos. [a] Notandum etiam est quòd non dicit, Ego iustus sum: Dominus rationem mei habet, neque, Ego rex sum, Propheta sum: sed, afflictus & egenus: [a] vt sciamus nos minimè à Dei cõspectu arceri ob nostras miserias. Imò verò concipienda est ex his orandi & impetrandi fiducia, modò verè coram Deo salutis nostræ protectore humiliemur. *Auxilium meum & liberator meus es. Deus mi ne tardaueris.* [b] Simplex ac genuinus huius precationis sensus est, Domine auxilium meum es & liberator meus: ergo ne moreris. Quia enĩ dubio & vacillãti animo ad Deũ accedere absurdũ est, fiduciã ab experiẽtia colligit suo more, sibique persuadet sibi minimè defore auxiliũ quo hactenus seruatus est. acsi diceret, Tu es qui in tempore iuuas, malísque omnibus eripis, [a] tu semper mihi opẽ tuam implorãti adfuisti: Deus mi ne cessaueris & in posterum. Ita rursus videmus ex præteritis Dei beneficiis spem in posterum concipiendam esse. [b] Discimus etiam ex hoc Psalmo, nos Deo curæ esse, & quantumlibet in aduersa nõnunquam detrudat, rursus tamen inde subducturum, & quidem quamprimũ nobis saluti fuerit. Id verò ad hoc nobis profuerit vt verum Dei cultũ in nostri consecratione & nominis Dei sedula prædicatione situm & agnoscamus & totis viribus sectemur: externas ceremonias quaslibet etiã à Deo institutas, tanti facientes quantũ ad solidam animorum deuotionem totiúsque hominis in voluntatem Dei addictionem momentum attulerint.

ARGVMENTVM PSAL. XLI.

[a] QVVM Dauid manu Dei grauiter afflictus, iniquis se multorũ iudiciis premi videret, acsi iam æterno exitio deuotus esset atque addictus, contra hanc tentationem spei consolatione se munit. Cõqueritur interea partim de crudelitate, partim de perfidia hostium suorũ, [a] qui ipsum & cupiebãt & sperabãt quoque planè interire. Et quanquam agnoscit de suis peccatis iustã sumi pœnam, eorum tamen malitiam accusat, quòd hominem bene meritum improbè vexarent. Postremò gratulationem attexit, quòd seruatus fuerit Dei gratia.

PRAEFECTO, *canticum Dauidis*

2 *Beatus qui prudenter iudicat super egenum, in die aduerso liberabit eum Iehoua,*

Præfecto. [v] למנצח Vide suprà, 4.a.1. *Beatus qui prudenter iudicat super egenum.* [a] על־דל super pauperẽ, afflictum, attenuatum. [a] Vulgò multi interpretes laudari putãt hoc versu humanitatis officia, dum curæ sunt miseri homines & iuuantur. Sed rectius alii expendunt Dauidis consilium, quòd scilicet eorum æquitatem laudet qui prudenter & moderatè iudicant de hominibus afflictis. Nec verò aliter accipi potest participium Hebræum משכיל. Sed tenendum simul est cur Dauid beatos esse pronuntiet qui prudenter saníque intelligentia æstimant Dei ferulas, dũ seruos suos castigat. Diximus illi certamen fuisse cũ præposteris iudiciis, quia quũ duriter eum vrgeret afflictio, putarunt multi perditum esse ac desperatum. Neque enim dubium est idem ei contigisse quod sancto Iob, quem amici seuerius à Deo tractari videntes, omnium sceleratissimum iudicãt. Et sanè hoc nimis commune vitium est, vt maior pars hominum miseros exitio adiudicet. Nam sicuti diuitibus & aliis quibus prospera fortuna arridet, vulgus quoque hominum applaudit, Dei fauorem ex caduca fœlicitate æstimans: sic & miseris contumeliose insultat, & temere Deo exosos imaginatur: quia illis non tam clementer parcat vt reprobis. Hæc malè & sinistrè iudicandi prauitas seculis omnibus regnauit. Clamitat passim Deus se pluribus de causis probare fideles rebus aduersis, nũc vt eos ad patientiam exerceat, nunc vt subigat vitiosos carnis affectus, nunc vt superfluas carnis cupiditates excoquat & purget, nunc vt eos humiliet, nunc vt alius statuat in exemplum, nunc vt ad vitæ cœlestis meditationem excitet. Sed nos vt plurimũ absque discrimine præcipites ferimur, & quicũque sub cruce laborant, eos demergimus (vt ita loquamur) infra omnes abyssos. Huius temeritatis frænãdæ causa dicit Dauid beatos esse qui nõ ita crudeliter sæuiunt peruersis iudiciis, sed prudenter discernũt inter plagã & plagã, adeóque malignũ illum carni rigorẽ ingenitũ spiritus prudentia temperant. Exemplum nuper in persona Iob proposuimus, quem dum amici extrema calamitate confectum aspiciunt, reprobum & deploratum esse non dubitant. Si in tale spectaculum incideret æquus & humanus arbiter, prudentiam adhiberet quam nunc laudat Dauid. Nos verò hoc Spiritus testimonio admoniti cohibere discamus nimiam nostram festinationem. Prudenter autem iudicandum est de afflictis fratribus, vt de eorum salute bene speremus: ne si inclementer ante tempus à nobis damnati fuerint, hic iniustus rigor in capita nostra recidat. Præcipuè autem notandum est quod suprà attigimus, Dauidem malignis sæuísque iudiciis fere obrutum, hac consolatione se armasse, ne tentationi succumberet. Discamus ergo & nos, siquando superbis hominum iudiciis fidem nostrã labefactare molitur Satan, sensus nostros ad hanc prudentiam referre, ne desperatio nobis obrepat. Hic genuinus est præsentis doctrinæ vsus. [b] De seipso quidem Dauid loquebatur: attamen rectè hoc dictum & de similibus ipsi, nempe castigatis à Domino in bonum ipsorum, accipietur. *In die aduerso liberabit eum Iehoua.* [c] Quidam superiori membro coniungunt: & tolerabilis esset lectio, nisi hæc distinctio aptior foret, quam & accentus adiuuat. Certè hinc plenior elicitur doctrina, Dominum liberatorem fore pauperis in die aduerso. Putant nonnulli Dauidem bene precari dextris & moderatis hominibus, acsi diceret, Dominus, siquando illis contingat miserè affligi, vicissim rependat clementiæ mercedem. Alii sentiunt referri illorum verba, ex quibus eorum prudentia & rectitudo perspici queat. Falluntur tamen vtrique, dum sententiam hanc optatiuè legũt. Siue autem in sua siue in illorum persona loquatur Dauid, breuiter æquitatem commendat quæ nobis seruanda est erga miseros: nempe quanuis ad tempus se Deus illis infensum ostendat, propitium tamen fore, vt lætior demum exitus appareat quàm iudicium ferri queat ex præsenti intuitu. Videmus nunc quãto hoc vberius sit & magis emphaticum, sperari à Domino salutẽ in die aduerso. nam alioqui nullus ex dolore emergeret. Neque enim solùm hortatur fideles Spiritus sanctus vt propensi sint ad mansuetudinem quoties vident fratres suos affligi, sed remedium quoque ostendit leniendi doloris, quoties rebus aduersis cõcutitur fides nostra. [a] Hinc Apostolus, Habiti sumus, inquit, velut oues destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum dilexit nos, Rom. 8.g.36.

3 *Iehoua custodiet eum, & viuificabit eum: beatus erit in terra, & non trades eum in animam inimicorum eius.*

Iehoua custodiet eum. [b] Cõseruabit afflictum, ne pereat. [a] Prosequitur eandem sententiam, quòd Dominus miserum hominem custodiet, quem crudeles & iniqui perditum esse iactant. [a] Consolationis gratia notandum est, quòd quum omnis afflictio sit à Domino, nihilominus hic Domino ascribitur quod is suos in tribulationibus à se immissis custodiat & sustẽtet, ne scilicet animis succumbant ac pereant, ne tribulatio latius serpat quàm illis sit commodum & vtile. Vnde colligere licet, afflictiones piis immissas signa esse diuinæ dilectionis qua erudiũtur, & paternè à Deo castigãtur. [c] Semper autem repetenda est antithesis inter diem malum & liberationis gratiam. *Et viuificabit eum.* [a] Hoc est, restituet in vitam. *Beatus erit in terra.* [b] Bene & prosperè habebit in hoc mundo, & fœlicitate potietur in terra. [c] Significat Dauid, quanuis similis fuerit mortuo, sibi & piis omnibus spem vitæ non fuisse extinctam. Posset quidem videri absurdum quòd sibi beatam vitam in mundo promittit: quia malè nobiscum ageretur nisi alibi melior nos conditio maneret. Sed quia de ipso multi desperauerant, disertè exprimit se adhuc fore superstitem, & quidem non sine manifestis gratiæ Dei signis. Quibus verbis spem melioris vitæ minimè excludit. *Et non trades eum.* [v] Personæ mutatio Hebræis familiaris, pro, Neque tradet eum. *In animam inimicorum eius.* Id est, voluntati & libidini siue desiderio. [a] De quo loquendi modo diximus suprà, 27.d.12.

4 *Iehoua fulciet eum super lectum doloris: omne stratum eius vertisti in infirmitate eius.*

Iehoua fulciet eum super lectum doloris. [a] Hoc est, dum anxiabitur spiritu, Deus opem feret, confirmabit ac roborabit eum,

ne deficiat, ac pro hostium voto pereat. [c] Quoniam lecti doloris fit hic mentio, inducti sunt quidam ad diuinationem parum firmam. Quod enim indefinitè de afflictione narratur, ad morbum restringunt. Atqui minimè nouum est, qui mœsto sunt animo, conijcere se in lectulum, & decũbere, quia homines magis interdum tristitia exanimat quàm morbus. Certè probabile est grauiorem aliquam cladem tunc fuisse Dauidi inflictã, quæ signum esset non vulgaris iræ Dei. [a] Fatetus tamẽ sibi non defuisse consolationem à Domino, cuius proprium est afflictorũ animos in spem melioris conditionis erigere. *Omne stratum eius vertisti in infirmitate eius.* [v] Mutatio personæ, pro Vertit. [c] Subest autem hic aliqua obscuritas. Quidam enim stratum vertere ita accipiunt, quasi Deus, vt refocillationem daret seruo suo, culcitram eius composuerit, vt ægrotis fieri solet, quò mollius recumbant. Alii rectius versum dicunt esse lectum qui morbo destinatus erat, vbi reddita fuit Dauidi sanitas. Hoc sensu, Quamuis nunc mœstus iaceat quem Dominus sub cruce erudit, breui tamen ab eiusdem Dei manu continget leuatio qua vires recuperet. [m] Porro discimus ex his vanum esse & irritum desiderium impiorum, quo piorum interitum quærũt: nisi Dominus suos libidini & voluntati ipsorũ exposuerit. Est ergo omnis salus nostra in manu Domini, (quemadmodum & perditio) & non in manu inimicorum. Quin docemus etiam hic, non dare Dominum suos desiderio inimicorum ipsorum, vt ut videantur in oculis mundi omni auxilio Dei destitui. [a] sicuti iam audiuimus, Obseruat impius iustum, & quærit interficere ipsum: Iehoua non relinquet ipsum in manu illius, &c. Suprà, 37. f. 32. Et hoc loco manifestum Dei auxilium Vates ostendit, dum affirmat afflicti hominis miseriam versam esse in tranquillitatem. Quæ omnia non vulgarem consolationis materiam præbent cunctis Dei cultoribus, quorũ tristitiam Deus tandem in gaudium conuertit.

5 *Ego dixi, Iehoua miserere mei, sana animam meam: quia peccaui tibi.*

Ego dixi, Iehoua miserere mei. [v] Nonnulli vertunt per præteritũ imperfectũ, Dicebam. sub. dum in extremo discrimine essem. Alii adiectis pauculis vertunt, Hinc ego quoque dico. [a] Sed parũ refert, modò sensum Prophetæ habeamus. [c] Ostẽdit hoc versu, in suis malis se minimè captasse blanditias: sicuti maior pars sibi adulatur, & suos dolores vanis solatiis mulceri cupit. Et certè quisquis Spiritu Dei regitur, pœnis admonitus peccata sua agnoscet, ac placidè fratrum suorum correctiones suscipiet: imò eas præueniet voluntaria confessione. Porrò hac nota discernit se Dauid à reprobis & desperatis, quòd suppliciter culpam deprecatus sit, seque cõtulerit ad Dei misericordiam. Petit quidem pœnam sibi leuari: sed altius orditur, nempe vt veniam adeptus reconcilietur Deo. Peruertunt enim ordinem (vt alibi diximus) qui externis malis remedium optantes, causam ipsam negligunt, perinde ac siquis febrim alendo tantùm sitim restingui vellet. Ergo antequam de animæ sanitate verbum faciat, dicit, Miserere mei. [h] q.d. Tuam misericordiam imploro Domine, libera me à peccatis, quorum causa hæc patior. Deinde addit, *Sana animam meam.* [b] Deus iratus afflixerat: igitur ab ipso placato iam & misericordia moto sanitatem & liberationem à malo precatur, eámque animæ, hoc est vitæ suæ. Quanquam non rarò נפש & pro corpore in Scripturis accipiatur, videtur tamen Dauid hoc dicto voluisse significare, animam iam & vitam in summũ periculum adductam, eámque statim, nisi opem Deus tulisset, extinguendã. *Quia peccaui tibi.* [c] Debet hæc particula cũ illa coniungi qua Dei misericordiã Dauid implorabat. Deum enim meritò sibi offensum fatetur, nec aliter propitium fore quàm abolitis peccatis. Particula כי nõ aduersatiuè (vt quidam volunt) sed in proprio sensu accipienda est. [b] acsi diceret, Quòd te offẽdi, quòd in te peccaui, id causa est afflictionis huius. Tu percussisti solus: solus igitur sanare potes. Precor igitur vt miserearis nunc mihi, quia grauiter cõtra te peccaui. [m] Mirabilis certè impetrandæ sanitatis ratio, Adiuua me nam peccaui tibi, id est, contra te. Annon hæc ratio iudicio mundi magis faceret ad impedimẽtum quàm ad causam impetrandæ sanitatis? Vt quid ergo illam subiicit Dauid? An amat Deus peccata mortalium, vt illis ad benefaciendum alliciatur? Nequaquam. Sed amat confessionem peccatorum, & querimoniam malorum eorum quæ pios peccatorum gratia apprehenderunt: ex quibus est hæc infirmitas animæ quam Propheta sanari, confessione peccatorum adiecta, precatur. [c] Ergo sibi ignosci petit, quia peccauit. Hinc sanitas, quæ interponitur quasi misericordiæ effectus: quia confidit Dauid impetrata venia fore à calamitate leuatum iri. [h] Docemus itaque hoc loco afflictiones ob peccata ab irato Deo immitti. Depulsio igitur earum à nullo alio quàm ab eodem placato oranda est.

6 *Inimici mei dixerunt malum de me, Quando morietur, & peribit nomen eius?*

Inimici mei dixerunt malũ de me. [v] Futurũ Hebræũ, quod quidam vertunt per præsens, Dicunt: alii per imperfectũ, Dicebant: sed rectius per præteritum perfectum, Dixerunt. [c] Dicere autẽ hoc loco pro imprecari positus. [b] Ostendit enim Dauid vt se habuerint ipso afflicto inimici & quàm hostili animo in se fuerint. [c] Hac verò indignitate ad misericordiam (vt alibi dictum fuit) Deum prouocat, qui ad opem miseris ferendam eo benignius inclinat dum inclemẽter eos tractari videt. Atque ita suo exẽplo nos ad fiduciam excitat & erigit: quia hostium nostrorũ sæuitia quo iniquior est, plus nobis fauoris apud Deum conciliat. *Quando morietur, & peribit nomen eius?* [m] Hoc malũ est quod dixerunt de sancto viro. Cupiebant illum extinctum & planè è medio sublatum. [c] Fortis etiam imprecationis quàm crudele fuerit odium testatur, quod nonnisi interitu & quidem probroso, placari potest. Cuperent enim vnà cum ipso memoriam eius deleri. [c] Sed frustra. Nam impiis pereuntibus & è medio sublatis, perpetua erit iusti memoria: sicuti habetur Prouerb. 10. b. 8; & infrà, 112. b. 6.

7 *Quòd si ueniebat ad uisendum, mendaciter loquebatur, cor eius congregabat iniquitatem sibi: egressus foras loquebatur.*

Quòd si ueniebat ad uisendum, mendaciter. [b] Simulationẽ perfidorum amicorum canit hoc versu. [c] Nam qui ex professo hostes erant, palam eum insectabantur: idque proximè ostendit. Nunc cõtrà it alteram querimoniã, multos ficto animo, acsi amici essent, accedere, qui tamen postea virus suum euomerent. Est autem hoc hostium genus magis timendum, qui malitiam suam tegunt & fouent, séque insinuant ad nocẽdum. Postquam ergo de hostibus manifestis cõquestus est, ad simulatos amicos descendit, quos dicit non alio fine venire nisi vt mendaciter loquantur: interim fraudes in cordibus versare, adeóque clam sibi coaceruare iniquitatem: perfidiam verò suam prodere vbi foras egressi sunt. *Mendaciter loquebatur.* [a] Q.d. fingebat, imò dicebat se dolere ob afflictionẽ mihi immissam: [a] sed vanũ illud erat & merum mẽdacium. Nã *cor eius congregabat iniquitatem sibi.* Hoc est, omnia explorabat de quibus suos exhilararet, insidiásque quas bonis strueret, ex iis quæ circa me miserè afflictũ gerebantur, colligebat. *Egressus foras loquebatur.* [v] Sub. alia quàm loquutus erat coram vel, quæ collegerat in animo suo, suis similibus loquebatur. Futura sunt Hebræis pro imperfectis præsentibus aut præteritis, pro voluntate interpretis.

8 *Simul aduersum me susurrant omnes odio habentes me, aduersum me cogitant malum mihi.*

Simul aduersum me susurrant omnes. [v] Futura Hebræa pro præsentibus, murmurant, mussitant, cogitant. [m] Hoc versu queritur de hostium suorũ nequitia, [c] & generaliter videtur vtrosque complecti, tam qui palam & hostiliter tentabant eum opprimere, quàm qui sub amicitiæ prætextu dolosè & per insidias idẽ machinabantur. Dicit ergo de suo exitio sermones ab omnibus cõferri: sicuti multis susurris improbi homines vltrò citróque suas proditiones agitant. Ideo addit, *Aduersus me cogitãt malum mihi.* Quibus verbis peruersas & scelestas eorum cõsultationes notat. [b] Nam inter se conueniebant, iactabant, sciscitabantur alius ab alio quando tandem interiret, ac penitus ex hominum memoria deleretur.

9 *Facinus Belial adhæret ei: & qui decumbit, non addet ut resurgat.*

Facinus Belial adhæret ei. [m] Græca & vulgata Latina habent, Verbum iniquum cõstituerunt aduersum me. Hieronymus legit, Verbum diaboli infundebant sibi. Alii, Perfudit istũ graue aliquod scelus. Alii, Clade insanabili cõstringitur. Sed quia grãmatici vocẽ Belial cõpositam esse volunt ex בלי & יעל, quod est non ascẽdere, rectè verbũ Belial hoc loco pro scelere inexpiabili, vel à quo nõ sit regressus, accipietur. nisi forte quis ad cladẽ ipsam referre malit: acsi dicerent hostes malo insanabili se constringi. [a] Rectius tamẽ pro scelere inexpiabili sumitur. Vnde etiã nõnulli בליעל dici putãt quasi בלי יעל, id est, nihil prodest. Vnde nihili & perditi homines dicuntur viri Belial, Deut. 13. c. 13, & Iudic. 19. c. 15, & 1. Sam. 2. c. 12. Et quum Hanna mater Samuelis se à temulentia excusaret sacerdoti Eli, negabat se filiã Belial, 1. Sam. 1. c. 16. Ex his & similibus locis satis colligitur Belial significare scelestũ, perditum, flagitiosum. Sit iam verbũ Belial scelus grãde, flagitiũ, & inexpiabile quoddã facinus dicitur. [c] Itaque ex hoc versu patet hostes Dauidis ideo sic conspirasse in eius perniciem, quòd reprobum hominem ducerent dignumque mille mortibus. Atque hæc superba insultatio ex maligno illo iudicio oriebatur, cuius versu 2 meminit. Statuunt Deum prorsus infestum illi esse, & fore implacabilem, quia tam atrociter eum puniat. [v] Nam spem melioris fortunæ mox præcidunt, dicentes, *Et qui decumbit, non addet ut resurgat.* [a] Q.d. Vltio grandis cuiuspiam sceleris hunc penitus occupat, & ita

dem labefactare conati sint, non tamen se fuisse à timore Dei alienatum narrat. Ergo patientiam suam hoc modo in medium proferret, quòd grauiter agitatus & concussus, non tamen à rectitudine desciuerit. Verum si hæc sententia placeat, notandum est continuo pòst ascribi beneficium hoc, quòd steterit Dauid inuictus, & illos tentationum impulsus fortiter sustinuerit: & in futurum tempus, non de alia quàm manus Dei fultura eum sperare. Si de externo statu loquatur, contextus etiam bene fluet, Deum non antè finem gratiæ suæ facturum quàm seruos suos in finem vsque saluos præstet. *Et stabilisti me coram te semper.* [V] Præteritum pro futuro, statues. [C] Deus dicitur stabilire coram facie sua quos ita tuetur vt claris signis paternam erga eos curam demonstret: sicuti dicitur faciem abscondere, dum videtur suorum obliuisci. Particula לְעוֹלָם, semper, in seculum, clarius notat cõtinuum Dei gratiæ tenorem erga pios omnes: quasi diceret Dauid, Nunquam me derelicturus es, sed semper habebis in oculis, quò tuearis & serues. Simul autẽ hoc dicto ad futuram fœlicitatẽ videtur spectasse, quæ erit dum Deum videbimus sicuti est, hoc est, in conspectu eius collocati fuerimus.

14 *Benedictus Iehoua Deus Israel à seculo & vsque in seculum. amen & amen.*

Benedictus Iehoua. [S] Hoc est, ab omni creatura glorificandus est Dominus, timendus & amandus. [C] Cõfirmat hoc versu gratiarum actionem quam nuper attigerat. [M] Hoc autem sacrificium laudis ostendit, quò tendere debent quæ vel Deus nobiscum vel nos cũ Deo egerimus. Nam id præcipuum est quo coli à nobis vult & potest. *Deus Israel.* [D] Dominum ideo Deum Israelis vocat, [C] vt fœdus cũ patribus percussum sibi in animo penitus hærere testetur: quia ex hoc fonte manauerat liberatio. [D] Adde quòd tum in nulla alia gente verè colebatur Deus. Laudis diuinæ æternitatem in eo cecinit quod subiunxit, *A seculo & vsque in seculum.* Per omnia enim secula ipsum laudabunt quicunque ipsum vel semel verè laudarint. Id enim sancti soli electique possunt, quia nullis aliis Dei bonitas cognoscitur. Animali siquidem homini quæ de ea prædicantur stultitia sunt, 1. Corinth. 2. d. 14. Iam electos, quos Filio Pater dedit, nec ipse abiicit, nec rapit de manu eius quisquam, Iohan. 6. d. 37. & 10. e. 29. Æternùm igitur laudabunt Dominum, etiamsi ad interduum, carnis cupiditatibus acti transuersum, intermittant. *Amen & amen.* [V] Id est, firmum sit & firmum. aut, fiat ita, fiat ita: siue, fiat & fiat. Venit enim à verbo אָמַן, quod firmum esse ac solidum significat. Vnde & אֱמֶת veritas, & אֱמוּנָה fides deducitur. Approbantes ac confirmantes auditum sermonem ea voce apud Hebræos vtebãtur, vt Num. 5. c. 22. & Deut. 27. c. 14. videre est. [C] Geminatio autem huius vocis animi feruorẽ & desiderium ingens promouendæ Dei gloriæ exprimit, facitque ad vehementiam, quò melius incitarentur omnes pii ad laudandum Deum, [A] cui omnis debetur honos & gloria. [P] Cæterùm in hoc Psalmo obseruandum quantis insidiis obnoxii sint principes & magistratus pii. Item discendum quàm non sit temere de cuiusquã calamitate & afflictione iudicandum, sed omnia in partẽ meliorem interpretanda, vt cum flentibus flere potius quàm cuiquam insultare libeat. Postremò sæpe Deum suis sic se subducere vt videatur de eis actum, sed in tempore restituere illos, & inimicis superiores reddere. Præcipuè autem hæc & in Seruatore nostro consideranda sunt, quò nihil nos turbet quod & capiti nostro accidisse perpenderimus.

ARGVMENTVM PSAL. XLII.

[M] Dauid hoc psalmo mœstitiam animi sui, gemitus & suspiria refert, quibus laborauit quum [V] profugus erraret ob Saulis sæuitiam, & accessu sanctuarii prohiberetur. In quo ostendit se Dei cultum terrenis omnibus commodis prætulisse. [M] Deinde quid ludibrii ab impiis pertulerit, & quàm difficilis cũ desperatione sibi fuerit lucta, cõmemorat. Precẽ etiam & gratiæ Dei meditationem admiscet confirmandæ spei suæ causa. Postremò intextus illud cum mœrore suo certamen repetit.

PRæfecto erudiens filiis Corah.

Præfecto erudiens filiis Corah. [V] לַמְנַצֵּחַ, Vide Sup. 4. a. 1. מַשְׂכִּיל vide Suprà, 32. a. 1. *Filiis Corah.* [C] Quia hic non ascribitur nomen Dauidis, coniiciunt multi filios Coræ Psalmi esse authores: quod nullomodo verisimile est. Nam quum in Dauidis persona sit compositus, quem scimus Spiritu prophetico excelluisse inter omnes alios, quis eredet ei aliunde fuisse dictatum? Communis erat totius Ecclesiæ doctor, & insigne Spiritus organum: Leuitis, quorum pars erant filii Coræ, Psalmos alios canendos tradiderat: quid igitur opus fuisset precariò ab illis mutuari hanc operam, cui præstandæ longè superior erat? Itaque probabilius est ideo nominari filios Coræ, quia fuit apud eos depositus thesauri loco: vt scimus ex cãtoribus alios atque alios Psalmorum delectos fuisse custodes. Quòd supprimitur Dauidis mentio, nihil est in eo incómodi: quia idem videmus factum in aliis Psalmis, quorum tamen ipsum esse authorem certis coniecturis licet colligere. [M] Porro de filiis ac posteris Coræ vide Numer. 16. b. 11. & 1. Paralip. 6. b. 13. [C] De tempore etiam non prorsus conuenit. Volunt enim quidam Dauidem hic de clade sua conqueri quum à filio Absalom esset expulsus. Sed contrariam opinionẽ confirmare videntur rationes aliquot bonæ. Nam coniuratio Absalom statim sedata fuit, vt diu à sanctuarii accessu Dauidem non impedierit. Atqui disertè diuturnum exilium hic deplorat sub quo ferè contabuerit. Neque enim paucorum dierum mœrorem versu 3 describit: imò totus contextus palam ostẽdet diu iacuisse in misero isto statu de quo loquitur. Quòd obtendunt arcam fœderis sub regno Saulis fuisse neglectam, vt non sit verisimile Dauidem tunc solennes choros duxisse, non adeo firmum est. Quanquam enim non nisi defunctoriè Deum colebat Saul, noluit tamen profanus videri. Et Dauid ipse alibi ostendit se sedulò, festis præsertim diebus, sacros conuentus frequentasse. Certè quod videbimus infrà, 55. c. 15, In Domum Dei profecti sumus pariter, vel vnanimes, ad tẽpus Saulis pertinet.

a. *Quemadmodum ceruua clamat ad fontes aquarum, ita anima mea clamat ad te Deus.*

Quemadmodum ceruua clamat. [V] Glocitat, desiderat. futurum Hebræũ pro præsenti: singulare itẽ pro plurali. Vt ceruæ, siue ceruarum armentũ desiderat. *Ad fontes aquarum.* [V] Ad riuos aquarũ, Ad torrentes aquarũ. Alii, ad diuisiones aquarũ. Torrentes siue diuisiones aquarũ pro fluminibus nõnulli accipiunt. [M] Ostendit Dauid primis duob⁹ versibus quàm feruẽti desiderio fuerit in exilio cõstitutus erga eum locũ in quo & cõueniebat populus Dei, & coram Deo orando, sacrificando, laudandóque illius beneficẽtiam, apparebat. [C] Vnde colligimus eum omnibus cõmodis, opibus, deliciis, honorib⁹ denique prætulisse liberũ sanctuarii accessum, vt mãdatis in Lege exercitiis fidẽ pietatémque suam aleret ac confirmaret. Nam quòd se ad Deum viuum clamare dicit, non simpliciter accipitur pro flagrare Dei amore & desiderio: sed in mentem venire debet quomodo ad se inuitet Deus, & quibus adminiculis sursum attollat mentes nostras. Neque enim iubet rectà nos in cælum conscendere, sed imbecillitati nostræ consulens propius ad nos descendit. Clamauit igitur Dauid ad Deum, sibi clausam esse viam reputans, quia ab externo cultu erat exclusus: quod vinculum est sacræ cum Deo coniunctionis. Non quòd per se Deo nos cæremoniæ concilient: sed quia pietatis sunt exercitia, quibus carere non sustinet nostra infirmitas. Itaque à sanctuario exulans Dauid, non aliter anxius est quàm si à Deo ipso esset alienatus. Non destitit quidem interea preces suas in cælum dirigere, imò ad ipsum quoque sanctuarium: sed infirmitatis suæ conscius, viam qua ad Deum perueniunt fideles, sibi clausam esse doliter ferebat. [D] Vnde canit hic se plusquam effari possit æstuasse desiderio adeundi sacrum cœtum. [C] Quo exemplo refellitur eorum arrogantia qui media hæc securè prætereunt, imò superbè contemnunt, acsi in eorum arbitrio esset in cælum momẽtaneo volatu penetrare. quasi verò Dauidem zelo & alacritate animi superent. Neque tamen substitit in terrenis elementis Propheta: sed quia sciebat alas sibi deesse quibus volaret, scalis vsus est per quas ad Deum contenderet. [D] Id desiderium quantum fuerit, ea simili ostendit ceruæ glocitantis præ siti, quum inhiat ad profluentem. [C] Quod tamen exponunt quidam fluuios expeti à ceruis, vt se ex lassitudine reficiant, nimis fortè restrictũ est. Fatemur quidem, si venator ceruum vrgeat, & canes instẽt, occursu fluminis nouas vires colligere: sed scimus etiam certis anni temporibus ceruos incredibili ardore plusquam sitienter aquas expetere: quam sitim Propheta notare videtur. etsi ea de re contẽdendum non est. *Ita anima mea clamat ad te Deus.* [V] תַּעֲרֹג Idem verbũ Hebræum quo ceruã glocitantẽ dixit. [T] עָרַג Kimhi propriam dicit esse vocẽ ceruorum, sicut גָּעָה, id est mugire, boum. Ita Latini propriam ceruorum vocem fecerunt Glocitare, vt legitur in carmine quod inter Ouidiana opera numeratur, de variis animantium vocibus.

4 *Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum, dicens: Quando veniam, & apparebo coram Deo?*

Sitiuit anima mea. [P] Sine simili idem canit quod versu præcedenti, nempe siti animã suam æstuasse. [S] Queritur & dolet quòd propter hostium persequutionem adesse non potuerit solennitati Domini, vt & ipse in cœtu plurimorum ad templum Domini ter quotannis conuenientium, laudet & magnificet bonitatem diuinam. *Ad Deum viuum.* [M] Id est verum, vnicum, & omnipotentem, [L] vnde scilicet omnia esse & viuere habent. Deinde magno cum affectu subiicit, *Quando veniam & apparebo*

ber ram faciē Dei? [V] Et videbor, conspiciar, in conspectu Dei id est tuo, (tertia persona pro secunda) hoc est in templo. [C] Hæc interrogatio clarius demonstrat quod diximus, Dauidem non loqui simpliciter de præsentia Dei, sed cum circunstantia: quoniam sibi tabernaculum, altare, sacrificia ritusque alios proposuit, quibus testatus fuerat Deus se propinquum fore populo suo. Atque ita fideles initium inde facere oportuit quum accedere ad Deum cuperent, non vt illic manerent affixi, sed vt gloriam Dei, quæ per se abscondita est, signis adiuti quærerent. Ergo vbi notas præsentiæ Dei in verbo vel signis habemus insculptas, dicere licet cum Dauide, illic extare Dei faciem, modò puros animos afferamos ad eum spiritualiter quærendum. Vbi autem Deum præsentem aliter imaginamur quàm se verbo & sacris signis patefecit, vel crassum aliquid terrenùmque concipimus de cælesti eius maiestate, fingimus meras laruas quæ Dei gloriam deformant, eiusque veritatem conuertunt in mendacium. [M] Cæterùm quia Deus habitationem suam in medio populi promiserat, & huius promissionis arca symbolum erat, nomen Dei interdum ipsi arcæ tribuitur. Nam quum ipsa eleuaretur, dicebat Moses, Surge Domine, vt dissipentur inimici tui, Numer. 10.d.35. Item quum deponeretur, aiebat, Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel, Ibidem, d.36.

4 *Fuit mihi lachryma mea panis die ac nocte, dum dicerent mihi omni die, Vbi est Deus tuus?*

Fuit mihi lachryma mea panis. [S] Hebraismus est, pro, die & nocte tantum fleui vt nec cibum corporalem comedere libuerit. [C] Alium doloris aculeum refert quo eius animum pungebant reprobi & maleuoli. Nec dubium est quin talibus flabellis vsus fuerit Satan, quò eum grauius vreret, Quid tibi vis? nónne te à Deo reiectum esse vides? Nam certè in tabernaculo vult adorari, à cuius accessu arceris & exulas. *Dum dicerent mihi omni die.* [A] Temporis circunstantia doloris acerbitatem auget. [B] Semper sonabat istud in auribus eius, quod hostes suos iactare satis sciebat, *Vbi est Deus tuus?* cuius auxilium tam confidenter iactabas, in cuius cæremoniis tam multus eras? [C] Erant certè violenti impetus ad concutiendam sancti viri fidem, etsi rara Spiritus virtute suffultus acriter repugnasset. [M] Interea tamen hoc ferebat tanto grauius quanto cupiebat Dei bonitatē celebrari præclarius: quod sanè ita cupiebat vt nihil æquè. [C] Apparet etiam quàm serio affectu tactus fuerit. Nā contingit nos sæpe moueri, vt tamen non abstrahamur à cibo & potu: sed vbi cibum quis sponte abiicit, lachrymis ita indulget vt se fraudet quotidiano victu, assiduus est in mœrore, non leuiter torqueri apparet. Dicit autem Dauid non alibi se plus reperisse solatii quàm in lachrymis: itaque se fuisse illis deditum non secus ac homines cibo oblectantur, séque reficiunt: idque quotidie, non solum ad breue tempus. Tenendum igitur est, quoties nobis insultant impii, & odiosè exprobrant Deum nobis esse aduersum, à Satana impelli, vt fidem nostram deiiciat: ideóque non esse locum deliriis vbi tam periculosum bellum nobis mouetur. Accedit etiam altera ratio, quòd impiis ludibrio est nomen Dei: quia non sine eius probro subsannant fidem nostram. Nisi ergo ferrei simus, grauissimo dolore nos vulnerari par est. [A] Quare non immeritò queritur hic Dauid grauissimum sibi vulnus fuisse inflictum, ac præ doloris vehementia cibum respuisse, quum probrum fiduciæ in Deum habitæ obiiceretur ab hostibus. sicuti etiam alibi dixisse leguntur, Deuoluit ad Iehouam: eripiat eum, liberet eum, quia ei bene vult, Suprà, 22.b.9. Quid etiam Christo obiectum fuerit ab hostibus, videre potes Matth.27.e.43.

5 *Hæc dum recordor, effundo super me animam meam, quòd transibam in numero, deducens eos vsque ad domum Dei in voce exultationis & laudis, multitudinem tripudiantem.*

Hæc dum recordor. [A] Ad verbum, Hæc recordabor, & effundam super me animam meam. sed futurum est pro præterito, vel potius pro præsenti. [C] Est autem versus iste propter temporum varietatem nonnihil obscurus. Dubium tamen non est quin genuinus sit sensus, Dauidem, quum memoria repeteret priorem statum, plus tristitiæ ex comparatione sensisse. recordatio (inquam) præteriti temporis ad mala eius augenda non parum momenti attulit. quòd nunc templo careat qui dux & antesignanus reliquis fuerat ad obeūdos sacros cœtus. Scimus, qui à prima pueritia malis sunt assueti, callum contrahere, & ipsa malorum assiduitas generat in nobis quandam duritiem. Quare nihil mirum si Dauid, qui non vnus è vulgo fuerat, sed nuper ordinem primum duxerat inter fideles, durius cruciatur, se prorsus eiectum videns, ac ne infimum quidem sibi locum patere. Ita pronomen demonstratiuum Hæc, cum proxima narratione cōtexitur, nempe quòd recordatus fuerit Dauid se transire solitum in numero priorum, & eos deducere ad domum Dei.

[V] Q. d. Recordatio illa festorum quæ cum gaudio agere solebam, excutit mihi lachrymas amaras, quòd id amplius facere non liceat. *Effundo super me animam meam.* [C] Effundere animam metaphoricè quidam exponunt pro mœrorem suum euomere: aliis tantundem valet ac lætitia diffundi. Sed Dauid potius dicere videtur affectus suos fuisse liquefactos siue gaudio, siue mœrore. Nam anima hominis, quæ tum sustinet quandiu collectum tenet suum vigorem, dissoluitur immodico affectu, & quasi euanescit. Dicitur ergo animam effundere qui sui compos non est quin sensus sui dissipati effluant. acsi diceret Dauid animum suum præ tristitia liquescere ac deficere, dum reputat vnde ceciderit. Si de gaudio exponere libeat, talis erit cōparatio, Mihi olim tam iucundum fuit ducere populi ordines ad sanctuariū, vt gaudio animus meus liquesceret, neque apud me essem: &, si hoc idem bonum mihi redditum fuerit, eadem lætitia sensus meos rapiet. Sed mox prior eius expositio melius contextui quadrat. *Quòd transibam in numero.* [V] Quia præibam in caterua vel comitatu, lento gradu & optimo ordine incedebam cum eis. [C] Per numerum qui סך Hebraicè dicitur, choros intelligit: quia non confusè vel turmatim, sed per certos ordines gradiebantur, quum festis diebus ad tabernaculum venirent. *Deducens eos.* [B] אדדם, quum verbum è verbo sit, Emouebam eos, satis liquet pro Ducere vsurpatum. *Vsque ad domum Dei.* [A] Vsque ad tabernaculum: quod Dei domus dicitur, sicuti postea tēplum Dei vocatum est domus Dei, Esa.56 c.7, & Matt. 21.b.13, & Iohan. 2 c. 16. *Multitudinem tripudiantem.* [V] Turbam festum agentem, aut lætam. [A] Videmus nunc quanto dolore confectus fuerit sanctus vir dum prioris status recordaretur. [B] Non est quòd putemus eum humano more obeutū fuisse tristitia: sed quia ex præsenti miseria iudicium fecit de ira Dei, piè seipsum cruciauit, quòd sua culpa Deum in se prouocasset. Atque, vt hoc omittamus, videmus vnde conceptus fuerit dolor. Tot enim priuatis incommodis grauatus, ob vnū sanctuarium angitur, vt ostendat sibi mitius esse carere vita quàm à Dei conspectu exulare. Atque ita affectus nostros temperari conuenit, nempe vt gaudium nostrum ad paternum Dei fauorem respiciat, doloris nostri causa sit eum habere infestum. Nam hæc est secundum Deum tristitia, cuius meminit Paulus, 2. Cor.7.c.10.

6 *Cur deiicis te anima mea, & tumultuaris in me? expecta Deum: quoniam adhuc confitebor ei salutes vultus eius.*

Cur deiicis te anima mea? [V] Cur deprimeris, deiecta es? [M] Nunc Propheta per apostrophen ad seipsum conuersus (quemadmodum fieri solet in tribulationibus) quasi expostulat cum anima sua, quid necesse sit ad eum modum anxium esse, quasi nullus sit amplius meliorū rerum locus, & planè deploratū sit: iubétque illam bona spe esse erga Deum: nam futurū vt illi olim pro restitutione gratias agat. [C] Hinc apparet Dauidem fortiter luctatum esse cum dolore, ne tētationi succumberet. Sed notemus arduum & durum ei fuisse certamen, antequam victor emergeret: imò non vno tantùm insultu vel prælio fuisse defunctum, sed sæpius retractum fuisse ad nouas pugnas. Nec mirum est tam grauiter fuisse perculsum, quum nullum fauoris Dei signū occurreret. *Et tumultuaris in me?* [V] Et personas, infremis, inquietas. [B] Sic alibi, Concaluit cor meum intra me, in meditatione mea exardescet ignis, &c. Suprà.39. a.4. [C] Hic Dauid se nobis quasi in duas partes diuisum statuit. Quatenus enim fide in Dei promissiones recumbit, inuictæ fortitudinis Spiritu instructus contra affectus carnis suæ surgit, vt eos compescat: & simul castigat suam mollitiem. Quanquam autem bellum cum Satana & mundo gerit, non tamen rectà vel apertè cum illis confligit, sed seipsum potius deligit antagonistam. Et certè hæc optima est vincendi Satanæ ratio, non egredi extra nos, sed cum propriis affectibus suscipere intrinsecum certamen. Ac notandum est quòd fatetur Dauid animam suam fuisse deiectam. Nam dum nostræ infirmitates quasi fluctus insurgunt, quia iam putamus actum de fide nostra, solo terrore victi non audemus manus conserere. Quoties igitur obrepet hæc ignauia, veniat nobis in mentem, hanc ordinariam esse primum luctam, proprios affectus in ordinem cogere, ac præsertim bellum gerere cum diffidentia. *Expecta Deum.* [V] Specta tātùm in Deum. vel, spē tuā colloca in Deo. [B] q. d. Ne perpetuis angoribus te molestes, acsi nulla spes esset melioris conditionis. fide Deo, qui tum maximè adesse solet quum omnia desperata videntur. [C] Dauid duo vitia posuerat in speciem diuersa, quæ tamen animos nostros simul occupant, deiectionem scilicet & tumultum. Nam dum iacemus prostrati, simul tamen inquietudo ad fremitum nos impellit. Nunc vtriusque remedium addit, nempe spem in Deu, quæ sola facit primùm vt consistant animi nostri inter maximas tēpestates, deinde vt patienter quiescāt. *Quoniam adhuc confitebor ei.* [V] Celebrabo eum. [B] q. d. Non semper durabit hæc tentatio, olim gratias agam ex his periculis ereptus. [C] Porrò vim &

naturam spei optimè exprimit Dauid his verbis, Adhuc confitebor: nempe vt mentes nostras ad gratiæ absconditæ intuitum procul euehat. Hac enim voce Adhuc fatetur os sibi in præsentia esse obstructum ad canendas Dei laudes, quia vndique prematur angustiis: spem suam nihilominus in longum tempus extendit. Atque vt emergat ex præsenti mœrore, sibi promittit quod non apparet. Neque tamen quicquam temere imaginatur ex proprio sensu: sed fretus Dei promissionibus, non modò ad bene sperandum se animat, sed sibi sponsor est certæ salutis. Neque enim aliter gratiæ Dei apud fratres nostros idonei erimus testes, quàm si eam primùm cordibus nostris testati erimus. *Salutes vultus eius.* Hæc particula variè exponi solet. [v] Quidam sic interpretantur, Celebrabo eum quòd sit salutes faciei meæ. Vel, est enim salutes faciei meæ: est, inquam, Deus meus. Hebraismus, Salutes faciei meæ, id est coram me salus. Q. d. Author est auxilii mei multiplicis & præsentis. Ipse est mihi præsentissima salus: vel, est auxilium in quod solum prospicere debet facies mea. Alii, Auxilium semper mihi expromptum & expositum, & ante oculos positum. Sic panes propositionis dicuntur panes facierum, id est propositi faciei Dei, & in conspectu eius. Aut, salus faciei meæ dicitur auxilium propter quod facies mea solet hilarior & lætior reddi. [c] Nonnulli subaudiunt particulam Propter, vt materiam vel causam gratiarum actionis designet. Sed malè non conueniet sensus si seorsum legamus salutes esse vultus Dei: quia simulac respicere suos dignatur, saluos præstat. Vultus enim Dei pro fauoris declaratione capitur, quia tunc serena eius facies refulget, sicuti eam obnubilant vel obscurant res aduersæ. [d] Qua de re vide suprà, 4 b. 8. [a] Et hæc erat consolatio contra id quod hostes eum tantopere vexabant, dicentes, Vbi nunc est Deus tuus?

7 *Deus mi, in me anima mea deiecta est: propterea quòd recordor tui de terra Iarden & Hermonitarum à monte Mizar.*

Deus mi, in me anima mea deiecta est. [v] Consternata est, depressa est. [a] Iterum canit vt eum excruciat recordatio Dei, id est loci & cœtus sacri. Deum enim ipsum vbique præsentem habebat. [c] Quanquam si nihil subaudire placeat, constabit versus duabus distinctis sententiis. Sic enim est ad verbum, Deus mi, anima mea super te deiecta est: ideo memor ero tui, &c. Sed maior pars interpretum עַל־כֵּן exponit Propterea quòd, vt sit causæ redditio. Et certè optimè hoc quadrabit, quoties Dauid è terra Iordanis, in qua tum latebat, animum ad sanctuarii recordationem applicuit, magis auctum fuisse eius mœrorem. Quòd si tamen placeat versum distinguere, tenendum erit, Dauidem, non vt dolorem suum alat, Dei recordari in exilio, sed eius leniendi causa. Neque enim eos imitatus est qui nullum nisi in Dei obliuione solatium inueniunt: sed eius manu vulneratus medicum tamen agnouit. Ita tantundem valebit oratio acsi dixisset, Quanquam nunc exul à templo, & alienus à familia Dei videor, id tamen non obstabit quominus ad eum respiciam. Vtcunque enim sacrificiis destituar, quæ mihi vtilia essent, verbo tamen suo me non priuauit. Sed quia prior sensus magis receptus est, deinde expositionis vice aptior videtur, præstabit ab eo non discedere. Animam ergo suam Dauid mœrore oppressam esse conqueritur, quia se ab Ecclesia Dei eiectum esse videat. *De terra Iarden.* [a] Meminit loci in quo detentus à sacra panegyri arcebatur. [v] Et futurum hic ponitur pro præsenti vel præterito, acsi diceret, [a] Propterea anima in me deiecta est quòd memor sum tui, quòd mecum reputo vt magnificè te in tabernaculo fœderis, in concione sancta præsentem exhibes, quum interim cogor ego hic in terra Iordanis, inter accolas montis Hermon, à sacra panegyri exclusus exulare. [c] Hinc verò discendum est, quamuis nos deficiant adminicula quæ Deus ad fidei nostræ & pietatis ædificationem instituit, sedulò tamen acuendas esse mentes nostras, ne vnquam obrepat Dei obliuio. Sed hoc præcipuè notandum est, sicuti proximo versu vidimus Dauidem instar fortis athletæ cum propriis affectibus certasse: ita nunc ostendi qua ratione constanter persistierit, nempe quia ad Dei opem confugerit tanquam ad sacrum asylum. Et certè nisi nos ad precandum sollicitet promissionum Dei meditatio, ad nos sustinendos impar erit. Quomodo enim fieri potest, nisi virtutem Deus suppeditet, vt tot prauis cogitationibus simus superiores, quæ singulis momentis se ingerunt? Est enim hominis anima quasi officina Satanæ ad fabricandos mille desperationis modos. Quare meritò Dauid, vbi secum luctatus est, mox se ad preces recipit, Deumque sui doloris testem aduocat. Per terrà Iordanis intelligitur regio quæ Iudææ respectu transfluuialis erat, quod melius probatur ex nomine Hermonim. Sic enim plurali numero vocatur continuus tractus montis Hermon, propter diuersa cacumina. Et fortè numerum pluralem consultò posuit, quia eum huc illuc discurrere & vagari cogeret timor. [b] Montana illa cesserunt in possessionem Rubenitis & Gaditis, atque dimidiæ tribui Manasse. Og rex Basan antè in illis regnauerat. *A monte Mizar.* [v] Quis sit ille mons ne Hebræi quidem dicere possunt, etsi Abraham Ezra & Kimhi esse nomen montis affirment. [a] Vnde quidam tanquam nomen appellatiuum acceperunt, & reddunt, A monte minimo, vel exiguo: [c] & voluit oblìquè conferri cum monte Sion, quasi Dauid collem aliòqui paruum monti altissimo præferret. sed horum sententia nimis coacta videtur.

8 *Abyssus ad abyssum clamat, ad vocem fistularum tuarum: omnes fluctus tui & omnes illisiones tuæ super me transierunt.*

Abyssus ad abyssum clamat, ad sonitum. [v] Vel vorago voraginem aduocat. Hebraismus, pro, calamitas calamitatem inuitat & adducit ea voce & eo strepitu quem emittunt fistulæ tuæ, hoc est, pluuia vehemens quam exprimunt nubes tuæ. Fistulis seu canalibus nubes comparat, quòd effundant aquas vt fistulæ. Vel, quum magna vi perstrepunt cataractæ tuæ: siue, perstrepentibus subitò cataractis tuis, id est, te pluente super me tribulationes, altera alteram secum trahit. [c] His verbis tam malorum grauitas quàm congeries & diuturnitas exprimitur, acsi dixisset non vno tantùm genere malorum se premi, sed varia subinde recurrere, vt nullus sit finis nec modus. Primò abyssi nomine ostendit tentationes quibus impetebatur, meritò posse gurgitibus conferri: postea de longa continuatione queritur, & quidem aptissima figura, quòd tentationes se procul inclament, & aliæ alias accersant. [a] Q. d. Vna tribulatio aliam inuitat, & horribiliter terret. [a] Porro aquarum inundationi passim in Scripturis infortunia assimilantur. Hinc alibi memorat Vates se torrentibus Belial fuisse exanimatum, & postea ereptum ex aquis validis, Suprà, 18. a. 5. Et eductum ex puteo aquis perstrepente, Suprà, 40. a. 3. Item infrà 69. a. 1. *Ad vocem fistularum tuarum.* Hic Deum inducit velut è canalibus & cataractis immensam super se demisisse vim aquarum, vnde inundarint meræ abyssi, aquæ scilicet imperuiæ, immensæ, & quæ sic æstuarint, fluctibusque & procellis tempestuosæ fuerint, vt nec naui eua dere illas liceret. *Omnes fluctus tui & omnes illisiones tuæ super me transierunt.* [c] Metaphoram prosequitur, significans afflictionum mole se fuisse obrutum & quasi absorptum. Sed notandum est quòd sæuitiam Saulis & hostium suorum Dei inundationes appellat: vt meminerimus semper in rebus aduersis nos humiliare sub forti Dei manu, quæ nos affligit. Vlterà deinde progredi operæpretium est, si in nos violenter pluere velit Deus, simulac suas cataractas aperuerit vel canales, nullum finem malis nostris fore, donec placatus fuerit. Habet enim arcanas & incognitas rationes quibus nos persequatur. Ita vbi in nos ira eius efferbuerit, non vna modò erit abyssus ad nos deglutiendos, sed abyssus ad abyssum clamabit. Quoniam ea est hominum socordia vt non satis metuant Dei minas, quoties agitur de eius vindicta, veniat nobis hic versus in mentem. [a] Cæterum hæc calamitatis descriptio ostendit quanto animi mœrore constrictus fuerit Dauid in exilio constitutus, vt discamus plurimi facere Dei beneficium, quo nos in sanctorum suorum cœtu conseruat & tuetur.

9 *In die præcipiet Iehoua misericordiam suam, & nocte canticum eius mecum, oratio ad Deum vitæ meæ.*

In die præcipiet Iehoua misericordiam suam. [v] Quidã subaudiunt, Sic cogito, vt dilucidior sit sensus. [a] Alii futurum verbi tempus in præteritum resoluunt, putantes Dauidem superiora Dei beneficia colligere, vt de tristi & misero statu in quo angitur vehementius expostulet: acsi dixisset, Qui fit vt Deus, qui se mihi tam clementem antè exhibuit, nunc quasi mutato animo summum rigorem exerat? Sed quia nulla ratio cogit tempus verbi mutare, adeóque altera expositio cõtextui aptior videtur, eam sequamur. Itaque etsi non negàmus Dauidem, beneficia quæ iam expertus fuerat, in fidei suæ subsidium adducere, non tamen dubitamus eum sibi promittere in futurum tempus liberationem adhuc occultam: atque ita ratiocinari, Cur non sperarem Deum mihi fore propitium, vt interdiu mihi occurrat eius bonitas, & nocte canticum lætitiæ mecum cubet? Certè hãc consolationẽ mœrori opponit quem ex horrẽdis iræ proximo versu retulit iræ Dei signis cõcipere poterat. [b] Acsi diceret, Illucescet mihi aliquando per Dei gratiam consolatio post angustias. *Et nocte canticum eius mecum.* [v] Sub-erit. Id est, noctu canã de illo carmina. *Oratio ad Deum.* [c] Oratio cuius hic meminit, non est hominis afflicti vel anxii, sed gratulationem complectitur, vbi Deus fauore suo nos exhilarans liberum ad se accessum referat. Et ideo addit, *Vita mea.* Deum vitæ suæ appellat, quia ex hac notitia emergit alacritas cordis. [a] Adde quòd quum vitæ fons in Deo resideat (sicuti vidimus suprà, 36. c. 10) & solus eam creaturis conferre possit, nõ immeritò Dauidis vitæ, sed & omnium viuentium Deus dicitur. [a] In ipso siquidem viuimus, mouemur, & sumus, Act. 17. f. 28.

10 *Dicam Deo petræ meæ, Vt quid oblitus es mei? vt quid pullatus ambulabo propter oppressionem inimici?*

Dicam Deo petræ meæ, Vt quid. [c] Si proximũ versum legamus in tempore præterito, sensus erit, Quum se mihi Deus antea ostenderit tam beneficum, eo maiore fiducia precabor. nam audacem experientia me reddet. Si placeat futurum tempus, coniunget Dauid precationẽ meditationi quam ex fide conceperat. Et certè quisquis sibi de paterno Dei fauore persuadet quod nuper dixit, etiam eius exemplo animosius precabitur. Nunc ergo talis erit sensus. Quia mihi polliceor Deum propitiũ, vt interdiu suam mihi misericordiam emittat, eámque continuet, vt noctu quoque suppetat canendi materia, liberius apud eum mala mea deflebo, Domine rupes mea, quare oblitus es mei? Nam videris me in afflictionibus deseruisse. *Vt quid pullatus ambulabo in oppressione inimici?* Id est, Quare semper est vnde sit lugẽdum mihi? quare perpetuò hostis obterit, vt cogar continuò indulgere lamentis? Ex habitu enim luctus, luctum & dolorẽ per synecdochen significat: vt alibi, quum dicit, Sicut lugens matrẽ, pullatus humiliaui me, Suprà, 35. b. 14. [c] Cæterùm hac querela non intelligunt fideles se prorsus à Deo reiectos: (quia nisi crederent sub eius cura & tutela se esse, frustra eum inuocarent) sed ex carnis suæ sensu ita loquuntur. Quare hæc obliuio refertur tam ad externam speciem quàm ad inquietudinem qua turbantur fideles secundum carnem: licet interea fide statuant se à Deo respici, nec surdas sibi fore eius aures.

11 *Vt occisio est in ossibus meis qui probris afficiunt me inimici mei, Vbi est Deus tuus?*

Vt occisio est in ossibus meis. [v] Varia est lectio. Nam quædã exemplaria habent ב, in alia כ, sicut. Ad verbum, in occisione, in ossibus meis opprobrio affecerunt me. vel cum sectione in ossibus meis opprobrio affecerunt me, &c. Alii, quasi gladio in ossibus, & c. id est, perinde me afficiunt dolore acsi me gladio confoderent. [c] Quanquam ergo oratio verbis est perplexa in summa tamen rei nulla est obscuritas. Afferit enim Dauid se non minori cum dolore fuisse vulneratum hostium probris quàm si ossa perforassent. Quia רצח occidere significat, sensum hunc in versione retinuimus. Neque tamen improbanda est eorum sententia qui vertunt gladium occisorum. licet nõ satis expẽdant sub voce ossium notari acerbitatẽ doloris, quæ maior sentitur ex ossium percussione quàm si gladius per viscera vel flexibiles alias partes corpus transfodiat. [c] Queritur ergo Dauid obiectum sibi ab impiis. *Vbi est Deus tuus?* [a] Quibus verbis fidem illi eripere contendebant. Dicitque id sibi fuisse meram lanienam & carnificinam defixam mentem in ossibus. [c] Nec verò filiis Dei hæc similitudo hyperbolica videri debet. ac siquis miratur Dauidem tam molestè tulisse hostiũ subsannationem, ipse suum stuporem prodit. Nam atrocius nihil accidere potest inter sæuissima quæque mala, quàm tum vbi laceratur Dei maiestas, fidésque nostra lethaliter impetitur. Nota est Pauli doctrina de persecutione Ismael, Gal. 4. d. 19. Etsi enim puerilis risus pro nihilo à multis ducitur, quia tamen eo tendebat vt lusorium esset fœdus Dei, sæuissima persecutio secundum iudicium Spiritus sancti censeri debet. Ideo non immeritò Dauid probra hostium suorum, quibus verbum Dei cũ sua fide calcari videbat, gladio occisorio confert, qui per ossa & medullas penetrat. Atque vtinam discerent quicunque se iactat pro filiis Dei, priuatas suas iniurias æquius perferre: vbi autem fides eorum cum Dei contumelia oppugnatur, & verbũ etiam quod eos viuificat, in idem trahitur ludibrium, hunc Dauidis zelum induere. [a] Certè nihil æquè dolet sanctis quàm contemni Dei cultum, & tanquam rem infrugiferam videri. id quod fit dum sancti aliquantulum improbis permiscentur. Statim enim dicunt impii, Vbi est Deus tuus? id tum eos ita vrit, ita discruciat, vt nulli omnino queat tormẽto conferri. Primum enim votum eorum est vt nomen Dei sanctificetur, à quo salutem vniuersi petant.

12 *Cur deiicis te anima mea? & cur tumultuaris in me? expecta Deum, quia adhuc confitebor ei, salutes vultus mei, & Deus meus.*

Cur deiicis te anima mea? [v] Idem est versus cum sexto præcedenti. [a] Iterum recipit se Dauid. & animam suam consolatur, ita vt vsuuenit sanctis, dum afflictione grauius exercentur. [c] Hæc autem repetitio admonet non ita vno congressu Dauidem vicisse suas tentationes, quin ad idem certamen descendere coactus fuerit. Quo exemplo monemur, quamuis eandem molestiam nobis facessat Satan, non tamen debere nos tædio frangi. *Salutes vultus mei.* Hæc pars vocem vnam diuersam habet à versu sexto, quum tamen reliqua omnia conueniant. hic enim ponitur relatiuum primæ personæ, Salutes vultus mei. Nescitur autem an desit litera ו, quæ tertiam personã constituit. quia tamen in hac quam retulimus lectione, conueniunt omnes codices, non absurdè Dauid vocare Deum potuit salutes vultus mei, quòd speraret claram & certam liberationem: acsi Deus visibili modo salutis vindicem se offerret. Certum quidem est appositiuè Deum vocari salutem: quia continuo pòst sequitur, *Et Deus meus.* [a] Quæ omnia ex viuo fidei sensu à Dauide dicta esse dubium non est.

ARGVMENTVM PSAL. XLIII.

[m] Psalmus iste cum proximo eiusdem omnino argumenti est, vnde & titulo caret, & eadem tractat quæ illic habuimus. [c] Nam Dauid (quem probabile est eius authorem esse) iniusta hostium violentia & tyrannide fugatus & expulsus à patria, Deum vindicem implorat, seque ad spem restitutionis hortatur.

1 *Iudica me Deus, & litiga litem meam: à gente non mansueta, à viro doloso & iniquo eripe me.*

Iudica me Deus, & litiga litem. [v] Es discepta disceptationem meam aduersus gentem. vel, contende contentionem meam. Id est, disceptando tuere causam meam aduersus, &c. [m] Vulgata Latina & Hieronymus habent, Et discerne causam meam. [m] Hoc versu transfert Dauid causam suam, quam cum inimicis habebat, ad iustum iudicem Deum. Ac primò expostulat de hostium suorum sæuitia: paulo pòst tamen ostendet nihil sibi tristius fuisse quàm priuari sanctuarii accessu. Est autem hoc bonæ conscientiæ signum, quòd Deo causæ suæ patrocinium cõmendat. Nam Iudicare istud quod primo loco ponit, nihil aliud est quàm causam suscipere: & clarius deinde sensum suum exprimit per disceptationẽ litis. Hæc quidem summa voti sui est eripi ab improbis & sceleştis, à quibus indignè affligebatur: sed quia miseris & innoxiis, qui præter meritũ vexantur, auxilium suum promittit, Dauid primo loco se examinandum offert, vt cognita causæ bonitate & perspecta tandem suppetias ferat. [a] Q. d. Tu Deus, qui probas renes & corda, nosti integritatem meam & hostium meorum immanitatẽ, quibus propriis viribus resistere nequeo. [a] tu igitur pro me cõtende & causam meã tuendam suscipe, [a] vt omnes te iustum iudicẽ agnoscant. [c] Sicut autem suauissima hinc consolatio ad nos redit, quòd Deus causæ nostræ cognitor esse nõ grauetur, ita frustra sperabimus eum fore iniuriarum nostrarum vltorem, nisi in medium prodeat nostra integritas, quæ fauorem nobis contra aduersarios conciliet. [a] Nihil ergo beatius secura conscientia, quæ Dei iudicium appellare audeat. *A gente non mansueta.* [v] A gente non misericorde. [c] Per gentem non mansuetã intelligitur tota hostium factio, quæ immitis erat ac humanitatis expers. [a] Ex hac multitudine erant qui seruo Dei dicebant, Vbi est Deus tuus? *A viro doloso & iniquo eripe me.* [c] Hoc quidem ad Saulem referri potest: videtur tamen potius enallage esse numeri.

2 *Quia tu es Deus fortitudinis meæ: quare alienatus es à me? quare pullatus incedo in oppressione inimici?*

Quia tu es Deus fortitudinis meæ. [v] Id est, à quo omnes vires meæ habent originem. Latinè dixeris, Robur meum, fortitudo mea. [a] Acsi diceret Dauid, Sine te nihil possum, per te omnia. *Quare alienatus es à me?* Cur oblitus es mei? cur dereliquisti seruum tuum tot angoribus oppressum? *Quare pullatus incedo in oppressione inimici?* Parum differt hic versus à decimo Psalmi superioris, idque magis in verbis quàm in re. Tentationi enim hunc clypeum opponens, quòd Dei virtutem sibi adesse expertus fuerit, queritur se mœstum incedere, quia hostium libidini sit quasi expositus. Nam quia hoc pro certo & confesso sumebat, non plus hostibus esse potestatis ad inferendas sibi molestias quàm Dominus permitteret, ideo tanquam de re absurda quærit qui fiat vt præualeant hostes, quum ipse sub Dei fide sit ac tutela. Hinc verò animum colligit ad precandum vt Deus gratiam suam iterum exerat, quam ad tempus visus est abscondere.

3 *Mitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsæ dirigant me, deducant me ad montem sanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua.*

Mitte lucem tuam & veritatem tuam. [a] Precatio verè pia, qua Dei misericordiam in afflictione Dauid constitutus implorat. [c] Nam per lucem intelligitur fauor. Quia sicuti res aduersæ non modo obscurant Dei faciem, sed cælum quoque nobis obnubilant: ita in Dei benedictione effulget læta serenitas imò lux vitæ caliginem, sub qua mœsti obruebamur, discutit. Atque hoc verbo significat non aliunde cõtingere omnes miserias, nisi quia Deus paterni amoris signa subducit: simul verò ac lætam serenámque faciem ostendere dignatur, liberationem &

salutem emergere. [A] Qua de re vide suprà, 4.b.8. *Et veritatem tuam.* [C] Luci veritatem adiungit: quia lucem nonnisi ex Dei promissionibus sperabat. Nam increduli quàuis sibi propitium esse Deum cupiant, non tamen ad eius lucem attollunt oculos: quia semper in terram procliue est hominis ingenium, nisi Dñi verbo sursum erigatur. Hinc ergo Dauid fiduciam gratiæ Dñi concipit, quia Deus, qui verax est, ac fallere non potest, seruis suis se affuturum sit pollicitus. Itaque sic resoluenda est oratio, Emitte lucem tuam, quæ fidei tuæ mihi specimen sit ac documentum. vel, quæ re ipsa & effectu probet te fidum esse in promissis ac minimè fallacem. Etsi enim cognitio gratiæ Dei ex verbo petenda est, nec fides aliter stabilis erit nisi verbo nitatur: non vulgaris tamen verbi & fidei confirmatio est ipsa experientia, dum ad nos iuuandos manum extendit Deus. [A] De hac fide & veritate Dei vide suprà, 15.a.5.6. *Ipsæ dirigant me, deducant me.* [V] Hæc me deducant vel introducant. vel, quæ me deducant & introducant. [C] Iam quid maximè captet, & quem sibi proponat restitutionis scopum, exponit. Dirigant me, inquit, & adducant ad montem sanctum tuum. Sicut enim præcipua mœroris causa erat exulare à cœtu piorum, sic etiam caput omnium bonorum fore ducit si frui liceat pietatis exercitiis, Deúmque in sanctuario colere. Tacitè quidem Dauid votum gratiarum actionis nuncupat: sed minimè dubium est his verbis notari quem spectabat liberationis finem, vt scilicet liber pateret reditus in sanctuarium, vnde hostium tyrannide expulsus & profligatus erat. Idque notatu dignissimum est, quum vxore, fortunis, domo, aliísque cõmoditatibus spoliatus esset, templi semper desiderio sic æstuasse vt alia omnia ferè negligeret. Sed hoc breuiter nunc attingere nobis sufficit: quia de tam pio affectu fusius [A] suprà, 42. a.3. b.5.7. disseruimus. *Ad montem sanctitatis tuæ.* [A] Hoc est, sanctam panegyrin in monte Sion, vbi tabernaculum fœderis erat. [C] Quæritur tamen quomodo montis Sion fiat mentio, qui nonnisi post mortem Saulis designatus fuit ad Dñi cultum. Cuius nodi non alia occurrit solutio, nisi quòd Dauid longo pòst tempore Psalmum componens, quod aliàs in genere de tabernaculo dicturus erat, simul ad reuelationem sibi postea datam deflexerit. In quo nihil est absurdi, [A] sicuti etiam aliis locis visum est. [M] Taxanda autem est eorum superstitio qui locis quibusdam sanctitatem affigunt. Hic locus ad quem Dauid anhelat, habebat promissionem Dñi, quòd hic esset habitatio Dei futura. Nos Christi promissionem habemus, quòd velit esse in medio nostrum, vbicunque duo vel tres in nomine ipsius congregati fuerint, Matth. 18.c.20. Redarguenda simul est sectariorum quorundam arrogantia, qui sacros cœtus superbè contemnunt, & Dei Ecclesiam despiciunt.

4 *Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ: & confitebor tibi in cithara, Deus Deus mi.*

Et introibo ad altare Dei. [V] Vt ingrediar, Vt ingredi liceat. Vau (&) pro Vt frequẽs est in Scripturis. [C] Solenne Deo sacrificium promittit Dauid in memoriam liberationis. Neque enim de ordinario tantùm vel quotidiano cultu loquitur, sed altaris nomine, vbi offerri solebant pacifica, illud quod diximus gratitudinis signum exprimit. Ideóque addit, *Ad Deum lætitiæ exultationis meæ.* Sic Deum vocat, quia ex mœrore ad hilaritatem traductus hoc beneficium profiteri in animo habeat. Et lætitiam vocat exultationis, vt liberationis gratiam splendidius commendet. Nam posterior genitiuus epitheton valet: quo significat non vulgari se gaudio fuisse perfusum vbi Deus eum præter spem restituit. *Et confitebor tibi.* [V] Vt celebrem te. [M] Videmus hic cur tantopere restitui petat, ad hoc videlicet vt sit copia laudandi ac celebrandi Dominum in sacro cœtu. *In cithara.* [A] De vsu citharæ & organorum diximus suprà, 33.a. 2. *Deus Deus mi.* [A] Hoc additum est testandæ fidei causa. q. d. Etsi duræ me afflictiones torqueant, scio tamen quòd me non sis in finem vsque derelicturus: quia te Deum habeo, in quo spes mea semper collocata fuit. [B] Primum votum erat viro Dei, bonitatem noménque Dñi quàm posset maximo cum fructu prædicare. Quum igitur ad id eo tempore & locus à Domino delectus & relictæ cæremoniæ cõducerent, propter spiritus quo populus donatus erat infantilitatem, tanto feruebat erga externa ista studio, cupiens ita interna commodius promouere. Vtque totus animus in laudem Dei ardebat, ita quicquid ad illam potuit animos populi quouis modo inflammare, id cupidissimè adhibuit, siue organa musica, siue decenter modulatas voces, siue denique magnificum cæremoniarum apparatum, aut quicquid huius adhibere licuit.

5 *Cur deiicis te anima mea, & cur tumultuaris in me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, [quòd sit] salutes vultus mei, & Deus meus.*

Cur deiicis te anima mea. [V] Idem versus legitur præcedenti Psalmo, versibus 6 & 12. [M] In quo videre licet quæ pugna sit fidei & animi pii, piè quoque affecti, in vno & eodem homine. Nam omnino pius erat gemitus ac fletus in Dauide, quem anima ipsius ergà Deum desiderio, tabernaculi & arcæ Domini effundebat: & tamen corripit illum Spiritu fidei Propheta, dicens, Cur te deiicis anima mea? *Spera in Deo.* Q.d. [A] Tantùm fiduciam tuam colloca in Deo, qui sibi notos deserere non potest: is tibi defuturus non est, quin inuitis tuis hostibus faciet vt in sacro cœtu laudes ipsius deprædices, ob liberationem qua te paterno fauore eripiet.

ARGVMENTVM PSAL. XLIIII.

[M] Habet Psalmus iste querimoniam super afflictione populi Dei in medio hostium agentis & miserè habentis, [P] ac propter veram religionẽ multa patientis. Nam queruntur [C] fideles Deũ se propitium non iam sentire, vt olim patribus fuerat. Dein sẽ in medium proferũt fœdus cum Abraham percussum, quod sẽ optima fide coluisse asserunt, quàuis duriter afflicti essent. [B] Postremò precantur vt Deus virtutem suam tandem exerat, suósque ab iniuriis impiorum asserat, [C] præsertim quæ redundant in pietatis contumeliam.

PRæfecto filiorum Coræ, erudiens.

Præfecto filiorum Coræ. [C] Quis fuerit Psalmi author incertum est, nisi quòd liquidò constat à quouis potius quàm a Dauide fuisse compositum. [M] Nam ipsum Dauidis tempus tale non fuit vt ad illud afflictio quæ in hoc Psalmo describitur, referri possit. [C] Nam floruit Ecclesia sub eius regno: [A] quemadmodum ex sacris historiis promptum est colligere. [C] querimoniæ autem quas continet Psalmus, propriè conueniunt in miserum illud & calamitosum tempus quo grassata est sæuissima tyrannis Antiochi. [M] tunc enim multa passus est populus Israeliticus propter nomen Dei magna cõstantia: ad quam spectare videntur quæ à versu 18, vsque ad 23. habentur. [C] Nisi fortè latius extendere libeat: quia post reditum ab exilio nullum ferè tempus à duris molestiis vacuum fuit. Fieri etiam potest vt in ipso exilio vnus quispiam ex Prophetis querimoniam hanc populo dictauerit. Quanquam simul notandum est, imaginem Ecclesiæ, qualis post Christum manifestatum futura erat, hic depingi. Paulus enim (vt suo loco iterum videbitur) non ita accipit quasi illa fuerit vnius seculi conditio: sed admonet iisdem ærumnis Christianos esse deuotos, nec aliud sperãdum illis esse vsque ad finem mundi quàm quod in Iudæis ab exilio reuersis quasi præludium ostendit Deus, Rom. 8.g.36. Apparuit quidem postea Christus Ecclesiæ redemptor, sed non in eum finem vt luxurietur caro in terra, sed potius vt sub cruce militemus vsquedum cælestis regni quies nos excipiat, [A] scientes quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14.d.22. Et quòd omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2. Timoth. 3.c.12. [P] Ridiculi verò Iudæi qui Psalmum hunc de suo præsenti exilio interpretantur. Nam quibus minus competunt quàm ipsis quæ canuntur à versu 18. vsque ad 24? Plus nimio sanè deflexit cor eorum, dum suis cæremoniolis potius quàm Dei bonitati fidunt: declinarunt itẽ à semita eius, quum vitam ex sincera dilectione institutam penitus ignorant, eóque quicquid patiuntur, non propter Deum, sed impiam suam patiuntur pertinaciam: [A] sicuti patribus ipsorum Seruator noster Christus sæpius prædixit, Matth. 23.c. 26, & 24.b.21, & Luc. 19.f.42, & 21.f.30, & 23.d.29. [M] Certè Psalmus hic eorum est qui ab impiis propter nomen Dei affliguntur, quibus hoc vice probri est quòd Dñi sunt, ac corde sincero in ipsa afflictione à Deo pendent: [A] ita vt cum Apostolo dicere possint, In hoc & laboramus & probris afficimur, quòd spem fixam habeamus in Deo viuente, qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium, 1. Timoth. 4.c.10. *Erudiens.* [B] Quid sibi velit nomen מַשְׂכִּיל, dictum est suprà, 32. a.1. Nam etsi interdum lætis argumentis inscribitur, eius tamen vsus frequentior est vbi agitur de rebus aduersis: quia hæc optima eruditionis species est, vbi Dominus ferociam nostram domando sub iugum nos cogit: [A] quemadmodum habetur Prouerb. 3. b. 11, & Hebr. 12.b.15, & Apoc. 3.d.17.

2 *Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri narrauerunt nobis opus [quod] operatus es in diebus eorum, in diebus pristinis.*

Deus auribus nostris audiuimus. [M] Ab hoc versu vsque ad nonũ recensent fideles beneficia Dei patribus ex Ægypto eductis, itemque terram Chanaan eiectis gentibus collocatis, & postea quoque exhibita: [C] vt ipsa dissimilitudine ad clades suas leuandas eũ prouocẽt, [M] séque in afflictione constitutos in fide erga Deũ animent. [B] Dum enim procul adeò abesse opem Domini sentiunt, in mẽtem eis venit quàm præclarè illa adfuerit veteribus

Qui affectus & alibi expressus est, quũ Dauid diceret, In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. Ad te clamauerunt & erepti sunt: in te sperauerunt, & non fuerunt confusi, &c. Suprà, 22. a. 4. [c] Præfantur autem hoc loco fideles se nequaquam de rebus obscuris vel dubiis loqui, sed referre historias ab idoneis authoribus probè testatas. Nam quòd se auribus suis dicunt audisse, nõ est pleonasmos, sed emphaticè exprimũt tam celebrem fuisse gratiæ Dei famam vt sublata sit omnis dubitatio. *Patres nostri narrauerunt nobis opus.* [b] Docuerunt, prædicauerunt, descripserunt præcepta & mirabilia tua, & quod viderunt opus nobis fideliter narrauerunt. [c] Addunt, notitiam hãc ab ocularis testibus per manus fuisse traditam: nõ quòd patres qui ex Ægypto redempti fuerant, post annos mille & quingentos exposuerint posteris Dei beneficia: sed quia continua serie non tantùm prima liberatio, sed varia auxilia quæ subinde attulerat Deus populo suo, de manu (quod aiunt) in manũ vsque ad vltimã ætatẽ peruenerit. Quia ergo ex ore primæ generationis loquuti sunt qui post multa secula testes fuerunt ac præcones gratiæ Dei, meritò dicunt fideles, quod sibi narratum fuit à patribus, compertum ipsis fuisse: quia cognitio vetustate non intercideraт, sed vigebat propter continuam memoriam. Summa est. Deum non à decem aut viginti annis beneficum fuisse erga Abrahæ filios, sed ex quo eos complexus fuerat, non cessasse à continuis gratiæ suæ documentis. [m] Interea videmus quid patresfamilias domesticis suis esse debeant, nẽpe domestici concionatores: [p] quemadmodum in Lege præceptum est vt patres narrent filiis suis præcepta Dei & mirabilia quæ illorum gratia fecit, vt non obliuiscantur Dei, &c. Deut. 6. c. 20. [m] Paulus etiã exigit vt patres liberos suos erudiãt in disciplina & correptione Domini, Ephes. 6. a. 4. Et alibi requirit vt mulier à viro domi discat quæ cognoscenda sunt, 1. Cor. 14. g. 35. Hinc est quòd veteres Episcopi tam sedulò hortati sunt patresfamiliãs ad sacrarũ Scripturarum lectionẽ, quam laicis (vt vocãt) Papales Episcopi barbarica tyrãnide adimunt. *In diebus pristinis.* [v] Prioritatis, id est prioribus. q. d. Tempore ipsorum, tẽpore (inquam) prisco.

3 *Tu manu tua Gentes expulisti, & plantasti eos: afflixisti populos, & eos propagasti.*

Tu manu tua Gentes expulisti. [c] Hic versus est proximi expositio. nondum enim disertè notauerat opus illud Dei patrum sermone celebratum. Nunc ergo addit, [b] hoc opus & factum esse quod de Deo patres filiis suis narrarunt, Deum scilicet sola sua virtute & bonitate primùm Gẽtes Chananæorum solo suo pepulisse, [c] vt in earum locum filios Abrahæ plantaret, male illas mulctasse vt propagaret eosdẽ Abrahæ filios, [b] ac omnibus opibus & potentia florere faceret. *Et plantasti eos.* [e] Veteres incolas terræ Chanaan comparat arboribus, quia longa possessione illic radices egerant. Subita igitur quæ contigit mutatio, perinde fuit ac si quis reuulsis arboribus, in earum locum alias substituat. *Afflixisti populos, & propagasti eos.* [v] Ad verbum, Et emisisti eos, vel fecisti illos emittere, siue proiicere (sub. radicẽ) nempe patres nostros. Q. d. Fecisti vt patres nostri propagines expanderent. [c] Quia non satis fuisset populum vno die plantari, additur secunda metaphora, qua fideles factum Dei benedictione fuisse docent vt electus populus augesceret, sicuti arbor temporis successu tàm radicem quàm ramos longius emittens, magis confirmatur in loco quem occupat. [a] Prius ergo plantare, posterius germinare vel extendere germina posuit. Sic alibi Vates pleniore translatione, quum Israelem vineam vocasset, ecce nie translatam ex Ægypto, in terram Chanaan plantatũ. Et statim eodem verbo שלח vsus, ait, Extẽdisti propagines eius vsque ad mare, Infrà. 80. b. 9. 12. Ad verbum quidem hoc diceres, Proiecisti propagines eius: sed proiecisti dixit pro Fecisti germinare & propagines eius expandere. Sic ergo & hic verbum hoc שלח pro germinare vel propagare reddatur: nec obscurũ est animaduertẽti, id Psalmi authorẽ dicere voluisse, quũ verbo נטע (quod plantare significat) hoc verbi subiecit. Alii quidem etiam Hebræi de Gentibus eiectis sedibus suis intelligũt: sed perit sic gratia. germinatæ antitheseos. Vt enim præmisit Chananæos pulsos, & plantatos Israelitas, ita subiecit malis illos affectos. & iis datum vt radices agerent & germinarent. hoc est, fœliciter rebus omnibus augerentur. [c] Quorsum autem hãc Dei gratiam nunc prædicent fideles, notare operæpretium est. Nam inde sæpè nobis oboritur desperationis materia, dum colligimus nos à Deo esse repudiatos, quia non eadem quibus patres nostros dignatus est beneficia erga nos prosequitur. Esset autẽ absurdum, fideles, qui se ad precãdum comparant, tali obstaculo fiduciam suam impedire. Nos certè verum esse fatemur, quo magis in mentem nobis veniunt quæ Deus in alios contulit beneficia, eo maiore tristitia nos pungi, vbi rebus nostris aduersis non succurrit. Sed fides in aliom finem nos dirigit, vt statuamus nos quoque tãdem aliquid sensuros leuationis: quia Deus sui similis manet. Nec dubium est quin hoc consilio fideles nunc reuocent in memoriam quæ Deus in Ecclesiæ suæ salutem olim egerat, vt se in meliorem spem erigant: sicuti visum fuit suprà, 22. a. 4. Neque enim subsistunt in nuda comparatione, quæ diuortium faceret inter eos qui diuinitus fuerunt seruati, & qui nunc sub afflictionibus laborant & gemunt: quin potius vinculum sanctæ coniunctionis sibi proponunt in Dei fœdera, vt inde colligant ad se pertinere quicquid vnquam in Deo bonitatis experta est Ecclesia. Expostulant quidem primis verbis, quærentes quid sibi velit paterni fauoris interruptio: sed mox seipsos colligunt, quia succedit noua cogitatio de fide & constantia Dei, qui eos non minus quàm Patres adoptauit. Quanquam mirum non est in animis piorũ diuersos inter se affectus etiam precando cõfligere: sed Spiritus sanctus immodicum dolorẽ sedando, querimonias omnes cũ patientia & obediendi studio conciliat.

4 *Quia non gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & lux vultus tui: quia beneuolus fuisti erga eos.*

Quia non gladio suo. [b] Q. d. Non propriis armis patres nostri vicerunt Chananæos. *Et brachium eorum non saluauit eos.* [v] Non attulit opem illis. [c] Confirmat à contrariis quod nuper docuit. Nam si proprio marte & industria terræ hæreditatẽ adepti non sunt, sequitur aliena manu fuisse plantatos. Quanquam enim egressa est ex Ægypto magna multitudo hominum, tamẽ quum imbelles essent, & seruilibus tãtùm operibus assueti, statim consumpti fuissent ab hostibus, qui & copiis & virtute longè præstabant. Denique claris signis tam sua infirmitas populo quàm Dei virtus testata fuit: vt meritò fateri debuerint terram nõ suo gladio partam fuisse, & salutem Dei manu sibi fuisse ablatam. *Sed dextera tua.* [a] Dei dextera pro eius auxilio & virtute sumitur in Scripturis, vt suprà, 18. e. 36, & infrà, 60. b. 7, & 108. b. 7, & multis aliis locis. *Et brachium tuum.* [c] Dexteræ coniungitur brachium amplificãdi causa, vt sciamus nõ vulgari modo seruatos fuisse patres: [a] sicuti sæpe Deus testatur se redemisse eos brachio extento, Deuter. 5. b. 15, & 2. Reg. 17. g. 36. *Et lux vultus tui.* [c] Lumen vultus hoc loco (vt alibi) pro fauoris declaratione capitur: quia sicuti Deus faciem suam oppositis miseriis quodammodo obnubilat & contrahit, sic rursum Israelitæ, quum eius virtute freti hostes sine magna difficultate longè latéque prosternerent, serenam & lucidam eius faciem intuiti sunt, acsi palam se illis propinquum ostenderet. [a] Qua de re vide suprà, 4. b. 8, & 41 b. 6. Notanda autẽ ratiocinatio est qua vtitur Propheta. populum gratuito Dei dono terræ esse hæredẽ, quia virtute sua eam minimè acquisierit. Tunc enim demum tribuere Deo incipimus quod suum est, vbi expẽdimus quàm nihili sint vires nostræ. Et certè quòd malignè sepeliunt vt plurimum Dei beneficia homines, non aliunde fit nisi quòd falsa imaginatione aliquid sibi proprium arrogant. Quare hæc optima gratitudinis ratio, vbi stulta propriæ virtutis opinio euanuerit. [m] Proinde discamus nostris viribus nihil, Deo autem omnia tribuere: nihil in bello esse armorum apparatum, nisi adsit dextera & brachium Dei. Quæ est ergo hodie insania eorum qui victoriam vel viribus vel armis suis pollicentur, illorumque tantam curã habent, Dei non habent! Ergóne (dicet quispiam) omnis armorum vsus abiiciendus? Nequaquam. nam & isti ipsi, licet Deo adscribant omnia, armis tamen vsi sunt, & inimicos ipsi percusserunt & conculcarunt, sicuti versu 6. videbimus. Sed quid opus erat armis vti, si brachium Dei pro populo suo pugnauit? vt & Moses promiserat, dicens, Dominus pugnabit pro vobis: vos tacebitis, Exo. 14. c. 14. Si nihil possunt vires nostræ nostráque arma, sed Deus agit omnia solus, quis vsus est nostrarum virium? Sed hac de re vide suprà, 20. b. 8. *Quia beneuolus fuisti erga eos.* [v] Quia voluisti eos, vel diligebas eos. [c] Hic ponitur illustrius gratiæ Dei elogium, vbi tota causa in Dei beneplacitum confertur. Neque enim aliquã in Abrahæ persona dignitatem Propheta fingit, vel in eius posteris aliqua merita fabricat cur tam liberaliter cum ipsis egerit Deus: sed totum adscribit Dei beneplacito. Quod sumptum videtur ex Mosis contestatione, Non quia plures essetis aliis gentibus vel præstantiores, elegit vos Deus, sed quia dilexit patres vestros, Deut. 4. f. 37. Etsi autẽ specialis hic fit mẽtio terræ Chanaan, generale tamen sumpsit principium Propheta, cur populum illum in gregem suum censere dignatus sit. Et certè hic fons & origo est Ecclesiæ, nempe gratuitus Dei amor: & quibuscũque beneficiis prosequitur Deus suã Ecclesiam, ex eodem fonte manat. Ideo quòd collecti sumus in Ecclesiam, quòd fouemur ac protegimur Dei manu, causa non alibi quàm in Deo quærenda est. Nec verò hic de communi beneuolentia agitur, quæ se extendit ad totum humanum genus: sed distinguitur electus populus à reliquo mundo, & discriminis causa ad merum Dei beneplacitũ refertur. [a] Hunc fidei sensum ostendit Apostolus, quũ dixit, In his omnibus superamus per eũ qui dilexit nos, Rom. 8. g. 37. Et alibi, Per fidem viuo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal. 2. d. 20.

5 *Tu ipse rex meus, Deus manda salutes Iacob.*

Tu ipse rex meus. [b] Hoc versu clarius exprimunt quod paulo antè attigimus, nempe Dei bonitatem non solùm in liberando populo fuisse conspicuam, sed per continuas ætates fluxisse. Ideo dicit, Tu ipse rex meus. Hoc enim valet demonstrationem. ac si Propheta longam beneficiorum Dei seriem in prima redemptione contexeret: vt appareat, Deum, qui semel redẽptor fuerat populi sui, nõ dissimilem fuisse erga posteros. Nisi fortè emphaticè positum sit asserendi causa, vt omnibus aliis exclusis ac valere iussis, Deum vnum salutis suæ præsidem celebrent. Hinc precationem quoque deducunt, dicentes, *Deus manda salutes Iacob.* [a] Hebraismus, pro, Iube vt seruetur verus Israel. vel, Eripe verũ Israelem de tantis tribulationibus. [c] Orant vt Deus nouas salutes ordinet ac emittat populo suo. Nam quia innumeros seruandi modos in manu habet, salutes dicitur, quasi nuntios, quocunque visum fuerit, destinare.

6 *In te hostes nostros cornu petemus: in nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos.*

In te hostes nostros cornu petemus. [a] Futura huius versus per præterita rectè vertuntur, vel per præterita imperfecta, Cornu percussimus, conculcauimus, vel conculcabamus. [c] Nam exponit Propheta quomodo se Deus Regem populi ostenderit: tantum enim virtutis suppeditasse vt cunctis hostibus essent formidabiles. Nam huc pertinet similitudo à tauris sumpta, plusquam humano robore fuisse instructos, vt quicquid obuiũ esset, cornibus disiectum ac prostratum calcarẽt. [b] נגח enim cornu petere significat, vt Exod. 21. f. 28, & alibi videre est. *In nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos.* [c] In Deo & In nomine Dei idem valent: nisi quòd posterior loquutio significat, victorem ideo fuisse populum, quia sub Dei auspiciis militabat. [a] Sic alibi dicitur, In Deo faciemus virtutem: & ipse cõculcabit tribulantes nos, Infrà, 60. c. 14. [c] Cæterùm quod de patribus nuper fideles dixerant, nunc applicant ad seipsos: quia idem erat Ecclesiæ corpus. Et consultò id faciunt ad colligendam fiduciam: quia si à patribus se disiungerent, diuersa ratio cursum gratiæ Dei quodammodo interrumperet. Nunc vbi datum sibi esse fatentur quicquid in patres Deus contulerat, securè petere licet vt continuet opus suum.

7 *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non seruabit me.*

Non enim in arcu meo sperabo. [a] Hic sancti quod cecinerũt prioribus, magis exprimunt, negantes se ipsos suo arcu, nec adiutos esse suo gladio, sed Deum victoriã de hostibus retulisse. [a] Arcus & gladius ponuntur hic per synecdochen pro omnibus belli instrumẽtis: veluti quum Iacob dicebat Ioseph filio suo, Ego verò dedi tibi portionẽ vnam vltra fratres tuos, quam accepi è manu Emorrhæi gladio meo & arcu meo, Gen. 48. d. 22. Et alibi, Et misi ante vos crabrones, qui expulerunt eos à facie vestra duos reges Emorrhæi, nõ gladio tuo nec arcu tuo, Ios. 24. c. 12. *Et gladius meus non seruabit me.* [b] Hoc est, Vana sunt omnia huius mundi adiumenta nisi Dei virtus se exerat. [a] Sic alibi, Non seruatur rex in multitudine exercitus, nec gigas eripietur in multitudine roboris. Fallax equus ad salutẽ, & in multitudine virtutis suæ non liberabit, Suprà, 33. c. 16. [c] Itaque tenendum est quod suprà admonuimus, hac ratione fideles Deo in solidum adscribere suas victorias quia nihil tale gladio vel arcu suo cõsequi poterant. Antithesis enim ista melius illustrat Dei gratiam, vbi reputamus quãta sit nostra inopia, & quàm nihil simus extra Deum.

8 *Sed seruasti nos ab hostibus nostris, & odio habentes nos pudefecisti.*

Sed seruasti nos ab hostibus. [b] Q. d. Tua sola virtute & potentia hostium sæuitiam euasimus. *Et odio habentes nos pudefecisti.* [c] Fatentur non modò diuinitus se fuisse seruatos, sed etiam ab eodem Deo expulsos fuisse hostes & pudefactos: [a] vt non dubitemus eundem exitum manere eos omnes qui Deo rebelles & eius populo infesti extiterint.

9 *In Deo laudabimus omni die, & nomini tuo in seculum confitebimur. Selah.*

In Deo laudabimus omni die. [a] In Deo iactabimus nos, vel gloriabimur. [b] Hoc est, sic per Deum præclarè adiuti, & hostibus nostris superiores facti, de Deo hoc nostro tã præsente seruatore gloriabimur. [c] Est itaque cõclusio primæ partis huius Psalmi. Nam in summa agnoscunt tantam seculis omnibus fuisse Dei bonitatem erga filios Abrahæ, vt continua gratiarum actionis materia suppeteret. Perinde enim ac si adhuc in re præsenti forent, assiduam se Deo laudem debere agnoscunt: quia non vno seculo vel exiguo tempore, sed continuis ætatibus floruerint. Nam quicquid fœliciter cõtigerat acceptum referunt eius gratiæ. Et certè tunc demum ex rebus prosperis sancta & rite composita lætitia cõcipitur, dum erũpit in laudes Dei. Ergo versum hunc meminerimus ad lætum illud tempus referri quo Deus populum suum fauore prosequebatur. Deinde hic fideles testari suam gratitudinem, dum omni falsa iactantia deposita, fatentur ab vno Deo profectas esse omnes victorias quibus in sublime elati fuerant, & vnica eius virtute se hactenus stetisse incolumes. Tertiò, non semel vel iterum duntaxat sibi datam canendi fuisse causam, sed longo temporis successu varia paterni fauoris documenta sibi exhibita fuisse, [a] vt meritò longa eorum possessio spem eorum stabilire debuerit. Non ergo abs re dicunt, *Et nomini tuo in seculum confitebimur.* [a] Et nomen tuum in æternum celebrabimus. [a] Ergo laus illa cuius initio versus meminerunt, nihil aliud erat quàm confessio & prædicatio nominis Dei, quòd nimirum solus verus Deus & sperantium in se seruator est. *Selah.* Hanc particulam adiiciunt, volentes scilicet monere tam ingentem sortis diuersitatẽ summè memorandam esse.

10 *Veruntamen repulisti & erubescere fecisti nos, & non egredieris cum exercitibus nostris.*

Veruntamen repulisti. [m] Hoc versu & sequentibus vsque ad 24 expostulatione quadam [c] præsentes ærumnas & extremam calamitatem sancti deplorant, [a] dicentes omnia secũ in diuersum immutata. [c] Nam mutatio describitur quæ nõ modò testetur Deum à solita beneuolentia destitisse, sed palam esse aduersum populo suo & infestum. Primò queruntur se per odium fuisse reiectos. Id enim propriè significat verbũ זנח: quod abominari non malè vertitur: nisi quis malit Obliuisci, vel longè abesse. [a] Ac si dicerent, Nunc non solùm non audis preces nostras, sed etiam abominaris nos & reiicis à conspectu tuo. *Et erubescere fecisti nos.* [m] Vel, protexisti nos. Alii, & confudisti siue ignominiæ exposuisti nos. [c] Queruntur se probro fuisse expositos: quia scilicet nudatis Dei præsidio infœliciter omnia succedere necesse fuit. quod etiam mox declarant, dicentes, *Et non egredieris cum exercitibus nostris.* [b] Q. d. Antea ita egrediebaris inter signa populi tui veluti dux vel antesignanus, vbi ad bellãdum prodibant vt hostes suos velut cornibus ventilarent, planéque conculcarent, eóque spoliis eorum potirentur, sempérque ob victoriam laudes tibi decantarent: nunc verò sic à te repulsi sumus vt non egrediaris nobiscũ ad prælium: [a] quum tamẽ scias nos hostibus minimè pares esse: tantum abest vt illis superiores victoriam referre possimus. [m] Iterum hoc loco admonemur victoriam belli Deo ascribi. Is si non adfuerit, nihil aliud expectandum quàm quod hic queruntur fideles. Nostrum secu lum ponit carnẽ brachium: ideo maledictioni obnoxium est, Ierem. 17. a. 5. Non dicunt isti fideles de quibus Psalmus canit, Non sunt in bellum egressi exercitus nostri: sed, Tu non es cũ illis egressus. Vide historiam, Numer. 14. g. 40, & Deut. 1. g. 41.

11 *Reuerti fecisti nos retrorsum ab hoste, & odio habentes nos diripuerunt sibiipsis nostras opes.*

Reuerti fecisti nos retrorsum ab hoste. [a] Conuertisti nos vt tergũ ab hoste esset. id est, Vertisti nos in fugam cõrã hoste, Nos hosti vertere terga cogis. Præterita pro præsentibus. [c] Longius itaque extendunt suas querimonias, quòd Deus ipsos in fugam coniecerit, quòd in prædam & cibum exposuerit. Nam quia sanctis hoc persuasum est, fortes & animosos esse homines quatenus eos Deus sustinet arcana sua virtute, statuunt in fuga & trepidatione diuinitus metum incuti, vt ratio & cor deserãt miseros homines. Atque hæc sententia sumpta est ex Lege, vbi dicit Moses, Quomodo coram vno fugerent mille, vel duo fugarent decem millia, nisi quia Dominus tradidit nos, & conclusit in manum hostium: Deu. 32. e. 30. Quum ergo hoc fidelibus testatum foret, non imputant fortunæ quòd expauescunt ad hostium conspectum, in quos prius intrepidè fortes impetus facere soliti erant, sed cælesti decreto fieri sentiunt vt agantur retrorsum. Et sicuti antea confessi sunt fortitudinem suam priorem fuisse donum Dei, sic vicissim timiditatem à Deo sibi inflictam esse agnoscunt. Vbi autem Deus ita animos fregit, dicunt se patere hostium libidini. Sic enim exponi debet particula למו, quòd hostes pro arbitrio & sine vlla repugnãtia quasi suam prædam diripuerint.

12 *Dedisti nos quasi oues in cibum, & in Gentes dispersisti nos.*

Dedisti nos quasi oues in cibum. [a] Posuisti nos vt oues escæ. q. d. Reddis nos similes ouibus cibo selectis, & mactationi destinatis. acsi dicant, Partim occidis nos, partim in Gentes dispergis. [c] Eodem pertinet hæc cõparatio quò superior. Nam Propheta significat iam ante prælium deuictos, ad satiandam hostium ingluuiem, vltro ante pedes iacuisse. Notandum verò est Deum fieri harum calamitatum authorem, non obstrepẽdi causa, sed

vt confidentius ab eadem manu quæ percussit & vulnerauit, remedium petant fideles. Et certè fieri non potest vt qui fortunæ imputant sua mala, seriò ad Deum confugiant, vel ab eo auxiliũ expectent & salutem. Quare vt medeatur Deus nostris miseriis, statuere conuenit non esse temere vel casu accidisse, sed eius manu esse inflictas. ^a Apta verò similitudine vtũtur fideles. Sicut enim solent qui oues ad lanificium posteritatémque enutriunt, illas ab iis quas macello destinauerunt seligere, atque ita selectis à grege, reliquas iugulandas laniis tradere: ita Iudæi videbantur præ aliis populis neci destinati. Nam multa passim perpessi sunt, partim ab hostibus sæuissimis trucidati, partim fugati captique, ac vilissimo vendíti pretio. *Et inter Gentes dispersisti nos.* ^c Vbi se proiectos hostibus dixerunt, simul addunt se dispersos inter Gentes: quæ dissipatio centum mortibus erat acerbior. Nam quum tota illius populi fœlicitas in eo posita esset vt sub Deo vno & rege vno collecti vnum essent corpus, misceri Gentibus quasi lacera membra, signum fuit extremæ maledictionis. ^a quemadmodum Dominus ipse in sua Lege comminatus fuerat, Leuit.26.e.33, Deut.28.e.49.

13 *Vendidisti populum tuum nullis diuitiis, neque multiplicasti [rem tuam] pretiis eorum.*

Vendidisti populum tuum. ^v Hebræus habet Vendes, pro vendidisti, vel vendis, vt quidam vertunt. *Nulla diuitiis.* Ad verbum, In non opibus, siue pro non opibus. Id est nullis opibus & gratis, nullius pretii nos reputans. Nonnulli vertunt, sine pretio: alii, sine lucro. ^c Significant fideles se prostitutos quasi vilia & nihili mancipia. Interea tamen quum addunt *Tuum*, spem aliquam futuræ redemptionis significant. acsi dicerent, Etsi miserè nobiscum agitur, sæuiuntque hostes aduersus nos, nos tamen tui sumus, quibus opem in tempore feres. *Neque multiplicasti [rem tuam] pretiis eorum.* ^v Q.d. Vendis populum tuum ita vt rem tuam non augeas. Vel potius, Nec multiplicasti precia eorum, siue auxisti, in licitãdo scilicet, quũ distraheres eos. ^c Nam videntur ad morem licitandi alludere. Scimus enim vænales seruos non antè fuisse addictos emptoribus quàm licitatio pretium auxisset. Intelligunt ergo, quia pro nihilo habiti fuerint, se fuisse proiectos, vt deterior esset sua cõditio quàm omnium seruorum. ^a Significant etiam ingentem fuisse copiam & vilitatem captiuorum. Quòd autem se potius ad Deum conuertunt quàm ad hostes, de quorum crudelitate conqueri iure poterãt, hinc discamus nihil melius nobis esse vel vtilius quàm in rebus aduersis reputare Dei prouidentiã & iudiciũ. Etsi enim vbi nobis molesti sunt homines, cũ diabolo qui eos instigat, nobis negotium est, ad Deum tamen ipsum conscendere necesse est, vt sciamus ab eo nos probari & examinari, siue vt nos castiget, siue vt patientiam nostrã exerceat, siue vt vitiosos subigat carnis nostræ affectus, siue vt nos humiliet erudiátque ad nostri abnegationem. ^a Nam his de causis solet Dominus suos variis afflictionibus probare ac erudire. ^c Adhæc, quũ audimus tam probrosè habitos fuisse qui sub Lege vixerunt patres, non est cur nos vllæ contumeliæ deiiciant siquando huc nos Deus pertrahat. Neque enim hic Deus simpliciter quemlibet populum, sed suum vendidisse dicitur, acsi iam contemptibilis esset ei sua hæreditas. Ac idem hodie etiam licebit in precibus nostris conqueri, modò fidem nostram fulciat hoc exemplum, ne animos quantumuis afflicti despondeamus. Etenim nouit ille benignus Pater qui in cælis est, suos è tentatione eripere, 2.Pet.2.b.9. & affligentibus afflictionẽ reddere, 2.Thess.1.b.6. Cæterùm alio sensu dicit Deus apud Esaiam, cap. 52. a.3, populum à se venditum sine pretio, vt doceat nihil sibi in illis redimendis fore negotii, quia fidem emptoribus non habeat obstrictam.

14 *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisionem iis qui sunt in circuitibus nostris.*

Posuisti nos opprobrium vicinis. Vel, exponis nos probro. ^v Memorant se haberi præterea omnibus ridiculo & ludibrio. ^a Loquuntur autem de vicinis, quibus omnibus vel simultas, vel apertum odium erat cum populo Dei. ^c Ac sæpe quidem accidit vt vicinitas, quæ ad conciliandum mutuum amorem valere debebat, inuidiam, discordias & contentiones generet. Sed peculiaris fuit ratio in Iudæis, qui omnibus inuitis terram occupauerant, & quorum religio apud alios quasi belli classicum erat. Erat etiam in multis peruersa æmulatio, vt Idumæis, quibus Circuncisio inflabat animos, acsi Deum Abrahæ ipsi quoque colerent. Hæc verò maior fuit indignitas, subiici eorum ludibriis quibus propter verum Dei cultũ exosi erant. ^a Et sanè incomparabilis fuit & est hodie eorum qui veri Israelitæ sunt, & inter impios agunt, ignominia, derisio & subsannatio. Ideo tot eam verbis Propheta descripsit. *Iis qui sunt in circuitibus nostris.* ^v Vel circum nos. Mali atrocitatem alia circunstantia amplificant fideles, quòd vndique hæc probra ingerãtur: quia toto circuitu obsessi erant ab hostibus, vt ne momentum quidem illis quietum foret à molestia, nisi mirabiliter fuissent à Deo protecti. Fecisti (inquiunt) nos tam abominandos vt non modò qui procul dissident à nobis hostes, nobis infesti sint, sed etiam qui circum nos habitant, à quibus nonnihil iuuari deberemus vel ipso vicinitatis nomine. ^c Ipsi autem non habent probiũ grauius quàm sortem nostram.

15 *Posuisti nos prouerbium in Gentibus, commotionem capitis in populis.*

Posuisti nos prouerbium in Gentibus. ^v Vel fabulam. Hebraismus, pro, Facis vt fabula simus Gentibus. Alii similitudinem. Id est, Facis vt dicant Gentes de re vili, Hæc est res tam vilis quam Iudæus. Vel de homine calamitoso, illum esse infœliciorẽ Israelita, siue Iudæo. ^c Queruntur se inter Gentes proculdissitas communem fuisse fabulam. Quanquam nomen משל (quod prouerbium vertunt) possit tam pro graui imprecatione quàm pro dicterio sumi: sensus tamen eodem redit, nullum fuisse sub cælo magis detestabilem populum: quia vulgò eius nomen contumeliæ causa inter prouerbiales figuras volitaret. ^a Et certè sub Antiocho, & postea sub Romanis, Iudæorum nomen habitum est tanquam probrosum & ignominia plenum. *Commotionem capitis.* ^a Motionis capitis ideo meminerunt vt ostendant exteros populos tanta populi Dei calamitate vehementer fuisse delectatos. Animi enim assensum capitis mutatione testamur. Hac sanè causa Iudæi capita mouebant crucifixo Seruatori, Matth. 27. e.39. Vide etiam de capitis agitatione Psal. 22.b.8. ^a Dubium autẽ non est quin Dei vindictã, cuius mentio fiebat in Lege, fideles in se compleri animaduerterint. Nam quò melius se expergefacerent ad considerãda Dei iudicia, quicquid pœnarum de ipsis exegit, cum eius minis conferre curæ illis fuit. Lex autem ista Gentium ludibria, quæ cõmemorant, ad verbum denuntiauerat, Deut.28.d.37. *In populis.* Quum dicit Vates In Gentibus & in populis, emphatica repetitione vtitur: quia minimè consentaneum erat vt profanæ Gentes populum à Deo electum suis blasphemiis proscinderent. ^a Vnde alibi dicitur, Nequando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? Psalm. 115.a.2. ^c Porrò non abs re conquestos esse Iudæos vel vnus Ciceronis locus pro Flacco luculentè testatur, vbi profanus ille rhetor pro sua superbia non minus Deo quàm Iudæis insultat, satis constare gentem esse diis inuisam, quæ tot cladibus subinde attrita, ad extremum misera seruitute oppressa erat.

16 *Quotidie verecundia mea coram me est, & pudor faciei meæ obtegit me.*

Quotidie verecundia mea. ^v Vel, omni die, tota die. Hoc longã durationem significat: ^c sed potest accipi pro toto vel integro die à mane vsque ad vesperum, vel pro dierum recursu. Vtranuis expositionem eligas summa est, nullum esse malorum finẽ. ^a Nam queritur Vates perpetuam & multo maximã hanc ignominiã fuisse, iugiter scilicet perstrepẽtibus cõuiciis, quæ inimici & vltores (sic enim hostes Scriptura vocat, vt & Psalmo 8.a.3 videre licet) iactabant. ^c Quòd autẽ numerus iterum mutatur, nihil absurdi est concipi totius Ecclesiæ sermonẽ quasi in persona vnius hominis. Pro verecundia quidam ignominiam, alii opprobrium vertunt. Q.d. Omni tempore ignominia qua afficior, versatur mihi ob oculos, nec possum eius obliuisci. *Et pudor faciei meæ obtegit me.* ^v Vel (vt alii malunt) & ignominia vultus mei obtegit me. Id est, pudor quo vultus meus suffunditur, totam faciem meam occupat. ^c Ostẽdit cur fideles pudore obruti vultum & oculos attollere non audeant, quia nulla datur à petulantia & hostium conuitiis respiratio. Nam si permissum fuisset in latebras se abdere, deuorassent vtcunque in silentio suas miserias: sed vulnus duplicatum est quum proteruè illuderẽt hostes. ^v Hunc ergo malorum cumulum sibi impositum esse deplorant, quòd assiduè cogantur probra & blasphemias audire. Itaque ingem fuisse hanc populi Dei ignominiam asserit Propheta.

17 *Propter vocem probra iacientis & contumeliis afficientis, propter inimicum & vltorem.*

Propter vocem probra iacientis. ^a Vel, A voce opprobrantis & conuiciantis. ^a Loquitur autẽ de conuitiis quæ non tam in Dei populum quàm in ipsum Deũ iactabãt hostes. *Propter inimicum.* Ad verbum, A facie inimicorum. Id est, propter inimicos, qui iactant se à te commissos vt de me pœnas sumant. *Et vltorem.* ^c Fideles vocãt suos hostes vltores: quo nomine apud Hebræos truculentia & crudelitas notatur cum fastu coniuncta.

18 *Totum hoc venit nobis, nec [tamen] obliti sumus tui, nec mentiti sumus in pacto tuo.*

Totum hoc venit nobis. ^v Vel, venit super nos. hoc est, hæc omnia nobis acciderunt. ^c Quũ prius Deo adscripserint quicquid patiebantur malorum, si nunc se immeritò affligi dicant, Deum

insimulāt iniustitiæ, ita iam nō sancta esset precatio, imò sacrilega blasphemia. Quis enim se immeritas à Deo pœnas ferre auderet dicere? Sed notandū est, fideles, etiāsi in suis rebus aduersis apertas causas non perspiciant, manere tamen in hoc principio defixos, constare Deo rationem cur eos tam seuerè & duriter tractet. Simul tamen notare operæpretium est, hic non de tempore præterito verba fieri, sed potius in medium proferri tolerantiam, quæ non vulgare pietatis signum erat, quum obedienter Dei iugo collum subiicerent. Itaque fideles commemorant, quamuis tot malis à recto cursu abripi potuerint, se tamen non oblitos fuisse Dei, quin semper eum colerent, licet minus propitium ac clementem. Nec tamen (inquiunt) obliti sumus tui, hoc est, non abiecimus cultum tuum, te semper ex animo colimus, nec inter graues ac duras tentationes à te defecimus. Non ergo prædicant superiorum temporum virtutes, sed tantùm obiiciunt se inter medias afflictiones constanter retinuisse Dei fœdus. Et certè satis constat, longè antequam sæuiret Antiochus, populum multis corruptelis fuisse refertum, quæ Dei vindictam prouocarunt: vt iactari ab ipsis non debuerit quæ hic laudatur integritas. Verum quidem est, vt paulo post videbimus, Deum illis pepercisse: vt ob eius nomen magis quàm propria delicta afflicti fuerint: sed hæc Dei indulgētia efficere non debuit vt se eximerent reatu. Ergo nihil aliud nunc quàm suam patientiam in medium proferunt, quia in Dei timore inter tam graues afflictiones perstiterant.

Nec mentiti sumus in pacto tuo. Vel, Nec præuaricati sumus in fœdus tuum. Quidam, Nec peruersè egimus in testamento tuo. Alii per præsens, Nec irritū reddimus fœdus tuū. aut, Nec perfidi sumus in fœdus tuum. Negant se fuisse fallaces vel perfidos in Dei fœdere: quia tunc maximè retegitur hominum impietas, vbi præter animi sententiam vrgentur. Non perfidè in Dei fœdere sese habere, est non aliter atque decet eos qui Deo nomen dederunt, ex præscripto illius viuere.

19 *Non vertit se retrorsum cor nostrum, neque declinauit gressus noster de semita tua.*

Non vertit se retrorsum. Vel (vt quidam vertunt) Non deflexit retro cor nostrum. Non agitur retrorsum, non retrocedit. hoc est, amorē nequaquam in alia transtulimus. Eundem etiam habet sensum quod sequitur, *Neque declinauit gressus noster de semita tua.* Nam hoc posterius prioris est exegeticum. Viarū enim directione, (id est externis operibus & tota vita) testamur cor nostrum sincere Deo addictum esse. Quoniam autē verbum Hebræum תט transitiuè accipi potest, & nulla negatio præcedit, quidam hanc particulam versus legunt in hunc modum, Declinare fecisti gressum nostrum: vel, declinasti gressus nostros à semita tua. acsi hic de eo quærantur de quo & apud Esaiam, capite 63, d.17, questos legimus, Quare nos errare fecisti, vt non ambulemus in viis tuis? Verùm etsi probabilis est illa lectio, sensus tamen diuersus est ab eo quem faciunt. Nam querimonia huc potius tendit, quoniam Deus manum suam ab illis subduxerit, miserè per deuia errasse. Nam semitæ Dei non semper referuntur ad doctrinam, sed ad secundos & optabiles euentus.

20 *Quum contriuisti nos in loco draconis, & operuisti nos umbra mortis.*

Quum contriuisti nos. Quum contereres, vt ad sequentia referatur. Alii, Nam percussisti nos. aut, Licet atteiueris nos, referentes ad præcedentem versum. Cohærent enim hi tres versus, & pendet sententia vsque ad illam clausulam versus 22, Ipse nouit abscondita cordis. Pluribus autem verbis recitant quod nuper vidimus, etiamsi in profundum malorum fuerint demersi, stetisse tamen rectos in suo gradu. *In loco draconum.* Si expendimus in quas fuerint Iudæi redacti angustias, non videbitur nobis hyperbolicum quod se dicunt vsque in abyssum fuisse contritos. Nam per locum draconum profundissimos maris gurgites intelligimus, ideóque תנים potius de balænis interpretamur, sicuti & pluribus aliis locis. Atque hāc sententiam confirmat posterius mēbrum, vbi queruntur se fuisse opertos vmbra mortis: quod tantundem valet ac fuisse absorptos à morte ipsa.

Et operuisti nos umbra mortis. Vmbrā mortis pro afflictionibus grauissimis posuit (sicuti iam diximus) quæ ab homine nō facilè sustineri possunt. q.d. Etiamsi fuerimus obruti morte ipsa, non tamen timorem tui abiiciemus.

21 *Si obliti sumus nominis Dei nostri, & expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

Si obliti sumus nominis Dei nostri. Hoc est, nō ingrati eo fuimus vt inter nos cessaret pura nominis Dei inuocatio. Semper Deū colimus etiamsi inter eos versaremur qui illum summis blasphemiis afficiebant. *Et expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Id est, diis alienis minimè seruiuimus. Nam expandere manus suas ad Deum alienum est ab illo noua subsidia quærere, & in illo spes nostras reponere: quum ad solum Deum confugere nos oporteat, & ab illo solo quicquid est bonorum petere. Sciamus autem in his verbis dictari nobis à Spiritu sancto precandi formā, ideóque iunctā fortitudinem nobis præcipi, quæ nos sub malorū omnium cōgerie sustentet: vt verè testari liceat, etiā in summa desperatione nos sperasse in Deo, nullis tētationibus excussum nobis fuisse eius timorem, nulla denique mole afflictionū fuisse fractos, quin semper in eum respexerimus. Sed locutiones quibus vtūtur, propius notare operæpretium est. Nam vt ostendant se purum retinuisse Dei cultū, animis & manibus nonnisi ad vnum Deum Israel se intentos fuisse asserunt. Neque enim satis fuisset confusam aliquam opinionē deitatis apud se fouere, nisi vera religio apud eos viguisset. Nam & qui Deo obmurmurant, quanuis cogantur numen aliquod agnoscere, fabricant tamen sibi Deum pro arbitrio. atque hoc Diaboli artificium est, quia non statim potest è cordibus hominum euellere omnem religionis sensum, mentes nostras concutere his machinis, quærendum esse alium Deum, vel quem hactenus coluimus alio modo placādum esse, vel aliunde quàm ex Lege & Euangelio petendam esse eius gratiæ certitudinem. Quum ergo inter malorum agitationes & fluctus plusquā difficile sit rectè compositos in pura fide manere, sedulò tenenda est ista obtestatio, quòd sancti Patres miseriis omne genus cōfecti non destiterint tamen recumbere in verum Deum. Quod etiam clarius deinde in contextu exprimunt, Non expandimus manus nostras, &c. Quibus verbis significant se vno Deo contentos nō habuisse spes huc & illuc diuisas, neque circumspexisse vt alia subsidia quærerent. Vnde colligimus, quicunque animos suos distrahūt in spes varias, obliuisci veri Dei: cui nō tribuimus suum honorē, nisi in eo solo acquiescimus. Et certè in legitimo eius cultu primum gradum obtinet fides, & quæ inde nascitur inuocatio: quia præcipua gloriæ suæ pars ei eripitur, dum extra eum quærimus vel minimam salutis nostræ partem. Meminerimus ergo hoc verūm esse pietatis examē, vbi in abyssos deiecti, oculos, spes & vota dirigimus in solum Deum. Quo conuincitur impietas Papatus, vbi postquam verbo tenus confessi sunt se credere vnum Deum, prostituunt eius gloriam ad creaturas. Notandó est etiam quòd fideles præmittunt idololatriæ obliuionem nominis Dei. Quo admonemur, neminem posse ad Deum alienum erigere palmas qui non sit oblitus nominis Dei sui. Quod verò est illud nomen Dei? quòd sit protectos omnium in te sperātium, propitius, clemens, omnipotens, &c. De manuum eleuatione dictum est suprà, 28.a.2.

22 *Annon Deus requiret hoc? quia ipse nouit abscondita cordis.*

Annon Deus requiret. Alii legunt, Exquireret, inquireret, id est, exploratum haberet disquisitione facta. Quidam, scrutabitur. *Quia ipse nouit abscondita cordis.* His verbis ostendit Vates Deum latere non posse siquis, etiam quum in infimum vsque miseriarum detrusus est, animum ab ipso alienet: ita nec impunè id admissurum: eóque se in pietate semper, quamlibet extremis malis miseros, fortissimè perstare. Porro grauis est & seria hæc fidelium obtestatio, dum audent Deum suæ integritatis arbitrū statuere. Vnde constat eos non egisse causam suam coram mūdo, sed secum loquutos quasi ad Dei tribunal. Confidentius etiam addunt nihil Deo esse absconditū. Vnde enim fit vt sæpe Deum testem citent hypocritæ, nisi quia dum fuco obtegunt suam prauitatem, se ex Dei iudicio elapsos esse putāt: atque ita transfigurant Deū, quasi suis fallaciis oculos eius perstringerent? Quoties ergo prodimus in cōspectum Dei, veniat simul in mentem eius memoria, quoniam est cordium cognitor, vanis coloribus nihil apud eum profici.

23 *Certè propter te occidimur omni die: æstimati sumus tanquam oues mactationis.*

Certè propter te occidimur. Quidam vertunt, Imò propter te, &c. q.d. Tantum abest vt ista fecerimus, vt sæpe non refugerimus mortem propter te. Sed rectius alii. Quandoquidē vel certè propter te occidimur. Queruntur enim fideles se propter Dei nomen & religionem quotidie occidi, haberi planè vt gregem mactationi destinatū. Atque hac alia ratione Dei misericordiam sibi conciliant, quia non ob sua maleficia plectantur, sed tantùm propter Dei nomen infestos sibi habeant incredulos. Videtur quidem primo intuitu stulta esse querimonia. Nā speciosior fuit illa responsio Socratis in obiurganda vxore, quū diceret satius esse insontem perire quàm sua culpa. Imò consolatio quam proponit Christus, videtur longè ab his verbis differre, Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam, Matt. 5.a.10. Item Petrus, Siquis propter nomen Christi patitur, hæc potius materia est lætitiæ & gratulationis, 1.Pet.4.c.14. Responsio, Quanuis optimū sit doloris solatiū causam nobis esse coniunctam cum Christo, non tamen perperam & frustra fideles

Deo obiicere, indignè se eius causa affligi, quò se acrius vindicem opponat: quia æquum est rationem ab ipso haberi suæ gloriæ, cui tunc insultant impii dum proteruè sæuiunt contra eius cultores. [a] Vnde alibi dicitur, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam. Vtquid dicent Gentes, Vbi est nunc Deus eorum? Infrà, Psal. 115.a.1. [c] Hoc verò clarius patet, quo tempore in exilio languebat populus, vel Antiochus vastabat Ecclesiam, compositum fuisse hunc Psalmum: quia tunc religio afflictionum causa fuit. Nam Babylonios ad rabiem adigebat populi constantia, quum viderent à victis & profligatis suas superstitiones adhuc damnari: & tota Antiochi rabies ad extinguendum Dei nomen ferebatur. *Quotidie.* [v] Aut (vt alii vertunt) omni die. [c] Augetur hic indignitas, quòd impiorum libidinem adeo non compescit Deus, vt laxatis habenis in sua truculentia pergant. Dicunt ergo se quotidie occidi, deinde addūt, *Æstimati sumus tanquam oues mactationis.* [v] Vel, ad iugulandum destinatæ. Significant se fuisse contemptibiles, & no alio esse in pretio quàm oues mactationi destinatas. [c] Iā aptanda est in vsum nostrum doctrina, ac primò tenendum est illud, exemplo patrum placidè ferēdas esse afflictiones quibus sanciēda est fidei nostræ cōfessio. deinde in profundissimis mortis tenebris constanter inuocandum esse Dei nomen, & in eius timore perstandum. [h] Paulus Apostolus hunc versum citat Rom. 8.d.13, de persecutione loquens quam tum patiebantur Christiani, eumque non querimoniæ, sed magis consolationis & gloriādi gratia vsurpat. Vnde discimus quæ sit sanctorum sors in hoc mūdo, non in vno dūtaxat, sed vtroque Testamento. Oues sunt, non lupi: occiduntur, non occidunt: occiduntur autem propter Deum, non propter aliqua scelera: imò non solùm occiduntur, sed cū summo cōtemptu, sine omni reputatione. [e] Sic ergo statuere cōuenit, cælesti decreto iniunctā nobis esse perpetuam crucis ferēdæ militiam. Verum quidem est interdum inducias vel relaxationem dari: quia infirmitati nostræ Deus parcit. sed quamuis non semper exerti sint contra nos gladii, quia tamē sumus Christi mēbra, ad societatē crucis paratos esse nos oportet. Ergo ne crucis acerbitas nos terreat, semper hæc Ecclesiæ conditio nobis versetur ante oculos, quatenus adoptati sumus in Christo, addictos esse mactationi. Alioqui idē nobis continget quod videmus multis apostatis. Nam quia viuendo assiduè mori, exponi ludibriis, momentum à metu vacuum non habere, nimis durum est ac miserum, eorum iudicio: vt se hac necessitate eximant, turpiter deserunt & abnegant Christum. Ergò ne tædium vel horror crucis à pietate nos auellat, sit hæc continua nostra meditatio, bibendum esse calicem quem nobis porrigit Deus, nec posse Christianum esse nisi qui se in sacrificium Deo offert. [a] Quemadmodum fusius tractat idem Paulus, Rom. 12.a.1.

24 *Exurge: quare obdormis Domine? expergiscere, ne repellas nos in seculum.*

Exurge: quare obdormis. [v] Vel, euigila. [e] Iam postulant sancti vt Deus tandem ipsorum misertus, opem & remedium afferat. [a] Dicunt autem Exurge: [e] quia dum permittit suos Deus impiis, vt sæpe Psalmi habent, dormire & auertisse faciem suam videtur: vt euigilare & respicere dū impiis prosternis suos seruat. [c] Quanquam autem hanc balbutiem Deus in sanctorum precibus tolerat, certò tamē persuasos esse cōuenit, eum pro salute sua agere excubias. Neque enim Deū Epicuri fingere licet, qui se otio & deliciis oblectet: sed quia pro sensus nostri tarditatē non statim apprehendimus quam de nobis gerit curam, petunt fideles vt re ipsa demōstret neque se obliuiosum, neque segnem esse. Statuendum quidem est à Deo nos respici, etiā si dissimulet: quia tamen hæc persuasio fidei est, non carnis, contrarium illum sensum, quem ex præsenti rei aspectu concipiunt, familiariter exonerant in sinum Dei. atque hoc modo purulentos affectus ex animis suis eiiciunt, quò deinde pura & liquida fides emergat. Siquis excipiat, orationē (qua nihil magis sacrū est) hoc modo pollui, dum peruersa carnis imaginatio cum ea miscetur, fatemur id quidem: sed dum hac licentia vtimur quā Dominus permittit, sciamus illius indulgentia abstergi vitium hoc, ne preces nostras contaminet. [h] Videmus etiam hoc loco fidei ingenium, quæ licet omnem calamitatem cognoscat esse manum Dei, & sentiat auersum esse Deum, dormientem & sui oblitum, tamen ad Deum ipsum pro auxilio clamat. [a] Sic Dauid, quum dixisset Deum & obliuisci & faciem abscondere, adiecit, Aspice, & exaudi me Iehoua Deus meus: illumina oculos meos, &c. Suprà, 13.b.4. *Ne repellas nos in seculum.* [v] Aut, Ne deseras in perpetuum. Alii, ne abiicias à nobis in sempiternū. Queruntur exilii & malorum diuturnitatem, quæ afflictis semper supra modum extrahi videtur.

25 *Quare faciem tuam abscondis, obliuisceris afflictionis nostræ & oppressionis nostræ?*

Quare faciem tuam abscondis? [c] Longa videtur (vt diximus) animæ mora illa in Deo, qua suis differt auxiliari. Ignorat enim quanta cum sapientia & consilio res suas agat Deus: qui tamen optimè nouit suos de tentatione ac omni afflictionum genere eripere, 2. Pet. 2.b.9.

26 *Quia incuruauit se vsque in puluerē anima nostra, adhæsit terræ venter noster.*

Quia incuruauit se. [v] Vel, procubuit siue decubuit humi. Alii, depressa est, declinauit, afflicta est in humum, vt scilicet solent qui vi hostili prostrati sunt in faciem. [c] Iterum deplorant malorum suorum grauitatem, & se inusitato modo affligi referūt: quò Deus ad auxilium ferendum sit propensior. Nam quum dicunt, *Adhæsit terræ venter noster,* non tantùm se deiectos esse significant, sed terræ allisos & affixos, vt surgendi nulla sit facultas. Animam pro corpore quidam accipiunt, vt sit eiusdem sententiæ repetitio: sed rectius pro parte vitali accipitur. acsi dixissent fideles se in terram proiectos esse, & pronos iacere absque vlla spe surgēdi. [v] Totus (inquiūt) noster vitalis sensus deiectus est ad puluerem, & venter noster terræ adhæsit. hoc est, deiecti sumus in terram proni, vt solent qui decumbunt.

27 *Surge in auxilium nobis, & redime nos propter misericordiam tuam.*

Surge in auxilium nobis. [c] Nunc querimoniæ precem subiiciūt, vt Deus surgat in auxilium. [a] Q.d. Nos tandiu afflicti sumus Domine, eripe nos tandem, & miserere nostri. *Et redime nos.* [c] Verbo Redimēdi significāt nō vulgare se genus auxilii petere: quia non aliter quàm redemptione seruari nequeant. Neque tamen dubium est quin mētes eorum in præcipuam redemptionem intentæ fuerint, quæ riuos suos emittit dum nos quotidie variis modis redimit ac liberat. *Propter misericordiam tuā.* [c] Vel, propter bonitatem tuam. Etsi fideles nuper piè gloriati sunt de fidei suæ constantia, vt tamen appareat merita non iactasse, hic non reposcunt quicquam mutuum: sed contenti sunt gratuita Dei bonitate ad salutis suæ causam. [a] Cæterùm hic Psalmus propriè iis competit qui pro Christi nomine persecutionem sustinent. Eos enim charissimos Deus habet, & ii quoque fidem eius sanctissimè colunt: nihilominus tamen ad declarādum virtutem regni sui, quod hic Spiritu suo administrat, illos per omnia impiorum libidini permittit.

ARGVMENTVM PSAL. XLV.

[a] Laudatur Rex Solomon à dignitate formæ, & gratia eloquentiæ, fortitudine, potētia, splendore & magnificētia. [c] Præsertim verò quia vxorem alienigenam ex Ægypto duxerat, huic coniugio promittitur Dei benedictio, si modò noua sponsa, amore gentis suæ valere iusso, totam se marito dedat. In his verò Christus & regni eius cum potentia tum fœlicitas delineantur.

PRæfecto super lilia filiorum Corah, erudiens, canticum amorum.

Præfecto super lilia. [c] Omnes Hebræorū interpretes hunc Psalmum de Christo ac eius Ecclesia exponūt sub typo Solomonis. De authore verò Psalmi non satis conuenit. Probabile est, siue post mortem Solomonis, siue eo adhuc superstite, vnū quempiam ex Prophetis vel piis doctoribus hoc argumentum sumpsisse sibi tractandū, vt doceret quicquid in Solomone spectatū fuerat, altius tendere. *Super lilia.* [v] Vox Hebræa Sosannim lilia significat: hic verò nomen est musici instrumenti, vel principium cātici alicuius vulgaris apud Hebræos, ad cuius modulos decantatus fuit iste Psalmus. *Filiorum Corah.* Genitiuus iste iungitur primæ dictioni, Præfecto filiorum Core, vt illum curaret ab illis decantari. *Erudiens.* Vel vt alii volunt, Intelligentia. Vide suprà, 32.a.1. *Canticum amorum.* [v] Vel carmen dilectionum. id est amatoriū carmen, siue de amatis. [c] Solomon quidē à patre Dauide vocatus fuerat Iedidiah, quasi Deo dilectus, sed contextus postulat Iedidoth referri ad mutuum amorem quo se complecti debent coniuges. Sed quia amores interdum in sinistram partem inclinant; imò coniugalis dilectio nunquam ita ritè composita est quin admista sit aliqua intemperies carnis: ideo carmen simul vocatur משכיל, id est erudiens, vt sciamus non agi de obscœnis vel minus pudicis amoribus, sed sub Solomonis figura sanctam & diuinā Christi cum Ecclesia coniunctionem nobis proponi. [v] Est igitur hoc carmē amatorium quidem, sed quod tractat castos & diuinos amores.

2 *Eructat cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi: lingua mea ut stylus scribæ uelocis.*

Eructat. [v] Hebraicè, Eructauit: sed præteritum pro præsenti ponitur. Ebullit. q.d. præclarū quidpiam gestit dicere cor meū.

Cor meum verbum bonum. [C] Hæc præfatio satis ostendit non esse vulgare huius cantici argumentum, quia promittit quisquis fuerit author verba se facturum de rebus magnis ac præclaris. Quum autem non soleat Spiritus buccas inflare ad spargendū inanem sonitum, colligere licet hic non disseri de caduco tantùm regno, sed aliquid excellentius tractari. Quorsum enim tam magnifica oratio pertinet, Cor Prophetæ ebullire vt laborem suum & operam narrādis Regis laudibus impendat? [V] Verbum ebulliendi optimè congruis, vnde deducitur nomē quod sartaginem vbi friguntur placentæ significat: quod semel ac iterū ocurrit apud Mosen Leuit. 2.b.7.& 7.a.9. ac si dixisset huius Psalmi author se aliquid præclarum & memorabile spirare. *Dico ego opera mea Regi.* [V] Hunc Hebraismum sic exponunt nonnulli, Censeo ego opus meum, id est carmina, dicari debere Regi. Id est, scribēda esse de Rege ipso. Vel, dico ego, opus meum erit de Rege. vt sit datiuus pro ablatiuo, quemadmodum illud Gen. 20.c.13, Dic mihi, id est, de me. Alii vertunt, Quod dicam erit de Rege. Opera sua vocat carmen ipsum. q. d. Ego hic impendam labores meos vt enarrem laudes ac virtutes Regis. *Lingua mea ut stylus scribæ velocis.* [B] Aut expediti, properantis. [C] Studium canendi his verbis testatur, & cōsensum cordis & linguæ prædicat, dum linguam suam confert calamo scribæ velocis, id est velociter & expeditè scribentis. q.d. Quā celerrima erit lingua mea, promptissime dicam quæ in animo habeo, disertè & studiosè laudes Regis dicam: & lingua mea non minus promptè excipiet laudes quas illi suggeret animus, quàm scribit calamo is qui scribendi est peritissimus.

3 *Pulcher es admodum præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea quòd benedixit tibi Deus in seculum.*

Pulcher es admodum. [V] Ad verbum, pulchruisti. Vel, valde pulchruisti. Nam verbum Hebræum est geminatum: geminatur autem prima & secunda radicalis. Doctiores autem Hebræorū annotant omnem geminationem indicare excellentiam & intensionem, per corroborationem. quasi dicat, formosus es, & valde excellis. [C] Orditur itaque Vates ab encomio pulchritudinis: dein de addit eloquentiæ laudē. Porrò formæ elegantia in Rege laudatur: nō quòd per se decor oris magni æstimari debeat, qui inter virtutes locum nullum obtinet, sed quia in ipso vultu sæpe relucet generosa indoles: sicuti solo aspectu ostendere potuit Solomon se eximiis dotibus esse præditum. [V] Nam vultus ipse sæpe demonstrat dona Dei quæ reposita sunt in hominibus. Ad hæc nobilioribus animis præditi, & formæ præstantia pollere solent. Ita Ioseph & Dauid insigni fuisse forma scribuntur, Gen.39. b.6, 1.Sam.16.c.12, & 17.f.42. [M] Christi verò forma ac pulchritudo in eo potissimum sita est quòd omni peccati labe caruit. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* [C] Laudato sponso à forma, nunc ab eloquentia leporéque sermonis laudat: quæ sanè pars in principe non mediocrem sibi vendicat locum: vt de Solomone legimus, qui adeo orationis gratia & facundia valuit, vt multos & reges & principes & ex sapientioribus non paruam manum ad se audiendum traxerit, sed in primis reginam illam ex Orientali plaga egressam idcirco vt audiret sapientiam Solomonis, vt 1. Regum, capite 10. a.1. cernere licet. [C] Itaque non immeritò laudatoriò rege facundia: cuius partes sunt non modò consilio & authoritate populum regere, sed etiam rationibus & sermonis gratia allicere in obsequium: sicut veteres in ore Herculis aureas catenas finxerunt, quæ vulgus hominum auribus traherent. Atque hinc hodie conuincitur regum ignauia, qui suæ dignitati minimè cōsentaneum esse putant verba facere quibus flectantur subditi, imò barbaram tyrānidem eo produnt quòd illis propositū est cogere magis quàm persuadere, & mancipiis potius abuti quàm æquitate & legibus gubernare docilē & morigerum populum. [C] Quantum porro Christus vel puer in terris viuens elegantiæ & in verbis & in moribus præstiterit, norunt legisperitè illi Iudæorum, nedum vulgus, qui in templo tam gratiosum puerum (duodecimum tunc agebat annum) concionatorem disputātémque audientes, admirabantur vnde tam doctus sermo à puero qui literas non didicisset emanaret. Luc.2. g.46.47. Iacula quidem erant ignita, verba Christi, sed quæ magis homines ad amorem quàm ad terrorem commouerent. Vide Iohā.7.b.15.& Matth.7.d.29. [M] Certè gratia labiorum eius est Euangelium quo hodie quoque nos oblectare possumus. Sed ista sapientia & gratia in labiis Christi erat Pharisæis stultitia & insania: quēadmodum scribitur Iohan. 10.d.20. & Luc 4.e.29. sicuti hodie quibusdam est odor vitæ in vitam, quibusdam verò odor mortis in mortem, 2.Cor.2.d.16. *Propterea benedixit te Deus.* [C] Particula על כן non ponitur illatiuè hoc loco. acsi Solomo propter formæ & eloquentiæ gratiam benedictus esset, quum vtrumque horū Dei sit benedictio: sed potius causæ redditio est cur Solomo his donis excelluerit, quia scilicet Deus eū benedixerat. Eodem modo sumitur hæc particula versu huius Psalmi octauo. [M] Porro temporarium fuit quod Solomoni datum, nisi ad perpetuitatem doctrinæ illius referatur. Christo verò omnia sunt æterna. [B] Insignem itaque beneficentiam verbo benedicendi dicere voluit Vates, vnde singularis tum formæ præcellentia tum eloquentia regi accesserit.

4 *Accinge te gladio tuo super femur, ô potens, gloria tua & decore tuo.*

Accinge te gladio tuo super. [V] Iam laudatur Solomo à bellica virtute quæ terrorem hostibus incutit, [C] & à virtutibus quæ reuerentiam apud subditos conciliant. Nam & suos tueri ac defendere rex non poterit, nisi formidabilis sit hostibus: & parum erit audacter bellare contra exteros, nisi interior regni status ad æquitatem & iustitiam compositus sit. *Super femur, ô pot.* [V] Sic loquitur Vates, quia non solent Orientales se accingere gladio more nostro, sed gestant gladios qui respondeant ad femur. *O potens.* [A] vel, O fortis, O heros. Dictio Hebræa significat virum fortem, & bellica virtute potētem. [C] Potentiæ autē expressa fit mentio, ne Rex sit inter suos contemptibilis. *Gloria tua & decore tuo.* [V] Vel, decus tuum & splendorem tuum. vel magnificentiam tuam. Per appositionem dictum. Id est, quo gloriā & decus tibi pares. Vel, gladius ille quo accinctus eris, tuæ virtutis & regiæ potentiæ insigne sit. Alii, Gloria tua & decus tuum est. Alii, quo decus tuum & splendorem tuum exeras. Id est, quo ostendas te gloria & decore pollere. Hoc verò notatu dignum est, quòd Rex diuinus postquam laudatus est à facundia, armatur etiā gladio. Nam & oris facundia voluntarios ac dociles gubernat, & quia multi omnibus seculis rebelles fuerunt & immorigeri, ac futuri sunt, necesse est omnes incredulos exitio suo sentire Christū non venisse inermem. Nam is est ex cuius ore exibat (vidente Iohanne) gladius vtraque ex parte acutus, Apoc.1.d.16. De cuius gladii virtute vide quid Scriptura dicat, Esa.11.a.4, & Heb.4.c.12. [C] Ergo dum suauiter nos ad se inuitat, subeamus prompto obsequio eius iugum, ne gladio & mortiferis sagittis in nos ruat. Meritò quidem dicitur in labiis eius diffusam esse gratiam, quia Euangelium vitæ odorem natura sua spirat: verùm si præfracti simus, hæc gratia in terrorem vertetur, & Christus ex salutis doctrina gladium sibi & sagittas conflabit.

5 *Et [in] decore tuo prosperè age: equita super verbum veritatis & mansuetudinis & iustitiæ, & [tunc] docebit te terribilia dextera tua.*

Et [in] decore tuo prosperè age. [V] Vel, Cum splendore tuo fœliciter ingreditor. Q. d. Adueni regnum auspicaturus cum splendore & magnificentia. [C] Aut potius significatur his verbis gloriam Solomonis fore solidam & perpetuam, non euanidam, sicuti vana regum ostentatio statim concidit: sed prosperos & diuturnos habituram successus. [M] Nam nisi successus adfuerit, frustranea essent omnia, & quæ ad gloriam regni instituuntur, cederent ad ignominiam, & quæ ad defensionē regni adhibentur, cederent in perditionē. Proinde singulare Dei donum est si adsis regibus rerum gerendarū successus. [V] Nonnulli vertunt, Nam decus tuum est perrumpere, sub. Gentes. Id enim etiam significat verbum Hebræum, perrumpere, persuadere, superare. q. d. Hoc tibi decus immortale conciliabis si adiens Gētes & persuaseris quæ Deum non norunt. *Equita super verbum veritatis.* [A] Nunc ad virtutes descendit, quæ in pace & tranquillo statu melius nitent, quas eleganti metaphora docet veras esse regni fulturas. Videtur quidem primo intuitu aspera locutio, Equitare super veritatem, māsuetudinem & iustitiam: sed aptissimè has virtutes vehiculis comparat, quæ Regem in sublime attollant: & eas opponit non modò inanibus pompis quibus se iactant terreni reges, sed vitiis & corruptelis quibus vt plurimum conantur authoritatē sibi acquirere. Dicit Solomon ipse. Prouer. 20.d.28, iustitiā & clementia stabilit Regis thronū. Atqui dum volunt profani reges potentiam suam efferre & munire, equi eorum & quadrigæ sunt ambitio, fastus, ferocia, crudelitas, exactiones, rapinæ, violentia. Itaque non mirū si Deus sæpe ex ventosis vel putridis soliis eos deturbet. Quare hæc vera est ac solida regnorum stabilitas, fidem & iustitiam colere, & clementiā moderari suum impetum. [V] Quidam hanc partem versus hunc in modum vertunt, Equita propter veritatem & afflictionem iustitiæ. Id est, defensurus fidem populi & afflictam & depressam iustitiam. Sed prior expositio melius cōuenit. *Et [tum] docebit te terribilia dextera tua.* [V] Hebraismus, pro, mirabilia perpetrabit dextera tuā. vel, vt alii explicant, Docebis te fides, scilicet, māsuetudo & iustitia, vt per dexteram tuam præclara designes facinora. Aut, Videbis tātum successum adfuse dexteræ tuæ, vt mirabilia sis perpetraturus. Vel potius, Habebis ad manum formidabilem potentiam: Dominus instruet manum tuam ea virtute vt terrori sis omnibus, & perpetres mira facinora, quæ incutiant hominibus metum, quò tibi subiiciantur omnes rebelles. [C] Significat ergo Vates fœliciter cessurum quicquid Solo-

mo tenebit, si temperamentum iustitiæ & mansuetudinis bellicæ fortitudini adiungat. Nam qui cæco & turbulento impetu feruntur reges, etiamsi ad momentum metu & pauore omnia repleant, mole statim sua concidunt. Facit igitur iusta & æquabilis moderatio vt manus fortium tremendæ sint.

6 *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: in corda inimicorum Regis [cadent.]*

Sagittæ tuæ acutæ. [a] Hic victoriæ laudē magis exprimit, significans Solomonē habere tela quibus hostes procul feriat. [v] Non modò igitur terribilis erit hostibus vbi manus conseruerit, sed etiā habiturus est tela quæ eminus proiiciat aduersus hostes suos, ita vt feriat priusquam ad ipsum accedant. *Populi sub te cadent.* [v] Verbum istud repetendum, Sagittæ cadent in cor, &c. & populi cadent postquam scilicet sagittæ illæ defixæ fuerint in corde inimicorū Regis. [c] Acsi Vates diceret, quicunque ausi fuerint ad labefactandum regni eius statum insurgere, miserè perituros: quia ad frāgendam omnium contumaciam satis erit præsidii in Regis manu. [a] Hoc autem verè in Christum competit, qui spirituali gladio armatus, & acutis sagittis munitus hostes suos quamlibet potentes ac securos conficere potest. [c] Vnde nobis suggeritur non parua consolatio, ne multitudo & superbia hostium Christi nos exanimet. Videmus quàm superbè Papistæ Christum repudient, quem sibi iactant esse Regem: quàm profano etiam contemptu maior pars mundi illudat: quàm petulanter Turcæ & Iudæi maledicant. Ergo in rebus tam confusis occurrat nobis vaticiniū hoc, Christo gladium & sagittas sternendis & perdendis hostibus suppetere. *In corda inimicorum Regis.* [a] Hæc personæ mutatio Psalti admodum familiaris pro Inimicorum tuorum, magnā habet vehementiam. [m] Innuit autem Vates sagittas Christi ita acutas esse, vt exitium sint illaturæ hostibus ipsius, non tantùm vulneraturæ ac aliquo vsque læsuræ. Quod ad terrorem impiorum, & solamen piorum afflictorum (sicuti iam diximus) plurimum facit.

7 *Solium tuum Deus in seculum & usque in seculum: virga æquitatis est virga regni tui.*

Solium tuū Deus. [a] Hoc versu prædicat Vates regni Solomonis æternitatem. [m] Solium pro regni administratione per metalepsin posuit. [c] Sensus ergo est, Solomonem non tyrannicè dominari vt plerosque Reges, sed rectis & æquis legibus, ideóque solium eius omnibus seculis fore stabile. *Deus.* [v] Hic locus manifestè euincit psalmum istum ad Messiam spectare, nec posse omnia conferri in Solomonem, qui certè Deus dici non potest. Nam etsi Deus vocatur, quia regibus aliquam gloriæ suæ notam Deus insculpsit, non potuit tamen elogium hoc in homine mortali subsistere: quia nusquam legimus vel hominem vel Angelum hoc titulo ornatum esse absque vlla adiectione. Sic quidem plurali numero vocantur tam Angeli quàm iudices, sed nemo vnus vocatur אלהים quin addatur aliqua restrictio, sicuti dum Moses constituitur in Deum Pharaonis. vnde colligere licet canticum hoc altius quàm ad vmbratile regnū spectare. Proinde vtcunque versum hūc suis cauillis Iudæi eludere conentur, valet tamen ad æternam Christi diuinitatem probandam, quia nomen אלהים simpliciter confertur in Christum, & absque vlla exceptione. Et notādum est, sermonem hic de Christo haberi, quatenus Deus est manifestatus in carne. Etsi enim Deus vocatur, quia sermo est à Patre genitus ante secula, hic tamen statuitur in persona Mediatoris, vnde & paulo pòst Deo subiicitur. Et certè si ad diuinam eius naturam restringas quod dicitur de æterno eius regno, peribit nobis inæstimabilis fructus, quem ex hac doctrina percipimus: dum intelligimus, quatenus caput est Ecclesiæ, & salutis nostræ custos ac præses, non regnare ad tempus, sed æterno imperio potiri, quia hinc nobis solida tam in vita quàm in morte securitas. *In seculum & usque.* [v] Vel, In seculum & in seculum. Alii, perpetuum est & sempiternum. [m] Solomonis regnum transiuit iam olim. Ergo oportet regnū hoc esse cæleste nō terrenum. De hac regni Christi perpetuitate vide Esa.9.b.7, & Dan.7.d.14, & Luc.1.d.33. *Virga æquitatis.* [v] Vel, sceptrū rectitudinis. [a] Significat hūc regem cum summa æquabilitate & rectitudine regnū administraturum. [r] Est enim sceptrum regni ipsius, sceptrum directionis, sceptrum veritatis, sceptrum iustitiæ: non erroris, non mendacii, non iniustitiæ. In illo enim nulla inuenitur asperitas, nulla arrogantia, nullus fastus, crudelitas nulla, verùm placida omnia & æqua. Rex enim hic sine vllo personarū discrimine iudicat, & nemini iniuriam facere nouit. Vide Esa.11.a.3.4.

8 *Diligis iustitiam, & odio habes impietatem: propterea quòd vnxit te Deus Deus tuus oleo gaudij præ participibus tuis.*

Diligis iustitiam, & odio habes impietatem. [a] Causam ponit superioris æquabilitatis. Ex amore siquidem iustitiæ, & improbitatis odio, omnis recta & æqua regni administratio prouenit. [c] Clarior etiā ponitur in hoc versu rectitudinis definitio, quòd scilicet rex iste non minus seuerus sit iniquitatis vindex quàm assertor iustitiæ. Scimus enim quantas dissipationes gignat impunitas & licentia, vbi reges in puniendis sceleribus molles sunt & remissi. vnde illud vetus dictum, deterius esse viuere sub principe sub quo liceant omnia quam sub quo nihil liceat. Nota est etiam Solomonis sententia, Qui iustificat impium & condemnat iustum, vterque abominatio est Deo, Prouerb.17.c.15. Recta igitur moderatio his duobus membris constat, vt qui præsunt seuerè coerceant maleficia, & iustitiam strenuè asserant: sicuti à Platone scitè & prudenter dictum est, politicum ordinē duabus partibus constare, præmiis & pœnis. [m] Itaque videmus hoc loco quales debeant esse magistratus, qui Christo cuius regnū est, seruiunt. Nempe amantes iustitiæ, & odio habētes malum, vt & ipsorum sceptrum sit rectum, & omnis retorsionis expers. Tales viros exigit officium iudicandi, qui si sint amantes iustitiæ, malum vere odio prosequentur, & sine omni personarum acceptione punient. Olim magna erat apud quosdam iudicandi seueritas, tantaque cautio, vt nudæ causæ absque personarum ac partium cognitione proponerentur. Alicubi solenne erat vt iudices velo essent obtecti, ne ad cōspectum quidem admissis vel reis vel actoribus. Hodie quæ sit iudiciorum corruptio, quæ personarum & quàm impudens acceptio, videmus, dolemus, suspiramus, querimur. *Impietatem.* [v] Vel improbitatē. *Propterea quòd vnxit te.* Hic etiā על־כן sumi debet vt sit causæ redditio, vt suprà versu tertio, [c] acsi diceret, non mirū esse quòd Solomo tam præclarus sit iustitiæ cultor, quandoquidem electus est ex fratrum numero, qui sacra vnctione rex adoptaretur. Nam cælesti oraculo, antequam nasceretur, nuncupatus est regni successor: & postquam impositus est solio, regiis quoque virtutibus ornatus est. Vnde sequitur vnctionem ordine priorem fuisse iustitia, atque ita non posse eius causam censeri. [m] Hoc autem verè ad Christum pertinet, qui vt Filius hominis oleo Spiritus sancti inauguratus est, Esa.61.a.1, & Luc.4.c.18. idque nō secūdum mensurā, Iohā.3.d.34. sed plena & perfecta diuinitatis inauguratione, omni prorsus in cælo & in terra potestatis benedictionumq; plenitudine accepta à Patre. *Deus tuus.* [c] Clarè ex hoc cōtextu patet Christum nobis Mediatorē proponi, quia vnctus à Deo suo dicitur, & quidem præ sociis. Id autem in æternum Dei sermonem non competit, sed in Christum carne indutū, in qua & seruus Dei est & frater noster. *Oleo gaudii.* Vel lætitiæ. [m] Symbolum regni Euāgelici. Quid hoc oleo, ista scilicet vnctione Christi, iucundius ac lætius? Vide Luc.4.c.18. Hinc regnum Dei dicitur pax & gaudium in Spiritu sancto, Rom.14.c.17. *Præ participibus tuis.* [v] Vel, præ consortibus, præ sociis vel sodalibus tuis. [c] Consortes præ quibus Solomonem Deus vnctione iam fausta & læta dignatus est, vocat fratres ipso maiores, vnde & regia vnctio illis deberi videbatur: quod sanè primores aulæ impulerat vt Adoniæ sese adiungerēt. vt legimus 1.Reg.1.b.7. [m] Consortes verò Christi dicuntur quotquot filii Dei sunt & fratres Christi. quemadmodum ipsemet dicit, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, Iohan. 20.d.17. Et Paulus illum dicit primogenitum inter multos fratres, Rom. 8.f.29. Author quoque Epistolæ ad Hebræos asserit illum non erubescere nos vocare fratres, Heb.2.c.11. Ergo credentes sunt consortes Christi. Sed qua in re consortes? In ista vnctione Spiritus: licet ipse sine mensura (vt iam dictum est) plenè & perfectè sit vnctus. Ergo sumus & nos vncti. Si vncti, reges sumus & sacerdotes, quemadmodum dicitur 1.Pet.2.a.5, & Apoc.1.b.6, & 5.c.10.

9 *Myrrha, & aloe, casia, omnia uestimenta tua ex ædibus eburneis [educta ex quibus lætificarunt te.*

Myrrha & aloe. [m] Græci habent cum vulgata Latina, Myrrha & gutta & casia. Casiam aromaticā & ligneam intelligit. [v] Quidam sequuti ex doctioribus Hebræorum alterum, vertunt, flexuræ, vel plicæ omnium vestimentorum tuorum, vt intelligamus flexuras, siue plicas omnium vestimentorum Solomonis circūquaque reddere myrrham. *Ex ædibus eburneis.* [c] Solomonē describit prodeuntem ex eburneo palatio, vnde omnes ei gratulantur & applaudūt. Dicitq; vestes ipsius amœnissima fragrātia spirasse. [a] Diuina sanè res est, certè quarundā suaueolentia, vnde aromata inter regias opes Scriptura numerat, 1.Reg.10.a.2. & 2.Paralip.32.f.27. & Esa.39.a.2. [m] Certè boni odoris fragrantia hoc habet vt animum hominis plurimū erigat, itque suo genere faciat per sensum olfactus quod musica per auditum. [v] Pro palatiis eburneis, quidam ædes eburneas, alii tabernacula eburnea vertunt, & intelligūt magnas arcas in quibus reponuntur vestimēta. Alii de ipso palatio Solomonis dictum accipiūt. [a] Quanquam sacra historia tantum solii meminit, sed pergrandis & auro tecti, negātque in vllis regnis factū simile. 1.Reg.10.b.20. *Lætificarunt te.* [v] Nempe reges & regna, quæ cum va-

riis muneribus regē in eburneo suo palatio, summo honore affecerunt ac mirum in modum exhilararunt. [c] Quanquā autem non in plebe modò, sed in regibus quoque vitio non carent luxuria & superfluæ deliciæ: ab altera tamen parte cauenda est nimia austeritas, ne moderatum splendorem, qui eorum dignitati respondeat, prorsus damnemus. sicuti paulo pòst inducitur regina sumptuosè & magnificè ornata. Interea tamen sciendum est nō probatum fuisse Deo quicquid hic laudatur in Solomone, quemadmodum proximo versu videbimus.

10 *Filiæ regum inter honorabiles tuas: astat coniunx ad dexteram tuam in auro Ophir.*

Filiæ regum. [a] Nunc de præstantia & splendore vxorum Solomonis agitur. *Inter honorabiles tuas.* Sub. sunt. [v] In inclytis tuis. Id est, inter vxores tuas inclytas sunt non paucæ quæ à regibus ducunt originem. Alii vertunt, in pretiositatibus tuis, vel in magnificentiis tuis. id est, tibi astant ornatæ mundo pretioso & magnifico quo eas condecorasti. [c] Sed quæritur quomodo polygamiam, quā Deus in priuatis omnibus, nominatim verò in regibus improbat, (Deut.17.d.17) in Solomonis laudibus recenseat Propheta. Certè colligere promptum est, dum vulgari more celebrantur Regis opulentia & gloria, non probari abusum: quia Prophetæ consilium non fuit exemplum hominis in certamen cum Dei regula cōmittere. Fuit quidem potentia, dignitas, & splendor Solomonis, nō vulgaris Dei benedictio: sed quam ipse (vt fieri solet) multis corruptelis vitiauit, dū sibi non satis temperat, sed largiore copia ad carnis suæ licentiam abutitur. In summa, quàm liberaliter Deus rerum omnium abundantiam in Solomonē effuderit, hic narratur. Quòd autē sibi coaceruauit multas vxores, nec frugalem modū in splendore adhibuit, hoc est quasi accidētale. *Astat coniunx ad dexterā tuam.* [v] Vel concubina. Pleraſque vxores ex genere regio Solomon habuit, quæ hic filiæ regum vocātur: præcipua verò fuit filia Pharaonis, quam vocat שגל, id est contoralem, ab actu coniugii, vt quæ præcipuum cū rege dormiendi ius habuerit. [a] De hac primaria regis coniuge legis 1.Reg.3.a.1, & 9.d.24. *In auro Ophir.* [v] Hebraismus, pro, ornata veste preciosissima, confecta ex auro quod adfertur ex Ophir. [m] Quantam auri copiam ex Ophir acceperit Solomon, sacra historia refert, 1 Reg.9.d.28. Quia verò Christi regnum spirituale est & cæleste opus, eius magnificentiam & splendorem spiritualem esse oportet. Pretiosissimus erat mundus quo ornatæ erant cōcubinæ ac vxores Solomonis, sed erat interim fluxus ac corruptibilis: in Christi autem regno fideles decorantur incorruptione & gloria filiorum Dei, quemadmodum testatur Apostolus, Rom.8.d.21.

11 *Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui.*

Audi filia & uide. [m] Apostrophe est ad reginam, adhortationē habens ad obedientiam regi præstandam talem quæ deceat coniugem. [c] Loquitur autem Propheta de vxore Solomonis Ægyptiaca. Nam inter reginas illa excelluit, vt ex sacra historia colligimus. Illa fuit quæ adstabat Regi ad latus, & quæ nomen reginæ sola obtinebat. [c] Etsi autem Solomoni alienigenam ducere vxorem fas non fuit, merito tamen hoc quoque numeratur inter Dei dona, quòd à rege potentissimo quæsita fuerit illius affinitas. Iam verò quia ex Legis præscripto Iudæos oportuit dare operā vt vxores ante congressum assuefacerent ad purum cultum Dei, superstitionibus exuerent: puellam ex profana gente natam, quæ per nouum coniugium insita erat in Ecclesiæ corpus, Propheta à praua educatione reuocans, iubet, deposita memoria patriæ & paternæ domus, induere aliud ingenium & alios mores. Alioqui enim periculum erat non modò ne priuatim foueret vitiosos cultus, quibus assueuerat, sed etiā ne publicè suo exemplo multos in societatē criminis traheret: quod postea contigit. Hæc fuit exhortationis ratio, in qua vt authoritatem sibi conciliet, filiæ nomine vtitur: quod in persona cuiuslibet priuati hominis fuisset ineptum. Audi (inquit) filia, & vide. [a] Audire regem, & videre, est probè intelligere, sempérque prona aure excipere quæ ille de vera Dei bonitate cultuque tradebat. Quibus ritè perceptis, meritò se totam Domino dedicare, populique sui & paternæ domus obliuisci debuit, Dei populo iam penitissimè iuncta. *Et inclina aurem tuam.* [c] Quo melius pateat quanti intersit nouam nuptam prorsus renouari, attentio hic pluribus verbis exigitur. Audi, considera, & inclina aurem tuam. Nam certe hic vehemētia & acribus stimulis opus est, vbi de abnegatione eorum omnium agitur quæ natura vel consuetudine nobis placent. *Obliuiscere populi tui.* Admonet non esse cur filia Pharaonis ægrè patrem, cognatos, totámque Ægyptum desideret, quia ad sedandam absentiæ tristitiam præclara compensatio occurrat. [v] q. d. Non est causa cur indignè feras patris tui absentiam, & cur ægrè careas patria tua. Iam præclaram compensationem habes in præsenti statu.

12 *Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est dominus tuus: & incurua te ei.*

Et concupiscet rex decorem tuum. [v] Vel formam tuam, pulchritudinem tuam. Id est, Conciliabis tibi animum regis. *Quoniam ipse est dominus tuus.* [a] Hoc est, Cui in omnibus parere debes & morem gerere. *Et incurua te ei.* [v] Vel, vt alii vertunt, Et adorabis ipsum. Vel, Et supplex ei eris. Q.d. Dominus tuus est, illi obstricta es: illum igitur reuerenter cole. hoc est, tu illi subiecta sis, nec feraris ad diuersa vota, sed in eo solo acquiescas. [c] Contentam tali marito esse iubet, vt patria libenter careat. [a] Sola enim tanti regis præsentia omnem mœrorē delere debebat. Sed iam missa vxore Ægyptia, [m] ad Christum redeamus: [c] ac primò meminerimus, quod spirituale est in eius regno, figuratè nobis describi: sicuti propter hominum crassitiē coacti sunt Prophetæ similitudines mutuari à rebus terrenis. Si tenemus hanc loquendi rationem quæ passim trita est in Scripturis, non mirabimur quod Propheta de palatiis eburneis, auro, gemmis & aromatibus prædicat. Significat enim fœlici bonorum omnium affluentia refertum fore. Quanquam autem donorum spiritualium, quibus Ecclesiam suam Deus locupletat, splendor & dignitas à mundo contemnitur, coram Deo tamen præstat omnibus mundi diuitiis. Etsi necesse non est singula membra curiosè ad Christum aptari, quale est quod de multis vxoribus dicitur. Nam si plures fingantur Ecclesiæ, lacerabitur corporis Christi vnitas. Verum quidem est, sicuti quisque fidelium vocatur templum Dei, (1. Cor.3. d. 17.) ita quodammodò posse vocari Christi sponsam: sed propriè loquendo, vna est sponsa, quæ ex vniuerso piorum cœtu colligitur. Dicitur autem sedere ad latus regis, non quòd peculiare aliquod imperium exerceat, sed quoniam in ea dominatur Christus. Quo sensu vocatur nostrum omnium mater, Gal.4.d.26. Cōtinet autem hic locus insigne vaticinium de futura Gentium vocatione, qua factum est vt filius Dei affinitatem cum alienis & hostibus suis contraxerit. Erat enim inter Deum & omnes incircuncisos populos hostile dissidium, & maceria interposita, quæ illos ab illo Abrahæ genere discerneret. quia fœdus quod cum Abrahamo pepigerat Deus, Gentes à regno cælorum vsque ad Christi exhibitionem arcebat. Sacro itaque coniugio mūdum dignatus est, non secus ac si olim Iudæus vxorem è gente extera & profana sumpsisset. Porrò vt castam & integrā sponsam Propheta Christo sistat, hortatur Ecclesiam ex Gentibus ascitam vt prioris vitæ oblita penitus se marito deuoueat. Et quia mutatio hæc, quâ transfigurantur in nouos homines qui ex filiis Adæ filii Dei esse incipiunt, difficilis est, eam vehementius vrget Propheta: Nam hac verborum congerie, Audi, vide, inclina aurem, significat fideles nō sine arduo & laborioso conatu seipsos cum pristina educatione exuere: quia apud propensos & voluntarios superuacua esset talis exhortatio. Et certè experientia ostendit quàm segnes & tardi simus ad sequendum Deum. Verbo autem videndi meritò perstringitur nostra socordia, quia inde tā cæcos nostri amor, falsa opinio prudentiæ & virtutis, mūdi illecebræ, arrogantia denique & fastus, quòd non reputamus quàm pretiosum thesaurum Deus in Filio suo vnigenito nobis offerat. Nisi obstaret hæc ingratitudo, molestum non esset, Pauli exemplo, quicquid miramur, pro stercore vel nihilo ducere, vt suis nos opibus Christus ditaret, Phil. 3. b.8. Sicut autem filiæ nomine nouam Ecclesiam blandè & suauiter demulcet, ita & præmio allicit, vt libēter in Christi gratiam quicquid hactenus charum habuit spernat ac relinquat. Neque enim vulgare solatium est nos Filio Dei in summis deliciis fore, vbi terrenum ingenium exuerimus. Interea discamus nostri abnegationem sacræ cum Christo coniunctionis principium esse. Nam per domum patris & populum haud dubiè corruptelas omnes intelligit Propheta quas ex vtero afferimus, vel quas imbibimus mala consuetudine. imò sub hac locutione complectitur quicquid ex seipsis habent homines: quia nulla naturæ pars integra est vel à corruptione immunis. Notanda etiam est quæ additur ratio, iustam & legitimam subiectionē excutere Ecclesiam, nisi Christo se addicat. Nam adorādi verbo non externa modò cæremonia, sed pius reuerentiæ & præstandi obsequii affectus per synecdochen notatur. Atque vtinam probè, vt par erat, expensa fuisset hæc admonitio: quia & Christi imperio melius paruisset Ecclesia, & hodie de eius authoritate non esset nobis tantum cū Papistis certamen, qui Ecclesiam non satis honorificè haberi putant nisi effræni licentia contra maritum exultet. Nam etsi summum imperium verbo tenus Christo concedunt, vt coram eo flectatur omne genu, quum tamen immensam in ferendis legibus potestatem Ecclesiæ arrogant, quid hoc aliud est quàm frænos soluere vt sine modo lasciuiat? Omitto quòd sceleratè titulum Ecclesiæ ad se rapiunt. Sed hoc non ferendū sacrilegium est, Christi spoliis ipsam ornare. Est quidem hæc non parua dignitas, sedere ad dexteram regis, sicuti non vulgaris honor est

In seculum, & perpetuũ. vel In æternum & semper. vt suprà, versu 7. Propheta æternam Messiæ gloriam fore docet: cui omnes Gentes confitebuntur, quia se illi sponte tradent. Neque id ad tempus aliquod exiguũ cõtinget, sed perpetuò durabit tam excellentis & potentis regis memoria. quod fit per Euangelii prædicationem, quæ per totum orbem publicè administratur.

ARGVMENTVM PSALMI XLVI.

Psalmus iste (cuius author incertus est) gratiarũ actionẽ pro certa liberatione continet, qua Deus Hierosolymam, quũ in summo discrimine laboraret, præter spem subita & mirabili virtute seruauit. Ad hoc autem compositus est vt fiducia erga Deum in Dei populo aleretur, qui optimè nouit quãdo & quomodo fideles ab hostium metu eripi oporteat.

Præfecto filiorum Corah super alamoth canticum.

Præfecto filiorum Corah. Vide Psal. 4.a.1, & 42.a.1. *Super alamoth.* Alamoth aut musicum instrumentum erat, aut initiũ vulgaris cantilenæ, ad cuius modulos vt decantaretur, traditus fuit filiis Core. Porro quo tẽpore cõpositus fuerit Psalmus incertum est: nisi fortè quando repente soluta fuit vrbis obsidio, grauissima clade in exercitum Sennacherib diuinitus inflicta. quemadmodum scribitur 2.Reg.19.g.35. Quod certè cum toto contextu optimè conuenit: & memorabilem aliquam gratiam celebrari patet, qualis illa fuit. Quidam tamẽ ad eam historiam magis respiciunt qua percussis Ammonitis, Moabitis ac Syris, pax reddita est vniuersæ Palæstinæ. Sicuti habetur 2.Sam.10.d.19, & 1.Paralip.19.d.19.

2 *Deus nobis protectio & fortitudo, auxilium in angustiis inuenimus abundè.*

Deus nobis protectio. Vel refugium, spes, fiducia. Generali sententia vtitur tanquam præfatione, antequam ad speciem liberationis descendat. Præfatur enim satis esse in Deo præsidii ad suos seruandos, illisque dare idoneam sperandi materiam. Id enim vox Hebræa propriè significat. Docemur hîc, periculi magnitudinem post liberationem non esse dandam obliuioni, sed memoriter tenendã, & ingenuè confitendam, ad hoc vt simul magnitudinem opis diuinæ agnoscamus, & ad laudẽ & gloriam nominis Dei fateamur. *Inuenimus abundè.* Vel inueniemur. Alii, repertus est, siue inuentus est. Id est, auxilium eius præsentissimum fuit. Ita loquuntur Hebræi quũ opportunum aliquid significãt, dicunt inueniri: vt Suprà, 32.b.6. Orabit ad te omnis sanctus in tempore inueniendi. Id est, opportuno. Hortatur Propheta omnes pios vt generaliter statuant Deum Ecclesiæ suæ esse tutorem & præsidem. deinde nũquam deesse suis, quin succurrat quoties postulat ipsorum vsus. Prophetæ quidem consilium est extollere Dei potentiam & bonitatem erga suos, promptum etiam auxiliũ laudare, ne in rebus aduersis aliò circumspiciant, sed vna eius protectione contenti sint. Ideo disertè exprimit, talem esse Deum erga suos vt sciat Ecclesia peculiariter se ab eo defendi. Nec verò dubium est quin hac note electum populum ab alienis & profanis gentibus separet: atque ita commendet adoptionis priuilegium, quo Deus filios Abrahæ dignatus erat. Proinde quum diximus generalem esse sentẽtiam, noluimus promiscuè extendere ad quaslibet personas, sed ad omnia tempora: quia docet qualiter se Deus erga suos omnes gerere soleat.

3 *Propterea non timebimus, etiamsi permutarit terram, & mouerit montes in cor maris.*

Propterea non timebimus. Q.d. Quia Dominus nostrum refugium, robur & auxilium est, huius gratia non timebimus. Neque tamen Propheta pias mentes ab omni solicitudine vel metu penitus eximit, acsi sensu carerent (stupor enim à fidei constantia longissimè abest) sed tantùm docet, quicquid acciderit, nunquam eos terrore obrui, sed potius vires colligere quæ ad placandum terrorem sufficiant. Si enim Deus pro nobis (inquit Paulus) quis contra nos? Rom.8.f.31. Quid timebit qui Deum habet protectorẽ & corroboratorem? Sed ad istam securitatem opus est vt nulla teneamur siue nostrarum siue aliarum virium fiducia. Itaque ostendit Propheta quænam vera sit & legitima spei probatio, vbi scilicet rebus ita confusis vt propemodum videatur cœlum ruere & terra loco moueri, & mõtes à radicib⁹ dehiscere, stamus tamẽ trãquillis & securis animis. facile enim est magnam fiduciã præ se ferre quandiu periculum nullum impendet: verùm si totius mũdi cõcussio animos nostros nõ labefactet, neque eorũ quietem perturbet, hinc facilè apparet, Dei potentiæ iustum honorẽ deferri. *Etiamsi permutarit terram.* Vel, Etiamsi mutet terra. Vel, Etiãsi moueatur terra, sub. loco suo. *Et mouerit montes in cor maris.* Vel, Etiãsi moueãtur (id est trãsferãtur) mõtes in cor maris. Hæ loquutiones hyperbolicæ significãt totius orbis cõuersionẽ. Acsi diceret, Nihil tã horrendũ ac insolitũ inueniri potest, quod fideles deiicere possit, modò certa illis insit erga Deum fiducia.

4 *[Et] frement [&] turbabuntur aquæ eius, & contremiscent montes propter sublimitatem eius. Selah.*

Et frement & turbabuntur. Versus iste quartus cũ sequẽti cõiũgi debet, quia sequẽs implet sententiã. Acsi diceret Propheta, Quãuis tumultuẽtur & intumescãt aquæ maris, ac violẽto suo impetu mõtes ipsos cõcutiãt, inter horribiles turbas hilariter & placidè quiescet Dei ciuitas, exiguis riuis cõtẽta. Nam pronomẽ relatiuũ superuacuũ est, ex cõmuni vsu linguæ Hebraicæ. Simpliciter enim dicere voluit Propheta tenues riuos fluminis sanctæ vrbi plenã lætitiæ materiã daturos, si fortè cõtingat totũ mũdũ labascere. Alii cũ præcedenti versum istũ conectũt, & futura Hebræa per præsens cõiũctiui vertunt, Fremãt, perstrepãt, strepitũ faciãt. q.d. Tumultuẽtur licet, pulsũque immani ac terrifico perstrepãt aquæ maris. Hoc est, iræ illæ minaces improborũ vt vis ferueant, incãdescãnt, mõtes itẽ, tumida scilicet illorum corda atque arrogantia vi mala animi exagitata, ex vno in aliud mutẽtur scelus, frendãt, irrũpant, tranquillásque piorũ hominũ ripas sedatósque recessus inundare, prorsúsque colluuie illa sua perfidiæ diruere admirãtur, nihil omnino obtinebũt. quia sola spes quã in Deo collocauimus, sufficit ad nos è tot periculis liberandos. *Et turbabuntur aquæ eius.* Alii, turbẽtur. Aut, intumescãt. Alii, lutulẽtæ fiãt, sub. præ nimia agitatione. *Contremiscent montes.* Vel, cõcutientur montes in superbia eius. Id est, in eleuatione siue æstu eius. Nonnulli vertunt, In celsitudine (vel eleuatione) eius.

5 *Fluminis riui eius exhilarabunt ciuitatem Dei, sanctum tabernaculum Altissimi.*

Fluminis riui eius. Relatiuũ vacat quod refert flumẽ, sicuti iã dictũ est versu superiori. Vertẽdũ, Fluminis riui exhilarabũt. q.d. Etiamsi Hierusalẽ nõ habeat mare aliquod tẽpestuosum quod illi opponatur, sed exiguũ fluuiũ Siloe, & placidũ, tamẽ riuuli illius fluuii exigui & cõtẽptibiles ciuitatẽ Dei exhilarant. Iam nuper attigimus quàm vtilẽ doctrinã contineat hic locus, nẽpe tũc demũ rite probari fidẽ nostrã vbi ad grauissimos cõflictus vẽtum est, adeóque inferi ipsi videntur aperti vt nos absorbeãt. Ita nobis depingitur fidei victoria contra totũ mũdũ, vbi scilicet è rebus cõfusis sic emergit vt creaturis omnibus exitiũ minitãtibus, omnes tamẽ metus superet. Non quòd rideãt in periculis filii Dei, aut otiosè de morte garriãt, sed quia promissum sibi à Deo auxiliũ pluris æstimant quàm mala omnia quæ terrorẽ incutiant. Præclara videtur Horatii sententia de viro iusto & sibi optimè conscio, Si fractus illabatur orbis, Impauidũ ferient ruinæ. sed quia nunquã repertus est ille quẽ fingit, nihil aliud quàm nugatur. Hæc igitur animi magnitudo in solo Dei præsidio fundata est, vt verè iactare queãt qui recũbũt in Deũ, nõ modò se impauidos, sed etiã tutos & saluos fore quũ ruinæ totũ mũdũ obruent. Porro nõ dubiũ quin obliquè perstringat Propheta fallaces eorum cõfidentias qui terrenis opibus muniti, extra iactũ telorum se esse somniant. Nã qui sibi bene inde accersunt inuicta mundi præsidia, videntur quidẽ hostes posse lõgè ab accessu arcere, nõ secus acsi vndique mari cincti essent, sed sæpeà suis munitionibus pessundari cõtingit: quẽadmodũ si tẽpestas insulã diluuio vastet ac euertat. Qui verò se tutelæ Dei cõmittũt, quãuis secũdũ mũdũ expositi sint omnibus iniuriis, nec satis muniti sint ad prohibẽdos insultus, quiescũt tamẽ securi. Hac de causa Iudæos reprehẽdit Esaias quòd spernẽtes aquas Siloe leniter fluẽtes, profũdos & rapidos fluuios appetãt, Esa.8.b.6. Est autem illic concinna antithesis inter riuulum Siloe ab vna parte, & Nilum ac Euphratem ab altera: quasi diceret Deum ab ipsis fraudari suo honore, quasi non prouiderit quum elegit vrbem Hierosolymam, quibus præsidiis ad eã tutãdã opus foret. Ac probabile est, si Psalmus hic post exercitũ Sẽnacherib cæsum & profligatũ fuerit cõpositus, authorem eius cõsultò eandem vsurpasse metaphoram, vt fideles in posterum sine mundi opibus vnicam Dei gratiam sibi sufficere discerẽt. Eadem quoque opera nos hodie ad hanc constantiã hortatur & animat Spiritus, vt contemptis eorum copiis qui magnificè contra nos superbiunt, inter omnes motus & turbas tranquilli stemus, nec pigeat nos vel pudeat nostræ nuditatis, modò ad nos seruandos extenta sit Dei manus. Ergo quanuis Dei auxilium tenuiter in speciem quasi per riuulos distillet, plus etiã quietis nobis afferat quàm si tota mũdi potẽtia ad nos iuuãdos simul concernata esset. Scimus quid Dauid in mediis afflictionũ fluctibus dicebat, Nõ timebo à decẽ

millibus populorum qui circunquaque posuerunt castra aduersum me, Suprà, 3.b.7. Cæterùm Hierosolyma ciuitas Dei vocatur propter præsentẽ Dei gratiam qua ab hostibus protegebatur. *Sanctum tabernaculum Altissimi.* Nomẽ Toar per comparatiuum aut superlatiuum vertendum, Sanctissimũ tabernaculorum, siue habitaculorum. Concinna est allusio ad statum illius temporis. Quanuis enim per singulas tribus imperium suum Deus haberet, hàc tamẽ regiam sedem elegerat vnde totum populum regeret. Itaque quum per totam Iudæã diuisa essent tabernacula Excelsi, sub vnum tamen Sanctuariũ colligi oportuit, vt Deo subessent.

6 *Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus appetente mane.*

Deus in medio eius. Relatiuũ est fœmininum, nempe ciuitatis. *Non commouebitur.* Non nutabit. sub. ciuitas. Non commouebitur loco suo, fixum habebit statum. Ostendit hic versus vnde tanta Ecclesiæ securitas. Dicit enim Deum in medio sanctæ ciuitatis præsidere. Eo ergo defendente mirum non est si dicatur nõ nutare, & Dei auxilio in tẽpore gaudere. Semper paratus est Deus ad opẽ illi ferendã, nunquã illã sinet ab hostibus vinci, modò perstet in fide sui conditoris. *Appetente mane.* Ad verbum, dũ aspiciet mane, vel aurora. Quidã vertũt, ad prospectũ auroræ. Cõspectus autem auroræ tantundẽ valet ac si dixisset, Quotidie simulac sol terris exorietur. Vel, quoties noua aurora consurget. Hoc est, singulis diebus. Idem autẽ matutini tẽporis meminit quòd tunc oppugnãtur vrbes. Hic verò notandũ quòd si cupimus Dei manu protegi danda imprimis est opera vt inter nos habitet, quia ex sola eius præsentia pẽdet spes salutis. Ipse autẽ nõ aliã ob causam inter nos habitat, nisi vt nos præstet incolumes. Vide Leuit. 16.b.11. & 2. Cor. 6.d.16. Cæterùm quãuis nõ semper ad nos iuuandos festinet Deus pro votorũ nostrorũ feruore, satis tamen opportunè nobis aderit, vt facilè appareat verũ esse quod alibi dicitur, nunquã dormire, ac ne dormitare quidẽ Ecclesiæ custodem, Infrà, 121.a.4. Item, Antequã inuocauerint, ego annuã: adhuc ipsis loquentibus ego exaudiam, Esa. 65.d.24. Siquis obiiciat Hierosolymã multoties captã & destructã respondendum est Deũ noluisse tũc eam seruare ab hostibus etiamsi seruare potuerit. Nã quũ pollicitus est se fore in medio illius, eámque seruaturũ, adiecit, si in Lege & volũtate sua permanerent. Hãc adiectã conditionẽ spreuerũt Iudæi, ideo nõ mirũ si illos Dominus abiecerit, quãquã se perdi non posse propter præsentiã sedis Dei in tẽplo gloriabantur: sicuti habetur Hierem. 7.a.4. Ad hũc modũ & Christiani hodie de præsentia Dei promissa per Christũ gloriamur, indéque Ecclesiis securitatem errore prorsus Iudaico pollicemur, quũ simus pessimi, Christus verò suis hoc pollicitus sit si se dilexerint. Siquis diligit me (inquit) sermonẽ meũ seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eũ veniemus & mãsionẽ apud eũ faciemus, Iohã. 14.c.23. Et quũ dicit se nobiscum affuturum vsque ad seculi consummationem, præmittit, Eũtes docete omnes gẽtes, baptizãtes, & docẽtes eos seruare quæ ego præcepi vobis, Matth. 28.d.19. Hæc si nõ obseruamus, & pollicemur nihilominus nobis ipsis præsentiã Christi nos ipsos fallimus, & à Christi societate salutari subducimus.

7 *Tumultuati sunt populi, nutauerunt regna: dedit vocem suam, defluxit terra.*

Tumultuati sunt populi. Alii, Infremuerant Gẽtes: vel, Statim vt infremuerũt Gẽtes. Nonnulli sic vertunt, Cõcurrerunt turmatim Gentes, collapsa sunt regna, statim vt edidit vocem suã. Quod Suprà versu 2 dixerũt, Auxiliũ in angustiis inuenimus abũdè, id iam his versibus exponũt. ac primũm ostẽdunt quæ fuerint illæ angustiæ siue tribulationes. Statim (inquiũt) atque fremitu ipso atque cõcursatione ostenderunt Gentes se moliri aduersus nos perniciẽ, conciderũt & corruerunt. Iussit enim Dominus vt deficerẽtur omnibus viribus, ideo animos abiecerunt, atque ita perierunt vires earũ vt cera ad solem liquescit, & postea euanescit, vt de niue est manifestũ. Hinc verò ad nos redit inæstimabilis cõsolatio, vbi audimus, quanuis totus mũdus contra nos surgat, & vesano furore omnia perturbet, posse in momẽto redigi in nihilũ simulac Deus se nobis fauere ostẽderit. Quis enim tam potenti regi resistere audeat? aut quis corã tanto principe cõsistere queat? *Dedit vocem suam.* Quãuis vox Dei, imperiũ vel nutũ significet, videtur tamen ad Dei promissiones alludere Propheta, quibus testatus est se fore Ecclesiæ custodẽ. Fortè etiã tonitru Deus opẽ se laturũ suis & proster aturũ eorum hostes significarat, vel tempestate quadam consternatos illos fecit cædi. Notãda est autem antithesis inter vocem Dei, & turbulentos regnorum motus. *Defluxit terra.* Vel, liquefacta est terra. Hoc habet auxesim quod dicit terrã nõ homines defluxisse. quanquàm intelligit homines, sed innumeros & quantum capiunt totæ regiones, vt iure totam terram dixerit defluxisse & periisse. Defluxu siquidem Scriptura interitum & extinctionẽ populi significare solet. Inde scribitur de populo metu cõsternato, Liquefactum est cor populi, & factum est vt aquæ, Iosue 7.a.2.

8 *Iehoua exercituum nobiscum: arx sublimis [est] nobis Deus Iacob. Selah.*

Iehoua exercituum nobiscum. Vel, à nobis stat. Significat nõ esse timendum quandiu ille nobis opitulabitur. Hoc versu docemur qualiter in vsum nostrum accommodare liceat quæ passim de immẽsa Dei virtute prædicat Scriptura, nẽpe, si persuasi simus ex eorum nos esse numero quos Deus paterno amore amplexus fouere velit. Nam iterũ adoptionem cõmẽdat qua segregatus erat Israel à cõmuni gẽtium omnium sorte: alioqui nonnisi formidinem incuteret potentiæ Dei commemoratio. Hinc igitur gloriãdi fiducia, quòd nos sibi in peculiarem populũ delegit, vt virtutem suam ad nos seruandos exerat. Qua ratione Propheta, postquam Deum exercituum vocans, eius potentiã celebrauit, statim adiũgit alterum epithetum, quo fœdus cũ Abrahã olim percussum cõfirmat: dicit enim, *Arx sublimis est nobis Deus Iacob.* Vide Suprà, 9.b.10. Quũ Deum Iacob vocat Propheta, respicit ad promissiones, vt nõ dubitẽt posteri, ad quos promissæ gratiæ hæreditas pertinet, Deum sibi quoque fore propitium. Nam vt solidè quiescat fides nostra, in Deo simul hæc duo cõsiderãda sunt, nempe immensa virtus, qua ad totum mundum subigendum instructa est: deinde paternus amor quem verbo suo patefecit. Vbi autem hæc duo coniuncta sunt, nihil obstare potest quo minus hostibus nostris insultet fides nostra. Neque enim dubium est velitne opitulari nobis Deus qui se hoc facturum promisit. Iã virtus ad implẽdum suppetit, quia Deus est exercituum. Hinc colligere licet miserè eos vagari in Scriptura qui in aere suspensum relinquunt quicquid de potẽtia Dei prædicatur, nec statuunt sibi fore in patrem, eo quòd sint ex grege eius, & adoptionis participes. *Selah.* Quia hæc sancta gloriatio raræ & memorandæ fidei est, præconium simul nunquam dignè æstimatæ diuinæ bonitatis: ideo adiectum Selah est. q.d. Dominus ille, ille inquam Dominus exercituum nobiscum est: quis contra nos? O interminabile diuinæ bonitatis pelagus!

9 *Venite, videte opera Iehouæ qui posuit solitudines in terra.*

Venite, videte opera. Vel, considerate facinora Iehouæ. Videtur persequi Propheta historiam liberationis, qua testatus fuerat Deus se optimum & fidelissimum esse protectorem Ecclesiæ suæ: vt inde petant fideles arma & vires superandis tẽtationibus quæcunque in posterum emergent. Debent enim ante oculos nobis versari documenta gratiæ Dei quæ re ipsa exhibuit in nobis seruãdis, vt promissionum fidem in animis nostris sanciant. Huc agite, inquit, & diligenter perpendite quæ pro suis Deus facinora edit. Cæterùm hac exhortatione tacitè obiurgat eorum socordiam qui Dei potentiam nõ tãti æstimant quanti par erat, imò totum fere mundum ingratitudinis arguit. Quia vix centesimus quisque satis sibi præsidii in Deo esse agnoscit: ita cæcutiunt omnes ad opera Dei, imò sponte claudunt oculos: quod ad ædificandam eorum fidem maximè valeret. Videmus vt multi fortunæ ascribant quod Dei prouidentiæ decet ferre acceptũ: alii imaginentur se propria industria adeptos esse quicquid Deus contulit: vel quicquid ab eo solo profectum est, transferant ad medias causas: alii prorsus stupeant. Quare nõ frustra omnes accersit, & ad reputãda Dei opera hortatur. acsi diceret homines nõ reponere in Deo spẽ salutis, quia vel ignaui sunt vel maligni in cõsiderãdis eius operibus. Quũ verò sermonẽ dirigat promiscuè ad omnes, colligimus pios quoque torpere & frigere donec expergefiãt. *Qui posuit solitudines in terra.* Aut, quasnam solitudines fecerit. Ponere solitudines in terra, pro totã terrã vastare, Hebraismus. Propheta magnificè Dei virtutẽ in seruãdo electo populo extollit: quæ cõtẽni solet, vel nõ expẽditur pro merito, vbi vulgari more operatur. Vastitates ergo & alia miracula in mediũ proponit quò sensus hominũ efficacius moueãt. Quidã vertũt prodigia, alii admiratione digna: sed omnia eodẽ recidunt, Deũ stupẽda fecisse in populi sui gratiam.

10 *Cessare facit bella vsque ad extremum ipsius terræ: arcum conterit, & concidit hastam, plaustra comburit igne.*

Cessare facit bella. Amplitudinẽ victoriæ pacisque sibi donatæ canit hic versus. Et tropus quo vtitur hic Vates, destructione armorũ, belli extinctionẽ pacémque altissimã significat. Sicuti alibi dicitur, Cõtũdẽt gladios suos in ligones, &c. Esa. 2.b.4, & Mich. 4.a.3. *Arcum conterit.* Si hæc de speciali auxilio accipere libeat, referri tamen ad hunc finem debent vt idem in futurũ tẽpus expectent fideles quod iã experimento perspectum habẽt. Et sanè videtur Propheta ex vno actu inde-

finitè ostendere quàm potenter Deus Ecclesiam suam defendere soleas. Quanquam non semel accidit vt fractis animis, & arcu contrito, plaustrisque exustis, motus omnes per Iudæam Deus sedaret, belláque procul abigeret. Ac consentaneum est Prophetam, occasione sumpta, Iudæis reuocasse in memoriã quàm sæpe Deus maximos hostium conatus fregisset. Certum quidem est his epithetis Deum ornari vt toto mundo tumultuante pacem ab eo speremus. [a] Nam sicuti hostes vocat & mittit dum populum aliquem propter peccata affligere decreuit, ita quum iræ suæ finem imponit, eosdem hostes quorum opera vsus est in populi castigatione, procul arcet & aliò cõcedere cogit.

11 *Cessate, & scitote quòd ego sum Deus: exaltabor in gentibus, exaltabor (inquam) in terra.*

Cessate, & scitote. [v] Vel, Desistite & cognoscite. Remittite & agnoscite. Quidam vertunt, Quiescite & cognoscite. [m] Non est contentus Propheta quòd ipsa opera Dei consideranda quibusuis proposueris, nisi & [e] sermonẽ peculiariter conuertat ad hostes populi Dei, qui nocendi libidini audacius indulgent. Quia dum exhibẽt sanctis molestias, bellum se Deo inferre non cogitant. Quia ergo neglectum sibi tantùm cum hominibus esse putãtes, insolenter sine metu & pudore ruũt, eorũ intẽperiem hic refrænat Propheta: & quo plus vehemẽtiæ habeat sermo, Deum ipsum loquentem inducit. [a] Cessate, inquit, vel remittite, scilicet conatus vestros contra populum meum, desistite oppugnare quos ego protego: agnoscite tandem vel ex ingentibus miraculis, me esse virtute excelsa & inuictã in gentibus quibusuis, omnique terra. [c] Iubet primò quiescere vt se Deum esse cognoscant. Videmus enim, dum inconsideratè feruntur homines, nullum moderationi locum esse: ideo non abs re Propheta quietem ab hostibus exigit, vt feruore placato sentire incipiant cum Deo se confligere. [v] Acsi diceret, Quid conamini? quo vestra tendit temeritas, vt illos pro quorum salute ego deorum omnium potentissimus in acie sto, certóque, extinguere omnino arbitremini? An aduersus me certantes prosperum vobis successum polliceri audebitis? [c] Similem fere sententiam habuimus Suprà 4.b.5, Contremiscite, & ne peccetis: cogitate in cubilibus vestris, & silete. Summa est, vt mundus subactis domitisque turbulentis affectibus, Deo Israel quam meretur gloriam tribuat. Quòd si furere pergant, denũtiat virtutem suam non esse inclusam Iudææ finibus, sibique nõ fore difficile brachium suum procul extendere ad Gentes, quo se vbique glorificet. *Exaltabor in gentibus.* [v] Vel, Excelsus ero, vel sublimis. Extollar. Q.d. Virtus mea sese exeret vbi mihi visum fuerit. Dicebat rex Syriæ, Ille est Deus montium, descendamus igitur in planitiẽ. (1. Reg. 20.d.23.28.) [a] Sed suo damno expertus est miser cum suis Deum non minus potestatis habere in vallibus quàm in montibus.

12 *Iehoua exercituum nobiscum: arx sublimis [est] nobis Deus Iaacob. Selah.*

Iehoua exercituum nobiscum. [m] Repetit Propheta versum octauum, nempe Deum ad seruandam Ecclesiam quam adoptauit, satis supérque armis & viribus pollere. [c] Nec superuacua est huiusmodi repetitio. nã in eo situs est omnis gaudii, securitatis ac fiduciæ fons cõtra quosuis insultus, quòd Deus virtutum & exercituum stat à nobis.

ARGVMENTVM PSALMI XLVII.

[a] Canit hic Psalmus de diuinæ gloriæ per vniuersum orbẽ illustratione, conuersionéque ad Deum: [c] præcipuè tamẽ gratiam illam extollit qua Deus genus Abrahæ pro illo tempore dignatus erat: siquidem etiam ex fonte illo salus toti mundo oritura erat. Continet etiam vaticiniũ de futuro Christi regno: quia gloriam quæ tunc in vmbratili Sanctuario fulgebat, longè latéque conspicuam fore docet, quando Deus ipse gratiæ suæ radios procul emittet, vt in societatem coalescant gentes & populi cum Abrahæ filiis.

Præfecto filiorum Corah canticum.

Præfecto filiorum Corah canticum. [v] Vel Psalmus. [c] Putant nonnulli Psalmum hunc fuisse compositum quando dedicatum fuit Templum & arca fœderis in Sãctuario locata, [m] (sicut ubi habetur Paralip. 5.a.5.) [c] sed parum firma est hæc diuinatio. dubium quidem non est ad solennes conuentus fuisse destinatũ: quod ex toto contextu colligere promptum est. Imò fieri potest vt ante templum extructum, quum adhuc in tabernaculo quiesceret arca, Leuitis fuerit dicatus à Dauide.

2 *Omnes populi plaudite manu, iubilate Deo in voce exultationis.*

Omnes populi plaudite manu. [m] Hic versus inuitationem habet ad iubilandũ & exultãdũ in Deo. Quisquis autẽ fuerit author Psalmi, inuitat non aliquos tantũ sed omnes populos. [c] Porro quòd nos iubet in signũ lætitiæ & gratulationis plausũ dare Deo, imò ad insolitũ gaudiũ hortatur, cuius vehemẽtia in externã exultationem erũpat, de eorũ salute verba fieri certum est. Nã si Deus regnũ inter Gentes formidabile erigeret, potius deiiceret omniũ animos & desperatione obrueret, quàm daret tripudii materiam. Adde quòd non de vulgari Dei gratia cõcionatur, sed quæ totum orbẽ incredibili lætitia perfundens, omnium animos ad celebrandas Dei laudes extimulet. *In voce exultationis.* Vel, in voce orationis. Alii, laudis, siue cantici. [m] Notari hic potest ingenium cordis quod sensum gloriæ Dei accepit & ad laudãdũ illũ excitatũ est. Effundit se in gestus corporeos. cõtineri enim nequit æstus cordis, sed in exteriora prorumpit: non quòd exteriora per se Deo placeant, sine affectu & veritate cordis: sed quòd ita habeat conditio mortalium, vt ex abundantia cordis & os loquatur, cantet & iubilet, & manus plaudant. [a] Vide quid Dauid fecerit quum arca adduceretur, 2. Sam. 6.c.14.15.

3 *Quoniam Iehoua altissimus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*

Quoniam Iehoua altissimus. [v] Vel, sublimis, in sublimi loco positus, excelsus. [m] Ratio subiungitur cur omnes populi admoneãtur vt plaudãt manibus, & voce Deũ celebrãtes iubilẽt. Quoniã Dominus (inquit Propheta) altissimus, & terribilis. Altissimũ siue excelsum vocat propter sublimitatẽ & amplitudinẽ imperii & potestatis quã habet absolutã in omnia. Terribilẽ, quòd metuẽdus sit & suspiciẽdus propter omnimodã illã potentiã. *Rex magnus super omnem terram.* [v] Hoc est, super omnes orbis nationes, nedũ super Iudæos. Est enim Deus nõ modò Iudæorũ sed & Gentiũ, Rom. 3.d.19. [c] Locus hic docet diuina prouidẽtia omnia gubernari: deinde omnẽ huius mundi tyrãnidem contemptibilẽ esse. Nã si super omnẽ terram rex est Deus, quis se in terra verè regẽ esse iactare ausit? Vnde orationem Dominicam hunc in modum concludimus, Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula, Amen.

4 *Ordinauit populos sub nobis, & nationes subtus pedes nostros.*

Ordinauit populos sub nobis. [v] Vel, vt alii vertũt, subiecit. [a] Significat redactos fuisse cũctos populos sub Israelis obsequiũ. quod de seruili subiectione intelligendũ non est, sed quæ regnis omnibus potior esset, magisq; optabilis. Neque enim cõsentaneũ foret eos qui vi & metu coacti seruirent, præ gaudio exultare. Tributarii quidem Dauidi eiusque filio Solomoni fuerũt populi cõplures: sic tamen vt fremerent, atque iniquis animis ferrẽt impositũ sibi iugũ: tantũ abest vt læti & hilares gratias agerent Deo. Ergo quũ nulla fœlix sit & expetẽda seruitus, nisi qua Deus, Christi filii Dei auspiciis, domat & subigit qui prius rebelles erant, sequitur eloquium hoc non competere nisi in Christi regnũ: qui rex excelsus ac terribilis non ideo vocatur quòd tyrannica violentia expauefaciat miseros homines quibus imperat, sed quia eius maiestas, quæ prius habita fuerat contẽptui, ad frangẽdã totius mũdi contumaciã sufficit. Notandũ enim est Spiritus sancti consiliũ, quum diu contumeliosè tractati & oppressi fuissent Iudæi, ac variis subinde calamitatibus afflictitãto nũc illustriorẽ esse Dei beneficentiã erga eos, quia domitis vndecũque gẽtibus vicinis, florentissimũ erat Dauidis regnũ. Interea verũ esse quod monuimus, nẽpe in regnũ Christi hoc cõpetere, ex cõtextu verborũ colligere prõptũ est, vbi Deus rex terribilis & magnus vocatur super omnẽ terrã. Ergo nõ dubiũ est quin his elogiis celebrata fuerit Dei gratia, ad cõfirmãdos piorũ animos intermedio tẽpore: quo non tantùm collapsa erat populi Israelitici dignitas, sed extremis cõtumeliis oppressus, nullo Dei gratiæ gustu recreari poterat, nisi in solas promissiones recũberet. Scimus quàm lõga fuerit huius magnificæ potẽtiæ interruptio, à morte Solomonis vsque ad Christi aduẽtũ. Erat hoc veluti chasma quod absorbere posset pias mẽtes, nisi Dei verbo suffultæ essent. Ergo quũ specimẽ huius regni quod nunc prædicatur, à Deo fuisset editũ sub Dauide, quãquã paulo pòst secuta est tristis & fere pudẽda imminutio, deinde grauissimæ clades, & tandẽ exiliũ & miserrima dispersio, quæ ab interitu parũ distabat: Spiritus sanctus fideles ad cõtinuãdũ plausũ hortatus est, donec veniret promissus Redẽptor. Porro quãuis hoc versu peculiariter gẽtiles suos hortetur Propheta ad gratitudinẽ, quòd per Dei gratiã cũctis populis dominarẽtur: certũ tamẽ est eos qui sub iugũ redacti erãt, in societatẽ gaudii cõiũgi ipsis Iudæis. Ergo quãtũ ab vmbra differt corpus, tantũ discrimen fuit inter fictitiũ plausum, quẽ olim dederunt profanæ gẽtes Dauidi, & eum quo fideles Christũ excipiunt: quia

ea voluntario cordis obsequio manat. Et certè si post arcam in templum adductam nulla apparuisset sublimior veritas, quasi puerile erat ludicrum in augusto illo domicilio Deum locari: sed vbi Dei maiestas quæ in tabernaculo habitarat, toti mundo patefacta fuit, & cunctæ gentes sub eius imperiũ fuerunt redactæ, tunc cessauit prærogatiua ista generis Abrahæ. Itaque his verbis regnum illud cuius meminerat Propheta definit: subiectionem Gentium commemorans vt electo populo parere non recusent. Neque enim de arcana prouidentia hic agitur qua Deus totum mundum gubernat: sed de speciali potestate quam per verbum suum exercet. Itaque vt propriè rex vocetur, necesse est salē à suis agnosci. Quæritur tamen, dum suis auspiciis & cœlesti potentia restituit Christus Ecclesiam, quo sensu dicātur populi subiecti esse Iudæis: quia scimus non aliter rite compositũ esse Ecclesiæ ordinem, nisi emineat vnicum caput & fideles omnes à summo vsque ad infimum, inter membra se contineant. Imò quum imperium suum erexit Christus in toto orbe, communis esse cœpit cunctis gentibus adoptio, quæ propria vnius populi antea fuerat. Hoc autē modo libertas omnibus simul data est vt fraterno iure inter se coniuncti ad cœlestem hæreditatem aspirent. [a]Quemadmodũ ait Paulus in Christo Iesu non esse Iudæum nec Græcum, marem aut fœminam, &c. sed omnes nos vnum esse, Gal. 3. d. 28. [c]Sed facilis est solutio: quando Gentibus impositum fuit Legis iugum, dominium adeptos esse Iudæos: quemadmodum Pastores iurisdictionem Spiritus verbo exercent. Sic Ecclesia vocatur regina, Suprà, 45. b. 10. & piorum omnium mater, Gal. 4. d. 26. quia apud eam deposita fuit cœlestis doctrina, quæ instar sceptri est ad nos omnes subigendos. Quamuis ergo Iudæi quo tempore in lucem emersit Christi regnum, miserè & probrosè profanis Gentibus seruierint, fuerintque veluti illorum mancipia, verè tamen & meritò imperium illis tribuitur, quia Deus virgam virtutis suæ emisit è Sion, infrà 110. a. 2. Quum ipsi Legis essent custodes, munus eorum fuit eius authoritate Gentes frænare: quia non aliter sub Dei obsequium collectus fuit reliquus orbis, nisi dum homines Spiritu Dei renouati vltro se præbuerunt Iudæis dociles ac morigeros, séque passi sunt eorum magisterio regi. Quemadmodum alibi dicitur, In illa die apprehendent septem viri fimbriam vnius Iudæi, ac dicent, Ambulabimus post Deum vestrũ, &c. Zach. 8. d. 23. [a]En quomodo Iudæi etiam reuelato Seruatore Gentibus præficiantur. Qua de re videre licet Paulum in Epistola ad Romanos, Capite 3. a. 1. *Et nationes subtus pedes nostros.* Repetitio est. idē enim dicit, sed aliis verbis, quod priore parte versus dixerat. [r]Quidam vertunt, Et regna sub pedibus nostris.

5 *Selegit nobis hæreditatem nostram, gloriam Iahacob quē dilexit. Selah.*

Selegit nobis hæreditatem. [v]Ad verbum, Eliget nobis. Sed futurum Hebræum pro præterito ponitur. Id est, donauit nos hæreditate propria, atque ita distinxit à reliquis populis. [c]Clarius celebrat Propheta peculiarem illam gratiam qua dignatus fuerat Deus electum & sanctum genus Abrahæ. Sicuti enim posthabito toto mundo paucos homines & ignobiles sibi adoptauerat: ita illud tam insigne paterni amoris pignus segregari oportuit à communi beneficentia qua totum humanum genus prosequitur. Itaque emphaticum est Seligendi verbum. acsi diceret Deum non egisse cum Abrahæ filiis vt promiscuè solet cum aliis gentibus, sed quasi hæreditario iure dignitatem contulisse, qua reliquos omnes præcellant. Quod idem continuo post exprimit sub nomine gloriæ. *Gloriam Iahacob.* [v]Vel, præstantiã, magnificentiam, splendorē. Per appositionem dictum: id est, de quo verus Israel gloriatur. Vel, quod est ipsi Iacob materia gloriæ, magnificentiæ & splēdoris. [c]Nã gratias Deo agere iubet Propheta quòd in persona Iacob populum electum extulerit in summum honoris gradum: vt gloriari posset sortem suam ab aliis omnibus distinctam esse. [M]Quidam hoc de magnificentia Iacob exponunt, quam intelligunt esse sanctuariũ ac tabernaculum Dei, & per consequens ciuitatem Hierusalem. Sed prior sensus simplicior est, vt propius ad Prophetæ mentē accedit. *Quem dilexit.* [c]Iam docet selectum esse Abrahæ genus in persona Iacob gratuito fauore Dei. Nam relatiuũ pronomen causalis particulæ vice ponitur, acsi causam dignitatis & præstātiæ in Deo ipso statueret Propheta. Atque hæc regula tenenda est, quoties laudatur Dei gratia erga Iudæos, quia patres eorum dilexerit, merita omnia in nihilum redigi. Iam quum tota sancti patriarchæ dignitas ex mero Dei beneplacito pendeat, quis sibi proprium quicquã arrogare audeat? Discamus ergo, quicquid nobis peculiariter confert Deus supra alios, paterno eius amori ascribere: quia nos sibi in gregē elegit. [a]Quid habes (inquit Paulus) quod non accepisti? si autē accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. b. 7. [c]Colligimus etiam ex hoc loco, gratiam quam Deus erga electos suos exerit, nō communiter ad omnes patere, sed priuilegium esse quo paucos à maiori numero discernit. [a]Voluntaria siquidem est & gratuita Dei electio, cuius omnes non sunt participes, sed ii solùm quos sibi in filios adoptare ab æterno statuerit. [M]Neque enim frustra dictum legimus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Malach. 1. a. 2. & Rom. 9. c. 13.

6 *Ascendit Deus cum iubilo, Iehoua cum voce tubæ.*

Ascendit Deus cum iubilo. [M]Iudæi, qui perpetuò restitutionem terrenæ Hierusalem expectant, exponentes hunc Psalmum de regno quidem Messiah, attamen carnali & terrestri, referunt hunc ascensum ad reductionem arcæ in Sanctuarium, vbi fuerat olim: quã credūt cum magno gaudio & tripudio restituendam esse in locũ suũ. [c]Et certè Iehouæ nomē ad arcam trãsferri, præter vsum Scripturæ nō est: quia tametsi illic non inclusa erat Dei essentia vel maiestas, nec virtus etiam alligata, nota tamē inanis erat præsentiæ Dei symbolũ. Nã sicuti promiserat Deus se habitaturũ in medio populi quãdiu cũ ex Legis præscripto Iudæi colerēt: ita re ipsa mōstrabat verè se illis adesse, nec frustra inuocari inter ipsos. [M]Vnde etiã quidam ex nostris ascēsum hūc referũt ad arcã Testamēti, sed quatenus sub Salomone ingēti cũ gaudio, clamore, iubilatione, tubis & reliquis musicis instrumētis in templũ collocata est, 2. Paralip. 5. d. 13. [c]Sed verius hoc in gloriæ manifestationē cōpetit quæ tandem refulsit in Christi persona. Alludit autem Propheta ad veterem Legis ritum. Nam quia ad celebrandos sacros conuentus adhiberi solebat tubarum clãgor, dicit Deũ ascendere, quum buccinæ ad extollendã eius potentiã hortãtur populũ & animant. Id enim tãtundē valebat olim ac si rex magnifico splēdore ad suos ingrediēs, venerationē sibi cōciliet. Interea non dubiũ est quin sub illa vmbratili cæremonia aliũ ascēsum Propheta cōmēdauerit, nēpe, dũ Christus supra omnes cœlos euectus mũdi totius imperiũ adeptus est, & cœlesti virtute instructus superbiã omnem & altitudinē subiugauit. Sũma est, quũ canerent apud Iudæos buccinæ ex Legis præscripto, non euanuisse in aere sonitũ illum, quia Deus, qui in arca fœderis præsentiæ suæ pignus ac tesserã dederat, verè præsideret in cœtu illo. Hinc exhortationis argumentum ducit Propheta vt Deo psallant fideles: quia nō sint id facturi fortuitò, sicut superstitiosi, quum nihil habeãt certitudinis, frustra eiulant corã suis idolis. Causam ergo fidelibus suppetere docet Propheta cur alacriter laudes Dei personent: quia certò sciunt præsentem sibi adesse, acsi inter eos regale solium locasset.

7 *Cantate Deo, cantate: cantate regi nostro, cantate.*

Cantate Deo. [M]Cōtemplatus Propheta immēsitatem gloriæ Dei, & Christi celsitudinem, meritò hortatur ad canendum & psallendũ Deo, Deo inquam, non muris creaturis, non lapidi aut ligno, [a]quēadmodũ idololatræ nō minus impiè quã pertinaciter faciũt. [M]Et obserua vehemētiã in eo quòd illud זמרו Psallite, vel Canite, quinquies repetit, iucũdissima simul modulatione admonitionem condulcorans. Laudandus igitur est Deus nō semel aut bis, sed iterũ atque iterũ. hoc est, dum cor in nobis palpitat ac viuit. id enim indignum est cuius domicilio delectetur Deus, nisi perpetuo supernarum rerum deflagret desiderio, atque propterea diuinũ nomē celebrãdi, extollendique inter illos qui adhuc extra vineã otiãtur. [a]Hinc sanctus vates alibi dicit. Lauda anima mea Iehouam: laudabo Iehouã in vita mea, psallã Deo meo quandiu ero, Infrà, 146. a. 1. *Cãtate regi nostro.* [r]Si De⁹ rex est excelsus super omnē terrã, vtiq; rex est noster. Adhæc si ab omnibus orbis nationibus summa laude celebrãdus est, multo magis eũ ipsi laudib⁹ efferre debem⁹, à quo tot beneficiis affecti sum⁹. Canite ergo regi nostro.

8 *Quoniam rex vniuersæ terræ Deus: cantate [quotquot] intelligitis.*

Quoniam rex vniuersæ terræ Deus. [c]Postquam Propheta vocauit Deum regem electi populi, continuò pòst dicit regem esse totius terræ. Atque hoc modo ius & honorem primogenituræ asserens Iudæis, Gētes deinde socias adiungit. His autem verbis significat Propheta longè nobilius fore Dei regnum aduentu Messiæ, quàm sub Legis figuris, quia propagandum sit in vltimos terræ fines: sicuti habetur Suprà, 2. c. 8. Ideo maioris vehementiæ causa quinquies repetit verbũ psallite, sicuti iam dictũ est. *Cantate quotquot intelligitis.* [v]Quidã, cũ intelligētia. Alii, intelligibiliter. Alii, prudenter vel sapiēter. Hebraicè, Canite intelligēs. Singulare cũ verbo plurali, quod per nomē partitiuũ vnusquisq. resolui debet, hoc modo, Quicũq; sapiētia & conditione præcellitis vel peritis canendi. Nam omnea

qui canere norunt, ad hoc exercitium Propheta inuitat. Sed quanuis loquatur de scientia artis musicæ, requirit tamen in canendis Dei laudibus veram intelligentiam, ne linguæ tantùm reboent, vt scimus fieri in Papatu.[V] Ac si Propheta diceret, Vnusquisque illorum qui canit intelligens sit. [C] Requiritur ergo ad legitimum canendi cultum scientia, ne vano clamore nomen Dei profanetur. Cæterùm quis rite Deum laudibus efferre poterit nisi is qui illius bonitatem ac sapientiam probè nouerit? Illo duntaxat is munere cœlitus ornantur qui eum prudentia atque intellectu ab ignorantiæ fæce depurato, quæ est in rebus agẽdis sapiẽtia, res suas cũ Deo cõmunicãt. quod iis duntaxat datur qui cœlesti sapientia præditi sunt: animali enim homini hæc stultitia sunt. hinc Paulus, Verbum Christi (inquit) habitet in vobis opulenter in omni sapientia, docentes & admonentes vosipsos Psalmis, & hymnis & canticis spiritualibus, cũ gratia canentes in corde vestro, Domino, Coloss. 3. c. 16.

9 *Regnat Deus super Gẽtes: Deus sedet super thronum suum sanctum.*

Regnat Deus super Gentes. [V] Vel, vt alii vertunt, Regnum obtinuit super gentes, [C] quia verbum מלך sub tempore præterito cõtinuum actum designat.[V] A his verbis idem dicit quod præcedenti versu.[C] Quum verò toties repetat Deum super Gentes regnare, colligere promptum est de nouo & prius inaudito regnandi modo haberi sermonem. Subaudienda enim est antithesis inter Legis tempus, quo Deus imperium suum continuerat intra Iudææ limites, & Christi aduentum, quo illud amplisuit quàm longè latéque patet totus orbis. Quanquam autem Dei maiestas scintillis quibusdam enituit inter Gẽtes, quũ eas sibi tributarias fecit Dauid, non tamen propriè dixisset Propheta Deum inter illas regnasse: quia & eius cultum aspernabãtur, & optassent extinctam prorsus esse Ecclesiam. Quare vt cõstet vaticinii huius complementum, ad Christum venire necesse est. [A] Cæterùm regnat Deus super Gẽtes, vt æternam vitam, ac solidam iustitiã, quicquid denique omnino optabile est, per Christum possideant. *Deus sedet super thronũ suum sanctum.* [V] Vel, super solium sanctitatis suæ. [C] Hæc particula duplicem sensum recipit. Sæpe enim hac locutione tabernaculum vel templũ intelligitur: interdum verò cœlum significat. Si de templo exponere libeat, sensus erit, Deum sic præesse toti mũdo, ac populos omnes sub imperio suo complecti, vt primaria tamẽ eius sedes Hierosolymæ maneat: sicuti etiam inde fluxit Euãgelii doctrina, qua sibi Deus cunctos mortales subegit. De cœlo tamen cõmodè accipere licebit, quòd Deus manum suam exerẽs ad homines sub obsequium suum cogendos, palam ostendat se ex solio cœlesti dominari super homines. quia nisi propinquis & claris signis virtutem suam demonstret, mũdi gubernator non agnoscitur.[P] Sessio item stabilitatis indicium est. vnde colligimus frustraneos esse & vanos eorum conatus qui Deum è sede deturbare conantur, acsi iudicis partes obire non debeat. Sedet enim ac perpetuò sedebit super solium sanctitatis suæ, vt totũ mundum suo nutu gubernet, & omnes orbis nationes imperio suo subiiciat.

10 *Principes populorũ congregati sunt, ut sint populus Dei Abraham: quoniam Dei sunt scuta terræ, uehementer eleuatus est.*

Principes populorum congregati sunt. [V] Vel, adiunxerũt se populo Dei. Alii, subaudito Et, legunt, adiunxerunt se, & populus Dei. Quidam vertunt, Cõgregati sunt cum Deo. vel, adiungent se Deo.[C] Exornat Propheta & amplificat pluribus verbis proximam sententiam Rursus enim definit qualiter sibi Deus acquisierit regnum super Gentes, dum scilicet qui prius alieni erant, in eũdem fidei consensum coaluerunt cum Iudæis: atque ita ex misera dissipatione in vnũ corpus variæ gentes collectæ sunt. Nam quum illuxit Euangelii doctrina, non abduxit Iudæos à fœdere quod pridem Deus cum illis pepigerat, sed potius nos illis adiunxit. Quum ergo vocatio Gẽtium nihil aliud fuerit quàm insitio in familiã Abrahæ, meritò dicit Propheta vndique congregatos extraneos ad illam gẽtem electã, vt talis accessio regnum Dei per omnes terræ plagas diffunderet. Qua ratione dicit Paulus, vt hæreditatis æternæ participes essent gẽtiles, factos fuisse Iudæis concorporeos, Ephes. 3. a. 6. Quanquam autem abolitis cæremoniis sublatus est intermedius paries, qui alios ab aliis separabat: verum tamen est non aliter nos cẽseri inter Dei filios, nisi quia insiti sumus in genus Abrahæ. Nec de vulgo tantũ loquitur Propheta, sed ipsis quoque principibus nihil ad summam fœlicitatem potius foredicit quàm vt se adgregent ad Iudæos. Sicuti alibi videbimus, De Sion dicetur, Hic & ille in ea natus est, Infrà, 87. a. 5. Porro collectio futura dicitur ad populum Dei Abrahæ, vt sciamus nullam carnis dignitatem tribui Iudæis quæ in piorum personis resideat:

sed totam eorum præstantiam inde pendere, quia purus Dei cultus inter ipsos floreat, & emineat cœlestis doctrina. Quare nihil hoc ad reiectitios Iudæos pertinet, quos sua incredulitas ab Ecclesia abdicauit. Sed quia radicis sanctæ (vt Paulus docet, Rom. 11. b. 6.) rami naturaliter sancti sunt, non obstitit maioris partis defectio quin reliquiis maneret hic honor. Itaque consumptio illa quæ secundum Esaiæ vaticinium exundauit in totam terram, vocatur populus Dei Abrahæ, Esa. 10 c. 13.[A] Sic dicebat Christus, Dico vobis quòd multi ab Oriente & Occidẽte venturi sunt, & accumbant cum Abrahã & Isaac & Iacob in regno cœlorum, Matth. 8. b. 11.[C] Continet autem hic locus vtilem doctrinam, & eam duplicem. Primò enim hinc discimus, quicũque inter Dei filios numerari volunt, debere locum in Ecclesia quærere vt fraternam charitatem cum piis omnibus colãt: deinde vnitatem Ecclesiæ non aliunde esse æstimandam quàm ex sincero ad obsequium verbo Dei præstandum consensu, vt sit vnius ouilis vnus pastor.[A] Quemadmodum Christus dicebat, Alias oues habeo quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, vnus pastor, Iohan. 10. c. 16. *Quoniam Dei sunt scuta terræ.* [V] Vel, Dei sunt clypei terræ. [C] Si de principibus hoc intelligitur, (quẽadmodũ metaphora hæc frequenter in Scriptura occurrit) sensus erit, in arbitrio Dei esse proceres mundi in Ecclesiam suam inserere, quia illis quoque dominetur. Si verò simplicius sumere libeat, tantundem valebit acsi Propheta diceret, quia mundus protegitur seruaturque ab vno Deo, iure tantam celsitudinem cũ admiratione suspici, quæ ad tam arctã custodiam sufficit. Nã ideo clypeos plurali numero ponit, quia in variis & propè innumeris periculis, quæ assiduè singulis mundi partibus impẽdent, multiplicem Dei prouidentiam, tanquam multos clypeos, interuenire necesse est. *Vehementer eleuatus est.* [V] Vel, exaltatus est. Q. d. Defensio eorum qui in terra sunt, accepta referri debet Deo. Siue, Quoniam protectio Dei extenditur ad totã terram, vehementer exaltatus est.

ARGVMENTVM PSAL. XLVIII.

[M] Admiranda nobis hoc Psalmo & celebranda proponitur Dei in Ecclesiam suam bonitas, beneficentia, fides ac protectio, [C] sub memorabili quadã liberatione vrbis Hierosolymæ, quum in eius excidium conspirassent multi reges. Deinde ostenditur non frustra in monte Sion erectum esse sanctuariũ Dei, sed illic inuocari eius nomen, vt in populi sui salutem virtus eius conspicua appareat.

Canticum Psalmi, filiis Corah.

Canticum Psalmi. Vide Psalmũ 30. a. 1. *Filiis Corah.* Vide Psalmum 42. a. 1.[B] Videtur Psalmus iste post mortẽ Dauidis fuisse compositus. Verum quidem est Dauidi infestos fuisse quosdã exteros reges, nec per eos stetisse quo minus Hierosolymã funditus delerent: huc vsque tamen progressos fuisse nõ legimus vt eam obsidione premerent, vt oportuerit admirabili Dei virtute reprimi illorum conatus. Potius credibile est notari tempus Regis Achaz, quo soluta repẽte fuit obsidio in summa desperatione: vel etiam tempus Iosaphat, & Asaph: quia tunc scimus nonnisi cœlesti auxilio Hierosolymam ab extrema clade mirabiliter seruatam fuisse. Hoc quidem pro certo tenendum est, specimẽ vnum Dei gratiæ proponi fidelibus, in quo agnoscant bene & fœliciter secum agi quòd domicilium sibi elegerit Dominus in monte Sion, vnde ipsis in salutem præsideat.

2 *Magnus Iehoua & laudãdus ualde in ciuitate Dei nostri, & monte sancto eius.*

Magnus Iehoua. [V] Quidã in superlatiuo (quo carent Hebræi) vertunt maximus. Propheta magnificentiam Dei commendat, non simpliciter vt est in seipsa, infinita, nusquam non resplendens: sed quatenus sese exeruit in populo suo. [C] Nam antequã speciale illud quod attigimus gratiæ Dei exemplum commemoret Propheta, docet in genere beatam esse Hierosolymam, quòd eius tuẽdæ curam Deus suscipere dignatus fuerit. Atque hoc modo Dei Ecclesiam à toto mundo separat: sicut hoc inæstimabile beneficium est, quòd Deus ex toto genere humano exiguum numerum complectitur humano fauore. Quanuis ergo in vniuersa mundi gubernatione sapientia eius bonitas & iustitia sic refulgeãt vt nulla pars vacua sit ab eius laude, sed vbique eius laudandi materia occurrat, in Ecclesiæ tamen protectione Dei gloriam nunc Propheta celebrat.[M] Licet ergo magnificentia Dei nusquam nõ sit cõtemplanda & celebrãda, maximè tamen in populo ipsius spectanda est & obseruanda. Nam hoc potissimum ad fidem corroborandã & exactiorem ipsius cognitionem acquirendã facit. *Et laudãdus ualde.* [M] Vel, laudabilis valde. Quidam, laudabilis nimis. Quod Propheta

non contentus dixisse, Magnus Dominus, addit, & laudatus ac celebratus vehementer, admonet nos vt non solùm cōtemplemur magnitudinem Dei in seipsa, sed simul notemus quàm sit propterea quæ gessit in populo suo laudatus. *In ciuitate Dei nostri.* Hoc est, in vrbe Hierosolymitana. [c] Sed annon etiã magnus & laudabilis Deus est in toto mundo? Certè, vt diximus, nullus est angulus tam reconditus quo non penetrent eius sapientia, iustitia, bonitas & reliquæ virtutes: sed quia præcipuè vult eas in Ecclesia sua conspici, non temere hoc speculum ante oculos ponit, in quo Deus magis ad viuum faciem suam exprimit ac repræsentat. Vocat verò Hierusalem ciuitatem Dei, Regisque eximii montem sanctum, pulchrum clima, elegansem locum, qui omnem terram exhilaret: propterea quòd Deus verbo & Spiritu suo in ea potius quàm in toto orbe tum regnauerit, indeque doctrinam saluificam in omnem terram sparserit. iuxta illud, E Sion prodibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem, Esa. 2.a.3. *Et monte sancta eius.* [c] Montem sanctum nominans, breuiter admonet quo iure Hierosolyma sit ciuitas Dei, nempe quia eius mandato arca fœderis illic erat locata. acsi diceret Hierosolymam non proprio suo merito sublime esse theatrum in quo Deus magnitudinem suam spectari velit: sed quia arca fœderis cælesti mandato illic in symbolum singularis gratiæ deposita fuerit.

3 *Pulcher termino. gaudium vniuersæ terræ mons Sion, qui est ad latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.*

Pulcher termino. [v] Vel, Elegans climate, vel regione. Alii, pulchrum clima. Quidam, Pulcher locus. Nonnulli, amœna regio. [c] In confirmationem proximæ sententiæ prædicat Propheta dotes quibus excelluit mons Sion, quia in illis spectabilis fuit Dei gloria cuius nuper meminit. Etsi autem naturalis hæc fuit situs gratia quam Propheta primo loco recenset, significat tamen in ipsa vrbis specie insculptas ab initio fuisse notas diuini fauoris, vt intuitus ipse ostenderet specialiter locum illum fuisse diuinitus ornatum, vt aliquando in talem vsum consecraretur. Quanquam formosum & delectabilem locum non simpliciter vocat quia parem Iudæa non habuerit, (quum satis constet alias vrbes tam fœcunditate quàm amœno prospectu & aliis commoditatibus Hierosolymæ non cessisse:) sed coniunctim vnà cum vrbis situ aduentitiam dignitatem complectitur, quæ ex templo originem ducebat. Ergo quum laudari audimus vrbis pulchritudinem, veniat nobis in mentem spiritualis ille decor, qui post vaticinium de perpetua arcæ statione ad loci naturam accessit. *Gaudium vniuersæ terræ.* [c] Sic vocatur mons Sion, non tantùm quòd salubris esset regio illa, propter aeris temperiem, (vt insulsè nugantur Iudæi) vel quòd proferret suaues & eximios fructus, qui exteris gentibus possent adferre lætitiam: (quod etiam frigidum est commentum) sed quia inde exoritura erat salus toti mundo, sicuti inde vitæ lucē & cælestis gratiæ testimonium mutuatæ sunt omnes Gentes. Nam si extra Deum lætantur homines, exitialis tandem est exitus, risusque conuertitur in stridorem dentium. Christus autem è Sion cum Euangelio suo apparuit vt solido gaudio æternáque fœlicitate mundum perfunderet. [a] Vnde ipsemet fatetur ex Iudæis salutem esse, Iohan. 4. c.22. [c] Quanquàm autem Prophetæ ætate nondum ad exteros manauerat Euangelii cognitio, meritò tamen hac locutione vsus est, vt scirent Iudæi non aliunde petendam esse beatitudinem quàm ex gratuito Dei fœdere, quod in illo sacrario depositū erat. Interea etiam prædixit quod nouissimo demum tempore impletum fuit Christi aduentu. [b] Quia ergo vitam æternam omnibus gentibus attulit mons, verè prædicatur omnem terram exhilarasse. [c] Vnde discamus, ad exhilarandas pias mentes planè sufficere vnicum Dei fauorem, sicuti eo sublato necesse est cunctos mortales misera inquietudine & tristitia torqueri. *Qui est ad latera Aquilonis.* Dubium est ponàtne Propheta in laudibus montis Sion quòd versus Aquilonem expositus fuerit, an ita resolui debeat oratio, Quamuis ad Septentrionē spectet mons Sion, hoc tamen de eius pulchritudine nihil diminuit. Quanquam prior sensus magis genuinus videtur. Atque hoc quoque elogio montem ipsum insignit Esaias, præstantiam eius notare volens. Sic enim cap. 14.d.14. in persona Sennacherib loquitur, Ascendam super excelsa nubium, & sedebo super montem testimonii in lateribus Aquilonis. [b] Laudatur ergo vrbs à situ, diciturque illa optimè fundata, gaudióque omnium vniuersali erectus mons Sion, in quo diuinus erat cultus, à parte Aquilonari. Aiūt enim in ea regione vrbis quam ferit Aquilo, Sion montem positum esse: ad cuius radices, altiori tamen cliuo, structum erat templum, in quo Deus copiosius verbo ac Spiritu quàm in cæteris locis suam ostendebat maiestatem. *Ciuitas Regis magni.* [a] Hoc in hunc finem tendit, montem Sion non modò sanctum esse, sed donatum tanto priuilegio vt vrbem totam sanctificet, quia sedem sibi Deus illic delegerat vt cuncto populo dominaretur. [b] Certè in hac vrbe Deus ingentia & innumera vsque ad vltimum eius excidium (quod occiso Christo post plurimorū vatum cædem meruerant) beneficia præstitit, quæ nunc cumulatissimè exhibet vbicunque sunt qui in ipsum credunt, ciues scilicet Hierusalem supernæ vereque liberæ. De qua Gal. 4.d.26. Et Hebr.12.f.22. Et nusquam quidem nisi in hac Deus & magnus & laudatus verè agnoscitur.

4 *Deus in palatiis eius agnitus est in arcem sublimem.*

Deus in palatiis eius agnitus est. [a] Pergit Vates in recensendis laudibus vrbis Hierosolymitanæ. *In arcem sublimem.* [v] Vel, in præsidium. Id est, agnoscitur esse vice præsidii. Quidam vertunt, Ad exaltandum. Alii, ad protegendum. aut, ad eleuationem. Hæc omnia pro refugio accipiuntur: propterea nonnulli vertunt, Veluti tutum refugium. Prosequitur ergo laudes templi & vrbis sanctæ, eo quòd Dominum habeant tutorem: vt etiam Psalmo 46.a.6. vidimus, Deus in medio eius non mouebitur. Palatia verò disertè expressit ad antithesin, vt scirent Iudæi, quamuis ciuitas sancta validis turribus munita foret, ædésque haberet splendidas & similes propugnaculis, solo tamen Dei auxilio tutam esse. Proinde his verbis monentur fideles, quamuis in arcibus vel palatiis habitent, sedulò cauendum esse ne splendor illa vel altitudo potentiam Dei obruat. Sicuti profani homines terrenis opibus contenti pro nihilo ducunt Deum habere custodem. [a] Scimus enim quid alibi dicatur, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilare qui custodit eam, Infrà, 127.a.1. [c] Porro quia hæc nobis ingenita est prauitas, vt terrena opulentia oculos nobis perstringens, Dei obliuionem inducat, summa attentione meditanda nobis est hæc doctrina, ne virtutis & gratiæ Dei notitiam obscuret quicquid videtur in nobis esse pretio dignū: sed in cunctis dotibus, quibus ornati erimus, semper clarè fulgeat Dei gloria: vt statuamus non alibi quàm in ipso nos beatos esse. [c] Ergo in domo Dei tantummodo, in Ecclesia, in ciuitate Regis magni, in monte Sion cognosci potest Deus, subindéque amari ac gustu percipi: (extra verò neque cognoscitur, neque amatur:) & id quidem magis quum inuocatus suæ præsto adest spōsæ, illámque ob mundi iniurias exterrefactam, in suæ diuinitatis vlnas (intra quas ipsi quoque vita defuncti reuiuiscunt) & suscipit & fouet, sicut solet mater tenellam natam spectri alicuius imagine pauefactam ex humo erigere & consolari.

5 *Quoniam ecce, reges congregati sunt, transierunt pariter.*

Quoniam ecce, reges. [c] Iam specialis illa, quam diximus, liberatio attingitur. [b] Canit enim Propheta quàm splendidè & magnificè Deus suis auxilium tulerit. *Transierunt pariter.* [v] Vel, Accesserunt simul. [c] Refert Propheta, quum reges simul congregati essent ad perdendam Hierosolymam, impetus tamen eorum irritos transisse, non secus ac nebulæ euanescunt: imò dicit solo aspectu fuisse perditos: neque id vulgariter, sed quēadmodum mulier parturiens subito dolore opprimitur. Etsi autem certò non liquet quam historiam commemoret Propheta, aptissimè tamen quæ hic dicuntur, tam in tempus Achaz quam Ezechiæ vel Asa conueniunt. Fuit enim notabile illud Dei opus, quum duo potentissimi reges Syriæ & Israel ingenti exercitu instructi tanto metu perculissent vrbem, vt rex cum populo ferè exanimis iaceret, repentè frangi & frustrari certa spe potiundæ vrbis. Vnde & Esaias per ludibrium titiones fumantes vocat, cap. 7. a. 4. quum duæ quasi faces accensæ essent ad consumendam incendio Iudæam. Nec minus stupendum fuit miraculum, innumeras copias Sennacherib nocte vna sine hominum manu ab Angelo deleri, 2. Reg. 19 g. 35. Iam quum rex Æthiopum collecta myriade ad oppugnandam Hierosolymam venisset, memorabile fuit potentiæ Dei specimen tantum apparatum disiicere. Quicquid sit, Iudæos claro documento expertos esse dicit, Deum fuisse sanctæ vrbis custodem, dum inuicto hostium robori se opposuit. Ideo dicit fuisse congregatos reges: quo verbo significat initum fuisse fœdus in Ecclesiæ perniciem. [m] Hinc verò discamus, hostes Ecclesiæ ac ciuitatis Dei contra veritatem pugnantes, nihil efficere aliud, nec amplius progredi posse quàm vt videant, id est experiātur potentiā Dei, & admirentur, rōturbentur, præcipitentur, ac tremore apprehendantur: ciuitas verò Dei immota persistat, & propter protectionē Dei lætetur & exultet. Quod addit Propheta, Trāsierunt simul, dupliciter exponi potest. vel quòd copiæ ab illis collectæ in nihilū redactæ fuerint, vel quòd simul & vno cōsensu quasi instructa acie expeditionē susceperit. Et hoc secundū videtur contextui esse aptius: quia postea sequi-

tuc ad conspectum vrbis stetisse attonitos. Quanquam licebis non incommodè hunc versum accipere quasi amplificãdi causa additum.

6 *Ipsi uiderunt, & sic admirati sunt: territi sunt, & festinauerunt.*

Ipsi uiderunt. [v] Nẽpe reges illi congregati viderunt ciuitatẽ ipsam. [c] Exornat Propheta quibuscũque potest elogiis miraculũ quod exhibuit Deus in profligãdo tanto apparatu. Sic autẽ resolui debet oratio, simulac viderunt miratos esse. Notũ est illud Cæsaris dicterium, Veni, vidi, vici: quo Ægyptiacæ victoriæ facilitatem notauit. Propheta hic contrà, impios diris obstupuisse solo conspectu vrbis, acsi Deus splendore gloriæ suæ eorum oculos hebetasset. *Et sic admirati sunt.* [v] Particula כן translatiuè posita est, quasi ad rẽ digito mõstrandam, sicuti paulo pòst sequitur eodem sensu aduerbium loci שם. *Et festinauerunt.* [v] Vel, præcipitati sunt, præcipites acti sunt. id est, in præcipitẽ fugam adacti sunt. [a] Scriptura memorat hostes populi Dei tẽpore Iosaphat adeo metu perculsos & terrore exagitatos, vt seipsos trucidarint, & Iosaphat cum populo tantùm spolia legerint, quæ tam multa quoque fuerunt vt tres dies insumpserint ea colligendo & diuidendo.

7 *Tremor apprehendit eos ibi, dolor tanquam parturientem.*

Tremor apprehendit eos. [a] Vel, Terror apprehendit eos. Hoc est, Maximo terrore correpti animis cõciderunt. *Dolor tãquam parturientẽ.* [v] Vel, Illic dolor quasi parturientis. [c] Hæc parturientis similitudo ad exprimendã subitam mutationẽ pertinet. Nã hac circumstãtia luculẽtius emicuit gratia Dei, quòd inopinato metu perculsi, subitò animis cõciderint, & ex summo fastu acti fuerint præcipites. [a] Eadẽ similitudine vtitur Paulus quũ de subito impiorũ excidio loquitur, 1. Thes. 5. a. 3. [c] Monemur autẽ hoc loco nihil noui hodie accidere si validis copiis oppugnetur Ecclesia, ac formidolosos impetus sustineat: quia sic Deus ab initio suos humiliare cõsueuit, quò admirabilẽ suam potentiã magis cõspicuam reddat. Interea nobis occurrat, solum Dei nutũ sufficere ad nos liberãdos: atque vt nobis obruendis vndique immineãt hostes, in eius arbitrio esse, quoties placuerit, stupore percutere eorum animos, vt inter medios conatus momẽto deficiant. Atque hæc cogitatio mẽtes nostras quasi iniecto fræno cõpescat, ne huc & illuc circũspiciant ad humana media. [a] Tum enim vel maximè solet Deus suis opem ferre vbi humano auxilio destituuntur, vt illorum liberatio illi soli feratur accepta.

8 *Quasi uento Orientali [qui] conterit naues Tharsis [dissipati sunt.]*

Quasi uento Orientali. [a] Quidam hunc versum vt allegoriã accipiunt in hũc sensum, Terrore ac dolore incredibili perculsi fuerunt atque deiecti, acsi vento Orientali (quẽ nos Eurũ vocamus, cui summa in Scripturis vehemẽtia tribuitur, qui confringere solet naues maximas, quibus scilicet nauigatur mare magnum,) fuissent agitati & prostrati. [c] Genuinus sensus est, nõ secus afflictos & exitio demersos fuisse Ecclesiæ hostes, ac Deus subitis procellis naues Ciliciæ in mare profundũ deiicit. Cõmemorat autẽ Propheta Dñi potẽtiam quam exercere solet in magnis & violentis tẽpestatibus: acsi diceret non esse mirũ si Deus, qui cõfringit ventorũ impetu robustas naues, hostes quoque suos virium suarũ confidẽtia inflatos prostrauerit. [v] Vnde quidam vertunt, Velut ventus Orientalis confringere solet naues Tharsis. Alii, Velut vento Orientali (aut per ventũ Orientalem) qui cõfringit naues Tharsis: sub. sic dissipati sunt. Hæc pars versus, qui conterit, &c. virtutẽ venti describit. [a] Eadẽ similitudine vtitur & Ieremias cap. 18. c. 17. *Naues Tharsis.* Hoc est, naues Ciliciæ, seu maris mediterranei. [c] Nam Tharsis Cilicia olim dicta est à Tharsis nepote Iapheth, vnde metropolis eius quæ insignem portũ habuit & mercatum maximũ, Tharsos nomen habuit. Ea Paulo patria fuit, sicuti scribitur Act. 9. b. 11, & 22. a. 3. [a] Hinc & mare Ciliciæ, Tharsis & naues quibus in mediterraneo mari nauigabatur, maximæ, quas quidem norant Israelitæ, naues Tharsis dictæ sunt. [c] Ergo per mare Tharsis apud Hebræos Mediterraneũ intelligitur propter Ciliciã, quæ sic olim vocata fuit: etiam Iosepho teste lib. 1. Antiq. cap. 11. Licet tandem nomen hoc ad vrbẽ vnam restrictum fuerit. Quia autem præcipua nauigatio Iudæis erat in Ciliciam, per synecdochẽ huic regioni tribuunt quod aliis remotioribus & minus notis commune erat.

9 *Sicut audiuimus, ita uidimus in ciuitate Iehouæ exercituũ, in ciuitate Dei nostri: Deus firmabit eam usque in seculum. Selah.*

Sicut audiuimus, ita uidimus. [v] Vel, de ciuitate. Q. d. Vt audiuimus à Prophetis, sic deprehẽdimus rem habere de ciuitate Iehouæ exercituũ, de ciuitate, in quã, &c. [c] Bifariã exponi potest hic versus. Primùm, si in persona fidelium dicat Propheta, qualem Deus olim potentiam exeruerat in liberãdis patribus, prosecutum nunc fuisse erga nepotes ac posteros. Audierãt enim ex ore patrum & ex sacris historiis didicerant quàm clemẽter & paternè Deus Ecclesiam suam iuuisset: nunc se oculatos esse testes prædicant. quia re ipsa eandem erga se misericordiam sint experti. Summa igitur esset, fideles non modò in historiis habere bonitatis & potentiæ Dei testimoniũ, sed vsu & experiẽtia sentire adeòq; perspicere oculis quod prius cognouerãt ex auditione & relatu patrũ. Itaque Deũ semper manere sui similẽ, qui vetusta gratiæ suæ exẽpla subinde assiduis documentis confirmet. Alter sensus paulo argutior est, optimè tamen quadrat, Deum scilicet re ipsa præstitisse quod pollicitus fuerat populo suo. acsi dicerent fideles sibi ante oculos fuisse exhibitũ quod prius tantùm auribus perceperãt: quia vbi nudæ tãtùm promissiones apparent, Dñi gratia & salus in spe adhuc abscondita est, effectu autem conspicua redditur. Cõtinet hæc interpretatio vberem doctrinam, nempe quòd Deus spem verbo suo datam minimè frustretur, nec magis liberaliter promittere soleat quàm implere quod promisit. [m] Magna certè iucunditas est, re ipsa videre veritatem promissionũ Dñi, Deum esse suorũ protectorẽ, [a] ac perpetuum Ecclesiæ suæ custodẽ. *In ciuitate Iehouæ exercituum.* [c] Dixerat versu 3. ciuitatẽ esse regis magni. nunc idem repetens dicit ciuitatẽ esse Iehouæ exercituum. Vbi nomen Iehouæ ad exprimendam Dei virtutẽ positum est. [a] acsi diceret Propheta nõ mirum esse si salua persistit hæc ciuitas, quia illius possessor & dominus satis virium habet ad eam perpetuo tutandam. *Dei nostri.* [c] Fideles Deum suum appellant notandæ adoptionis causa, vt in eum sperare & familiariter ad eum confugere audeant. [a] Nam seruator est omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Timoth. 4. c. 10. [c] Quòd verò in concilio Niceno secundo hunc locum torserunt boni patres, vt probarent non sufficere doctrinam in templis, nisi ad confirmationem accederent picturæ ac imagines: nimis pudenda fuit insulsitas & relatu indigna, nisi quòd vtile nobis est intelligere horrendum in modum percussos fuisse spiritu vertiginis & stuporis quibus propositũ erat Ecclesiam corruptela illa inficere. [a] Nam qua ratione ausi fuerunt suo decreto manifesta legis verba abrogare? Ea enim similitudinem omnem cultus erigendi gratia fieri vetat, Exod. 20. a. 4. Sed ita dementat eos Satan qui à Scripturæ simplicitate recedẽtes, supra Deum ipsum sapere volunt. *Deus firmabit eam.* [v] Vel, vt quidam vertunt, firmauit, stabiliuit. *Vsque in seculum.* [c] Vel, in perpetuum. Hæc clausula versus, Hierosolymam à cunctis mundi vrbibus discernit, quæ suas habent vicissitudines, vt nonnisi ad tempus floreant. Quia autẽ status Hierosolymæ à Deo fundatus est, inter varias mundi conuersiones firmus permanet. Non mirũ igitur si per continuam ætatum seriem Deus vrbem à se electam tueatur, in qua nominis sui inuocationem semper vult residere. Quòd autẽ abducto in exilium populo vrbs semel excisa fuit, cum hac sententia non pugnat. quia iam antè vaticinio Ieremiæ ostẽsa fuerat restitutio, Ierem. 27. d. 22. ideóque tunc maximè quàm stabile esset opus suũ probauit Deus. Nunc postquam aduentu suo seculum renouauit Christus, quicquid olim de vrbe illa dictum fuit, ad spiritualẽ Hierosolymam pertinet, quæ per omnes mundi plagas dispersa est. Atque hæc doctrina, quoties animis fluctuamur, succurrere nobis debet, quicquid discriminũ immineat, salutem Ecclesiæ quam Deus stabiliuit, posse quidem grauiter concuti, sed non ita labefactari vt cadat. [a] Ad cuius rei confirmationem dicebat Seruator, Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi nõ præualebunt aduersus eã, Matth. 16. c. 18. Ergo æterna erit Ecclesia, quia in cõfessione Christi, qui æternus est, fixas habet radices, iámque cum ipso, qui caput fidelium est, ad dexteram residet Dei patris, spe saltem ac fide, Ephes. 2. b. 6.

10 *Considerauimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Considerauimus Deus misericordiam. [v] Vel, animo cõcipiebamus, vel, expectauimus. [c] Docet hic versus fideles fuisse diuinitus seruatos, quia in summa rerum omnium perturbatione patienter quieuerint, donec tandem misertus ipsorum Deus opem afferret. Verbum enim Hebraicum דמה, quod est propriè silere, animi tranquillitatem notat. Vnde colligimus periculis agitatos fuisse fideles, vt pro carnis sensu cõsternari possent, vel capauescere. quẽadmodum scimus homines in cõtinuo tumultu versari, & quasi cõtrariis fluctibus huc & illuc impelli, donec eorũ mentes fides trãquillet, & ad silentium componat. Summa igitur est, fideles, quum miserè affligerentur, non fuisse tamen è gradu deiectos: quin recumberent in Dei auxilium, quin potius eius gratiæ patientia & spe ianuam patefecisse. Porro hoc ad illustrãdam Dei gratiam valuit, quòd quũ ab eius expectatione penderent, non fuerint frustrati. [m] Hoc autẽ videtur non malè quadrare ad historiam sub Iosaphat, de qua vide 2. Paral. 20. a. 2.

ræ Hierusalem germanæ Christi Ecclesiæ Deum nunquam abesse, nullos hostes posse ei præualere, iugémque esse in ea Dei laudem, vt illa eius prospectione & beneficiis incessanter fruitur, eóque sempiterno quoque gaudio de Deo suo exultat. Hæc autem vitam viuens adeo diuinam & beatam quem lateat vbi agat? Quæcunque omnino talis sit Christi Ecclesia, quid solo nomine nobis placebimus hæc si nobis vita defuerit?

ARGVMENTVM PSAL. XLIX.

[a] Psalmus hic vtilem doctrinā cōtinet, vnde fideles miseriis pressi consolationis plurimum accipere possint. docet enim, quāuis bonis omnibus prorsus affluant profani homines, quādiu à Deo alieni sunt, vmbratilem fœlicitatē in qua sibi placēt, quæ instar somnii euanescit, minimè expetendam esse: bonos autem, quamuis contumeliosè tractentur, vel affligantur multis malis, respici tamen à Deo, vt tandem ipsos liberet.

PRæfecto filiorum Corah, Psalmus.

Præfecto filiorum Corah. Vide Psal. 4. a. 1, & 42. a. 1.

1 *Audite hoc omnes populi: auscultate omnes habitatores orbis.*

Audite hoc omnes populi. [a] Mirāda quædā narraturus Propheta (nam psalmus hic vnū ex præcipuis cœlestis philosophiæ capitibus continet) non abs re tam splendidis verbis præfatur, [b] ea quæ dicturus est sapientiam & prudentiā esse, quòd ex vera sapientia & prudentia omnia nata sint, & rectè sapere, prudentérque omnia iudicare ac instituere doceant. [c] Putaret forte quispiam prima specie, nonnisi vulgare argumentum tractari, quia de breuitate huius vitæ differitur, & de vana fiducia qua seipsos plurimi inebriant. quorum vtrunque videtur satis esse notum. Finis autem est, vt probi & pietatis studiosi homines, quibus res sunt minus prosperæ in mundo, hac consolatione dolorem suum mitigent ac tædium leuent, sibi tandem melius fore vbi Deus res confusas in ordinē restituet. Sed altius cōscendit Propheta, vtcunque non statim Deus palam ostendat mundum sua prouidentia regi, patienter tamē expectandum esse exitum qui carnis sensu nō percipitur. hoc quidem philosophi quoque ipsi præcipiunt, quāuis miserè vexemur in mundo, nullis tamen afflictionibus cedendum esse. Deinde stultè sibi placere qui beati censentur, quia diuitiis, honoribus & deliciis nihil sit magis euanidum: sed ad fontem ipsum nō perueniūt. quia vbi optimè disputant de beata vita contenti sola virtute, non constituunt Deum in medio qui res humanas gubernet, vt in eum recūbere discant quibus alioqui nihil præter desperationem apparet. Friget igitur philosophica de his rebus præceptio. Itaque Spiritus sanctus licet in medium proponat quæ experimento nota sunt, tamen altius conscendit, mundum scilicet diuinitus regi, & dum improbi intemperāter exultant, boni autē contumeliosè calcantur, Deum semper in cælo iudicē sedere, vt opportunè reprobis delicias excutiat, quibus se oblectāt: suos autem cultores è profundis tenebris erutos vero gaudio perfundat. Hinc verò petenda est solida consolatio in omnibus miseriis, quæ formidabili cōspectu nos obruunt, nisi illuceat Dei facies: quia nisi persuasi simus ipsum habere salutis nostræ curam, nullum cernimus remedium nec finem. Hæc, vt diximus, ratio est cur Propheta nos attentius iubeat mentes & studia erigere ad suam doctrinā: quia de rebus præclaris & sublimibus verba facturus sit. Audite hoc (inquit) omnes populi. Q. d. [f] Sum vobis mundo noua & inaudita explicaturus. Sitis igitur omnes ad meam doctrinam attenti ac dociles. Videte ne hæc vobis vnquam excidant. *Auscultate.* [v] Vel, auribus percipite. [a] Duo notantur in hoc versu, quòd scilicet doctrinæ quam proponit vtilitas sit cōmunis: deinde quòd omnes seria admonitione opus habeant: quia nemo animum ad rectam considerationem nisi expergefactus erigat. *Habitatores orbis.* [v] Quidam Hebræorum exponunt temporis, id est, huius vitæ præsentis, quæ temporalis est. Sed hoc paulò asperius est: nobis sufficiat, cunctos mortales promiscuè vocari à Propheta, quia æquè ad omnes pertineat quod dicturus est.

3 *Etiam [nos] filii hominum, etiam [nos] filii viri, pariter diues & pauper.*

Etiam [nos] filii hominum, etiam [nos] filii viri. [v] Hebraismus est, pro, tam plebeii quàm dignitate aliqua pollentes. Vel, & plebeii & nobiles. siue, filii magnatum. Quidam vertunt, tam filii hominum ignobilium, quàm filii cuiuscunque nobilis. [c] Filios hominis vocat plebeios & ignobiles: filios autem viri vocat potentes ac diuites: [v] vt mox ipse velut exponens seipsum dicit, *Pariter diues & pauper.* [c] Præfatur ergo, summos quosque & infimos sine exceptione sibi docēdos esse, quia nemo eorū sponte sapiat: quum tamen doctrinam proferre instituat quæ peræquè attingit totum humanum genus. [f] Sic nemo à Christi doctrina abigitur, non rex, non princeps, non integer populus, non mercator, non miles, non sicarius, non leno, non meretrix, non quicquid sordium huiusmodi in orbe inuenitur vniuerso, à suauissimo Christi verbo repellitur. Præco enim vniuersalis est Christi Spiritus: eapropter omnes inuitat, prouocat, admonet, accendit demum, atque ad percipiendam suis languoribus medelam alioqui timidos, & (vt solent phrenetici) suæ saluti reluctantes animat.

4 *Os meum loquetur sapientias: & meditatio cordis mei intelligentiæ.*

Os meum loquetur. [v] Vel, loquitur. *Sapientias.* Vel, scientias. Id est, quæ ad cōparandam scientiam plurimum valent. [m] Quoniam vniuersos mortales vt audiant quid admoniturus sit, aduocauit Propheta, non incommodè subiecit, se non de rebus leuiculis ac vanis, sed de grauibus ac necessariis sapienter & cū intelligentia dicturum: déque talibus quæ non aliunde acceperit, sed ex cordis sui meditatione hauserit, quibus & ipse velit aurem accommodare, quæ & propositurus sit non austerè, sed iucunda modulatione citharæ. [c] Itaque Prophetæ consilium fuit authoritatem & reuerentiam suæ doctrinæ asserere, quia non futiliter garrit de suis commentis, sed tantùm profert quod didicit in schola Dei. Hæc autem vnica est probè docendi ratio in Ecclesia Dei, vt qui aliis præfectus est magister aurem ad discēdum inclinet priusquam os aperiat ad loquendum, atque ita fideliter de manu in manum tradat quod à Domino accepit. Et certè sapientia non nascitur in hominis ingenio, sed è cælo petēda est: ideóque nemo prudēter & ritè in ædificationē Ecclesiæ vnquam loquetur, nisi qui Deo se prius docilem præbuerit. [m] Videmus hic etiā quàm non cōueniat sapientia Spiritus sancti mundanæ sapientiæ. Mundus putat prudentiam esse siquis ad acquirendas diuitias fuerit appositus. Quis autem eum vocabit sapientem & intelligentem qui furandi industria multa acquirit, tandémque suspenditur? Quis eum, qui absente domino suo comedit & bibit pro libitu, bonáque sui domini dilapidat, de quibus aliquando cogitur dare rationem? Quis ægrotum vocabit sapientem & intelligentem, qui pro sua concupiscentia ita edit & bibit vt saipsum perdat? At planè ita habēt qui per fas & nefas diuitias quærunt, vt liceat aliquandiu lautè viuere. Hic verò vocatur sapientia & intelligentia siquis diuitias cōtemnere, vanitatémque illarum agnouerit, quo fiduciam suam non in res vanas, sed in Deum collocet. *Et meditatio cordis mei intelligentiæ.* [v] Sub. sunt. [c] Sic melius vertitur, quàm vt quidam vertunt in accusatiuo intelligētias. nam meditatio cordis non loquitur. Plurali verò vtitur Propheta, quòd de multiplici intelligentia loquatur. Sunt qui Et pro Quia accipientes, vertunt, Quia animus meus meditatur res plenas prudētia. Vel, Nam quæ apud me ego meditor, ad rectam intelligentiam pertinent. q. d. Nihil vulgare hic proponam: propterea nō est quòd quispiam contēnat hanc doctrinā tanquā non magni ponderis;

5 *Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam cum cithara ænigma meum.*

Inclinabo ad parabolam. [v] Vel, accommodabo parabolæ. Interdum sententiis. [c] Nā nomē משל propriè similitudinē significat: sed sæpe ad graues sentētias trāsfertur: quia figuris & trāslationibus vt plurimum ornātur. Acsi diceret Propheta, Ego hic disseram de rebus magnis ac præclaris. *Aperiam cum cithara.* [v] Vel, exponam adhibita cithara, ad quā scilicet decantatus fuit Psalmus. *Ænigma meum.* [a] Eodem ferè sensu capitur ænigma quo parabola. Itaque Ezechielis 17. a. 2, duo nomina & verba simul iunguntur. Ænigmatiza ænigmate, & paraboliza parabola. Verum quidem est illic notari allegoricum sermonem: sed iam dictum est cur Hebræi ænigmata & similitudines vocent insignes & notatu dignas sententias. Nam aperiendi vel retegendi verbo testatur Propheta sibi minimè esse propositū res de quibus acturus est perplexis & obscuris ambagibus inuoluere. Et certè quamuis longè à sensu nostro remota sit cælestis doctrina propter suam sublimitatem, Spiritus sanctus ad captum nostrum sic temperauit sua oracula vt tota Scriptura vtilis sit nobis ad ædificationem. Vnde frustra ignorantiæ prætextus à multis captatur: quia nihil tam arduū est vel difficile quod non rudibus & idiotis sit patefactum. [m] Quod ad citharæ mentionē attinet, notandus est egregius musicorum instrumentorū vsus. Nostri diuites musicis instrumentis ad luxum ac libidinis fomentum abutuntur: Propheta verò ad vsum sapientiæ & intelligentiæ, cui nimirum omnia seruire debent. Huius generis carmina occini deberent diuitibus: verùm credibile est parum gratiæ relaturos siqui talia in aures illorum modulari velint.

6 *Vt quid timebo in diebus mali, quum iniquitas calcanei mei circundabit me?*

Vt quid timebo. [b] Iam hic orditur sapientiam & intelligentiã suam. [f] En primum ænigma, [c] non debere filios Dei vltra modum turbari rebus aduersis, etiamsi proterue eos vrgeãt impii, & iam pro libidine vndique cõclusos teneant: quia scilicet Dominus quamuis dissimulet ac quiescat, non tamen dormit in cœlo, sed iudicia sua in tempus opportunum differt ac suspendit. [b] Vt autem huius intelligentiæ certitudinem agnoscas, magna securitate & confidentia interrogatione vtitur, quæ magis emphatica est quàm si simpliciter assereret se in rebus aduersis æquo & tranquillo animo fore. *In diebus malis.* [f] Id est, quum res aduersæ sunt mihi molestæ, quum afflictionibus premor. [a] Sic autem appellantur dies quibus ærumnis & afflictionibus premimur, nõ quòd malũ sit à Deo affligi (scimus enim quàm vtiles sint piis omnibus afflictiones) sed quia carni molesta est afflictio, & libenter vellet ab ea penitus eximi, Scriptura iuxta sensum hominis dies afflictionis malos vocare consueuit. *Iniquitas calcanei circundabit me.* [c] Hoc quidam ita exponunt, Si timeam in diebus malis, & mihi nimis anxiè prospiciam, (sicut solent increduli) vbi tandem ad mortem ventum fuerit, iniquitates meæ tenebunt me obsessum. Ita calcaneum pro vitæ exitu accipiunt. Nonnulli ad cogitationes referunt. Alii vertunt, insidiatores: acsi Propheta dixisset, Quamuis mihi tendant insidias perfidi & astuti homines, non est tamen cur timeam. Sed simplicius est absque figura exponere, quando me obsidebit hostium iniquitas, qui vrgendo me quasi supplantãt. Sicuti etiam Gallicè dicimus, Poursuyure iusques aux talons. Verùm quidẽ est Prophetã de hostibus loqui, sed iniquas eorum persecutiones calcaneo suo hærere dicit, quia potentia præualeant, & quasi talos pede prementes immineant ad ipsum obruendum. Subaudienda est igitur particula dum, vel quãdo. q.d. [v] Quãdo vndique ingruent hostes, imò vegehunt, & quasi oppidulum me tenebunt, non est tamen quòd metuam. [a] Sic alibi, Non timebo (inquit Dauid) à decem millibus populorum qui circunquaque posuerunt castra aduersus me, Supra, 3.b.7.

7 *Qui fidunt opibus suis, in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.*

Qui fidunt opibus suis. [v] Vel, qui spem collocant in opulentia sua, & in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur. sub. timent tempore aduerso, quia opes fluxæ sunt. [c] Addit Propheta rationem cur non debeant filii Dei trepidare in rebus aduersis, ac multo minus succumbere, etiam dum videntur constringi sub hostium manu, vt eorum violentiam vel fraudes effugere nequeant: nempe quia vmbratili potentia frustra turgent, quæ statim euanescet. Ratiocinatur ergo Propheta, dum homines metuimus, vano & fallaci metu nos turbari: quia non reputamus qualis sit eorũ conditio: perinde acsi ab vmbra vel spectro quispiam sibi metuat. *Gloriãtur, inquit, in multitudine diuitiarum suarum.* & nos stultè in eundem errorem abripimur, quia non reputamus quàm caduca sit & momentanea terrenæ huius vitæ conditio. Altius tamen respicit Propheta. neque enim tantùm ex re ipsa ostendit falsò putari beatos qui deliciis vel opibus vel honore excellunt in mundo, sed ex eorum sensu vel potius stupore miseros esse coarguit. Nam quum fœlicitas in eius sensu qui fruitur sit posita, stultos & socordes nemo fœlices esse dicet: quia intelligẽtia carẽt. Propheta autẽ profanos homines vesanos esse ostendit: quia confidere in sua opulentia & in diuitiis gloriari, certum amẽtiæ signum sit, vbi stulti homines non vident quod eorũ oculis est expositum. Quotidie enim experiuntur nullo pretio cuiusque vitam ab aliis posse redimi. Vnde sequitur nõ minus intelligẽtia priuatos esse quàm phreneticos. [a] Quare non abs re docet Christus hominis vitã minimè sitam in abundantia eorum quæ quisquã possidet, Luc. 12.b.15. Et Paulus ipse ostendit diuites frustra in diuitiarũ incertitudine spem collocare, 1. Tim. 6.d.17. Nõ ergo glorietur diues in suis diuitiis, sed potius in Dei vnius cognitione, quæ omnibus mũdi opibus longè præstantior est. Vide Ierem. 9 g.24. & infrà, 51.b.9.

8 *Fratrẽ redimendo non redimet quisquam, nec dabit Deo pretium redemptionis eius.*

Fratrem redimendo non redimet quisquam. [b] Quàm inanis sit diuitum confidentia eo ostendit quòd nemo quamlibet diues vel fratri vitã cunctis opibus suis queat prorogare, redẽpta à Deo anima. [v] Ad verbum legitur, Fratrẽ non redimẽdo redimet vir. Vbi negatio transposita est, pro, fratrẽ redimẽdo non redimet vir. Sic versu 18, Quoniam non quum mortuus fuerit, accipiet quicquam. pro, Quoniam quum mortuus fuerit, non accipiet quicquam. Hebraismus autẽ est, pro, Nemo fratrẽ suum vlla ratione redimere potest quin moriatur, & impetrare vitam longiorẽ pecuniis. q.d. Non tãtùm ipse qui videtur sibi fœlix, non poterit diu frui hac vita, sed si contingat ipsum mori, & habeat fratres, nemo fratrum redimet ipsum. q.d. nullo pretio nullisve diuitiis possunt effugere quin moriantur. *Nec dabit Deo pretium redemptionis eius.* [c] Dicit omnium vitam in vnius Dei manu & arbitrio esse, nec posse vlla pactione transigi vt tẽpus prorogetur, quoties Deo visum fuerit hunc vel illum euocare. [b] q.d. Quæcunque offerat quis Deo, quæcũque polliceatur, aut quoquomodo litet pro redẽptione fratris, vana omninò sunt: tempus enim est vt è vita excedat.

9 *Nam pretiosa est redemptio animæ ipsorum: & duratio eorũ in seculum.*

Nam pretiosa est redemptio animæ ipsorum. [v] Sunt qui ita vertunt, Nimii siquidem pretii redimi à morte animam ipsorum. Superiorem sententiam confirmat, quòd pretiosa sit eorum redemptio. Significat enim non modò caram esse, sed nusquam posse inueniri. sicut 1. Sam. 3.a.1 dicitur sub sacerdotio Eli rara fuisse oracula, quia tunc desierãt visiones. Summa ergo est, non posse inter homines inueniri pretium quo sibi vel aliis æternitatẽ in mundo rediмant. Relatiuũ ipsorum pro antecedente hominũ. *Et duratio eorũ in seculum.* [v] Alii vertũt, Et desinet in seculum. Vel, Et cessauit in æternũ. Vel, Desiit esse in æternum. [c] acsi diceret Propheta, Nullũ pretiũ rãti erit vt locum habeat. Cessabit igitur perpetuò, quia nunquam ad suum effectum perueniet. Sed quia vox Hebræa חדל præfixum vitæ tempus significat, (vt psalmo 39.a.5. vidimus) visa est illa magis genuina interpretatio, vt legamus, Et duratio eorũ in seculum, vel, in perpetuum. Agnoscamus ergo vitam & mortem esse in manu Dei, nec pẽdere ab astris, nec ab arte medica, sed planè à voluntate Dei.

10 *Vt viuat vlterà in seculum, nec videat foueam.*

Vt viuat vlterà in seculum. Clarius exprimit Propheta, non solùm postquam mortui fuerint homines, non posse redimi, sed dum superstites adhuc agunt in mundo, non posse longius illis prorogare vitã. Docet enim præfixũ cuique esse viuendi finem, quem transilire nequeat: itaque dum in sua peruersa fiducia desipiũt prophani homines, propinquos esse sepulchro, à quo frustra se eximere tentabunt. Etsi autem non videtur ænigmaticè loqui Propheta, dum submisso & humili stylo populariter disserit, quia tamen quasi è sublimi Dei solio stuporem hominum hic damnat, qui superbia excæcati obliuiscũtur se esse homines, quisquis rem ipsam expendet, fatebitur ænigmata hic proponi. Interea in verbis perspicitur illa apertio cui[9] meminit, qua Deus articulatam doctrinam tradere vult, quæ ne rudissimos quidem idiotas lateat. *Nec videat foueam.* [v] Hebraismus, Videre foueam siue sepulchrum, pro corrumpi in sepulchro siue mori.

11 *Quia [quilibet] videt [quòd] sapientes moriantur, [quòdque] simul & stultus & insipiens pereant, & relinquant alienis diuitias suas.*

Quia [quilibet] videt. [v] Vel, videre est sapiẽtes morientes. Versus iste cũ sequenti iungendus est, hoc modo, Quum quilibet eorũ videat etiã sapientes mori, &c. tamẽ interiora eorũ, &c. Nã Prophetæ consilium est, ostendere quãta sit eorũ vecordia, qui sibi imaginantur æternã in mundo vitam: studiáque sua applicant ad fabricandã sibi in terra perpetuam sedem: quum tamen assiduè videant diffluere cũctos mortales. Vulgari prouerbio dicitur experientiam esse magistram stultorum. Ergo plusquam stulti sunt qui tot & tam claris exẽplis conuicti nõ resipiscunt, vt se mortales natos esse cogitent. Sic ergo cohærent verba Prophetæ, Quum videant cæci isti Dei contemptores mortem omnibus esse cõmunem, & sapientes promiscuè cum stultis mori, non desinunt tamen æternum sibi in terra domicilium fingere: perinde enim vitam instituunt acsi nunquam hinc migrandum foret. Videt igitur quisque eorum quid aliis cõtingat, hoc est, sine discrimine in eundem interitum inuolui omnes, quorũ diuersa fuit conditio in terris: imò vident multorum opulentiã transferri ad alienos. *Simul & stultus & insipiens pereant.* [a] hoc est moriantur. Non enim de animæ interitu fit hic mentio, sed de morte corporis, quæ dissolutio est & separatio animæ à corpore. [v] Quidã, stultus & bardus peribũt. Vt stultus is intelligatur qui vltro à ratione desciscat, deflectátque à iustitiæ linea, quique non tantum ratione, quantum recta ratione suapte sponte destitutus sit. Dictio autẽ altera illum exprimit qui omnino ratione carens prorsus stolidus factus est & brutus. horum itaque omnium vnà cum sapientibus vnus est interitus. *Et relinquant alienis diuitias suas.* [c] Quanquam vox Hebræa אחרים ad quoslibet successores extendi possit (quæ simpliciter tam alios quàm alienos significat,) legitimis tamẽ vel suis hæredib[9] opponi videtur: quia si hæredem quis relinquat ex suo semine, videtur in illius persona quodammodo superstes. Vbi verò ad mortem accedit orbitas, nomẽ hominis penitus extinguitur. quo minus solatii est profanis hominibus, in quorum locum non succedunt filii, qui personam eorum sustineãt. Sed adeo nihil proficiunt his documẽtis, vt nihil aliud in corde versent quàm æternam vitam in terra, sicuti mox dicitur.

12 *Interiora eorum* [*quòd mansuræ sint*] *domus suæ in seculum: & tabernacula sua in generationē & generationem: vocauerunt nominibus suis terras.*

Interiora eorum. [v] Ad verbum, Intima eorum, domus illorum. Est autem Hebraismus, pro, In animo cogitant quòd mansuri sint perpetuò in domibus suis. Quidam, Intima eorum cogitatio quòd domus eorum futuræ sint sempiternæ. Alii, Et tamen cogitatio eorum est quòd domus suæ maneāt in æternum. [c] Sensus est, quòd fictitia terrenæ vitæ perpetuitas intimos eorum sensus occupet. *Vocauerunt nomina sua super terras.* [c] Hoc est, Isti homines mundo dediti magno conatu incumbunt vt famā obtineāt inter mortales. huc deberēt tendere eorū vota vt nomen ipsorum scriptum esset in libro vitæ, ac benedictum corā Deo & Angelis: nunc perperam rapiuntur in contrarium affectum, vt famosi sint super terram, & altè resonent nomina sua. Nam vocandi verbo inanem sonitum obliquè designat Propheta, quo celebrantur profani homines. Alii vertūt, Vocauerunt nominibus suis terras. Id est, indiderunt nomina sua regionibus, vt gloriæ monumentum posteris relinquerent. Sed dubium non est hāc esse Prophetæ mētem, laboriosè ipsos eniti vt sibi celebrem famam in terra comparent. [m] Hæc verò stultitia adeo manifestè regnat hodie etiā inter Christianos vt nemo sit, nisi stupidissimus, qui ad conuincendam eam argumentis opus habeat. Studium gloriæ carni agnatum est. Vbi diuitiæ sunt, hic incredibile est quàm multa in eam vanitatem insumantur. Summa, eo tendunt omnia vt quod morte prohibente nequeunt diuites per se, fruantur vel in posteris, vel saltem aliqua opinione hominis.

13 *At homo in honore non permanebit: similis est iumentis quæ intereunt.*

At homo in honore. [v] Vel, in splendore, in pretio, in excellentia. [a] Postquam insanas cogitationes derisit quibus se sponte decipiunt increduli, nunc [b] addit eos in dignitate sua & splendida fortuna permanere non posse. *Similis est iumentis.* [c] q.d. Quāuis increduli sibi multum placeant, instat tamen illis communis cum brutis pecudibus exitus. Etsi enim quod ad animas inter homines & bruta animalia magnum est discrimen, meritò tamen Propheta, de præsentis vitæ statu loquens, incredulos iumentis similes fore dicit. Neque enim opus erat disputare de futura vita, quia negotium erat cū filiis huius seculi, qui ad illius spē non penetrāt, nec animis aliam fœlicitatē concipiūt, quàm qua nunc fruuntur. Ergo eorum vecordiæ insultās, Vos quidē (inquit) quasi exempti cōmuni hominum sorte, cornua effertis supra nubes: sed mors vobis imminet, quæ abolebit vestram istam superbiam, vt nihil inter vos & asinos vel canes intersit. *Quæ intereant.* [v] Hebraicè, interibunt. Sed futurum tempus pro præsenti ponitur.

14 *Hæc via eorum stultitia ipsis: & tamen posteri eorum ore ipsorum ibunt.* Selah.

Hæc via eorum stultitia ipsis. [v] Vel, Via eorū stultitia est eis. vel stultitia eorum est. Id est, vt quidam vertūt, Hoc illorum institutum, planè stultitia illorū est. Aut, vt alii, Quumque hæc eorum consuetudo tam stulta sit, tamen posteri eorum instituto eorum delectantur. Alii causalem particulam כי subaudientes, hunc seorsum eliciunt, Ipsi sic instituunt vitam suam, quia stulti sunt: hoc est, destituuntur recto consilio. [c] Verùm Propheta simpliciter hoc voluit, euētum tādem coarguere mente fuisse priuatos qui sic fœlicitatē suam in mūdo locāt. acsi diceret detegi tandē cū magno dedecore eorū vesaniā qui in mūdo subsidunt: & quāuis se rara prudētia pollere existimēt, sibique plaudant in suo acumine, patefieri tamen cum iusto ludibrio quàm fuerint insipidi. Hoc autem consultò dicit Propheta, vt filiorum amentiam magis amplificet, qui patrum exemplis edocti non resipiscunt. *Ore ipsorum ibunt.* [v] Vel, in ore ipsorum ambulant. Alii, current. In ore eorum pro Secundum os eorum positū est. Os pro sermone, præceptis & sententiis. propterea quidam vertunt, Præcepta ipsorum cupidè sectantur. Alii, ori ipsorum acquiescent. Alii, verbum eorum approbant. [c] Hoc autem vult Propheta, quum profanis hominibus vana sua confidentia cedat in stultitiam, vt meritò apud omnes sint ridiculi, prodigiosum esse in posteris furorem, qui ne tali quidem experimento admoniti sapere incipiunt. sed & oblectāt iisdem deliriis, idem sentiunt ac loquuntur quod patres. Porro quum velit Deus expendi sua iudicia in mundo, eos attētius decebat reputare quid actum sit cum patribus: nunc dum præteritis ac neglectis tam insignibus exemplis præcipites in eandem vanitatem ruunt, eo magis cōuincitur bruta eorum amentia. [m] Videmus ergo ingētem virorumque cæcitatem, & maiorum & posterorum. Maiores putant se posteris optimè consulere, & ecce planè illos perdunt & infatuatos reddūt. Posteri licet videant finem & exitum maiorum, & re ipsa vanitatem experiātur, tamen eisdem se maiorum vestigiis permittunt. *Selah.* [a] Hæc particula ideo apposita est vt istorum infœlicitas diligentius consideretur.

15 *Tanquam pecora in inferno ponentur, mors pascet eos: at dominabuntur illis recti mane: & figura eorum ut ueterascat, egredietur ad foueam ab habitaculo quod erat sibi.*

Tanquam pecora in inferno. [v] Alii, Tanquam pecora in inferno ponentur. [c] Valde apposita similitudo, descendere istos homines in sepulchrum. Nam vix superbo homini sufficit totus orbis: adeo vanis suis figmentis turgent singuli, vt ferè propriū sibi solem, aerem, terram seorsum appetant. ab illo immenso fastu, quo se longe latéque extendunt, Propheta eos quasi oues coaceruat in sepulchrum, & morti pascendos tradit. Sensus ergo est, quum sibi primatum vsurpent inter homines, venturos tamen sub iugum mortis vt serò discant de nihilo se fuisse gloriatos. Nam prostratos iacere sub tyrannide mortis, miserior est seruitus ac fœdior quàm subesse quibuslibet hominum imperiis. *Mors pascet eos.* [a] Id est pastorem aget erga illos. q.d. ad extremas miserias redigentur: priuabuntur enim vita æterna, qua fruentur recti. [m] Eadē similitudine vtitur Petrus, vocāns impios bruta pecora nata ad interitum. 2. Pet. 2. c. 12. Miserrima autē transmutatio est, quòd qui hic in summis agunt deliciis, apud inferos sint futuri pabulum mortis. *Atque dominabuntur illis recti.* [c] Ab illa tristi & infausta sorte separat Propheta Dei filios: atque ita anticipat quod alioqui promptum fuisset obiicere, Tu quidem verè prædicas morituros esse qui in hoc mundo cōfidunt: sed quid noui adfers? vel, cur hominibus exprobras naturæ legem, quum omnibus imposita sit ista necessitas? [a] Statutum enim est omnibus hominibus semel mori. Hebr. 9. g. 27. Deinde quid mortalibus insultas, quasi non sis tu vnus ex numero? Huic obiectioni scitè occurrit Propheta, Si mors esset totius hominis interitus, nihil dicerem noui: sed quia increduli meliore vita ad quam conditi sumus indignè se priuant, meritò & rectè eorum vecordiam insector. Nimis enim peruersum est, vt beati sint ad momentum, & quasi somnio, abiicere spem & meditationē futuræ vitæ, séque abdicare cælesti gloria. Iam videmus quod initio diximus, longe differre huius Psalmi doctrinam á præceptis philosophicis. Nam eleganter & facundè ridetur à philosophis mundi ambitio, refelluntur stultæ hominum cupiditates, coarguitur etiam caduca hominum fragilitas: sed quod præcipuum est ab illis omittitur, nos, quia regimur Dei prouidentia, beatos esse: deinde fœlicem omnibus nostris malis fore exitum, quia nos manet æterna in cælo hæreditas. Sed quale hoc est rectorū dominium? Illud certè quo reprobos omnes prosterni oportet sub electis. Quod enim de Christo dicitur, quòd impii ponētur sub ipso, vt sint scabellum pedum eius, ad omnia quoque eius membra pertinet. Nā quòd dicitur traditurus regnum Deo & patri, 1. Cor. 15. c. 24, hoc certè non faciet vt aboleat suam Ecclesiam, sed vt sit Deus omnia in omnibus. [v] Sicut ergo Christus inimicos suos subiicit pedibus suis, ita & pii dominabuntur impiis, & subiicient eos pedibus. *Mane.* [c] Apprime cōcinna est in hoc aduerbio temporis translatio. Nam quia nunc in tenebris versamur, vita hominis super terram tacitè comparatur nocti vel somno, idque præsertim respectu infidelium, qui in terra quasi sopiti desident: imò tā confusa est rerum omnium caligo, vt piæ quoque mentes torpore obruantur, nisi quatenus per verbum suum Deus affulget. Certè nonnisi per speculum & in ænigmate cernimus, 1. Cor. 13. d. 12. ideóque aduentus Domini instar auroræ erit, qua tam electi quàm reprobi suo modo euigilent: priores scilicet, quia excussa cruditate & pigritia, discussis etiam nebulis, claro intuitu facie ad faciem Christum solem iustitiæ & in eo plenum vitæ fulgorem cernent: hi verò qui nunc prorsus cæcutiunt, à sua socordia excitati, cognoscere incipient nouam vitam, cuius nullum gustum nunc percipiunt. [a] Qua de re vide Daniel. 12. a. 2. & Iohan. 5. e. 29. [m] Magna profectò piis omnibus consolatio, quòd licet in hoc seculo premantur temporaliter, perpetuò tamen postea impiis dominaturi sint. In hoc seculo quotidianum est quòd iniusti dominātur rectis. Iustitia enim locum hic non habet, sed vis & potentia. alibi diuersum erit. [a] Scimus enim quid impio diuiti dixerit Abraham, Fili recordare quòd recceperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autē hic solatio fruitur, tu verò cruciaris, Luc. 16. f. 25. [c] Itaque quoties ridebūt impii spem resurrectionis, quoniam ab initio continuus naturæ ordo fluxerit per tot secula, 2. Pet. 3. b. 4. caueamus ne eorum petulantia nos conturbet, sed potius succurrat nobis hoc Prophetæ dictum, quamuis nunc demersus sit in tenebris mundus, exoriturum subitò nouum mane, quod faciem veræ & æternæ vitæ nobis restituet. *Et figura eorum ut ueterascat.* [v] Multa hic subaudienda sunt, Et figura eorum ita comparata est vt absumat eam sepulchrū, tralatam de termino suo, vel habitaculo suo. Figuram eorum vocat gloriam illorum, quæ ol-

hil habet solidi, quemadmodum Paulus loquitur, Præterit huius mundi figura, 1. Cor. 7. f. 31. significans mundum istum habere speciem euanidam, quæ admirabilis quidem est primo aspectu, sed interim nihil aliud est quàm flatus. Alii pro forma siue figura vertunt robur, sic, Et robur illorum peribit: infernus cuique illorum pro habitaculo erit. Sensus esset, istos valere opibus & potentia, sed ad breue tempus: quia statim marcescūt & concidunt, imo potius liquefiunt. *Egredietur ad foueam ab habitaculo.* Dicit sepulchrum illos à domicilio suo manere. Nā mutatio numeri Hebræis familiaris est. Intelligit autē Propheta, quamuis nunc in splendidis ædibus habitent, vbi videntur fixum sibi habere nidum, breui tamen fore vt egredi cogantur, ac sepulchrum eos excipiat. Discant hic diuites quid cogitandum sit deliciantibus in splendore ac amplitudine ædium preciosissimarum. Nō enim abs re est quod hic admonet Spiritus sanctus. Proinde faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, per quos in æterna tabernacula recipiantur, Luc. 16. c. 9. Fortè etiam alludit Propheta ad ambitiosos eorū transitus, quia nūquam in publicum prodeūt sine magna pompa vt se aliis ostētent. Negat igitur Propheta hoc illis fore perpetuum, quia tandem in sepulchrum descendent.

16 *Atqui Deus redimet animam meā de manu inferi, quoniam suscipiet me. Selah.*

Atqui Deus red. Vel, certè Deus redimet. Quod enim in genere dixit Propheta, iustos mane dominaturos, nunc in peculiarē vsum suū applicat, quo fidem suam certius ædificet. Est igitur quasi appendix superioris sententiæ: dum ad suam personam accommodat Propheta quod nuper de iustis omnibus dixerat. Subest etiam tacita antithesis inter Deum & copiam diuitiarum. Nam vbi Propheta declarauit vanitatem eorum qui diuitiis fidunt, econtra ponit sapientiam eam qua fiducia collocatur in Deū. Diuitiæ, inquit, nullius animā liberant, at Deus est qui liberat. Proinde stulti sunt qui diuitiis, & sapiētes qui Deo fidunt. Beati non sunt qui diuitiis affluunt, beati verò sunt qui Deū habent propitium. Nam Deus dat suis immortalitatem, reliqui tantùm in hoc seculo bonis perfruuntur. *De manu inferi.* Vel, è manu sepulchri. Manus pro imperio ac potestate accipitur, vt alibi sæpe: quanquam nonnulli pro plaga hoc loco accipiunt. His autem verbis fatetur Propheta se quidem naturaliter morti esse obnoxium, sed Deum fore vindicem suū & redemptorem. Permittit quidem Deus iustos hic variis afflictionibus affligi, ex quibus tamen omnibus illos eripit: animas verò eorum semper liberat & conseruat ab æterno interitu: quo bono nullum est excellētius. Porro hic præclarum habemus testimonium fidei, in qua vixerunt & mortui sunt sancti Patres sub Lege. Videmus enim non substitisse eos in præsenti vita, sed mentibus in cœlum sublatis cucurrisse per hunc mundum donec stadium suum peragerent. Nā si sperasset Propheta ab vno vel altero periculo se esse redimendum, hoc etiā filiis huius seculi commune esset, quos sæpe Deus ex magnis discriminibus eruit. Sperauit igitur vitā in morte, quia superatis mundi tenebris oculos ad mane illud dirigebat quod secū adferret æternū diem. Vnde etiam colligimus spirituales fuisse promissiones Legis, quibus freti sancti Patres sponte & libētre peregrinati sunt in mundo, vt in cœlesti hæreditate tandem quiescerent. Quo magis mirū est Sadducæos qui in Lege educati erant, eo stuporis delabi potuisse, vt animam hominis nihil aliud putarent esse quàm halitum. *Quoniam suscipiet me.* Rationem addit quare speret se à Domino liberādum. q. d. Deus animæ meæ custodiam suscipiet in morte, ideo eam asseret ab interitu. Vnde enim fit vt vulgò dafe actū putēt homines vbi in sepulchrū descēderint, nisi quia animas suas Dei tutelæ & fidei non commendant: quia non reputāt eas, instar pretiosi depositi, saluas manere sub eius custodia? Ergo vtcunque in speciem euanescat hominis anima dum migrat à corpore, statuēdum tamen est colligi tanquam in Dei sinum, vt illic fideliter seruetur vsque ad diem resurrectionis. Notandum quoque illud, Prophetā nō dicere, Quia iustus sum, plen⁹ bonis operib⁹, nō sum sicut cæteri homines, ideo me Dominus liberabit: sed, quia suscipiet me. hoc est, quia sub illius tutela & fide viuo. Nititur ergo fide bonitatis & gratiæ Dei. Credit se à Domino susceptū in gratiam, & ex ea fide nascitur ista spes de futura liberatione à morte. Et quia hoc ænigma est quod caro & sanguis intelligere haud possunt, ideo & Selah adiectum est.

17 *Ne timueris quum ditatus fuerit uir, quum multiplicata fuerit gloria domus eius.*

Ne timueris quum ditatus fuerit uir. Vel, quū diues factus fuerit quispiam. Pulchra nimirum ac Christi Spiritu digna hæc est admonitio, qua suos hortatur ne illorum metuant fastum qui diuitiis abundant & in earū multitudine gloriantur: quia instar vmbræ citò præterit caduca hæc fœlicitas: ac, ne in terra subsidant animi nostri, finem vitæ vult semper nobis ante oculos versari. Pauperes quidem ridiculi sunt in hoc mundo & cōtempti, diuites verò metuendi sunt & in pretio habētur. Diues enim vbique regnat, & pauper vbique iacet: sed fluxa & caduca est huiusmodi fœlicitas diuitum, sicuti ad tempus miseriis premuntur pauperes qui Deo fidunt. *Quū multiplicata fuerit gloria domus eius.* hoc est, quum modis omnibus beatus in hoc seculo videbitur, quū non modo diuitiis sed etiam honore ac dignitate præcellenti pollebit.

18 *Nam quum morietur, non accipiet quicquam, nec descendet post eum gloria eius.*

Nam quum morietur, non accipiet quicquam. Ad verbum, Non in morte sua accipiet omnia. Negatio inuersa pro, In morte nō accipiet quicquam, siue, ne minimum quidē ex omnibus quæ habet. Conspiciendus igitur est finis vitæ. Sic enim fiet vt nos minimè obruat tædium miseriarum quibus nos in hoc breui curriculo exerceri oportet: deinde vt alio animo spernamus fallaces pompas in quibus sibi tantopere plaudunt profani homines. Ne ergo eiusmodi spectaculis turbemur, prudenter nos Propheta ad mortis considerationem reuocat, quæ momento superueniens fucato isto splendore exutos in sepulchrum deiiciet. Hoc enim significat his verbis, Non auferet omnia in morte, vt præclarè agatur cum mortalibus, non posse tamen vltra vitæ finem in eadem manere gloria. Proinde qui veriori fœlicitate donati sunt ne metuant, id est, ne sibi displiceant, ne malis inuideant, aut eorum potentiam formident, etiamsi mali ditentur & dignitate propter opes augeātur. Nihil enim secum tollent, dum vita functi ad inferos descēdent non comitabitur eos ipsorum splendor & dignitas. *Nec descendet post eum gloria eius.* His verbis nuditatē impiorum indicat Propheta. Quum enim luctentur miseri homines & quasi inuita natura aliquid post mortem gloriæ sibi asserere conētur, putredinem tamen & nuditatis probrum non effugiunt. quemadmodum scitè à poeta dictum est, Mors sola fatetur Quantula sint hominū corpuscula. Sanè quū moritur impius, interit quoque secum pariter quicquid in terris gloriosum illi visum fuit. nudus enim ab hac vita excedet, quemadmodum nudus in eam, alioqui sibi suo vitio lethalem, ingressus est. Contrà de iustis scriptum legitur, A modo, dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. opera enim illorum sequuntur illos, Apoc. 14. c. 13.

19 *Quoniam animæ suæ in uita sua benedicet. & laudabūt te quum benefeceris tibi.*

Quoniam anima sua. Hebraismum hunc quidā sic exponunt, Beatū se prædicabit quandiu viuet. aut, quòd viuat in mundo. Nonnulli sic cōuertunt, Animæ suæ benefacit. hoc est, diuitiis fruitur dum viuit. Anima mea habes multa bona reposita, epulare. Luc. 12. c. 19. Sed videtur hic locus congruere cum illo Mosis, Ne fortè errore quis seductus, animæ suæ benedicat, Deut. 29. c. 19 hoc est, ne sibi blandiatur quasi Deum impunè cōtemneret. Ridetur enim hic eorum socordia qui se beatos somniātes, delicias sibi faciunt. Ergo benedicere animæ suæ in vita, est benedicere sibi in corde suo, hoc est blandiri. *Et laudabunt te quum benefeceris tibi.* Hic personæ mutatio est, Scripturis frequens, atque apostrophe ad voluptarios istos homines qui se in mundo beatos esse somniant. Intelligit enim Propheta eos non proprio tātùm errore inflari dum semideos se esse putāt, sed dementari fallaci mundi plausu: dum passim laudātur, habētùrque in pretio, & vulgi opinione fœlices censentur, dum libidines suas explent posthabita cœlestis vitæ cura. Atqui Christus dicebat, Væ vobis quum benedixerint vobis omnes homines. Luc. 6. d. 26. Et sanè parū est laudari propter diuitias, nisi adsit pius eas dispensandi animus, & ad benefaciendum propensus.

20 *Intrabit usque ad ætatem patrum suorum: usque in seculum non uidebunt lumen.*

Intrabit usque ad ætatem. Vel, veniet ad ætatem. Sub. anima, Nam verbū est fœmineū Hebræis. Anima autem pro ipso homine. Quidam, Venire ad Patrum ætatem pro eo accipiūt quod est in sepulchrum vnà cum Patribus colligi: sicuti mors dicitur via vniuersæ carnis. Et versu 10 dixit Propheta, turmatim aggregari in sepulchrum quasi in ouile. Ita hunc volunt esse sensum, Quia in cœlū non aspirant, sed iacent in mūdo defixi & terræ putredine, venturos ad finem Patrum. Ita secundū eos Lumē perpetuò non videre, tantundem valet ac demergi in æternas tenebras, vel prorsus extingui. quia à Deo alienari longe deterius est omni interitu. Sed alii rectius coniunctim hæc legunt, Quamuis se inanibus blanditiis deludant impii, non transibunt tamen metam cunctis mortalibus præfixam.

Non videbunt lumen.[v] Lucis nomine Propheta intelligit præsentis vitæ vsum. q.d.[c] Increduli non potientur hac luce vitali nisi ad breue tempus. quia simulac è mundo migrauerint, nō alia vita illis superest.[a] Nam impius morte corporis semel omnibus bonis in sempiternum spoliatur, non secus atque bestiæ: nisi quòd ipsum excipiunt præterea excipiunt gehennæ, vbi pœnas ingratitudinis & impietatis soluit, at persoluit nunquam.[c] Monemur autem sedulò cauendum esse ne in hac vita nobis benedicamus, sed potius dandam operam vt extra mūdum egressi, ad cœlestem benedictionem toti feramur:[a] sicuti Paulus hortatur, Col. 3. a. 1. & Phil. 3. d. 10.[c] nec minus etiam cauendum esse ne vani hominum plausus nos abripiant.

21 *Homo in honore, & non intelliget: similis est iumentis quæ intereunt.*

Homo in honore.[v] Repetit quæ superius dixit.[a] Quoniā prius videri poterat nimis contemptim loquutus esse de præsenti vita, (quæ si per se æstimetur, singulare est Dei beneficium,) speciem correctionis adhibet, vel sententiam prius à se dictā versu 13, vno verbo interposito mitigat, quòd scilicet homines in iumenta degenerent: quia insipidè vorāt quicquid bonorum illis largitur Deus, atque ita excellentiam qua Deus ipsos dignatus fuerat, quasi in nihilum redigunt. Inuehitur ergo Propheta in peruersū abusum, vbi sine vllo pietatis gusto absorbent profani homines quicquid bonorum in eos Deus confert: præsertim verò vbi obstupescunt in caduca dignitate, quæ potius adminiculū esse debebat mentibus eorū sursum erigendis. Hanc ingratitudinem damnat Propheta, quòd indignè præstantiam suam corrumpant profani homines, & à recto vsu desciscendo, lucem conuertant in tenebras. Vnde etiam colligimus nōnisi nostra culpa nos in mūdo esse miseros: quia si bona nostra agnosceremus, quib⁹ nos prosequitur Deus, illisque ritè vteremur, iam hic emicarēt quædam futuræ beatitudinis scintillæ: sed honor hic corruptela nostra perit. *Non intelliget.*[a] Hoc est, vera Dei cognitione destituitur, Non nouit quomodo Dei beneficiis sit vtendum, Abutitur omnibus Dei bonis, Ingratus in suum creatorem & benefactorem efficitur: ac in summa, *Similis est iumentis.*[c] Quāquam increduli quoque ipsi, quantisper in mundo viuunt, præcellūt brutis pecudibus, quia ratione & intelligētia præditi, notas adhuc aliquas imaginis Dei retinent, verè tamen à fine ipso pronuntiat Propheta iumentis fore similes, quia inani sua gloria spoliati, in eundem cum pecudibus interitū cadent. Nam quòd superstites à morte erunt eorum animæ, id minimè obstabit quominus in æternum dedecus mors ipsos demergat.[a] Ibunt enim in supplicium æternum, sicut iusti in vitam æternam, Matth. 25. d. 46.

ARGVMENTVM PSALMI L.

[m] Describitur Dei iudicium cum populo ipsius, in causa coltus,[v] seueréque denuntiatur à Propheta impiè profanari Dei nomē dum in cæremoniis locatur pietas. Nam spiritualis est Dei cultus, cuius præcipuæ partes sunt inuocatio & gratiarum actio.

Cantus ipsi Asaph.

1 *Deus deorū Iehoua loquutus est, & aduocauit terram ab ortu solis vsque ad occasum eius.*

Cantus ipsi Asaph.[v] Vel, Canticum ipsi Asaph. sub. traditum vt decātaretur. *Deus deorum.*[v] Vel, fortis Deus. vel, fortissimus deorum.[m] Describitur hic quasi vox præconis, aduocantis ad iudicium cœlum ac terram vniuersam ab ortu solis vsque ad occasum.[c] Vocatur autem hic Iehoua Deus deorum, quia hypocritæ nunquā Deo illudere desinunt nisi iniecto serio terrore. Quod etiam ex reliquo cōtextu melius patebit, vbi Dei maiestas formidabilis describitur, vt sentiant hypocritæ se nihil proficere puerilibus nugis, quia negotium illis sit cū seuero iudice. *Et aduocauit terram.*[c] Nō intelligit Propheta totum orbem aduocandum, vt communem doctrinam pariter audiant omnes gentes, sed vt corā toto genere humano Deus causam suam cum Iudæis disceptet. Conuenit enim ista contestatio cum illa Mosis, Audite cœli quæ loquar, audiat terra verba oris mei, Deut. 32. a. 1. Item, Contestor hodie cœlum & terram quòd tibi proposuerim viam vitæ & mortis, Deut. 30. d. 19. Cū illa etiam Esaiæ, Audite cœli, & auscultet terra: quia Dominus loquutus est, Esa. 1. a. 2. Et hæc vehementia apud hypocritas necessaria fuit, vt excussis blāditiis serio ad Dei iudicium attenderent. Præsertim verò in hac causa necesse fuit grauius expergefieri Iudæos. nam quū propensi sint homines ad externas laruas, Deum ex suo quoque ingenio metiuntur, atque ita optimè se erga eum defunctos putāt vbi cæremoniis operam dederint. Ita Iudæis procliue fuit Legis figuras temerè arripere, ac si earum obseruatione Deum ritè placarent. Et scimus de hac superstitione acerrimum semper fuisse certamen prophetis, quia pessimi quique & impurissimi homines se pro veris Dei cultoribus audacter venditabāt, si modò suam impuritatē tegere possent fallaci aliqua pietatis specie. Quare Propheta necessariò seueram hāc denuntiationem adhibuit.[v] Multi putant principium Psalmi non posse exponi nisi de Christi regno. Ex quo enim patefactum fuit toti mundo Euangelium, Deus totam terram vocauit. nam inclusa prius erat vox Dei in sola Iudæa. Deus quū legem suā promulgauit, non vocauit terram, sed Iudæam duntaxat. Sic etiā audita fuit eius vox in templo: silebat interea apud alias gentes. Sed prior expositio verior.[c] Nam Propheta apud suos æquales fuit Legis interpres, vt doceret, cæremonias, quo tempore vigebāt, nullius per se esse momenti, sed referri potius in alium finem. *Ab ortu solis vsque ad occasum eius.*[c] Hoc dicitur non quòd promiscuè toti mundo veræ & synceræ pietatis regula hic tradatur, aut quòd Deus vndiq; Ecclesiam colligat in suū obsequium, sed vt hypocritæ suo more sibi adulari desinant. Nam ad eos pungendos hic nō fuit leuis stimulus, testes improbæ suæ dissimulationis habere cunctos mortales, & spoliari larua illa pietatis qua se venditabant.[m] Propheta ergo significat Deum ad hoc iudicium suum arbitrorum ac testium loco aduocare cœlum ac terram, etiam ab ortu solis vsque ad occasum eius, hoc est, iam aperto & irrefragabili iudicio acturū Deum cum populo suo, vt etiamsi homines non sint agnituri ac fassuri, testes habiturus sit & arbitros cœlum & terram.

2 *Ex Sion perfectione decoris Deus resplenduit.*

Ex Sion perfectione decoris.[v] Vel, Consummatæ pulchritudinis Deus emicuit. Vel, Ornamento pulchro Deus effulgebit. Aut Perfectè decoratus Deus illustris prodiit. Hebraicè legitur, Vniuersitate formæ, per appositionem. Id est, perfectæ pulchritudinis.[c] Nequis obiiciat diuersum quicquam a Lege hic tradi, & nouelli cultum à Mose præscriptum, nominatim exprimit Propheta consentaneū cum Lege fore iudicium hoc cuius est præco. Deum enim verba facere è Sion, tantundem valet ac Legis suæ authoritatem sancire. Ideóque prophetæ, quoties hac loquendi forma vtuntur, se Legis interpretes esse asserunt. Nam quia mons ille non hominum temeritate fuerat delectus, relationem habet ad Legē. Itaque Propheta nūc ansam disputandi præcidit Iudæis, quia Deus ipse non aliquo nouo iure reos faciat qui cordis impuritatē fucata specie tegūt, sed ex Lege sua per Mosem lata cum ipsis disceptet.[a] Sicuti Christus Iudæis dicebat, Est Moses qui vos accusat, Iohan. 5. g. 45.[v] Vocat Sion perfectionem decoris siue pulchritudinis, honorifico nomine, quòd Deus locum illum peculiariter sibi delegisset, vbi nomen suum inuocaretur, & illic eius imago in Legis doctrina fulgeret. Nam & totus mundus tunc demersus erat in tenebris, & alibi non fuit cognitus Deus. Quoniam ergo Deus illic se patefecerat Iudæis, ideo Sion habet tam honorificum nomen.

3 *Veniet Deus noster, & non silebit: ignis coram eo vorabit & in circuitu eius tempestate commouebitur [terra] vehementer.*

Veniet Deus noster.[m] Descripturus aduentum Dei ad iudicium, primò ostendit vnde sit proditurus. Veniet, inquit, ex Sion. Quia Sion erat sedes Dei ac ciuitas regis magni. Loquitur enim ad formam mūdani regis, qui profecturus ad disceptandum cum populo suo ex vrbe regia progreditur. &c. *Deus noster.*[c] Duobus modis hoc potest exponi, vel quòd Propheta se veris Dei cultoribus, qui paucissimi erant numero, aggregans, se ex aduerso statuat vt demonstret hypocritas falso & inaniter iactare Deum sibi esse communem cum sanctis Patribus. Sed alter sensus magis arridet, quòd Propheta, quasi vnus è populo, pronuntiet Deum illum cuius nomen obtendebant omnes filii Abrahæ, violati sui cultus fore vindicem. Veniet ergo Deus noster, quo nos gloriamur, Deus ille qui fœdus pepigit cum Abraham, idem ille qui per manum Mosis Legem nobis dedit. *Et non silebit.*[v] Aut tacebit, Non obsurdescet. Iudæi non semper habebant prophetas qui eos acriter pungerent: propterea Deus silere videbatur quum illi suis sacrificiis defuncti negligebant totum spiritualem cultum & veram pietatem, interea nō putabant se Dei iudicio obnoxios. Sensus est, Tandem coget vos audire vocem suam, quæ penetret vsque in conscientias vestras, vt sentiatis vos nihil habuisse præter externas cæremonias. *Ignis coram eo vorabit.*[v] Vel De cōspectu eius flagrabit. *Tempestate commouebitur.*[v] Subaudi terra, hoc modo, In circuitibus eius perturbabitur terra valde. Quidam indefinitè accipiūt, Turbabitur valde. Id est, Turbo excitabitur in circuitu Dei scilicet.[c] Hoc tametsi ad expergefaciendos Iudæos positum est (vt tandem expauescere discant ad Dei iudicium, quod hactenus securè nimis spreuerunt) allusionem tamen continet ad horribile illud spectacu-

lum quod Deus in monte Sinai exhibuit. Scimus enim tonitrua in toto aere sonuisse vnà cum tubis, cœlum refertum fuisse fulguribus, flammam vndique ex monte micuisse: vt Deus populi animos ad reuerentiam Legis suæ subigeret. ([a] qua de re vide Exodi 19.c.16.) Itaque sensus est, Quemadmodum olim tremefecit Deus populum in Lege sua promulgāda: ita nunc terrifica potentia armatum fore, vt crassum doctrinæ suæ abusum vlciscatur. [M] Adhæc rectè datus Deo ignis consumens, ac turbo prosternens. Quis enim iræ Dei resistere, imò hanc quis ferre poterit?

4 *Aduocabit cælos desuper, & terram, ut iudicet populum suum.*

Aduocabit cœlos desuper. [a] Per cœlum & terram intelligit superos & inferos, cœlestia omnia & terrena. *Vt iudicet populum suum.* [b] Id est Iudæos. [c] Ex his verbis colligere promptum est quorsum prius dixerit vocandā esse terram. Nunc enim idem repetens, Deo non nisi cum Iudæis litem & iudiciū fore affirmat, sed præsente toto mundo: quia scilicet solenne hoc & insolitum iudiciū longè ab ordinariis differet, quæ Deus quotidie exercet per suos prophetas. Ergone semper in suis latebris desideant hypocritæ, causam illis Propheta agendam esse denuntiat coram Angelis, & cunctis mortalibus, nec posse effugere quo trahantur ad tam celebrem conuentum. [M] Habet autem hoc peculiare Deus vt licet omnia omnium delicta odiat, iudicaturusque sit: populi tamen sui delicta multo minus ferre queat quàm aliorum. Sic Petrus dicit iudicium incipere à domo Dei, 1. Pete 4.d.17. Iudicat autem Deus suos in hoc seculo, ne cum hoc mundo damnentur in futuro, 1. Co.11.g.32.

5 *Congregate mihi sanctos meos qui pepigerunt pactum mecum super sacrificia.*

Congregate mihi sanctos meos. [b] Vel, misericordes meos, bonos meos, pios meos, mansuetos meos. [c] Quæri hic potest cur recenset Propheta pios Dei cultores, quū hæc expostulatio, quam mox subiiciet, nonnisi in fucatos & perfidos Iudæos competat. Respōdetur, hic Deum de tota sua Ecclesia loqui: & quanquam magna pars generis Abrahæ à pietate desciuerit, respicere tamen ordinem à se institutum. Mansuetos ergo vocat, nō vt omnibus promiscuè reddat veræ pietatis testimonium: sed vt melius ad finem suæ vocationis attendant. Ideóque species ironiæ subest quo ad degeneres & simulatos Iudæos: quia obliquè mordentur quòd professioni suæ minimè respondeant. [b] Ad hæc Deus tanti æstimat suos, qui in vera pietate maneot, licet exiguus sit numerus, vt denominet totam multitudinem ab ipsis. Quoniam adhuc erant in populo sinceri Dei cultores, propterea quum de tota multitudine loquitur, præcipuè respicit illos qui erant instar pretiosi thesauri. [a] Colligite, inquit, bonos meos. Spiritu omnium meo præditos, quo ad bonitatis studium impelluntur. [M] Quòd autem Deus populum suum, non subditos suos vocat, more principum huius seculi, sed bonos suos, siue sanctos suos, hinc docemus quid sit esse populum Dei, quid sit Deum esse Deum nostrum. Sancti Dei nihil sunt aliud quàm boni & mansueti. Vide Suprà, 16.a.3. *Pactum mecum super sacrificia.* [c] Hoc vario modo exponi solet. Quidam enim Super sacrificia putāt dici loco præterquam: quasi Deus in veris cultoribus hoc laudet, quòd altius aliquid in suo fœdere requiri agnoscant quàm externas cæremonias, ideóque non subsistant in terrenis vmbris. Putant alii directè opponi sacrificiis spiritualem Dei cultum, acsi dictum esset, Pro sacrificiis, (vel, illorum loco) fœdus meum legitimo ritu sanciunt: quia sincerum cordis obsequium mihi consecrant. Atqui Propheta potius verum & genuinum vsum legalis cultus hic commendat. Magni enim interfuit probè cognosci quem in finem exigeret Deus sacrificia in Lege. Propheta autem clarè hic denuntiat nihil esse momenti in sacrificiis nisi vt sint quasi sigilla, vel syngraphæ, vel alia adminicula ad sanciendum Dei fœdus. Imò alludit ad morem passim receptum. Nam vt maior esset fœderibus religio & fides, solemus interpositis sacrificiis fuisse confirmata. Itaque Deus, quò sanctius sibi populum obstringeret, atque vt firmum ratumq; esset suum fœdus, sacrificia substituit. [S] Et certè non solùm apud veteres, sed etiam apud nos cæremoniarum & sacrificiorum vsus est, qui piis semper sacrosanctus est, vt quibus fœdus cum Deo velut publicè iciūt, & icti sese admonēt, ipsumve renouant. [c] Itaque locus hic notatu dignus est: ex quo apparet quinam apud Deum pro veris Ecclesiæ membris censeantur: nempe qui Spiritu mansuetudinis præditi, æquitatem colunt cum fratribus, & oblatum ab ipso fœdus adoptionis sincero fidei obsequio confirmant.

6 *Et annuntiabunt cæli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est. Selah.*

Et annuntiabunt cœli iustitiam. [M] Scripturæ mos est vt id cœlis & terræ committat dicendum quod vult esse notissimum. Quæ enim cœli annuntiant, maximè nota sunt, quum ab omnibus conspiciantur, & luce cuncta detegant. [c] Quia etiam tantum erat stuporis in Iudæis vt ludendo & ineptiendo se fingerent implere omnes iustitiæ numeros, minatur Propheta, quanuis nunc conniueat Deus patefacturū iustitiam suam è cœlo, quæ refellat & carnaniat omnia illorum commenta. Putatisne (inquit) vestris fallaciis placari Deum, quibus habetur ludibrio? Vtcunque nunc spargatis fumos istos, Deus tandem è cœlo patefaciet suam iustitiam, & asseret à prauis vestris figmentis. testes erunt cœli ipsi vestræ perfidiæ, quòd contempta vera sanctitate corruperitis sincerum Dei cultum: quia non amplius patietur Deus se vestro arbitrio transformari, acsi in rationem eorum eo non veniret interior vestra malitia, quam friuolo prætextu nunc fucatis. [a] Sic quum Moses cœlum & terram testes inuocat rerum quæ Israeli tradebat, Deuteron. 31.a.1, idem erat acsi dixisset, Notissimū sit hæc me vobis tradidisse, acsi id audissent vniuersæ creaturæ, & quicquid est in cœlo & in terra. *Quoniam Deus iudex est.* Nimirum omniū: qui vous omnia gubernat. [a] Quasi dicat, Potest Deus de rebus abditissimis sententiam ferre, quum rerum omnium sit cognitor & iudex æquissimus, qui nec falli à quoquam, nec fallere potest.

7 *Audi populus mi, & loquar: Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.*

Audi popule mi. [M] Præmissa Dei authoritate & maiestate, meritò exigit vt audiat Israel, dicēs, Audi popule meus Israel, &c. Quid enim iustius quàm vt populus audiat Deum suum? Iustum est vt ab omnibus audiatur qui vnus est Deus, & solus Deus: sed quoniam non audiunt omnes, audiāt saltem illi quibus singulari ac præcipua gratia datum est esse populum Dei. Quòd si ne illi quidem audire voluerint, quid poterit fingi iniquius? [c] Itaque Deus populum suum appellans, authoritatem verbo suo vendicat. Et certè hoc vnum exigitur ab illis qui sunt populus Dei, vt vocem & contestationem Dei audiāt. Qua de re vide Hierem.7.e.21. *Et testificabor tibi.* [b] Quidam, Et contestabor te. Alii per præsens, Testificor per te. Id est, teipsum in testem adhibeo. [c] Admonet his verbis non vulgarem sibi sermonem fore, sed expostulandi sibi esse materiam quòd à Legibus pacti sui defecerint. Vertunt quidam, Contestabor contra te. Sed ex communi Scripturæ vsu colligimus notari potius contestationem de more iure, acsi Deus fœderis sui memoriam renouaret, ac solenni ritu quod sibi ex pacto debetur exigeret ab electo populo. [M] Animus verè obediens ad primum quenque nutum se morigerum exhibet, quibus verò opus est contestatione, notam habent inobedientiæ. Est autem contestationis huius ista ratio, vt adimatur inobedientibus in posterum omnis excusatio. *Deus Deus tuus ego sum.* [c] Ratio est cur velit Deus audiri ab Israele. Præfatur enim se Deum esse Israelis vt Iudæos ad suum vnius arbitrium ac nutum reuocet. Atque emphatica est nominis Dei repetitio: acsi diceret, Dum me alligatis vestris figmentis, quantum distat hæc audacia & temeritas ab ea quæ mihi debetur reuerentia? Nam quum Deus sim, compescere omnem proteruiam debebat maiestas mea, vt ad vocem meam sileret omnis caro: inter vos autem, quibus me patefeci in Deum, eo plus obsequii merebar. [M] In decem præceptis præmittitur, Ego Dominus Deus tuus, Exodi 20.a.2. & postea subiunguntur præcepta fœderis, vt sciamus in fœdere cum Deo esse non posse qui vocem illius non audiat.

8 *Non super sacrificiis tuis arguam te, nec [super] holocausta tua [quòd non fuerint] coram me semper.*

Non super sacrificiis tuis arguam te. [b] Id est, Propter sacrificia. [c] Hic est causæ status, Deū sacrificia nihil morari, neq; dignari vllo pretio si per se æstimentur. [S] acsi diceret, Quanuis ego in Lege mea statuerim vt iugibus sacrificiis & holocaustis fidem tuam erga me, vt populus meus, testeris, ob ea tamen, si nulla adhibeas, cæterùm fidem sinceram præstes, non te reprehendam. [c] Hoc autem dicitur non quòd frustra sacrificauerint Iudæi, & absque vllo fructu: (quia nimis absurdum foret quicquam inutile fuisse à Deo præceptum) sed quum Deus officia quædam simpliciter probet, pietatis verò exercitia eatenus probet quatenus referuntur in legitimum finem, vbi signis nulla veritas coniuncta est, ea meritò repudiat Deus: [a] cuius cultus spiritualis est non carnalis. [c] Atque hæc loquendi forma Prophetis trita est, vt diximus aliquoties, ac præsertim Psal.40.b.7. Quoniā ergo cæremoniæ si per se reputentur, nullius sunt momenti, negat Deus eas se flagitare, acsi in illis occupari vellet seruos suos, quum tantùm sint spiritualis cultus adiumenta. Sic Hieremiæ 7.e.22, negat se quicquam

mandasse de sacrificiis. Sic Propheta Michæas dicit, Nunquid abs te postulat Deus tuus vt immoles greges arietum t aut in millibus arietum beneplacitum eius? quin potius vt facias iudicium, diligas æquitatem, Mich.6.b.7. Sic Oseas, Misericordiam volo, & nō sacrificium, Cap. 6.c.6. Denique referti sunt Prophetæ hac doctrina: maximè apud Esaiam insignes sunt loci, Cap.1.c.11, & 58.a.1, & 66.a.3. Testatur ergo Dominus se alitius respexisse quum sacrificia præcepit populo suo[M]. q.d. Nō moror sacrificia tua, Propter sacrificia tua tecum no contendam, in iudicium te non vocabo. Frustra putas te mihi sacrificiis tuis probè seruire, & holocaustis tuis quæ mihi offers, gratificari. *Nec super holocausta tua.* [V] Ad verbum legitur, Et holocaustomata tua coram me iugiter. Negatio præcedēs repetenda, ac præcedentibus ita connectenda, Non arguam te super sacrificia tua, nec propter holocausta tua, quæ coram me sunt semper. Vel, coram me semper. sub. esse debēt. Alii, Quòd holocausta tua non sint iugiter coram me. Id est, quòd rarius mihi hostias comburas. Alii, Holocausta tua non coram me semper. q.d. Non est quòd putes haberi respectum tuarum cæremoniarum. ego enim non tanti eas facio vt aspectu meo digner. quare? Oculi enim Domini respiciūt veritatem. Hierem. 5.a.3. Alii nihil subaudientes vertūt, Holocausta tua circa me semper. Id est, Vsque ad satietatem ac etiam fastidium tu offers mihi holocausta. Nam quod assiduum est non solùm vilescit, sed afficit nos quodam tædio. [C] Quemadmodum Dominus dicit nauseam sibi prouocari Esa.1.d.13. Simpliciter tamen hoc accipi potest, acsi dictum esset, quāuis ex Legis præcepto assiduè holocausta mihi offerri conueniat, ego tamē de hoc neglectu litem vobis non mouebo. [M] Interea notādus hic est feruor carnis in præpostero cultu Dei, vt & assiduè studeant ei rei quæ verus Dei cultus non est, tanquam sit cultus Dei, & nulli sumptui parcatur. Quis poterit exprimere magnitudinem sumptuum quos Iudæi fecerunt in sacrificando & holocausta offerendo? anon in vtrisque delinquunt hodie superstitiosi, tanuon studeut ei cultui qui cultus Dei non est, relicto eo qui verus est: deinde & ingentes sumptus impendunt in fictitium illum cultū quem assiduè frequentant? Quòd si de sacrificiis illis legalibus ista Deus dicit, quum tamen illa præceperit, quid dicturus est de cultu humanitus inuento?

9 *Non accipiā è domo tua iuuencum, [nec] de septis tuis hircos:*

Non accipiam è domo tua. [A] Assignat his versibus duas causas Dominus cur non expetat sacrificia & holocausta pecudum: neque illis oblectetur. Prior est, quòd quum omnia in sua habeat potestate, nō indigeat nostris oblationibus. [C] imò, etiāsi vescatur sacrificiis, non tamen indigeat hominum opera, quoniam tota mundi plenitudo sit sub eius manu. [A] Altera est quòd non vescitur carne, nec bibit sanguinem bestiarū. [C] Hoc est, cibo & potu nil opus habet, quæ subsidia sunt humanæ infirmitatis. [C] Ideo nihil potest vt homo mutari pecorum mactatione. *Nec de septis tuis hircos.* [V] Vel, de caulis tuis.

10 *Quoniam mea [est] omnis bestia syluæ, & animalia [pascentia] in montibus mille.*

Quoniam mea est omnis bestia. [V] Singulare pro plurali, Meæ sunt omnes bestiæ. [C] Deus hic suam opulentiam profert in mediū, vt minimè opus sit quicquam ab hominibus mutuari: atque hanc doctrinæ partem prosequitur quatuor versibus. [M] Quasi dicat, Quid me expetere putas tauros & hircos è domibus ac stabulis tuis, quum habeam tantam copiam ferarum, bestiarum, volucrum, in mille montibus, agris ac syluis, imò in toto orbe, cuius omnis plenitudo mea est? Hoc obseruent qui putāt se Deo gratissimum munus offerre si vel aurum illi, vel argentum, vel lumen aliquod offerant: an non idem audire possint à Deo quod hic Iudæis dicitur.

11 *Noui omne volatile montium: & fera agri mecum [est].*

Noui omne volatile. [V] Id est, In numerato habeo. Vel, Habeo in mea potestate. *Mecum est.* [V] Aut, apud (penes) me est. Id est, In animo meo. Vel, in potestate mea. Quidam tamen hæc exponunt de cura qua Deus volatilia & animalia reliqua fouet. quemadmodum Scriptura loquitur, Deus nouit suos, nouit viam iustorum, & similia. Hoc est, habet eos vt suos, curat eos, viam eorum tuetur. Vide Suprà, 36.b.7, & Infrà, 146.b.9.

12 *Si esuriero, non dicā tibi: quia meus est orbis, & plenitudo eius.*

Si esuriero, non dicā tibi. [A] Q.d. Etiāsi vescerer cibo & potu quēadmodum homines, non tamen tua opera indigerem, quum abundè mihi aliunde suppetat vnde viuere possim. *Quia meus est orbis.* Hoc est, Quicquid est in mundo, iure ad me pertinet. Solus enim sum rerum omnium creator, conseruator, & custos. *Et plenitudo eius.* [V] Id est, Quicquid illum implet. [A] Sic alibi dicitur, Domini est terra & plenitudo eius, Suprà 14.a.1.

13 *Nunquid comedam carnes taurorum, & sanguinem hircorum bibam?*

Nunquid comedam carnes taurorum. [V] Aut, Nunquid vescor, aut vesci soleo? [C] Iam se disiungit Deus ab hominibus, qui caducam vitam cibo & potu tolerant: quum propria vita quæ totum mundum viuificat, abundè contentus sit. Etsi autem nihil videtur dicere Propheta quod non palam omnibus sit ac testatum, quia tamen ad carnalem Dei cultum natura tam sumus procliues vt Deum æstimemus ex nostro ingenio: hæc admonitio valde vtilis est, arcanámque sapientiam continet, vbi omnia conati fuerint homines, nihil tamen posse Deo cōmodare. Sicut Psalmo 16.a.2. vidimus, Beneficentia mea non ad te. Secundò, Deum nihil in vsum suum poscere, sed quum sua perfectione contentus sit, hominum vtilitatem quærere in omnibus præceptis. Eodē fere tendit illud Prophetæ, Cœlum sedes mea, terra scabellū pedum meorum: quam igitur domū extrueris mihi? &c. Esa.66.a.1. Item, Nónne manus mea hæc omnia fecit? Quibus verbis se ab omni necessitate eximit, quia ipse sit æternus, mundus autem initium habuerit. Vnde sequitur penes ipsum plenam esse *αὐτάρκειαν*, quia vt non suppetat aliarum rerum copia, sibi ipse sufficit. [A] quemadmodū etiam nomen quod illi Hebraicè tribuitur, nempe שדי, satis innuit. [M] In eo verò quod Deus hic testatur se non coli sacrificiis pecudum, quū illa tamen præceperit, admonemur non statim cultum Dei esse si, quæ Deus quouis modo præcepit, opere adimpleueris. Idem sentiendum est de Sacramentis. Longè alia sunt quibus colitur Deus quàm quæ opere possint externo simpliciter adimpleri.

14 *Immola Deo laudem, & redde Altissimo vota tua.*

Immola Deo laudem. [V] Antecedens pro relatiuo, Immola mihi. [M] Hæc secunda pars est qua traditur qua in re situs sit verus Dei cultus, videlicet in fide nominis Dei, laude & inuocatione. [V] Nam Deo seruire non est propria sacrificia illi offerre, sed ipsum laudare, & gratias agere, inuocare quoque in die angustiæ. Si hic cultus cæremoniis iungatur, tum placent Deo cæremoniæ, quæ ad id hominem inducere debent. [B] Itaque totius pietatis consummatio est ex animo Dei laudes deprædicare. hinc & Paulus, Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem, Rom.10.b.10. *Et redde Altissimo vota tua.* [C] Alludit Propheta ad veterem Legis ritum, sicuti & Psalmo 116.a.3, Quid rependam Domino super omnibus quæ cōtulit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Iehouæ inuocabo. Postulat ergo gratitudinem à filiis Dei: quā olim solebāt testari solēnibus sacrificiis. [M] Et nomen Altissimi positum est vt populus certè expendat non tantùm quid Deo sed quid Altissimo debeatur. Neque enim satis expendebant Iudæi quid Deum deceret vt Deum, & quid Deo placeret, vt Deo, vt Altissimo.

15 *Et inuoca me in die angustiæ: eruam te, & honorificabis me.*

Et inuoca me. [A] Subiicit laudi inuocationem siue precationem, vt quoties aliqua nos premit afflictio, Deum pura mente inuocemus. [C] Porro in vocibus laudis & precationis est synecdoche, quia partem vnam veri cultus duntaxat attingit Propheta, quum iubet Deum agnoscere authorem bonorum omnium, & quam meretur laudem ei tribuere, ne iure suo fraudetur: deinde ad eius fidem confugere, in eius sinum deponere omnes curas: nec alium expetere liberatorem in precibus, vt tandem pro accepta salute ei gratiæ agantur. Fides enim & abnegatio nostri, & vitæ nouitas, & tolerātia crucis, vera sunt sacrificia quæ sibi placere Deus pronūtiat. Sed quia ex fide nascitur Dei inuocatio, & cum patientia semper coniuncta est, & carnis mortificationem secum trahit: neq; etiam potest constare vera gratitudo sine integro & sincero cordis affectu, non mirum est si sub hac specie totum genus complexus fuerit Propheta. Porro vt doceat spiritualē esse Dei cultum, laudem Dei & inuocationem cæremoniis quibuslibet ac externæ pietatis professioni opposuit. [M] Est autem Confiteri Deo seu Laudare Deū, apertè prædicare accepta diuinitus beneficia, omnémque Deo gloriam ascribere. Ergo quicunque meritis suis non nihil tribuunt, quique salutem suam quamcunque aliis acceptam referunt quàm Deo, laudem & confessionem Deo sacrificare nequeunt. Nec verò Propheta ordinem inuertit, à Dei laude incipiens. Videri quidem posset hæc ratio esse præpostera, quum inuocatio gratiarum actionem præcedat: sed quia hinc orandi principium ducitur quum adscribitur Deo iustus ac debitus honor, atque hæc etiam fidei

rudimenta sunt, Deum quærere tanquam vnicum bonorum omnium fontem, nō temere Propheta laudem in primo gradu locauit. Adde, quum suis beneficiis nos etiam nondum natos præuenias, antequam ad eius opem implorandam nos vrgeat vlla necessitas, iam ei deberi gratitudinis testimonium. Denique si secum ex vero afferret homines rationem & iudicium, à sacrificio laudis eos incipere deceret. Quanquam hac in re nō adeò anxiè sudandum est: quum satis fuerit Prophetæ pro vulgi captu crasse describere spiritualem Dei cultum sub laude, precibus, & gratiarum actione. Est autem Inuocatio nominis Dei multis rationibus maximè necessaria, primùm, vt fidem nostram exerceamus: secundò, vt experiamur & agnoscamus quàm grati simus Deo, qui inuocantes se exaudiat. Nam alioqui, vt optimus est Deus, vltro benefaciens omnibus, quid prohiberet quominus & nobis citra petitionē nostram daret omnia? Non enim ideo vult orari vt precibus nostris ad beneficentiam promoueatur ac flectatur, sed quòd cupit nos sincera in se esse fiducia, & certos esse de sua in nos beneuolentia, quam nos experiri vult per inuocationem. Vnde colligimus nihil pestilentius potuisse inter Christianos excogitari quàm mortuorum sanctorum inuocationem. Non enim dicit Deus, inuoca angelos meos, vel sanctos meos, Abraham, Isaac, Iacob, Mosen, &c. sed, Inuoca me. apertissimè docens totam pietatem collapsam esse nisi solus Deus inuocetur. Siquis Papistas roget an licuerit sacrificare hominibus mortuis, fortiter negabunt & verè: atque hodie nefas esse contendunt sacrificium offerre Petro vel Paulo, quia à tam crasso sacrilegio abhorret communis sensus. Atqui Deus inuocationem sui nominis præferēs omnibus sacrificiis, annon palam demonstrat non posse absque summo piaculo inuocari mortuos homines? Vnde sequitur, Papistas, quāuis millies genua flectant coram Deo, præcipuum tamen gloriæ suæ caput ei eripere, dum vota sua ad sanctos conuertunt. Et notandum est quòd Deus ad se inuocandum præcepto suo animat. Non enim dicit, Si me inuocaueris, sed simpliciter, inuoca me. vt omnes intelligant nominis Dei inuocationem omnino nō esse necessariā. Sed quid est quod additur, *In die angustiæ*, vel afflictionis? an non debemus inuocare Deū nisi in die tribulationis? Responsio. Non ita restringitur hac tēporis circunstantia officium orandi, quin quotidie & singulis momentis illud persequi debeant fideles. Ergo quamuis quieti simus & immunes ab omni molestia, prosperè fluant nobis omnia, nec vllo incommodo premamur: minimè tamē à precibus cessandum: quia de nobis actum fore scimus si vel momento submoueat Deus suam gratiam. Sed quia rebus aduersis magis seriū fidei nostræ examen agitur, nō abs re tempus angustiæ exprimitur à Propheta. acsi diceret Deum in omni necessitate quærēdum esse, quia vnicus sit salutis portus. Nam fides nostra nullum aliud obiectū habet quàm Dei bonitatē, quæ vel maximè seipsam exerit dū nos eripit ab angustiis & afflictionibus, quibus antea premebamur. Vnde Paulus fidē & inuocationem coniungit, dicens, Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Rom. 10. c. 14. Adhæc quòd expressa fit mentio afflictionis, non parum solatii affert infirmis ac trepidis mentibus. Nam simulac signum gratiæ suæ Deus subducit, obrepit dubitatio an curam suscipere velit salutis nostræ, imò diffidentia nos solicitat. Contrà verò Deus rebus aduersis, quasi stimulis, nos pungit ad se quærendum & inuocandum. Nec illud omittendum quod sine exceptione addit, *In die tribulationis*. Nulla enim excipitur hic tribulatio. quæcunque, qualiscunque, quantacunque sit tribulatio, præcipitur tibi vt in illa constitutus Deū inuoces. *Eruam te.* Quia ad Dei cōspectum fere trepidant homines, vel quòd immensa eius gloria terrentur, vel quòd propriæ indignitatis sensus eos deiicit, additur nunc promissio quæ nos ad orādi fiduciam animet, atq; etiam stimulet. Non dicit, Vt eripiam te, vel Fortè eripiam te: sed, Et eruam te. Expendamus ergo quantum sit quòd Deus ille omnium maximus, Infinita illa maiestas, promissione sua mortali homini, terræ ac pulueri, obnoxiū sese facit & obstringit, quum nihil ab illo possit vicissim expectare beneficii. Alenda est autem fides promissionis huius exemplis sanctorum quæ nobis in Scripturis proponuntur, quorū plurima sunt in Psalmis: deinde etiam nostris ipsorum exemplis, quæ declaratam in nos diuinam bonitatem & promissionis istius veritatem commēdant. *Et honorificabis me.* Vbi pollicitus est Deus se votis nostris fore propitiū, vicissim à nobis gratitudinem postulat. Q.d. Posteaquam non tu mihi sed ego tibi benefecero, posteaquam senseris me verè Deum tuum esse, protectorem ac seruatorē, tum me verè honorificabis, & mihi gratias ages. Vnde discimus gratiarum actionem partem esse cultus spiritualis quem Deus à suis requirit.

16 *Impio autem dixit Deus, Quid tibi ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum?*

Impio autem dixit Deus. Vel (vt quidam volunt) Peccatori autem dixit Deus. Quanquam appellatione impii Scriptura non quemuis peccatorem, sed planè malitiosum significat, & qui ex destinata malitia & non ex errore peccat. Est enim impius is qui nullo Dei studio ex animo deditus est, sed caret timore Dei & veræ pietatis expers. Itaq; Propheta nunc apertius inuehitur in fucatos Dei cultores, quorū tota religio erat cæremonias obiicere Deo, acsi fumū oculis eius aspergerent: vt scimus mūdum libenter sub falsis vmbris delitescere. Hic ergo pronuntiat Deus nihil apud se proficere qui impuro cordi & sceleratæ vitæ cæremonias obtendūt. Certè sic Deus detestatur hypocrisin vt neminem inter suos agnoscat nisi qui ex animo ipsi sese addixerit. Tam enim externis istis sine pietate cordis adhibitis nihil delectatur, vt etiam ob ea grauiter irascatur. Hæc sententia, quæ recipi debuerat cōmuni omniū consensu, ægerrimè & valde iniquis auribus apud Iudæos accepta fuit. Vno quidem verbo fatentur omnes pollui Dei cultum nisi sincerè & ex animo colatur: profanis etiam poetis extorta fuit hæc confessio, & scimus scelestos à sacrificiis & templorū ingressu fuisse prohibitos. Interim quod omnium cordibus insculptum erat suffocat hypocrisis, adeóq; penitus obliterat vt audeant impurissimi quiq; se ingerere in conspectum Dei, quasi friuolis nugis eum sibi deuinctū tenerēt. Itaq; non sine summa necessitate toties doctrinam hanc inculcant Prophetæ: quo magis laborant impii in simulanda pietate, eo grauius sibi accersere iudicium talibus fallaciis. Imò vtcunq; clamet Spiritus Dei sacrilegum esse nominis Dei abusum, sine vera fide & pœnitentia externā pietatis speciem ostendere: Papistis hic diabolicus error excuti non potest, sufficere finalem intentionem (vt loquuntur) vt cuiusuis nugæ Deo placeant. Fatentur quidem non mereri de condigno nisi qui sunt in statu gratiæ: sed hæc persuasio apud eos obtinet, valere ad præparationem nuda pietatis exercitia, quāuis absit cordis integritas. Ita si mœchus ab impuro suo lecto surgens os suum pollutum ac fœtidum obtrudat Deo, & Psalmos sine vllo cordis affectu cantillet: siquis vel scortator, vel periurus, vel capinit dedisos, missis, votiuis peregrinationibus, & similibus nugis scelera sua redimat, nolūt irritum esse laborem. Ex aduerso autem reclamat Deus, non modò operam perdere qui externa pietatis signa à fide & sincero cordis affectu disiungunt, sed sacrilegii reos esse: quia nomine suo perperam abutuntur. Non enim cum illis hic agit Deus qui manifesta impietate fœdus ac statuta sua reiecerint: sed magis qui per hypocrisin nomē pietatis inter homines, quū in corde essent impii, quærebant, & ea facinora quæ impii designabant, fuco externæ ac simulatæ pietatis obtegebant. Atq. hoc loco tacitā obiectionem diluit Propheta ac refutat. Quid tamen non saltē aliquo loco admittet Deus quæ in eius honorē fiūt sacrificia? Ostēdit enim meritò hoc illis in crimē imputari, quia Deo mentiūtur quantum in se est, sacrumq; eius nomē indignè profanāt. Improbā enim eorum audaciam coarguit his verbis, *Quid tibi ut enarres statuta mea?* Hoc est, Simules te vnum esse ex sancto populo, quasi ad te pertineat fœdus meum? Vel, Quomodo tu audes, &c. Siue, Quæ est ista audacia q verba mea ore tuo proferas, & fœdus meum accipis? Hic Enarrare verba Domini, & Assumere fœdus eius, nihil aliud est quàm obtendere eius nomen, vel pietatem apud homines profiteri. Hoc enim præcipuum est in profitēda pietate, quum testamur nos habere vnicum Deū, & complectimur eius fœdus, atq; ore testamur esse certam veritatē, doctrināmq; salutis. Talis cōfessio præcipua pars est externæ pietatis. Cæterùm, quū totam pietatis professionem hic repudiet Deus quæ non prodit ex puro corde, quid de cæremoniis fiet quæ infra verbi Dei prædicationem subsidunt? Iam verò siquis obiiciat illud Christi, Super cathedram Mosis sedent Scribæ ac Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ faciunt, nolite facere, Matth. 23. a. 2. (vbi Christus ministerium hominum impiorum non reprobat) facilis est responsio, discernendum esse inter Deum & populum. Licet enim Deo tales ministri supra modum displiceāt, & ad ipsos propriè non pertineat ministerium hoc eloquiorum ac iudiciorū Dei: populo tamen audiendum est, donec verbū Dei propositum fuerit: secus, si humanæ proponantur rationis commenta. Interea tamen Ecclesiæ ius vindicādum est, vt eiectis impiis si fieri possit, eligantur pii.

17 *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te.*

Tu verò odisti disciplinam. Vel correctionem. Quid disciplinam vocet siue correctionem mox dicit, nempe verbum Dei. Idem combis repetit diuersis verbis. Conuincit Deus hypocritas suæ perfidiæ, quòd pietatem, quā ore iactant, vita & operibus abnegent. Est igitur apertum signum hominis impii,

si quis non solùm non amplectatur disciplinam Dei, sed & odio illam prosequatur. Addit autem, *Et proiecisti verba mea post te.* [C] Contemptum Dei hinc probat, quòd nullam eius verbo reuerentiam deferant. Hæc enim vera est timoris probatio vbi nos verbo Dei subiicimus, & libenter amplectimur quicquid ille præcipit ac docet. Atq; huc semper tendit hominũ hypocrisis vt lõgis & tortuosis ambagibus hanc obedientiã effugiant. Ideo fontẽ impietatis Propheta designat vbi verbũ Dei post tergum proiici conqueritur, & principium veri cultus statuit in fidei obedientia. Simul etiam huius peruicaciæ causam notat, quòd scilicet impuri homines non sustineant ferre iugum. Libenter enim hanc gloriã ei concederent, quicquid ex ore eius prodit, verum esse & rectum: sed quia Deus loquendo in ordinem nos cogit, frænumq; iniicit ad cohibendos omnes carnis nostræ affectus, molestus est ac odiosus nobis eius sermo. Itaq; ferocia nostra nos exasperat cõtra Dei verbum, quia correctionem non libẽter suscipimus, nec fieri potest vt quis mansueto & docili animo Deum loquẽtem audiat, eiusq; verbo obtemperet, donec se regendum & corrigendũm ei tradat.

18 *Si uides furem, statim curris cum eo: & cum adulteris portia tua est.*

Si uides furem. [V] Vel, Quando vidisti furem. Quidam vertunt, Si videas furem. *Statim curris cum eo.* [V] Ad verbum, Et cucurristi. Docti inter Hebræos etiam vertũt, Volebas cum illo esse, vel sociari. Vel, Volebas vt manus tua esset cum illo. id est, cõsentiebas cũ illo. Sequũtur fructus impietatis, & contemptus verbi Dei, [C] quòd hypocritæ furtis & adulteriis addicti, sacrum Dei nomen talibus flagitiis inuoluũt ac permiscent. Porro species tantùm quasdam attingẽs, significat præfractos omnes & immorigeros qui correctionem respuunt, quocunq; tulerit libido, vel prouocauerint mala exempla, cupidè & effræni licẽtia ruere. [Z] Obseruãdus verò ordo eorum est quæ improbo tribuũtur. Sunt enim gradus impietatis. Primũ est correptionem respuere. (nam quum mali nascamur, primus ad pietatem gradus est correptionem admittere, & mala nostra agnoscere.) Proximũ, verba Dei abiicere. qui enim non sustinet argui, necesse est Dei verba abiiciat, quæ vt docent vitam innocentem, ita nostram nusquã non damnant. Ista verò consequitur vt cum quibusuis sceleratis societatem ineat, nullum flagitium exerceat. [M] Quod de furto hic dicitur, simile videtur ei quod sui seculi Iudæis exprobrat Esaias, Principes tui (inquit) sunt socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Et quid ex eo sequebatur? Hoc scilicet quod statim subiicitur, Pupillo non iudicant, & causa viduæ nõ ingreditur ad illos, Esa.1.f.23. Id quod & Hieremias illis obiicit, cap.5.g.28. *Et cum adulteris portia tua est.* [Z] Iam peruersæ libidinis malum à Spiritu sancto damnatur. Quidam vertunt, Cum scortatoribus, vel fornicatoribus. [V] q.d. Tu socius factus es illorũ qui alienas vxores stuprare solent. Deinde subiungit Propheta,

19 *Os tuum mittis in malum, & lingua tua concinnat dolos.*

Os tuum mittis in malum. [V] Vel, Misisti in malum. sub. sermonem. Id est, Sermone tuo lædis fratrem tuũ. [C] Non modò perstringit his verbis obtrectandi morbum, sed alios omnes noxios sermones: quia statim sequitur, *Lingua tua concinnat dolos.* [V] Vel, vt quibusdam placet, Concinnas, vel nectis. vt lingua sit ablatiuus. [C] Scimus autem quàm variis nocendi lædendiq; artibus instructæ sint mendaces & dolosæ linguæ. [Z] Ecquid non peierant cupidus & libidinosus? quid non fingunt? quid non mali machinantur, quo suum aliquãdo sopiant æstum? Os certè impii, hypocritæ, auari, simulatoris, abundat malitia, fucóq; omnem suum eo inuoluit sermonem: fingit, subridet, dolósque tandem ea connectit arte atque impudentia vt ne suis quidem vterinis fratribus parcat.

20 *Sedes, & contra fratrem tuum loqueris, contra filium matris tuæ das probrum.*

Sedes, & contra fratrem tuum. [V] Quidam, Sedebis. [C] Sedẽdi verbo alludere videtur ad iudicia. acsi diceret, sub legitimæ censuræ prætextu fratres iniustè proscindere. Quãquam potest de vulgari petulãtia exponi, quia garruli homines sedẽdo suum otium in maledicentia consumunt. Sed probabilius est, atrocius illud crimen damnari, vbi scilicet in foro ipso bonos & simplices calumniantur improbi, & falsa inuidia grauant. *Das probrum.* [V] Aut, Ponis probrum. Hebraismus, pro Filium matris tuæ probris afficis. Quidam, Struis calumniam. q.d. Nõ solùm alienis obloqueris, sed etiam fratribus. [Z] Ostendit hypocritas exortes esse omni humanitate, ita vt calumniari sustineant & probris afficere fratrem quoq;, & filium matris suæ. quo vel idem repetiit Propheta, [C] vel magis emphaticè exprimere voluit quàm crudelis sit eorum maledicẽtia: quia communis naturæ obliti, ne vterinis quidem fratribus parcunt. [A] De maledicis & obtrectatoribus vide quid Scriptura pronunciet, 1. Corinth.6.b.10, & Iacobi 4.c.11.

21 *Hæc fecisti, & tacui: [propterea] existimasti [quod] futurus sum sicut tu: [sed] coarguam te, & ordinabo in oculis tuis [quicquid fecisti.]*

Hæc fecisti. [V] Vel, Facis. *Et tacui: propterea existimasti.* Præteritum Hebræum pro præsenti, Et taceo: ideo arbitraris. Perinde est acsi dixisset, Quoniam ego ad tẽpus dissimulo, putatis non agnoscere me tam crassa scelera. nam non agnoscitis me iudicem nisi coacti. *Quod futurus sum sicut tu.* [V] Ad verbum, Essendo ero. Hebraismus pro, Omnino futurus sum, Planè ero. [Z] Hoc vltimũ & totius impietatis cõsummatio est, quòd impius sibi persuadet Deum nullam habere suorum scelerum rationem, eo quòd vltionem differt: esséq; sicuti ipsum, hominẽ nescientem quæ secretò alii admittant. Induxit itaq; Vates Deũ vltionem minitãtem, ac q; tempore adhuc supplicium de ipso sumpturũ. [Z] Neq; enim atrociore cõtumelia potest affici quàm dũ iustitia sua spoliatur. Non quòd palam sic loquãtur hypocritæ: sed quia praua imaginatione Deũ transformãt, vt sibi delicias faciant ex eius tolerantia. Nam si seriò persuasi essent Deũ abominari scelera, necesse esset continua inquietudine ipsos torqueri. Ergo tam supina indulgentia ostẽdit ipsos Deo imponere falsas personas, nec modò detrahere iudicis munus, sed etiã fingere scelerum patronũ & approbatorem. Simul etiam hypocritas obiurgat quòd Dei lenitate & patiẽtia perperã abutantur, vt spem impunitatis inde sibi faciant. [A] Quemadmodũ Paulus scribit, Rom.2.a.4. *Sed coarguam te.* [V] Vel, Sed arguã te. *Et ordinabo in oculis tuis.* [V] Vel, Et proponam ante oculos tuos. Alii, Resistam tibi in faciem. Vel, Statuam me contra oculos tuos. Alii, Et producam quæ fecisti ante oculos tuos. [C] Nam denuntiat breui in apertam lucem trahendos esse, vt cernere oculis suis cogantur quæ à Dei oculis abscõdere conati sunt flagitia. [V] Q.d. Cogam te, velis nolis, agnoscere mala tua. Solẽt enim hypocritæ & securi Dei contemptores proiicere peccata sua post tergũ. Itaq; [C] verbo ordinandi significat Propheta quòd Deus distincto ordine catalogum omnium scelerum propones, quem (velint nolint) legere & agnoscere cogantur. [M] Senties, inquit, vbi te in iudicium vocauero, an quæ admisisti scelera mihi placuerint nécne. Hoc erit & hodie timendũ omnibus illis, qui nimia securitate impune iam delinquẽdo, absq; omni resipiscẽtia pergunt, quasi nihil sit coram Deo periculi: [A] frustráq; dictum sit ab Apostolo, horrendum est incidere in manus Dei viuentis, Hebr.10.f.31.

22 *Intelligite quæso hoc qui obliuiscimini Dei: ne fortè rapiam, & non sit qui eruat.*

Intelligite quæso hoc. [A] Vel, Hoc nunc intelligite. nimirum quod loquor. [M] Iudicis hæc est beneuolentia, vt corripiat suos, etiã impios, non hoc nomine vt perdat, sed vt emendẽtur, ne pereant. [C] Sed quia hypocritæ, donec infestã sentiant Dei manum, in socordia se obdurant, nec vllis quamlibet seueris reprehensionibus facilè mouentur: Ideo vehementius instituit Propheta, & denuntiauit, quãuis ad tempus conniueat Deus, eos malè & in suum exitium vanis adulationibus se mulcere. imò hoc ludibrium Dei grauissimè exagitauit, quòd eum sceleribus fauere existimant: nũc verò sic illis minatur & terret vt tamen spem veniæ residuã faciat, modò festinent. [C] Iam, inquit, intelligite hoc quod vobis denũtiatur. [F] En iterũ expecto, taceo, dissimulo, si fortè vos pœniteat scelerũ vestrorum, [C] vt ad thronum misericordiæ confugiẽtes, iram quæ alioqui vobis imminet, auertatis. *Qui obliuiscimini Dei.* [V] Vel, Qui obliti estis Dei. [M] Duo sunt pessima mala, obtenebratio & stupiditas animi: deinde obliuio Dei: vnde omnis promanat iniquitas. Istis sunt obnoxii hodie plurimi cum iudices tum sacrifici, qui absq; vlla pœnitentia delinquũt. *Ne fortè rapiam.* [C] Ne tarditati indulgeant hypocritæ, Propheta tam seueritatem iudicii Dei quàm celeritatem proponit, vbi probrosẽ ingratitudinẽ illis obiecit, quòd Deũ obliti sint. [Z] Vtitur autem metaphora à bestiis prædam rapientibus mutuata. [C] Interea hoc in primis notabile est gratiæ Dei specimen, quòd sceleratis pietatis corruptoribus manum porrigit, quamuis eius cultum improbè violassent, quamuis sacrilega audacia risissent eius patiẽtiam, & in crassa flagitia proiecti forẽt: &, si modò ad sanã mentẽ redeãt, ostẽdit se illis fore propitiũ. Neq; enim ad pœnitẽtiam homines inuitat nisi spe recõciliationis proposita, vt alacriter ante eius conspectũ prodire audeãt. Hæc certè inæstimabilis est clemẽtia: perfidos apostatas & fœdifragos qui desciuerãt à doctrina pietatis, in qua fuerãt educati, rursus ad se inuitat, vt locum obtineant in Ecclesia. Et certè nihil hic dicitur quod nos magna ex parte non simus experti, quos Deus incredibili misericordia rursus in ouile suũ collegit, quum perfida defectio nos ab eo alienasset. Vide etiã quid Paulus de Corinthiis scribat,

1.Cor.6.b.11,& Eph.2.c.11,& Tit.3.a.3.[c] Notandum simul quòd admonet Propheta, nisi maturent ad Deum redire qui ab eo desciuerunt, non semper apertam fore ianuam. Et sanè cauendum semper est ne per ignauiam nobis effluat tempus beneplaciti, vt frustra deinde exemplo Esau vlulemus.[a] sicuti scriptum est Gen.27.e.34,& Hebr.12.e.17.[c] Huc enim pertinet comminatio, vbi rapuerit Deus, nullum fore liberatorem. Agnoscamus quid Propheta dicat, Quærite Dominũ dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est, Esa.55.b.6. Vide etiam quid Solomon dicat, Prouer.1.c.24.

23 *Qui sacrificat laudem, honorificabit me: & ponenti viam [Dei coram se] ostendam salutem Dei.*

Qui sacrificat laudem. [Y] Vel, qui sacrificat sacrificium laudis. Nam verbum includit nomen verbale. Id est, qui laudat me ex animo. *Honorificabit me.* [Y] Futurũ Hebræũ pro præsenti, glorificat me. Id est, honore me afficit.[c] Iam tertiò inculcat Propheta, Deo nihil esse acceptius sacrificio laudis, quo nostrã erga eum gratitudinem testamur. Nec superuacua est repetitio, ob duas causas. Nam beneficiorum Dei facilè nobis obrepit obliuio, imò etiam ex mille vix vnum leuiter & defunctoriè gustamus: deinde laudẽ Dei minimè quo decebat pretio æstimamus. Nam quum præcipuum sit pietatis officium, in quo nos tota vita exerceri vult Deus, quasi vulgare aliquid ac friuolum negligitur. Itaque pronuntiat legitimum Dei cultum laudis sacrificio contineri. Glorificãdi enim verbo significat Deus, ritè demũ ac verè hoc se modo coli, & tribui sibi quam postulat gloriã, vbi sua beneficia sincero & grato animo celebramus inter homines: alia verò sacrificia quibus sedulò incumbunt hypocritæ nihil se morari, nec in cultu reputare. *Et ponenti viam.* [Y] Vel, Et componenti viam. Id est, rectè instituenti viam suam. Vel, vt alii, siquis recta ad me veniat. hoc est, qui nõ peruertit cultum meum, quemadmodum passim faciunt improbi, qui habent obliquas vias & flexuosas. illi quidem simulant se quærere Deum, vt est apud Prophetam, Me tamen per singulos dies quærunt, & scire vias meas volunt: veluti gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit, interrogant me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt, Esa.58.a.2.[c] Alii Viam ponere nihil aliud esse putant quàm peccata confiteri: alii autem interpretantur tollere offendicula è medio, & viam sternere quam omnes sequantur. Sed dubium non est quin rectam viam Propheta flexuosis eorum erroribus opponat qui Deum se quærere simulant, sicuti iam dictum est, atque ita significet non nisi sincero corde & simplici rectitudine ad Deum accedi. *Ostendam salutem Dei.* [Y] Quidam salutem Dei accipiunt pro insigni & memorabili seu eximia salute. Nam Hebræi diuinum appellant quicquid excellit. Sed simplicior sensus est, Ego ostendam me illi seruatorem. Nam Dominus hic loquitur, & antecedens ponitur loco relatiui, salutem Dei pro salutem meam,[a] vt clarius exprimat se patefacturum veris suis cultoribus quàm non frustra censeri velit eorum seruator.[Y] acsi diceret, Ipsi re ipsa sentiẽt se sincerè quæsisse Deũ.[b] Donet Deus vt ipsum verè agnoscamus, sic facesset omnis hypocrisis, & libebit ex animo Deũ prædicare, in quo plena & iustitia & fœlicitas sita est.[a] Nã si volumus nostra obsequia probare Deo, necesse est vt viã rectè instituamus, atque in integritate, (sicuti olim Abrahæ præceptum est Gen.16.a.1.) coram ipso ambulemus.

ARGVMENTVM PSALMI LI.

[a] Continet hic Psalmus precationem Dauidis peccata sua seriò agnoscentis, postquam correptus à Nathan,[e] sibi displicuit, & humiliatus est coram Deo. Et quia sceleris quod commiserat atrocitas tanta erat vt propter eam mereretur in æternũ abdicari, & omnibus Spiritus sancti donis spoliari, solicitè precatur in integrum restitui.[a] Tum ad docendum alios bonitatemque Dei prædicandam sese offert,[c] ostendens totius Ecclesiæ referre vt à Deo exaudiatur.

Præfecto canticum Dauidis.

Præfecto canticum Dauidis. [Y] Vide Psal.4.a.1. Nonnulli vertũt, Victori Psalmus ipsius Dauidis.[M] Celeberrimus est hic Psalmus, & in maximo apud pios omnes vsu. Depicta nãque in illo præscriptáque est omnibus veræ pœnitentiæ ac resipiscẽtiæ forma.

2 *Quando venit ad eum Nathan Propheta, postquam ingressus fuerat ad Bathseba.*

Quando venit ad eum Nathan Propheta. [a] Consultò hic memoratur Prophetæ aduẽtus, ad stuporẽ Dauidis coarguẽdum. Fuit enim hoc prodigio simile quòd potuit tantus vir tantáque Spiritus excellentia præditus vltra annum torpere in suo vitio, acsi mente alienatus esset. Quis enim non diceret fuisse à Satana fascinatum, quòd sopita cõscientia Dei iudicium contempserit, vel saltẽ neglexerit? Hæc ergo vecordiæ nota crimen amplificat, quòd nulla punctione spõte tactus est, donec ad eum missus esset Propheta. Sed eadem ratio ad illustrãdam Dei gratiam non parum valet, quòd vagũ & errantem per manum sui Prophetæ ad se reducere conatur.[b] Itaque memorabile humanæ imbecillitatis & simul diuinæ bonitatis exemplũ in hoc Dauidis scelere propositum est. Per se immane & multiplex scelus fuerat, vxorem innocentissimi & fidissimi militis stuprasse, tum ipsum neci obtulisse, postremò victoriam hac causa, indubiè non absque aliorum quoque ex Dei populo cæde, hostibus Dei concessisse. His tamen tam multis & atrocibus malis totius anni, vt dictum est, impœnitentiam adiecerat, interim se oblectans vxore aliena, totus velut stupidus iacens, donec Prophetæ ministerio Dominus eũ erexit, ac quodammodo expergefecit.[c] Quo pertinet repetitio eiusdẽ verbi ingredi, in quo subest antithesis. *Postquam ingressus fuerat ad Bathseba*, tum Propheta ad eum ingressus dicitur. Atqui impuro illo accessu longè à Deo recesserat. Clarius ergo in eo enituit Dei bonitas, dum ad eum fugitiuum retrahẽdum manum suam procul extendit. Neque tamen putandum est sic caruisse omni sensu, quin Deum in genere agnosceret mundi iudicem, quotidie precaretur, nec modò se exerceret in eius cultu, sed vitam quoque & officia sua ad Legis normam exigere studeret. Sciamus ergo non omni Dei timore fuisse penitus vacuũ, sed excæcatũ in vna specie, vt sensum iræ Dei peruersis blãditiis sopiret. Ita pietas eius, quæ alioqui multas scintillas emittebat, hac in parte suffocata fuit.[b] Sic sumus, nobis relicti. quare modestè & magno in timore versari cõuenit.[c] Nam si sancto Prophetæ & præstantissimo regi obrepserit tam bruta socordia, nemo est qui non ad eius exemplum expauescere debeat.[a] Ergo cum timore & tremore (vt inquit Apostolus) salutem nostram operemur, Philipp.2.b.12.[c] Quòd autem ad Prophetæ vocem perculsus est Dauid, ac deposita omni contumacia docilem se ac morigerũ præbuit, hinc colligimus non fuisse extinctum in eius animo pietatis sensum, quia non tam facilè nec subitò erũperet in illam vocem, Peccaui Domino? quid faciam? (1.Sam.12.d.13.) nisi retinuisset aliquod pietatis semen, licet absconditum. Docemur autem hoc exemplo non expectandum, vbi peccauimus, dum è cœlo tonet Deus, sed placidè & libenter obtemperandum esse eius Prophetis, quorum ore ad pœnitentiam nos inuitat.[Y] Cæterùm Ingredi siue intrare ad mulierem, pro Congredi cum illa, & rem habere, more Hebraico dicitur. Sic Genes.29.e.21.

3 *Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam, secundum multitudinem miserationum tuarũ dele præuaricationes meas.*

Miserere mei Deus. [a] Miris affectibus flagrat hic Psalmus. Nam tegem cruciabat peccati agnitio. vnde ardentissimè precatur initio Psalmi scelerũ suorum veniam, vt se Deus exorabilem præstet. *Deus.* [M] Ad nullum alium cõfugit Dauid, sceleris peccati cognitione tactus, quàm ad Deum ipsum, in quem deliquerat, & cuius nomine iam à Propheta reprehensus fuerat. Nam ipse solus est qui & peccata potest remittere, & conscientiam turbatam & anxiam pacificare. *Secũdum misericordiam tuam.* [a] Vel, Clementiã tuam.[b] Bonitatem Dei & amplam misericordiam inuocat, quia grauissima sentiebat sua flagitia. [M] Nihil eorũ quæ probè & egregiè gesserat ante peccatũ suum, in mediũ profert, sed tantũ Dei misericordiæ meminit,[a] satis agnoscẽs se meritò abdicari posse nisi Dominus Deus gratuita bonitate lapsum erigat, & peccatori præmaximo ignoscat. *Secundum multitudinem miserationum tuarum.* [c] Postquam clemẽtiæ meminit, addit multitudinem miserationum, eo quòd nõ vulgari misericordia indigeat, tanto reatu implicitus. Si tantũ optasset Deum sibi esse propitium secũdum clementiam vel bonitatem suam, hoc modo fuisset confessus se hominem esse perditum: sed dum scelera in medium proponẽs, disertè exprimit non posse aliter deleri quàm si Deus cum immensa miserationum copia succurrat, non parũ exaggerat culpæ suæ grauitatem. Subest enim tacita antithesis multitudinis scelerũ.[M] Qui non agnoscunt se admodum deliquisse, haud putant ad consequẽdam veniam magna opus esse gratia: at qui multitudinem miserationũ implorat, satis declarat se agnoscere quàm enormiter deliquerit. Sic Moses quum magnitudinem cõmissi peccati in adorato vitulo aureo intelligeret, ac veniam populo apud Deum, fiducia bonitatis illius fretus, quæreret, multitudinem miserationum Dei implorauit, Exodi 34.b.9. *Dele præuaricationes meas.* [Y] Vel, Scelera mea, transgressiones meas, iniquitates meas.[M] Hac petitione misericordiæ implorationem petit. Nõ dicit, Ne me punias, sed, Præuaricationes seu iniquitates meas dele. Nam illæ conscientiam cruciabant & mordebant. Timor pœnæ exagitat impios, peccatum verò cõmissum animũ Dei amantem pũgit, etiamsi nullus sit supplicii metus.

4 *Multiplica lauare me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

Multiplica lauare me. [V] Aut, Multiplica misericordiam, laua me. Aut, In multitudine laua me. Vel, Multum laua me, Plurimum laua me. Alii vertunt, Multiplica ad me lauandum à peccato meo. Dauid hoc genere dicendi testatur se non opus habere mediocri Dei clementia, vt purgetur à peccatis suis, sed sibi necesse esse vt Dominus singulariter se demõstret beneficum & misericordem. q. d. Domine, sordes meæ non sunt vulgares, sed tenaciter hærent, imò sunt profundæ: ergo nisi tu me insolito quodam & raro modo expurges, ego certè manebo semper pollutus & inquinatus. Quare abyssus misericordiæ tuæ absorbeat abyssum iniquitatis meæ. [C] Quod ad metaphoram pertinet, scimus frequenter eam in Scripturis occurrere, [S] vbi peccata, sordes & inquinamenta vocantur. [C] Quia ergo peccata, quasi sordes & immunditiæ, nos in Dei conspectu fœdant ac polluunt, fœtidósque reddũt, eorum remissio aptè ablutio vocatur. Atque hæc doctrina tam ad commendationem gratiæ Dei, quàm ad peccati odium & detestationem valere debet. Nimis enim stupidi sunt quos horrore non percellit hæc loquutio. [M] Nam & hoc mortalibus naturaliter inest vt à rebus immundis abhorreant: & siquam immunditiem contraxerint, studiosè abluant, non solùm in corpore, sed & in ipsis vestibus, & in reliquis omnibus quorum habent vsum, maximè vasis quæ cibo seruiunt ac potui. quare audienda nobis est Prophetæ admonitio, Lauamini, mundi estote, Esa. 1. d. 16.

4 *Quoniam præuaricationes meas ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper.*

Quoniam præuaricationes meas. [V] Vel, Scelera mea. vel, Peccata mea. [C] Ostendit Dauid cur tam anxiè & ardenter in flagitanda venia insistat: quia scilicet non possit quietus manere donec reconciliatus sit Deo. Atque hoc modo testatur se nihil adferre simulationis: qualiter interdum magno verborum splendore gratiam Dei in remittendis peccatis ornant qui tamen eam frigidè curant, quia non admodum eius iudicio tanguntur. Dauid ergo, vt veniam impetret, nõ abs re dicit continuis se tormentis vexari, & inquietudine quam patitur cogi ad hanc precandi vehementiam. [V] Q. d. Domine, tu scis me non simulatè abs te hoc petere, vt me recipias in gratiam. scis enim quantis in tenebris verser, quoniam peccatũ meum coram me est semper. Id est, sentio quàm grauiter peccarim, igitur necessitas me cogit vt ardentissimè gratiam & misericordiam tuam expetam. [C] Hinc verò colligimus non aliam reconciliationis modum esse, nisi dum nos propria conscientia vulnerat & affligit, & assidua inquietudine solicitat donec propitiatus sit Deus, vt nos misericordia sua tranquillet. Tunc ergo seriò à Deo petimus vt nobis ignoscat, dum scelerum atrocitas oculis nostris se ingerens horrorem simul incutit. Vnde sequitur, quandiu sibi indulgent homines, magis eos se accendere Dei vindictam, vt seuerius ipsos puniat. Ideo discamus non modò ore nos damnare, sed rigidum & formidabile examen habere de peccatis nostris, si cupimus à Deo absolui. Neque enim Dauid se apud homines fateri peccata dicit, sed intus sentire, & quidem non sine diro cruciatu: quum hypocritæ à tergo securè proiiciant vel praua obliuione sepeliant quicquid vitiorum eos pungit. [M] Certè videmus hodie innumeros scortatores, adulteros, vsurarios, pupillorum & pauperum oppressores, qui licet in genere cum aliis agnoscãt se esse peccatores, & facilè fateantur, peccatorum tamen eorum quibus detinentur grauitatem non sentiunt: ideo nec verè peccata sua agnoscunt. Exemplo fuerint sacrificuli, qui quum apertis scortationibus contra Dominum peccẽt, peccatorum tamen suorum grauitatem haud agnoscunt, licet negare nequeant scortatione peccari contra Deum. Quid autem est in causa? Quia non credunt Apostolo dicenti, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, Hebr. 13. a. 4. Item, Nolite errare. neque scortatores, neque simulachrorum cultores, neq; adulteri, &c. 1. Corinth. 6. b. 9. Et Ephes. 5. b. 5. Videmus hic quoque quid seria peccati cognitio operetur, modò sit cum gratiæ Dei cognitione iuncta. nempe pœnitentiam, & summum peccati odium. [C] Notandus est etiam in peccatis pluralis numerus. quanquam enim ex vno fonte omnia manabant, multiplex tamen Dauidis culpa erat (sicuti iam attigimus) quòd adulterio adiunxerat perfidiam & crudelitatem: nec vnum hominem modò prodiderat vel paucos, sed totum exercitum pro salute Ecclesiæ Dei pugnantem. Itaque non abs re sit in vno scelere multas species agnoscit. *Et peccatum meũ coram me est semper.* [M] Vera peccati cognitio perpetuam & acerbam peccati memoriam operatur. Siquis quærat quomodo sic Dauid loquatur, quum Nathan dixerit remissum illi peccatum quod in Deum commiserat, facilis est responsio. Nam sancti peccatorum suorum, licet remissorum, obliuisci nesciunt, quæ sentiunt perpetuò: sed non ita quòd non credant per gratiam Dei cõdonata esse, sed quòd eo sint amore erga Deum, vt nequeat ipsos non pessimè habere quòd contra Deum deliquerũt. Impii verò peccatorum suorum, quæ nunquam verè agnoscere sustinent, facillimè obliuiscuntur: siquid præcipui in speciem boni fecerint, huius nequeunt obliuisci: contrà pii bonorum obliuiscuntur, peccatorum suorum perpetuam habent memoriam, vt magis ac magis Dei gratiam amplificent. Vide 1. Corinth. 15. a. 9, & 1. Timoth. 1. c. 13.

6 *Tibi, tibi soli peccaui, & malum in oculis tuis feci; ut iustificeris dum loqueris, & sis purus dum iudicas.*

Tibi, tibi soli peccaui. [a] Hoc versu magis adhuc exprimit Dauid vt se sua flagitia discruciarint. Porro priorem versus huius partem vario modo exponũt interpretes. Quidam sic exponunt hæc verba, quòd Dauid, tametsi in homines deliquerat, nonnisi Deum habuerit sceleris sui testem. Duplex enim iniuria quam Vriæ intulerat, hominibus erat incognita: quòd exercitum sibi militantem ad cædem & carnificinam non minus perfidè quàm crudeliter obiecerat, id quoque erat occultum. Scelera ergo in solum Deum admissa intelligũt quorum nullus mortalium erat conscius. Alii secus interpretantur, quamuis offenderit Dauid homines, hoc tamen eum maximè cruciari, quòd violauerit Dei Legem. [a] Sic nanque ei Nathan dixerat, Quare contempsisti verbum Iehouæ, vt faceres quod malum est in oculis eius? 2. Samuel. 12. b. 9. [C] Sed hæc verba tantundem valent acsi dixisset, Domine etiamsi me totus mundus absoluat, mihi tamen plusquam satis est quòd te sentio iudicem meum, quòd me conscientia ad tribunal suum citat & trahit, vt nihil proficiant hominum lenitiones, si vel mihi parcant, vel adulandi causa extenuent scelus meum, vel blanditiis dolorem meum leniant. Significat ergo se oculos & sensus omnes habere defixos in Deum, ideóque non respicere quid sentiant vel loquantur homines. Quisquis autem sic premitur iudicii Dei grauitate, vel etiam obruitur, non opus habet alio accusatore: quia Deus vnus pro mille sufficit. Nec dubium est quin Dauid, vt aulicas omnes delicias excluderet, ne se illis mulcendum præberet, totum se ad Dei iudicium reuocauerit: ac statuerit, quamuis nullus mortalium esset molestus, sibi plus satis fore cum Deo negotii. Atque hæc regula nobis tenenda est, si cupimus vero pœnitentiæ affectu imbui. Et sanè quid nobis prodest hominum suffragiis absolui, vel conniuentia effugere tritum, si conscientia nos coram Deo accusat vel saltem Deus ipse nobis infestus est? Hæc autem vna est ratio, ne vanis imaginationibus ludamur, atque aptissimum remedium, ingredi in nos ipsos, & sensus omnes ad Deum colligere, vt coram ipso expauescamus, ac metus iræ eius, delicias omnes nobis nobis excutiat. [a] Quemadmodum Dauid hic de se loquitur, Tibi, tibi soli peccaui. [V] quasi dicat, Adeo premor grauitate iudicii tui, & obruor, vt videar mihi habere totum mundum mihi aduersum. *Vt iustificeris dum loqueris.* [V] Vel, Vt iustus sis in sermone tuo, & purus quum iudicaueris. Alii, Vt iustus agnoscaris in verbis tuis, &c. Hebraicè, ad verbum, Vt iustificeris in loquendo te, purus sis in iudicando te. Quo loco Hebræis pronomen affixum potest significare personam agentem & patientem. Idcirco quidam sic vertunt, Quapropter iustificaberis in verbis tuis, & purus eris quum iudicaberis. aut quum iudicaris. siue, reprehenderis ab aliis, scilicet tanquam iniustus, qui non stes promissis. [C] Non debet hæc pars versus coniungi cum tertio, vt quidam volunt, sed ad proximam sententiam referri debet, vt satis apparet ex loco Pauli Rom. 3. a. 3. vbi hominum iniquitatem Dei iudicio opponit. Sic enim scribit, Quid ergo? nam si quidam ex Iudæis fuerunt increduli, iniustus erit Deus? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, &c. Videmus enim huc aptari testimonium, quòd in hominum sceleribus semper relucat Dei iustitia, & in mendaciis veritas. Porro vt sciamus quid sibi velit Dauid, & quorsum tendat, operæpretium est in memoriam reuocare fœdus quod pepigerat Deus cũ ipso. Nam quum apud eum deposita esset salus mundi, promptum impiis erat calũniam hanc euomere, Si hic fuit Ecclesiæ colũna, quid nunc miseris hominibus fiet, qui eius sanctitati innixi sunt? Si hic erat instar solis vel luciferi, quomodo se ad inferos proiecit? post tam turpem eius lapsum, quomodo ab eius semine petenda esset spes salutis? Ergo quum videret prauis hominum iudiciis materiam captari oppugnandæ Dei iustitiæ, maturè occurrit, ac pronontiat indignè transcribi vllam culpæ partem in Deum. se enim ita obnoxium teneri vt

Deus maneat integer, stet illæsa eius iustitia & veritas. Quanquam per sermonem non intelligimus hoc loco promissiones, sed potius iudicium quod de ipso Davide laturus erat Deus, nisi gratuita remissione deletus fuisset eius reatus cum culpa. Neque enim dubium est quin suo more idem bis repetat. Itaque Deum iustificari in suis sermonibus, & iudicando purum esse, vnum & idem significant. [m] q.d. Quoniam adeo grauiter peccaui, & rem perpetraui pessimā, non poteris culpari iniustitiæ in omnibus iis quibus hoc peccatum meum disciplinæ tuæ virga visitabis. Sum enim multo atrociora meritus. Proinde si te quisquam volet illorum nomine in ius vocare, planè victor eris. Nam sunt omnium verissima quæ mihi per Prophetam tuum Nathā loquutus es. [c] Sed quia videtur Paulus Rom. 3. a. 4. tam vocem hanc quàm sententiam totius versus aliò inflectere, breuiter ostendendum est quomodo propriè eius instituto conueniat quod dicit Dauid. Hæc quidem verba citat vt probet, quamuis fœdifragi sint Iudæi & à gratia sibi promissa exciderint, Deum tamen non esse mendacem: quod primo intuitu non videtur hinc posse colligi. Verùm si illa cuius meminimus, circunstantia nobis in mentem veniat, facilè videbimus appositè adduci testimonium. Nam quum rex & Propheta esset in Ecclesia conspicuus, adeóque vt præcipua columna, nō dubium est quin multorum animos concusserit eius ruina, imò fidem promissionum Dei labefactarit. Certè putassent multi, quia Deus hominem illum sibi tanta necessitudine coniunxerat, partem aliquam culpæ sustinere. Huic calumniæ occurrit, dicens, Domine quamuis me è cœlo detractum ad inferos præcipites, iacebo & succumbam: tu interea tribunal tuum tenebis vt dignus es, nec, si tibi obtrectēt homines, quicquam decedet tuæ iustitiæ. In hac tantùm parte à Prophetæ verbis discedit Paulus, quòd Græcum interpretem sequutus, iudicandi verbum passiuè accipit: & pro mundum esse, ponit vincere. Cæterùm non adeo in recitandis verbis curiosos fuisse Apostolos, quoties ex Lege & Prophetis testimonia adducunt, satis notum est. Ideo sufficere nobis debet quòd rectè hunc locum Paulus proposito suo accommodet, [a] iustitiæ laudem semper Deo tribuens, etiāsi totus mundus à recto deficiat. [c] Atque hinc colligenda est generalis doctrina, quicquid reperietur culpæ in hominibus, residere in ipsis, vt Dei iustitia semper integram laudem retineat. Porro aduerbium vt, vel Hebraicum למען non tam est causale hoc loco quàm consequētiam notat. Neque enim propriè Dauidis lapsu factum est vt Dei gloria in iudiciis emineret: sed quum peccando Dei iustitiam obscurent homines, dicit tandem ipsam sua virtute emergere, vt appareat illustrior: quia proprium Dei munus est lucem educere ex tenebris, sicuti Paulus testatur 2. Cor. 4 b. 6.

7 *Ecce, in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me mater mea.*

Ecce, in iniquitate genitus sum. [v] Vel, fictus sum, formatus sum, natus sum, siue, in lucem editus sum. Iam non modò peccati vnius, vel plurium etiam (sicut hactenus) se reum fatetur: sed altius conscēdit, se ab vtero matris nihil aliud attulisse quàm peccatum, & naturaliter se totum corruptum esse, & quasi vitiis delibutum. Ita sceleris vnius atrocitatem reputans, in hāc vsque cogitationem tractus est, quòd natus peccato, nihil in se haberet sincerum vel integrum. Et certè non aliter peccata nostra in solidum agnoscimus, nisi totum ingenium nostrum damnemus corruptionis. Imò vnumquodque particulare ad hanc generalem notitiam adducere nos debet, merā prauitatem in omnibus animæ nostræ partibus regnare. [a] Queritur ergo Dauid hoc versu de corruptela naturæ, quæ tanta est vt dū fingimur & concipimur, ea nos statim occupet peruersitas vt nisi nouos suo Spiritu Deus faciat, ad malum propēdeant omnes sensus, cūctæque vires nostræ. *Et in peccato concepit me mater mea.* [c] Hebræis ad verbum est Calefecit se de me. Videtur Propheta significare velle, foueri nos & calefieri in peccato quādiu in visceribus matrum latemus. [v] acsi diceret, Fouit me in vtero suo mater mea postquam formatus fui, & inclusum me habuit in vtero suo refertum & delibutum impietate: ita vt in vtero clausus, iure tamen reus coram Domino peragi possem. [c] Videmus hic quomodo vnius peccati cognitio Dauidem ad longum totius vitæ examen trahat, donec in se nihil repetiat præter peccatum. Neque tamen de naturæ suæ corruptione loquitur, sicut hypocritæ hoc velum obtendere solent ad tegendam suam culpam, Peccaui, fateor: sed quid facerem? caro sum, nos ad vitia naturaliter propensi sumus: imò prauæ cupiditates ita sibi deuinctos & addictos tenent vt prorsus humanum sit peccare. Tales latebras minimè captauit Dauid, quibus se à Dei iudicio subduceret: quin potius ad amplificandam malorum suorum grauitatem, à peccato originali ducit exordium. acsi diceret non se hoc vel illo genere criminis nuper reatum contraxisse, sed iniquitate fuisse refertum in ipso vtero. [a] Loquitur autem de peccato quod fictis & conceptis statim adhæret, non de peccato parentum, vt quidam putant. Iam Deus poscit vt veritas (hoc est certa & solida iustitia) intima nostra obtineat, vt nec vlla praua cogitatiuncula locum apud nos habeat. Hoc est, requirit vt toti recti, sancti & iusti simus, qui ab eo quòd ficti & concepti sumus, toti praui, impuri & perditi sumus. [c] Itaque hoc illustre est testimonium de peccato originali, quo Adam totum humanum genus impliciuit. Et hinc etiam colligi potest recta eius definitio. Olim Pelagiani, quia absurdum ducebant nos omnes vnius hominis culpa esse perditos, nugati sunt peccatum sola imitatione ex Adam profectum esse. Atqui Scriptura tam hoc loco quàm pluribus aliis palam asserit ingenitum nobis esse peccatum, vt intus resideat & infixa sit corruptela. Neque enim parentes suos accusat Dauid, vel crimen in eos deriuat, sed se ad tribunal Dei sistens, vitiosum figmentum esse asserit, vt iam prius esset peccator quàm emergeret in lucem. Proinde nimis improbè Pelagius peccatum negauit contagione manare in posteros, vt sit hæreditarium. Hodie Papistæ, tametsi non negant vitiatam esse hominum naturam, sic tamen extenuant vt peccatum originale nihil fere aliud sit quàm praua ad peccandum inclinatio. Restringunt deinde ad inferiorem animæ partem & crassos appetitus. Et quamuis experientia clarè ostendat corruptelam hanc in omnibus vsque ad vitæ finem grassari, negant tamen ex quo baptizati sumus peccatum esse. Atqui, nisi constet peccato occupari omnes animæ partes, vim eius minimè tenemus. Proinde quisquis non fatetur mentem hominis penitus esse corruptam, & cor peruersum: nonnisi particulam peccati originalis agnoscit. Et certè longè aliud sonant verba Dauidis quàm balbutiant Papistæ, fictum scilicet fuisse in peccato, & calefactum in malitia. Neq; enim de crassis libidinibus agitur, sed nullam sui partem eximens, peccatum naturaliter in se hærere dicit. [m] Ab hac autem corruptione nemo genus humanum liberare vnquam potuit, nisi solus Deus qui condidit hominem. Vnde & Iob dicebat, Quis potest mundum facere de immundo conceptum semine? nónne tu qui solus es? Iob 14 a. 4. Hinc ab Apostolo dicitur iustificator impii, Roman. 4. a. 5. Et hoc fecit per Christum filium suum, mundans ac regenerans nos lauacro aquæ in verbo vitæ, Ephes. 5. f. 26. quod est verbum fidei, in quo corda nostra purificantur, accepta per imputationem gratuitam vera coram Deo iustitia in fide Christi. [c] Sed hic mouetur quæstio, quomodo à parentibus peccatum transferatur in filios: quæ deinde aliam parit de traduce animæ, quia multi labem parentis ad filium peruenire negant, nisi anima gignatur ex substantia animæ. Sed ne istos labyrinthos ingredi necesse sit, sufficiat tenere, Adam post suam defectionem spoliatum fuisse donis omnibus quibus ornatus fuerat. ita quum extincta esset quæ prius in eo fulgebat ratio, & voluntas quæ prius in Dei obsequium formata erat, contumax facta esset: tam mente quàm corde fuisse corruptum, & deinde genuisse filios sui similes. [a] Quemadmodum abundè docet Paulus in Epistola ad Romanos, capite 5. b. 12. Et alibi testatur nos esse natura filios iræ, Ephes. 2. a. 3. [c] Siquis excipiat, corpora tantùm ex corporibus creari, ideóque nihil animæ commune esse cum anima: solutio est, Quia Deus Adam non ornauerat Spiritus sui donis, tanquam priuatum quemlibet hominem, sed in eius personam cōtulerat quod volebat commune esse toti humano generi, nos omnes in ipso à prima integritate excidisse. [m] Teneamus ergo, totam humanam naturam in Adam ita corruptam esse & pollutam vt de immundo illius semine nihil queat mundi gigni. Atque ideo Christum oportuit nasci è virgine, & concipi ex Spiritu sancto, vt sanctus esset, nulla peccati labe corruptus.

8 *Ecce, veritatem voluisti in renibus: & in occulto sapientiam scire fecisti me.*

Ecce, veritatem voluisti in renibus. [v] Vel, Dilexisti in intimis, Optasti in interioribus, vel in reconditis. [c] Confirmat hic versus quod nuper diximus, non captandi prætextus causa Dauidem ad tempus vsque conceptionis reatum suum traxisse, sed potius vt testatum faceret, iam ab infantia se fuisse æternæ morti obnoxium. Vnde sequitur totam eius vitam fuisse damnabilem. Adeo enim culpam in Deum non transfert (sicut impuri quidam canes cum eo expostulant quòd non aliam indiderit naturam hominibus) vt potius eius iudicium corruptelæ nostræ opponat: acsi diceret, Quoties prodimus in conspectum Dei, certam nobis damnationem instare: quia, quum ad peccandum nati simus,

Deo ipsi placeat rectitudo & sinceritas. Vnde necesse est nos ei esse exosos. Quanquam magis emphatice inquitur, dum asserit non modò Deum requirere vt vita nostra composita sit ad aliquam iustitiæ formam, sed vt cor purum sit & bene purgatum omni fallacia. Hac ratione dicit Deum sinceritatem velle in penetralibus: vel (quod idem valet) non modò infensum esse externis peccatis, sed exigere sinceram cordis munditiem. [V] Ergo veritatis nomine significat Deum requirere non modò vt vita nostra recta sit, sed illi probari integritatem cordis, ita vt nihil fictum sit vel duplex in homine. *Et in occulto sapientiam.* [V] Vel, Et in abstruso sapientiam notam mihi faciebas. Vel, Et in penetrali (id est in corde) sapientiam mihi manifestam fecis. Alii, Et in absconditis ostendisti mihi sapientiam. [C] Sed hoc membro crimen adhuc exaggerat Dauid, quòd prætextum excusationis obtendere non licebat ab ignorantia: quandoquidem fuerat de officio suo diuinitus, quantum satis erat, edoctus. Multi occultum accipiunt pro rebus ab humano sensu absconditis. acsi diceret Dauid arcana mysteria sibi patefacta esse. Sed hæc obscuritas vel absconsio de qua loquitur Dauid, non tam ad res ipsas quàm ad mentem eius refertur. Hoc enim membro proximo respondet: ideóque fatetur se non tantùm leuiter gustasse cœlestem doctrinā, vel specie tenus se illa fuisse aspersum, sed infixam penitus fuisse cordi suo: quia Deus familiariter eum edocuerat, vt nihil prorsus vtile ignoraret. Itaque minus excusabilis erat Dauid, qui vera intelligentia tam præclarè instructus, tamen instar brutæ pecudis se proiecisset ad fœdam libidinem: deinde variè peccando, tandem fere obstupuisset. Nunc ad se quisque transferre discat hanc doctrinam, & sibi conscius vnius peccati, alia quoque reuocet in memoriam, vt se totum coram Deo prosternat. Deinde expendat quàm formidabile sit eius iudicium, & cum illius rectitudine suam vanitatem comparans, se prorsus obrui sentiet. Tandem addat hunc cumulum, si edoctus fuerit à Deo quasi vnus ex domesticis, eo se maiori damnationi esse obnoxium, quia suffocauerit lucē Spiritus sancti, peruersus fuerit discipulus, & tot pretiosa dona quibus ornatus fuerat, pedibus calcauerit.

9 *Purifica me hyssopo, & mundabor: laua me, & præ niue dealbabor.*

Purifica me hyssopo. [V] Futurum Hebræum, Expiabis me, vel lauabis me, pro imperatiuo. [M] Ex eodem affectu omnia ista & quæ sequuntur pleraque promanant. is est quo cupiebat Deo placere, gratiámque & fauorem illius seruare, vt solent qui plurimum diligunt. [E] Atque ista congeries sermonis ostendit quàm solicitus fuerit Dauid de impetranda venia. [V] Quòd autē hyssopi meminit, alludit ad Legales cæremonias. [C] Nam in solenni illo sacrificio pro peccato (de quo Numer.19.c.18.) item in purgatione leprosi (de qua Leuit.14.a.6.) hyssopus adhibebatur. Vt ergo aspersione illa vera animi puritas significata fuit, ita pro illa hic precatur, plena scilicet remissione peccati, qua percepta, & restituto fauore Dei, tristibilis animus gaudio exultet, adeo vt per omnia corporis membra gaudium peruadat. [C] Hoc ergo simpliciter voluit Dauid, efficax & ratum in se fore quod Deus populo suo testatus fuerat. [V] acsi diceret, Tu ratum hoc mihi esse ostendes quod testaris per externas cæremonias populo tuo, expiatum scilicet esse peccatum meum. Vides Dauidem non locare fiduciam salutis suæ in externis cæremoniis, & tamen hic mentionem hyssopi facere, quòd illæ vtiles essent ad confirmationem piorum. [C] Eadem nobis tenenda est hodie regula. Quanuis enim non alibi quàm in Christi sanguine quærenda sit expiatio, quia tamen nec oculis perspicitur, nec manibus palpatur spiritualis gratia, non possumus nisi externis signis adiuti, tranquillis animis statuere Deum nobis esse propitium. *Laua me.* [A] Vel, Munda me. [C] Idem quod de hyssopo diximus, in lotione quoque valeat. Nam vmbratiles aspersiones, quibus sub Lege vsi sunt Iudæi, testatæ sunt purgari nos ab omni immonditie, vt Deus placatos nos in gratiam recipiat. Porro Spiritus sancti officium esse scimus intus abluere conscientias nostras sanguine Christi, ne ab accessu Dei nos prohibeant sordes nostræ. [C] Qua de re vide 1. Corinth.6.b.11, & Ephes.5.f.26, & Hebr.9.d.14. *Et præ niue dealbabor.* [V] Vel, Et niue candidior ero. Vel, Præ niue albescam. [A] Vide apud Prophetam insignem illam promissionem de peccatorum remissione & vera ablutione, Esa.1.d.16. [M] Sed quid dicemus de lustrali Pontificiorum aqua, cui dederunt vim remittēdi peccata, quum sit merum commentum humanum? Et (quod turpius est) hoc versu ad illius aspersionem singulis diebus Dominicis vsi sunt, quasi mundatio fit per externam hanc conspersionem humanitus institutam, quum non fuerit per Legalem quam præceperat veteri populo Deus. Solus enim Christi sanguis filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Iohannis 1.c.7.

10 *Audire fac me gaudium & lætitiam: & exultent ossa [quæ] contriuisti.*

Audire fac me gaudium. [M] Hic versus pertinet ad versum quintum, vbi dixerat Dauid, Quoniam præuaricationes meas ego agnosco, & peccatū meum coram me est semper, significans dolorem ac perturbationem cordis sui ex sensu peccati continuo & omnium amarissimo. [C] Et nuntium lætitiæ indefinitè accipit pro gratiæ testimonio. *Et exultent ossa quæ contriuisti.* [V] Alii, Quæ percussisti. [C] Per ossa contrita intelligit se extremo mœrore fuisse afflictum, vt vigore exhausto & consumpto, propè deficeret. Itaque sibi meritò gaudium restitui postulat, quo animetur in nouam vitam. Hoc autem gaudium dicit auditu percipi, quia donec verbo Dei exhilaretur peccator vt animum colligat, frustra alia solatia sibi accerset. Hæc igitur vera est pacis & solidæ lætitiæ ratio, acquiescere in Dei promissionibus, [M] & ab eo audire, Fili cōfide, remittūtur tibi peccata tua. Expressum itaq; hoc versu exemplar habemus primùm animi verè pœnitentis, iramque Dei sentientis: deinde & vnde sit recreatio ac restitutio illius, videlicet ex auditu Euangelii, vnde pax est & gaudium conscientiæ.

11 *Absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

Absconde faciem tuam à peccatis. [B] Eandem precem hoc versu geminat, & agnitione peccati sui pudefactus, orat vt Deus faciem suam auertat, ne per illius conspectum offendatur. [B] Ne sis (inquit) acer nimium peccatorum meorum inspector, sed potius auerte faciem tuam ab eis, illa nimirum mihi neutiquam imputans, perindéque tegens acsi ea nunquam extitissent. [C] Notanda est autem hæc loquutio, vbi Deus abscondere dicitur faciem suam à peccatis, dum ea remittit. nam exegeticè mox addidit, *Et omnes iniquitates meas dele.* [E] Quasi dicat, Peccaui (non nego) iniquitatémque infœlix maximam commisi: sed eam tu, qui potes, è debiti syngrapha expungens, dele omnino, ac veniam precanti remitte. [C] Hinc autem intelligimus iustificari nos coram Deo vbi voluntariæ obliuioni peccata nostra delet: atque hanc esse nostram puritatem, dum gratuita venia nos dignatur. [A] quemadmodū Paulus docet 2. Corinth.5.d 19. [C] Cæterùm hic repetendum quod prius diximus, Dauidem, quum vnum à Deo postulat, nempe recipi in gratiam, non frustra congerere tot verba, sed exprimere quàm anxiè expetat quod sibi fecerat difficile impetratu. Et certè vbi quis defunctoriè tantùm pro remissione peccatorum vota concipit, nondum didicit quam horribilis sit Dei offensio. Ideo beatos esse pronuntiat Solomon qui seipsos terrent, Prouerb.28.b.14. quia scilicet tristitia quæ eos excruciat, ianuam ad verum gaudium aperit. Vt autem gratiam impetret peccator, primò ad Christi sacrificium mentem suam conuertet, quo expiata sunt mundi peccata, deinde sacram cœnam & baptismum in fidei suæ confirmationem aducet. Quia minimè sperandum est vt Deus (qui iudex est mundi) redeat nobiscum in gratiā nisi intercedēte placationis pretio.

12 *Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

Cor mundum crea. [C] Vbi precatus est Dauid pro impetranda peccatorum venia, gratia Spiritus, qua priuatus erat, vel saltem dignus erat priuari, se iterum donari postulat. [V] Itaque hic versus iungi debet sequenti, vt intelligamus quid velit. [M] Corruptionem & impuritatem cordis senserat ex commissis grauibus delictis. nam (vt Christus inquit) ex corde mala veniunt quæ impurum reddunt hominem. ea sunt, adulterium, homicidium, &c. Matth.15.b.19. Quoniam igitur mundari petebat, sentiens immunditiem suam, [C] iam transit ad vitæ nouitatem: ac verbo creandi significat, donec mirabiliter renouatus fuerit Dei virtute, se fore quasi inutilem truncum. quo elogio pœnitētiæ donum vt par est cōmendat. Sophistæ, quanuis non negent opus nobis esse auxilio Spiritus, & fateri cogātur tam præeūte quàm subsequēte gratia nos iuuari, Dei tamen gloriam extenuant, vel obscurant, dū in medio gradu cōstituunt rationē hominis quæ eligat, & voluntatē in præbēdo assensu. Atqui Dauid creandi verbo magnificū & singulare Dei opus extollit in renouatione hominū, acsi de integro nouas creaturas fingeret. [M] Accuset ergo se Dauid omnimo-

dæ immunditiæ, dum cor purum petit. Si enim cor impurum est, quantæ sunt reliquæ impuritates? Iuxta illud, Si oculus qui in te est, tenebricosus est, tenebræ ipsæ quantæ? Matth. 6. c. 23. Tota hominis vita in corde est, vnde omnia prodeunt, ex cuius affectibus omnia fluunt. Quæ potest esse fontis puritas, si ipsæ venæ sunt impuræ? *Et spiritum rectum innoua.* [v] Per spiritum rectum intelligit Spiritum sanctum, qui cor mundum in nobis creat, & facit vt recta velimus & sequamur. *In visceribus meis.* [v] Vel, In intimo meo. Siue, in medio mei. Vel, intra me. [c] Quia Dauid iam præditus fuerat spiritu illo, petit in se renouari. Creandi tamen verbo prius confessus est, siue ab initio nos regeneret Deus, siue lapsos in gradum restituat, quicquid est in nobis rectitudinis, gratuitum esse eius donum. Neque enim petit cor suum tortuosum adiuuari, & spiritum debilem fulciri aliquo subsidio: sed fatetur nihil esse in corde suo rectum vel purum, donec aliunde perueniat. Vnde sequitur, totum cor hominis, vbi in sua natura consideratur, cō tortum esse & peruersum: quia si vlla esset à natura rectitudo vel mūdities, non hanc vocaret Dauid Spiritus donum, illam vero, Dei creationē. [v] Innouari ergo petit gratiam Spiritus in se, quam agnoscit ita suffocatam fuisse in medullis suis vt iam non possit in eo videri quicquam luminis.

13 *Ne proiicias me à facie tua, & Spiritū sanctum tuum ne auferas à me.*

Ne proiicias me à facie tua. [c] Hoc versu idem votum prosequitur, [a] ac deprecatur se rursū abdicari, hoc est proiici: quod factū fuisset si Deus Spiritū suum ab eo abstulisset. [b] Succurrebat illi exemplum Saulis, quem Deus transgressionis gratia abiecerat, hoc est, ope, gratia, & Spiritu sancto spoliauerat. ideo anxius orat ne à Deo abiiciatur. [f] q.d. Ne me destituas solito fauore tuo, Ne me adeo obbrutescere obcæcarique sinas Deus, vt de tua prorsus gratia desperem. [m] Habet autem ista proiectio vel abiectio metaphoram irati regis, qui indignabundus prorsus abiicit eum cui irascitur, ita vt ne ad conspectum quidem admittat. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* [c] Connectit Dauid remissionem peccatorum cum Spiritus gubernatione: sicuti hoc à gratuita reconciliatione pendet, Spiritu adoptionis nos regi: acsi Deus tanquam filios in sinu suo nos foueret. Quia ergo Spiritus sui participatione nō dignatur nisi quos diligit, & in suis reputat: ideo Dauid, vt maneat in possessione Spiritus, sibi adoptionis gratiam manere saluam cupit, quia nisi locum obtineat inter Dei filios, nihil sibi amplius residuum fore videt. Porro colligere ex his verbis licet, quanuis suffocata essent in eo Spiritus dona, non tamē fuisse in totum ablata. Non enim tam facilè & subitò expergefactus esset ad obiurgationem Prophetæ Nathan, nisi occultum timoris Dei semen latuisset in eius animo. Nam quòd nuper Spiritum innouari precatus est, restringi debet ad partem. Quæ doctrina vtilis est cognitu: quia docti quidam homines inconsideratè putant, si in peccatum mortale labantur electi, extingui in illis Dei Spiritum, & alienari à Deo: quum Petrus clarè affirmet, verbū quo regeniti sumus, esse semen incorruptibile, 1. Epist. cap. 1. d. 23. & Iohannes etiā doceat retineri electos ne prorsus excidāt, 1. Epist. cap. 3. d. 19. Ergo quanuis interdum Deus eos abiiciat in speciem, non tamen ita exuit donis omnibus, quin tandem appareat non fuisse penitus abdicatos, etiam quo tempore in illis gratiæ signa non fulgebant. Siquis obiiciat, dubitātē loqui Dauidē, acsi priuari metueret Dei Spiritu, respondemus, fideles, quū perrarunt, meritò esse anxios, quia repudiarunt quantum in se est Dei gratiam: debere tamen in hoc articulo consistere, quia semen Dei incorruptibile est, gratiam qua præditi semel fuerunt, nunquam posse euanescere. Sic Dauid peccatū suum reputans, timore perculsus fuit: ex opposito tamen statuit, quia vnus erat ex Dei filiis, quod sua culpa perdiderat, sibi adhuc manere.

14 *Redde mihi gaudium salutis tuæ, & Spiritus voluntarius confirmet me.*

Redde mihi gaudium salutis tuæ. [v] Id est, de ope tua. [m] Nam salus Dei, auxilium Dei est & argumentū diuinæ beneuolētiæ. Hanc sæpenumero Dauid in magnis periculis expertus fuerat, idque cū ingēti gaudio & exultatione spiritus. vnde de eo canebat populus, Domine in virtute tua lætatur rex, & in salute tua quàm exultat vehementer, Supra, 21. a. 7. Hac lætitia post lapsum destitutus fuit: quare eam sibi restitui orat, [c] ostendens se mœrori fore addictum donec pacem cum Deo fuerit adeptus. Et certè nimis stupidi sunt qui Deo infenso quietem sibi indulgent. Docet ergo Dauid sibi nullam fore quietem donec affulgeat paternus Dei fauor. [v] Acsi diceret, Tum verè mihi gaudere licebit vbi tu mihi fueris seruator, vbi potero salutem abs te certò sperare. [f] Restitue ergo mihi gaudium quod de salute mihi per te præstanda concepi. *Et Spiritus voluntarius confirmet me.* [v] Vel, Et Spiritus libertatis (vel liberalis, vel voluntarius) suffulciat me. Quidam, Et Spiritu liberali sustentes me. Id est, quo pronus & facilis reddar ad faciendum quæ tu præcipis. Vel potius Dauid petit sibi restitui Spiritum liberum, ne scilicet constrictus sensu iudicii Dei & mala conscientia, constrictus item peccati seruitute, sit Satanæ mancipium. Verè (inquit Christus) liberi eritis, si Filius vos liberauerit, Iohan. 8. e. 36. Alii vertunt, Et Spiritu munifico sustēta me. Vel, Spiritu principali, vel regio. [c] Competeret autem hæc precatio in personam Dauidis, cui necesse fuit, quum rex creatus esset, heroica virtute excellere ad exequendum suum munus. Etsi autem hic sensus non malè quadrat, longius tamen extenditur hæc sententia, quòd Dauid se peccati mancipium agnoscens, & reatu suo constrictus, ad liberum illum & voluntarium Spiritum aspiret, à quo sese exciderat. Quia enim se peccato mancipauerat, illud inæstimabile libertatis donum non nisi singulari Dei gratia recuperare potuit. [m] Videmus hic quòd multo iucundius est, in mediis periculis constitutum læta conscientia per diuinæ bonitatis fiduciam præditum esse, quàm in summa tranquillitate & prosperitate rerum, peccati sensum ac pondus sustinere.

15 *Docebo præuaricatores vias tuas: & peccatores ad te conuertentur.*

Docebo præuaricatores. [v] Vel, Transgressores, sceleratos, iniquos. [v] Hoc est, Dabo operam vt vias tuas non solùm ipse teneam, sed & alios in eas adducam: curabóque vt ad te conuertantur quicunque adhuc peccata abs te alienant. [v] Nam vbi mihi ignoueris, scelerati habebunt insigne in persona mea exemplum vt resipiscant, freti tua bonitate vbi viderint te itā mei fuisse misertum. [m] Nam & eos admonebo & instruam, vt relictis transgressionibus suis, voluntati tuæ sese dedant, ne abalienentur abs te, sed magis per resipiscentiam ad te conuertantur, idque exemplo meo admoniti, ne pereant. Pereunt enim qui discedunt à te, qui sua culpa gratiam tuam amittunt: in qua vna omnis est & salus, & vera animi pax, & tranquillitas. [l] En gratam sanctæ animæ sponsionem. [c] Et certè non modò hoc præscribit charitatis regula, vt manum aliis porrigant qui erecti sunt à Domino: sed huc etiam impellere eos debet pietatis studium, & zelus gloriæ Dei, vt omnes quantum in se est eiusdem gratiæ participes faciant. *Et peccatores ad te conuertentur.* [c] Hic suæ doctrinæ conuersionis effectum adiungens, laboris sui profectum se sperare ostendit. Etsi enim surdis sæpe fabula canitur, dum studemus in viam reuocare errantes: non tamen semper ludimus operam, quia Dominus verbo suo benedicit, [a] vt qui prius repugnabant, conuertantur, ac resipiscant à diaboli laqueo, sicuti loquitur Apostolus 2. Timoth. 2. d. 26.

16 *Libera me à sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & prædicabit lingua mea iustitiam tuam.*

Libera me à sanguinibus. [a] His verbis peccati remissionem iterum precatur Dauid. [c] Vnde apparet quàm non sibi blanditus sit, & quam arduum sustinuerit certamen cum terroribus mortis, quòd toties ad petendam veniam recurrit. [v] Porro per sanguines multi cædes & homicidia intelligunt, & de cæde Vriæ & clade exercitus Dauidem loqui existimant: [c] sed quia per sanguines Hebræi quoduis scelus capitale significant, potius se videtur mortis supplicio obnoxium facere, vt ostendat vnicam sibi spem restare in Dei misericordia: [v] acsi diceret, Domine fateor me dignum esse qui peream, sed libera me. *Deus Deus salutis meæ.* [c] Subest in hac repetitione emphasis, aut vehementia: vnde etiam colligimus, trepidè semper & cum anxio gemitu reputasse quid esset promeritus. Interim ita se inquietudine torqueri & desiderio flagrare demonstrat, vt tamen armis fidei sit instructus: quia salutem sibi in Deo repositam esse statuit. *Et prædicabit lingua mea.* [v] Vel, Decantabit, resonabit cum ouatione, Commendabit, Clara & læta voce declarabit. *Iustitiam tuam.* [c] Id est bonitatem. Neque enim iustitiæ elogium (vt vulgò putant) tribuitur Deo quòd rigidus sit ad exequendam vindictam: sed potius quòd in seruandis promissis & tuenda suorum salute fidelis sit, neque vnquam miseros homines frustretur, quicunque eius opem implorant. [m] Dicit ergo Dauid, Domine, maximo affectu hinc tuam bonitatem prædicabit lingua, dum hoc me reatu absolueris.

17 *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.*

Domine labia mea aperies. [V] Futurum Hebræū pro imperatiuo. Quibusdam tamen magis placet futurum per optatiuum vertere, vt sit, aperias. [M] Hoc autem nihil aliud est quàm quod iam versu præcedēti dixit, Libera me de sanguinibus. [C] Optat enim sibi præberi laudis materiam: [V] acsi diceret, Domine suggeras mihi argumentum lætitiæ, ita vt possim canere laudes tuas. Sicuti aliis locis conqueritur Dauid se fuisse mutum quandiu oppressus erat manu Dei, vsqueadeo vt vndique circunspiciens, nullam spem vitæ aut salutis haberet. Tunc igitur obmutuit: vbi autem sentit Deum sibi fauere, & peccata sua esse abolita, tunc habet os apertum. Petit igitur Dauid vt Deum sentiat misericordem, vt possit hac de causa laudes Dei canere. [C] Nam eodem sensu nunc labia sibi aperiri postulat, quo alibi prædicat datum sibi in ore fuisse canticum nouum, Supra, 40.a.4. [V] id est, nouā materiā canendi laudes Deo. [C] Atque ita rursus gratum Deo se fore testatur, & beneficii memorem: quia non alio fine se in gratiam recipi postulat, nisi vt apud omnes gratiæ Dei clamosus sit præco. Est enim loquutio emphatica. *Et os meum annunciabit laudem tuam.* acsi promitteret, clara & sonora voce palam se Deo gratias acturum. [V] Sunt tamen qui hunc in modum interpretantur verba Dauidis, Domine dirige linguam meam Spiritu tuo: quia nihil proferre possum ad laudem tuam nisi tu aperias os meum, nisi verba suppedites, & tanquam præeas. [C] Et certè, nisi Deus verba suppeditet, prorsus muti erimus. Sed aliud, vt diximus, voluit Dauid, se nunc quodammodo obmutescere, donec veniam adeptus ad gratiarum actionem vocetur. [M] Proinde apertio labiorum est gaudium & exhilaratio conscientiæ afflictæ, & certa de peccatorum remissione persuasio.

18 *Quoniam non est tibi acceptum sacrificium, & dedissem: holocaustum non placet.*

Quoniam non est tibi acceptum. [V] Vel, Non delectaris (siue oblectaris) sacrificio. Non vis (desideras) sacrificium. Alii, Non habebis acceptum sacrificium. [B] Hoc loco docet Dauid, quamuis nihil compensationis ad Deum adferat, se gratuita eius misericordia fretum, certò sperare illum sibi fore exorabilem. [V] Quasi dicat, Domine etsi ad te venio nudus & inops, tamen non reiicior. Quare? Quia non moraris sacrificia, non est illa ratio qua se homines reconcilient tibi, vt scilicet sacrificia offerant: sed vnicum est sacrificium quod postulas, Spiritus scilicet contritus & humiliatus. [C] Dubium verò non est quin tacita comparatione crassum vulgi errorem perstringat, quem scimus fere omnibus seculis regnasse apud Iudæos. Nam quum sacrificiis expiari peccata Lex doceret, vt operibus suis diffisi satisfactionem ab vno Christo peterent: illi audacter, acsi dato pretio redimerent se à iudicio Dei, cum sacrificiis prodibant. Præposterum hunc fastum à Dauide cideri certum est, quum sibi quicquam suppetere negat quo Deum reconciliet, qui sacrificiis non oblectatur. Iubebat quidem Deus sibi offerri sacrificia, & Dauid cultum hunc minimè neglexit: non ergo simpliciter loquitur, acsi respueret Deus quæ ex eius mandato offerebantur sacrificia, vel quispiam ea posset quasi superuacua omittere: (imò nuper vidimus Dauidem cum toto piorum cœtu Legis cæremoniis fuisse adiutum) sed finem tantùm spectauit, quia hypocritæ praua fiducia exæcati Deum se promereri fingebant. Tametsi ergo se in sacrificiis sedulò exercuit (sicuti Deum sibi placabilem fore nemo confidat nisi qui in medio sistet vnicum Christi sacrificium, quo expiata sunt mundi peccata) verè tamen & meritò nihil se compensationis afferre testatus est: quia gratuitam reconciliationem petebat. Neque enim propriè loquendo, ex seipsis quicquam afferebant Iudæi, sacrificia mactando, sed potius à Christo mutuabantur quod cunctis mortalibus deest, redemptionis pretium: adeóque sacrificia Legis hominum respectu merè passiua erant. *Et dedissem.* [V] Vel, Alioqui darem. Alii, Et dabo. Id est, Non enim vis sacrificia, etiamsi dedero. Sunt qui coniungunt hæc sequentibus, sic, Et si dem holocausta, non moraris. *Holocaustum non placet.* [V] Vel, Non moraris, non desideras, non exigis, non vis. [C] q. d. Non est quòd externis tibi reconciliari coget, quum ea ad te placandum minimè sufficiāt.

19 *Sacrificia Dei, spiritus contritus: cor contritum & confractum Deus non despicies.*

Sacrificia Dei, spiritus contritus. [V] Vel, Confractus. [C] Postquam sacrificiis detraxit propitiandi Dei virtutem, quam falsò affinxerant Iudæi, nunc dicit, etiamsi nihil præter cor contritum & humiliatum afferat, hoc Deo abundè sufficere: quia vnum hoc exigat à peccatoribus vt deiecti & prostrati misericordiam implorent. [M] Contritus autem spiritus, est spiritus pauper, (de quo Matth. 5.a.3.) & tremens ad omnem sermonem Dei, de quo Esa. 66.a.2. [C] Neque frustra plurali numero vsus est Dauid, quo melius exprimeret pœnitentiæ sacrificium pro omnibus vnum sufficere. Si dixisset boni odoris esse hoc sacrificii genus, promptum fuisset Iudæis cauillari, alias tamen esse species quæ non minus Deo placerent. Sicuti videmus hodie Papistas sua opera Dei gratiæ miscere, ne gratuita sit peccatorum remissio. Consultò itaque Dauid, vt omnia satisfactionum commenta excluderet, vnicam spiritus deiectionem quæcunque Deus probat sacrificia in se complecti asseruit. Et quum sacrificia Dei nominat, videtur obliquè mordere hypocritas, qui suo tantùm arbitrio sacrificia æstimant, dum ad propitiandum Deum valere imaginantur. *Et confractum.* [V] Vel, Et deiectum. [V] Alii, Et depressum, vel concussum. [C] Quasi dicat, Quicunque tibi ô Deus offert cor dolore concussum & vulneratum, non potest tibi non esse acceptissimus. [C] Hic tamen exoritur difficilis quæstio: quia si afflictus spiritus pro omnibus sacrificiis censetur coram Deo, sequetur pœnitentia nos veniam consequi, quod si verum est, iam desinet esse gratuita. Respondendum est, Dauidem hic non disserere quid pretii Deo persoluant homines, vel quo merito remissionem peccatorum obtineant. Imò data opera spiritum afflictum fictitiis compensationibus opponens, nuditatem hominum detegere voluit: sicuti etiam non aliò tendit spiritus deiectio quàm vt hominem exinaniat, vel in nihilum redigat. Neque enim fieri potest, vbi quid reliquum nobis facimus, quin se animus noster in aliquam fiduciam tollat. Vnde sequitur, corde contrito iacere omnia merita, vt nihil mutuum afferant homines. Si quis excipiat, fidem præstantius esse sacrificium, & ad placandum Deum maioris efficaciæ, quia Christum cum vera & solida placatione in medium producit: primò tenendum est non posse fidem ab hac humilitate de qua loquitur Dauid separari. Etsi enim expauescant coram Deo impii, fouent tamen intus peruersam contumaciam, nec fremere vel obstrepere desinunt: & quamuis suam ferociam non palam despumant, cor tamen semper inflatum manet. Quum ergo spiritus afflictionis & cor contritum hominem iræ Dei sensu vulneratum, vel timore & displicentia, non modò subigant, sed verè mortificent, vt nullus sit apud se, sed totam suam salutem ex Dei misericordia petat: non mirum est si Deum hoc vno sacrificio contentum esse Dauid pronunciat, quia nec fidem disiungit, nec subtiliter enumerat singulas pœnitentiæ partes, sed tantùm docet non aliter gratiam nos consequi apud Deum quàm dum in nobis deiecti & confusi in solam eius misericordiam recumbimus, dum supplices prodimus cum ingenua nuditatis nostræ confessione: denique curui & fracti iacemus, vt nos erigat. [M] Si quis autem cordis contriti & deiecti animi exempla habere velit, legat Lucæ Euangelicam historiam, cap. 7.f.38, & 15 a. 11, & 18.c.13.

20 *Benefac in voluntate tua ipsi Sion, ædifices muros Ierusalem.*

Benefac in voluntate tua. [V] Vel, In beneplacito tuo. [S] Vel, (vt quidam vertunt) Benignè fac in bona voluntate tua. Alii, Cum (vel ex) beneuolentia tua. Alii, Per bonam voluntatem tuam. Vel, Secundum voluntatem tuam. Sed idem semper sensus remanet. [C] Iam non pro se vno priuatim orat Dauid, sed totam Ecclesiam adiungit, neq; immeritò: quia per eum non steterat quominus concideret totum Christi regnum. Nam rex in hunc finem vnctus vt Ecclesiam Dei colligeret, turpi defectione illam dissipauerat, vt timenda esset exitialis ruina. Quamuis ergo sua culpa euerterit Dei Ecclesiam quantum in se erat, petit tamen eam gratuita Dei misericordia restitui. Neque verò aliorum innocentiam allegat, sed tantùm innititur Dei beneplacito. acsi diceret, Ecclesiæ restaurationem, vbi collapsa est, non aliunde quàm ex mera Dei gratia sperādam. [B] Nam sicut tota Ecclesiæ ædificatio, vnius est Dei opus, ita eiusdem reparatio non sine ipsius gratuito fauore fieri potest. *Ædifices muros Ierusalem.* [C] Quanquam extructa iam erat Ierosolyma, pro eius tamen ædificatione adhuc precatur, quia nondum scilicet in suam perfectionem venerat, quum deesset præcipua pars. Respexit enim Dauid ad oraculum in quo pollicitus erat Deus fixam illic arcæ fœderis stationem fore: deinde regiam sedem. Ideóque templum nondum conditum quasi tugurium erat. [B] Quòd autem hoc oraret occasio ei fuit reiectio Saulis post contemptum Dei: quem (vt videri poterat) in re leuiori, nempe seruato rege Amalechitarum, & aliquanto numero boum, admiserat: quū Dauid illum contempserat perdendo homines. Ne igitur & ipse sicut Saul reiiceretur, ac ita opus instaurandæ gloriæ Dei, quantum in ipso erat interciperetur, hæc precatus est. [V] Nec tantùm de ædificio vnius mensis loquitur, sed vt Ierusalem Dominus re-

tinrat in suo statu. Proprium igitur Dei est ædificare Ecclesiam,[c] sicut alibi dicitur, Fundamenta eius in montibus sanctis, Infra, 87.a.1.[v] Possunt quidem homines extruere lapidibus, materia, & cæmento vrbes: sed spirituale hoc ædificium requirit manum Domini.[c] Nam Ecclesia admirabili Dei virtute in terris fundata, supra cœlos attollitur. Verùm quum David initio Psalmi & toto contextu profiteatur se esse perditum & desperatum, vnde nunc repente tanta audacia vt totam Ecclesiam Deo commẽdare non dubitet? Quomodo enim alios omnes in cœlum eueheret qui vix ex Inferis emerserit? Hic certè videmus, simulac reconciliati sumus Deo, non tantùm liberã cuique pro salute sua precandi fiduciam permitti, sed nos etiam pro aliis admitti suffragatores: imò (quod magis honorificum est) regni Christi gloriam, quæ magis pretiosa est quàm totius mundi salus, commendare licet.

51 *Tunc accepta habebis sacrificia iustitiæ, holocaustum & oblationem: tunc offerent super altare tuum vitulos.*

Tũc acc. hab. sacrif. iustitiæ. [v] Vel, Oblectaberis sacrificiis iustitiæ. Vel, Acceptabis sacrificia iustitiæ. [a] Prædicit David Spiritu prophetico de sacrificiis iustitiæ, quæ offerenda sint Deo, vbi Ierusalẽ ædificata fuerit & confirmata.[c] Sed hic primo intuitu species aliqua repugnantiæ occurrit, sed quæ nullo negotio discutitur. Dixerat nullius per se momenti esse sacrificia: nũc, quatenus exercitia sunt fidei, & pœnitentiæ, & gratiarum actionis symbola, Deo grata fore dicit. Sacrificia autem iustitiæ disertè vocat (hoc est recta vel legitima,) quæ rite ex Dei præscripto offeruntur. Qua etiam loquutione Psalmo 4 b.6, vsus est, vanas eorum põpas deridens qui tantùm fallaci titulo superbiebãt.[v] Notãdũ verò est aduerbiũ Tũc, quũ scilicet ignoueris peccata mea, & toti Ecclesiæ fueris propitius. [c] Itaque David se ad gratitudinẽ hortatur, & suo etiam exẽplo pios omnes: vt voti compotes non modò tacitè secum reputent Dei gratiam, sed in celebri etiam conuentu prædicent. *Holocaustum & oblationem.* [c] Ad nomen generale sacrificii duas species adiungit. quanquã nõnulli inter Hebræos כליל & עולה volũt esse synonyma.[v] Vel appellat כליל sacrificiũ sacerdotis, quia erat כליל id est totum cõbustũ, vt legimus Leuit. 16.d.13. Sed quoniam in sacrificiis sacerdotũ libatio comburebatur, ideo alii putant distinctè positum esse pro sacerdotum sacrificio.[c] Cæterùm hac varietate significat David non aliter placere Deo legales omnes ritus quàm dum referuntur ad iustũ finem. Quidam hunc totum versum metaphoricè accipiunt, trahẽtes ad Christi regnũ: sed hoc nimis argutum videtur ac coactum. Verum quidẽ est vitulos labiorum vocari ab Osea cap. 14. a.3, laudes quibus gratiæ agũtur Deo: sed minimè obscurum est cum puro affectu cordis hic coniungi solẽnes ceremonias, quibus suam pietatem profitebantur sub Lege cultores Dei. *Tunc offerent super altare tuum.* [a] Id est, tuo iussu extructum, & nomini tuo consecratum. *Vitulos.* [v] Nempe in sacrificiũ. Significat David tunc fore grata Deo sacrificia laudis & gratiarũ actionis quum scilicet primùm receperit Davidem ipsum in gratiam: deinde cõplexus fuerit fauore suo Ecclesiam totam.

ARGVMENTVM PSALMI LII.

[a] Memorat hoc Psalmo David peruersum animum & studium Doeg impii delatoris & assentatoris Saulis, tum exterminium illius, & iustorum inde gaudium prædicit:[c] eo quòd Deus in cœlo iudex sedeat, quo opem seruis suis ferat, & impiorum superbiam vlciscatur.

P*ræfecto erudiens Davidis.*

Præfecto. [v] Vide Psal. 4.a.1. *Erudiens Davidis.* [c] Iam diximus nomen משכיל propriè solere Psalmis inscribi vbi David se Dñi manu castigatum fuisse commemorat, vel saltem aliquo afflictionis genere admonitum, vt proficeret tanquam sub magistri ferula. cuius rei exempla habuimus Psalmo 32, & 41. Diuersa Psalmi 45 ratio fuit, nẽpe vt scirẽt lectores in illo amatorio carmine nihil esse lasciuum, sed sacrũ & spirituale Christi cum Ecclesia coniugium illic describi. Huic autem Psalmo & sequentibus conuenit eruditio ex correctione profecta. Nec enim dubium est quin significet David se non vulgari modo fuisse tunc probatum & examinatum, vt totum se Deo resignare disceret. Nota verò est historia[a] quæ refert ob impiam Doeg delationem trucidatos fuisse sacerdotes Domini, 1. Sam. 21.c.7. & 22.b.9.[c] iã quis Doeg hoc scelere inflatus, ferocius se gerebat, & perfidiæ merces quã adeptus erat, instar stimuli poterat esse ad alios instigandos, quo certatim ruerent in Davidis perniciem: sanctus vir pia consolatione sese in sublime erigẽs, sceleratam illius audaciã refutat. [M] Egregiè vero nobis hic depingitur regnum Antichristi, & sors ministrorum Christi, qui nefandis & impiis improborum calumniis expositi, crudeliter ob veritatis professionem tractantur.

2 *Quum venisset Doeg Idumæus, & nuntiasset ipsi Sauli, ac dixisset ei, Venit David in domum Achimelech.*

Quum venisset Doeg Idumæus. [v] Vel, Edomæus. Sic dictus fuit Doeg non quòd natione esset Idumæus, sed quòd in terra Edom peregrinatus esset. *Ac dixisset ei.* [v] Vide historiam 1. Samuel. 22.b.9. [a] In hunc Doeg ac assentatores alios, plerosq; Psalmos David conscripsit, ex quibus 5.10. 12. 14 & 109 præcipui sunt.

3 *Quid gloriaris in malitia ô potens? misericordia Dei omni die.*

Quid gloriaris in malitia? [v] Vel, Cur iactas te de malitia? *O potens?* [v] Id est, qui etiam in sanctos te viribus pollere arbitraris, & hac de causa gloriaris. Hoc nomine notatur Doeg non fuisse hominem sordidum & gregarium, qui excubias ageret ad custodiendum gregem regium, sed fuisse præfectum regiis pecoribus. Habebat enim Saul diuersa armenta procul domo. In 1. Samuel. 22.b.9. legitur, Respondit Doeg Edomæus qui constitutus erat super seruos Saulis.[c] Quum ergo proditio quam sacra historia refert, ex voto cessisset scelerato homini Doeg, grauis & dura illa fuit tentatio ad percellendum Davidis animum. Itaque dubium non est quin se ad luctam sancta hac gloriatione armauerit. Ac primò quidem exaggerat crimen Doeg, quòd in potentia nefario scelere parta exultet. Nulla enim vis tyrannica, nulla perfidia vel iniquitas diuturna. [a] Quid gloriaris (inquit) ô potens, qui videris tibi omnia posse postquam tantũ tibi in innoxios permissum est? *Misericordia Dei omni die.* [v] Vel, Bonitas Dei quotidie. subaudi, est cum sanctis: & nunquam ea destituuntur, quantumuis affligantur. Quidam vertunt, quotidiana est. [c] Clarius exponit David vnde tanta impiis vecordia & cæcitas, vt excusso Dei metu & extincto pudore, in malitia sibi placere audeant: nempe quia contemptos & humiles spernendo, quiduis in eos sibi licere fingunt. Nam indignos esse putant quorum Deus suscipiat curam. Imò Dei prouidentiam, qua suos tuetur, pro nihilo ducentes, æternam sibi peccandi licentiam promittunt. Ex opposito David sancta confidentia insurgit, superbis istis gigantibus exprobrans quòd Dñi bonitati nihil honoris deferant. Cæterùm quia non semper æquali cursu fluit gratia Dei, quin potius videtur magnis obstaculis procul esse à nobis remota: contra hanc tentationem David se munit, dicens eam singulis diebus vigere. neque enim dubium quin significet non obstare multas interruptiones quin Deus subinde bonitatis suæ documenta renouet. Hac quidem voce quod expertus erat se in posterum sperare ostendit: quia Deus suos iuuando, & eorum miserias leuando non fatigatur: sed vt certes rebus aduersis affligi permittat, semper ad opem ferendam paratum fore. [a] Acsi hostem suum his verbis alloqueretur David, Quid gloriaris ô miser, & multa posse te putas per malitiam? An ignoras sua clementia omnipotentem Deum adesse bonis omni tempore? [v] Quidam in voce potentis ironiam esse dicunt. q.d. Vir fortis ac strenue, egregiam verò laudem & spolia ampla tulisti, occisos sacerdotum Domini, virorum inermium & innocentium, senum, mulierum, infantium, boum & ouium. Certè etiamsi tu cum tuo rege me & innoxios quosuis ad necem quæratis, est tamen tãta Dei bonitas ac clementia vt nos non deserat.

4 *Contritiones cogitat lingua tua, sicut nouacula acuta faciens dolum.*

Contritiones cogitat lingua tua. [v] Vel, Perniciem meditatur, Prauitates aut peruersitates cogitat. [a] Vel, Dolos meditatur lingua tua. Hic linguæ tribuitur quod cordis est, eo quòd per linguam perniciosæ cogitationes proferantur. [c] Porro non facit David quod vulgò solent qui iniustè læsi sunt: neque enim cõuitia euomit vt se vlciscatur, sed hostem suum coram Deo accusans, spei materiam inde colligit. Nam quo insolentius proterunt mali, eo magis iram Dñi ipsos accendere certum est. Vnde optima consolatio ad nos redit, maturum instare liberationis tempus, dum se ad extrema quæque scelera proiiciunt qui salutem nostram iniustè oppugnant. Non recenset igitur David hoc loco aduersarii probra, quibus eum infamet apud homines, sed Dñi iudicium sibi ante oculos ponens, contra tam atroces quas passus erat iniurias, se ad bonam spem animat. Etsi autem eru-

delis & sanguinarius erat Doeg, hic arguitur præcipuè interior eius prauitas, quòd occulta delatione per insidias & fraudem prodiderit innoxios sacerdotes. *Sicut nouacula acuta.* Quasi dicat, Sermonem pestilentem suppeditat sceleratus animus linguæ tuæ, quæ simillima est nouaculæ acutæ (culter rasorius est) quum ad resecandā barbam adhibita aberrat, & iugulum petit. Confertur ergo lingua Doeg nouaculæ acutæ, sicuti virulentæ omnes linguæ dicuntur similes esse sagittis acutis, Infrà, 120. a. 2. *Faciens dolum.* Referri hoc potest & ad nouaculam (quæ aberrans petit iugulum, sicuti iā dictum est: vel, quam si leuiter contingas, sua acutie vulnerat grauissimè) & ad linguam: item ad Doeg, Tu es faciens dolum, pro Dolosè agis mecum. Syntaxis tamē exigere & aptior fore videtur si epithetum illud iungatur linguæ. q.d. Quemadmodum dolosè scindit nouacula, non autem aperto ictu vt gladius, ita lingua tua, ô Doeg regis assentator, per insidias & fraudem innoxios sacerdotes Domini perdidit.

5 *Diligis malum potius quàm bonum: mendacium potius quàm loqui iustitiam. Selah.*

Diligis malum potius quàm bonum. Ad verbum, Dilexisti malum præ bono, mendacium præ quàm loqui iustitiā. siue quod iustum est. Substantiuū pro adiectiuo, & præteritum pro præsenti. Describit Dauid peruersa Doeg studia, antequam vindictam illi minetur. *Loqui iustitiam.* Hoc est, veritatem, siue quæ vera sunt, æquitatem & rectitudinem. *Selah.* Hæc vox nō immeritò interponitur: nam hac voluit Propheta inanem ac stupendam huius assentatoris nequitiam exprimere.

6 *Diligis omnia verba perditionis, linguam dolosam.*

Diligis omnia verba perditionis. Vel corruptionis, absorptionis, demersionis, voraginis. Id est, quæcunque perniciem afferre possūt proximo. Qui vertūt verba absorptionis, vel absconsionis, propius ad Prophetæ mentem accedere videntur. Videtur enim alludere Dauid ad linguæ attractionem, quæ est deglutiendi principium. Et concinna est metaphora, linguam Doeg appetere fraudulenta verba, quæ simplices & innoxios absorbeant. Sic quū studet quis alterum perdere suis calumniis, tunc quodammodo illum deglutit: lingua autem attrahit homines vt absorbeantur. Porro his verbis nihil aliud vult Dauid quàm ab extrema & deplorata hostis sui iniustitia, spei confirmationem petere, quo certius liberationem à Deo expectet. *Linguam dolosam.* Hebraismus, pro, Diligis sermonem fraudulentum & delatorium. Quidam vertunt in vocatiuo, Lingua. q.d. O lingua dolosa, lingua fraudis, lingua ad ipsos inflammādos orta aquarum fontes, lingua in omne scelus præcipitans, ac quicquid nacta fuerit probitatis atque innocentiæ perurens, vorans, deglutiens, consumens, nihil aliud quàm mendacium impudentissimè diligis.

7 *Etiam Deus destruet te in æternum: tollet te & euellet te è tabernaculo, & eradicabit te è terra uiuentium. Selah.*

Etiam Deus destruet te. Vel, perdet te. Confringet te, Euellet te. q.d. Non impunè feres quod patrasti: Deus quoque te perdet, vt sacerdotes Nobe occidisti manu tua. Clarius ostendit Dauid quod nuper attigimus, se in hunc finem exagitare crimen Doeg, quo maiore fiducia propinquum eius iudiciū denuntiet: neque tam illius terrendi causa, quàm ad spem suam erigendam. Colligit ergo, quamuis ad tempus cesset Deus, nō passurū semper vt tam scelerata proditio inulta maneat. Quia autem nihil magis præfractum est impiis quamdiu prosperè habent, & quia se extra telorum ictum imaginantur, despiciunt ac subsannant omnia Dei iudicia: pios etiam terret illorum potentia, & dum firmis opibus munitos vident, fere exanimantur: pluribus verbis eandem sententiā confirmat Propheta, vt quod difficile est creditu, melius sibi persuadeat. Hac ergo verborum congerie, perdet te Deus, destruet, euellet, eradicabit, tollet è medio, superbi homini securitati insultans Dauid, animum suum ad bene sperandum attollit, & timiditatem castigat: quasi diceret, Quamlibet profundas radices egerit Doeg, ac validum sit eius robur, Deum ad eius euulsionem satis superque potentem fore. *Tollet te.* Sub. è medio. Vel, exuret te. *Et euellet te è tabernaculo.* Vel, abradet te, demolietur te. Nomen tabernaculi videtur positum esse respectu Doeg: alludit enim ad statum eius. nam pastores habitare solebant in tabernaculis. *Et eradicabit te.* Quidam vertunt, radicem tuam. *E terra uiuentium.* Significat Dauid, quamuis tutò nidulentur impii, & in suo tabernaculo suauiter lateāt, quia nihil aduersi putent posse illuc penetrare, & de perpetua vitæ possessione glorientur, subitò, vbi maturum venerit iræ Dei tempus, deiectum iri. Ex his discimus non posse prosperari hominem in malo florentem ac potentem, spémque suam non in Deum, sed in suas diuitias & prauitatis potentiam collocātem. Eum verò qui constanter in Deum sperat, modis omnibus beatum fore.

8 *Et uidebunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, [dicentes],*

Et uidebunt iusti. A fine etiam argumentatur Dauid, fieri non posse vt quam meritus est pœnam effugiat Doeg: quia scilicet ideo sua iudicia exercet Deus vt maiorem sibi reuerentiam apud fideles concilient, atque eos exhilaret iustitiæ suæ documentis. Sic enim vasa iræ & contumeliæ (vt ea appellat Paulus Rom. 9. d. 22.) in commodum & salutem cedunt vasis misericordiæ & electionis. Nā perspecto nefarii hominis interitu, diuināque in eum animaduersione considerata, timent sancti, pauidi quid de se futurum sit, præstolantur, si à recto itinere aberrare eos contingat. Etsi autem reprobis quoque & Dei contemptoribus spectabile futurum erat exitium Doeg: duas tamen ob causas peculiariter eius intuitum ad solos iustos restringit. Nam in manifestis quoque Dei operibus caecutiunt reprobi, vt mirum non sit in eius iudiciis nihil proficere: ideóque meritò iustos visuros dicit Dauid, quia oculati sunt. Accedit altera ratio, quòd Deus in suorum gratiam, vt quam pro tuenda eorum salute solicitudinem gerit, illis testetur, retundit impiorum ferociam, atque ita eorum dolores in gaudium conuertit. Sicut alibi dicitur, Lætabitur iustus quum viderit vindictam, manus lauabit in sanguine peccatoris, Infrà, 58. d. 11. Itaque non mirum est si eos Dauid compellet testes, quibus tale spectaculum propriè exhibet Deus. *Et timebunt.* Timor hoc loco non formidinem significat, qua sæpe homines cōsternātur & expauescūt Dei vindictæ, sed pro læta & alacri reuerētia accipitur: dū agnoscunt fideles tanti se fieri corā Deo vt causas eorū suscipiēs eorū hostibus se opponat. Quandiu enim expositi iniuriis non sentiunt Deum vindicem, multis dubitationibus æstuant, acsi eum non attingeret cura regendi mundi. Experimenta autem iustitiæ eius ad serium pietatis studium sopitas mentes excitant. Atque hic timor omnibus Dei cultoribus valde vtilis est, ne & ipsi interdum deliciis huius mundi illecti lasciuiant, sed potius se nunquam non in officio contineant, dum expectant iusta Dei in sceleratos iudicia. *Et super eum ridebunt.* Timor de quo loquuti sumus, risum hunc minimè impedit: quia duo hæc optimè inter se conueniunt, vt se reuerenter Deo subiiciant fideles, quem iniustæ crudelitatis vltorem agnoscunt: & eum videntes à parte sua stare, inæstimabile gaudiū concipiāt. Quia dum se nobis coniungere dignatur in commune bellum, hæc societas potior est triumphis omnibus. Ergo impiorum lapsus multis modis eruditio est piis Dei cultoribus, vt ad finem vsque in Dei fiducia perseuerent. Porro elegans paronomasia quæ est in verbis Hebraicis, inter videre & timere, Latinè reddi nō potest: qua notare voluit Propheta intuitum de quo loquitur, non ociosum sed efficacem fore.

9 *Ecce uir [qui] non posuit Deum fortitudinem suam: sed fidit multitudini diuitiarum suarum. roboratus est in prauitate sua.*

Ecce uir qui non. Hic versus verba habet quibus riserint illum qui opibus suis & dolis plusquam Deo fuerat fisus. *Fortitudinem suam.* Vel robur suum. sed spem posuit in multitudine diuitiarum suarū, & in prauitate sua obfirmatus est. Vel, robur suum ponit in pernicie sua. Id est, in hoc putat se fortem si alios læserit. Putāt quidam hoc prouerbii loco in vulgus fuisse iactatum de superbia Doeg: sed potius exegesis est timoris & risus, quia voluit exprimere Dauid quomodo proficiant in Dei iudiciis fideles. Nam impiorum frustratio eos admonet patienter ferendam esse superbiam, quæ suo impetu ruit: deinde eos quoque erudit ad modestiam, ne simili vanitate inflati contra Deum & homines insolescant. Risuros ergo fideles de reproborum interitu asserit Dauid, non tantùm vt ipsis insultent, sed vt se quietos contineant sub Dei auxilio, & valedicentes mundi illecebris, ei se libenter subiiciāt. Quoties ergo nobis occurrunt eiusmodi exempla, Deus sensus nostros, qui ad vagandum nimis alioqui propensi sunt, ad se retrahit, vt eos solus possideat, doceatque quàm vana sit rerum huius seculi fiducia. Et obserua aduerbium Ecce δεικτικῶς hic sumi, acsi in theatrum produceret Dauid infœlicem exitum, qui superbos Dei contemptores manet: sicuti hæc non vulgaris prudentia est, ex vno documento colligere miseros esse omnes, ac pessimo exitio destinatos, qui alibi quā in Deo spē suā constituūt. Acsi iusti dicerent, En gigantē qui non fecit Deum robur suum, sed in multitudine opū suarum spem posuit, ac sceleri fidit. *Sed fidit multitudini diuitiarum suarum.* Vel, confisus est in multitudine opum suarum. Obseruandū hic est, ponere Deū fortitudinem suā, & fidere mul-

titudini diuitiarum, esse cõtraria. Vt sciamus nunquam homines sincerè in Deum recumbere, donec propriæ inopiæ conscii seipsos prorsus exinaniant. Quantisper enim imaginantur in se aliquid residere, fieri non potest vt ad Deum confugiant: ita hoc perpetuum est, quantũ sibi arrogãt homines, tãtundẽ Deo detrahere: & qui suis diuitiis cõfidũt, nõ ponere Deũ robur suũ. Quod Christus nõ obscurè suis significauit, dicẽs neminẽ posse duobus dominis seruire. Cui sententiæ subtũxit, Non potestis Deo seruire & mãmonæ, Matth.6.c.24. Et quod de vna specie hic pronũtiat Dauid, ad omnes extẽditur: quoties in mũdo & terrenis opibus subsidũt hominũ mẽtes, totidẽ obstaculis prohiberi à quærẽdo Deo. *Roboratus est in prauitate sua.* Quidã vertũt, Roboratus est per fraudẽ suã. Alii, Sceleribus potentiam affectauit. Alii perniciem vertunt. Sed vox Hebræa, quam nonnulli pro pernicie actiuè accipiunt, videtur hoc loco potius notare substantiam. Scimus enim Dauidi nihil esse magis familiare quàm rem vnã repetere diuersis verbis. Ergo hic optime fluit contextus, hominem qui diuitiis suis confidit, & roboratur in sua substantia, vel in suo esse, (vt loquuntur) Deum fraudare iusto honore. Ergo audienda nobis Prophetæ admonitio, Non glorietur diues in diuitiis suis, sed qui gloriatur, &c. Hier.9.g.24. Vide etiam quid diuitibus huius seculi præcipiendum esse dicat Apostolus, 1. Timoth.6.d.17.

10 *Ego autem [ero] sicut olea viridis in domo Dei. speraui [in] misericordia Dei in seculum & seculum.*

Ego autem ero sicut olea viridis. Alii, oliua frondosa. Postquã Dauid fidei & spei alis in sublime euectus, splendorem opulentiæ Doeg, quo secundum carnis sensum fuisset obrutus, animosè despexit: exurgit etiam ipse ex suis miseriis, & seipsum opponit commodè improbo, vt qui Domini bonitati fuerit perpetuò confisus, eóque se habeat sicut olea frondosa, nec minus fœcunda baccis, plantata in domo Dei. Quanquã ergo instar inutilis ac putridi trũci proiectus iacet, propter spem futuræ restaurationis, oliuæ se cõparat. *In domo Dei.* Hic Dauid se tã Doeg quã aliis suis hostibus opponit, quòd licet nunc profugus à terra sancta Tabernaculi conspectu careat, speret tamen restitutionẽ, vbi euulsi fuerint hypocritæ, qui non modò locum illic occupant, sed Templo soli potiũtur, quod tamẽ inquinant & polluunt suis sordibus. Notemus ergo hunc viuendi finem nobis semper spectãdum esse, vt reputemur in grege Dei: &, quia infirmitas nostra externis adminiculis indiget, singularis beneficii loco ducẽdum esse dũ sacros cõuẽtus, vbi fideles alii alios ad Deũ colẽdũ & inuocãdũ incitãt, frequẽtare licet. Adde quòd Deus, sicuti vnus est, ita vt vnum in se simus, communibus Sacramẽtis in spem beatæ æternitatis nos colligit, vnóque omnium ore nomen suum vult celebrari. Ergo, Dauidis exẽplo, fallaciis omnibus præferer discamus locum in Dei Ecclesia. *Speraui in misericordia Dei.* Q.d. Ille sperauit in multitudine opum suarum, quæ natura fragiles sunt & vitreæ: ego autem in misericordia Dei, quæ æterna est ac firma. Emphatica hæc est antithesis, qua instabili improborum fortunæ proborum fides opponitur. Potest etiam hæc esse ratio cur futurus sit Dauid similis oleæ frondosæ, quia scilicet sperauit in bonitate Dei. vt intelligamus, quamuis hostes eius virerent, longéque extenderẽt suos ramos, procera etiam altitudine superbirent, radicem tamen eorum breui emarcidam fore, quia in Dei bonitate fixa non erat. Itaque dum illi arescent, succum & vigorem seruo Dei nunquam defore, quia spem suam in Deo reposuit. *In seculum & seculum.* Vel, in sempiternum, & perpetuò. Quia Dauid longo malorum tractu confici poterat, nisi fiduciæ suæ cõstantiam in longum tempus produceret, disertè exprimit se non præscripsisse Deo certum aliquod tempus, sed æternitatem spe sua fuisse complexum. Neque enim sperare in seculũ potuit quin Deo permitteret liberam mortis & vitæ suæ potestatem. Vbi perspicimus quid legitimos Dei filios discernat ab hypocritis. nam quum vtrique in Ecclesia simul permixti sint, sicut in area triticum paleæ mixtum est, alios tamen spes sua in perpetua statione confirmat, alios sua vanitas instar paleæ discutit. In summa beatum se fore Dauid non dubitat eo quòd spem suam non in caducis huius mundi rebus sed in Deo vero totam constituerit. Neque enim frustra alibi dixit beatos omnes qui cõfidunt in Deo, Suprà, 2.c.12.

11 *Celebrabo te in seculum, quoniam facturus es: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est coram misericordibus tuis.*

Celebrabo te in seculum. Tandem concludit Dauid se perpetuò celebraturum Dominum, qui solus author erat liberationis quam ipse sperauerat. q.d. Agnoscam & prædicabo opem tuam, qua me eripuisti. *Quoniam facturus es.* Vel, Quòd feceris. Vel, quia fecisti. Præteritum Hebræum, quod nonnulli pro futuro positũ putãt, more Prophetico. quòd facturus sis, sub. quod dixi. Rectius videtur per præteritũ, Quia tu fecisti. q.d. Agnosco opus tuũ quòd elapsus sum è manu Doeg, quòd non perierim centies, quum tam multi possent eius exemplo conspirare in meam perniciem. Hoc dicit quòd quum liberãtur homines, non semper agnoscant Deum authorẽ eius gratiæ. transferunt enim ad fortunam: aut siquid illis succedat ex voto, attribuunt illud suæ industriæ. *Et expectabo nomen tuum.* Postremò Dauid spẽ suam cum gratitudine coniunctam fore dicit. Nam expectare nomen Dei nihil aliud est quàm patienter attendere ad eius gratiam, quamuis sit abscondita, & ab eius verbo pendere, quamuis effectus in longum tempus extrahatur. *Quoniam bonum est.* Hoc est, vt quibusdam placet, quia bonum est sperare in nomine tuo, sicuti Psalmo 118.b.8. scribitur. sed alter sensus simplicior est, quòd Deus fideles suos nunquam frustretur, quin suam bonitatem illis conspicuam exhibeat. Quamuis ergo incredulis odiosum sit Dei nomen, adeóque terrorem incutiat quoties insonat eorum auribus, quia expertes sunt eius bonitatis: dicit Dauid fideles semper continuis experimentis sensisse quàm suaue & iucundum sit Dei nomen. *Coram misericordibus tuis.* Vel, mansuetis tuis. hoc est, sanctis & fidelibus tuis. q.d. Licet non tam celeriter vt mea forsan præpropera efflagitabit imbecillitas, succurrere decreueris, expectabo tamen immobilis, illud pro certo habens, quoniam nomen sanctum tuum bonum est in conspectu sanctorum tuorum. id est, omnium qui in te cõfidunt. Sanctos misericordes Dei vocat, quia Deus eos bonitate & misericordia sua dignatur. Vel mãsueti Dei vocantur fideles quia humanitate & beneficẽtia cœlestẽ Patrẽ referre debeãt, sicuti dictũ est Suprà, 16.a.3. Cæterùm discamus ex hoc loco, in mediis afflictionibus nomen Domini expectare, sicuti Vates clamat, Qui crediderit, non festinet, verùm expectet Dominũ, qui (vt idem ait) non abscondit faciẽ suam à Iacob, Esa. 28.d.16, & 8.c.17.

DE PSALMO LIII.

Quoniam hic Psalmus paucissimis exceptis idem est cum eo quem suprà habuimus, nempe 14, superuacaneum foret aliud argumentum hic inserere præter id quod illic positum est. Expositio quoq; huius Psalmi ibi magna ex parte habetur.

PRæfecto super Mahalath erudiens Dauidis.

2 *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus: corruperunt [viam suam,] & abominabilem fecerunt iniquitatem: non est qui faciat bonum.*

3 *Deus è cœlo prospexit super filios hominum, vt videret an sit intelligens, & requirens Deum.*

4 *Omnes retrocesserunt pariter, fœtidi facti sunt: non est qui faciat bonum, non est etiam vnus.*

5 *Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatem, qui comedunt populum meum [acsi] comederent panem, [&] Deum non inuocant?*

6 *Ibi timebunt timore [ubi] non fuerit timor: quoniam Deus dissipauit ossa castrametantis contra te: pudore affecisti [illos], quoniam Deus spreuit eos.*

7 *Quis dabit ex Sion salutes Israelis? quando conuerterit Deus captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israel.*

Præfecto. Vide Psalm.4.a.1. *Super Mahalath.* Nomẽ est instrumenti musici, aut initium cantilenæ vulgaris apud Hebræos, ad cuius modulos decantatus fuit hic Psalmus. *Erudiens Dauidis.* Vide Psal.32.a.1. *Dixit stultus.* Vel insipiens. *Fecerunt iniquitatem.* In Psalm. 14 legitur opus. *Acsi comederent panem.* Ad verbum, comederunt. Non de externis tyrannis vel professis Ecclesiæ hostibus habetur sermo, sed de proceribus ipsius populi qui potentia & honore pollebant. Similis querimonia legitur Mich.3.a.1. *Vbi non fuerit timor.* Vel, nõ fuit pauor. Docti inter Hebræos subaudiunt, similis isti pauori. Sũt qui referũt ad cæcas perturbationes, quibus vexantur mentes impiæ. iuxta id quod dicitur, Fugient nemine persequente, &c. Leuit.26.c.17. Malo de rebus trãquillis & prosperis exponere. Nã vbi dixerint impii pax & securitas, &c. 1. Thess. 5.a.3. *Dissipauit ossa.* Hoc est, robur & potentiam. *Spreuit eos.* Vel, contemptibiles eos reddidit. Aut, probro & ignominiæ subiecit. Vide Infrà, 107.d.40. Reliquam expositionem huius Psalmi petant lectores ex Psalmo 14.

ARGVMENTVM PSALMI LIIII.

Psalmus hic precationẽ continet ad Deũ pro liberatione ab hostib⁹: Deinde argumẽtũ habet animi præsẽti fiducia præditi de ope & auxilio Dei, quẽ fideles semper inuocare debẽt.

Præfecto in Neginoth, erudiens Dauidis.

Præfecto. Vide Psal. 4.a.1. *In Neginoth.* Vide eundem Psalmum. *Erudiens Dauidis.* Vel intelligentia Dauidis. Vide Psal. 32.a.1.

2 *Dum venerunt Ziphæi dicentes, Annon Dauid latet apud nos?*

Dum venerunt Ziphæi. Quod hæc inscriptio memorat, bis factum à Ziphæis legimus, 1. Sam. 23.b.11, & 26.a.1. Vnde apparet homines fuisse impios, qui nullam habuerint iudiciorum Dei, nec innocentiæ Dauidis rationem: quibus nihil fuerit ob oculos quàm hoc vnum, Saulem esse regem, hunc vnicè esse obseruandum, colendum, vtique in omnibus per fas & nefas gratificandum. Hos multi hodie referunt in regno Antichristi, non sine magna proborum virorum iniuria. *Annon Dauid latet.* Hæc temporis circunstantia non abs re designatur, vt sciamus nullis malis Dauidem vnquam fuisse ita fractū quin spe ad Deū assurgeret. Certè raræ & heroicæ fortitudinis specimen fuit, quum hostilibus copiis vndique occlusus, quocunque pedem moueret, sibi videret occurrere exitium, non tamen desperatione obrui: sed ex profundis illis tenebris ad implorandam Dei opem emergere. Neque enim precari sic potuit nisi persuasus foret tam facile esse Deo mortuum è sepulchro educere, quàm viuum & incolumem in statu suo tueri; quando nihil iam restabat nisi vt animam in speluncæ latebris deponeret. Vnde etiam non mirum quòd è tantis periculis diuina ope ereptus, de eis sacra carmina cecinerit. In his enim typum Christi prætulit, indéque exemplo est omnibus Christianis, quos simili ratione Dominus subinde exercet.

3 *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in fortitudine tua iudica me.*

Deus in nomine tuo. Ardentissimè orat vt seruetur à periculo quod imminebat q.d. Domine per temetipsum me serua. ego in magnis periculis versor, omnibus humanis opibus & subsidiis exutus: itaque tuum mihi auxilium ne deneges. Nā subaudienda est antithesis inter nomē ac virtutē Dei & inter media omnia (vt loquuntur) quibus iuuari solent homines. Etsi enim nihil est auxilii extra Deū, ordinarios tamē modos habet quibus exerat erga nos gratiam suam & virtutem: vbi autem ita nos destituit vt nihil auxilii sub cælo appareat, tunc per seipsum agit. Ergo Dauid, quū in creaturis nihil spei haberet residuum, meritò ad sacrum hoc asylum confugit vt sola Dei virtute contentus miraculo se saluū fore confideret. *Et in fortitudine tua.* Vel, virtute tua. *Iudica me.* Vel, age (disceptа) causam meam. Quidam, vindica me, Hebraismum exponentes. Vel, Ius meum tuere, siue innocentiam. q.d. Domine, tu quidem mihi testis es meæ causæ, ego ex animo tuum auxiliū imploro: sed interea nullus apparet in mundo qui mihi manum porrigat. Asseras igitur bonam causam meam, quoniam vnicus superes meus vindex, fortis & robustus. Hinc discimus, vt nos Deus tuendos suscipiat, dandam imprimis operam esse vt probè & rectè nobis simus conscii: quia nihil magis perversum est quàm temere ad eum inuocandum prosilire, acsi malarum causarum esset patronus. Sic alibi Dauid Deum iustitiæ suæ appellat, Suprà, 4.a.1. Vbi iustitia pro bona causa capitur, quemadmodum ibidem exposuimus.

4 *Deus audi orationem meam, ausculta sermones oris mei.*

Deus audi orationem meam. His verbis affectus sui vehementiam exprimit. Sicuti quum alibi dicit, Eloquia mea auribus percipe Iehoua, intellige loquutionem meam. Attende voci clamoris mei, Rex mi, & Deus mi, quoniam ad te oro, Suprà, 5.a.1. Nec verò dubium est, quum tanta vrgeret necessitas, ardenter & summo ardore precatum esse: quia fieri nō potest quin ex animo æstuante verba prorumpant. Mi Deus (inquit) audi meam supplicationem, excelsásque illas tuas (quas nefas est nisi à puris castisque animis interpellari) gemebundæ huic meæ voci præbe aures. Hic solum Deum inuocat, in eo solo sperat, sciens se certò eripiendum, & seruādum, etiamsi cætera omnia mortem intentarent. *Ausculta sermones oris mei.* Idem diuersis verbis more suo repetit.

5 *Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & formidabiles quæsierunt animam meam: non posuerunt Deum coram se. Selah.*

Quoniam alieni insurrexerunt. Hic conqueritur sibi cum barbaris ferisque hominibus esse negotium, quos nulla religio à scelerum audacia cohibet. Neque id facit quòd monitore opus habeat Deus: sed metus & inquietudinis suæ causam referens, in illius sinum curas suas exonerat. Quod de alienis dicit, potest tam ad Ziphæos quàm ad totum Saulis exercitum cum Ziphæis iunctum referri. Non malè quidam ad vtrosque referunt. Nam quum vicinitas hostes quoque ipsos ad aliqua humanitatem flectere soleat, Dauid, vt eorum truculentiam amplificet, à quibus non minus violenter impetebatur quàm quispiam ignotus & fere natus in alio orbe, dicit ab alienis in se impetum fieri: significans belluino furore irruere. *Et formidabiles.* Vel, tyranni, præpotentes, terribiles, præualidi. Sensus est, hostes Dauidis, abiecto omni humanitatis sensu, nō secus ac rabiosas feras, in eius perniciem ferri. Vnde mirum nō est eum expauescere, vt trepidè sub Dei tutelam confugiat. *Quærunt animam meam.* Hoc est, Conantur mihi vitam eripere. Nam quærere animam dicuntur quorū crudelitas nulla mediocri læsione contenta, satiari non potest nisi morte. *Non posuerunt Deum coram se.* Q.d. vt suam in me explerent libidinem, atque ex me pœnas vel de iis quæ nunquam cogitaui exposcerent, nullam de Deo habuerunt rationem. Quo ergo melius effrænem rabiem hostium suorum exprimat, nullum illis esse Dei respectum dicit: quia hoc solum erat frænum quo poterant cohiberi, si venisset illis in mentem, sedere mundi iudicem in cælo, ad cuius tribunal semel omnibus reddenda est vitæ ratio: excussa verò Dei memoria nullus erat moderationi locus. Sicut alibi dicit Dauid Dei iudicia ab impio remota esse, Suprà, 10.b.5. Nam tantum abest vt impii Deum coram se statuant, vt æternum cum morte fœdus sibi promittant, (Esa. 28.d.15) ac omnes Dei comminationes securè contēnant. *Selah.* Hæc vox ideo interponitur, quia id malorum omnium fons est atque origo, diuinum scilicet ab sese abiicere timorem.

6 *Ecce, Deus auxiliatur mihi: Dominus est inter sustentatores animæ meæ.*

Ecce, Deus auxiliatur mihi. Vel, Ecce, Deus mihi adiutor. Iā canit spem suam, quam à precatione roboratam sentit, nempe Deum se adiuturum. Vnde colligimus non fortuitò sanctum virum vota in aerem iecisse, sed precatum esse ex viuo fidei sensu. Nec emphasi caret aduerbium Ecce. Nam quū iam ne inter feras quidem tutò lateret, vbi ista Dei propinquitas? Quum fere in sepulchro demersum obrueret mortis caligo, quomodo Deum præsentem aspicere potuit, & quasi digito monstrare? Quum trepidus in singula momēta interitum expectaret, quomodo de præsenti certóque Dei auxilio gloriari potuit? Ergo necesse fuit mira fidei virtute excellere, qua tot obstacula transcendens, ab ipsis inferis vsque ad Deum celeriter penetraret. Quomodo autem Dominus seruum suum iuuerit & qua ratione, sacra historia commemorat, dum per Philistinorum irruptionem, Saulem à persecutione Dauidis desistere coactum fuisse dicit. Neque tamen Dauid salutē hāc quam sensit Philistæis sed soli Deo tribuit. Ita solent pii Deo tribuere siue aduersa siue prospera, per quoscunque tandem vel affligantur, vel beneficium accipiant: vno dempto peccato, quod sibiipsis ascribunt. *Dominus est inter sustentatores animæ meæ.* Vel, inter eos qui tutantur animam meam. Id est, Adest iis qui auxiliū mihi ferūt, atque meas partes tuebūtur. Alii, Inter eos qui circundant animam meam. Alii, qui fulciunt (stabiliunt) animam meā. Non simpliciter intelligit Dauid Deū vnum esse ex defensoribus animæ suæ: (quia parum tribueret honoris eum locando in hominum gradu: ac præstaret nullā eius fieri mentionem quàm ita in ordinem cogere) sed potius significat Deum stare ab eorum parte quibus curæ erat ipsius salus, qualis erat Ionathan, & similes. Quum verò illi & numero pauci essent, & debiles, & timidi, hac tamē fiducia se sustētat quòd Deo præside & directore futuri sint omnibus impiis fortiores. q.d. Ego quidem paucissimos habeo qui mihi faueant, sed sufficit mihi quòd Dominus à parte ipsorum stat, & præest, qui non patietur vanum esse ipsorum auxiliū. Fortè etiam alludit Dauid ad suam nuditatem. nam (quia omniū mortalium ope destituebatur) potest ita resolui locutio hæc acsi dixisset vnius Dei fulturam pro innumeris sufficere.

7 *Rependet malum istud inimicis meis. In veritate tua succide illos.*

Rependet malum. Vel, Reddet malum istud. Futurum Hebræum, quod quidam per optatiuū vertunt. Rependat. Alii, Reuertetur malum ad inimicos meos. Quia verbum Hebræum tantūdem valet ac Redire faciet, nō modò videtur Dauid pœnā minari, sed speciē pœnæ simul notare: quòd Deus praua eorum consilia, malignas artes & improbos conatus in eorum capita retorquebit. Etsi autem optatiuè accipi potest verbū futuri temporis (sicuti iam dictum est) præstat tamen proprium sensum retinere, vt Dauid, quasi voti compos securè quod precatus est expectet. Et sæpe videmus (quo acrius se stimulet ac perfruendi studium erigat) eū talibus sententiis interpositis precandi cōtextum abrumpere. Quare nihil absurdi si votis suis sententiam hanc permisceat, Deum fore iu-

stum vltorem, qui mercedem rependat impiis & sceleratis. [M] Nec est cur quis existimet Dauidem alio quàm Dei Spiritu hæc hostibus suis imprecatum fuisse. Non enim priuati hominis sed magis publici & aliorum capitis personam hic gerit. Ad hæc, collegit ex eo quod iam senserat, nempe ex auxilio Dei, deinde ex æquissimo talionis iudicio, futurum vt malum hoc quod sibi parabant inimici, in ipsos recideret, vt perderentur. Licet enim ipse non esset ita contra illos affectus inimicè vt cuperet seipsum vlcisci (quod neque quum posset fecit) sciebat tamen eam esse iustitiam Dei, & iam quasi viam videbat per quam pararetur Sauli cum suis exitium, nempe per irruptionem Philistinorum. Quod & postea contigit. nam per Philistæos periit Saul cum suis. *In veritate tua.* [V] Vel, in fide tua, Per fidē tuam. Id est, vt promisisti. siue, vt promissa præstes. [C] Hoc ad spei confirmationem non parum valet, Deo suā veritatem produci in medium: quia nisi in tentationum procellis fixa maneret persuasio, Deum qui salutis nostræ curam sibi vendicat, esse veracem, neque inanibus verbis suos lactare, quoties auxilium suum differt ac suspendit, labascerēt mentes nostræ. Non temere igitur Dauid spem impetrandi in eo locat quòd Deus non magis fidē suam abnegare potest quàm seipsum. [M] Videmus hoc modo quæ sit iustitia Domini, nempe ea qua iis qui innoxios opprimere conantur, ita repēditur, vt malum quod aliis intentant, in ipsos recidat: etiamsi quibus insidiātur, vel pietate vel imbecillitate impediti, seipsos haudquaquam vlciscantur. vt verum sit illud, Qua mensura mensi fueritis, remetientur & vobis, Matth. 7. a. 2. non quidē qui læsi sunt, ([A] norūt enim ipsi animas suas in patientia possidere) [M] sed quorum opera Dominus ad reddēdam talionem vsus fuerit. Sic Esa. 33. a. 1, Væ qui prædaris, nonne & ipse prædæ fies? Esa. 33. a. 1. [A] Vide item quid dicat Apostolus, 2. Thess. 1. b. 6. [M] Et quid Adonibezech contigerit, Iudic. 1. b. 7. & Achab & Iezabeli, qui sanguinem innoxium non sine ingenti perfidia fuderant, 1. Reg. 21. f. 21, & 2. Reg. 9 g. 33. Neque enim frustrà dictum est à Domino, Mihi vindictam, & ego retribuam, Deut. 32. e. 35. *Succide illos.* [V] Mutatio personæ, quòd vehementi affectu Dauid raperetur.

8 *Voluntariè sacrificabo tibi: celebrabo nomen tuum Iehoua, quoniam bonum est.*

Voluntariè sacrificabo tibi. [V] Aut spontè (vel liberaliter) sacrificabo tibi. Voluntarium sacrificium faciam tibi. Vel, Vltroneo sacrificio sacrificabo tibi. [M] Duobus postremis versibus, post agnitionem ac sensum diuini auxilii, declarat quam animi gratitudinem mente conceperit, quibus modis pro accepto auxilio gratum se erga Deum ostendere proposuerit, & quamobrem hoc meritò facturus sit. [C] Promittit, simulac data fuerit facultas, solennes se Deo gratias acturum. Etsi enim interiore affectu contentus est Deus, non debuit tamen Dauid ritos in Lege præscriptos negligere. Ergo sacrificiis accepti beneficii memoriam testatus est, vt ferebat commune piorum officium, vt suo quoque exemplo alios excitaret. [M] Vnde admonemur & nos vt eos quos Christus in Ecclesia sua ritus externos instituit, diligenter exerceamus, licet sciamus ne illos quidem per se cultum esse Dei. Notādum etiam quòd Dauid non modò sacrificia pollicetur, sed liberalia & vltronea. [C] Se enim liberaliter sacrificaturum dicit, non modò quia pro suo arbitrio cuique liberum erat sacrificia gratiarū actionis offerre, sed quòd libēter & alacri animo, periculo iam defunctus votum suum soluet. Scimus enim maiorem mundi partem, vbi aliqua necessitate cōstringitur, satis largè polliceri se fore in Dei obsequio: mox verò vbi quisque elapsus est, reuolui ad suum ingeniū, Deique gratiam obliuisci. Dauid ergo spontanea sacrificia vouet, vt se ab hypocritis discernat, qui nonnisi seruiliter & metu coacti Deo se subiiciunt. [M] Admonemur ergo vt animi nostri gratitudinem commendatam reddamus hac liberalitate, [C] ac quoties in Dei conspectum prodimus, liberales afferamus animos vt cultus noster illi probetur. alioqui impura erunt omnia quæ ipsi offerre conabimur. Vide Rom. 12. a. 1. *Celebrabo nomen tuum.* [M] Hoc commodè subiicitur. nam in hūc finem institutum erat hoc sacrificii genus vt laudaretur nomen Domini. Externa illa sacrificia transierunt, finis tamen illorum, (nempe nominis Dei celebratio & deprædicatio) in perpetuum durabit. Quid est autem celebrare nomen Domini? Est Deum extollere & laudare, illi salutem omnem ascribere, acceptum ab eo beneficiū vbique deprædicare. *Quoniam bonum est.* [M] Quid est esse bonum nomen Dei? Nempe quòd Deus prædicatur bonus, clemens, fidelis, misericors, longanimis, qualis Psalmo 103. b. 8 describitur.

9 *Quoniam ex omni angustia eruit me, & in hostibus meis vidit oculus meus.*

Quoniam ex omni angustia eruit me. [V] Vel, liberauit. [C] Hic versus cum posteriori membro versus superioris iungi debet, & ad tempus lætum & tranquillum referri. Quamuis enim Dauid totum Psalmum post liberationem composuerit, hactenus tamen recensuit qua precandi forma vsus esset adhuc in ipso discrimine laborans: nunc omni anxietate solutus ac liber, nouam gratiarum actionem subiungit. Ac fieri potest vt vno exemplo admonitus plura Dei beneficia, quæ diuersis temporibus erat expertus, quasi in fasciculum collegerit: ideóque generaliter pronuntiat nomen Dei esse bonum, & se ereptū ab omni angustia. [M] In eo autem quòd Dauid fatetur se à periculis per Dei gratiam ereptum, admonemur soli Deo adscribendam esse omnem liberationem. Deinde obseruandum est quòd Deus non solùm liberat ex periculis, sed & id de se prædicari & inde laudari vult. Sic dicebat, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me, Suprà, 50. c. 15. *In hostibus meis vidit oculus meus.* [B] Hoc est, Vidit optatam in hostibus meis vltionem. [C] Notat autem hæc locutio suauem & iucundum aspectum. [B] Veluti quum dicitur, Dum excidentur impii, videbis, Suprà, 37. f. 34. [C] Siquis autem roget an filiis Dei liceat, quum Deus scelera vlciscitur, tale spectaculum cupidè expetere, responsio facilis est, modò puri sint oculi, piè & sanctè oblectari iustitiæ Dei testimoniis: sed vbi praua aliqua libidine, tanquam macula, infecti sunt, in vitiosum & peruersum finem omnia trahere. [M] Itaque non hoc dixit Dauid odii, vel proprii commodi, aut vindictæ affectu: (alioqui ipse, quum posset, manu sua perdidisset inimicos suos) sed longè aliud spectabat. Nam quum totus fide ac spe à Dei bonitate penderet, & Deum adiutorem suum facilè colligeret, non poterat non probare æquissima Dei iudicia, & de eis non lætari, propterea quòd innoxii à periculis eriperentur, & improbi meritò perderentur. Sic & nos olim cum gaudio videbimus eorum exitium qui veritati Christi pertinaciter repugnant, [A] etiamsi, quandiu hic viuimus, salutem eorum expetere & modis omnibus promouere debeamus.

ARGVMENTVM PSALMI LV.

[C] Quum Dauid à Saule redactus esset in extremas angustias, de iniusta eius sæuitia coram Deo conquestus est: sicuti hic Psalmus testatur, qui pleraque complectitur quæ in veritate ad Christum pertinent, vnde etiam plerique illum de Christo & illius proditore exponunt.

PRæfecto in Neginoth, erudiens Dauidis.

Præfecto in Neginoth. [V] Vide Psalm. 4. a. *Erudiens Dauidis.* [V] Vel, intelligentia Dauidis. Vide Psal. 32. a. 1.

2 *Auribus percipe Deus orationem meam, & ne abscondas te à deprecatione mea.*

Auribus percipe Deus orationē. [M] Hic Dauid implorat diuinā clemētiā, & beneuolentiā, quæ ad exaudiendū preces afflictorū nūquam non parata est ac prompta. q. d. Suscipe confugientē ad te, ac benignus cognita mea angustia succurre. *Et ne abscōdas te à deprecatione mea.* [V] Vel, ne auerseris orationem meam. [C] Ex his verbis liquet Dauidem, quum preces has concepit, constrictum fuisse summo dolore. Neque enim mediocre aliquod incommodum, aut vulgaris molestia animum sancti viri heroica virtute præditum tantopere perculissent. Grauis ergo necessitas planctum & tumultum ei extorsit. [B] Durum certè est quum princeps aut iudex à quopiam misero rogatus abscondit se, negátque velle audire: proinde de illo eiusque causa actum esse omnino ex circunstantibus quis non iudicet? [B] Itaq; orat Dauid ne Deus faciem suam ab eius oratione abscondat, aut ad causæ æquitatem conniueat, ne innocentiæ ac veræ religionis studiosus falsis impiorum calumniis opprimatur.

3 *Intende mihi, & exaudi me, dum clamo in sermone meo & tumultuor.*

Intende mihi. [V] Vel, attende ad me. *Et exaudi me.* [M] His verbis ardorem & precandi vehementiam exprimit. *Clamo in sermone meo.* [V] Futurum Hebræum, Clamabo in sermone meo, & strepam, vel tumultuabor. quod per præsens vertunt interpretes, Dum conqueror in lamentatione mea, & strepo. Alii, dum plango (vel vlulo) in meditatione mea. [C] Quod nonnulli vertunt dominabor, contextui prorsus repugnat. Neque enim iactat Dauid fortitudinem, qua sermoni suo imperet: sed calamitatem suam deplorans, vt se miserabilem faciat, dicit se cōpelli ad tumultuosos clamores. *Et tumultuor.* [V] Vel, strepitum facio. [M] Declarat his verbis vim animi angustiati, quæ tanta fuerit vt ipsum corpus quoque inquietum reddiderit, vt fieri

videmus apud eos qui vehementi mœrore concutiuntur. Nunc cœlum, nunc terram spectant: nunc eunt, nunc redeunt, nec vno loco retineri possunt, quasi mente moti: nunc ad cœlum manus eiaculantur: nunc tacitè secum immurmurant. Tale quid sibi quoq; vsuuenisse indicat Propheta. [1]q.d. Præ dolore moueo me nunc huc nunc illuc, & inter orandum conturbor.

4 *A voce inimici, & à facie angustiæ impij: quoniam deuoluunt super me iniquitatem, & in furore aduersantur mihi.*

A voce inimici. [a]Memorat indicibilem illam animi sui perturbationem, trepidationem, & mixtum dolori terrorem, quo tantum non exanimabatur à voce hostis. [c]Vocem quidam exponunt strepitum qualis solet esse in hominum turba: acsi dixisset hostem suum magnis copiis instructũ venire. sed ad minas potius referri debet, quia nõ dubium est quin Saul vt cædem innoxii Prophetæ animo spirabat, sic etiam ore subinde creparet. *Et à facie angustiæ impii.* [v]Vel, à facie violentiæ, vel afflictionis, aut tribulationis. Hebraismus autem est à facie pro propter. [a]Quidam vertunt, coram afflictione impii, actiuè sumentes afflictionem impii pro iniusta oppressione quam infert. [c]Atque impii nomine Dauid hostem suum infamat non tam eius accusandi, quàm integritatis suæ testandæ causa. Nã hoc in persecutionibus magnum solatium est, sibi bene esse cõsciũ, neq; sua culpa, sed gratis prouocari: quia tunc quoque sperãdum est leuamen à Domino, qui se miseris omnibus patronum & defensorẽ fore pollicitus est. *Quoniam deuoluunt super me iniquitatem.* [v]Ad verbum, labi (aut cadere) faciẽt super me iniquitatem. [c]Deuoluere iniquitatem nihil aliud est quàm iniustè irruere in perniciem miseri hominis, & quiduis machinari ad eum opprimendũ. *Et in furore* (vel ira) *aduersantur mihi.* [v]Id est, me insectantur & odio prosequuntur. Vel, palam & violenter grassantur ad hominem perdendum.

5 *Cor meum dolet in medio mei, & terrores mortis ceciderunt super me.*

Cor meum dolet. [v]Vel trepidat, contremiscit, parturit, affligitur. [m]Videmus hîc apertè quàm sancti (licet & fide sint & bonæ innocentiæ conscientia præditi) nihilominus, vbi periclitandũ est, & timori & tremori & terroribus & pauori sint obnoxii: quũ tamẽ Stoici putent ista in sapientem ac iustum cadere non posse. Et hodie quidam gloriosum putant si nullam pauoris, dum occiduntur, significationem prodant. Rursus impii, vbi animum iusti consternatum vident, tanquam reo insultant. [c]Interea clarius hinc liquet quàm diros cruciatus pertulerit Dauid. Certè non effœminatus quispiam vel mollis loquitur, sed qui iam multa constantiæ documenta præbuerat. Nec tamen hîc tantùm de atrocibus hostium iniuriis cõqueritur, sed se opertum terroribus & obrutum dicens, cor sibi nõ esse saxeum fatetur. Hinc quidem colligitur certaminum magnitudo: discendum tamen simul est, vbi durius seruos suos exercet Deus, nullam esse tantam fortitudinem quæ non labascat. Quum nobis bene est, quisque sibi videtur inuictus miles: sed vbi seriò & consertis manibus pugnandum est, palam se prodit nostra infirmitas. Hac verò occasione Satan astutè nos ad desperationem solicitat & impellit: acsi Deus, subducto Spiritus sui auxilio, se curam salutis nostræ abiicere ostenderet. Hoc igitur exemplum obseruatu dignum est, quòd Dauid circundatus ingenti malorum congerie, simul etiam intestinũ cum timoribus suis certamen habuerit, nec sine lucta & violento conatu emerserit ad inuocandum Dei nomen. *Et terrores mortis.* [v]Id est lethales, siue lethiferi. Significat mortem sibi ante oculos obuersari. q.d. Domine non tantùm cernis quã violenti sint impetus hostium meorum, sed in vides cor meũ esse trepidum. Non tantùm habeo certamen cum externis hostibus, sed sentio quasi in me luctari cor meum. [c]Porrò dũ vocat Dauid terrores mortis seu mortiferos, ostendit, nisi fulcitus esset virtute Dei, sibi protinus fuisse succumbendum.

6 *Timor & tremor venit super me: & operuit me tremor.*

Timor & tremor. [a]Q.d. Timor, languor, mœror, metus, terror, horrórque venerũt super me, & circundedit me vndique pauoris caligo. In hunc modum Esaias, Aspiciemus (inquit) in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & nox obtenebrata est in caligine eius, Cap. 5. g. 30. *Et operuit me tremor.* [v]Vel, obtexit me terror. Vel adobruit me horror. [a]q.d. omnia mihi exitium minitantur, nisi opem tuleris, pro tua solita in me bonitate ac beneuolentia.

7 *Et dixi, Quis dabit mihi alas sicut columbæ? volarẽ & requiescerem*

Et dixi, Quis dabit mihi alas. [v]Hebraismum hunc sic quidã vertunt, Vtinam essent mihi alæ tam celeres quam sunt columbæ, Existimant enim vulgò hanc auem pernici esse volatu. [c]Significat autem Dauid his verbis nullum sibi effugium patere, sed miserum statum suum deplorat, quòd nihil exilio melius appetere iam queat non quale hominibus conceditur, sed periode acsi columba procul in desertum aliquem angulum euolet. Denique intelligit se nõnisi miraculo elabi posse: deinde nõ fore locum exilii inter homines, sed eò se redactum vt deterior sit sua conditio quàm auiculæ cuiuslibet. Columbã verò potius quàm alias aues nominat Dauid, quòd effugere cupiat hostium suorum sæuitiam, non secus ac columba, quæ meticulosa est & imbellis, accipitrem fugit. [v]acsi diceret, Domine, ego tantùm mihi dari peto columbæ alas, quũ nusquam habeam quietem nisi in exilio: si non possum hoc impetrare vt quiescam in patria, saltem detur mihi elabi in aliquem angulum & recessum. Exulabo igitur ac quiescam: hoc est, cedam hostibus meis, non resistam illis in faciem: tantùm mihi liceat petere latebras aliquas, & effugere eorum aspectum. [c]Hinc colligimus in quas angustias coniectus esset Dauid, qui regni promissi oblitus trepidè tantùm de ignominiosa fuga cogitet, ac relicta patria extra hominum consuetudinem alicubi in deserto latere paratus sit. *Volarẽ & requiescerem.* [v]Heb. volabo & requiescam. [a]Hoc est, Cederem hostibus meis & ab eorũ insana violentia declinarem. Vel, [v]Procul hinc aufugerem, & in locis penitior desertis habitarem potius quàm inter tam sæuos homines.

8 *Ecce elongarem fugam, commorarer in deserto. Selah.*

Ecce elongarem fugam. [v]Chaldæus paraphrastes, Elongabo locũ ad fugiendum, vel fugiendo. Quidam vertunt, Longè profugerem. Alii, Elongarem me aufugiendo, siue migrando. Q.d. Non habitarem in finibus Iudææ, sed potius mare traiicerem. [c]Fatetur Dauid, vt furori hostium cedat, se migrationem longinquam nõ recusare: nec se inducias quærere vel tempus trahere, quemadmodum solent quibus aliquid spei vel solatii adhuc residuum est. Voces autem sunt hominis desperati secũdum carnis sensum. Vnde colligimus quàm diros cruciatus senserit, quum paratus omnibus renunciare, ne hoc quidem modo vitam redimeret. Itaque non mirum est in istis anxietatum tormentis cor eius lethali mœrore penitus fuisse vulneratum. *Commorarer in deserto.* [b]Maximè istuc miserandum erat, tam optimè de hominibus meritum, nusquam inter homines, & nec eos quos suo periculo ac maximo periculo liberauerat, potuisse tutò agere, adeo vt optandum ei esset in deserto alicubi habere latibulum: eóque iam properare cupit. Ideo adscripsit *Selah*, [a]vt tam nefandæ hominum ingratitudinis atrocitatem exprimeret.

9 *Festinarem eruere me à vento qui excitatur à turbine.*

Festinarem eruere me à vento. [a]Adhuc magis periculum in quo constitutus erat exaggerat. Festinarem (inquit) eruere me à vento. [v]Vel liberationem, aut effugium mihi velocius vento qui excitatur à tempestate. Alii, Saluationẽ mihi propter ventum turbinis & tempestatis. Vel, à vento procelloso & tempestate. Dauid hîc testatur mortem sibi adeo esse præsentem, vt statim arrepturus sit fugam, modò pateat aliquis exitus. Vox Hebræa סעה nusquam alibi legitur in Scripturis. [c]& significat ventum procellosum, quem turbo excitat. Sed quum dicitur motus à turbine, periphrasis est impetuosi venti qui ad celerem fugam compellit viatores, donec tectum vel latebras reperiant. [m]Itaque in eo quòd Dauid insidias hostium suorum metuens, fugam meditatur & optat, videmus nihil insolẽs esse si & hodie quisquam certa & imminẽtia pericula euadere cupiens fugiat, quando hoc & sanctis Dei viris vsuuenisse legimus, idque præcipuis: quales fuit, Moses, Dauid, Elias, Paulus, ipse denique Christus. Quin & ille discipulos suos fugere iussit, dicens, Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, Matth. 10. c. 23. Non est itaque culpandũ in Sanctis quod tantis viris accidisse legitur.

10 *Perde Domine, diuide linguam eorum: quòd vidi vexationem & rixam in urbe.*

Perde Domine. [v]Vel, disperde, nẽpe meos hostes. [a]Hic collecto animo Dauid rursus se ad Deum inuocandum conuertit: alioqui stultum fuisset sine profectu querimonias in aerem spargere: sicuti profani homines hoc inani solatii genere non tam se exonerãt quã fatigãt. Miscẽt quidẽ precibus suis sancti cõfusos vel inordinatos gemitus, sed tandẽ ad orãdi fiduciam se reuocãt. *Diuide linguam eorum.* [v]Vel finde, dispertí. Quidam, deglutí. [c]Optat his verbis Dauid, vt Deus subitis dissidiis abrumpat impia consilia, & nefarias cõspirationes dissipet. [v]q.d. Domine dissipa sententias eorũ varias, [a]& quicquid aduersus me moliũtur, inane ac irritũ fiat. [v]Videtur autem esse allusio

ad pœnam quæ Babyloniis inflicta fuit, quando Dominus vltus est superbiam illorum hominum qui volebant arcem extruere, Gen.11.b.7. q.d. fac vt mutuò inter ipsos nõ conueniat. Sed memorabile illud specimen Dauid obliquè commemorat quo semel testatus est Deus, in suo arbitrio esse, mutuam inter sceleratos & improbos communicationem tollendo, frangere eorum vires ac conatus. [V] Sic quotidie videmus subitis dissidiis abrumpi impiorum consilia, vel quia inter se laborãt diffidentia, vel quia vnusquisque vult dominari, & alter alterius consiliis cedere non sustinet: vel quum flectuntur ad varios affectus. [M] Illud verò probè notandum, quòd hostibus dispersionem siue interitum, deinde & linguæ diuisionem Propheta imprecatur. Vidit absque dubio nocentissimam pestem esse si passim improbis liceat in vnum conspirare, mutuas ad bonorum oppressionem operas coniungere, deinde veluti eadem lingua insidias struere. Vbi malum hoc regnat, necesse est simul impune regnare omnem tyrannidem, extingui omnem iustitiam, & omnia vi, dolo ac versutia geri. *Quod vidi vexationem & rixam.* [V] Vel, violentiam & contentionẽ. Vel, iniquitatem, iniuriam, vim. [C] Hic Dauid, ad exorãdi fiduciam, quanta sit hostium improbitas & malitia recenset. Quia semper tenendum est principium illud, quo insolẽtius ruunt homines ad peccandum, propius instare Dei vindictam, quæ eorum furori occurrat. Ergo ex effræni hominum licentia propinquum sibi fore Dei auxiliũ colligit Dauid, quia Dei proprium est superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, Iacobi 4.b.7. Primò affirmat se nõ temere imprecari hostib⁹, quia expertus sit esse iniuriis, vexationibus & molestiis deditos. [F] q.d. Vidi iniquitatem, vidi disceptationes, vidi dissidia, vidi seditiones, vidi odia, & reliquas id genus pestes, quibus tota pene Iudæa infecta est. *In vrbe.* [C] Quidam Hierosolymã intelligunt, alii Celam: sed videtur alio sensu nomen vrbis posuisse Dauid, quòd scilicet passim & in publico regnaret nocendi lædendique audacia. Subest enim tacita inter vrbem & occultos recessus antithesis: acsi dixisset, sine pudore inualuisse rixandi morem, & quotidiano vsu non secus esse receptum ac communes vrbis leges. Etsi verò metropolin regni notari probabile est, vel saltem in qua habitabat Saul, nihil tamen impedit quominus ad totum populi statum cõmuniter hoc extendere liceat. Tenemus tamen quod iam diximus, nomen vrbis indefinitè esse positum: quo ostenderet Dauid nõ setius in publico grassari licentiã peccandi quàm latrones in syluarum latebris homines spoliant. [A] Certè quum improbis nihil non liceat, [M] nullũ aliud remedium est quàm vt Dominũ precemur quo colligationes istas dissipet, & improborum linguam diuidat.

11 *Die ac nocte circundant eam super muros eius, & iniquitas & peruersitas est in medio eius.*

Die ac nocte circundant. [V] Sub. violentia & contentio. [C] Eodẽ pertinet hæc loquutio quo superior. dicit Dauid in muris excubare hæc vitia. Nam quum muris cingantur vrbes vt à rapinis & violentis incursibus tutæ sint, inuersum naturæ ordinem deplorat Dauid, quòd loco munitionum, rixæ & oppressiones vrbem circundent, vel, per circuitum occupent muros. De vocibus און & עמל vide Suprà.31.c.10, & 6.a.1. [L] In summa queritur Dauid hostes esse violentos & contentiosos, iniquos & molestos, versutos, dolosos, & fraudulentos. hoc est, oppressores insontium & turbatores quietorum. idque non aperta solùm vi grassantes, vbi locus est, sed & fraude ac dolo, vbi non vi licet, incautos circumuenientes, quum subinde foris amicitiam simulent. *Et peruersitas est in medio eius.* [V] Vel molestia, vel dolor. Id est, infert dãna, & molestiis afficit innoxios. Siue, Homines quieti & innoxii illic multis molestiis vexantur, & iniquè multas sustinent iniurias. Seipsum exponit sequenti versu.

12 *Prauitates sunt in medio eius, & non recedit è plateæ eius fraus & dolus.*

Prauitates sunt in medio eius. [V] Vel, fraudes, corruptelæ. Alii, Prauitatum. sub. homines. Id est, praui homines illic regnant. *Et non recedit è platea eius fraus & dolus.* [C] Fontem malorũ omniũ hic designat Dauid, prauitates in medio vrbis habitare dicẽs, dolum & fraudem in plateis regnare. Fieri enim non potest, vbi fraudandi cupiditas & improbæ peruersæque artes locũ obtinẽt, quin ad prædandum & rapiendum, ad vexãdos simplices & quietos prosiliant qui se impune id facturos vident. Breuiter politiæ bene compositæ fœdam & detestabilem quæ sub Saule passim erat, ἀταξίαν opponit: acsi diceret, omnem illius iustitiam, omnem ordinem, omne recti honestique studium exulare. Quod siue de vna tantùm vrbe, siue de pluribus dictum sit, posteriori certè loco habendum est, in tam crassas corruptelas fuisse progressos qui se iactabant sacrum Dei populum, vt eorum vrbes essent quasi latronum spoliaria. Interea tenendum est, vrbes ita vitiatas, & prauis moribus imbutas, non solùm imprecatione Dauidis, sed Spiritus sancti iudicio in æternum exitium deuoueri. [M] Quod etiam continui gemitus, suspiria & vota piorum & oppressorum, quæ quotidie ad Dominum in cœlos conscendunt, satis clamant & testantur. [A] Væ igitur talis ciuitatis ciuibus, in qua improbi omnia agũt pro libidine, & nemo est qui eorum audaciam & temeritatem coerceat.

13 *Neque enim inimicus probris affecit me: nam sustinuissem. non aduersarius magnificatus est super me: absconditissem enim me ab eo.*

Neque enim inimicus. [V] Vel, Certè non inimicus. *Probris affecit me.* Vel, opprobrio me affecit. Futurũ Hebr. pro præterito. [C] Exaggerat Propheta iniuriæ atrocitatem, eo quòd non solùm professi hostes molesti essent, sed etiam fucati & perfidi amici. crescit enim indignitas, vbi perniciem nobis moliuntur qui iuuare debuerant. [F] Videtur peculiariter queri de quopiam quem habuit inter primarios amicos & secretorum suorum consciũ. [C] Nisi fortè quis ad plures extendere hoc malit: sicuti facilè conuincere licet non vnum duntaxat fuisse fœdifragum, sed vt quisque honore pollebat, ne regis gratiam amitteret, sancto Prophetæ fuisse infestum. Nihil ergo impedit quominus primarios ex regia cohorte vnà cum capite suo hic compellet. *Nam sustinuissem.* [C] Quidam hoc ita accipiunt acsi diceret Dauid se patienter laturum fuisse si probrum intulisset apertus hostis: sed potius conqueritur quod sibi ab occultis insidiis cauere non potuerit. Expendenda enim est repetitio, Tulissẽ, vel abscondissem me, vel declinassem. Ferre igitur hoc loco, non tolerare significat, sed potius ictum eleuãdo repellere: quod Gallicè dicimus, i'eusse soustenu le coup. Nam quũ ad cauendos hostes intenti sumus, perfidi homines facilius penetrant, simulatæ amicitiæ prætextu. Dicit igitur nõ fuisse hostem cuius ictum excipere poteras vel sustinere: non fuisse aduersarium à cuius noxa deflectere poteras. *Non aduersarius magnificatus est super me.* [C] Sunt qui magnificandi verbum accipiũt pro verbis insultare, sed tantundem hic valet ac violenter se efferre, vel exurgere contra aliquem, nocendi causa. Conqueritur in summa Dauid se clãdestinis artibus fuisse oppressum, quibus nullam defensionem opponere potuit. Vbi autem videmus Dauidem non modò fuisse vi aperta oppugnatum, sed etiam malitiosè proditũ ab amicis, in eius persona nobis depingitur piorum omnium conditio, vt quisque nostrum ad subeundum hoc duplex certamen paratus sit. Non enim gladiis tantùm & cædibus Ecclesiam Dei Satan infestat, sed subornat etiam hostes domesticos, qui eam per insidias & fraudes adoriantur. Quod genus hostium (vt dicit Bernardus) neque fugere neque fugare datur. *Abscondissem enim me ab eo.* [F] Q.d. Si is qui mihi palam aduersabatur, & de quo, quòd meus esset hostis, nemo non nouerat, quidpiam mali in me esset machinatus, tanquam præuisum hostem & apertum facilè vitassem.

14 *Sed tu homo secundum ordinem meum, dux meus & familiaris meus.*

Sed tu homo secundum ordinem meum. [V] Quidam vertunt Iuxta æstimationem meam id est, quantum ego iudicare potui. Alii, iuxta pretium meum. Id est, quem in tanto pretio habebam atque me haberi cupio. [F] Verùm hoc optimè quadrat, quòd Dauid queratur mutuæ societatis vinculum, quo Deus homines inter se copulat, fuisse abruptum. Sicuti enim eadem statio milites in castris cõsociat: ita in omnibus vitæ partibus æquũ est vt necessitudo & communis vsus, commune etiam officiũ amicitiam inter homines conciliet. Ergo quum ad munus aliquod duo simul vocantur, Deus eos quasi suis auspiciis coniungit vt fraternè mutuò se iuuent. Crimen ergo proditoris hac circũstãtia auget Dauid. *Dux meus.* [V] Aut præceptor meus, vel magister. Hoc autem dicitur non quòd hic proditor fuerit magister Dauidis, sed magister cum ipso. q.d. Debebat mecũ lucere in populo Dei. *Et familiaris meus.* [V] Vel, notus meus. Id est, cum quo magna erat mihi familiaritas ac necessitudo.

15 *Qui simul suauiter communicabamus secretum, in domo Dei ambulabamus in societate.*

Qui simul suauiter communicabamus secretum. [V] Vel, fruebamur secreto. Ad verbum, dulcescere faciebamus secretum. Id est, cum summa animi voluptate de rebus nostris consilium inibamus. Quidam vertunt, Dulce erat secreta cõmunicare. [M] Ita comparatum est ingenium piorum vt sint humani, mites, charitatis affectu præditi, fidi & fidem facilè præbẽtes, omnia bona credentes & sperantes, dum iuxta suum ingenium metiuntur & alios. [A] Is autem amicitiæ præcipuus fructus est, habere

cum quo omnia audeas sic loqui vt tecum. Et poscit hoc vera amicitia vt amicus amicum nihil celet. habent namque, iuxta vulgatum prouerbium, communia omnia, & est amicus alter idem. *In domo Dei ambulabamus.* Significat his verbis quòd nõ tantùm in rebus profanis coniunctè adeo cum illo vixerat, sed etiam diuinis, quia dum domum Dei vel e a Lege (præcipuis illis tribus festis, de quibus Exodi 23.d.17) vel alias ex studio religionis priuato peteret, illi se potissimũ adiũgebat: vt quotiens de diuinis rebus, de quibus in eo itinere commentandũ erat, mutuè cum fructu verba faceret. *In societate.* Id est, coniunctim & simul. Quidam vertunt In strepitu. quia fieri non potest, quum magna turba hominum concursat, quin tumultuetur & edat magnum strepitum. Sed verbũ Hebræum רגש Ragbes societatem hoc loco potius significat, (acsi diceret se huic perfido amico fuisse perpetuũ comitem) quàm ad turbæ strepitum referri debeat. Conqueritur enim Dauid, sicuti iam dictum est, proditum se fuisse ab eo homine, quo non solùm in terrenis negotiis sed etiam in Dei cultu, socio atque etiam magistro vsus fuerat: quum tamen religio sacratissimum sit humanæ coniunctionis vinculum. Non poterat igitur illum magis amico animo complecti, & colere honorificentius. Interea sciamus damnari à Spiritu sancto eos omnes qui sacra naturæ fœdera violant quibus erant inter se deuincti. Quædã est totius humani generis societas: sed quo quisque propius ad nos accedit, eo sanctiore vinculo nobis est coniunctus. Nã principium quod profanis hominibus incognitum fuit, nobis tenendum est, non fortuitò sed Dei prouidentia fieri vt vicinitas, cognatio, vocatio communis homines ipsos inter se consociet. Sacratissimum autem est pietatis fœdus, & arctissimum inter homines vinculum. Cæterùm videmus hoc exemplo, quàm & sanctis, dum pios amicos diligunt, dum amicitiam sanctè custodiunt, nihilominus imponatur, vt incidant in pessimos & perfidissimos impostores. quod hoc loco Dauidi accidisse deprehendimus. Admonemur ergo, quoniam sine amicitia vitam hanc nostram transigere nequimus, vt pios diligamus, cum quibus nobis primaria in religione societas esse possit, deinde vt amicitiam sanctè colamus: &, si contingat vt fallamur, pro piis improbos nacti, satius esse putemus hoc pacto delegisse amicos, & amicitiam inculpatè custodiuisse, ac sic demum falli: quã si apertè improbos deligamus, per quos postea nostro nobis vitio imponatur. Nam hoc pacto eandem feremus sortem cum Dauide, & sanctis omnibus: altero verò, cum reprobis dignas pœnas neglectæ pietatis dabimus. Postremò notandum quòd perfidus hic amicus, quisquis fuerit, typum prætulit Iudæ proditoris, & omnium qui cum sanctis agunt perfidè.

16 *Exigat debitum mors ab eis, descendant [in] infernum viuẽtes: quia mala sunt in societate eorum, in medio eorum.*

Exigat debitum mors ab eis. Vel, irruat mors super eos. Coacta est quorundam versio quæ habet, Exactricem constituat Deus mortem aduersus illos. quemadmodum & illa, Condemnet illos mors. Imprecatio est vel Prophetia, in qua Dauid contra totam factionem inuehitur: neque tamen promiscuè sub hac imprecatione totum populum inuoluit, sed duces vel antesignanos, qui nulla de causa scelestè eum persequebantur. *Descendant in infernum viuentes.* Vel, descendant in sepulchrum viui. Quum Dauid ob immeritas in se paratas insidias à proditoribus & perfidis amicis maiorem in modum affligeretur, tetrique indignitatem versaret in animo, volens tum illis tum futuris eiusdẽ perfidiæ posteris diuinam prædicere vltionem, illum memorabilem simul & horrendum terræ hiatum, quo Dathan & Abiron vnà cum tabernaculis rebúsque suis, liberis quoq. & vxoribus, absorpti sunt, in medium quasi aliud agens, adducit, Et descenderunt (inquit Moses) viui in infernũ operti humo, Numer.16.c.33. Hæc nimirum vltio est ac mulcta ab antiquis illis seculis decreta seditiosis & murmurantibus in Mosen & Aharon. id est, in Dei religionis & cultus studiosos. Sepeliantur (inquit) viui, funditusque intereant. Videtur etiam Dauid idem subitum & inopinatum mortis genus ponere, quia sua opulentia tutos se à morte fore putabant: acsi diceret, Domine, quoniam sua potentia excæcati non amplius reputant se esse ex ordine mortalium, fac vt terra viuos deglutiat: hoc est, nequid impediat quo minus ad pœnam qua digni sunt, cum suo fastu trahantur. Sic Apostolus de impiorum subito & horrendo interitu loquẽs dicit, Quum dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient, 1.Thess.5.a.3. Sed notandum hic est quod alibi diximus, Dauidem non ita hostibus suis fuisse imprecatum cæco vel prauo affectu: quia non priuatam sed Dei causam agebat, & moderatorem habebat illius Spiritum. Non fuit igitur votum hoc vel turbidi & inconsiderati zeli, vel iracundiæ: nequis sibi exemplo Dauidis licere putet, simulac læsus fuerit, diras & maledictiones euomere. quia si nos agat vindictæ cupiditas, peperã sanctum Prophetam æmulabimur, qui sincero & composito zelo hic Deum vindicem implorat contra reprobos qui iam æterno exitio deuoti erant. *Quia mala sunt in societate eorum.* Vel, quia malitiæ in tabernaculo eorum. Vel, in habitatione. Vel, in cõuenticulis aut congregatione eorum. Causam imprecationis subiicit, Sunt, inquit, planè deplorati: dum conueniunt, malum & perniciosum est quicquid consulunt. Iterum ostendit Dauid in hac causæ redditione non tam in personas hostium suorũ se ferri quàm pœnã denuntiare improbis omnibus qui Dei Ecclesiam iniustis molestiis affligunt. Malitiæ (inquit) in tabernaculis ipsorum. acsi diceret, vbicunque domicilium sibi eligant, illic habitare multas prauitates. Quod postea melius exprimit, dicens residere in medio eorum. quod tantundem valet atque intus ab ipsis foueri, ideóque indiuiduas esse comites, vel in eodem contubernio manere.

17 *Ego autem [ad Deum clamabo, & Iehoua seruabit me.*

Ego autem ad Deum clamabo. Vel, clamabam, & Iehoua seruauit me. Sed futurum tempus in verbis retinere præstat, quia non tam refert quid egerit, quàm seipsum animat & hortatur tam ad precandi studium quàm ad spem & fiduciam. Ergo dum nihil nisi perniciem ab hostibus suis & perfidis amicis expectare posset, iique tum rerum potirentur, consequutus fuit vt Dei contra illos opem imploraret, & sibi successum promitteret, nimirum firma fide in Dei promissiones fretus. *Et Iehouà seruabit me.* Certa persuasione concepta, pollicetur sibi facturum Dominum quæ in animi sui angustia cum pro se, tum contra hostes suos precatus est.

18 *Vespere & mane & meridie loquar, & tumultuabor, & exaudiet vocem meam.*

Vespere & mane & meridie. Hoc versu perseuerantiam sibi expressius iniungit. Neque enim satis erat vno verbo dixisse, orabo: quia idem perfunctoriè faciunt multi qui mox fatiscũt. Primò autem notatur assiduitas, deinde vehemẽtia. Et certa tempora exprimit, (dum mane, vesperum & meridiem nominat,) quæ sanctis ad precandum fuerunt peculiaria. Nam quũ mane & vesperi quotidie sacrificia offerebantur in templo, quisque admonebatur priuatim quoque domi suæ esse orandum. Mediũ tempus aliis sacrificiis destinatum erat. Iam quia sumus æquo tardiores ad orandum, nisi quisque seipsum sollicitet ac vrgeat, præcipuum hoc pietatis officium apud nos frigebit, adeóque obrepet precandi obliuio nisi nos fræno aliquo retineamus. Deus ergo certis horas præfigens, infirmitati nostræ mederi voluit. quæ eadem ratio trãsferri debet ad priuatas preces, sicuti patet ex hoc loco: cui etiam respondet Danielis exemplum. Quanquam autem hodie abolita sunt sacrificia, quia tamen ab ea pigritia quã talibus adminiculis expergefieri olim necesse fuit, non sumus immunes, communis nobis cum Patribus est ratio, vt singuli nostrum certas sibi horas præscribant, quas nõ patiantur sibi elabi absque precibus. *Loquar & tumultuabor.* Quidam per præsens, alii per præteritũ imperfectum reddunt, Loquebar & fremitum edebam. Vel, Clamabam & conquerebar. aut, Precabor & importunus ero, & exaudiet vocem meam. In verbo tumultuãdi notatur feruor (sicuti iam diximus) quod tanquam summæ ægritudinis & valde anxii metus signum posuit Dauid. Neque enim sonitũ vel clamorem edidit nisi quem anxietas animi vel mœstitia extorquebat. Testatur igitur nullos cruciatus vel dolores sibi fore obstaculo quominus suas querimonias ad Deũ dirigat, & spem salutis fixam ac firmam foueat in corde suo: quia certò persuasus sit vota sua à Deo exauditum iri. Nouerat enim sanctus vir ac sæpe expertus fuerat se non frustra spes suas in Deo collocasse, verissimúmque esse quod alibi dixit, Beati omnes qui sperant in eo, Supra, 2.d.12.

19 *Redemit in pacem animam meam à bello [quod erat] contra me: quoniam in multis fuerunt mecum.*

Redemit in pacem animam meam. Hebraismus, pro Eripuit me à prælio, & restituit mihi pacem. Postquam Dauid narrauit suas preces, profectum quoque addit, vt pro liberatione gratias agat. Dicit autem redemptam fuisse animã suam, vt melius exprimat quàm graue fuerit periculum à quo ereptus sit. acsi diceret fuisse prælium capitale, nec sese potuisse effugere mortẽ nisi Dei manu & auxilio. *Quoniam in multis fuerũt mecum.* Quidã de Angelis hoc exponunt, quasi Dauid eos ostẽderit per quos se a prælio Dominus liberaturus esset, pacémque redditurus: nẽpe per Angelos, quos plurimos à suis partibus cõtra hostes haberet. vt sit simile illi quod Elisæus puero suo trepidãti dicebat, viso accessu hostiũ, Plures sũt à nobis quã

ab illis, 1. Reg. 6. c. 16. [a] Et certè scimus Angelos turmatim pro nobis pugnare, vt castra locent in circuitu timentiũ Deum, Suprà 34. b. 8. Vnde etiam hic sensus doctrinam continet plenam consolationis: quòd Deus, (licet alienis subsidiis non indigeat) infirmitatis tamen nostræ causa multis adiutoribus ad salutem nostram vtatur. Alii ad hostes referre malunt, ac secũdum eos particula Mecum tantundem valet ac Cõtra me. Ita cõfirmatio esset redemptionis de qua nuper loquutus est, quòd ingenti hostium turba obsessus, nonnisi admirabili Dei gratia saluus euaserit. Itaque Dauid hostium multitudinem commemorans, liberatricem potentiam magis inde extollit. Sunt qui literam ב vt sæpe aliàs superuacuam esse putant, ac si Dauid dixisset simpliciter, Multi fuerunt mecum. [a] Prima expositio certior est.

20 *Audiet Deus, & affliget eos, (& qui sedet ab initio) Selah. quia non sunt mutationes, nec timent Deum.*

Audiet Deus, & affliget. [a] Rursus victoriam de hostibus Dauid sibi firma fide pollicetur. Deus (inquit) audiet, vel exaudiet, nempe orationem meam, vel, me orãtem. *Et affliget eos.* [c] Quia verbum ענה testificari interdum significat, hic quidam accipiunt, Deus ex aduerso testis contra eos exurget. Sed dubium non est quin Dauid verbum hoc posuerit pro affligere, in ambiguitate tamen quasi ironicè ludens. Nam vt plurimum ענה Hebræis significat respõdere. Dixerat autẽ, audiet Deus (quod ad suam personam haud dubiè refert,) nunc addit se fuisse exauditum, vt Deus vindex exurgeret in hostibus eius affligendis. *Et qui sedet ab initio.* [v] Vel, qui manet ab initio. Sunt qui vertunt Et in Nam, vel Quia. Non frustra hoc epitheto ornatur hic Deus. nam quum res in mundo confusæ sunt, putamus nullum amplius Deum esse in cœlo, aut ad tempus quiescere, dum hic tumultuantur homines, causas ignorantes. Vnde enim tantus impatientiæ feruor qui nos præcipitat, nisi quia ad Dei æternitatem mentes non attollimus? Atqui nihil magis peruersum quàm mortales homines, qui singulis momẽtis instar vmbræ diffluunt, Deum sensu suo metiri quia hoc modo eum ab æterno solio detractum variis mundi inclinationibus subiiciunt. *Selah.* [s] Hæc particula monet, id quod de Deo dictum est, diligenter in rebus aduersis perpẽsum, præcipuam Dauidi attulisse consolationem: quemadmodum ex eo non parum solatii omnes piæ mentes sentiunt in rebus turbulentis ac confusis. *Quia non sunt mutationes.* [v] Quidam hoc ad Deum referunt, qui non mutetur à proposito malos vlciscendi. Sed magis quadrat in hostes. [a] quanquam hic quoque variant interpretes. Quidam enim exponunt, Nam non sunt mutationes ipsis, id est, non est spes illos mutatum iri: obstinati sunt in malitia, perdita est eorum obstinatio. Adeóque sunt addicti suæ malitiæ vt ad pœnitentiam sint inflexibiles, ac natiua quadã crudelitas eos occupet, ne ad misericordiam vel humanitatem vnquam inclinent. Alii interpretantur, Non sunt illis mutationes, id est, prosperè semper habẽt, non videntur vllis incommodis esse subiecti. [c] Tanta verò Dei indulgentia Dauid eos corrumpi dicit vt omnem metũ exuant, ac si immunes forent ab omnium hominum sorte. Hoc modo copula Hebraica illationem valebit. Non sunt mutationes, ideoque non timent Deũ. Et certè quo diutius torpent in suis deliciis, in malitia quoque magis obdurescunt: & vbi dominatur superbia, quandiu Dominus nobis parcit, non reuocamus in memoriam nos esse homines. Oblique verò perstringit eorum amentiam qui se imaginantur quasi semideos, quia rebus aduersis non subiaceant vt reliqui. Quantulum enim humanæ vitæ curriculum est si ad æternam Dei sessionem cõferatur? Sedulò igitur cauendum ne rebus prosperis obrepat nobis securitas, quæ etiam contra Deum exultet. [v] Alii vertũt, Quibus non sunt excisiones, eodem sensu cum posteriore expositione. Iuxta id quod alibi dicitur, In labore hominum nõ sunt, & cum hominibus non flagellantur, Infrà, 73. a. 5. *Nec timent Deum.* [a] Q. d. Quia non mutatur secunda illorum fortuna, ideo Deum nihil metuunt, arbitrati regi semper ita ex animi sententia succedere. [a] Sic solent impii rebus prosperis abuti, & Dei iudicium ac iram magis ac magis accendere. Qua de re Paulus, Rom. 2. a. 5.

21 *Misit manus suas in paces suas, polluit pactum suum.*

Misit manus suas. [v] Sub. fictus ille amicus. *In paces suas.* [v] Ita Hebraicè. Id est, in eos qui pacifici erant cum eo. Quidam vertũt, in virum pacium suarum, aut, fœderũ suorum. (Sic & Infrà, 109. a. 4, Et ego oratio, pro, vir orationis) id est, adortus est virum quicum in tranquillitate summa viuebat. Alii vertunt eodem sensu, In pacificos suos. [c] Quoniam Dauid paulopost in plurali numero loquetur, probabile est, antequam ad turbã descendat, perstringere authorem & caput impiæ cõspirationis. Obiicit autem quòd bellum intulerit in media pace, atque hoc modo fidem violauerit. Quibus verbis eũ perfidiæ accusat, quòd neque lacessitus iniuria, neque bello legitimè indicto, vim & arma ex inopinato intentauerit. Longè enim sceleratior est qui fœderatos suos sine causa adoritur quàm qui suas iniurias apertè & ingenuè vindicat. [c] Dicit ergo Dauid, Misit manus suas in paces suas. Id est, in familiares suos, in amicos, in eiusdem professionis viros impudẽtissimè manum iniecit, fidémque datam turpissimè fœdauit. *Polluit pactum suum.* [v] Vel, violauit fœdus suum. [c] Q. d. Iniecit manum violentã in eum cum quo pacem simulauerat, amicitiæ vinculo turpiter rupto.

22 *Lenia præ butyro verba oris eius, at prælium in corde eius: leniora verba eius oleo, & ipsa sunt gladii.*

Lenia præ butyro verba oris eius. [v] Vel, lenia sunt magis quàm butyrum. [a] Damnata proditoris perfidia, nunc blanditias notat. [c] Mollé fuit (inquit) supra butyrum os eius, & intimũ cordis eius: leniora fuerunt verba eius supra oleum, & ipsi sunt gladii. [e] Is enim perfidiosorum mos est vt suos ita ad audientiũ animos attemperent sermones, blandéque effingant, vt nihil minus de illis suspicari queas quàm quòd perfidiam machinentur. [c] Sed tametsi nihil præter dulcedinem primo gusto sapiant, occulta tamen virulentia, non secus ac gladio vel spiculis, vulnerãt: vt velut prouerbio dicitur, fallaces homines venenum melle illitum ore gerere: ac crudelitas ex corde manans illic quoque se exerit. *At prælium in corde eius.* [v] Ad verbũ, Et prælium cor eius. Sub. meditatur. *Leniora verba eius oleo.* [v] Vel, dulces sunt sermones eius præ oleo. *Et ipsa sunt gladii.* [v] Vel, Et ipsi sunt homines gladiorum. Id est, quum tamen sint sanguinarii, & studeant me perdere. Quidam subaudiunt sermones. q. d. Ipsi quoque sermones insidiosi, erant gladii. [c] Porro scimus Saulem sæpe blandis verbis omnia fuisse pollicitum, imò adulatum esse Dauidi, vt eum in suas nassas alliceret. nec dubium quin eandem vafritiem sequuti sint aulici. Et certè hoc peculiare certamen filiis Dei, vt illi crebris deceptos astuti hominis conentur in perniciem illaqueare. Sed interea Spiritus sanctus omnes obliquos astus damnans, præsertim fallaces blanditias, eos ad simplicitatem colendam hortatur. [a] Sitis (inquit Christus) simplices sicut columbæ, Matth. 10. b. 16. Vide etiam Philip. 2. b. 15.

23 *Proiice super Iehouam tuum dare, & ipse pascet te: non dabit in seculum nutationem iusto.*

Proiice super Iehouam tuum dare. [c] Vel, donum tuum. Quoniã hæc loquutio quibusdam dura erat & absurda, multi verterũt Proiice super Iehouã onus tuũ, vel pondus tuũ. Pia quidẽ sententia est, curas omnes & molestias, quibus grauamur, in Dei sinum exonerandas esse: quia nullũ ægris animis leuandis aliud remedium est quam si in Dei prouidentiam recumbant. Quia tamen nullum occurrit simile exemplum in Scripturis, & ratio grammaticæ postulat vt יהבך hoc loco vertatur Tuum dare vel Tuum donum, hæc versio retinenda est, quæ vtilem & valde vberem in se doctrinam cõtinet. Siquidẽ dare nostrũ accipimus passiuè pro beneficiis omnib[us] quæ nobis à Deo cõferri expetimus. Huc itaque tendit exhortatio vt curam eorum omnium quæ nobis vsui sunt, Deo resignemus. Neque enim satis est à Deo petere vt necessitatibus nostris succurrat, nisi etiam petitiones nostræ & vota in eius prouidentiam recumbant. quia plerosque videmus tumultuosè precari, & dum sine modo laborant vel soliciti sunt, Deum ad suas leges velle adigere. Quare non frustra Dauid modestiam hanc in precibus commendat, vt fideles eorum quæ postulant curam remittant Deo. Nec enim aliter corrigi potest nimiæ festinationis vitium quàm si Dei arbitrio subiicimus quod nobis cõcedi oporteat. [a] Videtur autem Dauid seipsum compellare, vt aliàs sæpe, vt suo exemplo communem piis omnibus doctrinã præscribat. *Et ipse pascet te.* [v] Vel, suffulciet, vel, sustentabit te. q. d. Ne dubites quin Dominus suppeditare tibi velit ea quæ tibi opus erunt. Pascendi verbo comprehendit Dauid quicquid opus est ad vitam nostram sustinendam. [a] Sic alibi, Iehoua pascit me, non deficiam, Suprà, 23. a. 1. *Non dabit in seculum nutationem iusto.* [v] Vel, non permittet in æternum nutationem iusto. Vel lapsũ, casum. Hebraismus, pro Nõ sinet perpetuò moueri vel labascere iustum. [c] Videmus quidem ad tempus nutare iustos, &, dum agitantur huc & illuc quasi variis procellis, propè labascere: quia autem nihil miserius est quàm inter continuos æstus versari, finem tãdem promittit Dauid, quia Deus passurus non sit vt semper anxietatibus obnoxii sint, vel periculis & curis concutiantur, sed daturus sit tranquillum statum. [a] In hũc sensum Apostolus sic scribit, Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum quo possitis sufferre, 1. Cor. 10. c. 13.

14 *Tu autem descendere facies eos in foueam corruptionis: viri sanguinarij & dolosi non dimidiabūt dies suos. ego autem fidā tibi.*

Tu autem descendere facies eos in foueam corruptionis. [V] Vel, Deduces eos in foueam perditionis. Aut, deiicias (vel, detrudes) eos in foueā sepulchri. vel, in puteū interitus. [C] Iterū ad hostes suos redit, vt discrimen ostēdat inter suū & illorū casū. Nam quū ad tēpus quasi victores exultēt, pii autē iaceāt subiecti sub eorum pedibus, vnū hoc solatiū restat, vt quietē sibi paratā esse confidāt qui trepidātes inter multa discrimina vix in sustinēt: fide etiā speculentur quod hostibus suis impēdet iudiciū. *In foueam corruptionis.* [V] Vel, In puteum sepulchri. Significat Dauid instare suis hostibus non modò cladem tēporalem, sed æternū interitū. [C] Atq; ita eos à fidelibus discernit, qui & ipsi mergūtur sæpe in profundas malorū foueas, ex quibus postea resurgunt: sed lethalem hostiū suorum ruinā Dauid fore pronunciat: quia Deus in sepulchrū eos deiiciet, vbi putrescēt. [?] Et hoc est quod superius dixit, q descēdent in infernū viuentes. Q.d. Illi qui bonos affligūt, amisso veri itineris lumine, in æterna, post breuē hunc fortunæ plausum, detrudentur noctē. [A] sicuti dum viuerent tenebras magis dilexerunt quàm lucem. *Viri sanguinarij.* [S] Prædicit crudeles & sanguinarios præmatura morte rapiendos, [A] & citius quàm putant è medio tollendos. [C] Siquis obiiciat experientiā reclamare; tyrānis enim nihil magis est sanguinarium, qui totū genus humanum pro sua libidine cædibus addicunt: viuere autē tyrannus ad senectutē vsq; qui trecenta hominum millia occiderit. (& tales disertè notat Dauid, non autē vulgares sicarios) responsio facilis est, quamuis nō ita subitò pœnas Deus semper exigat, multis tamē documentis planū fieri quod hic dicitur. Satis autem est tēporales pœnas vt plurimum conspici: nec præcise exigendos est in illis æqualis modus, sicuti Suprà, 37. & 17. fusius disseruimus. Deinde vtcunq; scelerati homines vitam longius producant, agere tamen trepidā & inquietam vitā, vt versentur in vmbra mortis, & propriè loquendo vitā minimè viuere. Quum verò omni morte deterior sit vita quæ sic maledicta est à Domino, in rationem venire non meretur: præsertim vbi mala cōscientia suis tormentis, tanquā sæuissimus carnifex, eos excruciat. Et certè si probè reputamus quid sit iustum vitæ cursum peragere, non alii ad metā perueniunt quàm qui Deo viuunt & moriuntur: quia illis solis tam mors quàm vita lucrū est. Atq; hæc valde tēpestiua est consolatio, quoties improbi vel gladio vel fraudibus nos oppugnant, non diu victuros: quia quasi repentino turbine Deus ipsos abripiet: ac discutiet, tanquam nebulas, eorum conatus, quibus videntur totū mundum perdituri. [M] Præterea quæri potest quomodo Dauid sentiat esse plagam Dei, non perducere dies suos ad dimidium, quū magis sit beneficium, si rectè expendatur, citò ex hac miseria liberari, & Deus aliquando suos ob eam causam hinc abripiat, ne malitia immutet intellectum ipsorum. Huic quæstioni sic respōdetur, In piis & miserè afflictis ita habet, quibus duplici nomine bonum est citò ex hac vita migrare, cum vt ex hac miseria liberentur, tum vt hinc ad Deum in veram requiem migrent. In impiis verò ac reprobis bonorum oppressoribus secus habet. nam vita functi non modò suis deliciis (in quibus sitam putabant suam fœlicitatem) omnino priuantur: verumetiam ad æterna supplicia cū diuite epulone eo citius rapiuntur in æternum puniendi. Atque ita sequitur tertium illud, quòd in medio cursu impiorum conatuum moriūtur, imperfectis adhuc machinis & dolis quibus innoxios circumuenire & opprimere conati sunt. iuxta illud, Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam. in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Infrà, 146.a.4. *Ego autem fidam tibi.* [V] Vel, Ego sperabo in te. [C] Hæc clausula admonet, Iudicium cuius meminimus, nonnisi fide & patientia cerni: quia Dauid salutis suæ custodiam in spe reponit. Vnde colligimus, non ita maturè è medio tolli impios quin diuturnis iniuriis ad tædium vsq; nos exerceant. [A] Interea sciamus prosperum statum illorum non diu duraturum, si modò fide & patientia auxiliatricem Dei manum expectauerimus. [M] In summa, hoc pias omnes mentes consoletur, hostes verbi, dum obstinationem induerunt, non tam esse veritatem oppressuros, quàm seipsos perdituros.

ARGVMENTVM PSALMI LVI.

[A] Memorat Dauid vt opem Dei periclitatus apud Achis implorauerit. Queritur de Saulis assentatorúmque ipsius sæuitia, vi ac dolis, [B] atque de successu gloriatur. Fieri tamen potest vt iam defunctus periculo istam gratiarum actionem addiderit.

PRæfecto *super columba muta [in] remotis, ipsius Dauidis Michtham, quum comprehendissent eum Philistini in Gath.*

Præfecto. [V] Vel, Victori. Vide Suprà, 4.a.1. *Super columba muta.* Vel, De columba taciturnitatis in remotis. [A] Quidam initium tritæ cantilenæ fuisse putāt. Aliis placet Dauidē metaphoricè vocari columbā: & certè argumēto cōuenit hoc epitheton. Eodem enī pertinet *in remotis*: quia hostiū furore pulsus in hostilem terram, meritò cōquestus est se procul, velut in desarta loca, eiectū esse. Nam quod quidā palatium vertūt, coactū est. [M] Patientiam verò suā in eo innuit Dauid q non solū se vocat columbam, sed addit mutā. id est, nihil contrà molientem, sed cū silentio ferentē omnia, & fugientē. *Dauidis Michtham.* [V] Hæc vox Hebræis significat aurū: propterea quidā vertunt, Dauidis insigne aureolum. acsi dicat, Psalmū istic cantum ipsum tam pretiosum fuisse Dauidi quàm aurū. Alii volūt specie esse melodiæ, vel musicū instrumentū. *Quum cōprehendissent eū Philistini.* [C] Hæc historia habetur 1.Sam.21.d.11. Nam quū nulla iam in latebris omnibus quies esset, coactus est tandē fugere Dauid ad regem Achis. Quanquā hic se dicit fuisse comprehēsum in itinere: & ex sacra historia idē colligere licet, vbi dicit Achis, Ecce vidistis hominē insanum, vt quid introduxistis eū ad me? Et probabile est fuisse suspectū, acsi esset proditor, vel aliquid machinaretur. Etsi autē mortis discrimen stultitiæ simulatione effugit, hic tamen satis declarat se composita mente constanter inuocasse Deū, vt fides sub illa infirmitate occulta virtutem suā corā Deo exereret. Non fuit igitur talis animi perturbatio quæ illū ad illicita media præcipitē ageret, sed in re desperata astutū consiliū excogitare coegit eū metus, vt vitæ suæ potius quàm dignitati cōsuleret. Quo autē minus enituit eius magnanimitas apud homines, eo magis strenuè cū extetis timorib' intus luctata est eius fides, sicuti ex Psalmo apparet.

2 *Miserere mei Deus: quoniam absorbere me voluit homo, quotidie oppugnans opprimit me.*

Miserere mei Deus. [M] Versus hic continet precationē ad Deum, adiuncta querimonia contra hostiū improbitatē. *Quoniam absorbere me voluit homo.* [V] Præteritum Hebræum, Absorpsit me, vel hausit, aut deglutiuit me. quod nonnulli vertunt per præsens, Absorbet me. aut, Absorbere me conatur. Q.d. Domine, tempus est vt me recipias in tuā tutelam ac fidem: parati sunt enim homines ad me vorandum & deglutiendū. [A] Porro incertum est de externisne hostibus an domesticis loquatur. Certè quū ad regē Achis deductus esset, quasi vnica erat ouis inter duas luporum turmas: quum esset Philistinis capitaliter exosus, nec minus atrociter in eum sæuirent gentiles. Cæterùm, hominem singulari numero dicens indefinitè, conqueritur se nihil inter homines humanitatis reperire. acsi diceret, Domine iam vltima necessitas fidem auxiliúmque tuum flagitat: quia ad me vorandum totus mundus inhiat. Nam statim plurali numero eandem sententiam repetit. [B] Et in verbo absorbendi hyperbola est apta in mortis articulum adducto. *Quotidie oppugnans.* [V] Vel, quotidie bellans. Vel, tota die oppugnans diuexat me. Vel, Iugiter oppugnando coarctat me. [C] Particula quotidie Sauli eiusque factioni optimè conuenit. [A] Et certè is penè absorpserat Dauidem, hoc est, in summum discrimē adduxerat, & quotidie oppugnando ipsum planè obtriuerat.

3 *Absorbere voluerunt me inimici mei omni die: certè multi pugnantes aduersum me, ô excelse.*

Absorbere voluerūt me inimici. [V] Vel, Deuorāt me inimici quotidie. Præteritum Hebræum, Absorpserunt me &c. pro præsenti, Absorbent me hostes mei per singulos dies. aut, iugiter. Vt magis amplificet quod dixerat, eandem sententiam repetit in plurali numero. *Certè multi.* [C] Dauid suam miseriam deplorat, quia magna & potenti hostium multitudine prematur, & oppugnetur summa crudelitate. *O excelse.* [V] Quidam vertūt, Elato animo, referentes ad dictionem pugnantes: nōnulli de Angelis exponunt, acsi eos Dauid è sublimi, nempe cœlo, se propugnare iactarit. [C] sed qui sic locum hunc interpretantur, abrumpunt querimoniam quæ continua est toto versu.

4 *Quo die timebo, ego tibi fidam.*

Quo die timebo. [V] Vel, Die quo timebā, ego te nitebar: aut per præsens, Quo die metu corripior, fiduciam ego meā in te colloco. Alii, Licet per diem timerem, tamē in te sperabam. [B] Canit vnde animū suum firmarit, die quo timore percellebatur. Domino nitebatur, & promissionis eius sibi per Samuelem factæ recordabatur. [C] Confitetur ergo infirmitatem suam quum timoris meminit, sed cum exceptione quòd tamen non succubuerit timori. Quantumuis enim angerent eum pericula, negat tamē spem sibi fuisse excussam. Non iactat ergo heroicam animi altitudinem, qua securè cōtempserit omnes casus, sed confessus de suo metu se tamen in spe gratiæ Dei persuerasse dicit. Et certè hoc verum est fidei nostræ examen, vbi nos pro sensu carnis timores sollicitant, non tamen exturbant animos nostros è gradu. Videntur quidem timor & spes

magis esse contrarii affectus quàm vt in eodem corde habitent: sed experiētia ostendit verè demum illic spem regnare vbi partem cordis occupat timor. Neque enim tranquillo animi statu spes exercetur, imò quasi sopita est, sed vim suam tunc demum exerit vbi animum curis deiectum erigit, ægritudine turbatum sedat, formidine perculsum sustinet ac fulcit. Ac proinde hæc seria fuit probatio fidei in Dauide, quòd metuens non destitit sperare in Domino: ac periculi magnitudine anxius, animum tamen collegit, quòd Deum liberatorem fore consideret. *Ego tibi fidam.* [V] Q. d. Vtcunque insaniant hostes mei, ego in te sperabo.

5 *In Deo laudabo verbum eius: Deo fidam, non timebo quid faciat caro mihi.*

In Deo laudabo verbum eius. [V] Hebraismus, pro, Deum laudabo propter verbum suum. Quidam vertunt, Gloriabor de verbo eius. Alii, In Deo laudabo: verbum eius. sub. laudabo. Id est, gloriabor in Deo. Vnde enim laus nisi ex gaudio? quum scilicet Deus nos exhilarat: tūc enim eū laudamus, & gratias illi agimus. [C] Non desinam (inquit) gloriari in Deo: quia acquiescā in verbo eius: atque vt palam non iuuet, imo subtrahat manū suam ab ope ferenda, contentus tamen ero vnico eius verbo, [V] nempe quo promisit se nunquam defuturum sui. [M] Hæc sententia memorabilis est, vnde discimus quæ sit fiducia ac spes ritè in Deum collocata. Ea scilicet quæ niti potest certitudine verbi eius. [C] Ad hæc videmus quales sint nostræ deliciæ & morositas, vbi Deus mox votis nostris non respondet. Nam etsi obstrepere non audemus, fremit tamen intus caro, quia præter nudas promissiones nihil appareat. Multum ergo profecit qui inter tentationes vnico Dei verbo fretus viriliter pergit in eius laude. [M] Sunt qui hanc sententiam exponūt de oraculo Dei per Samuelem regni gratia Dauidi facto: nos autem intelligimus in genere de quocunque verbo Dei, quo nobis opem suam pollicetur. *Deo fidam.* [V] Vel, in Deo speraui. [V] Quo magis seipsum ad bene sperandū animet, repetit quod de spe in Deū dixerat. *Non timebo quid faciat.* [A] Iam ostendit Dauid spei quam habebat effectum. [C] Quanquam quod hic dicit, primo intuitu videtur non magni esse momenti. Quis enim tam amens vt hominū vires pluris ad nocendum æstimet, quàm immensam Dei potentiam ad iuuādum? Sed prauæ huius & malignæ diffidentiæ, qua Dei potentiam sub creaturis deiicimus, quisque nostrum sibi idoneus est testis. Itaque non vulgarē fidei profectum hic expressit Dauid, se ad spernendas hostium minas fortitudine instructum dicens. Atque hoc certaminis genere præcipuè se exercere debent pii omnes, vt Dei auxilium noxiis omnibus præferendo, quicquid terroris est despiciant. Simulatque in nos insiliunt hostes, veniat nobis in mētem, eorum impetus contra Deum ipsum irruere, acsi eo superiores esse contenderent. [M] Videmus ergo hoc loco quanta sit securitas eorum qui fiducia in Deum per eius verbū suffulti sunt. Certi de protectione diuina, conferunt hostium imbecillitatem potentiæ Dei, & inueniunt ridiculos esse impiorum conatus. [C] Sed quæritur quomodo omnem infirmitatem sic repente exuerit Dauid, vt qui nuper mortem horrebat, nūc intrepidè hostibus suis insultet. Responsio facilis est, hac fiducia non notari vacuitatem timoris, acsi extra telorum iactū positus, suauiter rideret omnia discrimina: sed quia adeo timori non cedebat vt victor emergeret, ac exposito spei clypeo metus omnes repellens, munitus esset certa salute, meritò sancta iactantia efferri, In Deo sperans non timebo. *Caro.* [C] Cōtemptim homines carnem appellat, vt se de stulta eorum audacia cōmonefaciat, dum sui obliti tam multa moliri non dubitant. [M] q. d. Quanam ratione metuerem, quum hostes mei caro sint, & protector meus, spiritus omnipotens? In hunc modum Propheta dicit, Ægyptus homo est, & nō Deus: equi eius, caro, & nō spiritus, Esa. 31. b. 3. Item, Recordatus est quòd caro sunt, Infrà, 78. d. 39. [A] Discamus hinc in periculis, Dei promissiones diligēter excutere & perpēdere: inde vt fiducia in Deum accipiet incremētum, ita omnis ab hominibus formido pulchrè euanescet.

6 *Tota die verba mea dolore afficiunt [me:] aduersum me sunt omnes cogitationes eorum in malum.*

Tota die verba mea. [V] Hebraismus, Res meæ, siue negotia mea, me fatigāt. Subaudiendum est pronomen, Alii vertunt, Quotidie hostes mei verba mea (sermones meos) conturbant, vel molesta reddunt. Alii, Quotidie hostes mei conturbant (molestia afficiūt) propter sermones meos. [C] Sed optimè fluit hæc loquutio, Verba mea me afficiunt mœrore. Est autem duplex querimonia, quòd Dauid ab vna parte nihil reperiat solatii, infœliciter etiā omnia sibi cadere videat, tristiq; exitu euerti sua cōsilia: ex opposito sorē conspirent hostes ad eū perdendum, variásq; insidias machinētur. Videtur quidē hoc primo intuitu minimè consentaneū, quòd nuper se à metu liberū & solutum fore professus, nūc seipsum sibi tristitiæ authorē esse dicat. Sed iam admonuimus, quāuis hostes suos despiceret ex fidei specula, nō tamē extra anxietatē fuisse & metū. Hic autē de tētationib⁹ suis loquitur, quas fidei cōstantia vincebat, nō tollebat. Dicit ergo se ratione & cōsilio destitui, quia incōmodè cedit quicquid concipit vel deliberat. [V] Q. d. Quicquid volo, quicquid instituo & loquor, hoc totū mihi in tristitiā vertitur.

7 *Congregantur, delitescunt, ipsi vestigia mea obseruant, quia expectant animam meam.*

Congregantur delitescunt. [V] Futurum Hebræū pro præsenti, Simul ipsi mouentur & delitescūt. Alii, Conuenerūt, Contēplati sunt. Alii, Conspirant & insidiantur. [E] Hostium nequitiam his verbis exaggerat, quòd non essent capita inter se conferre, & excudere varias artes in eius perniciem. Hoc autem notat verbū congregādi. Nam cū vno aut altero habere negotiū, tolerabile vtcunq; esset: oppugnari verò vnū hominē a turba & exercitu, nimis durū. [A] Sic alibi queritur, Iehoua quàm multiplicati sunt hostes mei, quàm multi insurgūt aduersum me, Suprà, 3. a. 2. *Delitescūt.* [V] Vel, occultāt se. [E] Perstringit hoc verbo hostiū astutias, vel clancularias artes quibus studebant ex inopinato incautum opprimere. *Ipsi vestigia mea obseruant.* [V] Vel, calcanea mea obseruant. [E] q. d. Quocunq; me vertam, illi acriter instāt, & quodammodo talos premūt, vt nulla sit relaxatio. *Quia expectant animam meam.* [V] Vel, Dum expectant animam meā, Sicut (vel quum) expectant animā meam. Alii, Quo pacto capiant animam meā. Nōnulli, Quemadmodū expectauerūt animam meā. [A] Sed prima versio quam sequuti sumus, potior est. nam Dauid eorū quæ dicta sunt [E] causam esse affirmat implacabile odium: quia satiari aliter quàm eius morte nequeant. [A] Nam in hoc idem idē conueniebant, & insidias ipsi diligētissimè struebant, semper in hoc inhiantes vt animam eius perderent.

8 *Propter iniquitatem euasio eis. in ira populos deiicies Deus.*

Propter iniquitatem euasio eis. [E] Sunt qui interrogatiuè efferunt, An erit eis euasio in prauitate? [V] Hoc est, Quis peccauerūt, seruabit eos? Aut sine interrogatione, Spem euadendi collocāt in versutia. [C] Sed quia nulla necessitas cogit sensum remotū accersere, præstat sumere verba vt sonāt, Quamuis illis euasio sit in prauitate, tu populos tamen deiicies ô Deus. Hoc autem ideo dicit quia vbi impotenter & sine obstaculo grassati sunt in suis maleficiis impii, quasi licentiam nacti lasciuiunt: sicut videmus hodie cyclopica audacia profanos homines inflari, quia sibi videntur esse extra Dei manum. Nec verò impunitatem sibi tantùm promittunt, sed spes & opes suas locāt in maleficiis: & quo audacius & furiosius ruere pergent, putant omnibus incommodis sibi paratum esse remedium. *In ira populos deiicies Deus.* [V] Q. d. Quamuis ita statuāt, & sibi persuadeāt posse se effugere malè agendo, hoc tamen nihil impediet quominus exerceas in eos tuum iudicium. [C] Nam vbi maturum aduenerit vindictæ tēpus, tu Deus populos prosternes. Plurali autem numero vtitur confirmandi animi sui causa, quia difficile erat non expauescere ad tātam hostium turbam. Quoties ergo nos obruent hostium copiæ, veniat nobis in mētem, propriū esse Dei munus non vnū hominem duntaxat vel paucos, nō populū modò vnū, sed totum mundū deiicere. Nonnulli legūt, In ira populos deiice Deus. sed præstat futurū verbi tēpus retinere.

9 *Fugam meam tu in numerato habes: pone lachrymas meas in vtre tuo. certè in libro tuo sunt.*

Fugam meam tu in numerato habes. [V] Vel, migrationes meas numerasti. Vel, vagationem meam, fugas meas. Ad verbū, motionem meā. Singulare pro plurali. [C] Quo Dauid se miserabilem faciat, fugam suam dicit numeratam esse Deo, quia longo iam tēpore vagus & profugus errare nō destiterat. Nec de vna tantùm fuga loquitur, sed mutatio est numeri. Quanquam videtur magis emphaticè numero singulari totam vitam suā erraticam notare, acsi vocaret continuā peregrinationē. q. d. Tu scis Domine quàm multis annis sum vagus homo & profugus, nec vsquam datur mihi quies. *Pone lachrymas meas in vtre tuo.* [E] Elegāti metaphora vtitur David dum orat lachrymas suas poni in vtre Dei, quo repositas & seruatas in illo glorietur est. Vt enim illi vtribus vinū conseruabant (vnde in Euāgelio de nouis & veteribus vtribus, Mat. 9. b. 17, & Ios. 9. b. 13. de vtribus fatiscētibus Gabaonitarū:) ita versimile est vtribus & coriaceis lagunculis alios quoque pretiosiores liquores seruare solitos. [E] Itaq; sensus est, Ne patiatur Deus lachrymas Dauidis in terram excidere, sed fideli custodia tanquam pretiosas conseruet. *Certè in libro tuo sunt.* [V] Vel, Annon in commentario tuo sunt? [C] David se ad sperandam salutem hac consolatione munit, quòd omnes suæ lachrymæ in Dei commētario descriptæ sint: quia scilicet earū memoria corā Deo nō deleatur. [M] Porro argumētum hoc curæ ac prouidentiæ Dei cū primis in hoc Psalmo notandū est, in quo videmus quàm nos suorū Deus in numerato habeat, nec quicquā extra illius curā & prouidentiā ipsis acci-

dat. [c] Quemadmodum etiam Christus docet capillus capitis nostri numeratus esse coram Deo, Matth.10.c.30. [d] Non dicit Dauid simpliciter, Tu nosti fugas meas & lachrymas meas, sed, Fugas meas tu in numerato habes, & lachrymas meas colligis, & ponis in vtrem tuum, conscribisque earum numerum in librum tuum. Loquitur pro more humano. nam hominibus id moris est vt quæ diligenter curare volunt, in numerum collocent: quæ pretiosa putant & chara habent, colligant, & in vasculis reponant: & quæ memoriæ mandare volũt, literis mãdent. Itaquũ vellet pro fide sua dicere fugas suas & lachrymas (quibus cõplectitur vniuersam suam calamitatẽ) curæ Dei summopere commẽdatas esse, dixit, Fug. m. tu num. [a] Quæ omnia afflictis fidelibus non vulgarem cõsolationem adferunt. [c] Nam si piorum lachrymis Deus tantum honoris defert vt eas vtre suo recõdat, certè multo minus sinet effluere sanguinem, quin singulas eius guttas numeret. [a] Siquidem pretiosa in oculis Iehouæ mors misericordium eius, Infrà, 116. b.15. [c] Ossa ipsa & carnem exurant tyranni, sanguis tamen semper manebit superstes ad clamandam vindictam: quia nulla ætas delebit quod Deus in sua memoria descriptũ habet. [d] Postremò notandum quomodo non solùm locum habeant apud sanctos timor, fuga, lachrymæ, clamor: sed Deo quoq; vsqueadeo non displiceant ista in sanctis, vt ea summa prouidentia numeret, colligat, & in librum suum conscribat. quum tamen hæc omnia nihil aliud exprimant quàm ipsissimam carnis infirmitatem, quam fides perpetuò circa se, quasi quãdam itineris comitẽ, habet, ita disponente causam & salutem sanctorum Domino, ne in animi elationem, si istis essent liberati, incidãt.

10 *Tunc vertentur inimici mei retrorsum, die qua clamauero: hoc noui quòd Deus pro me [est.]*

Tunc vertentur inimici mei. [a] Iam roborata fiducia Dauid prædicit hostes suos repellendos, & infecta re retrocessuros. [c] Imo quasi in re præsenti articulum temporis designat quo veriẽdi sint inimici sui retrorsum. [v] Nam particula tunc notare voluit opportunum tempus quod Deus præuiderat apud se: interea tribuit hoc precibus suis, acsi diceret, Dominus quidem non ita festinat quemadmodum ego cuperem, nec eodem momento hostes meos dissipat quo precatus sum: sed tamen preces meæ non erunt irritæ. ex quo enim inuocaui exauditus sum, atque ita fit vt inimici mei retrorsum vertãtur. Sunt qui pro Tunc legunt Quoties, & præsens pro futuro, sic, Quoties inuoco, hostes mei retrocedunt: in hoc certò scio quòd, &c. *Hoc noui quòd Deus pro me est.* [v] Ad verbum, Mihi. sub. fauet. Alii simpliciter subaudiunt Est. Alii vertũt, Mecum est. Alii istam clausulam sic transferunt, In hoc cognoscam quòd Deus pro me est. Vel, à parte mea stat. [c] Continet autẽ hic locus vtilem doctrinam: quia Dauid vt impetret quod postulat, non fortuitò vel dubitanter se orare dicit, sed afferre certam persuasionem quòd Deus vota sua propitius exaudiet. Porro hac fide concepta spernere non dubitat quicquid Satan cum omnibus impiis tentabit. [d] Præterea quum dicit Dauid, Hoc scio quoniam mihi Deus est, hinc discimus quid sit habere Deũ, nempe habere protectorem. Qui credit se Deum habere, ex ea fide colligit quam certissime & suam liberationem & hostium casum. Rursus qui sentit auxilium erga se Dei, & aduersariorum interitum, experimentum habet, esse sibi Deum.

11 *In Deo laudabo verbum [eius,] in Iehoua laudabo verbum.*

In Deo laudabo verbum. [a] Nondum expertus Dei opem, nec adhuc votorum suorum compos factus, ex eo tamen quòd Dei promissionibus fortiter nixus, certa spe hanc opem expectaret, iactat ad eundem modum se verbum cum Dei laude memoraturum, atque de eo gloriaturum. [c] Repetitio verò non parum habet vehementiæ: acsi dictũ esset, Quamuis Deus gratiæ suæ manifestationem differat, vt videri possit, nihil præstans, inanibus verbis Dauidem iactare: non tamen defectum iri sancti viri animum quin semper glorietur in Dei verbo. Et certè hoc est subscribere quòd Deus sit verax, vbi ablato bonitatis & potentiæ eius sensu, verbo solidam gloriam tribuere non desinimus, Ioh.3.d.33. Ad hanc meditationem se assuefaciant fideles, vt inter tẽtationes firmam gloriam retineant, nudo verbo contenti. Nam etsi Deus illis multiplicem gloriandi materiam subinde in suis beneficiis suppeditat, vix tamen vnquam tres passus conficere licebit nisi in solum verbũ recũbere didicerint. *In Iehoua laudabo verbum.* [v] Iste versus cum sequẽti eandem sententiam habet quam proxime præcedens.

12 *Deo fido, non timebo quid faciat homo mihi.*

Deo fido. [v] Vel, In Deo speraui. [a] Ostẽdit hac repetitione se sic Deo nixum esse vt nihil formidinis ab homine admissurus sit. [c] Itaq; cum Dauide assiduè meditemur hanc doctrinam, quicquid intentent homines, quibuscunque polleant consiliis, aut viribus, quocunque apparatu sint instructi, si eos conferimus cum Deo, nõ esse cur terreamur, quia euanescet quicquid alioqui in illis terribile est. *Quid faciat mihi homo.* [a] Quem nunc hominem vocat, carnem versu huius Psalmi quinto cõtemptim appellauerat, vt doceret securè despiciendum esse quicquid protegente Deo aduersus nos insurgit.

13 *Super me Deus sunt vota tua, reddam laudes tibi.*

Super me Deus sunt vota tua. [d] Nunc gratiarum actionem pro liberatione pollicetur. [v] Est autem Hebraismus, Super me, vel, in me sunt vota tua, pro Mea interest reddere tibi vota, nẽpe vt te laudem. laudo igitur. Sunt qui Hebraismum sic reddunt, Vota nũcupabo tibi ò Deus. [c] Vel dicit vota Dei esse super se, quia ad ea reddenda obstrictus sit: sicuti Latini dicunt votis se damnatos dum adepti sunt quod sub votis nũcupatione petiuerant. Contrahitur enim obligatio vbi polliciti sumus nos gratos fore, Deus autem precibus nostris annuit. Vota autẽ Dei intellige acsi dicam pecuniam quæ in manu mea est esse creditoris, quia ipse quoq; sum in eius ære. Dauid ergo liberatus salutem hanc à Deo profectã fatetur: ideóque votis quæ conceperat se oneratũ dicit: quia conditio iam impleta erat. Nam quia iam discrimen euaserat quum Psalmum hũc composuit, probabile est successu eductum attexuisse hãc gratiarũ actionem. Interea tenendum est, in mediis afflictionibus ea semper fiducia animatũ fuisse vt paratus & accinctus esset ad gratias agendas. [d] Dicit igitur, Super me Deus sunt vota tua. Hoc est, Officii mei est, concernit me, hoc agnosco me tibi debere, vt quæ tibi voui, reddam. Vel omnium simplicissimè, dicit se habere vota super se, id est vota Domino fecisse. Sic de quatuor viris legimus habentibus super se votum, Act.21.d.23. *Reddam laudes tibi.* [v] Vel, rependam, soluam. [c] Hinc patet de quibus votis loquatur Dauid. Quod ideo notãdum est nequis, cũ Papistis, vota quælibet probari imaginetur. Dicit enim se redditurum laudes, vel laudum sacrificia. Nam hoc nomen quãuis laudes significet, ad sacrificia tamen (quatenus earum symbola erãt) transfertur. Sciebat quidem Dauid Deũ sacrificia neque præcisè & per se exigere, neq; morari, sed quis Legi subiectus negligere sacras cæremonias non debuit, quæ toti populo mandatæ erant, verisimile est de solenni testimonio loqui, quale solebant reddere fideles quum insigni aliquo Dei beneficio affecti essent. [d] Sicuti omnino iustum est gratos nos esse Deo pro acceptis ex eius paterna manu beneficiis.

14 *Quoniam eripuisti animam meam à morte: nónne & pedes meos à præcipitio, vt ambulem coram Deo in luce viuorum?*

Quoniam eripuisti. [a] Causam horum votorum canit hoc versu, quoniam scilicet sẽ Deus à præsentissimo in quo erat periculo, à Philistæis comprehensus, ac aliis omnibus liberasset, & daturus esset vt coram ipso in omni iustitia & fœlicitate, tanquam in ipso Dei præsentis, tuentis, omnémq; fœlicitatẽ suppeditantis conspectu, vita ab aura frueretur. *Animam meam à morte.* [d] Affirmat se vitam suã Deo acceptam ferre, quia perierat nisi mirabiliter seruatus foret. Nam quo dubitationẽ eximat, dicit nõ modò se à fraude, malitia, impetu, & gladiis hostiũ fuisse seruatũ, sed ab ipsa morte. [d] quibus verbis innuit periculi in quo constitutus fuerat magnitudinem. *Nónne & pedes meos à præcipitio.* [v] Hebræi interrogatione vtuntur quũ magis affirmare volunt: quod Latinis ineptũ esset, apud quos vno cõtextu dicendum esset, Eripuisti animam meã à morte, pedes meos à præcipitio. [c] Sunt qui vertũt, à lapsu, quũ potius violentum impulsum significet Dauid. acsi diceret, Quum præceps ruerem retentus fui tua manu. In summa, colligit ex periculi magnitudine, se diuinitus fuisse seruatum. Atq; id nobis agendum est, vbi nos eripuit Deus ex aliquo discrimine, vt meminerimus quãtum & quàm formidabile fuerit. Sumus enim in ipsis malis plus satis meticulosi: sed postea simul cum metu euanescit gratiæ Dei memoria. [d] Obseruandum etiã hoc loco quàm nihil ascribat Dauid suæ industriæ, qua per insaniæ simulationẽ ab eo se periculo exemerat de quo hic loquitur, sed totam liberationem vni Deo tribuit. Nec immeritò. nisi enim Deus cor regis Achis direxisset, deinde ipsi Dauidi id cõsilii occulto instinctu dedisset, certè in ipsissimo mortis discrimine constitutus periisset. Est igitur vniuersa nostri liberatio vni Deo adscribẽda, licet mediis quibusdam ad illam perueniamus. Nam & illa ipse, & vt prosperè cedant, solus largitur. *Vt ambulem coram Deo in luce viuorũ.* [c] Ambulare in luce viuorũ nihil aliud est quàm vitali solis luce frui. Sed particula interposita discrimen notat inter fideles, quibus propositum est vitam suam referre ad Deũ, & profanos homines, qui velut fugitiui, licẽtiosẽ oberrant: non quod fugiant Dei oculos, sed quia tergũ ei obuertũt. Vide Gen.5.22, & 17.a.1. *In luce viuorũ.* [v] Id est, inter mortales. Fac, inquit, vt in vitam restituar, siue, vt vita fruar. q.d. vt ego vita fruar & luce, agnoscẽdo me Dei beneficio viuere. [d] Itaq; docemur hoc loco, primò vitã nostrã quòd adhuc sumus in lumine viuentiũ ascribere Deo, qui & nostras animas nõ semel è morte

eripuit: deinde quo referenda sit vita nostra, nempe vt agnoscamus nos ob eam causam in vita superstites esse vt viuentes potiamur gratia Dei, ambulemus coram illo, parati ad omnē illius voluntatem, laudantes ac benedicentes nomen eius: iuxta illud, Nos qui viuimus, benedicimus Dominum, Infrà, 115.d.18.

ARGVMENTVM PSALMI LVII.

[C] Exponit Dauid priore huius Psalmi parte anxietates suas, [M] ostenditque quomodo cum Saule hoste suo egerit. [C] Deinde liberationis spe concepta, ardenti studio se ob id Domino gratias acturum promittit.

Præfecto, Ne perdas, ipsius Dauidis Michtham, quando fugit à facie Saul in speluncam.

Præfecto. [V] Vide Suprà, 4.a.1. *Ne perdas.* [V] Vel, disperdas. sub. me. Scimus Dauidem tunc vix è præsenti morte elapsum esse: quumque similis esset perdito & desperato, mirabiliter Dominus eum eripuit: ideo hunc Psalmum sic inscriptū esse, Ne disperdas, multi existimant. Alii putant initium fuisse cantilenæ veteris, Ne perdas. Alii putant tam anxiè precatum fuisse Dauidē ne Dominus sineret ipsum perire ac perdi, quum instaret Saul, vixque vllum pateret effugiū, O Deus adsis mihi, ne perdas me. [C] Et probabile quibusdam videtur quòd Dauid precationem subito metu sibi extortam, vt in re memorabili, breuiter hîc notare voluerit. Sunt qui hac voce laudari putēt Dauidis probitatem, qui Abisai in cædem Saulis ruentem ab impetu reuocauit: quia etiam in sacra historia hæc obiurgatio ponitur, Ne perdas. 1.Sam.26.b.9. Sed quia autē precatus fuerat Dauid, & quidem anxiè, quadrare non potest illa opinio. [V] De voce *Michtham* vide Suprà, 16.a.1, & 56.a.1.

2 *Miserere mei Deus, miserere: quoniā in te sperauit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transierit contritio.*

Miserere mei Deus. [M] Versus iste precationem Dauidis exprimit, quam in ipso periculo constitutus fuderit ad Dominum. *Miserere mei.* [M] Vehementiæ notam habet ingeminatio, qua & magnitudo præsentanei periculi innuitur. [C] Neque enim leui mœrore, cura & metu constrictus fuit Dauid, quū hæc precaretur. [M] Et obserua ipsum nihil aliud petere quàm miserationem Dei in periculo tam grandi. Nihil enim de liberatione præscribit, nec quicquam meminit contra inimicos. Verùm notum est piis omnibus salutem omnem nostram sitam esse in miseratione & fauore Dei, vt qui illa potiatur, nulla re destituatur. *Quoniam in te sperauit anima mea.* [V] Vel, cōfisa est, fiduciam habuit. [B] Nihil est quod magis in aduersitate consolet, atque sentire in animo firmam in Deum fiduciam, ea namque præditis Deus nequit deesse. Hanc ergo statim initio iactat Dauid. In te (inquit) sperauit, vel, Tuæ se protectioni cōmittit anima mea. [C] Vbi ratio petendæ misericordiæ notatur, quòd in Deo sperauerit. Quanquam emphasis etiam subest in nomine animæ, acsi ex intimo cordis affectu se sperasse diceret, vel spem suam non esse volaticam, vt loquuntur, sed penitus altas radices egisse. [M] Nec ait, Miserere mei, quoniā iniuriam patior, (quod tamē verum erat) Nec dicit, Quoniam seruus tuus sum, & propter zelum gloriæ tuæ in hæc pericula incidi, (quod tamen & ipsum verum erat) sed, Quia in te confidit anima mea. Oportet ergo Dauidem talem credidisse Deū, ea præditum bonitate, qui nequeat deserere sperātes in se: sicuti ipsemet fatetur Suprà, 9.b.11. *Et in umbra alarum tuarum sperabo.* [V] Vel, hospitabor, aut quiescā. [C] Idem metaphoricè nūc repetit quod prius, vmbram alarum Dei integumēto fore dicens. Quanquam enim verbum חסה interdum sperare significat, vt nos etiam vertimus: quia tamen etiam idem valet ac hospitari vel protegere, potest ita accipi hoc loco vbi mentio fit vmbræ alarum. Summa hoc tendit, quando se totum commisit Dauid Dei tutelæ, vt nunc sentiat quòd Infrà, 91.a.1, videbimus, Qui in protectione Dei habitant, tuto & excelso loco quiescere. [V] Sunt qui eodem sensu vertūt, Ero tectus. [M] Porro per vmbram alarū Dei metaphoricè intelligit protectionem & prouidētiam Dei, omnibus adflictis expositam. [C] Nam Deus, quo nos familiarius ad se inuitet, dicit se instar gallinæ vel auis alas expandere ad nos fouendos, quo minus excusabilis est nostra ingratitudo & prauitas nisi ad tam blandam inuitationem celeriter accurrimus. Vide Suprà, 17.b.8. [M] Nec prætereundum quòd Dauid dicit se ad vmbram alarum Dei confugere quum fugerit in spelūcam: corpus quidem in speluncam, animum verò sub alas Dei, quæ solæ seruare possunt. [H] Vide etiam quæ sit sanctorum & dilectorum Dei sors ac conditio, nempe in speluncis plerunque delitescere. sicuti habetur 1. Reg 18.a.4, & Hebr.11.g.38. [M] ita tamen vt sub Dei alis protegantur. *Donec transierit contritio.* [V] Ad verbum, donec trāsierit contritionum, sub. tempus, vel calamitatū, siue fraudum. Alii volunt verbum singulare iungi nomini plurali. proinde vertūt, Donec transeant cōtritiones, id est afflictiones. quemadmodum siquis sub ramos arboris confugiat, quum vrget grando vel imber. [C] Affirmat ergo Dauid sibi fore in Deo refugium, & alas eius sibi fore loco integumenti, quousque transierint omnes afflictionum procellæ. Et certè quāuis interdum nobis sereno & tranquillo cœlo apricari liceat: quia tamen subitis procellis quotidie obnoxia est hæc vita, spes nostras in Deum contrahere conuenit, vt nos operiant alæ eius. [M] Sunt qui hanc partem versus sic reddiderunt, Donec transeat scelerum colluuies. Intelligit autem Propheta vim illam & exercitum Saulis aduersus se collectum. nam, sacra historia teste, tria millia electorū virorum secū eduxerat Saul, 1. Sam.24.a.3.

3 *Clamabo ad Deum excelsum, ad Deum qui perficit erga me.*

Clamabo ad Deum excelsum. [V] Quidam, Clamaui. Alii, Clamabam. [C] Non abs re spei inuocationem subiicit Dauid: quia fieri non potest vt non preces suas ad Deum dirigant qui in eum confidūt. Ideòque spem suam ab effectu probat Dauid, quia ad Deum in necessitate confugiet. *Excelsum.* [M] Deū esse excelsum, est Deum omnia excellere, omnem potentiam, omnem sapientiam, omnem opulentiam, omnem gloriam, sub se omnia habere. Qui hoc credit de Deo, credit illius omnipotētiam, sine cuius fide certè nemo poterit inuocare Deū. Hæc fides plurimum solatur afflictos, & à potētibus mundi pressos, qui vidētur esse excelsi quum humi repant. *Ad Deum qui perficit erga me.* [V] Sub. quæ promisit. [C] Deum ornat insigni epitheto, nempe quòd erga se compleat quæcunque est pollicitus: vel, quòd ad finem vsque perducere velit quod incepit opus. sicuti alibi dicitur, Opus manuum tuarum non dimittes, Infrà, 138.b.8. Nam eodem sensu positum est vtrobique verbum גמר. quia eadem ratio est. Atque hoc nobis occurrere debet ad fulciendam spei nostræ perseuerantiam, Deum, quia opus manuum suarū non deserit, salutem fidelium numeris omnibus complere, & illis semper fore ducem, donec eos ad metam vsque perduxerit. [V] Quidam legunt, retribuētem mihi. Alii, qui benefacit mihi. Alii, reddentem mihi. sub. misericordiam. Nonnulli, qui trāsigit causam mihi impendētem. [C] Sed melius quadraret, ad Deū qui deficit erga me. Aduersatiuè autem hoc modo resoluenda esset sententia, Licet nunc me Deus destituat, neque mi exerta manu iuuet, clamabo nihilominus ad eum. Coactior sensus est, Clamabo ad Deū qui perficit me, vel perfectè exequitur rigorem suū erga me: & contextus postulat potius ad Dei beneficia referri, vt semper nobis occurrat Dei constantia in prosequēda sua bonitate, quia opus manuum suarum inchoatum non deserit. [M] Itaque videmus esse piorum non solùm beneficia Dei agnoscere, sed per illorum experientiam fidem erga Deum in tribulationibus confirmare, & ad inuocationem nominis illius permoueri.

4 *Mittet è cœlo, & seruabit me ab opprobrio deglutire volentis me. Sèlah. mittet Deus misericordiam suam & ueritatem suam.*

Mittet è cœlo. [V] Quidam vertūt, Misit de cœlis. Sed præstat futurum verbi tempus retinere. [C] Dauid enim non secus acsi manum Dei præsentem cerneret, de eius auxilio gloriatur. [C] Nam spes est quæ credentes seruat & securos reddit. [V] Quum dicit, Mittet è cœlo, quidam subaudiunt Angelos, quorum ministerio seruamur, & quorum opera vtitur Deus ad nos cōseruandos. [C] Sed indefinita loquutio melius congruere videtur: quòd scilicet non obscurè vel vulgari modo, sed potenter & euidēti miraculo proferet Deus quam facturus est salutem. Ergo hac voce magnificum & singulare liberationis genus Dauid se sperare intelligit. Atque ita cœlum opponit terrenis mediis vel naturalibus. [V] Nam interdum Deus fert opem suis obscurè, adeo vt non semper virtus eius sit conspicua: aliquando verò tam illustrem habemus eius gratiam, vt non possit negari venire à Deo nobis auxilium. *Et seruabit me ab opprobrio.* [B] Vel, à probro absorbente me, vel vorante. [C] Acsi Dauid diceret, Hostes quidē mei cupidè inhiant meo exitio, & ex insidiis occasionem me perdendi captant: sed Deus cum ipsorum dedecore me eripiet. Pudorem enim & probrum incutere Deus impiis dicitur dum spes eorum frustratur. Ideo quidam non malè vertunt, In opprobrium expectantibus me. nempe vt me perdant. *Misericordiam suam & ueritatem suam.* [V] Veritatem promissionum Dei intelligit. [C] Sicuti ergo prius mirificam & planè cœlestem sibi liberationem promisit Dauid, ita nūc se eam sperare dicit à Dei clementia & fide: easque statuit tanquam auxiliares eius manus. [V] Sciebat quid sibi promissum esset per Samuelem, & tot miraculis confirmatus erat vt meritò posset iactare se seruandum esse, quia fidelis esset Dominus.

5 *Anima mea [inter] leones, iaceo [inter] urentes: [inter] filios hominum, quorum dentes [sunt ut] lancea & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

Anima mea inter leones. [V] Vel, In medio leonum. Anima pro vita, vt aliàs sæpissime. [M] Indicat Dauid in quàm magno fuerit periculo constitutus. id quod perpetuò solent pii, vbi opem Dei prædicant per quam sint è malis liberati. Nam id plurimum ad commendationem diuini auxilii, adeóque & ad gloriam Dei facit. [C] Describit ergo hostium suorũ sæuitiam: quo Deum citius ad opem ferendam inclinet. Primùm comparat leonibus: deinde furore ardere dicit, vel implacabili odio, & dentes eorum similes esse lanceæ & sagittis. *Iaceo inter urentes.* [V] Vel, Habito inter flamma succensos. Vel, Accubui inter exurentes. i. inflammantes. sub. me suis sycophantiis & maledictis. q. d. Ardẽt furore & sæuitia. *Et lingua eorum gladius acutus.* [C] Istud aptè intelligi potest de virulentis calumniis, quæ altius penetrant ad vulnerãdos innoxios quàm vlli gladii. Et scimus Dauidi præcipuum fuisse certamen cum falsis criminibus, quibus eum improbi grauabant. [M] Cæterùm hinc discamus quanta sit pestis falsæ linguæ si aures potentum occuparit, quæ ferè etiam hoc seculo falsis delationibus consecratæ sunt: vt & nobis hodie plurimum sit orandũ contra pessimos istos assentatores ac delatores, qui omnes propè principũ aulas obtinent.

6 *Exaltare super cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.*

Exaltare super cælos Deus. [V] Vel, Exalta te super cœlos. Vel, Attolle te super cœlos. q. d. Ostende potentiam, vt homines te extollant supra cœlos. [C] Etsi autem extra rem videtur esse hæc precatio, si tamen reputamus quãta sit impiorum proteruia, & quàm supinus fastus, vbi Deus ad iniurias conniuet, facilè iudicabimus non abs re hoc esse dictum. præsertim quia Saul & totus populus simul conspirauerant, Deum præclaro modo exurgere oportuit ad sternendam illam altitudinem. Atque hinc summa ad nos consolatio redit, dum se ostendit Deus nobis succurrere vt gloriæ suæ consulat. Nam ei nõ minus quàm nobis insultant impii: ipse autem gloriæ suæ iacturam tacere non vult, nec sacrum suũ nomen eorum ludibriis prostituere. *Gloria tua.* [V] Sub. extendatur. Sunt qui vertũt, Gloriam tuam. sub. attolle. [M] Sic apud Prophetam dicitur, Exaltabitur Dominus solus in die illa, Esa. 2. c. 11.

7 *Rete parauerunt gressibus meis, incuruata est anima mea: foderunt ante me foueam, & ceciderunt in eam. Selah.*

Rete parauerunt. [C] Iterum redit ad querimonias: & quum antehac se crudeliter vexari dixerit, nunc sibi insidias & fraudes intendi deplorat. *Incuruata est anima mea.* [C] Quidam vertunt, Incuruauit animam meam, & subaudiunt pronomen ille: sed alter sensus simplicior est, & verbum כפף neutraliter sæpe accipitur. Nomen quidem נפש Hebræis est fœmininum, verùm alibi quoq. masculinis verbis iungitur. Incuruatam ergo animam suam dicit Dauid, quemadmodum trepidi homines & meticulosi solent se contrahere: adeóq. aues ipsæ, dũ sibi metuunt ab aucupio, non audent pennas mouere, sed humi prostratæ iacent. *Et ceciderunt in eam.* [A] Nempe iusto Dei iudicio. [B] Nam singulare iustitiæ Dei argumentum fuit, hostes Dauidem quo magis perdere quærerent, eo propius seipsos internecioni addixisse. idcirco subscriptum *Selah* est. Idem iudicium Dei canit & Suprà, 7. c. 17.

8 *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam.*

Paratum cor meum Deus. [C] Quia verbum Hebræum כון tam stabilire quàm parare significat, quidam hunc sensum eliciũt, Dauidem probè & diu meditatum esse quas nunc Deo soluit laudes: acsi diceret, Non repente, quorundam more, ebullio in gratiarum actionem, sed firmo & constanti animi proposito canendis Dei laudibus me addixi. Verùm altera expositio quibusdam magis arridet, quòd se alacriter accedere dicat Dauid ad laudandum Deum: sicuti Gallicè dicimus, Ie suis dispos, ou deliberé. [V] Significat enim hoc verbo animi promptitudinem & alacritatem. q. d. Accensus sum cupiditate canendi laudes tuas. *Paratum cor meum.* [M] Hæc ingeminatio notam habet ardentissimi desyderii gloriæ Dei. [C] Cor ergo paratum Dauid tam hypocritarum labris, quàm aliorum torpori opponit: acsi diceret se sincero zelo accensum esse, segnitie discussa, & omnibus impedimentis valere iussis, se attentum esse ad voluntarium hoc sacrificium. *Cantabo & psallam.* [V] Similia prorsus leguntur & Infrà, 108. a. 1.

9 *Exurge lingua mea, exurge nablum & cithara: exurgam diluculo.*

Exurge lingua mea. [V] Vel, Gloria mea, decus meũ. Id est, anima mea. Aut, vt alii, Laus quam illis instrumẽtis volebat reddere. Hebraismus. Ita enim solet se excitare & hortari ad laudẽ Dei. Idem dicit Infrà, 146 a. 1, Lauda anima mea Iehoua. quanquam nomen Hebræum כבוד linguam hoc loco potius significat quam aliud quicquam, quia mentio fit in contextu nablii & citharæ. [C] acsi diceret Dauid se tam ipsa voce quàm musicis instrumentis nomen Dei celebraturum. Primas quidem partes cordi dedit, sed adiungit oris confessionem: tertiò adminicula adhibet quæ studium magis accendant. *Exurge nablum.* [V] Vel, psalterium. *Exurgam.* [V] Vel, Euigilabo. vel suscitabo. sub. vos ad laudandum Dominum. Alii, Quum euigilauero. quasi dicat, Quotidie mane dicam, Excitare, &c. vel, Quum expergiscar in aurora.

10 *Celebrabo te in populis, Domine, & canam tibi in gentibus.*

Celebrabo te in populis. [V] Quidam subaudiunt Quia, sic, Quia laudaturus sum te. [a] Vt ex læto auxilio auctior sancto fides amórque Dei euasit, ita studio sanctificandi nominis eius, & quidem apud quamplurimos, plusculum exarsit: quod nunc de se canit. *Et canam tibi in gentibus.* [V] Vel, Psallam tibi in nationibus. [C] Quia gẽtes & populos gratitudinis suæ fore testes promittit Dauid, colligimus eũ in his afflictionibus gestasse Christi personam. Idque scire magnopere nostra refert, vt nobis conditio nostra ante oculos quasi in speculo versetur. Quod autem his verbis respexerit in Christi regnum, Pauli authoritate primùm, Roman. 15. b. 9, deinde etiam clara ratione constat. Etsi enim cani possunt Dei laudes inter rupes & saxa, absurdum tamen esset dicere, narrabo surdis nomẽ Dei: vnde sequitur gentes ad Dei notitiam esse vocandas, vt præconium hoc ad eas perueniret.

11 *Quoniam magna est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes ueritas tua.*

Quoniam magna est usque ad cælos. [a] Cœlos & nubes pro eodem ponit, & significat vndique in toto orbe bonitatem Dei agnoscendam. *Et usque ad nubes ueritas tua.* [V] Vel, Fides (vel fidelitas) tua. q. d. vbique omnes te veracem & fidelem in promissis experiuntur. [C] Notandum hic non abs re initium fieri à Dei bonitate, & deinde fidem eius coniungi: quia vt propensus sit Deus & liberalis ad promittendum, nõ aliunde quàm gratuita sua bonitate adducitur. [M] Sed ne facilitas hæc putetur constantia carere, fidei & veritatis elogiis sanciuntur omnes promissiones. [M] Videmus etiam hoc loco quomodo sancti soleant à priuatis beneficiis Dei venire ad considerationem & cõmendationem generalis bonitatis Dei, ne videãtur bonitatem Dei coarctare in ea quæ sibi fiunt, vel etiam deputare suæ ipsorum probitati: sed vt assignent velut causam eorum beneficiorum Dei quæ ipsi ab illo accipiunt, immensam ipsius bonitatẽ, terram & omnia replentem, collaudãt & laudandam proponunt.

12 *Exaltare super cælos Deus, super omnem terram gloria tua.*

Exaltare super cælos. [C] Iterum ad preces conuertitur, ne Deus sua tolerantia impiis augeat proteruiam, hócque modo suam gloriam obscuret. Nisi fortè hic, postquam vaticiniũ addidit de gentium vocatione, votum etiam de ea acceleranda concipiat: acsi diceret, Domine, non modò in Iudæa potẽtiam tuam illustres innoxiis iuuandis, sed per totum mundũ iudicia exerceas quibus imperium tibi asseras apud omnes populos. [A] Reliquam huius versus expositionem pete ex versu sexto.

ARGVMENTVM PSALMI LVIII.

[a] Propheta testimonio bonæ conscientiæ fretus, in assentatores Saulis inuehitur qui eum ad insontem opprimẽdum nequiter instigabant: deinde eorum exitium quale meriti erant, imprecatur & prædicit.

PRæfecto, Ne disperdas, ipsius Dauidis Michtham.

Præfecto. [V] Vide Suprà, 4. a. 1. *Ne disperdas.* [V] Vide Suprà, 57. a. 1, & Infrà, 59. a. 1. *Michtham.* [V] Vide Suprà, 16. a. 1.

2 *An verè ô congregatio, iustitiam loquimini, æquitates iudicatis filii hominum?*

An verè ô congregatio. [M] Hic versus inuectiuam continet aduersus assentatores ipsos Saulis, homines impios, calamitatis suæ authores & conflatores: illisque opprobrat iniustitiam, iniquitatem cordis, & calumniam insontium, qua immeritò passim per omnem regni ditionem premebantur. [C] Et quando Dauid eos interrogatione vltrò lacessit, satis ostendit quorum habeat fiduciæ in bona causa. Nam vbi audemus testimonium petere à parte aduersa, ostendimus nihil esse in re ipsa dubitationis: quia si causa obscura esset,

stultæ confidentiæ esset aduersarium citare testem. Dauid ergo bona conscientia fretus, liberè prodit in medium, & fulget calumnias, quibus eum grauabāt apud simplices, refutat, idque proprio eorum iudicio. Acsi diceret, Ego vos testes habeo meæ innocentiæ, vos tamē fictis criminibus improbè me vexatis: quomodo vos non pudet innoxium ita gratis opprimere? *O congregatio.* [a]Id est, concilium seu sodalitium procerum, & iudicum qui Saulem à persequendo me innocentem reuocare debebatis, nunquando verè (quod vestrum scilicet officium est) loquimini iustitiam? *Loquimini iustitiam.* [b]Futurū Hebræum pro præsenti. Quidam vertunt, Quod iustum est decernitis, vel pronunciatis? [c]Compellat Dauid cœtū illum, quem sub specie legitimi concilii vocabat Saul ad insontem opprimendum. [b]Q.d. O concilium, habetis conuentus quasi legitimos, interim estis infensi hostes iustitiæ. *Filii hominum.* [c]Quam congregationem vocauerat, nunc filios hominum vocat, atque id forte per contemptum, detrahens quod titulo tenus concesserat: quia potius latronum turba erant quàm iudicum conuentus. Nisi magis placeat, quum prævalida manu se oppugnari videret Dauid, & omnes fere vulgi animos in illā scelestam factionem propensos esse, tamen excelso animo despicere illam multitudinem. Docemur autem hoc loco, quātuis à toto mundo impetantur serui Dei, nullum terrorem illis obstare, modò sibi rectè conscii sint, quominus tam regibus ipsis & eorum cōsiliariis quàm populi quisquiliis insultent. [a]Cuius rei exempla vide 1. Reg. 18. c. 18, & Matt. 6. c. 18, & Luc. 13. f. 32. Nos verò discamus, Dauidis exemplo, quamuis totus mundus surdus sit, in bonam conscientiam recumbere, atque ita prouocare ad Dei tribunal. Monendi quoque sunt hoc loco iudices & principum consiliarii, vt æquitatis & iustitiæ studiosi, singulorum facta iusta lance trutinent, atque quod rectum sit decernant: sicuti libra nihil inter aurum & plumbum discernit, sed cuique suum pondus assignat.

3 *Quin potius in corde iniquitates machinamini: in terra violentiam manuum vestrarum appenditis.*

Quin potius. [a]Vel, Etiam. *Iniquitates machinamini.* [b]Vel, malitias cogitatis. Ad verbū, operamini. [c]Vbi Dauid falsas calumnias à se depulit, vlterius nunc progreditur, & eorum crimina profert in mediū. [b]Vt agnoscam quāta sit pestis sicubi peruersi & malitiosi homines iudicādi potestatem obtinuerint. [a]Vos, inquit, omnē cogitationē in hoc cōsumitis vt quæ prauа, quæ iniqua sunt, & designetis ipsi & defendatis in aliis. *In terra violentiam manuum vestrarum appenditis.* [a]Vel, vim (calumniam, rem iniustam) manus vestræ appendunt. [c]Quia verbum Hebræum sumitur pro dirigere vel aptare, simplex sensus erit, eos ordinare vel disponere quas corde iniquitates conceperant. Et particula In terra tantundem valet ac palam: vt hic de effræni eorum licentia Dauid expostulet: quia non clanculum vel in obscuro angulo violentiam suam exercebant. [a]q.d. Vos palam ordinatis siue dirigitis quæ in corde conceperatis, totus machinamini iniustitiam & manibus exequimini.

4 *Alienati sunt impii à vulua, errauerunt ab vtero, loquētes mendacium.*

Alienati sunt impii à vulua. [a]Causam hic reddit peruersitatis memoratæ. ab eo enim quòd in hanc lucem editi sunt, alieni fuerunt à familia Dei, mancipia spiritus mali, qui eos ad quæque pessima semper egit. [c]Scimus enim plerosque, non malo alioqui ingenio præditos, vel leuitate & libidinis impetu abripi, vel corrūpi malis exemplis, vel aliqua occasione se prostituere ad malum. Contra autem pronunciat Dauid hostes suos malitia imbutos esse ab vtero: acsi diceret perfidiam & crudelitatem cum ipsis natas esse. Etsi enim vitiosi omnes nascimur, & omnib[9] Adæ posteris ingenita est prauitas, vt nihil recti tentare possint quātisper suo ingenio feruntur: scimus tamē arcano Dei fræno retineri maiorē partē, ne se ad quoduis flagitiū proiiciat. Ergo quamuis corruptio originalis peccati in toto humano genere grassetur, experientia tamē ostendit quosdam esse verecundos & honestis moribus, alios mediocri tantùm corruptela imbutos: alios verò naturæ adeo peruersæ vt sint prorsus intolerabiles. Hanc igitur effrænē malitiam, que in communi hominum prauitate detestabilis est, Dauid in hostibus suis regnare affirmat: quasi diceret sibi cō scelerum portentis esse negotium. *Errauerunt ab vtero.* [a]q.d. A prima infantia imbiberunt hanc licentiam: imò non tantùm vna cum lacte matris imbiberunt malitiam, sed nati sunt peruersi & improbi: ipsa malitia, ipsa crudelitas, ipsa perfidia cum ipsis nata est. A vulua, & ab vtero, idem. *Loquentes mendacium.* [b]Nostrum seculum luculentissimè declarat quid possit mendacium in aulis principum. assentatione hoc hominum genus nascitur, alitur, & prouehitur, vt si illis vnā hanc demas, abstuleris vniuersam pariter & vitam & facultatem: vt nō minus esse & posse quod sunt & possunt, valeant, quàm si pisci ademeris aquam, sine qua nec natare nec spirare potest.

5 *Venenum est illis instar veneni serpentis, sicut aspidis surdæ quæ obturat aurem suam.*

Venenum est illis instar veneni serpentis. [a]Nunc similitudine veneni maximè præsentis exprimit Dauid hostium suorum nequitiam, & nocendi libidinem. [c]imò verò virulētiam illis exprobrat, sicuti aliis locis vidimus. Nam quod quidam furorem vertunt, aspidum similitudini congruere non videtur. Neque repugnat etymologia, quia nomen à calore deductum est. Scimus enim veneni genus esse quod frigore suo enecat: alterum verò quod ardore & æstu cōsumit partes vitales. Sensus ergo est, hostes Dauidis venenata malitia ad nocēdum æquè refertos esse ac serpentes. [b]Porro præsens exitium adfert serpentis venenum, quod & in eum vsum habet à natura, adiūcto etiam naturali quodam ad spargēdum illud & lædendum ductu, deinde & aptitudine quadam & scientia spargendi. ita isti homines de quibus Dauid queritur, & venenum habebant lædendi materiam per mendacium, deinde & animum simul & peruersam calliditatem, ad nocendum omni nomine instructi.

6 *Quæ non audit vocem incantantium, incantantis incantationum periti.*

Quæ non audit vocem incantantium. [a]Pergit amplificare hostium suorum malitiā, [b]ostendens eos tam pertinaces & obstinatos vt ab ingenii malitiis sint prorsus irreuocabiles. [a]Asserit eos esse similes surdis aspidibus, quæ aures suas ad vocē incantantium claudunt: acsi diceret non esse ex vulgo serpentum, sed vafritie superare callidissimas quasq; aspides, quæ sibi à magorum insidiis cauent. [b]Significat ergo hoc hominum genus nullis admonitionibus emēdari potuisse, imò admonitionem nullam admisisse, sed velut aures suas obturasse. Tales erant & Scribæ & Pharisæi ac sacerdotes tēpore Christi, aures habētes & non audiētes. Et conciliū illud quod Stephanum lapidibus oppressit, de quo legimus quòd aures cōtinuerit, ne audiret testimonium Stephani de Christi gloria testātis, Act. 7. g. 57. [a]Ita vt nō abs re dixerit Dominus per Prophetam, Quis cæcus, nisi seruus meus, & quis surdus nisi ad quem sermones meos misi? Esa. 42. c. 19. Isti instar serpentum vel effundunt venenū, & perdunt: vel, si hoc nequeunt, saltem aures obturant ne audiāt veritatis vocem. *Incantantis incantationum periti.* [a]Vel, magi inter magos præstantis. Vel, magi, magicas artes scitè exercētis, aut eruditi. Nam asserit Dauid hostes suos non quibusuis serpētibus esse similes, sed illis astutissimis serpētibus qui etiam sibi cauent à fascinis & magicis artibus. [c]Siquis quærat an igitur sit ars aliqua incantandi: respondemus, si nullæ essent incantationes, puerile & absurdū fore quod hic dicitur. sumeret enim ex nihilo similitudinem. Nisi fortè magis placeat ex cōmuni vulgi errore loquutum esse Dauidem. Videtur tamē innuere fascinis incātari serpentes, idq; sine periculo fateri licet. Atq; olim Marsi hac scientia pollere in Italia crediti sunt. Certè si nullæ essent incātationes, frustra Lege Dei prohibitæ & damnatæ essent, Deut. 18. c. 11. Neq; tamen rationem vel artem esse concedimus in fascinationibus, sed meris diaboli præstigiis hoc fieri, cuius imposturis Deus inter cæcos (hoc est incredulos) frænum laxat. Suis autem, quibus per verbum & Spiritum suum affulget, nō ita illudere permittit. Si tamen ansam curiosis quæstionibus præcidere libeat, sequamur quod nuper attigimus, Dauidem ex communi errore similitudinem hanc esse mutuatum, acsi dixisset nullam posse in serpētibus versutiam inueniri quæ non in hominibus istis reperiretur: etiam siquæ aspides aduersus incantationes astu suo munitæ sint, non magis tamen esse callidas.

7 *Deus contere dentes eorum in ore ipsorum: molares catulorum leonum confringe Iehoua.*

Deus contere dentes eorum. [a]Prædicit Dauid & imprecatur vltionem hostibus suis, postquam nulla ratione reduci in viam potuerunt. [c]Sed hic ordo notādus est, quòd prius de hostium suorum malitia conquestus est Dauid, & bonam cōscientiam in mediū produxit, quàm Deum aduocet causæ suæ patronum aut iudicem: quia minimè sperādum est vt malas causas suendas suscipiat. [b]Deus, inquit, contūde dentes ipsorum. *Molares catulorum leonum confringe.* [c]Quibus verbis petit vt Deus virtute sua frangat impiorum, ac compescat nocendi rabiem qua flagrant. Nam per dentes significat non secus lamandi & discerpendi esse cupidos ac feras bestias. [a]Et quo eorum crudelitatem exaggeret, leonum dētes eis tribuit: innuēs tantam illis inesse crudelitatē, vt feris bestiis potius similes essent quàm hominibus. [b]Itaque Deum precatur vt præposteram illam potentiam & facultatem ipsorum, qua ad oppressionem insontium vtebantur, destruat, & inanem reddat. ita solent feria

bestiis abrumpi dentes, quibus ad nocendum vti consueuerunt. Simili allegoria vsus est & Suprà, 3.c.8.

8 *Colliquescant sicut aquæ, & abeant sibipsis: extendant arcum suum, [sed sint] acsi essent excisæ.*

Colliquescant. [V] Vel, Diffluant. [H] Hoc versu & aliis sequentibus eandem sententiam prosequitur, & aptissimis similitudinibus exornat, ostendens quàm furiosè hostes in eius perniciem ruerent. Diffluant, inquit, sicut aquæ. [V] Modum precandi habent hæc omnia, quanquam quibusdam magis placet vt sint prædictiones pœnarũ aduersus impios. [C] Primũ ergo rogat vt eos diffluere faciat Deus aquarum instar, hoc est quamcitissimè. Quo verbo non vulgarem fidem testatus est. Videbat hostes suos magnis copiis & opibus instructos: videbat altis radicibus inniti, & optimè fundatum esse eorum robur, denique videbat saxeis montibus esse similes: imò quum totus populus esset infensus, multas rupes sibi videbat oppositas, quarum conspectus ingenti terrore deiicere poterat eius animum. Ergo Deum precari vt tantam duritiam liquefaciat, & diffluere faciat iam arduas moles, raræ spei & constantiæ fuit. Res enim erat incredibilis, nisi Dei potentiam extulisset supra omnia mundi obstacula. [V] Eadem aquarum similitudine vsus est & Suprà, 22.b.15, Sicut aqua effusus sum. Et alibi Scriptura dicit, Moriendo morimur, & sumus veluti aquæ quæ defluunt in terram quæ non congregantur, 2. Samuel. 14.c.14. *Et abeant sibipsis.* [V] Redundat sibipsis, sicuti Genes. 12.a.1, Vade tibi. Id est, Euanescant prorsus vt aquæ euanescunt, quæ vertuntur vi caloris in vaporem aut aerem. quasi dicat, Irriti sint conatus illorum. Sunt qui ad aquas referunt, vertentes, Quæ pertranseunt in seipsis, quæ dilabuntur, quæ abeunt sibi. [A] Sed ad hostes melius refertur. *Extendant arcum suum.* [V] Vel, Intendat quisque eorum sagittas suas, &c. Hoc est, Quum arcum suum intenderint, sagittæ frustra concidant tanquam confractæ. Nam quia implacabilis erat eorum crudelitas, postulat Dauid vt frustretur Deus ipsorum conatus.

9 *Sicut limax quæ liquescit, abeat [quisque eorum sicut] abortiuum mulieris, [quæ] non viderunt solem.*

Sicut limax. [B] Tertia similitudo est testudinis intra testam suam colliquescentis & pereuntis. [H] Posset hoc videri ridiculum, robustissimos gigantes cochleis vel limacibus conferri, nisi hunc honorem Deo tribueret Dauid, posse momento & absque negotio discutere ac redigere in nihilum quicquid in mundo insuperabile ducitur. Sed fidei oculis Dei iudicia considerans, sperat vires illas, quarum fiducia suas deliberationes in decem secula extendunt, statim posse dissolui. Videtur autem alludere ad subitum exortum impiorum. acsi diceret repentinum interitum similem fore originis: nec facilibus incrementis frustra superbiant. *Abortiuum mulieris.* [B] Quarta similitudo est abortiui, quod perit priusquam lucem hanc aspexerit. *Non viderunt.* [V] Nempe limax & abortiuum. Quidam Hebræorum legit coniunctim talpam. Creatura (inquit) est cui non sunt oculi. Alii exponunt disiunctim, & subaudiunt coniunctionem, sicut abortiuum & talpa, quæ non viderunt solem. Alii per futurum vertunt, non aspicient solem. [A] Porro nõ abs re impii abortiuo conferũtur: quia si reputemus quantum temporis inani fiducia deuorent, facilè statuemus antequam viuere incipiant, quasi ab ipsis carceribus retrorsum trahi. [M] Itaque vbi terret nos impiorum aspectus, faciamus id quod paruuli solẽt, qui ipso naturæ doctu ad auxiliũ & sinum paternũ aufugiunt, vbi & metu liberantur & securi reddũtur.

10 *Antequam sentiant ollæ vestræ [ignem] rhamni, sicut caro cruda: sic ira ut turbo perdat eum.*

Antequam sentiant ollæ vestræ. [V] Ad verbum, antequam intelligant lebetes vestri (vel spinæ vestræ) rhamnũ: sicut viuum (aut crudum, siue caro cruda) sic ira vt turbo perdat eum. id est, perdat eos. Singulare pro plurali. [B] Quinta est hæc similitudo carnis raptæ antequam olla calorem conceperit, cuique ex ea materia ignis substratus sit quæ non possit, etiamsi fortiter ardeat, magnum calorem subministrare, nempe ex spinis. [B] Sed quia vox Hebræa & ollas & spinas significat subobscurus est hic locus. [C] Si de ollis exponere libeat, viuum sumetur pro carne cruda: si autem pro spinis, sumetur pro immaturo, vel tenero. Prophetæ tamen consilium minimè ambiguũ est: nam festinationem vindictæ Dei his verbis denotat, ideóque precatur quasi turbine eos abripi: vel antequam adolescant in iustum robur, (sicut spinæ in rhamnum durescũt) vel, antequam maturescant, sicuti caro quæ in olla vel lebete coquitur. Hic tamen posterior sensus videtur melius fluere, vt ira Dei turbulento impetu abripiat impios quasi carnẽ incoctam, & quæ primum calorem nõdum sensit. [V] q.d. Quàm citò rapitur caro antequam lebetes, in quibus ipsa coquitur, senserint ignem rhamni velociter excitatum: tam celeriter perdat, vel perdet istos impios, [A] qui insontem opprimere conantur.

11 *Lætabitur iustus quum viderit vindictam: pedes suos lauabit in sanguine impii.*

Lætabitur iustus. [A] Vel, Lætetur iustus. [C] Videtur Dauid crudelem affectum iustis tribuere: at notãdum est Dauidem laudare affectus puros & ritè compositos in filiis Dei. quũ enim dominatur in illis Spiritus Dei, caro nõ euomit impetus suos, neque ebullit in illis, sed Spiritus Dei habet suam moderationem: qua fideles gaudium ex Dei iudiciis percipiunt. Vnde enim fit vt crudeliter vulgò gaudeant homines inimicis suis pereuntibus, nisi quia turbidis passionibus odii, iracundiæ & impatientiæ feruntur, vt vindictam intemperanter expetant? Ergo vbi dominatur caro, nihil rectum est vel sincerum: qui verò Spiritus zelo iustæ Dei vindictæ animum suum conformat, non minus rectè gaudebit quoties pœnas diuinitus impiis cernet infligi, quàm humaniter eorũ cõuersionem optabit vt salui fiant. Sicuti enim Deum sua misericordia nõ impedit quominus tempestiuè seuerus sit iudex vbi nullus est resipiscentiæ locus, nec rursus seueritas eius clemẽtiæ repugnat: sic etiam iusti maturitas placidè tolerando, hostes suos libenter in viam salutis reuocarẽt, & resipiscere mallent quàm perire: vbi tamen ad maturum vindictæ tempus eos adduxit sua obstinatio, iustam habẽt gaudendi materiam: quia hoc modo vitam suam Deo pretiosam esse agnoscunt. Sicuti ergo gemunt ac torquentur quandiu ad eorum afflictiones Deus conniuet: ita fieri non potest quin illis iucundum sit iustam sceleribus mercedem rependi. [B] In summa iusti vt Deum ex toto corde diligunt, ita nihil illis maiorem adfert voluptatẽ quàm ipsius nomen illustrari, etiam cuiuscunque id pernicie fiat. Parentes nanque, vxores & liberos, præ Deo, si res poscat, odio habent. Dum itaque homines sunt quorum cum salute Dei gloria clarescere nequit, summam eis iucunditatem adfert si ea clarueerit eorum interitu. *Lauabit in sanguine.* [M] Aut hyperbole est supplicii grauitatẽ exprimens: aut idem est atque, Securus erit & recreabitur iustus ab omni molestia per interitum impii. Nam refocillationis gratia pedes lauari solent, Luc. 7.g.44, & Iohan. 13.a.5, & 1. Timoth. 5.b.10.

12 *Et dicet homo, Atqui fructus est iusto: utique est Deus iudicans in terra.*

Et dicet homo. [V] Singulare pro plurali, [M] Homo, id est quisque mortalium. [A] Vel, Vulgò id iactabitur, sæpe inter iustos & [C] fideles quibus solis hæc confessio quadrare potest. ita tamen vt significet Dauid multos qui perculsi fuerant ac turbati, redituros ad tranquillam mentem. *Atqui fructus est iusto.* [C] Hac aduersatiua particula fideles dubitationẽ illam repellunt quæ ex dissimulatione & tolerantia Dei obrepere solet, acsi expergefacti soporem suum corrigerent. Est autem hic nõ exiguus profectus ad pietatem, bene & penitus nobis esse persuasum iustos seriò in Dei timore ambulando non ludere operam. Ideóque Esaias 3.b.10. ad hanc sapientiam filios Dei erudit iubet, Dicite iusto, Bene erit, laborem manuum suarum comedet. Quia nisi mox iustorum probitati respondeat fructus, ad diffidentiam lubrici et proni sunt omnium animi: acsi Deus abiecta mũdi cura otium in cœlo coleret. Qua de re vide Infrà, 73.a.1, & Esa. 26.b.9. *Deus iudicans in terra.* [A] Quia Deus nunc ad impiorum scelera conniuet, multi de eius prouidentia dubitant: [B] sed dum insigni aliqua malorum vltione se orbis iudicem declarat, mirum in modum confirmatur infirmioribus diuinæ prouidentiæ fides, eiusq; nomen redditur apud omnes augustius. *In terra.* [C] Nomen terræ disertè exprimitur: quia profani homines fortunam putantes dominari in mundo, imperium Dei cœlo includunt. [M] Vide Suprà, 10.c.11.

ARGVMENTVM PSALMI LIX.

[C] Hic Psalmus fere proximo similis est. [M] Nam exprimit Propheta quo fuerit erga Deum affectu, quũ à Saule ad mortem quæreretur: quid precatus sit, & quæ fuerit hostium suorum improbitas. Deinde conquestus de illorum iniquitate, innocentia fretus opem Dei implorat, atque tandem pacato animo redditur [B] illorum vltionem prædicit, [M] ac se ad Deum laudandum pro liberatione accendit.

PRæfecto, *Ne disperdas, ipsius Dauidis Michtham, quum misisset Saul ut obseruarent domum ut interficerent eum.*

Præfecto. [V] Seu, Victori. Vide Suprà, 4.a.1. *Ne disperdas.* [V] Sub. me. Id est, ne finas me perdi. Vide Suprà, 57.a.1. *Ipsius Dauidis Michtham.* [V] Vide Suprà, 16. & 56. *Vt obseruarent domum.* [V] Ad verbum, Et custodierunt domum, vt interficerent eum. pro, Vt custodirent (siue obseruarent) domum, vt interficerent eum.

[H] Historia cuius hic fit mentio legitur 1. Samu. 19 b. 10. [C] Certè quum militum turma obsessus domi suæ esset Dauid, & omnes vrbis exitus tenerent missi à Saule custodes, nulla spes effugii aut vitæ residua erat. Tametsi autem vxoris astu elapsus est, non tamen alibi quàm in Dei misericordia salutem quæsiuit. Et certè quamuis fallendis patris militibus figmentum illud excogitauerit Michal, certū tamen est pium virum nonnisi mirabili Dei præsidio ereptum fuisse. Ergo custodia domus hic ponitur acsi dictum esset conclusum tunc fuisse in mortis angustias. Missi enim fuerant à Saule non qui viuū caperent, sed qui interficerent. [A] nec dubium est quin illum occidissent, [B] nisi ab vxore monitus, Deo viam faciente fugisset.

2 *Eripe me ab inimicis meis Deus mi, ab insurgentibus contra me attolle me.*

Eripe me ab inimicis meis. [A] Vel, libera me ab inimicis meis. [B] Orat hoc versu eripi ab inimicis, in quorum iam manibus tenebatur, nisi Deus opem tulisset. *Deus mi.* [A] Deum suum appellas, fiduciā in illū collocat, atque ideo illū inuocat & implorat. [H] Et is quia Deus est Dauidis, & omniū, ideo quoq; est ereptor, protector & seruator Dauidis, & omnium, maximè credētium. Quisquis igitur ex animo potest dicere, Deus mi, is simul in necessitatibus constitutus & angustiis, illum implorare potest, ac dicere, Eripe me, protege me, salua me. *Ab insurgentibus contra me.* [B] Quo se magis ad Deum inuocandum hortetur Dauid, violentam hostium potentiam describit. Insurgēdi enim verbo non modò audaciam notat, vel strenuos ac feruidos impetus, sed vires quibus præualebant. *Attolle me.* [V] Vel, statue me in loco alto, id est, tuto. Nam sublimis locus pro tuto sæpe ponitur. Alii, recipe me. Nonnulli, protege me. [C] In altum attolli rogat, vt superior sit ista quasi exundatione. Atque hæc loquutio notanda est, ne dubitemus securitatis modum in manu Dei esse, quantumuis super capita nostra hostes emineant.

3 *Eripe me ab operariis iniquitatis, & à viris sanguinum serua me.*

Eripe me ab operariis iniquitatis. [B] Id est, ab iis qui iniquitati dediti sunt. [I] Vox Hebræa illos notat qui non simpliciter iniqui sunt, sed qui consultò atque ex animo toti dediti sunt iniquitati, internecionibúsque intenti. Perniciosissimum id genus est hominum, sed quod tamē à magistratibus, patrumque prudentia, antequam vlcus in saniem desinat, præcidi queat. Sed quid si iidem ipsi primarii homines interdū iniqui sunt? Nullum profectò extat remedium præter illud quod hic suæ adhiberi indigentiæ rogat Vates: Eripe me (inquit) ab operariis iniquis. *Et à viris sanguinum serua me.* [H] Hac exaggeratione nequitiam hostium suorum notat, ac de iniusta & scelesta eorum crudelitate expostulat. [B] Qui sint viri sanguinarii, vide Supra, 5. b. 7.

4 *Quia ecce insidiantur animæ meæ, congregati sunt aduersum me robusti absque præuaricatione mea, & absque peccato meo, Iehoua.*

Quia ecce insidiantur. [V] Præteritum Hebræum, Insidias parauerut. vel, Insidiati sunt. [T] Queritur hoc versu, insidiis, numero, viribus, magno conatu se ab hostibus impugnarī [C] adeo vt nullæ suppetant vires ad resistendum. [H] Quo & periculi præsentiam notat, quum dicit, Ecce insidiantur animæ meæ. [A] q. d. parum abest quin iam ab illis cōprehēdar vel potius interficiar. *Congregati sunt aduersum me robusti.* [V] Vel, fortes, validi. q. d. Nisi pro tua in me benignitate opem tuleris, actum est de me. fortiores enim sunt aduersarii quàm vt illis resistere queam. *Absque præuaricatione mea.* [V] Vel, nō ob scelus meum. aut, iniquitatē meā. Alii, non transgressionis meæ gratia. vel, nulla transgressione mea adducti. Dicit Dauid se nulla sua culpa tam graues & duros insultus perpeti. Iam sæpius repetiuimus, quo sibi melius cnoscii sunt fideles, eo plus ad quærendum Deum fiduciæ suppetere: quia liberior patet aditus, eo quòd communem sustineāt cum Deo ipso causam. Nam quia Deus iustitiæ assertor est, ac bonarum causarum patronus, bellum cum eo suscipit quisquis innoxios aggreditur. Primò ergo queritur Dauid valida conspiratione se opprimi, & insidiis esse circumuentū: vnde sequitur nihil esse subsidii in mūdo. Postea ad innocentiæ suæ testimonium descendit. Quanuis enim Deus suos affligendo, eorum peccata castiget, meritò tamen Dauid Saulis respectu ab omni culpa se eximit, atque hoc modo integritatis suæ Deo iudicium defert, quæ peruersis calumniis apud homines succubuerat. Quicquid iactent (inquit) non reperietur in me scelus nec peccatū. [H] Non erat ergo Dauid omnino peccati expers, verū in hostes suos non peccauerat. Hæc est gloria innocētium erga hostes suos, qua & coram Domino vti possunt, tanquam omnium iustissimo iudice.

5 *Absque iniquitate [mea] accurrerunt, & parauerunt se: excitare in occursum meum, & vide.*

Absque iniquitate mea. [V] Ad verbum, In non iniquitate current, & instruēt se. Futurum pro præterito, aut præsenti. [C] Q. d. Quanuis bellandi ratione careant, currunt tamen vel satagūt, hoc est, nihil omittunt ad extremam diligētiam: adeo scilicet in perniciem miseri (licet innoxii) hominis cupidè inserti sunt. [H] Nam his verbis satellitum Saulis studium, sedulitatem & tumultuationem sese instruentium, conspirantium & circumcursitantium exprimere voluit. *Excitare.* [B] Vel, Euigila, Exurge. Quum hæc quæ prædicta sunt Deus permitteret, dormire videbatur, ideo orat Dauid vt euigilet ad occurrendum, id est, succurrendum sibi. [B] Alludit autem ad hostiū festinationem, de qua loquutus est, ne minus sedulò Deus auxiliari maturet quàm illi ad perniciem incumbunt. [H] Pulchrè ergo hac anthropopathia exprimit quo affectu implorādum sit auxilium Dei. Eo videlicet quo filiolus patris sinum petit, sicubi perterritus metuque perculsus fuerit: cui & pater obuiam accurrit, vt simul protegat filiolum, & videat à quo petatur ac vindicet. *Et vide.* [C] Quum sic loquitur, sensum carnis permiscet doctrinæ fidei. Perinde enim acsi præterisset Deus clausis oculis omnes iniurias vsque ad illum diem, rogat vt nunc incipiat videre: hoc pro ruditate humanæ mentis. Interea tamen videndi partes Deo tribuens, fide agnoscit nihil eius prouidentiæ esse absconditum. Quanquam notandum est Dauidem humaniter ita balbutire, vt tamen persuasus sit suas afflictiones simul cum integritate & hostium iniuriis Deo esse cognitas. Sed hac voce totam rem Dei iudicio examinandam proponit. [T] Quasi dicat, Vide tu è cœlis Domine, postquam non est qui videat in terris.

6 *Et tu Iehoua, Deus exercituum, Deus Israel, expergiscere ad visitandum omnes gentes: neque miserearis omnium præuaricatorum iniquorum. Selah.*

Et tu Iehoua. [B] Considerata inter precandum, vt filii Dei, bonitate, potentia & in omnes æquitate, tamen quid promiserit peculiariter Israeli, esse scilicet illi Deus, hoc est vindex & seruator: animosius orat vt se excitet, animaduersurus in omnes gentes. [C] Et pronomen tu emphaticum est, quasi diceret non posse magis fieri vt Deus abiiciat iudicandi munus, quàm vt seipsum abneget, vel exuat suam essentiam. *Deus exercituum.* Hoc epitheto immensam Dei potentiam commendat Dauid, Et quum addit, *Deus Israel,* [H] commendat peculiarem curam quam Deus de filiis & tota Ecclesia gerit. [H] Hic itaq; admonemur quomodo nominibus & epithetis vti debeamus. Premebatur Dauid ab exercitu Saulis, igitur implorat eum qui Dominus est exercituum: impetebatur ab alienis à populo Israel, itaque inuocat opem ab eo qui Deus (id est seruator) est Israelis. Discamus & nos ad hunc modum eum implorare, qui omnes exercitus in manu sua habet, & qui populi sui Deus est. *Ad visitandum omnes gentes.* [T] Duplici modo Deus visitare dicitur, vel quum percutit, vel quum aliquos sua gratia dignatur, & eis benefacit. Dei visitatio hoc loco pro iudicio & mulcta in improbos sumitur. [C] Hortatur autem Vates Deum ad visitandas omnes gentes, non quòd tam latè pateret causæ quam agit cognitio, sed ratiocinatur a maiori ad minus: quum ne profani quidem & extranei manum & vindictam Dei effugiant, certius & magis horribile iudicium instare hostibus intestinis, qui sub fraterno titulo piis molesti sunt, & ordinem diuinitus sancitum conturbant. Quanquam ergo Dauidi bellum non erat cum omnibus populis, Deum ad omnes visitandos excitans, absurdum fore ostendit si domesticos Ecclesiæ hostes impune grassari sinat. Simul etiam contra tentationem luctatur, qua probabile est duriter fuisse agitatum. Premebatur enim non à quatuor aut quinque improbis, sed ab ingenti turba: contra tamen se attollit, proprium Dei munus esse reputans non modò paucos in ordinem cogere, sed pœnas exigere de sceleribus totius mundi. Nam Dei iudicium ad vltimos vsque terræ fines extendens, ea multitudine terreri non debuit quæ exigua erat generis humani portio. Quanquam, vt paulo pòst iterum videbimus, non incommodè potest hoc de Israelitis intelligi, qui in suas tribus quasi in populos diuisi erant. *Neque miserearis omnium præuaricatorum iniquorum.* [V] Vel, Præuaricatorum iniquitatis. [C] Quum Dauid hoc loco Dei misericordiam ab iniquis transgressoribus prohibet, dubium non est quin reprobos tantū notet, quorum deplorata erat iniquitas. [V] Quasi dicat, Ne miserearis omnium impiè & sceleratè agētium, id est, quos tu vides Domine data

opera ita transgredi, & quos etiam iam adiudicasti extremo exitio. [c]Quanquam simul tenendum est quod antea attigimus, eum priuato affectu fuisse exutum, quàm purgatum omni turbida intemperie. Præterquam ergo quod exitio iam addictos esse nouit eos de quibus tam seuerè loquitur, puro & cõposito spiritus zelo cõmunem pòtius Ecclesiæ causam quàm suam agit. Ideo non est cur eius exemplum obtendant quos ad crepanda anathemata impellit priuatus dolor. [m]In summa malitiam hostium suorum ostendit Dauid esse apertam, plenam, maturam, & dignam quæ iudicio Domini vlciscatur. [l]Et quoniam cuiuis arduum id valde videtur, planéque admirandum & terrificum, hominem scilicet ad tantum diuinæ bonitatis vlteo deuanire neglectum & obliuionem vt nullo misericordiæ genere redimerent, *Selah* additum est.

7 *Reuertentur ad vesperum: latrant vt canis, & circumeunt ciuitatem.*

Reuertentur ad vesperum. [v]Futura Hebræa pro præsentibus: Idem versus cum 15 sequenti. [b]Hoc versu præcipuè eos notat qui Sauli gratificari cupientes, studiosè domum Dauidis noctu obseruabant, & de perimendo eo inter se commentabantur. *Latrant ut canis.* [v]Vel, Strepitum edunt vt canis. [c]Comparat hostes suos famelicis & rabiosis canibus, quos fames ad varios circuitus instigat. Dicit enim ad vesperum reuerti, non quòd reliquo tempore quiescerent, [v]sed perinde est acsi dixisset, Vbi cœperint ab aurora, & sæpe conati fuerint me deprehendere, si nihil profecerint, tum singulis horis redeũt, etiam sub vesperam: nunquam fatigantur. Significat incredibilem sedulitatem hostium ad male agẽdum. [c]Nam infatigabili studio pergebant in sua malitia. Aptè autem latratus similitudo conuenit ad formidabiles eorum insultus exprimendos. [b]. [l]Et certè, assentatores isti instar canum venantium, qui iam deprehensam feram cum latratu illam prodente & ipsorũ desideriũ indicante, insequuntur, per ciuitatem discursabant, omnia obseruantes & custodientes, ne qua, si domum euasisset, elaberetur.

8 *Ecce loquũtur ore suo: gladij in labiis eorum: quoniam dicunt, Quis audit?*

Ecce loquuntur ore suo. [a]Vel, garriunt ore suo. [c]Iterum enim ferociam describit hoc Hebraismo, acsi dicat, Nõ modò clanculum agitant secreta consilia in perniciem hominis insontis, sed publicè & cum iactantia effutiunt quod animis conceperunt. [b]Nominatim ergo queritur de verbis quibus assentatores illi odium suum erga ipsum inuicem, dum domum obseruarent, & dormire Dauidem putarent, detexerant, & consilia capiendi eum tentauerant. Ea fuere tam atrocia vt per interrogationem notam & cum aposiopesi dixerit eos in ore suo loqui, &c. *Gladii in labiis eorum.* [c]Significat hostes suos spirare meras cædes, vel totidem ad iugulandum miserum hominem euomere gladios, quot voces proferunt. acsi diceret, [a]Quæ verba eorum de me necando, perdendo, extinguendo sonant. *Quoniam dicũt, quis audit?* [c]Nunc subiicit eo insolẽtiæ eos ruere, quia nullũ dedecus inde metuant. Quãuis autẽ probabile sit Dauidem hic suo more perstringere vesanam impiorum socordiam, qui metus excutiendi causa Deum in cœlo dormire fingunt: videtur tamen conqueri, eo securius agitare praua consilia, & quasi medio foro publicare, quia in possessionem nocendi pridem venerunt. Sic enim fascinauerant totum vulgus, & Dauidẽ suis calumniis deformauerẽt, vt nemo pro excusatione miseri hominis mutire auderet: imò quo quisque atrocius in regis gratiam persequebatur miserum hominem, eo maiore erat in pretio, quasi boni publici cordatus defensor.

9 *Tu autem Iehoua deridebis eos, subsannabis omnes gentes.*

Tu autem Iehoua deridebis eos. [b]Precem fide fusam diuina semper consolatio excipit. [c]Quare contra hæc obstacula Dauid se nihilominus erigit ad meliorem fiduciam: [m]ac inanitatem & stultitiam conatuum impiorum ex collatione hinc diuinæ, illinc humanæ potentiæ considerat: veluti si pusio quidam aduersus robustissimum aliquem Gigantem insurgat. [a]Appositè autem ridendi similitudine vtitur, quo Dei potentiam altius extollat. quasi dicat, vbi omnia machinati sunt impii, Deum nullo negotio & quasi per iocum dissipare omnes eorum conatus. Quantisper enim conniuet Deus, gliscit eorum proteruia, & insolentius erumpit: quia non intelligunt Deum, vbi otiari videtur, solo nutu iudicia sua exequi. Contemptim ergo dicit, non opus esse magno apparatu: quia simulac volet Deus pœnas sumere, ludendo eos in nihilum rediget. Grauius autẽ hoc modo inuehitur in cæcum eorum furorẽ, qui vires suas intemperanter efferendo, Deum sopitum iacere fingunt. [f]Sic alibi, quum de regum & principum huius mundi conciliis aduersus Christum loquutus fuisset, adiunxit, Habitans in cœlis ridebit, Dominus subsannabit eos, Suprà, 2.a.4. [m]Quæ omnia non paruam consolationem piis omnibus afferunt, qui per fidem considerare debent quid Deus sentiat ac statuat de impiorum conatibus. Nam ea in re omnium actionum vertitur cardo, quarum effectus non in conante ac satagente quouis homine, sed in volente vno Deo consistit. Voluntas mea fiet, inquit, Esa.46.d.10. Quicquid igitur à quoquam vel contra Deum vel etiam præter consilium Dei tentatur, meritò in oculis Dei ridiculum habetur & inane. *Subsannabis omnes gentes.* [v]Quidam ad nihilum deduces. [c]Quod de cunctis gẽtibus dicitur, huc spectat, etiamsi numero æquarent totum mundum, ludibrio tamen fore cum suis opibus & copiis. Quanquam potest ita resolui, Sicuti tu subsannas omnes gentes. Certum quidem est Dauidem eludere stultam hostium suorum iactantiam, qui multitudine sua freti, nihil non audebant.

10 *Fortitudo eius ad te, custodiam: quoniam Deus eleuatio mea est.*

Fortitudo eius ad te custodiam. [a]Vel, Fortitudinem eius ad te custodiam. [c]Hoc quidam perinde accipiunt acsi Dauid diceret, Quanuis hostis meus roboris sui fiducia intemperanter se iactet, ego tamen quietus manebo: quia scio quicquid conetur occulis tua prouidentiæ frænari. Et certè sic cogendi sunt in ordinem cuncti, vt conatus eorum & vires subiiciamus Dei arbitrio. Alia tamẽ versio, nempe Fortitudo eius ad te: custodiam, melius congruere videtur. Nam Dauid in speculam fidei conscendit, vnde intrepidè violẽtos hostis sui impetus despicit, certò statuens nihil posse nisi Dei permissu. Verum si duo hæc separatim accipias, Fortitudo eius ad te: custodiam, sententia erit dilucidior. Priore enim loco Dauid potentiam Deo vẽdicans, qua gubernet totum mundum, hostem suum arcano fræno constringit, totumque eius robur aliunde pendere colligit, vt ne digitum quidem mouere queat nisi annuẽte Deo. Postea subiicit se pacato & tranquillo animo fore, vt patienter quemlibet euentum expectet. Verbum enim Custodiam, hic tantundem valet ac Me continebo: vel Tacitus attẽdã quidnã Deo placeat. Atq; in cõiugatione Niphal hoc sensu capitur Esa.7.a.4. Hic quidẽ ponitur in cõiugatione Cal: sed nihil impedit quominus vertamus, Tacitè obseruabo quẽcũque Deus euẽtum dare volet. [a]Sic Chaldæus paraphrastes, Ad te obseruabo. Id est, ad te semper respiciam, omne auxilium abs te expectans. Et verbum custodiam seu obseruabo antithesin habet ad obseruationem hostium, qua domum obseruabant, ipsum capturi: ad hunc sensum, Isti obseruant domum meam, vt me perdant, ego autem quieta mente & composita, quid facturus sis speculabor. *Eleuatio mea est.* [v]Vel, arx, protectio mea est. aut, Vice arcis altissimæ & propugnaculi. Paulo post versu 17 eleuationem & refugium coniungit. Quidam vertunt, quia Deus susceptor meus. [f]q.d. Viribus aduersarii mei se opponam, qui protector meus es, Deus.

11 *Deus misericordiæ meæ præueniet me, Deus videre faciet me in inimicis meis.*

Deus misericordia mea. [v]Vel clementiæ meæ. [f]Scribitur quidẽ hic affixum tertiæ personæ: sed punctus apponitur qui primã personam notat. [v]Celebrat Dauid Dei gratiam quam ipse expertus est: & Deum misericordiæ suæ appellat, acsi diceret, Deus qui beneficus & misericors est erga me, qui tam clemẽter mecum egit hactenus. *Præueniet me.* [v]Id est, maturè occurret mihi, vt quum fuero in periculo, ipse me eripiat. Nõ enim aliud intelligit Dauid quàm promptum sibi fore auxiliũ Dei, quo opportunè seruetur. Acsi diceret, Optimus ille Deus qui mihi hactenus fauit, & cuius infinitam misericordiam toties sum expertus, [m]anteuertet hostes meos, stabit ante faciem meam, opponet se insultui aduersariorum pro me: non expectabit dum mihi sit periclitandum, sed in tempore aderit, excipiet impetum hostium: illisque ita rependet vt me saluo & incolumi in nihilum redigantur quotquot vitæ meæ insidiãtur. *Deus videre faciet me.* [v]Nempe optata. vel diuinam vltionem. [b]Sic alibi, Et in aduersariis meis vidit oculus meus, Suprà, 54.b.9.

12 *Ne occidas eos, ne fortè obliuiscatur populus meus: vagari fac eos in virtute tua, & deiice eos clypee noster Iehoua.*

Ne occidas eos. [v]Chaldæus paraphrastes addit, statim. [m]Redit ad precationem sed priori dissimilem. Orat enim ne prorsus extinguantur subitò impii, sed paulatim detrahentur ac debilitantur virtute Dei. Hoc est, vt nulla deinceps rerum prosperitate vtantur, sed semper inferiores euadant, & paulatim cõterantur. [a]Atque hoc modo Dauid sibi prudentiæ patientiæ materiam suggerit. [c]Nisi extemplo Deus ad nihilum redigat hostes nostros fingimus elapsos esse ex Dei manu: & quã-

uis eos lēta & diuturna tabe paulatim cōficias, nō reputamus pœnā de illis sumi. Quia igitur præposterè inhiāt ferè omnes ad subitā hostiū suorū perniciē, Dauid seipsum cohibet, Dei iudiciū in leuioribus etiā malis, sub quib[9] läguēt reprobi, expēdit. Certū quidē est, nisi oculos nobis obstrueret socordia, in subita impiorū clade magis conspicuā esse Dei vindictam: sed quia statim nobis memoria effluit, non frustra optat Dauid quotidie renouari hoc spectaculum, vt iudicia Dei cognitio penitus cordibus infixa maneat. Addit enim, *Ne fortè obliuiscatur populus.* [v]q.d. Teneas eos quasi in theatro, vt quotidie agnoscant manum tuam quicunque eos aspexerint. [c] Atque istis populi Israelitici ingratitudinē obliquè perstringit, quòd tam malè in illustribus Dei iudiciis proficeret. *Meus.* [m] Populū suum vocat non solùm tanquam à Deo iam datum (erat enim in regem vnctus à Samuele) sed & singulari amoris affectu. *Vagari fac eos in virt. tua.* [v] Vel, fortitudine tua. [c] Hoc est, fac tua virtute ac potentia vt impii malis & egestate afflicti, huc illuc oberrent, ac nusquam inueniant doloris suo solatium. Coactū est illud quod quidam legunt, Commoue eos in exercitu tuo, id est, in populo tuo. Potius enim Dei virtutem appellat Dauid ad perdēdos impios, quia terrenis opibus freti putabāt se esse inexpugnabiles. *Et destrue eos.* [v] Vel, Fac descēdere, vel, Depone eos. sub. de dignitate sua. [c] Cupit impios ex honorifico gradu detractos, quasi ad pedes proiici, vt in sua miseria & probris continuum iræ Dei spectaculum exhibeant. Et quo facilius impetret quod postulat, ostendit in fine versus se causam totius Ecclesiæ agere. huc enim spectat pluralis numerus, *Clypee noster Iehoua.* Et certè quia diuinitus electus erat in regem, in eius persona continebatur salus Ecclesiæ. Ideóque non priuatim ipse impetebatur, sed totus populus, cuius saluti hoc modo consulere Deus volebat. Eadem etiam fuit ratio cur patienter tulerit Deum moderari sua iudicia, vt in assidua eorum meditatione populum retineret. [m] Nouerat vir optimus ingenium vulgi; quod à periculis liberatum, citò solet obliuisci in quib[9] fuerit angustiis, è quibus ereptus sit periculis. Quare et plurimæ extant apud Prophetas contra populū Dei querimoniæ, videlicet quòd obliti sint prorsus calamitatis & auxilii diuini, &c. Hac sanè ratione plerunque vtile est vt non prorsus liberemur à calamitate, ne obliuiscamur quales olim fuerimus.

13 *Peccatum oris eorum, propter verbum labiorū ipsorum: & capiantur propter superbiam suam, & ob execrationem & mēdacium narrabunt.*

Peccatum oris eorum. [c]Quia hæc est causæ redditio cur æquū sit impios iactari vt instabiles & inquieti semper vagentur, nonnulli particulam causalem propter subaudiunt, vt cohæreat hæc sententia cum superiore versu: optimè tamen conuenient abrupta & defectiua loquutio: acsi diceret Dauid non opus esse longo examine, quia palam se prodat eorum iniquitas, in linguæ proteruia. Peccatum (inquit) eminet in eorum ore: quia plenis buccis superbiam & crudelitatem suam euomūt. [m]Notat ergo Propheta quod versu huius Psalmi 8. dixerat, Ecce loquūtur ore suo, gladii sunt in labiis eorum Crepabat enim nihil aliud quàm maledictionem & mendacium, culpātes scilicet innocentem mortique destinantes. *Et capiantur propter superbiam suam.* [v]vel, Deprehendatur in superbia sua. [c]Hic tantem insuleo tiæ designat quòd tam petulanter & sine pudore sua magniloquentia opprimerent innoxium. [m] Orat itaque vt in illa superbia & arrogantia deprehendantur, hoc est, quod sibi intentabant periculum ex superbia, in id ipsi velut laqueum cadant. [a]vt verum sit illud, In reti quod absconderūt captus est pes eorum, Suprà 9.c.16. [m] Colligimus autem ex hoc loco, superbiam impiorum ipsis esse laqueum quo capiantur. vnde quidam vertunt hunc locum, Et illaqueentur in superbia sua. *Et ob execrationem & mendacium.* [v] Vel, Et de maledictione & mendacio eorum narrabunt alii. Nonnulli vertunt, Et de maledicto & de mendacio narrant, vel loquūtur. [c] Nunc specialiter explicat quomodo scelera sua ore proferrent, nos dicēs verba facere de execratione & mendacio. Quo verbo significat nihil præter diras maledictiones crepare, totósque esse addictos fraudibus & calūniis. *Et mendacium.* [v]Sunt qui pro mendacio vertunt maciem. q.d. Fac vt sint fabula vulgo, dicásque populus quòd à te maledicti sint & cōfecti macie. Sed hoc alienum est à mente Prophetæ. [a] Potius enim mendacium quod illi narrabant intelligit: [m] vt ostendat eos excusari non posse de peccato suo, tam certo, tanquam ore ipsorum patefacto. Nota est Christi sententia, Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis cōdēnaberis. Ex abūdātia nāq; cordis os loquitur, Mat.12.c.34. Quemadmodū enim de arboris malitia iam nemo dubitare potest postquam illam ipso fructu prodidit, vt iam certò possit condemnari: ita & de cordis malitia certò pronunciari potest ex verbis malis. Ex eodē enim bono bona, ex malo mala proueniunt.

14 *Consume, in furore, consume, & ne sint: & cognoscant quòd Deus dominator sit in Iacob vsque ad fines terræ Selah.*

Consume, in furore consume. [a]Nempe impios & sceleratos homines qui peccata peccatis addere non cessant. [m]Orat enim Dauid pro vltione hostium, sed tali quæ faciat ad gloriā Dei. [c]Sed videtur sibi contrarius, dum nunc vltimū interitum imprecatur hostibus, quos prius nolebat tā citò interfici. Quorsum enim consumptio in furore nisi vt repente collat è medio Deus qui perdendi sunt, non autem mediocres vel tardas de illis pœnas sumat? Sed non dubium est quin diuersum tempus notet. Atque ita facilè soluitur dissidium quòd in exemplum diu propositos, tandem vltimo exitio deuouet, vbi scilicet maturum aduenerit tēpos. Scimus imperatorib[9] Romanis solenne fuisse, postquam captiuos ad diem triomphi seruatos per vrbem circunduxerant, vbi in Capitolium ventum erat, illos tradere in manus lictorum vt statim iugularentur. Sic nunc precatur Dauid, vbi, Deus impios ad tempus superstites reliquerit, donec celebrem de ipsis triumphum ageret, tandem in exitium tradi. Iam hæc duo inter se optimè conueniunt, iudicia Dei nobis statui ante oculos longo temporis successo, ne excidat eorum recordatio: & tamen vbi satis edoctus fuerit mundus, infenso & aduerso Deo nihil reprobis superesse præter lentam tabem, maiorē tunc ad suum exitiū deduci, quo melius expergefaciat tale spectaculū pigras mentes vel leuioribus pœnis minimè attentas. *Vt non sint.* [m]Vel, Et ne sint, videlicet quales hactenus fuerunt in gloria & potentia, crudelitate & malitia sua quibus suis metuēdi: sed sint prorsus nulli, [a]imò verò pereant & ita aboleantur acsi nunquam extitissent. Sicut alibi dicitur, (cōsomantur peccatores de terra, & impii vltra ne sint, Infrà, 104.d 35. *Et cognoscant quòd Deus dominator sit in Iacob, vsque ad fines terræ.* [m]Hoc est, vt cuncti mortales sciant Deum dominari in populo Israelitico. [c]Quidam interposita copula exponunt, Vt cognoscant Deum in Iacob & reliquis mundi plagis dominari: sed hæc lectio sensum peruertit, Potius enim exquisitum supplicii genus notat Dauid, cuius fama ad remotissimas quoque gentes perueniat, & cæcis ipsis ac profanis hominibus innotescat Dei metum. Nominatim verò imperium Dei agnosci vult in Ecclesiæ gubernatione: quia valde absurdum videri poterat res illic tam confusas esse vbi sibi Deus erexerat regium solium, vt sacrarium eius nihil à cauerna latronum differret. [m] Proinde ista vltionis imprecatione Propheta ardorem exprimit pectoris pro gloria & populo Dei contra vtriusque contemptores impios vehementer zelantis. Vrebat admodum virum Dei quòd per impiorum arrogantiam, temeritatem, improbitatem & tyrānidem, quam in Israele populo Dei ad ignominiam Dei exercebāt, obscurabatur cognitio Dei. Dabatur enim occasio dubitandi num Deus esset dominator in Iacob, qui sineret tantam iniustitiam & temeritatem inultam. Hoc exemplo accendantur & nostra pectora pari cōtra obscuratores gloriæ Christi feruore, qui multo amplius Christi gloriam hodie sua temeritate inulta & indomita in Ecclesia Christi, & cœtera Impiis Christi hostibus Iudæis ac Turcis labefactant, quàm Saul cum suis in Israele. Precemur ex animo vniuersi vt ita sumat vltionem de hostibus suis quibusuis, vt innotescat vniuerso orbi Christum esse dominatorem in populo suo.

15 *Et reuertentur ad vesperū, latrabunt vt canis, & circumibunt ciuitatem.*

Et reuertentur ad vesperum. [m]Aut, si volumus Dauidem precationem suam continuare, vertendum erit, Et conuertantur. Quanquam si per futurum legamus simplicissimus erit sensus, postquam Dauid votis suis finem imposuit, nunc spem cōcipere fœlicis successus quem optauerat, & de victoria gloriari: quemadmodum fideles postquam suas curas in Deum coniecerunt, tunc sibi promittunt certam salutem. [c]Est autem concinna allusio ad id quod prius dixerat de rabiosa eorū fame. Neque enim nunc eodem sensu verba quibus versu septimo vsus fuerat, repetit: sed ironicè dicit alio modo fore famelicos, & aliter quàm sperassent ipsis cessurum. Prius conquestus est instar canum latrare, nempe quia eos agebat inexplebilis nocendi cupiditas & furor: nunc verò improbos conatus subsannās dicit, vbi satagendo se toto die fatigauerint, frustratum iri suis votis. Itaque superiori querimoniæ opponitur hæc gratulatio de irrita & inani eorum diligentia. Itaque quod hic dicit, non querimonia est, sed gloriatio potius.

16 *Ipsi vagabuntur ad comedendum: si non fuerint saturati.*

murmurabunt.

Ipsi vagabuntur ad comedendum. [V]Quidam legunt hunc in modū vt sit precatio, Ipsi vagentur ad comedēdum: profectò nō saturabuntur quando hospitium ad pernoctandum quærent. Id est, diuertent ad hospitium incœnati. Alii, Ipsi vagabuntur vt comedant, si non fuerint saturati, & nō dormient. Chaldæus paraphrastes, Ipsi fatigabuntur quærentes prædam vt comedant: & non quiescēt donec saturentur ac dormiant. Nonnulli hoc modo, Ipsi vagantur ad edendum: si non saturantur, & dormiunt. Quidam liberius sic, Vagabuntur pro cibo, at nec satiabuntur, nec tectum eis subire dabitur. [C]Sed simplex & genuinus sensus sponte occurrit, Quanuis non fuerint saturati, cogentur tamen ire cubitum. Atque hac circunstantia magis augetur inediæ & famis incommoditas, quòd vbi sine profectu totum diem mendicando consumpserint, fessi tamen ieiunum & vacuum ventrem in lectum afferant. [M]Et certè iusto Dei iudicio ad eum modum sæpe puniuntur tyrannorum satellites, miserorum oppressores, quibus bona pauperum per iniuriam ablata impenduntur, vt opes per calumniam acquisitas non diu obtineant: deinde ad egestatem redacti neminē inueniant qui esurientium commiseretur, digni qui eandem inhumanitatem quam ipsi antea exercuerunt in immeritos, experiantur. [A]Iuxta id quod Seruator dixit, Eadem mēsura qua mensi fueritis, remetietur vobis, Matth. 7.a.2. Et Salomon, Qui obthurat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prouerb. 21.b.13.

17 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & laudabo mane misericordiam tuam: quia fuisti eleuatio mihi, & refugium in die angustiæ meæ.*

Ego autem cantabo fortitudinem. [M]More suo Psalmum gratiarū actione claudit. [C]Nam his verbis non modò intelligit sibi fore canēdi materiam, sed iam se ad gratiarum actionem accingit. Ac primò liberationem suam fatetur magnificum fore virtutis Dei opus, deinde gratuitum beneficium. Verum quidem est Dauidem sine strepitu furtim vxoris solertia tutte elapsum esse ex hostium manibus: sed quia hoc stratagemate elusit Deus apparatum & copias Saulis, meritò dicitur exeruisse robur suum. Quanquam Dauid exemplo vno admonitus videtur longius respexisse, atque ita complexus esse varia auxilia, quæ subinde expertus erat. *Et laudabo mane misericordiam tuā.* [V]Vel, Et orabo. Vel, Clara voce laudabo. [M]Hic pollicetur accepti beneficii prædicationē, eámque ita ardentem ac sedulā vt sit de illo cātaturus etiam summo diluculo, & bonitatem Dei ac misericordiam laudaturus. *Eleuatio mihi.* [V]Vide versum huius Psalmi decimum.

18 *Fortitudo mea ad te: cantabo, quia Deus eleuatio mea, Deus misericordiæ meæ.*

Fortitudo mea ad te. [V]Id est, referam ad te totum robur meū. [V]Prius dixerat versu decimo fortitudinem hostis sui esse ad Deum: idem nunc de sua prædicat. Sed eleganter ambiguam loquutionem diuerso sensu ponit. Nam Deus fortitudinem impiorum continet, vt cohibeat ac frænet, imò ostendat fallaces & nullas esse quas illi vires sibi arrogant: interea suos fulciens, robur illis suppeditat, ne vnquam deficiāt. Antehac ergò gloriatus est se esse securum quod Saul arcana Dei prouidentia constrictus ne ad eleuandum quidem digitum idoneus fuerit: nunc quantumuis ipse debilis sit, prædicat satis sibi virtutis esse in Deo, ideoque subiungit iustam sibi esse psallendi causam: sicuti Spiritus per os Iacobi cap. 5.c.13 lætos & hilares ad psallendum inuitat. *Cantabo.* [V]Vel, psallam. vel, canam. [C]Sunt qui vertunt, Fortitudinem meam ad te canam. sed hoc duriusculum est. Itaque distinctè legenda sunt hæc duo membra. [V]Significat enim Dauid se nō confidere virtuti propriæ: sed tribuere Domino quicquid habet virtutis, & ferre illi acceptum: vnde iustam habet canendi materiam, sicuti iam dictum est. *Eleuatio mea.* [V]Vel, arx mea. Eadem vox Hebræa quæ versu proximè præcedenti, & suprà versu decimo. *Deus misericordia mea.* [V]Vel, Clementiæ meæ. [C]Iterum confirmandæ fidei suæ causa Deum appellat clementiæ suæ, quem sæpe misericordem expertus erat. superioris enim temporis documenta certam spem dabant similis in posterum gratiæ. Nam quòd quidam actiuè accipiunt, acsi laudem clementiæ sibi tribueret Dauid, frigidum & coactum est. Trita est autem passiua locutio. Proinde coniungit Dauid duo vnicè obseruanda, & indubitata fide in Deo omnibus exemplo Dauidis refugium suū in Deo habituris, apprehendenda, robur scilicet & misericordiam, seu clementiam. deme hæc duo Deo, non erit Deus, nec poterit esse suorum protector: adde illa creaturæ, & facies ex illa Deum, vt possit afflictos tutari, & de impiis vltionem sumere.

ARGVMENTVM PSALMI LX.

[V]Narrat hic Psalmus regni Israelis latitudinem & potentiā [M]regnāte Dauide, vt populus doceatur promissionem Dei veram esse, qua primùm Abrahæ, deinde & posteris eius totam illam terram Chanaan, expulsis illius gentibus, daturum se pollicitus erat. [C]Vnde Dauid, sciens se diuinitus electum esse regem, fideles diuini oraculi commonefacit, simúlque preces admiscet, vt quod cœpit Deus perficiat.

PRæfecto super Susan eduth, Michtham ipsius Dauidis, ad docendum.

Præfecto. [V]Vel, victori. Vide Suprà, 4.a.1. *Super Susan eduth.* [V]Nomen instrumenti musici, vel potius initium vulgatis cantilenæ fuit, ad cuius modos compositus fuit hic Psalmus. Sunt qui vertunt rosam vel lilium testimonii, vel pulchritudinis. Alii Susan decorum. Nonnulli Susan testimonii. *Michtham.* [V]Vide Suprà, 16.a.1, & 56.a.1. *Ad docendum.* [C]Hoc est, vt ii qui Dauidem non agnoscebant pro rege, ipsa experientia docerētur ipsum verè à Deo constitutum esse regem, qui tot & tantis victoriis (quas hic narrat) eum nobilitasset in oculis hominum.

1 *Quum bellum gereret contra Syros Mesopotamiæ & contra Syros Sobah: & quum reuersus esset Ioab, & percussisset Edom in valle salis duodecim millia.*

Quum bellum gereret. [V]Vel, quum præliaretur. Ad verbum, in rixando eum. id est, [V]quum rixaretur, contenderet. *Contra Syros Mesopotamiæ.* [V]Alii, Contra Aram Naharim. [C]Hoc canticum dicitur esse quasi ἐπινίκιον victoriæ quam adeptus est Dauid de Syriis & aliis fœderatis gentibus. Hebræi, quia Mesopotamiam aliásque regiones censent in Syria (quam ipsi Arā nominant) postea in species distinguere coguntur: sicuti hoc loco ponitur Syria Naharim pro Mesopotamia (quam ex Latinis quidam Græcos æmulati Interamnem vocauerūt) deinde ponitur Syria Soba, quam non absque ratione quidam Sophenem esse coniiciunt, quia ad ripam Euphratis adiacet. Dicitur autem, 2.Sam.8.a.3, Rohob rex Soba percussus à Dauide, quum profectus esset ad occupandum imperium fluminis. Tertia etiam Syria Damasci illic ponitur, & pro locorum diuersitate adduntur alia epitheta. Quum autem tūc Dauidi bellum à vicina quoque Syria illatum fuerit, & exercitum qui illinc ad iuuandos Ammonitas venerat, communiter profligauerit, exoritur hic quæstio, cur tantùm incolas Mesopotamiæ & regionis Soba nominet. Verisimile est, de longinquis gentibus, quia plus formidinis incusserant, habitum fuisse sermonem: quia illustrius hoc fuit specimen gratiæ Dei, tam lōgè propagari Dauidis imperium. Ergo vicinis gentibus præteritis, longinquos & sola fama terribiles populos Dauid cōmemorat, quorum strages propter nouitatem fere incredibilia erat. *Duodecim millia.* [B]Scribitur, libro Sam. 2.capite 8.d.13, quòd Dauid reuersus percussit in valle salis decē & octo millia Syrorum. Primo autem Paralip.18.d.12. legitur Abisai profstrauisse decem & octo millia Edomitarum. Hic autem tātùm duodecim millia memorantur, & quidem Edomitarum, atque cæsa ab Ioab. Hæc videntur in speciem inter se pugnare: attamen si rectè perpendas nihil variant. Nam in Sacra historia dicitur Abisai profligasse copias quarum strages hic ad fratrem Ioab refertur: verùm simul notandum est, inter se partitos fuisse exercitum. Quum autem Abisai gradu honoris & authoritate inferior esset, mirum non est, quanuis communiter ambo hostes percusserint, laudem totius victoriæ summo duci tribui: sicuti etiam, 2.Sam.18.b.7. Dauidi, cuius auspiciis res gesta est, totum hoc tribuitur. Interea probabile quoque est, in ipso prælii congressu occisum fuisse circiter dimidium numerum: alios autem dispersos, in fuga cæsos esse à Ioab. [B]Quòd autem in libro Samuelis, Syri cæsi, & in libro Paralip. atque hic Edomitæ leguntur, inde factum est quòd commune harum gentium bellum exstitit, vt 2.Sam. 10, & 1. Paralip.19. scribitur. Quòd autem hæc victoria, 2. Sam.8, & 1. Paralip.18. seorsum inter præcipuas memoratur, causa hæc esse videtur quòd ea patentiore diuini auxilii miraculo contigerit. quam ob causam & in præsenti inscriptione eius facta est mentio. Nam aliis vicibus in hoc ipso bello longè plures hostium cecidisse, sacra historia testatur.

3 *Deus proiecisti nos, & dissipasti nos, iratus es: proinde reuertere ad nos.*

Deus proiecisti nos. [V]Vel, repulisti nos. Sunt qui duos istos versus per plusquamperfectum vertunt. Repuleras, siue deserueras aut abieceras, aut, vt quidam, elongaueras. [C]Incipit autem Dauid à precatione, quo se & alios melius excitet ad reputandam Dei gratiam. Interponitur enim cōparatio ex qua melius

pateat regnū Saulis à Deo fuisse reprobatum. Ergo de miseria tristique dissipatione conquestus, precatur vt rebus in melius mutatis propitiū se Deus exhibeat populo suo, in cuius persona hic loquitur, graues & longas calamitates deplorās quib[9] propè afflicta fuerat Ecclesia sub Saule. Atque hoc notatu dignum est, quòd gentiles suos acerrimos & sæuissimos seosisset hostes, vbi ouue solio potitus est, obliuisci omnes illorū iniurias, quia suæ vocationis memor est, ideóque prodire in conspectum Dei quasi vnum ex populo. *Dissipasti nos.* [v] Vel, disrupisti nos, discerpsisti, vel, discerpseras. [c] Dissipationē ponit quasi præcipuum malum: quia fractis vel attritis Saulis opibus, sic exposita hostibus terra erat in prædā vt nemo domi suæ tutus latteret, sed omnes ad fugam & exiliū essent parati. [a] Interea notandum quòd calamitatem, dissipationem, vastationem, oppressionem populi Israelis, velut promeritā, irato Deo ascribit Dauid, quum dicit, Deus deseruisti nos, dispersisti nos: iratus es: cōmouisti terram, dirupisti eam, ostendisti populo tuo dura. &c. vt intelligamus iram Dei ipsissimā populi perditionem esse, & rursus beneuolentiam Dei, salutem esse populi.

4 *Tremere fecisti terram, scidisti eam: sana fracturas eius, quia nutat.*

Tremere fecisti terram. [v] Vel, commouisti terram. Concusseras, contremuit terra. *Scidisti eam.* [v] Vel, dirupisti eam. aperueras eam. aut, dehiscere feceras eam. [c] Hāc vastitatē iterum metaphoricè describit, dicens non minori deformitate affectam esse terram quàm si hiatu abrupta fuisset. Neque enim terram chasmate diuulsam fuisse intelligit, sed ita collapsum fuisse vel deiectum populi statum vt calamitas vbique conspiceretur qualis terræ motum & hiatum sequi solet. Ex quo enim à Deo Saul defecit, cœperunt res eius pessum ire, donec in totum ipse periit, & populum fere reliquit perditum ac deploratum. Certè omnes tunc erant in summo metu ac trepidatione: hostibus autem ludibrio erat Abrahæ semen: nec iugum refugisset, si modò tolerabilis oblata esset seruitutis conditio. His signis ostēdit Dauid alienatum fuisse Deum à Saule: ideóque fontem omnium malorum detegit, Deū iratum fuisse dicens. *Sana fracturas eius.* [v] Vel, contritiones eius. vel, confractiones, rupturas. [c] Eundem qui percussit medicum nunc implorat, rogans vt sanet fracturas. [a] Vnde docemur, liberationem ex aduersis rebus non esse petēdam nisi ab eo qui nos per illas castigat. Neque enim alius quisquam est qui afflictos liberare poterit. nam quis liberabit eos quos Deus ipse flagellat? *Quia nutat.* [v] Vel, concussa est, inclinata, mota, commota est. aut, vacillat. [a] Confirmat quæ præmisit de terræ interruptione & concussione.

5 *Videre fecisti populum tuum dura, propinasti nobis vinum soporiferum.*

Videre fecisti populum tuum dura. [v] Vel, ostendisti populo tuo dura. Hebraismus, pro, Dura fecisti sæpe experiri populum tuum. vel, Duriter & asperè illum tractasti. *Vinum soporiferum.* Vel, lethale, toxicum, tremoris, perturbationis, stuporis. [c] Iam similitudine malorum acerbitatem exaggerat, quòd inebriati fuerint vino soporis, aut vertiginis. [a] Quidam vocem Hebræam תרעלה insaniam & rabiem interpretantur, vt intelligas ita malis fuisse obrutos vt omnium rerū suarum fuerint incerti, & perturbati adeo vt nusquam non impingerēt, vt qui essent prorsus in furorem acti. Eadem metaphora vsus est Esa. 51. f. 17. [c] Ergo de venefica potione specialiter loquitur Propheta, quæ mentes sensu & intelligentia priuat: acsi dixisset Iudæos malis fuisse obstupefactos. Voluit enim Dei maledictionem, quæ sub Saule grassata fuerat, illis ob oculos ponere: vt deposita peruicacia solium à Deo reprobatum suis auxiliis fulcire desinerent. [a] Cæterùm frequens in Scripturis est, per calicem, id est ad mensam vini portionem (vti in conuiuiis veterum obseruari solebat) certam malorum & bonorum portionem, quam cuique Deus destinarit, significari. De quo vide Suprà, 11. b. 6.

6 *Dedisti metuentibus te vexillum ad vexillandum propter veritatem. Selah.*

Dedisti metuentibus te vexillum. [v] Vel, signū vt triūpharent. Alii, signum ad sustollendum ipsum. Quidam præteritum, dedisti vertūt per imperatiuū, Da timentibus te vexillum quod erigam: & sic continua esset precatio. [c] Atqui Dauid potius gratulationem votis permiscens, admonet, in mutatione quæ cōtigerat, apparuisse clarum signum fauoris Dei: [v] acsi diceret, Iam Domine affulsit nobis signum & testimonium bonitatis ac gratiæ tuæ: tu nanque dedisti signum, vt iam quasi expanso vexillo triumphes quemadmodum victores solent erigere vexillum, vel trophæum, ita eriges trophæum de hostibus tuis. [a] Agit ergo gratias totius populi nomine, quia vexillum erexerit ad recreandos animos, & colligendam dispersionem. *Ad vexillandum.* [a] Id est, ad extollendum more victorum. vel, ad sustollendum vexillum reuocandorum animorum gratia. *Propter veritatem.* [v] Vel, coram veritate. Ad verbum, à facie veritatis. Id est, Vt ostenderes promissiones liberationis tuæ esse veras. [c] Significat Dauid exortam è tenebris fuisse Dei veritatem, vbi præter spem restitui subitò cœpit Ecclesia. Quis enim non putasset irritas esse promissiones Dei in tanta desperatione? Dauide igitur in solium euecto, simul emersit Dei veritas, quæ suffocata fuerat. [v] Itaque quod hic dicit, tantundem valet acsi dixisset, Dedisti signum vt ostenderes te non frustra pollicitum esse Abrahæ hanc terram & semini eius. [c] Quanquam autem toti populo beneficium hoc præstitum fuit, Dauid tamen admonet, Deum respexisse suos cultores, quantumuis paucos numero, vt eorum saluti consuleret. [a] Interea admonemur, liberationem ex aduersis non adscribendam esse nostræ probitati, conuersioni, obseruantiæ Dei, sed veritati Dei, vt gloria sit Dei, nō nostra. Neque enim nostris meritis vnquam dignos nos reddere poterimus beneficētia Dei promissa, sed sola promittentis veritas hic spectāda est. Adhæc nullam spem in Dei promissione rite ponere poterimus, nisi Deum timeamus & colamus.

7 *Vt liberētur dilecti tui: saluū fac dextera tua, & exaudi me.*

Vt liberentur dilecti tui. [v] Vel, vt liberarentur. Quidam, vt euadant. [c] Iterum ad precationem redit: nisi forte initium huius versus, Vt euadant dilecti tui, cum superiore sententia contexere magis placeat: quod fieri debere probabile est. Nam in ipsa vastitate Dauid magnitudinem gratiæ commēdat, quòd Deus suos animauerit ad tollendum vexillum, qui prius sine spe effugii in extremas angustias redacti erant, vt certa extaret perditio nisi mirabiliter erepti essent. [v] Nam nisi Dominus opē sua benignitate tulisset, nihil amplius restabat nisi vt hostes vndique populum ipsum intercluderent, & quasi deprehensum tenerent. *Dilecti tui.* [c] Quos prius dixit timentes Dei, eosdem nunc vocat dilectos: qua voce subindicat non ita rependere Deum suis cultoribus mercedem, quin simul gratuitæ dilectionis respectum habeat. *Saluum fac dextera tua.* [c] Quòd preces adiungit, eo monemur, quamuis in sublime Deus nos extulerit suis beneficiis, modestè tamen & humiliter semper rogandum esse vt opus suum prosequatur. [a] Ostendit etiam Dauid hac precatione se ex eorum esse numero ad quos Dei promissiones attineant. *Et exaudi me.* [a] Scilicet tibi fidentem, atque opem tuam implorantem. [v] Quidam legunt, Et responde mihi. seu, annue mihi: vt ardentissimus animi motus in Dauide significetur.

8 *Deus loquutus est in sanctitate sua, (unde) lætabor quòd diuidam Sechem, & vallem Succoth metiar.*

Deus loquutus est. [a] Postquam Dauid de Dei erga populum Israeliticum beneuolentia in genere disseruit, nunc populū reuocat ad Dei promissionem, [c] dicēs Deum ore suo testatum esse quod effectu postea sanciuit. [a] Memorat etiam quæ sibi Deus peculiariter magnificè fecerit, vt sibi ab initio regnum Israelis & alias quas tū sub imperio habebat nationes subiecerit. [c] Quod tamen hic dicit, potest tam in ipsius populi quàm in Dauidis persona legi. Et certe Dauid, etiamsi seorsum loquatur, minimè tamē se ab vniuerso corpore separat, cui præfectus fuerat in caput. Iubet ergo populum, si non sufficiant documenta gratiæ Dei, animos ad hoc oraculum erigere, quo rex fuerat destinatus cum præclaris elogiis. *In sanctitate sua.* [v] Quidam, per sanctitatem suam. Alii, In Sacrario suo, aut Sanctuario. Acsi diceret Dauid, Quemadmodum certa oracula & quæ nunquam fallunt edere solet Dominus è Sanctuario suo, ita etiam nūc loquutus est vt esset indubia fides promissionū. Sed præstat sanctitatis nomen retinere, hoc sensu, Deus loquutus est in sanctitate sua, hoc est, sanctè, firmè, & asseueranter, ita vt statuere possem nō fuisse quicquā à Samuele confictū. q. d. Vos quidem iam sentitis re ipsa nunc Deum vobis propitiū qui infēsus fuerat sub Saulis regno: præcipuum autē est vt reputemus promissionem Domini. Ego enim non temere mihi sumpsi regnū hoc, nec vlla fuit factio quæ me regem vobis crearet: Deus est author regni mei. Ita promiserat mihi, & illius testimonio fretus hactenus hæc bella gessi. Nūc igitur, qui antea non poteratis fidem mihi habere, experimētis certis edocti, amplexamini oracula illa & promissiones Dei. [c] Quia ergo nullus erat dubitationi locus, epitheto insignit quod per os Samuelis pronuntiatum fuerat. *Lætabor.* [v] Rectè subaudiri posset particula vnde. q. d. hinc ampla mihi lætitiæ materies. [c] Innuit Dauid se in hoc Dei verbo præcipuè acquiescere: tametsi enim multas victorias adeptus erat quæ procul

dubio enim non ediderant, se tamen plus lætitiæ cepisse significat ex vocali testimonio quàm ex aliis omnibus signis. Et certè quamuis ad nos exhilarandos plurimum valere debeant omnia Dei beneficia, meritò tamen summum gradum obtinet fides, quæ & lethales omnes tristitias aboleat, & spirituali gaudio mortuos viuificet. [a]Hoc enim gaudium est in Spiritu sancto, in quo regnum Dei situm esse docet Apostolus, Rom.14.c.17. [c]Porro non solùm priuatim se lætatum esse dicit Dauid, sed pios omnes accersit in societatem gaudii. *Diuidam Sechem.* [v]Diuidere & metiri dixit pro Possidere iure hæreditario, quòd eo iure possidenda primùm diuidant & dimetiantur. Lætabor, inquit, nempe certa spe subnixus quòd omnia ita vt promiserat Deus, mihi euentura sint & cessura.

Et vallem Succoth metiar. [c]Dauid eas partes nominat quæ serò in eius potestatem venerunt: ac eo tempore Psalmus videtur esse compositus quo adhuc manebat earum possessio penes filium Saulis. Quia ergo magnum de his regionibus certamen fuit Dauidi, quamuis serò, iugum tamen subituras esse dicit, quia Deus fidem suam interponere dignatus sit.

9 *Meus Galaad, & meus Menasseh, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iehudah legifer meus:*

Meus Galaad. [a]Per Galaad & Manasse regionem trans Iordenem significat. alioqui Galaad tribui Gad cesserat, Iosue 13. c.14. *Ephraim fortitudo capitis mei.* [v]Vel, robur. [c]Quoniam tribus Ephraim maximè populosa fuit, meritò vocat eam Dauid robur capitis sui, id est principatus. [a]quare & regnum post defectionem à Rehoboam penes illam fuit: nec rarò pro populo decem tribuum ponitur. [v]Nonnulli vertunt pro eodem, Firmamentũ regni mei. *Iehudah legifer meus.* [v]Vel, legislator meus. Vel, dux meus. Vox Hebræa propriè cõditorẽ legũ significat, & etiam regem. rex autem pro regno accipitur. q.d. Regio Iehudah est regnum meum. [c]Ergo quo plus fidei oraculo conciliet vetustas, addit Dauid Iehudah sibi fore ducẽ: acsi diceret non aliter rite posse coalescere Abrahæ posteros nisi colligantur sub tribum Iehudah, vel ducem qui inde progenitus fuerit: quia sic olim prædictum fuit à Patriarcha Iacob. Nam ad vaticinium illud alludit quod refertur à Mose, Gen.49.b. 10, Non exibit sceptrum de Iehudah &c. Et illic etiam ponitur nomen מחקק quod legislatorem vertunt. Hinc ergo constat nullam fore stabilitatem imperii nisi resideat in tribu Iehudah: quia Deus ab initio non modò sic decreuit, sed pronũtiauit sibi placere. Porro aptius hoc ad totum populum refertur quàm ad Dauidem, sicuti nuper admonuimus non tam priuato nomine loqui quàm suscipere totius Ecclesiæ personam. [m]Interea videmus satis fuisse Dauidi Deum loquutum esse. Sciebat illum mentiri non posse. Hanc fidem imitemur & nos, vt oraculo Dei quamfirmissime nitamur.

10 *Moab olla lotionis meæ: super Edom proiiciam calceamentum meum. Palæstina iubila super me.*

Moab olla lotionis meæ. [v]Vel, ablutionis meæ. Hebraismus, quẽ sic quidam conuertunt, Moabitæ mihi seruiliter subditi erunt. Alii, Moab mihi subiecta erit, ceu lebes in quo pedes lauem. [a]Nũc & exterarum nationum meminit quas Dominus illi subiectas esse volebat. [c]Eas autem à suis popularibus longè discernit. dominari enim eũ oportuit filiis Abrahæ, tanquã fratribus, nõ autem mancipiis: in profanos verò & incircumcisos permissum erat durius imperiũ, quo eos violẽter subiugeret. [a]quare hic maximè abiectam & sordidam seruitutẽ propositæ ollæ similitudine significare voluit Vates. [c]Neque tamen victoribus licebit tyrannidis prætextum hinc petere, vt gentes bello deuictas pro libidine opprimant: quia spectandũ est Dei mandatum, in quo longè differunt à Dauide: qui non tantùm regia potestate ornatus fuit, sed creatus à Deo vltor Ecclesiæ, præsertim aduersus implacabiles illius aduersarios, qui humanitatis obliti, cognatis suis molesti esse non destiterant. Contemptim igitur Moabitas sibi peluim fore dicit ad pedes lauandos: quia scimus pedum lotionem fuisse in vsu cõmuni Orientalibus. [f]Quid autem in ædium supellectili vilius inuenitur pelluuio ad abstergendas pedum sordes fabrefacto? *Super Edom proiiciam calceamentum meum.* [v]Phrasis Hebraica, Proiicere calceamentum, pro, Immittere pedem. q.d. Calcabo Edõ tanquam mihi subiectam. [c]Hoc autem signum erat contumeliæ: quia sicuti sacro & electo populo superbè insultauerant, ita seruiliter erant tractandi. *Palæstina iubila super me.* [v]Vel, Ad me Palæstina veni cum plausu. Alii, Mihi Philistæa cum plausu acclama. Quidam, Aduersum me Palæstina iubila. vt sit ironia qua Palæstinorum superbiam taxet Dauid. q.d. Non poteris iubilare, quia fortior te sum. Palæstini diu riserãt Dauidem, neque putabant vnquam futurum vt venirent in eius potestatem: superbè ergo illudere soliti fuerant. Propterea Dauid nunc pronuntiat non semper locum fore talibus ludibriis, quia cogerentur ipsum agnoscere regem, quem prius contempserant. Sed prior expositio magis cõgruere videtur, Iubila Palæstina in signum obedientiæ, plausu testare me esse regem tuum: etiamsi non facias sponte nec ex animo. [c]Videtur enim Propheta de seruili applausu loqui: quia vtcunque præfractis animis iugum odissent Palæstini, coacti tamẽ sunt victori suo adulari. sicuti Suprà, 18.d.45, vidimus, Filii alienorum mentientur mihi.

11 *Quis deducet me ad ciuitatem munitam? quis deducet me vsque ad Edom?*

Quis deducet me ad ciuitatem munitam? [a]Quidam per vrbem hanc munitã Raboth intelligunt, quæ metropolis erat Moabitarum, & quæ longa obsidione & magna difficultate tandẽ expugnata fuit. Sed potius ἐνάλλαγη est numeri. Dauid enim indefinitè loquitur de hostium vrbibus, quarum receptaculo confisi statuerant minimè cedere. *Quis deducet me vsque ad Edom?* [a]Hoc est, quis dabit vt Idumæi imperio meo subiiciãtur? [v]Certè deuictis munitionibus Idumæi venerunt sub Dauidis imperium.

12 *Nónne tu Deus, [qui] repuleras nos, & non egrediebaris Deus cum exercitibus nostris?*

Nonne tu Deus. [a]Hoc versu elegãter priori respondet, [c]ac Deum sibi ad vrbes eas expugnãdas ducem fore prædicat, sicuti in acie victoriam contulit. *Qui repuleras nos.* [v]Vel, proiiceres. idem verbum quod in principio tertii versus. [c]Iterũ comparatione gratiam amplificat quæ affulserat sub eius regno, vt inde legitimam ac sanctam esse suam vocationem probet. Deus, inquit, qui nos antehac deseruerat, & passus fuerat infœliciter bellare, nunc patefaciet mihi vrbium portas, vt per cunctas hostium munitiones perrumpã. *Et non egrediebaris Deus cum exercitibus nostris?* [v]Hanc loquutionem vide Suprà, 44.b.10.

13 *Da nobis auxilium de angustia: nam vana salus hominis.*

Da nobis auxilium de angustia. [v]Vel, Fer nobis auxilium propter tribulationem. vel, in tribulatione. [a]Iterum ad precationem redit: imò ab illa quam vidimus spei certitudine deducitur ad precandi studium. dicit autem, modò auxilietur Deus, vt non aliunde quicquam subsidii accedat, in sola eius manu plenam esse salutem. Sic enim ad verbum legitur, *Et vana salus hominis.* ([v]Vel, & vanitas.) [a]ac si diceret, Domine, sicuti nullo adiutore indiges, quum virtutem tuam exerere placet: ita simulac testatus fueris te nobis fauere, non erit cur humanam opem expetamus: quia potentiæ tuæ fulgore omnes terrenæ opes euanescunt. Potest etiam copula in causalem particulam resolui, hoc pacto, Nã vana est, aut mẽdax salus hominis. Atque vtinam probè cordibus nostris insideret hæc sententia. Vnde enim fit vt totus fere mundus semper vacillet, vel spes vanas concipiat ad se inflandum, neglecto Deo, nisi quòd nemo gustat salutem Dei, quæ vna sufficere debebat: quũ extra eam quæcũque se ab hominibus offerunt auxilia, fallaces sint præstigiæ? [m]Et cur gloriãtur impii de robore exercituũ suorum? Certè nisi Deus adfuerit, omnia sunt inania. [c]Nã quòd Dauid salutem hominum, quæ nulla est, opponit Dei saluti, impropria est loquutio, nempe quia stultè varias salutes nobis in mundo imaginamur, per concessionem figmentis nostris tribuit rei nomen. Neque enim siquando vtitur Deus opera hominum in nobis seruandis, vel munus illis suum resignat, vel eos ornat suis spoliis. Verè igitur ea quoque salus Dei censetur quam per homines administrat. Sed nihil aliud voluit Dauid quàm fictitium esse quicquid aliunde quàm à solo Deo auxilii speratur. [a]Qua de re vide Exodi 14.c.14, & 2.Paral.20.e.12.

14 *In Deo faciemus virtutem, & ipse conculcabit inimicos nostros.*

In Deo faciemus virtutem. [v]Vel, fortitudinem. Hebraismus est, quem sic quidam reddunt, In deo fortiter faciemus. Vel, Deo freti fortiter agemus. Alii, Faciemus militiã. Id est, fauẽte Deo pugnabimus, & egregia facinora edemus. [c]Hæc sentẽtia duobus membris constat, priore quidem, simulac gratiam suam subduxerit Deus, concidere & effluere quicquid in hominibus creditur esse virtutis: rursum qui in solo Deo fortes sunt, perfecta virtute esse præditos, vt superãdis cũctis difficultatibus pares sint ac idonei. [a]Iuxta id quod alibi dicitur, Hi in curru & hi in equis fidũt, at nos nomẽ Iehouæ Dei nostri memorabimus, Suprà, 20.b.8. *Et ipse conculc. inimicos nost.* [c]Ne quis putaret Dauidẽ dimidiã solũ fortiter agẽdi laudẽ Deo aspergere, totũ opus in solidum ei vẽdicat quũ dicit cõculcaturũ ho-

stes.[A]Ille enim est qui vel tacētib[9] & quiescētibus nobis fortiter pugnat aduersus hostes nostros, & eos propria virtute deiicit. Non nobis igitur sed illi soli accepta ferri debet victoria. [c]Quòd si contra homines pugnando laudem agēdi inter nos & Deum partiri fas non est: quanto minus tolerabile est sacrilegium, in salute promerenda vires liberi arbitrii, Spiritus sancti gratiæ opponere, acsi æqualis esset concursus? Sua igitur superbia se præcipitant quicunque seorsum à Deo sibi arrogant vel minimam guttam virtutis: [A]quum non simus idonei ex nobisipsis cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis, sed si ud aliquid idonei simus, id ex Deo sit, 2.Cor.3.b.5.

ARGVMENTVM PSALMI LXI.

[H]Psalmus hic nihil aliud complectitur quàm precationem, & fiduciam erga Deum, & postremò gratiarum actionē. Prædicat enim Dauid se ab ingenti periculo, qualecunque illud fuerit, liberatum fuisse, & in solio regio stabilitum.

PRæfecto super Neginoth, ipsius Dauidis.

Præfecto super Neginoth. [V]Vide Suprà, 4.a.1. Quidam vertunt, ad præcinendum in canticis Dauidis. Alii, Vincenti in melodiis Dauidis. [3]Quo tempore, quóve in periculo constitutus Dauid hunc Psalmum composuerit non prorsus certum est: [c]coniectura tamen probabilis est Dauidem aliquandiu potitū fuisse regno dum in has de quibus loquitur insidias incidit. Videtur ad tempus conspirationis Absalom referri, quia non potuit nisi profugus ab extremis terræ finibus clamare, quod 3 versu dicit se facturum.

2 *Audi Deus clamorem meum, attende orationi meæ.*

Audi Deus. [B]Precationis affectus habet hic versus.[H]Nā Vatet ex corde angustiato præ metu inimicorum diuinam opem implorans audiri cupit. *Clamorem meum.* [V]Vel, vociferationem meam. [L]Vox רנה vocem editam ex affectu quolibet natam significat, [c]& in hac prece vehementem affectum designat: quia siue submissè conquestus sit Dauid apud Deum, siue altius vocem extulerit, interior tamen animi impetus & zeli ardor clamori meritò confertur. [3]Eadem voce vsus est & Suprà, 17.a.1. [A]Vt intelligamus illum non defunctoriè sed ex serio cordis affectu Dominum rogasse vt ab eo exaudiretur. *Attende orationi meæ.* [A]Hæc repetitio ostendit Dauidem perseuerasse in precibus. Atque hæc assiduitas exemplo nobis esse debet, ne fatigemur orādo, quamuis non statim palā faciat Deus se votis nostris fuisse propitium. [A]Vnde alibi dicitur, Expecta Iehouam, corrobora te, & roborabit Deus cor tuum: & expecta Iehouam, Suprà, 27.d.14. Nam veniens veniet, & non tardabit. si moram fecerit, expecta eum, Hab.3.a.3.

3 *Ab extremo terræ ad te clamabo, dum in mœrore est cor meum: ad petram quæ celsior est me, deduc me.*

Ab extremo terræ. [V]Vel, à finibus terræ. Significat Dauid se exulem fuisse à patria, vel saltem non licuisse sibi venire ad templum. [c]Nam quod nonnulli allegoricè accipiunt, acsi diceret ex profunda abysso se orare, parum solidum est. Iā quia se regem versu septimo nominat (quod nusquam dixisse legitur ante Saulis mortem) colligere promptum est notari tempus illud quo trepidè fugiens furorē filii Absalom, in desertū Mahanaim & alios recessus se abdidit. Nam quia Deus montem Sion elegerat tam domicilio Arcæ fœderis, quàm regis solio, dicit Dauid se eiectum esse in extremos terræ angulos, quia à præcipua & maximè optabili parte eiectus erat. [H]Ergo à finibus terræ clamo, id est, Vndique ex vniuersa terra, vbicunque locorum, & quamlongissime à tabernaculo tuo districtus, ad te clamo, non sine magna cordis angustia. [c]Iam si Dauid sub vmbratili Legis cultu, quamuis à Sanctuario longè profugus esset, orare tamen non destitit, nulla erit hodie torporis nostri excusatio nisi fide in cœlum conscendimus, quæcunque obstacula nobis obiiciat Satan, quando nos ad se tam benignè Deus inuitat, & via patefacta est per Christi sanguinem. Ergo quibus ablata est verbi prædicatio, & qui Sacramentis priuati ab Ecclesia Dei exulant, Dauidis tamen exemplo discant ab ipso deserto & longa distantia ad Deū clamare. *Clamabo.* [V]Nōnulli futurum conuertunt in præsens Clamo. *Dum in mœrore est cor meum.* [V]Vel, dum anxiatur. Alii, quum defecerit. Vel, quādo affligetur. Quidam, dum angitur cor meum. [c]Et quia verbum עטף Hebræis tegere interdum vel inuoluere significat, nonnulli vertunt, Dum voluitur cor meum. acsi diceret iactari sursum ac deorsum, vel æstuare. Verùm durior est hæc expositio. Rectius alii, dum curis & molestiis inuoluitur vel obruitur cor meum. Sed simplicius est, dum angitur cor meū. Qua particula testatur Dauid sibi tristitiam non obstare quominus ad Deum confugiat. Interea fatetur non fuisse sibi cor ferreum, vel Stoica duritie obstupefactum contra dolores & molestias, sed intus quoque difficilem sibi fuisse luctam cum mœstitia & anxietate cordis, præter externam illam tentationem de qua nuper diximus. Ergo quo magis se constringi ægritudine vel cura sentiunt fideles, eo fortius eniti conuenit vt hæc impedimenta perrumpant. [H]Docemur etiam exemplo Dauidis, dum afflictiones nos premunt, ad neminem quàm ad ipsum Deum clamare. Sic alibi dicebat, Intende voci clamoris mei, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te precem meā fundo, Suprà, 5.a.3. *In arcem quæ celsior me est.* [V]Ad verbum, quæ exaltabitur à me. Futurum pro præsenti. Quidam vertunt, editiorem quàm vt illā ego conscēdere queam. [c]Rupis vel arcis nomine securam protectionem intelligit. ab ea se dicit arceri, quia nisi manu Dei erectus, gradum promouere nequeat. Nā quum vndique circunspiceret, tuta omnia & tranquilla loca quodammodo in sublime attolli putabat, & accessum negare. Conqueritur ergo omnia auxilia sibi abripi, & à se procul alienari: sed interim quamuis nulla appareat liberationis ratio, se tamen non dubitat fore saluum si modò Deus porrigere manum velit. q. d. Quamuis mihi subtrahantur omnia auxilia, & totus mundus effugia omnia præcludat, tu Deus præter spem me eripies. Neque enim deserere potes sperantes in te. [H]Sic postea dicit, Quia tu es spes mea, turris robusta à facie inimici. [c]Hæc autem doctrina apprimè notatu digna est, vt discamus salutem, quæ à Deo speranda est, proprio carnis sensu non metiri, nec subsistere in mediis quæ occurrunt, sed Dei arbitrio permittere arcanos seruandi modos. Nam quisquis formam præscribere tentat, videtur data opera Dei potentiam in arctum cogere.

4 *Quoniam fuisti spes mihi: & turris fortitudinis à facie inimici.*

Quoniam fuisti spes mihi. [V]Vel, protectio, asylum. [c]Hic vel superiora Dei beneficia confirmandæ suæ fidei causa in memoriam reuocat: vel sibi iam de præsenti liberatione gratulatur. Vtrunque enim probabile est. Nam quum nihil nos ad bene sperandum melius animet quàm recordatio cognitæ & perspectæ Dei gratiæ, in hac meditatione Dauid sæpe inter precandum se exercet. Quia tamē reliquum Psalmum in gratiarum actione consumit, absurdum non erit hinc exordium facere, & tunc particula כי affirmatiua potius erit quàm causalis. [A]Acsi diceret, Equidem diuersis ac multis afflictionū generibus iactatus, agnosco quàm vtile sit spem in te meam collocasse. Dum enim omni humano auxilio destitutus essem, tu me (quæ est tua benignitas) in tutum asylum recepisti. *Turris fortitudinis.* [V]Vel, Robusta. *A facie inimici.* [V]q.d. Tu solus potes me à quocunque hoste etiam sæuissimo seruare. Sicuti alibi dicit, Tu absconsio es mihi, ab angustia custodis me, &c. Suprà, 32.b.7.

5 *Habitabo in tabernaculo tuo in secula, sperabo in absconditio alarum tuarum. Selah.*

Habitabo in tabernaculo. [c]Hunc versum multi ita exponunt acsi Dauid adhuc profugus & à patria extorris reditum sibi promitteret: sed magis videtur de restitutione lætari quàm longinquam consolationem doloris sedandi causa accersere. *In secula.* [c]Quanquam Dauid postliminio in suum palatium reuersus erat, regiæ tamen dignitati, opibus, splendori & deliciis cultum Dei præfert. Sicuti enim alibi ostendit, inter sæuissimas calamitates nullo dolore æquè se cruciari quā quòd pietatis exercitiis carebat: sic nunc ad fœlicitatem pluris æstimat, suppliciter coram altari iacere, quàm sedere in regis solio. [A]Et particula In secula satis indicat pium virum non defunctoriè Sanctuarium adiisse inuocandi nominis Dei gratia, sed ad finem vsque vitæ in pietatis & fidei exercitiis constantem & assiduum fuisse. *Sperabo.* [V]Vel, tutus ero. *In abscondito alarum tuarum.* [V]Quidam sic vertunt, Securè agam sub velamento alarum tuarum. [c]Declarat Dauid se sub externis illis figuris non superstitiosè coluisse Deum, vt solebant crassi homines. sibi enim quietem eligit sub vmbra alarum Dei. Nam quum visibili tabernaculo rude vulgus Deum affigeret, Dauid hoc symbolo admonitus spiritualem fidei intuitum sursum extulit. Neque tamen inficiamur quin, vbi de vmbra alarum loquitur, ad Cherubim alludat. Tantùm hoc nobis fixū maneat, Dauidem non fuisse retentum in mundi elementis, sed sursum fuisse euectum, vt spiritualiter Deum quæreret ac coleret.

6 *Quia tu Deus audisti vota mea: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

Quia tu Deus audisti vota mea. [I]Solidissimæ fidei & animi non ingrati verba hæc sunt. [c]Agnoscit pius rex se nōnisi Dei fauore statum suum recuperasse. [A]Vota autem pro precibus dixit

eo quòd precantes, simul semper vota solebant nuncupare. [C]Quia ergo precando vota nuncupauerat Dauid, per synecdochen sub vna parte totum intelligit. [B]Alibi dicebat, Apud te laus mea in congregatione multa, vota mea reddam coram timentibus eũ, Suprà, 22.e.26. [A]Hic autem testatur exauditam à Deo fuisse suam precationem. [C]Et certè, quamuis prudenter colligendis viribus tempus sumpsisset, Sacerdotum etiam fauora & strenua militum opera esset adiutus, statum tamen suũ nonnisi certa & manifesta Dei virtute recuperauit. *Dedisti hæreditatem timentibus.* [V]Qui legunt timentium nomen tuum, hũc sensum eliciunt, Quod soles dare cultoribus tuis, hoc mihi etiam præstitisti. Qui verò in datiuo casu legunt, timentibus nomen tuum, hunc in modum interpretantur, Deum nunquã frustrari seruos suos, quin perfũctos certaminib⁹ & molestiis quibus exercet ac probat eorum fidem, æterna tandem fœlicitate donet. [A]Et hic sensus optimè quadrat. [B]Obliquè enim stultam confidentiam ridet Dauid qua exultant impii in rebus prosperis, quantisper illis indulget Deus, vel parcit. Illa enim fœlicitas in qua sibi placent, nonnisi imaginaria est, statimque euanescit. Dauid autem nomine hæreditatis seruos Dei non euanida prosperitate sed solido firmóque gaudio frui docet: quia temporales vel momentaneæ afflictiones quibus probantur, adiumenta sunt æternæ salutis: [A]quemadmodum Paulus docet, Rom.8.e.28.f.39, & 2.Cor.4.d.17, & Act.14.d.22. [B]Gratias itaque agit Deo, quia non ad triduum duntaxat exhilaret suos cultores, sed in certa & in stabili vita eos confirmans, quasi hæreditariũ illis fundum assignet. Et certè quum fide non possideant impii Dei beneficia, quasi ex rapto in diẽ viuunt. Vera autem & legitima bonorum fruitio penes solos Dei cultores residet. [A]Cæterùm timor nominis Dei vt aliàs sæpe totum Dei cultum comprehendit.

7 *Dies super dies regis adiicies, & [erunt] anni eius ut generatio & generatio.*

Dies super dies regis adiicies. [V]Vel, addas. [A]Iam de diuturnitate regis agitur, [B]quæ nonnisi Dei bonitati & fidei tribuitur. *Et erunt anni eius ut generatio & generatio.* [V]Vel, anni eius erunt vt ætas & ætas. Id est, quantum homo viuere natura solet, ipse viuet. Alii, Annos eius generationi ac generationi æquabis. Alii, Annos eius in multas generationes perducet. [C]Certè nõ potest ad Dauidis personam restringi hæc gratulatio. etsi enim prorogata fuit eius vita vsque ad vltimum senium, & pacato regni statu, tradita etiam filio successione, satur dierum mortuus est: non tamẽ excessit vnius hominis ætatem: & maior etiam vitæ pars multis ærumnis curis, & doloribus miserè confecta fuit. Quare non dubium est quin istam annorum seriem ad Christum vsque continuet. [B]In his ergo, quibus Dauid de regni sui diuturnitate & firmitate canit, typum Christi exhibuit, cuius regni nullus finis est, Luc.1.d.33. vt qui verè coram Deo, id est Deo præsenter fauenti totus deditus, regnum administret. [C]Ideo sæpe iam diximus qualis fuerit regni Dauidis conditio, nempe vt Deus populum vnum sub vno capite collectum tueretur, ac rursus ex dissipatione colligeret. Iam verò ad nos quoque pertinet ista successio, quia Christum nõ in se modò sed in suis membris vsque ad finem mundi viuere oportet. sicut dicitur, Generationem eius (vel ætatem) quis enarrabit? Esa.53.b.8. Quamuis enim variæ tempestates & procellæ variique hostium insultus quotidie multas ruinas Ecclesiæ minentur, denuntiat tamen Propheta seculis omnibus fore superstitem: Dauid verò vsque ad Christi ipsius aduentum continuam regni propagationem prædixit. [V]In summa, dicuntur anni Christi esse sicut generatio & generatio, quoniam mirabiliter Deus regem suum conseruat, & Ecclesiam suam tuetur per successiones continuas: in qua non regnat vsque ad finem vitæ duntaxat, sed vltra hanc vitam.

8 *Habitabit in seculum coràm Deo: misericordiam & veritatem præpara [quæ] conseruent eum.*

Habitabit in seculum. [V]Vel, Sedebit. Vel, per optatiuum, sedeat. Vel, habitet. Aliis verbis repetit quod quinto versu dixerat, Habitabo in tabernaculo tuo in secula. [C]Se enim Dei protectione securum & tranquillum fore dicit, quia eum habebit vitæ suæ custodem. *Coram Deo.* [V]Vel, coram facie Dei. Videtur idem significare quod etiam Suprà, 56.d.14, Vt ambulem coram Deo in lumine viuẽtium. [C]Et certè dubium nõ est quin per faciem Dei notetur prouidentia & paterna cura quam de suis suscipit. Et sanè inter tot pericula quibus vndique obsidemur, ne ad momentum quidem staremus, nisi nos Dei oculus saluos præstaret. Hæc autem vera est beatæ vitæ stabilitas, vbi persuasi sumus diuinitus eam gubernari. [V]Fieri quidem potest vt alludat Dauid ad tabernaculum: potius tamen intuetur veritatem ipsam, neque subsistit in figura illa externa, vt scilicet Deus ipsum gubernet, & sit regni eius custos: atque etiam vitam eius protegat. *Misericordiam & veritatem præpara.* [V]Vel, clemẽtiam & veritatem para. Hoc bifariam exponi potest. [C]Quia enim humanitas & fides veræ sunt regnorum fulturæ, non absurdum esset Dauidem sibi petere mansuetudinis vel clementiæ & integritatis spiritum, vt hoc modo in regno stabiliatur. [B]Iuxta id quod dicitur Equitas super verbum æquitatis, & mansuetudinis, & iustitiæ, Suprà, 45.a.5. Et Solomon dicit iustitia & clementia stabiliri regis thronum, Prouerb.20.d.18. [C]Melius tamen conueniet alter sensus, vt Deus ad custodiendum regem clemẽtia & veritate sua se accingat. Nam מנו non tãtùm parare, sed etiam præficere vel decernare significat: acsi dixisset, regni sui fidelem custodiam in sola Dei misericordia & fide includi. [M]Hinc ergo admonemur vnde constet salus regis ac totius regni fœlicitas, nempe ex bonitate ac fide Dei. [C]Interea verbo parandi vel præficiendi ostendit Deo esse in promptu media quibus suos conseruet.

9 *Sic canam nomini tuo in seculum, ut reddam vota mea [de] die [in] diem.*

Sic canam nomini tuo. [M]Psalmum perpetuæ laudis pollicitatione concludit. q.d. Ad hunc modum ista de nomine tuo prædicans & canens, laudabo te in sempiternum. *Vt reddam vota mea.* [A]Quum dicit se vota persoluturum, indicat se quum in angustiis esset precando vouisse. [M]De votis autem hoc locommandum quomodo illis duo dentur. Suprà versu sexto dixit, Quia tu Deus audisti vota mea. Ergo vota piorum primùm diuini nominis inuocationem in se comprehendunt. (talia sunt quæ à Papistis ad sanctos fiunt, quibus ambiunt aliquid) Deinde hic subdit, vt reddam vota mea, intelligens promissam laudem diuini nominis, pro gratiarum actione. Ergo in votis est etiam gratiarum actio. Hæc duo seruanda essent & hodie. Primùm vt inuocando opem Dei voueretur aliquid, deinde illud & præstaretur, modò nihil superstitionis admixtum sit. [C]Notanda est etiam hoc loco harmonia inter duas inuocationis Dei partes: quia Dauid non minus in mediis periculis ad Dei opem confugit, quàm gratum se ostendit postquam liberatus fuerat. *De die in diem.* [V]Ad verbum, dies dies. vel die die, id est quotidie, siue per singulos dies. Significat Dauid hoc loco se non tantùm loqui de votis illis quæ in Lege præscripta erant (neque enim quotidie solui poterãt) sed de gratiarum actione quæ semper vigere debet. [A]quemadmodum alibi dicit, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34.a.2. Et iterum, Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominũ in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero, Infrà, 146.a.2.

ARGVMENTVM PSALMI LXII.

[a.M.]Ostendit Dauid se omnes spes suas in vnũ Deum collocasse. [C]Et quia nihil procliuius est quàm sensus nostros fallacibus mundi illecebris à Deo abstrahi, vt effluant & euanescant, acriter in hanc vanitatem inuehitur, vt se & alios in solo Deo contineat.

PRæfecto super Iduthun, Psalmus ipsius Dauidis.

Præfecto. [V]Vel, victori. Vide Suprà, 4.a.1. *Super Iduthun.* [C]Quia scitur Iduthun vnum fuisse ex præcipuis cantoribus, putant quidam mandatas ei fuisse partes canendi huius Psalmi. Et certè Psalmo 39.a.1, probabile est notari cantorem ex illa familia. Sed hic diuersa videtur ratio, quia non dicitur Psalmus ipsi Iduthun fuisse datus, sed super Iduthun. Vnde nonnulli coniiciunt celebris cantilenæ fuisse initium. Cæterùm quia particula על tantundem sæpe valet atque Latinum ad, vel propter, vel coram, vel apud: non malè quadrabit psalmum hunc fuisse depositum apud posteros Iduthun.

2 *Veruntamen ad Deum silet anima mea: [nam] ab ipso salus mea.*

Veruntamen ad Deum silet anima mea. [V]Vel, Tantùm, duntaxat. Alii vertunt, vtique. Sed particula aduersatiua melius conuenit. sicuti Infrà 73.a.1, At tamen bonus est Israeli Deus. quemadmodum patheticæ sententiæ plerũque defectiuæ sunt. [C]Scimus autẽ nõ ita cõpositas esse piorũ mẽtes quin sæpe alternis fluctuationibus iactari cõtingat. Dei quidẽ verbũ placido silẽtio excipere cupiũt, &, si eos castigat, obmutescere: sed interim multi incõpositi affect⁹ tumultuãdo fidei & patiẽtiæ silẽtiũ perturbãt. Vnde fit vt ebulliãt homines, nec minus sua impatientia molestiam & inquietudinem sibi accersant quàm Deo sint obstreperi. [C]Est hic igitur abruptum Psalmi initium: quia Dauid hic loquitur, postquam victor euaserat supra tentationes in quibus multum habuerat negotii & molestiæ. *Ad Deum silet anima mea.* [V]Istud silere nihil aliud significat hic quàm se subiicere Deo, & patienter expectare quicquid daturus

est. [a] Opponitur enim inquietudini, qua contra Deum insurgimus. *Ab ipso salus mea.* [m] Frequentissimè asserit David in Psalmis salutem suam ab vno Deo pendere, suo exemplo populum ad hanc in Deum fidem inuitās, vt abiecta creaturarū fiducia, quæ mera inanitas est, in vnius Dei fide & tutela quiescere discant.

3 *Veruntamen ipse est petra mea, & salus mea, eleuatio mea: non labar grauiter.*

Veruntamen ipse est. [v] Quidam, Tantùm ipse est petra mea. [c] Sed particula אך aduersatiuè, vt superiore versu, sumi debet. Neque enim sufficit vno prælio vel cōgressu fideles esse victores in tentationibus, quia mox de integro nouas pugnas mouet Satan. Ergo David, quāuis iam emerserit ex ipso gurgite, quia tamen non omnes difficultates euasit, secundò luctatur. Quinetiam hæc particula sexies in hoc Psalmo nobis occurret. Atque hæc ratio est cur Deum multis epithetis insigniat, vt totidem scilicet clypeis excipiat ac repellat Satanæ insultos. *Eleuatio mea.* [v] Vel, exaltatio mea, arx, munimētum, perfugium. Significat arcem sublimem, ad quam ascēdit quis vt tutus sit. [m] Quis autē satis exosculari queat sanctissimū hoc pii regis pectus, qui in tanto regno constitutus, tantâque rerū gerendarū dexteritate pariter & prosperitate præditus, nihil prorsus sibi cum de sua, tū de populi salute vendicat, sed omnia in vnum Deū trāsfert, nō passus populū aliquo pacto à se penderet? O fœlix regnum in quo tanta pietas certam moderatur habenas! *Non lab. grau.* [v] Vel, Nō labascā multo. sub. lapsu, Nō nutabo. Vel, Nō vacillabo multo. sub. lapsu. id est grauī. hoc est grauiter. Alii, nō mouebor multū. [c] Subindicat David fieri quidem posse vt prematur rebus aduersis (quia sciebat communibus incommodis se esse obnoxium) sed sibi persuadet casus nō fore mortiferos: quia (vt alibi dicit) Deus supponet manum suam, Suprà, 37. e. 14. Postea simpliciter dicet absque adiectione, non nutabo. vel, non labar. Fortè quia orādo profecerat, vt confidentius afflictiones despiceret. Quāquam potius videtur idem velle vtroque loco. Et certè quamuis ad tempus afflicti iaceant fideles, quia tamen non succumbunt quin saltem Deus eos attollat, hoc non est propriè cadere: imò quū Deus Spiritu suo eos sustentet, non est percelli nec labi. [a] Nam quum bono sanctis fiant omnia, nunquam verè labascūt: etsi secus cum ipsis, tum aliis videatur. [m] Dicit itaque David, Quicquid accidat, certus sum de salute mea, déque inanitate conatuum hostium meorum, qui me præcipitem dare ac perdere moliuntur.

4 *Vsquequa protrahetis insidias viro? interficiemini vniuersi vos, eritis tanquam paries inclinatus, & maceria impulsa.*

Vsquequa protrahetis insidias viro? [v] Quidā, Quousque cogitabitis praua contra vnumquemque? Alii, Fraudem struitis cuique? Vel, Cogitatis praua contra quenque? Alii, Insidiamini quibuscūque? Chaldæus paraphrastes, Detrahetis singulis? [c] Sed optimè quadrat si dicamus, Quousque cogitabitis super virum? vel, Peruersis cogitationibus non desinetis viro machinari? Hostes enim suos David insimulat obstinatæ malitiæ, quòd nullum non moueant lapidem ad nocendum, nouáque subinde exitia moliantur. [m] Et certè stupenda est reproborū obstinatio, qua, quum videant se nihil posse eorumquæ volūt efficere, nihilominus ab insidiis & prauis conatibus non absistunt, donec prorsus perdātur. [c] Quo exemplo docemur patienter ferendum esse quoties hostes nostri infatigabili sæuitia pergunt nefaria in perniciem nostram consilia inire, & Satan etiam noua subinde artificia illis suppeditat. *Tanquam paries inclinatus.* [v] Ad verbū tantùm legitur, sicut paries. [a] Quo ostendat David quàm vicini sint impii perditioni, facit eos similes parieti inclinato, & impulsæ maceriæ, quorum casus non tam instare proximè, quàm vehemens esse, vt in minutissimas partes frangātur, solet. [c] Significat ergo David, quāuis in sublime erecti sint hostes sui, & ex largo fastuosóque pulmone atroces minas crepent, ruituros tamē subitò, & quidem præcipiti casu, instar parietis impulsi. [a] Esaias subitam impiorum ruinam aliis verbis atque alia similitudine describit, Cap. 30. c. 13. 14. Vide item Matth. 21. d. 44.

5 *Attamen de eleuatione ipsius consultant ad impellendum. diligunt mendacium: ore suo benedicūt, & in intimo suo maledicūt. Selah.*

Attamen de eleuatione ipsius. [v] Quidā, Tantummodo à magnitudine ipsius Dei consultant repellere. sub. eos. id est, Consultant quomodo depellant vnumquemque à fiducia quam habet in Deo excellēti. Alii, Vtique exaltationem eius consultarunt deiicere. Alii, Vtique dignitatem eius deturbare cogitant. Alii, Vtique vt ipse Deus quenquam exaltet consultant, moliuntúrque impellere. [c] Sed particula aduersatiua optimè congruit, hoc pacto, Attamen super eleuatione consultant vt impellant. Nā sicut David ab vna parte ædificat fidē suam, vt firma recūbat in gratiā Dei, ita sibi ex aduersa parte proponit hostiū machinationes, superbiæ, crudelitatis, fraudū & audaciæ plenas: acsi diceret, Quamuis omnia conando nihil aliud proficiant nisi quòd se impellūt præcipites, furore tamē correpti non desinunt semper noui aliquid intendere ad me deiiciendū. Obliquè vero subindicat non tam sibi quā Deo bellū inferri: sicut apud poetas pingitur impietas sub Gigātum persona. Neq; enim satis animosi Dei hostes sibi videntur nisi caput efferāt supra nubes. Primū David in tertia persona sic de se loquitur vt tamen diuinitus se exaltatum fuisse intelligat. Quanquā potest etiam cōmodè intelligi Dei ipsius eleuatio: summa tamen huc redit, Impios toto conatu incūbere ad eum opprimēdū quem Deus extulit, & in sua altitudine vult tueri. Sequitur autem, bellū eos suscipere cū Deo, qui opus eius euertere conātur. *Diligunt mendacium.* [v] Vel, fallacias. Hoc est, affectāt quod prorsus efficere nequeūt. Hoc addit David quia [c] impii legitimā eius vocationem non ferētes, peruersa consilia quotidie excudere non cessabāt, quæ in ipsorū capita reciderēt. sicut etiā Suprà, 4. a. 3. dixit, Filii viri vsquequo gloria mea opprobrio? diligitis vanitatem, quæritis mendaciū? Selah. [a] Nam כזב sæpe rem quæ nequeat consistere, aut expectationē fallax, significat. [c] Quanquam hoc loco potest etiam referri ad occultas fraudes, quibus insidiosè adoriebantur sanctum virum. quia mox sequitur, *Ore suo benedicunt & in intimo suo maledicunt.* [v] Vel, In cordibus suis maledicūt. Quibus verbis fucatā illorū amicitiā, & execrandā hypocrisin describit. [m] q. d. Vultu ad blandiuntur mihi, corde autē pessima machinātur. Subdoli sunt hostes, non aperti, atque ideo nocentiores & magis cauendi. [a] Sic dicebat Suprà, 55. d. 22, Lenia præ butyro verba oris eius, & cor eius prælium: dulces sunt sermones eius præ oleo, & ipsi iacula. [a] Quia huiusmodi hypocritarum consuetudo valde scelerata est, & omnibus piis execranda, vates hæc enarrans, vocem *Selah*, tāquam doloris sui testem, interposuit.

6 *Veruntamen ad Deum sile anima mea: quoniam ab ipso expectatio mea.*

Veruntamen ad Deum sile. [v] Alii, vertunt, Tantùm Deo tace anima mea. Alii, Vtiq;. [a] Hic David canit iterū suā in exemplū nobis fiduciā, repetitque silentiū, hoc est, tranquillitatem quæ ast solida fide à Dei dignatione pēdētibus. [c] Sed videtur quædam esse repugnātiæ species. Nā quod antè animā suā fecisse iactauit, nūc hortatus vt faciat. Si iam Deo silebat eius anima, quorsum opus fuit nouō silētiū indici, quasi tumultuaretur? Sed notandū est, nūquā ita bene pacatas esse mentes nostras quin sentiāt cæcos motus: quemadmodum si mare cōmoueat lenis aura, non vt magno feruore surgant fluctus, fit tamen aliqua fluctuatio. Quum ergo nō sine aliqua iactatione se contineāt piorū mētes, nō abs re David animā suam, quæ iā quieta erat, cōticescere iubet. acsi diceret sibi magis ac magis proficiendū esse in hoc silentio, donec carne in totū subacta compositus sit ad Dei obsequiū. Deinde videmus vt sæpius ad nouā inquietudinē titillet Satan qui videntur optimè sedari. Vt autem sumus instabiles & ad varios motus plus satis proni, opus est bona confirmatione. Quare ne miremur si David animam suā, quæ iam silētio assueta erat, rursus tacitā esse iubeat quia inter carnis impulsus nunquam perfectè quiescimus vt decebat. Et periculū est ne exorientibus subinde nouis ventis turbetur interior nostra tranquillitas: ideóque exemplo Dauidis ad pergendū nos hortemur. [m] itaque locus hic & consolationi est infirmis fide, & exemplo iis quibus contra cogitationum insultus fide depugnandum extitit. *Quoniam ab ipso expectatio mea.* [v] Vel, quia ab ipso est quod præstolor. [c] Silentii sui causam ponit, quia etsi non statim respondeat Deus, in eo tamen tutò speret. Nam expectationem suam à Deo esse dicit, quia suorum patiētiam nunquam frustratur. Reposita, inquit, certa est merces silentio meo, ideóque me cohibebo, ne festinatio mea salutis meæ cursum perturbet. [a] Vt ergo Deum patiēter expectemus, & illi anima nostra vt decet sileat, agnoscamus beatos esse omnes qui ipsum expectant. Spes enim (vt inquit Paulus) non confundit, Rom. 5. a. 5.

7 *Veruntamen ipse est rupes mea & salus mea, eleuatio mea: non nutabo.*

Veruntamen ipse est rupes mea. [v] Vel, Tantùm ipse est petra mea. Vel, Vtique est fortitudo mea. Vel, rupes. sub. in qua sita est fortitudo mea. *Eleuatio mea.* [v] Vel, arx mea. Eadem vox quæ & Suprà 59. b. 10, & versu 3. huius Psalmi.

8 *Ad Deum salus mea, & gloria mea: robur fortitudinis meæ, & spes mea in Deo est.*

Ad Deum salus mea. Vel, In Deo, Apud Deum, Super Deum. Id est, Salus mea reposita est in Deo, ipsum meũ seruatorem verè agnosco, & meam ipsi uni salutẽ cõfiteor. Accumulat Dauid quicquid potest ad se retinendum: quia nihil infirmitati carnis nostræ procliuius est quàm delabi ad vagos errores. Fatebimur vno verbo non aliunde quàm ab ipso salutem petendam esse: sed eius virtute diffisi, hinc inde cupiemus accersere subsidia quæ defectum suppleant. Quotquot ergo elogiis celebrat Dauid potentiam Dei ad seruandum, totidem fulcris ad constantiam se confirmat, totidem etiam frænis compescit carnis suæ leuitatem, nequam salutis suæ partem alibi quàm in Deo quærat. *Et gloria mea.* q.d. Non glorior de meis viribus, neq; de carnis auxilio: sufficit mihi vnus Deus, & quia statuo salutẽ meam in manu Dei esse, ego possum gloriari quamuis hostes me irrideant. Ita Paulus dicit fideles fide iustificatos iure de Deo gloriari, Rom. 5. b. 11. Et Dauid ipse alibi dicebat, Tu autem, susceptor meus, gloria mea, & exaltãs caput meum, Suprà, 3. a. 4. *Robur fortitudinis meæ.* Vel, Rupes roboris mei. Vel, petra fortitudinis meæ. Hoc ideo dicit Dauid quòd vndique circundemur hostibus, à quibus non essemus tuti nisi Dominus nos seruaret, & ipse nobis esset instar arcis. *Et spes mea in Deo est.* Rectè fidei spem subiungit. nam fides, qua creditur Deus esse salus nostra, sperat adfore illius auxilium: & quod sperat, patienter expectat.

9 *Sperate in eo omni tempore ô populè, effundite coram illo cor vestrum: Deus est spes nostra. Selah.*

Sperate in eo. Vel, fidite illi. Persuasiuis sanè Vatis admonitio. non contentus enim suam prædicasse fiduciam, ad quam se probè animauit, sermonem conuertit ad alios, & ad certaminum societatem inuitat, quo victoriæ & triumphi pariter sint consortes. *Omni tempore.* Hoc est, tempore prospero & aduerso. Quibus verbis significat Vates perperam eos facere qui ad minimam quanque inclinationem cedunt ac declinant. Quamuis itaque afflictionibus suos probet Deus, fortiter in spe & tolerantia standum esse admonet Dauid. Nam hypocritæ, qui, in rebus lætis Deo plaudentes, simulac contigit aliquid aduersi, animis deficiunt, non sine graui eius iniuria ianuam præcludunt eius potentiæ. Dandus itaque honor est Deo, ne in grauissimis quibusque malis solari nos desinat hæc cogitatio, penes ipsum esse exitus mortis, sicuti videbimus Infrà, 68. c. 21. Nunquam ergo ponẽda est spes ista, vtut deploratæ videantur res nostræ. Neque enim spei huius fundamentum, bonitas scilicet ac potentia Dei, intercidit vnquam. Exigitur itaque vt spei nostræ perseuerãtiam cõiungamus, de qua Christus dicit, Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit, Matth. 10. c. 22, & 24. b. 13. *O popule.* Sub. Dei. Dubium nõ est quin hoc nomine Iudæos designet, quia antequam Gentibus illuxisset religio & Dei notitia, nõ alibi quã in Iudæa vigere poterat spes ac Dei inuocatio. Et clarè electum populum à profanis gentibus discernit, acsi diceret indignum esse nisi se totos Deo addicant Abrahæ filii, quibus patefacta est eius gratia, & quos in suum patrocinium recepit. Proinde expendendus est piissimi regis paternus erga populum Dei sibi cõcreditum affectus, quo illum alloquitur, & ad hoc ipsum inuitat ad quod iam suam ipsius animã adhortatus est. Nitimini, (inquit) Deo omni tempore. Ardet itaque Prophetæ pectus cum gloriæ Dei, tum salutis populi sui desiderio, cui ista admonitio plurimum seruit. Vtinam hodie hæc vox regum ac principum ad populos illis concreditos audiretur, Sperate in Deo ô populi. *Effundite coram illo.* Vel, Coram facie eius. *Cor vestrum.* Quia in angustias contrahuntur corda hominum in rebus aduersis, & hoc vitio nihil aliud quàm seipsos exasperant contra Deum, mœrorémque suum augẽt, optimũ remedium adhibet Dauid, vt fideles curas suas in Deum exonerando, quodammodo ante eius oculos corda sua effundãt. Quandiu enim obseratum est cor dolore, nunquam exeũt liberæ preces. Ergo, ne obruant nos tentationum onera, hinc nobis leuatio petenda est, quòd ægritudini nostræ succurret Deus, modò ne in illius sinum eam reiicere negligamus. Porro, quum maligna quædam restrictio omnium fere animos occupans, tandem in desperationem coniiciat, eo nobis vtilior est Dauidis admonitio. Nam quamuis omnes ad quærẽdos malis suis exitus non minus solertes sint quàm seduli, quia tamen data opera subterfugiunt Dei conspectum, meros sibi labyrinthos fabricant. In summa Dauid morbum naturæ nostræ ingenitum corrigit, quia dolorem nostrum occultãdo, frænũ int' rodere malumus quã pias querimonias & preces apud Deum fundẽdo nos leuare. Vnde fit vt magis ac magis implicati doloribus mergamur in desperationẽ. Dicit ergo Dauid, Effundite corã illo corda vestra. Hoc est, omnẽ animi vestri æstũ ipsi laxatis doloris habenis queritnini, vnde certa scilicet consolatio petitur. Nã cor effundere corã Deo, est, animi æstus, gemendo, querulando, opémque Dei implorãdo, ad Deũ effundere. Sic Hãnah mater Samuelis cor suũ corã Dei facie effundebat, 1. Sam. 1. c. 15. Et Ieremias dicebat, Deduc quasi torrentẽ lachrymas per diem ac noctem: nõ des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Cõsurge, clama, in principio vigiliarũ, effunde sicut aquã cor tuũ ante cõspectũ Domini, leua ad eũ manus tuas, &c. Thren. 2. f. 19. *Deus est spes nostra.* Vel, De' spes nobis. Dixerat versu superiore, Spes mea in Deo est: nũc autẽ quod de se vno prædicauerat, extẽdit ad totũ populũ, saluũ fore pronuntians sub Dei custodia.

10 *Veruntamen vanitas filij Adam: mendacium filij viri: in statera ut ascendant ipsi præ vanitate simul.*

Veruntamen vanitas filij Adam. Quidam sic vertunt, Tantùm vanitas sunt filii hominum. Alii, Certè nihilũ sunt filii hominis. Nonnulli sic, Vtique vanitas sunt filii hominum: vt sit superioris sententiæ confirmatio: & à repugnãtibus ostendat Dauid, quum homines ipsa vanitate sint vaniores, nihil aliud restare quàm vt spes omnes suas ad vnũ Deum referat. Aptè tamẽ cõtextus fluet si dicamus, quia videbat Dauid sine profectu surdis se canere hanc doctrinam, quòd populus pro suo ingenio difflueret in spes fallaces, nunc præ indignatione exclamare, Atqui mera vanitas regnat in filiis hominum. Hoc modo damnaret cæcam hominum incredulitatem, quibus satius est vanis illecebris se decipere quàm niti Dei promissionibus, quæ fallere nequeãt. Sed cur vanos filios Adæ pronũtiat Spiritus per os Dauidis? Primùm, quia impotẽtes sunt vt nec bene nec malefacere queant etiam erga seipsos. Ita & dii gentium vani dicũtur eo quòd nec cultoribus suis adesse, nec contemptoribus obesse possunt: ob istud non timẽdi, ob illud non colendi. Deinde, etsi maximè quid posse videntur, perfidi tamen sunt, mali & mendaces. De perfidia mortalium & malitia vide Gen. 6. b. 5, & 8. d. 21, & Infrà, 116. b. 11, & Mich. 7. a. 2. Tertiò, instabiles quoque sunt & proposito & vita, Infrà, 146. a. 3, & Ierem. 17. a. 5. In summa, vani sunt, perfidi & mendaces, ad seducendũ nati. quos si secturi velis, certo experimento cognosces ipsissimam illos esse vanitatem & mendacium, quicquid polliceãtur, &c. *Mendacium filij viri.* Mendacii nomine rem fluxã & omnẽ de se expectationem fallẽtem Vates intelligit. *In statera ut ascendant ipsi.* Id est, Si simul ponantur in trutina, ipsa vanitate leuiores erunt. Quidam hæc præcedentibus iungũt sine distinctione, sic, Mendaciũ filii viri in lancibus, sic vt ascẽdant præ nihilo (aut vanitate) simul. Ad verbum In statera, ad ascendendũ, id est, Ita vt in statera ascendant præ vanitate. Si nõ sit æquilibrium, pars leuior attollitur in statera: quum igitur hic facit ascẽdere homines respectu vanitatis, significat ipsam vanitatẽ non tam esse leuem quàm sint homines. Nec de singulis seorsum loquitur, sed de toto genere humano. addit enim *simul.* q.d. Si in vnum cumulum addneatur vniuersum humanũ genus, tamen omnes sic coacervati nihil aliud erũt quàm mendacium & vanitas. Iam verò, vbi audimus non in paucis hominibus damnari hanc prauitatẽ vt vanitate vaniores sint, sed in ipsa natura: quid residuum fieri dicemus rationi & prudentiæ ac libero arbitrio? Nec obstat quòd fideles hoc morbo purgat Deus: quia si regeneratione Spiritus in illis corrigitur mendacium & vanitas, sequitur natura fuisse mendaces. Etsi autem primus homo integer à Deo creatus est, suo tamen lapsu in hanc corruptionem nos traxit, vt prorsus obtenebratum sit quicquid lucis diuinitus nobis datum erat. Adeo vt vnusquisque dicere possit, Scio quia nõ habitat in me (hoc est, in carne mea) bonum, Rom. 7. d. 18. Siquis obiiciat, residere tamen in hominibus non spernenda Dei dona, quibus inter omnes alias creaturas excellunt: solutio facilis est, quamuis præclaris dotibus ornati sint homines, corrumpi tamen peccati labe, & euanescere in nihilum. Sola enim Dei cognitio facit vt suam præstantiam retineat quicquid donorum in nos contulit Deus: alioqui vitiantur peccati contagione, quæ nullam integritatis guttam in hominibus reliquit. Vnde meritò exclamat Dauid cunctos mortales vanitatem esse ac nihilum. Vide Infrà, 144. b. 4.

11 *Ne fidatis calumniæ & rapinæ, ne euanescatis: diuitiæ si affluant, ne apponatis cor.*

Ne fidatis calumniæ & rapinæ. Ad verbum, in iniuria & rapina. Vel, In malè parto & rapina. Quidam istud, & rapina, sequẽtibus iũgunt, Et pro rapina ne inaniter satagite. Vel, Et in rapina ne cõfidatis. Alii sic vertũt, Ne cõfidatis in rapinis, & in præda ne euanescatis, &c. Hic admonet Dauid, nõ antè solidè cõfidere homines Deo quã exuerint fallaces omnes fiducias, quæ totidẽ sunt auocamẽta. Itaq; omnia impedimẽta tolli iubet, & vitiis quæ Dei locum occupant animos purgari.

Quanquam autem species tantùm quasdā attingit, per synecdochen significat, nunquam sincerè & absque fuco esse hominis Deo esse addictum donec se contrariis omnibus fideliter explicuerit.[b] Vox Hebræa pta: qua calumniā vertunt, significat omne id quod improba ratione proximo detrahitur, & male iniuriáque partum dicitur: altera verò, quā rapinam vel prædā interpretantur, apertā & violentā rapinam significat. *Ne euanescatis.* [c] Vbi vesanam audaciā, qua inflati suos prædones, dānauit Propheta, proprio eā nomine designat, quòd scilicet mera sit illusio, in qua euanescunt homines. Imò Propheta vno verbo pronūtiat, spes omnes, quæ à Deo ad creaturas nos abstrahunt, lusorias esse ac mendaces, præsertim vbi malis & peruersis artibus ditescere appetimus. [a] Cæterùm quam execrāda sit & Deo abominabilis rapina, oppressio & præda, Scriptura testis est, præcipuè Esaiæ 1.c.23.d.15, & 3.c.13, & 61.c.8. *Diuitiæ si affluant, ne apponatis cor.* [v] Vel, Substātia si multiplicetur, cor ne apponite. [c] Postquā Propheta prauas cupiditates damnauit, in quibus palam apparet scelus, subiicit cauendum etiā esse ne opes quamuis iustis modis partæ nos teneant sibi affixos. Porro Cor adiicere ad diuitias nō tātùm significat nimis cupidè ad eas inhiare, sed earū fiducia perperam efferri, & altum sapere, vt dicit Paulus Rom. 11. c.20. [m] Ideo alibi vetat nequis in opibus speret, addēs incertas esse diuitias, 1. Timoth. 6. d.17. Et reuera duplici nomine incertæ sunt, possidendo scilicet & amittendo. Imò triplici. etenim acquisitu incertæ sunt (vnde fit vt multi opes quærendo, perditionem inueniant: & quod ante habuerant, amittant) possidendo incertæ sunt, quia mobiles & mutabiles, corruptibiles, & multis insidiis furū, latronū & calumniatorum obnoxiæ. Vide Ecclesi.1.d.21, & Matt. 6.c.19, & 19.c.23, & Luc.12.c.33, & 16.c.13. [c] Iam verò quàm non superuacua sit hæc Prophetæ admonitio, quotidiano vsu docemur. Nihil enim magis commune quàm ferociam gigni ex abūdantia: mētes verò fastu excæcatas nō minus in Deū proteruire quàm insolescere effræni nocendi licentia. Præsertim metuēda est furiosa illa cæcitas, ne cum Dei cōtumelia supercilium nimis altè tollat qui potētiæ suæ fiducia ebrius suæ fragilitatis obliuiscitur. [a] Qua de re vide Esa.14.c.13.

12 *Semel loquutus est Deus: bis hæc audiui, quòd potestas sit Dei.*

Semel loquutus est Deus. [u] Præcedentibus duobus versibus Dauid mētes populi à fiducia creaturarum, commemorata illarū vanitate, auocauit: [c] iā concludit nō aliter posse abstrahi animos à vanitate, quā si penitus & cōstanter in Dei iudiciū intēti sint. Quum igitur huc & illuc ideo rapiētur hominū mentes, aut saltem vacillent, quia ad varias mūdi inclinationes alternant, tranquilla statio ostenditur à Dauide, vbi scilicet patiēter acquiescimus in verbo Dei. Cæterū quia ad Deum (qui lucē habitat inaccessam, teste Paulo 1. Timoth. 6.d. 16.) nemo peruenierit nisi fide ductrice, Propheta nobis verbū proponit, quo testatur Deus mūdū se regere iusto imperio. Et quia magnopere interest nos in verbi fide stabiliri, eius certitudinem commendat. Quanquā autem duobus modis contexi possent verba, finis tamen est Deum probè sibi constare, vt minimè timenda sit mutatio quum sermonem protulit. *Bis hæc audiui.* [v] Vel, duo hæc audiui. Alii, Vice vna loquutus est Deus, atque secūdò, quod & audiui. Vel, Semel atque iterum loquutus est Deus, idque audiui. [c] vt repetitus sermo ad confirmationem valeat: acsi dixisset, Deum clarè suam potentiam & bonitatē semel atque iterum asseruisse, vt iam ambigere fas non sit. Et locus Iob, 33.b.14. non multum videtur absimilis, quòd Deus semel & altera vice loquatur. Eadē enim sunt verba, nisi quòd copula interponitur. Sicut placeat altera distinctio, Semel loquutus est Deus, hoc bis audiui, inde vtilis doctrina elicietur: quia Deus vbi semel loquutus est, sermonem nō retractat, nostrum esse diu & prolixe meditari quicquid ex sacro eius ore profectū est. quasi dixisset Dauid, Deus verbo suo nos docet, quod instar perpetui & immutabilis decreti habendū est: ego verò in verbo eius me sæpius exercui, ne temporis successu obreperet huius doctrinæ obliuio. Sed simplicior esse videtur altera loquutio, semel & bis loquutum esse Deum. [a] Vt sciamus quāta sit verbi Dei firmitas & certitudo. Sicuti per Esaiam loquitur, Nō reuertetur ad me verbum vacuum, Esa.55.d.11. Et iterum, Quæ procedunt de labiis meis, nō faciam irrita, Infrà, 89.e.35. [c] Interea tamen repudianda est eorum argutia qui dicūt Deum semel loquutū esse in Lege, iterum deinde in Prophetis. Quia nihil aliud voluit Dauid quàm huius doctrinæ authoritatem probè sancitam esse: sicuti firmius ac magis ratū nobis esse solet quod sæpius promulgauit. Interea meminerimus, simulac verbum protulit Deus, mox absque controuersia acquiescendum esse: sicuti impuri quidam canes doctrinam amplecti recusant quæ nō sit probata tribus vel quatuor Scripturæ testimoniis. Neque enim Dauidi propositum fuit Deo legem imponere sæpius loquendi, sed dubitationem eximere eius doctrinæ quæ disertis verbis non ambiguè testata est. *Hoc audiui.* [v] Dauid suo exēplo docet pia attentione reuerēter excipiendū esse Dei sermonē, neq; respuendū quo maior pars solet fastidio. [u] Admonet ergo quomodo fidei certitudo acquiratur. ex auditu videlicet verbi Dei. Auditus autē verbi Dei duplex est: externus vnus, Internus alter. Isti aliquādo sunt seiuncti, aliquando coniuncti. Sunt enim qui foris tantùm audiant, intus verò surdi sint: de quibus dicitur quòd aures habeant & non audiant, Esa.6.c.9. ad quos quoque pertinet semen in via iactum, Matth.13.a.4. Rursus fit aliquando vt sine externo auditu verbū Dei in corde per inspirationē Spiritus audiatur, quod plerūq; accidit Prophetis. Præterea sunt quibus datur & foris & intus audire, [a] sicuti de Lydia purpurarum venditrice testatur Lucas, Act.16.c.14. *Quòd potestas sit Dei.* [v] Vel, fortitudo, robur.

13 *Et tibi Domine clementia: certè tu rependes cuique secundum opus suum.*

Et tibi Domine clementia. [v] Vel, misericordia. [c] Quia Dauid non promiscuè quælibet doctrinæ capita hic notat, contexere operæpretium est quod addit, si cupimus firmis animis excipere tentationū fluctus, tribuendū esse Dei potētiæ & clemētiæ suū honorē. Quia nūquā à recta linea deflectet quisquis seriò persuasus erit nihil cōtingere nisi Dei arbitrio, eumq; nō minus clementia quā imperio pollere. Postquā ergo honorificè Dauid de verbi Dei fide præfatus est, nunc dicit se edoctū esse de eius omnipotētia & bonitate. Quidā interpretantur instructū esse Deū potētia ad iuuādos fideles, simulque sua clemētia adduci vt velit. Rectè tamē alii distinguūt, robur esse Deo ad coercēdos impios, quātūuis superbè exultēt: imò satis robustū esse ad frāgēdā eorū duritiē: suos autē fouere & tueri, quia nūquā clemētiæ suæ & bonitatis obliuiscitur. Quisquis autē ad hanc Dei potētiā ac bonitatē, quas à Deo sperare fas non est, sensus suos referet, inter sæuissimas quasque iactationes celsus & quietus stabit. Vbi autē Deū exuimus sua virtute, vt vulgò fieri solet, æquum est nos vicissim præsidio isto nudari, quod ad repellendas omnes tentationes sufficeret. Quia mundus otiosum Deum imaginatur, quomodo non ad minimos quosque motus trepidaret qui ad cæcos fortunæ impetus se expositum esse putat? Hinc ergo tranquilla securitas, si mundum subiicientes Dei imperio, nos illi ac vitā nostrā permittimus, [a] certi ne capillos quidē capitis nostri perire posse sine ipsius volūtate, Luc.21.d. 18. [c] A potentia autem incipere cōuenit, ne dubitemus tuto munimento protegi quicūque sub eius manu degūt: sed statim clemētiā adiūgi conuenit, neque nos anxietas torqueat. Alioqui in animum subibit hæc disceptatio, Quid nobis prodest Dei imperio subesse mundum? an propterea nobis auxiliabitur qui indigni sumus eius cura? Nō temerè igitur Dauid robur & clementiam simul copulat: quia duabus istis alis ad Deum euehimur, & istis duabus fulturis solidè innitimur, ne vlla tentationum naufragia nos demergant. Hæc summa est, quoties terror aliquis obiicitur, veniat nobis in mentem Dei potentia, cui facile ac promptum est discutere omnes noxas, quantumuis sint formidabiles. Vbi ita in animis nostris præualebit, facilè quicquid est saluti nostræ contrarium prosternet. quid enim timendum, vbi idem Deus qui nos sub vmbra alarum suarum colligit, solo nutu gubernat totum mundum: Satanam & omnes impios deuinctos tenet arcanis catenis: omnia denique omnium consilia, studia, & conatus moderatur: modò simul hoc fixum maneat, bonitatē eius piis omnibus, qui ab ipsa pendent, esse expositam. [m] Nam & Dei omnipotentiam vtcunque mundus agnoscit, agnoscūt & dæmones: at bonitatis & clementiæ illius gustus non ita vulgaris est. Ille namque credentium tantùm est, electorum & filiorum Dei. *Certè tu rependes cuique.* [v] Alii, Quia tu reddis vnicuique. [c] Propius ad suum institutum accōmodat Propheta quod dixit. Nam Dei prouidentiæ ita mundum subesse pronuntiat vt futurus sit iustus iudex. Sicuti alibi dicitur, quòd orbem terræ iudicaturus sit in æquitate, Infrà, 96.c. 13. [c] Hæc autem expectatio si in animis nostris vigeat, eos à fluctuatione colliget, sedabit omnem impatientiam, frænabit etiam omnem intemperiem, ne ad retaliandas iniurias prosiliant. Nam hoc fine ad Dei tribunal se & alios omnes citat ac sistit Dauid, vt in spe futuræ liberationis se confirmet, fortique animo despiciat temulentam eorum audaciam: quia fieri non potest quin veniant in rationem omniū opera coram Deo: qui non magis cessabit ab officio iudicis quàm abnegabit seipsum. [a] sicut diserte docet Paulus, dicens, Qui redditurus est vnicuique iuxta facta sua, Rom. 2.a.6. [c] Vnde sequitur, quālibet multis iniuriis simus obnoxii, imò nos probati homines pro reiectamentis habeant, respiciat ta-

men nostras ærumnas à Deo, vt tēpestiuè succurrat, quia suorum tolerantiam non frustrabitur. [a] quēadmodum Christus ostēdit, proposita iudicis similitudine, Luc. 18.b.7. & Iacob[a] cap.5.b.7. [m] Discamus itaque ex hoc loco seorsum Deo esse rerum nostrarum, mentium & actionum: contra prophanas impiorū voces, Vanum est qui seruit Deo, Malach.3.d.14. Particula autē cuique indicat cū impiis tum piis retributionē fore. Nulla enim est personarum acceptio apud Deum, qui rependet vnicuique. [a] Qua de re vide Rom.14.b.10.& 2. Cor.5. b.10. *Secundum opus suum.* Vel, [m] Iuxta factum suum. Ista est æquitas diuinæ retributionis. Non ergo ignorare potes quid à Deo sit expectandum. Tam enim certus esse potes quam sit accepturus retributionem, quàm certus es de animi & facti tui qualitate. [c] Quod autem his sententiis probare contendunt Papistæ nos operum meritis iustitiam & salutem consequi, quàm friuolum sit, passim Scriptura docet. Simulatque facta est operum mentio, hoc arripiunt acsi Deus tantùm cuiusque merita æstimans debitam mercedem rependeret. Atqui longè alio consilio Spiritus mercedem operibus promittit, nempe vt innocentiæ studeant, non autem superbiant sacrilega fiducia, quæ totam salutem à radice euertit. Sic ergo iudicat Deus de operibus fidelium, vt eorum pretium & æstimatio primùm à gratuita peccatorum remissione pendeat, qua sibi reconciliat indignos: deinde à mera indulgentia, quæ mutilis ipsis & sordidis fauorem conciliat. Scimus enim nullum opus coram Deo prodire vel perfectum, vel purum, nulláque labe infectum. Vnde sequitur meræ esse liberalitatis quod mercedem inueniūt. Quum ergo Scriptura mercedem filiis Dei promittens, tantùm eos ad studium pietatis & iustitiæ incitet, quo alacrius Deo militēt, nihil autem Dei ipsius misericordiæ deroget: nimis insulsè inferunt Papistæ mereri fideles quod illis rependitur. Quantum ad pœnas, nulla est dubitatio quin eas merito Legis suæ contemptoribus infligat Deus. [a] Ita nobis verissimum esse apparet quod Christus in Euangelio dicit, Procedent qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint, in resurrectionem iudicii, Iohan.5.e.29.

ARGVMENTVM PSALMI LXIII.

[m] Ostendit Dauid hoc Psalmo quam cōsolationem in Deo conceperit, quum exul in solitudine Iudææ satis horrida constitutus esset. [c] Vota etiam admiscent quæ obiectis terroribus anxius Deo nūcupauerat, [y] & sui exaltationem & certum hostium suorum exitium prædicit.

Canticum ipsius Dauidis, quum esset in deserto Iehudah.

Canticum ipsius Dauidis. [a] Quidam, Oda Dauidis. *Quum esset in deserto Iehudah.* [y] Desertum Iehudah, desertum Ziph est, in quo Dauid diu delituit. Ziph enim ad sortem Iehudah attinebat. [c] Porro quia fideliter recitat quomodo inter ipsa pericula fuerit affectus, colligimus nullis vnquam miseriis sic fuisse prostratum quin sua vota in cœlum attolleret, imò certa & constanti fide recumberet in Dei promissiones. Quod eo magis notandum est vt in summis etiam doloribus ad Deum enitamur, quibus minimæ quæque tentationes omnē fere eius notitiam excutiunt.

2 *Deus Deus meus es, mane quærā te: sitiuit ad te anima mea: concupiuit te caro mea, in terra deserti & sitibunda, [in qua] non est aqua.*

Deus Deus meus es. [c] Hic Dauid, vt diximus, non modò Deum implorat in angustiis cōstitutus, sed Deū suū esse statuit, ne dubitet suas curas in eius sinū cōiicere, quum tamē desertus omni auxilio in vasta & arida solitudine quodāmodo tabesceret. Fides hæc, qua persuasus erat Deū sibi propitiū esse, & salutis suæ custodē, desideriū in eius corde accēdit, vt assiduis votis & ardētibus expeteret quā sperabat gratiā. [m] Itaque hāc vocē Deus meus es, fundamēti loco omniū eorum quæ subiiciet præmittit. Omnis enim ad Deū respectus, suspiriis, contēplationis, meditationis, inuocationis, & consolationis vnica ratio est piis, quòd Deus, Deus illorū est. *Mane quæram te.* [y] Vel, quæro te mane. Quidā, vigilabo ad te. [m] Exemplum hic habes animi pii in tribulatione cōstituti. Cōmune quidē est omniū afflictorū nō dormire in aliū diē, sed pro animorū suorū afflictione mane euigilare: verùm ad Deū vigilare & ipsum mane quærere, piorū tātùm est. Euigilāt & alii afflicti mane, sed ad suas curas, ad sua ipsorū cōsilia: aut siquid aliud est in quo vel fugiēdo vel acquirēdo soliciti tenētur. *Sitiuit ad te anima mea, cōcup. te caro mea.* [c] Alludit his verbis ad egestatē ac penuriā qua premebatur in deserto: quasi diceret, quāuis ieiunus & famelicus omnibus vitæ subsidiis indigeat, Deū tamē sibi esse instar cibi & potus, vt illuc feratur sua esuries. [y] Sūt qui legunt Desiderat te caro mea. Alii, ardet te. Alii, cōcupiscit te. [p] Porro quod animæ sitim, carni famē tribuit, nō debet scrupulosè accipi ista partitio: quia simpliciter intelligit se anima & carne Deum appetere. Quāuis enim nullo appetitu per se mouetur corpus, tamen satis constat animæ affectus illuc vsque penetrare & diffundi. *In terra deserti & sitibunda.* [y] Vel, In terra siccitatis. Id est, sicca & arida. Alii, squalida, vel horrida. Alii, siticulosa, sine aquis. [m] Corporis molestiam patienter ferebat sanctus vir, de animæ verò æstu quo totus ad Deum flagrabat, velut impatiens conqueritur. Vehementior est enim sitis animæ ad Deum quàm corporis ad potum.

3 *Sic in Sanctuario vidi te, ad videndum robur tuum & gloriam tuam.*

Sic in Sanctuario vidi te. [y] Vel, cōspexi te. Præteritum Hebræū, quod per præsens quidā vertūt, Sic quasi in Sanctuario cōtēplor te. Alii per futurū, Sic in Sacrario cōtēplabor te. Rectius per præteritū vel per præsens. [c] Cōfirmat enim quod nuper attigimus, se, quū in deserto rerū omniū inops ageret, nūquā tamē Dei fuisse oblitū. Nā particulæ Sic non leue pondus inest: [y] acsi diceret, Etiāsi nihil in hac squalida solitudine appareat nisi horrēdū & triste, [c] vt ipsa loci asperitas possit obtenebrare oculos: ego tamē in gloriæ & virtutis tuæ intuitu me exerceo, perinde acsi in Sanctuario essem. Quādiu liberū fuerat Dauidi Sanctuariū adire, cultū illū legalē minimè neglexerat, quia sciebat talibus adiumentis sibi esse opus: nunc vbi prohibetur ab accessu, mētē suā ostēdit nō esse externis symbolis affixam: quia in spirituali Dei aspectu nihilominus se oblectat. Et simul etiā reipsa demonstrat quā bene profecerit in illis pietatis exercitiis quæ Domin[us] in Lege mādauerat. Crassi & superstitiosi homines, quātisper ante oculos versantur cæremoniæ, videntur zeli ardore in cœlū ferri: sed vnà cū spectaculi figura statim religio illis euanescit. Dauid autē, quāuis nūc priuatus sit cæremoniis, earū tamē memoriā retinet, vt ad Deū aspicere nitatur. [m] Quare discamus nihil impedire sanctorū animos à contemplatione Dei locorū differentiā. Daniel in cubiculo, Christus in mōte ac solitudine, Paulus in carcere, Petrus in editiore domus parte precati & diuina cōtēplatione vsi sunt. Et Christus ipse iussit precaturos ingredi cubiculū, &c. Matt. 6.a.6. Nō quòd cōtemnēdi sint Ecclesiastici cōuētus. (nā & exēplū hoc Dauidis diuersum suadet. maluisset enim ille vtiq; in ipso Dei Sacrario de Deo contēplari quā in solitudine, si per Saulis improbitatē & violentiā licuisset) [c] sed hæc ideo dicūtur vt discamus, etiāsi nos externis omnibus gratiæ Dei symbolis spoliari cōtingat, inter medias quoque abyssos, Deū fidei oculis aspiciēdū nobis esse, ne tergū ei obuertamus simulac visibiles figuræ nobis ablatæ erunt. Sic tota vita spirituale lauacrū, quod semel Christus nobis in Baptismo repræsentauit, fixū in sensu nostro manere debet, Ephes.5.f.26. & Tit. 3.b. 5. Sic arcana Christi cū mēbris suis societas nō modò in Cœnæ actione, sed sēper occurrere nobis debet. imò siqua vis tyrānica sacrā Cœnā & alia pietatis subsidia nobis fortè eripiat, cauēdū tamē est ne se vnquā mētis nostræ oculi à Deo auertant. *Ad videndum robur tuum & gloriā tuam.* [y] Alii, Vt videā fortitudinē tuā & gloriā tuā. [c] Quum Dauid dicit hic se conspicere Deū ad vidēdū, sedulā attētionē notat: acsi diceret, Studia mea ad hāc meditationem diligenter applico, vt mihi occurrat Dei gloria & virtus, quarum imago in Sanctuario refulget.

4 *Quoniam melior est misericordia tua quàm vita: [propterea] labia mea laudabunt te.*

Quoniam melior est misericordia tua. [y] Vel, Clementia tua. [a] Potest quidē hic versus vno cōtextu legi, sed tamē prius mēbrū cū superiore versu aptius cohæret. [c] Videtur enim Dauid rationem reddere cur tantopere Deo fuerit addictus. At primò quidē notandū est, sub vitæ nomine comprehēdi media omnia quibus statū suū tuentur homines. Quādiu enim videmur nobis probè muniti, in mentē non venit ad Dei misericordiā cōfugere. Deniq; nostrū esse (vt ita loquamur) perstringit nobis oculos, ne cernamus nos sola Dei gratia subsistere. Quia ergo terrenis subsidiis suffulti Deum fere obliuiscimur, hic asserit Dauid melius nobis esse in ipsa morte subniti Dei misericordia, quā in vitæ apparētia cōfidere. Itaque tenēda est antithesis inter incolumē statū, in quē recūbūt homines, & Dei misericordiā, qua labētibus & mox pereuntis subuenit, & quæ ad supplēdos omnes defectus vnicū remediū est. [y] Acsi diceret Dauid, Totus in te cōsiderādo ero, siquo pacto liceat planè videre tuā virtutē & gloriā, hoc est, gloriosam & potentissimā bonitatē, vtcūque externa habeās, quicquid periculi circūstet, quocūq; in loco exulē. Nā bonitas & clemētia tua quantiuis fœlici & amœna vita potior & optabilior est. vita siquidē æterna est numeris omnib[us] beata, si rite modo cognoscatur, tātū siquidē eius possidetur quātū vera cognitione percipitur.

[c]Hic igitur est Prophetæ sensus, nihil esse si affluāt homines omnibus bonis, si opibus floreant, omnibus denique modis ad vitæ securitatem muniti sint: quia præstat à sola Dei misericordia pendere, quàm in essentia nostra, omnibusque eius fulturis fundari. Vnde sequitur, quamuis laborent inopia fideles, premantur iniuriis, sub morbis langueant, esuriant ac sitiant, multis curis & doloribus angantur, nihil tamen obstare eorum fœlicitati, quia Deo propitio illis in solidum bene est: rursum incredulos, quamuis totus illis mundus arrideat, miseros tamen esse, quia Deo aduerso ipsorum conditio maledicta est. [a]Sicuti habetur Luc.6.d.26, & Iac.5.a.1. *Labia mea laudabunt te.* [v]Hoc est, nomen tuum celebrabo. [a]q.d. Etiam in hac sorte qua impii nihil putant magis miserum, labiis meis te laudabo. [h]Hinc discimus bonitatis Dei cognitionem os nobis aperire. Nam quomodo illum iustis & debitis laudibus efferre poterimus, si de immensa ipsius bonitate & clementia aut nihil intelligimus aut etiam dubitamus?

5 *Sic benedicam tibi in vita mea: in nomine tuo leuabo manus meas.*

Sic benedicam tibi in vita mea. [c]Clarius declarat quod superiore versu dixerat. Quanquam aliqua est in verbis ambiguitas. nam particula Sic liberationem notare potest: acsi diceret iustam sibi Dei benedicendi causam esse, quia re ipsa expertus sit lōgè melius esse nobis viuificari ab ipso, quàm apud nos viuere. Potest etiam de calamitoso & afflicto Dauidis statu accipi: quia versu 3 dixit solitudinem deserti sibi nō obstare quin ad Deum respiciat. Vita etiam potest accipi tam de ipsa salute diuinitus oblata quàm de toto vitæ cursu. Ac videtur prior sensus, sicut vberiorem doctrinam continet, ita melius congruere, hoc modo, Quia tuo beneficio saluus & incolumis superstes sum, alacriter tibi benedicam. Sic etiam alibi, Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini, Infrà, 118.c.17. Item, Nō mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in sepulchrum: sed nos qui viuimus, benedicemus Domino &c. Infrà, 115.d.17. *In nomine tuo.* [v]Hoc quidam exponunt, In laudem tuā. Alii, Fretus tuo auxilio, intrepidus ero cōtra hostes. Sed simpliciter pro nominis Dei inuocatione sumitur. *Leuabo manus meas.* [c]Vel, extollam. Alii, Leuo manus meas. [c]Per hanc manuum eleuationem vota & preces intelligit: acsi diceret se non modò gratias acturum, sed sumpturum quoque fiduciam precandi, & ita in Dei inuocatione assiduum fore. Et sanè Deus ipse liberaliter nobiscum agendo non modò ad gratitudinem nos incitat, sed spem nostram confirmat in futurum tempus, ne de solido complemento gratiæ dubitemus, cuius initia sumus experti. [v]Ergo Leuare manus suas in nomine Dei, est confugere ad Deum solum, & petere ab illo vt nobis suppeditet quicquid opus est ad salutem tam animæ quàm corporis. [m]Potest & hoc loco obiter obseruari forma supplicantium, qui manuum eleuatione per submissionem totos sese in potestatem superioris, cuius fidem ac misericordiam implorant, dedunt & offerunt. Exprimitur itaque hoc gestu seria & ex imo pectore effusa precatio, non quòd statim ad eum modum precetur quisquis manus ad Deum leuat, quum hypocritæ nonnunquam pios in his gestibus superent: sed quòd ita comparatus sit animus verè ad Deum orans, opémque & bonitatem illius ex animo implorans vt nequeat non in huiusmodi gestus externos prorūpere. Et huius gratia, qui seriò & ardenter precantur, secessus secretiores amant.

6 *Sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea, & labiis iubilationis laudabit [te, os meum.*

Sicut adipe & pinguedine satiabitur. [v]Vel, vt quidam vertunt, satiatur. vel, saturatur. Alii, Velut adipe & pinguedine satias animam meam. [c]Proximam sententiā confirmat Dauid: quia metaphoricè sibi à Deo promittit vberrimam bonorum omnium copiam, quæ lætitiæ & iubilationis materiam præbeat. [v]q.d. Ex ardenti te laudandi affectu ac nisu non secus fiet pinguis anima ac solet corpus adipe pinguive abdomine pinguescere. tum labiis exultatione sanctóque tripudio plenissimis tuas decantabit laudes os meum. [c]Etsi autem Propheta in otio & abundantia Psalmum hunc composuit, probabile tamen est, quum adhuc inops & famelicus erraret in deserto, satietatem hāc à qua procul aberat, sperasse. Atque hæc insignis est fidei probatio, quum Dei gratia, licet abscondita, eminus perspicitur. Et hoc exemplum diligenter notandum est, ne animos despondeamus quoties lautè saturantur impii, imò se ingurgitant, & sine modo luxuriantur in sua copia, nos verò aridi & inopes esurimus. Nam Dauidē quoque potuit sua egestas ad desperationem impellere: sed quia sciebat proprium esse Dei munus satiare animam famelicam, sperauit eo propitio nihil sibi defore. Iam quia multis necessitatibus patientiam nostram Deus probare vult in hac vita, discamus, vsquedum adueniat tēpus plenæ satietatis, patiēter ferre nostras iniurias. [a]Vide quid Paulus dicat, 1.Cor.4.c.13, & 2.Cor.4.c.9, & 11.c.23. Porro notandum est, sub metaphora adipis & pinguedinis non intelligi saginam qualis cernitur in profanis hominibus, qui intemperanter luxuriādo ingluuiē suā replent, atque ita obruti quasi mente alienantur. Modū enim satietatis statuit Dauid, vt tāto alacrius se accingat ad canendas Dei laudes. subiicit enim, *Et labiis iubilationis laudabit te os meum.* Vel, cū labiis exultationū laudat te os meū. [m]Q.d. quēadmodū qui lautè vescūtur, & semperāter optimis edulijs satiātur, exhilarātur & alacres reddūtur, ita animā meā satiabis, exhilarabis, ac in laudes tuas excitabis. Ergo Deus est animarū refectio, qui solus hoc habet vt ex tristibus ac deiectis reddat hilarissimos. Hoc est quod Apostolus dicit, Gaudete in Domino semper, iterū dico, gaudete, Philip.4.a.4.

7 *Certè memor ero tui in cubilibus meis, & in vigiliis meditabor ad te.*

Certè memor ero tui. [v]Vel, Certè recordabor tui. Alii iungentes cū præcedētibus, vertūt, quū recordor tui. Vel, quum meditor te. Sūt & qui interrogatiuè legāt, Annō recordatus sum tui in stratis meis, & in vigiliis meditatus sum de te? [c]Si vertamus, Certè recordabor tui, vel Memor ero tui, tūc idē valebūt Memorem esse & Meditari. Sed si magis placeat conditionalis particula, vertēdo Quādo vel Quoties memor ero tui, med. &c. sensus erit, quoties in mētē venerit Dei nomē, Dauidē libēter cogitaturum & verba etiā facturum de eius beneficiis. *Et in vigiliis meditabor de te.* [v]Hoc est, Tēpore nocturno exercebo me in memoria tui. [c]Noctis vigilias ponit, quia vbi subducti sumus ab hominum cōspectu, non modò recurrunt curæ, sed animus liberius se applicat ad has vel illas cogitationes. [a]Vnde alibi dicebat Dauid ipse, Laboraui in gemitu meo, natare facio singulis noctibus lectum meum, &c. Suprà, 6.b.7. Et iterum, Benedicam Iehouæ, qui consulit mihi: etiam noctibus erudiunt me renes mei, Suprà, 16.b.7.

8 *Quia fuisti auxiliū mihi, & in umbra alarū tuarū iubilabo.*

Quia fuisti auxiliū mihi. [c]Est hæc causæ redditio, quia Dei auxilio seruatus fuerat, ad eū laudādū incitatur. Talis autē experiētia nō modò stimulare nos debet ad laudes Dei canendas, sed etiā ad inuocādū eius nomen, sicuti dicitur, In multitudine bonitatis tuæ ingrediar tēplū tuū, Suprà, 5.c.8. *Et in umbra alarum tuarum iubilabo.* [v]Vel, iubilo. aut, exulto. Alii, Cum labiis exultationū laudat te os meū. [c]Hæc pars versus ad spem refertur, quòd scilicet exultabit Dauid: vel iubilādo triūphos suos aget sub vmbra alarum Dei. quia non minus securè læto & hilari animo quiescet sub præsidio Dei quàm si esset extra omnem aleam. [a]Hic ergo Dauid meditabatur in quātis fuisset periculis cōstitutus, & quomodo toties esset ope diuina ereptus, protectionéque Dei seruatus. Hinc illud est, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Suprà, 50.c.15.

9 *Adhæsit anima mea tibi, me sustinebit dextera tua.*

Adhæsit anima mea. [v]Ad verbū, Apprehēdit anima mea post te. [c]Vel, Anima mea post te perget. vel, cōtēdet. Significat cor suū firma perseuerātia semper affixū fore Deo. [a]q.d. Nunquā abs te diuelli possum: semper tibi adhærere percupio. *Me sustinebit dextera tua.* [v]Vel, Me sustentat dextera tua. [c]Posset hoc simpliciter accipi de illa cuius meminit liberatione: acsi diceret optimā sibi fulturā esse, ne deficiat Deū quærēdo & sequēdo, quia eius manu hactenus rectus & integer stetit. Longius tamen extenditur, quòd sibi donum constantiæ à Spiritu Dei promittat Dauid. Nimis enim magnificè iactasset sibi ad extremū vsque in Deo persequēdo vel amplexādo cōstantē fore animi affectum, nisi mox addita fuisset hæc correctio, cor eius ita firmum fore quatenus Dei manu sustinebitur. [h]Hinc discimus eos deseri non posse qui solida & cōstanti fide à Deo pendent. Neque enim hæc securitas Dauidis tantùm est, sed & omnium credentium.

10 *Et ipsi dum quærunt ad perdendum animam meam, ibūt in infimas partes terræ.*

Et ipsi dum quærunt ad perdendum. [v]Vel, Ipsi autem qui ad desolationē quærunt animā meā. Quidā, Illi autē frustra. Alii, Illi verò ad deuastandū. Alii, Illi verò qui deuastare quærūt. [c]Hic iam securius Dauid, quasi potitus victoria, exultat. Quanquā autē Psalmū cōposuit rebus pacatis, dubiū tamē nō est, quum adhuc è filo pēderet eius vita, hæc eadem sperasse quæ postea cecinit. *Ibunt in infimas partes terræ.* [v]Vel, in inferiora terræ. Id est in sepulchrum. [a]q. d. Scio hostes meos breui morituros, me verò superstitem & incolumem seruatum iri. [m]Non enim potestur illi perdere quem dextera tua sustentat.

11 *Occident eum gladio: pars vulpium erunt.*

Occident eum gladio. [V]Vel, deiicient eum in acie gladii. [H]Videtur hic Saulis & exercitus eius interitū prædicere. [V]Quidā vertūt, Fundere facient eum. Alii, Distrahent eum in acie gladii. Alii, Pertrahit eū in manus gladii. *Pars vulpium erunt.* [C]Hoc est, A feris vorabuntur & lacerabuntur. q.d. Non modò perituri sunt hostes mei, sed eorum corpora iacebunt insepulta. Sæpe autem pœnam hanc minatur Deus reprobis, vbi hostili gladio perierint, prædā fore lupis & canibus, quia sepulchri honore ipsos priuabit. Contingit quidem interdum idem optimis quibusque, (sicuti temporales pœnas bonis communes esse scimus:) sed hoc est discrimen, quòd Deus seruorum suorum ossa, etiam dum huc & illuc dissipata sunt, colligit & reponit sub fideli custodia, ne quod ex illis pereat: in reprobis autem ossium dispersio æterni interitus præludium est. Vide Infrà, 79.a.3. [A]Et alibi dicitur quòd pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, Infrà, 116.c.15. Itaque notandū hic est qualis exitus maneat impios bonorum virorum persecutores. Licet enim ad tempus opibus & deliciis affluant, ac securi Deo insultent, diuina tamē vltio illos è grado non modò deiiciet, sed eorum nomen omnibus abominandum efficiet. Neque enim potest Dominus Deus illatā seruis suis iniuriam inultam relinquere, quum se illis semper propitium & beneuolentem pollicitus sit.

12 Rex *verò lætabitur in Deo, gloriabitur quisquis iurat per eum: quia obstruetur os loquentium mendacium.*

Rex verò lætabitur in Deo. [V]De se loquitur Dauid in tertia persona, [H]& ad id temporis respicit, quo post occasum hostium suorum tantis periculis ereptus, ingenti cum gaudio regno potiri debebat. [C]Ad hæc, quia Deus non modò priuatim auxiliatus est Dauidi, sed in eius persona totius Ecclesiæ saluti consuluit, meritò publicam lætitiam cum sua hic coniungit: siquidem etiam à capite pendebat totius corporis incolumitas. Ac pis magnanimitas notanda est, quòd multis mortibus obsessus regem tamen se vocare non dubitat: quia licet regno promisso non fruatur, eius tamen possessionem fide tenet, [A]certus de oraculi fide & veritate quod Dominus per Samuelem prædixerat. [C]Lætitiam verò se in Deo capturū dicens, gratum se fore prædicat: sed extollit Dei gratiam, quia ad piorum omnium conseruationem pertineat. Diximus enim statum electi populi tunc non aliter potuisse esse saluum quam vigente & florente Dauidis regno. Quia sub figura illa docere nos voluit Deus totam nostram fœlicitatem & gloriam in Christo fundatam esse. [V]Dicit ergo Dauid, Lætabor in te quū videro me tua manu liberatum, & gratias neque solus agnoscam tuam gratiam, sed pii omnes quos tu in salute mea adiuueris. *Quisquis iurat per eum.* [A]Hac nota vel titulo Dauid designat per synecdochen omnes cultores Dei. Quia enim species est diuini cultus statuere eum testem ac iudicē pietatis, professio sæpe per iusiurandum intelligitur. Non quòd Deus inter seruos suos censeat quicunque in ore habent sacrum eius nomē, (quando & multi sceleratè peierando atroci eum contumelia afficiunt: alii etiam leuibus & friuolis iuramentis violant vel imminuunt eius maiestatem: hypocritæ verò perperam eius nomine abutuntur.) sed Dauid alios hic non designat nisi qui sobriè & reuerenter per Dei nomen iurāt, & quorum linguis respōdēt corda. In summa, iurare in Deo idem est atque Deū omnium secretorum conscium innocētiæ suæ testem citare. Quisquis hoc facere potest, tandem de patefacta innocentia sua obstructóque ore falsiloquorum gloriabitur. Et hoc est quod subdit, *Quia obstruetur os loquentium mendacium.* [H]Notantur hic assentatores Saulis, qui illi dicebant, Dauid quærit malum aduersum te. [C]Imo verò hac voce non tātùm perfidi & dolosi perstringūtur, sed etiā qui sacrilegis fallaciis Dei nomē profanant. Nam loquentes mendacia opponit iurantibus per nomen Dei, hoc est veris & piis Dei cultoribus. [H]Cæterùm hic locus non vulgarem consolationem adfert quibusuis innocentibus, quorum innocentia malorum hominum mēdaciis premitur: quod certum esse dicit, vt obstruatur os loquentiū mendacium. Quare nemo seipsum mentiendo fallat, nec spē ponat in dolis quantacunque industria conflatis: rursus nemo de veritatis & innocētiæ suæ manifestatione desperet, quum omniū certissimè obstruēdū sit os loquentiū falsū, & nihil sit absconditū (vt inquit Christ⁹) quod nō reueletur, Mat.10.c.26.

ARGVMENTVM PSALMI LXIIII.

[C]Precatio est querimoniæ mixta, [A]aduersus delatores [H]& assentatores Saulis. [C]Nā quo magis Deum ad misericordiā inclinet Dauid, tam de iniusta hostium suorū sæuitia, quàm de peruersis eorum insidiis & machinationibus conqueritur. [H]deinde vltionem diuinam illis comminatur & prædicit, atque sibi tandem de meliora exitu gratulatur.

Præfecto *Psalmus ipsius Dauidis.*

Præfecto. [V]Vide Suprà, 4.a.1. *Psal. ips. Dauidis.* Aliquando nomē Psalmi aliquādo Cantici in inscriptione ponitur. ad tollēdā omnē de authore Psalmi dubitationē, aliquoties Dauidis nomē adiungitur, vt hic & in Psalmo superiore. Quidam vertit, Præsuli oda Dauidis.

2 *Audi Deus vocem meam in oratione mea, à terrore inimici custodi vitam meam.*

Audi Deus vocem meam. [C]Causam suam Deo commēdare volēs, à precatione incipit. [C]Præfatur autē se orare serio & ardēti affectu, & simul necessitatē ostēdit. ardoris & vehemētiæ signū est vocalis precatio. Audi, inquit, Deus vocē meā. [A]Q.d. Ne repellas preces serui tui, de hostiū suorū perfidia ac sæuitia cōquerētis. *In oratione mea.* [V]Vel, in sermone meo. Vel, precatione mea. *A terrore inimici.* [I]Singulare pro plurali positum, more Hebræorū. [I]Quāquā nihil vetat quin insignē aliquē delatorē notet Vates. *Custodi vitam meam.* [V]Futurū Hebræum Custodies, pro imperatiuo Custodi-serua. [C]Statim ergo Dauid ad angustias quibus vrgetur descēdit, cōmemorās mortis terrores qui ingerebantur ab hostibus. Deū enim vitæ suæ custodē implorās, de ea se periclitari significat. [H]Ergo (dicet quis) timuit eos qui corpus ipsius perdere conabātur. Atqui iustorū est nō timere eos qui corpus quidē occidere possunt, animā verò non possunt. sicuti Christus dicit Matth.10.c.28. Et alibi dicit, Qui amat animā suā, perdet eā, Iohā.12.d.25. Itē, Qui nō odit patrē, &c. adhoc autē & animā suā, nō potest meus esse discipulus, Luc.14.f.26. An igitur, quia mortem horruit Dauid, dicemus illum nullo pietatis erga Deum affectu fuisse præditum? Absit. Non enim hoc exigitur vt homo iustus sit prorsus omni metu mortis & vitæ huius amore cautus, sed ne plus metuat eos qui corpori insidiantur quàm Deum, qui potest animam & corpus perdere: & ne præferat præsentem hanc vitam diuinæ voluntati & æternæ fœlicitati.

3 *Absconde me à secreto malignorum, à congregatione operantium iniquitatem.*

Absconde me à consilio malignorum. [V]Vel, A secreto malignorū. [C]Dicit Dauid sibi esse cū multis certamē, ideoq; esse imparem ad sustinendos eorū insultus, nisi Deus succurrat. [V]Dictio סוד significat & ipsam deliberationē quā agitāt inter se homines, & cōnētū cōsultātiū. [I]Hic pro cōcilio ponitur, secretò scilicet in perniciē bonorū cōspirantiū, atq; hac causa subinde cōcursantium. [V]Dicit igitur, Protege me à cōuētu hominū inter se cōsultantiū cōtra me. Vel, ab occultis illorū machinationib⁹. *A cōgregatione.* [V]Vel, à cœtu, societate, turba, cōmotione vel tumultu. Nā dictio רגשת collectum cœtum vel violentum impetum significat. [C]Simplex tamen sententia est, Dauidem, quo magis in se prouocet Dei misericordiam, de multitudine hostium suorū conqueri. Interea testatur Dauid, quantūuis magna turba obrūatur, sibi sufficere protectionē quā è cœlo expetit. Causam quoque suā ab hostium malitia & improbitate cōmēdat. nā quo vel iniquius vel crudelius nobiscum agunt, eo certius statuere licet propitium nobis Deū fore. [A]Operatā iniquitatē eos dicit qui malis & noxiis artibus dediti omnem mouebant lapidem ad innocentes opprimendos.

4 *Qui acuerunt vt gladium linguam suam: tetenderunt sagittam suam, verbum amarum.*

Qui acuerūt vt gladiū. [V]Vel, vt quidā vertūt, qui exacuūt. [A]Calūnias & pestifera mēdacia, quib⁹ ii improbi, cōtra quos Deū inuocat, se ac alios innocuos, & fraudis expertes homines petebant & perdebant, solita sibi allegoria gladii & sagittarū exprimit. *Tetenderunt sagittam suam.* [V]Vel, direxeruot. Præt. Hebr. pro præsenti, dirigunt, vel emittunt. *Verbum amarum.* [C]Cōparat linguas hostium suorum gladiis, amarū & virulentū sermonē sagittis. [A]Sic alibi de subdola lingua dicitur, Quid dabit tibi & quid apponet tibi lingua tua dolosa? Est velut sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum, Infrà, 120.a.3.

5 Vt *iaculentur in absconditis in integrum: subitò sagittas iaciunt in eum, & non timent.*

Vt iaculentur in absconditis. [V]Vel, Vt iaciāt abscōditè in innocentē. Alii, Vt sagittis impetāt abscōditus syncerū. Vel, eū qui est integer. [A]Astutas illorū cogitationes & impias machinationes notat quibus insontē opprimere conabantur. *In integrum.* [A]Vbi linguas hostiū suorū gladiis, sermonē virulentū sagittis cōparauit, asserit ex opposito suā probitatē, eos iaculari dicēs cōtra hominē rectū & innoxiū. Hac igitur impetrādi fiducia se animauit, quòd sibi nullius culpæ cōscius indignè & perfidiosè à prauis & sceleratis hominibus impetebatur. *Subitò sagittas iaciūt in eum.* [V]Futurum Hebræū pro præsenti, Eiaculantur sagittas. [C]Significat his verbis eos multiplici astutia pollere: nec modò acriter intētos esse ad nocendū, seduloq; vigilare, sed etiā ingeniosos esse ac solertes, vt citius transfodiāt pectus incauti hominis quàm suspicari queat sibi quicquam mali instare.

[P]q.d. De improuiso venenata cōtorquent iacula, diras nimirū calūnias & tumultuosas accusationes, in eum qui nōnisi optimè de illis meritus est. [C]Porro quum audimus Dauidē, qui tā sanctè ac purè iustitiā coluerat, fuisse tamē sinistris criminationibus obnoxiū, ne miremur siquando nos, qui longè à Dauidis integritate absumus, simili tētationis genere exerceat. Hoc verò vnicū erit solatiū, ad Deū cōfugere, vt bonæ causæ patrociniū suscipiat. *Et nō timēt.* [V]Vel, Nec timebūt. [C]Improbitatē hostium suorum exaggerat David, dicēs eos sine pudore & metu sagittas veneno illitas ex ore suo vibrare. [P]Natura enim etiā ignorātes Dei abhorrēt lædere simplices & innocētes homines. [C]Hæc igitur securitas perditæ audaciæ signum est, vbi improbi contra deprehensi, obstinatè tamen pergūt: quia nec vllus Dei metus, nec hominum verecundia eos retinet quin se gladiatorio & desperato impetu proiiciant. [M]Discamus hinc timorem Dei cohibere animos mortalium à studio nocendi.

6 *Obfirmant sibiipsis facinus impium, narrant de abscondendis laqueis: dicunt, Quis videbit eos?*

Obfirmant sibiipsis facinus impium. [V]Vel, Rem malam. Quidam, Corroborāt sibiipsis verbū nequā. Vel, Corroborant se in re mala. [C]Nūc de pertinacia & sceleratis cōspirationibus hostiū suorū cōqueritur, ostendēs quāta cōfidentia se ad quiduis audendū incitarent. Porro dubiū nō est quin plus illis addiderit animi infirmitas Dauidis, vt petulātius vexarēt miserū & profugū hominē, quē videbāt omni auxilio destitutū. [A]Ea enim est improborū hominū conditio vt pro eo quod afflictis solatii nōnihil ac cōsolationis afferre deberēt, dolorē addāt dolori, vnde se omnis humanitatis expertes esse satis produt. *Narrāt de abscōdendis laqueis.* [V]Futurū Hebræū pro præsenti, Cōmētātur vel cōferūt inter se. [C]Innuit eos esse insanabiles, & quos ad humanitatē flecti posse nulla spes sit. [V]Q.d. Inter se vltrò citróq; loquūtur quomodo mihi insidiētur & laqueos abscōdāt. Vel, Palā vulgarunt sermonē de abscōdēdis laqueis: vt scilicet hominē innoxium per insidias perdāt. *Dicunt.* [V]sub. impii hostes mei. *Quis videbit eos* sub. laqueos. [A]Hoc est, Quis deprehēdat nostras fallacias & tēdiculas cōtra pios & innocētes, Dauidē, & huius similes? [C]Vel potius, Quis videbit eos, nempe improbos hostes meus: tā superbia excæcati audacter & licentiosè ruūt quocūq; impellit libido: quia nulla eos Dei reuerētia, nullus hominum pudor cohibet. [A]Nullus enim timor Dei est in cōspectu ipsorum. [C]Ergo hostium suorum ferociā ostendit Dauid quoniam astus suos inuisibiles esse putant. Scimus enim quam securè improbi sua vafritie confisi, simplicibus insultent, quia putant centum rationes sibi semper in promptu fore tegendis scelerum suorum flagitiis. [A]Et, quod deterius est, omnē Dei metū quātū possunt excutiunt, acsi nullus sederet in cœlo iudex & vltor scelerum quæ iugiter perpetrant.

7 *Scrutantur iniquitates, perficiunt scrutinium scrutatum, & intimum cuiusque, & cor profundum.*

Scrutantur iniquitates. [V]Futurū Hebræū pro præsenti, vel præterito, Inuestigāt prauitates, cōsummāt peruestigatā vestigationē. Alii, Scrutātur occasiones, perficiūt scrutiniū astutè inuestigatū. Alii, Exquirūt malitias, & exequūtur quod scrutādo excogitatū est. [C]Exagitat Dauid hostiū suorū fraudes, dicēs eos omnes nocēdi artes fuisse percōtatos, vt nihil ad exactū scrutiniū omiserint. Nā scrutinii nomine intelligit occultas nocēdi artes. [V]q.d. Subtiliter excogitarūt omne genus malitiarū & fraudū, fabricarūt omnes nocēdi modos, & nihil residuū fecerūt ad exquisitū scrutiniū. hoc est, ad omne artificiū quālibet subtile. [P]Nā quicquid ad exactissimā inquisitionē & acerrimā cōmentationē attinere possit, omne deposito omni pudore & metu (quæ deplorata est eorū nequitia) perfecerūt. *Et intimum cuiusque, & cor profundū.* [V]Quidā legūt, Etiā intimum, &c. Alii, Et intimo cuiusque, & corde profundo. [M]Significat Dauid altos esse recessus malitiæ hostium suorum. [V]q.d. Non adhibent hostes mei apertam vim, nec sese proiiciunt ad nocendū, vt furiosi homines solēt, qui interea nihil habēt cōsilii: sed violēti sunt, & violēto ferūtur impetu, simúlque fouēt malitiā in corde. Vel, si nomen אִישׁ indefinitè sumatur, sensus erit, Quicquid cōsilii & astutiæ inuenitur in mortalibus, hostes mei ad se colligunt. [V]Nam vt me perdere possint, habent quicquid potest esse intimum in hominibus, vel reconditum.

8 *Et iaculabitur in eos Deus sagittam subitò, repente erūt plagæ eorum.*

Et iaculabitur in eos Deus. [V]Vel, Sed sagittabit eos. Alii, Et iaculatus est in eos. [C]Iam ad gratulationē exurgit Dauid, persuasus nō irritas fore sua vota, imò iā exaudita esse à Deo. [P]q.d. Quemadmodum linguas suas illi improbi ceu sagittas intenderūt in innocuos, hoc est diras & pestiferas calūnias, ita ictis à Domino erūt, & subitò quū minimè putabūt, ac suis ipsorū linguis præcipitabūtur atque perdētur, adeo vt stupori & terrori sint reliquis cernētibus. Nā quicunque eos cōspexerint, ii præ metu mox deflectēt, videréque eorū calamitatē minimè sustinebūt. [P]Etsi autē nōdū oculis conspicua erat Dei vindicta, Dauid tamen repētinā fore pronūtiat. in quo nō vulgare profert fidei suæ documētū: quòd dū impios rebus prosperè fluētibus obdurare videt, atque ex cōniuentia & silētio Dei impunitatē sibi promittere, nō succūbit tamē tædio, sed animū suū suspendit donec post lōgā tolerātiā subitò Deus appareat iudex: sicuti emergere præter spē solet, ac deprehēdere impios, dum se elapsos putātes sine modo proteruiūt. Itaq; semper in diuturnis malis hoc nobis solatiū occurrat, Deū pœnas, quas de impiis sumpturus est, cōsultò differre, quo violentius in eos fulminet: quūque dixerint pax & securitas, eos obruat repentino interitu, Ierem. 8.d.11, & 1. Thess. 5.a.3. [M]Per id autē quod Dauid in prædicēda futuram hostium suorum vltionem eadem vtitur metaphora, qua ipsorū conatus noxios suprà expresserat, admonet nos dicti Christi, Eadē mēsura qua mēsi fueritis, &c. Matth. 7.a.2. *Repente erunt plagæ ipsorum.* [V]Ad verbum, fuerunt, pro erunt. Quidam, subitæ inquam erūt plagæ illorum. [M]Deus non dat irritos ictus, sed certos & efficaces. Conatus impiorum erant vani, acuebant linguas, consultabant, insidiabātur, laqueos tendebant: sed omnia frustra.

9 *Et impingere facient in semetipsos ipsam linguam suam: fugient omnes videntes eos.*

Et impingere facient. [V]Alii vertūt, Et impingere fecerūt. Ad verbū, Et impingere facient eā cōtra se linguā suā. Relatiuū cū antecedēte, pro antecedēte solo, more Hebræorū. Id est, Faciēt vt lingua ipsorū in ipsos impingat. q.d. suis delationibus perituri sunt. Quidā, Faciēt impingere seipsos linguis suis. Alii, Et irruere illū aduersus se lingua sua cogēt. Alii, Prosternēt q; super se liguā suā. [C]Significat Dauid, quicquid veneni coquūt in suis cōsiliis, & lingua sua egerūt, fore tādē illis mortiferū. [V]Idē alibi diuersa forma expressit, Demersæ sūt gētes in foueā quā fecerūt: In rete quod absconderūt, captus est pes eorū, Suprà, 9.d.16. [C]Itē, Irretiētur suis laqueis, & cadēt in foueā quā fecerūt, Suprà, 57.b.7. Hæc enim iusta est merces, vt in eorū capita retorqueat Deus quicquid noxarum bonis & simplicibus intentāt. [M]Hoc prouerbialiter suo ipsius se gladio iugulare dicitur. [C]Etsi autem huius iudicii permulta quotidie exēpla Deus corā oculis nostris profert, nobis tamē res est difficilis creditu. Quo magis ad hāc meditationē incūbere nos decet, Deum excubare pro nobis, vt quicquid fraudū in nos extendūt improbi, convertat in eorum perniciem, acsi data opera præmiū tale expiassent. *Fugient omnes videntes eos.* [V]Vel, exagitabuntur, cōmouebūtur, stupebunt. [C]Contremiscēt (inquit) vel stupebūt quicūque eos tā malè habitos tāque rabiosè mutuis inter sese ferocientes vulneribus aspexerint. [C]Admonet Dauid notabile fore vindictæ genus, quia fugiēt vel trepidabunt quicunque fuerint eius spectatores. Nam quum excutientes hominum oculos prætersluant Dei iudicia, insignes notas extare necesse est, vt ad metum & consternationem cogatur mundus.

10 *Et videbunt omnes homines, atque annunciabunt opus Dei, & opus eius intelligent.*

Et videbunt omnes homines. [V]Quidā, Timebūntque omnes homines. [B]Ostēdit vt ex vltione de improbis sumpta gloria Dei illustrāda sit, bonis iusta Dei iudicia deprædicātibus, & de bonitate eius, qua sola nitūtur, exultātibus. [C]Atque ita fructū qui ex Dei iudicio proueniet, plenius explicat Dauid, nēpe quòd nouo & insolito spectaculo expergefacti qui prius Dei prouidentiā pro nihilo ducebāt, melius considerare incipient quod prius illis erat incognitū, vt etiā aliis narrent. Neque enim huius tam memorabilis gratiæ notitiam ad paucos restringit Dauid, sed dicit passim fore celebrem. Ideo posuit cunctos homines. [M]Sic Saul cum suis repentino & improuiso casu cecidit, emersitque Dauid ex omnibus periculis subitò, vt nemo non potuerit ipsam Dei manum agnoscere. *Atque annunciabunt opus Dei.* [V]Vel, narrabunt. sub. aliis opus Dei. [C]Hoc est, Dicent ac fatebūtur hoc opus esse Dei, dicentes, Hæc sanè diuina est vltio, hæc Dei operatio & iustitia. Quis hæc hominum aut tentasset aliquando, aut tentata vnquam perficere potuisset? Fuit id quidem diuinæ potentiæ indicium & argumentum. *Et opus eius intelligent.* [V]Vel, Et rem eius gestam intelligent. [C]Aut Dauid rem vnam suo more bis repetit: aut sensus est, Cogentur vulgò agnoscere homines diuinum hoc esse opus: atque vbi intellexerint, eius etiam erunt præcones.

11 *Lætabitur iustus in Iehoua, & sperabit in eo: & gloriabuntur omnes recti corde.*

Lætabitur iustus in Iehoua. [A] Vel, Gaudebit iustus in Domino. [C] Hic fructus vberior describitur, nempe liberationem hanc, lætitiæ, spei & sanctæ gloriationis materiam fore piis omnibus: quia scilicet eundem erga se Deum fore colligent qualis apparuit erga seruum suum Dauidem. [M] Duplex itaque vtilitas est vindictæ impiorum. Prior, quæ ad vulgus redit, vt ex illa discant vulgariter esse Deũ in cœlo qui sit vltor malorũ. Altera, quæ fit vt iusti exultent in Domino, ac qui recto sunt corde erga Deum, glorientur: deinde & in fiducia sua erga Deũ corroborentur, videntes Deo charos esse iustos & innoxios. *Et sperabit in eo.* [V] Vel, & fiduciam in illum collocabit. q.d. [A] Qui prius graui aliquo afflictionis onere oppressus respirare non poterat, lætus & hilaris spes suas in Deum cõiiciet. *Et gloriabuntur omnes recti corde.* [B] Recto & æquo corde sunt qui de Deo rectè sentiunt, & erga proximos recta fide afficiuntur, & dilectione solidi feruẽtésque sunt. [C] Et nota hic vocari rectos corda quos paulo antè iustos dixerat, vt sciamus nullã Deo iustitiam probari nisi quam ex se profert interior cordis sinceritas, sicuti Suprà, 32.d.11 fusius disseruimus. [A] Valeat igitur fucata hypocritarum iustitia, quæ tantùm coram hominibus apparet, quum illi soli gloriandi materiã habeant qui interiore munditia præditi sunt.

ARGVMENTVM PSALMI LXV.

[M] Psalmus iste iucundissimus beneficentiã Dei expendens, [C] preces & gratiarum actionem continet: [B] canitque Deum in Sion peculiariter præsidentem agnoscendum colendumque ab omnibus, vt à quo omnia fiunt: [C] & cuius duplex gratia memoratur: quòd terram suam potenter defenderit, & bonorum omnium opulentia ditauerit.

Præfecto Psalmus ipsius Dauidis, canticum.

Præfecto. [V] Vel, victori. vel, præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Psalmus ipsius Dauidis, canticum.* [V] Ex hoc loco quidã colligũt aliquid discriminis esse inter מזמור Psalmum & שיר canticũ, quòd vtrũque ponat hoc loco Dauid. vt מזמור latius accipiatur pro carmine vel Psalmo, שיר autẽ sit canticum in laudem compositum, quod genus carminis ᾠδὴ Græcis dicitur. Hoc est igitur carmen quo celebrantur laudes Domini. Vide Suprà, 30. a.1. [A] Hinc quidam vertit, Præsuli oda carminis Dauidis.

2 *Te expectat laus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.*

Te expectat laus Deus. [V] Vel, tibi silet. q.d. Tãta sunt opera tua vt te nemo dignè laudare possit. [C] Verbum דמה metaphoricè pro quiescere accipitur, ac deinde pro expectare. Sensus autẽ huc reddit, Deum esse ita beneficum erga suos, vt quotidie illis suppeditet nouam materiam laudis. Etsi enim se in totum mundum diffundit eius liberalitas, & bonitas ([A] sicuti docet Christus Matt.5.g.45) [C] peculiari tamẽ fauore Ecclesiam suam dignatur. [A] vnde Paulus scribit illum saluatorem esse omniũ hominum, maximè verò fidelium, 1. Timoth.4.c.10. [C] Huc etiam accedit quòd alii, vtcunque saturentur eius beneficiis, non tamen sentiunt vnde perueniant: ita in silentio absorbẽt ac consumunt quicquid bonorum largitur illis Deus. Nominatim tamen exprimere voluit Propheta, Dei bonitatem sic in Ecclesia fulgere vt meritò illic prædicetur. *In Sion.* [M] Hoc est, in Ecclesia. quia Deus in Sion sedem sibi delegerat & locum vbi coleretur. Magna itaque ciuitatis huius laus, magna Dei erga populum suum dignatio ac beneuolentia. Discamus & nos præcipuã hanc agnoscere & celebrare gratiã qua vero cultu habitantem inter nos Deum colere datum est. Sumus enim domus & templum Dei per Spiritum Dei qui in nobis habitat, 1. Cor.3.c.16, & 6.d.19. Hoc quippe peculiare Dei donũ est, quod nobis cum hoc mũdo commune non est, quum reliqua terrena communia sint cum piis tum impiis. *Et tibi reddetur votum.* [V] Hic votum pro solenni gratiarum actione accipitur. Confirmatio est superioris membri. q.d. Semper fideles tui habebunt cur tibi vota soluant: quia non desinis Ecclesiã tuam assiduo fauore prosequi. [B] Hæc verò laus & prædicatio Dei vt omnis ab immensa eius bonitate est, ita hãc in sequẽtibus magnificè extollit.

3 *Exaudiens orationem: ad te omnis caro veniet.*

Exaudiens orationem. [V] Sunt qui vertunt, Audi precem. Alii, Exaudi orationẽ meam. sed ad verbum legitur Audiens laudem, siue orationẽ. [C] Cohæret hic versus cum superiore. caussam enim reddendi voti assignat, quia nunquam frustretur Deus seruos suos, dũ ab illis inuocatur, sed propitius annuat eorũ votis. atque ita quod secũdo loco positũ est, ordine tamen prius est. [B] Laudat autem primùm & prædicat Propheta Dei bonitatem à facilitate, qua preces suorum omnium exaudit. [M] Et certè multa sunt in Deo eximia & stupenda, vt est summè potens, summè sapiens, summè iustus, terribilis & stupendus: scilicet hoc vnum celebrat nũc Propheta quòd precem exaudiat. [C] Quod epithetum quo Deum insignit doctrinam continet apprima vtilem, nunquam irritas fore nostras preces: quia eas repudiando Deus quodammodo naturam suam exueret. Neque enim recitat Dauid quid semel factum sit, sed perpetuo ornatu Deum vestit: acsi diceret non magis fieri posse vt Deus surdus sit ad suorum vota quàm vt seipsum abneget. Hoc si penitus insculptum erit cordibus nostris, proprium esse Dei & inseparabile exaudire preces, nũquam excutietur nobis orandi fiducia. Iam quum nunquam destituatur facultate iuuandi, lætum & prosperum successum indubiè sperabimus. [M] In hoc itaque sita est amplissima diuinæ laudis materia, quòd adeo bonus est Deus & φιλάνθρωπος vt mortalium calamitatem non spernat, ipse omnium fœlicissimus, & ad preces humi repẽtium aures suas aduertat, omnium sublimissimus, & rebus deploratis potenter succurrat. *Ad te omnis caro veniet.* [A] Quidam particulam Ideo vel Propterea subaudiẽtes, legunt, Ideo ad te omnis caro veniet. [V] Nam ostendit Dauid ideo facilem accessum patere ad Deum quia preces exaudit. [C] Quod notatu dignissimum est, quia sicuti corã Deo nemo sistere se auderet nisi persuasus esset eum sibi fore exorabilem: ita vbi sponte occurrit ac pronuntiat non frustra se inuocari, aperta est ianua vt certatim omnes ad eum cõfluãt. Etsi enim hypocritæ & profani homines adum necessitate vrgentur vota in aerem fundunt: hoc tamen nõ est ad Deum verè accedere, vbi fidei certitudinem non afferunt, ex Dei verbo conceptam, sed pendent ab expectatione fortuiti euẽtus. Præluceant ergo Dei promissiones necesse est, vt via certe orandi pateat, quia illis sublatis prohibemur à Dei accessu. sicuti hũc ordinem statuit Paulus Ephes.3.c.12, vt quisquis accedere ad Deum cupit, præditus sit fide per Christum, quæ eum ad fiduciam animet. Hinc colligimus regulam precãdi nullam esse in Papatu, vbi suspensis & dubiis animis semper Deum orant. Inæstimabile autem semper est priuilegium hoc quod per Euangelium consequimur, vt liber nobis ad Deum ingressus pateat. [M] Neque enim vulgari consolatione caret quod Christus suis dicebat, Quia quæcunque orantes petitis credite quia accipietis, Marc.11.a.24. [C] Porro omnem carnem generaliter nominans Propheta, breuiter indicat, quod tunc singulare erat Iudæis, fore aliquando cunctis Gentibus commune. Atque ita vaticinium est de futuro Christi regno, [M] in quo omnes gẽtes, omnes nationes venturæ erant, sicuti prædictum fuerat, Esa.2.a.3. & multis aliis locis. [A] Facessant igitur qui homines ad mortuos trahunt. Vera fides nos recta ad Deum ducit, qui paratus est suorum omnium vota exaudire. Neque hoc prætereundum est quòd omniũ mortalium preces Deus simul exaudire potest, vt quamlongissime sint à se inuicem distiti, & diuersissimis calamitatibus affecti. quod sanè nulli regi huius seculi possibile est. Memorant de rege quodam tanquam rem omnibus modis stupendam, quòd simul & literas dictarit, & legatos externos audierit, & suis mandata dederit: at quantulum hoc est, ei collatum quod hic de Deo cõmemoratur, quòd ad ipsum vsque omnis caro veniat, preces fundat, & vndique audiatur?

4 *Verba iniquitatum præualuerunt super me, & præuaricationibus nostris tu propitiaberis.*

Verba iniquitatum præualuerunt. [V] Vel, verba prauitatum. Quidam, res iniquæ. Alii, Rationes iniquitatum. Id est, iniquitates. q.d. Iniquitates nostræ facessunt nobis negotium: neque id modò, sed nos penitus obruunt. [C] Non conqueritur Dauid populum falsis calumniis grauari, sed simpliciter fatetur iniquitates esse obstaculo quominus Deus pro more se facilẽ & humanum Iudæis exhibeat. Conuenit autem hic locus cum illo Esaiæ, 59.a.1, Non est aggrauata auris Domini quominus audiat: sed iniquitates nostræ distantiam ponunt inter nos & ipsum. In summa, quòd Deus (qui suos liberaliter iuuare solet, imò comiter & blandè ad se inuitat,) manum suam ad tempus retrahit, huius mali culpam suis & populi peccatis imputat Dauid. Nam priore loco reatum suum agnoscit, (quemadmodum Daniel cap.9.a.5.) sed mox totum populum sibi sociũ adiungit. [A] Vocat autem verba scelesta, verba iniquitatũ, peccata sua & populi, seu facta praua. [M] Quib' verbis Propheta nõ extenuat peccatorũ suorum vel numerũ vel quantitatẽ, sed pleno ore grauitatẽ ac multitudinẽ illorũ fatetur, vocãs ea verba scelesta, nõ carnis infirmitatẽ, vel simpliciter peccata, errores, delicta, aut lapsus: adhæc addens, *Præualuerũt super me.* [C] Quib' verbis fatetur se nominatim peccatis obrutũ esse. quũ enim rex esset, totũ populũ repræsentabat. aut hac docẽdi forma, sicuti Daniel, singulos hortari voluit ad se priuatim examinãdos, vt quisq; propriã reatus cõfessionẽ afferat. Scim' enim hypocritas defũctoriè se inuoluere ĩ cõmuni catalogo,

ut peccata sua occultent. Atqui David non tantùm fictæ modestiæ causa, sed serio affectu à seipso exorsus coram Deo reos omnes peragit. Neque tamen ullam Deo peccatorū recensionem facit, sicuti Papistæ miserorū hominum conscientias excruciant. Summatim dicit David se plenum esse multis & magnis sceleribus. Hæc est demum plena & perfecta cõfessio. Quis enim posset singula sua peccata unquam recenseret? Unde alibi Propheta dicebat, Delicta seu errores quis intelligit? ab occultis munda me Domine, Suprà, 19.d.13. Cæterùm hãc sententiã nõ inseruit Propheta ut se & alios prohiberet ab orãdi fiducia, sed potius ut supra obstaculũ emergeret, quod arceret cunctos mortales à Dei accessu, nisi statueret indignos quoque exaudiri. Probabile verò est præsenti aliquo iræ Dei signo perculsos fuisse tunc fideles, quia contra hanc tentationem luctatur David. *Prævaricationibus nostris tu propitiaberis.* Ad verbum, scelera nostra tu expiabis (vel condonabis) ea. Relativum cum antecedente pro solo antecedente. Alii, Prævaricationes nostras tu expias. Videmus in promptu Davidi fuisse remedium, quia ex opposito reputat proprium esse Dei muneris dare veniam peccatis, eáque expiare. ita hic quoque versus cum superiori cõtexi debet, atque adversative resolui, hoc modo, Quamvis iniquitates nostræ, ut repulsam merẽtur, procul nos à conspectu tuo eiiciant: quia tamen te ad reconciliationem paratum ostendis, cursum precibus nostris non abrũpent. Nec alii quàm uni Deo potestatem facit peccata condonandi. Solus enim Deus est qui peccata hominibus remittere potest. Docemur autẽ hoc loco non aliter exorari Deũ à nobis posse, nisi dum suppliciter veniam deprecamur nostris peccatis. Interea dubitandum non est quin gratuita peccatorum remissio Deum nobis conciliet. Quòd si paulisper gratiã suã submoveat, adróque tergũ nobis obvertat, Davidis tamen exemplo ad spem exporrectionis erumpere convenit.

5 *Beatus [quẽ] elegeris, & appropinquare feceris tibi: habitabit in atriis tuis: saturabimur bono domus tuæ, [loci] sanctiore tẽpli tui.*

Beatus quem elegeris. Futurum Hebræum pro præsenti, ut quidam vertũt, quem eligis, & tibi adiungis. Quia nuper cõfessus fuerat David populum suis peccatis dissidium à Deo fecisse, ideóque esse indignum qui exaudiatur: nunc in asylum confugit gratuiti Dei favoris, sub quo inclusa est peccatorum remissio. Atque ita confirmat quod de expiatione dixit, ostendẽs quæ causa Deum miserit peccatoribus propitiet: quia scilicet gratis paterno favore immeritos complexus est. Nam venia qua nos quotidie prosequitur, ex adoptione pendet: sicuti etiam in ea fundatæ sunt preces nostræ. quo enim iure in Dei conspectum prodire auderet peccator ad reconciliationem quærendam, nisi persuasus esset hunc sibi esse patrem? Unde Paulus de fidelium precibus verba faciens dicit Spiritum sanctum in eorum cordibus clamare abba pater, Rom. 8. c. 15. Et Christus ipse dũ suos orare docuit, Patris nomen præmisit, ut doceret neminem à Deo posse exaudiri qui eum patrem suum esse dubitaverit, Matth. 6. b. 9, & Luc. 11. a. 2. Cæterũ Propheta hoc loco non extendit Dei gratiam ad Gẽtes, sicuti paulo ante: sed pro ætatis suæ ratione loquitur. solos enim Iudæos tunc in grege suo censebat Deus, solósque in Sanctuarium admittebat: nũc quia sublato discrimine, Gentes cum illis promiscuè vocavit, omnibus ad eum familiariter accedere licet. Christus enim est pax nostra, qui propinquos & remotos coniunxit, Ephes. 2. c. 14. Tenemus nunc quorsum tendat consilium Davidis. Nam quia Ecclesiæ & electo populo promissa est remissio peccatorũ, exclamat beatos esse quos Deus in gregem suum recepit, ut hoc incõparabili privilegio fruantur. Porro electionem non omnibus tunc communem fuisse docet: Iudæos hac prærogativa extollens, quia eos Deus prætulerit reliquis Gentibus. quemadmodum passim Scriptura docet, præcipuè verò Rom. 3. a. 2, & 9. a. 4, & 11. d. 28. Nam si occurrerent homines Dei gratiam, non resideret penes ipsum electio, cuius potestas & ius ei tribuitur. Atqui non alio nomine præstabant Iudæi nisi quia eos peculiari gratia Deus fuerat dignatus. Nunc etsi rupta est maceria, ut Deus Gentes quoq; simul vocet (sicuti dicit Paulus Ephes. 2. c. 14) constat tamen nõ omnes peræquè vocari: & experientia eorum inscitiam coarguit qui communem omnibus sine delectu Dei gratiam esse garriunt. Quam enim causam imaginari licet cur Deus non omnes pariter ad se invitet, nisi quia gratuita eius electio alios ab aliis discernit? Fides quidem & invocatio media sunt quæ nobis conciliant Dei gratiam: sed fons earum non quærendus est. Beati quidem sumus in Deum sperando, amplexãdo eius promissiones: beati, inquam, sumus ubi Christo mediatore freti, statuimus illum nobis esse patrem, votáque nostra ad eũ dirigimus: sed unde fides & invocatio, nisi quia natura alienos gratia coniunxit? Quod ergo nobis manum ad inferos usque porrigere dignatus est, hinc propinquitas: non autẽ quòd sponte prævenerimus. Imò propriè loquendo, postquam nos elegit, suum erga nos amorem vocatione testatur. Qua de re vide Rom. 8. f. 30, & Ioh. 15. e. 16, & 1 Ioh. 4. d. 19. *Et appropinquare feceris tibi.* Vel, Et propinquum feceris tibi. Etsi Deus semẽ Abrahæ sibi in peculium segregaverat, ut circuncisio locum illis in templo daret: dubium tamen non est quin discrimen aliquod inter Iudæos ipsos statuat David: quia neque omnes efficaciter ad se vocaverat Deus, neque iure omnes in templo locum occupabant. Alludit quidem Propheta ad externum Sanctuarium, iudæos dicens electos esse ut appropinquent Deo: sed memoria tenendum est quod Suprà, 15. a. 1, & 24. a. 3, vidimus, non omnes legitimos fuisse Ecclesiæ cives qui templi pavimentum terebant, quia præcipuè requiritur integritas cordis, & puritas manuum. Quare propinquos Deo fieri intellige non qui externa tantùm specie locum obtinent in templo, sed qui sincera fide se offerunt in conspectum Dei. Iam hic vocatio adiungitur electioni, ne quis somniet oves perpetuo vagari, neque unquã colligi in ovile. Nam hoc effectu se ostendit gratuita Dei adoptio dum Spiritu eius duce ad eius Sanctuariũ accedimus. Discamus ex hoc loco quis verè beatus sit. Nam qui à Deo electus est, in eius familiam recensitus, is demũ est qui verè beatus æstimari potest. Nam Beatus populus cuius Dominus Deus est, populus quem elegit in hæreditatem sibi, Suprà, 33. c. 12. *Habitabit in atriis tuis.* Hoc est, in Sanctuario tuo, in templo tuo. Sic alibi, Beati qui habitant in domo tua, &c. Infrà, 84. a. 5. *Saturabimur bono domus tuæ.* Fructũ beatitudinis commendat Propheta, satiari dicens templi opulentia fideles. Nam quamvis accedant illuc quoque hypocritæ, vacui tamen & ieiuni domum redeunt quantum attinet ad fruitionem spiritualium bonorum. Sicuti Dominus illos per Prophetam exprobrat, Esa. 1. c. 12. Ac notanda est personæ mutatio, ubi David ad fideliũ numerum se aggregat: quia in seipso experimentum proponit satietatis de qua loquitur. Satiabimur, inquit, bono domus tuæ. q. d. Non frustra Deus nos in suam familiam adoptavit. nam vult nos pascere ac satiare bonis suis. Cæterùm intellige satiari fideles non uno momento, sed gradatim: quia etsi instillet Deus Spiritus sui dona, suos tamen quatenus utile est locupletat, donec adducat ad solidã perfectionem. Verum certè est illud Psalmi 104. a. 5, satiari Dei beneficentia os nostrum: sed etiam notandum quod alibi dicitur, Aperi os tuum, & implebo illud, Infrà, 81. c. 11. Impediunt autem nostræ angustiæ ne tantam nobis copiam bonorũ ingerat Deus: sed prout restrictos videt, ita liberalitatẽ suã ad modulũ nostrũ attẽperat. Bona Sãctuarii vocando, externa adminicula commendat, quæ nos ad bonorũ cœlestiũ fruitionem deducunt. Etsi enim poterat olim Deus manum è cœlo porrigere servis suis, voluit tamen per Legis doctrinam, per Sacrificia & alios ritus, externáque pietatis subsidia, satiare fideles animas: sicuti hodie quoque erga nos similibus mediis utitur. Et quanquam in illis subsistere non convenit, negligere tamen fas non est. *Loco sanctiore templi tui.* Vel, sanctioris loci tabernaculi tui. Vel, sacrarii templi tui. Vel, Sãctuarii palatii tui. Alii, Sacræ regiæ tuæ. Figuratè sub illo externo symbolo & visibili atriorum domus & tẽpli, describit nobis David spiritualem illam cõiunctionem quam habemus cũ Deo, atque eius divitias, quas liberaliter in nos effundit. Hæc autẽ cœlestia bona, bona domus & templi Dei, germana iustitia est & pietas cũ cæteris Spiritus sancti fructibus, quos Paulus Gal. 5. d. 22, & Ephes. 5. b. 9. ac etiã virtutibus quas idem Apostolus Rom. 12. b. 6, & 1. Cor. 12. a. 7, & Ephes. 4. b. 7. enumerat.

6 *Terribilia in iustitia respondebis, Deus salutis nostræ: spes omnium finium terræ, & [insularum] maris distantium.*

Terribilia in iustitia respondebis. Quidam sic vertunt, In terribilibus miraculis, in iustitia exaudies nos. Vel, Per stupenda miracula, pro tua iustitia exaudies nos. Alii, Ex iustitia tua stupẽda annues nobis. Alii, Terribiliter pro iustitia respõdebis nobis. Sed versio quam secuti sumus, ut simplicior, ita aptior videtur. Cõfirmat enim David alio genere dicẽdi, nõ frustra se beatos vocasse quibus Deus templum suum aperuit, ut domi eius pascantur. Dicit autẽ respõsurum populo suo Deũ in miraculis vel signis terrificis. Et alludit ad miracula quæ Moses edita fuisse narrat quũ Dominus populũ suũ liberavit ex Ægypto: deinde in promulgatione Legis. Iustitia Dei hoc loco significat bonitatẽ qua tuetur suos, acsi diceret, Domine tu nos semper exaudies, ut mirificis liberationib⁹ perinde virtus tua patefiat atq; olim dũ egressi sũt Patres nostri ex Ægypto. Ecclesiã enim De⁹ nõ vulgari vel ordinario modo, sed terribili potẽtia servavit. Atq; hoc cognitu fuit utile, ut in reb⁹ perditis nõ tamẽ bene sperare desinerẽt filii Dei. Notãdũ est etiã respõdere hic, ut aliàs sæpe, pro exaudire poni. *Deus salutis nostræ.* Hoc est, qui sol⁹ nos à morte & periculis servare

potes & tueri. Dii gĕtiũ, dii sũt perditionis & exitii: sed verus Deus suis est Deus salutis, nõ perditionis. *Spes omnium finium terræ.* [E] Vbi Propheta salutẽ Dei Iudæis destinauit, simul addit esse spẽ extremitatũ terræ, vsq; ad vltimos mundi recessus. Vnde sequitur gratiam Dei ad Gentes vsque extendi. [A] Neque enim Iudæorum tantùm Deus est, sed etiam Gentium, Rom. 3. d. 29. [M] Quod enim Israelitas sibi delegit in populũ, non ita factum est vt hi soli bonitate illius potirentur, sed vt toti orbi proponeretur exemplum quo cognosceretur quis sit & qualis erga cultores suos verus ille & vnicus totius terræ Deus. *Et insularum maris distantium.* [V] Ad verbum, Et maris remotorum, longinquorum, distantium. sub. à Sione. Quidam, & eorũ qui remoti degunt in mari. Vel, & eorum qui procul ad mare habitant. q. d. Tu Domine extendes gratiam tuam vsque ad regiones transmarinas, vt non tantùm vicini nostri sentiant te esse sibi propitium, sed etiam qui procul vltra mare habitant in regionibus longinquis. [B] Hactenus de præclara & beata Dei inter suos præsidentis dignatione, quæ exaltato Christo in bonis spiritualibus sic toti mundo innotuit, vt quam latè orbis patet nomen Dñi agnosci & adorari cœperit.

7 *Qui firmat montes potentia sua, qui accinctus est fortitudine.*

Qui firmat montes potentia sua. [V] Vel, stabiliens montes virtute sua. Alii, Qui instruit, vel parat mõtes in virtute sua. [B] Per occasionem describit Dauid virtutem Dei, quæ perspicitur in rerum natura & mundi opificio. Nam illa ætate nouum erat Gentes eiusdem cum sociis spei socias facere, idcóque vt tollatur absurditas, tempestiuè admonet Dauid fortitudinẽ Dei extare in cunctis mundi partibus. [V] Acsi diceret, Non debet illud videri tam absurdum quòd Deus diffundat bonitatem suã per totũ orbẽ, & quòd gratiã suam communicet omnibus populis. nam statim ab initio mundi nullus fuit angulus terræ qui non cõspexerit relucentẽ eius gloriam. [B] Montes autẽ potius quàm planas regiones nominat, quia in illa immensa terræ cõgerie altisque rupibus rarior apparet Dei potẽtia. [E] Chaldæa paraphrasis instructionem montium intelligit qua Dominus ibicibus & inde aliis monticolis atque rupicolis bestiis prospicit de victu: sed planius est vt intelligam[V] vatẽ hic canere, ipsas montium moles Dei virtute conditas, sicque firmatas & paratas. Et alibi enim ex tam immani mõtiũ magnitudine, visenda Dei potentia & virtus proponitur. [E] Tãtã quippe molem montium è planitie vsque ad nubes ascendere, nec quamuis ventorum vi aut turbine dimoueri, summæ potentiæ indiciũ est, qua veluti zona præcinctus, omnem vndique rerum omnium penes se retinet potestatem.

8 *Qui compescit sonitũ mariũ, sonitum fluctuum eorum, & strepitum gentium.*

Qui compescit sonitum mariũ. [V] Vel, strepitum, fastum, commotionem, fremitum. [C] Quidam hunc versum hoc sensu exponunt, Deum compescere strepitus hominum audacia excitatos: sicuti compescit omnes maris strepitus. Alii metaphoricã loquutionem esse volunt, quam deinde sine figura exprimat Dauid. Sed Dauidem simplicius loquutũ esse constat, ac priore quidem membro documentum potentiæ Dei in mari proferre, altero autem in hominibus. acsi diceret, Deus sedando fluctus ac tempestates maris, quanta sit præditus fortitudine demonstrat. Idem in hominibus specimen exhibet, tumultus compescens ab illis excitatos. [M] Certè Dei potẽtia in fluctuum & maris tranquillitate conspicua redditur. Nam fieri quidem potest vt humana aliqua industria & potentia, imò vnius aliquando hominis authoritate maximi populorum motus cõponantur: sed quæ vis mortalium, quæ industria, quæ authoritas aut vnius montis molem innumerabilem, aut exigui alicuius pelagi fluctus cõponere poterit? Atque hinc est quod de Christo stupefacti dicebãt, Quis est hic quia mare & venti obediunt ei? Matth. 8. c. 27. Erat enim supra vires humanas & prorsus inauditũ quòd homo imperaret ventis & mari. Et quum aliàs similiter maris fluctus sedasset, adorabatur à discipulis dicentibus, Verè filius Dei es, Matth. 14. d. 33. Multa quidem præclara in eo viderant, sed hoc vnum reliqua omnia excellere videbatur. Quod ad tumultus, strepitus ac horrẽdos motus ab hominibus excitatos attinet, ipse eadem sua virtute facillimè cohibere potest. Nam cessare facit bella vsque ad extremum ipsius terræ: arcum conterit & concidit hastam, plaustra cõburit igni, Suprà, 46. b. 10. *Et strepitum gentium.* [V] Vel, & fremitum, tumultum.

9 *Et timebunt habitatores finium [terræ] à signis tuis: exitus matutinos & vespertinos exultare facis.*

Et timebunt habitatores finium. [V] Quidam, Et timent. *A signis tuis.* [V] Signa hic vocat omnia Dei opera in quibus insculpsit aliquas gloriæ suæ notas, siue in quibus illustris refulget Dei maiestas: vt in sole & similibus. [C] Nihil est quidem tam minutum vel contemptibile in cœlo vel terra quod non repræsentet nobis Dei gloriam: sed miraculis κατ' ἐξοχὴν tribuitur hoc nomen, quia illic clarius refulget Dei maiestas. [B] Itaque sol, luna, stellæ signa sunt, horumque admirandus motus, magisque admiranda vis, à quibus certè potentiam Dei cognoscentes quicunque fines terræ & marium habitant, metuunt item eum atque colunt: sicut innumera sanè per hæc Dei beneficia percipiunt. [C] Summa tamen huius loci est, tam illustres fore Dei gratias erga Ecclesiam, vt ad reuerentiam & admirationem barbaras etiam gentes & longissimè remotas cogant. *Exitus matutinos & vespertinos.* [V] Quidam, Ob exitus matutini & vesperæ exultare facis. Alii, Egressibus matutini & vesperæ facies ouare. Alii, Qui in progressibus matutinis & vespertinis laudem excitas. Vel per futurũ (vt Hebraicè legitur) Egressus matutinos & vespertinos exultare (siue laudare, aut ouare) facies. Sunt qui vertunt, Egredientes mane & vespere exhilaras. [C] Hoc autem à quibusdam ita accipitur, quum sol mane exoritur, recreari eius luce homines, quum etiam vicissim nocte fulgent luna & stellæ, leuari quam alioqui tristitiam ex tenebris conciperent. Hoc modo subaudienda esset dictio propter: acsi dixisset Propheta, Domine tam mane quàm vesperi, exortu solis, lunæ & stellarum, homines exhilaras. Sed quia verba vt sonant, cõtinent aptum & vtilem sensum, nihil opus est aliunde accersere quod sententiam impleat. Dixerat Dauid ad extremos vsque terræ angulos vẽturum timorem ex ea Dei miraculis: nunc idem de lætitia prædicat: acsi diceret, ab ortu vsque ad occasum solis non formidabilem modò fore Deum, sed gaudii quoque authorem. [M] acsi Propheta diceret, Domine extremas illas partes orbis, siue quæ ad occasum solis vergunt, siue quæ spectant ad ortum, summopere exhilaras.

10 *Visitasti terram [pluuia,] & irrigasti eam: plurimum locupletas eam. riuus Dei plenus est aquis: parabis frumentum eorum, quia sic præparas eam.*

Visitasti eam. [V] Vel, Visitas, inuisis. *Et irrigasti eam.* [V] Vel, Postquam desiderare fecisti eam. sub. terram tandiu siccam. Quidam, Et desiderium dedisti ei. Alii, Et bene cupis ei. [C] Acsi Propheta diceret, Domine postquam longo æstu & siccitate fecisti sitire terram, demum eam visitas. Melius tamen fluit altera interpretatio, Deus tu irrigatione terram visitas. [M] Commendat enim hoc loco Propheta donum pluuiæ, sine quo viscera terræ sterilescunt. Deo tribuit quòd terram irriget, inebriet, & liquefaciat. Quantum hoc donum sit, & quàm necessarium, non animaduertitur nisi vbi subtrahitur. quod malitiæ nostræ causa facturũ se minatus est Dominus. Vide Deuter. 28. c. 23. 24, & 1. Reg. 17. a. 1. *Locupletas eam.* [C] Vel, Ditas eam copiosè. [M] Amplificat Dei bonitatem, ac simul prædicat vim incrementi quod ex pluuia percipitur. [C] Dubitari tamen potest solámne Iudæam intelligat, an totum orbem. Certè quanuis hæc omnia de toto orbe prædicari queant, videtur tamen hoc loco Dauid propriè loqui de Iudæa, sicuti hactenus celebrauit peculiares Dei gratias erga Ecclesiam. [V] Interea significat omnes terræ diuitias prouenire ex Dei bonitate. Diuitias autem terræ vocat abundantiam omnium bonorum quæ terra nobis suppeditat. *Riuus Dei.* Vel, Fluuius Dei. *Plenus est aquis.* [B] Superiori sententiæ astipulatur quod hic adiungit Dauid, fluuium Dei vel riuum plenum esse aquis. Nam quod fluuium Dei pro magno vel amplo quidam accipiunt, vt montes Dei, cedros Dei, pro excelsis, durum est ac coactum: & potius dixisset fluuios plurali numero. Opponit autẽ fluuiis naturalibus qui regiones suas fœcundant, tenuem & exiguum riuum Siloah: alludens ad locum illum Mosis, Terra quam Deus tuus dabit tibi, non erit similis Ægypto quam fœcundat Nili exundatio: sed terra hæc expectat pluuiam è cœlo, Deut. 11. b. 10. Vel fortè metaphoricè appellat pluuiam ipsam Dei fluuium. Certè hoc ad Iudæam restringi debet, sicuti etiam per pascua & habitacula deserti intelligitur sicca & asperior regio, quam Scriptura vocat montanam. *Parabis frumentum eorum.* [V] Vel, Præparas frumẽtum eorum. Vel, Dispones, adornabis, instrues. Confirmat quod dixerat, riuos Dei esse plenos aquis, hoc est, terrã nõ sua sponte esse matrem hominũ, vt ipsos alat, sed hãc illi à Deo dari fœcunditatem. Tu, inquit, facis vt habeant homines vnde pascantur: quia terra iam à te parata est vt ipsos nutriat. [C] Cæterùm quanuis hic celebretur Dei liberalitas familiarius erga electo populo, nostrũ tamen est, vbicunq; habitemus, diuitias bonitatis Dei in terræ prouentu & fertilitate agnoscere. Neq; enim sua virtute multiplicem bonorum affluentiam generat (sicuti modò diximus) nisi quatenus eã Deus pascendis hominibus aptauit. Ideo scitè & concinnè Dauid parari

dicit hominibus frumentum, quia sic parata est terra à Domino. Sensus autem est, oportere iam hanc prouenire ea terra, quia Deus instar optimi patrisfamilias hominibus prospicere volens, eam formauit vt alimenta suppeditet. [h] Quare nostrum est, dum in hac terra sumus, vt non instar iumentorum ea istis Domini diuitiis ventri satisfaciamus, sed & animis opulentiam ac bonitatem Dei admirantibus in illis cum Propheta nostro exhilaremur. Vocati quidem sumus ad cœlestia, sicuti docet Apostolus, Philippen.3.d.20, & Colos.3.a.1.2. vt qui vtimur hoc mundo tanquam non vtamur, 1. Corinth.7.f.31. at interea dum in hac terra corpore repimus, nihil officit, imò multū prodest nostræ professioni, vt ex consideratione & admiratione bonitatis diuinæ, quam nobis hic constitutis impertit, coniiciamus quanta sit futura cœlestium gloria, opulentia & maiestas. Nam si tanto decore & splendore ornatur terra, scabellum pedum Dei, quanto putamus ornatum esse cœlum: id est, ipsam Dei terram? Si tantis diuitiis cumulatur suburbium, quantum putamus regiæ vrbis esse splendorem? Deploranda certè mortalium malitia, qua tantæ opes diuinæ benedictionis vel per auaritiam, vel luxu, vel bellicis tumultibus ab eo fine impediuntur quo destinātur. Debemus etiam per istam visitationis Dei, irrigandæ ac benedicendæ terræ imaginem, spiritualis illius visitationis Dei ac pluuiæ admoneri, qua mentium humanarum areolæ derorantis verbi Dei stillulis irrigantur ac fœcundantur. De qua irrigatione vide Esa.55 c.10.

11 *Sulcos eius inebrias, descendere facis pluuiam in sulcos eius, imbribus liquefacis eam: germini eius benedicis.*

Sulcos eius inebrias. [v] Vel, Inebriabis. id est irrigabis. Alii, Liras eius inebriat. [h] Hebraismus pro Fertilem reddis terram copia aquarum. Sunt qui hæc per optatiuum legunt, Inebria, existimantes esse precationem. [c] Atqui dubium non est quin gratiarum actionem contineat Dauid, eo quòd terram pluuiis madefaciens ac saturans, fructificādi vim suggerat. Quibus verbis significat totum naturæ ordinem testimonium esse paterni erga nos Dei amoris, quòd quotidianus victus nostri curam suscipere dignetur. [h] Simul etiam fertilitatis gloriam, laborantibus agricolis ablatam, Deo (vt par est) ascribit Propheta. Periucundum est quòd quum absque labore manuum nostrarum Deus terram fœcundare possit, exigit opus hominum, & eorum manus reddit sibi cooperarias. Sequentur ergo & coniungantur hæc duo, vt & operetur homo, & operis fructum percipiat, incrementi verò gloriam vni Deo permittat. *Descendere facis pluuiam in sulcos eius.* [v] Vel, demittis pluuiam in vallículas eius. *Imbribus liquefacis eam.* [c] Pluribus verbis hāc, de qua diximus, Dei gratiam inculcat, quia eam maior pars mundi impiè sceleratèque obscurat. Nam vt quisque perspicacior est in obseruandis naturalibus mediis, ita illis affixus manet, vt ad Deum minimè conscendat. Debebat quidem philosophia, quo penitius excutit arcana Dei, propius nos ad ipsum adducere, nisi obstaret prauitas nostra & ingratitudo: sed quia acutissimi quiq; pluuiæ originem in aere & elementis quærentes, oculos & sensus à Deo auertunt, magis nos expergefieri necesse fuit. *Germini eius benedicis.* [v] Futurum Hebræum. Id est, fœliciter prouenire facis germen eius. q.d. Domine, quum inebrias sulcos terræ, & pluuias descendere facis in eius liras, quumque eam liquefacis pluuiis, tūc simul etiam suggeris virtutem & fœcunditatem.

12 *Coronas annum bono tuo, & semitæ tuæ stillant pinguedinem.*

Coronas annum bono tuo. [v] Vel, Beneficentia tua. Præteritum Hebræum pro futuro. Cinges (vel cumulabis, aut exornabis, sub. bonis omnibus) annum bonitatis tuæ. id est, in quo bonitatem tuam notam facies. [c] Bonum Dei vocat beneficentiam. Quidam vertunt, Coronas annum beneficentiæ tuæ. quasi diceret Dauid annos fertilitatis excellere singulari decore, acsi eos corona ornaret Deus: quemadmodum si abundantior solito sit messis, & copiosæ vindemiæ, hæc erit anni corona. Et certè fatemur non æqualem Dei benedictionem in singulis annis fulgere: sed vt alii alios præcellant, nullus tamen ornatu suo prorsus caret. Ita simplex videtur hic sensus, Dei beneficentiam per singulos annorum circuitus conspicuam esse. [v] Nam singuli anni testes sunt diuinæ beneficentiæ, & secum afferunt aliquam copiam vnde sciamus Deum nobis esse propitium, & nostri curam habere. *Et semitæ tuæ stillāt pinguedinem.* [v] Vel, Et vestigia tua. [c] Sensum suum explicat Propheta, dicens semitas Dei stillare pinguedinem. [v] Per semitas, siue vias aut vestigia, metaphoricè nubes intelligit, in quib' vehitur Deus, sicuti dicitur Infrà, 104.a.3. [c] Quoniam igitur vbertas ex succo & humore, humor ex pluuia, pluuia ex nubibus prouenit, eleganter Dauid dicit nubes pinguedinem stillare, & quòd sint Dei semitæ, aut vehicula: acsi diceret, quocunque iter facit Deus, fluere ad eius pedes frugum copiam & vbertatem. [a] Nam mirabili sua virtute facit vt quum terra humorem hauserit, paretur ad segetes proferendas.

13 *Stillant super habitacula deserti, & exultatione colles accinguntur.*

Stillant super habitacula. [v] Ad verbum, Stillabunt mansiones, vel, habitacula. Alii, Stillabunt super campestria, siue pascua. [c] His verbis Dauid gratiam hanc Dei amplificat, quòd pinguedo illa se ad incultas vsque regiones diffundat. [v] Q.d. Non tantùm vna terræ portio haurit humorem è cœlis, vt inde reddatur fœcūda, sed etiam Dominus effundit pluuiam suam super deserta, vt loca etiam illa aliquam benedictionis partem percipiāt. [c] Deserta quidē vocat nō aridas solitudines, in quib' nihil nascatur, sed loca minus culta, & in quib' nō tāta hominum frequentia habitat: sed tamen hinc melius refulget Dei benedictio, dum super montium cacumina pinguedinem stillat. *Et exultatione colles accingūtur.* [c] Hoc addidit Propheta vt ostēderet nullam esse terræ partem Dei opibus vacuam, quia eius liberalitas ad locupletandum totum orbem sufficit. [a] Vide Infrà, 145.c.15.16.

14 *Induerunt se pascua pecudibus, & valles operuerunt se frumento. clamant, etiam canunt.*

Induerunt se pascua pecudibus. [v] Alii, Operiuntur pascua pecudibus. Vel, Operiuntur planities, plana, campi. [a] Q.d. Nullus locus est qui non sit beneficentiæ Dei & liberalitatis testis. *Et valles operuerunt se frumento.* [v] Vel, Obteguntur, operiuntur. [a] Commendat Dei beneficentiam ab ipsa varietate quòd valles & loca demissa tam ouibus quàm frumento vestiantur. *Clamant, etiam canunt.* [v] Vel, Iubilabunt. siue, iubilant. [c] Gaudium rebus inanimatis impropriè tribuit: sicuti etiam ridere dicuntur agri quum sua pulchritudine exhilarant hominum oculos. Mirum tamen est quòd iubilationi cantum adiungat, interposita etiam particula אף, quam scimus esse emphaticam. Sed ad gaudii continuationem referri debet quod dicit, Etiam canunt, vt sciamus non vnius tantùm anni fore gaudium, sed assiduos recursus. Deinde scimus quàm trita sit Hebræis ordinis inuersio. veluti quum dicitur, Non dormitabit, neque dormiet, Infrà, 121.a.4. [b] Dicit ergo Dauid campos gregibus & valles replendas frumento, vt omnia plena sint iubilo & cantibus. Sic adiiciuntur omnia quærentibus primùm regnum Dei & iustitiam eius, Matt.6 d.33.

ARGVMENTVM PSALMI LXVI.

[a] Gratulatur Propheta de liberatione populi Israelitici, hoc est Ecclesiæ à tyrannide impiorum. [c] Sicuti autem miseris & afflictis prædicat diuinitus allatam fuisse salutem: ita consolationis & patientiæ materiam suggerit, examinatos fuisse dicens instar argenti, quum tyrannidi hostium subiecti fuerūt. In fine videtur Vates priuatim de se loqui, integritatis suæ documentum proferens, quòd fuerit à Deo exauditus, qui vt iustus est & perfectus, ita impios & sceleratos repudiat.

P*Ræfecto, Canticum Psalmi.*
Iubilate Deo omnis terra.

Præfecto. [v] Vel, Victori, præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Canticum Psalmi.* [a] Vide Suprà, 30.a.1, & 65.a.1. Quidam, Præsuli oda Dauidis. *Iubilate Deo omnis terra.* [v] Vel, Quicunque inhabitatis terram. [a] Insignis aliqua populi sancti ab hostibus vindicatio Psalmo huic componendo occasionem dedit. Inducitur itaque Propheta tanquam mirificè gratulabundus, vniuersos mortales ad laudandum pariter Deum inuitare, ita vt est omne votum & desiderium pii pectoris, Dei bonitatem plenius experti. [b] Ergo generalis est præfatio, quam mox sequentur hypotheses. Quia verò sermonem ad totum orbem dirigit, dubium non est quin vaticinium sit de futura regni Dei amplitudine, quæ ante Christi demum aduentum spectata fuit. [a] sicuti ex generali inuitatione, qua gentes ad laudandum Deum inuitantur, Paulus earum vocationem colligit vel confirmat, Roman.15.e.10.

2 *Canite gloriam nominis eius: ponite gloriam laudem eius.*

Canite gloriam nominis eius. [v] Hebraismus, pro, Glorioso nomini eius. Alii vertunt, gloriam nominis eius. [c] Idem hoc versu cum maiore vehementia cōfirmat, quo melius pigros alioqui & tardos extimulet ad Deum laudandum. q.d. Vos omnes

qui terram incolitis, extollite pro merito ac dignitate sacrum Dei nomen, vt iustam & solidam gloriam obtineat. *Ponite gloriam laudem eius.* [C] Subest hic aliqua ambiguitas. Quidam enim sub aliis verbis idem repeti putantes vertunt, Ponite gloriam laudis eius. Sed melius alii laudē in accusatiuo vertūt, hoc sensu, Magnificè extollite Dei laudē, vt sit gloriosa. Neque enim mediocri præconio contentus est Propheta, sed vult Dei beneficia pro sua amplitudine splendidè prædicari. [V] Q.d. pleno ore prædicate. Illud est Ponere laudem Dei, gloriam: id est ponere in gloriam, vt verè sit gloriosa, hoc est, vt obtineat id quod meretur. Alii eodem sensu vertunt, Date decus laudi eius.

3 *Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua: propter magnitudinem fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui.*

Dicite Deo. [B] Indicat hoc versu Psaltes causam & materiam laudis, facinora scilicet Dei tremenda, quæ nemo qui dignè illa consideret, mirari satis possit. [C] Quia autem solent plerimi frigidè apud alios de laudibus Dei disserere, vt efficacius sensus fidelium tangat Propheta & expergefaciat, sermonem ad Deum iubet dirigi: quia vbi quis eum tanquam testibus & arbitris compellat, fictioni non esse locum videt, seriò quod in corde habet probè meditatū, in mediū profert. Nihil enim melius ad Dei reuerentiam nos cogit quàm vbi nos sistimus coram eius facie. *Quàm terribilia sunt opera tua.* [V] Hebraicè verbum plurale iungitur nomini singulari, Quàm terribile est opera tua. Quod genus dicendi sic resoluunt Hebræi, Quàm terribile est vnūquodque operum tuorum. Alii vertunt, Quàm tremendus es (vel terribilis) operibus tuis. [M] Hic exigit Propheta eam gloriam quæ Deo propter illius omnipotentiam vniuersæ carni tremendam & formidabilem detur: quod nihil aliud est quàm exigere vt Deum metuat omnis terra. *Mentientur tibi inimici tui.* [C] Hoc nonnulli ita exponunt, Agnoscant tandem hostes spe fallaci deceptos se fuisse. Alii verò, Negabunt se quicquam hostile fuisse in te molitos. Sed nihil aliud hoc loco voluit Propheta, quàm Dei robur hostibus quoque esse formidabile, vt inuitos subigat. Nam vt affectū illum de quo loquuti sumus, magis accēderet, hostes dicit mētiri Deo ob multitudinem virtutis eius. Nam si duri & præfracti, qui se libenter eius imperio subducerent, velint nolint cogūtur se corā eo humiliare: quid fidelibus agendum est, quos non terroribus sibi subiicit, sed blādè ad se inuitat? Subest enim hæc tacita comparatio inter voluntarium cultum, quem præstant fideles dulcedine gratiæ illecti: & seruilem coactámque subiectionem, ad quam incredoli vi trahuntur. Hoc enim significat mētiri, fieri supplicem non alacri obsequio, neque liberè, sed quia necessitas extorquet: sicuti Suprà, 18.d.45. diximus. [B] Dicit ergo Propheta, Præ multa virtute mentientur tibi inimici tui. [V] Hoc est, erunt tibi supplices, & sese tibi subiicient, ficto tamen animo.

4 *Omnis terra adorabit te, & psallent tibi, psallent nomini tuo. Selah.*

Omnis terra adorabit te. [V] Vel, adoret te. vt sit futurum pro imperatiuo. Quidam vertūt, Omnes habitatores terræ incuruabunt se tibi. [A] Iterum Dei laudes in toto orbe prædicandas asserit, vt affectum in Dei laudes æstuantem melius exprimat. [B] Præterea quod tam multus est Propheta in hoc capite tractando, non est præter rationem. Nam quum huic argumento sint impares omnes linguæ, videmus quàm parci & maligni sint homines vt vix tenui & ieiuna laude aspergant Deū, ad quem celebrandum debuerant neruos omnes ac conatus intendere. [M] Ideo tot verbis ad laudandū Deum omnes inuitat Propheta, Iubilate, psallite, date gloriam laudem eius. Omnis terra adorabit te &c. *Et psallent tibi, psallent nomini tuo.* [C] Rursus vaticinatur Propheta, quamuis tunc soli Iudæi in suo angulo Deum colerent, omnes tamen Gentes sub eius imperiū venturas. Neque verò nunc, sicuti nuper, iugum subituros dicit qui cuperent sibi liberum esse excutere: sed verum ac sincerum cultum exprimit, Psallēt tibi, psallent nomini tuo. Est enim hoc præcipuū laudis sacrificiū, (vt habetur Suprà. 50.c. 24.d.23.) ac verum etiam testimoniū pietatis. [?] Et quia hæc Dei in humanum genus bonitas satis expēdi non potest, Propheta vocem *Selah* adscripsit.

5 *Venite, & videte opera Dei: terribilis opere super filios hominum.*

Venite, & videte opera Dei. [B] Iam quia homines videt Propheta vel occupari vanis negotiis, vel in peruersis & erraticis studiis vagari, hortatur vt se accingant ad videnda Dei opera: & hortando simul obiurgat tardos ac resides. [M] Et verbum veniendi, conuocandi vim habet: [C] verbum verò videndi admonet perperam cæcutire homines in re manifesta: quia nisi in propatulo essent opera Dei, frustra conspici iuberet. [M] Venite (inquit) & videte opera Dei. Non dicit simpliciter, ite & videte opera Dei, sed Venite. q.d. Expēdite nobiscum stupenda Dei opera. [C] Similem ferè locum habuimus Suprà, 46.b.9. vnde huius loci explicationem petere licebit. *Terribilis opere.* [V] Opus posuit pro operibus. *Super filios hominum.* [C] Speciem operum Dei ponit, ad quorum intuitum vult omnes esse attentos, nempe rationem quam tenet in gubernando humano genere. Hæc enim experimentalis (vt ita loquamur) notitia magis afficit. Ideo Paulus Act. 17.f.17. postquam disseruit in genere de potentia Dei, sermonem huc restringit, iubétque vnumquenque in se descendere, quia illic Deum præsentem sentiet. Sic interpretamur particulam istam, Deum esse admirabilem opere super filios hominum, non quòd emineat eius maiestas supra homines, sed quòd in tuendo ac conseruando eorum statu maximè admirabilis sit eius prouidentia, sicuti etiam Suprà, 40.b.6. diximus. Ergo quamuis non longius circunspiciant homines, in seipsis satis reperiēt causæ cur Deum reuereantur ac timeant. [M] Ergo opera Dei ostendunt qualis operatur, quia per operū qualitatem qualitas agnoscitur operatoris: sicuti Christus dicebat, Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, Iohan. 10.e.25. Et Apostolus dicit sempiternam Dei virtutem ex illius operibus intellectam conspici, Roman. 1.c.20.

6 *Conuertit mare in aridam: per flumen transierunt pede: ibi lætati sumus in ipso.*

Conuertit mare in aridam. [V] Est præteritum. Loquitur de liberatione populi Israelitici, in qua quidem liberatione prius siccauit mare, Exodi 14.e.21: deinde Iordanem, Iosue 4.a.7. [C] Postquam loquutus est Propheta de conseruatione generis humani, ad specialem Ecclesiæ curam trāsitum facit, commemorans electi populi redemptionem, [V] in qua viua Dei gloria ostenditur. q.d. Terribilis quidem est Dominus super filios hominum, sed maximè in populo suo. [A] Porro vnum opus Dei recitans, nempe conuersionem maris in aridam, [C] synecdoche vtitur, quia minimè dubium est quin breuiter commonefaciat fideles de innumeris Dei beneficiis, quibus postea sanciuit hāc liberationis gratiam. Quod etiam breuiter significat, mox adiungens, *Ibi lætati sumus in ipso.* Neq; enim ad eū & ad alios posteros spectaret redemptionis lætitia, nisi quatenus continui amoris pignus ac documentum à Deo editum foret erga totum Ecclesiæ corpus. Sed quia tunc suorum æternus apparuit seruator, ex hoc etiam fonte commune ad omnes pios gaudium profluxit. [M] Proinde non dicit Propheta, Ibi lætabantur, sed, Lætabamur, aut, Lætati sumus, vt agnoscant posteri nō minus ad se pertinere quod factum est olim, quàm ad ipsos maiores qui id re ipsa sunt experti. Communicatio ista maiorum & posterorum cum in beneficiis, tum in castigationibus Dei diligenter obseruāda est. Nam plurimum ad hoc facit vt vel metus Dei, vel animi gratitudo erga Deum inculcetur posteris, vt qui sciant ad se pertinere quicquid maioribus à Deo factum est.

7 *Dominatur in fortitudine sua in seculum, oculi eius Gentes speculantur: rebelles non exaltabunt sese. Selah.*

Dominator in fortitudine sua. [B] Commodùm ex tam raro diuinæ virtutis facinore, quo Ægyptios in mari rubro, postea & Chananitas perdidit, traducto suo populo & per mare illud & per Iordanem sicco pede, potentiam eius canit omnibus gentibus formidandam, vt qui omnes regat, omnium corda noscat, cunctósque sit iudicaturus. *In seculum.* [V] Vel, Seculo: id est, toti orbi. [C] Nam quū עולם Hebræis nūc sit saeculū, vel tēporis perpetuitas, nūc ipsa mūdi fabrica, hic posterior sēsus videtur melius quadrare, & receptior est, Deum fortitudine præditum esse, qua sub imperio suo contineat totum orbem. [V] Habebat speciale imperium inter Iudæos, sed dominabatur etiam in aliis gentibus sua fortitudine: nullus enim erat mūdi angulus diuinæ bonitatis expers. [C] quare sua prouidētia semper totum orbem complexus est. *Oculi eius Gentes speculantur.* [V] Quasi dicat, Habet etiam curam Gentium. Deus quidem peculiari cura regebat Iudæos, sicut paterfamilias domesticos suos curat: interea tamen totum mundum regebat. [M] Sciat igitur Israel & Gentium conatus esse in manu Dei. hinc subiicit Propheta, *Rebelles non exaltabunt sese.* [V] Vel, Defectores non exaltabuntur. Vel, Increduli non extollent seipsos. Vel, Defectores nō exurgent sibi. Id est, cadent dignitate sua. [C] Confirmat Deo curæ esse Gentes, quia illic etiam pœnas exigit de sceleratis ac reprobis. Ita nullam generis humani partem à Deo negligi probat ab effectu Propheta, quòd impios præcipites deiiciat. Etsi enim multa confusè in mundo miscentur, nunquam tamen sic in abdito latere patitur sua iudicia, quin signa quædam eorum & quidem satis illustria oculatis & attentis spectatoribus

proponat. [A] Seruit hæc sententia ad solandum infirmas hominum mentes, qui plus improborum potentiam reformidant quàm decebat. Nam si Dominus sua virtute eos deiicit qui se in sublime attollere & alios non modò despicere sed etiam opprimere conantur, [M] ita vt non prosperentur in eo quod volunt, quid causæ est cur sic ab hominibus timeri debeant? Ne igitur impios metuamos, *Selah* adiectum est. [A] acsi diceret Propheta, O inuictam Dei optimi maximi fortitudinem qua improborum conatus minimè succedunt. Certè tantum abest vt pro voto extollantur, vt atrocissimas dent defectionis & impietatis suæ pœnas. [M] Iam colligamus ex aduerso, Si defectores prosperari nequeunt, ergo adhærentibus Deo nihil potest accidere aduersi, sed necesse vt illis fœliciter omnia succedant, quemadmodum Suprà, 1.a.3. fusius explicatum est.

8 *Benedicite populi Deo nostro, & audire facite vocem laudis eius.*

Benedicite populi Deo nostro. [M] Iterum ad laudem Dei adhortatur. [B] Ista enim quum ita habeant, vt Deus sit moderator & iudex omnium, consequẽs erat vt nimirum hortaretur ad prædicandum laudandumque Deum, nõ iam solos Israelitas tantùm, sed etiam cunctos simul populos. Ita videmus sanctum Prophetæ pectus ardenti laudandi Dei affectu plenum esse. Hortatur autem populos exteros vt admoneat Israelem quãto magis debeat ipse laudare Deum suum, quum talis sit ad cuius laudem meritò & Gentes excitentur. Omnino autem in hoc est, vt populus Dei assuescat magnificè sentire de Deo suo. Ideo non simpliciter dicit, Benedicite populi Deo, sed, Deo nostro, velut inter hunc & Gentium falsos Deos discriminans. *Et audire facite vocem laudis eius.* [V] Vel, Et resonare. [M] Bis idem dicit, sed emphatica est hæc repetitio. Exigit enim non obscuram aliquam aut occultam laudem, sed publicam, vulgatam & manifestam (qualis est, quando viri cuiusdam virtus carminibus publicis omnium ore celebratur) qua absque vlla tergiuersatione falsorum deorum opinio ab ipsorum cultoribus extinguatur, & veri ac vnici Dei maiestas & gloria magnis & innumeris portentis, non insinuata modò sed irrefragabiliter declarata celebretur, ac magnificè extollatur.

9 *Qui posuit animam nostram in vitam, & non permisit ut declinaret pes noster.*

Qui posuit animam nostram in vitam. [V] Hebraismus, pro Seruauit nos in vita. [C] Quanquam superiore versu populos omnes cõmuniter hortatus est Propheta ad laudandum Deum: speciale tamen aliquod Dei auxilium commemorat quo restituta fuit salus Ecclesiæ. Ita innuere videtur Gentes aliquando eius gratiæ fore participes cuius tũc gustum electo populo Deus præbebat. Interea admonet insignem & memoratu dignam esse liberationem, cuius famam vult vbique resonare. Quanquam autem redditam Iudæis fuisse vitam prædicat (quo genere loquendi non vulgariter adiutos fuisse docet) mox tamen ostendit, potius seruatos fuisse à periculo quàm postliminio restitutos ab aliqua clade. Nam quum addit, *Et non permisit ut declinaret pes noster*, significat non accidisse, sed mature fuisse occursum vt firmi starent. Neque tamen ideo gratiam Dei extenuat Propheta quòd malum anteuerterit: sed fatetur fuisse viuificatos qui Dei beneficio seruati erant incolumes. [V] Quasi dicat, Vos populi laudate Deum nostrum, & resonate vocem laudis eius. erexit enim nos, quum actum esset de nobis, nequaquam enim vnquam stetisset Ecclesia nisi Dominus porrexisset è cœlo manum.

10 *Nam probasti nos Deus, conflasti nos sicut conflatur argentũ.*

Nam probasti nos Deus. [B] Quia extrema ferè mala suis Deus immiserat, & nihilominus seruauerat, hinc iure canũt se probatos fuisse & exploratos. [C] Posset autem hoc per concessionem legi, interposita particula Quanuis, ita amplificaret Propheta Dei gratiam, quia populum liberauerit ex grauissimis malis. Quod tametsi verum est, Propheta tamen simul alterum quoque finem spectasse videtur, nempe vt optimo solatio, quod ex eius verbis colligitur, piorum tristitiam leuaret. Nihil enim vtilius est quàm reputare nos affligi Dei manu, quoties nos res aduersæ premunt: & quidem non alio consilio nisi vt saluti nostræ consulat. [A] Dum enim ab eo corripimur, id fit ne cum hoc mundo damnemur, 1. Corinth. 11. g. 32. [V] Probat autem nos Dominus quum affligit, vt in posterum mortificet affectus carnis nostræ, acsi igne excoqueret scorias: deinde examinat, hoc est, vult habere testimonium patientiæ nostræ. [M] Est itaque magna afflictionum vtilitas etiam hoc nomine quòd nos probant. hoc est, vel qua fide simus erga Deum declarant, vel fidem nostram per patientiam probatiorem reddunt: tum & causam administrant vt virtus & fides Dei erga suos illustris reddatur, dum nos ex aduersis eripit. Qua de re vide Rom. 5. a. 3. & Iacobi 1. a. 3. & 1. Petri 1. b. 7. *Conflasti nos.* [V] Vel, Exaurinasti (vel examinabas) nos. Quidam vertunt, Excoxisti nos. *Sicut conflatur argentum.* [V] Vel, Examinatur argentum. [C] Videtur hac argenti similitudine exprimere, fuisse ad viuum probatos, sicuti argentum non semel in ignem coniicitur. [V] q.d. Examinasti nos nõ vulgari modo, nõ leui aliqua tribulatione: sed, quemadmodum argentum examinatur, quod sæpius reuocatur in ignem, ita nos sæpius reduxisti ad examen, ac tractasti seuerius. [C] Itaque, etsi gratias Deo agunt fideles quòd tantùm probati fuerint afflictionibus, non prorsus consumpti: malorum tamen grauitas & varietas clarè exprimitur non tantùm hoc verbo, sed toto contextu, quemadmodum ex sequentibus versibus colligere promptum erit. [A] Interea pulchrè congruit argenti & ignis similitudo. [B] Nihil enim igni voracius est: at quũ quæuis alia consumat, argentum tamen & aurum reddit purius. Ita mala quæ Deus immiserat Israeli, quemlibet alium populum planè internecioni dedissent, at Israelem etiam puriorem melioremque reddiderunt.

11 *Induxeras nos in rete, posueras angustiam in lumbis nostris.*

Induxeras nos in rete. [V] Vel, In laqueum. Alii vertũt, Deduxisti nos in laqueum. Alii, In angustum. [C] Iam clarè exprimitur malorum varietas & grauitas. nam fideles dicũt se in laqueum fuisse coniectos, redactos in vltimas angustias, hominem fuisse impositum capitibus suis: denique per naufragium & incendium transiisse. *Posueras angustiam in lumbis nostris.* [B] Comparat seruitutem sub tyrannis Iruitam inductioni in arcem, idque propter angustiam, & constrictioni lumborum. [V] Quidam vertunt, in coarctationem, vel arctum. sub. vinculum. [C] Aggrauat autem quod prius dixerat de laqueo. [V] acsi dicerent fideles, Non fuit iste laqueus vel rete ex filis compositum, sed fuit etiam catena quæ nos constringeret, fuit durum vinculum quod nos coarctaret. Alii, Anxiam molestiam, vel morbum constringentem. [B] Sic Chaldæus paraphrastes per lumborum molestiam vel coarctationem catenam intelligit & satis quadrat, quum de arce præmiserit, qua velut carcere fuerint inclusi. Alii intelligunt hac molestia lumborum, defectionem virtutis, qua labentes homo nequeat consistere: vt intelligas eam virium deiectionem qua contra hostes nequibant consistere, malàve ab illis illata depellere.

12 *Imposueras hominem super caput nostrum, ingressi eramus ignem & aquam: & eduxisti nos in planitiem irriguam.*

Imposueras hominem super caput. [V] Ad verbum, Equitare feceras. [C] Verbo equitandi intelligũt tyrannos contumeliosè & petulanter fuisse dominatos, & quasi iumẽtis fuisse abusos. [V] q.d. Feceras vt homo potitus imperio supra nos insultaret, vt solent crudeles tyranni. *Ingressi eramus ignem & aquam.* [C] Ignis & aqua vt duo sunt præcipua elementa ad vitam nostram fouendam, ita rursus ad extinguendam. [B] Nihil enim necat hominem præsentius. Vnde etiam solebant interdicere aqua & igni quum vellent hominem extinguere & delere ex societate hominum. [V] His igitur verbis significant se non vno afflictionum genere tentatos fuisse, sed multiplices fuisse ærumnas. q.d. Iactasti nos huc & illuc, ita vt perpessi simus varias clades. [C] Notandum verò est quòd Propheta quascunq; iniurias perpessus erat populus hostium sæuitia, pro pœnis diuinitus inflictis recenset: ne existiment fideles, eo sopito vel aliud agente tam duriter se fuisse vexatos. [M] Agnoscamus ergo à Deo esse tyrannidis flagellum. Is enim est qui populum sibi inobedientem ac rebellem, humano dominio (quod vt plurimum crudele & tyrannicum est) subiicit. Liber Iudicum testis est quomodo Deus tyrãnos Israelitis imposuerit, propterea quòd Legem illis datam contempsissent. [C] Itaque Ecclesiæ conditio veluti in speculo statuitur hic nobis ante oculos: ne vbi contigerit ab igne in aquam nos raptari, & iactari huc & illuc, ipsa nouitas nos exanimet vel terreat. [A] quemadmodum Petrus hortatur, 1. Pet. 4. c. 12. *Et eduxisti nos in planitiem.* [V] Vel, In terram irriguam. Vel, In refrigerium. Alii, In satietatem istam. [C] Vox Hebræa [illegible] propriè terram irriguam significat: sed metaphoricè hic pro læto & iucundo statu capitur, acsi in campis amœnis & fertilibus suauiter & liberaliter pascerẽtur fideles. Summa est, quanuis tẽporalibus pœnis duriter castiget suos Deus, semper tamen dare prosperum & lætabilem exitum. Neque enim hoc ad terram Chanaan restringi debet, quia hic non fit tantùm mentio deserti, sed omnium temporum ærumnas, quibus humiliatus fuerat populus, comprehendit Propheta. [B] Porro celebris est hic locus, mala diuinitus immitti credentibus, & in bonum ipsorum, sicqua eos tandem malis omnibus liberari, vt leue & momentaneum afflictionis, æter-

num pōdus operetur gloriæ cœlestis: quod diuus Paulus scripsit 2. Cor. 4. d. 17, satis luculēter hic quoque proponitur.

13 *Ingrediar domum tuam cum holocaustis, & soluam tibi vota mea.*

Ingrediar domum tuam. [V] Vel, Veniam in domum tuam. Hoc est, in Sanctuarium tuum, vel in templum tuum. quod domus Dei communi Scripturæ vsu appellatum est. *Cum holocaustis.* [V] Id est, vt ibi sacrificia afferam. [C] Quanquam hactenus totius Ecclesiæ personam sustinuit Propheta, magis tamen emphaticè nunc ex priuato animi sui sensu loquitur: & vehemētius singulos ad pietatis officium incitat. quia vbi quisque seorsum ad gratias agendas probe animatus erit, symphoniam laudum in commune alacrius conferent. Summa est, indignè supprimi Dei gloriam quoties in rebus aduersis nobis succurrit, nisi liberationem sequatur solennis gratiarum actio. [A] Vt enim quum necessitas nos premit, Deus à nobis tanquam potens seruator inuocari vult: ita quum auxiliatricem eius manum senserimus & è periculis erepti fuerimus, animi gratitudinem erga tam beneuolum patrem & liberatorem testari nos oportet, quemadmodum alibi dicitur, Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, Suprà, 50. c. 15. [M] Nō vult autem Propheta apparere in conspectu Dei vacuus, vt præceptū erat in Lege, Exodi 23. c. 15: sed munera pollicetur quibus testetur animum beneficii accepti conscium & gratum. *Et soluam tibi vota mea.* [A] Vel, Reddam tibi vota mea. [C] His verbis fidei suæ constantiā ostendit. Nota est Iacobi exhortatio, Oret qui angitur ac tristis est, qui lætus est canat, Iacobi 5. c. 13. Plerosque enim videmus, licet in prospera fortuna blandè fictis laudibus Deum mulceant, simulac paulo durius vrgētur, vel tumultuosè cōtra eum fremere, vel fractos torpere. Atqui vera est hæc pietatis probatio, si quis inter summos dolores ad Deum suspiret, fideique & tolerantiæ suæ perseuerantiam orando probet: deinde gratitudinem testetur. [M] Vota vocat holocausta quibus apparere vult in domo Dei, eo quòd illa vouerit. Adimit autem eis muneribus omnem libertatē, vt quæ iam voti vinculo ligata sint ac debita. Nō enim hoc agit Propheta vt suam erga Deum liberalitatem, sed vt beneficētiam Dei erga se, qua obstrictus sit ad referendam gratitudinem, declaret.

14 *Quæ vouerunt labia mea, & loquutum est os meum dum esset angustia mihi.*

Quæ vouerunt labia mea. [V] Ad verbum, Quæ aperuerunt, vel distinxerunt. Id est, Quæ diductis labiis voui tibi. *Et loquutum est os meum.* [A] Idem aliis verbis repetit. *Dum esset angustia mihi.* [M] Exponit quando & quomodo vouerit ista holocausta. In angustia mea, inquit. [V] Ad verbum, In angustia mihi, siue mea. Quidā, dum esset coarctatio mihi. [M] Id est, quum essem in maximis tribulationibus, angustia pressus, aperui os meum & distinxi labiis meis, inuocando opem tuam, quòd velim agnoscere tuam beneficentiam holocaustorum oblatione, & animi mei erga te declarare gratitudinem. [A] Ergo non abs re dicit se labiis protulisse vota, significans nunquam se ita mœrore fuisse constrictum quin disertè preces concipiens profiteretur se salutem suam in manu Dei deponere. [V] Itaque videmus qualiset vota nuncupari soleant, quum scilicet laboramus graui aliqua necessitate. [A] Interea notandum primò, nihil vnquam sanctos Patres vouisse Deo nisi quod ei probari scirent, deinde non vouisse in alium finem nisi vt gratitudinis suæ testimonium redderent. Quare nimis insulsè illorum exemplum obtendunt Papistæ non modò temerariis sed etiā sacrilegis votis, dum primò subtiliter obtrudūt Deo quicquid in buccam venit: deinde nihil sibi minus proponunt quā rectum finem, & diabolica superbia de rebus sibi non concessis paciscuntur. [A] Sed de his alibi fusius.

15 *Holocausta pinguium offeram tibi, cum suffitu arietum: faciam boues cum hircis. Selah.*

Holocausta pinguium offeram tibi. [M] His declarat quanta hilaritate & liberalitate soluere velit vota sua. Ideo meminit holocaustorum pinguium, vel (vt alii vertunt) medullatorum. Etenim qui hilariter dant, parcè non dant, sed liberaliter, & quā possunt selecta. [B] Porro vel Dauidem vel aliquem ex summis proceribus hic loqui oportet: quia vt tenuis fortunæ homines tam opima & splendida sacrificia offerrent, facultas non sinebat. Probabile igitur est Dauidem esse Psalmi authorem, qui sumptum regalem facturum se denuntiat in sacrificiis. Scimus autem cur sibi Deus victimas offerri iusserit pro gratiarum actione: nempe vt sciret populus sua immunditie pollui & vitiari Dei laudes, nisi aliunde sanctificentur. Nam vtcunque nobis sit propositum laudare Dei nomen, impuris tamen labiis ipsum profanamus, nisi quatenus se Christus semel hostiam obtulit vt nos & nostra omnia sanctificet. Ideóque docet Apostolus per ipsum placere laudes quas Deo referimus, Hebr. 13. c. 15. *Cum suffitu arietum.* [V] Vel, Cum incenso. [C] Suffitum sui holocausti commendat Propheta, quum inde nonnisi grauis ac putidus odor in cœlum ascenderit: sed quatenus figuræ erant Christi arietes aliæque victimæ, suauiter coram Deo redolebant. Nunc, abolitis Legalibus figuris, manet nobis spiritualis veritas, quæ proximo versu melius exprimitur. Et hac ratione Propheta adiicere voluit [B] *Selah.* quia in his sacrificiis externis, Christi & Sanctorum sacrificia cogitanda sunt. [M] Cæterùm Propheta suo exemplo ostendit quid populus facere debeat, dum per ignem & aquam ducitur, & in angustiam cōstituitur. Primùm vt clamet ad Dominum, & voueat illi pro liberatione declarationem animi grati. Deinde vt liberatus veniat ad domum Dei, reddátque vota quæ, in angustia quum esset, sponte nuncupauit. Tertiò, vt reddat ea liberalissimè, cum gratiarum actione & laude Dei. [V] Notandum est postremò faciendi verbum pro verbo sacrificandi positum esse in hoc versu. nisi quis exponere malis, Faciam bubus & hircis. sub. sacrificium tibi.

16 *Venite, audite, & narrabo, omnes timentes Deum, quæ fecerit animæ meæ.*

Venite, audite. [B] Enarraturus Propheta quæ sibi Deus fecerit, inuitat ad audiendum timentes Deum: [M] vt & ipsi agnoscant quantam curam Deus habeat cultorum suorum. *Audite, & narrabo, omnes timentes Deum.* [V] Ordo inuersus, pro Audite omnes timentes Deum, & narrabo quæ, &c. Quidam tamen legunt vno contextu, Audite & narrabo omnibus timentibus Deum. [C] Solis autem Dei cultoribus suam narrationem destinat, quia hi soli aures audiendi Dei laudes habent, ideo soli idonei sunt auditores: profanis autem & hypocritis, tanquam surdis canitur. [B] Interea omnes inuitantur quotquot Deum timent, non solū Iudæi, eo quod vaticinatus est Psaltes de diuulgatione Euangelii per totum orbem. *Quæ fecerit animæ meæ.* [V] Id est, quot & quantis beneficiis me affecerit. [M] Non ait Propheta, Venite & videte quàm magnificè sim oblaturus: neque, Quanta fecerim Deo, aut, Quanta pro illo pericula subierim: sed, Quanta fecerit ille animæ meæ. Id est, quantam curam habuerit animæ meæ. [A] Quibus verbis confirmat quod versu superiore diximus, spiritualem veritatem semper manere, etiam si externa sacrificia aboleantur. [C] Nam & sub Lege hoc referri oportuit externas cæremonias, quia alioqui inutilis fuisset externa pompa. Præconium ergo gratiæ Dei verum condimentum fuit ne insipida essent sacrificia. Quòd autem aduocat pios omnes, suo exemplo docet non satis gratos esse Deo nisi qui desiderio flagrant publicandæ quam experti sunt gratiæ, non modò vt inciteotur omnes ad eum vno consensu laudandum, sed vt documentis gratiæ eius animentur ad fidem & spem: [M] ac simili modo aliis quoque commendent ac deprædicent quicquid beneficii ab eo experti sunt.

17 *Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltatus est lingua mea.*

Ad ipsum ore meo clamaui. [M] Hoc est, Quum clamarem ad eū in angustiis animi mei, exaudiuit me, ita vt in illius laudes proruperit lingua mea. [C] Confirmat se Dei auxilio saluum esse, quia eum precatus, ipso effectu senserit fuisse sibi propitium. Votorum enim fructus gratiam Dei non parum illustrat, vt nobis sit certior. [M] Et hoc est ad quod Propheta conuocat omnes Dei cultores, vt audiant: vt & ipsi in aduersitatibus constituti sciant Deo aures esse quibus ad se clamantes & confugientes exaudiat. *Et exaltatus est.* [V] Alii, Et exaltaui eū. Exaltatur Deus voce nostra quum ad ipsum confugimus, testantes hoc pacto nos ab ipso vno petere salutem. [C] Neque enim alia specie melius colitur Deus quàm vbi ab ipso expetitur salus. [A] sicuti ipsemet dicit inuocationem honoris & cultus sui præcipuam esse partem, Suprà, 50. c. 15. [V] Vnde apparet, in Papatu spoliarī ipsum præcipua gloriæ suæ parte, vbi vel ad mortuos, vel ad statuas distrahūtur hominum vota, & Inuocatio Dei ferè pro nihilo ducitur. *Lingua mea.* [V] Ad verbum, Sub lingua mea. [C] Iterum per os & linguam, sicuti paulo antè, precandi vehementiam & ardorem exprimit. Nisi orasset ex intimo cordis affectu, repudiatus quidem esset: sed linguam facit cordis comitem, vt sciamus non frigidè eum orasse. [M] Hoc igitur addit Propheta non vt doceat plus posse apud Deum vocem oris & linguæ quàm affectum cordis: sed vt exprimat certitudinem huius rei quam de Deo aliis prædicare instituit: hoc est, certissimè se expertum esse quòd Deus clamantes ad se exaudiat, perinde acsi agricola aliis persuasurus diuini incrementi vir-

tutem, quam in agro & labore suo sit expertus, indéque certò didicerit quòd Deus labori manuum hominum benedicat, ad hunc modum dicat, Terram hanc manibus meis colui, & semen hoc manibus meis illi concredidi, & ecce tantum ac tantum fœnoris ex eo ad me Dei virtute ac beneficentia rediit. Hoc modo & Propheta dicit se ad Deum ore suo clamasse, & eum lingua sua exaltasse, atque ita exauditum ab eo fuisse. [c] Nonnulli Sub lingua tantundē valere putāt atque In corde, quòd cor sub lingua sit. sed hoc absurdum est. Sermo enim qui ex linguæ reflexu procedit, sub lingua nasci dicitur: sicuti alibi, Venenum aspidum sub labiis eorum, Suprà, 13. a. 3. [a] Rectius ergo alii, qui Sub lingua pro In lingua accipiunt, vt illud, Sub lingua eius molestia & iniquitas, Suprà, 10. b. 7. quod nihil aliud est quàm, Quicquid hic loquitur, molestia & iniquitas est. Ita quum ait Vates, Et exaltatus est sub lingua mea, nihil aliud dicit quàm, Lingua mea ipsum extuli.

18 *Iniquitatem si spectassem in corde meo, non exaudiuisset Dominus.*

Iniquitatem si spectassem. [a] Vel, Iniquitatē si aspexissem in corde meo. [b] Asserit ideo se exorasse Deū id quod optauerat, quia non spectarit in corde iniquitatem. [v] Porro Iniquitatem aspicere seu videre in corde suo, phrasi Hebraica significat intentum esse ad maleficia, quum intus habemus conclusas cogitationes, in illis nobis blandimur, atque illis intenti & dediti sumus. Fieri non potest quin sancti etiam multas in se iniquitates videant & agnoscant, sed vident vt displiceāt, & cum pœnitentia orant Patrem illum cœlestem, vt eos docuit filius Christus Saluator, Remitte nobis debita nostra, &c. Matth. 6. b. 12, & Luc. 11. a. 4. Etiamsi peccatis laborent & fateantur se peccatores coram Deo, tamen non indulgent sibi in peccatis: & licet peccatum in ipsis sit, non tamen regnat. Contrà sentiendum de peccatoribus, id est impiis & sceleratis. [c] Hic itaq; Legem purè & ritè orandi subiicit Propheta, ne prætexta fide & pœnitentia temere se quisque ad Deum inuocandum ingerat. Scimus, quoties in genere pronuntiat Scriptura inuocandum esse Deum, quàm audacter irrumpant hypocritæ & profani homines, séque permisceant fidelibus. Ergo Propheta, vt talibus ludibriis ianuam præcludat, cordis integritatem requirit. Verum quidem est Prophetam his verbis suam innocentiam asserere, quemadmodū Dauid probitatem suam coeli (vt ita dicamus) gratiæ Dei testimonio à calumniis asserit: sed consilium maximè fuit tradere suo exemplo communem regulam, vt discamus ad Deum puro corde accedere. Similis est locus ille Iohan. 9. f. 31, Deus impios (seu peccatores) non exaudit. Fatemur quidem nō alios quàm peccatores exaudiri, quia omnibus ad vnū præscripta est forma vt peccata sibi remitti petant: sed quanuis ingenuam reatus sui confessionem coram Deo afferant fideles, hoc tamen ipso iam peccatores esse desinunt quia Deus supplices absoluit. Tenenda enim est Pauli admonitio, Vt ab iniquitate discedat quisquis inuocat nomen Domini, 2. Timoth. 2. c. 19. [a] Vide etiam quid Dominus per Prophetam dicat, Esa. 1. d. 15. [c] Porro iniquitatem aspicere in corde non est esse sibi malè conscium, sed intentum esse & addictum iniquitati, sicuti paulo antè diximus. Quanquam ideo disertè cordis meminit Propheta vt ostenderet non modò puras sibi esse manus, vel se coram hominibus esse innoxium, sed vt coram Deo sibi assereret veræ integritatis laudem. Nisi enim externæ vitæ respondeat interior cordis veritas, sed recondita malitia lateat, quod splendebit coram hominibus, abominatio erit coram Deo.

19 *Sed exaudiuit Deus, attendit voci orationis meæ.*

Sed exaudiuit Deus. [v] Alii, Certè audiuit Deus. Vel, Vtique audiuit Deus. [c] Subiicit enim cum affirmatione exauditas fuisse preces: imò verò gloriatur se à Domino fuisse exauditum, cum significatione auxilii perampli & splendidi. Vnde colligitur, nunquam fore spem nostram irritam modò ex animo Deum quæramus. [a] Sic enim loquitur Propheta, Clamabis, & dicet, Ecce, adsum, Esa. 58. c. 9, Item, Et erit, antequam clament, ego audiam, &c. Esa. 65. d. 24. *Attendit voci orationis meæ.* [a] Eiusdem rei repetitio aliis verbis: q. d. Nihil certius est quàm me à Domino Deo exauditum esse.

20 *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.*

Benedictus Deus. [m] Epiphonema est, [c] quo Psalmum gratiarum actione claudit, vnde exorsus fuerat. [m] Benedictus Deus, id est, Celebris sit Deus, deprædicetur Deus, laudetur Deus, omnes de illo magnificentissimè sentiant & loquantur, [a] Nemo non illi reuerēter subiiciatur, & gratias agat. *Qui non amouit orationem meam.* [c] Causam addit cur benedictus sit Deus, quòd repulsam non fuerit passus. Figuratè enim dicitur Deus orationem a se depellere, siquem auxilio non dignetur, acsi tergum obuerteret. [a] sicuti per Prophetam dicit se faciem suam auersurum quum hypocritæ clamauerint & preces etiam cum manuum expansione multiplicauerint, Esa. 1. d. 15. *Et misericordiam suam.* [c] Hic fontem designat Propheta, quia non subduxerit Deus suam misericordiam. neque enim aliud quàm gratuitus eius fauor vel nobis eum reddit placabilem, vel pretium ac impetrandi gratiam conciliat precibus nostris, ne sint infructuosæ. [b] In eo igitur quod Propheta asserit non amotam fuisse precationem suam liptote est, quia plus quàm dicit vult intelligi: sese plura multo, quàm fuisset ausus optare, à Domino se exorasse, bonitatémque eius percepisse quàm largissimè. id quod in præcedentibus satis explicuit. [m] Videmus hic ad quid valeat vsus precandi. Posset Deus omnia nobis dare absque vllis precationibus, (nouit enim bonus ille Pater cœlestis quid nobis oporteat antequam petamus eum, Matth. 6. d. 32.) verùm vult nos certò experiri quòd nos diligat: & rationem nostri habens, antes precibus nostris admoneat: vt certò intelligamus habere nos Deum, ad quem tutò & cum bona fiducia, tanquam ad nostrum seruatorem, in omnibus aduersis confugere queamus ac debeamus. Crescamus igitur in isto diuinæ bonitatis sensu, & opem illius imploremus, sed sinceris animis, [a] scientes nihil illi gratius esse cordis sinceritate, & animi integritate, quam toties Scriptura commendat.

ARGVMENTVM PSALMI LXVII.

[m] Ardens precatio est populi Israelitici, fauorem & vultus Dei irradiationem orantis, [c] vt Deus non solùm in Iudæa eum tueatur incolumem, sed etiam vt noua & insolita propagatione augeat. [b] quo inde diuinæ bonitatis cognitio cum omnimoda fœlicitate spargatur per vniuersum orbem. quod verè in Christi regno impletum est.

PRæfecto in Neginoth, Psalmus cantici.

Præfecto in Neginoth. [v] Vide Suprà, 4. a. 1. *Psalmus cantici.* [a] Vide Suprà, 30. a. 1, & 65. a. 1. [a] Quidam, Præfulsio Neginoth, oda carminis.

2 *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: lucere faciat vultum suum in nobis. Selah.*

Deus misereatur nostri. [a] Vel, Deus faueat nobis. [a] Breuis & luculentus est hic Psalmus: sed quo origo, natura & propagatio salutis & fœlicitatis tum cœlestis tum præsentis mira gratia & perspicuitate canitur. [c] Quanquam autem vaticinatur hic Propheta de regno Christi, sub quo Dei adoptio toti mundo futura erat: Iudæis tamen peculiariter gratiam Dei precatur: sicuti primogenitos fuisse scimus, Exodi 4. e. 22. vt meritò ab ipsis incipere debuerit quæ per cunctas gentes spargenda erat Dei benedictio. [a] Nam à Iudæis salus in orbem venit: per semen nanque Abrahæ cunctæ nationes diuiniora illa beneficia iuxta Dei promissiones perceperunt, quia ab ipsis (teste Christo Iohan. 4. c. 22.) salus venit. *Et benedicat nobis.* [v] Vel, Et benedicet nobis. [c] Neque enim minus commodè in tempore futuro verba omnia huius versus vertere liceret, sicuti Hebraicè leguntur: ita esset sancta gratulatio ad fulciendas pias mentes, ne ambigerent de cōtinuo fauoris Dei successu, quin potius incrementa eius sperarent. Sed quia communi omnium ferè consensu receptum est Prophetam hic precari, verba illa in modo optandi relinquamus. [a] Orat ergo hic populus selectus fauorem, vnde omnium bonorum initium est. nemini enim quicquam debet Deus, cuncta fauori eius vltroneo accepta referimus. Inde beneficentiam fauori subiecit. [c] Itaque quum sermonem habeat Propheta non de extraneis, sed de Ecclesia ipsa, & tamen quicquid bonorum in eam conferri optat, deriuet ex fonte gratiæ Dei, sequitur, quandiu viuimus, non aliūde nos esse fœlices, affluere bonorum copia, denique prosperè agere, nisi quia gratuito nos amore prosequitur. Quod si verum est, quis eum præueniet suis meritis? *Lucere faciat vultum suum.* [v] Vel, Illuminet facie sua nos. Alii, Illustret nos lumine vultus sui. Alii, Illustret inter nos lumen vultus sui. Deus tūc dicitur illuminare faciem suam super nos quum declarat se nobis esse propitium & fauentem: atque etiam ipso effectu hoc confirmatur. Quum ergo perspicimus nos à Deo amari, & quasi fidei oculis cōtemplamur serenam eius faciem, quæ nobis illucet, tunc impletur quod hic dicitur. Deinde quū fruimur eius beneficiis, & colligimus fructum illius gratuiti fauoris, etiam apparet splendor diuini vultus. [c] sicuti contrà facies eius obnubilari dicitur dum peccatis nostris offensus

conscientias nostras terret, signáque aufert sui fauoris. Sicuti diximus Suprà, 4.b.7.

3 *Vt cognoscant in terra viam tuam, & in omnibus Gentibus salutem tuam.*

Vt cognoscant. [v] Ad verbũ, ad cognoscẽdum. [c] Hic clarum est vaticinium de propagatione gratiæ Dei, qua factũ est vt Gentes in vnum corpus cum semine Abrahæ coalescerent. Optat igitur Propheta conspicuum esse Dei fauorem in electo populo, vt Gẽtes suo fulgore in eiusdem spei societatẽ adducat. *Viam tuam.* [v] Mutatio personæ. Via Domini dicitur ratio quã tenet erga populum suum. Tunc agnoscitur via Domini quũ homines Deum agnoscunt, qualis sit erga fideles, & qualiter in ipsis agat. Hoc est, dum agnoscitur suorum seruator. Ideo vt clarius exprimeret viam Domini, adiecit nomen salutis. Idem enim via & salus Domini, nisi quòd via generalius est. Perinde igitur est acsi diceret Dauid, Vt sciant homines, simulac te hominibus patefacis, te simul adferre salutem, & in eo esse plenam & solidam fœlicitatem. sicut dicitur Ioh. 17.a.3. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. [m] Non ergo agitur hic de ea bonitate & prouidentia qua Deus omnia in vniuersum gubernat & moderatur (de qua Matth. 5.g.45) sed quam specialiter erga timentes se declarare solet. [a] Nam viæ Domini nihil aliud sunt quàm bonitas & fides, Suprà, 16.b.10. [m] Vnde admonemur quid in Deo cognoscere debeamus, & ad quem finem omnia tendant quæ in Scripturis sacris de inenarrabili bonitate erga Israelem demõstrata passim leguntur. non ad hoc vt secretiora Dei de essentia & substantia & de inscrutabilibus eius iudiciis inuestigemus: sed vt quæ ad nostram salutẽ sunt commoda & necessaria, fideliter obseruemus & apprehendamus. *Et in omnibus Gentibus salutem tuam.* [b] Hoc est, auxilium & salutem quam tuis præstas. [a] Semper piorum affectus fuit vt quam ipsi ex Dei bonitate salutem sentiunt ac percipiunt, aliis quoque Dominus Deus communicare velit. [m] Ab hoc affectu longe distant Iudæi, qui communicationem diuinæ cognitionis ita sibi solis vendicant vt Gentibus eam inuideant. Hinc erat illa æmulatio Iudæorum aduersus Gentes, initio regni Christi, sicuti narrat Lucas Act. 13.g.45, & 22.c.21. Quòd si ipsi veritatem agnouissẽt, & gloriam diuini nominis iuxta loci sententiam desiderassent, summo cum gaudio veritatem regni cœlorum, & istam viæ ac salutis Dei cognitionẽ omnibus vbique terrarum Gentibus apprecati essent.

4 *Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.*

Celebrent te populi. [v] Vel, tunc celebrabunt te populi. [c] Quia saluificæ Dei notitiæ cunctos populos dixit fore participes, nunc tantæ gratiæ præcones fore dicit, simulque ad gratitudinem hortatur. [a] Et certè quomodo non certatim laudarent & celebrarent quem Deum, hoc est sempiternum bonorum omnium fontem, & sibi quoque agnouerunt, quem sciunt regere & moderari omnes populos, & quidem ea æquitate & indulgentia, vt qui ipsi fidunt, ducendósque se ei aduant, nullo vnquam bono egeant? *Celebrent te populi omnes.* [c] Hæc repetitio clarius exprimit sermonem fieri de re noua & insolita. Neque enim, si consueto more & ordine vsitato suam erga filios Abrahæ gratiam prosequutus esset Deus, tanta vehementia opus erat. Nam primò dicit, Celebrent te populi, celebrent te populi omnes: deinde hanc exclamationem paulo post, hoc est versu sexto, iterat. [m] Nec caret emphasi pronomen te. acsi Propheta diceret, Te celebrent populi, non alienos deos. Tu enim solus es verus Deus, & omni laude dignissimus. Cæterùm ex hoc loco colligimus, ex cognitione Dei innasci mortalium pectoribus istum laudandi Dominum affectum. Proinde nisi ante omnia instituamur in cognitione Dei, nunquã imbuemur ad ipsius laudem. Colligitur etiam hinc, vbicunque non est laus Dei, ibi nec veram Dei cognitionẽ obtinere.

5 *Lætentur & exultent populi. quoniam iudicabis populos in æquitate, & Gentes in terra diriges. Selah.*

Lætentur & exultent populi. [v] Vel, lætabuntur & ouabunt Gẽtes. vel, iucundabuntur. [c] Opportunè gaudium hic cum sua causa medium inseritur, quia verè & seriò laudari non potest Deus nisi tranquillis & hilaribus animis, vbi Deo reconciliati gloriamur in certa spe salutis, Rom. 5.a.2. & pax Dei, exuperans omnem sensum, palmam obtinet in cordibus nostris, Philip. 4.b.7. [m] Deus quidem impiis & incredulis horribilis & horrendus est, agnoscentibus verò & colentibus se, nõ terroris sed lætitiæ & exultationis est Deus. *Quoniam iudicabis populos.* [c] Hæc causæ redditio planè demonstrat Gentium vocationem, quia Dei gubernatio cuius hic mẽtio fit, non de generali imperio accipitur, sed de spirituali iurisdictione, quam in Ecclesia sua exercet. Neque enim, propriè loquendo, alios Deus regendos suscipit nisi quos legis suæ doctrina colligit in suum obsequium. *In æquitate.* [o] Nomen æquitatis disertè exprimitur ad commendationem huius regiminis de quo loquuti sumus. [v] Deus ergo dicitur iudicare siue regere (idem enim significant) populos in æquitate non tantùm quum ipsis apparet iustus, sed etiam quum homines atque eorum vitam componit & reformat in obsequium iustitiæ suæ. *Et Gentes in terra diriges.* [a] Nempe in æquitate. [c] Eadem fere leguntur Esa. 11.a.4, & Mich. 4.a.3. vbi de spargenda per totam orbem salutis doctrina agitur.

6 *Celebrent te populi, Deus, celebrent te populi omnes.*

Celebrent te populi, Deus. [v] Idem versus cum quarto, [a] quem ideo repetere Propheta voluit, vt hanc fœlicitatem, qua sancti fruuntur, sua dicente Domino & suo illos Spiritu ducente, exaggeraret. Nam perquam eximiam oportet salutem & fœlicitatem esse, latissiméque patere, ob quam cuncti populi tantopere Deum celebrare debeant. Repetitio enim huius, studium & sedulitatem laudis auget. Quo namque bonitatis Dei cognitio creuerit, crescit & eiusdem perfruitio, iodéque summa animi lætitia, cui nulla potest maior voluptas excogitari, quàm laudare passim Deum, in quo iam vitam æternã & beatam huiusmodi animus viuit.

7 *Terra dedit fructum suum: benedicat nobis Deus, Deus noster.*

Terra dedit fructum suum. [v] Vel, Terra dabit prouentum. [a] Postquam Propheta de præcipua Dei gratia loquutus est, addit Deum terrenis quoque benedictionibus prosequi quos amore suo dignatur, vt nihil prorsus, eo propitio, ad beatam & fœlicem vitam desit. [v] Nam Vates sub vna parte comprehendit omne fœlicitatis genus. [a] Et sanè vigente regno Dei apud suos omne genus bonorum, etiam externa, ingenti cumulo adiiciuntur atque augentur quotidie. Vnde dici non potest quàm simul in dies Dei cognitio & verus cultus, qui in timore eius situs est, incrementum accipiat. *Benedicet nobis Deus, Deus noster.* [v] Quidam hunc versum sic resoluunt, Benedicet nos Deus, Deus noster: ideo terra dabit fructum suum. Hoc est, Quia Dominus benignus est, ideo terra liberaliter etiam suppeditat nobis victum, & omnes creaturæ sese impẽdunt ad nos iuuandos. [c] Illud verò notandum, quoties veterem illum populum suis beneficiis Deus ornauit, quasi accensa lampade præluxisse toti mundo, vt ad se quærendum Gentes alliceret. Ideo si liberaliter suppeditet Deus populo suo quicquid opus est, ex hac beneficentia, quasi ex fonte, orturum prædicat amorem Dei: quia scilicet omnes mundi fines eo libentius se eius imperio addicent, vbi experientia edocti fuerint tam benignum esse erga suos Patrem.

8 *Benedicet [inquam] nobis Deus: & timebunt eum omnes fines terræ.*

Benedicet, inquam, nobis Deus. [v] Vel, Benedicet, Benefaciat, Benignè foueat nos. [c] Quasi dicat, Gratiarum suarum cumulum in nobis augeat Deus. [a] Beneficentiæ diuinæ ingeminatio ardẽtem prodit affectus: [v] ac simul hominum ingratitudinem arguit, qui saturati Dei bonis non sentiunt illum esse authorem. Illorum etiam diffidentia notatur, quibus etiamsi Deus sit propitius, trepidant tamen & metuunt sibi nequid desit. *Et timebunt eum.* [a] Id est, Colent & reuerebuntur eum. *Omnes fines terræ.* [v] Quasi dicat, Ex Dei beneficiis, quibus populum suum afficiet, discent cuncti mortales, spem suas in Patrem tam propitium collocare, & illi ex animo seruire. sicuti versu præcedenti dictum est.

ARGVMENTVM PSALMI LXVIII.

[a] Postquam Dauid Dei potentiam ac bonitatem commendauit, materiam eius laudandi proposuit in totius mundi gubernatione, ad redemptionem electi populi descendit, docens quo fauore Deus semper genus Abrahæ fuerit prosequutus. Deinde victorias quas Dei gratia adeptus fuerat, eleganter ac magnificè extollit: [b] ac de Christi regno, cui totus orbis nomen daturus erat, non obscurè vaticinatur.

PRæfecto, Dauidis Psalmus cantici.

Præfecto. [v] Vel, Victori. Vide Suprà, 4.a.1. *Psalmus cantici.* [v] Vide Suprà, 30.a.1, & 65. [a] Quidam, Præfuli Oda carminis Dauid.

2 *Exurget Deus, & dispergentur inimici eius, & fugient qui odio habent eum, à facie eius.*

Exurgat Deus, & dispergentur. [v] Vel, Exurget Deus. Vel, Exurgit Deus. Possunt enim hæc verti quasi precetur Dauid, aut potius optet, aut quasi vaticinetur futuram impiorum per-

niciem. Exurgat. sub. tantùm. Q. d. Digitum suum tantùm moueat Deus, & dissipabuntur hostes. Vel, vt quidam vertunt, Simulatque Deus exurrexerit, disperguntur inimici eius. [b] In genere primùm Dauid sic Dei virtutem canit, & ad prædicandum eam inuitat, [c] vt etiam ostendat de quibus rebus disserere velit in hoc Psalmo. Hæc summa est, Quamuis Deus ad tempus quiescat, impii proterue & crudeliter Ecclesiam affligentibus, tandem surgere vindicem: & satis esse præsidii fidelibus in eius auxilio, simulac manum suam contra impios exerit. [v] Versum hunc ex Mose sumpsit Dauid. [a] Nam quum Arca in deserto transferebatur, Mosen dixisse legimus, Surge ô Iehoua, & dispergantur inimici tui, & fugiant qui te habent odio, Numer. 10.d.35. [b] Nec enim dubium est quin Moses seculis omnibus dictauerit precãdi formam: vt freti Arca fœderis fideles, tanquam visibili præsentiæ Dei symbolo, se fore saluos confiderent. Hoc tantùm discrimen notandum est, quòd Moses Deum ipsum cõpellans precatur: Dauid autem ex ipsa hoc quotidie impleri gloriatur & canit. Ac tacitè subindicat fieri Dei tolerantia vt interdum præualeant hostes: & quantumuis insolescant, nihil posse nisi eius permissu: quia nondũ est tempus surgendi. *Dispergentur.* [b] Verbum hoc magnæ fiduciæ est. [a] Quasi dicat, Fieri non potest vt consistere queunt impii simulatq; exurrexerit Deus. *Inimici eius.* [c] Hoc suauissimæ consolationis plenum est, vocari Dei hostes quicunq; eius Ecclesiam infestant: quia quum nos susceperit tuẽdos, nõn secus afficitur nostris iniuriis acsi violaretur sua ipsius maiestas. [a] sicut per Prophetam dicit, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei, Zachar. 2.c.8. Ne igitur hostes nostros metuamus, tantùm causam nostram Deo nobis fauenti & propitio committamus, scientes satis illi esse potentiæ ac virtutis ad hostes nostros superandos. *Qui odio habent eum.* [v] Quos Dei hostes suo inimicos nominauerat, nunc eius osores appellat, qui tamen non Deum ipsum sed tantùm populum Israelis odio prosequi videbantur. [b] Sed Propheta sic loquitur, eo quòd odium quod aduersus Israelem conceperant, ex eo erat quòd deos ipsorum contemnebat, & ab eo pendebat quem ipsi ignorabant. Quare non Israelitas modo, sed verum Deum in Israelitis odio habebant.

3 *Sicut propellitur fumus, propelles [eos:] sicut liquescit cera à facie ignis, [sic] peribunt impii à facie Dei.*

Sicut propellitur fumus. [b] Concinna fumi ac venti, deinde ceræ & ignis similitudine, [c] melius exprimit quàm facile Deo ac promptum sit omnes hostium nostrorum conatus discutere. [b] Et mirum in modum in rebus istis creatis ob oculos ponit quàm sit indignantis Dei potentia impiis intolerabilis, dum illam vento grassanti & igni ardenti, istos verò inani fumo & molli ceræ comparat. Si nanq; creatura ante faciem creaturæ subsistere non potest, quomodo creatura faciẽ creatoris indignantis ferre poterit? [a] Hinc alibi dicitur, Non sic impii, sed tanquam gluma quam proiicit ventus, Suprà, 1.b.4. *Sicut liquescit cera.* [v] Scriptura alibi testatur Deum ignem esse consumentem, Deuter. 4.d.24, & Hebr. 12.g.29, vt hostes eius terreantur ac sciant se minus posse coram eo consistere. *Sic peribunt impii à facie Dei.* [c] Est quidem hoc ferè incredibile, tam firmi roboris dissipationem fore momentaneam: sed Spiritus hoc modo nimiam carnis nostræ timiditatem corrigere voluit, acsi diceret non subesse hostibus nostris quam putamus firmitudinem, sed quasi fumo hebetari oculos nostros: falli etiam nos in ipsa duritie, quia non reputamus solo Dei conspectu liquefieri montes ipsos. [a] Ergo quantumuis impii Ecclesiæ persequutores proteruiant, & nihil non aggredi audeant, sciamus tamen illos statim ac momento perituros, [b] simulatque Deus suam potentiam extulerit, & vindicare illorum impietatem cœperit.

4 *Iusti autem lætabuntur, & exultabunt à facie Dei, & gestient præ lætitia.*

Iusti autem lætabuntur. [v] Pulcherrima antithesi opponit filiorum Dei sortem ac fœlicitatem horrendo impiorum exitio, [c] docens, præcipuè in salutem Ecclesiæ suæ, Deum formidabilem esse impiis. [a] Ex quorum etiam vltione & interitu Dei gloria, quam vnicè Sancti clarescere cupiũt, illustratur. Vt ergo nihil illi æquè cupiunt atque gloriam Dei, illustrari, ita quum hæc ex improborũ vltione clarescit & effulget, singulari gaudio perfunduntur, & ad prædicandum nomen eius summopere extimulantur. *Et exultabunt.* [v] Vel, Exultent, et pudient. [b] Videtur Dauid lætitiam hanc obliquè opponere mœrori, quo diu sub Saule occupati fuerãt animi piorum: acsi dixisset, Postquam humiliauit suos ad tempus Deus, afferre nouam gaudii lucem, ne semper sub tristitia demersi iaceant. [a] Nam sicuti improborũ risus in luctum vertitur, ita piorum tristitiam summũ ac incredibile gaudiũ tandem commutatur. sicuti Christus suos hoc pacto solabatur, Tristitia vestra conuertetur in gaudium, Iohan. 16.c.20. *A facie Dei.* [c] Docet Dauid tum verè demũ exhilarari pios, dum sibi propitiũ esse Deum cernunt, suámque et salutem charam esse. [a] sicuti docet Paulus Roman. 5.a.1. [c] Quanquam autem מפני & לפני Hebræis idem sæpe valent, hic tamen consultò Propheta distinxit, quia fugiunt impii à facie Dei quam exhorrent: iusti verò ad eandem faciẽ exultant, quia nihil illis optabilius quàm sentire propinquum sibi esse Deum. Vidimus autem Suprà, 18.c.16, vt Dei conspectus alios expauefaciat, alios verò suauiter exhilaret: quia sicuti mansuetus est erga mansuetos, ita cum præfractis præfractè agit. *Et gestient præ lætitia.* [a] Quasi dicat, Incredibile erit eorũ gaudium, ac semper est duraturum. [c] Sic plurium verborum congerie exprimit Propheta non mediocrem fore piorum lætitiam, sed quæ omnes eorum affectus in se rapiat & occupet. [a] Hinc Paulus scribit, Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Philip. 4.a.4.

5 *Cantate Deo, psallite nomini eius: exaltate eum qui equitat super cœlos. in Iah nomen eius, & exultate coram facie eius.*

Cantate Deo. [b] Apostrophe est ad populum Dei, populum iustum & sanctum, quem ad canendum Deo hortatur, [c] quòd suo imperio & virtute contineat totũ orbem: deinde quod miserrimos quosque & contemptibiles fouere sua cura & patrocinio tueri dignetur. *Psallite nomini eius.* [b] Rem eandem diuersis sed non superfluis verbis repetit. Nam prius quodammodo per posterius exponitur. est nanque Deo cantare nihil aliud quàm nomini eius psallere, id est, laudes illi concinere. Nam secundum opera eius est nomen eius, & secũdum nomen eius laus eius. [a] Deo cantandum esse etiam docet Apostolus, Ephes. 5.d.19, & Coloss. 3.c.16. *Exaltate eum.* [a] Id est, laudibus efferte, magnificate, & publico præconio eius potẽtiam ac bonitatem celebrate. *Qui equitat super cœlos.* [v] Vel, Eleuate viam lapidibus equitanti cœlos. Alii, Eleuate ascendentem in cœlos. Alii, Tollite offendicula de via ei qui orbibus cœlorum veluti equo insidet. [c] Hoc elogium est immensæ Dei potentiæ, quòd equitet super nubes vel cœlos. quia sequitur toto mundo superiorem esse. Nam etsi hac loquendi forma admonet Spiritus sanctus nihil crassum vel terrestre concipiendum esse de ipso, præcipuè tamen commendat summum imperium, vt nos ad reuerentiam adducat: acsi diceret ita supereminere vt laudes omnes infra ipsum subsidãt. Nam vbi neruos omnes intenderimus, non comprehendemus certè cœlum & terram, quæ tamen amplitudinem gloriæ Dei æquare nequeunt. [a] Vide versum huius Psalmi 34. *In Iah nomen eius.* [v] Hebraismus, pro Vocatur Iah, & hoc nomine celebrandus est. Quidam, Cum Iah nomen eius. Alii, In Iah nomine eius. [c] Sed non est obscurum Dauidis consilium. Nam quia tunc variis deorum figmentis superstitio repleuerat totum orbem, voluit vni Deo suum gradum asserere: acsi omnia idola facessere iuberet vbi in medium prodit Deus Israel. [b] q.d. Sileant à facie eius omnes dii Gentium, quicquid vspiam aliquid esse putatur. omnia nihil sunt: Deus noster solus est omnia. Significat enim Iah existentem à verbo יהיה quod significat fuit. Ita Deus ipse ad Mosen, se vocat existentem, iubétque ad Israëlitas dicere אהיה שלחני, id est, Existens misit me, Exodi 3.d.14. Nec immeritò nomen hoc illi soli tribuitur. Primùm quòd solus essentiam habeat à seipso. Secondò, quòd nec vnquam cœpit, nec aliquando desinet, sed semper existit: vnde & sempiternus vocatur. Tertiò, quòd ex illo sunt omnia, atq; in illo omnia mouentur & subsistunt, Act. 17.f.28. *Et exultate coram facie eius.* [c] Quia nõ satis esset suppliciter coli Deum à fidelibus, quem impii quoque, dum expauescunt & tremunt, reuereri cogũtur, Propheta lætos & alacres accedere ad ipsum iubet. [a] Exultate, inquit, coram facie eius. q.d. Ne trepideritis ad eius conspectum, benignus ille est, clemens ac misericors: tantùm firma fide ad eum accedite, & quanta sit illius bonitas ac clementia percipietis.

6 *Pater [est] pupillorum, & iudex viduarum: Deus in habitaculo sanctitatis suæ.*

Pater est pupillorum. [a] Quo alacrius & maiore fiducia ad Deũ accedant fideles, de eius mira bonitate Propheta concionatur, [b] quòd ad pupillos vsque & viduas se demittere non grauetur. acsi diceret, incomprehensibilem Dei gloriam non esse causam distantiæ, vt nos, quamlibet miserrimus ac in sordibus demersi, despiciat. Nam viduas & pupillos nominans, haud dubiè per synecdochen complectitur quos mũdus quasi auxilio indignos præterire solet. Nam vt plurimum nostra officia ibi locamus vnde spes aliqua compensationis appareat. Deinde primum ferè locum occupat dignitas & splendor: vnde fit vt contempti iaceant pauperes. *Et iudex viduarum.*

[y] Vel, Et vindex. Alii, Et causam agit. [m] Quasi dicas, Tanta est Dei bonitas erga afflictos vt necessitatibus illorum optimus consolator succurrat. Si quis obiiciat hoc generaliter in Deo non apparere verum (multi enim orphani patrocinio & multæ viduæ iudicio iusto destituuntur, [a] sicuti Propheta Esaias queritur, cap. 1.f.23. [m] & complures solitarii in solitudine consenescunt, innumeri captiui in vinculis ad mortem vsque detinentur.) responsio facilis est, Prophetam non loqui de illis quibus ista meritò contingunt, vel certè qui gratiæ illius capaces per improbitatem esse nequeunt. Deinde non loquitur de tali patrocinio quod per mundi huius iudices & potentes administretur (nam diuersum apparet) sed de vero illo quod diuinitus hominum iustorum generi impenditur, vel visibiliter & temporaliter in hac vita (vt in Ioseph, Petro, Paulo ac Syla visum est) vel æternaliter in futura. Bonitas Dei prædicatur erga istos esse propensa: quod autem non statim ita oculis mortalium erga quosuis declaratur, certo fit Dei consilio, non curiosè scrutando, sed cum reuerentia adorando. Interea sicuti ex hoc loco consolationem non vulgarem recipere debent afflicti & miseri homines, ita cauendum omnibus est nequo pacto viduas, pupillos, solitarios, peregrinos & captiuos vllo modo contristent. Est enim periculosum eos lædere qui Deum habent patronum, tutorem ac iudicem. Qua de re vide Exodi 22.c.22.23, & Deuteron.10.d.18, & Prouerb.23.b.10.11, & Zachar.7.d.13. Quæ omnia essent attentius iudicibus & magistratibus expendenda. *Deus in habitaculo sanctitatis suæ.* [y] Hoc est, in cœlo, siue in templo. [a] Nam vtrunque præsenti argumento optimè conuenit. Neque enim cœlo inclusus est Deus vt otium colat, sed potius solii instar est ei cœlum, vnde orbem iudicet. Iam quia domicilium sibi delegit inter homines, vnde familiariter eos ad se inuitat: nihil aptius erigere pauperum fiduciam potest quàm vbi audiunt non procul quærendum esse. Ergo Propheta doctrinam illam quam posuit, accommodat ad omnes pios, [y] acsi diceret, Dominus domicilium habet inter nos. hoc est, Vult nobis esse familiaris. Si ergo opus habemus eius auxilio, porrigit nobis vltro manum, & sese offert: habemus certum pignus eius præsentiæ in Arca fœderis. [m] Sciant ergo fideles se habere Deum in medio sui, & assuescant pendere ab eius promissionibus, quæ neminem fallere possunt.

7 *Deus habitare facit unicos in domo, educit vinctos compedibus: rebelles autem habitant in siticuloso [loco].*

Deus habitare facit unicos. [a] Vel, Deus habitare facit solitarios. [y] Hebraismus, pro Efficit vt qui liberis carebant, habeant amplam familiam. Vnicos vocat solitarios & desertos in familia, sic Suprà, 22.d.21. [a] Et alibi dicitur, Qui constituit sterilem, familiam, matrem filiorum lætantem, Infrà, 113.c.9. *Educit vinctos compedibus.* [a] Sic Infrà, 146.c.7, Iehoua soluit vinctos. *Rebelles autem habitant in siticuloso loco.* [y] Vel, Rebelles autem habitabunt in terra arida. [c] Denunciat Dei iudiciũ profanis & contemptoribus, non modò ad incutiendum illis metum, sed ne eorum sorti inuideant fideles. Summa est, quocunque afflictionis genere premamur, in Dei manu esse solatium, quo dolores nostros leniat, & curas exoneret. Quamuis autem Impii ad tempus sibi placeant, quicquid tamen nunc videtur illis maximè prosperum, tandem infœliciter illis cessurum esse. Nam habitare in arido, significat, quasi in desertum relegari, ne amplius paterna Dei beneuolentia, qua improbè abusi sunt, fruantur. [a] Vbicunque enim agunt boni, ibi paradisus est: quia timentibus Deum nihil potest boni deesse. vbi mali, ibi desertum omnium bonorum inops: nam in viis illorum contritio & infœlicitas. Vide Suprà, 1.a.3.4.

8 *Deus quum egredereris coram populo tuo, quum incederes per desertum, (Selah).*

Deus quum egredereris. [y] Vel, Egrediebaris. [c] Nunc Dei bonitatem propriè in Ecclesia residere prædicat, quam peculiariter in eum finem delegit vt theatrũ esset paternæ suæ solicitudinis. Hoc autem disertè additur à Propheta, vt quod antea dictum est, filii Abrahæ propius ad se accommodent, quia sunt ex electo populo. *Coram populo tuo.* [y] Deum egressum coram populo suo, & ambulasse in deserto, significat ducem fuisse populo. partes enim ducis sunt præire. Vel comparat Deum pastori, vt solet. Deus egressus est coram populo suo, quum manum illi porrexit, & siccauit mare rubrum. *Quum incederes per desertum.* [m] Non abs re redemptionis ex Ægypto mentionem facit hoc loco Propheta. Primùm enim ad hoc proderat vt grati essent Israelitæ. Non potest quippe vlla esse animi gratitudo vbi acceptum beneficium obliuione extinguitur. Deinde etiam ad confirmandam omnipotentiæ ac bonitatis diuinæ fidem faciebat: admonebátque quid de Deo suo polliceri sibi deberent. [c] Summa huc tendit, Deum in illo memorabili exitu testatum esse omnibus seculis quantopere Ecclesiam suam diligeret. Quorsum enim tot miracula, terræ cœlique concussio, & montium tremor, nisi vt palam fieret Dei virtutem cum salute populi coniunctam esse? Ideo Propheta partes ducis tribuit Deo (sicuti iam dictum est) qui suis auspiciis populum deduxerit. Neque id solùm in traiectu maris rubri, sed etiam quandiu in deserto vagati sunt Israelitæ. [m] Porro si externæ illius liberationis beneficium nũquam ex Israelitarum memoria deleri debebat, quanto maiore ratione nobis indesinenter quod per Christum est redemptionis beneficium inculcandum est? Vnde etiam Christus ipse memoriam suam in cœna nobis instituit. *Selah.* [a] Hæc particula ideo subiecta est quòd summè memoranda res sit Deum ita hominibus se præsentem exhibuisse.

9 *Terra tremuit, etiam cœli distillauerunt coram facie Dei huius. Sinai tremuit à facie Dei, Dei Israelis.*

Terra tremuit. [y] Vel, Terra tremebat. [m] Terræmotum intelligis non solùm in Legis promulgatione: sed quia in continuo itineris progressu sæpius mutatus est ordo naturæ, acsi omnia elementa trepidarent ad Dei conspectum. Quia tamen præcipuè in monte Sinai terribilem suam potentiam ostendit Deus, (quia & tonitrua audiebantur è cœlo, & totus aer fulgetris plenus erat) disertè montem illum nominat Propheta, in quo spectabilis fuit splendidior quàm alibi vsquam Dei maiestas. [a] Adhæc, quia vix aliud est vnde carni huic Dei potentia æquè tremenda appareat, atque tempestates, Psaltes & alii Prophetæ, dum insigne aliquod Dei pro suo electum populo facinus canunt, solent non illibenter tempestates memorare, quibus per allegoriam virtutem Dei, omnia subitò immutare potentem, maximéque terrificam describant. Quanquam re ipsa quoque illas Dominus nonnunquam ad declarandam numinis sui præsentiam ediderit, sicuti iam attigimus. *Cœli distillauerunt.* [y] His verbis pluuiam denotat. *Coram facie Dei huius.* [c] Pronomen demonstratiuum nõ frigidè ad Sinai quidam referunt: quòd mons ille insignis esset, & nobilis: quũ potius Dauid gloriam Dei illustret. Nam simili figura Prophetæ non semel declarant, Deum, qui colitur inter Abrahæ filios, non esse imaginarium, nec religionem quæ eius Lege tradita fuit, ambiguam esse. Sic Esaias, cap. 25.c.9, Hic hic Deus noster seruabit nos. Ergo Dauid, quasi in præsentem Dei conspectum suos adduceret, fidei certitudinem confirmat, distinguitque à dubiis Gentium erroribus: & simul obliquè perstringit mundi amentiam qui Deum sibi in lignis & lapidibus auro & argento figurans, adeo non proficit in Dei notitia vt in suis fallaciis longius euanescat. *Sinai tremuit à facie Dei.* [a] Montis Sinai meminit vt melius exprimeret de qua Dei præsentia loqueretur. Et quum addit, *Dei Israelis,* causam innuit cur Deus Israelitis quouis seculo opem ferat tam splendidam: quippe in monte Sinai illos in peculiarem populum assumpserat. [m] Vnde icti fœderis eos nunc admonet, vt firmam ex Dei promissionibus spem semper concipiant.

10 *Pluuiam liberalem fluere facies, Deus, [super] hæreditatem tuam, & lassam tu instauras.*

Pluuiam liberalem fluere facies. [y] Vel, Pluuiam abundantem eleuabas. Ad verbum, Pluuiam munificentiarum (vel liberalitatum, aut, voluntatum) stillare facies. Pro, stillasti, aut stillas, siue stillabas. Alii, Pluuia liberarum voluntatum rigat Deus hæreditatem tuam. [m] Certè ad gratuitum Dei beneplacitum hoc referri debet: acsi diceret Dauid Deum semper alendi populi sui sponte curam habuisse. Hic enim perpetuũ gratiæ Dei cursum prædicat, ex quo terrã sibi promissam ingressus est populus. Ipsa enim vocatur Dei hæreditas quam assignauerat filiis suis, [a] sicuti frequẽter asserit se illis dedisse eam iure hæreditario possidendam. [c] Sunt qui Ecclesiam hoc nomine intelligunt, sed impropriè: quia versu sequenti subiiciet Dauid in ea habitare cœtum Dei. Meritò autem terra Chanaan nomẽ hoc obtinet, quæ hæreditario iure (sicuti iam attigimus) à Patre cœlesti tradita fuerat. Porro ex quo in ea locati sunt filii Abrahæ, Dauid cõmemorat nũquam Deum cessasse ab optimi & indulgentissimi patrisfamiliâs officio: quia vi-

ctus parandi causa pluuiam semper excitauerit. Nec dubium est quin ad Iudææ situm respexerit, cuius fœcunditas erat à rore vel pluuia cœlesti. [a] quemadmodum ex Mose colligere promptum est, Deuteron.11.b.10. [m] Cæterùm ex hoc loco discimus, pluuiam terræ necessariam ad hoc vt fœcundetur, expectandam à cura & prouidentia Dei, quam Moses totius anni tempora continuo prospectu moderari docet. Deinde quòd Propheta laudãdi Deũ gratia ista cõmemorans, nõ de Deo sed ad Deũ loquitur, admonétque pro dono pluuiæ Deo agendas esse gratias, beneficiumque hoc ex animo deprædicandum. Non enim satis est fateri pluuiam nonnisi à Deo demitti, sed agnoscendum est donum Dei, cùmque gratiarum actione celebrandum. Habet hoc humana peruersitas, vt de communibus ac vulgaribus Dei beneficiis non admodum grata sit, quasi hoc ipso vilia sint quòd passim per totum terrarum orbem etiam malis & ingratis dispensantur. Quàm autem pluuiæ donum magnum sit ac necessarium, tum potissimum patet quando cœlum propter mortalium malitiam aliquandiu clauditur. sicuti tempore Eliæ contigisse sacra historia refert, 1.Reg.17,a.1. *Et lassam tu instauras.* [v] Vel, Et si fatigata fuit, tu confirmasti eam. Vel, Et defessam recreabas. Alii, Et labore affectam (vel laborantem) tu confirmasti. Alii, Et quum defecta est viribus, tu reficis eam. Id est, restituis illi fœcunditatem qua ad tempus visus es illam priuasse.

11 *Congregatio tua habitat in ea, parabis in bonitate tua pauperi Deus.*

Congregatio tua. [v] Vel, pecus tuum. Alii, armentum tuum. Quasi dicat, Tu habes respectum Ecclesiæ tuæ, quum ita terram fœcundas. [a] Nam additur ratio cur terram Chanaan sua benedictione Deus prosequatur, nempe quia illam electo populo habitandam dederit. Acsi diceret, non alio respectu sic benedicis nisi quia sacrum est Ecclesiæ domicilium. Ac quo melius hanc beneficentiam agnoscant Iudæi, comparat eos famelicis qui ea aluntur. Etsi enim lautè ad satietatem vsque adipe frumenti, vini copia, melle & oleo pascebat eos Deus, sic tamen gratiam suam temperauit vt à se vno penderet eorum expectatio: & hoc est quod subdit, *Parabis in bonitate tua pauperi Deus.* [v] Vel, Præparas bonitate tua pauperi Deus. Futurum Hebræum, Confirmabis (vel stabilies) benignitate tua pauperes, ô Deus. Pauperes vocat qui alioqui egerent nisi illis Deus prospiceret. Alii, Bono tuo prouides afflictis ô Deus. Vel, Dirigis in bonitate tua afflictũ De⁹. [c] Alii טוב pro copioso victu accipiunt: sed bonitatem potius hoc loco significat. dicit enim Dauid Deum non alio quàm beneficentiæ suæ respectu induci vt suis tam prouidè consulat. [b] Vel, populum pauperem & afflictum vocat, quia antequam Dominus eum in terram illam introduxisset, inops & pauper in aliena terra habitabat.

12 *Dominus dabit sermonem annuntiatricibus exercitus magni.*

Dominus dabit sermonem annũtiatricibus. [v] Quidam ita distingũt, Dominus dedit sermonem: earum quæ nuntiabant. [c] Duo hic dicit Propheta, quòd fluere faciat Deus pluuiam spontaneam super hæreditatem suam: deinde quòd det victoriam populo suo contra hostes. De victu dixit: nunc de victoria, Dedit, inquit, vel dabit carmen mulieribus quæ celebrent victoriam quam populus reportabit de incredulis. In vsu enim fuit apud veterem populum vt mulieres celebrarẽt cantu victorias, vt de Maria sorore Mosis legimus Exodi 15.c.20. Sic videmus etiam cecinisse coram Dauide, quum hostes essent profligati, 1.Samuelis 18.b 6. Ergo mulieres annũtiatrices exercitus vocat ἐπινίκια quæ à mulieribus cani solebãt. Cantici tamen nomine significat Dauid nonnisi ab vno Deo proficisci victorias. Quanquam simul officii admonat fideles, vt Dei beneficia qua decet gratitudine prædicent. [m] Nouerant autem & gentes victoriam in diuino positam esse non humano arbitrio: vnde & simulacrum Victoriæ in templis colocront. Tanta verò mortalium temeritas est vt rem tam arduam & periculosam propriis viribus (toties ipsa experientia ostendente diuersum) ascribant, non sine magna sacri numinis contumelia.

13 *Reges exercituum fugient, & habitatrix domus diuidet spolia.*

Reges exercituum fugient. [a] Hoc ipsum carmen est quod Dominus in ore annuntiatricum posuit: [a] quanquam in Dauidis persona non minus rectè accipere liceat. [u] Prædicatur autem in eo ingens Dei & miraculosa virtus, quòd bona pars regum bellicosorum turbæ domesticæ, imbelli ac pauidæ, in spolia cedunt: quum verisimilius sit substantiam imbellium cessuram in prædam regibus ad bella instructis ac potentibus. Sed hæc est potentia dexteræ Excelsi, qua vis & superbia tyrannorum frangitur, & populo imbelli succurritur. [c] Proinde hæc circunstantia non parum illustrat Dei gratiam, quòd fugati sint potentissimi reges, quorum viribus longè impares fuissent Iudæi. Vnde enim factum est vt non modò irriti discesserint, sed etiam in longinquam fugam dispulsi, quibus facile erat terram obruere suis viribus, nisi quia defensorem se populi sui Deus mirabiliter opposuisset. [v] Reges exercituum vocat, Hebræo idiomate, reges ingentibus copiis instructos. *Fugient, fugient.* [v] Vel, Fugerunt, fugerunt. Vel, Elongabuntur, elongabuntur. Videtur enim Dauid fugiendi verbum ideo repetisse quia sæpius hostium impetus cœlesti auxilio fuerant repulsi. *Et habitatrix domus diuidet spolia.* [v] Alii, Et habitatrix domus diuisit spolia. Alii, Et habitatrices domus diuident spolia. [c] Prædæ magnitudinem hac circunstantia notat Propheta, quòd pars ad mulieres domi quietas perueniet: acsi diceret, non solùm milites spoliis bene ornatos è prælio reuersos esse, sed præ ingenti opulentia imbelles quoque mulieres fuisse prædæ socias.

14 *Si iaceatis inter ollas, eritis [sicut] pennæ columbæ quæ tecta est argento, & cuius alæ [sunt velut] tectæ flauo auro.*

Si iaceatis inter ollas. [v] Vel, Si dormieritis inter tripodas. Vel, Etiamsi habitaueritis inter ollas. Vel, chytropodes. Id est, in loco vbi reponuntur ollæ & caldariæ. [c] Quia Deum pro suo populo præliari solitum esse dixerat Propheta, nunc per modum correctionis addit, etiamsi fideles interdum contingat iacere in tenebris, Deum nihilominus in tempore prodire liberatorem. Nec dubium est quin obliquè miserum illud & calamitosum tempus perstringat quo populus Dei sub Saule duriter fuerat afflictus: quia illustrior & magis notabilis fuit restitutio, quum repentè populus è tenebris in lucem emersit. [b] Fœlicitatem ergo populi assimilat candori, vti miseriam subinde atrori & nigredini, vt Suprà, 38.b.7, & 41.b.10, & alibi. [a] Nam tempore Saulis omnia tenebris operta videbantur, quum iudicium & iustitia locum non haberent inter eos qui authoritate pollebant in regno: vbi verò Dauid rex creatus est, omnia in longè meliorem statum composita fuerunt. [c] Quanquam longius patet doctrina: quia generaliter admonet inter medias afflictiones arcana & mirifica Dei virtute fideles quasi integros seruari, vel subitò restitui, vt nulla malorum signa appareant. Vtrunque enim sensum verba admittunt, quòd iacentes in fuligine & tenebris, nitere tamen non desinant: vel quòd liberatio contractam ex malis nigredinem discutiat. Vtrumuis eliges, summa huc redit, nunquam afflictionibus vel consumi vel obrui fideles, quin sua illis maneat incolumitas. [v] acsi Propheta diceret, Etiamsi iacueritis inter vasa plena fuliginis. Id est, Etiamsi oppressi fueritis magna calamitate, candidi lætique reddemini ob liberationem. *Pennæ columbæ quæ tecta est argento.* [v] Ad verbum legitur, Si iacueritis inter ollas (vel chytropodes) alæ columbæ obductæ argento, & pennæ eius in fulgore auri. Quæ verba obscuriora sic quidam transferunt, Si etiam, tanquam inter ollas desidentes, atri fueritis, iam eritis candidi, velut tecti pennis columbæ, quæ ob candorem operta videtur argento, & alas habet tanquam aurum fuluas. Alii, Licet sederitis inter ollas fuliginosi, sicut pennæ columbæ deargentatæ facti estis, & cuius alæ sunt deauratæ. Dicit Propheta, etiamsi contingat fideles ipsos ad tempus in tenebris iacere, non tamen fore hoc perpetuum quia tandem Dominus lucem suam illis restituet. [c] Hinc verò sequitur non semper iucunda serenitate frui Ecclesiam, sed ex tenebris etiam splendorem recuperare, acsi ab omni malo intacta foret: sicuti concinna hac figura docet Dauid perinde esse acsi columbæ inter ollas vel lebetas nullam in alis nigredinem contraherent, sed retinerent natiuam pulchritudinem coloris. [m] Cæterùm hæc verè in Christi regno adimplentur, vbi resoluta seruitute Satanæ & peccati, qui antea peccatorum velut fuligine atri erant, in columbinum candorem mutantur, splendidi & illustres: hoc est, verè fœlices, in hac vita veritatis luce: in futura sempiterna illa vita & fœlicitate beati, vbi iusti fulgebunt sicut sol, Matthæi 13.f.43. Nam tunc omnia erunt illis alba, optata, & fœlicia.

15 *Quum dissipares Omnipotens reges in ea, alba facta est veluti nix in Salmon.*

Quum dissiparet Omnipotens reges. [v] Vel, Quum dissipauit. Vel, Quum dispergeret. Infinitiuus Hebr. quasi dicas, In dispergendo Omnipotentem. Alii, Quum frangeret. Alii, Quum extenderet. [c] Id est, Quum traduceret reges, velut in triumpho, in ipsa Ierusalem. Nam & verbum פרש extendere vel diuidere significat. Melius tamen conuenit dispersio & fugæ cuius paulo antè meminit, respondet. *In ea.* [v] Vel, propter eam. *Alba facta est veluti nix in Salmon.* [v] Vel, Dealbabas in Salmon. Ad verbum, Ninget in Salmon. Nam verbum Hebræum תשלג est intransitiuum. Quòd si transitiuum fuerit, ת erit signum secundæ personæ, ideo vertendum, Dealbabar (aut, reddebar candidos, sub. ô Deus) tanquam niuem in Salmon. [c] Vel, Deus tu eam dealbas non secus ac montem Salmon niuibus. [v] Dicitur enim mons Salmon hybernis niuibus semper albere. Alii intransitiuè vertunt, Albescebas tanquam nix, quæ antea fuerat in tenebris. Nam Salmon tenebras significat. Alii verò in tertia persona, sic, Candescebat velut nix in Salmon. Alii, Canduit in Salmon. Alii, Niuea erat sicut Salmon. Sensus huius loci est talis, Quum tu ô Domine omnipotens extenderes reges in ipsa Ierusalem (id est, traduceres veluti per triumphum) fuit hoc nouum miraculum, apparuitque tuum esse opus. nam in hac terra tu fecisti ningere tanquam in Salmon. Hoc est, attulisti candorem huic terræ quæ prius nigra erat, & squallida præ mœrore, tu attulisti huic terræ nouum candorem, vt semper albicat mons Salmon. Hoc genere dicendi significat ideo reges victos fuisse & profligatos in terra sancta, quia Dominus opem tulerit populo suo: vnde fructus lætitiæ sequutus est, quem Propheta comparat candori niuis, qualis spectari solet in monte Salmon. [c] Sunt qui putant Salmon esse nomen appellatiuum, & exponunt, Vmbra obscura, vel, Vmbra mortis, hoc sensu, Quæ hactenus in angustiis mortis fuit, nunc victoria parta, & dispersis regibus qui bellum intulerant, vt nix candida euasit. Sed quum scriptum sit Salmon, præstat à recepta lectione non discedere. Interea probabilis est allusio ad etymologiam nominis. Nam quia צלם vmbram significat, mons Salmon dictus fuit quasi obscurus. Et aptissima erit similitudo, sicuti montem obscurum dealbant niues, ita obscuritate abstersa resplenduisse candidam faciem terræ.

16 *Mons Dei, mons Basan: mons celsitatum, [ut] mons Basan.*

Mons Dei. [a] Eandem fœlicitatem canit alia translatione vsus, simúlque causam & principium tantæ Dei beneficentiæ notat, quòd montem Sion sibi in regiam & templum elegerit, vnde eius gratia in totum populum flueret. Quia verò Dauidi hæc promissio data fuerat, meritò inde se probat regem legitimum, & diuinitus ordinatum: quia hac dignitate & præstantia mons Sion erat ornatus. Fuerunt enim res coniunctæ, Dauidem in regio solio ad gubernandum populum sedere, & Dei sacrum esse domicilium in monte illo. [v] Quod tamen ad sensum verborũ attinet, quidam existimãt hoc loco montem Dei siue montẽ Sion comparari monti Basan, quòd mõs Sion similis sit monti Basan, quamlibet fœcũdus sit & opimus. Alii dicunt opponi mõti Basan. nam quantũ ad pascua, mons Sion nihil habebat fertilitatis: (erat namq; monticulus sterilis: vnde non potuit aliis conferri in vbertate) sed propter Dei gratiam quæ ab illo loco omnibus diffluebat, præfertur mõti Basan, hoc sensu, plus referri pinguedinis ab hoc monte in quo Dominus residet, quàm si haberemus opimas possessiones. Non debet igitur censeri sterilis mons Sion: quia non debet considerari per se, neq; in sua natura, sed debet agnosci & censeri Dei sedes, vt sequens versus dicit. [b] Basan regio in qua Og vnus ex gigantibus reliquis regnauerat, præpinguis erat, vt legimus Numer. 32. g. 33, & alibi, quare Ierusalem meritò vocatur mons Basan, id est præpinguis & celsus. hoc est, propter vberem Dei benedictionem quæ illic residet. *Mons celsitatum.* [v] Vel, Mons excelsus, vt mons Basan. Ad verbum, excelsorum. Id est, velut vnus ex altissimis montibus, aut in iuga assurgens, & gibbosus.

17 *Vtquid exilitis montes celsi? mons in quo placuit Deo habitare, certè Iehoua [hunc] inhabitabit in seculum.*

Vtquid exilitis montes celsi? [v] Vel, Saltatis, præ desiderio scilicet perdendi montem quem amat Deus? Vel, Laudantes vos ipsos, qui præ monte Dei estis minimi pretii? Alii, Litigatis, vel contenditis? Alii, Humiliabitis, siue humiliare & deprimere conabimini montem quem diligit, &c. Nonnulli, Quare inuidetis vos, &c. [c] Postquam retulit Dauid montem vnicum Deo placuisse in toto orbe, cogit in ordinem altissimos quosque montes. Et quia in plurali numero nunc repetit quod nuper dixerat de monte Basan, probabile est primò montem Basan, deinde quicquid est altitudinis in mundo, Sioni opponi. [b] Nam per montes excelsos, hoc est potentes, reges & populi intelliguntur qui se contra montem Dei (id est, populum electum) efferebant. *Mons in quo placuit Deo habitare.* [v] Vel, Mons ille est quem desiderauit Deus inhabitare. Ad verbum, Montem istum desiderauit Deus ad inhabitandum eum. Quod nonnulli vertunt, Hic est mons Dei in quo complacuit ei habitare. Vel per præsens, Mons iste est in quo desiderat Deus habitare. Alii, Hic mons Deo placet. [c] Porro quum metaphoricè de montibus loquatur Dauid (sicuti iam attigimus) simplex sensus ex hac figura debet elici, regnum Christi, quod Deus in persona ipsius Dauidis auspicatus erat, longè excellere supra omnes mundi glorias. Interea non abs re ad retundendam mundi confidentiam insurgit Dauid: quia scimus vt contemptibile sit Christi regnum terrenis & profanis hominibus, qui deliciis suis vel opibus addicti, ad spirituales Dei gratias cæcutiunt. Atque en latius patet huius doctrinæ vtilitas, quo magis exultat caro inani superbia, simulac tenuis occasio data est. Nam si à superbia temperare sibi nequeunt quibus nulla ratio est, quomodo potentes & opulenti non sibi arrogabunt aliquid eminentiæ? Cæterùm quantumuis sibi applaudant, fideles tamen hac vna prærogatiua contentos esse decet, quòd Deo placuit habitare in medio ipsorum. Quandiu enim coniuncti sunt Deo, in quo residet plena eorum fœlicitas, non est cur eos suæ conditionis pœniteat. [m] Hæc itaque ratio est cur excellat hoc regnum Christi omnia alia regna totius mundi, quoniam habitat in illo Deus, sedem suam in illo fixit, idque in sempiternum. Hæc autem habitatio Dei est in cordibus credentium, de qua Paulus egregiè disserit 1. Corinth. 6. d. 19, & 2. Corinth. 6. d. 16. *In seculum.* [a] Significat hac particula Dauid Deum fore perpetuum Ecclesiæ suæ custodem: non modò vt eam in genere tueatur, sed vt singulis Ecclesiæ membris opem ferat. sicuti Christus de eo qui sermonem suum seruauerit, dicit, Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Ioh. 14. c. 23.

18 *Currus Dei viginti millia millium Angelorum, Dominus inter illos, [in] Sinai in Sanctuario.*

Currus Dei viginti millia. [v] Alii, Equitatus Dei. *Millia millium Angelorum.* Quidam, duplicata, vel duo. Id est, duæ myriades. Alii, secundatis. Id est, millia quæ statuuntur secundo loco: & Dominus est in ea secunda acie. [a] Quia malignè vt plurimum nec iusto pretio æstimatur Dei præsentia, eam magnifico elogio commendat hic Dauid. Nam (vt procliue nobis ad dubitationem ingenium est) quicquid occurrit discriminum in mundo, in trutina sensus nostri virtutem Dei præponderat. Hinc trepidatio in minimis quibusque tentationibus: quia Deum exuimus immensa sua potentia, vel saltem eam nimis extenuamus. Ergo hunc morbum sanare volens Dauid, proponit in medium innumeras Angelorum copias, quæ facilè discutiant omnia mundi impedimenta. [a] Quis enim tanta potentia præditus rex aut imperator tam copioso & forti exercitui resistere vnquam posset? [c] Quanquam autem duas tantùm myriades nominat Dauid, tantundem valet loquutio acsi diceret præsto esse in obsequium Dei ingentes exercitus ad salutem nostram tuendam. quod abundè ad erigendos animos sufficere debet, quamuis centum mortes nobis minentur. [a] Scimus quid sancto viro Elisæo acciderit quum hostes illum apprehendere volebant, 2 Regum 6. d. 17. Et alibi testatus est Dauid Angelum Iehouæ castrametari circum timentes ipsum, & eripere eos, Suprà, 34. b. 8. Quin & Apostolus scribit omnes esse administratorios Spiritus in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, Hebr. 1. d. 14. *Dominus inter illos.* [a] Hoc quoque ad commendationem præsentiæ Dei pertinet, acsi diceret, non magis exui posse Deum sua virtute, quin sub se quasi inclusos teneat omnes Angelos, quàm separari à sua essentia. Quanquam interim simul admonet pluris esse vnum Deum, quàm decem Angelorum mundos, vt ita loquamur. *In Sinai in Sanctuario.* [v] Vel, in sanctitate. Aut, in Sacrario. Significat Deum præsentem se exhibere suæ Ecclesiæ. [c] Nam ne longa distantia quã imaginari solemus inter nos & Deum, cursum fidei nostræ abrumpat, Dauid proponit nobis Sinai vbi palam apparuit eius maiestas. Vnde sequitur quiescere adhuc

in suo Sanctuario. Quorsum enim se illic Deus mirabiliter patefecit, nisi vt ostenderet fœdus suum, vinculum esse sacræ vnionis inter se & filios Abrahæ? sicuti etiam dicebat Moses, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? quis descendet in abyssos? quis traiiciet mare? prope est enim verbum in ore tuo, &c. Deut. 30. c. 12. Ergo sub nomine Sinai significat Dauid, vt inuicto præsidio tuti simus, non aliunde quærendam esse certitudinem præsentiæ Dei quàm ex Lege & Prophetis.

19 *Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus: & etiam rebelles, ut inhabitet Iah Deus.*

Ascendisti in altum. [M] Versus iste apostrophen habet ad Deum ipsum. [B] Ascendisti, inquit, in altum. hoc est, Extulisti te, Omnibus superiorem tuam virtutem declarasti. [M] Vel, Potentiam tuam magnificè exeruisti, cùmque summa gloria ostendisti hostibus tuis quòd sis verus & solus Deus. [V] Quando Deus exercet iudicis officium, tunc dicitur in altum ascendere: vel quum reprimit hostium suorum superbiam & proteruiam, tunc manum suam exerit, & ascendit in altum, quemadmodum si victor ascendat in currũ triumphalẽ. Ascendisti igitur in altum, id est, potitus es gloriosa victoria, quum inimici tui gloriarentur, & se impune facere omnia arbitrarentur, tanquam dormires in cœlo. [B] Porro minimè dubium est, comparatione diuersi temporis illustrari nouam gratiam, quæ sub Saule sepulta, Dauide regnum adepto, iterum illuxerat. Subest enim tacita antithesis inter iacere & in sublime attolli, sicuti iam diximus, acsi Dauid dixisset in tristi populi dissipatione non apparuisse Dei gloriam qualis olim conspicua fuerat. Regnum enim Saulis sicuti à prauis & illicitis exordiis cœperat, maledici oportuit, donec sub Dauide gratiæ suæ lucem Deus restitueret. quo fœlici successu palam factum est Dauidem legitimis auspiciis regnare, quia diuinitus electus erat. *Captiuam duxisti captiuitatem.* [V] Hoc est, captiuos hostes cepisti qui prius grassati sunt in populum tuum furiosè. illos enim habes in tuo arbitrio. [C] Etsi fortiter præliatus erat Dauid, victoriæ tamen laudem à se remouens, vni Deo vendicat. Nam hostes dicit ab eo fuisse captos, & tributum pendere coactos: rebelles etiam fracta ferocia tractos in subiectionem. *Accepisti dona in hominibus.* [V] Id est, fecisti vt tributum pendant tibi hostes qui prius oppresserunt populum tuum tyrannide, tanquam summo regi. *Et etiam rebelles.* [B] Quos hic rebelles vocat, vel præfractos, vel defectores, certum est ab aliis hostibus distingui, quos paulo ante dixerat captos fuisse. Quasi diceret non modò sub iugum fuisse compulsos qui viribus suis diffisi cesserunt, séque dedere maluerunt quàm pertinaciter resistere, sed etiam superbissimos quosque fuisse domitos. [B] In eo verò Deus palam fecit habitare se in Ierusalem: [C] ideo subiectum hic est, *Vt inhabitet Iah Deus.* [C] q. d. Vt Deus in medio populi sui inhabitet, suáque protectione beatos esse demonstret quicunque sub eius protectione delitescunt. [B] Versiculum hunc diuus Paulus, loquens de exaltatione Christi, & donorum Spiritus distributione, adduxit Ephes. 4. b. 8. [C] Sed quia subtilius ad Christum deflectit, videndum est quàm bene hoc cum mente Dauidis conueniat. Certè principium illud euerti nullo modo potest, Dauidem ea lege præfuisse veteri populo, vt sub figura illa Christus Rex æternus suum imperium inchoaret. Semper enim tenenda est promissio æternæ successionis, quæ in Christi demum persona sancita fuit. Sicut ergo per manum Dauidis virtutem suam asseruit Deus, vt in altum euectus populum suum erigeret: ita in filio suo vnigenito summam suam altitudinem monstrauit. Iam, vt inter se conueniant singula membra, Christus antequam extolleretur seipsum exinaniuit, non modò accepta serui forma, sed etiam humiliatus vsque ad mortem crucis, Philip. 2. a. 7. Ergo, vt vmbra veritati respondeat, verè in Christi persona impletum esse dicit Paulus quod Dauid prædixerat, quia antequam ascenderet, deiectus fuerat vsque ad infimas partes terræ, dum factus est opprobrium hominum, & contemptus plebis. Suprà, 21. a. 7. Porro ne ascensio ita restringatur ad corpus Christi, vis eius & fructus describitur, nempe quòd imperio suo cœlum & terram subiecit. Nam eos qui prius indomiti erãt hostes coegit ad obsequium, sibique fecit tributarios: sicuti huc tendit Euangelii doctrina, vt increduli, deposito castuis fastu & cõtumacia, se suáque omnia Christo dedant, & omnis altitudo in ordinem cogatur, captiui fiant sensus hominum & affectus. [A] (Qua de re plura Paulus Roman. 12. a. 2. & Ephes. 4. f. 13) Quatenus autem ad diabolos & omnes reprobos spectat, quos obstinata malitia semper ad defectionem instigat, eos arcana sua potentia constrictos tenet, ne pro sua rabie misceant & perdant omnia. Huc vsque optimè cohæret similitudo. Quod autem Paulus dicit Christum dona dedisse hominibus, discedit quidem à verbis Dauidis (quia vt se rudibus accommodet, Græcam versionem sequitur) sed in re ipsa nihil est repugnantiæ. Nam vt Deus hostium spoliis non se sed populum suum ditauit: sic Christus locupletari non quæsiuit, quum nulla re indigeat, sed ornandæ Ecclesiæ suæ causa, hostes sibi reddidit tributarios. Ergo respectu arcanæ inter caput & corpus societatis, vtrunque verè & propriè dicitur, Deum in carne manifestatum distribuisse suis quæ à captiuis accepit dona. Nec minus in Christum competit quod dicitur in fine versus, victorem fuisse Deum, vt inter nos habitet, quia non migrauit à nobis Christus vt procul quærendus sit, sed vt omnia impleat, quemadmodum etiam Paulus dicit, Ephes. 4. b. 10. Nam & deitatis suæ virtutem multo plenius in cœlum ascendens exeruit: & quamuis secundum carnem in terra nõ versetur, carne tamen sua & sanguine animas nostras spiritualiter pascit: quia non obstat locorum distantia quominus caro eius verè sit nobis cibus, & sanguis eius verè sit potus. [A] Quo pertinet certissima & verissima illa promissio quam toti suæ Ecclesiæ fecit, dicens, Ecce, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28. d. 20. [M] In summa, hic Deus qui in Christo erat mundum sibi reconcilians, primùm ad inferiores partes descendit, deinde captiuam duxit captiuitatem, liberatis nobis è captiuitate Satanæ, peccati & mortis. ad hæc hostes & tyrannos domuit, veluti de illis triumphans, & super omnes cœlos ascendit, vt adimpleret omnia: & cœlestis gratiæ dona hominibus demisit, per Spiritum sanctum replens illorum corda, & Ecclesiæ suæ donans alios, Prophetas: alios, Apostolos: alios, doctores, &c. [B] Quod ad captiuos attinet, gloriatur etiam Paulus tales captiuos se Domino adduxisse, quum de se scribit, Et captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, 2. Corinth. 10. b. 5. Tales quoque Deo se obtulisse hostias, talia attulisse munera gloriatur, dicens, Administro Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum, Roman. 15. d. 16.

20 *Benedictus Dominus quotidie, onerabit nos iste Deus salus nostra. Selah.*

Benedictus Dominus. [B] Expressius nunc & simplicius relatam de hostibus victoriam canit: & primùm prædicat Deum, qui populum suum in dies beneficiis cumulat, & extollit. [C] Sic ergo temperat quæ de singularibus Dei auxiliis recenset elogia, vt nunquam tamen ab hoc scopo deflectat, Ecclesiam perpetua Dei custodia & defensione stare incolumem. Ideo nunc dicit, Benedictus Deus quotidie. [A] Quasi dicat, Semper noua laudandi Dei materia nobis suggeritur, quia continuis & magnis beneficiis nos cumulat. *Onerabit nos.* [V] Alii, Confert nobis bona. Alii, Portat nos. Apportat (siue affert nobis) sub. bona. [A] Sed onerandi verbum non malè congruit. docet enim Dauid salutem à Deo sperandam cum omni bonorum copia, & continuum liberalitatis tenorem fidelibus promittit: [C] acsi diceret nunquam in cursu beneficentiæ suæ fatigari Deum, quin nouis subinde bonis populum suum cumulet. *Iste Deus salus nostra.* [C] Littera ה fortè emphaticè posita est, quæ sæpe pronomen demonstratiuum valet apud Hebræos: acsi digito ostenderet Deũ, cui pios omnes inniti decet. [A] Quasi diceret, Non est quòd salutem aliunde quàm ab eius virtute & bonitate expectemus. solus enim hic est qui nos ab omnibus malis eripere potest. [M] Vnde & Deus salutis nostræ appellatur Suprà, 65. a. 6. vt sciamus fideles ab eo nihil nisi salutem percipere. vnde & *Selah* adscriptum hic est.

21 *Deus nobis Deus in salutes, & Iehouæ Domini exitus mortis.*

Deus nobis Deus in salutes. [V] Vel, Iste inquam Deus, nobis est Deus in salutes. Vel, Iste Deus noster, salutum (vel saluationum) Deus est, & Iehouæ Domini sunt mortis egressus. Vel, Ipse est Deus noster, Deus cuius sunt salutes: Iehouæ Domini etiam est mors, & animarum exitus. Alii, Ille Deus nobiscum, Deus auxiliorum, & Iehouæ Domini egressus ad mortem. [C] Non videtur superuacua esse demonstratio, [M] & repetitio. Nam Propheta repetens quod dixerat, Deum esse Deum salutis nostræ, non sine ardenti affectu amplificat istam fœlicitatem, de qua meritò gloriantur pii, quòd scilicet Deus ipsorum saluationum Deus est. [C] Summa ergo huc tendit, Deum Ecclesiæ suæ perpetuum esse liberatorem. & quia nimium erraticæ sunt hominum mentes, frænum iniicitur quod sub vnico & certo Deo illas contineat: [A] ne ab alio quàm à solo & vero Deo salutem sperent aut expectent.

[C] Quanquam autem omnibus exposita est salus Dei, meritò tamen ad electos restringitur priuilegium hoc, vt sentiant modis omnibus se à Deo seruari: quia reprobi sua ingratitudine vitam in mortem conuertunt. *Deus in salutes.* [M] Non frustra plurali numero vsus est Propheta. voluit enim ita admonere quòd non vno tantùm nomine suis Deus salutis Deus sit, sed prorsus innumeris modis. Deinde quòd non semel atque iterum, sed sæpenumero populum suum seruauerit, vt & hac ratione illis possit dici salutum siue saluationum Deus. [C] Ergo quamuis nos obsideant innumeræ mortes, animum ne abiiciamus, scientes innumeros quoque seruandi modos Deo esse in promptu, vt hodie erepti in crastinum bene speremus. [V] Deus igitur est salutum, quia modis omnibus & semper suos liberare potest. *Et Iehouæ Domini exitus mortis.* [V] Qui vertunt, Domini exitus sunt ad mortem, significant Dominum posse hostes suos tradere ad mortem quum volet. [A] Nam vitæ & mortes in manu eius sunt, quia occidit & viuificat, &c. 1. Samue. 2.b.6. Alii vertunt, Exitus in morte, & exponunt, Mors non potest præualere quin Dominus seruet suos, etiam quum viuificet postquam mortui fuerint. [C] Sed hic sensus optimè fluit, multas esse & varias & absconditas rationes Deo, quibus suos à morte in vitam excitet. Definit enim Dauid quomodo suorum sit Deus seruator: non quòd præueniat semper mortem ipsam, sed quia vbi passus est quodammodo absorberi, repentè dat mirabiles exitus. idque eo magis notandum est vt discamus eius auxilium non metiri sensu proprio, sed in abyssos demersi, ad Dei manum spes nostras referamus, cuius proprium est viam per inuia patefacere. [M] Hinc alibi dicebat Dauid, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Suprà, 23.a.4. Sic & Paulus Deo ascribit quòd exitum facere possit ex tribulationibus, 1. Cor. 10.c.13. [A] Quod & in se expertum fuisse fatetur, 2. Corinth. 1. b.10. [V] Porro si Dominus habet in manu sua egressus à morte, certè ex periculis vulgaribus & quotidianis multo magis nos eripiet.

22 *Certè Deus transfiget caput inimicorum suorum, & verticem capilli ambulantis in delictis suis.*

Certè Deus transfiget caput. [V] Vel, Etiam Deus vulnerabit. .ft- oc, vulnerat. Alii, Veruntamen Deus transfiget caput. [C] Quia vt Ecclesia hinc inde à validis & sæuis hostibus impetitur, assiduósque insultus sustinet, non aliter seruari potest quàm forti & violenta defensione, Deum ad sternendos omnes impios terribili potentia armatum inducit Dauid. Quia verò eandem cõtinuat doctrinam, potest particula אך illatiuè accipi: simplex tamen affirmatio sufficit. *Transfiget caput.* [C] His loquendi formis optimè exprimitur quàm sollicitus sit Deus de salute nostra. acsi diceret Dauid lethaliter vulnerandos esse, vel plaga insanabili, quicunque Ecclesiam Dei infestant. [V] Nam lethale vulnus est in capite: vbi caput ipsum transfigitur, actum est de vita. *Et verticem capilli.* [V] Singular. pro plurali. verticem capillorum, id est, capillatum. Alii, exsatiei. Significat summam partem capitis in qua capilli diuiduntur, parte vna ad dexteram, altera ad sinistram tendente. *Ambulantis in delictis suis.* [V] Vel, In sceleribus suis. [A] Quos paulo antè Dei hostes & inimicos vocauerat, nunc ambulantes in suis sceleribus appellat: [A] & de iis potissimum intelligit qui piis molesti sunt: ne dubitemus Deum ipsum semper fore intermedium ad nos tuendos, quum iidem sint nostri & ipsius hostes.

23 *Dixit Dominus, Ex Basan reducam, reducam de profundis maris.*

Dixit Dominus, Ex Basan. [V] Quidam conuerso ordine vocum, Restituam meos sicut ex Basan. Alii exponunt, Fugabo ex Basan hostes: [C] sed hoc stare non potest, & contextus repugnat: quia sequitur continuò pòst, Reducam ex profundis maris. Itaque, ne victoriis suis profanum in morem lætentur Israelitæ, sed Deum agnoscant earum authorem, eos ad principia reuocat. Atque etiam vt confidant se eius gratia perpetuò fore saluos, reuocat in memoriam quomodo statim iam à prima origine quasi ex inferis emerserint eorum Patres, Dei manu victrice. [V] Tantundem enim valet hæc sententia acsi dixisset, Deus nunquam nos deseret, sed liberare nos statuit, quemadmodum tunc mirabili sua potentia testatus est quantam curam haberet suæ Ecclesiæ, quum deuicit Og regem Basan, & quum populum suum traiecit per mare rubrum. [A] Hoc autem more Prophetarum dicit, [C] qui quoties magnificè extollere volunt Dei gratiam, redemptionis gratiam in medium proferre solent: vt ex ipsa salutis origine colligant fideles eosdem fore in posterum progressus. Ac quo plus energiæ habeat oratio, Deum inducit loquentem. [A] Quasi dicat, Non est fallax hæc de perpetua salute pollicitatio. Eam enim promisit qui mentiri non potest, imò qui solus verax est, Deus omnipotens. [M] Siquis quærat vbi legemus Dominum hoc dixisse, respondemus Prophetam è re gesta & ex Dei natura, quæ sibi semper similis est, colligere consilium ac decretum Dei. [C] Asserit autem his verbis virtutem & munus excitandi à morte in vitam: quia populi egressus ex mari rubro, & victoria contra belligeros gigantes, quædam resurrectio fuit. [M] Tribuuntur autem hæ victoriæ verbo Dei, vt assuescat populus omni in Deum collocata fiducia, minus formidare impiorum hostium Dei, vtut robustorũ, & in sceleribus suis prosperè agentium, minas & insultus.

24 *Intingatur pes tuus in sanguine, & lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Intingatur pes tuus. [V] Vel, Vt rubescat. Vel, Propterea rubebit. Hic Deum sanguine madidum vel rubicundum inducit Dauid. quod accipi non debet quasi signum sæuitiæ, sed quo melius sentiant fideles quàm sint ei chari & pretiosi, dum tantopere pro eorum salute excandescit. Nam & Dauidem ipsum scimus minimè truculento ingenio fuisse: sed quum puro & integro animo expenderet Dei iudicia, potuit sancto zelo in pernicie reproborum lætari. Atq; etiam notandum est ascribi Deo quod est totius Ecclesiæ commune: sicuti per manus suorum exequitur iustas contra reprobos vindictas. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* [V] Ad verbum, de inimicis, de ipso. sub. sanguine. quasi dicat, De inimicorum sanguine, de ipso, inquam, sanguine. Aut, de ipso, id est de vnoquoque ipsorum inimicorum, vt *de ipso* sit additũ explicãdi gratia. Nam quum dixisset, de inimicorum sanguine, rursum dicit, de sanguine inquam singulorum inimicorum. Alii volunt relatiuum esse sine antecedente, de sanguine eius, nempe regis, qui totius exercitus hostium moderator erat. [C] Sed simplex sensus est, linguas canum sanguinem lambendo rubicundas fore: tantus erit passim cadauerũ numerus. [M] Nam & singularem vltionem habet & iræ diuinæ notam, vbi canibus occisorum sanguinem lambere permittitur. sicuti de Achab & impia Iezabele sacra historie narrat. Vide 1 Regum 21.e.19, f.23, & 22.f.38, & 2. Reg. 9.b.10.g.36.

25 *Viderunt incessus tuos Deus, incessus Dei mei, [&] regis mei [qui est] in sanctitate.*

Viderunt incessus tuos. [A] Canit hic Vates de pompa triumphali & gratulatoria ob victoriam, simul & de prece, seu gratiarum actione quam in pompa populus fudit. [V] Viderunt, inquit, sub. qui aderant quũ gratias ageret populus in Sanctuario propter victoriam. [C] Scimus, quum aliqua nobilis victoria contigerat, fideles ordine solitos fuisse progredi, vt in templo pacificas victimas offerrent. *Incessus tuos.* [V] Vel, Ingressus. incessus Dei significant pompã illam quæ spectata fuit quum solenne sacrificium oblatum est Domino. vel, catervas ipsas in Sanctuarium confluentes. [C] Interea Deo tribuuntur summi ducis partes ad ordinandos & regendos exercitus. Nam quod paulo pòst sequitur, in Sanctuario, concinne allusio est ad visibile præsentiæ Dei symbolum. Vnde enim factum est vt regendi populi curam susciperet Deus, & ad repellendos hostiũ impetus præiret, nisi quia pollicitus fuerat se ex Sanctuario auditurum suorum preces? Ergo perinde acsi ex illa sacra sede prodiret, dicitur fuisse conspectus ad populum fœlicibus auspiciis ducendum. [V] Sic vbi vocamur ad audiendum verbum Domini, & ad preces publicas, Deus quidem ipse non apparet visibili modo, sed sumus eius incessus: & dum in hunc finẽ agimus conuentus nostros vt quasi vno ore profiteamur fidẽ nostram, & simul vnq cõsensu inuocemus Dominum, Deus ipse chorum agit, & primas tenet in illo incessu. Quod plurimum alacritatis nobis addere debet, q sciamus eum illic inter nos incedere. Quidam per futurum vertunt, videbunt, & sequenti versu, præcedent. *Et regis mei.* [C] Dauid Deum regem suum appellans, populi oculos à se auertit, ne regium nomen precariò apud hominem mortalem depositum, cœlestem eminentiam summi capitis obscuret. Quanquam enim loquitur in persona totius populi, se tamen è numero minimè eximit. [M] Quod vtinam probè notarent reges & principes huius seculi, Deũ summum esse regem, ab omnibus vnicè colendum & suspiciendum. *In sanctitate.* [V] In Sanctuario, In Sacrario. [A] Templum significat, sicuti iam diximus.

26 *Præcesserunt cantores, sequuti sunt pulsantes musica instrumenta: in medio puellæ tympanistriæ.*

Præcesserunt cantores. [V] Vel, Præire debent cantores. Vel, præeunt cantores, sequuntur canentes organis. vel modulato-

res. Præteritum Hebræum. Dauid incessus illos, siue conuentum illum populi coactum ad celebrandas Dei laudes describit, ac ordinem pompæ ostendit. [c] Quia autem palam ostenderat Deus se fuisse bellorum ducem, meritò triumphus illi defertur. Distinctos igitur choros canendis Dei laudibus hic inducit. [a] Vt verò omnium est Deus, ita vterque sexus adhibebatur. Et quia summè ardere debet animus sanctorum in laudem Dei, ideo adhibebatur quicquid animum excitare poterat, omne genus instrumentorum musicorum, idque singulari studio & solenni apparatu. Præibant cantores, sequebantur canentes organis, in medio ibant puellæ pulsantes tympana. [c] Nam tympana pulsare tunc moris fuit mulieribus, ([a] sicuti de Maria sorore Mosis legitur Exodi 15.c.20) [a] quod hodie absurdum apud nos foret. [M] Pro puellis Hebræus contextus habet עלמות id est absconditæ. Nam ita tum educabantur puellæ vt, donec coniugio addicerentur, propter secretiorem educationem absconditæ dicerentur. Neque enim illis permittebatur publicus conspectus, nisi quantum hunc vel necessitas vel ratio cultus diuini exposcebat. Et sanè ad amplificationem celebritatis huius & communis gaudii facit quòd virginum absconditarum chori adhibebantur. [a] Ergo hi omnes, nempe cantores qui ex Leuitis erant, & organis canentes, & puellæ tympanistriæ, ad laudandum Deum totum Israelem inuitabant, iis quæ sequuntur verbis.

27 *In congregationibus benedicite Deo, & Domino è fonte Israel.*

In congregationibus benedicite Deo. [a] Iubet ibi prædicare Dominum vbi quamplurimi conueniant, & quidem ad audiendas laudes Dei idonei. ita vt solet in sacris. [a] Quidam vertunt, In cœtibus benedicunt Dominum, id est, Cateruatim ac turmatim laudes Deo concinunt, vt in pompis huiusmodi fieri solet. Et ad laudis eius commendationem hoc quoque facit quod per repetitionem addit, *Domino è fonte Israel.* [v] Alii, ex vena Israel. [c] Hoc nonnulli de corde exponunt: quasi fictas laudes, quæ tantùm in labiis personant, coram Deo maledictas esse. Genuinus tamen hoc loco sensus vocis est, vt ad Deum laudandum conueniant quicunque originem ducunt à sancto patriarcha Iacob. [v] q. d. Vos qui estis posteri Iacob, vel ex eius familia. [c] Etsi enim non omnes vocationi suæ respondebant, meritò tamen totum genus, quod erat diuinitus electum, ad hoc pietatis officium inuitat. Nisi quis malit fontis vel originis nomine hypocritas, qui se falsò gloriabantur esse Abrahæ filios, quum essent degeneres, à probis & sanctis discerni. Soli enim fidei imitatores inter legitimos filios censentur. [M] Certè hæc fontis metaphora ad hoc vsurpata est vt admonerentur Israelitæ originis suæ, quo simul & auitæ pietatis imitatores euaderent.

28 *Illic Biniamin paruulus, dominator eorum, principes Iehudah congregatio ipsorum, principes Zebulun, principes Naphthali.*

Illic Biniamin. [a] Nunc enumerantur principes qui sacram pompam ornarunt. [c] Sed quum generaliter de sanctis populi conuentibus loquatur Dauid, mirum est primo loco statui tribum Beniamin. Diuinant quidam interpretes, quia propter viciniam Dauidi præsto erant Beniamitæ, duæ etiam tribus Zebulon & Nephthali, quanuis locorum situ longe distarent, magis coniunctæ & amicæ erant: habitum illis fuisse hunc honorem. Alii per synecdochen per remotos & propinquos totum populum notari volunt. Sed quia potuit alia esse ratio quæ nobis est incognita, rem ipsam in medio relinquimus. *Paruulus.* [a] Qui Beniamin paruulum vocari putant propter populi paucitatem, (quia tribus illa propter scelus Gabaonitarum fere extincta fuerat) non satis videntur Dauidis mentem expendisse, qui præcipuos laudum Dei præcones accersens, probrum illud nunquam memorasset. Cæterùm quum Prophetæ de familiis loquentes, sæpe ad Patriarchas alludant, non mirum est posteros Beniamin, patris sui respectu, qui minimus erat inter filios Iacob, vocari gentem paruulam: quanuis ante acceptam cladem non adeo populosa fuerit. *Dominator eorum.* [c] Sic vocatum fuisse Beniamin quidam asserunt, quia primus rex Saul ex tribu illa oriundus erat: cuius memoriam importunè renouasset Dauid, quum ἀταξίαν illius temporis vbique in Scriptura damnari sciamus: & dominatio Saulis Dauidis electione (quæ hic maximè celebratur) sepulta fuerit. Sed potius verisimile est respectu paucitatis ornari tribum illam dominationis elogio: ac si diceret Beniamitas, quanuis neque magno numero neque potentia excellerent, caput tamen vnum efficere. Et hoc videtur aptè quadrare. nisi dicamus primarium aliquem ducem ex illa tribu fuisse, vt in duabus reliquis quas memorat: vel fortè totum populum insignem in aliquo prælio nauasse operā. *Principes Iehudah congregatio ipsorum.* [v] Hebraismus, pro Congregatio principum Iehudah illic aderat. [c] Sunt qui copulam subaudiunt, Principes Iehudah, & congregatio ipsorum. Alii vertunt lapidationem. Sed rectius est congregationem referri ad eam tribum sub cuius auspiciis militabat. Itaque primatus & imperii dignitas asseritur tribui Iehudah, penes quam ius cogendi populi fuit. Quanuis ergo Dauid honorifico elogio istas tribus ornet, reuocat tamen eas ad summum caput, proceres Iehudah colligendis omnibus copiis præficiens.

29 *Mandauit Deus tuus fortitudinem tuam: robora ô Deus hoc quod operatus es nobis.*

Mandauit Deus tuus fortitudinem. [v] Vel, Præcepit Deus tuus robur. Hebraismus, pro Suppeditauit tibi Deus tantum robur, nequid superbias. [c] Quum enim nihil procliuius sit quam vt sibi arrogēt homines quod Deo acceptū ferre decebat: iterum inculcat Dauid populum suum non fuisse proprio marte superiorem hostibus, sed virtutem è cœlo fuisse subministratam. Deum enim authorem virtutis fuisse prædicat, quum strenuè præliati sunt Israelitæ: & hoc modo ad gratitudinem eos hortatur: & arrogantiam corrigit qua mundus vt plurimum Dei gratiam obscurat ac suffocat. [a] Quasi dicat, Vide ô Israel nequid viribus tuis aut propriæ industriæ tribuas. [a] nam solus Deus suo beneficio suppeditauit robur tuum, quo euasisti victor. nunc ergo illi gratias age, & nomen eius dignis laudibus effer. *Robora ô Deus hoc.* [M] Nunc ad Deum conuertitur, vt affectum cordis sui exprimat, [c] & Israelem simul doceat eiusdem gratiæ continuatione in posterum quoque opus esse: quo eos melius ad modestiam flectat. Vnde enim carnis superbia, nisi quòd inopiæ nostræ obliti, non confugimus supplices ad Deum vt defectus nostros ipse suppleat? [M] Orat ergo Dauid vt hoc ipsum Deus quod ipse operatus erat, corroboraret. [a] Vnde docemur non satis esse si nos gratia sua præueniat Deus, nisi suo quoque auxilio in totam vitam sustineat. Nam si hoc verè de externa bellandi virtute dictum est, vbi cum carne & sanguine est negotium, longè verius in animas nostras competit. Ergo vbi cum Satana, peccato & mundo pugnandum est, singulis momentis concidere & deficere necesse erit, nisi nos Deus ad perseuerantiam confirmet. [M] Et notandum est quòd Propheta non dixit, Confirma hoc quod operati sumus: sed, Quod operatus es in nobis. Quibus verbis dat Deo, vt par est, operis ipsius gloriam. [a] Sic Paulus dicit Deum esse qui in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate, Philippen. 2.b.13. [a] Tenendum igitur est, quicquid habemus virtutis, à solo Deo fluere, eiusque mandato instillari: nec modò initium ab ipso esse, sed ipsam quoque perseuerantiam. [M] Interea seruit hoc precandi fiduciæ, vt hoc certius credatur facturus Deus quod petitur. Quis enim operi suo confirmationem & successum, sicubi illi adesse poterit, deneget? [a] Hinc alibi dicitur, Opus manuum tuarum non deseres, Infrà, 138.b.8. [M] Dicamus ergo toto corde, Confirma tu Deus quod in Christo seruatore nostro operatus es.

30 *E templo tuo super Ierusalem: tibi offerent reges munera.*

E templo tuo. [v] Istud fini præcedentis versus coniungitur. [c] Ratio enim redditur cur sua virtute populum illum magis quàm alios instruere dignatus sit: quia scilicet virtutem suam volebat exerere à Sanctuario & Arca fœderis. Qua ratione etiam nuper expressit Dauid Deum esse populi Israelitici. Quia ergo non frustra iusserat Deus se in Sanctuario coli (vnde etiam pollicitus fuerat se propinquum fore populo, ideo nunc dicitur è templo mandasse suam virtutem, quia ex fœdere & promissionibus petenda erat gratiæ certitudo. Quæritur tamen cur Propheta templi meminerit quod nondum extructum erat. Magis probabile est templum vel palatium sumi pro tabernaculo, quàm fingere prolepsin, sicuti multis placet. Arcam verò fœderis iam tunc in Sione fuisse locatam certum est. *Super Ierusalem.* [c] Quidam vertunt, In Ierusalem: sed hoc frigidum est, ac Prophetæ sensum peruertit. Precatur enim virtutem è Sanctuario effundi super electum populum, qui sub nomine regiæ vrbis per synecdochen comprehenditur. [v] Quidam hoc non coniungentes præcedentibus, subauditis pauculis vertunt, A templo tuo super Ierusalem prodit tale auxilium. ob id tibi offerent, &c. [a] Sed prior expositio melior est. *Tibi offerent reges munera.* [a] Sicuti prius Dauid quas adeptus erat

victorias Deo adscripsit, ita nunc earum fructum vendicat. Dicit enim reges qui in ordinem coacti fuerint, non sibi modò & successoribus fore tributarios, sed agnituros Deum victorem. quo magis decuit fideles ipsos laudis sacrificia sponte offerre Deo.

31 *Disperde cœtum arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum, calcantem in frustis argenti. dissipa populos qui bella volunt.*

Disperde. [V] Vel, Perde, increpa. Alii, Quum disperdideris. *Cœtum arundinis.* Vel, calami, cannæ. [C] Sunt qui legunt, increpa feras arundinis. sed nomen חית pro bestia hic accipi nullo modo conuenit. Certè quidem est Dauidis precatio, vt Deus populum suũ peculiarem perditis sanguinariis hostibus eripiat: [A] quo populus deinceps possit omni metu quietus viuat. [C] Quod vocat cœtum cannæ vel arundinis, non notatur hoc epitheto debilitas, sed genus armaturæ: acsi diceret lancearios. Nam quum in regionibus quibusdam arborescant calami, vel saltem ligneam firmitudinem contrahant, solebant inde confici iacula. Scimus autem Orientales populos fuisse vt plurimum iaculatores in præliis. [B] Dicit ergo Propheta, Disperde turbam lanceatam. Hoc est, Vt tue dispelle, & omnes hostium nostrorũ conatus vanos redde, quicquid populo tuo incommodare possint. *Congregationem taurorum.* [C] Vocat turbam vel multitudinem taurorum truculentiæ causa. [V] Quidam vertunt, Congregationem fortium, siue validorum: nam אבירים dicuntur Hebræis robusti: [C] quia tamen ad tauros transfertur hoc nomen (vt alibi vidimus) & continuò pòst subiicit Dauid vitulos populorum, dubium non est quin metaphoricè perstringat hostium feritatem ac sæuitiam: vel saltem eorum vires extollens, fateatur Israelitas impares ad resistendum fore, nisi diuinitus adiutos. [B] Sic queritur Sanctus Domini se à tauris Basan circundatum, Suprà, 22. c. 13. vtique intelligens potentiores & violentiores inter hostes suos, quibus resistere non posset nisi cœlesti auxilio adiutus. *Calcantem in frustis argenti.* [V] Vel, Conculcatum cum fragmentis argenteis. Quidam, Gloriantem in incisionibus (vel fragmentis) argenti. Alii, Donec quisque eorum conculcatus sit in frustis argenti. Id est, Donec calcandos se præbeant coram te, vt dent tributum. Vel, Donec deiecti vectigalésque facti, argenti tributa pensitent. Alii, Dum supplicet quisque fragmentis argenti. Quidam, Supplicem in tributis argenti reddendis. Ita conculcatum exponunt supplicem qui se velut conculcandum præbet victori, non mansueto animo, sed rebelli & feroci, paratus rursum insurgere si vires recuperarit. Sed simplex sensus est, quòd exultent hostes calcando frusta argenti. [C] Et fieri potest vt fibulas argenti in calceis gestauerint, vt scimus in populis Orientalibus semper viguisse immodicum luxum. *Dissipa populos.* [V] Ad verbum, Dispersit. sed præteritum verbi tempus loco imperatiui ponitur, dissipa, disperde. *Qui bella volunt.* [V] Aut, Qui bellis delectantur, Quibus cordi sunt bella. Futurũ pro præsenti. [C] Ostẽdit hostes suos sine causa expetere bella & tumultus: & quamuis nemo eos lacessat, vltro tamen & cupidè quietos impetere. [M] Opus habet & hodie Ecclesia Christi hac precatione. [A] Nam omnia bellis & tumultibus perstrepunt, acsi Deus nullum mortalibus de pace & concordia præceptum vnquam tradidisset. [C] Cæterùm quum Dauid toties victor, Deo salutis suæ & totius populi defensionem commendet, hinc discimus minimè sperandum esse in hoc mundo tranquillum Ecclesiæ statum: quia subinde alios atque alios hostes suscitat Satan: & Deus etiam hoc modo patientiam nostram exercet ac probat. Quod autem comparat hostes Ecclesiæ tauris & vitulis, dicitque bellis oblectari, his verbis ad mansuetudinem hortatur fideles, vt paratum inueniant auxilium in Deo. Nam quo petulantius ruunt hostes, suæque libidini furiosius indulgent, eo propensior erit Deus ad opem ferendam: quando proprium eius munus est tauros & bellicosos gigantes compescere. [A] Deus enim superbis resistit, Iacobi 4. b. 6. [C] Quum igitur precatio hæc simul doceat Deum omnibus violentis, qui improba cupiditate ad nocendum feruntur, fore aduersum: quoties iniustè impetimur, si quietis animis confugimus ad opem Dei, speranda haud dubiè nobis est hostium nostrorum dissipatio.

32 *Venient magni principes ex Ægypto, & Æthiopia currere faciet manus suas Deo.*

Venient magni principes. [V] Vox Hebræa variè transfertur. nam pro ea quidam vertunt munera: alii, satrapas: alii, viros magnos, & duces: alii, optimates: alii, præstantiores. Non desunt apud Hebræos qui existiment nomen fuisse familiæ. [A] Qui præstantiores aut nobiliores vertũt, dicunt Mathathiam & filios eius, quos Machabæos vocamus, hoc nomine insignitos fuisse. [B] Iterum Propheta ad gratulationem reuertitur, & confirmat quod paulo antè dixit, reges ad soluendum Deo tributum venturos. quod nominatim de Ægyptiis & Æthiopibus testatur. Vnde colligimus vaticinium hoc ad Christi personam extendi, cuius tandem ductu iugum subierunt Ægyptii & Æthiopes, [A] qui antea vanis & mutis simulachris supplices erant. *Æthiopia.* [B] Hæc regio contermina Ægypto, religionis & innocentiæ semper studiosissima fuit: vnde & Homerus Æthiopes ἀμύμονας vocauit. Deum ab exulantibus apud se Iudæis docti, veram religionem magno ardore coluit. De quo inter cæteros præclarè Esaias 18. a 1, & 45. d. 20. Item Sophon. 3. b. 9. Circuncisionem acceptam à Iudæis tandiu obseruarunt, vt Herodotus lib. 2. putet eos ante Iudæos eũ ritum habuisse. Strabo quoque libro 17. inter cæteras illorum virtutes & circuncisionis meminit: sicut & reginæ Candaces, quæ eunuchum suum cum muneribus Ierusalem misisse legitur in Actis, capite 8. d. 27. Id ergo est quod & hic noster de hac gente vaticinatur, celeriter manus Deo protensuram. *Currere faciet manus suas Deo.* [V] Vel, Accelerabit, celeriter exhibebit. Vel, Curret manibus suis ad Deum. Hebraismus est, pro Promptè offeret munera Deo, testando obedientiam suam. [C] Quanquam dubium est an promptitudinem obsequii notet Propheta, an verò intelligat, supplices protensis ad Deum manibus veniam petituros: quia hic est precantium gestus. Sed quia vtroque modo exprimitur subiectio, satis est tenere consilium Dauidis, Æthiopiam & Ægyptum sub Dei potestatem venturas: neque eas modò, sed longè dissitas mundi plagas. [A] Quidam metaphoræ huius asperitatem mitigantes vertunt, Æthiopia celeriter protendet manus suas ad Deum. [V] Propheta verò de manibus dixit, Currere faciet, (quod est proprium pedũ) eo quòd manus munere ferant, & subditi manibus offerant tributum: vel quia protendunt manus suas quum volunt petere veniam.

33 *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, (Selah.)*

Regna terræ cantate. [C] Iam longius progreditur Vates quàm antea, dum regna mundi cantare Deo iubet. qua loquendi forma voluntarios Dei cultores fore pronuntiat qui prius eum contempserant. Sola enim Dei cognitio (vt alibi dictum est) linguas reserat ac soluit ad prædicandum Dei nomen. [B] Itaque quòd cuncta orbis regna ad celebrandum Deum inuitantur, vaticinium est de fide omnium Gentium. [M] Et ipsa apostrophe emphatica est. exprimit enim ardorem & sitim gloriæ Dei, quam Vates longè latéque extendi cupiebat. Non ait, Regna terræ cantent Deo. sed, Cantate Deo, velut singula eorum conueniens & appellans. Verùm, quod tunc videbatur ridiculum & impossibile, postea sub regno Christi possibile & serium factum est, inque omnium apertissimum effectum abiit. Ad hæc, non ait Propheta, Vlulate, vel, horrete regna terræ: sed, Cantate Deo. *Psallite Domino.* [M] Animus Prophetæ nonnisi eam gloriæ Dei amplificationem intuetur quæ ad salutem Gentium, non quæ ad exitium erat factura. Regno Christi competit vniuersalis omnium vbique regnorum lætitia, quæ cantico & Psalmis hic exigitur. *Selah.* [B] Hac vocula versum hunc Vates insigniuit, vt attentius ac diligentius vniuersalem hanc noui Testamenti gratiam ac omnium regnorum huius mũdi lætitiam expenderemus, [A] ac pro ea Deo immensas gratias ageremus.

34 *Equitanti in cœlis cœlorum antiquitatis. ecce edit in voce sua vocem fortitudinis.*

Equitanti in cœlis cœlorum antiquitatis. [C] Vel, Super cœlos cœlorum. Vel, Insidenti cœlis cœlorum ab initio. Id est, in extremo cœlorum sempiternorum. Hebraismus est, pro Regenti cœlum amplissimum, quod tale ab initio durat. [B] Ne quis absurdum duceret, totum orbem colligi in cultum Dei, qui hactenus contentus fuerat populo vno, subiicit Dauid, legitimum tamen ei esse imperium in omnes terræ partes, quia equitat super omnes cœlos. Qua voce intelligit (quemadmodum versu quinto huius Psalmi diximus) præesse cum summo imperio omnibus creaturis, totúmque orbem suo arbitrio moderari. Etsi autem hoc generaliter dictum reuerentiam Dei maiestati conciliat, circunstantia tamen loci negligi non debet: quia Gentium mentionem faciens, quæ tunc extraneæ erant ab Ecclesia, Dei potentiam creationis iure ad eas extendit: acsi diceret nihil esse mirum si

Deus cœlis insidens cunctos terræ incolas complectitur. Ideo cœlos *antiquitatis* vocat, vt sciamus statim à principio sub eius manu fuisse totum humanum genus. Sunt tamen qui illud קדם non ad cœlos sed ad equitatum & ascensum Dei referunt, hoc sensu, Qui cœlis ab initio inequitat. Atque ita fortiter percuteret Propheta alienorum deorum cultores, qui relicto vero illo & antiquo cœlorum Domino, recentes sibi ipsis deos elegerunt: qui vt cœli domini non sunt, etiamsi cœlestibus per insaniam cæci cordis inferuntur, ita certè dii non sunt. Sed prior expositio propius ad Prophetæ mentem accedit. Et certè hic clarius refulget Dei gloria, quòd quum immensa sit cœlorum machina, tam rapidus motus, ac tam diuersæ reuolutiones inter se confligant, cōstet tamē optima symmetria & temperamentum, & hic tam cōcinnus & pulcher ordo tot seculis æquabili tenore continuatus fuerit. Videmus ergo vt cœlorum antiquitas melius commendet mirabile Dei opificium. *Ecce dedit in voce sua.* Futurum Hebræum pro præsenti. Est autem Hebraismus, Dat in voce sua vocē robustam, vel prævalidam. Postquam creationis meminit Vates, statim descendit ad tonitrua, quæ per robustam vocem designat, & quæ graphicè describuntur Suprà, 29.a.4. Quanquam locutio bifariam resolui potest: vel quòd mandato suo tonitrua excitet, vel quòd vocem suam in tonitru robustam edat. Cæterùm non abs re nobis proponit Vates tonantem Deum: quia nihil ad incutiendum terrorem efficacius penetrat hominum mentes. Atque vt nostram incogitantiam expergefaciat, vel potius socordiam corrigat, quasi in re præsenti nos sistens, vtitur demonstratiua particula Ecce. Q.d. Quoties tonitrua auditis, scitote Deum ipsum loqui, & quodammodo sensibilem reddi.

35 *Date fortitudinem Deo: super Israel magnificentia eius, & fortitudo eius in cœlis.*

Date fortitudinem Deo. Id est, date laudem fortitudinis. Hebraismus, pro Referte Deo acceptas omnes vires. Vel, laudate Deum à potentia. Alludit ad proximam sententiam, vbi dixerat Deum robustam vocē edere. Neque enim propriè loquendo quicquam ei dare nostrum est: sed quia iusto eum honore fraudamus, postquam eum horribili fragore tonantem induxit Dauid, iubet nos vicissim resonare eius laudes. q.d. Agnoscite vestram imbecillitatem reges terræ, nolite de viribus vestris gloriari aduersus Deū, nolite insolescere: sed potius Deo subdimini, illique roboris & potentiæ gloriam adscribite. Necessaria admonitio, quæ nunquam non debeat potentum fastui & temeritati occini. *Super Israel magnificentia eius.* Vel, splendor eius. Ne Gentes euanescant suo more in suis commentis, Dauid reuocat eas ad Legis doctrinam, qua se Deus patefecit: quasi diceret, à creatione mūdi & gubernatione necessarios esse progressus ad eam doctrinam qua Deus familiariter ad homines accessit, ne perperam vagentur: ideo Dei Israel meminit. q.d. Agnoscite virtutem ac potentiam eius qui se Israelitico populo patefecit. *Et robur eius in cœlis.* Vel, in nubibus. Obseruanda hic est Israelis cum cœlis coniunctio. Magnificentia, inquit, eius super Israel; & robur eius in nubibus. Verus enim Israel, verum Dei regnum est, regnumque cœlorum, in quo præclarius quàm in istis visibilibus cœlis virtutem & bonitatem suam exerit: idque per Christum Iesum.

36 *Terribilis es Deus à Sanctuariis tuis: Deus Israel ipse dabit robur & fortitudines populo: benedictus Deus.*

Terribilis es Deus à Sanctuariis tuis. Vel, à Sacrariis tuis. Id est, propter gloriam quæ habitat in Sanctuario tuo. Propheta non tantùm linguis vult prædicari Dei virtutem, sed ad fidem simul hortatur: quia tūc propriè tribuimus Deo robur suum dum acquiescimus in solo eius præsidio. Ideo postquam dixit virtutem eius esse in nubibus, statim addit tremendum esse à suis Sanctuariis. hoc est, virtutem è templo suo exercere, quæ satis ad consternādos hostes valeat. Porro etsi vnum erat Sanctuarium, plurali tamē numero vtitur Dauid, quia Tabernaculum in tres partes distinctum erat: quarum prima vocabatur porticus: altera, templum externum: tertia, oraculum, adytum, pars templi interior. Ita Hebræi. Terribilis igitur à Sāctuariis tuis. id est, à templo. hoc est, propter opera tua quæ proficiscuntur à te, habitante in templo tuo. Sunt qui hoc de cœlo & terra exponunt: sed eorum expositio contextui non respondet, quia mox sequitur, Deum Israel daturum fortitudines populo. Vnde colligimus de protectione Ecclesiæ Dei haberi sermonem, & Arcam fœderis quasi fiduciæ signū proponi fidelibus, vt promissione illa freti, Ego in medio vestri habito, (Exodi 25.a.8, & 29.g.45) tranquilli sub Dei alis quiescant, & intrepidè eum inuocēt. Neque enim alio iure excelluit populus Israel, vt sub Dei custodia tutò delitesceret, nisi quia gratuito Dei fœdere electus erat in Dei peculium. *Ipse dabit robur & fortitudines populo.* Vel, Ipse dat fortitudinem & robora populo. Nunc Dauid tremendas illas fortitudines, quarum paulo ante meminit, applicat in Ecclesiæ salutem. Iure itaque Deus Israel dictus est qui solus robur & virtutem sempiternam suo populo vsque suppeditat. Cuius rei plurima sunt & luculenta in scripturis Veteris instrumenti testimonia. Sed quàm impar est splendor ille Veteris testamenti collatus ei qui per regnum Christi super populo credentium illuxit? Quis item satis exprimeret robur & vires quibus suos Deus per Spiritum suum sanctum inuictos reddit aduersus tyrannorum & aliorum hostium Ecclesiæ barbarem crudelitatem & aduersus iniqua Satanæ & eius ministrorum consilia? Fortes enim sunt fideles, & suis hostibus longè superiores, sed Dei virtute robur dantis, non autem ipsorum propria. Vnde perpetuò ei canunt, *Benedictus Deus.* Hoc est, Laudetur Dominus Deus qui perpetuam electorum suorum curam gerit.

ARGVMENTVM PSALMI LXIX.

Continet hic Psalmus vehementissimam quandam Dauidis de atrocibus hostium suorum iniuriis & immani violentia querulationem: deinde ardentem pro liberatione precationem: tum diram in hostes, à quibus crudeliter opprimebatur, imprecationem ac deuotionem. Postremò lætam de lato auxilio gratulationem. Promittit enim Dauid, quasi victor exultans, solenne Deo laudis sacrificium. In quibus omnibus se Christi sanctorum capitis typum non obscurè gessisse ostendit.

PRæfecto super Sosannim, ipsius Dauidis.

Præfecto. Vel, Victori. vel, Præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Super Sosannim.* Initium est vulgaris cantilenæ, vel instrumenti musici nomen. Vide Suprà, 45.a.1. Friuola autem eorum diuinatio est qui Psalmum putant compositum fuisse verno tempore, dum florere incipiunt lilia. Porro Psalmus iste vicesimo secundo affinis est, quemadmodum ex contextu ipso colligere possumus. Et notandum est Dauidem non tam priuato nomine eum scripsisse, quàm in totius Ecclesiæ persona, quum gestaret capitis imaginem. Et hoc notatu apprimè dignum est, quo magis attenti simus ad hoc speculum, in quo nobis proponitur communis piorum omnium conditio: quos decet Christo capiti conformari, & variis afflictionum generibus probari, vt hoc modo ad futuræ resurrectionis gloriam præparentur, Roman. 8.f.29. Cæterùm probabile est Dauidem non vnum modò persecutionis genus fuisse complexum, sed quicquid malorum multis annis perpessus fuerat.

2 *Serua me Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*

Serua me Deus. Vel, Saluum fac me Deus. Exordium Psalmi ardentissimam habet opis diuinæ implorationem, qualis solet esse eorum qui summis angustiis, ex præsentis interitus horrore, desperato omni humano subsidio, eiulando & vociferando cœlitùs auxilium inuocant. *Quoniam intrauerunt aquæ.* Sub aquarum figura describit Dauid extremis se malis vsque ad desperationem fuisse obrutum: & tamen scimus non mollem, nec fœminæo animo fuisse, quum incredibili virtute superauerit horrendas tentationes. Vnde colligimus quibus tunc angustiis oppressus fuerit. *Vsque ad animam meam.* Sunt qui animam hoc loco pro vita accipiunt, dicentes aquas vsque ad animam intrare quum quis vsqueadeo premitur afflictionibus vt de vita periclitetur, & propè suffocetur: sed pro corde potius accipitur. quanuis enim quis in altum gurgitem deciderit, poterit tamen aliquantisper ore & naribus occlusis aquas prohibere: sed tandem, quia sine spiratione non viuimus, coget suffocatio dare aquis ingressum, vt ad cor vsque penetrent. Hoc sibi vult ista metaphora Dauid, non modò se aquis fuisse obrutum, sed eas quoque ingurgitasse. Quo significat non solùm periculi magnitudinem & hostium suorum improbissimam violentiam, sed etiam quàm fuerit animo prorsus deiecto, & summa angustia oppresso, vt qui nihil aliud ab hostibus suis quàm certissimum expectaret exitium.

3 *Demersus sum in lutum profundum, & non est firmamentum: veni in profunda aquarum, & fluctus aquæ inundauit me.*

Demersus sum in lutum. Vel, In limum. *Profundum.* Hebraicè, profundi, aut voraginis. Vt suas afflictiones amplificet, comparat eas profundo luto, vbi plus est periculi: quoniam siquis in fundo solido pedem figat, poterit se attollere:

(vt videmus multos ex aquis emergere cum impetu) qui autem luto adhæret, perit. *Et non est firmatum.* [V]Vel, roboratum. sub. lutum. Quidam conuertunt, firma consistentia. Alii, statio. Alii, Nec est vt queam subsistere. Quidam Hebræorum exponit, Et non est vllum membrorum meorũ stratutum, siue firmatum & roboratum. Id est, Non est vllum mẽbrum quod sustenteter, siue subsistere queat. *Et fluctus aqua inundauit me.* [V]Vel, Et fluxus aquarum operit me. Vel, cursus, sub. aquarum. Gallicè, Le fil de l'eau. Vide plenam locutionẽ paulo post, versu 16. *Inundauit me.* [V]Præteritum Hebræũ pro præsenti, Inundat, rapit, obruit me. [C]Dauid his verbis tumultuosas fuisse suas iactationes significat. Nam mltas auxeses habent hæ similitudines. Satis erat periclitari in aquis, etiam quatibuscunque: rursum addit tenax lutum, nec id simplex, sed altũ: demumque adiecit aquas profundas, atque vim rapidi fluminis. Hac translatione vsus est & Suprà, 40.a.3.

4 *Delassatus sum clamando: raucum factum est guttur meum: defecerunt oculi mei expectando ad Deum meum.*

Delassatus sum clamando. [V]Vel, fessus sum. Vel, laboraui clamando. [C]Raræ & mirabilis patientiæ exemplum fuit in tam deplorato statu Deum quærere. *Raucum factum est guttur meũ.* Quidam, siccatum est. Alii, adustum. Alii, exasperatum est guttur meum. *Expectando ad Deum meum.* [V]Vel, dum expectarẽ Deũ meum. Vel, à suspiciendo ad Deum meum. [C]Conqueritur Dauid, vsque ad raucedinem clamando absque profectu se fuisse defessum. Quo verbo non cessationem intelligit, (quasi abiecerit studium precandi, postquam se nihil proficere videbat) sed potius infatigabilem perseuerantiam describit, sicuti per exasperatum guttur, & deficientes oculos. [P]Vide quid simile Suprà, 22.a.3. [C]Certè neque ambitiosè Dauid clamorẽ suũ extulit coram hominibus, neque raucedo hæc vno die contracta fuit. Videmus ergo, vtcunque deficerẽt corporales sensus, vigorem tamen fidei minimè fuisse extinctum. Iam quũ loquutus fuerit Dauid quasi ex ore Christi, & ex ore piorum omnium, quatenus sunt Christi membra, videri nobis absurdum non debet siquando morte obrutis nulla appareat vitæ scintilla: imò, dum nobis parcit Deus, maturè ad hanc meditationem accingere nos discamus, vt in profundissimis quibusque malorum gurgitibus fides nos sustẽtet, imò ad Deum erigat: sicuti (teste Paulo) nulla est vel altitudo vel profunditas, quæ nos separare debeat ab immenso eius amore, qui abyssos omnes & inferos quoque absorbet, Rom. 8.g.39. [M]Interea hic videmus quàm sancti in rerum discrimine, etiam vbi sunt innocentes, sint non stipites ac lapidei, quàm non contemnant imminentia pericula, quàm reddantur anxii, quàm clamitẽt & querulentur in ipsis tentationibus, etiamsi extra pericula constituti dicant, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es, Suprà, 23.a.4. Item, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Suprà, 27.a.1.

5 *Multiplicati sunt supra pilos capitis mei qui odio habent me sine causa: aucti sunt qui disperdunt me inimici mei absque causa. quæ non rapui, tunc reddidi.*

Multiplicati sunt supra pilos. [V]Vel, plures sunt quàm pili. Alii, Roborati sunt, Confortati sunt, Inualuerunt, Aucti sunt. [C]Iam sine figura exprimit quod metaphoricè dixerat tam de luto quàm de violento aquarum fluxu. Nam quum instaret tanta hostium multitudo, merito sibi metuebat ab innumeris mortibus. Nec verò hyperbolicè dicit plures fuisse pilis capitis sui, quum toti populo exosus ac detestabilis foret, quia omnibus persuasum erat impium esse ac sceleratum patriæ proditorem. Deinde scimus ex sacra historia quàm multis & validis copiis eum persequutus fuerit Saul. *Qui odio habent me.* [M]Vocat hostes suos osores, & disperdentes, ne de leuibus inimicis intelligatur. Itaque tales erant & animo & viribus vt meritò comparati sint luto alto, aquis profundis, procellis irruentibus, & ad internicionẽ vsque adobruentibus. [C]Capitale ergo odium exprimit, dicens incumbere in suam perniciem, quia succisum cupiunt. *Aucti sunt.* [V]Vel, Roborati sunt. Eandem sententiam repetit suo more. *Absque causa.* [V]Vel, gratis. [C]Affecit præter meritum [V]se tã duriter affligi. q.d. hostes mei nulla iniuria læsi, vel maleficio prouocati, cupidè feruntur ad necandum mihi. Ideòque vocat hostes שקר, hoc est mendaces: quibus scilicet nulla est bellandi causa. [M]Sic autem Dauid affligebatur quòd Saulem regem impium habebat hostem. Vnde obiter obseruandum est, regnante rege impio, piorum hostes & numero abundare, & viribus valere plurimum. [C]Interea Dauidis exemplo danda nobis opera est, siquando affligimur, vt nos sustineat testimonium bonæ conscientiæ, ac liberè coram Deo profiteri liceat hostes nostros esse gratuitos. & quo magis difficile est ad hanc moderationem assuescere, eo magis eam conuenit. Inepta autem eorum mollities quibus intolerabile videtur iniquè affligi, scitè refellitur nobili illo Socratis responso. Nam quum vxor in carcere lamentaretur, eum iniquè damnatum esse, Quid ergo, inquit, an nocentem perire malles? *Quæ non rapui, tunc reddidi.* [V]Vel, exolui. Futurum Hebræum pro præterito, Rependi, aut rependam. Vel futurũ pro præsenti, Rependere cogor. Q.d. Non tantùm direptæ sunt facultates meæ & fortunæ, (vt solet fieri) sed ego passus sum tanquam fur & raptor. [C]Affirmat enim his verbis se nõ modò iniuriis fuisse afflictum, sed probra etiam & contumelias pertulisse, acsi multorum scelerum conuictus foret. [C]Quod homini ingenuo acerbius est quam centum subire mortes. Multi enim ad mortem parati reperientur qui ad ferendam infamiã pares non erunt. Dicit autem Dauid non modò suas fortunas fuisse à prædonibus raptas, sed se instar furis & raptoris mulctatũ esse. Et certè quũ ipsum spoliarẽt hostes, iudices se hominis scelerati esse iactabant: & scimus honorificè pro iudicibus fuisse habitos. Quare discamus hoc exẽplo nõ modò ad incõmoda, molestias, mortem denique placidè ferendam nos parare, sed etiam ad ignominias & probra, siquando falsis calũniis nos grauari contingat. Imo quum ne ipse quidẽ Christus, fons omnis iustitiæ & sanctitatis, à falsis calumniis immunis fuerit, cur nos exanimaret similis conditio, quando hoc verũ probitatis est examen, constanter manere in iustitiæ colendæ studio, quamuis tam iniquum præmium à mundo reportemus? [A]Meminerimus verbi Domini Iesu ad suos discipulos, & inde solatium petamus, Si de mundo fuisseris, mundus quod suum esset diligeret: sed quia de mundo non estis, sed elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus, Iohan.15.c.19.

6 *Deus tu nosti insipientiam meam, & delicta mea non sunt à te abscondita.*

Deus tu nosti insipientiam meam. [A]Vel, stultitiam meam. [B]Frustra laborant quidam quomodo in Christum hoc competere potuerit: & tandem in membra transferunt quod de capite nõ fuisset propriè dictum. Ironica enim loquutio est, qua Dauid iniquis hominum iudiciis oppressus se ad Deũ confert, eùmque implorat vindicem. [V]q.d. Tu ipse scis Domine illos mihi facere iniuriã: ita me accusant acsi aliquod scelus admiserim: sed tu nosti meam integritatem, ego certè mihi bene conscius sum, & tu eris mihi optimus testis. [C]Hoc verò magis emphaticum est quàm si palam & sine figura dixisset notam esse suam integritatem Deo. quia hoc modo hostes suos mordaciter perstringit, & quasi ex alto despicit eorum maledicta: quemadmodum & Ieremias loquitur, Decepisti me Domine & deceptus sum, Ierem. 20. b.7. Non enim se deceptum fuisse asserit (vt nonnulli existimant) sed potius odiosè suos calumniatores exagitat: quia, dum ipsum improbant, contumeliosi fiunt ac blasphemi in Deum ipsum. Sic etiam hoc loco Dauid, ne peruersis hominum iudiciis succumbat, Deum statuit causæ suæ iudicem: & quia sibi bene conscius est, pro nihilo ducit iniquas hominum sententias. Esset quidem optandum vt hominibus quoque probata esset nostra integritas: (neque id tã nostra causa quàm in fratrum ædificationem) sed vbi nos studuimus hominibus probare, si trahant in sinistrã partem ac deprauent quicquid à nobis rectè fit ac dicitur, tenenda nobis est hæc magnanimitas, vt Dei vnius iudicio contenti mundũ & diabolos omnes spernamus. Neque enim fieri potest quin subinde deficiant qui nimis bonæ famæ addicti erunt. Parati quidem semper simus ad satisfactionem: sed si negetur audientia, per infamiam non secus ac per bonam famam pergamus, 2.Cor.6.b.8. Sicuti Paulus ad Dei iudiciũ intrepidè prouocat, qui reuelabit abscondita tenebrarum. *Et delicta mea non sunt à te abscondita.* [M]Clarius malignorum ingenium exprimit, qui non satis habent immeritum odio prosequi, nisi & vitæ illius innocentiam malignis delationibus & suspicionibus grauare ac labefactare nitantur, ne videantur illi sine causa male velle. Nemo enim vsqueadeo improbus est qui non prætexat aliquam odii sui causam, &, vbi nihil veri est, talia fingat quæ verisimiliter accuset. Ita isti hostes Dauidis stultitiam illi & malignitatem tribuebant: stultitiam, quòd non ipsorum more versutus esset in malo, vel certè quòd nimio zelo Dei raperetur: delicta, quòd regno insidiaretur.

7 *Ne erubescant in me qui expectant te, Domine Iehoua exercituum: ne erubescant in me qui quærunt te, Deus Israel.*

Ne erubescant in me. [V]Commemorat quid mali instet si visus fuerit relinqui à Domino, nempe quòd multi inde accipiant desperationis materiam. [B]Quum enim nullo suo peccato, sed pietatis atque adeo Dei causa ab impiis persequutionẽ ferret, periculum erat ne infirmiusculi, si ei impii præualuissent, nonnihil offenderentur, [B]acsi operam lusisset, Deum colendo. Sicuti enim quoties auxiliatur seruis suis Deus, totidem sigillis suam erga nos gratiam confirmat: ita fieri aliter nõ po-

tuit quin conciderent animis fideles, si Dauid fuisset in extrema necessitate desertus. Hoc periculum Deo obuiit nō quòd vlla admonitione indigeat, sed quia familiariter secum agere nobis permittit. Ergo Dauid vbi videbat se in tātis periculis tātoq; odio versari, anxius redditur nō tā de proprio periculo, quā de salute piorū, & maximè de gloria nominis Dei. *Qui expectant te.* Hoc est, qui sperant in te. *Qui quærunt te.* Id est, qui sincerè nomen tuum inuocant. Nam verbum expectandi propriè ad spem refertur, sicuti Deum quærere, ad preces. Atque hæc copula vtiliter docet fidem nō esse ignauam, quia nos ad quærendum Deum sollicitat. Interea colligimus ex hoc loco, fideles in dubitationem sinistram de Deo, quæ impietatem sapiat, interdum cadere posse: & vicissim fidem ac spem, studiúmque pietatis in illis exemplis diuinæ bonitatis ac fidei, quibus sancti conseruantur in rebus tristibus & eripiuntur, ali & corroborari. Proinde nemo sic securus sit quin studiosè videat & obseruet opera diuinæ beneficentiæ in sanctis declarata, quibus pietatis studium confirmet ac prouehat: &, si viderit rebus aduersis aliquandiu exerceri electos, & lætis deliciari reprobos, oret Dominum ne tentatione dubitationis & impietatis superetur. Qua de re vide Infrà, 73. a. 2, & Ierem. 12. a. 1, & Malach. 3. d. 14.

8 *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*

Quoniam propter te sustinui opprobrium. Vt superioribus versibus negauit, peccatis suis quam ferebat ab impiis persequutionem commeruisse: ita hic causam huius testatur fuisse ipsum Deum. Propter te, inquit, id est tua causa, quòd te colere studiosius reàmque veritatem asserere solebā, abiectus & conculcatus sum, adeóque ludibrio & cōtemptui habitus, vt prope coram nullo hominum attollere auderem faciem meam. Certè communis mihi tecum causa est, quum nihil nisi ex tuo mandato aggressus sim. Hoc tanquam verissimum Dauid dicere poterat. Nam etsi alias causas habebat Saul, vel saltem alios prætextus: quia tamen hoc verissimum erat, et eatam fuisse Dauidi inuidiam ex Dei vocatione, quia eum in regem vnxerat, meritò testatur non proprio vllo scelere, sed quia Deo obsequutus sit, se omnium sententiis perperam dānari. Nolebant quidem hostes Dauidis videri manifesti Dei osores, imò verò de vnius Dei cognitione & cultu securè gloriabantur: studium tamen pietatis in sancto homine acerrimo odio prosequebantur. Interea non parum solatii capiunt fideles vbi testari licet nihil se præter legitimam Dei vocationem tentasse. Quòd si ob fidei confessionem nobis infestus sit mundus (sicuti videmus nūquam acrius furere impios quàm vbi Dei verbum & pietatem oppugnant) duplicatur nobis fiducia. Admonet etiam hic locus quàm prodigiosa sit hominum malitia, qui studium gloriæ eius in dedecus conuertunt. Bene autem nobiscum agitur quòd probra quibus nos notant impii, non modò abstergit, sed etiam illustrat, vt superent omnes mundi triumphos. *Operuit confusio.* Vel, ignominia. Indicat his verbis se sensu huius probri tangi, & molestia affici. Nam in verbo sustinendi molestia est, & in opertione faciei, vultus & oculorum deiectio. Non igitur alienū est à sanctis si molestè ferant immeritam confusionem.

9 *Extraneus factus sum fratribus meis, & extraneus filiis matris meæ.*

Extraneus factus sum. Vel, alienus factus sum. vel, habitus fui. Hac circūstantia amplificat suam querimoniam, quòd à suis consanguineis & propinquis fuerit inhumaniter eiectus. q. d. A fratribus meis, & his quidē vterinis eodémque lacte mecum enutritis, alienus spuriúsque reputatus sum, non minúsque ab illis malè habitus quàm malè habeor ab ipsis meis hostibus & aduersariis. Videmus hoc loco, sanctos non esse expertes fraterni affectus & amoris, licet communiter omnibus mortalibus bene velint. Nisi enim illi doluisset ista auersio fratrum, certè conquestus non fuisset. Non doluisset autem nisi specialiter erga illos affectus fuisset. Interea etiam docemur, posthabito carnis & sanguinis respectu, sequendum esse Deum, si pietatis causa fratrum nostrorum offensas effugere non liceat. Nolebāt fratres Dauidis, ipsius nomine apud regem & aulicos illius periclitari. malebant potentioribus, licet impiis, adulari, quàm miseri hominis quantumuis innoxii & fratris causam suscipere.

10 *Quia zelus domus tuæ exedit me, & opprobria opprobrantium tibi reciderunt super me.*

Quia zelus domus tuæ. Causam cur tanto ipsum odio impii insectarentur, magis exprimit. Erat erga domum Domini (id est, veram religionem, cuius peculiare domicilium erat domus Domini) zelo singulariter flagranti: huius neglectum non ferebat, sed totus zelo gloriæ & Ecclesiæ Dei ardebat. Quanquam non tantùm tractat de causa, sed dicit, quantumuis indignè tractetur, se tamen, tanquam oblitum sui, induere sanctum affectum tuendæ Ecclesiæ & simul gloriæ Dei. Hoc vt melius liqueat, notandum est, quamuis ore iactent omnes se Deo relinquere suam gloriam, vbi tamen ad Legem, ad regulam piè viuendi ventum est, Deo illudere: neque id modò, sed furiosè quoque impetere ipsum in suo verbo. Quasi verò in aere tantum coli velit, ac non potius erexerit sibi solium inter homines, ex quo eos gubernet. Ideo Dauid Ecclesiam hic substituit in Dei locum, non vt ad illam trāsferat quod illius proprium est, sed vt ostendat fabricari inane Dei nomen, vbi repudiatur vera pietatis regula, cuius Ecclesia fidelis est custos. Adde quod Dauidi certamen erat cum larvato & adulterino Dei populo. Tota enim factio Saulis venditabat se titulo Ecclesiæ: Dauidem verò apostatam vel putridum membrum esse iactabat. Hac indignitate Dauid adeo non frangitur vt libenter sustineat insultus omnes pro veræ Ecclesiæ defensione. Interim negat se priuatis conuitiis moueri, quia deposita sui cura, tantùm ob Ecclesiæ oppressionem anxius ac mœstus sit, imò dolore ardeat, & doloris ardore consumatur. *Et opprobria opprobrantium tibi.* Vel, Et probra eorum qui probro afficiunt te. Significat se nihil à Deo separatum habere. Nonnulli tamen exponunt hoc mēbrum acsi diceretur, impios, quum irruere vellent in Dauidem, suos impetus vertisse in Deum, & ita suis blasphemiis sanctum virum obliquè pupugisse: quia sciebant nihil ei fore molestius ad ferendum. Alii interpretantur, Dauidem non secus fuisse supplicem quoties videbat Dei nomen probrosè lacerari, quàm si reus fuisset læsæ maiestatis. Sed quia nimis coactæ sunt hæ expositiones, retinendum est quod iam diximus, Dauidem sui oblitum, quicquid sensit doloris hausisse ex sancto zelo, quo flagrabat quum videret sacrum Dei nomen indignis contumeliis affici. Perinde, inquit, affectus fui, vidēdo ita blasphemiis expositum esse nomen tuum, acsi meipsum impeterent, quum alii soleant suis tantùm contumeliis moueri. Hoc exemplo docemur, quum natura omnes teneri simus & delicati ad ferendam ignominiā, mutandum esse præposterum hunc affectum, vt magis nos excrucient probra quæ in Deum redundant. Hic enim & excandescere & fulminare oportet: priuata autem maledicta placidè vorare. Quoad enim didicerimus negligere propriam famā, nunquam in nobis verè accēdetur verus ac ferùs feruor, vt pro asserenda Dei gloria certemus. Nota sunt sancti & pii zeli exēpla, quo accensi fuere serui Dei, Moses, Phinees, Elias, Iohannes Baptista, Paulus, & cæteri qui acerrimè pro Dei gloria & Ecclesiæ defensione certarent, alioqui omniū mitissimi. Porro quum Dauid totius Ecclesiæ personam sustinuerit, quicquid de se prædicat, impleri necesse fuit in summo capite. Ideóque non mirum est locum hunc ab Euāgelistis Christo aptari, Iohan. 2. c. 17. Eadem quoque ratione Paulus, vbi ad Christi imitationem hortatur fideles, secundum mēbrum ad eos omnes extendit: vbi etiam admonet quàm latè pateat hæc doctrina, nempe vt Dei gloriæ prorsus addicti in omnibus suis dictis & factis eam studeant seruare incolumem, & attentè caueant ne sua culpa obscuretur, Rom. 15. a. 4. 5. 6. Iam verò quum Christus, in quo refulget solida Dei maiestas, nō grauatus sit se probris omnibus obiicere ad tuendum Patris nomen, quàm turpe nobis ac pudendum erit eandem sortem recusare?

11 *Et fleui, in ieiunio anima mea: & fuit in opprobrium mihi.*

Et fleui, in ieiunio anima mea. Sub. erat. Quidam subaudiunt coniunctionem & verbum afflixi, sic, Et in ieiunio afflixi animam meam. Integra loquutio legitur Suprà, 35. c. 13, Affligebam in ieiunio animam meam. Q. d. iugiter ieiunaui. Hic à signis vel effectis probat se puro & ritè composito zelo studuisse gloriæ Dei, quòd scilicet non efferbuerit carnis intemperie: sed potius suppliciter se demittendo, Deum elegerit mœroris sui testem. Quo magis conuincitur inflexibilis hostium eius contumacia. Sæpe contingit vt qui se animosè opponunt pro gloria Dei, impios magis prouocent & exasperent, quia contentiosè & sine modestia dimicant: Dauid autem hic testatur sic temperatum fuisse suum zelum vt mollire debuerit vel ferream duritiem. Quanquam hac circumstantia ostendit quantopere fuerit oppressus hostium suorum petulantia, vt ne mutire quidem liberum esset, nec aliud restaret quàm lachrymis & mœrore Dei causam defendere. Sublata enim, vt scimus, loquendi erat libertas: imò atrocibus conuitiis repulsus fuisset damnati hominis sermo. quo maioris constantiæ fuit non desistere à suo zelo, nec abiicere voluntarium illum luctum quē pietatis causa susceperat. *Et fuit in opprobrium mihi.* Quia verbum Hebræum potest esse secundæ personæ, quidā legunt, Et fuisti in opprobrium mihi. Id est, Tua causa probris affectus sum, quòd flerem te inutilis affici. Taxat impietatem contempti

Dei in aduersariis. Etenim qui in tribulationibus ad Deum confugit, opémque illius implorat (sicut Dauid isto & multis aliis Psalmis fecisse legitur) is videtur huius seculi filiis rem facere stultam & ridiculam, propterea quòd vanum esse putát è Deo pendere, spem in illum ponere, & in rebus aduersis auxiliũ ab eo expectare. Qui stultitiæ sensus ex eo est quòd impie de Deo in animo sentiunt, quicquid ore profiteantur. Tale est quod Suprà, 22.b.8. habetur, Omnes videntes me deriserũt me, &c. Sperauit in Deum, eripiat eum: liberet eum, quoniam dilexit ipsum. Et Paulus dicit, In hoc laboramus, & probris afficimur, quòd spem fixam habeamus in Deo viuente, 1. Timoth. 4. c. 10.

12 *Et posui uestimentum meum, saccum: & fui illis in parabolam.*

Et posui uestimentum meum, saccum. Hebraismus, pro Habui saccum pro veste. Vel, Imposui mihi saccũ loco vestis. Suprà, 35.c.13. dicit, Indumentum meum saccus. Et 1. Reg. 20.f.31, Accinxerunt lumbos saccis. Et 2. Reg. 19.a.1, Et opertus est sacco. Solebant, quoties volebant suscipere aliquod ieiunium, simul etiam induere saccos. Talis fuit mos Orientaliũ. Vide Amos 8.c.10. Quidam volunt hic Dauidem reatum subiisse pro suis hostibus. Hoc confirmant quia saccum induerit. Sed simplicius accipimus, quum videret res adeo confusas, subiisse voluntarium mœrorem, quo testatum faceret nihil sibi esse acerbius quàm videre sacrum Dei numen contumeliis expositũ. *Et fui illis in parabolam.* Vel, in prouerbium. Vel, in dicterium. In fabulam rapi non est simpliciter semel atque iterum derideri, sed peruersissime licentia publico ludibrio exponi, & vulgarem prouerbialémque subire contumeliam. Dicit Dauid se fleuisse, animá sua fuisse in ieiunio, séque sacco vestitũ, quæ luctus erant (sicuti iam diximus) insignia Iudæis. Quum hoc totum in ludibria & dicteria ab hostibus suis conuersum fuerit, sequitur diabolico furore fuisse correptos. Et hoc exemplo muniri nos conuenit, ne simili hodie contumacia, qua hostes Euangelii diabolos se magis quàm homines produnt, nos exanimet. Danda interim opera est ne oleum addamus camino, sed imitemur Dauidem & Lot, quibus etsi impios reprehendere non licebat, animos tamen suos excruciarunt, 2. Petri 2.b.8. Imo etiam vbi nos audire cogentur impii, optimum tamen sancti zeli condimentum erit modestia & humilitas. Porro hoc est mundi huius ingenium, aut hypocritas suspicit, colit, ac magnis etiam sumptibus fouet: aut piorum sanctimoniam irridet & cauillatur. Nunquam enim verá pietatem sustinet agnoscere.

13 *Loquebantur contra me sedentes in porta: & cantiones factus sum bibentibus sechar.*

Loquebantur contra me. Vel, fabulabantur in me. Quidã, Loquebantur de me. *Sedentes in porta.* Hoc est, iudices. Etsi enim omnium ordinum erat conuentus in porta, soli tamen iudices sedebant. Conqueritur ergo Dauid se proceribus fuisse in prouerbium. Et certè si à vulgaribus tantùm scurris, & quisquiliis hominum vexatus fuisset, hoc magis erat tolerabile (neque enim mirum est sordidos homines, quibus nulla est honesti cura, se absque verecundia prostituere) sed quum iudices ipsi in eandem petulantiam, grauitate sua abiecta, proiiciunt, multum crescit indignitas. Non dicit, Inimici mei sunt qui sedẽt in porta, sed, qui loquũtur aduersũ me. Hoc est, cósultãt aduersum me, de me perdendo consilia capiunt. Qui debebant, vt iudices, innocentiæ meæ defensores esse, ii non solùm in cordibus suis mihi sunt infensi, sed in ipso quoque iudicii & iustitiæ loco vitæ meæ insidiantur. *Et cantiones factus sum bibentibus sechar.* Vel, & sum cantilena bibentibus siceram. Vox Hebræa significat cantiones ad instrumenta musica. q. d. De me componebant suos versus & cantilenas. Hoc confirmat superiorem expositionem de iudicibus. Nam per bibentes siceram haud dubiè primores, qui opibus & dignitate pollebant, designat. Non autem taxat eos quòd simpliciter vinum biberẽt. (nam vinum bibere, malum in se non est, Infrà, 104.b.15, & 1. Timoth. 5.d.23.) sed quòd summa cum securitate, magno iudiciorum Dei cõtemptu, & sacra & profana susque déque ferentes genio indulgerent, conuiuiis & potationibus, non sine afflictorum contemptu, imo irrisione, vacantes. Sicuti hodie multi diuinæ maiestatis contemptores securè conuiuantur, interea dum pii lugent ac dolent. Et hæc intemperantia, imò verius iræ Dei contemptus, hoc redditur auctior, quo properantius ac vicinius meritum immineat exitium. Hoc accidit illis qui diluuio perierũt, Gen. 6.a.4, & Luc. 17.f.27. Itẽ regi Babylonio, Dan. 5.a.5. Idem Scriptura ad sobrietatẽ fideles hortatur, Luc. 21.g.34, & Rom. 13.d.14, & Ephes. 5.d.18. Sũma vero atrocitas fuit, nó modò gregarios homines exagitasse sanctũ virũ Dauidẽ, sed ipsos iustitiæ præsides, & Ecclesiæ antistites, eius fuisse antesignanos. Et quum idem hodie vsuueniat, nõ abs re hoc exemplar ante oculos statuit Spiritus. In Papatu, vt quisque honore excellit, quo strenuũ se probet fidei catholicæ patronum, eo petulantius bacchatur contra Euangelium eiusque ministros. Imo hic morbus in cunctis fere principibus grassatur, quia suam præstantiam nõ in virtute sed effræni licentia constituunt. Probi autem Christi serui quo sunt apud eos loco? certè hæc vna est neque postrema ex eorum curis, iocosè non modò in mensa, sed in suis foliis eos suis dicteriis proscindere, vt fidem abrogent. Generaliter etiam piis omnibus illudunt, & suauiter cauillant de eorum simplicitate, quasi pietatis causa temere se fatigent ac macerent.

14 *Ego autem, precatio mea ad te Iehoua, tempus beneplaciti Deus: propter bonitatem misericordiæ tuæ exaudi me, propter ueritatem salutis tuæ.*

Ego autem, precatio mea ad te. Vel, At ego orationem meam conuerto ad te. Hoc est, Dum me irriderent & ludibrio haberent, ego interim precem meam ad te intendebam indesinenter. Profectò raræ virtutis fuit, ne illa quidem duritie percelli vt despondéret animum Dauid. Docet autem simul quo remedio se muniuerit cõtra graue scandalum. Nam quum suas facetias impii quasi machinas ingererent ad labefactandam eius fidem, dicit se precationem fudisse, qua insultus omnes repelleret. Non dubium est quin apud homines obmutescere coactus fuerit: exclusus igitur à mundo, ad Deum se conuertit. Nunc quoque eodem modo, quamuis apud impios nihil proficiant fideles, victores tamen stabunt, si seipsos contrahãt ac colligant ad Deum orandum. Summe est, quum omnia expertus Dauid, laborem suum irritum videret, relictis hominibus egisse cum solo Deo. *Tempus beneplaciti Deus.* Multi vno contextu legunt, Ego Deus precatus sum tempore beneplaciti. iuxta illud, Quærite Dominum, dum inueniri potest, & inuocate eum dum propè est, Esa. 55.b.6. Ad verbum legitur, Et ego, oratio mea ad te erat tempus beneplaciti ó Deus. id est, Te orabam vt adueniret tempus in quo me exaudires, qua exauditione declarares tuam erga me bonam voluntatem. Vide Ego similiter positum Esa. 45.b.10, & 1. Paralip. 12.b.7. Sed rectius sicut etiam posuimus, Tempus beneplaciti Deus. Nã Dauid refert quid tunc solatii conceperit, quia seeum meditatus est. q. d. Tempus nunc est turbulentum, adeo vt nihil videar orando proficere: non enim apparet mihi quicquam auxilii. erunt tamen Dei beneplacito suæ vices, & erit tempus serenum vbi te propitium ostendes mihi. Sic & Habacuc staturum se dicit super speculam, Habac. 2.a.1. Eodem modo Esaias & Ieremias, Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à Iacob, Esa. 8.d.17, & Ierem. 14 d. 21. Hæc enim est vnica nobis viuendi ratio, dum spes nobis in tenebris illucet, ac beneplaciti expectatio nos sustinet. Hinc Dauid ipse dicebat, Expecta Dominum, viriliter age, & confortabit cor tuum. & expecta Dominum, Suprà, 27.d.14. *Propter bonitatem misericordiæ tuæ exaudi me.* Vel, In multitudine clementiæ tuæ responde mihi. Postquam Dauid suam perseuerantiam optimè susciuit, fiduciam iterum colligit ex Dei natura. Et addit, *Propter ueritatem salutis tuæ.* Vel, In veritate salutis tuæ. Id est, Iuxta promissiones tuas veras. Veritatem salutis posuit pro salute veraci, vel certa. q. d. Domine tu quidé propensus es ad misericordiam, & ex hoc fonte manant promissiones tam benignæ quibus nos ad te inuitas: sed non minus est certa tua salus. id est, Tu verax es in promissionibus, præstes haud dubiè & absque fallacia quod possumus ex te sperare. Hinc itaque fluxit Dauidis precatio, quòd sensus suos ad Deum retrahẽs, ne ab impiis iactatus euanesceret, persuasus fuerit, discussis tenebris fore aliquando tempus beneplaciti: in quo à Deo exaudiretur, & ab afflictionibus, quibus premebatur, tãdem eriperetur.

15 *Erue me de luto, ut non immergar: sic eripiar ab odio habentibus me, & de profundis aquarum.*

Erue me de luto. Orat vt eripiatur ac liberetur è periculis & insidiis odientium se. Delineat autem periculorum suorum magnitudinem similitudine cœni, aquarum profundarũ, tempestatis vndosæ, & sepulchri. *Vt non immergar.* Vel, & ne infigar. Ne immergar, pro, vt nõ immergar. Eandem quã vlus est similitudinem repetit. Prius dixerat se demersum, nunc rogat ne mergatur. dixerat se in profunda aquarũ venisse, nũc orat ne deglutiatur à profũdo. Denique quæ sibi accidisse cõquestus est, nunc deprecatur ne accidant. Sed hæc varietas facilè diluitur, quia initio ex suo sensu & experientia loquutus est, nunc autem ad exitum respiciens, spe liberationis in media morte viuit. *Ab odio habentibus me.* His siquidem lutum,

aquarum fluxus,& profundum, vnde ocat eripi, fuere.

16 *Ne inundet me fluctus aquarum, nec absorbeat me profundum, néue claudat super me puteus os suum.*

Ne inundet me fluctus aquarum. [V]Vel, decursus aquarum. Quidam, Ne transuersum capiat me cursus (fluxus) aquarum. Id est, Ne adobruat me tempestas vndosa. Hic integra est locutio, quæ supra versu 3. est imperfecta. *Profundum.* [V]Vel, vorago. *Neue claudat super me puteus os suum.* [C]q.d. Ne me obruat afflictionum moles, atque absorbeat à dolore.

17 *Responde mihi ô Iehoua, quoniam bona est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me.*

Responde mihi ô Iehoua. [A]Vel, exaudi me Domine. *Quoniam bonum est misericordia tua.* Vel, quia bona est clementia tua. Alii, quia bona est benignitas tua. [B]Cósolatur se ab effusissima Dei bonitate, id est humanitate & clemẽtia: sicuti hac sancte vnicè in precibus suis nituntur. *Secundum multitudinem miserationum tuarum.* [A]Vel, In multitudine miserationum tuarum. [C]Hæc obtestatio per Dei clementiã & miserationes, demonstrat quibus angustiis cõstrictus fuerit sanctus Propheta. Neque enim dubium est quin difficilem luctam sustinuerit, dum arripuit hæc arma. Et certè ardui negotii res est, statuere Deum nobis propitium dum irascitur, & propinquum, dum remotus est. Ideo colligit Dauid quod huic diffidentiæ opponat: & Dei clementiam ac magnas miserationes implorans, se ideo tantum bene sperare ostendit quia Deus sit misericors. [M]Non enim potest animus ista in Deo credens non concipere sibi certam auxilii spem & fiduciam. *Respice ad me.* [C]Hoc est, Fac vt re ipsa appareat me fuisse exauditum, dum scilicet mihi succurres. [A]Sic alibi dicit, Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego, Suprà, 25.d.16.

18 *Et ne abscondas faciem tuam à seruo tuo, quoniam angustia est mihi: festina, exaudi me.*

Et ne abscondas faciem tuam. [C]Idem agit quod versu superiori. Subinde autem eadem iterando, tam acerbitatẽ doloris quàm studii ardorem declarat. Petit ne faciem suam abscõdat Deus, non quia sibi timeat à repulsa, sed quia fieri non potest quin anxietas huc & illuc miseros homines agitet. [A]Sic alibi dicebat, Ne abscondas faciem tuam à me, ne expellas in ira seruũ tuum: auxilium meum fuisti, ne deseres me, &c. Suprà, 27.c.9. *A seruo tuo.* [B]Consolatur se quòd seruus Dei esset, sibi de studio ipsi viuendi conscius. hinc enim videbat se non posse in angustiis deseri, quæ iam vt ad summum venerat, ita rectè sperabat illam termino proximè accessisse. [C]Ergo quia peculiariter seruos suos ad se inuitat Deus, Dauid vnum se esse prædicat ex illorum numero. Neque enim obsequia iactat quibus quicquam promeritus fuerit, sed potius gratuitæ Dei electioni innititur: nisi quòd simul pietatis suæ testimonium reddit, quia fideliter Deum coluerit à quo fuerat vocatus. [A]Sic alibi de pretiosa piorum morte verba faciẽs, dicit, Vtique Iehoua: quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ: soluisti vincula mea, Infrà, 116.c.16. *Festina, exaudi me.* [V]Duo imperatiua sine coniunctione, quorum alterum verti debet in futurum, Festina exaudire me. Vel, vt me exaudias. Aut primum vertendum per aduerbium, Festinanter aut celeriter exaudi me. Quidam, Propera & exaudi me. [V]De festinatione vide Suprà, 31.a.3.

19 *Appropinqua animæ meæ, redime eam: propter inimicos meos redime me.*

Appropinqua animæ meæ. [V]Vel, Accede ad animam meã. *Redime eam.* [V]Rursum imperatiua sine coniunctione, pro, Appropinqua ad animam meam vt redimas eam. [C]Quamuis fide persuasus esset Deum sibi esse propinquum, vt tamen ab effectis metiri solemus Dei præsentiam, vel absentiam, Dauid hic ex carnis sensu tacitè conqueritur procul à se abesse. Nam appropinquandi verbo intelligit nullam salutis suæ curam fuisse Deo, nempe quantum ex re ipsa colligi poterat. [V]Neque enim statim fuerat auxiliatus ei Deus, quum vrgerent eum hostes. [C]Porro Deum implorans vt appropinquet ad vitam suam, quam visus fuerat deserere, præclarum exhibet fidei suæ documentum. imò quo crudelius vrgetur, eo magis confidit Deum sibi fore redemptorem, sicuti alibi dictũ fuit principium hoc semper tenendum esse, Quia Deus superbis resistit, Iacobi 4. b.6. quamuis ad tempus dissimulet: fieri tamen non posse quin tandem compescat eorum insolentiam qui sine modo resistunt, [M]& piis Dei cultoribus negotium facessere non desinũt.

20 *Tu nosti opprobrium meum, & pudorem meum, & ignominiam meam: coram te sunt omnes hostes mei.*

Tu nosti opprobrium meum. [B]Consolatur se ab hostium atrocitate, quæ eo peruenerat vt non magis ipsi Deo quàm sancto Domini seruo ferri posset. [C]Ita proximam sententiam confirmat. Vnde enim fit vt maior pars, vbi impotenter ruere videt impios, ac instar diluuii grassari, animos despondeat, nisi quia putat obnubilatum esse cœlum, vt Deus nihil in terris videat? Ergo Dei prouidentiam hic nobis succurrere oportet, ne dubitemus auxilium nobis maturè venturum: quia neque oculos claudere potest ad nostras miserias, nec pati impunitam malorum licentiam, nisi seipsum abneget. In hoc ergo solatium recumbit Dauid quòd Deum habeat doloris sui, metus, ægritudinum & curarum testem, quia scilicet mundi iudicem & gubernatorem nihil latet. *Et pudorem meum.* [V]Vel, Et confusionem meam. *Et ignominiam meam.* [C]Non est nimis verbosus Dauid in repetitione ignominiæ quam sustinebat: quia tam grauibus tentationum machinis, quæ fortissimum animum labefactare poterãt, firmam munitionem opponere necesse fuit. Nihil ingenuis & cordatis hominibus acerbius est ignominia: dum verò ea duplicatur, imò plures simul aggestæ cumulum efficiunt, quàm singulari robore opus est ne obruantur? Nam mœrore tædio facilè desperatio obrepit. Ergo ne oneri succumbat Dauid, colligit, tam multas afflictiones quibus grauatur, non esse Deo incognitas. [B]Dum autem fidem suam vir pius sic firmauerat, Deum quæ patiebatur videre & nosse, de liberatione diffidere iam non potuit. [C]Ignominiæ verò & probra tam ad externam speciem quàm ad eius affectum aptè referentur: quia & passim fuisse derisum satis liquet, & fieri non potuit quin verecundiam vnà cum dolore tales sannæ incuterent. *Coram te sunt omnes hostes mei.* [C]Q.d. Domine tu scis me tostar ouis vnius circundari à millibus luporum. [A]Sic alibi dicebat, Circundedérunt me canes, congregatio malignantium circundederunt me, Suprà, 22.d.17.

21 *Opprobrium contriuit cor meum, & dolui: & expectaui qui condoleret, & non fuit: & consolatores, & non inueni.*

Opprobrium contriuit cor meum. [V]Vel, vt quidam, Probrum fregerat cor meum, & affligebat, & expectabam qui consolaretur, vel contristaretur. [C]Clarius exprimit se non modò tristi desertionis specie fuisse pudefactum; sed mœrore propemodum cessisse, quum diu pudefactus iaceret. Vnde colligimus non sine lucta eum vicisse: nec ideo tam constanter sustinuisse tentationum fluctus quòd eius animum non attingerent, sed quia duriter perculsus non minori fortitudine restiterit. [A]Quidem opprobrium hoc exponunt de probro diuini nominis, quo Dauid vrebatur: sed prior expositio melius conuenit, vt continua sit eiusdem rei querulatio. *Et expectaui qui condoleret.* [V]Vel, qui commisereretur. [A]Hac circunstãtia animi sui dolorem exaggerat, [C]dicens destitui se omnibus humanitatis officiis: non esse qui condoleat, vel in quem exoneret suos dolores. Nam verbum נוד quidam accipiũt pro narrare: quia dum querimonias nostras effundimus apud amicos, inde aliquid leuationis capimus. Hoc modo sibi conciliat Dei misericordiam, quia omnibus mundi auxiliis & solatiis priuatus est. [A]Alibi quoque huc in modum queritur, Respice ad dexteram, & vide quoniam non est qui me cognoscat: periit à me, non est requirens animam meam, Infrà, 142.a.5. Item, Ne elongeris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniã non est qui adiuuet, Suprà, 22.c.12. *Et consolatores, & non inueni.* [B]Dicit se nullam prorsus consolationem à quoquam percepisse, quamlibet expectatam & quæsitam. Hoc verò piorum ingenium est vt afflictis condolescant, & aliquam miseris consolationem afferãt. Quemadmodum hortatur Apostolus, Rom.12.c.15, & 1.Cor.12. d.26. [M]Quòd si vicissim illi nullam consolationem inter homines reperiant qui libentissimè aliis cõdolescunt & eos consolantur, cogitent Dauidi, imò Christo ipsi eandem accidisse inter suos inhumanitatem: [A]& quum non sit seruus maior domino suo (Iohan. 15.c.20) summam inde consolationem excipient.

22 *Et posuerunt in escam meam fel, & in siti mea propinauerunt mihi acetum.*

Et posuerunt in escam meam fel. [B]Iam se non solùm omni consolatione fuisse destitutum queritur, sed à quibus debuisset iure consolationem accipere, ab iis fuisse magis afflictum: vt si quis esurienti amara, vt fel, & sitienti acetum præberet. [C]atque ita affirmat nihil hostes suos ad extremam sæuitiam omisisse. Quanquam autem metaphoricæ sunt loquutiones, miscere fel aut venenum cibo, & potui acetum (sicuti apud Ieremiam cap.11.d.19. mittere lignum in panem) Iohannes tamen cap.19.e.19 nõ frustra impletam fuisse Scripturam memorat, vbi milites acetum Christo propinarunt in cruce: quia visibili signo repræsentari in Christo oportuit quam reprobi crudelitatem exercent in eius membra: sicuti Supra, 22.c.19. diximus, quum partitio vestium Christi facta fuit inter milites, non in-

tempestiuè citeri versum illum, Petiti sunt inter se vestes meas, & super vestitum meum iecerunt sortem. licet Dauid figuratè intelligat se fuisse spoliatum, suásque fortunas instar prædæ fuisse direptas. Teoendus tamen genuinus est sensus, sancto Prophetæ nihil relaxationis fuisse datum: quemadmodum si homo miserè alioqui afflictus cibum quoque & potum amarulentiæ corruptum reperiat. [H]Hic scilicet potus est vineæ Iudaicæ, quo Christum Dominum suum per incredulitatem & obstinatam malitiam ignominiosè potauit. Videamus quid à nobis hodie in membris suis bibendum accipiat. Quòd si illum crucifixerimus & nos, procul dubio non alium potum quàm aceti à nobis quoque recipiet. Nam hic potus, potus eucis est.

23 *Sit mensa eorum coram ipsis laqueus, & pacifica eorum in rete.*

Sit mensa eorum coram ipsis. [A]Iam subiicit Dauid diras imprecationes, quibus vt Propheta impiis hostibus imprecatur. [H]Porro veros hostes sancti non agnoscūt nisi deploratè malos, [A]& æternos hostes Dei, [B]quibus iustum Dei iudicium imprecando simul prædicunt. Tales esant hi quos iam deuouet Dauid. [C]Non enim putandum est Dauidem sibi lexasse habenas, vt bilem suam profunderet: (sicuti maior pars hominum iniuriis affecta dolori suo intemperanter indulget) sed duce Spiritu sancto iustum Dei iudicium implorasse contra reprobos: deinde non egisse priuatam causam, sed sancto gloriæ Dei zelo fuisse impulsum vt ad eius tribunal citaret impios. Vnde etiam factum est vt turbulenta passione minimè abreptus fuerit, sicuti qui seipsos vlcisci cupiunt. Quum ergo Spiritus prudentiæ, rectitudinis & moderationis, has imprecationes dictauerit Dauidi, non est cur eius exemplum obtendant qui vel suam iracundiam euomunt in quoslibet, vel impatientiæ percitum feruntur ad vindictam, vt neque intenti sint in rectum finem, neque modum seruent. Prudentia enim opus est, quæ discernat inter reprobos, & qui adhuc sunt sanabiles: rectitudine, vt nemo priuatim sit sibi addictus: moderatione, quæ animos ad placidam tolerantiam componat. Hæc tria quum in Dauide fuisse minimè dubium sit, quisquis eum probè imitari cupiet, non temere cæco impetu prosiliat ad diras: deinde compescat turbidas animi sui passiones, neque sibi priuatim sit addictus, sed studia sua affectúsque ad quærendam Dei gloriam dirigat. Denique, vt veri simus imitatores Dauidis, primùm induere Christi personam necesse est, ne idem quod olim discipulis obiecit, in nos hodie quoque torqueat, Nescitis cuius spiritus sitis, Luc.9.g.55. Iam quia conquestus fuerat Dauid hostes posuisse fel in cibum suum, nunc precatur vt mensa illis cedat in laqueum: & quæ ad pacem suot, vertentur in rete: his verbis metaphoricè optans vt quæcunque illis in vitam & prosperam commoditatem destinata erant, Deus conuertat in exitium. [B]Dauidi bene merito, eóque iure ab illis beneficia expectanti, quicquid poterant maleficiorum inferebant: imprecatur ergo [H](secūdum legem talionis) [A]vt & ipsi vnde optata sibi quærerent, perniciem accipiant, & ibi capiantur in exitium vnde delicias sibi petendas putabant. [C]Vnde colligimus, sicuti Deo propitio, quæ naturaliter & per se noxia essent, adiumento sunt in bonū: ita eo infesto, maledici quæcūque vtilia erant, vt totidem sint nobis exitii causæ. Atque hæc Dei vltio non leuem metum incutere nobis debet, dum Spiritus sanctus pronuntiat reprobis mortifera esse omnia vitæ adminicula, Tit.1.d.15. vt sol ipse sanitatem in alis suis portēs, (Malach.4.a.2), omnino pestiferum odorem illis spiret. *Et pacifica eorum in rete.* [T]Vel, Et quod paces, in offendiculum. Vel, Et pro pacibus, in rete. Id est (vt Hebræi exponūt) Quum expectauerint paces, vertantur paces in offendiculum. Hoc est, Pereāt iis rebus quas putabāt sibi fore saluti & prosperè cessuras. Quidam vertunt, Et vbi pacem sperāt, illic impingant. [A]Alii, Et pacifici in tendiculam. acsi Dauid precaretur vt amici & pacifici eorum sint eis pro tendiculis.

24 *Obscurentur oculi eorum ne uideant: & lumbos eorum semper fac tremisare.*

Obscurentur oculi eorum. [A]Vel, Obtenebrentur oculi eorum. [B]Cæcitatem illis imprecatur qua nec præcauere imminentia, nec effugere præsentia mala possint. Hæc maledictio prudentes huius seculi concernit, qui se maximè oculatos esse gloriantur. His contingit vt vbi potissimum opus erat prudentia, omnium sint stupidissimi. *Et lumbos eorum semper fac tremiscere.* [T]Vel, nutare fac. [C]Sicut oculi pro ratione mētis & sensus hic accipiuntur, ita & lumbi pro viribus, quæ suppetunt ad exequenda consilia. acsi diceret Dauid, Domine, priua eos ratione & intelligentia: deinde eneru eorum vires, vt prorsus inutiles sint ad omnē actionē. Scimus enim nihil rectè posse egi nisi præluceat cōsiliū, simulq; ad exequendū accedat facultas. Iā quū Ecclesiæ hostibus immineat hæc maledictio, nō est quod nos terreat impiorū vel malitia vel rabies: quia in manu Dei est subitò eos percutere cæcitate, vt nihil videant, & lumbos constringere, vt iaceant confusi. [A]Cuius rei exemplū habemus in iis qui à rege Syriæ missi virum Dei Elisæum cōprehendere volebant, 2.Reg.6.d.18.

25 *Effunde super eos iram tuam, & furor indignationis tuæ comprehendat eos.*

Effunde super eos iram tuam. [B]Mala omne genus summatim imprecatur hostibus suis, quum orat effundi in eos indignationem feruentémque iram Dei. [C]Quia sciebat Dauid Ecclesiæ hostes non facilè moueri, metum illis inicere voluit: & vt à petulantia sua desisterent, vehementius contra eos insurgit. [A]Sic alibi, Effunde furorem tuum super gentes quæ non cognouerunt te, & super regna quæ nomen tuum non inuocauerunt, Infrà, 79.b.6. [C]Cæterùm fideles præcipuè respexit Dauid, qui malis oppressi non alia fultura nituntur nisi dum audiunt ex ore Dei quàm horribilis maneat vltio ipsorum hostes, si quidē reprobi sint. Nam sanabiles optasset Dauid pœnis corrigi: sed desperatos exitio suo deuouet, ne pœnam, quæ illis decreta est & quam merentur, effugiant. *Et furor indignationis tuæ comprehendat eos.* [A]Idem diuersis verbis, suo more, sed non sine emphasi, repetit. Q.d. Sic effunderetur super eos indignatio tua vt ipsissimam perditionem adiunctam habeat. Destituantur omni consolatione & auxilio qui afflictum nulla consolatione dignati sunt, omnis humanitatis expertes.

26 *Sit palatium eorum desolatum, in tabernaculis eorum nō sit qui habitet.*

Sit palatium eorum desolatum. [C]Nunc vltrà progreditur, nempe vt Deus ad posteros vsque iram suam effundat. [T]Nam precatur desolari eorum domum, neque relinqui qui in ipsorum tabernaculis habitet, omnimodam ipsorum deletionem, totiusque posteritatis extinctionē orauit: [C]sicuti nouū non est patrum scelera reuici in sinum filiorum. Nam sicut Spiritus instinctu diras istas concepit Dauid, ita etiam sumpsit ex ipsa Lege, vbi pronuntiat Deus se pœnas de impiis contemptoribus sumpturum vsque ad tertiam & quartam generationem, Exodi 20.a.5. Hoc modo maledici cupit eorum memoriam, vt ne mortuis quidem parcat Deus. [A]Et hoc ipsum est quod alibi dicitur, Vultus Domini in facientes malum, vt succidat de terra memoriam eorum, Suprà, 34.c.17. [H]Et Christus incredulis Iudæis dicebat, Relinquetur vobis domus vestra deserta, Matth.23.d.38. Hæc verba enarauit Petrus de Iuda loquens, Act. 1.d.20. In quo exemplum est Episcoporum malorum, qui gratiam Domini vendunt, fures sunt & latrones. Iudas maledictionis non benedictionis filius, impius proditor, non Apostolus, pecuniam ex proditione, & ex pecunia agrum iniquitatis acquisiuerat: sed non possedit, exemplum factus omniū impiorum in Ecclesia Episcoporū: quibus amotis, episcopatus quos iniquè possident, iusto Dei iudicio aliis cedent. Rectè itaque Petrus hunc versum in illo dicit esse completum. Vide item de iis qui agrum agro & domum ad domum coniungunt, Esa.5.b.8. Et Deut.28.b.16.

27 *Quoniam quem tu percussisti persequuti sunt, & super dolorem uulneratorum tuorum numerarunt.*

Quoniam quem tu percussisti persequuti sunt. [T]Vel, persequuntur. [C]Hoc quidam ita exponunt acsi diceret Dauid hostes suos improbè finxisse sibi esse iustam causam, quia gloriabātur se Dei ministros ad pœnam de scelerato homine sumendam: sicuti vt plurimum impii huius coloris obtentu sibi quiduis impunè contra miseros licere putant. sicut etiam alibi dicitur, Venite, affligamus eum. Deus enim deseruit ipsum, &c. Infrà, 71.b.11. Sed simplicius vocari percussum dicimus quem Deus humiliare voluerit, tanquam vnum ex filiis suis, vt in ipsa castigatione nota aliqua paterni amoris insculpta esset. Crimen ergo hostiū suorum profert Dauid, vt appareat dignissimos esse tam atrocibus pœnis. q.d. Domine plagis tuis non contenti, sæuierunt in hominem miserum, qui iam manu tua vulneratus erat. Et certè quum humanitas opē afflictis afferre præcipiat, belluinam sæuitiam prodit quisquis insultat oppressis. *Et super dolorem vulneratorum tuorum numerarunt.* [C]Vulneratos Dei nominat eodem fere sensu quo Esaias mortuos Dei, cap. 26.d. 19. nempe qui in ipsa morte sub Dei custodia manebant. Neque enim promiscuè ad omnes hoc extendi potest, sed ad fideles solos pertinet, quorum obedientiam Deus cruce examinat. Inde si arripiant impii occasionem maioris licentiæ, nō mirum est ipsos grauius damnari. Propositis enim talibus exemplis, eos ita secum ratiocinari decebat, Si in viridi hoc fit, quid igitur in arido? Luc.23.e.31. Nūc quum magis obdurescāt, apparet contemptu & odio pietatis contra filios Dei sic in-

solescere. Verbum ספר (quod quidam narrare vertunt) significat propriè numerare, ideóque appositè transfertur ad augmentum, quòd scilicet mala malis addendo, ad summum vsque cumulum dolorem perduxerint.

28 *Adde iniquitatem super iniquitatem eorum, & ne ingrediantur in iustitiam tuam.*

Adde iniquitatem super iniquitatem. [b]Vel, pone iniquitatem super iniquitatem eorum. [c]Precatur vt Deus impios Spiritu suo destituens coniiciat in sensum reprobum, ne vnquam ad resipiscendum aspirent. [b]Est enim Hebraismus, acsi diceret Dauid, Fac vt iniquitatem iniquitate cumulent, desere eos in iniquitatibus suis, nec iustos pronunties illos: non inueniant pœnitentiæ locum. *Et ne ingrediantur in iustitiam tuam.* [a]q.d. Crescat magis ac magis eorum iniquitas, & à correctione abhorreant, vt constet prorsus alienatos esse à Deo. Hæc autem loquendi forma quum Scripturæ sit familiaris, & subinde occurrat, non debet videri nobis aspera: & eam vitandæ absurditatis causa inflectere (vt quidã faciunt) friuolum est. Exponunt Deum addere peccata peccatis, permittendo, & obtendunt hanc esse phrasin linguæ Hebraicæ: quod nemo Hebræus fatebitur. Nec verò cauillis istis opus est ad Deum excusandũ: quia sufficit, dum reprobos excæcat, iustas ei causas esse: vt frustra obmurmurent homines, vel litigent, quasi non peccarent nisi illius impulsu. Etsi enim excæcationis causæ interdum latent in arcano Dei consilio, sua tamen cõscientia quenque redarguit: & nostrum est reuerenter adorare & mirari quæ sensum nostrum superant Dei mysteria. Neque enim abs re dictum est iudicia eius profundam esse abyssum, Suprà, 36.b.7. Certè quod ad præsentem locũ spectat, vbi iudicia sua exequitur Deus, nimis præposterum esset eum inuoluere in partem culpæ. Summa est, iusta Dei vindicta impios demergi in profundum iniquitatis gurgitem, vt nunquam ad sanam mentẽ redeant, vt & qui sordet sordescat adhuc, Apoc. 22.c.11. Iustitia Dei hoc loco accipitur pro vitæ sanctitate quæ ei probatur.

19 *Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur.*

Deleantur de libro uiuentium. [b]Id est, Ne recenseas eos in numero filiorum tuorum, & si locum habuerint in Ecclesia tua, inde eos exturba & abiice, ne amplius locum obtineant inter fideles. [c]Hæc vltima est imprecatio, & omnium maximè formidabilis, quæ tamen semper impœnitentiam & obstinatam duritiem (de qua nuper loquutus est) sequitur. Postquam ergo spem resipiscentiæ illis abstulit, æternum quoque interitũ denuntiat: quia perire necesse est quicũque in libro vitæ scripti non reperientur. [a]Librum vitæ intelligit certam illam saluandorum & ad vitam deputatorum electionem & prædestinationem. [c]siue æternum Dei consilium quo suos prædestinauit in salutem. Est quidem impropria loquutio, deleri eos de libro vitæ qui nunquam in eo scripti fuerunt: sed quæ ad nostrum modulum non malè accommodatur. Certum est nihil posse in eo mutari. deinde scimus, qui adoptati sunt in spem salutis, eos ante conditum mundum fuisse scriptos. Sed quia incomprehensibilis est æterna Dei electio respectu humani sensus, scribi dicuntur quos Deus palam & apertis signis populo suo accenset. Sic rursus eadem ratione delentur quos Deus palam abdicat, & exterminat è sua Ecclesia. Quia ergo Dauid manifestari cupit Dei vindictam, meritò hostium suorũ reprobationẽ ad sensũ nostrũ accõmodat, acsi diceret, Ne recenseas eos Deus in tuorũ numero vel ordine, nec colligantur cum tua Ecclesia, sed potius, eos perdendo, declares abs te reiectos: & quamuis locum ad tempus occupent inter fideles, tandem eos reseca, vt appareat extraneos fuisse, quum domesticis permisti forent. Sicuti etiam dicit Ezechiel cap. 13.a.9. Nõ inueniãtur in arcano catalogo populi mei. [a]Et Dominus Mosi dicebat, Siquis mihi peccauerit, hunc delebo de libro meo, Exodi 32.g.34. [c]Interea verum manet illud Iohannis, neminem qui verè fuit ex filiis Dei, vnquam deficere, 1.Ioh. 2.c.19. Sed quia fastuosè iactant hypocritæ se in Ecclesia esse primos, eorum abdicatio hac similitudine aptè exprimitur, quũ Spiritus pronuntiat eos deleri è libro vitæ. [c]Summa, ex hoc libro deleri, idem est atque sic abiici vt pateat nunquam fuisse eiusmodi in libro scriptũ. Nam qui semel adscriptus fuerit, (hoc est inter electos numeratus) expungi potest nunquam. Datus est filio seruandus, qui neminem eorum quos Pater donauit, abiicit, Iohã.6.d.37. Neque rapere quisquam illos potest de manu eius, Iohan.10.e.28. Vnde & quum Moses expungi peteret, ea est petitio tanquam absurda à Domino reiecta. Similis imprecatio est & Infrà, 109.b.13. *Et cum iustis non scribantur.* [c]Hic iusti vocantur omnes Dei electi, quia non ad immunditiem (vt Paulus dicit) sed ad sanctimoniam vocati sumus, vt possideat quisque vas suum in honore, 1.Thess.4.a.4. Et notu est illa Pauli gradatio, Quos elegit, eos vocat: quos vocauit iustificat &c. Rom.8.f.30. [a]Petrus quoque fidelium electioni Spiritus sanctificationem coniungit. 1.Epist.1.a.2.

30 *Ego autem pauper & dolens: salus tua Deus exaltabit me.*

Ego autem pauper. [b]Vel, afflictus. [b]Fatetur hic Dauid propriam humilitatem & miseriam: [c]vt melius liqueat quàm procul abfuerit à turgido & feroci affectu, sicuti qui suas victorias impotenter despumant. Neque enim dubium est quin se cum sacrificio contriti & humiliati spiritus Deo hic offerat, vt hac mansuetudine gratiam sibi conciliet. Ideo addit continuo post, *Salus tua Deus exaltabit me.* [b]Vel, In loco alto statuet me. Id est, In loco sublimi ac proruderuto statuet me. Hoc est, tu me auxilio tuo iuuabis. Quidam vertunt, Salus tua Deus protegat me. Alii, extulit me. Alludit ad arces in locis excelsis positas. [c]Qui sua intemperie feruntur ad vindictam, adeo nõ sunt deiecti vt se nimium extollant. Hic autem mutua ponitur relatio inter dolorem, quo iacebat oppressus, & Dei auxilium, quo se erectũ iri sperat. Interea quod alii ad desperationẽ trahebant, causam salutis sibi fore promittit. [a]q.d. Etsi maximè afflictus ac omniũ miserrimus esse videor in oculis hominum, qui ob meas afflictiones putant me abs te desertum, scio tamen te perpetuò curam serui tui habiturum. Neque enim potes in te sperantes deserere. Hæc fides sanctum virum fortem ac inuictum reddidit aduersus omnia afflictionum genera, quas alioqui nunquam æquo animo tulisset.

31 *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.*

Laudabo nomen Dei cum cant. [b]Memorat nunc quæ vota agendi gratias, bonitatisque eius in se celebrandæ conceperit, adsertus à sua calamitate & ærũna in qua erat, & ex qua sola Dei ope euasit. [a]Imò verò, nondum elapsus, [c]alacriter exurgit, & certa spe liberationis fretus, triumphum canit victoriæ. Quanquam enim Psalmum hunc discriminum metu perfunctus composuit, certum tamen est, quum anxiè trepidaret, hæc eadem fuisse meditatum: quia gratiam licet adhuc spe absconditam, certa fide apprehendebat. [c]Ob reportatam (inquit) salutem, spiritualibus hinc inde resonantibus gratiarum actionũ canticis, illum magnum, immensum, supérque laudem omnẽ superiorem & excelsum, prædicabo. *Et magnificabo eum in laude.* [b]Vel, cum celebritate. [c]Magnificari dicitur Deus laudibus nostris, non quòd immensæ eius gloriæ quicquam accedat, sed quia inter homines extollitur eius nomen. [a]Non satis est quòd Dauid in præsens beneficentiam Dei prædicauit ac laudauit, nisi etiam votum faciat quòd in posterum velit nomen eius magnificare, & summis laudibus efferre. Hæc est exuberantia animi grati, beneficium Dei penitius considerantis & sentientis. Ita debent Christiani, agnitores redemptionis in Christo, votum facere quòd per omnem vitam velint magnificare nomen Dei cum canticis spiritualibus, vt Paulus admonet, Ephes.5.d.19.

32 *Et placebit hoc Iehouæ præ boue iuuenco, qui profert cornua & vngulas.*

Et placebit hoc Iehouæ. [a]Vel, Gratius erit Iehouæ quàm bos &c. [c]Quo se melius confirmet Dauid, gratiarum actionem, quam reddere Deo parat, boni suauísque odoris sacrificium fore docet. Nullus enim ad gratitudinem acrior adhiberi potest stimulus, quàm vbi constat tantopere Deo placere hoc pietatis officium. sicuti non aliam bonorum omnium quæ nobis largitur, compensationem exigit, quàm vt celebretur per nos nomen suum. Quo minus excusabilis est eorum ignauia qui laudes eius silentio vel obliuione supprimũt. [c]Neque verò simpliciter Dauid affirmat laudis sacrificium Deo gratũ fore, sed illud pecudũ mactationi & quibuscunque aliis sacrificiis præfert. [c]Quãuis enim non omiserit Dauid neque neglexerit externa sacrificia, quæ Lex mandabat, meritò tamẽ spiritualem cultum prætulit, qui omnium ceremoniarum finis erat. Qua de re plenius disseruimus Suprà, 50.b.8.c.14. Interim notanda est Dauidis modestia, quòd licet ad cœleste exemplar conscẽderet, non tamen grauatus est se demittere ad communem vsum Ecclesiæ, quasi vnus esset ex vulgo: vt ex figuris Legalibus disceret quod postea Euangelio clarius patefactum est, laudes Dei, quatenus ex ore nostro manant, impuras esse, donec per Christũ sanctificentur. [a]Qua de re vide Epist. ad Hebr. cap. 13.c.15. & 1. Petri 2.a.5. [c]Nunc verò plusquã stupida est eorum superstitio qui externas rituum pompas, quæ sacrificio mortis Christi sunt abolitæ, in vsum adhuc reuocant: & vbi se fatigarunt nihil agendo, Deum putant ritè placatum esse. quod nihil aliud est quàm crassis velis obtegere legitimum hunc cultum, quem ceremoniis diuinitus mandatis Dauid longè præferre non dubitat. *Præ boue iuuenco.* [b]Vel,

vitulo. Alii vertũt, Plusquam bos, aut vitulus. Alii, Præ boue, præ vitulo. Secunda voce voluit exprimere ætatem bonis: acsi dixisset, Etiamsi bos oblatus fuerit in flore ætatis, & selectissimus, sitque quasi opimũ & optimum sacrificium, tamen pluris est gratiarum actio coram Deo. *Qui profert cornua & vngulas.* Dicit cornutum & vngulatum, nam tunc sunt tenerrimi iuuenci quum incipiunt producere cornua & vngulas. Sunt qui hunc sensum eliciunt, gratum fore hoc sacrificium Domino, & simul insigne, vt quod bobus & vitulis (singulare pro plurali) cõstiterit. Sed prior expositio Prophetæ mentem melius explicat.

33 *Videbunt afflicti, & lætabuntur quærentes Deum, & viuet cor vestrum.*

Videbunt afflicti. Vel, humiles. Hebraicè, viderunt, pro, videbunt hæc mansueti vel afflicti. Fructum suæ liberationis aliis etiam communem fore docet, Sicuti Suprà, 22. e.23. & 26, & 34.a.6, & pluribus aliis locis iam vidimus. Idque facit partim vt gratiam Dei apud fideles commendet, partim vt Deus ipse ad eum iuuandum sit propensior. *Et lætabuntur quærentes Deum.* Non intelligit Dauid fideles tantùm amicitiæ fraternæ causa hoc spectaculo lætos fore, sed quia in vnius hominis persona commune dabitur salutis pignus. Qua etiam ratione afflictos vocat. Quicunque, inquit, Deum quærunt, quantuis malis sint afflicti, animos recipient meo exemplo. Hæc enim duo coniunctim sunt legenda: quoniam non cohæreret sensus nisi hoc modo, exemplum Dauidis causam fore lætitiæ piis Dei cultoribus, dũ suis afflictionibus remediũ quærent. Videmus hic ingenium eorum qui afflictionibus exerciti sunt. hi cum aliis multis etiam hanc ex tribulationibus vtilitatem acquirunt, vt rationem habeant tribulatorum & suauiter erga eos adficiantur. Experti nanque sunt quo animo sint afflicti, & quæ sit miseria animi tribulationibus pressi. Hinc est quod quibus omnia ex voto succedunt, parum curent afflictos. Qui nunquam famis expertus est molestiam, famelicorum vix rationem habebit. sicuti exemplum habemus diuitis & Lazari Luc. 16.e.11. Ita nec captiuis compatitur, nec ægrotis, nec exulibus, nec naufragis, qui nullas huiusmodi molestias vnquam sensit. Vide Hebr. 4.d.15, & 5.c.8. *Et viuet cor vestrum.* Est personæ mutatio, quæ tamen sensum minimè obscurat: imò hæc apostrophe quasi in re præsenti efficacius exprimit quod volebat Dauid. Nam eos compellans qui malis oppressi iacebant quasi exanimes, quandam effigiem resurrectionis ante oculos statuit, acsi diceret, Vobis ô mortui restituetur nouus vigor. non quòd intereat fides in Dei filiis, sed quia suffocatum lumen denuo accenditur, vt quodammodo reuiuiscat. Sic alibi dicebat, Comedent humiles, & saturabuntur: laudabunt Dominum inquirentes eum, viuet cor vestrum in sempiternum, Suprà, 22.f.27. q.d. Cor illud mœstũ, abiectum, & emortuum, cor illud in tribulationibus ingemiscens, ad Deum suspirans & clamans, viuet vbi videritis opem Dei miseris esse paratam. Profectò maximam consolationis vim habet si afflicto persuaderi possit quòd sic olim mutatis tristibus in læta gauisurus, & in summo gaudio victurus.

34 *Quoniam audit afflictos Iehoua, & vinctos suos non despicit.*

Quoniam audit afflictos. Causam exponit vnde tantopere lætaturos Dei studiosos iam retinerit, simulque modũ definit, quòd scilicet cõmune sibi documentum gratiæ Dei in Dauide exhibitum persuasi, securè colligent respici inopes, & vinctos non despici. Videmus enim perinde accipere quod vni præstitum fuit acsi Deus reipsa monstrasset se miseris omnibus ad opitulandum præsto fore. Certè versus hic aureus est, & non vulgari consolatione refertus. Non enim dicitur, Audiuit Deus Dauidem, vel hunc, vel illum afflictum sed, Audit Deus afflictos. Nec dicitur iustos & perfectos tantùm audire, sed inopes & afflictos, ne quis quouis modo afflictus ad eum accedere dubitet. *Et vinctos suos non despicit.* Et hoc solatii plurimum addit afflictis quòd vincti Dei dicuntur, sed ita vt illi curæ sint: modò illum viua fide & corde sincero inuocent.

35 *Laudent eum cœli & terra, maria, & quicquid reptat in eis.*

Laudent eum cœli & terra. Hac vltima parte Psalmi pius rex, considerata ac prædicata benignitate ac fide Dei, rapitur in cõsiderationem ac deprædicationẽ salutis populi ac regni eius, quæ iam tum certissimis & omnium euidentissimis iudiciis sese exerere incipiebat. Vnde certius colligere promptum est Dauidem in hoc Psalmo totius Ecclesiæ fuisse interpretẽ, quia nunc in eam transfert quod de se peculiariter dixerat. Aduocat autem ad diuinæ laudis communionem cœlum, terram, maria, & quæcunque in illis mouentur. Qua hyperbolica loquutione ostendit non satis seriò nos esse animatos ad canendas Dei laudes, quarum immensitas totum mundum superat, nisi ascendimus supra sensus nostros. Præsertim verò hunc ardorem accendit in corde Dauidis Ecclesiæ conseruatio. Nec verò dubium est quin Spiritu Prophetico complexus sit totum illud tempus quo regnum & Sacerdotium in veteri populo stare voluit. *Et quicquid reptat in eis.* Vel, omne repens in eis. Videtur hic de regno Christi vaticinatus esse, in quo Euangelium vbique prædicatum effecit vt propiore facta vitæ futuræ immortalitate, suo modo filiis Dei congaudeat tota creatura: sicut & eã congemiscit propter id quod adhuc corruptio illos premit. Similem hyperbolen habet & Psalmus 96.c.11.

36 *Quoniam Deus seruabit Sion, & ædificabit vrbes Iehudah: & habitabunt ibi, & hæreditate accipient eam: & diligentes nomen eius habitabunt in ea.*

Quoniam Deus seruabit Sion. Futura Hebr. pro præsentibus, Deus est qui saluat Siõ, & ædificat, &c. Dauid de Ecclesiæ restitutione verba facturus, ab ea instauratione ordiri quæ eius opera & manu repente post mortem Saulis illuxit, quum tristis dissipatio tam diuini cultus interitum quàm terræ vastitatem minitaretur. Primò autem Sionem dicit saluam fore, quia Deus locum in quo volebat inuocari tuebitur, nec cultum à se præscriptum aboleri sinet. Postea ab Arca fœderis & Sanctuario benedictionem Dei ad totam terram extendit: quia in religione fũdata erat populi fœlicitas. Quoniã ergo templum erat quasi certum pignus gratiæ Dei, Dauid exordium illinc facit, quum vult promittere certam salutem à Domino & sibi & aliis fidelibus, & sedẽ perpetuam. Addit, *Et ædificabit vrbes Iehudah.* Vel, instaurabit ciuitates Iehudah. Hinc videmus cuius sit donum si liceat fœliciter & quietè habitarem in terra: nempe Dei, cuius est ædificare ciuitates, & illius habitatores conseruare. Nisi enim Dominus ædificauerit & custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt & ædificant eã, infrà, 127.a.1. Non est igitur sperandũ in principes filios hominum, in quibus non est salus. *Et hæreditate accipient eã.* Intelligit mutationem in melius non fore momentaneam, sed fixo & stabili Dei præsidio semper incolumẽ fore populum. Iden signi sui auspiciis verè sancitum esse docet quod Deus in Lege promiserat, perpetuo scilicet fore terræ illius hæredes. Quieta enim statio temporali hospitio opponitur: acsi diceret, iã erecto sacro solio venisse tẽpus quo filii Abrahæ absque migrationis timore fruantur quiete sibi promissa.

37 *Et semen seruorum eius hæreditate accipient eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.*

Et semen seruorum eius. Nunc ad posteros extendit quod patribus promissum fuerat, vt filii à patribus, nepotes à filiis possessionem terræ accipiãt. Nam solida bonorum omnium perpetuitas Christo innititur, cuius figura erat Dauid. Porro germani serui Dei, verè credentes sunt: horum semen & posteri, qui eandem fidem colunt. Terra his hæreditaria, viuere ex fide Dei, quæ quodlibet desertum, paradisum reddit, & omnia sanctorum imperio & vsui subiicit, facitque bono esse voluerit. Hæc per afflictiones vt in Christo, ita & Christianis omnibus indicibili successu promouentur. *Et qui diligunt nomen eius.* Confirmat quod diximus, terræ demum hæredes fore qui legitimi erunt Abrahæ filii. Blãditias enim excuti oportet hypocritis, qui freti sola generis origine, quum à fide Patrum desciuissent, terram hæreditario iure suam esse perperam iactabant. Quamuis autem terra illa vsque ad Christi aduentum electo populo data fuerit, meminerimus cœlestis patriæ esse symbolum, ideóque verius hodie ac solidius impleri quod hic scribitur de Ecclesiæ protectione: quia timendum non est ne excidat spiritualis templi ædificatio, in qua cœlestis Dei virtus apparuit. Porro nomẽ Dei diligere, est Deum ipsum volũtè & castè amare & colere, ac eius honorem & amorem cunctis aliis rebus anteferre. Amor hic finis animarũ est ac summa fœlicitas.

ARGVMENTVM PSALMI LXX.

Precatorius est totus hic Psalmus. Orat enim Dauid sibi celerẽ opem, hostibus vltionẽ, gaudium ex sua salute sanctis.

PRæfecto ipsius Dauidis, ad reminiscendum.

Præfecto. Vel, Victori. Vide Suprà, 4. a.1. *Ad reminiscendum,* Vel, ad commemorandum. Vide Suprà, 38.a.1. Quidam vertunt, ad narrandum. id est, Psalmus memoria dignus. Videtur hoc adiecisse Propheta quòd Psalmus iste formulam

orandi contineat quã sequi debent fideles. [e]Vel, quia istos quinque versus sequẽtes aliũde sumptos in specialẽ aliquem vsum Propheta accõmodauerit. [v]Nũ desumptus est hic Psalmus ex Psalmo 40, à 14 versu ad finem vsque. Vide & Psalmi 35 versum 26, & 27.

2 *Deus ad liberandum me, Iehoua ad auxilium meum festina.*

3 *Erubescant & pudefiant qui quærunt animam meam: conuertantur retrorsum, & pudefiant qui optant malum meum.*

4 *Perdantur super mercedẽ pudoris sui qui dicũt mihi Euge, euge.*

Deus ad liberandum me. [a]Vel, Deus vt eruas me. Quidam, Deus in adiutorium meum intende.

Erubescant & pudefiant. [m]Vel, & reuereantur.

Perdantur super mercedẽ. [v]Vel, Conuertantur, Reuertantur retrorsum, Retrò agantur, Repellantur, Abeant retrorsum. q.d. frustrati spe sua abeant, pro mercede pudoris quo me afficere conabantur. Hic enim pudor siue confusio actiuè accipitur: quia non intelligit Dauid cõfusionem quæ obruet hostes, sed quam ipsi moliti sunt. *Super mercedem.* [v]Vel Mercede. Alii, In finẽ. q.d. Tandem obruas eos cõfusione, vt pereant. Alii, Pro vestigio, id est fraude & occultis insidiis. Id est, Pudore affecti abeunt quòd insidiati mihi sint, quum tamen de illis optimè meritus fuerim.

5 *Exultent & lætentur in te omnes qui te quærunt: & dicant, Semper magnificetur Deus, qui diligunt salutem tuam.*

Exultent & lætentur in te. [a]Agit de lætitia quam fideles ex eius liberatione concipere debebant. *Magnificetur Deus.* Hæc verba sunt interposita (quod frequens est Hebræis) pro, Et qui diligunt salutem tuam, dicant, Semper magnificetur Deus. q.d. Qui abs te solo, non ab humanis præsidiis aut suis consiliis opem quærunt, dicant perpetuò, Magnus habeatur vel appareat Deus.

6 *Ego autem pauper & inops, Deus festina ad me: auxilium meum, & liberator meus es tu. Iehoua ne tardaueris.*

Ego autem pauper. [a]Vel, Ego autem afflictus. *Deus festina ad me.* [a]Quia periculum vrgebat, precatur Deum vt auxilium acceleret.

ARGVMENTVM PSALMI LXXI.

[a]Dauid in periculo, vt creditur, cõiurationis Absalon constitutus, opem Dei aduersus coniuratos implorat: [c]& de hostium suorum superbia ac sæuitia conquestus, se confirmandæ suæ fidei causa ad testãdam gratitudinem cõparat & accingit.

I*N te Iehoua speraui, ne pudore afficiar in æternum.*

In te Iehoua speraui. [a]Quidam, In te Iehoua confido. [v]Vel, præsidium meum collocaui. [m]Quia Psalmus hic titulo caret, nonnulli putãt eum superiori coniungendum, [a]quòd communia etiam argumenti esse videatur. [c]Et quia in sequentibus senectutis suæ meminit Dauid, probabile est scriptum fuisse de conspiratione Absalon. [m]Orat autem Propheta vt liberetur & eripiatur è manu hostium impiorum ac violentorum. [c]Et quia nobis ad Deum accedentibus sola fides ianuam aperit, vt vir sanctus impetret quod postulat, testatur suo more se non concipere fictas preces, sed seriò ad Deum cõfugere: quia certò persuasus sit in eius manu repositã esse suam salutem. Nam qui circumagitur huc & illuc, & spes suas variè pactitur, vel trepidè secum disputat, vel cõtumaciter respuit Dei auxilium, vel impatienter fremit ac tumultuatur: indignus est cui opituletur Deus. [c]Vnde Iacobus ait, Qui hæsitat, is similis est fluctui maris qui vento agitur & impetu capitur. Neque enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino, Iac. 1.a.6. *Ne pudore afficiar.* [a]Vel, ne pudefiam. *In æternum.* [c]Hæc particula duplicem sensum admittit, sicuti iam diximus Suprà, 31.a.1. Nam vel tacita est antithesis inter præsentes ærumnas, & lætiorem exitum quem sperabat Dauid: (acsi dixisset, Domine nunc quidem iaceo velut confusus, sed non erit hæc perpetua confusio. efficies enim vt aliquando liberer) Vel, Non pudefiet in seculum, tantundem valet ac nunquam pudefieri. [m]Et notandum est Prophetam non tam suiipsius quàm diuini nominis horrere confusionem. acsi diceret, Domine ne sinas eos qui spem ponunt in te, ludibrio haberi & confundi. Ego spem omnem in te posui, & tu omnino is Deus es qui pro bonitate ac fide tua nequis deserere sperantes in te. Si passus fueris vt confundar, vt aduersarii triumphent, vt videar frustra in te sperasse, certè ista confusio erit probro nomini tuo. Quum igitur notum sit quòd spem ac fiduciam in te collocarim, precor Domine ne patiaris me confundi, & in mei confusione gloriam fidei ac veritatis tuæ obscurari.

2 *In iustitia tua eripe me, & erue me: inclina ad me aurẽ tuam, & serua me.*

3 *Esto mihi in rupem fortitudinis, in quam ingrediar semper: mandasti ad seruandum me, quia petra mea & munitio mea es tu.*

In iustitia tua eripe me. [v]Futurum Hebræũ pro imperatiuo, siue optatiuo, eripias. Vide secundum versum Psalmi 31.

Esto mihi in rupem fortitudinis. [a]Vel, Sis mihi robustum habitaculum. Vel, in rupem roboris. [v]Frequentes nanque erant rupes in terra sancta, in quas se recipiebant metu hostium. [m]Admonet ergo similitudine satis accommoda protectionem Dei esse instar munitionis in petra sublimi ac forti collocatæ, ad quam non sit hostibus accessus. Sic Solomon, Turris fortissima nomen Domini, Prouerb. 18.b.10. *In quam ingrediar semper.* [c]Breuiter reperit Dauid ita expositam sibi esse opem Dei vt tutum receptũ inueniat quoties periculi aliquid instabit. Hoc est, Domine semper mihi apud te parata sit defensio, & quoties ad te confugiam, propitius occurras. [a]Sunt enim arces quædam firmæ satis vt tueantur qui in eas venerint, at nõ patent semper adeũtibus. Vt igitur Dauid tutus semper sit à periculis, orat vt in protectionem nunquam non confugere possit. *Mãdasti ad seruãdũ me.* [v]Vel, præcepisti seruare me. [a]Ad Angelos restringere mandandi verbum necesse non est: quia etsi illorum opera vtitur Deus ad suos tuendos (sicuti dicit Apostolus, Hebr. 1.d.14) quia tamen innumera media seruandi penes eũ sunt, simplicius intelligimus, Deum mandare de suorum salute quod decreuit, quoties fauorem suum palàm exerit aliquo signo, & nunc solo nutu, nunc per homines vel alias creaturas exequitur quod apud se statuit. [v]Mandasti ergo, id est apud te statuisti, ac promisisti. Mãdatum istud est in verbo Dei & promissionibus. [c]Interea dubium non est quin significet Dauid Deo sufficere suum imperium, quanuis aliunde subsidia non accersat: acsi diceret satis ad nos seruandos authoritatis esse in solo Dei præcepto. [m]Ea enim est omnipotentia verbi & imperii Dei, vt vbi dixit ac mandauit, facta & creata sint omnia. Sicuti habetur Infrà, 148.a.5. [a]Hoc ipsum agnouit centurio in Christo Seruatore, quum diceret, Tãtùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

4 *Deus mi eripe me è manu impij, è manu peruersi & violenti.*

Deus mi eripe me. [m]Iterum fidem suam confirmat ex Dei natura & munere. acsi diceret, Proprium Dei officium est seruare & liberare suos: tu Deus meus es: igitur eripe me de manu impii. Quem enim implorabo vt me eripiat, nisi te vnum, qui Deus meus es? *E manu impij.* [c]Quanquam numerus singularis ponitur, non tamẽ vnum modò hominem designat: quia credibile est totas hostium copias, de quibus oppugnabatur, complecti. Plurimum verò ad impetrandi fiduciam valet vbi nobis cõscii sumus propriæ integritatis, vt liberè coram Deo cõqueri liceat iniustè nos & sceleratè ab hostibus oppugnari. Quia minimè dubitandum est quin causam nostram Deus suscipiat qui patronũ se fore promisit iniustè oppressis. [m]Nõ abs re ergo Dauid, malitia aduersariorum considerata, quales sint à quibus premitur commemorat, vt facilius diuinam opem impetret. *E manu peruersi & violenti.* [m]Dicit hostes suos, homines esse absque vllo metu Dei, irrequietos, malitiosos, & peruersis ac turbulentis affectibus raptos. Nam vi iniusta & violenta temerèque virum innoxiũ persequebãtur, [a]& regẽ à Deo creatum è solo deiicere maligne conabantur.

5 *Quoniam tu es expectatio mea, Domine Iehoua, fiducia mea, ab adolescentia mea.*

Quoniam tu es expectatio mea. [c]Non refert hic simpliciter se in Deum sperasse, sed experientiam quoque simul adiungit: fateturque sibi iam à puero exhibita fuisse gratiæ documenta, ex quibus discere potuerint nonnisi in solo Deo recumbendũ esse. [m]Primùm itaq; ostẽdit qua erga Deum spe sit & expectatione. q.d. Deus meus es, eripe me. Nam in te omnem spem meam posui: opem tuam non vlterius cuiusquam expectaui, tanquam eius quem verum Deum & meum Deum agnoui, & colui à iuuentute mea. *Deus fiducia mea.* [a]Non superuacua est hæc repetitio. nam & ardentem orantis animum ostendit, & eius fidem non parum confirmat. *A pueritia mea.* [v]Vel, à iuuentute mea. [m]Q.d. Non iam solùm, sed hactenus semper, per omnem vitam meam expectatio mea & spes mea es tu. Hoc est, Nullum alium vnquam Deum habui præter te vnum. nam in neminem alium per omnem vitam meam speraui quàm in te vnum. Siquidem ab adolescentia mea, à iuuentute mea, ab eo tempore quo facultate rationis humanæ vti cœpi, tu es expectatio mea & spes mea. Quum igitur nullum alium Deum à iuuentute mea præter te vnum habuerim, quomodo potero nunc in tribulationibus constitutus te non inuocare, & quomodo poteris tu me deserere? [c]Etsi ergo ab effectu ipso realem (vt ita loquamur) fidei causam designat, colligere tamen inde licet quàm efficax ad fouendam spem eius fuerit beneficiorum Dei recordatio. [m]Quum adhuc adolescens esset, di-

cebat ad Saulem, Deus qui eripuit me de ore leonis & vrsi, ipse me liberabit etiam de manu incircuncisi huius, 1. Samuel. 17.e.37. Proinde admonendi sunt hic parentes vt liberos ab adolescentia in pietate ista, cognitione, fide, ac spe Dei instituant. Nam Quod noua testa capit inueterata sapit.

6 *Super te sustentatus sum ab vtero, è visceribus matris meæ tu extractor meus es: in te laus mea semper.*

Super te sustentatus sum. [v] Vel, Tibi innixus sum. [c] Hic versus cum superiore cohæret, nisi quòd longius progreditur Dauid. Celebrat enim non modò quæ è puero expertus fuerat beneficia, sed quibus, antequam in lucem ederetur, tam affectus fuerat. [b] Eadem penè habentur Suprà, 22.c.10.11. Et certè laudandi Dei materiam, vt & à bonitate eius firmiter pendendi, habebit amplissimam quisquis diuinæ bonitatis circa se adhuc in vtero materno delitescentem, & inde à materna adhuc cura pendentem, miracula diligenter considerauerit. [c] Nam si ad historiam diluuii obstupescimus, dum refert Moses in fœtida stercorum cōgerie Noe vixisse cum familia decem menses, quum vitalem spiritum trahere non liceret: cur non æquè mirabimur fœtum matris vtero inclusum vitam in sordibus degere quæ semihoræ spatio robustissimos quosque suffocarent? Sed ita scilicet nobis vsu vilescunt Dei miracula. Spiritus autem non abs re ingratitudinem bene castigat, tam memorabilem Dei gratiam in ortu nostro commendans. Iam quum edimur in lucem, quamuis mater officium suum præstet, adsit obstetrix, multique alii opitulentur, nisi tamen Deus manum suam quodammodo supponens susciperet nos in suum gremium, quid nobis fieret? & quæ spes esset prorogendæ vitæ? Imò exitus ab vtero ingressus esset in mille mortes. Quare nō abs re vocatur Deus extractor ab vtero. Cui etiam respondet clausula versus, In te laus mea semper. Significat enim materiem laudandi Dei sibi continua serie fuisse suggestam. [v] Quasi dicat, De te glorior indesinēter. [m] Vel, Vt in neminem alium spem meam posui à iuuentute mea præterquam in te vnum, ita neminem alium laudem præter te: omnis mea deprædicatio de te fuit.

7 *Tanquam prodigium fui magnis, & tu fiducia mea prævalida.*

Tanquam prodigium fui magnis. [a] Vel, Quasi portentum fui multis. [m] Queritur se quasi prodigium factum esse multis, & quidem huius seculi proceribus. quod nihil aliud est quam q passim declinabatur, quasi monstrum quoddam esset. Habebatur tanquam proiectus à Deo, atque fabula erat multis, & deridebatur. Etiam qui amici fuerant, ab illius consortio abstinebant. [c] Etsi autem aliqua in speciem repugnantia est in his verbis, Dei beneficiis semper fuisse ornatum, & prodigii loco habitum, quia miserè afflictus esset: vtilissimam tamen doctrinam elicimus, nulla calamitatum mole obrutum fuisse quem de bonitate Dei gustum conceperat. Quamuis ergo se abominationi esse videret, non potuit tamen vllis tenebris extingui memoriæ bonorum quæ ad fidem dirigendam instar lampadis erat in eius corde. Portenti verò vel prodigii nomine non vulgaris calamitas exprimitur: quia nisi insolito modo oppressus fuisset, non exhorruissent ad tātam deformitatem quibus non ignota erat misera hominum conditio. ([m] Sic & Apostolus se dicit spectaculum factum esse Angelis & hominibus, 1. Corin. 4.b.9.) [b] Quo magis laudabile specimen cōstantiæ fuit in sanctis istis viris non frangi nec debilitari pudore: sed, quo magis eiiciebantur è mundo, magis in Deum recumbere. Aduersatiuè enim debet resolui sentētia, Quamuis instat prodigii execrentur eum homines, Deo tamē subnixum firmiter stetisse. [a] Porro si de multis intelligatur hæc querimonia, sensus erit, [c] vulgo notas & celebres fuisse miserias Dauidis, ac si in theatrum productus, populi oculos in se cōuerteret. Melius tamen cōueniet de magnis vel proceribus intelligere. Hæc verò indignitas quamlibet fortes animos nō leuiter percellit, si miserū hominem horrori habeant qui videntur prudentia & iudicio excellere, & qui authoritate prædìti sunt. [a] Et tamen istud omnibus Dei filiis vt plurimum accidere solet. [m] Nam mundus eos qui vel vitæ emendatione à se defecerunt, vel aliam quàm cui ipse assuetus est doctrinam, & alium cultum sequuntur, & quos Deus variis tentationibus exercet, mundique potentibus inuisos reddit, atque de loco in locum iactat, portenti instar vitare & fugere solet. Vide Esa.8.d.18. *Et tu fiducia mea prævalida.* [a] Vel, Attamen tu fiducia mea robusta. [m] Innuitur quidem his verbis quàm forti Dauid erga Deum in istis afflictionibus fiducia præditus fuerit, verùm nos admonemur nō solùm vbi à mundo portentorum ac monstrorum loco haberi incipimus, bona fiducia ad diuinū confugiendū esse auxilium, sed & opus esse forti ac constanti fiducia, hoc est, non vulgari & leuiuscula quadam, sed omnino singulari & inuicta.

8 *Repleatur os meum laude tua, tota die gloria tua.*

Repleatur os meum laude. [a] Quidam legunt, Repleatur os meum laude, [m] vt sit precatio qua eripi cupiat Dauid à periculis. Sed præstat futurum verbi tempus retinere. [c] Nam Propheta, quasi potitus voto suo, futuræ gratitudinis testimonium addit: & quo alacrius in bonam spem assurgat, plenis buccis se Dei laudes cantaturum promittit. [b] q. d. Erit adhuc vt repleno ore laudem, & magnificentiam bonitatis tuæ copiosè deprædicem. *Tota die gloria tua.* [c] Significat se non semel laudaturum Deum, sed infatigabili perseuerātia, [a] & irremissa exultatione. [v] Quasi dicat, Quotidiana erit ista meditatio mea, vt celebrem tuum auxilium. [a] Hunc in modum alibi quoque dicebat, Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34.a.2.

9 *Ne proiicias me tempore senectutis, quum defecerit virtus mea ne derelinquas me.*

Ne proiicias me tempore senectutis. [b] Ex eo quod secum reputasset vti à Domino formatus esset in vtero, eius bonitate inde extractus & in lucem editus, atque vsque in eam quæ tum erat ætatem à puero alitus, fotus & defensus, confirmatus sancta fiducia, rursus precatur (& quidem animo iam pacatiore, & spe alacriore) vt & seni sibi viribusque imbecilliori adsit quā sibi inde à materno vtero benignè adeo semper adfuisset. [c] Nam quo nos magis deficiunt vires, sicuti ipsa necessitas ad Deum quærendum sollicitat, sic etiam speranda est eius ad nos iuuandos propensio. [m] Certum est enim senectutem esse multæ infirmitati obnoxiam, cuius sanè gratia meritò obnixius cogimur diuino niti subsidio. Nam ipsa nos ad hoc adigit imbecillitas, quæ diuino consilio nobis senibus imponitur, vt veluti iam ad cœlestia migraturi, hoc maiore serio incipiamus à Deo pēdere, quo præsentius propriam sentimus infirmitatem. [a] Ergo non abs re Dauid orat Dei auxilium & opem, tempore senectutis. [c] Quasi dicat, Domine qui me vegetum in flore ætatis sustinuisti, ne iam caducum & fere emarcidum destituas: sed quo magis tua ope indigeo, te ad misericordiam flectat meus defectus. [a] Quid enim nautis prodesset varia pelagi pericula nauigando effugisse, si in ipso portu naufragium orta tempestate paterentur? *Quum defecerit virtus mea.* [a] Hæc maioris vehementiæ & amplioris expositionis gratia addita sunt. [c] Ex hoc versu non temere colligunt multi (sicuti initio Psalmi attigimus) sermonem haberi in hoc Psalmo de coniuratione Absalom. Et certè horribile illud & tragicum spectaculum facere potuit vt nō modò promiscuum vulgus, sed qui pollebant grauitate, quasi à monstro detestabili auerterent oculos, quum filius patrem regno expulsum per ipsa quoque deserta ad necem quæreret.

10 *Quia loquuti sunt inimici mei de me, & obseruantes animam meam consultarunt simul,*

Quia loquuti sunt inimici mei. [v] Præteritum Hebræum pro præsenti, vt quidam volunt, Loquuntur inimici mei contra me. [b] Vel, De me conspirantes loquuti sunt. [b] Vel, De me cogitauerunt. *Et obseruantes animam meam.* [a] Hoc est, qui vitæ meæ insidiantur. Vel, qui me quærunt vt perdant & interimant. *Consultarunt simul.* [v] Vel, Consilium inierunt pariter.

11 *Dicendo, Deus dereliquit illum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.*

Dicendo, Deus dereliquit illum. [c] Alia circunstantia Dei misericordiam sibi conciliat Dauid: quòd maiore licentia in ipsum sæuiant improbi, dum existimant à Deo ipso reiectum ac proditum. Scimus enim pessimis etiam quibusque crescere animos & audaciam vbi innoxios vexando fingunt sibi nihil cū Deo esse negotii: quia non modò spes impunitatis eos confirmat, sed etiam de successu gloriantur, vbi nihil ad cohibendam eorum libidinem obstaculi apparet. [a] Dicebant inter se hostes Dauidis, [b] Abiecit eum Deus, quo se vertet miser? En apta eum perdendi occasio. Ipse enim, quum imbecillis sit ex sese, ab amicis derelictus, infensus omnibus, grauis, atq; adeo tandem ab vniuersis destitutus: quid quominus tam debile confringi queat vas obstare poterit? *Persequimini, & comprehendite eum.* [b] Hoc est, Instate ò coniuratores, atque vsq; eo vrgete vt comprehēdatis. nam qui illum è manibus nostris eximat inuenietur nullus. Sed heu perfidorum insaniam. [c] Et tamen quod tūc Dauidi accidit, filiis Dei prope ordinarium est, vt nihil non audeant contra ipsos improbi, dum sibi diuinitus in prædam expositos esse fingunt. Quia enim Dei gratiam præsenti tantùm fortuna metiuntur, quoscunque affligi patitur, contemni, relinqui, & proiici ab eo putant. Hinc se ad quid-

ois tenendum mutuò hortantur & acuunt, quia miseris nullus sit futurus vindex. Atqui proterua hæc eorum insultatio vicissim animos nostros debet erigere: quia Dei gloriæ interest reipsa comprobari quod toties promittit, pauperibus & afflictis se opem laturum. [V] Adhæc, censendumne est amantissimos liberorum parentes mœstos teneri infantis non audire vagitus, non lachrymas, non clamores? Atqui multo propensiori affectu in nos diuina mouetur clementia, quàm solet in filios nutrix anxia, aut mater. [A] quemadmodum Dominus ipse per Prophetam testatus est, Esa.49.d.15, & Infrà,91.c.15. *Quia non est qui eripiat.* [A] Quasi dicat, Si Deus illum deseruit, quis è manibus nostris eruere poterit? Hæc est impiorum securitas, & stulta confidentia, qua putãt impune posse piis molestiam facere, quum præsenti Dei auxilio destituãtur. [C] Neque tamen quòd sibi veniam à Deo promittunt huiusmodi hostes, hæc stulta eorum imaginatio culpam extenuat: quin potius bis in Deum sunt contumeliosi, eripiendo quod ei maximè proprium est. [A] Nam proprium eius munus est calumniam sustinentibus adesse, panem esurientibus porrigere, compeditos soluere, cæcis lumen dare, collapsos erigere, iustos quamlibet afflictos & oppressos diligere, aduenas custodire, orphanum & viduam subleuare. in summa, piis omnibus fauere, & viam impiorum exterminare, Infrà,146.c.7.8.9.

12 *Deus, ne elongeris à me: Deus mi ad auxilium meum festina.*

Deus, ne elongeris à me. [M] Iterum desertionem sui deprecatur, ne fiducia, quam toto vitæ suæ cursu in Deum posuerat, probro & confusioni exponeretur. [B] Difficilis certè & aspera fuit illa tentatio, quum illum statuerent impii à Deo eiectum esse. Neq; enim vocem hãc inconsideratè spargebant: sed quum visi essent omnia prudẽter expendere, quasi de re cõperta ferebãt sententiam. Ideóq; heroicæ fortitudinis fuit superare peruersa eorum iudicia, vt Deum nihilominus sibi propitiũ esse consideret Dauid, & familiariter ad eum confugeret. Nec dubium est quin Deum suum appellans, grauem illum durumque insultum hoc clypeo repellat. [A] Quasi dicat, Etsi impii existimant me penitus abs te desertum, scio tamen quanto fauore me hactenus sis prosequutus, imò verò fieri non posse cõfido vt eum penitus destituas quem ab vtero matris in tuam tutelam benignè suscepisti. *Ad auxilium meum festina.* [M] Orat pro diuini auxilii maturatione, ne, si illud differatur, verisimile videatur quod improbi iactabãt, Deus dereliquit eum. [B] Et certè moram Deus nectere non potuit, quum impii conarentur persuadere, à Deo deseri qui in ipsum certa fide & syncero animo confidunt, qualis hic sanctus erat.

13 *Pudore afficiantur, pereant aduersarij animæ meæ: operiantur probro & pudore quærentes malum meum.*

Pudore afficiantur. [V] Vel per futurum, Confundentur, Pudefient. [C] Nam Dauid sua precatione defunctus sæpe insurgere solet contra hostes, & quasi triumphum de ipsis agere. Quòd si legere placeat Pudefiant vel Pudore afficiantur, dicemus Dauidem, auxilium Dei implorantem, simul solida fide precari vt pudefiant aduersarii donec consumpti fuerint. [M] Quasi dicat, Quin potius confundantur ipsi qui me confundi volũt, [B] & pudefacti documento sint, timẽtes Deum ab eo non posse deseri. *Operiantur probro & pudore.* [M] Hoc est, conatibus suis frustrati incipiant pudefieri, nec causam habeant gloriandi quòd victores facti sint. *Quærentes malum meum.* [A] Id est, qui malitiose vitæ meæ insidiantur. Nunquam sic de hostibus suis loquutus fuisset Dauid nisi eos planè desperatos agnouisset.

14 *Ego autem semper expectabo, & adijciam super omnem laudem tuam.*

Ego autem semper expectabo. [M] Vel, Sperabo, opem videlicet Domini. Moderatio est eius quod dixerat, Ad auxilium meum festina. Licet enim cuperet accelerari auxiliũ Dei, indicat tamen se spem non abiecturum, etiamsi non confestim liberetur. [C] sicuti hæc vera est fidei probatio, attẽdere ad solam Dei promissionem, vt sola eius luce per densissimas afflictionum tenebras regatur. Hoc igitur sperare vel expectare cuius meminit Dauid, ex certaminibus quæ tunc sustinuit æstimandum est. [M] Carnis ingenium est petere vt festinet liberatio: spiritus verò consideratio est expectare tẽpus à Deo destinatum. [A] Nouit enim Deus pios de tentatione eripere, 2.Petri 2.b.9. nec illi tempus liberationis præscribi oportet, quum omnia æquissimo consilio moderetur & regat. *Et adijciam super omnem laudem tuam.* [V] Singulare pro plurali, laudes tuas. [C] Hic demonstrat Dauid quàm securus sit de optabili exitu. perinde enim est ac si diceret, Domine, quia pridem ad tua beneficia assuefactus sum, non dubito quin noua accessio nouam quoque materiam mihi datura sit celebrandæ tuæ gratiæ. [M] Hic pius Prophetæ affectus satis ostendit, synceros Dei cultores in hoc totos esse vt Deum reddant omnibus quàm laudatissimum.

15 *Os meum narrabit iustitiam tuam, quotidie salutem tuam: quia non cognoui numeras.*

Os meum narrabit iustitiam tuam. [B] Clarius exprimit quale laudis sacrificium Deo offerre instituat, assiduum iustitiæ & salutis eius præconem se fore affirmans. [V] Iustitia Dei hoc loco refertur ad fidem promissam, quam seruat suis postquam eos suscepit in suam tutelam. quia nunquam illos abiicit, sed tuetur perpetuò, dum cultores suos fouet, defendit ac liberat. [C] Atque hinc nascitur inæstimabilis consolatio, dum salutem nostram audimus ita inniti Dei iustitiæ vt eandem cum hac firmitudinem habeat. [A] Tam enim possibile est nos qui in Deo speramus perire, quàm possibile est Deum seipsum abnegare. *Quotidie salutem tuam.* [C] Salutem Dei hoc loco actiuè sumitur. eam iustitiæ adiungit Dauid, tanquam causæ effectum: quia non aliunde persuasus erat se fore saluum nisi quia iustus erat Deus, nec seipsum abnegare poterat. Iam quia toties ac tam variis modis, támque mirabiliter seruatus fuerat, ideo continuum sibi studium fore dicit celebrandæ gratiæ Dei. [V] Quasi dicat, Equidem celebrabo perpetuò fidem tuam, quam seruas in liberandis tuis. *Quia non cognoui numeros.* [B] Quidam sic vertunt, Tametsi non nouerim numeros. Id est, quamuis salus tua sit mihi incomprehensibilis, & excedat captum mentis meæ. Sed propria significatio כי melius conuenit, Quia non noui numeros, subaudi, beneficiorum tuorum. quasi dicat, Quia tot sunt beneficia tua vt nullo numero comprehendi possint, ideo quotidie celebrabo tuam salutem. Nam nihil est quod nos magis excitare debeat, & studium nostrum accendere ad laudes Dei canendas, quàm vbi toties & tot ac tam variis modis nos iuuetur vt bonitas eius immensa sit erga nos. Discamus ergo non leuiter & quasi cum fastidio gustare Dei bonitatem, sed sensus omnes nostros extendere ad eius amplitudinem, vt nos in admirationem capiat. [M] Et sanè ita comparatus est grati animi affectus, vt nec multitudinem nec amplitudinem beneficiorum acceptorũ satis deprædicare queat. [C] Porro mirum est quomodo in mentem venerit Græco interpreti vertere, Non noui literaturam. Indignus error est notatu, nisi quòd olim fanatici homines, vt sibi applauderent in sua inscitia, iactabant Dauidis exemplo spernendas esse omnes literas, & scientias liberales: sicut hodie Anabaptistæ non alio prætextu se pro spiritualibus venditant nisi quòd omnis scientiæ sunt expertes.

16 *Incedam in fortitudinibus Domini Iehouæ: recordabor iustitiæ tuæ solius.*

Incedam in fortitudinibus. [C] Vel, In fortitudines tuas ingrediar. [C] Sicuti enim in periculis animos nostros occupat trepidatio & anxietas, quia ad reputandam Dei vindictam non satis sumus attenti: ita vnicum leuandæ in malis anxietatis remedium est, penetrare in Dei fortitudines, vt nos vndiq; muniant. Sed optimè conuenit altera lectio, Incedam in fortitudinibus. Incedere autem tantundem valet ac manere in firmo ac perpetuo statu. Etsi enim non sine molestia nituntur fideles, neque alacriter volitant, quin potius præ lassitudine gemunt: quia tamen obstacula & difficultates inuicta animi magnitudine superant, neque retrocedunt, neque declinant à recta via, si item desperatione non concidunt: ideo dicuntur pergere donec cursum absoluerint. In summa, gloriatur Dauid se nunquam frustratum iri Dei auxilio, donec ad metam pertigerit. [V] Quasi dicat, Etiamsi longè plura & grauiora mala mihi impẽdeant, ego semper incedam, fretus eius virtute. Nam seruator est meus, & satis est illi potentiæ & fortitudinis ad me liberandum. Hic genuinus est huius loci sensus. Nonnulli tamen sic exponunt, Aggrediar narrare fortia facta tua. Vel, Adiiciam animum ad contemplandam fortitudinem tuam, qua vteris in iuuandis tuis. Alii, Prodibo ad bellum fretus Dei virtute. Sed hoc nimis restrictum est. *Recordabor iustitiæ tuæ.* [C] Quia nihil in hac tanta infirmitate difficilius vel rarius est quàm perseuerare, sensus omnes suos colligit Dauid ad vnam Dei iustitiam. Quòd enim se tantùm illius memorem fore dicit, huc spectat, se relictis omnibus prauis fiduciis, quibus totus ferè mundus circumagitur, in Dei protectione fore prorsus defixum, ne vagetur post suas imaginationes, vel huc & illuc abstrahatur. Nam iustitia Dei iterum fidem in seruandis promissis significat, qua se æquum & rectum & veracem probare vult erga suos cultores. Quare verba Dauidis in alienum sensum torserunt qui hanc Dei iustitiam meritoriæ hominũ iustitiæ opposuerunt. *Solius.* [C] Hæc particula ostendit hanc Dei iustitiã perpetuò nobis obiiciendam esse. Nisi enim arctè ad eam restringimus sensus omnes nostros, miras habet illecebras Satan, quibus nos in vanitatẽ abducat. Simul enim ac variæ spes obrepserint, nihil procliuius est quàm diffluere: & quisquis Dei gratia non contentus,

vel tantillum subsidii aliunde accerset, documentum suo lapsu aliis præbebit quàm euanidæ sint omnes mundi fulturæ, quæ Dei auxilio miscentur. [A]Etenim vana est salus hominis, Suprà, 60.c.13. Sola autem spes in Deo reposita non confundit, Roman.5.a.5. [V]Quòd si in externo vitæ statu gradum aliter tenere non potuit Dauid quàm se, abdicatis omnibus aliis fiduciis, reiiciendo in Dei iustitiam: vbi de spirituali æternáque vita agitur, si vel minimum delapsi fuerimus à gratia Dei, qualis futura est nostra firmitas? Negari igitur non potest quin partitio quam inter liberum arbitrium & Dei gratiam comminiscuntur Papistæ, miseras animas in ruinam præcipites agat.

17 *Deus docuisti me à pueritia mea, & huc vsque annuntiabo mirabilia tua.*

Deus docuisti me à pueritia mea. [A]Vel, Ab adolescentia mea. Vel, A iuuentute mea. [C]Iterum recitat quantopere obstrictus sit Dei beneficiis, non modò vt se ad gratitudinem hortetur, sed vt spem suam continuet in futurum tempus, sicuti patebit ex proximo versu. [V]Tu ostendisti (inquit) quantopere debeam tibi confidere. [M]nam ostendisti mihi fortitudinem, iustitiam & veritatē tuam, intelligētem me fecisti per mirabilia tua. [V]Deus dupliciter suos docere dicitur. Verbo docet, quum promittit, etiamsi rem ipsam non ostendat oculis. Docet etiam effectu, quum succurrit in necessitatibus, & manum suam porrigit. [C]Secunda species hic notatur, quòd scilicet à pueritia vsque continuis experimētis didicerit Dauid nihil melius esse quàm recumbere in vnum Deum. [M]Et hic modus docendi est omnium efficacissimus & viuacissimus. Hinc videmus, eos qui nullis aduersitatibus exerciti sunt, planè rudes esse in cognitione Dei, & in fide infirmissimos. Vt enim miles multis bellorum periculis exercitatus, rerum militarium sētentia & intelligentia instructior est neophyto: ita certè Christianus multis aduersitatibus iactatus, fide & cognitione Dei instructior est multo illis qui pari modo afflicti non sunt. *Et huc vsque annuntiabo.* [V]Quidam, Annuntio. Alii, Annuntiaui. *Mirabilia tua.* [V]Vel, Abscondita tua. Hoc nomine exprimitur magnitudo gratiæ Dei. [C]Itaquē Dauid, ne vnquam pœniteat hac reali doctrina, testatur se in ea rite profecisse. Nam in hunc finem mirabilium Dei se præconem fore dicit ne sua ingratitudine beneficentiæ Dei cursum abrumpat. [V]Significat etiam his verbis se non fuisse edoctum vna gratia, neque semel, sed perpetuò. Et quoniam non desierat monere ipsum, & multis documentis testatus fuerat se curam salutis eius habere, nihil aliud supererat nisi vt eius mirabilia celebrare non cessaret. [M]Illud autem obseruandum, quòd Dauid beneficia diuini auxilii in rebus aduersis toties accepti vocat mirabilia. Quo sermone primùm innuit quàm grauibus sit iactatus periculis, deinde quàm potenti Dei manu contra omnium spem sit ex illis ereptus. Ergo Deus mirabilis est in sanctis suis: & ad hoc faciunt aduersitates sanctorum vt declarentur in illis mirabilia Dei.

18 *Quin & vsque ad senium & canitiem Deus ne derelinquas me: donec annuntiem robur tuum generationi, omni qui venturus est fortitudinem tuam.*

Quin & vsque ad senium. [M]Iterū precatur ne deseratur ad seniū vsque. [C]Hæc verò precatio ex versu superiore pendet. nam sic ratiocinatur Dauid, Quum te ab initio semper tam liberalem ostenderis ò Deus, nunc quum me deficere vides, nonne manum porriges ad opitulādum? [A]Aut, Deserésne eum quem tot ac tam variis beneficiis hactenus prosequutus es? [C]Atque omnino sic statuendū est, postquā nos adhuc infantes dignatus est amore suo Deus, pueros complexus est eodem fauore, totóque vitæ curriculo benefacere non desiit, fieri non posse quin sibi ad extremum constet. Ideo particula גּ illatiuè accipitur: acsi colligeret, Deum cuius nunquam exhauritur bonitas & qui mutabilis non est instar hominum, eundem erga senes fore qui fuit erga pueros. *Donec annuntiem robur tuum.* [A]Vel, Brachium tuum. Vel, Potentiam tuam. [C]Alio argumento precationem suam confirmat, quia si fatiscat in senio, simul etiam euanescet Dei gratia qua hactenus fuit sustentatus. Nam si gratiam suam Deus tenui gustu libatam mox subducat, non vltrà ad momentum vigebit eius memoria: si verò pluribus suis beneficiis ornatos in extremo vitæ actu deserat, hoc etiam modo gratiam perdet eius liberalitas. Se ergo ad finem vsque iuuari Dauid postulat, vt posteris commendet æquabilem gratiæ Dei cursum, ac in morte ipsa testetur, Deum fideles qui ad eum confugiunt, nunquam frustrari. [V]Mirus feruor Dauidis in celebranda bonitate Dei. Non enim voluit suis æqualibus tantùm & præsenti seculo illam esse testatam, sed posteris quoque. Subdit enim, *Generationi, omni qui venturus est.* [A]Vel, cunctis venientibus. [C]Per generationem & eos qui venturi sunt, filios & nepotes intelligit, ad quos non aliter potest gratiæ Dei memoria propagari, donec numeris omnibus absoluta cursum suum compleuerit. [V]Acsi diceret Dauid, Perge Domine seruare me vsque ad finem vitæ meæ, donec &c. siue, vsqueadeo vt laudes quas tibi canā, perueniant ad futuras generationes. [M]Ergo Dauid posteritatis rationem habet, vt & illa in cognitione Dei instituatur. Videbat seculi tantam esse inconstantiam vt statim à via veritatis ad vana deficiat. Hinc vsu fit vt post mortem eorum qui veritatis scientia mundum singulariter illustrant, confestim redeant ignorantiæ tenebræ, & euanescat pristina veritatis cognitio. Sic legimus Israelem Domino seruiuisse cunctis diebus Iosue, Iosue cap.24.g.31. Et post Iosue diebus etiam seniorum, quibus cognita erat opera Domini quæ fecerat in Israel. Sed quum alii surrexerunt qui non nouerant Dominum, nec opera quæ fecerat in Israel, fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, &c. Iudic.2 b.7.10. Item, postquam mortuus esset iudex, auertebantur, & multo faciebant peiora quàm patres eorum, &c. [C]Scimus etiam quid post mortem Dauidis, Ezechiæ, & aliorum piorum acciderit. Nam idololatricis abominationibus statim corruptus fuit populus, & verus Dei cultus neglectus. [M]Non abs re ergo Dauid de posteritate sollicitus est, vt in illa cognitione Dei retineatur ac promoueatur. *Fortitudinem tuam.* [V]Vel, virtutē tuam. Id est, quàm potenter me liberaueris. Vel, Quale & quàm illustre documentum ostenderis potētiæ tuæ & roboris tui in me seruando. [C]Nam robur & fortitudinem tanquam effectus iustitiæ Dei recenset. Interim tamen his elogiis ornat liberationis modum, de qua sibi gratulatur: acsi diceret exhibitum in eo fuisse raræ virtutis & potentiæ documentum.

19 *Et iustitia tua ô Deus vsque in excelsum, quia fecisti magnifica. Deus, quis sicut tu?*

Et iustitia tua ô Deus. [C]Hunc versum alii cum proximo connectentes vertunt, Et iustitiam tuam Deus. [V]Iustitiam Dei vocat, vt in præcedētibus, auxilium sibi allatum à Deo, quemadmodū promiserat. [B]Eam vocat excelsam & sublimem, (cuius tamen propinqui nobis & conspicui sunt effectus) quia sensu nostro nō comprehenditur. Nam dum eam nostro modulo metimur, minima quæque tentatio nos absorbet. Ergo vt ei aditus ad nos seruandos pateat, ad concipiendam eius amplitudinem, sursum ac deorsum, longè & latè mentes nostras diffundi oportet. *Quia fecisti magnifica.* [A]Quæ prius mirabilia appellauerat, nunc vocat magnifica, docens pios liberari à Domino, potenti virtute ac magnifica potentia. [C]Itaque si cognitæ eius virtuti iustam ac debitam laudem tribuimus, nunquam nos deficiet bene sperandi argumentum. *Deus, quis sicut tu?* [A]Vel, Quis similis tibi? Hoc est, Deus, quis conferendus tecum? [C]Iam Immensæ Dei maiestatis consideratione raptus in admirationem Dauid exclamat, Deus, quis sicut tu? [C]Sic eousque progredi oportet bonitatis Dei sensum vt nos in admirationem rapiat. Ita enim fiet vt in solo Deo acquiescant mentes nostræ, quæ huc & illuc subinde praua inquietudine feruntur. Nam siqua nobis ingeritur tentatio, protinus ex musca facimus elephantem: imò fabricamus altissimos montes, qui Dei manum à nobis arceant. Interim Dei potentiam malignè restringimus. Huc ergo tendit exclamatio Dauidis, vt discamus fide perrumpere, & omnibus impedimentis præferre Dei potentiam, sicuti meretur. Nam etsi fatentur omnes verbo, nullum esse Deo similem, vix tamen centesimus quisque penitus ac seriò persuasus est eum vnum ad seruandum sufficere. [A]Sed Dauid puro affectu & solida fide agnoscit nullum esse Deo similem. Sicut alibi dicit, O Iehoua non est similis tibi, nec est Deus præter te, iuxta omnia quæ audiuimus auribus nostris, 1.Paralipom.17.c.20. Et Moses in cantico post Ægyptiorum interitum, Quis similis, inquit, tui, magnificus in sanctitate? Exodi 15.b.11.

20 *Qui videre me fecisti angustias magnas & malas, reuersus viuificasti me & ex abyssis terræ conuersus ascendere fecisti me.*

Qui videre me fecisti. [V]Vel, Ostendisti mihi. Hebraismus, pro Qui afflictiones magnas & difficiles experiri me fecisti: [B]cōtra quem, filium, primores regni & totum populum concitasti. [C]Sicuti Dauid Deo fert acceptas suas liberationes, ita rursum nonnisi eius consilio & voluntate sibi quicquid pertulerat malorum, fuisse inflictum agnoscit. [M]Ergo Deus ipse suos in tribulationes inducit. Cuius rei duplex potest assignari ra-

tio. Prior, quòd licet & reliqui vniuersi mortales, præsertim tamen pii, ita in manu Dei sint vt nullum eis malum contingere possit quod non sit ex dispensatione & voluntate Dei. Sic Christus dicit, Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, Matth. 10.c.30. Altera, quòd etiam salus piorum hoc exigit. Nam alioqui quis piorum persisteret, si in manu esset vel Satanæ vel impiorum illos affligeret? Iam afflictionibus carere nequimus, posteaquam ita comparati sumus vt nisi sub cruce simus, priores rebus prosperè habentibus reddamur. Necesse est igitur vt, si nos saluos esse cupit, ipse nos Deus pro sua diuina prouidentia castiget. Ob has causas Scriptura Deo tribuit quòd mortificet & viuificet, descendere ad inferos & ascendere faciat, 1.Sam.2.a.6. [v]Ergo Dauid non tribuit fortunæ quòd iactatus fuerit per varias tribulationes, sed hoc totum tribuit Deo. *Magnas.* [m]Vel, multas. Iuxta illud, Multæ tribulationes iustorum, Supra, 34 d.20. Et, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act.14.d.22.

Et malas. [v]Hoc est, grandes & periculosas. [c]Recenset Dauid quàm duriter afflictus fuerit, vt comparatione illustret Dei gratiam. Si prospera fortuna semper æquabiliter vsus esset, erat cur sibi gratularetur: sed non sensisset quid sit incredibili Dei virtute eripi ab interitu. Nam ad mortem vsque descendere necesse est vt Deus appareat redemptor. Quia enim nascimur sine sensu & intelligentia, prima vitæ nostræ origo non satis clarè authorem ipsum nobis demonstrat: sed vbi in despectione succurrit Deus, resurrectio ipsa nobis illustre est gratiæ eius speculum. Hoc modo Dei beneficium amplificat Dauid, quòd demersus in profundam abyssum, eius tamen manu eductus in lucem emerserit. *Conuersus viuificasti me.* [v]Futura Hebræa, Conuerteris, viuificabis me, pro præteritis, Conuersus es, viuificasti me. Quidam, Restituisti me, & recreasti. [m]Bene habet, Conuersio est apud Deum, non irascitur perpetuo. Est autem duplex apud Deum conuersio, vna ad perditionem, altera ad viuificationem. Priore, superbos quos in sublime euexit, conuersus deturbat ac perdit: altera eos quos ad abyssum terræ deiecerat, conuersus educit & viuificat: & non hoc tantùm, sed in sublime etiam extullit. Sicuti de Ioseph, Iob, & Dauide legimus. *Et ex abyssis terræ.* [v]Vel, voraginibus. [c]Dauid non solùm Dei beneficio se incolumē esse prædicat, sed dignitate fuisse auctum, quæ mutatio, velut restitutionis cumulus fuit, perinde acsi ex inferis ad cœlum vsque euectus fuisset.

21 *Auxisti magnitudinem meam, & conuersus consolatus es me.*

Auxisti magnitudinem meam. [v]Vel, amplitudinem meam. Vel, magnificentiā meam. Vel, Multiplicasti dignitatem. vel, amplitudinem meam. Fuit hoc non vulgare diuinæ bonitatis pignus, quòd non tantùm pristinam fortunam restituit seruo suo, sed & in sublimiorem honoris gradum ipsum extulit. *Et conuersus consolatus es me.* [v]Futura Hebræa sine coniunctione, ad verbum, Et circuibis, consolaberis me. pro, Et conuersus consolatus es me. [v]Alii, Et rursum consolatus es me. Vel, placatus es mihi. Tertiò reperit non idem verbum, sed eiusdem significationis. Nam oportuit Deum aliquandiu latere quasi haberet faciem absconditam à Dauide, & tergum duntaxat illi ostenderet, vt tandem sentiret vnde esset vita. [c]Hoc igitur spectat ad Dei prouidentiæ commendationē: acsi Vates diceret nihil sibi fortuitò accidisse aduersi: quia, simulac illuxit Dei fauor, mutatæ fuerint vices. [a]Porro consolandi verbo liberationem à periculis notat. Nam is demum consolandi modus est quum quis per Dei gratiam & admirandam potentiam ex afflictionibus eripitur.

22 *Etiam ego celebrabo tibi in organo nebel veritatem tuam Deus me: cantabo tibi in cithara, sancte Israelis.*

Etiam ego celebrabo tibi. [a]Vel, canam. Vel, confitebor. [m]Psalmum clausurus Dauid asserit se ex animo Deum laudaturum & celebraturum, posteaquam ipse liberatus & hostes sui confusi fuerint. [c]Nam intelligit in hunc finem tam liberaliter Deum suis opem ferre vt celebretur eius bonitas. [m]Ita discimus hoc exemplo vt precationibus nostris votū diuinæ laudis adiūgamus, vt grati simus. *In organo nebel.* [a]Vel, in organo aut instrumento musico. [m]Meminit instrumentorū musicorū & vocalium, psalterii scilicet & citharæ, labiorum ac linguæ, quibus velit celebrare veritatem & gloriam Dei. qui affectus nihil aliud est quàm ardor quidam vehemens omnibus modis laudandi Deum, psallendo, in cithara ludendo, cantando ac meditando. [c]Alludit autem Dauid in nominibus nebel & citharæ ad morem tunc receptum. Nec enim dubium est quin pars illa fuerit legalis pedagogiæ & vmbratilis cultus, ad citharam & nablum canere Dei laudes. De publicis gratiarum actionibus loquimur: quia etsi priuatim non vetamur interponere musica instrumenta, à templis tamen manifesto Spiritus sancti edicto arcentur, dum Paulus nonnisi cognita lingua benedicere vel orare permittit, 1.Corin.14.c.13. *Veritatem tuam.* [c]Veritatis nomine intelligit, quum diuinitus seruatus est, mercedem spei suæ fuisse redditam. Sunt enim res coniunctæ inseparabili nexu, promissiones Dei & veritas in ipsis præstandis. Nisi autem pendeamus ex Dei verbo, insipida nobis erunt quæcunque beneficia conferet. Nunquam etiam vel ad preces vel ad gratiarum actiones incitabimur nisi eodem verbo prælucente. Quo magis detestabilis est diabolici hominis Serueti furor, qui precandi regulam peruerti ducet si fides promissionibus alligetur. Quasi verò nobis ad Deum accessus pateat donec sua voce nos inuitet. *Sancte Israelis.* [m]Id est (vt quidam volunt) sanctificator Israelis. Vel Deus sanctus Israelis dicitur propterea quòd is esset Israelis Deus, ab omnibus aliis totius orbis diis separatus. Sanctum enim dicitur quod à rebus vulgaribus & profanis separatum est. Sic vicissim Israel populus Dei sanctus dictus est ob id quòd à Deo ex omnibus erat totius orbis populis selectus, & in peculiarem populum assumptus. Commodùm itaque hoc loco post implorationem auxilii diuini, Deum quem inuocat, vocat suum Deum & sanctum Israelis: innuens meritò se inuocare eum, celebrare ac prædicare, quem habeat, spretis omnibus omnium gentium diis, vnum cum Israele Deum.

23 *Exultabunt labia mea quum canam tibi, & anima mea quam redemisti.*

Exultabunt labia mea. [v]Vel, Ouabunt, Laudabunt. [a]Hîc melius exprimit se non simulatè nec defunctoriè gratias acturum Deo, quia serio fertur ad hoc pietatis officium prosiliet. Figuris enim, quibus vtitur, breuiter intelligit nullum sibi maius oblectamentum fore quàm in Deo laudando: atque ita obliquè profanā eorum lætitiam perstringit qui posthabito Deo sibi in rebus prosperis gratulantur. *Et anima mea.* [v]Sub. exultabit. *Quam redemisti.* [m]Ergo gaudium cordis fons est huius affectus laudandi Dei, quòd gaudium animæ ex sensu sit redemptionis, & fiat in labra & linguam erumpat. Hoc pacto laudare Deum non est nisi piorum, qui sensu diuinæ veritatis ac bonitatis aguntur.

24 *Insuper lingua mea tota die loquetur de iustitia tua: quia pudore affecti sunt, quia [inquam] ignominia affecti sunt quærentes malum meum.*

Insuper lingua mea tota die loquetur. [v]Vel, Quotidie meditabitur iustitiam tuam. [c]Significat nullum solidum & optabile sibi fore gaudium nisi coniūctum cum Dei laudibus, & hunc sibi iucundissimum fore fructum, celebrare laudibus suum redemptorem. *Quia pudore affecti sunt.* [a]Quasi dicat, Quin & lingua mea exercebit se sedulò in cantanda iustitia tua: erubuerunt enim & infames facti sunt quotquot studuerunt incommodare mihi. *Quia, inquam, ignominia affecti sunt.* [b]Hæc geminatio affectum gaudii vehementiorem exprimit, de frustratis suo conatu atque ideo pudefactis impiis hostibus. *Quærentes malum meum.* [v]Vel, Inquirentes malum mihi. Hoc est, qui vitæ meæ insidiabantur. Aut, qui exitium mihi machinabantur. Vide versum huius Psalmi 13.

ARGVMENTVM PSALMI LXXII.

[a]Sub typo regni Solomonici orat Dauid aduenire regnum Dei per Christum: & vaticinatur de regni huius amplitudine, æquitate, fœlicitate & diuturnitate, [a]docens piorum fœlicitatem in eo esse positam dum sub manu regis diuinitus electi reguntur.

Solomonis.

Deus iudicia tua regi da, & iustitiam tuam filio regis.

Solomonis. [a]Vel, Ipsius Solomonis. [a]Hæc inscriptio authorem non designat. nam quum disertè in fine dicatur hanc fuisse vltimam orationem Dauidis, magis probabile est Psalmum ab eo fuisse scriptum. Nisi fortè votū Patris sui Solomo successor, quo notius esset ac magis in populo celebre, in numeros digessit. quod à verisimilitudine nō abhorret. Sed quia ל Hebræis plura significat, resoluere licebit carmen hoc à Dauide pro successu regni filii sui Solomonis compositum, & populo decantandum exhibitum esse. Quod si recipimus, notandum tamen erit sub vnius hominis persona comprehendi perpetuum regni statum. Cæterùm omnibus probè expensis

probabilis coniectura est, quod Dauid inter vltimos spiritus precatus fuerat, redactum fuisse in formam Psalmi a filio, vt æternæ memoriæ cõsecraretur. Nam hoc videtur vt de re maximè seria consultò fuisse additum, vt intimam esse Dauidis precationem, quo attentius fideles & maiori ardore cum memorabilis sancti regis voto sua ipsi quoque coniungerent. Cæterùm quia Solomo argumentum à patre sumptum poetico tantùm nitore ornauit, sit nobis Dauid præcipuus author. Porro quum Dauid Dei mandato vnctus in regem, sciret hac lege se & posteros suos solium tenere, vt tandem potestas & imperium ad Christum perueniret: deinde in hoc regno ita contineri ad tempus terrenam populi salutem vt ex vmbra illa præstantius tamen aliquid emergeret, nempe spiritualis & æterna fœlicitas: meritò de huius regni perpetuitate ita fuit sollicitus, támque ardenter pro ea precatus est, vt inter vltimos spiritus votum suum repetens, testatum esse voluerit hanc ex omnibus suis curis summam esse. Nam quod de æterna dominatione hic habetur, non ad vnum hominem, vel paucos, imò ne ad viginti quidem secula restringi potest: sed notatur successio quæ in Christo finem & solidum complementum habuit. *Deus iudicia tua regi da.* Precatur Dauid in persona ipsius Ecclesiæ, vt regnum quod semel erexit, & cuius ipse initium fuerat, perpetuò tueatur & conseruet in Solomone filio suo, illum Spiritu rectitudinis & prudentiæ instruens. Iudicia enim Dei, eius gubernacula sunt, & rectè moderandi homines rationes: nec aliud est iustitia eius. Hanc Vates opponit tyrannicæ & effræni profanorum regum licentiæ, qui posthabito Deo, pro arbitrio suo dominantur: atque ita à terrenis aliis regibus sacrum Israelis regem cœlesti vnctione præditum distinguit. Hinc verò colligimus, vt rectè iudicent reges, & iustitiam seruent, donum esse Dei. Nam si propria virtute satis instructi essent reges, frustra aliunde peteret oratione Dauid quod ipsis domi suppeteret. Nunc verò Dei iustitiam & eiusdem iudicium regibus dari postulans, nullos ad obeundum id munus idoneos esse admonet nisi quatenus Dei manu formãtur. Ideo apud Solomonem clamat eius sapiẽtia, reges per se regnare. Nec verò mirum est, quum res sit præstantissima ordo politicus, Deum velle agnosci eius authorem, sibique omnem eius laudem vendicare. A genere tamen ad speciem descendere conuenit: quia quum singulare Dei opus sit rectum in mundo principatum erigere ac tueri, multo magis necesse fuit in sacro illo regno, quod præ aliis elegerat, fouendo & conseruando peculiarem Spiritus sancti gratiam proferre. *Regi da.* Nempe Salomoni, quem in regem populi sui elegisti. Deus iudicia sua & iustitiã suam Solomoni hactenus dedit, quatenus suo illum Spiritu in administrando regno duxit. Christo autem fuere & sunt consummata, qui Spiritu Patris sui donatus est vt de plenitudine eius cuncti acciperent, Iohan.1.b.16. Huic quoque dedit Pater omnium in cœlo & terra potestatem, eámque, vt æternum beet quoscunque ei tradiderit: denique facere iudicium omnium. Huic vni datum nomen & potestas est, vt qui ipsi sese consecrant, ii in hoc seculo vitæ beatæ & sempiternæ arrham, Spiritum scilicet filiorum, & in futuro restitui in vitam immortalem, te ipsa ex reuelata Dei contemplatione inexplicabilem fœlicitatem percipiant. *Et iustitiam tuam.* Hoc est, formam gubernandi rite compositam. *Filio regis.* Id est successoribus. Respicit tamen ad illam promissionem, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Infrà, 132.c.11. Ierem, Statuam semen tuum post te, quod egredietur de ventre tuo, & firmabo regnum eius, 2. Samuel.7.b.12. Atqui in posteris Dauidis non reperietur talis soliditas, donec ad Christum ventum fuerit. Nam scimus mortuo Solomone collapsam fuisse regni dignitatem, ab eo tempore immutatas & accisas fuisse opes: donec populo in exilium abducto, & rege probrosè occiso, funesta regni clades accidit. Nec verò post reditum talis fuit restitutio quæ magnam spem faceret: donec tandem ex arido trunco illo prodiit Christus. Ideóque inter Dauidis filios primum gradum tenet. Et verè huic sua iudicia & suam iustitiam Pater dedit, quando ei dedit nihil loqui aut facere quod non ipse per eum Pater & loqueretur & faceret.

2 *Iudicabit populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.*

Iudicabit populum tuum. Quidam legunt, Iudicet populum tuum. Alii futurum verbi retinentes, volunt prophetiam esse. Sed rectius subaudietur aliquid medium. quæcunque enim postea dicentur, manant ex illa Dei benedictione, si rex ornatus fuerit iustitia & iudicio. Ita igitur resolui oratio debet, Guberna Deus regem nostrum, vt iudicet. Vel hoc modo, Vbi donatus fuerit tua iustitia, tunc verè iudicabit. Est enim donum longè præstantius quàm vt è terra proueniat. Spirituale verò Christi regimen, quo omnia instaurantur in perfectum ordinem, multo magis cœleste est donum. Ergo sine Spiritu Domini nulla erit æquitas, nec vllus ordo, sed omnia potius dissipata. Petamus igitur & nos regibus, principibus ac magistratibus nostris à Deo vt det illis rectitudinem & iustitiam, quibus subditos, populum Dei, ritè gubernent ac regant. *Et pauperes tuos.* Vel, Et afflictos tuos. Quanquam in genere de toto populo priore huius versus membro loquutus est, nominatim adiungit pauperes, qui propter inopiam suam & infirmitatem alieno subsidio indigent, & quorum gratia reges armati sunt gladio, vt iniustis eorum oppressionibus succurrant. Hinc manant tam crebræ Prophetarum ad reges & principes huius seculi exhortationes, vt pauperum & afflictorum rationem habeant, si iste suam vocationem sequi velint.

3 *Proferent montes pacem populo, & colles in iustitia.*

Proferent montes pacem populo. Pax ex ritè composita gubernandi ratione nascitur. Quum itaque pacis nomẽ Hebræis non quietem modò, sed prosperos omnes successus denotet, Dauid populum tunc fœliciter habiturũ docet si formatus fuerit publicus status ad iustitiæ normam. Dum enim pii homines omnia occupant & moderantur, status reipublicæ non potest malè habere. Porro in prouentu pacis metaphora est à terræ fœcunditate sumpta. acsi diceret Dauid, Vbique terra producet pacem, quemadmodum profert triticum & alias fruges. Non tantùm nascentur fructus ad homines alendos, sed etiam prouentus ille pacis accedet. hoc est, vbique regnabit fœlicitas, quia populus iustè gubernabitur. Nam montes vt plurimum laborant sterilitate, vel saltem non abundant tanta frugum copia vt valles. *Et colles in iustitia.* Quidam existimantes literam ב redundare, vertunt, Et colles iustitiam. Alii dicunt ב hoc loco significare propter. quasi dicat, Montes & colles proferent pacem propter iustitiam. Sed simplicior sensus est, In iustitia pacem diffusum iri per omnes terræ partes. Huius fœlicitatis typus regnante Solomone in eo refulsit quòd pace altissima & fœlici cum omnimoda rerum abundantia populus fruebatur: at tum verè cuncti montes & colles, velut fructus suos, pacem in iustitia tulerunt, quãdo prædicatum omni creaturæ Euangelium fructum vbique peperit, vt veram dilectionem, ita pacem, & animi tranquillitatem. De quo Paulus suo iam tempore gloriatus est, præcipuè Roman.15.d.19, & Coloss.1.a.6. Illud quoque notandum, iustitiam & pacem coniungi vt causam & effectum. neque enim vera pax est quæ iustitiam comitem non habet. Mater pacis sit iustitia, sit simul & soror indiuidua. Pax quæ in malo est, non est pax, sed veræ pacis pernicies. Proinde qui violentia & tyrannide putant quærendam pacem, prorsus impii sunt, imò omnium stultissimi.

4 *Iudicabit pauperes populi, seruabit filios afflicti, & confringet calumniatorem.*

Iudicabit pauperes populi. Vel, Vindicabit afflictos populi. Iudicare more Hebræorum positum est pro tueri & defendere. Itaque finem & fructum iustæ gubernationis prosequitur Dauid, & quod breuiter attigerat de afflictis populi, fusius explicat. Tenendum verò est illud principium, non aliter fieri vt se contineãt reges in iustitia & æquitate nisi per Dei gratiam: quia vbi non præest à cœlo Spiritus rectitudinis, omne imperium in tyrannidem & latrocinium vertitur. Quia autem pollicitus fuerat Deus sibi curæ fore pauperes & afflictos populi sui, vt obtineat Dauid quod pro rege concipit votum, id in pauperum solatium tendere ostendit. Nulla quidem apud Deum personarũ est acceptio: sed non abs re Deus tenues, qui iniuriis & violentiæ magis sunt obnoxii, præ aliis commendat. Tollantur enim leges & iudicia, quo quisque erit potentior, ad fratres quoque suos opprimendos præualebit. Qui ergo nonnisi publica defensione tuti sunt, his regem fore præsidio Dauid specialiter commemorat, vindicémque fore testatur, vbi indignè violati fuerint. *Et seruabit filios afflicti.* Vel, pauperis. Id est afflictos & pauperes. Sic enim Hebræi filios afflicti pro afflictis dicere solent. sicuti Græci interdum loquuntur, vt quum υἷας ἰατρῶν medicos appellant. Videmus hic quomodo nobis iterũ pauperes & afflicti commendentur primùm ab eo quòd Dei sunt, deinde ꝙ pars sunt populi Dei: quos tantum abest vt paupertas consortio populi Dei eiiciat, vt hoc ipso ꝙ pauperes sunt, ad illum magis pertineant. *Et confringet calumniatorem.* Vel, Atteret. vel, contundet. Quia in subleuandis & tuẽdis pauperibus partes obire rex non potest

quas ei assignat Dauid, quin authoritate & manu compescat improbos, non temere addit, violentos & prædones, vbi vigebit iustitia, confractum iri. Neque enim expectandum est dum vltro cedant, sed gladio reprimendi sunt, ne lasciuiat eorum improbitas & audacia. Cordatum igitur principem esse oportet, atque animosè paratum ad cohibendos improbos, vt mansueti & modesti ius suum obtineant. Atque ita nemo ad regendum populum erit idoneus, nisi qui didicerit seuerus esse vbi res ita postulat: quia fieri non potest quin sub molli & ignauo principe, vel etiã nimis facili & remisso, grassetur licẽtia. Ac verè olim dictũ fuit deterius esse sub principe viuere cuius indulgentia omnia licent, quàm sub tyrãno vbi nulla est libertas. [m]Quòd si ea exigitur à principe & iudice seueritas, vt improbi pauperũ oppressores atterãtur & opprimatur, quid sentiendũ est de illis principibus ac iudicibus sub quibus pauperes premuntur, opulẽti verò & violenti pauperũ calumniatores florent? [b]Discant ergo principes punire malos & defendere innocuos, sicuti Paulus admonet, Rom. capite 13. a. 4.

5 *Timebunt te cum sole & coram luna generatio generationum.*

Timebunt te. [a]Quidam vertunt, Timeant te. *Cum sole & coram luna.* [v]Hebraismus, pro, quãdiu sol iste lucebit, & quoad substiterit luna. siue, Dum sol & luna lucebunt. hoc est perpetuò. [c]Si per apostrophen hæc legamus, non incommodè ad regem referri poterunt, hæc scilicet præcipua fore dignitatis insignia, quæ reuerentiam ei apud subditos concilient, si ius cuique suum æquabiliter reddat, humanus sit ad iuuandos miseros, & ad domandam malorum audaciam seuerus. [m]Et certè optimi regis est studio iustitiæ & sapientiæ subditis se reddere obseruabilem & reuerendum, sicuti de ipso Solomone legitur, quem populus timuit quum videret sapientiam Dei in eo esse ad faciendum iudicium, 1. Reg. 3. d. 18. Sic seruum Dei Iosue timebat vniuersus Israel, sicut ante eum timuerant Mosen, Iosue 4. c. 14. Et Solomon dicit, Time Dominum fili mi, ac regem, Prouerb. 24. e. 21. [c]Melius tamen conueniet versum hunc sine mutatione personæ interpretari de ipso Deo. Quanquam enim inæstimabile bonum est æquitatem mutuò coli inter homines, maiori tamen in pretio meretur esse Dei cultus. Ideóque piæ sanctæque gubernationis fructum non abs re Dauid commendat, quòd pietatem & timorem Dei secum afferat. Ideóque Paulus iubens orare pro regibus, finem hunc disertè exprimit, vt tranquillam sub ipsis vitam degamus cum omni honestate & pietate, 1. Timoth. 2. a. 2. Quia ergo periculum est ne collapso ordine politico dissipetur religio, ac pessum eat Dei cultus, postulat Dauid vt Deus nominis sui ac gloriæ respectum habeat in rege conseruando. Hoc eodem argumento & reges admonet sui officii, & populum ad precandum stimulat, quia nihil præstantius est quàm ad procurandum Dei cultum votis omnibus eniti. Iam vbi ad Christum venitur, hoc longè verius in eum competit: quia non alibi quàm in eius regno fundata est vera pietas. Et certè Dei cultum vsque ad finem mundi protendens Dauid, obiter significat se animo conscendere ad æternum illud regnũ quod pollicitus fuerat Deus. [a]Solis autem & lunæ ideo fit mẽtio quia vt Deus æternus est, ita diuturna esse oportet quæcunque sunt diuina. [a]Proinde quũ hoc de quo Vates canit regnum Dei, regnum sit in quo verè arceantur mali, defendantur boni, commodùm & sempiternum fore canit. *Generatio generationum.* [v]Vel, In generatione generationum. Hoc expositionis vice additum est, quasi dicat, per cunctas generationes, siue per continuam annorum seriem.

6 *Descendet sicut pluuia super desectam herbam, sicut imbres stillantes super terram.*

Descendet sicut pluuia. [a]Vt rebus humanis nihil potest aduenire optatius, nihil quod fructum veræ iustitiæ tantopere prouenire faciat, ita assimilat nunc oppositè illud pluuiæ descendenti in detõsum & demessum pratum, qua illud rigatum rursus herbam producit, quáque & reliqua terra humectatur & fœcundatur: quo nihil est mortalibus gratius. [c]Quanquam ergo videtur asperior esse similitudo, concinnè tamen & scitè exprimit quantum vtilitatis in commune proueniat ex probo & legitimo regni statu. Scimus enim tonderi prata initio æstatis, vbi iam dominatur calor: ita nisi humorem nouum suggereret terra, ipsæ quoque radices propter terræ nuditatem arrescerent. Docet ergo Dauid non aliter Deum consulere Ecclesiæ suæ saluti, sub regis manu eam protegẽdo, quàm irrigatione terram ab æstu defendit. Hoc verò præcipuè in Christo videmus impleri, qui arcanam gratiam stillando, facit Ecclesiam suam pullulare. *Sicut imbres stillantes super terram.* [v]Id est, super herbam excisam terræ. Nam עַל quod præcessit, pro duobus ponitur, & more Hebræorum repetitur. Alii vertunt, Sicut imbres. Vel, Stillicidia & ros super terram.

7 *Florebit in diebus eius iustus, & multitudo pacis, donec non sit luna.*

Florebit in diebus eius iustus. [v]Sub. vbi rex ornatus fuerit iustitia & iudicio. [m]Tum enim florent iusti & numero, & rerum prosperitate quando rex pius iudicium & iustitiam inter subditos suos exercet. Quemadmodum contrario modo, regnante impio florent iniusti & violenti. sicuti dicitur, Circumcirca impii ambulant, dum exaltantur opprobrium filiis hominum, Suprà, 12. b. 9. [c]Porro Solomonis quidem officium fuit iustos tueri: sed proprium Christi est iustos facere. quia non tantùm ius suum cuique reddit, sed Spiritu suo animos reformat. Et hoc modo iustitiam postliminio reducit, quæ alioqui exularet à mundo. *Et multitudo pacis.* [v]Veram iustitiam sequitur Dei benedictio, qua suos omnes exhilarat, dum sub rege Christo nihil sibi ad solidam fœlicitatem deesse vident. Quanquam potest nomen pacis in proprio & magis restricto sensu accipi, vt bello opponatur. Et certè ad summam beatæ vitæ nihil pace optabilius: quando inter bellicos tumultus nihil ferè iuuat rerum omnium abondantia, sed corrũpitur & perit. [m]Porro copia pacis obtinetur vbi florent iusti: quia inter iniustos non potest constare pax & rerum tranquillitas. Ergo curandum erit magistratibus, si cupiant omnia esse pacata & tranquilla, vt floreant iusti, & arescant iniusti. *Donec non sit luna.* [c]Quòd Dauid dies regis prorogat vsque ad finem mundi, hinc melius liquet Dauidem non modò comprehendere posteros suos, qui terrenum solium occuparunt, sed conscendere ad Christum, qui à morte resurgens, cœlestem sibi vitam ac gloriam acquisiuit, vt Ecclesiam suam sine fine moderetur.

8 *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.*

Et dominabitur à mari. [a]Nunc canit plenitudinem & amplitudinem regni [m]Salomontei, quæ diuinitus Israeli sub Mose promissa quidem, sed ad illa vsque tempora nondum fuerat plenè obtenta. Sic enim scriptum est, Ponam terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palæsthinorum, & à deserto vsque ad fluuium, Exodi 23. g. 31. Et, A deserto & Libano, & flumine magno Euphrate, vsque ad mare Occidentale erunt termini vestri, Deuteronom. 11. e 24. Item, A deserto & Libano vsque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hetheorum vsq; ad mare magnum contra solis occasum, erit terminus vester, Iosue 1. a. 4. [c]Quum ergo Dominus terram populo suo in hæreditatem promittens, hos quatuor limites assignauerat, (Genes. 15. d. 18.) significat Dauid saluo & incolumi regno integram fore promissæ terræ possessionem: vt intelligant fideles non nisi florente regno, Dei benedictionem constare suis omnibus numeris. *Vsque ad mare.* [m]Hoc est, à mari rubro vsque ad mare Philistinorum, quod magnum vocatur respectu maris rubri, & aliorum stagnorum quæ Hebræis maria vocantur: & ad solis occasum respectu terræ Chanaan. *Et à flumine.* [v]Id est, Ab Euphrate. [c]Quia enim nullum vastius flumen Euphrate Iudæis notum erat, Scriptura illum absolutè ferme flumen vocat. Hæc regni Solomonis pomœria notantur 1. Reg. 4. b. 15, Dominabatur omnibus transflumen à Tipsach vsq; ad Gaza, omnibus regibus transflumẽ. In eo autem quòd Solomon ad vltimos vsque promissæ terræ terminos regnum obtinuit, Christi typũ gessit, cui pater subiecit totũ orbẽ & cœlos. Quẽadmodum dicitur Matth. 11. d. 27, & 28. d. 10, & Ephes. 1. d. 21, & Philippen. 2. b. 9. *Vsque ad terminos terræ.* [m]Habitabilis videlicet. Intelligit autem solitudines inter Palæstinam & Ægyptum, quæ vtranque regionem distinguunt. [c]Iam si quis excipiat, non congruere tam angustos fines Christi imperio, quod propagari debuit ab ortu solis vsque ad occasum: solutio facilis est, Dauidem accommodare se suo tempori: quia nondum amplitudo illa clarè patefacta erat. Exorsus est igitur ab ea descriptione, quæ sub Lege & Prophetis nota & celebris erat. Imò & Christus ipse regnum suum inde auspicatus est, antequam penetraret in vltimas terræ plagas: sicuti Infrà, 110. a. 2. dicitur, Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus è Sion.

9 *Coram illo procident incolæ deserti, & inimici eius puluerẽ lingent.*

Coram illo procident. [v]Incipit Dauid ampliare fines regni filii sui, transmarinos reges fore tributarios docens, sicuti in-

colas deserti iugum subituros. *Incolæ deserti.* [a] Quidam Æthiopes, alii nauticos interpretantur. Nonnulli vocem Hebræam Siim relinquunt. [c] Sed dubium non est quin hoc nomine designet eos qui versus Meridiem longius aberant à terra Chanaan. *Et inimici eius puluerem lingent.* [c] Id est, Osculabuntur terram in signum reuerentiæ. Ex historiis enim notum est Orientales hac vsos esse ceremonia: ad quam Alexander quoque Macedo post domitum Orientem suos cogere voluit: vnde ortæ sunt magnæ lites, quòd Macedones contumaciter respuerent tam seruile & sordidum obsequium. Sensus ergo est, regem diuinitus electum in Iehudah longè latéque hostium fore victorem, vt suppliciter eum venerentur. [a] Et quoniam Solomon typus erat Christi, agnoscendum hic est quanta sit regni ipsius Christi potentia & gloria, quum hoc & similibus locis prædicit Spiritus, quòd non solùm plebei homines (quorum in hoc seculo nulla est reputatio) sed & ipsi potentes, principes ac reges (quorum ingenium est & votum adorari ab aliis, non adorare quenquam, seruitium exigere ab aliis, non seruire cuiquam) cogentur crucifixi maiestatem agnoscere, vereri, adorare & colere: &, vt in genere dicamus, omnes illius inimici admirabilem eius potentiam agnituri sunt, sicuti dicitur, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, Infrà 110. a. 1. Et dominare in medio inimicorum tuorum, Ibidem versu 2.

10 *Reges Tharsis & insularum munus afferent: reges Scheba & Seba munus offerent.*

Reges Tharsis & insularum. [a] Prosequitur quod cœpit dicere de propagatione regni [a] ad Aquilonem & Meridiem. [v] Nam nomen Tharsis significat plagam Meridionalem quæ ad Ciliciam vergit. Mare enim Tharsis vocatū fuit Iudæis mare Ciliciæ, & totam illam partem hoc nomine complexi sunt. *Et insularum.* [v] Per insulas intelligit totum illum tractum qui adiunctus erat Ciliciæ vsque in Græciam. [c] Quia enim Iudæi contenti patriæ suæ commodis, non procul nauigabant vt aliæ gentes, imò Deus eos data opera incluserat ne se corrumperent externis moribus: hinc factum est vt regiones quibus oppositum erat mare, vocarent insulas. Verum quidem est Cyprum & Cretam, aliásque insulas comprehendi: sed hoc nomen patere dicimus ad omnes terras quæ vltra mare Mediterraneum sitæ erant. *Munus afferent.* [c] Duæ voces Hebrææ in hoc versu quodvis tributum aut vectigal significant, non autem voluntarias oblationes: quoniam hic agitur de hostibus deuictis, & de subiectionis testimonio. Quanquam videtur Scriptura, vt rem odiosam mitiget, consultò vti illis vocibus, acsi obliquè subditos argueret, si vectigalibus fraudarent suos reges. *Reges Scheba & Seba.* [v] Primum nomen per ש alterum per ס scribitur: & illud Arabiam fœlicē, hoc verò Æthiopiam significat. [a] Quanquam probabilis est eorū coniectura qui priore voce intelligunt totam partem sinus Arabici, quæ ad Africam inclinat: secunda verò Sabæam, quæ fertilior erat magisque amœna regio. [a] Hunc versum Papistæ cantandum instituerunt in festo Epiphaniæ Domini (vt vocant) eo quòd illo die memoria agatur quomodo Christus cœperit manifestari, & à magis fuerit muneribus veneratus. quod vtique præludium fuit huius vaticinii implendi, nempe cunctos reges & principes Christum vt vnicum Seruatorem adoraturos. [a] Sed suam stultitiam temeritati coniunctam dupliciter prodiderunt. [c] Nam reges ex philosophis crearunt: deinde plagas mundi mutantes, ex Oriente Meridiem vel Occasum fecerunt. [a] Scribit enim Euangelista illos non reges sed magos vel philosophos ab Oriente venisse, Matth. 2. a. 1.

11 *Et incuruabunt se ei omnes reges omnes gentes seruient ei.*

Et incuruabunt se ei omnes reges. [a] Vel, Et prosternent se coram eo. [v] Id est, Adorabunt eum. [a] Summat quæ per partes iam dixit, [c] & clarius exprimit totum orbem Christi imperio subiectum fore. [a] Omne siquidem genu se Christo tandem flectere, & omnem linguam illum dominum confiteri oportet, Philippen. 2. b. 10. *Omnes gentes seruient ei.* [a] Quasi dicat, Non modò reges & potentes huius seculi Christum verum regem & dominum agnituri & veneraturi sunt: sed omnes quoque orbis nationes venturæ sunt vt illi obsequantur & seruiant. [a] Hoc enim verè in Christum competit, quem Pater regem & principem populo suo præfecit. [c] Nam certè regnum Iehudah nunquam magis quàm sub Solomone floruit. Atqui tunc non nisi pauci reges tributum pendebant, & quidem moderatum: deinde hac lege vt liberi suis legibus viuerent. Dauid ergo à filio suo & nepotibus exorsus, prophetico Spiritu ad spirituale Christi regnum conscendit. Quod apprimè notatu dignum est, vt sciamus non temere nos in spem æternæ salutis fuisse ascitos: sed quia iam cœlestis Pater nos filio suo destinauerat, hinc etiam colligimus in Ecclesia & grege Christi esse regibus locum: quos hic Dauid non exarmat gladio, nec diademate spoliat, vt admittat in Ecclesiam, sed cum sua dignitate venturos esse dicit, vt se Christo prosternant.

12 *Quia eripiet pauperem clamantem, & afflictum, cui non est auxiliator.*

Quia eripiet pauperem clamantem. [a] Iterum rationem reddit cur omnes gentes assent Solomonem regem agnituræ. [m] nam iudicabit (vt versu quarto dictum est) afflictos populi, seruabit filios pauperum, & confringet calumniatorem. [b] Quæ omnia in imagine Christo competunt, qui nō modò clamantes ad se pauperes audit semper & eripit, sed vltro quicunque laborant & onerati sunt ad se inuitat, adeo charos habet, tanto erga eos affectu tenetur, Matth. 11. d. 28. *Et afflictum, cui non est auxiliator.* [m] Hæc misera est afflictorum sors & conditio, vt auxilio etiam propinquorum destituantur, adeò vt verissimè dictum sit,

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Imò etiam ridentur miseri, tantum abest vt illis succurratur. Sic ille dicit, Nil habet infelix paupertas durius in se Quàm quòd ridiculos homines facit. Quod agnoscens Spiritus sanctus pauperum ac afflictorum rationem haberi postulat. Proinde monentur hic principes ac magistratus, vt si cupiant regnis suis diuturnitatem & prosperos rerum successus, ac debitos pariter honores, curent hoc esse erga pauperes & afflictos animo quo hic de Solomone canitur. Tum enim verè erunt & dici poterunt reges ac principes.

13 *Miserebitur super egenum & pauperem, & animas egenorum seruabit.*

Miserebitur super egenum & pauperem. [m] Quasi dicat, Rex iste misericors erit erga afflictos, tangetur illorum miseria, nec floccifaciet illorum salutem, sed habebit eam sibi quàm commendatissimam. [c] Testatur ergo Dauid, regnum quod celebrat, minimè tyrannicum vel crudele fore: sicuti maior pars regum neglecta communi salute propriis commodis addicta est: vnde fit vt miseros populos inhumaniter premant. Imò quo quisque magis est formidabilis, omniáque ingurgitat, eo præstantior habetur. Atqui si de toto genere humano prouerbii vice celebrata fuit sententia, nulla re magis ad Deum accedere mortales quàm beneficentia: virtutem hanc in regibus non fulgere nimis absurdum est, quos sibi Deus propius coniunxit. Quare non abs re Dauid, vt regem diuinitus electum amabilem reddat, non modò iustitiæ & æquitatis custodem fore dicit, sed adeo humanum & misericordem vt contemptissimis quibusque paratum sit in eo præsidium. quod in regibus nimis rarū est, qui splendore suo excæcati, longè se à miseris subducūt: acsi cura hæc sua dignitate esset inferior & indigna. Atqui sanguinem plebeiū, qui vilis esse solet ac pro nihilo ferè duci, apud hunc diuinum regem summo in pretio fore Dauid prædicat. Subdit enim, *Et animas egenorum seruabit.* [v] Animam pro vita ponit. Seruare animas egenorum est cohibere iniustas malorum violentias, ne vim & mortem illis inferant.

14 *A fraude & iniquitate redimet animam eorum, & pretiosus [erit] sanguis eorum in oculis eius.*

A fraude & iniquitate. [v] Vel, A dolo & violentia, fraude, iniuria. Quasi dicat, Opponet se peruersis hominibus, & eorum impetus coercebit, habens sub sua tutela miseros: neque patietur illos vel fraude, vel armis opprimi & occidi. *Redimet.* [a] Constātia & magnanimitas notatur in verbo redimēdi, quia non satis esset regi non placere fraudes & rapinas, nisi se vindicem fortiter opponeret. Sub fraude verò & violentia omne maleficii genus cōplectitur: quia homo nocēdo aut leo est aut vulpes. Alii enim aperta vi grassantur: alii autem insidiosè & occultis artibus ad iniquitatem obrepunt. *Animam eorum.* [v] Pro anima mox sanguinem dicet. Vitam egenorum intelligit, cuius rationem habebit pius rex. *Et pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.* [v] Id est, Tam magnifaciet egenorum mortem, vt eam vlciscatur. Eadem loquutio alibi reperitur, Pretiosa sit quæso anima mea in oculis tuis, 2. Regum 1. c. 13. Item, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, Infrà, 116. b. 15. [m] Ergo pius rex aut princeps nec ipse facilè perdet egenum, nec sinet illum ab aliis temere perdi: &, si perditus temere sit, non sinet inultum. Secus comparati sunt qui non subditis, sed sibiipsis regnant. Illis leuiculum est si occidatur egenus quisquam. Malos pastores agunt, quibus parum

est si pereat ouicula. Porro scimus datum esse Christo summum imperium in cœlo & in terra, Matth.28.d.18, vt suos non modò protegat à temporalibus noxiis, sed præcipuè ab omni Satanæ iniuria, donec omni molestia exemptos in æternam quietem colligat. Sic prophetiam illam omnium suauissimam in se impletam esse dicit, Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me. &c. Esa.61.a.1, & Luc.4.c.18. Et alibi dicitur quòd circumiēs, docens ac sanās, miserebatur turbarum, eo quòd essent velut oues disiectæ, & pastorum cura destitutæ, Matth.9.d.36. Fœlices igitur qui tam clementem & benignum regem agnoscunt, suspiciunt, venerantur & colunt.

15 *Et viuet, & dabit ei de auro Seba: & orabit pro eo semper, tota die benedicet ei.*

Et viuet. Sub. rex. Quod enim verbum hoc quidam ad pauperes referunt, acsi Dauid diceret, Et viuet vnusquisque pauperum cum rege, & rex dabit illi de auro, &c. videtur coactum. Nam longa vita, quæ non vltima est inter terrenas Dei benedictiones, regem hunc donandum esse affirmat Dauid. q.d. Non erit hic rex momentaneus, qui ad breue tempus sese ostentet, & mox euanescat ex oculis hominum. Hoc est, non erit caducum hoc regnum, quod statim concidat, sed habebit firmas radices. Itaque viuendi verbum hoc loco non hoc tantùm habet vt qualitercunque viuat rex, sed vt fœliciter absque vllis calamitatibus regnet. Sic alibi dixit Dauid, Inimici autem mei viuunt, Suprà, 38.d.20. Hoc est, prosperè agunt, & pro animi sententia regnant. Qui enim miserè agunt, magis mortui quàm viui censentur. Et illud frequens in prophetis, Viuit Dominus, non de vita duntaxat sed de eo dicitur quòd omnia sua potentia ac prouidentia gubernat, puniens reprobos & seruās innoxios. Sic nouis regibus consuetum est acclamari à populo, viuat rex, 1.Sam.10.d.24, & 1.Reg.1.e.34, & 2.Reg.11.c.12. *Et dabit ei de auro.* Hoc indefinitum est. Dabit. sub. populus. Vel, dabunt illi aurum. Vel, dabitur illi aurum. Significat potentiam huius regni. Dixerat regnum fore diuturnum: nunc autem ornatur illud diuitiis & opibus. *Seba.* Arabiam fœlicem significat. Ergo repetit Dauid quod de potentia dixerat: quia si Arabia pendat tributum, quanta opum congeries ex tot regionibus magis vicinis contrahetur? De Salomone sic in sacra historia legim⁹, Auct⁹ fuit Solomō diuitiis & sapientia præ cunctis regibus orbis, omnésque vbique homines studiosè quærebant videre illum, quo audirent sapientiam quam Deus in cor illius dederat. Singuli quoque offerebant illi munera sua, vasa argentea, vasa aurea, vestes & aromata, equos & mulos, idque singulis annis, 1.Reg.10.d.23. *Et orabit pro eo semper.* Hoc est, passim concipientur vota pro salute regis. *Tota die.* Vel, quotidie, semper, iugiter. *Benedicet ei.* Sub. populus. q.d. Bene de eo loquētur omnes, & omnia prospera illi apprecabuntur. Exprimitur his verbis animus populi regi suo deuotus, qui omnia illi prospera apprecetur, ac precibus à Deo iugiter impetrare studeat. Talis affectus exprimitur & suprà, 20.b.10, & 21.a.5. Et certè magna fuit Solomonis dignitas, ingens apud omnes gratia & obseruantia: ideo vmbram Christi prætulit. Itaque etsi non regnat Christus ad aurum coaceruandum, figuratè tamen docere voluit Dauid remotissimos quosque populos fore in officio, vt se ei totos suáque omnia addicāt. Neque enim nouum est spiritualis regni gloriam sub externo splendore delineari. Opulentissimum ergo fore Christi regnum prædicit Dauid, sed pro spirituali eius natura. Vnde apparet quàm sceleratè & nequiter hoc loco abusi sint papistæ, vt ad se corraderent caducas mundi opes. Iam sub communibus populi votis, quibus commendabatur salus regis Deo, significat subditos fore voluntarios, vt nihil sibi optabilius esse ducant quàm eius imperio parere. Etsi autem iugum detrectant multi, hypocritæ etiam tacitè apud se fremunt, &, si daretur optio, libenter abolerent Christi memoriam: verè tamen in omnes pios competit hic affectus, non modò quia terrenis quibuscū que regibus officium hoc præstari iubet Scriptura, sed quia peculiari studio & cura tangi debent propagandi huius regni, in quo & relucet Dei maiestas, & eorum salus ac fœlicitas inclusa est: Ideóque videbimus Infrà, 118.d.25, precandi formam toti Ecclesiæ dictari, vt Deus regem hunc benediceret, non quòd indigeat suffragiis nostris Christus, sed hoc pietatis testimonium meritò exigit à suis cultoribus, quo etiam se exerceant ad postulandum regni Dei aduentum.

16 *Erit palma tritici in terra in capite montium: & concutietur sicut Libani fructus eius: & egredientur ex urbe quasi planta terræ.*

Erit palma tritici. Vel, pugillus frumenti. Hic canit Vates de terræ fertilitate regnante hoc rege, quasi dicat, Seminabitur exigua tritici portio in montibus, & quidem in ipso montis fastigio, vbi non talis est fertilitas qualis in planitie, vel saltem in colliculis: & tamē excrescet exigua illa portio tritici in tantam copiam & altitudinem vt similis sit arboribus Libani. Quòd si simplicius accipere libeat, sensus erit, tantam fore copiam tritici in verticibus montium vt metatur plena manu. Hæc abundantia fuit Solomonis tempore admodum eximia: nam (sacra historia teste) Iehudah & Israel plurimi, velut arena maris, erant edentes, bibentes & lætantes, 1. Reg. 4.b.20. Sub hac autem specie depingitur Dei benedictio: acsi dixisset Dauid plenam fore bonorum abundantiam sub regno Christo. *Concutietur.* Vel, Contremiscet, agitabitur, commouebit se, strepitum edet. *Sicut Libani.* Alii legunt, Sicut Libanus: sed genitiuus casus melius conuenit: quia durior est metonymia, quam alii reliquunt, nomen montis pro arboribus ponentes. *Et egredientur ex urbe quasi planta terræ.* Quidam, Et florebunt de ciuitate sicut herba terræ. Alii, Progerminabuntque. Hoc ad sobolis propagationem pertinet: acsi diceret Dauid, non modò omni genere fructuum fertilem terram fore, sed vrbes quoque fore generandis hominibus fœcundas. Pertinet autem hoc ad fœlicem regni statum vt multa soboles nascatur. dicit igitur vrbes non fore desertas, sed potius refertas magna hominum copia & multitudine. Non est quidem in his rebus vera & sempiterna fœlicitas, numero scilicet & rerum abundantia augeri, sunt tamen inter dona Dei, populo promissæ, si obediat. adimuntur autem irascente Deo, per bella, famem ac pestem.

17 *Erit nomen eius in seculum, coram sole propagabitur nomen eius: & benedicent se in eo omnes gentes, & beatum prædicabunt illum.*

Erit nomen eius in seculum. Hoc est, erit nomen eius perpetuò celebre. Rursus iterat Dauid quod de regni huius perpetuitate prius asseruit. Nec dubium est quin sedulò illud discernere voluerit à terrenis monarchiis, quæ vel statim euanescunt, vel ruunt tandem sua mole: certè suo interitu ostendunt nihil esse in mundo diuturnum & stabile. Quod autem nomen eius perpetuum fore dicit, non ita debet accipi quasi superstes futura sit mortui fama: (vt profanos quoque homines sollicitat hæc ambitio, ne suum nomen vnà sepeliatur cum corpore) sed de regno loquens Propheta nomen eius semper gloriosum & celebre fore dicit. *Coram sole propagabitur nomen eius.* Ad verbum, Coram sole filiabitur vel nepotabitur nomen eius. Hebraismus, pro Quandiu videbitur sol, nomen eius erit mnemosynum eius. Quasi dicat, Vt filios nos ducit in memoriam patris, & est eius memoria, sic erit nominis eius memoria in seculum. Dilucidior erit si interpreteris filiari pro propagari, hoc modo, Coram sole nomen eius propagabitur. Eodem enim sensu prius dixit, cum sole & coram luna. Nunc ergo postquam meminit seculi, exegeticè addit propagatum iri nomen coram sole. quasi dicat, Sicut sol quotidie oritur mundo, sic renouabitur huius regis vigor, vt perpetua sit successio, ne vnquam pessum eat. Sic alibi videbimus solem & lunam eiusdem æternitatis vocari testes, Infrà, 89.f.38. Vnde sequitur non posse hoc intelligi de terreno imperio, quod in familia Dauidis nonnisi ad breue tempus floruit: nec modò in tertio successore fuit emarcidum, sed tandem ignominiosè etiam extinctum. Christi verò regnum etsi in terra sæpe labascit (vt totius mundi furiosis odiis impetitur, & concutitur grauissimis Satanæ machinis) mirabiliter tamen à Deo fulcitur, ne concidat. *Et benedicent se in eo omnes gentes.* Hoc est, vt quidam Hebræorum exponunt, Solomon erit quasi formula benedictionis. quoties gentes volent sibi vel aliis bene precari, sument illud nomen, Beneficus sit Deus & liberalis quemadmodum se erga seruum suum Solomonem præstitit. Sæpe enim ita loquuntur Hebræi dum quispiam in exemplar benedictionis sumitur. Sicuti in Dauide sibi benedicit qui Deum sibi precatur non minus esse beneficum & liberalem quàm Dauidi fuit. sicuti etiam rursum dicitur in Sodoma & Gomorrha maledicere qui vrbium illarum nomina ad execrationem arripit. Si ergo in eundem sensum hæc duo verba posita sunt, benedicent se in illo, & beatum dicent: benedicere sibi in rege tantundem valebit ac sibi eandem precari fortunam: quia omnibus admirationi erit eius fœlicitas. Si verò distinguere inter hæc duo verba placeat, (quod non minus probabile est) benedicere in rege idem erit atque petere ab eo fœlicitatis suæ causam: quia nihil optabilius sibi esse videbunt gentes quàm leges ab eo suscipere.

Et beatum prædicabunt illum. Vel, Beatificabunt illum. id est, beatum dicent. Ista est ratio cur gentes benedicturæ sint se in Solomone, & regibus aliis. quia scilicet videbunt illos reges esse fœlices, & Dominum illis esse propitium. Quidam vertunt, Et gloriabuntur.

18 *Benedictus Iehoua, Deus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.*

Benedictus Iehoua. Vel, Laudandus Dominus. Hic David suo more per laudem & gratiarum actionem Psalmum concludit. Nam postquam suis successoribus precatus est, quia oraculo certior factus erat vota sua non fore irrita, ex beneficiorum Dei consideratione ascendescit eius animus ad glorificandum Deum. Nisi enim fidei oculis speculatus esset quæ hactenus vidimus, non tam libera & alacris fuisset eius exultatio. *Deus Deus Israel.* Hoc specificandi gratia adiectum est, ut vates admoneat eorum quæ Deus isti populo beneficia præstiterit, & iam tum præstabat. Ideo subdit, *Qui facit mirabilia solus.* Quod ad præsentem causam refertur minimè dubium est, non modò ut regni excellentiam commendet David, sed etiam seipsum & alios admoneat, opus fore ad eius conservationem mirifica & incredibili Dei virtute. Et certè per omnes ferè eius posteros non stetit quominus solium illud centies caderet, atque etiam absorberetur. Ne longius progrediamur, annon turpissima Solomonis defectio digna fuit exitiali ruina? Reliqui verò successores (exceptis Iosia, Ezechia, & Iosaphat, paucisque aliis) nonne certatim prolapsi sunt in deteriùs? & Dei maledictionem sic prouocarunt quasi data opera, ut mirum sit non statim fulminasse ad perdendam totam sobolem? Iam ut spiritu prophetico donatus erat David, quia eum non latebat Satanam Ecclesiæ saluti semper fore infestum, colligere potuit non sine magnis & arduis difficultatibus Dei gratiam, de qua nunc disserit, in sua gente fore æternam. Et certè euentus postea docuit quòd miraculis sua promissa Deus impleuerit, siue reditum ab exilio Babylonico spectemus, siue incredibiles quæ sequutæ sunt liberationes, donec Christus quasi surculus ab emortua stirpe prodiit.

19 *Et benedictum nomen gloriæ eius in seculum, & repleatur gloria eius vniuersa terra. Amen, & amen.*

Et benedictum nomen gloriæ eius. Vel, Et laudandum nomen decoris eius. David tribuit Deo nomen gloriosum, quod certe animi iudicium est nihil in Deo sentientis vel agnoscentis quod nō sit laude dignum. Simul etiam inuitat vates quoscunque ad agnoscendum & celebrandum Deum, & decus ac maiestatem nominis eius, quod vnum nobis datum sub cœlo est in quo saluari nos oporteat, Act. 4. b. 12. *Et repleatur gloria eius vniuersa terra.* Hoc meritò precatur David, quando ad vltimos vsque fines ampliandum erat regnum illud. Optat igitur ut non Iudæa solùm, sed & omnis terra gloria illius repleatur. Atque ut serio affectu, imo ardore bis votis se piì omnes socios adiungant, additur confirmatio, *Amen, & amen.* Voces sunt Hebraicæ, quæ significant, Verum sit & verum. Vel, Stabile & firmum sit. Aut, Ita fiat, ita inquam fiat ut vaticinatus sum.

20 *Finem habent orationes Dauidis filij Isai.*

Finem habent orationes Dauidis. Vel, Finem habent preces Dauidis. Hebræi aiunt versum hunc adiectum fuisse ab iis qui Psalmos Dauidis in ordinem redegerunt. Sed iam diximus hoc non frustra expressum fuisse à Solomone: siquidem ipse poeticis numeris argumentum hoc ornauit, non modò ne patrem suum fraudaret debita laude, sed ut acrius stimularet Ecclesiam ad easdem fundendas preces quas David ad vltimum spiritum continuauerat. Hæc enim quæ Psalmus canit, vltima fuerunt Dauidis vota: ut scilicet Deus sua iudicia & iustitiam sic filio Solomoni & cæteris suis posteris daret, quo ex sententia atque virtute eius, & fœlici ideo successu, populi Dei regnum administraret: cumprimis præcipuè ut mitteret tandem eū cui omnem in cœlo & terra potestatem traderet, ut datéque cœlesti Spiritu regeret, & ad æternam vitam formare atque perducere cunctos ab ipso huc destinatos: de quo simul ut alias, ita & hic præclarè adeo vaticinatus est. Meminerimus ergo tam serio affectu, quàm indefessa assiduitate orandum esse Deum ut sub manu filij sui Ecclesiam tueatur: efficiatque ut fœcunda Spiritus sancti agricultura (cuius meminit Paulus, 1. Cor. 3. b. 9.) crescant fideles ac fructificent. Hæc enim sunt mirabilia Dei, quorum memoriam irremissam seruat Ecclesia. *Filij Isai.* Videtur nomen patris Isai reuocare in memoriam, ut inde magis illustretur Dei gratia, quòd hominem ignobilem ex pecudum stabulo (qui etiam minimus & contemptissimus erat inter fratres) in tam excelsum honoris gradum extulerit ut regem præficeret electo populo, cuius curam abiicere non potest, quia eum mera sua bonitate sibi peculiarem fecit.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIII.

Quo piorum animi in fide diuinæ prouidentiæ confirmarentur, postquam Propheta Dei iustitiam & bonitatem prædicauit, ostendit quid sibi acciderit ex impiorum prosperitate, & quàm stultè ex præsenti rerum statu perperam sensio memoriæ iudicium ferre. Tandem concludit quàm infœlicem exitum habeat improborum fœlicitas, & rursus quàm fœlicem piorum infœlicitas.

PSalmus Asaph.

Psalmus Asaph. Id est, traditus ipsi Asaph cantori decantandus. Ita exponunt Hebræi. Sunt qui dicunt nomen Asaph poni, præterito Dauidis nomine, sicuti res per se notæ sæpe taceri solent.

Atqui bonus [est] Israeli Deus, rectis corde.

Atqui bonus est Israeli Deus. Vel, Attamen, Veruntamen. Alij legunt, Profectò, alij vtique. Sed particula אך non simpliciter affirmat hoc loco, sed aduersatiuè capitur pro Veruntamen. Videtur enim abruptum esse exordium: quia David antequam in hanc vocem erumperet, inter dubias & pugnantes sententias æstuauit. Nam, ut strenuus athleta, seipsum exercuerat in pugnis difficillimis: postquam verò multum diúque sudauit, discussis impiis imaginationibus, constituit Deum tamen seruis suis esse propitium, & salutis eorum fidum esse custodem. Ita subest antithesis inter prauas imaginationes, quas suggesserat Satan, & hoc veræ pietatis testimonium, quo nunc se confirmat: acsi malediceret carnis suæ sensui qui dubitationem admiserat de prouidentia Dei. Nunc tenemus quàm emphatica sit exclamatio: quia non ascendit David suggestum ut disputet philosophico more, & concionem artificio sermone contexat: sed, quasi ex inferis emergeret, pleno spiritu iactat quā adeptus erat victoriam. Nam ut suo exemplo doceat quàm arduum sit certamen, viscera sua quodammodo profert in medium: & plus aliquid vult intelligi quàm verbis exprimat. Summa est, quamuis in speciem negligat Deus suos cultores, fauore tamen suo eos semper complecti. Nam specialiter Dei prouidentiam celebrat in tegendis fidelibus: ut sciant nō modò cum aliis creaturis diuinitus se gubernari, sed Deum in eorum salutem peculiari cura attendere, non secus ac paterfamilias sollicitè curat suos domesticos. Tametsi ergo totum orbē moderetur, Ecclesiam tamen suam quam tuendam suscipit, propiore intuitu dignatur. Ad eundem modum querelis suis & Ieremias præfatus est, dicēs, Iustus es Iehoua, quū iure tecū egero, attamen iudicia (id est quæ videantur rationem aliquā habere) loquar tecum. Quare institutum improborum prosperatur, fœliciter habent quicunque iniuriæ sese dediderunt? Ierem. 12. a. 1. *Bonus est Israeli.* Hoc est, populo electo & sancto. *Rectis corde.* Vel, mūdis corde. Vbi Israelem nominauit, statim hoc nomē ad rectos corde restringit. In quo correctionis species est. Multi enim qui superbè obtendunt Israelis nomē, acsi præcipua essent Ecclesiæ mēbra, Ismaelitæ sunt ac Edomitæ. David ergo expūgere volēs è catalogo piorū degeneres Abrahæ filios, neminem agnoscit in Israele nisi purum & integrum Dei cultorem. acsi diceret, Quum Deum prædico Israeli suo bonum esse, non de omnibus intelligo, qui externa tantùm professione contenti fallacem titulū præ se ferunt: sed de spiritualibus Abrahæ filiis, qui se puro cordis affectu Deo consecrant. Sic veros Israelitas discernit Paulus ab adulterinis, Rom. 9. b. 6, Et Gal. 6. d. 16. Christus etiam de Nathanaele dicebat, Hic est verus Israelita in quo dolus non est, Iohan. 1. g. 47. Nam quia apud Iudæos, extincto Dei timore, sola ferè manualis restabat circuncisio, Christus legitimos Abrahæ filios à fucatis hac nota discernit quòd dolo puri sint ac vacui. Et certè in Dei cultu primas partes obtinet interior cordis synceritas. Ut enim Deus Spiritus est, ita veri ipsius cultores illū in spiritu & veritate colere debent, Iohan. 4. d. 24. Non quòd oris & manuum munditia ad pios non pertineat, (quum & illa requiratur Supra, 24. b. 4.) sed quòd ista quæ cordis est, veluti fons quidam sit huius externæ.

2 *Et ego, penè declinauerunt pedes mei, quasi effusi sunt gressus mei.*

Et ego. Vel, quantū ad me. Similis loquutio & Suprà, 53. e. 13. & 69. e. 14. Quidā, Parum abfuit quin lapsi sint pedes mei. David referēs sua tētationes proposuit se nobis exemplum, ut eo magis excitaret nos & stimularet ad sollicitum cauendi studium. Etsi autem non succubuit, se tamen parum à la-

psu abfuisse dicens, admonet omnibus instare cadendi periculum nisi eos forti manu Deus retineat. [M]Simul etiam videmus ingenium hominis pii ac Dei timentis, qui tantum habet pietatis & integræ fidei studium vt non contentus non esse lapsum se, etiam de eo queratur quòd pene lapsus sit. Multi (proh dolor) ne tum quidem dolent & queruntur quando totâ fidei synceritate prolapsi, in peccatorum immunditiis ac sordibus iacemus. *Quasi effusi sunt gressus mei.* [V]Hebraismus, pro Fere nihil abfuit quin recesserim, nempe à mandatis Dei. Metaphora ab aqua, quæ dum effunditur, locum mutat.

3 *Quia æmulatus sum in stultis, pacem impiorum videns.*

Quia æmulatus sum in stultis. [V]Vel, Quia zelaui in insanos, Zelo raptus sum in insensatos. Alii, Verbat me æmulatio propter stultos. Alii, Æmulatus sum in stolidis. *Pacem impiorum videns.* [V]Vel, quum viderem pacem impiorum. Sic vocat prosperum improborum in omnibus rebus successum. [C]Explicat Vates ipsam tentationis speciem, quòd scilicet impios ex præsenti fortuna fœlices æstimans, inuidia tactus fuerit. Grauis & noxia tentatio, vbi non modò tacitè cum Deo litigamus quòd res in ordinem non componat, sed etiam habenas nobis laxamus ad peccandi audaciam, dum nobis videmur id impunè facturi. Celebre est illud Dionysii minoris dicterium, quum spoliato templo prosperam nauigationem haberet, Viderisne deos (inquit) fauere sacrilegis? Ita eorum prosperitas peccandi est illecebra: quia fingimus Deo placere quibus iam suauiter indulget. Sic Dauidè pupugit prospera illorum conditio, acsi nihil melius foret quàm se adiungere socium. [M]Porro quum impios, stultos vel insanos vocat, non intelligit eos ratione & sapientia mundana destitutos esse: sed stultitiam taxat cui coniuncta est impietas. [A]Significat enim eos qui metu Dei vacui securè sibi in huius mundi deliciis indulgent & pios, quibus cordi est in timore Dei ambulare, non oderunt modo sed etiam persequuntur. [C]Proinde non intelligit eos inscitia vel errore peccare, sed eorum vesaniam timori Dei opponit, qui est caput sapientiæ, Infrà, 111.b.10. Quamlibet enim astuti sint impii, quia tamen principium recti iudicii non tenent, ad Dei arbitrium formandam esse vitam nostram, in sua cæcitate insaniunt. [A]De hac stultitia impietati coniuncta vide Suprà, 5 a.6, & 14.a.1. [B]Vehemens autem est hæc tentatio, nihil ferme iis qui Deo student succedere, impiis autem omnia, & quidem contra sanctos.

4 *Quia non sunt ligamina ad mortem ipsorum: quin pingue est robur eorum.*

Quia non sunt ligamina. [B]Nunc successum improborum, & inde natum fastum, arrogantiam, violentiam, & petulantiam describit. [C]Nam impiorum commoditates totidem sunt ad labefactandam piorum fidem machinæ. *Ad mortem ipsorum.* [V]Vel, in morte eorum. Incipit à prospera valetudine, quòd vegeti sint ac robusti, nec ægrè per continuos languores spiritū trahant. Quidam ligamina ad mortem accipiunt pro remoris, acsi dixisset eos repente mori in temporis articulo: neque luctari cum doloribus (Sicut etiam in libro Iob. 21.b.13.) terrena censetur fœlicitas vbi se oblectauerunt profani in suis lautitiis, in puncto ad sepulchrum descendere. Et Iulius Cæsar, pridie quàm occideretur, sibi ἀδοκήτως videri dixit, subitò & inopinato mori. Ergo secundum illos interpretes conqueritur Dauid sine molestia & ægritudine impios facili & æquabili cursu trāsire ad mortē. Sed verior est eorū sentētia qui cōiunctim legūt hæc duo mēbra, pingue esse robur eorū, & non esse ligamina ad mortē: eo quòd non trahātur ad mortē quasi captiui. Nā quia morbi vires nostras prosternūt, totidē sūt mortis nūtii qui nos fragilitatis nostræ admonent. Ideo non frustra cōparantur vinculis, quibus nos Deus ad iugū suū astringit ne vigor & robur ad petulantiam nos incitent. *Quin pingue est robur eorum.* [V]Vel, Et sana est fortitudo eorum. Vel, Quin integrum robur eorum. Quidam, Sed sani sunt, vt palatium foris. Alii, Quin pingues sunt, & prævalidi. [A]q.d. Semper deliciantur & optima sunt valetudine.

5 *In labore hominis non sunt, & cum homine non flagellātur.*

[E]*In labore hominis non sunt.* [V]Vel, In miseria, vel molestia. q.d. Immunes sunt omnium miseriarū & afflictionum. [A]Nam vt versu præcedenti de prospera eorum & florente valetudine questus est, ita hoc queritur quòd & alia ex animi sententia ipsis succedant, nulla vt cæteri homines molestia premantur, nullis calamitatibus lædantur. Solet nanque nonnunquam Deus aliquos insignitè impios & violentos homines, diuitiis & copiis, dignitate ac potentia ad miraculum vsque euehere, quo primùm suis materiam exercendæ fidei obiiciat, tum doceat quàm parui externa ista, nō tam bona quàm bonorū simulachra æstimet: denique tanto magis conspicuū reddat & formidabile suū in illos iudiciū, quos quo erexit sublimius, eo solet grauius rursum deiicere, & florentes vigentésque, velut cedros, subitò excindere, vt vbi fuerint nusquam appareat. sicuti habetur Suprà, 37.g.35. [B]Interea tamen hæc grauis tentatio est, quum laboriosa sit & miseriis referta hominum vita, atque omnibus præscripta sit hæc lex ac ratio viuendi, Gen. 3.d.19, cernere Dei contēptores in suis deliciis quiescere, acsi è mūdo in cœlestem aliquem nidum sublati forent. *Et cum homine.* [A]Singulare pro plurali, cum hominibus. *Non flagellantur.* [C]Hoc est, Læta quiete fruuntur, & quasi priuilegio quodam immunes sunt à miseriis quibus obnoxium est totum genus humanum. [A]Flagella vocat miserias & ærumnas quibus homines Deus visitare & corrigere solet: vt sunt pestilentiæ, fames, bella, &c. [M]acsi diceret Propheta, Si fames immittitur, ipsi omnis generis opibus abundant: si pestis, vel fugiunt, vel ab omni quantum possunt illius abstinent contagione, & ab omni eorum commercio qui flagellātur, sibi studiosissimè temperāt. Si bella, rursus vias inueniunt quibus tempestatem illorum euadant. [F]Insumma, rebus suis omnibus intactis lautè admodum mundo hoc vtuntur.

6 *Ideo ut torques circundat eos superbia, operuit eos amictus violentiæ.*

Ideo ut torques circundat eos superbia. [B]Queritur hoc versu de fastu & arrogantia eorum, quibus velut torque & veste circūdati sunt. [C]Imò longius progreditur hæc querimonia, quòd Deus quum ipsos videat sua humanitate indignè & scelerate abuti, eorum tamen ingratitudinem & contumaciam toleret. [A]Quoniam (inquit) nullis morbis quasi vinculis ad mortem trahuntur, sed sunt prospera valetudine, quia etiam exempti sunt à miseriis quibus obnoxium est totum humanum genus: hinc fit vt fastu & iniquitate toti circūdētur. [M]Nā & se magnifaciunt, & cæteros omnes qui in labore hominum sunt, præ se fastidiunt. *Operuit eos amictu violentia.* [V]Quidam, Induitur quisq; eorū veste violētiæ. Singulare pro plurali, Induūtur veste violentiæ. id est, per violētiam parta. Alii vertunt, Amictus violentiæ inuoluit eos. Alii, Violentia amicit illis nates. Sed hoc à contextu omnit est remotum. Alii, Operiet (occultabit) se, vt tollat prædam sibi. [C]Sed Propheta vtitur similitudine vestitus, vt eos ostendat in maleficiis gloriari. Verbū ענק à torque deducitur. itaque impios dicit sua audacia & furore non secus gloriari acsi splendidè aureo torque ornati forent: violentiam illis esse pro amictu, quoniam in ea pulcherrimū decus esse existimant. Postquam ergo à capite incœpit (nam verbum ענק coronare etiam significat) nunc vno verbo complecti voluit totum vestitum. Summa est, excæcari impios sua fœlicitate, vt magis ac magis insolescant. [M]Et sanè stultorum animos ita excæcat externa fœlicitas, vt putent se iam semideos esse, obliti quòd homines sunt, & ab omnibus adorari cupiant. Quare non abs re Paulus Timotheo iubet vt diuitibus præcipiat ne sublime sapiāt, & c.1. Timoth. 6.d.17. [C]Aptissimè verò superbiam priore loco statuit Propheta, deinde violentiam addit comitem. Vnde enim fit vt rapiant ac prædentur vndecunque impii, tantúmque sæuitiæ exerceant nisi quia pro nihilo ducunt omnes alios, quin potius sibi natū esse fingunt humanum genus? Ergo superbia omnis violentiæ mater. [M]contrà tenuitas, & huius vitæ miseriæ, calamitates, & flagella disciplinæ Dei, animi humilitatem & modestiam vt plurimum pariunt, & libidinem inferendi iniurias adimunt, vt vel ex ipsis vtrinque fructibus appareat vtrum melius sit ac beatius, vtrum Christiano homini appetēdum magis, an quod impiis hic datur, an quod humanæ miseriæ & disciplinæ Dei adscribitur. Certè singulari diuinæ prouidentiæ, imò bonitati tribuendum est, si causæ insolescendi & iniquè agendi adimantur.

7 *Egressi sunt præ adipe oculi eorum, transierunt cogitationes cordis.*

Egressi sunt præ adipe oculi eorum. [V]Ad verbum, Egressus est præ pinguedine oculus eorum. [E]Id est, prominēt eis oculi præ pinguedine, &c. Subiicit enim non esse mirum si ita petulanter ferociunt impii, quum ipsa pinguedo & sagina fere eiiciat eorum oculos. Quanquam sciendum est non de forma corporis loqui Dauidem, sed metaphoricè exprimere fastum quo inflantur impii ob nimiam saturitatem. Nam ita se ingurgitant in suam abundantiam vt arrogantia deinde crepēt. [V]Vel, Ita affluunt omnibus copiis vt multum illis supersit. *Transierunt cogitationes cordis.* [A]Hoc bifariam exponi potest, primo, Modum excesserunt cogitando. [V]Hoc est, plus cogitarunt quàm par sit homines cogitare. [C]Nō enim sese continēt intra communem modum, sed mentes suas longius efferunt, & etiam in suis consultationibus nubes transcendunt. sicuti sæpe agi-

tent quomodo occupare possint totum mundum : imò vellent sibi creari alios mundos: denique, vt sunt insatiabiles, vaga & effræni cupiditate transuolant cœlum & terram. [a]Altera expositio non malè quadrat, prosperos eorum successus superare quicquid animo concipiunt. Et certè videmus quosdã plus adipisci quàm optarint, acsi ipsis dormientibus fortuna in eorum gratiam retia tenderet: sicuti lepidè hac forma pinxerunt Demetrium regem, qui tot vrbibus potitus erat, homo alioqui neque industrius, neque vigilans, neque magni consilii. Si ita accipere libeat, exegetice additum erit hoc membrum ad pinguedinem (cuius antè meminit) definiendã, quòd scilicet Deus supra vota & cogitationes, bonorum omnium copiam illis ingerat. [a]Qua de re vide Luc.12.c.16.19, & 16.e.19.

8 *Diffluunt & loquuntur in malitia calumniam, de excelso loquuntur.*

Diffluunt, & loquuntur in malitia. [b]Alii, dissoluunt. Vel, dissolutos reddunt, sub. perfectos verbis suis malis. acsi diceret Vates impios formidolosos esse adeo, vt quum appareant sint omnibus terrori. [c]Sed quia grammatica ratio neutralem quoque sensum admittit, aptior contextui sensus esse videtur, quòd homines se esse obliti, & dissoluta audacia pudorem omnem calcantes, suam improbitatem non dissimulent: imò palam glorientur de suis rapinis. [b]Q.d. Lasciuiũt in tãtã superbiã vt nullus sit modus, nullis putant se legibus teneri, ab omni ratione vitæ probatæ diffluunt. in summa, obliuiscuntur se esse homines. [a]Lætantur enim quum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Prouerb.2.c.14. acsi Deus malorum quæ admittunt rationem nullam exposcere vnquam deberet. [c]Et certè videmus impios, vbi aliquandiu votorum suorum fuerunt compotes, exuere omnem verecundiam, nec captare latebras ad peccandum, sed pleno ore suam turpitudinem efflare. Quid? annõ possum te spoliare omnibus fortunis, atque etiã iugulare? Possunt quidẽ hoc latrones: sed metu se occultant. Gigantes autem isti vel Cyclopes de quibus loquitur Dauid, nõ modò se exleges esse fingunt, sed immemores suæ infirmitatis intemperanter despumant, acsi nullum esset recti & iniqui discrimen. *De excelso loquuntur.* [b]Vel, è sublimi loquuntur. Vel, de celsitudine. [b]Fastum notat & arrogantiam. [b]q.d. Cum fastu & superbia alios despiciunt, tanquam supra alios collocati sint, & non è communi hominum sorte. Vel, putant sibi omnia licere: ideo insolenter quiduis loquuntur, [c]& suas contumelias euomunt in omnium capita. Sicut enim despicere apud Latinos, & καταβλέπειν apud Græcos dicuntur superbi homines, qui neminem recto aspectu dignantur: sic Dauid impios è sublimi loquentes inducit qui nullam sibi cum hominibus societatem esse putant.

9 *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum perambulat in terra.*

Posuerunt in cœlum os suum. [a]Vel per præsens, Ponunt in cœlum os suum. [u]Dicit tam in Deum quàm in homines esse contumeliosos: quia nihil illis est arduum, sed suo arbitrio subiiciunt cœlum & terram. [a]q.d. Neque superis, neque inferis parcunt, in omnes venenatam suam linguam exacuunt. [u]Nam tanta temeritate & insolentia tumet ipsorum lingua vt cum diuina cum humana susque dèque faciant, dèque diuinis temere pariter & de humanis loquantur, quasique & diuinarum rerũ & humanarum magistri audiantur & suspiciantur. [c]Siquis ergo illis Dei potentiam obiiciat, audacter perrumpunt, ab hominibus nihil sibi difficultatis fore putant: ita nullis obstaculis cedit magniloqua eorum lingua, quin totam terram perambulet. [a]De Deo irreligiosè, de hominibus contemptim loquuntur, semper sese iactant, grandia minantur, & quiduis impetunt. in summa, *Lingua eorum perambulat in terra.* [b]Hebraismus, pro, Etiã de hominibus male loquũtur, vt de Deo. subiiciunt suæ libidini quicquid est in cœlo & in terra. [a]Itaq; etsi videtur hyperbolica loquutio, si tamen expendimus quã effrænis sit eorum proteruia, fatebimur Prophetam non aliud docere quàm experientia demonstrat.

10 *Ideo reuertetur populus eius huc, & aquæ pleni exprimentur eis.*

Ideo reuertetur populus eius huc. [a]Nunc Propheta ostendit quomodo impii ita insolescentes & prosperitate abutentes plurimos ad impietatem suam sollicitent. [c]Pendet autem hic versus ex superiori sermone, hoc sensu, multos qui habiti fuerãt in Dei populo, abripi hac tentatione ac naufragio, etiam absorberi. Neque enim videtur de electis loqui, sed tantùm notare laruatos Israelitas, qui locum in Ecclesia occupant. Hos ergo dicit loco suo demergi, quia stulta æmulatione decepti Deo & pietati valedicunt. Quãquam poterit etiam commodè hoc referri ad electos, quorum permulti adeo impetuosè exagitari ista tentatione vt se conuertant ad obliquos errores, non quòd sceleribus se addicant, sed quia non persistũt in firmo gradu. [b]Acsi diceret Propheta, Non modò vulgus profanum, sed etiam fideles, qui agnoscunt Deum sincere & puro animo colendum esse, illi fere obruentur hac tentatione: parumque aberit quin ad mala ruant, & adiungant se improbis, inuidentes illorum fortunæ. Etsi enim propositum illis est Deum colere, impellentur tamen ad illicitam æmulationem. *Et aquæ pleni exprimentur eis.* [b]Adiectiuum sine substãtiuo, propterea subaudiri debet genitiuus calicis. [c]Videtur esse causæ redditio: quia eos torquet mœstitia, dum nullus apparet pietatis fructus. Nam aquis scaturientibus translatitiè positum est pro haurire immodicos dolores. [a]Significat ergo Vates populum Dei haurire magnum dolorem & cruciatum ex prospero illo successu in quo sibi placent improbi. [b]Sunt tamen qui hunc versum ita interpretãtur, Propterea conuertet (sub. Deus) populum suum huc, ad studia scilicet pietatis, & inde ad veram fœlicitatem, abstractos ab impiis quorum fallax & euanida est prosperitas. Et sugentur ab improbis aquæ calicis pleni toxico: hoc est, tãdem obruentur malis difficillimis. Sed prior sententia sequentibus magis quadrat.

11 *Et dicunt, Quomodo intelligit Deus? & an est scientia in Excelso?*

Et dicunt. [a]Sub. fideles. Quidam, & dicent. *Quomodo intelligit Deus.* [c]Existimant nonnulli Prophetam redire ad impios, & referre eorum ludibria & blasphemias, quibus se ad peccandũ instigant: sed explicatur hic potius quod proximo versu dictum fuerat, fideles ad impia commẽta delabi, vbi caduca impiorum fœlicitas oculos ipsis perstringit: nempe quia disputant sitne in Deo scientia. [b]Videtur enim in mũdo res confusæ esse, dum impiis bene, bonis verò malè esse manifestũ est: inde fides ipsorum concutitur, vt inclinent in hanc blasphemiam, mundum non gubernari à Deo, nec habere rerum humanarum curã. Quomodo (inquiunt) cognoscit Deus? Existimat enim ratio humana, si Deus cognosceret quæ improbi designant, quum iustus sit, nequaquam tãta eis permissurum, nedum tantam fœlicitatem donaturum. [c]Quantum ad profanos homines spectat, nimis inter eos vulgaris est hæc insania. Est quidem hoc carmen Ouidii, Sollicitor nullos esse putare Deos: sed quia scimus à poetis exprimi communes hominum sensus, professus est, quasi in populi persona, simulatque aliquid aduersi contigit, effluere omnem Dei notitiam. Neq; tantùm ambigunt sitne Deus, sed cum eo disceptant, ac iurgãtur. Quid enim sibi vult illa vox, Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis, nisi quòd iniustitiam exprobrat? nulli est quæ ea animi sententia non tractarint. Ergo hoc inter incredulos nimis vulgare ac tritum, negare mundum curæ esse Deo. Sed hic refert Dauid ipsos quoque fideles vacillare: nõ quòd prorumpant in istam blasphemiam, sed quia non possunt statim se cohibere vbi cessare videtur Deus in suo officio. Nota est illa expostulatio Ieremiæ, Iustus es Domine, & recta iudicia tua: interim venit in mentem litigare tecũ quòd via impiorum prosperetur, Ierem.12.a.1. Hinc apparet quomodo pias quoque mentes pungat dubitatio de prouidentia Dei, sed tamen non penitus vulneret: quia præfatur Ieremias frænum hoc modo sibi iniiciens. Neque tamẽ semper ita maturè præoccupant Satanæ insidias, quin dubitãdo inquirant quomodo fieri possit vt Deus, si mundum respicit, rebus tam inordinatis non succurrat. Eorum qui impie contra Deum blaterant, eius prouidentiam negando, sunt duo genera. Quidam enim palam euomunt suas blasphemias, quòd Deus otio suo & deliciis cõtẽtus, fortunæ omne imperiũ permittat. Alii, quãuis taciti intus sorbeãt suas cogitationes, fremũt tamẽ nihilominus, & Deũ iniustitiæ vel torporis accusant, quòd cõniueat ad scelera, pios negligat, sinátque omnia dissipari ac pessum ire. Pii autem, antequam prauæ istæ & nefandæ cogitationes penetrent in eorum animos, sese exonerant in Dei sinum, neque aliud petunt quàm acquiescere in arcanis eius iudiciis, quorũ ratio ipsos fugit. Sensus ergo huius loci est, nõ modò impios, quum vident res in mundo turbulentas, fortunæ dare cæcum imperium: sed ipsos quoque fideles concuti, vt ambigant de prouidentia Dei: & ineuitabiliter retineri Dei manu, ne in hac abysso prorsus mergantur. *In excelso.* [u]Notanter dicit Propheta in excelso. Exprimit enim cogitationem imperitorum, qui putant Deum ita habitare in excelso cœlo, vt procul sit à nobis, nec videat & cognoscat res nostras. Hoc impio sensu quidam illud vsurpant, Cœlum cœli Domino, terram dedit filiis hominum, Infrà, 115.c.16.

12 *Ecce, isti impij & tranquilli in seculum multiplicant diuitias.*

Ecce, isti impij. [u]Ratio est qua putant plerique Deum in ex-

celso non curare quid mortales in terris agãt. Imò Propheta quasi per hypotyposin demonstrat qualis fuerit ista æmulatio quæ eius animum propè labefactauit, Ecce, quum isti scelerati sint homines, quiescunt tamẽ beati in suis deliciis & potentia eminẽt: neque id ad paucos dies, sed diuturnos, & quasi perpetuo cursu. Quid autem minus consentaneum quam liberaliter à Deo tractari eos quorum apud homines infamis est ac detestabilis improbitas? Nam quo improbiores sunt, hoc illis tranquillius res omnes fortunare Deus videtur. Qui hæc in animo versant, sapiunt hactenus quòd discernunt inter pietatem & impietatem, deinde quòd meritò bene fieri debeat à Deo piis, & malè impiis: sed hic desipiunt, quòd carnali prudentia iudicant de bonis huius vitæ, quum potius agnoscere deberent æterna & verè bona cõseruari piis tanquam propria & hæreditaria, terrena verò & pecudibus cũ hominibus esse communia. Admirantur auri, argenti, æris, lignorum, lapidum, lanæ, lini, panis, vini, & id genus terrenarũ rerum splendorem & copiam, quasi ista sint præmia piorum, & non inueniantur in speluncis montium & cauernis, in arena fluminum, in ouibus, syluis, campis, agris, bestiis, &c.

Tranquilli in seculo. Alii, pacati seculi. Vox עולם perperà hic pro mundo à multis accipitur: quia potius conqueritur Vates de stabili & diuturna fœlicitate impiorum, quæ tædio moræ bonum conficit. Quum ergo sceleratos videat Propheta tam suauiter à Deo foueri, ad seipsum descendit: & quia sibi veræ probitatis conscius est, secum disceptat quid profuerit iustitiam colere, eo quòd miserè affligetur. *Multiplicant diuitias.* Vel, augent facultates, Alii, coaceruant diuitias.

13 *Certè frustra mundaui cor meũ, & laui in mũditia man⁹ meas.*

Certè frustra mundaui cor meum. Vel, Verè in vanum mundaui cor meum. Acsi diceret, Si nulla est scientia rerum humanarum coram Deo, quid mihi proderit iustitiæ studium? Video lusisse operam qui tam anxiè vt puro essem corde elaboraui. Vide similem locum Malach. 3. d. 14. Certè ingens hodie peruersitas est quòd facilius persuadentur homines Deum coli & placari traditionibus humanis quàm vero isto cordis mũdandi & manus cũ innocẽtia lauãdi studio. Hinc nequit mũdus auelli, istinc omnium facillimè abducimur: quum tamẽ Christus dicat, Frustra colunt me docentes doctrinas præcepta hominum, Matth. 15. a. 9. *Et laui in munditia* (vel innocentia) *manus meas.* Quia duabus partibus constat vera integritas piorum, nempe puritate cordis & externa operum iustitia, vtranque partem Propheta sibi vendicat. Nos quoque eius exemplo discamus eas coniungere, ac incipere quidem à munditie cordis, deinde verò eam testari rectitudine & iustitia apud homines. Cæterùm, licet nemo sit qui mundum facere queat quod de immundo semine conceptum est, nisi solus ille qui singulatim hominũ corda finxit, vt puritas cordis absque vlla contradictione sit donum Dei: nihilominus sancti huc luctantur vt cordibus sint puris, idque per gratiam Dei, qui fide corda suorum purificat, Act. 15. b. 9. Et hoc faciunt dum per timorem Dei, peccatorum immunditiam cauent, & corda sua custodiunt. Quo spectat Solomonis exhortatio, Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Prouerb. 4. d. 13. Vide etiam 2. Cor. 7. a. 1. Et Iac. 4. b. 8. Et 1. Iohan. 3. a. 3.

14 *Et fui flagellatus omni die, & increpatio mea singulis matutinis.*

Et fui flagellatus omni die. Vel, quotidie. q. d. Sine intermissione affligor. Vnde colligimus multas esse piorum afflictiones, sicuti etiam Suprà, 34. d. 20 dicitur. Et Paulus dicit per multas tribulationes oportere ingredi in regnum Dei, Act. 14. d. 22. *Et increpatio mea singulis matutinis.* Sunt qui versum hunc sic conuertunt, Nam quotidie plagas fero, singulisque matutinis afflictio mea est. q. d. Ita flagellor, siue affligor, vt ne momentum quidem quietis habeam. Simulatque surgo, & quoties sol exoritur, videtur excubias egisse aliqua noua miseria, quæ me exciperet, adeo vt nullus sit miseriarum finis. Notandum hic est quòd Propheta afflictiones suas vocat flagellationem & increpationem. Flagellabatur quidem ab inimicis, sed non vt eum erudirent aut castigarent, verùm vt perderẽt. Interea opus Dei agnoscit, qui solet suos increpare & flagellare, ne pereant, more probi parentis qui flagellat filium suũ quem diligit. Sic dicit infrà se visitaturum in virga iniquitates suorum. &c. Psal. 89. c. 33. & 1. Cor. 11. g. 32. & 1. Pet. 4. d. 17. interea admonemur vt in rebus aduersis constituti vitæ nostræ à nobis ipsis rationem exigamus, quanam in re deliquerimus, & Patri nostro cœlesti increpandi & flagellandi nos causam dederimus.

15 *Si dixero, Narrabo sic: ecce generatio filiorum tuorum, transgressus sum.*

Si dixero. Vel, si dicam. Hactenus Propheta carnis cogitationes recensuit: nunc ponit cogitationes spiritus recipientis se ab æstu carnis. Ostendit enim quomodo ad se redierit. Nam quũ suas cogitationes quibus tentatus fuerat, peruersas esse videt, frænum sibi inicit, suámque leuitatẽ coarguit, quòd sibi ambigere permiserit. *Narrabo sic.* Narrare hic tantundem valet ac pronunciare quod meditatus sis. q. d. Si iudicium quasi de re certa proferam, scelerata erit transgressio.

Ecce generatio filiorum tuorum transgressus sum. Variè exponitur hoc membrum, sed simplex sensus est, Si impiæ dubitationi assentiar, transgredior: quia ecce perdurant fideles in mundo, & semper populum aliquem tibi cõseruas. Atque ita quũ antè suspensus hæreret, nunc se grauiter peccasse agnoscit. Et addit rationem, quia Deus populum aliquem in mundo superstitem tuetur. Et videtur demõstratiuam particulam Ecce repetere ex opposito, quia versu 12 dixerat, Ecce, isti impii, &c. Ecclesiam verò, quæ tam furiosè à Satana & innumeris hostium copiis impetitur, saluam manere, verè diuinum miraculum est. Ergo Propheta in medio cogitationum suarum cursu se cohibet, & retrahit mentem ab illis peruersis cogitationibus, acsi diceret, Quid tu agis? si sic pronũties, annon vides te in Deum maximè contumeliosum? Vates autem nunquam prorupit in eam audaciam vt diceret negligi mundum & res humanas à Deo, neque ita apud se statuebat: sed, tametsi varias cogitationes haberet, continuit tamen se, & tandem vidẽs naufragii periculum, vela retraxit: & agnouit bono piis cedere omnia, & Patrem cœlestem plusquam paternam pro ipsis curam gerere.

16 *Et, si applicui animum ut scirem hoc, molestia id fuit in oculis meis.*

Et, si applicui animum. Quidã, Cogitaui itaque. Alii, Et cogitabam. Dictio Hebræa significat supputare, & expendere, siue considerare. Quare verti potest, Adieci itaque animum. Vel, Applicui studium meum (aut cogitationem meam) ad sciendũ hoc. Canit Vates vt conatus sit rationem peruestigare huius arcani, nec potuerit, quamlibet se huius causa torsisset, atque adeo afflixisset, donec in Sacraria Dei fuisset ingressus, & intellexisset postrema impiorum, quæ sempiterno exitio excipiuntur. *Molestia id fuit in oculis meis.* Vel, res molesta. Vel, laboriosus, aut irritus. Q. d. Quoties de hac quæstione disseraui sine Spiritu tuo, laborẽ maximum mihi peperi, & nihil profeci. Etiam siquis ratione prædius, vt sunt homines, studeat cognoscere rationem operum Dei, quomodo regat hũc mundum, ita sinat res confusas & perplexas in terra, implicabit se multis molestiis, nec tandem poterit reperire aliquem exitum, sed manebit illi labor molestus & inutilis.

17 *Donec ingrediar in Sanctuarium Dei, & intelligam nouissimum eorum.*

Donec ingrediar in Sanctuarium Dei. Quidam, Donec ingressus sum, Alii, Donec ingrederer in Sanctuaria. Alii, Secretiora Dei, adyta. Sed Sãctuarii nomine intelligit Vates cœlestẽ doctrinã. Quia enim Lex reposita erat in Sãctuario, inde petẽda erãt oracula, & hæc veracitas discẽditario, sicut Vates ingredi Sanctuaria posuit pro accedere ad Dei scholã. Acsi diceret, Donec sit De⁹ mihi magister, & ex ei⁹ verbo discã quod alioqui mẽs mea nõ capit, in reputãda mũdi gubernatione deficio. Ergo Sanctuariũ vel Sacrariũ Dei pro perceptione diuinæ eruditionis posuit, quæ tum percipitur dum abstractus à creaturis animus, voluntati diuinæ discendæ & amplectendæ totum se sancta contemplatione addixit. Id vbi quoque sancti faciũt, ibi Sacraria Dei ingrediuntur, & docentur conditionem improborum minimè à præsenti splendore, sed ab infœlicissimo potius exitu æstimandam. *Intelligam nouissimum eorum.* Vel, finem eorum, nempe impiorum, qualiter scilicet de illo pronunciat Dominus in Scripturis, & interdum ipse etiam effectus & experientia demonstrat. Nam per finem illorum vel nouissima, non intelligit vitæ exitum qui perspicitur ab hominibus (quid enim opus fuisset in Sanctuaria Dei ingredi?) sed extenditur hic finis ad Dei iudicia, quibus palam facit, quum dormire vulgo creditur, se in opportunum tempus pœnas differre quas promeriti sunt improbi. Hoc paulo fusius explicãdum est. Si ex Deo qualis sit impiorum conditio discere cupimus, respondet, vbi paulisper floruerint, subitò marcescere. Quòd si continuo cursu fluat illis fœlicitas vsque ad mortem, hoc tamen nihil est, quum eorum vita nihil sit. Quum ergo Deus impios omnes malè perituros pronunciet, si apertam in hac vita vindictam de illis sumit, occurrat nobis Dei iudiciũ: si autem nulla vltio in terra appareat, mentes nostras suspendere conuenit: quia nõdum aduenit finis vel nouissimus dies. Denique si in considerandis Dei operibus rite proficere cupimus, primùm rogandus est vt nobis aperiat oculos: (quia nihil aliud quàm desipiunt qui à seipsis volunt esse oculati &

perspicaces:) deinde authoritas verbo eius danda est. Nemo itaque præsentem impiorum fœlicitatem inspiciat quin simul expendat quid Dominus de illis facere decreuerit, & agnoscet quàm magno sit vsui hæc prudentia. Nam in tristibus parit consolationem & patientiam, in lætis sanctionem. Hinc est quòd de populi sui stultitia Deus ad hunc modum queritur, Gens absque consilio, & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, & postrema prouiderent, Deut.32.d.28.

18 *Certè in [locis] lubricis posuisti eos, corruere facis eos in desolationes.*

Certè in locis lubricis posuisti eos. Futurum Hebræum pro præterito, vel præsenti. Iam Dauid luctis perfunctus, quasi nouus homo esse incipit: & compositè loquitur quasi ex alta specula. sicuti hoc remedium in rebus turbatis Propheta Habacuc (2.a.1.) suo exemplo nobis præscribit. Ascendam (inquit) super speculam meam. Ostendit ergo Dauid quantum prosit Deo appropinquare. Video (inquit) Domine quid agas. quàmuis enim paulisper subsistant impii, in lubrico tamen agitantur, vt breui concidant. Vtrunque verbum præteriti temporis est: sed ponere in lubrico de præsenti tempore capitur: acsi diceret ideo raptari in sublime vt casu grauiore ruant. Eadem similitudine lubricæ viæ vsus est Psaltes de impiis loquens, Sit via eorum caligo & lubricitates, & Angelus Iehouæ persequatur eos, Suprà.35.a.6. In huiusmodi via vt perfacilè quis cadit, ita caduca & fluxa est fœlicitas improborum, nihil prorsus habens stabile. Hoc quidem videtur bonis commune esse, quia totus mundus lubricus est: sed quia è cœlo pendēt fideles, imò fundati sunt in Dei virtute, quamlibet sint fragiles, & incerta sit eorum conditio, nō dicuntur in lubrico stare. Quòd si nutent vel etiam labantur, Dominus supposita manu nutantes confirmat, & lapsos erigit. Inde autem lubricitas impiorum, quòd in sua potentia quasi in glacie pedem figunt, séque vesania elatione ad præcipitium comparant. Neque enim imaginanda est fortunæ rota, quæ temere omnia voluendo misceat, sed tenendum Dei consilium, quod attingit Propheta, & quod piis omnibus dicit in Sanctuario patefieri, nempe occulta Dei prouidentia impelli.

19 *Quomodo fuerunt in vastitatem! quàm citò defecerunt! consumpti sunt à terroribus!*

Quomodo fuerunt in vastitatem! Vel, desolationem. Vel, Vt vastati sunt penè in momento temporis. Sub. dicent homines aliquando admirabundi. Hæc admiratio non parum ad confirmationem proximæ sententiæ valet. Nam sicuti torporem nobis adeóque stuporem inducit prosperitas improrum, ita inopinata pernicies melius nos expergefacit, vt inquirere quisque cogatur quomodo factum sit quod omnes putabant fieri non posse. Sic alibi dicitur, Vidi impium fortem & virescentem sicut laurus viridis: & transiui, & ecce non fuit: & quæsiui eum, & non est inuentus, Suprà, 37.g.35. *Quàm citò defecerunt.* Vel, finem ceperunt. Significat subitum & improuisum fore impiorum interitum. Nam breui momento impius, amissis diuitiis ac honoribus, ex hac vita tollitur, & fouea includitur. quemadmodum diuiti illi dictum est, Hac nocte auferent abs te animam tuam, Luc.12.c.20. Et Apostolus ait, Quū dixerint pax & securitas, tunc repentinus veniet illorum interitus, 1.Thess.5 a.3. Ergo quasi de re incredibili interrogat Propheta. simul tamen admonet, Deum sic quotidie operari vt nobis iusta sit mirandi occasio, nisi oculi deessent. imò si tandem eminus prospiceremus iudicia Dei, nihil nouum vel difficile creditu cōtingeret: quia admiratio ex socordia nascitur. *Consumpti sunt à terroribus.* Vel, horroribus. Id est interitu repētino, vt exponunt Hebræi. Bifariam alii exponunt, vel quòd fulminet Deus contra eos insolitis modis, qui propter nouitatem formidinem incutiunt: vel quòd Deus, licet manum non admoueat, solo flatus sui horrore exanimet hostes suos, & in nihilum redigat: quum tamen securè despiciant omnia pericula, acsi essent extra telorum iactum, & fœdus haberent cum morte: sicuti prius vidimus cum hac iactantia proteruientes induci, Quis noster dominus est? Suprà, 12.a 5. Prior sensus ideo aptior videtur quòd Deus, vbi nos adeò tardos ad cōsideranda sua iudicia videt, vt torporem nostrum corrigat, violenta iudicia exercet, ac inusitatis modis persequitur impios, acsi terram concuteret. Consumpti sunt igitur à terroribus, hoc est, Violentis ac inusitatis atque extraordinariis Dei iudiciis concuti solent impii.

20 *Quasi somnium post expergefactum, Domine in suscitando imaginem eorum contemptibilem reddes.*

Quasi somnium post expergefactum. Sub. hominem. Hebraicè, ab expergiscendo. Vel, expergiscendi. Est enim infinitiuus. Quidam vertunt, Quasi somnium expergefacti. Alii vertunt, subauditis pauculis, sic, Velut somnium quod euanuit ab euigilante. Propheta comparat impios somnio. Et hæc similitudo frequenter in Scripturis occurrit. sicuti Esaias hostes Ecclesiæ similes fore dicit visioni nocturnæ, Esa.29. b.7. (Extant & alii loci quos longum esset atque superuacuum adducere) Aptissimè autem conuenit ad locum præsentem. Vnde enim tanta fortunæ impiorum admiratio nisi quia sopor mentes nostras occupat? Deinque non secus fingimus beatos esse ac fœlices, quàm somniando fabricamus regna quæ nūquam fuerunt. Nam qui verbo Dei illuminati vigilant, quàuis ante eorum oculos splendeant impii, contrario splendore qui longè superat retinentur. Nos ergo expergefieri Propheta iubet, vt appareat meram vanitatem esse quicquid suspicimus in mundo: sicuti ipse nunc rediens ad sanam mentem se prius somniasse ac delirasse agnoscit. *Domine in suscitando.* Vel, quum suscitabis. Alii vertunt, in ciuitate. *Imaginem eorum contemptibilem reddes.* Vel, probrosam reddes. Quidam imaginis nomine intelligunt animam hominis, quæ ad Dei imaginem formata est: dicuntque impiorum animam probrosam & contemptibilem fore quum Deus mortuos suscitauerit. quemadmodum dicit Scriptura, Multique dormientium in terra pulueris expergiscentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobria & ad contemptum sempiternum, Daniel 12.a.2. Atqui Propheta simpliciter externam illam pompam deridet, quæ oculos perstringens simul effugit: sicuti Suprà, 39.b.7, habuimus, Certè in imagine trāsit homo. Quibus verbis significat hominem nihil habere solidum vel firmum, sed fluere instar aquæ, cui nulla inest soliditas: vel potius instar figuræ, quæ in speculo refulgens, substantia tamen caret. Imago igitur hic significat quod vulgo dicimus apparentiam. Paulus figuram mundi appellat, 1.Cor.7.f.31. Atque ita obliquè errorem nostrum coarguit Propheta, quia de nihilo nobis phantasmata concipimus. Sensus igitur huius loci talis est, In suscitādo, id est, posteaquam transierint ista somnia quæ nos deludunt. Vel, Quū cœperis ostendere aliquod signum tuæ prouidentiæ. (nempe, quum res mundi restitueris in aliquem statum tolerabilem) ostendes, illam præclaram ostentationē in qua sibi placebant, nihil fuisse nisi somnium: idque ostendet euentus. Etsi enim nunquam res in mundo compositæ cernuntur vt optandum foret (quia Deus spernostræ fouendæ causa perfectum statum differt vsque ad diem vltimum iudicii) quoties tamen manum suam exerit cōtra impios, illucet quædam aurora, ne densior caligo nos sopore occupet. Itaque admonemus hoc loco quanta sit carnalium hominum & impiorum in hoc mundo vanitas. Qui diuitias possident, putant se planè fœlices esse, quasi deos quosdam: nesciūt vllum tenere modum, neminem non præ se fastidientes. At miseri in somnio fœlicitatis versantur, non in ipsa fœlicitate. Splendidi habentur interea: at imaginem habent splendoris, non verum & solidum splendorem. Mundus quoque, qui opulentos suspicit, nihil aliud suspicit & admiratur quàm dormientes, & dormientium imagines. Qui vertunt In ciuitate, non In suscitādo, hunc sensum eliciunt, non obscuram fore Dei vindictam, quum fluxum impiorum decus subiiciet opprobrio: sed hanc palam fore & conspicuam quasi in frequenti vrbis foro. Sed melius cohæret Suscitandi verbum, quod somniis opponitur. Porro vt fœlicitas impiorum somnium est illico euanescens, ita omnis eorum dignitas & splendor ignominia cōmutatur, vt in sola Dei bonitate gloriari discamus, non in fluxis & caducis huius seculi diuitiis.

21 *Quia excanduit cor meum, & renibus meis compunctus sum.*

Quia excanduit cor meum. Quidam, Profectò excanduit cor meum. Futurum Hebræum, quod per præteritum perfectum vel imperfectum redditur, Quasi aceto acri perfundebatur. Alii, Velut acore affectum erat. Alii, Acetosum erat. Alii, Acerbum factum erat. Verbum Hebraicum deducitur à nomine quod acetum significat, item fermentum, siue fermentatum. Acsi Propheta diceret cor suum acidum fuisse vel turgidum instar fermenti: sicut etiam apud Plautum mulier iracundia feruens, dicitur tota esse in fermento. Rursus Propheta cōditionē animi sui, Dei iudicium nōdū rectè perpēdētis, & ob improborū prosperitatē sese adfligētis describit, ac cōfessionē quā prius ediderat repetit, quòd scilicet prauæ æmulationis punctiones in animo sentiens, stomachose litigauerit cum Deo. Et his in fermento comparat, sicuti iam dictum est. *Et renibus meis compunctus sum.* Quidam, Et lumbi mei compūcti sunt. Alii, Et vterque renum meorum quasi telo acuto pungebatur. Alii, Et renibus meis spinosus eram. Alii, Et renes mei aculeis puncti. Chaldæus paraphrastes, Renes mei ardebant sicut ignis. Propheta affirmat his verbis

se perplexis cogitationibus quasi spinis confixum fuisse. Vnde autem illi hæc tam acris indignatio, antea diximus. Multi enim profani homines, quamuis cœlesti prouidentia mundum regi negent, non tamen se magnopere discruciant, sed rident Fortunæ lusus. Quo autem magis persuasum est fidelibus Deum esse mundi iudicem, eo magis excandescunt vbi non respondet rerum votis.

22 *Et ego stultus, nec cognoui. quasi iumenta fui apud te.*

Et ego stultus. Vel, Ego verò insipiens eram. Hic Propheta seuerè se, vt par erat, castigans, hanc animi afflictionem non nisi sibi tribuit. Nam stultum primò se vocat: deinde accusat suam ignorantiam: tertiò dicit se bestiæ fuisse similem. Si tantùm de sua inscitia confessus esset, quæri poterat vnde vitium vel defectus. Hoc igitur stultitiæ suæ ascribit, quam magis amplificat, comparans se brutis animalibus. *Quasi iumenta fui.* Vel, Vt iumenta eram. Quidam pro ב similitudinis legunt ב, & vertunt, Inter iumenta, eodem tamen sensu. Summa est, prauam illam æmulationem cuius meminit, ex inscitia & errore natam esse: erroris verò culpam in ipso residere, quia mente alienatus desipuerit: neque id vulgari modo, sed ad brutum stuporem vsque. Etsi enim verum est quod antea diximus, homines de operibus Dei nunquam rectum iudicium facere, quia in illis considerandis deficiunt omnes eorum sensus: meritò tamen Dauid culpam sibi imputat quòd ab humano iudicio ad brutas pecudes desciuerit. Cæterùm quoties non placebit nobis consilii Dei ratio in mundi gubernatione, meminerimus id sensus nostri prauitate fieri. Interea videmus planè stultos esse, (vtut aliàs iuxta seculum sapere videantur) qui coram Deo non sapiunt. hi autem sunt qui non quæ futura sunt, sed quæ præsentia tantùm sunt, considerant & expendunt. Ii verò sapiunt coram Deo qui Sanctuaria Dei ingressi, non præsentia sed futura contemplantur: & de rebus huius seculi non secundam carnem, sed secundum oracula Dei iudicant. Hoc sibi vult particula quæ sequitur *Apud te.* Nam comparatiuè accipitur pro Coram te. acsi dixisset, Domine, quamuis aliqua ratione excellere visus sim in mundo, cœlestis tamen sapientiæ tuæ respectu fui quasi iumentum. Nec abs re hanc particulam interposuit. vnde enim fit vt homines sua vanitas sic demulceat, nisi quia dum alius alium respicit, omnes sibi blandiuntur? Luscus enim sibi videtur quisque inter cæcos: alter hoc vno contentus est quòd alii nihilo magis sapiunt. Vbi autem ad Deum venitur, iacet ille, cui indormiebant, communis error. Ne ergo simus imprudentes, intelligamus quæ sit voluntas Dei (vt Paulus admonet, Ephes. 5. d. 17) & iusta illius iudicia non humanæ rationis sed fidei trutina expendamus.

23 *Ego verò semper tecum [fui:] tenuisti manum dexteram meam.*

Ego verò semper tecum. Vel, Tamen ego semper tecum fui. Hebraicè, Et ego. Hic alio sensu dicit se fuisse cum Deo. gratias enim agit quòd in illa ruinæ procliuitate retentus ab eo fuerit, ne prorsus excideret. q. d. Tu nunquam voluisti me abiicere, sed de salute mea semper fuisti sollicitus. Huius verò gratiæ magnitudinem illustrat confessio illa, quòd vesanus fuerit & brutum animal. Bis enim ac ter dignus erat qui abiiceretur vbi fremere audebat contra Deum. Et hæc altera pars est resipiscentiæ, agnitio videlicet & prædicatio diuinæ bonitatis. Et hac confessione tantum exaggeratur nostra culpa quantum prædicatur diuina beneficentia. Quis enim non detestetur meritò stupiditatem istam qua nec sentitur nec agnoscitur cōstans illa & perpetua erga nos Dei bonitas? Cæterùm duobus modis apud Deum homines esse dicuntur, nēpe vel sensu & cogitatione (dum persuasi sunt se agere sub illius oculis, eiusque manu regi & virtute sustineri) vel dum illos palantes & vagos Deus arcano fræno continet, nec in totum alienari patitur. Qui ergo se à Deo negligi fingit, non est apud Deum proprio sensu: sed occulta eius gratia apud eū manet, quia non deseritur. Denique propinquus est semper Deus electis suis: quia licet tergum obuertant, eos tamen paterno semper intuitu prosequitur. *Tenuisti manum dexteram meam.* Vel, apprehendisti, ne scilicet prorsus caderem. Significat enim mirabili Dei virtute se fuisse retractum à profunda illa abysso in quam se proiiciunt reprobi. Acsi diceret, Licet planè stultus & veluti iumentum apud te fuerim, tu me tamen nullo pacto nullóue momento deseruisti: semper mei curam gessisti, per omnia pericula, quasi apprehensa dextera, deduxisti: idque non meis sed tuis consiliis: & tandem ex grauissimis vndique periculis ereptum in magnam gloriam euexisti. Quod ergo se cohibuit Vates ne prorūperet ad manifestas vsque blasphemias, ne obduresceret in errore, quòd etiam seipsum stultitiæ damnauit, hoc Dei gratiæ fert acceptū, quòd porrecta dextera ipsum à præcipitio erexerit. Hinc verò perspicimus quàm pretiosa Deo sit salus nostra, quòd dū procul ab ipso vagamur, sollicitè tamen nos respicit, manumque extendit ad nos colligendos. Non debet quidem hoc obtendi in prætextum ignauiæ: sed tamē experientia docet, quū stupidi torpemus, nos Deo curæ esse, adeoque illum fugitiuis & erronibus propinquum esse. Et notanda est vis metaphoræ, quum dexteram apprehendere dicitur. Nulla enim tam leuis est tentatio, quæ non facilè nos deiiciat nisi diuinitus fulciamur. Quod ergo non succumbimus etiam in grauissimis pugnis, non aliunde est quàm ex Spiritus sancti auxilio: nō quòd splendidè semper in nobis exerat suam virtutem, quia sæpe eā perficit in nostra infirmitate: sed satis est quòd cæcis & nescientibus succurrit, latētes sustentat, imò etiam lapsos erigit.

24 *Consilio tuo diriges me, & tandem in gloriam suscipies me.*

Consilio tuo diriges me. Quidam vertunt, Consilio tuo deduxisti me. Sed quoniam verba sunt futuri temporis, hic genuinus sensus esse videtur, Domine, postquam nunc tuo ductu in viam semel reductus sum, posthac etiam regere me perges, donec tandem in gloriam tuam suscipias. Scimus enim Dauidi solenne esse, vbi gratias agit, concipere fiduciam in futurū tempus. Postquam ergo confessus est infirmitates suas, & celebrauit quam expertus est diu adiutricem Dei gratiam: nunc de eius perseuerantia spem sibi facit. Directio consilii priore loco ponitur, quia etsi stultis & inconsideratis res interdum bene succedunt (quia nostris erroribus medetur Deus, & quæ malè inchoata fuerant in lætiorē exitum vertit) ordinaria tamē & plenior eius benedictio est suis dare prudentiam: & hoc imprimis petendum vt Spiritu consilii & iudicii nos gubernet. Quisquis enim sua prudentia fretus quicquam aggredi audebit, quia sibi arrogat quod Dei proprium est, cum hac sua temeritate pudefiet. Si enim Dauidi necesse fuit præeuntē habere, quantomagis eodem duce nobis opus est? *Et tandem in gloriam suscipies me.* Alii, Cum gloria excepisti me. Nonnulli vertunt, Gloria suscepit me. Sed rectiùs per futurum, vt iam dictum est. Consilio itaque adiungitur gloria, quæ ad æternā vitā restringi nō debet, sed totū fœlicitatis nostræ cursum cōplectitur, à principio quod nunc cernitur in terra, vsque ad finem quem speramus in cœlo. Sibi ergo æternā gloriam à gratuito Dei fauore promittit Vates, non tamen excludit benedictiones quibus in terra suos prosequitur, vt aliquam fœlicitatis partem iam delibent. Acsi dixisset, Postquam me recto consilio direxeris, facies vt mihi prosperè omnia cedāt, & tandem colliges me in cœlestem gloriā. Docemur hic quòd Deus maximo honore eos prosequitur quos semel in gratiam filiorum suorum adoptauerit. Nam semper illis adest, suis cōsiliis res ipsorum gubernat, efficit vt illis nihil non prosperè cedat: denique summa, hoc est cœlesti, vera ac perpetua gloria cumulat.

25 *Quis mihi in cœlo? & tecum non optaui in terra.*

Quis mihi in cœlo? Loquutio Hebræis frequens, iungere interrogationē cū particula negatiua. interrogādo enim fortius negat. Sic resoluēda est oratio, Nullus mihi in cœlo est, & neminem in terra optaui præter te vnum. Clarius enim Propheta demonstrat quantum profecerit in Sanctuario Dei: quia ipso vno contentus, quæcunque se præter ipsum offerunt, reiiciat. Acsi diceret, A te solo pendeo, In te vno sunt omnia subsidia mea, In te vno omnis mea prudētia & industria, In te solū recūbo, Nemo neq; in cœlo neq; in terra præter te vnū potest me iuuare. Et certè tunc demum suam apud nos gloriam obtinet Deus si huc & illuc non circunferimur, sed vnus ipse nobis sufficit. Quòd si vel minimam partē affectus nostri addicimus creaturis, eatenus Deum fraudamus debito honore. & tamen hoc sacrilegio nihil magis vulgare fuit omnibus seculis, nec hodie est, sicuti in Papistis euidentissimè apparet. Quāquam autem cœli & terræ nominibus designat quicquid imaginari possunt homines, videtur tamen duas species distinctè notare. Neminē ergo se præter Deū in cœlo quærere dicēs, repudiat omnes fictitios deos quibus cœlum replet cōmunis mundi error ac stultitia. Atque ex hoc loco colligimus, eos omnes qui fide vnius Dei non contenti Angelos & sanctos mortuos inuocant, non posse cum Propheta dicere, Quis mihi est in cœlo? Nam ab vnius Dei patrocinio & auxilio pendere se fatetur quisquis hoc vera fide pronunciat. Rursus nec illi dicunt, Quis mihi est in cœlo? qui anxiè inquirunt num post hanc vitam sint suos in cœlo agnituri: vel, num, qui mortui sunt, nostri adhuc memoria teneantur & afficiantur. Pius animus ita vnde ab vno Deo pendet, vt præter hunc nihil ne in cœlo quidem affectet. Hunc scit se habere in cœlo sufficientissimum omnium bonorum thesaurum. *Et tecum non optaui in terra.* Hoc refertur ad fallacias quibus totus ferè mū-

dus se inebriat. Nam qui priore illo Satanæ artificio non falluntur vt sibi falsos deos fabricent, vel arrogãtia se decipiũt, dũ sua industria, aut virtute, aut prudẽtia cõfisi vsurpãt quod Dei propriũ est: vel se inescãt fallacibus illecebris, dũ recũbunt in hominum fauorem, vel suis opibus aliisque subsidiis nituntur. Hæc igitur vna est quærendi Dei ratio, vbi non abstrahimur per varios circuitus, & exuti omni superstitione & superbia ad Deum vnum nos rectà conferimus. Nam particula hæc, Tecum neminem volui, tantundem valet acsi dixisset, quia te cognoui vnum mihi satis superque esse, nõ raptor post varios appetitus, sed in te acquiesco. Porro vt Deo vno satiemur, operæpretium est cognoscere quam bonorum plenitudinem nobis offerat. [m]Forsan dicet aliquis, Et quis nolit habere Deum? quid tamen impedit quo minus cum Deo etiã alia bona affectemus? Respõsio facilis est, Qui Deũ habet, omnia habet, vt nihil amplius desiderare possit. Qui Deũ amat, nihil aliud cũ illo amare potest nisi quod in illo & propter illũ amandum est. Quemadmodum si vxor ad maritum dicat, Tecum neminem aliũ cõcupisco. Quod nihil est aliud quàm, Te vno ita delector vt tibi neminem alium cupiam adiungere.

26 *Defecit caro mea & cor meum: robur cordis mei, & portio mea Deus in seculum.*

Defecit caro mea & cor meum. [v]Sunt quibus placet tempus præsens, deficit, aut consumitur. Aliis futurum magis arridet, Finem habitura est caro mea. [c]Nonnulli ita accipiunt hãc partem versus, quòd præ desiderii ardore defecerit cor & caro Prophetæ: atque ita testari putant quàm seriò ad Deum sensus suos applicuerit. Quanquam autem similis loquutio occurret Infra, 84. a. 3, videtur tamen alium sensum exigere quod continuo post additur, *Robur cordis mei.* [c]Potius antithesis est inter defectum quem in se Propheta sentiebat, & robur illi diuinitus suggestu. acsi diceret, Quanuis à Deo separatus nihil sim, omniáque mea in illum recidant, veniens tamen ad eum, reperio illic plenam fortitudinem. Atque hoc apprime necessarium est, reputare quid simus sine Deo: quia nemo se prorsus in Deum coniiciet nisi qui se deficere sentiens de suis facultatib9 desperat. Neq; enim à Deo petimus nisi quod nobis intus deest. Atq; hoc quidẽ fatẽtur omnes, & maior pars sufficere putat si infirmitatẽ subleuet Deus, vel inopiæ suppetias ferat: [c]sed notæ sunt illæ sententiæ, Sine me nihil potestis facere, Iohã. 15. a. 5. Itẽ, Nõ sum9 sufficiẽtes ex nobis cogitare aliquid tãquã ex nobis, sed omnis, &c. 2. Cor. 3. b. 5. Itẽ, Ipse est qui operatur velle & perficere pro bona volũtate, Philip. 2. b. 13. quib9 cõuincimur nihil nobis inesse roboris nisi gratia Dei nos fulciat. *Et portio mea Deus in seculum.* [v]Vel, Et pars mea Deus in seculum. Confirmat quod prius dixerat, se vno Deo esse contẽtum. nam partis vel portionis nomine intelligitur possessio & sors qua quisque contentus est. [c]Quum ergo transfertur hoc ad Deum, sciamus hanc esse rationem, quia vnus ipse nobis abundè sufficiat, & in eo constet perfecta fœlicitas. Vnde sequitur nos ingratos esse si alio reflectimus animum, sicuti dictum est Suprà, 16. a. 4, vbi ratio metaphoræ clarius explicatur. Quidam nugantur vocari Deum portionem nostram quia anima ex eo sumpta sit: sed hæc futilis argutia non minus remota est à sententia Prophetæ quàm cœlum à terra, & secum trahit Manichæorum delirium, quo fascinatus fuit Seruetus. Sed hoc vt plurimum contingit, homines in Scripturis non exercitatos, & nõ imbutos vera theologia, licet periti sint linguæ Hebraicæ, hallucinari tamen in primis rudimentis. Porro licet cordis nomine totam animam comprehendas, non tamẽ essentiam deficere intelligit, sed vires omnes concidere quas nonnisi ex Dei liberalitate precariò obtinet. [m]Q. d. Etiamsi periclitẽtur mihi & corpus & animus, id est, etiã si omnis generis aduersitates & pericula irruant, Deo meo tãquam firmissima rupe nitar, & eo solo oblectabor tanquam amœnissima & amplissima portione.

27 *Quoniam ecce qui se elongant à te, perdidisti omnem fornicantem abs te.*

Quoniam ecce qui se elongant. [a]Canit & ab improbis causam esse cur tantopere de Deo suo exultet: pereunt siquidem quicũque se à Deo subducunt. [r]Nihil igitur melius est quàm simpliciter in vno Deo acquiescere: à quo discedunt omnes qui spes suas variè partiuntur ac dissipãt. Quo pertinet quod mox subiungitur, *Perdidisti omnem fornicantem abs te.* [c]Spiritualis mẽtis castitas in fide, inuocatione Dei, cordis integritate & verbi obedientia sita est, 1. Pet. 1. d. 22. Quisquis ergo se verbo Dei non subiicit, vt bonorum omnium authorem vnicum sentiẽs ab eo pendeat, se tradat ei regendum, ad eum semper confugiat, omnésque affectus ei addicat, similis est mulieri adulteræ, quæ relicto marito alienis se prostituit. [m]Qua de re vide Ierem. 2. c. 23, & 3. a. b. 6, & 4. a. 1, & 13. d. 26. Et Ezech. 6. d. 13, & 16. b. 15, & 23. a. 3. Et Oseæ 43. b. 8, & 1. a. 2. & 2. a. 1, & 4. a. 5, & 5. a. 5, & 9. a. 1.

28 *Quantum ad me, accessus ad Deum mihi est bonus: posui in Domino Iehoua spem meam ut enarrem omnia opera tua.*

Quantum ad me. [v]Ad verbum, Et ego, accessio (siue appropinquatio) ad Deum bona est mihi, ac posui in Domino, &c. [c]Propheta seorsum de se loquens, affirmat, quanuis totũ mũdum videat vagis erroribus à Deo alienari, se tamen sub Dei manu semper fore. Pereant (inquit) alii, si restringi non potest eorum libido quin ferantur post mundi fallacias: ego hoc tamen proposito firmus manebo, vt sacram cum Deo coniunctionem colam. [m]Bonum autem hoc non præsenti rerum cursu, sed futuræ fœlicitatis æstimatione pensatur à Propheta. Alioqui carnalis homo & sapiẽs iuxta seculum dicit, Mihi adhærere mundo, & iis qui in mundo rerum potiuntur, bonum est: Deo verò adhærere, miserum & calamitosum est. *Posui in Domino.* [a]Modus hic est appropinquandi, dum in Deo fiducia nostra residet. neque enim aliter nos Deus retinebit nisi persuasi simus non aliter quàm eius gratia nos saluos stare. *Vt enarrem omnia opera tua.* [a]Significat, postquam se vni Deo consecrauerit, nunquam sibi defore eius laudandi materiam, quia scilicet spem suorum nunquam frustratur. Vnde sequitur nõ alios Deo maledicere vel obstrepere, nisi qui sponte nebulas sibi obducunt, ne perspecta eius prouidentia eius fides tuteláque se permittant. [a]Ergo profitetur Vates sese Deo adiunctorum, & addictum, quo ita perceptis ab eo sempiternis beneficiis, in æternum quoque ipsum celebret, laudibusque tollat, vt à quo in omnibus pendeat, à quo cuncta speret.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIIII.

[a].[a]. Queruntur fideles de Templi populique Dei vastatione, quæ nomẽ Israelis propè ad interitum adduxerat. [a]Memorant impiarum Gentium in Deum & Sancta eius contumeliã. [m]Deinde spem ex præteritis Dei beneficiis concipientes, pro hostium vltione & sui defensione votis ardentibus precãtur.

ERudiens Asaph.

Erudiens Asaph. [v]Vel, Intelligentia Ipsius Asaph. Alii, Eruditiuum. [c]Inscriptio מַשְׂכִּיל optimè argumento conuenit. nam etsi rebus lætis interdũ aptatur (sicuti visum est Suprà, 45. a. 1) vt plurimum tamẽ admonet sermonem haberi de iudiciis Dei: quibus coguntur in seipsos descendere homines, suáque peccata examinare, vt se coram Deo humilient. [m]Nam & calamitates quales hic describuntur, pios erudiunt & intelligentes reddunt. [c]Porro de authore Psalmi ne inter doctos quidem conuenit. [c]Sunt enim qui sentiunt Spiritu Prophetico à Dauide prædictum fuisse quod nondum euenerat. sed quum Psalmos complures probabile sit post mortem Dauidis fuisse cõpositos à diuersis authoribus, alii hunc vnum esse ex numero non dubitant. [a]Quare quum apertè admodum de Templi vastatione canat hic Psalmus, verisimile est eum nec à Dauide, nec ab Asaph (quem Dauid cum quibusdam aliis, sacris carminibus præfecit) compositũ, sed à posteris huius Asaph, quorũ ordo patris nomen retinuerit. [c]De qua tamen calamitate hic tractetur non adeo certum est. Quidam enim ad vrbis & templi excidium referunt, quũ populus traductus fuit Babylonẽ sub Nabuchodonosor. Alii ad Templi profanationẽ, quæ sub Antiocho cõtigit. Vtraque aliquid coloris habet: prior scilicet quòd hic deplorent fideles se iam destitui signis ac Prophetis: quum satis constet floruisse multos Prophetas quum abductus in exilium fuit populus. Rursum quia paulo ante dicitur exusta fuisse Sanctuaria, deletas sculpturas, & nihil integri reliquum fuisse, non competit in Antiochi sæuitiam ac tyrannidem. Tametsi enim fœdè Templum polluit Gẽtium superstitionibus, mansit tamen saluum ædificium, nec igni tunc flagrarunt ligna & lapides. Obtendunt quidam per Sanctuaria intelligi synagogas, vbi non Hierosolymæ modò, sed in reliquis Iudææ vrbibus solebant haberi sacri conuentus. Fieri etiam potest vt fideles Templi horrendam vastationem cernẽtes, tam lugubri spectaculo admoniti, mentes etiam retulerint ad incendium illud quo absumptum fuerat à Chaldæis, atque duas clades simul complexi sint. Ita coniectura erit magis probabilis ad tempus Antiochi spectare has querimonias, quia tunc Prophetis caruit Dei Ecclesia. Quanquam si magis ad exilium Babylonium referre placeat, huius nodi facilis erit solutio. Quia licet tunc viuerẽt Ieremias, Ezechiel & Daniel, scimus tamen quasi vocationis suæ cursu perfunctos tacuisse ad tempus, donec sub diem liberationis rursus in lucem prodiit Daniel qui exules ad reditum animaret. Quo respicere videtur Esaias cap. 40. a. 1, in his verbis, Consolamini consolamini populum meum, dicit Deus vester. Verbum enim futu-

ri temporis indictum fuisse Prophetis temporale silentium denotat.

1 *Vtquid Deus repulisti in perpetuum? fumat furor tuus in gregem pascuorum tuorum?*

Vtquid Deus repulisti. [V]Vel, elongasti. Alii, abominatus es. sub. nos. *In perpetuum.* [V]Vel, In seculum. Id est penitus. [C]Si hæc querimonia scripta fuit in exilio Babylonico, quanuis annus septuagesimus redemptionis præscriptus fuisset à Ieremia, mirum tamen non est tam longæ moræ tædium plusquam acerbum fuisse, vt quotidie ingemiscerent, ac tam lõgum spatium instar perpetui seculi fuisse. Qui verò Antiochi crudelitatem perpessi sunt, quia nullum illis erat definitum tempus, merito de perpetua Dei iracundia conqueri poterant: præsertim quũ viderent sine spe solatii in dies augeri hostium truculentiam, & res suas in deterius collabi. Multis enim aduersis bellis prius attriti, quæ subinde à vicinis oriebantur, ad vltimam se ce consumptionem tunc venerunt. [H]Agnoscunt itaque primũ, quod pietatis scilicet est, & rectæ fidei, quæ patiebantur à Gẽtibus, omnia à Deo ipsis immissa: ac ideo Domino sua mala querebantur, acsi plagas omnes sola eius manus infligeret. Sciebant enim nonnisi infenso Deo tantum licentiæ contra se permitti profanis gentibus. *Fumat furor tuus.* [V]Id est, Ita exæstuat vt fumum emittere videatur. Metaphora ab equis, aut tauris, qui fumum per nares emittunt. q. d. Iræ tuæ feruor ostendit nos grauiter peccasse. [H]Videmus hic quid expectandũ sit populo Dei, si iram in se Dei concitauerit. Vt enim omnis in eo salus ac fœlicitas est si adsit Deus plebi suæ, ac vultum suum super illam beneuolus ac propitius illustret, ita certè omnis in eo perditio est si peccatis nostris læsa patientia Dei in iram ac furorem fuerit mutata. Nam etiamsi haudquaquã vlciscatur puniendo, fieri tamen non potest vt si nos deserat subsistamus. Hinc factum est vt nunquam premi potuerint Israelitæ donec pro se Deum habebant adiutorem ac defensorem: rursus illo deserente, haudquaquam impiis restiterint. [C]Quanquam relectio & Ira debent hoc loco referri ad sensum carnis. Etsi enim, propriè loquendo, non irascitur Deus electis suis, quorum morbos afflictionibus quasi medicinis sanat: quia tamen sentiunt ipsi pœnarum iram eius nos apprehẽdere cogit, per nomen Iræ Spiritus de suo statu admonet fideles. Vbi ergo Deus vindictam in nos suam exequitur, nostrum est reputare quid simus meriti: & quanquam nullum iracundiæ motum patitur Deus, per nos tamen non stetisse quominus peccatis nostris grauiter offensus in nos excandesceret. *In gregem pascuorum tuorum.* [C]Iam fideles, vt misericordiam sibi concilient, confugiunt ad fœderis memoriam quo fuerant in filios adoptati. Gregem enim pascuorum Dei se vocãdo, gratuitam electionem commendant qua segregati fuerant à Gẽtibus. Quod etiam clarius exprimunt proximo versu.

Recordare congregationis tuæ (quam) acquisiuisti a principio, (quã) redemisti virgam hæreditatis tuæ, montem Sion istum in quo habitas.

Recordare congregationis tuæ. [H]Versus iste docet quòd licet sentiant fideles furorem Dei grassantem in populum suum, nihilo secius fiduciam quandam erga illius bonitatem animis cõcipiunt, furorémque illius emollire precando conantur. [B]Ita quum querebantur Deo grauissima se perpeti, suggerebat Spiritus ipsos esse gregem, id est Ecclesiam, Dei populum, quem ille tot iam seculis ceu peculium suum habuisset, possessionem hæreditariam, sacram regiam, propriam sedẽ. Hinc verò animos pulchrè recipiebant, opem Dei, quantumlibet afflictum de ipsis videretur, implorandi. Est siquidem hæc in summis tentationibus ceu sacra ancora, recordari & credere Deũ nos semel in numerũ suorũ assumpsisse. Perficit enim Deus quicquid semel instituit, Infrà, 138.b.8. *Quã acquisiuisti.* [V]Vel, possedisti. [C]Peculiũ Dei se fuisse iactãt nõ suo merito, sed adoptionis gratia. *A principio.* [V]Vel, Iam olim, pridem, prius. [C]Significant se non venisse à paucis mensibus sub Dei imperiũ, sed hæreditariam fuisse successionem. Nam quo pluribus seculis amorẽ suum prosequutus fuerat erga semen Abrahæ, eo melius stabilita fuit eorũ fides. Recitãt ergo se ab initio fuisse Dei populum, nempe ex quo Deus inuiolabile fœdus cum Abraham pepigerat, Gen.17.a.4. *Redemisti.* [C]Addunt etiam se redemptos à Deo fuisse. nam redemptione sancita fuerat adoptio. Neque enim verbo solùm, sed reipsa tunc imperium asseruit Deus. *Virgam hæreditatis tuæ.* [V]Sic vocat hæreditatem perticis aut funiculis diuisam, vt in Palæstina fieri solebat. [C]Sunt qui tribum vertere malunt, sed metaphora illa aptior videtur, quod Deus arcana designatione sui beneplaciti, quasi decempeda, Israelem sibi in proprium fundum distinxit à reliquis Gentibus. *Montem Sion istum.* [V]Quidam subauditis pluribus trãsferunt, Et quam redemisti. Recordare, inquam, tribus hæreditatis tuæ, montis Sion istius, &c. *In quo habitas.* [V]Ad verbum, quem habitasti in eo. Hebraismus, pro, quem inhabitare soles. [C]Deus enim se in Templo habitaturum promiserat: non quòd inclusa illic esset eius essentia (sicuti dicitur. 1.Reg. 8 c. 27) sed quia fideles virtute & gratia illic propinquum & præsentem sibi esse sentiebant. Hæc itaque Dei beneficia ad fiduciæ materiam sibi proponunt fideles, & ipsi Deo authori cõmemorant, ne opus suum deserat.

3 *Eleua percussiones tuas ad desolationes perpetuas contra omnem maleficum Sanctuario.*

Eleua percussiones tuas. [V]Quidam vertunt, Leua pedes aut gressus tuos: acsi dicerent fideles, Domine leuato gradu celeriter aduola ad percutiẽdos hostes. Quemadmodum alibi dicitur, Exurget Deus, dispergentur inimici eius, Suprà, 68. a. 1. Alii malleos vertũt, hoc sensu, Domine eleua malleos tuos, vt perdãtur manu tua omnes hostes tui, [A]qui Tẽplo nocuerũt. [C]Sed rectius hoc ad percutiendi actum & ictus ipsos referri potest. Itaque fideles vicissim hostibus imprecantur lethalem plagã, prout crudeliter sæuierant in Sanctuarium Dei. acsi dicerent non sufficere mediocrem pœnam tam impio & sacrilego furori: perdendos ergo esse absque vlla spe sanationis qui tam hostiliter cõtra Dei templũ & populũ egerũt: quia desperata sit eorum impietas. Ideo addunt, *Ad desolationes perpetuas.* [V]Ad verbũ, Ad vastationes in perpetuum, in omnem qui malefecit inimicũ in Sanctitate. Quidam vertentes nomen in verbum sic legunt, Vt vastes in perpetuum omnem hostem qui afflixit Sacrarium. Vel, Vt perdas perpetuũ hostes vniuersos qui mala intulerunt Sacrario tuo. Siue, qui male egerũt in Sãctuario. *Contra omnem maleficum.* [V]Hostem. *Sanctuario.* [A]Hoc est, contra hostes Templi tui, atque adeo diuini cultus, qui in eo celebratur. [C]Porro, quum hanc orãdi formam dictauerit Spiritus, immensum erga nos Dei amorem colligimus, quòd iniurias nobis illatas tã seuerè velit vlcisci: deinde quũ in pretio habeat nominis sui cultũ, cuius violationẽ ita persequitur.

4 *Rugierunt hostes tui in medio Sanctuariorum tuorum, posuerunt signa sua, signa.*

Rugierunt hostes tui. [A]Quidam, fremuerunt hostes tui. [B]Hic hostium (quos ex firmata in Deum fiducia audet Dei infestatores dicere, vt reuera erant) truculentiam, & in populum Dei atque in sacra loca sæuitiam describere Vates incipit. [C]Leonibus ipsos confert, truculẽtiæ notandæ causa quam in sacris locis exercuerunt. *In medio Sanctuariorum tuorum.* [V]Id est Templi. Pluralis tamẽ numero vtitur, quòd Templum cõstaret tribus partibus, vt dictum est Suprà, 68. g. 36. [A]Quidam vertũt Synagogarũ tuarũ, scholas & cõuenticula intelligẽtes, in quibus Dei timor & cultus discebatur. quæ expositio non malè cõuenit. [E]Imò nulla ratio prohibet ad totam terram extendere quam Deus sibi consecrauerat. Quanquam illud magis emphaticum est, hostium rabiem ita passim grassatã esse vt ne templo quidem Dei pepercerint, [A]quod tamẽ sacrosanctum & summa religione venerandum erat. *Posuerunt signa sua, signa.* [C]Sunt qui hæc ad magicas diuinationes trahant (sicuti Nabuchodonosor, Ezechiele teste ca. 21.c.21, auguria sua captauit) sed hoc nimis restrictũ est. Quod enim hic dicitur, ad notandam contumeliam pertinet, quòd scilicet hostes erectis trophæis superbè triumphauerint de ipso Deo. Et hic sensus optimè quadrat. Nam quisquis terrã sanctam ingrediebatur, illic sciebat vigere peculiarem Dei cultum: & Templum erat quasi insigne præsentiæ Dei, acsi erectis vexillis populum illum sub imperio suo teneret. His symbolis, quæ populũ Dei separabant à profanis gẽtibus, sacrilega signa in Templũ illata nũc Propheta opponit. [V]Q.d. Domine triumphos suos agũt ita vt prorsus deiectis maiestatis tuæ signis, impia sua signa substituant, adeo vt non videantis amplius regnare inter nos. *Signa.* [C]Nominis huius geminatio indignitatẽ auget, quòd euersis pietatis insignibus, hostes alienas notas substituerint. [B]Intellexit ergo Vates Tẽpli violationem singulari petulantia & contumelia perfectam. Nam aram in eo Antiochus extruxit, in qua porcos immolauit, immolatéque, & idolum venerari Iudæos coegit.

5 *Cognitus est quasi elatus in sublime (qui inferebat) in perplexitatem ligni secures.*

Cognitus est. [V]Vel, Notus erat, celebris, nobilis, illustris erat, vel fuit. Nam futurum est, quod quidam per præteritum perfectũ, alii per imperfectũ vertunt. *Quasi elatus in sublime.* [V]Velut afferens superne. Aut, Velut adducens ad sublime. Aut, Velut adducens ligna ad sublime aliquid. q.d. Qui in sylua densa (id significat perplexitas lignorum) abscindebat arbores ad ædificium Templi, in tanto pretio habebatur in quãto pretio habitus fuisset si eadem ligna Deo in cœlo obtulisset. Vel,

Tam celebris erat, tàmque bonæ famæ quasi Deo offerret sacrificia. Vel, Videbatur rem tam gratam agere quam si obtulisset corã Deo in cœlo. Acsi Propheta diceret cæsores arborum (quum templum extruendum esset) famosos fuisse ac celebres. Sed potius significat Vates in syluis densis ac perplexis delectum sedulò habitum fuisse nequa arbor nisi eximia cæderetur. Nisi ita accipere malis, in illa densitate cognitas & probè notatas fuisse arbores quibus admouenda esset securis, quasi tam in sublimi locatæ essent, & expositæ spectantium oculis. Certè dubium non est quin hoc versu commendet materiæ præstantiam, quia sic delecta erat vt posset omnium oculos in se conuertere. Hac itaque circunstantia magis aggrauat barbaram & feram hostium crudelitatem, quòd ædificiũ tanto sumptu extructum, tanta elegantia splendoréque ornatum, tanta industria & arte expolitũ immaniter dissipauerint.

6 *Nunc autem cælaturas eius simul in bipenne & malleo contriuerunt.*

Nunc autem cælaturas eius. [c] Vel, sculpturas. Per sculpturas vel cælaturas intelligit formam illam Templi quæ singulari artificio expolita erat. [a] Nunc (inquit) acsi nullius momenti res esset, & meritò demolienda moles, omnia bipennibus & malleis immani quodam furore destruũtur, [c] acsi in delenda iam magnifica structura, Dei gloriam pedibus calcare propositũ hostibus fuisset. *In bipenne.* Vel, securi. *Contriuerunt.* [v] Fut. Hebr. pro præsenti, vel præterito, Deiiciunt, confregerunt, conquassarunt. [a] Dubium verò non est quin militum furor in despoliando Templo, & ornamentis eius auellendis, impiæ voluntati regis volentis domum Dei indignitè profanari, pro viribus responderit.

7 *Miserunt in ignem sanctuaria tua ad terram, polluerunt domicilium nominis tui.*

Miserunt in ignem Sanctuaria tua. [v] Quidam, Incenderunt ignè Sanctuarium tuũ. [v] Alii, inuersum ordinem esse putantes, vertunt, Miserunt ignem in Sanctuaria tua. Sed genuinus sensus est, quòd incendio ignis Templum in terram proiectum fuerit. Atque hic versus melius confirmat, Templum ob tres partes, adytum scillicet interius, sanctuarium, quod medium erat, & atrium, plurali numero vocari: quia mox sequitur, *Domicilium nominis tui.* [v] Vel, Tabernaculum nominis tui. [c] Ponitur autem Dei nomen, vt sciamus non fuisse illic comprehensam eius essentiam, sed virtute sua in templo habitasse. quo maiore fiducia illic à populo inuocaretur.

8 *Dixerunt in corde suo, Populemur eos pariter. Incenderunt omnia tabernacula Dei in terra.*

Dixerunt in corde suo. [m] Queruntur hic fideles de impiorum proposito, quòd sit ad depopulandum omnia sacra Dei in vniuersum. [c] Et vt melius sæuitiæ atrocitas exprimatur, inducuntur hic hostes vltro citróque se exhortãtes, nequis fieret vastationi modus. acsi Propheta dixisset, Quasi parũ animati essent ad nocẽdũ, vnusquisque socio suo stimulos addit vt sine exceptione vastẽt ac perdant totũ populum Dei. dirũt enim, *Populemur eos pariter.* [v] Vel, Interficiamus eos, Vim inferamus illis, Deprædemur eos. *Incenderunt omnia tabernacula Dei.* Id est omnes synagogas. Nam & generalis nota additur, & discretè exprimit Propheta Sanctuaria totius terræ. Frigidè enim exponunt quidã, quia cœlesti Dei sacrario nocere nõ poterant, aut vim inferre, in Templũ terrenum vel synagogas vertisse suam rabiẽ. Simpliciter enim cõqueritur Propheta hostes ita fuisse infectos ad nomẽ Dei abolendũ, vt nullus angulus ab illis relictus fuerit integer. Nomẽ verò מוֹעֲדֵי quod de Sãctuario vt plurimum accipitur, non malè secundum etymologiã transfert ad ea loca vbi solebant agi sacri conuentus, nõ modò ad legendos & enarrandos Prophetas, sed etiam ad inuocandum Dei nomen: quasi diceret nihil omissum fuisse ab impiis quo extinguerent Dei cultum in Iudæa. [m] Cæterùm videmus hic quo animo sine pii ad ædes sacras, quantumque super illatũ vastatione lugeãt & querantur, quam interea carnales homines & filii huius seculi ne pili quidem faciunt. Secernendi tamẽ sunt hic superstitiosè religiosi, qui demolitionẽ lugẽt idolorũ, abominationum, & earũ ædium quæ non synagogæ Dei sunt, sed delubra pessimarum superstitionum, & falsi cultus. De horum vastatione nemo pius queritur, sed magis ex animo gaudet. Laudantur ob talem demolitionem pissimi reges Ezechias & Iosias. Porro si miserabilis est aspectus, quũ videntur templa Dei incendi ac vastari, quanto miserabilior est si viua Dei templa (vt hodie passim) ab Ecclesiæ persecutoribus comburantur.

9 *Signa nostra non videmus: non est amplius Propheta, & non est nobiscum qui cognoscat vsquequo.*

Signa nostra non videmus. [a] Malorum acerbitatem hic exaggerãt fideles, dum queruntur se pristinis signis opis & gratiæ Dei, Prophetarumque vaticiniis & consolationibus destitui: nec esse quenquam qui intelligat quandiu duratura sit hæc desolatio. [c] Signa nostra quidam ad miracula restringunt, quibus olim testatus fuerat Deus populo quem affligebat, se adhuc fore propitium. Sed generaliter hic signa accipiuntur pro omnibus testimoniis quibus Dominus solitus fuerat olim populum suum in miseriis solari: quemadmodum dicimus vulgò signa dari vel amoris vel odii. Queruntur enim fideles ablata sibi esse signa gratiæ, quòd Deus faciem suam quodammodo absconderet: acsi dicerent se tenebris esse obrutos, quia Deus pro more non affulgeat. *Non videmus.* [v] Præteritũ Hebræum pro præsenti. [c] q.d. Non modò tempus nebulosum est & obscurum, sed tacemus in dẽsis tenebris, vt ne scintilla quidem lucis appareat. *Non est amplius Propheta.* [c] Quia præcipuũ ex signis gratiæ erat à Prophetis futuram liberationem promitti, ideo deplorat non esse amplius Prophetam qui finem aliquem malis præuideat. [m] q.d. Quum olim populus sub Mose, Iosue, & Iudicibus affligeretur, variis gratiæ suæ signis De[us] se populũ non abiecisse testabatur. Sub regibus dabantur Prophetæ, qui & mala futura prædicebant, & peccata irã Dei prouocantia reprehendebant: & siquando plaga Dei premebat, pios promissione diuinæ gratiæ & finiendi flagelli consolabantur: nunc autem nemo datur qui de futura liberatione cõcionetur. [c] Colligimus ex hoc loco iniunctum fuisse consolationis munus Prophetis, vt spe misericordiæ animos mœrore collapsos erigerent. Scimus quidem præcones fuisse ac testes iræ Dei, vt præfractos ac rebelles minis & terroribus ad pœnitentiam cogerent: verùm si præcisè denuntiassent vindictã Dei, non nisi in exitium cessisset eorum doctrina, quæ tantũ in populi salutem destinata erat. Ideo illis tribuitur prædictio exitus futuri: quia sub pœnis temporalibus proponitur paterna Dei castigatio, quæ tristitiam mitigat, quum perpetua ira miseros peccatores prorsus exanimet. Proinde nos quoque, si materiam patientiæ & consolationis quærimus, vbi nos Deus castigat, discamus ad istam moderationem, qua nos Deus ad spem inuitat, oculos intendere: atque inde statuamus Deum ita irasci vt non desinat tamen esse Pater. Correctio verò quæ salutem adfert, lætitiam continet dolori admistam. Ad hunc scopum doctrinam suam dirigere Prophetis omnibus curæ fuit. Etsi enim seuerè ac duriter sæpe agunt, vt populi cõtumaciam metu subigant, vbi tamen prostratos homines vident, mox subiiciunt consolationem, quæ nulla esse sine spe futuræ liberationis. Obiicitur tamen quæstio, annon Deus tristitiam mitigare volens in suis flagellis, annos & dies semper numerauerit. Respondetur, Quanquam non semper tempora certò definierint Prophetæ, sæpius tamen propinquam salutem fuisse pollicitos: omnes vero loquutos fuisse de futura Ecclesiæ restitutione. Siquis cursum excipiat, perperã fecisse populum afflictum quòd generales permissiones ad se non traheret, quas certum est communes fuisse omnibus seculis: respondendum est, quum Deus ad singulas afflictiones adiungere soleret redemptionis nuntium, vbi nunc nullus Propheta data opera missus apparet, non abs re populum conqueri, signa gratiæ, quibus assuetus erat, deficere. Fuit enim vsque ad Christi aduentum apprime necessarium singulis ætatibus renouari promissæ liberationis memoriam, vt in vnaquaque afflictione scirent fideles adhuc se à Deo respici. [m] Notandum est etiam quòd non dicunt, Non est tam gigas quisquam, & dux belli qui nos ab aduersariis vindicet: sed, Non est amplius Propheta. Atqui quũ adessent Prophetæ, omnium habebantur abiectissimi, & probris quoque afficiebantur, quin & occidebãtur. Sed ecce eo res Israelis deuenere vt haud leuiter querãtur nullũ dari in his calamitatibus Prophetã. Quid nostra secula maneat timemus breui fore conspicuum. Hæc est fames verbi Dei, quam reprobis ac fastidientibus minatus est Deus, Amos 8.d.11. *Et non est nobiscum qui cognoscat vsquequo.* [v] Repetitio est eiusdem rei. nam quum dicunt non esse qui cognoscat, intelligunt non esse Prophetam.

10 *Vsquequo Deus exprobrabit aduersarius? contumelia afficiet hostis nomen tuum perpetuò?*

Vsquequo Deus exprobrabit aduersarius? [v] Vel, Quousque De[us] probris afficiet te aduersarius? *Contumelia afficiet hostis nomen tuum?* Vel, Spernet inimicus nomẽ tuũ? Vel, Blasphemabit inimicus nomẽ tuũ? Alii, Cõminabitur nomini tuo? Alii, Floccifaciet? spernet? cõtemnet? [m] Queruntur de blasphemia nominis Dei, quã absq; vllo fine ab aduersariis audire cogebãtur. Ideonõ dicũt simpliciter, Aduersari[us] blasphemat nomẽ tuũ. sed, Vsquequo De[us] exprobrabit &c. [a] Significãt nullo se dolore magis cruciari quàm dũ vidẽt nomẽ Dei expositũ esse impiorũ probris.

*Nam enecabantur indesinenter diuini nominis audientes blasphemiam, ideo rogant vt vel tandem frænum ori impiorum imponatur, & tollantur hæc probra nominis Dei. Atque hac precandi forma Vates zelum asserendæ gloriæ in cordibus nostris accendere voluit. Et certè quùm naturaliter ad mala ferenda nimis delicati simus ac molles, hoc verum est pietatis experimentum si nos magis vrit ac torquet Dei contumelia quàm quicquid nos patimur. Non dubium est sub sæuissimo tyrāno & barbara gente multis modis derisos fuisse miseros Iudæos, nec vno ludibrii genere traductos. Atqui Propheta in persona totius Ecclesiæ loquens, probra illa, que in capita populi ingerebātur, nihili fere ducit præ sacrilegis in Deū blasphemiis. iuxta illud, Opprobria exprobrantiū tibi ceciderūt super me, Suprà, 69.b.10.14. *Perpetuò.* *Vel, in seculū, in perpetuum. Vide Suprà, 79.b.5. *Hæc dictio iterum additur, quia diuturna impunitas ad audaciam obdurat impios, præsertim vbi Deo maledicunt, ipse autem dissimulat. *q.d. Quousque permittes hosti isti, non tam nostro quàm tuo, vt tibi conuitia dicat, vt sacrosanctum nomen tuum blasphemet? Ideo mox subiiciunt,

11 *Quousque conuertes manum tuam, & dexteram tuam? in medio sinus tui consume.*

Quousque conuertes manum tuam? *Quidam vertunt, Vtquid reducis manum tuam? Vel, auertis nempe ab ope ferenda. Dicitur Deus manum suam auertere quum potentiam suam reipsa non declarat nobis: sicuti è cōuerso dicitur manum suam porrigere vbi testatur sese nobis adesse, & aliquod specimen auxilii sui ac virtutis præbet. *Et dexteram tuam?* *Est eiusdem rei repetitio. Quidam tamen sic exponunt, Exere tandem manum tuam, quæ se nimis diu in sinu continuit. Sed multo rectius cōtinuabitur interrogatio vsque ad vltimum verbum, hoc modo, Quousque conuertes manum tuam? nempe è medio sinus tui conuertes? Consume igitur impios istos, qui tam superbè te contemnūt. Licebit etiam hoc modo non incommodè accipere, Tametsi hostes, quia non tumultuaris, neque palam attollis manum tuam, te residem ac otiosum esse fingunt: fac vt re ipsa sentiant tibi in solo nutu satis esse potentiæ ad eos perdendos, vtcunque digitum non moueas. *Ergo quia hæc Dei patientia & longanimitas ad diuini nominis ignominiam cedere videbatur, Deum ad iustam improborum punitionem fideles excitare conantur, non propriam quærentes vltionem, sed diuinæ maiestatis ac gloriæ assertionem.

12 *Deus autem rex meus, ab initio operans salutes in medio terræ.*

Deus autem rex meus. *Vel, At tu, ô Deus, olim rex meus eras, qui ferebas auxilia in medio terræ. Alii Et pro Quum accipientes, vertunt, Quum Deus rex meus. sub. fuerit. &c. *Solenne est in Psalmis, & quibuslibet sanctorum precibus, quòd memorant apud se potiora diuinæ erga suos beneuolentiæ, & cum in hostes, tum res vniuersas declaratæ potentiæ facinora. hunc morem & hic sancti obseruant, *& miscent precibus suis meditationem, qua nouum fidei vigorem colligant, séque excitent ad precandi studium. Scimus enim quàm difficile sit supra omnes dubitationes assurgere, vt soluto & libero cursu intrepidè orando pergamus. Hic ergo sibi in memoriam reuocant fideles documenta misericordiæ & virtutis Dei, *quibus per continuam ætatum seriem testatus est se regem esse electi populi. Et regis nomen hoc loco non ad solum imperium restringi debet, sed quia populum illum regendum susceperat vt saluum & incolumem præstaret. *Sic Dauid, quo Deum sibi magis familiarem redderet, regem ac Deum suum vocabat, Suprà, 5.a.3. *Ab initio.* *Vel, Iam olim, Iam pridem. Vide versum huius Psalmi secundū. *Operans salutes.* *Pluralis numerus magis exprimit quàm magnifica fuerit illa liberatio. *In medio terræ.* *Quidam per medium terræ Iudæam ideo notari putant quòd sita esset in vmbilico mundi habitabilis. Atqui satis constat pro loco conspicuo sumi: sicuti quum Pharaoni dictum est, Cognoscat Deus in medio terræ, Exodi 8.f.22. Simplex itaque sensus est, multas salutes manifestas fuisse exhibitas electo populo, quasi in illustri theatro. Docemur autem hoc exemplo, quia non sufficit vota labiis concipere, nisi ex fide oremus, animos semper reuocandos esse ad beneficia quibus paternum suum amorem Deus erga nos sanciuit, & quæ electionis eius testimonia esse debent. *Sic agnoscemus illum regem & defensorem nostrum esse, & ab eo solo toti pendebimus.

13 *Tu fregisti in virtute tua mare, contriuisti capita draconum super aquas.*

Tu fregisti. *Vel, Confregisti, diuisisti, diremisti, secuisti, vt scilicet transitum dares Israelitis. *In virtute tua.* *q.d. Non patrum nostrorum merito, sed tua virtute & gratia qua ipsos prosequutus es. *Mare.* *Scilicet rubrū. *Quia dixerat Propheta Deum operari salutes in medio terræ, *nunc species quasdam salutum maximè memorabiles colligit. Quanquam omnes ad primam redemptionem pertinent, qua Deus populum suum ab Ægyptiaca tyrannide asseruit. Postea descendet ad generale elogium gratiæ Dei, quæ in totum orbem diffunditur. Ita à speciali gratia, qua Deus Ecclesiam suam dignatus est, transitum sibi facit ad beneuolentiam qua prosequitur totum humanū genus. Dicit primò mare fregisse vel scidisse. *Contriuisti capita draconum.* *Vel, cetorū. *Quidam hoc membrū annexum esse putant, quòd cetos & alios maximos pisces siccato mari Deus interfecerit. Sed rectius alii Pharaonem & eius exercitum metaphoricè notari arbitrantur: quia hæc ratio loquendi Prophetis valde trita est, præsertim vbi fit sermo de Ægyptiis, quorum terram alluit piscosum mare, Nilus verò præterfluit. *Vide Esaiæ 27.a.1.

14 *Tu confregisti caput Leuiathan, posuisti eū escā populo tuo in deserto.*

Tu confregisti caput Leuiathan. *Vel, contriuisti, concidisti. *Pharao non abs re vocatur Leuiathā propter commoditates maris, quia illic regnum suum quasi balæna exerceat. Porro quia hoc tūc Deus potentiam suam in liberando populo tūc exeruit vt speraret Ecclesia perpetuum salutis suæ fore custodem, non debuit hoc documentum ad ætatem vnam restringi. Ideóque meritò ad posteros aptatur, vt inde fidem suam confirment. Cæterùm quamuis non omnia miracula recēseat quæ Deus in exitu populi edidit: per synecdochen tamen cōplectitur quicquid fusius narratur apud Mosen. *Posuisti eum escam populo.* *Vel, dedisti eum escam. *In deserto.* Vel, Deserta incolenti. Vel, deserti. Vel, solitudinum. Alii, In desertum. subaudi proficiscenti. *Quod dicitur hic Leuiathan cessisse in cibum Israelitis, & quidem in deserto, concinna allusio est ad Pharaonis interitum: acsi diceret annonam fuisse tunc repositam qua vesceretur populus, quia extinctis hostibus securitas non aliter ac cibus vitam protraxit. Ac per desertum intelligit non regiones maritimas, quamuis steriles sint & aridæ, sed solitudines procul à mari remotas. Alii exponunt Deum dedisse Pharaonem in cibum populo incolenti desertum, dū Israelem fecit potiri eius spoliis: sed prior expositio propius ad mentem Prophetæ accedit.

15 *Tu scidisti fontem & torrentem: tu siccasti fluuios validos.*

Tu scidisti fontem & torrentem. *Vel, excidisti, secuisti. Idem argumentum prosequitur. q.d. Ex scissa petra produxisti torrētem, siue aquas. Nam de petra loquitur ex qua fluxerūt aquæ populo murmurante, Exodi 17.b.6. Item Numer. 20.b.11, & Infrà, 105.d.41. quod certè magni miraculi considerationem habet. *Tu siccasti fluuios validos.* *Vel, fortes. Ad verbum, fortitudinis. hoc est, validos, ingentes. *Id factum fuit quum cessaret cursu Iordanis, Deus transitum populo suo præbuit, Ios. 3.d.15. Nam ratione caret quòd nonnulli איתן proprium nomen esse volunt. *Sunt qui hos versus non modò de miraculis peculiariter Israeli exhibitis, sed etiā de iis quæ Deus in vniuersum exhibet hominibus, intelligunt. Nam vt populo Israelitico secundò per miraculum excisa fissàque petra fontem in flumē redundantem eduxit, & contrà Iordanem transituris exiccauit, vt sicco pede per medium eius transirent: ita solita sed nō minus miranda beneficentia sua in toto orbe petras secat, & fontes ac flumina inde emanare facit, contrà quoque, potentia flumina sorbet & siccat.

16 *Tuus est dies, etiam tua est nox, tu ordinasti lucem & solē.*

Tuus est dies. *Iam descendit ad Dei beneficia, quæ communiter ad humanum genus patent. Postquā enim exordiū fecit à specialibus gratiis, quibus se Deus patrem electo populo ostendit, nūc opportunè cōmemorat cūctis mortalibus ipsum esse beneficū. His autē verbis significat nō fortuitò succedere inter se noctes & dies certis vicibus, sed dei arbitrio præfixū fuisse hūc ordinē. *quēadmodū alibi dicitur, Ordinatione tua perseuerat dies, Infrà, 119.91. Et, Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiā, Suprà, 19.a.3. Quibus verbis Propheta per vicissitudinē illā dierum ac noctiū tam constantē & hactenus irremissam gloriā Dei deprædicari dicit, scientiámq; illi' per totū orbē spargi. *Tu ordinasti.* *(vel præparasti) *lucem & solem.* *Ratio est cur non fortuito inter se succedunt noctes & dies certis vicibus, quia Deus soli indidit vim & munus illuminandæ terræ. Vbi enim lumen posuit, so

lem adiungit, quasi præcipuum eius vehiculum. In hoc ordine quum apertè refulgeat incomparabilis Dei bonitas erga mortales, non abs re Propheta fiduciæ materiam inde petit. [a]Et sanè huius ingentis beneficii memoria nunquam non deberet nos cum ad prædicandas Dei laudes tum ad bene de eius bonitate & gratia sperandum animare. [d]Nam quantum beneficium mortalibus sit per diei ac noctis vsum diuinitus exhibitum, quis satis poterit exprimere? Cogitemus quàm miserabile futurum sit si sublato die perpetua nox terram vbique occupet. Ægyptii triduana nocte percussi eam calamitatem putabant prorsus intolerãdã esse (Exodi 10.f.22.23) quis tulerit perpetuam? Rursus quanto commodo priuarentur mortaliũ res, si dẽpta prorsus nocte, perpetua esset diurnæ lucis continuatio. Sed væ nostræ malignitati, qua fit vt tantum beneficiũ noctis flagitiis nostris inseruire cogatur. Vide Suprà, 16. b.7, & Matth.5.g.45.

17 *Tu fixisti omnes terminos terræ, æstatem & hyemem tu formasti.*

Tu fixisti. [v]Vel, statuisti. *Omnes terminos terræ.* [c]Incertum est extremásne partes orbis intelligat, an verò speciales terminos, quibus singulæ regiones diuisæ sunt. Etsi enim turbans violentia hominum, dum insatiabilis cupiditas & ambitio quicquid distinctionis in mundo est perrumpit, retinet tamen Dei singulare beneficium quòd singulis gentibus suam habitationem attribuit. Nos tamen fines potius intelligimus qui hominum libidine misceri nequeunt, quòd scilicet Deus terræ spatium hominibus destinauerit quantum ad hospitiũ sufficeret. [d]Quicunque in summa terræ sunt termini, à Deo cõstituti sunt. Hæc est enim illius prouidentia, vt & generaliter omnibus totius orbis habitatoribus, & specialiter singulis regionibus certis terminis habitationem terræ sit dimensus. Vide Act.17.f.26. Hanc verò particulam non incommodè vsurpant fideles, acsi dicerent, Quis posuit terminos orbis? annon tu Deus noster? Vtquid ergo pateris hostem cum tanta nominis tui blasphemia terminos huius terræ, quam nobis inhabitandam dedisti, adobruere & vastando subuertere? *Æstatem & hyemem tu formasti.* [v]Vel, plasmasti. Ad verbum, formasti eas. Vel ea. Pronomen redundans more Hebræorum. Alii, finxisti. [d]Notant fideles anni tempora, quem totum diuidunt in æstatem & hyemem. Est autem horum temporũ eadẽ ratio quæ est diei ac noctis. Æstate terra germinando exercetur, ac solis ardore nonnihil exiccatur & effœta redditur: hyemis beneficio refrigeratur, humectatur & reficitur, ac ad futurum partum insequentis æstatis restauratur. Omnia redolẽt summam Dei prouidentiam, vsibus nostris inseruientem. [c]Clarissimè enim testantur hyemis & æstatis vices quàm benignè Deus hominum necessitatibus prospexerit. Vnde prudẽter colligit Propheta nihil minus esse cõsentaneũ quàm vt erga gregẽ suũ & domesticos, patris officiũ facere negligat.

18 *Recordare huius: aduersarius exprobrauit Iehoua: & populus nihili contumelia affecit nomen tuum.*

Recordare huius. [v]Vel, Memor sis huius. [d]Post commemoratam potentiam ac prouidentiam Dei generalem illam, quam cogitur totus orbis agnoscere, quæ passim vbique terrarum declaratur, [c]fideles ad precationis suæ cõtextum reuertuntur, ac primùm expostulant quòd hostes impunè Deo maledicãt. Loquutio autem emphatica est quum dicunt, Recordare huius. sicuti etiam non leue crimen est sacrum Dei nomen ludibrio habere. [d]Acsi dicerent, vlciscere. Sic solent irati ac vltionem minitantes dicere, Non obliuiscemur huius. *Populus nihili.* [c]Vbi Iehouæ meminit Propheta, ex opposito dicit homines nihili aut vesanos ita petulanter probra sua cõtra Deum iactare נבל enim non modò stultum significat, sed etiam flagitiosum ac turpem. Quare meritò Propheta Dei contemptores populum nequam vel nihili appellat. [d]Siquis populũ stultum aut insipientem exponere velit, agnoscat talem Impiis Dei hostibus stultitiam tribui, non quæ iudicio seculi stultos facit, quales haberi solent fatui & moriones, sed quæ coram Deo eos qui seculo isti habentur viri prudentes & nominati, omniũ stultissimos facit. Ita insipientia adeo periculosa est ac abominanda vt delictum aggrauet, tantum abest vt excuset. *Contumelia affecit nomen tuum.* [v]Vel, Spreuit, violauit. Idem verbum quod suprà, versu 10.

19 *Ne des bestiæ animam turturis tuæ, congregationis pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*

Ne des bestiæ. [v]Vel, Ne tradas congregationi inimicorum animam turturis. Dictio חיה interdum animam Hebræis significat, & quidam ita interpretãtur paulo post hoc eodem versu. hic certum est pro fera bestia vel pro multitudine accipi. Vtrouis modo sumere placeat, aptissima erit comparatio inter animam imbellis timidæque auiculæ, & robustum exercitum, vel crudelem feram. [a]Sic alibi David se[?]. num multis opponit, vt facilius Dei opem exoret. Circundederunt me tauri multi, tauri Basan circundederunt me, Suprà, 22.c.13. Et versu 17, Circundederunt me canes, congregatio malignantium circundederunt me, &c. *Animam turturis tuæ.* [c]Comparat Ecclesiam turturi: quia etsi in aliquo numero erant fideles, longè tamẽ impares erant suis hostibus: imò in prædã erant expositi. [a]Et pronomen tuæ, emphaticum est. [d]Nam quia erant populus Dei, vocant se turturem Dei, innuentes, quæ pati cogebantur, non tantum in se quantum in Deum ipsum cadere. *Congregationis pauperum tuorum ne obliuiscaris.* [a]Vel, animæ pauperum tuorum. [c]Repetitur enim nomen חיה ac gratia non caret quod propter ambiguitatem diuerso sensu positum est. Congregationis tamen potius quàm animæ nomen huic loco quadrat: quia videtur orare Propheta vt contra ingentes hostium copias Deus pusillum suum gregem custodiat & tueatur. *Pauperum tuorum.* [v]Vel, afflictorum tuorum. Id est, eorum qui, licet afflictionibus premantur, non tamen alium Deum colunt quàm te, qui solus Deus es. *In finem.* [v]Vel, In æternum, Penitus, Perpetuò. [d]Deprecantur non omnem correptionem & virgam, sed perpetuam obliuionem.

20 *Respice ad fœdus, quia repletæ sunt obscuritates terræ habitaculis violentiæ.*

Respice ad fœdus. [v]Vel, ad pactum sub. tuũ. [c]Quo magis Deus ad misericordiam flectatur, ad fœderis memoriam eum reuocat Propheta: [a]sicuti præcipua sanctorum consolatio est à fœdere quod cum ipsis iniit, nec potest facere irritum. [d]q.d. Quales quales sumus, noli tamen committere vt pactum tuũ, quod etiam hanc patribus nostris & nobis dedisti, ignominiæ pateat. Patebit autem nisi memor illius succurreris laborantibus. [a]Te enim patrem nobis fore pollicitus es, atque etiam paternis nos beneficiis hactenus affecisti: ne igitur filios tuos deseras. [c]Certè hoc perpetuum sanctis asylum fuit in summis periculis, fiducem sperare, quia pepigerat Deus se fore illis in patrem. Vnde etiam colligimus non aliã fulturã solidè niti preces nostras, nisi quia Deus gratuita electione nos sibi in populum adoptauit. Vnde etiam apparet quàm diabolicus fuerit furor impuri canis Serueti, qui non dubitat ineptum & stultum lusum vocare quòd suas Deo promissiones inter precandum obiicimus. *Repleta sunt obscuritates.* [c]Iterum admonent fideles quàm dura ipsos necessitas vrgeat, quia scilicet vbiq; grassetur violẽtia & oppressio, acsi tota omnia essẽt spoliaria & cauernæ latronum. [v]Q.d. Quia terra tenebris obducta plena est hominibus studentibus iniuriæ. Quidam vertunt, Tenebricosa terræ plena sunt habitaculis violentiæ. Alii, Replerũt tenebræ terram, habitacula prædonum. Alii, Repleta sunt omnia tenebrosis carceribus terræ, & habitaculis violentiæ. [c]Sed obscuritates terræ intelligit Propheta quia vbi Deus faciem suã abscondere videtur, improbi sibi latebras ad quoduis scelus vbique esse putant. Vide Esa.29.c.15.

21 *Ne redeat miser pudefactus, pauper & inops laudent nomen tuum.*

Ne redeat miser. [v]Vel, Ne reuertatur attritus. Vel, pauper. Vel, contritus. Vel, Ne reuertatur contritus cum ignominia. Id est, Ne reuertatur à cõspectu tuo obrutus ignominia quòd repulsam passus sit. [c]Nam istud reuerti quia relationem habet ad Deum, tantundem valet ac vacuum discedere. Petunt igitur fideles ne repulsam passi pudefiant. [a]Sicut alibi David, Deus meus (inquit) in te speraui, ne pudore afficiar, Suprà, 25.a.2. *Pauper & inops.* [v]Vel, afflictus. [c]Fideles, quo sibi misericordiam concilient, vocant se afflictos, pauperes, & inopes. Notãdum tamen est neque fictè ipsos loqui, neque hyperbolicè aggrauare suas miserias, sed tot cladibus fuisse deiectos vt nihil opis in mundo residuum esset. Quo exemplo monemur, vbi maximè deiecti sumus, egestati nostræ paratum esse remedium in Dei inuocatione. [a]quemadmodum fusius visuri sumus Infra, 91.e.15.

22 *Surge Deus, disceptа disceptationem tuam, recordare opprobrii tui quod à stulto infertur omni die.*

Surge Deus. [d]Apertius cordis sui affectum exprimunt fideles, ac iterum rogant vt tribunal conscendat Deus. [c]Surgere enim dicitur vbi post longam tolerantiam re ipsa ostendit se officii sui minimè oblitum. *Discepta disceptationem tuam.* [v]Vel, Defende, vel, iudica causam tuam. [c]Vt animosius causam hanc Deus suscipiat, eum implorant iuris sui vindicem: acsi dicerent, Domine, lis hæc quam sustinemus, in qua periclitamur, ac pene succumbimus, non tam nostra est quàm tua. Propter te namque affligimur, & quæ miseris inferuntur calamitates, propter nomen tuũ inferuntur. Quia ergo res tua & negotium hic agitur, non est cessandi locus.

Exurge itaque Deus, & tua potentia aduersarios nominis tui infringe, ac causam tuam assera. *Recordare opprobrii tui, quod à stulto infertur.* [C]Declarat quomodo causa hæc sit Dei propria, quia stultorum opprobriis quotidie subiaceat. [V]Quanquam hic iterum homines nihili vertere licebit. *Omni die.* [V]Vel, quotidie. [C]Mali atrocitatem amplificat circunstantia, quòd ludibrio vno non contenti suas subsannationes assiduè continuant. [A]Et certè irremissa illa opprobrii assiduitas piis mentibus intoleranda est. [E]Et spes auxilii quod implorabant fideles, potissimum eo nitebatur quòd scirent se Dei studiosos, hostes autem, Dei acerrimos osores esse. Id igitur toties ingeminant & blasphemiarum illorum, quæ nullum nec modum nec finē accipiebant, recordantur.

23 *Ne obliuiscaris vocis hostium tuorum, tumultus insurgentium contra te ascendat semper.*

Ne obliuiscaris vocis hostium tuorum. [M]Hoc vltimo versu glorias & insultationes impiorum, deinde vehementes illas minas, & conceptū furorē, quo contra Deum infremebant, quotidie magis ac magis inualescere & augeri queruntur, [C]orantque ne huius proteruiæ obliuiscatur Deus: quia non modò obloqui audēt eius maiestati, sed ferociter & tumultuosè blasphemias suas euomunt. *Tumultus insurgentium contra te.* [V]Quidam, Sonitus insurgentium in te: nam ascendit semper. Alii, Tumultus eorum qui contra te insurgunt, iugiter crescit, vel augescit. Alii, fastus eorum &c. *Ascendat semper.* [V]Vel, ascēdit, sub. in conspectum tuum: ideo non potes dissimulare te illum audire. [A]Dicit Propheta impios Ecclesiæ hostes aduersum Deum insurgere: quòd etsi obliquè id facere videntur, quia tamen Deum vilipendunt, meritò eos instar gigantum cæco fastu cōtra Deum insurgere, & eorum altitudinem sine modo efferri dicit. [M]Cæterùm videmus hoc loco, instruēte nos Spiritu Dei, quibus modis afflictis istis temporibus sub virga disciplinæ peccatorum nostrorū causa cōstitutis, animos nostros, ne prorsus desperēmus, contra impiorum violentiam & crudelitatem orando erigere, & opem à Deo etiam nobis irato implorare debeamus. Tales simus vt de blasphemiis nominis Dei doleamus magis quàm de nostris calamitatibus, & certò confidamus illum nobis in tempore affuturū atque nostras miserias in maximam fœlicitatem commutaturum, idque per Dominum Iesum.

ARGVMENTVM PSALMI LXXV.

[E]Continet hic Psalmus communem Ecclesiæ gratulationem, dum reputant fideles solo Dei arbitrio gubernari mundū: & verò eius gratia & virtute sustineri. [E]Deinde docet quòd Deus vnus sit, qui quem velit exaltet, & improbos grauissimè vlciscatur: vt omnes discant iustitiæ & veræ pietati sese addicere.

PRæfecto, Ne perdas, Psalmus Asaph, canticum.

Præfecto. [V]Vel, victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Ne perdas.* [V]Vel, disperdas. [?]Hanc inscriptionis particulā habent & Psalmi 57 & 59. Hic fortè significat impios conari perdere Christum & qui ei credunt, sed prohibente Domino id haudquaquam posse. *Psalmus Asaph, canticum.* [V]Vide Suprà, 30.a.1.

2 *Celebrabimus te Deus, celebrabimus: etenim propinquum est nomen tuum: narrabunt mirabilia tua.*

[V]*Celebrabimus te Deus.* [C]Vel, Gratias agemus. Siue Dauid author Psalmi fuerit, siue alius quispiam, statim ab initio Propheta se in gaudium & gratulationem effundit. *Celebrabimus.* [E]Emphatica est hæc repetitio ad exprimendū studii amorem in canendis Dei laudibus. [E]Sic alibi, Psallite Deo, psallite, psallite regi nostro, psallite, Suprà, 47.b.7. [C]Et si autem verba sunt præteriti temporis, ratio tamen postulat in futurū tempus resolui: quod apud Hebræos satis tritum est. Nisi fortè commemoret Propheta, Deum olim ob beneficia quæ præstitit, laudatum fuisse in populo suo, vt hoc modo eum ad perseuerantiam inducat, vt sui similis esse pergens, subinde noua laudum argumenta suppeditet. *Etenim propinquum est nomen tuum.* [E]Laus in eo sita est quòd prædicant sancti propè esse nomē Dei, omnibus scilicet ipsum inuocantibus, omnibus afflictis & miseris, ab ipsius bonitate pendētibus. Hæc verò nominis Dei propinquitas nihil aliud est quàm varia Dei, quibus suos quotidie afficit, beneficia. [C]Nam præsentia Dei vel propinquitas censetur ab auxilio quod in necessitate offert seruis suis. [E]Id est, vt alibi dicitur, omnibus qui inuocant eum in veritate, Infrà, Psal. 145.d.18. [C]Vnde & nomen Dei pro eius potentia sumitur, vt aliàs sæpe. *Narrabunt mirabilia tua.* [C]Hæc personæ mutatio quosdam interpretes impulit ad subaudiendum relatiuum אשר acsi dictum esset, Domine celebrabimus te, & nomen tuum propè est iis qui narrant mirabilia tua. Sed dubium non est quin Propheta indefinitè posuerit verbum narrabunt, & copulam vsurpauerit vice causalis copulæ, vt sæpe fieri solet. Sensus igitur hoc modo optimè fluet, Confitebimur tibi Deus, quia propinquum est nomen tuum: ideóque referentur mirabilia tua. Eosdem enim haud dubiè præcones fore dicit mirabilium Dei quos dixerat celebraturos eius laudem. Et certè Deus, virtutem suam exerendo, seruis suis os aperit ad enarranda sua opera. In summa, intelligit iustam laudandi Dei materiam suppetere: quia se ostēdit præsto fore ad opem suis ferendam. [V]Q.d. Quoniam se patefacit virtus tua in salutem Ecclesiæ tuæ, ideo omne habent pii cur tuam bonitatem prædicent.

3 *Quum assumpsero cœtum, ego recta iudicabo.*

Quum assumpsero cœtum. [V]Vel, Quum accepero statutum tempus. Vel, Quum destinatum tempus nactus fuero. [C]Quū Deus hic loquens inducatur, vterque sensus non malè quadrat: quòd Deus assumpto populo suo res dissipatas reuocaturus sit in legitimum ordinem. Vel, quòd opportunum iudicandi tempus sibi sumpturus sit. Nam populum suum ad tempus exponens hostium libidini, videtur eum negligere quemadmodum si grex absque pastore dispersus vagetur. Remediū ergo promittere volēs rebus cōfusis, meritò ab Ecclesiæ collectione incipit. Nam per cœtum, electorum Ecclesiam intelligit. Hanc enim rex & summus disceptator sibi adiunxit, & ex reliqua hominum turba, vt in ea regnaret, gloriam & potentiam suam declararet, selegit: ac tandem ex omnibus periculis & ærumnis ereptam summa fœlicitate donabit. [C]Siquis tamen de tempore intelligere velit, hac voce admonet Deus patienter ferendum esse dum re ipsa declaret venisse tēpus maturum corrigendis vitiis, quia solus ipse annos & dies in potestate habeat, & optimè teneat articulos & momenta. [A]sicuti habetur Act. capite 1.a.7. [C]Et certè sensus hic optimè conuenit, Deum arbitrio suo subiicere quod libenter ad se homines caperent, nempe finem & modum malis præfigere, & tempestiuè, quum visum fuerit, surgere ad suos liberādos. Quanquam prior interpretatio de colligenda Ecclesia non malè quadrat. Absurdum verò videri non debet, neque asperum, hic induci Dei personam, vt vicissim fidelium votis respondeat. [V]Nam familiare est & frequens in Psalmis, fideles gratias agere Deo, vel implorare eius opem, vicissim autem illis Deum respondere. [C]Præterea hæc hypotyposis multo efficacior est quàm si simpliciter dixisset Propheta Deum tandem suo tempore suo Ecclesiæ vindicem, vt dispersam & laceram colligat. Hæc tandem verborum summa, quamuis non statim opitulatur suis Deus, nunquam tamen eorum obliuisci, sed remedium quod in promptu est differre in tempus idoneum. *Ego recta iudicabo.* [V]Vel, rectitudines, æquitates. Quidā, Ego rectè iudicabo. [C]Id est, Res turbatas & incompositas adducam in meliorem statum. sicuti dicit Paulus cōsentaneum esse iustitiæ Dei relaxationem dare afflictis: & qui innoxios affligunt, vicissim affligere, 2. Thess.1.c 6. Deus ergo officii sui esse pronuntiat moderari res turbatas, & ad æquitatem componere, vt nos hæc expectatio in omnibus miseriis sustineat ac soletur. [A]Vnde Christus dicebat, Deus non faciet vindictā electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, etiam quū patiens fuerit super illis? Dico vobis quòd faciet vindictam illorum citò, Luc. 18.b.7. Quod vtinam probè expēderent reges ac principes huius seculi, quibus parum est Filium Dei cōtumeliis afficere, & eos ad mortem vsque persequi qui idolis cultum soli Deo debitum constanter recusant. Tunc enim Dominus loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, Suprà, 2.b.5.

4 *Dissoluta est terra, & omnes incolæ eius, ego stabiliam columnas eius. Selah.*

Dissoluta est terra. [V]Ad verbum, Dissolui sunt (vel liquescūt) terra. Verbum plurale nomini singulari iunctum, frequens Scripturis. [C]Dicit Propheta, quamuis dissoluta sit terra, in Dei tamen manu esse eius fulturas. Cohæret enim hic versus cum superiore. Nam confirmat Deum opportuno tempore æquū & rectum fore iudicem: quia facile ei sit, etiamsi tota mundi machina concidererit, reparare omnes eius ruinas. Interea dubium non est quin respexerit Propheta ad ipsam rerum naturam. Quamuis enim locum infimum cœlestis circunferētiæ occupet terra, quibus tamen fundamentis nititur, nisi quòd suspensa est in medio aere? Deinde quum tot aquæ penetrant per medias eius venas, annon ipsa quoque difflueret, nisi arcana Dei virtute stabiliretur? Cæterùm Propheta ad naturam alludens, altius tamen conscendit, quamuis collapsus sit orbis, penes Deum esse dare nouam firmitatem. [V]Sunt qui per futurum vertunt, Diffluent, Colliquescent, sub. præ timore: tantū abest vt mihi possint resistere. [C]Sed simplicior est

prior interpretatio. *Ego stabiliam.* Vel, dispenam summa arte. Vel, confirmabo, figam. *Selah.* Ideo adscripta est hæc particula vt intelligamus vnius Dei esse mundum restituere, qui illum & condidit.

5 *Dixi insanis, Ne insaniatis: & impiis, ne attollatis cornu.*

Dixi insanis, ne insaniatis. [A]Vel, Dixi stultis, ne stultescite. Verba sunt Prophetæ authoris huius Psalmi. [C]Nam postquã sibi & aliis fidelibus Dei officium ante oculos statuit, nunc de impiis omnibus triumphat, quorum insaniam & cæcum furorem accusat: quia contempto Deo sese intemperanter efferant. Pendet autem sancta hæc iactantia ex iudicio quod instare denuntiauit in persona Dei, quia dum fideles Deum expectant iudicem, breuique affore persuasi sunt, inter medias oppressiones non desinunt gloriari. Etsi enim furor ex impiorum insania ebullitos fluctus ad eos mergendos proiicit, sufficit tamen Dei manu salutem suam protegi, cui facile est subigere omnem fastum, & compescere temerarios conatus. Nam cõtemptim derident fideles quicquid moliuntur impii atque agitant, quum desistere iubent ab insania, quia hoc modo significant frustra tumultuari, vt furiosos homines sua amentia huc & illuc impellit. *Et impiis.* [A]Quos insanos vocauerat, nunc impios appellat. Sicut alibi insani seu stulti, operarii iniquitatis, hoc est iniusti, appellantur, Suprà, 5.a.6. Et certè quotquot impietati se addicunt, insanos sint oportet, quia à vitæ semita semper recedentes, in extremum exitium nescii præcipites ruunt. *Ne attollatis cornu.* [V]Hoc est, Ne vosipsos intemperanter efferatis. Vel, Ne superbia inflati Deum & homines cõtemnatis. [C]Notãdum hic est quòd Propheta superbiam facit audaciæ causam vel matrem, sicuti omnino verum est, non ita præcipitanter ruere homines nisi quatenus excæcati superbia, sibi nimium arrogant: [A]nec expendunt hanc esse Dei naturam, ac propriũ eius munus, superbis resistere, humilibus verò dare gratiam, Iac.4.b.6.

6 *Ne attollatis in altum cornu vestrum, neque loquamini collo duro.*

Ne attollatis in altum cornu vestrum. [A]Vel, Ne extollatis in excelsum cornu vestrum. [B]Quia superbiæ morbus non faciiè euellitur ex cordibus hominum, secundò repetit Propheta ne impii attollant cornu suum in sublime. [V]Et cornu nomine robur significat. Q.d. Vires vestras ne iactetis contra Deum. Refert Propheta suas cogitationes: & non tam sua causa loquitur quàm vt filios Dei instituat quomodo se gerere debeant in rebus aduersis, vbi videntur oppressi: nempe vt resistant fortiter, agnoscendo, quicquid machinantur impii, hoc prouenire ex meto furore, & furorem ex superbia. *Neque loquamini collo duro.* [V]Vel, pingui, præfracto, hoc est superbè & præfractè. [C]Hoc enim per collum pingue vel durum intelligit: quia fastuosi homines rigida ceruice minas suas efflare solẽt. Alii vertunt, Ne loquamini duriter collo. Sed altera interpretatio verior. [V]Alludit enim Propheta ad gestum ipsum qui cernitur in hominibus superbis: nam habent guttur quodammodo inflatum.

7 *Quia neque ab oriente, neque ab occasu, neque à deserto sunt exaltationes.*

Quia neque ab oriente. [B]Vel, Quia nec ab exortu, nec ab occidente. *Neque à deserto.* [A]Alii, Neque ab Aquilone. [V]q.d. Dignitatis nullũ est emporium, nusquam terrarum vẽditur dignitas, siue potentia, sed à solo Deo est. [B]Siquidem à solius Dei voluntate, & iudicis & moderatoris omnium, non ab ortu solis, non ab occasu, neque à deserto (hoc est meridie) exaltari cõtingit. [C]Certè optimum corrigendæ superbiæ remedium, dũ monemur altitudinem non à terra esse sed à solo Deo. Hoc enim vel plurimum perstringit hominum oculos, vbi dextram & sinistram partem circunspiciunt, & vndique contrahunt opes & subsidia quibus freti libidinem suam expleant. Quia ergo extra mundum non egrediuntur, Propheta longè eos errare affirmat: quia altitudo & deiectio in sola Dei manu positæ sint. Videtur quidem cum experientia communi hoc pugnare, quòd maior pars mundi vel astutia sua, vel gratia & fauore populi, vel aliis terrenis mediis ad summos honorum gradus perueniat. Videtur etiam frigida esse causæ redditio, quòd Deus sit iudex. Responsio, quamuis multi vel malis actibus, vel mundi adiumẽtis in altitudinem conscendant, hoc tamen non accidere fortuitò: sed arcano Dei cõsilio sic attolli vt mox quasi quisquilias vel paleam disiiciat. [B]Porrò desertum magnum à meridie Iudææ est, ideo pro meridionali plaga vsurpatur: sicut ים (id est mare) pro occidentali, propterea quòd mare Iudæis sit ab occidente.

8 *Quoniam Deus iudex est, hic humiliat & hic eleuat.*

Quoniam Deus iudex est. [V]Iudicium hoc loco nihil aliud est quàm gubernatio. Iudex igitur De[us] est, hoc est, ita præest mũdo gubernãdo vt nihil geratur in eo nisi arbitrio ipsius, vt cõstituat & ordinet res humanas prout visum est. Nõ igitur tribuendæ sunt neque fortunæ, neque industriæ nostræ quæcũque cernuntur in mundo mutationes. *Hic humiliat & hic eleuat.* [V]Quidam, Hũc humiliat & illũ exaltat. Alii, Hic deiicit, & hic exaltat. [B]Hic videmus non simpliciter iudicium Deo tribui à Propheta, sed quale illud sit definiri, nempe vt hunc deiiciẽs & illum exaltans res humanas prout visum est ordinet. [A]Sic Hannah Samuelis mater hunc Deo honorem tribuit, dicens, Iehouah pauperẽ facit & ditat, humiliat & exaltat, 1. Sam. 2.b.7. [C]Diximus autem hac ratione optimè humiliari sublimes animos, quia hinc profanis hominibus audẽdi licẽtia, quòd Deũ cœlo includunt, nec se arcana eius prouidentia frænari reputant. Denique abrogant Deo imperium vt libidini suæ vacuũ & liberum cursum reperiant. Ergo vt subiectè & modestè in gradu nostro quiescere discamus, iudicium Dei vel gubernãdi mundi ordinem clarè definit, quòd penes eum sit ea hominibus attollere quos visum est, vel deiicere. Vnde sequitur, eos omnes qui expansis vanitatis alis ad aliquam altitudinẽ temere aspirant, quantum in se est Deo ius suum & potestatem eripere: idque facilè apparet non modò ex temulentis cõsiliis, sed etiam sacrilega iactantia. Quis me impediet? Quid mihi obstabit? Quasi verò Deo promptum non sit solo nutu mille obstacula repente obiicere ad frangendos eorum impetus. [C]Sicuti autem profani homines sua temeritate & peruersis consiliis Deum spoliare regis honore conãtur: ita quoties nimium ad illorum minas trepidamus, infidelitas nostra Dei imperium malignè restringit. Simulac increpuit aliquis motus, non aliter expauescimus quàm cœlesti fulmine percussi. Tanta consternatio satis declarat nondum nos probè tenere quid sit mundum à Deo gubernari. Puderet quidem nos eum spoliare titulo iudicis, imò omnium ferè animi horrerẽt ad hanc blasphemiam: sed vbi naturæ sensus hanc confessionem nobis extorsit, Deum esse mũdi iudicem ac regem, otiosum quoddã imperiũ imaginamur, acsi humanũ genus manu & cõsilio suo non regeret. Cæterum qui principiu hoc tenuerit, Deũ statuere de cũctis mortalibus quod visum est, vt singulis fortunã ipse fingat, nõ subsistet in terrenis mediis. Vsus autem huius doctrinæ est vt se fideles Deo totos subiiciant, nec fallaci cõfidẽtiæ vẽto se efferãt: vbi autẽ viderint impios proteruire, contẽnere non dubitent stultã & vesanã eorũ cõfidentiã. Quãquã autẽ summa est imperii potestas penes Deũ, vocatur tamẽ iudex, vt sciamus optima æquitate res humanas ipsum moderari. Hinc fiet vt quisque ab omni iniuria & maleficio abstinẽs, iniustè læsus ad Dei tribunal confugiat.

9 *Quia calix in manu Iehouæ, & vinum fæculentum: impletus est mistione, & effundet ex eo. Vtique fæces eius exprimentes, bibent omnes scelerati terræ.*

Quia calix in manu Iehouæ. [A]Postquam Propheta docuit Deũ solum esse iudicẽ, qui humiliare & exaltare possit, [C]doctrinã illam in vsum piorum propius accommodat, [A]& horrendam hostium Dei vltionem describit, quã certã esse & iam paratã calicis similitudine indicat. [C]Nam ideo Deum regnare affirmat ne qua iniquitas maneat inulta, sed vbi lasciuierint scelerati homines, eos ad pœnas quas meriti sunt trahat. Vnde iterum colligimus qualiter reputanda sit nobis Dei prouidentia, nempe quæ singulas vitæ nostræ partes præsenti virtute moderetur. Dicit igitur calicem esse in manu Dei, quo sceleratos inebriet. [A]quibus verbis significat paratam impiis Dei cõtemptoribus iustam vltionem à Domino. [V]Nam Scriptura calicẽ pro vltione diuina accipere solet, Sicuti Suprà, 11.b.6. Et Ierem. 51.b.7. *Et vinum fæculentum.* [C]Vox Hebræa חמר tam fæculentũ quàm rubrum significat: sed quia vinum rubrum apud Hebræos fortissimum & acutissimum erat, aptè conuenit hæc similitudo, vinum fumosi saporis esse in Dei manu, quo impios exitiabiliter inebriet: acsi diceret incredibilem vindictæ Dei celeritatem esse: sicut forte vinum citò & validè in cerebrum penetrans, vel furorem generat, vel febrim accendit. Dicit ergo vinum in calice Dei rubescere: sicuti dicitur, Ne respicias vinum quum rubescit in vitro, Prouerbior. 23. d.31. *Impletus est mistione.* [C]Hoc non pugnat cum superiore expositione: quia non malè conueniunt inter se hæc duo, vindicta Dei citò inebriari impios, & eam ebibere vsque ad fæcem, donec intereant. [V]Sunt tamen qui existimant mistionem hic poni quòd rarò bibant vinum merum in illis regionibus, quòd calidiores sint: quódque illic vinum sit generosius quàm in istis plagis frigidis. Sed diuersum significatus, nempe quòd vinum sit aromaticum.

Confert enim Propheta vehementiam iræ Dei ac feruorem vino aromatico, acsi diceret, Non tantùm propinat Deus impij vinũ simplex & natiuum, sed addita mistione, vt plus habeat vigoris. *Fæces eius exprimentibibent.* [V]Vel, Sugent & bibent. Quibusdam transposita verba videntur, pro, bibent & sugent. q.d. Non tantùm bibent, sed totum ad vltimam vsque guttam ebibent, & vsque ad fæces. Loquutio satis vulgaris Hebræis, vt verbum quod plus habet vehementiæ, primo loco ponatur. [C]Summa est, non posse effugere quin sugendo ad vltimam vsque guttam calicem ebibant à Deo propinatum. Vide Ierem. 25. f. 19.

10 *Ego verò annunciabo in seculum, in perpetuum psallam Deo Iacob.*

Ego verò annunciabo in seculum. [A]Sicuti Propheta Psalmum à laude Dei exorsus est, ita eundem claudit gratiarum actione. [C]Itaque hæc clausula ostendit fideles sibi gratulari quòd Deum in rebus suis aduersis liberatorem experti sint. Videntur enim propriam experientiam notare in narratione & cantico. *In perpetuum.* [A]q.d. Nunquam deerit mihi materia Deum laudandi, quia semper se Ecclesiæ patronum & vindicem præstabit.

11 *Et omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur cornua iusti.*

Et omnia cornua impiorum confringam. [V]Quia fideles sciunt Deũ suis perpetuò similem esse, non dubitant quin etiam velit in posterum iuuare suos quemadmodum hactenus fecit: [c]vnde colligunt se diuino auxilio fracturos quicquid erit potentiæ in reprobis: se verò iustitia & æquitate satis ad tuendam suam salutem fore instructos. Nam addunt, *Exaltabuntur cornua iusti.* quod tantundem valet acsi dixissent, filios Dei, probè & innocuè viuendo, plus sibi præsidij acquirere quam si per omne scelus emergere studerent. Fœlices igitur & beati qui iustam vocationem sequentes se suáque omnia Deo subijciunt, ab eo toti pendent, & sub potenti eius manu humiliantur, vt quum opportunum fuerit ab eo extollantur, 1. Petri 5. b. 6. Contrà hi miseri ac stulti sunt qui Deo summo iudici & omnium moderatori sese subijcere detrectant: quum in manu eius sit illos quamlibet feroces & elatos vel solo nutu deijcere, & ad inferos vsque quoties visum illi fuerit humiliare.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVI.

[M]Celebratur hoc Psalmo gloria & potentia Dei, [r]quam in vrbis Hierosolymæ protectione ac defensione (secundu quod pollicitus fuerat) exeruit: [b]vt se Deum vnicè tremendum ac formidabilem ostenderet.

PRæfecto in Neginoth, Psalmus Asaph, canticum.

Præfecto in Neginoth. [V]Vel, victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4. a. 1. *Psalmus Asaph canticum.* Vide Suprà, 30. a. 1. [C]Quis fuerit Psalmi huius author anxiè disquirere superuacuum foret. Probabile est longè post mortem Dauidis fuisse compositũ: ideóque nonnulli putant historiam liberationis describi quæ contigit sub rege Iosaphat contra Ammonitas. Sed aptius ad tempus Ezechiæ refertur. Nam Assyrij, duce Sennacherib, nõ modò Iudæam ingressi sunt, sed vrbem ipsam regni caput violenter aggressi. Et scimus quàm mirabiliter soluta fuerit obsidio, quum horribili clade per manum Angeli Deus exercitũ illum nocte vna deleuit, 2. Reg. 19. g. 35. Vnde non abs re dicit Propheta Deum illic fregisse sagittas, gladios & clypeos. Hoc tamen præcipuè cognitu necessarium est, perpetuam Dei curam in tuẽda quã elegit Ecclesia hic laudari, vt de eius protectione fideles gloriari non dubitent.

2 *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.*

Notus in Iudæa Deus. [V]Vel, celebris in Iudæa Deus. [M]Bifariam exponi potest versus hic primus, vel quòd ipsis Iudæis & Israelitis notus fuerit Deus, & apud eos nomen eius habitum sit magnum & illustre: vel quòd in Iudæis se Deus non Iudæis tãtùm, sed & exteris etiã nationibus cognoscẽdum præbuerit, & nomen suum illustrauerit. [C]Admonet itaque Propheta non humanitus esse factum vt hostes discesserint irriti, sed memorabili Dei auxilio. Nam Deus manum suam inusitato modo exeruit, vt palam constaret sub eius patrocinio & tutela esse vrbem & populũ. *In Israel magnum nomen eius.* [C]Q.d. Magna Dei gloria palam apparuit, hostibus tam celebri miraculo prostratis. [M]Cogitandum hic est quanti sit illa facienda gratia qua datum est nobis cognoscere Deum, & voluntatem eius tenere, quam tot millia mortalium ignorant. Expẽdendum & illud, quàm tenuis & infirma fuerit isti populo cõcessa veri Dei cognitio, si hãc conferas ad eam quæ nobis per Christum est allata, de qua dicitur, Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, &c. Iohã. 17. a. 3.

3 *Et fuit in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion.*

Et fuit in Salem tabernaculum. [V]Vel, Nam in Salem fuit tabernaculum eius. [R]Salem vocat Ierusalem, quæ hoc nomen habuit antequã Ierusalem diceretur, vt legimus Genes. 14. c. 18. Ierusalem putant dictam postquã ei loco Abrahã nomen indidit יהוה יראה, id est, Dominus videbit, Genes. 22. c. 14. Ex שלם enim & יראה compositum est ירושלם. & rectè videtur esse hæc etymologia. [C]Quanquã nonnulli sunt qui successu temporis compositum fuisse nomen existimant, quasi Iebusalem, quia nomen hoc postea medio tempore obtinuit, sicut patet ex Iudicũ cap. 19. c. 10. quòd eam incolerẽt ac tenerent Iebusæi. [C]Porro rationem assignat hoc versu Propheta cur Assyrijs profligatis, vrbem illam Deus asserere ac tueri dignatus sit: quia scilicet domicilium illic sibi delegerat in quo nomẽ suum inuocaretur. Summa est, non esse quòd sibi homines in hac vrbis liberatione, quã describit, quicquam arrogent, quia magnificè innotuit Deus, & manũ suam è cœlo conspicuam protulit. Deinde nonnisi gratuitæ electionis suæ respectu adductum fuisse Deum vt se hostibus eius opposuerit. Iam quia illo documento testatus est quàm inuictum sit suum robur in seruanda Ecclesia, fideles hic hortatur Propheta vt sub vmbra eius securè quiescant. Nam si Deo pretiosum est nomen suũ, non vulgare est fidei pignus dum audimus ipsum virtutis suæ magnitudinẽ in Ecclesiæ suæ salute velle cognosci. Porro quũ Ecclesia insigne sit gloriæ Dei theatrum, sedulò semper cauẽdum est ne beneficia in eam collata, præcipuè quorum memoria vigere debet omnibus seculis, ingratitudo nostra obruat. Cæterùm quanuis nunc in tabernaculo visibili non colatur Deus, quia tamen per Christum in medio nostri & in nobis ipsis habitat, experiemur haud dubiè, quoties opus fuerit, nos sub eius protectione saluos ac tutos esse. Nam si fereenũ sacrariũ Hierosolymæ salutẽ attulit, non minorẽ hodie curã nostrã geret quos in tẽpla sibi eligere dignatus est in quibus per Spiritum suum habitet.

4 *Illic fregit sagittas, arcus, clypeũ, & gladiũ ac bellũ. Selah.*

Illic fregit sagittas, arcus. [M]Iam describit Propheta qua potentia Deus hostiles exercitus contriuerit, [B]& populum suũ magna pace donauerit. [C]Describitur autem sub figuris hostium profligatio: quia deijci aliter non poterant nisi armis spoliarentur. [M]Dicit igitur Deũ arma bellica, sagittas, arcus, scuta, gladios & ipsum quoque impetum bellicum non simpliciter auertisse, sed & confregisse, perinde acsi gigas quisquam gladium aut hastã antagonistæ longè inferioris quam qui contra se quid possit, non solùm fortiter excutiat, sed non primo impetu confringat, & miserum planè inermem & ridiculum constituat, ac prosternat. [C]Dicit ergo Vates ereptam hostibus fuisse nocendi vim. Quanquam autem telis integris cæsi & extincti fuerunt, non tamen malè conuenit hæc metonymia. רשפים quidam vertunt cuspides. propriè vertendum esset ignes: sed rectius est pro sagittis accepi. Nam & aues interdum vocantur propter celeritatem. Sagittis autem tribuitur volatus Infrà, 91. b. 6. *Ac bellum.* [V]Id est, omnes machinas bellicas, Omnia instrumenta bellica. *Selah.* [B]Hic adscriptum Selah monet vt perpendamus quàm præclarè suis Deus adsit, verùmque, sed in se, pace donet. [A]quemadmodum alibi dicitur, Venite, videte opera Domini, qui posuit solitudines in terra. Cessare faciet bella vsque ad extremum terræ, arcum conteret, & concidet hastam, plaustra comburet igni, Suprà, 46. b. 9.

5 *Illustris tu, terribilis præ montibus prædæ.*

Illustris tu, terribilis. [V]Vel, Splendidus es. Vel, Conspicuus es, Admirabilis præ montibus prædæ. id est, ad prædam idoneis. Vel, Illustris es, robustus (vel admirandus) montium prædæ. Id est, similis leoni forti & indomito, habitanti in montibus. Alij, Magnificentior montibus prædæ. [C]Per montes prædæ intelligit Vates regna violenta: sicut ab initio scimus, quo quisque plus valebat latrocinando, fines suos magis ampliasse. Magnos ergo illos reges, qui sibi ampla dominia per vim & iniustas cædes acquisiuerunt, comparat feris bestijs, quæ viuũt ex rapto: & eorum regna syluosis montibus, quos bestiæ ad prædas assuetæ occupant. [M]Et certè quid aliud erãt regna Babyloniorum, Assyriorum, Ægyptiorum, & Græcorum, quàm montes quidam in quibus sedes suas fixerãt insignes illi prædones, omnia circunquaque vastatores ac deprædatores, quorũ nomina tyrannidis ac deprædationum causa in historias relata sunt? De Romano Imperio, quod totius orbis sanguine, cædibus ac vastationibus creuit, quid dicẽdũ? Illud vt sanguine creuit, ita & sanguine decreuit: & vsqueadeo exterminabitur vt etiã nomẽ illi[V] ex hominũ sollẽdũ sit memoria.

Ergo Spiritus sanctus illustres illos ac prævalidos, (quos tantummodo adoramus) prædones, & regna illorum (quæ sacrosancta ducimus) montes prædonum vocat. Nimirum nihil veritus illorum potentiam, ex eo illorum sumit elogia, quod si privatus quisquam faciat (vt prædo ille marinus ad Alexandrum dicebat) prædo iudicatur. Sed bene habet quòd in supremo illo & omnium robustissimo monte, qui non tyrannidis & deprædationis, sed summæ iustitiæ sedem habet, iustissimus pariter & omnipotens rex habitat, vnde iudicium exercere in quosuis prædonum montes, & formidabiles illos prædones in prædam dare potest. Sic diuino iudicio prædatores suos inuenerunt primùm Assyrii, deinde Babylonii, post hos Medi, post illos Græci, post Græcos Romani: & Turcæ (nequis dubitet) etiam suos prædones breui sentient, & deprædationis vicissitudinem experientur. Scriptum est enim, Væ qui prædaris, nónne & ipse in prædam daberis? Esa. 33. a. 1. [C]Quamuis ergo hostes Hierosolymæ violenter grassati soliti essent, Deum tamen supra omnes longè excellere Propheta affirmat, ne terroribus succumbant fideles. [V]Acsi diceret, Domine, quamuis alia regna plus habeant potētiæ in speciem, & magnas copias, tu tamen longè superas & excellis ad seruandum populum tuum.

6 *Spoliati sunt robusti corde, dormierunt somnum suum, nec inuenerunt cuncti homines fortitudinis manus suas.*

Spoliati sunt robusti. [C]Alia loquendi forma extollitur virtus Dei in hostibus perdendis. [V]Quidam vertunt, Infatuati sunt. Alii, prædæ fuerunt. Alii, Spoliis expositi sunt. Sed quod dicit Propheta, tantundem valet acsi dixisset hostes consilio & fortitudine fuisse priuatos. *Dormierunt somnum suum.* [V]Quidam, dormitarunt. Alii, per præsens, dormiunt. Significat sopitos fuisse torpore & ignauia, quum essent prius alacres & magnopere industrii ac strenui. *Nec inuenerunt cuncti homines fortitudinis manus suas.* [V]Hebraismus, pro, Nihil potuerunt efficere manibus suis cuncti viri bellicosi. [C]Vel, Nihilo magis ad pugnandum fuerunt idonei quàm si mutilæ & truncatæ fuissent eorū manus. [H]Q.d. Somnium erat quod conabātur. nihil enim suis manibus sunt assecuti. [A]Sic hostes Ecclesiæ nocturnæ visioni seu somnio conferuntur, Esaiæ 19. b. 7. [C]Spoliatos ergo dicit fuisse hostes heroica illa virtute quam iactabant, & quæ tantum dabat audaciæ vt neque mens, neque cor, neque manus, neque reliquæ partes officium suum fecerint. Quibus verbis admonet, in manu Dei esse quicquid facultatis suppetere videtur hominibus, vt singulis momentis quam dedit prudentiam eripere queat, corda effœminare, manus reddere imbelles, totúmque robur conterere. Ac consultò extollitur tam animositas quàm potentia hostium, vt discāt fideles ex opposito attollere Dei virtutem.

7 *Ab increpatione tua Deus Iacob consopitus est currus & equus.*

Ab increpatione tua Deus. [E]Hoc est, Te obiurgante factum est, ô Deus Iacob, vt in equis & curribus confidentes, tanquam somnium, imò somnii vmbra, euanuerint. [C]Confirmat ergo proximam sententiam, dicens sopitos fuisse currum & equū ab increpatione Dei. acsi diceret, quicquid agilitatis erat in hostibus, solo Dei nutu fuisse deletum. *Consopitus est currus.* [B]Elegans profectò simile dormitationis, consopitionis & somni. Quum enim somno oppressi dormitamus, sensim & quasi vltrò omnem vigorem amittimus, & cadimus. Sic Deus hostes populi sui occulta vi vrsit, omnémque virtutem ademit, vt velut dormitantes, consilium simul & conatum Dei populum expugnandi amitterent, morti cedentes. [H]Nec leuiter prætereundum est quòd soli increpationi Dei tribuit Propheta quæ suprà in impios declarata cōmemorauit. Humano more inducit Deum iratum, exurgentem & increpantem impios: sed hoc pacto potentia Dei ob oculos ponitur qua solo nutu & verbo, etiam robustissimorum exercitus exanimare, prosternere, & in nihilum redigere potest. [A]sicuti habetur Suprà, 18. b. 16. Ita & Christo diuina potentia tribuitur, vbi scribitur vētos & mare increpasse & increpando sedasse, Matth. 8. c. 27, & 14. d. 33. Et de Deo dicitur quòd mare rubrum increpādo exsiccauerit, Infrà, 106. b. 9. [A]Ergo vt nos omnia subsidia destituant, sufficiat nobis vnicus Dei fauor, quando non opus habet magnis copiis ad repellendos totius mundi impetus, sed solo flatu discutere eos potest. Vide Exodi 15. a. 8.

8 *Tu terribilis, tu, & quis consistet coram facie tua, ex quo ira tua?*

Tu terribilis. [V]Vel, Tu formidabilis. [A]Clarius metuendam Dei potentiam prædicat. [H]acsi diceret, Impii illi tyranni, qui nemini non volunt esse terrori, si tibi conferantur, planè ridiculi sunt. *Tu.* [C]Repetitio pronominis exclusiuam particulam in se continet: acsi dixisset, quicquid est in mundo potentiæ, facilè efflari & concidere in nihilum, vbi Deus in medium prodit: itaque meritò ipsum solum esse formidabilem. [A]sicuti Christus docet Matth. 10. c. 28. *Et quis consistet coram facie tua?* [V]Vel, Quis stabit coram te? [C]Significat Propheta, quamuis superbia crepent impii, Dei tamen cōspectum minimè eis fore tolerabilem. *Ex quo ira tua?* [V]Vel, Simulatque exarserit ira tua? Ad verbum, ex quo ira tua? Hoc est, ex eo tempore quo exarserit ira tua? Quia Deus interdum dissimulat, videturque otiosus spectator, disertè exprimit Propheta, simulac irasci cœperit, omnibus impiis ruinam instare. [A]Nam Deus noster, ignis consumens est, Deut. 4. d. 24. & Hebr. 12. g. 29. Et quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis? Esa. 33. b. 14. [C]Quamuis ergo impii ad tempus non modò consistant, sed etiam furore suo transcendant nubes, expectandum esse admonet Propheta iræ tempus. Notemos etiam, terrorem hunc iis denuntiari impiis vt suauiter ad Deum allicias fideles. [A]Vnde alibi scribitur, Quum exarserit vel minimum ira eius, beati omnes qui sperant in eo, Suprà, 2. c. 12.

9 *E cœlis audire fecisti iudicium, terra timuit & quieuit,*

E cœlis audire fecisti iudicium. [V]Sunt qui legunt, Audire facies, (vel proferes) iudicium tuum, terra timebit & quiescet. Sed præteritum verbi tempus aptius est. [C]Et cœlorum nomine emphaticè exprimit Vates illustrius fuisse Dei iudicium quàm vt potuerit vel fortunæ vel hominum industriæ adscribi. Aliquando enim iudicia sua obscurè exequitur, acsi è terra emergerēt. quemadmodum si pium & cordatum suscitet principem, sancta & legitima quæ vigebit gubernatio, iudicium Dei erit sed non videbitur pleno fulgore è cœlis ortū. Quia ergo insolitum fuit hoc genus auxilii, peculiari elogio insignitur. Huc etiam pertinet auditus, quia plus est clarè resonare (tanquam aliquod tonitru) Dei iudicia, & suo fragore omniū aures percellere, quàm si oculis cernerentur Nec verò dubium est quin alluserit Propheta ad tonitru & fulmen quibus homines metu attoniti redduntur. Nam quod subiicit, *Terra timuit & quieuit*, ad impios propriè refertur, qui expauefacti palmam Deo cōcedūt, neque audēt amplius suo more tumultuari. Quia ergo solo metu coguntur in ordinem, meritò silentii causam timorem ponit, non quia sponte se contineant, sed quia Deus inuitos constringit. Summa est, vbi detonat è cœlo Deus, cessare tumultus quos rebus confusis excitat impiorum proteruia. Simul tamen admonet quid proficiant sua pertinacia homines: quia fulminibus conteri necesse erit quicunque paternam Dei vocem cum strepitu contempserint.

10 *Quum exurgeret ad iudicium Deus, ad seruandum omnes mansuetos terræ.*

Quum exurgeret ad iudicium Deus. [V]Ad verbum, in exurgendo ad iudicium Deus, ad seruandum. Quod quidam in secunda persona vertunt, alii in tertia. Id est, Quum Deus cœpit exercere iudicium in impios, vt seruaret omnes, &c. [C]Nunc declarat Propheta quorsum iudicium illud cuius meminit, nempe vt specimen ederet Deus paterni erga pios omnes amoris. Deum ergo non ore sed manu loquentem inducit, vt palam ostendat quàm illi chara sit piorum salus. Surgendi verbo ad cessationem respicit, vnde tantum sibi licentiæ sumpserant improbi. Dicitur enim tribunal conscendere vbi claro effectu ostendit sibi curæ esse Ecclesiam. Huc enim tendit Prophetæ consilium, non magis fieri posse vt Deus miseros & innoxios deserat quàm vt seipsum abneget. Notandum enim est Deum vocari iudicem vt pauperibus iniustè oppressis succurrat. Nam mansuetos terræ vocat fideles, qui afflictionibus domiti, nihil altum spirant, sed suppliciter gemendo crucis onus placidè tolerant. Hic enim optimus est afflictionum fructus, animos nostros ferocia purgatos ad mansuetudinem ac modestiam flectere: quia inde certò colligimus, nos Dei cliētes esse, quibus opitulari velit. [H]Conuenit hic locus cum eo quem vidimus, vbi Propheta dicebat, Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus, Suprà, 12. b. 6. *Terræ.* [V]Vel, in terra. [H]Non est hoc prætereundū, Deo sedem in cœlo tribui, pauperibus, mansuetis & afflictis in terra. Habet hoc terræ impietas iam inde ab initio, vt innoxii in illa premantur. Sed proponitur hic nobis argumentum diuinæ prouidentiæ, qua, licet in cœlis dicatur habitare Deus, nihilo tamen minus adflictorum in hac terra rationem habet. Impietas humani cordis dicit, Dominus non videt nos, cœlos inhabitat, nec eorum quæ in terra aguntur vllam habet rationem. Hic audimus, miseros, licet in terra ista premantur, Deo tamen curæ esse, & ab illo cœlitus seruari.

11 *Certè ira hominum confitebitur tibi, residuum indignationum ligabis.*

Certè ira hominum confitebitur tibi. [y]Vel, celebrabit te. [c]Hoc quidam ita exponunt, hostes, vbi Deo succubuerint, victoriæ laudem ei daturos, quia fateri cogentur se fractos fuisse potenti eius manu. Sed simplicior sensus est, quanuis initio hostium furor, omnia perturbans, quasi tenebras obducat, tandem cessurum in laudem Dei: quia euentu palam fiet, quicquid moliantur, nihil tamen posse contra Deum. [m]Sanè magna hæc est consolatio fidelis animi, gloriæ Dei amantis, quòd tantum abest vt aliquid possint impii contra voluntatem Dei, vt etiam hoc ipso quòd irascuntur, & horrenda minantur ac conantur, gloriæ illius seruire cogantur. Sic impia Pharaonis insolentia hunc finem habuit, vt plus ad gloriam Dei illustrandam fecerit quàm pii cuiusquam regis probitas, quisquis ille fuerit. *Residuum indignationum ligabis.* [y]Vel, Residuum irarum accinges. Id est, accinges te ad reliquias indignationum. Acsi Propheta diceret, Domine, quum nondum profligati sint omnes Ecclesiæ hostes, tu accinges te ad perdendos qui residui sunt. [c]Sed simplicior est hic sensus, Quanuis non desinant hostes truculentiam spirare, tu tamen impedies ac constringes ne exequantur suos conatus. Non malè etiam fortè quadraret, Tu colliges in fasciculum, sicuti Gallicè dicimus trousser. Discamus ergo, dum obnubilant impii imperium Dei, patienter expectare dum lætiore successu seipsum glorificet Deus, & cum ludibrio vesanam eorum audaciam conterat. Quòd si subinde emergant noui motus, veniat nobis in mentem, proprium esse Dei munus reliquias indignationum constringere, ne se longius diffundant. Interea ne miremur subinde pullulare nouos furores, quia vsque ad finem mundi semper habebit Satan quos ad vexandos Dei filios instiget.

12 *Vouete & reddite Iehouæ Deo vestro quicunque in circuitu eius sunt, afferant munus terribili.*

Vouete & reddite. [y]Iam pro hac tanta Dei in populum suum beneficentia Propheta iubet vota nuncupari & solui, sed vota laudis intelligit, quæ debebant suo tempore cum hostiis exolui. [y]Respicit enim ad consuetudinem Legis quum vouere iubet. Vouebant enim sacrificia pro acceptis beneficiis, si positi erant aliqua victoria publicè: si quis item ereptus fuerat ex magno periculo, vel conualuerat ex aliquo morbo graui, priuatim & publicè vouebat sacrificia in testimonium gratiarum actionis. [y]Quidam (sed minus aptè) vertunt, Si voueritis, reddite. Vouet enim omnino quicunque verè orauerit gratiásve egerit. de quo Suprà, 22. f. 26. quare ad vouendum Psaltes hic hortatur: & est Vouete imperatiuè legendum. Hoc autem monendi homines sunt vt Deo id voueant quod illi gratum nouerint. huiusmodi est vera innocentia, & officia dilectionis, quæ tota implet Legem, [a]Rom. 13. c. 10. & Gal. 5. c. 14. [y]Quicquid huiusmodi est, id & vouendum prius est, & item reddendum. His autem si quid aduersum sit, neque vouendum, neque, si votum sit, præstandum est. Dei sumus enim, contra cuius voluntatem nihil licet tam velle quàm facere. [m]Proinde quod hic dicit Propheta, de votis monasticis intelligi non potest, quæ non præcipiuntur vt fiant, ipsis etiam aduersariis testibus. Hoc verò votorum genus de quo Propheta loquitur, in præceptum cultus Dei cadit, & obnoxios habet omnes pios. *Et reddite.* [c]Verbo reddendi constantiam designat, ne scilicet in subitam confessionem erumpant solùm, sed continuo temporis successu testentur penitus infixam esse cordibus suis liberationis memoriam. Præcipuum quidem est vt apud se reputent Deum esse salutis authorem: sed non superuacua est solennis pietatis professio, qua non modò se quisque ad officium stimulat, sed alii alios. *Deo vestro.* [h]Hoc emphaticum est, acsi Propheta diceret, Valeant dii Gentium, in quibus non est salus: vos agnoscite vestrum Deum, verum illum, & populi sui seruatorem: hunc in afflictionibus inuocate, huic vouete gratiarum actionem: per hunc liberabimini, illi liberati reddite vota vestra. *Quicunque in circuitu eius sunt, afferant munus.* [c]Videtur hic etiam vicinas gentes alloqui, acsi diceret speciem hanc gratiæ dignam esse quæ ab exteris & incircuncisis gentibus celebretur. Aptius tamen ad Prophetæ mentem esse videtur compellari vel Leuitas, vel omnes Abrahæ posteros: quorum vtrique non abs re dicuntur esse in Dei circuitu: quia & tabernaculum in medio castrorum locatum erat, quandiu in deserto peregrinati sunt Israelitæ, & statio Arcæ delecta fuit in mõte Siõ, vt vndique illuc confluerent. Leuitis autem seruandi Templi partes mandatæ erant, vt in circuitu agerent excubias. *Terribili.* [y]Ad verbum, terrori, timori. Potest esse adiectiuum dictionis munus, Afferte munus tremẽdum. Rectius exposueris terribili Domino. Nã hoc epithetũ tribuitur Deo propter eximiam constantiam salutis populo suo allatæ, quemadmodum visum est paulo antè versu 8, Tu terribilis es, &c. Suprà, 47. a. 3. [c]Quanquam si ad Gentes & profanos homines referas, sensus erit, seruituros fore Deo: quia metu perterriti non audebunt amplius resistere, [a]vbi viderint eius potentiam.

13 *Vindemiabit spiritum principum, terribilis regibus terræ.*

Vindemiabit spiritum principum. [y]Vel, Succidet, Perimet, Auferet. [b]Ostendit cur Deo nuncupanda sint vota & soluenda. excellit enim cunctos reges & principes adeo vt spiritum eorũ, dum libet, eripiat. Elegãti verò verbo vsus est בצר, quod vindemiare significat. Vt enim racemos homines colligunt, ita ille homines sublegit, nullis quantumuis potentibus parcẽs. [c]Et certè tyrannos & prædones infatuat: quia videt ingenium & consilia omnia ad nocendum applicare. [a]Licet ergo superbè proteruiant, metuendi tamen non sunt, [m]quia quoties Domino pro Ecclesiæ suæ salute visum fuerit, animum illis & omnem ferociam ac temeritatem adimet, & ex præfractis & minacibus abiectos reddet & pusillanimes. [a]quemadmodum alibi dicitur, Effundit contemptum super principes, & errare facit eos in solitudine absque via, Infrà, 107. d. 40. *Terribilis regibus terræ.* [c]Postquam dixit Propheta Deum auferre principibus mentem & prudentiam, nunc in genere exprimit illis esse terribilem, quia ex sua altitudine eos deiiciat præcipites. [y]Hoc autem non vulgarem consolationem piis omnibus adfert. Nam hostes Ecclesiæ vt plurimũ astuti sunt, & pollent multis & variis artibus: filii autem Dei, vel simplices sunt, vel sæpe ita perplexi propter angustias suas vt non prouideant rebus suis: ideo promittit illis Propheta tale Dei auxilium vt hostes nihil proficiant sua astutia neque acutis suis consiliis.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVII.

[c]Continet hic Psalmus communem precandi formam, quam fideles in sæuissimis quibusque persecutionibus sequi possunt. [b]Rursus memoria facinorum Dei olim pro populo suo editorum ad bene sperandum pii animantur, ac melius in studio precandi confirmantur.

P*Ræfecto super Iedithun Psalmus Asaph.*

Præfecto. [y]Seu, victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4. a. 1. *Super Iedithun.* [y]Vide Suprà, 39. a. 1. *Psalmus Asaph.* [y]Vide Supra, 50. a. 1.

2 *Vox mea ad Deum, & clamaui: vox mea ad Deum, & exaudiuit me.*

Vox mea ad Deum. [c]Hic Propheta refert quanto mœrore torqueretur, asseritque non se temere eiulasse in aerem, (vt multi sine ratione intemperiem doloris effundunt) sed rectà se ad Deum sermonem vertisse, quum necessitas clamorem exprimeret. q. d. Dum clamaui, vox mea ad Deum profecta est. [a]Vnde docemur statim Deum inuocare quoties premit necessitas, si malis nostris remedium inuenire cupimus. Neque enim frustra solatium imo liberationem à malis pollicetur quum à nobis inuocatus fuerit. Vide Suprà, 50. c. 15. *Vox mea ad Deum.* [c]Ostendit non excussam sibi fuisse perseuerantiam, quanuis sæpius iterandi essent clamores. [a]Sunt qui mox animum abiiciant, nisi eos Dominus ab afflictionibus quibus premuntur confestim eripuerit: sed fides orandi perseuerantia probari debet, vt illustrior tandem appareat liberatio. Ideo Dauid dicebat, Expecta Dominum, robora te: & roborabit Deus cor tuum: & expecta Dominum, Suprà, 27. d. 14. *Et exaudiuit me.* [c]Hoc additur ad fidei confirmationem. copula enim, vt sæpe aliàs, vice aduerbii causalis ponitur. Quasi diceret, Ergo ad Deum clamo: quia mihi propitius & exorabilis esse solet. [m]Longè alia est incredulorum cogitatio, quibus nec larum quidem diuinitus auxilium persuadet quòd orando sint exauditi. Omnium enim ægerrime creditur arrigere Deus aures ad preces afflictorum. Ergo fides quæ sola verè ad Deum orat, sola etiam audisse ac succurisse Deum agnoscit & fatetur.

3 *In die afflictionis meæ Dominum quæsiui: manus mea nocte effusa est, & non cessauit, renuit consolationem anima mea.*

In die afflictionis meæ Dominum quæsiui. [V] Vel, Domine, quæsiui sub. remedium, vel solatium. Alii, In die angustiæ meæ Dominum quæsiui. [M] Dicit se non solùm iniuria malorum affectum fuisse, sed etiam tribulatum & angustiatum. Quasi dicat, Quum summopere anxius essem, Dominum quæsiui vt mihi opem ferret. Ergo in rebus aduersis etiam sancti redduntur anxii, ne quis Stoicum quiddam in illis quærat. *Manus mea nocte effusa est.* [C] Quia dictio יד interdum metaphoricè significat vulnus, multi hunc sensum eliciunt, Vulnus meum diffluxit nocte, & non cessauit. [V] Vel, Plaga mea noctu defluebat, nec quiescebat. Hoc est, Sanies non fuit exinanita, vt sisteretur fluxio. [E] Dicunt enim sumptam metaphoram à vulnerato, cuius sanguis nô potest sisti. Atqui potius in genuino sensu manus accipi debet, quia verbum cui iungitur, non modò diffluere, sed etiam diffundi vel extendi significat. Iam quum se in die afflictionis Deum quæsisse, & manus suas ad eum extentas nocte fuisse dicit, hæc distributio denotat continuum tempus: acsi diceret infatigabili studio se ad preces fuisse intentum. [M] Porro manus ad superna extentæ supplicis animi symbolum habent. Nam ita comparati sumus vt animi submissionem externo corporis gestu declaremus. Indicat itaque Vates verè se humiliatum ac supplicem, diuinam ambiisse clementiam. De manuum extentione vide Esa. 1. d. 15. *Renuit consolationem anima mea.* [C] Hæc clausula versus aduersatiuè legi debet. Quamuis anima Prophetæ nullum solatium ad leniendos cruciatus inueniat, ipsum tamen manus ad Deum tendere. Atqui ita cum desperatione luctari nos decet vt dolor, licet insanabilis, ianuam tamen votis nostris minimè præcludat.

4 *Recordabor Dei, & inquietus eram: meditabor & mœrore opprimetur spiritus meus.*

Recordabor Dei. [V] Quidam futurum in præteritum imperf. vertentes legunt, Recordabar Dei, & tumultuabar. Alii aduersatiuam particulam subaudiunt, Quamuis Dei recordarer, tamen inquietus eram. qui sensus optimè conuenit. [C] Absurdum quidem videri posset turbari Dei recordatione pias mentes: sed simpliciter intelligit Propheta, quamuis Dei recordatus sit, non tamen sanatam fuisse suam anxietatem. Fit quidem sæpe vt tormentum piis augeat Dei recordatio in rebus aduersis, vbi scilicet iratum sibi & infensum concipiunt: sed nô intelligit Propheta cor suum nouis agitationibus perculsum fuisse, quoties memor erat Dei: tantùm côqueritur nulla Dei consolatione se fuisse pacatum, quæ grauissima est tentationis species. Incredulos diris tormentis cruciari mirum non est: quia quum à Deo recedere studeant, iustas defectionis suæ pœnas luunt. Sed vbi Dei recordatio, vnde malis nostris lenimen quærimus, animos nostros non tranquillat, videtur nobiscum ludere. *Meditabor, & mœrore opprimetur spiritus meus.* [M] Ita comparati sumus vt in tribulationibus constituti, non animis solùm, sed & multis, variis & incertis cogitationibus, veluti fluctibus quibusdam, iactemur, quæ tam absunt vt animum afflictum & abiectum erigant vt etiam perplexiorem reddant, dum nusquam certum euadendi consilium occurrit: sed quo magis cogitatur, hoc res afflictæ deploratiores apparent. Sic Dauid querebatur, dicens, Quousque ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Suprà, 13. a. 3. Interea docet hic locus, vtcunque fremitu, mœrore, tumultu pleni simus, inter hæc tamen obstacula pergendum esse in Dei vocatione. *Selah.* [A] Hæc particula monet considerare quousque suos subinde Deus deiiciat, quum tamen diligat.

5 *Tenuisti vigilias oculorum meorum: contritus sum, & non loquar.*

Tenuisti vigilias oculorum meorum. [V] Vel, Tenuisti in vigiliis oculos meos. Id est, Tota nocte (ea autem solebat distribui in quatuor vigilias) tenuisti oculos meos, ne clauderentur. Dicit se duxisse noctes peruigiles & insomnes præ vehemẽti dolore. Alii vertunt, Tenuisti custodias oculorum meorũ. id est, palpebras, quæ sunt veluti custodes oculorũ meorum. [C] Idem est sensus. nisi quis dicere malit, quia nox in plures vigilias distribui solebat, metaphoricè custodias vocare assiduam ægritudinem, quæ somno locum non dabat. Sed quum paulo antè dixerit se clamosa voce Deum precari, nunc taciturum se dicat, videtur species aliqua esse repugnantiæ. Hæc quæstio iam soluta fuit Suprà, 32. a. 3. vbi docuimus fideles mœrore oppressos non seruare æquabilem statum: sed nunc erumpere in gemitus & querimonias, nunc, quasi præclusæ essent fauces, obmutescere. Quare non mirum est si Propheta se malis fateatur ita fuisse oppressum & quasi suffocatum vt vocem non emitteret.

6 *Recensui dies antiquos, annos seculorum.*

Recensui dies antiquos. [V] Vel, Supputaui, Recogitaui, Reduxi in animum. Alii, Recẽsui dies ab initio. id est, dies iam olim præteritos, quibus sæpius fueram à Domino liberatus, & benignè tractatus. [C] Non dubium est quin pristinæ lætitiæ memoria dolorem suum mitigare conatus sit, sed profectum tam subitò sensisse negat. Quanquam per dies initii & annos seculorum non modò breue vitæ suæ curriculum videtur notare, sed plures ætates complecti. Et certè fideles non modò quæ experti sunt beneficia, sed quæcũq; Deus omnibus seculis in Ecclesiam suã cõtulit, sibi in afflictionibus proponere & in animum reuocare debent. Quanquã ex cõtextu colligere promptum est, quum superiores Dei gratias in animum colligeret Propheta, à proprio experimento cœpisse. *Annos seculorum.* [V] Id est, pristinos, siue priscos. [M] Hoc est, Suspirabam & desiderabam priorum seculorũ prosperitatem, quibus tot diuinæ bonitatis & gratiæ signa acceperas fueram.

7 *Recordabar cantici mei nocte, cum corde meo meditabar, & scrutabatur spiritus meus.*

Recordabar cantici mei. [V] Vel, Carminis. Quidam, In memoriam reuocabam modulationes meas. [E] Per carmen suum vel canticum designat gratiarum actiones quibus se in rebus lætis ac prosperis exercuerat. Etsi autem nullum est sanandis malis nostris aptius remedium, (sicut nuper diximus) Satan tamen astutè nobis sæpe Dei beneficia suggerit, vt sensus ipse priuationis acrius animos nostros vulneret. Ideo verisimile est acerbis punctionibus lancinatum fuisse Prophetam, dum antecacti temporis lætitiam conferebat malis præsentibus. *Nocte.* [A] Noctis disertè meminit quæ plures curas & cogitationes generat, dum solitarii sumus subductique ab hominum conspectu. [I] Nam laborantes animi altissimè se dedere cogitationibus noctu solent, conatique, rimari & excutere omnem iudiciorum Dei rationem, quo infinitum sibi dolorem adsciscunt. *Cum corde meo meditabar.* [V] Vel, Cum corde meo loquebar. [A] Id est, Multa tacitus apud me cogitabam. [C] Hoc enim affert solitudo, vt se colligant homines, penitus seipsos excutiant, ac seriò remotis arbitris secum loquantur. *Et scrutabatur spiritus meus.* [V] Vel, Inuestigabat spiritus meus. [C] Bifariam hæc sententia exponi potest. Quidam subaudientes Dei nomen, sic exponũt acsi Propheta diceret, Domine nihil est tam absconditum in corde meo quo nõ penetraueris. Et sanè propriè dicitur Deus scrutari hominis spiritum quem expergefacit à torpore, viuisque tormentis examinat: quia tunc excutiuntur latebræ omnes, & obscuri recessus, & in lucem protrahuntur affectus incogniti. Sed altera lectio, Inuestigauit spiritus meus, magis recepta est, & longè melius fluit. In illa igitur disceptatione cuius meminit, scrutatus est quasnam ob causas tantopere affligeretur: deinde quis tandem foret exitus malorum. Et certè vtilis est hæc meditatio ad quam nos etiam Deus rebus aduersis sollicitat: quia eorum socordia qui sub Dei flagellis obdurescunt nihil magis peruersum est. Solùm tenendus est modus, ne dolor nos absorbeat: deinde, si omnia Dei iudicia peruestigare tentemus, abyssus nos obruat. Significat autem Propheta, quum hinc inde omnia colligeret, nihil solatii apparuisse ad placandum dolorem.

8 *An in secula repellet Dominus? nec adiiciet vlterà ut sit beneuolus?*

An in secula repellet Dominus? [V] Vel, Elongabitur? Vel, Elongabit se? Vel, Abominabitur. sub. me? [M] Recenset cogitationum ac inquisitionum suarum partem quas in suo spiritu reuoluebat. [C] Quasi dicat, Ergóne in æternum miseri erimus? [M] Non erit finis aliquis calamitatum nostrarum? Quousque deseremur à Deo, & iræ suæ signa ostensurus est nobis? [C] Significat his verbis diuturno malorum tractu se propè fuisse confectum. Neq; enim in hanc vocem prorupit nisi post longam tolerantiam, vt vix sperare auderet Deum aliquando fore propitium. [B] Quanquam de mora potius queritur quàm de omnimoda desertione, quum sancti Spiritu docti & instincti haudquaquam credere possint se vsque à Domino deserẽdos. *Nec adiiciet vlterà ut sit beneuolus?* [V] Vel, Vt bene velit adhuc? Vt benignum se exhibeat? Vel, Vt placidus sit? [C] Meritò secum Propheta disputauit annon beneuolus esse pergeret Deus, quia hac lege nos sua beneuolentia complectitur Deus vt eam vsque in finem continuet. Porro non præcisè expostulat, sed potius secum disceptans ratiocinatur à natura Dei, fieri non posse quin prosequatur gratuitum suum fauorem erga pios, quibus semel patrem se exhibuit. [A] Neque enim opus manuum suarum deserere solet, Infrà, 138. b. 8. quum dona eius & vocatio eiusmodi sint vt eorum illum pœnitere non possit, Roman. 11. d. 29.

9 *An defecit in æternum clementia eius? consumptum est oraculum in generationem & generationem?*

An defecit in æternum clementia eius? [V] Vel, Nunquid defecit in

seculum misericordia eius? Vel, Num collegit penitus bonitatem suam? Alii, An desiit in æternum bonitas eius? [u] Hoc non absque ordinis serie positum est. Vt enim beneuolentia Dei in causa est quòd suos seruat, ita & bonitas Dei causa est beneuolentiæ eius. [c] Quare sicuti Propheta ex gratuito Dei beneplacito deduxit, quasi ex fonte, quæcunque ex manu eius beneficia percipiunt fideles: ita paulo post adiungit bonitatem: acsi diceret, Quomodo cursum abrumperet Deus paterni fauoris, qui naturam exuere non potest? Sic alibi dicitur, Misericors & clemens Dominus, longus ira, & multus misericordia. Non in seculum contendet, nec in seculum seruabit odium, Infrà, 103.b.8. *Consumptum est oraculum.* [v] Vel, Eloquiũ. Quidam, Defecit verbum. Alii, finem habet oraculum. Id est, verbum consolatorium. [c] Nam Propheta significat omni se consolatione destitui, quia ad fidem fulciendam nulla occurrat promissio. Hæc autem est abyssus desperationis, vbi Deus promissiones suas, quibus inclusa est salus nostra, è medio tollit. Siquis obiiciat non potuisse Dei eloquio destitui, cui Lex erat præ manibus, respondemus, pro temporis infirmitate speciales promissiones tunc fuisse necessarias. Ideo Suprà, 74.b.9. conquesti sunt fideles se vsitata signa amplius nõ videre, neq; esse amplius Prophetam qui inter eos cognoscat. Si Dauid author fuerit huius Psalmi, scimus solitum fuisse in rebus dubiis & perplexis Deum consulere, datáque ei fuisse responsa: si hæc in malis ablata illi fuit leuatio, iure deplorat sibi nõ occurrere sermonem, quo fidem suam sustineat. Sin verò alius fuit author, congruit hæc querimonia medio tempori inter reditum ab exilio & Christi aduentum: quia tunc abruptus quodammodo prophetiæ cursus fuit, & nullus fuit peculiari Spiritus dono instructus, qui collapsos animos erigeret vel fulciret. Adde quòd interdum, quamuis offeratur nobis Dei sermo, non tamen ad nos vsque peruenit: quia angustiis constricti, nullam cõsolationis guttam admittimus. Sed prior sensus aptior videtur, quòd scilicet specialibus prophetiis careret Ecclesia quæ adhuc suspẽsa à solo vmbrarum intuitu opus habebat quotidianis fulturis. Quanquam hinc vtilia admonitio colligitur, non debere nos vltra modum turbari siquando verbum suum Deus nobis subducat: sicuti exercet suos miris modis, vt imaginentur aliò conuersi totam Scripturam: & quamuis Deum audire loquentem cupiant, adduci tamen nequeunt vt in vsum suum applicent eius verba. Est quidem (vt diximus) hoc in primis triste & acerbum, non tamen debet precibus nostris aditum obstruere.

10 *An oblitus est misereri Deus? an clausit in ira misericordias suas? Selah.*

An oblitus est misereri Deus? [a] Nunc de Dei misericordia loquitur, & secum disceptat num possit Deus illius obliuisci. [m] Hoc autem inter Dei bonitatem & misericordiam interest quod inter radicem & fructus. Dematur bonitas, & nulla erit misericordia. Quia verò bonitatis diuinæ vsus generale quiddam habet, ita vt illo fruantur etiam ii quibus res in hac vita sunt prosperiores, rectè in rebus afflictis misericordia Dei recordatur, quæ propriè competit miserè habentibus. [c] Vnde etiam disceptationis quam Propheta secum habet, finis est, nõ spem labefactare sed potius erigere. Neque enim interrogat de re dubia: sed perinde est acsi diceret, An oblitus est Deus seipsum? Vel, mutauit naturam? quia Deus esse non potest quin sit misericors. Fatetur quidẽ se non stetisse inconcussum, quasi ferreo esset pectore: sed, quo durius impetebatur, eo magis in hanc doctrinam recubuit, sic coniũctam esse bonitatem cum Dei essentia vt impossibile sit eum non esse misericordem. Ideo quoties in curis & doloribus dubitationes nobis obrepunt, discamus semper ad hunc scopum tendere, An Deus naturam suam exuerit, vt non sit misericors? *An clausit in ira misericordias suas?* [v] Vel, An prohibuit miserationes suas in ira? vel, propter iram? Aut per futurum, An continebit in ira suas? [m] Propheta quidem his verbis omnem suorum temporum calamitatem iræ Dei ascribit: ita tamen vt de immensa eius bonitate ac misericordia minimè desperet. [c] Celebre enim sanctis Patribus erat elogium illud, Deum longæ esse tolerãtiæ, tardum ad iram, ad veniam propensum & inexorabilem. Vnde etiam dictum illud sumpsit Habacuc in suo cantico, In ira misericordiæ memor erit, Habacuc 3.a.2. Propheta igitur hic colligit, castigationem quam sentit, non obstare quominus se Deus iterum placatus ad solitum benefaciendi morem conuertat: quia nonnisi ad momentum suis irascitur, imò signa iræ suæ ostendens tenerrimè diligit quos castigat. Manet quidem ira eius perpetuò super reprobos (Iohan.3.d.36) sed Propheta vnũ se inter eius filios numerans, & verba faciens de reliquis fidelibus, ab impossibili meritò arguit temporalem iram Dei cursum misericordiæ non abscindere. *Selah.* [a] His questibus subiectum Selah indicat quàm soleant hi flagrantes esse, etiam in sanctissimis: ac inde monet vt Dei in suos consilia propius consideremus.

11 *Et dixi, Occidere meum anni dexteræ Excelsi.*

Et dixi, Occidere meum. [v] Vel, Mors mea. Id est, occisio & mors mea est: siue potius, interitus meus est. quasi dicat, Succũbam huic calamitati. Dixi actum esse de me. Alii vertunt, Infirmari meum est. Id est, Infirmitas mea est. Sunt qui putant Prophetam accusare infirmitatẽ suam & mollitiem, effœminatumq; animum ad resistendũ tentationi. [c] Sed Propheta potius morbum hũc temporalem esse dicit: atque ita morti obliquè comparat, sicuti dicitur, Castigãs castigauit me Dominus, & morti non tradidit me, Infrà, 118.c.18. Item, Non moriar, sed viuam. Ibidem versu 17. Non dubium igitur quin se exoneret Propheta, statuens ad tempus se deiici: ideoq; patienter ferendam esse ægritudinem, quia lethalis non est. [v] Quasi dicat, Temporalis est hic morbus meus, oportet me ad tẽpus deiici. etiamsi sim æger, non propterea actum est de me, nec sum mortuus. *Anni dexteræ Excelsi.* [c] Qui versum hunc cum superioribus contexunt, existimant Prophetam ita initio fuisse fractum vt de salute sua actum esse crederet: deinde per vices caput extulisse, sicut naufragi ex aquis subinde emergũt. Porro hanc vocem hortantis esse volunt, vt sibi in memoriam reuocet Propheta annos quibus propitium Deum expertus erat. [v] Acsi diceret, In tanta desperatione recordabar temporis quo Deus dexteram suam manifestabat, succurrendo mihi & aliis, atque dicebam, Si reputes annos dexteræ Excelsi (hoc est, quibus adiutus es Dei manu) non est quòd tantopere desperes, etiamsi longior sit afflictio quàm animus tuus sperabat. [c] Rectius tamen sic intelligimus, Non est quòd teipsum vltro morti despõdeas, quia tantum laboras sanabili morbo. Sic enim restituere solet Dei manus quos percussit. [v] Atque ita includitur hic consolatio. [c] Vnde eorum sententia repudianda non est qui mutationes vertunt. nam quum שנה mutare vel iterare significet, שנים Hebræi vocant annos, à reuolutione, quia vertuntur in suos circulos. Vtrouis tamen modo accipere libeat, stabit illa quam diximus consolatio, quòd scilicet Propheta aliam vicissitudinem sibi promittens, morti se minimè deuoueat. Paulo aliter quidam interpretãtur, acsi diceret Propheta, Cur nunc seueritatem Dei non tolleres, cuius beneficentia suauiter antehac te fouit? Sicuti Iob dicebat, Si bona recepimus è manu Domini, mala etiam cur non feremus? Iob 2.c.10. Sed magis probabile est Prophetam respicere in futurũ tempus: acsi diceret expectandos esse annos, vel reuolutiones dexteræ Excelsi, donec propitius affulgeat. Nemo ergo in rebus tristibus desperet quasi non sint habituræ finem. [u] Sunt enim mutationes rerum, idque in manu Dei, quam nemo cohibere potest.

12 *Recordabor operum Dei, certè recordabor ab initio mirabilium tuorum.*

Recordabor operum Dei. [c] Iam animosius contra tentationes exurgit Propheta, quæ ferè ad opprimendam eius fidem præualuerant. [v] acsi diceret, Ego colligam omnia Dei beneficia quibus testatus est quàm clemẽter agere soleat cum filiis suis. Hæc memoria reficiet animum meum, vt restituar in veram illam spem à qua propemodum excidi. Nam certò persuasus sum non alium fore quàm se ab initio ostendit. *Recordabor ab initio mirabilium tuorum.* [v] Vel, Ab antiquo. Id est (vt quidam exponũt) in liberãdis patribus nostris ex Ægypto. Vel, Ab olim. [c] Hic magnificè extollit Propheta quàm magnificè in suis asserendis potentiam exeruit Deus. Ponit quidem arcanum vel mirabile: sed mutato numero obscuritas corrigi debuit: sicuti etiam paulo post, hoc est versu 15, eodem numero singulari plura miracula notabit. Summa est, mirificam Dei virtutem, qua semper vsus est in tuenda suorum salute, si modò probè à nobis expenditur, sufficere ad superandos omnes dolores. [a] Et certè nihil est quod æquè animum in afflictione erigat quàm pressa operum Dei pro suis consideratio. [a] Hinc igitur discamus, licet interdum operum Dei recordatio non satis afferat nobis solatii, luctandũ tamen esse ne tædio frangamur. Quod diligenter notandum est. Optamus semper in dolore reperire quod acerbitatem mitiget: hæc autem est vnica ratio, curas nostras reiicere in Deum. Atqui sæpe contingit Deum, quo propius accedit, in speciem augere nostra tormenta. Multi igitur quando hac via nihil proficiunt, nihil sibi putant esse melius quàm Deum obliuisci. Ita verbum eius fastidiunt, cuius auditu magis exacerbatur eorum tristitia quàm dulcescat: imò cupiunt Deum procul facessere, qui ita exulcerat & inflammat ipsorum dolores. Alii, vt sepeliant eius memoriam, totos se profanis occupationibus addicunt. Longè aliter Propheta: qui etsi non statim profectũ qualem optabat expertus est, non tamen

Deum sibi ante oculos statuere destitit: prudenter hac cogitatione fidem suam sustinens, quia Deus animum & ingenium non mutat, fieri non posse quin suis tandem appareat propitius. Discamus etiam ad intuitum operum Dei aperire oculos, quorum præstantia propter hebetudinem nobis vilescit, quæ attentos in sui admirationem rapiet.

13 *Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in factis tuis commentabor.*

Et meditabor in omnibus operibus tuis. Multis verbis ostendit Propheta se in operum Dei meditatione assiduum fore, donec legitimo tempore maturum eius fructum percipiat. Nam quòd nihil nobis prosunt tot gratiæ Dei exempla, nec fidem nostram ædificant, inde fit quia simul ac ea gustare cœpimus, aliò nos abstrahit nostra leuitas, & in ipsis principiis euanescimus. Intentissimam ergo meditationem hæc res requirit, nec alia sese à perturbatione sua sanctus recepit, & consolatus est. Vt enim perpensio calamitatis auget dolorem, ita operum bonitatisque Dei illum pellit, & spe optima facit exultare. *Et in factis tuis commentabor.* Vel, Et de operibus tuis loquebar. Vel, De studiis tuis. Alii, Et in operibus tuis meditabar. Hæc omnia exprimunt animum recordandorum operum Dei studiosissimum.

14 *Deus in Sanctuario via tua: quis Deus magnus sicut Deus?*

Deus in Sanctuario via tua. Vel, In sanctitate. Vel, In sancto. Sanctuarium hic accipitur pro templo, vel potius pro cœlo, hoc sensu, Viæ tuæ ô Deus altè supra mundum excellunt, vt necesse sit conscendere supra omnes cœlos si cupimus eas verè cognoscere. Et certè Deus habet sua consilia quæ nō possumus subiicere nostro iudicio. Præbet quidem aliquem gustum operum suorum, vt aliquid possimus cognoscere de viis eius: sed illa cognitio infra immensam earum altitudinem longè subsidit. Adde quòd ne minimo quidem gustu fruuntur nisi qui fide in cœlum assurgunt. Et tamē hoc semper extremum est, reuerenter suspicere absconditam Dei sapientiam & virtutem, quæ in operibus eius refulgent, captum tamen mentis nostræ longè excedit. Siquis excipiat, vias Dei quæ diffusæ sunt per totum mundum, perperam in cœlo includi: facilis solutio est. Quamuis enim nullus sit terræ angulus vbi non specimen aliquod Deus exhibeat suæ virtutis, fugit tamen hominum oculos admirabilis operum eius ratio. Siquis de templo intelligere malit, similem ferè habuimus sententiam Suprà, 73.c.16, Hæc stultitia & fatigatio spiritus donec ingrediar Sanctuarium Dei. Et certè Templum in quo se patefecit Deus, fuit quasi cœlum terrestre. Tenemus quidem Prophetæ mentem, quia principio turbulentas querimonias effuderat, nunc pacato animo miratur & adorat sublimes vias Dei, suæq; imbecillitatis conscius se intra mensuram suam placidè & sobriè continet, nec sibi de arcanis Dei iudiciis iudicium facere permittit ex carnis sensu. Ideo mox exclamat, *Quis Deus magnus sicut Deus?* Qua comparatione non innuit plures esse Deos, sed obliquè perstringit mūdi dementiam, quòd vno Deo non contentus (cuius gloria sic conspicua est) plures sibi fabricet. Nam si puris oculis conspicerent homines Dei opera, in eo solo facilè acquiescerent. Sunt qui putant viam Dei esse in sancto idem esse atq; opera & studia Dei esse separata. Hoc est, talia quæ propria sint Dei, non sint profana, communia & vulgaria, quæ vlla possit imitari creatura, sed planè diuina, & omnem creaturarum virtutem excellentia. (Solet enim Scriptura sanctum vocare quod à rebus communibus & profanis separatum, & ad gloriam Dei selectum est, vt de terra Chanaan legitur Exodi 15.c.17. Et Ierusalem ciuitate sancta, Matth. 4.a 5. & 27.f.52.) Sed melius est ad templum vel cœlum referri quod de Sanctuario dicitur, sicuti prius expositum est. *Quis Deus magnus sicut Deus?* Quoniam dictio Hebræa אל & fortem significat & Deum, fit vt quidam sic legant, Quis fortis & magnus sicut Deus? Quæ lectio non malè quadrat et proposito Psalmi. extollit enim Deum supra omnia, idque singulari quadam gestientis animi exultatione & exclamatione. Sed altera lectio magis recepta est. ita tamen vt non innuat hac comparatione Propheta plures esse Deos, sed obliquè perstringat mundi dementiam, quòd vno Deo non contentus (cuius gloria sic conspicua est) plures sibi fabricet. Nam si puris oculis conspicerent homines Dei opera, in eo solo facilè acquiescerent.

15 *Tu Deus faciens mirabilia, scire fecisti in populis tuis robur tuum.*

Tu Deus faciens mirabilia. Singulare Hebræis pro plurali, Tu Deus faciens miraculum. pro, Tu Deus qui facis miracula. vel mirabilia. Confirmat proximam sententiam, magnitudinem Dei probans ab operum miraculis. acsi diceret se non loqui de absconditæ Dei essentia, quæ cœlū & terram implet, (Ierem. 23.e.24) sed de virtutis, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ documentis, quæ palàm apparēt, licet modū intelligentiæ nostræ excedāt. Nec verò simpliciter Deo tribuitur quòd mirabilia faciat, sed quòd solus mirabilia faciat. Hoc enim emphaticū pronomē Tu satis innuit. Et verbo præsētis tēporis vtitur Propheta vt intelligamus nō tantùm solius esse Dei, sed etiā propriū illius, vt faciat mirabilia, idque faciat tantisper dum Deus est: vt quàm non desinit esse Deus, tā non desinat facere mirabilia. Vnde colligimus magis propinquam nobis esse Dei gloriam, & clarius perspici quàm vt iusta sit ignorantiæ excusatio. Mirabiliter enim operatur Deus, vt ne profanas quidem Gentes sua cæcitas excuset. Ideóque additur, *Scire fecisti in populis tuis robur tuum.* Quod tametsi ad Ecclesiæ liberationem pertinet, ostendit tamen non posse contemni Dei gloriam sine sacrilegio, quam ipse clarè & potēter inter Gentes asseruit.

16 *Redemisti in brachio populum tuum, filios Iacob & Ioseph. Selah.*

Redemisti in brachio populum tuum. Quum generaliter de Dei miraculis loquutus sit Propheta, quibus Deus virtutem suam illustrem reddiderit, nunc exempli causa præ aliis omnibus celebrat populi redemptionem, ad quam vbique Spiritus sanctus pios reuocat, vt spem salutis suæ foueant. Nec frustra est quod hanc liberationis historiam præ cæteris elegit. Nam nihil aliud Israeli contigit temporaliter vtilius, nullo etiam maiore miraculo potentia Dei illustris reddita est. Tunc enim robur Dei Gentibus fuisse patefactum satis constat: quia etsi factum est Satanæ artificio vt multis fabulis corrupta fuerit historiæ veritas, hoc tamen imputandum est eorum malitiæ qui oculati testes quum essent, sponte tenebras sibi obducere maluerunt. Qui enim factum est vt Mosen fingerēt fuisse nescio quem magum, téque portenta comminiscerentur quæ collegit Iosephus contra Appionem: nisi quòd data opera volebant obruere Dei potentiam? Prophetæ tamen hoc loco non tam propositū est Gentes ingratitudinis reas facere, quàm sibi & aliis Dei filiis suggerere bonæ spei materiā: quia tunc documentum in omnia secula edidit Deus sui erga electos amoris. *In brachio.* Solitum brachii epitheton subaudiendum est, nempe extentum: quo Scriptura metaphoricè insignem & memorabilem virtutem significat, quia Deus non occultè & vulgari modo populum suum liberauit, sed quasi brachio extento. *Filios Iacob & Ioseph.* Hic causam assignat cur illos Deus in populo suo censuerit, nempe respectu fœderis quod cum sanctis eorum patribus pepigerat. Etsi autem duæ tribus quæ progenitæ fuerunt à duobus filiis Ioseph, communem originem trahebant à Iacob, honoris tamen causa nomen Ioseph exprimitur: propterea quòd Ioseph ob beneficium fratribus & patri, quum fame laborarent, præstitum, in causa fuerit cur incolume seruatum sit totum Abrahæ semen, vnde & patris loco à posteris Abrahæ coli cœperit. Posteri quoque eius per Ephraim ita aucti numero & potentia fuerunt vt non rarò totus Israel eius nomine censeatur. *Selah.* Hic adscriptū Selah monet cōsiderandū, Deū nunquā tenere quos semel in numerū suorum assūpserit: id quod de Israele vbique Scriptura prædicat. Sed veri Israelitæ sunt qui ad vitam beatam electi sunt. Itaque hoc exemplo curandum nobis est vt memoremus beneficia Dei per Christum in nos collata, cum primis occurrat beneficium redemptionis, cuius memoriam ipse nobis redemptor & seruator Christus corporis ac sanguinis sui symbolo commendauit. Si enim Iudæis ita commendata est redemptio illa ex Ægypto vt iussi sint illius nunquam obliuisci, quanto magis nobis debet nostri commendata esse redemptio, qua è regno Satanæ, peccati & mortis, in regnū Dei, iustitiæ, & vitæ sempiternæ translati sumus?

17 *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, [&] timuerunt: etiam contremuerunt abyssi.*

Viderunt te aquæ Deus. Superiore versu generaliter liberationem Israelis ex Ægypto attigerat, in qua Deus virtutem suam olim populis notam fecit: iam de modo illius liberationis agit, & breuiter quædam miracula attingit, in quibus brachium suum Deus extenderat. Legimus Exodi 14.f.24, vt Iehoua in columna ignis & nubis, respiciens exercitum Ægyptiorum, illum concusserit, & rotas curruum eorum euerterit, egeritque in profundum. Tum verò aquæ maris rubri viderunt Deum, & sentientes potentiam eius parturiebant. hoc est, quasi metu perculsi doloribusque acerrimis agitati homines, fuerunt commotæ. Metaphora enim est ab animali ad inanimatum. Figuratè ergo dicit Propheta visum fuisse Deum ab aquis. Neque enim aquæ maris vel Iordanis iudicio vel intelligentia cursum reflexerunt, sed quia in illo recessu ostendit Deus mortua quoque elementa sibi ad reddendum obsequium præsto esse, dicuntur Deum quodammodo vidisse. *Viderunt te aquæ.* Hæc ingeminatio maiorem affectus exuberantiam prodit, ac obliquam antithesin ad pungendum ho-

minum stuporem, nisi Dei præsentiā, quæ aquis visibilis fuit, in liberatione populi agnoscāt. *Et timuerūt.* Aquæ timuisse & timoræ fuisse dicuntur eo quòd Arcæ & populo Dei cesserūt. Sic alibi dicitur, Mare vidit & fugit, Iordanis cōuersus est retrorsū, Infrà 114.a.3. *Etiam contremuerunt abyssi.* Hoc tantundē valet acsi diceret Vates non modò superficiem aquarū Dei conspectu fuisse perculsam, sed vim eius ad profundissimos etiam gurgites penetrasse. Videtur enim Psaltes voluisse vim describere venti orientalis prævalidi, quo vna nocte exiccatum fuit mare rubrum: simul & impetum recurrentis iam in locum suum, & Ægyptios rapientis & obtegentis.

18 *Exundare aquas fecerunt nubes, vocem dederunt cæli, quinetiam sagittæ tuæ discurrunt.*

Exundare aquas fecerunt nubes. Vel, Inundauerūt aquæ, aquæ inquā nubiū densarū, siue atrarum. Vel, Nubes densæ inundare fecerunt aquas, id est, demiserunt aquas vehementes. Alii, Nubes effuderunt aquas. Alii, Deciderunt nimbi aquarum densarum nubium. Clarus est Prophetæ sensus, non mare ipsum modò & fluuium Iordanem Deo tribuisse meritum honorem, sed aquas etiam in nubibus pendentes: quia cælum tonitru concussum largas pluuias effudit. Docere autem vult, quocūque homines vertant oculos, vbique sursum ac deorsum à cælis vsque ad abyssos in populi redemptione illustrē patere Dei gloriam. Porro quam historiam designet non satis certum est: quidam enim ad id referunt quod Exodi 14.f.24 scribitur, quomodo Deus exercitum Ægyptiorum respexerit & disturbauerit, ac rotas curruum eorum disiecerit, & in profundum præcipites dederit. id quod factum fuisse videtur antequam ad extensam manum Mosis aquæ maris fugientibus Ægyptiis occurrerint, sicuti historiæ cōtextus tradit. vnde facile colligitur, ingenti tempestatis vi exercitum Ægyptiorum disturbatum esse antequam aquis maris in fugam conuersi inuoluerētur. Fortasse autem rectè alii referunt ad id quod scribitur Exodi 9.e.23. grandinem scilicet tonitru & fulguris mistum horrendam cladem Ægyptiis intulisse. Additur enim, *Quinetiam sagittæ tuæ discurrunt.* Non dubium autem est quin per sagittas ambulantes metaphoricè fulmina significet. Quidam vertunt, Fulgura tua discurrerūt. Alii vertūt grandines. Porro consuetum est Scripturæ vt descriptione tempestatis vehementiam irascentis Dei exprimat. Ideo tonitru vocat vocem Dei, quasi increpātis: & fulmina sagittas illius, quibus impios petat. Quibus rectè additur terræ commotio, tanquā sensu iræ Dei tactæ & pauefactæ. Hac de re vide Suprà, 18.b.14. & 29.b.6.

19 *Vox tonitrui tui in sphæra, illuxerunt fulgura orbi: tremuit & concussa est terra.*

Vox tonitrui tui in sphæra. Vel, in rotunditate. Id est, In aere. Nā aer est formæ circularis. *Illuxerunt fulgura orbi.* Vel, Illustrauerunt fulgura orbem. Cohæret hic versus cum superiori. Describitur enim tempestas, admirabile & stupendum diuinæ potentiæ documentum. Summa huc tendit, satis superque in exitu populi testatam fuisse Dei potentiam oculis & auribus, quum & cælum pertonuerit, & totus aer coruscauerit fulgore, & terra fuerit tremefacta. Quis enim non metuerit ad tam potentis Domini virtutem, quæ cælum & terram, quoties visum fuerit, commouere ac concutere potest?

20 *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis magnis, & vestigia tua non sunt cognita.*

In mari via tua. Vel, In mari via tua. Aliis verbis iterum describit miraculum in mari factum. Nam quod in Israelitas propriè competit, ad Deum transfert, cuius auspicus & ductu per aridum maris rubri sinum trāsierunt illi. Ergo per mare fuit via Dei, quum traduceret populū suum. acsi Propheta diceret, Hoc non potest adscribi hominum industriæ, quasi viam sibi fecerint Israelitæ per mare mediū: nam necesse fuit illud iter brachio tuo patefieri, alioqui clausi erāt velut in sepulchro. *Et semitæ tuæ in aquis magnis.* Vias & semitas Dei accipit (sicuti iam dictum est) pro viis populi. Deus enim (vt sequenti versu dicitur) deduxit populum. Quod ad diuinæ erga homines bonitatis commendationem plurimum facit. Simul etiam consolationis non parum adfert piis omnibus quibus persuasum est sibi ductorem esse Deum: vnde colligunt nihil adeo esse inuiū quod non reddatur sub tali ductore peruium. Quo pertinet illa pollicitatio, Quum trāsieris per ignem, tecum ero, & flumina non operient te, Esa.43.a.2. *Et vestigia tua non sunt cognita.* Vel, Et semitæ tuæ non sunt agnitæ. Hoc additur quia simulac transierunt Israelitæ, quum insequeretur Pharao, aquæ cedierūt in locum suum, Exodi 14.g.28. Sic hodie vestigia Dei, quibus nos per mare tentationum & afflictionum huius seculi ad cælestem patriam ducit, talia sunt vt filiis huius seculi incognita sint, nec illa sectari quisquam possit nisi ductorem Deum habeat, illiúsque ductum è vestigio sequatur. Est enim

aliās iter hoc planè absconditum & incognitum, per profundissimas abyssos ad terram promissam ducens.

21 *Deduxisti quasi oues populum tuum, in manu Mosis & Aaron.*

Deduxisti quasi oues populum tuum. Vel, Deduxisti sicut pecudes. Vel, sicut gregem populum tuum. Finis additur Ecclesiæ liberatio, quæ ad sperandam salutem optimi pignoris loco debuit esse piis omnibus. Comparat hic Deum bono pastori qui populo suo præstiterit quod pastor ouibus, educēdo, ante eas ingrediendo, pascendo ac tutando. Hæc imago sæpenumero populo Dei cogitanda proponitur, de qua Suprà, 23.a.1.2. Et Christus hanc expressit abundè, adimplens quicquid ad optimi pastoris officium requiri potuit. Adhæc populum ouibus comparans, subindicat nihil consilii, nihil virtutis in illo fuisse, nisi quòd Deus pastoris officio fungi dignatus est vt per mare & desertum, aliáque obstacula, gregem rerum omnium inopem & egenum adduceret in hæreditatem promissam. *In manu Mosis & Aaron.* Confirmat quod diximus ex persona Mosis & Aaron. Etsi enim nobile & memoratu dignū fuit eorum ministerium: hac tamen circunstantia non parum illustrauit Deus suam potentiam, quod duos homines obscuros & cōtemptos superbissimi regis furori & ingentibus copiis opposuit. Quid enim contra formidabilem tyrannum & gentem bellicosam potuit virga exulis & profugi, & vox misceri mancipii? Eo igitur magis enituit Dei virtus dum in vasis illis testaceis ac fictilibus operata est. Interea notādum quòd licet magna fuerit Mosis & Aaron authoritas in populo Dei, neuter tamē pastor erat ouiū, sed vterque seruus vnici ac veri pastoris cuius oues erāt propriæ. Deinde neuter erat ductor ouium, sed ipse pastor præsens oues suas deduxit, cui hi duo in re seruierunt. Quanquam dubium non est quin hi duo ministri simul commendentur, quibus tam honorificum munus Deus iniunxit.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVIII.

Cōplectitur hic Psalmus quæ Deus Israelitis beneficia ab Ægyptiaca libertate ad Dauidis vsque tempora impendit. Deinde quàm peruersè subinde & sceleratè à patre tam liberali Iudæi desciuerint, quos sibi tantopere obstrinxerat. Postremò gratiæ renouationem & quasi electionem secundariam commemorat, vbi Deus ex tribu Iuda Dauidem elegit qui regno præesset.

ERudiens Asaph. *Ausculta popule mi legem meam, inclinate aures vestras ad verba oris mei.*

Erudiens Asaph. Vel, Intelligentia. Vide suprà, 32.a.1. *Ausculta popule mi.* Non satis cōuenit inter interpretes de authore huius Psalmi. Probabilis tamen eorum coniectura est qui ex fine Psalmi colligūt fuisse scriptū longè post Dauidis mortem: quia illic celebratur regnum diuinitus erectum in familia Dauidis, deinde per contentionem opponitur tribus Ephraim quæ dicitur fuisse repulsa. Vnde apparet decem tribus tunc fuisse alienatas à corpore reliquo. Neque enim frustra regnum Ephraim, quasi adulterum, dedecore notaret. Cæterùm quisquis fuerit author, non inducit loquentem Deum, (vt quidam putant) sed in doctoris persona Iudæos compellat. Nec obstat quòd suum nominat populū, sicut & Legē suam: quia nouum non est Prophetis nomen eius à quo missi sunt mutuari, quo maior constet doctrinæ authoritas. Quæ verò apud ipsos deposita est veritas ipsis non abs re tribuitur. Sic Paulus gloriatur de suo Euāgelio, nō quod ipse fabricauerat, sed cuius præco erat ac testis, Rom.2.c.16. Dubium tamen est an nomā תורה aptè interpretes vertarint Legē: quia videtur generalius esse, sicuti in altero mēbro patet, vbi verba oris eodē sensu ponit. Exigit ergo Vates statim initio carminis diligentem & attentā auscultationē. Nam non contētus semel dixisse, Ausculta popule mi, adiungit, *Inclinate aures vestras.* Attentam enim inclinatio nō quāuis auscultationē sed eam notat quæ est discipuli ad verba magistri, qua cum animi submissione ac reuerentia, tacitè ac studiosè, quæ docendi gratia proponuntur, vt rite percipiantur, ne quid effluat, audiuntur. Aliter audit qui non discendi & obsequendi, sed vel iudicandi, vel irridendi, vel curiositatis, aut fallendi in potiis gratia, aut alioqui oscitāter audit. Sicuti exēplū habemus Act.2.b.13, & 17.g.32, & 25.e.22. Ista admonitio ad auscultādum doctrinā Dei frequēs est in Scripturis. & Christus illa aliquoties est vsus, dicens, Qui habet aures audiendi, audiat, Matth.13.b.9. Porro si reputamus quàm segniter Deum audiant qui etiam maximè profitētur se eius esse discipulos, fatebimur non frustra piæ omnino visum fuisse Prophetam. Non alloquitur quidem ille de cilis ac præfractos qui Dei verbo se subiicere protervè recusant: sed

quia in ipsis quoque fidelibus vt plurimum nimia est tarditas, non superuacua apud pigros fuit hæc exhortatio.

2 *Aperiam in parabolam os meum, eloquar ænigmata à tempore antiquo.*

Aperiam in parabolam os meum. [M]Quoniam Propheta intentam auscultationem poposcit à populo, [C]quo sibi plus attentionis concilietur, asserit magnis & arduis de rebus verba se facturum. Nomen enim משל graues & insignes sententias Hebræis significat, quales sunt parœmiæ vel prouerbia & apophthegmata. Quia igitur materia ipsa, si grauis & ponderosa est, expergefacit hominum sensus, mera apophthegmata proferre sibi in animo esse testatur author Psalmi. חידות quæ, alios sequuti, ænigmata vertimus, non tam pro obscuris sententiis quam arguris vel ornatu dignis, positum est. Neque enim ambagibus inuoluet suum canticum Propheta, sed dilucidè & explicatè disseret tam de beneficiis Dei, quàm de populi ingratitudine. Tantùm (vt diximus) consilium eius est lectores acuere vt attentius concionem hanc expendant. [M]Porro hunc morem habet Scriptura vt viros iustos ac sanctos, eximii quid dicturos, os aperire dicat, vt attentum reddat auditorem. Nam os iusti meditatur sapientiam, & lingua eius loquitur iudicium, Suprà, 37.f.30. item, Vena vitæ os iusti, Prouerb. 10.b.11. Sic de Christo dicitur, Videns autem turbam, &c. & aperiens os suum docebat eos, Matth. 5.a.1. Significat interdum os aperire idem quod apertè, disertè, & absque vlla dissimulatione id quod res est cum fiducia proloqui, Ezech. 29.d.21, & Ephes. 6.d.19. Atque vterque sensus pulchre conuenit doctoribus veritatis, vt & eximia & præclara loquantur quæ ad Dei gloriam & hominum salutem faciunt: deinde absque vlla obscuritate aut dissimulatione ac hæsitatione, quæ à Deo dicenda acceperunt, aperto ore clarè ac dilucidè, omni metu reiecto cum fiducia doceant. *Eloquar ænigmata à tempore antiquo.* [V]Vel, A principio, ab olim, iam inde ab antiquo. Id est, Exponam vobis sententias quæ præ vetustate obscuræ sunt, & penè exciderunt: propterea maxima attentione opus. [M]Videmus hic Prophetæ minimè propositum esse seruire curiosis, qui semper noua & antea non audita intenti sunt: sed potius Dei timentibus & pietatis studiosis. Horum gratia res antiquas pollicetur, sed tales quæ parabolas & ænigmata plena pietatis & sapientiæ contineant. [C]Citatur hic locus à Matthæo, cap. 13.e.35, & accommodatur ad Christi personam, vbi obscuris parabolis mentes populi tenet suspensas. Voluit enim hoc modo probare se eximium Dei Prophetam, quo maiore reuerentia exciperetur. In hac igitur parte quum similis Prophetæ fuerit, quia de sublimibus mysteriis concionatus est altiore dicendi forma, appositè transfertur ad eius personam quod Propheta de se affirmat. Cæterùm si in Psalmo hoc relucet maiestas quæ iure suo ad discendi studium excitet lectores & accendat, hinc colligimus quàm seria attentione Euangelium excipere nos conueniat, vbi cœlestis sapientiæ thesauros nobis aperit Christus.

3 *Quæ audiuimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis,*

Quæ audiuimus & cognouimus. [M]Iam aperit Propheta quas sit dicturus antiquas parabolas, nempe non tales quarum isti populo nulla sit cognitio, sed planè auditas & cognitas. Non ait, Quæ audiui ego & cognoui, & parentes mei narrauerunt mihi: sed, quæ audiuimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis. Ergo iam antea audita & cognita, & à patribus accepta, ænigmata illa sunt quorum gratia tam diligentem poscit à populo auscultationem. Videtur tamen aliqua esse repugnantiæ species. [C]Nam præfatus est de rebus magnis & absconditis se verba facturum, nunc subiicit communem esse doctrinam, & per manus traditam. Nam si patres filiis narrare oportuit quæ hic dicuntur, debuit familiariter nota esse doctrina toti populo ac rudissimis quibusque idiotis. Vbi igitur ænigmata quorum nuper meminit? Respondemus, facilè hæc conciliari: quia tametsi Psalmus res vulgo notas contineat, splendido tamen ornatu eas illustrat, quo magis afficiat corda hominum, sibique plus authoritatis acquirat. Interim notandum est, quantumuis excelsa sit verbi Dei maiestas, non tamen obstare quin perueniat eius vtilitas ad rudes quoque & paruulos: sicuti eos non frustra Spiritus sanctus ad discendum inuitat. Quod diligenter notandum est: nam si Deus ad captum hominum se accommodans, submissius loquitur, contemptus est humilis docendi ratio: sin verò altius assurgens reuerentiam verbo suo comparat, obscuritas ad ignauiæ excusationem obtenditur. Quum his duobus vitiis mundus laboret, Spiritus sanctus stylum ita temperat ne sublimitas doctrinæ etiam minimis sit recondita, si modò placidam docilitatem & serium proficiendi studium afferat. Prophetæ autem consilium est omnem dictis suis dubitationem eximere, quia nihil nouum proferre instituat, sed res pridem optimè compertas & sine controuersia receptas in Ecclesia. *Et cognouimus.* [C]Auditui idem adiungit scientiam quia multa temerè sparguntur quibus tamen non constat solida fides, imo nihil magis commune quàm fabulis repleri hominum aures. Non abs re igitur Propheta, quæ audire esse dixerat, simul obsignat certo testimonio. *Et patres nostri narrauerunt nobis.* [C]Dicit Iudæos ita fuisse à patribus edoctos, non quòd semper omni vitio careat quod est domesticum, sed quia maior est figmentis locus siquid affertur ex regione longinqua. [M]Ergo narrationem instituit de operibus Dei antiquis illis, quorum cognitio & ad maiores Israelis peruenit, & ab illis posteris est tradita. [C]Præcipuè tamen notandum est non quoslibet hic notari Patres, sed qui electi erant in peculiarem Dei populum, & apud quos deposita erat cœlestis doctrina. [B]Proinde licet cantatissima in populo semper hæc fuerint, rite tamen à solis electis percepta fuere: adeò sunt Spiritu Dei carentibus tectæ parabolæ & obscura ænigmata. Laudes enim Dei sunt quas celebrant quicunque ex fide facinora Dei & miracula, in quibus suam ostentat virtutem, memorant. Id quod quisque filiorum Dei studet, cum apud omnes, tum maximè apud liberos suos, & alios sibi peculiariter iunctos.

4 *Non occultabimus à filiis eorum in generationem posteram, narrantes laudes Iehouæ & fortitudinem eius, & mirabilia eius quæ fecit.*

Non occultabimus à filiis eorum. [V]Vel, non abscondemus à filiis eorum qui generationi posteræ narrabunt. Vel, Non celabimus filios eorum, sed generationi posteræ narrabimus, &c. [C]Sic resolui debet oratio, Vt non celemus posteros nostros, sed quod traditum fuit nobis à maioribus, studeamus transmittere ad eorum nepotes. Atque hoc modo tollitur omnis ignorantiæ prætextus, quia voluit hæc Deus per continuas ætatum series promulgari, vt per singulas familias de manu in manum transmissa ad vltimos vsque peruenirent. [V]Et sic versus tertius pendebit à secundo, Loquar ænigmata à principio quæ audiuimus, &c. & in fine tertii versus absoluitur sententia. *Narrantes laudes Iehouæ & fortitudinem.* [C]Finis huius narrationis ostenditur, nempe vt celebrentur Dei laudes, & eius fortitudo in miraculis editis.

5 *Et statuit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, quia mandauit patribus nostris vt nota facerent ea filiis suis.*

Et statuit testimonium in Iacob. [V]Vel, Suscitauit testimonium. Vel, Ipse enim suscitauit testimonium. Alii, statuit quoque testimonium, vel statutum, aut decretum. [C]Quia consensus hominum ad plenam doctrinæ fidem non sufficeret, Propheta vltra progreditur, Deum authorem faciens. Refert igitur patres non suo arbitrio, sed Dei mandato imbuisse filios hac doctrina. *Legem posuit in Israel.* [C]Sunt qui statutum & legem ad præsentem narrationem referunt, quod Deus posuerit decretum in Iacob instar regulæ inuiolabilis, vt semper in ore omnium sonaret liberatio populi, & posteri scirent facinora Dei, quorum spectatores fuissent patres, sicuti habetur Deuteron. 4.b.9. Sed rectius ad totam Legem extenduntur, quæ tamen ex parte in hunc data fuit vt redemptionis memoria populum, qui semel collectus fuerat, retineret sub Dei obsequio. Intelligit ergo Propheta Deum non modò potenti manu Iudæos sibi acquisiisse, sed obsignasse suam gratiam, ne vnquam aboleretur eius notitia. Et certè quasi publicis tabulis consignata fuit, vbi per Legem scriptam sancitum fuit fœdus, vt scirent posteri Abrahæ se ab aliis gentibus fuisse segregatos. Nam tenere duntaxat nudam historiam rerum gestarum res fuisset leuis momenti, nisi ad gratuitam adoptionem eiusque fructum spectasset. Hoc igitur est decretum vt patres Legis doctrina imbuti quasi ex ore Dei, filiis commemorent se non modò semel fuisse redemptos, sed collectos in vnum Ecclesiæ corpus, vt Deum liberatorem sanctè puréque omnibus seculis colerent. *Quia mandauit patribus nostris.* [V]Vel, quod nempe statutum, & quam legem de narrandis diuinis miraculis, præcepit, &c. [C]Non dubium est quin hæc particula אשר exegeticè hoc loco posita sit, pro nempe. Nos reddidimus per Quia, quod idem valet. *Vt nota facerent ea filiis suis.* [M]Constituitur hic quisque paterfamilias domus suæ episcopus & doctor. Talis erat Abraham testimonio Angeli, Genes. 18.c.19. & alii complures, quorum domestica Ecclesia in Scripturis commendatur, Rom. 16.a.5, & 1.Cor. 16.d.19. Debent igitur patresfamilias rerum diuinarum cognitionem tenere: alioqui quomodo domesticos suos instituent & instruent? Non patitur Paulus vt mulieres in Ecclesia doceant, sed iubet vt domi à viris suis discant, 1.Corinth. 14.g.35. Quis maritus vxorem docebit ipse indoctus ac rudis? Ideo in Lege præmissum est, Erunt que hæc verba quæ ego præcipio tibi, in corde tuo: atque tum primùm subiectum illud, Et narrabis

ea filiis tuis, Deut.6.d.21. Nihil verò obstat quominus & matresfamiliâs domi liberos suos in causa pietatis instituant. Exemplum huius in auia primùm, deinde & matre Timothei habetur, 2. Timoth.1.b.5.

6 *Vt cognoscat generatio postera, filii qui nascentur surgant & narrent filiis suis.*

Vt cognoscat generatio postera. [c]Confirmat quod dixit de perpetua doctrinæ successione. Nam scire nostra magnopere interest non vni tantùm seculo datam fuisse Legem, sed quam Patres ad filios transmitterent, quasi hæreditario iure, ne vnquam intercideret, sed superstes maneret vsque ad finē mundi. Hæc ratio est cur dicat Paulus Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, 1.Timoth.3.d.15. non quòd per se infirma sit, vel indigeat alienis subsidiis: sed quia per ministros eā Deus propagat, qui dum fideliter incūbunt in munus docendi, quodammodo suis humeris sustinent veritatem. Admonet autem Propheta dandam esse operam vt in obeundis docendi partibus alii aliis succedant. Quemadmodum igitur Legem nondum scripta de Abraham dicitur, instituet filios suos in viis & mandatis & præceptis Domini (Gen.18.c.19) ita post eius mortem iniuncta patriarchis fuit eadem necessitas. Lege lata Sacerdotes præfecit Deus Ecclesiæ suæ, qui publici essent magistri & doctores. Hoc idem sub regno Christi esse obseruandum testatus est per Esaiam, dicens, Ponam verbum meum in ore seminis tui, & seminis quod inde nascetur in perpetuum vsque, Esa.59.d.21. Peculiare tamē interea mandatum datur patribus, vt singuli suas familiâs sedulò erudiāt, & promiscue monentur omnes operam hanc gratissimam esse Deo, si nomen eius transmittere studeant ad ætates futuras. Neque enim paucos tantùm designat his verbis Propheta, Filii qui nascentur, surgant: sed, quotquot nascentur, totidem vult præcones succrescere, quorum opera semper floreat ac vigeat pura religio.

7 *Vt ponant in Deo spem suam, neque obliuiscantur operum Dei, & vt mandata eius obseruent.*

Vt ponant in Deo spem suam. [t]Vel, vt ponerent. Vel, Indéque ponant. Ad verbum, Et ponent. Vsus doctrinæ notatur: primùm, vt tam pretioso laboris sui fructu alacrius stimulentur patres ad filios docendos, vbi se & purum Dei cultum asserere, & filiorum saluti consulere vident: deinde vt vicissim maiore desiderio accensi festinent ad discendum, neque vagentur in friuolis speculationibus, sed ad certum scopum collimenc. Est enim illa infœlix & misera fatigatio, semper discere vt nunquam ad scientiam veritatis peruenias, 2. Timoth.3.b.7. Ergo quum audimus quorsum Lex tradita sit, hinc colligere promptum est quænam vera sit atque vtilis rite proficiendi ratio. Spem verò locat in summo gradu, deinde obseruationem mandatorum exigit: medio autem loco statuit memoriam operum Dei, quæ ad fidei cōfirmationem valet. quasi diceret hanc cælestis sapientiæ esse summam vt populus Deo affixus sincera fide eum inuocet, atque alendæ fiduciæ suæ causa, meditandis eius beneficiis se exerceat: deinde vt se purè addicat in eius obsequium. Cæterùm hinc discamus legitimum Dei cultum a fide incipere, quia præcipua honoris sui parte fraudatur si alio transferimus spes nostras. *Neque obliuiscantur operum Dei.* [u]Ex hoc colligimus neminem Deo fidere qui illi ingratus est & inobediens. Et hæc ratio est cur præsens seculum tam ægrè Deo fidat. Nescit enim propter obstinatam impœnitentiam mandatorum Dei custodiam amplecti. Hinc est quod ad sanctos currituc. Conscientia nanque erga Deum immunda est & insincera. Et isti impietati seruiunt qui gesta sanctorum prædicant, vt spem in sanctos mortalibus ingerāt, & sanctorum cultores & humanarum cogitationum obseruatores efficiant.

8 *Et non sint sicut patres sui, generatio defectrix & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & cuius spiritus fidelis non fuit erga Deum.*

Et non sint sicut patres sui. [x]Vel, nec essent sicut patres sui. [u]Cautio est ab exemplo domestico desumpta. Non dicit, Ne fierēt sicut gentes quæ non cognouerūt Deum, sed, Et non sint sicut patres sui. Perniciosiora sunt domestica quàm externa vitiorum exempla. [t]Quare hac circunstantia melius admonet Propheta quàm necessaria sit hæc concio, quòd scilicet procliues sint Iudæi ad defectionem nisi firmis vinculis retineantur. Nam pro confesso sumit nihilo meliore præditos esse ingenio quàm patres, quos dicit perfidos, rebelles, tortuosos & immorigeros fuisse. Statim igitur diffluerent nisi assiduis fulturis confirmarentur eorum corda. Imò quod Horatius de gente sua scribit, experientia demonstrat vbique verum esse,

Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quid ergo fieret nisi succurreret Deus mundo ita in deterius labenti? Iam quum ex patrum malitia & prauitate doceat Propheta sinceram disciplinam Iudæis necessariam esse quæ à malis exemplis eos reuocet, hinc colligimus quàm stultè sibi mūdus persuadeat Patrum imitationem instar esse legis. Nec verò de quibuslibet populis hic agit Propheta, sed de sacro & electo genere Abrahæ: nec paucos tamen perstringit, sed totā fere gentē, in qua passim tam peruicacia quàm obliuio gratiæ Dei & perfida simulatio grassata fuit. Nec vnius tantùm ætatis patres commemorat, sed longam antiquitatem complectitur, ne ex peccādi vetustate captetur peccandi defensio. Quare delectus prudētec habendus est inter patres, quos nam imitari expedias. [m]Præcipuè tamen de patribus illis loquitur qui in deserto perierunt, de quibus Numer.14 f.35, & Deut. 1.f.35. Vide suprà, 68.a.6. *Generatio defectrix & exasperans.* [t]Vel, deficiens & rebellis. Vel, incredula & rebellis. vel, aduersatrix & irritatrix. Alii, auersatrix (siue peruersa) & inobediens. [t]Quia difficilè reuellitur præpostera illa patrum æmulatio, quorum reuerentia naturaliter ingenita est, pluribus verbis eorum scelera Propheta exaggerat, apostasiam, irritationem, perfidiam, & hypocrisin exprobrans: quæ etsi grauissima sint probra, modum tamen non excedere ex contextu mox patebit. [m]Docet itaque Vates quid fugiendum sit in patribus. Non ait, Generatio imprudens, incauta, imbecillis, imperfecta, negligens & peccans: sed generationem declinantem, rebellem, prouocantem, cor suum non dirigentem, infidelem ac perfidam appellat. Primùm dicit דור סורר generationem declinantem, hoc est, detrectantem, retrocedentem, tergiuersantem, ac rebellem. Ita vocata est hæc generatio & Suprà, 68. e. 19. Notantur ergo Israelitarum maiores rebellionis & inobedientiæ. Qui enim ex malitia & contemptu iugum Dei detrectat, is demum rectè סורר declinans ac rebellis vocatur. Sic Israel vaccæ tergiuersanti ac pertinaci comparatur, Oseæ 4.d.16. *Et exasperans.* Vel, prouocans, irritans, exacerbans, amaricans. Quo sensu hoc præsenti Psalmo, tertiò vsurpatur. Rectè autem subiungitur priori hæc particula. Proximum enim est vt rebellionem & peruicaciam eorum qui Deo sunt immorigeri, irritatio & exacerbatio Dei sequatur. Sic iungūtur hæc duo apud Mosen, vbi de filiis immorigeris quomodo puniēdi sint præscribitur. Si genuerit homo filium rebellem & exasperantem, &c. Deut.21.c.18. Et Israeli dicitur, Cor rebelle & exasperans, Ierem. 5.f.23. *Quæ non direxit cor suum.* [b]Vel, præparauit. vel, stabiliuit, aut disposuit. Alii, Quæ rectè handquaquā instituit cor suum. [c]Simpliciter intelligit Propheta patres per obliquos recessus semper à Deo deflexisse. *Et cuius spiritus non fuit fidelis erga Deum.* [t]Vel, Nec fuit fidelis cum Deo spiritus eius. Quidam, Nec firmus est Deo, aut fideliter egit cum Deo. Alii, Nec est creditus cū Deo. Alii, nec credidit Deo. Sēsus est, non fuisse constantes & bona fide addictos Deo qui tamen iurauerant in eius nomen. [m]Hæc verò infidelitas ac perfidia, malorum omnium radix est. Proinde rectè in calce per auxesin posita est hæc particula. Vbi enim spiritus est incredulus ac perfidus erga Deum, quid potest aliud ex eo nasci quàm cor Deum contemnens, voluntati eius rebellans, & patientiam eius vehementer exasperans? Sic de generatione hac legitur, quòd nullis signis induci potuerit vt Deo crederet, & quòd Deo rebellarit, malignéque detraxerit, dicens, Odit nos Deus, & idcirco eduxit nos de terra Ægypti vt traderet nos in manus Amorrhæi, atque deleret, Deuter.1.e.27. [c]Porro quod ex hoc loco colligunt Papistæ esse in hominis arbitrio flectere cor, ac dirigere in vtranque partem, friuola est consequentia. Quamuis enim iure Propheta eos accuset qui cor suum non direxerunt: non tamen ex professo disserit quid à seipsis valeant. Etsi enim proprium Dei opus sit Intrinseco spiritus motu conuertere ad se hominum corda, non tamen à culpa eximentur vel pœnam effugient quos sua libido & prauitas alio trahit. Cæterùm ex vitiis quæ hic notātur discendum est qualiter à nobis cōli Deus velit. Primò enim deposita peruicacia iugum eius subeundum est, deinde induendus mansuetudinis Spiritus, cordis affectus in Dei obsequium ordinandi, & sectanda rectitudo: & quidem non candido feruore, sed sincera constantia. Ad hæc, quum Propheta non de paucis quibusdam ex maioribus, sed de vniuersa illorum generatione loquatur, fieri posse videmus vt integræ generationes, nationes & ætates rebellesint, & corde ac spiritu erga Deum insincero & incredulo: idque non solùm gentium illarum ad quas non peruenit cognitio diuini nominis, sed earum etiam quæ fœdere sunt Deo coniunctæ. Quid ergo est quod aduersarii veritatis de multitudine & quadam consentientium in errore vetustate gloriantur, quasi non sinat Deus integras nationes, idque per aliquot secula, excæcari & obdurari? Arbitrantur bellisho-

mines nobis, qui ex Gentibus in fidem Israelis assumpti sumus, accidere non posse quod oleæ, in quam ex oleastro sumus inserti, accidit. Vide Rom. 11. c. 18. Philip. 2. b. 12, & 1. Pet. 1. c. 17.

9 *Filii Ephraim armati iaculantes arcu uersi sunt in die prælii.*

Filii Ephraim armati. [a]Incipit iam memorare in quam impietatem ac inde in quas calamitates prisci ex eo inciderunt quòd factorum Dei nullam habuerunt rationem. Et primò filiorum Ephraim nominatim meminit, quos sua in fugam egit impietas. [c]In hic itaque exemplum illius infidelitatis proponit, & ex pœnis à Deo inflictis eos probat reprobos fuisse. Nā quum bellicosi essent, signum iræ Dei fuit terga vertere in prælio. ac disertè exprimit eos fuisse *iaculantes arcu*, hoc est sagittandi peritos: quia absurdius est metu fugati qui ad hostes eminus feriendos telis instructi sunt. Vnde etiam apertius constat Deum illis fuisse infensum, qui eos non modò destituerit auxilio suo, sed emollierit ipsorū corda. [v]Acsi Propheta diceret, Vnde factū est vt filii Ephraim bellicosi homines, periti sagittandi, & in rebus bellicis valde exercitati, non fugaces, sed animosi, adeò tamen timidè fugerēt, nisi quòd non custodierunt fœdus Domini, & renuerunt ambulare in Lege eius? [m]Sed quæritur an vni tribui Ephraim hoc acciderit, vt fœdus Dei transgressa, & Legi Dei inobediens, à facie hostiū in die belli fugerit. Nequaquā. [c]Cur ergo filios Ephraim iam accusat, quum in genere nuper tribus omnes cōprehenderit. [m]Quidam interpretes arbitrantur Prophetam respexisse ad cladem quādam filiorum Ephraim, quæ à Gethæis illata fuit, quum ad recuperanda spolia obuiam filiis Ephraim progressi sunt, 1. Paralip. 7. d. 20. Alii ad cladem Israelis referunt sub Eli, vbi Arcam Dei grauiter cæsi amiserūt, à Philisthiim acceptā. Sed huius in calce Psalmi mentio fiet. [c]Fieri autem potuit vt regnum Israel, quo tempore compositus fuit Psalmus, collapsum & magna ex parte dirutum fuerit. Non malè igitur alii synecdochen esse sentiunt, & filios Ephraim accipiunt pro toto populo: nisi quòd incōsideratè præter eum fuisse data opera nominatos quia aliis fuissēt defectionis authores, quum Ieroboam vitulos erexit. Memoria enim tenere conuenit quod diximus circa finem, non frustra conferri repulsam tribum Ephraim cum electione tribus Iehudah. Ideóque nunc quoque de filiis Ephraim comparatiuè sermo habetur, vt veros Abrahæ filios admoneat eorum exemplo qui se ab Ecclesia abdicauerant, & se tamen iactabant inani Ecclesiæ titulo. Nam quum multitudine & opibus præstarent, ad fallendos simplices nimium valebat eorum authoritas, qua nūc spoliat eos Propheta, Dei auxilio nudatos fuisse docens.

10 *Non custodierunt fœdus Dei, & in Lege eius renuerunt ambulare.*

Non custodierunt fœdus Dei. [a]Hæc causa erat cur stare contra hostes nequibant, nēpe quòd fœdus Dei violarent, non ipsum vnum Deum colentes, & Legi eius viuentes: id quod recepta Lege in monte Sinai promiserant. [c]Fuit quidem aliis etiam tribubus crimen hoc commune, sed Propheta consultò vindictæ Dei exemplum protulit in tribu illa Ephraim, quæ sua authoritate totum ferè populum corruperat. Quia ergo splendor ac dignitas illa Ephraim turpis apostasiæ velamentum fuerat, cauere voluit Propheta ne fallēdis simplicib[9] larua illa adhuc maneret. Porro non leniter eos accusat, sed exprobrat perfidiam in totius Legis contēptu, & fœderis violatione. Tametsi enim vtrunque nomen eodem sensu accipiat, fœdus tamen priore loco ponens, satis ostendit se non solùm de regula bene viuēdi agere, sed de toto cultu Dei, de fide promissionum, & inuocatione, & pietatis doctrina, cuius fundamentum erat adoptio. Fœdifragos itaque nominat, quia promissionum fide exciderant, quibus Deus pepigerat se illis fore in Patrem: sicuti ex variis Scripturæ testimoniis manifestum erat. *Et in Lege eius renuerunt ambulare.* [c]Appositè Legem fœderi adiunxit Propheta, quia in Lege, velut in publicis tabulis, consignatum fuerat fœdus. [m]Non dicit, Non fuerunt in fœdere Dei, nec habuerūt Legem Dei: sed, non custodierunt fœdus Dei, & in Lege eius ambulare renuerunt. Ingens quidem bonum est esse in fœdere Dei, & habere diuinæ Legis doctrinā (neq; enim taliter fecit omni nationi, Infrà, 147. b. 20) satis tamen haudquaquā ad hoc est vt potiamur gratia & ope diuina, nisi custodiamus veriā fœd[9] Dei, & in Lege eius ambulemus. Hoc est, vitam nostram ad Legis præscriptum instituamus. Hoc notent & expendant qui Ecclesiam sedmei & errare posse negant. Doceant belli homines, Ecclesiam illam quam ipsi prædicant in fœdere ac fide desponsationis perdurasse, & etiamnum diuinæ voluntati obtemperare. [c]Auget etiam Propheta criminis atrocitatem verbo renuēdi, quo significat patres non fuisse solùm impetu quodam temere abreptos vt leuitate, imperitia, vel errore peccarent, sed ex professo & deliberata pertinacia violasse sacrum Dei pactum. Ea autem est vera & indubitata impii animi nota, non solùm non viuere ad Legis Dei præscripta, sed pertinaciter etiam obedientiam Deo debitam reiicere, & præceptis illius acquiescere nolle.

11 *Et obliti sunt operum eius, & mirabilium quæ ostendit illis.*

Et obliti sunt operum eius. [a]Fontem hic tam fœdæ impietatis designat ingratitudinem, quòd redemptionem æterna memoria dignam malignè sepelierint, ac pro nihilo duxerint. Fuit certè similis portento hæc socordia, discedere à Deo Israelitas cui tot modis deuincti erant: nec fieri vllo modo poterat vt sic à Satana fascinarentur nisi tot miraculorum obliti essent, quæ totidem erant ad eos sub metu Dei & obsequio retinendos vincula. [m]Sic autem in sacra historia legimus, Omnis illa generatio congregata est ad patres suos, & surrexerunt alii qui non nouerāt Dominum, & opera quæ fecerat cum Israeli fecerūntque filii Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserūt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: & sequuti sunt Deos alienos, Iudicū 2. b. 10. *Et mirabilium quæ ostendit illis.* [c]Nequa excusatio superesset ad leuandam culpam, splendidiore elogio Propheta insignit opera illa Dei: quasi diceret non fuisse vulgarem agendi modum, vt obrepere potuerit obliuio: sed Israelitas peruersè & nequiter clausisse oculos ne gloriæ Dei intuitu retinerētur. [v]Ergo dū in memoria iam non haberent vt Deus se declarasset seruatorem maiorum suorum, ipsi quoque fiducia eius exciderunt. [m]Proinde seruanda in Ecclesia est beneficiorum ac mirabilium Dei prædicatio, vt exclusa illorum obliuione, excludatur simul etiā defectionis initium, ne posteri fiāt, sicut patres ipsorū, generatio rebellis, exasperās & perfida. Nā & hac ratione Propheta mirabilia Dei posteris diligenter exponere voluit, ne eorum obliti à Deo deficerent, rebelles & immorigeri.

12 *Coram patribus eorum egit mirabiliter in terra Ægypti, in campo Soan.*

Coram patribus eorum egit mirabiliter. [a]Vel, fecerat mirabilia. [c]Tametsi posteros adhuc in reatum trahit, cōmodè tamen simul incipit de primis gētis authoribus cōcinnare acsi diceret, iam à prima origine fuisse omnes prauo ingenio, & rebelli. Quia tamen filios Ephraim dixerat in apostasiam prolapsos fuisse, quia mirabilium Dei obliti essent, sententiam hanc adhuc persequitur. Interea, vt diximus, opportunè trāsitum sibi facit ad patres in eundem reatum trahendos. *In terra Ægypti.* [c]Primo loco miracula attingit in medio Ægypti sinu ante populi egressum edita. [m]Intelligit autem de notissimis illis decem plagis, quibus tyrannum ac populum Ægypti inuitos etiam ad hoc adegit vt nō solùm dimitterēt Israelem, sed extruderent etiam. *In campo Soan.* [a]Vel, in agro Soan. id est Taonitico. Vide libellum interpretationum nominum Hebraicorum. [a]Certè Græci & Latini Soan & Tanim idem fuisse putant, nec abludit adeo nomen Tsoan. hæc, teste Strabone libro decimoseptimo, maxima in ostio quod Taniticum vocatur, ciuitas fuit. [a]Locum ergo celeberrimum Propheta nominat illustrioris notitiæ causa. [m]Ita enim visum est Deo potentiam suam illic ostendere vt lux ac splēdor gloriæ eius magis refulgeret, & quæ fiebant admiranda ex loci quoque celebritate luculēta redderentur, & latè spargerentur. [l]De regionis illius optimatibus vide Esa. 19. b. 11, & 30. a. 4.

13 *Scidit mare, & traduxit eos, & statuit aquas uelut cumulū.*

Scidit mare. [v]Vel, Secuit, interrupit. [a]Iam ad maris transitū descendit. Cuius historia scribitur Exodi 14. d. 16. *Et statuit aquas uelut cumulum.* [v]Vel, acervum. [a]Repetit quod alibi vidimus, mutatum illic fuisse naturæ ordinem, vt aquæ cursum suum sisterēt, adeóque in firmos cumulos, velut montes, eleuarētur. [a]Quidā sic exponit, Stare iussit aquas natura sua fluidas, tanquam molem marmoream. sicuti refert Moses, Erant illis aquæ ceu murus, à dexteris & à sinistris, Exodi 14. e. 22. [m]Et notandum est non prius reuersas fuisse aquas ad naturā suam quàm transmisso populo Dei, ad pristinam stationem recurrendi, & Ægyptiacum exercitū suffocandi facultatem à Deo receperint. Ita coguntur surda & inanima elementa ad necessitatem electorum diuinæ seruire voluntati, ad quam rem & vētus vehemens & vrens famulatus est, qui ministerio suo aquas maris dirupit, & fundum illius nudauit & exiccauit. Discamus hinc nullam esse vspiam aduersariam vim adeo potentem, adeo impiam & insolentem, quæ, si propositum sit Deo liberare suos, nō cogatur cedere, & vniuersu illud vetus innatum lædendi ac perdendi ingenium remittere: imò quā

Deus non possit ad impiorum perditionem vsurpare.

14 *Et deduxit eos in nube per diem, & tota nocte in lumine ignis.*

Et deduxit eos in nube. [b]Nunc de præsentia & ducatu Angeli nube per diem & igne per noctem loquitur. Quo vtraque semel Dominus demonstrauit, quantam suorum curam habeat, & vt in illis ducendis suos Angelos nullo vnquam tẽpore abesse patiatur: qui illis bona cuncta adducant, & pericula quæuis depellant. *In lumine ignis.* [v]Vel, in splendore ignis. Quidam, ad lumen. [c]Asserit non modò Deum itineris fuisse ducem populo: sed, ne momentanea tantùm esset redemptio, porrecta manu continuasse suam gratiam. Nam quum difficile ac molestum esset per arida & sabulosa loca pergere, non vulgare beneficium fuit opposita nube protegi ab æstu solis. [m]Quod autẽ liberatis & eductis ab Ægypto Israelitis datæ sunt istæ columnæ, admonet nos non esse satis liberatum esse è regno Satanæ, sed opus esse ad ingressum cælestis patriæ, præsentia, ductu, ac protectione Dei. imò non opus esse tantùm, sed dari etiam diuinitus ductus huius ac protectionis beneficium, quo egressi ex captiuitate Satanæ, & dirigantur & muniantur ad cælestia proficiscentes. Fuit ergo beneficium illud Israeli præstitũ excellẽtioris gratiæ pignus, quòd scilicet Deus populũ hunc sub protectione sua esse testatus est, donec in cælestẽ hæreditatem perueniret. Vnde etiam Paulus in nube illa Baptismi speciem fuisse docet: sicuti in maris trãsitu, 1. Cor. 10. a. 2. cuius fructus non in hac caduca vita inclusus est, sed ad salutem vsque æternam pertinet.

15 *Scidit rupes in deserto, & eos potare fecit in abyssis magnis.*

Scidit rupes in deserto. [a]Vel, Rupit petras in deserto. Vel, Secuit rupes in eremo. [c]Aliud paterni amoris symbolum producit, quo Deus ostendit quantæ sibi curæ esset illius salus. [m]Miraculum hoc bis factum fuisse legitur, primùm in Raphidim, Exodi 17. b. 6. deinde cursus in deserto Sin, Numer. 20. b. 8.

Et eos potare fecit. [a]Vel, potum illis suppeditauit. *In abyssis magnis.* [v]Quidam, è voraginibus magnis. Alii, in abyssis amplissimis. Hebræi subaudiunt aduerbium similitudinis. propterea vertunt quidam, vt ex magna abysso. Vel, quasi ex abysso multa. Porro non dicitur simpliciter Deus potum suppeditasse, sed id fecisse præter naturam. Oriuntur quidem interdum ex rupibus flumina, sed rupes quam percussit Moses arida prorsus erat. Vnde constat aquam illam non fuisse elicitam ex scaturigine aliqua, sed erutam ex profundissimis abyssis quasi diceret ex profundissimo terræ centro. Itaque sensum Prophetæ assequuti non sunt qui interpretantur in profundis abyssis potasse Israelitas, quoniam aquæ larga abundãtia fluerent. Potius miraculum amplificat Moses quòd ex remotissimis venis aquas illas Deus fluere iusserit.

16 *Et eduxit fluenta è rupe, & descendere fecit aquas velut fluuios.*

Et eduxit fluenta è rupe. [a]Vel, Et eduxit riuos è petra. [c]Confirmat hoc versu fuisse amplum & magnum flumen vbi nulla prius fuerat aquæ gutta. Nam si tenuis solùm riuulus manasset, poterat à profanis hominibus obscurari Dei gratia: sed vbi tanta copia aquarum è petra erumpit, quis non mutatum potius videt naturæ cursum quàm occultam sub terris venam apertam fuisse? [a]Præsentem itaque Dei manum illic agnosci oportebat.

17 *Et adiecerunt adhuc ad peccandum contra eum, ad exasperandum Excelsum in deserto.*

Et adiecerunt adhuc ad peccandum. [v]Vel, Et addiderunt. Quidam, Nihilominus addiderunt. [c]Postquam breuiter exposuit Propheta continua beneficiorum serie Deum palam fecisse quãtopere amaret Abrahæ filios, [m]nunc eos ingentis malitiæ, cæcitatis ac ingratitudinis accusat, quòd miracula illa tam stupẽda, quibus diuina cum prouidentia, tum potentia declarata fuerat, ita frustra viderint vt ne sic quidem ad credẽdum Deo induci potuerint, sed nihilo secius etiam postea corde erga illum sinistro ac peruerso fuerint: imò verò pro suo more & ingenio scelerate in eum insurrexerint. [m]Et adiiciendi vel addendi verbo crimen eorum amplificat, acsi diceret, [v]Nihil his omnibus facti sunt meliores, vtinam non deteriores. Vtinã peccata peccatis addentes, non magis reprehensibiles extitissent quàm quum nullo affecti erant beneficio. *Contra eum.* [v]Nẽpe contra Deum, à quo tot & tantis beneficiis affecti fuerant. *Ad exasperandum Excelsum.* [v]Vel, vt prouocarent excelsum. Quidam, exacerbantes Altissimum. Alii, irritare Altissimum. Alii, deficere ab Excelso. sub. addiderunt. [a]Sed exasperãdi verbum optimè conuenit. [c]Eo enim Propheta significat non leue fuisse delictum, sed malitiam intolerabilem. Iam loci quoque circumstantia exaggerat criminis magnitudinem, quòd in ipso deserto, recẽti adhuc liberationis memoria, vbi quotidie oculis ingerebantur signa præsentiæ Dei, vbi necessitas ipsa ad obsequium eos cogere debebat, suam interim petulantiam non cohibuerint. Quòd ergo coram ipso Deo, qui præsenti gloriæ suæ intuitu eos terrebat, qui tam benignè & suauiter eos ad se alliciebat, quum rerum omnium inopia ad eos cohibendos optimum remedium esset, petulãter tamen se gesserint: prodigiosus certè fuit furor. [m]Nec abs re Excelsi nomen. Magna temeritas est principem aliquem potentem irritare & prouocare, quanta igitur est ipsum Deum excelsum, illum qui nutu suo perdere potest, exacerbare? idq; in ipso deserto, in quo mirabiliter sola Dei potentia ducebantur ac sustinebantur?

18 *Et tentauerunt Deum in corde suo, petendo cibum animæ suæ.*

Et tentauerunt Deum in corde suo. [c]Dixerat Israelitas, mala malis pertinaciter addendo, Deum exasperasse & irritasse: nunc irritationis speciem designat, dicẽs quòd Deum in corde suo tentauerint. *Petendo cibum animæ suæ.* [v]Hebraismus, pro sibi. Vel pro desiderio suo. Quidam vertunt, cupiditati suæ. [c]Et certè, cibum petere, si cogeret inedia, non esset per se illicitũ (quis enim vitio vertat si famelici Deum nutritium implorẽt) sed in eo peccarunt Israelitæ, quòd cibo diuinitus sibi destinato non contenti laxarunt suæ libidini habenas. Deus enim iam eos manna pascere cœperat, vt mox iterũ videbimus. Eius autem alimenti fastidio impulsi nouos cibos appetunt, acsi respuerent patris sui demensum. Hoc significat Propheta nomine animæ, petiisse cibũ, non quòd esuries cogeret, sed quia eorum concupiscentiæ non sufficeret cibo diuinitus ordinato vesci. Hac ratione dicit eos tentasse Deum: quia vltra fines sibi à Deo præscriptos transilierint. Quisquis enim postbabito & neglecto Dei permissu, suæ intemperantiæ indulgẽs, plus quàm fas est appetit, dicitur Deum tentare: acsi eum vellet subiicere suo arbitrio, vel inquireret an plus possit quã velit. Et certè quisquis Dei potentiam à voluntate separat, Deum ipsum quantum in se est discerpit. id autem faciunt qui experiri cupiunt an plus daturus sit quàm petere concedat. Ideoque ne carnis libido ad Deum tentandum nos solicitet, discamus frænare nostra desideria, & modestè quiescere intra fines nobis præscriptos. Nam si liberè exultet caro, pane quotidiano non contenti, subinde variis modis contra Deum tumultuabimur, & iram ipsius nostro murmure prouocabimus.

19 *Et loquuti sunt contra Deum, dixerunt, Num poterit Deus parare mensam in deserto?*

Et loquuti sunt contra Deum. [c]Quia dixerat Propheta Israelitas Deum tentasse in corde, addit non esse veritos palam impuro & blasphemo ore proferre quam intus conceperãt impietatem. Vnde melius apparuit cor eorum malitia & prauitate penitus fuisse occupatum. Sic enim concupiscentia peccatum concipit dum admittitur prauo consensu. [a]Qua de re vide Iac. 1. b. 15. *Dixerunt, Num poterit Deus parare.* [c]Iam peccatum ipsum longius prorumpit, sicut videmus hic Israelitas ad sacrilegam lasciuiam progressos esse, dum interrogant de potentia Dei, acsi eam pro nihilo ducerent, nisi quatenus suæ libidini morem gerer. [m]Considerabant populi multitudinem & loci ariditatem, quæ duo impossibilitatem adferre videbantur, vt populus fame potius periret quàm illi de alio victu prouideretur. [c]Quanquam per mensam paratam Propheta lautitias intelligit, quibus antè assueuerant in Ægypto. Neque enim eorum animos placabat vnus & simplex cibus, nisi multiplici copia & varietate se oblectarent. [v]Q. d. Cur frustra, ô Moses, tam magnifica de Deo prædicas? quo sua illa abiit de nobis cura, quam tu perpetuã fore nobis nostrisque posteris pollicitus es? Si nos amat Deus, cur non lautius nos reficit in hoc solitudine? Poteritne is quem tu tam nobis beneuolũ iactitas & potentem, instruere cõuiuium, in hoc præsertim deserto, in quo rerum omnium summa penuria est & egestas?

20 *Et percussit rupem, & fluxerunt aquæ, & flumina inundauerunt: an etiam poterit panem dare? an parabit carnem populo suo?*

Et percussit rupem. [v]Vel, percussit quidẽ. Vel, Ecce percussit. [a]Quidam hæc verba ita accipiunt acsi populus miraculi huius memoriam renouaret, vt ostendat Deum nolle amplius sibi fauere, quia alio tam erga ipsum affectu præditus esset. q. d. Si potuit Deus aquas è petra educere, cur non posset etiam cibum dare, & multiplici ciborum copia pascere populũ suum in deserto? Atqui non hoc facit. Quare? quia nulla nostri cura tangitur, nec amat populum suum. Sicuti alibi dixerunt, Odit nos Deus, Deuter. 1. e. 27. [c]Sed rectius alii sentiunt, Prophetam amarulenta ironia mordere Israelitarũ petulantiã. Neque

enim verisimile est sic loquutos esse, sed quasi ex eorum persona refert Propheta quæ sub eorum erāt oculis. q.d. En iam experti estis virtutem Dei in Raphidim, vbi iussu eius petra cæsa, potum vobis dedit largissimè: qui potestis modò dubitare eum posse & cibos subministrare, mensámque parare quibuslibet instructam lautitiis in deserto?

21 *Propterea audiuit Iehouah & indignatus est, & ignis accensus est in Iaacob, atque etiam ira ascendit in Israelem.*

Propterea audiuit Iehouah. Memorata iteratione peccato, Propheta iram ac plagam Dei populo incredulo illatam commemorat. Audiuit, inquit, Iehouah. Istud audire Dei, tantundem valet ac legitima cognitio: similitudine à terrenis iudicibus sumpta, qui nisi causa probè cognita punire sontes nequeūt. Sicuti ergo suos audire dicitur, quorū votis propitius succurrit, sic rursus audire dicitur blasphemias, quæ iudicium eius nō effugiūt. *Et indignatus est.* Vel, iratus est. Quidā vertūt, Et distulit: sed qua ratione, ipsi viderint. *Et ignis accensus est.* Ignis metaphoricè pro vindicta Dei accipitur. *Atque etiam ira ascēdit in Israelem.* Videtur Vates voluisse duplicē vltionem complecti, incendii quod postremam partem castrorum apprehenderat, quum de labore vix murmurassent: & eius quæ populum inuaserat, quum carnes accepissent. Vtraque hoc eodem loci accidit, Numer. 11. a. 1.

22 *Quia non crediderunt in Deo, & non sperauerunt in salute eius.*

Quia non crediderunt in Deo. Hæc est causa iræ & plagæ Dei. Poterat videri Propheta satis causarum assignasse cur hic populus irascente Deo punitus sit, sed ne quis putaret iræ Dei atrocitatem modum excedere, grauitatem sceleris iterum describere voluit, quòd Deo non crediderint, nec sperauerint in salute eius. Sumit autem pro confesso promissiones illis fuisse datas quibus acquiescere ipsos decebat, nisi eos transuersos egisset importuna vesania. Sperare in salute Dei, tantundem valet ac recumbere in paternam eius prouidentiam, vt sufficientia nostra penes eum tota resideat. Atque hinc colligimus non modò quàm abominabilis Deo sit incredulitas, sed quænam vera sit fidei natura, & quos ex se fructus pariat. Vnde enim fit vt placidè se Deo subiiciant homines, nisi quia persuasi salutem suam vnicè ei charam esse, daturum quoque statuunt quicquid expedierit, atque ita se permittunt eius arbitrio regendos? Fides ergo veræ pietatis radix est, quæ bona omnia ab vno Deo sperare & expetere docet: ac nos in eius obsequium format: sicuti semper Deo obstrepere & rebelles esse necesse est quicunque diffidunt. Huc spectat Prophetæ contextus, fidem falsò obtendere, qui salutem ab eo non expectant: quia vbi Deo creditur, statim exoritur salutis fiducia, quæ bonorum omnium ei laudem tribuit. Probemus itaque in tribulationibus quantum spei de salute Dei in cordibus nostris foueamus, vt simul intelligamus qua simus erga eum fide ac sinceri cordis fiducia. Adde quòd si radicalis malitia & impietas est incredulitas, è contrario radicalis iustitia & pietas est fides. Si audit incredulorum ac contrariū voces, quanto etiāus audit credentium ac sperantium preces? Si de incredulis pœnas iratus sumit, quanto credibilius est illum credentibus beneuolum benefacere? Absit enim à Deo, vt more peruersorū hominū mala tamē quæ contra se dicūtur & fiūt, audiat, & iratus vlciscatur: quæ verò sincero erga se corde dicūtur & fiunt, nec audiat nec agnoscat. Vide Esaiæ 65. b. 13, & Luc. 18. b. 7.

23 *Mandauerat autem nubibus desuper, & ianuas cæli aperuerat.*

Mandauerat autem nubibus. Vel, Nam mandauerat. ad verbum, Et mandauit. Sūt qui putant miraculum hoc referri historico ordine: sed potius hac comparatione asperius Israelitas vrget Propheta, & eis suam malitiam exprobrat, quòd manna saturi, non destiterint concupiscere quas sibi à Deo negari lautitias sciebant. Ac si diceret, An erant famelici, an perituri inedia? Minimè. Nam ostia cælorum aperuerat illis Deus. Et certè ter & quater fœda ingratitudo fuit, respuere cælestem cibum, qui eos Angelis quodammodo sociabat. Siquis in Gallia vel in Italia degens ægrè ferat se non vesci Ægyptiaco pane, & vino Asiatico priuari, nonne Gigātum more cum Deo & natura bellum gereret? Israelitis minus excusabilis fuit intemperies, quibus non modò terrenos cibos ad satietatem suggerebat Deus, sed panem cælestem in alimentum dabat. Si passi fuissent lōgam inediam, decebat tamen modestius cibum à Deo petere: si surfure tantùm & quisquiliis victitassent, decebat eos agnoscere in deserto non vulgarem Dei gratiam: si verò tantùm datus fuisset cibarius panis, erat cur ingentes gratias agerent. Quid nunc, vbi Deus nouum alimenti genus creauit, quod è cælo quasi porrecta manu vbertim & copiosè suppeditat? *Et ianuas cæli aperuerat.* Nempe Israelitis cessantibus & dormientibus se patrem propitium & nutritium præbuit.

24 *Et pluerat super eos Man in cibum, & frumentum cælorum dederat illis.*

Et pluerat super eos Man. q.d. Dum ipsi dormirent, depluebatur cibus quo viuerent. Vnde & quidam nomen illi Man, id est paratum, inditum esse volunt. *Et frumentum cælorum dederat illis.* Vel, Et triticum cæli dederat eis. Id est, triticum ex aere descendens.

25 *Panem fortium comederat vir, cibum miserat ipsis ad saturitatem.*

Panem fortium comederat vir. Vel, magnificorum, potentium. Hoc est, vt quidam volunt, cælorum vel nubium. Chaldæus paraphrastes vertit, cibum qui descendit de habitaculo Angelorum. LXX. verterunt Angelorum: quæ trāslatio optimè conuenit. Certum quidem est magnificè ideo celebrari miraculum quo magis detestabilis reddatur populi impietas: quis longè præstantius fuit Man è cælo pluere, quàm si lautiti fuissent vel herbis vel fructibus, vel alio terræ prouentu. Quin & sacra Historia ad commendandam Dei bonitatem dat illi cibo gustum quasi similæ cum melle, Exod. 16. g. 31. Atque ita damnatur inexplebilis illa delicatæ gulæ libido, cui tam tener, tam suauis, tamque delicatus cibus fastidio fuerit. Sunt prætetea & alia non minus admiratione digna, quæ de hac alimonia Scriptura tradit. Cæterùm Paulus Man appellat spiritualem cibum, sed alio sensu, nempe quia figura & symbolum erat Christi. Hic verò Prophetæ consiliū est coarguere duplicem populi ingratitudinem, quòd non modò vulgares cibos, qui ex terra prouenīūt, sed Angelicum panem contempserit, dum illum leuissimum ac vilissimum appellauit, & præ illo Ægyptiacas ollas malignè appetiit. *Cibum miserat ipsis.* Quo melius intelligāt lectores, in memoriam reducit quod ante gestum fuerat. Tollēdæ ambiguitatis causa tempus plusquamperfectum in verbis reddere maluimus. *Ad saturitatem.* Hoc additur ad augendam populi ingratitudinem & intemperiem. Nam nulla necessitate coacti, sed mera lasciuia abrepti, petierunt nouum cibum à Domino. Nulla eos cogebat fames. Nam ad satietatem vsque Dominus eis de cibo, & quidem suauissimo, prouiderat.

26 *Pergere fecit uentum Orientalem in cælis, & excitauit in virtute sua Austrum,*

Pergere fecit uentum. Vel, proficisci fecit. Id est, Excitauit, impulit. *Ventum Orientalem in cælis.* Quidam, Et vertit in cælis Eurum. Alii, Amouit Eurum in cælis. *In uirtute sua Austrū.* Quidam, Et adduxit virtute sua Aphricum. Vocat Aphricum תימן quia regio Theman Meridionalis Iudæis est, nomen habens à filio Ismael, Theman dicto, vt legimus Genes. 25. b. 15. Narrat autem Propheta Deum morem gessisse populo suo, non quòd obstrepentium illud votum propitius exaudierit, sed vt effectu ipso probaret sibi in manu esse quod illi non crediderant. Vnde etiam patet quàm perperam carnem cum manna coniungant quidam interpretes, quorum prorsus diuersa est ratio: quia in Manna patris officium præstabat Deus, carnibus repleuit ingluuiem eorum, vt ipsa ingurgitatio ipsos suffocaret. Etsi autem Deo non fuisset difficile coturnices creare in medio deserto, ventorum tamen impetu illuc aduehi voluit, vt discerent Israelitæ elementa omnia parere eius imperio, nec obstaculo esse locorum distantiam quominus eius virtus statim ab Oriente in Occasum penetret. Clarum ergo virtutis, cui malignè detraxerant, experimētum habent increduli, vbi elementa omnia præsto sunt ad obsequiū, & quicquid mandauit, celeriter exequuntur. Porro non dubium est quin venti pro situ castrorum excitati sint, quanuis promptum esset nullis mediis easdem in medium afferre.

27 *Et pluit super eos quasi puluerem carnem, & quasi arenam marinam volucrem pennatum.*

Et pluit super eos. Poterat Propheta simpliciter dicere, Et dedit illis secundum desiderium eorum magnam coturnicū copiam: verùm vt historiam hanc Prophetico more (id est, cum diuinæ potentiæ commendatione ac deprædicatione) consideranda proponeret, modum quo vsus est Dominus exprimere voluit, & addit, coturnices instar pluuiæ, vel pulueris arenæ, quæ est in litore maris copiosissima, tanta largitate & abūdantia datas fuisse, vt tantæ multitudini abundè sufficerent.

28 *Et cadere fecit in medium castrorum eius per circuitum ad tabernacula eius.*

Et cadere fecit in medium castrorum eius. Nempe Israelis. Singulare pro plurali, eorum. Intelligit quòd non sparsim in quauis regionem ventilatas dederit coturnices, sed in medium & circuitum castrorum eorum, vt captu essēt facillimæ, demisit.

29 *Et comederunt, saturatique sunt valde, & desiderium eorum attulit eis.*

Et comederunt saturatique. Hæc pertinent ad id quod versu 17 de copia coturnicum dixerat. Et vt admoneat Propheta vim istam coturnicū nō fuisse phantasticam, & inane spectrū, sed fuisse veratum coturnicum, vnde abundè pro desiderio suo saturati sint Israelitæ. Præterea hoc addere Propheta voluit, vt sciremus Israelitas mera intemperantia fuisse impulsos ad petendas carnes, non autem sollicitos fuisse de victu. Dixerat quidem prius man illis datum fuisse ad satietatem: sed hic luxuriam & voracitatem disertè perstringere voluit, in qua se prodidit effrænis illorum cupiditas. Quanuis autem alibi singularis priuilegii loco promittit Deus fidelibus se facturum quod optauerint, alio tamen modo hic obsequutus dicitur peruersis impii populi votis: quia quod propitius negasset, iratus concessit. Quod exemplum notatu dignum est, ne queramur vota nostra arcano Dei consilio corrigi, dum intemperantius effluunt. Tunc enim verè exaudit, vbi non indulget stultis cupiditatibus, sed beneficētiam suam salutis nostræ modo attemperat. sicuti plus impiis largiendo quàm ipsis vtile sit, non eos propriè exaudit, sed exitiali mole onerat, quæ ipsos in exitiū præcipitet agat. *Et desiderium eorum attulit eis.* Vel, attulerat enim eis desiderium ipsorum. Id est, reddiderat illos voti compotes.

30 *Non alienati sunt à desyderio suo: adhuc cibus erat in ore ipsorum,*

Non alienati sunt à desiderio suo. Quidam, Non erant alienati à desiderio suo. Alii, præcedentibus adiungentes, Non sunt destituti desiderio suo. Alii sequentibus iungentes vertunt, Nondum recesserant à cupiditate sua, Adhuc cupiditas in illis ardebat, quum &c. Sed Propheta simpliciter significat Israelitas sua cupidine adhuc flagrasse. Nam duobus verbis exprimere voluit præsentem oblectationē: quia vbi vindictam de illis sumpsit Deus, adhuc lasciuiebant in sua crapula. Siquis excipiat, hoc non congruere cum proxima sententia, vbi dixerat comedisse ad satietatem, facilis est solutio. Scimus enim, nisi intra fines rationis & temperantiæ se contineant hominum animi, esse inexplebiles, ideóque saturitate non restingui praui appetitus ardorem. Docet itaque hic locus quàm nequeat concupiscentiæ carnis indulgendo satisfieri, quæ non poterit melius quàm abstinentiæ virtute supprimi. Non est illius vllus modus, & tantum abest vt indulgendo illam compescas, vt magis etiam irrites & insolentem reddas. Sicuti sitis illorū qui hydropisi laborāt, bibendo magis irritatur quàm sedatur. Ita & amor nummi tantum crescit, quantum ipsa pecunia crescit. *Adhuc cibus erat in ore ipsorum.* Ostendit iam Propheta vt maturè vltio dona Dei impiè postulata consequuta sit.

31 *Quum ira Dei ascendit in eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel incuruauit.*

Quum ira Dei ascendit in eos. Id est, quum Deus vltus est eorum incredulitatem, ingratitudinem, ac blasphemiā. Nam ira Dei metaphoricè ascendere dicitur, dum repentè in iudicium cōsurgit: quia dissimulans ad peccata, videtur quodammodo sopitus esse. Notandum hic est, quare Deus coturnicum copiam & saturitatem prius dederit, & postea demū incredulos & murmuratores punierit. Si antea punisset, visus fuisset magis perdere, quàm carnes dare posse. Ideo vt primùm declararet potentiam suam, adeóque & populi huius incredulitatem manifestiorem redderet, & dignam ostenderet quæ puniretur, visum est primùm dare quod dari posse non credebant, ac deinde incredulos punire. Ita solet Deus ad declarandam suam iustitiam, primùm quæ Dei sunt, ostendere, & postea impios & incredulos perdere. Perditurus erat Pharaonē: sed antequā id faceret, primùm potentiā suā illi per tot insolētia illa portēta declarabat. Exodi 7. b. 10, & 8. a. 6. f. 24. *Et occidit pingues eorum, & electos Israel incuruauit.* Vel, Succūbere fecit, prostrauit, humiliauit, deiecit. Per electos & pingues significat eos qui virtute pollebant, & qui placebāt sibi in sua excellētia: quibus item arridebat fortuna, & quorum læta erat conditio, & prospera, tales vocat pingues & vegetos. Quanquam autem per singulos ordines grassata fuit pœna, pingues tamē & electos cōsultò Propheta nominat, vt clarius refulgeat Dei iudiciū. Neque enim temere accidit vt robustissimos quosque & eximio vigore præditos tabes conficeret. Deinde quia vt plurimum homines fallit sua virtus vt audacius proteruiāt contra Deum, quia infirmitatis suæ immemores, quiduis sibi licere putant: ideo mirum nō est durius in eos sæuisse iram Dei. Dubium etiam non est quin illi priores fuerint in culpa, ideo & specialiter in pœna memorantur. Nam hoc genus hominū præcipuè isto cōcupiscentiæ morbo laborat, & hodie quoque ita viuit, vt sepulchra ipsorum non minus quàm illorum concupiscentiæ sepulchra, vocari queant. Quomodo enim vocarentur aliter, quum crapula magis quàm gladio pereant? Porro hinc monemur non semper beneuolētiæ esse, vt suprà docuimus, si copiam Deus largiatur, sæpéquenumero iræ potius quàm fauoris esse documentum externis istis bonis abundare: id quod in diuitibus illis, quorum Euangelica historia meminit, videre est, Luc. 12. c. 16, & 16. e. 19, & 18. e. 23. Tam siquidem bonus est Deus, vt qui æterna respuunt, his temporaria tamen bona suppeditet, ne nihil à bonitate eius percipiant. Qua de re vide Matth. 5. g. 45, & Rom. 2. a. 4.

32 *In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt mirabilibus eius.*

In omnibus his peccauerunt adhuc. Quidam, Cum omni hoc. Vel, In omni hoc, Super hæc omnia. id est, Nihilominus. Vulgare prouerbiū est, stultos plagis sapere. vnde sequitur prorsus esse desperatos qui sæpius à Deo castigati non resipiscūt. Talem contumaciam describit Propheta in Israelitis quæ nullis flagellis corrigi potuerit. Hæc formidabilis erat Dei vindicta, tantam fortium virorum stragem cernere. Quod ergo tali portento commoti non sunt, eo conuincitur portentosa eorum durities. Sic Propheta Esaias de populi stupore ac malitia queritur, Non est reuersus populus ad percutientem se, cap. 9. c. 13. *Et non crediderunt mirabilibus eius.* Hoc est, non resipuerunt ob horrēdam de ingratis & murmuratoribus sumptam à Deo vltionem. Quanquam per mirabilia non solùm pœnam de qua nuper loquutus est, intelligit, sed alia etiam signa comprehendit quorum antè facta fuit mentio. Dupliciter ergo malitiæ eos insimulat, quòd non modò fidem abrogauerint verbo Dei, sed etiam eius miracula contempserint. Si quis obiiciat quod apud Mosen legitur post AEgyptiorū submersionem, Timuitque populus Dominum, & crediderūt Domino, & Mosi seruo eius, Exodi 14. g. 31. respōdendū est, credidisse eos tantisper dum ob oculos esset miraculorum splēdor, & sensus eorum duraret, postea verò ad incredulitatē esse reuersos. Nam hoc genus fidei, quod non singulari Spiritus dono acquiritur, sed superātium quodam & potenti miraculorū fulgore sensibus rationis etiam in impiis incutitur, nō diu hæret, sed statim euanescit, perinde atque in tempestatibus vsuuenire solet, vbi nimius fulgurum tonitrua præcedentium splendor etiam clausos oculos ita ferit, vt nolint velint lucem quandam sentire cogantur, quæ tamen mox euanescit. Vide quid hac de re Euangelista Iohannes scribat cap. 2. d. 23. 24. Cæterùm Propheta hoc loco præcipuè notat murmur populi, & seditionem quæ excitata fuit quum exploratores terram Chanaan renuntiassent, optimam quidem, sed inuictam: de qua Numer. 14. a. 1.

33 *Et consumpsit in vanitate dies eorum, & annos eorum in festinatione.*

Et consumpsit in vanitate dies eorum. Sicuti Deum ad iram suis sceleribus prouocare nō cessarunt, ita Propheta subiicit auctas fuisse pœnas: sicuti per Mosen denūciat ac minatur Deus septuplo durius se acturum cum præfractis qui in sceleribus suis pergent. Leuit. 26. c. 18. d. 21. Cæterùm quia de toto populo hic loquitur, quasi diceret sine exceptione omnes à minimo vsque ad maximum celeriter fuisse consumptos, probabili ratione referri hoc posset ad grauissimam illam vindictam qua vniuersa illa Israelis multitudo quæ ex Ægypto educta, & ad bellum apta numerata fuerat, in deserto, quadraginta annos, donec consumeretur, retenta fuit, nec permissa vt terram Chanaan, terram quietis ingrederetur: duobus tantùm exceptis, Iosue & Caleb, qui Deo fideles & integri rectam iustitiæ semitā semper sequuti fuerāt, nec, quēadmodū cæteri iam propinquæ terræ Chanaan, cursum retro flexerant. Hoc ignus est quod dicit, consumptos in vanitate dies eorum. q. d. Deus illos retinuit in deserto per omnes vitæ ipsorū dies, vt profectionem hanc & vniuersas eius molestias,

negato terræ promissæ ingressu, frustra susceperint. Dicitur enim in vanitate consumi, quod frustra consumitur: frustra autem consumitur, quod destinatum finem non consequitur. [c]Vel simplicius, dicuntur dies eorum in vanitate consumpti, quia euanuerunt instar fumi. *Et annos eorum.* Dies priore loco ponit, deinde annos, acsi diceret Dei maledictione præcisum illis fuisse vitæ tempus, vt facilè constaret in medio cursu ipsos deficere. *In festinatione.* [v]Vel, Festinanter. Quidam, cum terrore aut perturbatione, vel tumultu. [c]Nam Propheta haud dubiè significat tumultuariè abruptam illis fuisse vitam: acsi diceret, Dominus etiam edito miraculo interfecit eos. Sed festinationis nomē clarius est, [m]vt intelligamus, annorum quadraginta spatium, quo rebelles in deserto consumpti sunt à Propheta, propterea acerbum vocari, ad exprimendam iram Dei, qua tanta multitudo tam paucis annis penitus deleta est. [c]Hæc autem iusta pertinaciæ fuit merces, vires quibus superbiebant, emarcidas reddere, vt celeriter instar vmbræ diffluerent. [m]Interea locus hic admonet dierum nostrorum cursum, numerum & consummationem, non in nostra, sed Dei esse manu. Quantulum verò illi est vnius aut alterius, vt ut potentis in hoc seculo, dies & annos quam breuissimo spatio consumere, quum tantam multitudinem iratus tanta cum festinatione deleuerit. Admonemur hic etiam nulli innitendum multitudini, quantumuis ingenti ac robustæ, si desit illi gratia & præsentia Dei. Nolite ascendere (dicebat Moses) non enim poteritis hostibus occurrere, eo quòd non sit vobiscum Deus, Deut.1.g.42. Vide quid de Dei vindicta dicat Paulus 1.Cor.10.a.6.

34 *Quum occideret eos, quærebant eum: reuersi sunt & manè properabant ad Deum.*

Quum occideret eos, quærebant eum. [a]Ad verbum, Et quærebant eum. Et pro tunc. [m]Describit hic Propheta coactam Israelitarum pœnitentiam, & simulatam ad Deum conuersionem. [e]Atque hæc circunstantia crimen auget: quia vbi scelerum conuicti se iustas fatentur pœnas dare, non sincero autem animo supplices fiunt, imò praua simulatione Deum eludunt, minus excusabilis est eorum impietas. Siquis mente captus mala sua non sentiat, ignoscitur stupori: qui verò reatum agnoscere cogitur, sui tamen similis manet, vel fucata deprecatione functus, statim ad ingenium redit, hac perfidia se insanabilem esse demonstrat. Subindicat autem Propheta non vulgares vel obscuras fuisse pœnas quibus gens illa iam obstinata ad quærendum Deum compulsa fuit: neque solùm refert scelerum fuisse conuictos, sed etiam redemptionis à qua exciderant, sensu & memoria fuisse tactos. Hoc modo melius tollitur ignorantiæ prætextus: acsi diceret, non fuisse inconsideratè abreptos vel deceptos errore, sed quasi data opera perfidè agendo, in se prouocasse iram Dei. Sicuti in hunc finem aperuit illis Deus oculos, vt perditam eorum malitiam apertius detegeret, acsi hypocrisin & blanditias eorum discutiēs, è suis latebris eos traheret in lucem.

35 *Et recordati sunt quòd Deus rupes eorum, & Deus excelsus redemptor eorum.*

Et recordati sunt quòd Deus rupes. [v]Vel, fortitudo eorum. [m]Agnoscunt interdum impii ad acquisitionem gratiæ Dei opus esse vt quæratur Deus, & per conuersionem citò ad eum veniat: neque tamen verè ad Deum conuertuntur: vnde talis illorum cognitio omnem illis excusationis prætextū adimit.

36 *Et blanditi sunt ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*

Et blanditi sunt ore suo. [c]Hoc dicit Propheta, Israelitarum perfidiam accusans, non quòd nulla in eis esset agnitio, sed quia oris confessio affectu cordis voluntaria non erat. Quod notatu dignum est: quia hinc colligimus non modò crassam hypocrisin cauendam esse vbi aliud apud homines profitetur lingua quàm animus sentiat: sed simulationem quoque magis occultam, vbi metu coactus seruiliter blanditur Deo peccator, qui tamen libenter iudicium eius effugeret. Atqui maior pars hoc morbo exitialiter laborat: quia licet Dei maiestas aliquam illis reuerentiam extorqueat, cuperent tamen extinctam esse omnem lucem doctrinæ. Quare non satis est annuere verbo Dei, nisi accedat serius affectus, nec cor nostrum duplex sit, vel diuisum.

37 *Cor autem eorum non fuit rectum coram eo, nec veraces fuerunt in fœdere eius.*

Cor autem eorum non fuit rectum. [v]Ad verbum, & cor eorum. *Nec veraces fuerunt in fœdere eius.* Vel, nec fideles, firmi, stabiles fuerunt. Exponit Propheta quid sit, cur illorum non fuisse rectum coram eo, nempe non perstitisse firmos in fœdere Domini. [c]Hæc igitur simulationis causa est & fons, quòd non fuerint stabiles ac veraces: acsi diceret, mendacium & fallaciam coram Deo reputari, nisi quod ex pura cordis sinceritate profectum fuerit. Quia verò talis integritas passim requiritur in Lege, tanquam fœdifragos accusat qui fœdus Dei non coluerint qua decebat fide. Mutua enim (vt alibi dictum fuit) relatio inter fidem nostram & Dei fœdus tenenda est, vt huius veritati vicissim non fallax illius consensus respōdeat. [m]Internum quidem erat cor non habere rectum coram Deo: sed illud ex præuaricatione fœderis declarabatur. Pepigerat cum eis fœdus, & fœderis tabulas dederat: verùm in fœderis obseruātia ita se gerebant vt conspicuum esset corde eos erga Deum esse non recto. Perinde acsi de vxore perfida dicas, Cor eius non est rectum erga maritum suum, viuit enim ore ac lingua blāditur: subiūgásque, velut huius experimētū, quòd fidelis non sit in seruando coniugii pacto. Itaque hoc loco admonemur, qua in re declarare debeamus quo corde simus erga Deum, nempe in obseruantia fœderis quod inter nos & Christum tam est pretioso sanguine firmatum. Est autem obseruantia huius in his duobus sita, primò, vt certa erga Christum vnum simus fiducia: deinde, vt illi per omnia obediamus, ac proximos nostros vt nosipsos diligamus.

38 *Et ipse misericors expiauit iniquitatem, & non perdidit: & multiplicauit ad auertendam iram suam, & non excitauit omnem indignationem suam.*

Et ipse misericors expiauit. [a]Ingens fuit populi impietas, qui ita Deum in dies irritabant, vt incomparabilis indulgentiæ fuerit quòd toties illis parceret. Id voluit Vates monere, cùm que tot verbis canit vt iram suam Deus velut vi suppresserit, meritámque vltionem auerterit. [c]Atque ita causam assignat cur non in totum perierint. Etsi enim digni erant interitu, Deum tamen iram suam temperasse refert, vt maneret aliquod residuum semen. Nequis ergo ex illis vindictæ exemplis colligeret Deum summo iure egisse, Propheta hic admonet mediocres, imo mites fuisse pœnas, præ atrocitate criminum, quia Deus manum suam sustinuerit, non tam quid meriti essent, respiciens, quàm locum dare volens suæ misericordiæ. Non est autem cur propterea imaginemur mutabilem esse Deum, dum nunc asperius nos castigat, nunc comiter ad se allicit: quia pro incomparabili sua sapientia diuersis modis experitur numquæ sit spes sanandi. Sed hinc crescit reatus, si neque seueritas eius nos corrigit, neque emollit clementia. Notandū autē est, quòd Deus pepercerit populo, causam adscribi eius misericordiæ quæ naturaliter in ipso residet, vt sciamus non aliunde fuisse adductum vt tam propensus esset ac facilis ad dandam veniam. *Et non perdidit.* [c]Quia non semel neque vno modo ignouit Deus, dicit Propheta expiasse iniquitatem vt non perderet: deinde addit, *Et multiplicauit ad auertendam iram suam.* [v]Hebraismus, pro, Magnoperè iram sedauit. Vel, Strenuè curauit vt cohiberet iram suam. Aut, vt alii. Sæpenumero retraxit iram suam. [c]q.d. quanuis sæpius esset ab eis prouocatus, finem tamen auertendæ iræ suæ non fecit. *Et non excitauit omnem indignationem suam.* Hoc est, pœnas sceleribus debitas mitigauit, ne populus ipsa grauitate obrueretur. [m]Itaque nisi in ea propitiatione Deus multus fuisset, hoc est, nisi sæpenumero & vehementer iram suam cohibuisset, rebelles & incredulos penitus deleuisset. Ita scilicet illis, Exodi 32.b.10, & Numer.14.d.12. minabatur. [a]De hac copiosa propitiatione & immēsa indulgētia, vide Infrà, 103.b.8, & 130.a.4, & Esa.55.b.7.

39 *Et recordatus est quia caro sunt: spiritus transiens & non reuertens.*

Et recordatus est quia caro sunt. [c]Nunc alteram causam adducit quòd scilicet experiri noluerit Deus robur suum contra homines natura fluxos & euanidos. [v]q.d. Videbat homines esse mortales & caducos, hoc est, non habere firmum robur, sed miseros esse ac fragiles, [m]quorū vita tam nihil habeat solidi, nihil firmi, vt nihil sit aliud quàm ventus quidam vadens & non rediens. [c]Nam loquutiones quas hic vsurpat Propheta, fragilitatem notant, qua miserabilis est hominum conditio. Carnem cum Spiritu frequentius Scriptura committit per antithesin, non modò vbi per carnem intelligitur corrupta & vitiosa natura, per Spiritum, integritas ad quam renascuntur filii Dei: sed etiam vbi homines caro vocantur, quia nihil in ipsis firmum sit vel solidum. Sicuti apud Esaiam, Ægyptus caro est, & non spiritus, Esa.31.b.3. Verùm hoc loco Propheta eodē sensu carnē & spiritū posuit: priori voce, corruptioni & putredini obnoxios homines esse significās: altera verò, flatū vel quiddā vmbratile. Quia enim continua defluxio homines ad interitū cōpellit, cōparat eos vēto ambulanti

& qui proprio motu concidit sine reditu. Peracto enim stadio non ordimur nouam vitam in terra: sicuti & Iob, cap. 14. b. 7, dicitur, Arbores quotannis renasci: & herbas, vbi hyeme fuerint emortuæ, iterum virescere: hominem verò, postquam interierit, nō recuperare vires. Nūc tenemus Prophetæ sensū, Deū pro sua misericordia tolerasse Iudæos, non quòd digni essent, sed quia caduca & fluxa eorum conditio veniam impetrauerit. Similem fere sententiā habebimus Infra, 103. c. 14, vbi dicet Propheta, Deum nobis esse propitium, quia videt herbæ similes, statimque instar fœni arescere. Quòd si in nobis nihil præter miseriam reperit Deus, qua flectatur ad misericordiam, sequitur nonnisi mera & gratuita bonitate induci vt nos sustineat. *Et non reuertens.* [c]Quum hic negat Propheta reuerti homines peracto cursu, minimè excludit spem futuræ resurrectionis. Tantùm enim in seipsis considerat homines, ac de terreno eorum statu loquitur. Renouatio autem in cælestem vitam, miraculum est longè altius natura. Eodem sensu alibi dicitur, Exit spiritus eius, & non reuertitur (Sap. 16. b. 14) quia scilicet spē futuræ instaurationis ex vtero minimè afferunt homines, sed ex regenerationis gratia est petenda est. [M]Proinde, ista nobis recordatio, quòd caro sumus, & ventus vadens, & non rediens, duplici vsu esse potest. Primùm ad hoc vt modestissimus & humiles erga quosuis: deinde ad hoc etiam vt delinquentibus communis huius infirmitatis gratia facilius ignoscamus & parcamus. Interea cauendum est ne consolationē diuinæ huius misericordiæ (quæ toties reproborum iniquitati pepercit, & hodie quoque parcit recordata quod caro sumus, spiritus vadens & non rediens) in occasionem delinquendi & præposteram impœnitentiæ securitatem peruertamus: quasi quod in hac vita durante diutina patientia misericorditer factum est, etiam ad futurum seculum, & iudiciū illud extremum pertineat. Quare expendendum illud est, & quidem diligenter, quod Paulus tanto seriò monet, An diuitias inquit, bonitatis eius, &c. Rom. 2. a. 4.

40 *Quoties exacerbauerunt eum in deserto, mœrore affecerunt in solitudine.*

Quoties exacerbauerunt eum. [a]Quidam, Sæpius irritauerunt eum in deserto. [c]Confirmat proximam sententiam: quia scilicet immensa scelerū congerie toties Deum prouocauerint in deserto, vt millies perire necesse fuerit, nisi millies propitius illis fuisset Deus. [a]Quemadmodum ipse Mosi dicebat, En decem vicibus irritauerunt me, Numer. 14. d. 22. [M]Ideo Propheta non simpliciter dicit, Exacerbauerunt eum in deserto. Sed, Quoties exacerbauerunt eum in deserto? [c]Qua interrogatione magis emphaticè exprimit nullum fecisse peccandi modū. acsi diceret, [M] Quid conor omnem huius generationis malitiam, qua in Deum toties peccauit, complecti, quum nullus fuerit illius finis, sed perpetuus quidam ad ingenium recursus? [a]Infinitam ergo oportuit esse Dei misericordiam, quæ tantam impietatem diutissimè tulit. *In deserto.* [c]Deserti nomen, tam loci, quàm temporis circumstantiam in se continet, acsi ingratitudinem argueret Propheta quòd iam recentibus Dei beneficiis, imò quotidiano eorum aspectu, non saltem tereati fuerint: deinde violentam intemperiem damnaret, quòd intra breue tempus tot peccata cumulauerint.

41 *Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israelis circumscripserunt.*

Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum. [a]Hebraismus pro, Identidem & sæpius tentauerunt Deum. Vel, Iterato cursu tentauerunt Deum. [c]Neque enim verbum Reuerti mutationem hic significat, sed continuam peccandi seriem [M]Et repeti debet admirationis nota, Quoties Deum tentauerunt, &c. *Et sanctū Israelis circumscripserunt.* Vel, limitauerunt. [c]Pulchra metaphora exprimit quàm atroci contumelia Deum afficiant homines, ipsum tentando. Verbum enim תוה quo vtitur, propriè signare vel describere significat. Sed docet vbi pro sua libidine media Deo præscribere ausus est populus, fuisse quasi cācellis circundatum, & immensam eius potentiam infidelitatis angustiis fuisse conclusam. Et certè, quoties in suo sensu homines subsistunt, perinde est acsi Deum metiri vellent suo modulo: quod nihil aliud est quàm eum ex solio suo detrahere. Nobis enim subiicietur eius maiestas, si ita nostro arbitrio in ordinem cogatur. [M]Epitheton autem quod Deo tribuitur, quum sanctus Israelis dicitur, ad hoc facit vt summam generationis huius, & mirè impiam stupiditatē, Ingratitudinem & malitiam in eo notet Propheta, quòd non quemuis aliarum gentium Deum incredulitate sua toties prouocarunt & exasperarunt, sed eum qui se peculiariter Israelis esse Deum, tot signis & portentis, támque potenti brachio declarauerat, & qui hunc sibi populū ex omnibus reliquis totius orbis nationibus selegerat & sanctificauerat. Hæc erat auxesis malitiæ & impietatis peruersæ huius generationis.

42 *Non recordati sunt manus eius die quo redemit eos ab affligente.*

Non recordati sunt manus eius. [b]Accusat iterum impietatem & Ingratitudinem populi, quòd signa in Ægypto pro ipsis edita contempsissent. [c]Ex hac impia obliuione nascitur proteruia, & omnis rebellio. Manus Dei, pro virtute per metonymiam accipitur. Fuit autem in prima illa liberatione populi nouo & insolito modo extenta Dei manus. Quo magis detestabilis fuit populi impietas, in quam nunc inuehitur Propheta, pro nihilo ducere vel statim sepelire quod nulla vetustate obsolescere debuerat. [M]Porro quum dicit, quid patres nō fecerint, idque in illis reprehendit, satis ostendit quid facere debuerint, & posteros illorum facere velit. Docet posteros nunquam non debere recordari manus Dei, si cauere velint auitam hanc malitiam, qua patres tentarunt, exasperarunt, ac circumscripserunt Deum. *Die quo redemit eos.* [a]Vel, diei qua redemit eos. [M]Dierum in se facillima est obliuio, sicuti & cursus est euanidus. Eorum verò quæ in illis diuinitus aguntur, tanta debet esset æstimatio & pensitatio, vt euanescentia temporum momenta grauitate sua vel vtilitate, vel insolentia, memoriæ nostræ penitus & indiuulsè insculpāt & infigant. Quare hic disertè additur, Quo redemit eos. Et patribus commendatus fuerat hic dies præ cæteris omnibus, Exodi 12. c. 14, & 13. a. 3. Vnde laudantur Ezechias & Iosias qui diem illum penè abolitum renouasse scribuntur, 2. Paral. 30. a. 1. & 2. Reg. 23. c. 21. Cōtrà, qui illius diei obliti fuerunt, iusto Dei iudicio in aliam seruitutem & captiuitatem, nempe Babylonicam, detrusi sunt. *Ab affligente.* [a]Nempe Pharaone, qui tyrannicè Israelitas oppresserat.

43 *Quando posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Soan.*

Quando posuit in Ægypto signa. [a]Vel, Neque eius qui posuerat in Ægypto signa sua. *Et prodigia sua.* [a]Vel, mirabilia sua. [c]Iam aliquot commemorat potentiæ Dei exempla, quæ primò signa vocat, deinde prodigia: quo rursum perstringat fœdum populi stuporem. Quāquam autem rem vnam bis exprimit, in secundo tamen membro augmentum est: acsi diceret, inauditis modis ineussum tunc fuisse terrorem, qui non debuit tam cito ex populi animis euanescere. *In campo Soan.* [a]Vide huius Psalmi versum 12.

44 *Dum conuertit in sanguinem fluuios eorū, & fluenta eorum, ne biberent.*

Dum conuertit in sanguinem. [b]Quædam miracula Dei enumerat, quæ vt cautatissima tum fuēre, ita nō habuit necesse illa eo ordine recensere quo acciderunt. [c]Satis enim habuit notas historias in memoriam reuocare, quæ sufficerent ad detegendam populi malitiam & ingratitudinē. [M]Sic Infrà, 105. c. 28. vbi iterum istæ plagæ recensentur, nec iusto ordine, nec omnes ponuntur. Vt discamus in talibus rebus ordine recensendis non esse anxiè sudandum, præsertim quæ alioqui nemini non sunt notæ ac tritæ. [b]Narrat primò lacus Ægypti versos in sanguinem. Scribit siquidem Strabo libro 14 Ægyptū fossis, Nilū riuos recipientibus, vndique intersectam, vt vbique nauigabilis sit. Has fossas & lacus Scriptura יארים vocat. *Et fluenta eorum, ne biberent.* [a]Vide hanc historiam Exodi 7. d. 20.

45 *Misit in eos mistionem quæ vorauit eos, & ranam quæ perdidit eos.*

Misit in eos mistionem. [a]Vel, miscellam. id est, turbam miscellaneam ferarum. Quidam, omne genus muscarum, sub. venenatarum. [b]Hæc quinta plaga fuit, vt ranæ secunda. de quibus Exodi 8. d. 17. [M]Miraculum in hac plaga fuit, quòd iubente Domino muscæ istæ tanta vi in omnem terram Ægypti venerūt, vt statim omnia replerent: deinde quòd orante Mose, ne vna quidem superfuerit. *Et ranam quæ perdidit eos.* [M]Quòd fluuii ranas produxerunt, nihil erat noui. Nam hoc quotannis fieri videmus: at quòd id fiebat, Mose manum suam super Ægypti fluuios extendente, deinde tanta cum copia vt omnia adimplerēt & inficerēt: tertiò, quòd orāte Mose, idq; die ab ipso Pharaone designato, in vniuersum omnes sūt mortuæ, eadem miraculo seruierunt, & potentiam Dei declararunt,

Quæ perdidit eos. Intelligit infectionem & corruptionem terræ per aggeres mortuarum ranarum factam, & reliquam molestiam quam Ægyptiis ranæ istæ inferebant.

46 *Et dedit brucho fructum eorum, & laborem locustæ.*

Et dedit brucho, fructum eorum. Vel, prouentum eorum. Hoc malum in ordine quem Exodus habet, septimũ fuit. Scitè exprimit qua ratione singulariter hoc malum viserit, dicens, *Et laborẽ eorum locustæ.* Portentum fuit, non quòd locustæ apparuerint, sed quòd eum tanta támque horrenda multitudine, cum quanta nunquam in Ægypto, nec antè, nec pòst sunt visæ, extendente virgam suam Mose, totam vbique Ægyptum repleruntt: & ad orationem Mosis postea ita sunt ablatæ, vt ne vna quidem apparuerit amplius in cunctis Ægypti finibus. Et notandum est quòd Propheta Deum fructus ac labores Ægyptiorum locustis & bruchis dedisse dicit, vt sciamus labores ac fructus nostros in manu Dei esse, vt eos det quibus visum illi fuerit. Non poterunt animantia noxia quicquam de fructibus adimere, nisi illis à Deo detur.

47 *Et occidit grandine vitem ipsorum, & sycomoros ipsorum lapide grandinis.*

Et occidit grandine vitem. Vel, Et perdidit grãdine vineam eorum. *Lapide grandinis.* Vel maiuscula grandine. Quidam, Lapide glaciato. Hæc erat septima plaga, qua per vniuersam Ægyptum Deus quicquid in agris erat, tam homines quàm iumenta & fruges, ac virentia, demptis tritico & farre, quæ serotina erant, grandine percussit. Propheta de hominibus nõ meminit. Meminit autem historia quæ legitur Exod.9.f.25.

48 *Et tradidit grandini iumenta ipsorum, & pecora ipsorum lapidibus ignitis.*

Et tradidit grandini iumenta. Quidam vertunt, Conclusit in grandine iumenta ipsorum. Intelligit Propheta hanc tempestatem ea immissam esse celeritate, & tam quaquauersum extensam, vt nullum esset effugium. Nã modus iste loquendi significat quid penitus tradere, ceu inclusum eius manibus cui traditur. *Lapidibus ignitis.* Vel, Carbonibus ignitis. hoc est fulminibus. Significat non solùm vtcunque læsas fuisse huiusmodi arbores, sed prorsus extinctas, postea vt nihil attulerint fructus. Quidam addunt, ipsas quoque arborum radices hac grandine & frigoris vi planè enecatas. Notandum hic est, quanuis alias sæpius grandine aliisque corruptelis vltus fuerit Deus Gentium peccata, quicquid tunc accidit in Ægypto, fuisse extraordinarium, & nunquam antè auditum. Ideo pluribus verbis tam memorabiles Dei vindictas exaggerat Propheta, dicens

49 *Misit in eos indignationem iræ suæ, furorem, iracundiam & afflictionem, immissionem Angelorum malorum.*

Misit in eos indignationem iræ. Huc enim spectat verborum cõgeries, vt sopitæ mentes expergefiant ad iam densa miracula, quorum & numerus & præstantia cæcis ipsis est palpabilis. Sunt tamen qui hunc versum intelligũt de plaga pestis, quæ quinta erat. *Immissionem Angelorum malorum.* Notanter inseria est hæc particula, vt & magnitudinem iræ Dei, & plagarum atrocitatem intelligamus. Neque enim sine grandi Diuinæ maiestatis exacerbatione, & simul horrendis plagis fieri potest vt noxii spiritus non in vnum & alterum hominem, sed in vniuersam gentem ac regionem sæuituri mittantur. Dicit ergo Propheta, Deum iudicia hæc execuisse per Angelos. Etsi enim cælo & terræ certas imposuit leges suo arbitrio, & totum ordinem naturæ sic gubernat, vt singulis creaturis proprium sit munus suum, Angelos tamen, quoties visum est, ministros adhibet ad exequenda sua imperia, non consuetis vel naturalibus mediis, sed arcana & nobis incomprehensibili virtute. Quidam diabolos hic notari putant, eo quòd dicũtur Angeli noxii: sed ratio qua nituntur, parum firma est. Dicunt enim, Sicuti per electos Angelos sua beneficia nobis Deus dispensat: ita etiam per reprobos iram suam exequi, acsi essent eius carnifices. Quod si ex parte verum esse fatemur, perpetuum tamen esse negamus: quia in contrariam partem occurrunt plurima Scripturæ testimonia. Quis enim Assyrium, edita ingenti strage in eius exercitu, ab vrbis sanctæ obsidione repulit, nisi Angelus tunc datus Ecclesiæ præses? Sic & Angelus qui primogenita occidit, non tantùm iræ Dei fuit minister & executor contra Ægyptios, sed etiam populi saluti consuluit. Rursum quum auari & sanguinarii reges, vel potius latrones, cælum terræ miscerent, Daniel tamen pronuntiat præfectos illis fuisse sanctos Angelos, Dan.10.c.13. Etsi autem probabile est reprobis Angelis addictos fuisse ac mancipatos Ægyptios (prout digni erant) noxios tamen hic simpliciter accipere licebit ab effectu, quòd aduersis cladibus hostes populi Dei multauerint, vt eorum tyrannidem & sæuitiã reprimerent. Hoc enim modo iam cælestes electique Angeli quàm cacodæmones ministri noxarum verè censentur: sed diuersis modis: quia priores voluntarium Deo obsequium præstant: alii verò, quum semper inhient ad nocendum, & totum orbem euersum cupiant, idonea sunt organa malis infligendis.

50 *Direxit semitam iræ suæ: non prohibuit à morte animam ipsorum, & iumentum ipsorum in pestem conclusit.*

Direxit semitam iræ suæ. Vel, Viam fecit semitæ iræ suæ. Ad verbum, Librauit (seu ponderauit) semitam furori suo. Hebraismus, acsi dicat, Adæquauit, (siue minuit) semitam iræ suæ, vt citra impedimentum exagitaret impios. Vel, Direxit semitam iræ suæ, hoc est, patefecit sibi viam, vt malitiam illius populi vlcisceretur. Sustinebit nulla obstacula, ne quid moretur vel retardet eius vindictam. Significat Propheta irã Dei instar violenti torrentis inundasse totam Ægyptum, ne quam excusationem ingrato populo relinquat, quòd eam præclaris gratiæ sibi præstitæ documentis nõ fuit retentus sub Dei obsequio. *Non prohibuit à morte animam ipsorum.* Hebraismus, pro, Occidit eos. Non pepercit quin eos occideret. Quod non ita intelligẽdum est quasi & homines sint hac peste consumpti, sed ad sequentem & postremam plagam pertinet. Nulla nanque mentio de hominibus interemptis, in plaga pestis facta esse deprehenditur. *Et iumentum ipsorum in pestem conclusit.* Singulare pro plurali, Et iumenta eorum. Alii vertunt, Et vitam eorum pesti tradidit.

51 *Et percussit omne primogenitum in Ægypto, principium virtutum in tabernaculis Cham.*

Et percussit omne primogenitum. Hæc interfectio decima plaga fuit ex decem illis quibus percussa est Ægyptus. Historia habetur, Exodi 12. b.5. Portentosa erat quòd primogenitos tam hominum quàm animantium vno & eodem momẽto per vniuersam Ægyptum sustulit, & præterea neminem attigit. Deinde, quòd Israelitas non læsit. *Principium virtutum.* Vel, primitias fortitudinum. Ita vocantur primogeniti secundum communem & receptum linguæ Hebraicæ vsum. Nũ quũ ætatis decursu ad interitum declinent senes, quia tamen renouantur quodammodo in sobole, & vigorem iosa collapsum recuperant, transfertur Virtutis nomen ad liberos. Eius autem principium dicuntur primogeniti. sicut habetur, Gen. 49. a.3: & Deut.21. c. 17. *In tabernaculis Cham.* Vocat Tabernacula Chã domos Ægypti: quia Misraim, qui nomen regioni imposuit, fuit filius Cham, Genes.10 a.6. Porro gratuitum Dei amorem erga posteros Sem, Propheta hic commendat, quòd eos prætulerit omnibus filiis Cham, quum tamen nulla propria dignitate excellerent.

52 *Et transire fecit quasi oues populum suum, & deduxit quasi gregem in deserto.*

Et transire fecit. Vel, Et proficisci fecit. Et emisit, Et traduxit. *Velut oues.* Quidam, velut pecudes. Iterum paternum Dei fauorem celebrat erga electum populum, quem (vt alibi diximus) gregi ouium comparat, eo quòd nihil vel consilii vel opis ad se tuendum habuerit, nisi Deus pastoris munus ac partes suscipere dignatus foret. Hoc autem non vulgare est amoris specimen, quòd Deus eousque descendere gratatus non est vt oues suas pasceret. Nec verò imbellis multitudo quicquam aduersus hostes robustos ac bellicosos poterat. Scimus enim ad tempus sordidis opificiis addictum fuisse populum illum, quasi damnatus esset ad metalla vel lapicidinas. *Et deduxit quasi gregem in deserto.* Complectitur his verbis & versu sequenti historias deserti, per quod deductus est Israel annis 40. Nec obstat quòd Deus Israelitas variis modis afflixerit ac prostrauerit, ita vt ex omni illo eorum numero qui ad bellandum apti recensiti fuerant, duo tantùm in terram Chanaan peruenerint. Nam Propheta in eo non est vt populi qualitatem, qui se magis suum quàm ouium more in deserto gessit, sed vt diuinæ prouidentiæ benignitatem exprimat.

53 *Et deduxit in tuto, & non timuerunt: & aduersarios eorum operuit mare.*

Et deduxit in spe. Vel, confidenter, siue, cum summa fiducia. Dicit hic fuisse deductos sine metu: non quòd securè ipsi tranquillisque animis in Deum recubuerint: sed quia duce & custode salutis suæ Deo, non habuerint iustam timendi causam, nisi eos sua infidelitas ad trepidandum compulisset. Vnde obstreperæ illæ voces, Cur nos coëgit Deus in has angustias? Annon erant sepulchra in Ægypto? Exodi 14 c.11. Non ergo ad sensum populi refertur securitas, sed ad Dei præsidiũ, quo factum est vt hostibus demersis pacati in deserto quiescerent. *Et aduersarios eorum operuit mare.* Dicere poterat, Et Ægyptios operuit mare, sed inimicos dicere maluit: vt sciamus inimicos populi Dei certum manere exitium. Adhæc Israelitarum potius quàm Dei aduersarios dicere voluit, vt iterum expendamus, quàm populi sui inimicos Deus, tanquam inimicus inimicis ipsius, ferre nequeat. Et hunc animum pollicitus est Deus populo suo, dicens, Quòd si audieris vocem meam, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, Exodi 23. c. 22.

54 *Et adduxit eos ad terminum sanctitatis suæ, montem hunc quem acquisiuit dextera eius.*

Et adduxit eos ad terminum sanctitatis. Clausula hæc fuit liberationis, locare eos in possessione terræ Chanaan, cuius se ingressu prohibuerant, nisi Deo fuisset decretum, superata eorum prauitate, numeris omnibus absoluere quod cœperat. Itaque duobus hisce versibus omnem eam historiam comprehendit quæ Numer. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 31. 32. scribitur. Deinde & toto volumine Iosue promissæ terræ accessum, acquisitionem, diuisionem, & possessionem describit. *Ad terminum sanctitatis.* Hoc est, ad terram quæ antè polluta fuerat, & quæ aluerat pessimos incolas, quam Dominus sibi elegit, & voluit illic extare purum nominis sui cultum, vt illic purè & sanctè coleretur. Atque ita terram illam populo suo assignans Deus, sibi consecrauerat. Vnde turpius apparet flagitium populi, qui eadem inquinamenta illuc intulit, quibus olim polluta fuerat. Cuius enim fuit dementiæ, quum sciret populus Israel expulsos fuisse ob sua scelera veteres incolas, cum ipsis omni scelerum genere certaret: acsi de industria propositum esset in se accersere quam in aliis prospexerat Dei vindictam. *Montem hunc.* Quidam non rectè hoc ad totam terram extendunt, quæ etsi montuosa erat, habuit tamen regiones planas & æquabiles satis amplas & longas. Quare dubium non est quin amplificandi causa montem Sion, vbi domicilium sibi & primam sedem elegerat Deus, honorificè addiderit. Fatemur quidem Synecdochen esse: modò teneant lectores locum disertè exprimi, ex quo, velut ex fonte, manabat totius terræ sanctitas. *Quem acquisiuit dextera eius.* Vel, possedit. Hoc dicit Vates, ne se efferant Israelitæ, quasi proprio marte terram acquisierint, vel eius possessione fruantur: sicuti Suprà, 44. a.4. dictum fuit: Quia non in gladio suo facti sunt hæredes terræ, nec brachium eorum seruauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & lumen vultus tui quia dilexisti nos.

55 *Et expulit à facie eorum gentes, & proiecit eas in sortem hæreditatis, & habitare fecit in tabernaculis ipsorum filios Israel.*

Et expulit à facie eorum gentes. Vel, Et eiecit à facie eorum gentes. Modum explicat quo in possessionem terræ admissi sunt Israelitæ. Vide Iosue 12. c.9.d.24, vbi nomina & loca regum per Iosue occisorum citra & vltra Iordanem, numero 31. commemorantur. *A facie eorum.* Acsi diceret, neque populum Israel adeò fuisse bellacem, neque gentes illas tam fuisse timidas, nisi parta fuisset victoria, Dei auspicio ac virtute. Adde quòd legitima non fuisset possessio, nisi Deus spoliatis prioribus incolis, in ius & locum eorum succedere alienos voluisset. *Et proiecit eas in sortem hæreditatis.* Quidam, Et cadere fecit eas in funiculo hæreditatis. Id est, prostrauit gentes in sua hæreditate. q. d. Partim expulit gentes, partim in suis finibus occidit. Alij vertunt, Proiecitque eis sortem hæreditatis. Vel, Et in funiculo diuisit eis hæreditatem. id est, habitare fecit eos in hæreditate promissa. Alij, Et cadere fecit eos in funiculum hæreditatis. acsi diceret, Quod gentes prius habebant iure legitimo, hoc Dominus ad vos transtulit, quasi esset vobis hæreditarium. Agri funiculis & sorte missa diuidi solent: hinc Mittere sortem & funiculos, sæpe pro tradere possessionem, Scriptura vsurpat. De quo & in Psalmo 16. b.5. Simplex itaque sensus est, quòd Dominus tradidit Gentes Israelitis in possessionem, quasi legitimi essent ipsarum hæredes. *Et habitare fecit.* Q. d. Non solùm induxit eos in terram Chanaan, eiectis illius gentibus, & hanc illis dimisit: sed & hoc dedit, vt in tabernaculis ac sedibus eiectarum gentium quietè habitarent. Nam hoc illis promiserat. Hac de re sic legimus, Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram quã traditurum se patribus eorum iurauerat: & possederunt illã, &c. Iosue 21.d.43.

56 *Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.*

Et tentauerunt. Hic iam Propheta malitiam Israelitarum describit, qua contra Deum in ipsa terra quam ipsis, eiectis illius incolis, ad habitandum iam tetè eos dederat, peccauerunt. Quid sit Deũ tentare, diximus versu huius Psalmi 18. *Et exacerbauerunt Deum excelsum.* Hoc est, irritauerunt Deum, seu ad iram prouocarunt. *Et testimonia eius non custodierunt.* Et, pro, quia. q.d. Deum ad iracundiam prouocarunt, quia fœdus eius non custodierunt. Hac particula melius conuincitur aperta & crassa rebellio, quòd familiariter de officio suo edocti, recusauerint tamen Deo subesse. Nam & Legem vocat testimonia, quòd hac paciscendi formula Deus populum illum sibi deuinxerat, sicuti certis legibus inter se conueniunt homines. Quanquam autem his verbis non leuiter eos perstrinxit, apostasiam tamen & perfidiam illis postea obiiciens, cumulum reatus adiungit. Adoptauerat eos Deus sibi in populum, contempto eius fauore vltrò se abdicant. Collegerat eos sub alas suas, petulanter ad dissipationem ruũt. Pollicitus fuerat se illis fore Patrem, recusant filij esse. Viam illis salutis mõstrauerat, sponte se in exitium errando proiiciunt.

57 *Et auersi sunt, & perfidè egerunt, sicut patres sui: reflexi sunt quasi arcus dolosus.*

Et auersi sunt. Cõcludit Propheta, populum hunc omnibus seculis impiũ fuisse & sceleratũ. q.d. Non solùm tentauerunt & exacerbarunt Deum, in eo quòd contestationes eius nõ custodierunt, sed corde quoque auerterunt se, & declinarunt à Deo, sicuti & patres eorum, quorum corda non erant recta cum Deo. *Sicut patres sui.* Notandum iterum hic est, nullum damnari atrocius crimen in posteris, nisi quòd patribus nimium fuerint similes: ne quem decipiat peruersa imitatio, acsi iustæ excusationis esset clypeus. *Reflexi sunt quasi arcus dolosus.* Aptissima similitudine Israelitarum auersionem & leuitatem exprimit. Dicitur arcus fallax, qui scopum præfixũ non ferit, sed vel ad dexteram, vel ad sinistram præuaricatur, & iaculum frustra & contra sagittantis spem emittit. Id quod fieri solet, quando vel ipse iustam rectitudinem nõ habet, vel in manu sagittantis distorquetur, & à iusto tenore deflectitur. Sicut ergo falluntur iaculatores qui arcum malè firmum vel malè intensum habent, vel obliquum vel flexibilem: ita dicit Propheta reflexum fuisse hunc populum, & lubrica flexuosaque versutia elapsum, ne manu Dei tegeretur. Vsus est hac similitudine & Oseas, cap.7.d.16.

58 *Et ad iracundiam prouocauerunt in excelsis suis: & in sculptilibus suis ad iram eum concitauerunt.*

Et ad iracundiam prouocauerunt. Vel, Irritauerunt. Notat hoc versu fructum auersionis & præuaricationis, cuius versu præcedenti meminit. Is est falsos cultus. Satis superque admoniti fuerant Israelitæ peruerti & contaminari Dei cultum, nisi ab eius verbo penderent: nunc tota Lege postbabita, ad sua figmenta prorumpunt. Atque hos fructus semper producit Legis contemptus, vt crassis superstitionibus se addicant qui sequi proprium sensum quàm Deo se subiicere malunt. Duobus autem modis vitiatum fuisse Dei cultum conqueritur: primo, quòd Dei gloriam deformauerint, idola & sculptilia sibi fingẽdo: deinde quòd ad Deũ placãdũ extraneos & vetitos ritus excogitauerint. *Et in sculptilibus suis.* Putabant Deum magno honore afficere, si quæ haberent sculptilia quibus diuinæ maiestatis admonerẽtur: sed miseri non expendebãt quàm chara Deo esset sua Lex, quæ huiusmodi simulachra & imagines, tanquam res omnium fœdissimas & maximè execrandas, damnat, ac fieri vetat. Sed sapientia carnis facilè argumenta reperit quibus contra verbum & contestationem Dei falsos cultus in speciem ornet & tueatur. At hoc est stultescere, frustrari, & euanescere cogitationibus carnis, Rom. 1.c.21.

59 *Audiuit Deus, & iratus est, & execratus est valde Israelem.*

Audiuit Deus, & iratus est. Vel, commotus est. Vel, exarsit, excanduit. Rursus ostendit Propheta, quum videret Deus se nihil tolerantia proficere, qua non sine ludibrio abutebatur populus ad peccandi licentiam, seuerat de eo pœnas sum-

pisse. Audiuit, inquit, Deus. [M] Sed quid audiuit, quum nihil verborum præcessisse legatur? Respondemus, auditum Dei non ad verba tantùm referri, sed ad cogitata & verba. Habent enim cum ea quæ bene, tum quæ male vel cogitantur vel aguntur, vocem suam quæ ad aures Dei in cœlos ascendit. Sic facinus Cain ad Deum clamauit, Gen. 4.b.10, & desideria pauperum exaudit Deus, Suprà, 11.d.16. [C] Interea similitudo quam hic sumit Propheta à iudicibus terrenis, frequenter occurrit in Scriptura. Audire enim dicitur, non quòd inquisitione opus sit, sed quia non temere ad sua iudicia prosilit, nequis putet esse præcipitem. Summa est, populum sua scelera continuasse, vt tandem clamor in cœlum ascenderit. [M] Nam quòd testimonia Dei non custodiebant, quòd se ad exemplum paternum auertebant, & excelsa erigebant, ac sculptilia, hæc omnia quauis voce quantumcunque sonora vocaliora erant, & de impietate populi eius in aures Dei vociferabantur. Ad hæc, iratus hic & commotus fuisse dicitur, ne putemus cum impiis nihil referre apud Deum quid quisque faciat, & vanum esse quicquid de obseruantia Dei præcipitur. *Et exacerbatus est valde Israelem.* [V] Quidam, Et spreuit valde Israelem. Vel, Proiecit, execratus est, abominatus est valde Israelem. Alii, Abhorruit ab Israele. [M] Notatur hic pœna quam de hac peccatrice natione sumptam testatus est iudicum liber. Nam Israelem Deus vehementer auersatus est, quando illum primùm in manum regis Mesopotamiæ 8 annos tradidit, è cuius primùm ditione patres eorum fuerant educti, cuius Iosue eos admonuisse legitur, Iosue 24.d.14. Deinde per regē Moabitarum iterum annos 18 afflixit. Tertiò, regi Chanaan, quartò Madianitis, quintò Philisthæis & Ammonitis, sextò, iterum Philisthæis annos quadraginta subiecit. Toties abiicere quid aliud erat quàm vehementer auersari?

60 *Et deseruit habitationem Siloh, tabernaculum vbi habitauit inter homines.*

Et deseruit habitationem Siloh. [A] Vel, (vt quidam vertunt) Propterea dereliquit tabernaculū Siloh. [C] Ipsa pœnæ grauitas culpæ Israelitarum atrocitatem arguit. Postquam enim dixit Israelem, quem Deus tantopere dilexerat, fuisse abominatum, subiicit fuisse etiam orbatum & spoliatum præsentia Dei, quæ vnica erat eius fœlicitas, atque etiam in malis solatium. Fuit igitur hæc Israelis detestatio, quum Deus arcam fœderis aliò abripi passus est, acsi ipse migrans à Iudæo populo valediceret. Certum quidem est non fuisse Deum visibili symbolo affixum: sed quia hanc suæ cum populo coniunctionis tesserā dederat, illa ablata se quoque discedere testatus est. Vide historiam 1.Sam 4.c.11. *Vbi habitauit inter homines.* [M] Admirabilem illam *quasi Sponsionem* Dei Propheta expressit, qua factū est vt Excelsus ille, quem cœli cœlorum capere nequeunt, inter filios hominum habitare voluerit. [C] Modus tamen habitandi notandus est. Quamuis enim impleat Deus cœlum & terram (Ierem. 23.c.24) quia tamen ad immensam eius altitudinem non pertingimus, sua virtute & gratia ad nos descendens, quoad expedit, & modulus noster ferre potest, propinquum se nobis facit. Est autem valde emphatica loquutio, Deum continuis populi sceleribus ita fuisse offensum vt locum quem vnum in terris delegerat, coactus sit deserere.

61 *Et dedit in captiuitatem robur suum, & pulchritudinem suam in manum affligentis.*

Et dedit in captiuitatem robur suum. [V] Vel, Fortitudinem suam. [M] Arcam Testamenti vocat hic robur ac pulchritudinem Dei, non quòd per hanc Deus fortis fuerit ac gloriosus, quasi externo signo alligata fuerit eius virtus: sed quòd præsentis sua virtutem ac gloriam suam Israeli declarauit, vt rectè hanc Israelis robur ac decorem fuisse dicas. [C] Ergo quatenus antea Deus se hostibus opposuerat, gratiam, qua tutatus est populum, quodammodo captiuam esse voluit. Neque tamen hoc refertur ad Philisthinos, quasi Deo potiti fuerint: sed intelligit simpliciter Propheta spoliatos & nudatos fuisse Israelitas Dei præsidio, atque ita venisse in hostium potestatem, non secus ac duce capto profligatur exercitus. *Et pulchritudinem suam.* [V] Vel, decus suum, magnificentiam suam, decorem suum. [C] Vocatur arca pulchritudo Dei quia quum per se esset inuisibilis, formam illam induerat, vel speculum illud statuerat in quo posset cōspici. [M] Sic alibi Scriptura vocat Arcam virtutem ac decorem Dei. 1. Paralip. 16.b.11. Vxor quoque Phinees filii Eli dicebat, Translata est gloria Domini de Israel, quia capta est Arca Dei, 1.Sam. 4. d.21.22 Et Suprà 24. b. 7. 8, audiuimus Arcam Dei, regem gloriæ, & Dominum virtutum, fortem ac potentem vocari. [C] Quanquam autem durius est ac in speciem absurda hyperbole, robur Dei fuisse captum à Philisthinis, consultò tamen posita est ad scelus populi aggrauandum. Nam quum brachii sui potētiam ad populum iuuandum magnificè proferre solitus esset, grauissimis sceleribus offensum esse oportuit quum passus est symbolum illud virtutis suæ violenter à profanis gentibus abripi. Quod autem de Silo hic refertur, Ieremias ad omnes spectare docet qui vano præsentiæ Dei obtentu fallaciter superbiunt. Ite in Silo, inquit, & videte quātæ ignominiæ dānauerit Deus locum illū vbi olim resplenduit eius maiestas, Ierem. 7. c.12. Ideóque nisi sincerè qua decet reuerentia Deum excipimus, dum familiariter ad nos accedit, metuendum est ne idem nobis quod Silonitis contingat. Quo ridiculor est Papæ & suorum iactātia, qui Romanā sedem hoc solo titulo extollūt quia Romæ olim floruerit Ecclesia. Quasi verò Christus non fuerit natus in Bethlehē, educatus in Nazareth: quasi in Capernaum & Ierusalem non habitauerit & concionatus sit, quarum vrbium vastitas horribile est iræ Dei theatrum. [M] Postremò notādū est Scripturæ morē esse vt nomina rerū ipsarū signis tribuat. Arca illa lignea certè nec Deus erat, nec robur, nec decor Dei: (quod vel hac historia patuit, quæ capta & in manus impiorū tradita describitur) & tamē in Scripturis ita vocatur. Assuescamus & nos huiusmodi loquēdi modis, vbi de symbolis gratiæ quæ à Christo accepimus loquendum est. Vide Suprà, 68.a.2.

62 *Et inclusit in gladium populum suum, & hereditati suæ iratus est.*

Et inclusit in gladium populum suum. [A] Vel, Tradidit item gladio populum suum. [C] Alias cladis partes, quæ accepta fuit sub Sacerdote Eli, commemorat. [A] Profectò sæuissimum bellum fuit, & verè populus à Deo hostibus gladio traditus & addictus: ceciderunt enim vno prælio ex populo triginta millia. [M] Notandum hoc loco vnde sint clades bellicæ, & quis in manu sua habeat & militem & gladium, victoriam & interitum: ita vt quam velit pugnantium partem gladio concludat, nequo pacto effugere queat: nempe Dominus ille exercituum. *Et hereditati suæ iratus est.* [M] Populum & hæreditatem Dei dixit Propheta potiusquam Israelitas, primùm, vt præposteram illam fiduciam auferret, qua securi ad peccandum & ad impœnitentiam ex eo reddebantur quòd essent populus & hæreditas Dei, quasi nullo modo passurus esset Deus opprimi populum & hæreditatem suam. Quāē securitatem etiam ex eo conceperant quod essent semen Abrahæ. Vnde Iohannes ad eos dicebat, Ne dicatis intra vos, Semen Abrahæ sumus, &c. Matth. 3.b.9. Vide item Ioh. 8.c.39. Deinde Propheta inculcare voluit quàm grauis sit impietas si populus Dei à Deo ipso auersus idololatriæ se crimine polluat. Leuit. 26.d.25, minatus fuerat eis gladium vltorem fœderis sui.

63 *Electos eius vorauit ignis, & virgines eius non sunt laudatæ.*

Electos eius vorauit ignis. [F] Arcæ discessu Deus ostendere voluit subductam esse suam gratiam à populo, quod effectu cōprobatū est, quando quicquid floris fuit vorauit ignis. [A] Hoc est, vis belli summæque vltionis. Ignis enim hic (vt aliàs sæpe) pro ira Dei metaphoricōs accipitur. [C] Hostili enim gladio perierunt electi Israel vsque ad triginta millia, non autem incēdio, 1.Sam. 4.b.10. Sed hoc modo vis repētina ad terrorem exprimitur: acsi diceret citò fuisse vorasos, vt flāma solent quisquiliæ. *Et virgines eius non sunt laudatæ.* [C] Stragem alia figura cōfirmat, quòd virorum penuria virgines innuptæ māserint. Dicit enim non fuisse laudatas vel celebratas, scilicet epithalamiis, quæ in nuptiis canere solebant. [M] Benedictio Domini est si copia sit iuuenum, & fœcundum posteritatis incrementum. Rursus signum est diuinæ vltionis si iuuenum strages fiat, & virgines nuptiis priuatæ, conseruandæ posteritati non seruiant. Quidam vertunt, Virgines non fuerunt honoratæ, sub. nuptiis. Alii, nuptiis traditæ. [A] Sed prior lectio magis arridet. [M] Exprimit enim non solùm iuuentutis, è qua mariti erant accipiendi virginibus, casum & interitum, sed & publicum illum luctum, quo ablatæ erant è medio vox sponsi & sponsæ, & epithalamia illa quæ in nuptiis decantabantur. Vide Ierem. 7.g. 34. & 16.b.9, & 25.c.10. Lætitia illa nuptialis, si modus seruetur, pia est innoxia: at irascente Domino etiam illa aufertur.

64 *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt, & viduæ eius non lacerymæ.*

Sacerdotes eius in gladio ceciderunt. [M] Indignitatem auget quòd

sacerdotes ipsi, quos Deus peculiariter in suum patrocinium receperat, promiscuè cum aliis perierint. "Porro quæ fuerit sacerdotum vsus in bello, Moses ipse expressit Deut. 20.a.2, Appropinquante prælio stabit &c. Sed tum quum victi fuerunt Israelitæ, vel non erat eundum sacerdoti ad bellum, vel non erat spes facienda victoriæ, nec promittenda Domini exercituū præsentia, sed magis interminanda diuina vindicta. Et id faciendum erat sacerdotibus in eo bello cuius hic fit mentio, si quidem muneri suo inuigilassent. *Et viduæ eius non lacrimarunt.* "Vel, non fleuerunt. Alii, non sunt deploratæ, aut defletæ. "Significat Propheta sacerdotum viduas vel vno tempore mœrore fuisse extinctas (sicuti de vxore Phinees filii Eli principis sacerdotum legimus, 1. Sam. 4. d.20.) "vel, quum abductæ essent ab hostibus, prohibitas fuisse à luctu. His autem verbis in summa docere voluit nihil residuum fuisse ad extremam malorum congeriem.

65 *Et expergefactus est tanquam dormiens Dominus, tanquam fortis clamans præ vino.*

Et expergefactus est tanquam dormiens. "Videbatur Deus planè obdormisse vbi populum suum & Arcam in manus hostium permiserat: at vbi de hostibus victoribus graues pœnas sumebat, euigilasse tam, & instar viri bellatoris vino ad furendum ac sæuiendum accensi, in hostes ferri ac quosuis prosternere visus est. Quanquam sunt qui hæc Israelitarum respectu dicta esse interpretantur, sicuti statim videbimus. *Tanquam fortis clamans præ vino.* "Alii, tanquam potens clamans à vino. "Vel, post vinum. Id est, vbi obdormiuit crapulam. "Hæc similitudo ebrii hominis, quanuis asperior, non abs re tamen posita est, quia accommodatur ad populi stuporem. Nam si pura fuisset ac defæcata mente, non ita se transformasset Deus, nec sumpsisset alienam personam. Eum ergo coegit populi ebrietas, hoc est socordia, vt se homini ebrio conferret: quod ipsis valde pudendum fuit. Quod ad Deum spectat, nihil eius gloriæ derogat similitudo. Videtur sopitus esse nisi maturè remedium adhibeat malis nostris. Vnde autem sopor, quū fortitudine gigantes omnes superet, quibus facile est perferre longas vigilias, & qui modico somno contenti sunt? Cessatio eius perinde accipitur à stupidis acsi attonitus esset ipse. Dicit autem subitam excitationem Dei magis turbulentam fore quàm si primo momento manum suam exeruisset, quemadmodum si gigas temulentus, necdum exhalata crapula, repente à somno surgat.

66 *Et percussit aduersarios suos retro, opprobrium æternum posuit in ipsis.*

Et percussit aduersarios. "Sunt qui hoc de Israelitis dictū esse volunt, acsi diceret, Effecit Deus vt Israel verteret terga hosti, fugiendóque vulnera acciperet. Vel, Israelem egit in fugam, effecitque vt hostis percuteret eos qui erant in postrema acie. Alii de Israelitarum hostibus exponunt. "Si arrideat prior sensus, non mirum erit Israelitas vocari Dei aduersarios, sicuti apud Esaiam, Heus ego me de hostibus meis vlciscar, cap. 1.f.24. Sensus autem erit, magno constitisse Israelitis quòd ex Dei patientia plus licentiæ sumpserant, quia repente expergefactus maiore impetu in eos irruit. Sed quia Prophetas videmus ex Mose haurire suam doctrinam, verba etiam formare ad illud exemplar, non minus probabilis est eorum opinio qui de Philisthinis accipiunt, quia videtur hunc ordinem ex Mosis cantico mutuatus Propheta noster, vbi Deus non ita se pœnas exigere de populo suo pronuntiat quin rursus compescat hostes suos, Deut. 32.d.27. Nam quia vulgari prouerbio fertur incertos esse bellorum exitus, si nulla sequuta fuisset mutatio, poterat hæc pœna esse obscurior: vbi autem afflictis Israelitis victores Deus sine hominū manu præter spem mundi & consuetum vsum aggreditur, hinc melius apparet nonnisi diuinitus prostratos fuisse Israelitas. Interea admonet simul Propheta necessitate compulsum fuisse Deum ad sumendam duriorem pœnam: quia Philisthinos deinde castigans, fœdus suum, cuius vsdem oblitus poterat, præclarè asseruit. Quanquam enim quodammodo se Philisthinis ad tempus adiunxerat, noluit tamen prorsus amorem abiicere erga Abrahæ filios, ne irrita esset eius fides. *Retro.* "Vel retrorsum. "Quod Propheta hic narrat retrò percussos fuisse hostes, multi ad plagam Philisthinis inflictam restringunt, 1. Sam. capite 5.d.12. Et conuenit nomen æternæ ignominiæ, quia dolor ille in anis vlcerosis probrosus fuit. Sed quum sensum simpliciorē admittant verba, fuisse à tergo percussos, hoc nos in medio relinquimus". *Opprobriū æternū posuit in ipsis.* "Vel, dedit eis, tradidit eos. "Notāda hic est dexteræ Excelsi mutatio.

Passus est ad tempus probro affici nomen & gloriam suam, & robur suum captiuum in hostium potestatē abduci, & interea hostes de accepta victoria & spoliis illis sacrorum populi sui exultare & insolescere: verùm vbi iam omnia secura videbantur, tam insigni eos probro affecit vt illius nulla sit vnquam futura obliuio. Huc etiam fecerunt donaria illa aurea; quæ, quum Arcam redderēt, in perpetuam acceptæ plagæ memoriam adiecerunt. "Sic solet Dominus impiis vice virgæ ad castigandum suos vti, vt mox ipsos suæ virtuti omnia adscribentes penitus deleat. Quo exemplo discamus omnem diuini nominis ignominiam in eos tandem vbertim casuram à quibus diuina maiestas ad tempus obscuratur.

67 *Et reprobauit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit.*

Et reprobauit tabernaculum Ioseph. "Vel, spreuitque tentorium Ioseph. Qui putant Israelitas nuper vocatos fuisse hostes Dei, contexunt hos versus, acsi diceret Propheta incurabile fuisse quod illis vulnus Deus inflixit. Nos verò qui in diuersam sententiam magis inclinamus, nempe vbi Deus duriter mulctauit Philisthinos, palam fecisse non esse irritum fœdus suum cum populo, cuius tam seuerus erat vindex: possumus interpretamur correctionis vice hoc fuisse additum, acsi diceret Propheta non fuisse placatum impiis defectoribus, quin pœnarum reliquiæ extarent. Hæc igitur contextus ratio est, Quum à Philisthinis capta fuit Arca, Deum quodammodo fuisse sopitum, quia populi peccatis inebriatus fuerat, ne ad illum tuendum suo more excubias ageret. neque tamen diu obdormiuisse in somno, sed quum gens profana eius gloriæ insultaret, tam atroci iniuria fuisse commotum: perinde acsi gigas in media crapula expergefieret. neque tamen sic fuisse commotum in gentem profanam & incircuncisam quin signa aliqua castigationis in scelesto & ingrato populo Israel vsque in finem extarent. Huc tendit reprobatio de qua nunc loquitur, priuatos fuisse Israelitas honoris priuilegio quo antè Deus ipsos ornauerat, dum Arcam suam altò transferri voluit. Duo igitur capita hic notanda sunt, quum turpi vlcere percussi sunt Philisthini, claro documento apparuisse nonnisi Deo volēte Israelitas fuisse ab illis deuictos. Neque enim nouas vires recuperauit Deus, vel exercitum nouum collegit, vt paulopost sunaderet victores, neque ad eam rem adiutus fuit alienis opibus. Alterum caput est, quamuis Deus manum exeruerit contra Philisthinos, vt sui aliqua fœderis sui memoria & electi populi cura adhuc vigere probaretur, non tamen sic restituisse populum Israel quin desertio Silo perpetuum iræ suæ monimentum foret. Reprobauit igitur tribum Ephraim, non quòd eos abdicauerit in totum, vel absciderit à reliquo Ecclesiæ corpore: sed quia amplius noluit illic residere Arcam suam. Nam tribui Ephraim opponitur tribus Iehudah, vbi suum domicilium postea elegit Deus. Hoc modo incipit ostendere Propheta, quum statio data fuit Arcæ fœderis in monte Sion, quodammodo renouatum fuisse populum: & dato reconciliationis symbolo, in gratiam vnde exciderat postliminio rediisse. Israelitas enim, quum Deus eorum culpa quodammodo exulasset, ac captiuum fuisset eius robur, hoc memoriali doceri voluit fuit, sic displicuisse eorum scelera vt præ fastidio, prioris domicilii aspectum non ferret. Etsi autem post diuturnum illud (quo magis sollicitè sibi in posterum caueret populus) non fuit integra solidáque instauratio, non vulgaris tamen clementiæ fuit, Deum fixā Arcæ suæ sedem rursus deligere. Quod autem in Gath & Accaron aliisque locis peregrinata est Arca post reditum, vsque dum miraculo monti Sion ostensus fuit, medii illius temporis non habetur ratio: quia Prophetæ consilium fuit tam pœnæ exemplum quàm insperatam Dei gratiam memoriæ mandare. Tamen tenēdū etiā est quod sæpius repetitur apud Mosen, vbi locum elegerit Deus tuus in quo inuocet eius nomen. Quia autem propter diuturnum hospitium Silo famā illam vulgò obtinuerat, vbi ad hostes traducta fuit Arca, in aliam spem erectæ fuerunt hominum mentes donec cognita esset loci electio. Quanquam autem non rejectæ tunc fuerunt decem tribus, quibus & regnum & sacerdotium commune erat cum tribu Iehudah, postea tamen successu temporis eos abscidit sua defectio. Atque hæc causa est cur odiosè dicat Propheta reprobatam fuisse tribum Ephraim, nec electam fuisse tribum Ioseph, vnde illa trahebat originem.

68 *Sed elegit tribum Iehudah, montem Sion, quem dilexit.*

Sed elegit tribum Iehudah. "Hoc est, Gloriam illā quæ fuerat in Ephraim, vtramque tam cultus quàm principatus, transtulit

ad Iudam. Nam Arca fœderis à Philisthæis reddita nõ est reducta Silo, quæ in tribu erat Ephraim, sed mansit vsque ad regnũ Dauidis in Kiriath-Iearim. Ita reiecta est tribus Ephraim, & tabernaculum Ioseph, & electa tribus Iehudah, in qua perpetuum domiciliũ sibi Dominus delegit, extructum vt excelsa regia, & fundatum vt terra quæ nunquam mouetur. Ad hanc tribum Iehudah reliquo populo Deus prætulit, regem sibi ex ea deligẽs, quem Israelitis omnibus non minus quàm Iudæis præficeret. Hoc Iacob patriarcha futurum prædixerat, Gen. 49. b. 8. 10. *Montem Sion.* Ierusalem intelligit in qua Deus sedem suo Sanctuario assignauit. *Quem dilexit.* Ne causa extra Deũ quæreretur, gratuita eius dilectione factum esse Propheta docet vt mons Sion, posthabitis omnibus suis locis, tanta præstantia ornatus fuerit. Relatiuum enim causalis aduerbii loco ponitur: acsi dixisset non in loci dignitate sed in mero Dei beneplacito fundatum illic fuisse Dei Sanctuarium. Neque enim minus gratuita esse debuit posterior hæc restitutio quàm prima adoptio populi, vbi Deus cum Abraham fœdus suum pepigit, vel populum redemit ex Ægypto. Dilectio autem loci respectum habuit ad homines. Vnde sequitur mera Dei gratia & liberalitate semper ab initio collectam fuisse Ecclesiam: quia neque in hominibus reperiri vnquam potuit intrinseca dignitas, & res est pretiosior quàm vt pendeat à virtute hominum. Sic in Mose dicitur, Dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos, Deut. 4. f. 37. Item, Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, quum omnibus sitis populis pauciores, sed, quia diligit vos &c. Ibidem, 7. b. 8. Notandum hoc loco quàm non semper soleat Deus confestim ac repente iudiciorum suorum facere executionem. Nam inter reprobationem Ephraim & electionem tribus Iudæ ac montis Sion, intercesserunt anni principatuum Samuelis ac Saulis, itaut demum sub Dauide translatus sit & tabernaculi & principatus honor ad montem Sion. Ita quum Saulem reiecisset & Dauidem elegisset, nihilominus aliquot annos durabat Saul in regni administratione, vt nihil videretur minus quàm reiectus: & Dauid nihil minus quàm in regem electus, quippe profugus & exul.

69 *Et extruxit quasi excelsa Sanctuarium suum, quasi terram quam fundauit in seculum.*

Et extruxit quasi excelsa. Quidam sic vertunt, Et ædificauit sicut palatia excelsa, Sanctuariũ suum. Nihil aliud his verbis intelligit Propheta quàm montem Sion donatum fuisse insigni pulchritudine, quæ tamẽ ad cœleste exemplar referri debet. Neque enim vel in splendore ædificii, vel in cæremoniarum pompa occupari voluit Deus suorum mentes, sed attollere ad Christum, in quo exhibita fuit vmbrarũ veritas. Ideo dicit extructum fuisse Sanctuarium quasi excelsa, hoc est conspicuum fuisse inter sublimes omnes montes. sicuti Esaias & Michæas (Esa. 2. a. 2, Mich. 4. a. 1.) vbi vaticinãtur de noui & spiritualis Templi instauratione, dicunt locandum esse in vertice montium, vt emineat supra omnes colles. Et scimus arces tũc fuisse in locis editis. *Quasi terram quam fundauit in seculũ.* Dicit extructum fuisse Sanctuarium sicuti terram quæ perpetuò fundata est: acsi diceret illud nõn esse temporale ædificium, vt solent reges ædificare palatia, sed duraturum vsque ad finem mundi. Comparat enim montem Sion vniuerso orbi. Etsi enim singulas regiones vel concuti, vel chasmate perire, vel motu aliquo violento turbari, vel aliquam mutationem subire cõtingit, corpus tamen ipsum terræ stabile firmúmque manet: quia altis radicibus nititur. Significat igitur Propheta nõ esse temporale ædificium de quo loquitur (qualiter sumptuosa regum palatia aut vetustate concidunt, aut obnoxia sunt variis excidiis) sed fundatum esse vt stet integrum vsque ad mundi finem. Siquis excipiat Tẽplum illud à Chaldæis & Assyriis dirutum fuisse, facilis solutio est, nonnisi in Christo constare hanc soliditatem quam celebrat Propheta: quia si per se æstimetur vetus & vmbratile Sanctuarium, inane spectrum erit: sed quia Deus pignus esse voluit Christi venturi, meritò ei tribuitur perpetuitas: sicuti alibi dicitur fundamẽta iecisse Deus in montibus sanctis, Infrà, 87. a. 1. Itẽ, manu sua fundasse Sion, Esa. 14. g. 31. Item, Residere in eo, vt nunquam labascat, Suprà, 74. a. 5. Notemus itaque hoc loco vnde sit religionis ac status Ecclesiastici cum tranquillitas, tum soliditas: nempe à Domino cœlestis huius ædificii opifice.

70 *Et elegit Dauid seruum suum, & assumpsit eum è caulis ouium.*

Et elegit Dauid seruum suum. Facta de translatione tabernaculi mentione, ad regnum quoque transit: quia hæc duo præcipua erant electionis & gratiæ Dei signa: sicuti etiam Christus, vt plenam salutẽ afferret, rex & sacerdos nobis apparuit. Vtrunque verò à tribu Ephraim ablatum, ad tribum Iehudah transtulit Deus. De Dauidis electione vide 1. Sam. 16 c. 12. 13. *Seruum suum.* Hoc est, vt esset illi seruus. Ergo reges & principes sunt serui Dei: quibus dicitur, Seruite Domino in timore, Suprà, 2. c. 11. Et administratio regnorum seruitus Dei est. Nam Deus rex regum est, & dominus dominantium, 1. Timo. 6. c. 15. Vide item suprà, 5. a. 3, & Matth. 6. b. 13, & Rom. 13. a. 4. Vide item quomodo Dauid alias se Dei seruum nominet, Suprà, 18. a. 1. *Et assumpsit eum è caulis ouium.* Propheta Dauidẽ regem diuinitus creatum fuisse probat, quòd ab ouium caulis & pecudum custodia in solium euectus fuerit. Nam Dei gratiam non parũ illustrat hæc mutatio, quòd homo rusticus ex ignobili tugurio in regem assumptus est. Hanc verò gratiam non restringit Propheta ad personam Dauidis: sed admonet, quicquid est dignitatis in filiis Abrahæ, fluere ex fonte illo misericordiæ Dei. Tota enim populi gloria & fœlicitas continebatur in regno & sacerdotio, quorum vtrunque mero Dei beneplacito adscribit. Atque ideo exordium regni Christi humile & contemptibile esse oportuit, vt figuræ suæ conforme esset, ac palam faceret Deus nullis externis adminiculis se vsum fuisse ad peragendam salutem nostram. Cæterùm quod hic Vates de Dauide memorat, ipsum scilicet ante regalem dignitatem pauisse oues, ne ipse quidem Dauid dissimulat, 1. Samu. 17. e. 34.

71 *A tergo lactantium assumpsit eum, vt pasceret in Iacob populo suo, & in Israel hæreditate sua.*

A tergo lactantium assumpsit eum. Quidam, Sinotémque post lactantes. Ad verbum, De post lactãtes (vel, vt alii, fœtas) venire fecit eum. Significat autem per synecdochen greges ouium quos pascebat Dauid. Ergo alia circunstantia Vates Dei gratiam commendat, quòd Dauid ex pastore ouium factus est electi populi & hæreditatis Dei pastor. Etsi autem allusum est ad priorem Dauidis statũ, docet tamen Spiritus sanctus quantum à tyrannis, prædonibus & auaris exactoribus differant legitimi reges, quos pastores esse conuenit.

72 *Et pauit eos in integritate cordis sui, & in prudentia manuum suarum.*

Et pauit eos in integritate. Vel, simplicitate. Quidam legunt, Iuxta integritatem. Significat Dauidẽ bona fide exequutum fuisse partes sibi iniunctas. Quo etiam obliquè perstringitur ingratitudo ac prauitas populi, qui non modò sanctum & inuiolabilem Dei ordinem labefactauit, sed excusso salutari iugo se in miseram dissipationem proiecit. Notandum hic est multum referre quo animo dentur à Deo reges ac principes. Dauidem Deus ad hoc elegerat vt populum suum pasceret: pauit ergo. Saulem ad hoc elegerat vt ingratum populum affligeret: afflixit ergo. Dabo eis (inquit) regem in furore meo, Oseæ 13. c. 11. Et iterum, Suscitabo eis pastorem, & pascet eos, Ezech. 34. e. 23. Sic Petro dixit Christus, Pasce oues meas, Iohã. 21. c. 17. & pauit eas. Antichristo dictum est, Deglube, deuora, perfunde, seduc ac perde, quoniam dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, 2. Thess. 2. c. 11. 12. Seducit igitur, perfundat, deuorat ac perdit. *Et in prudentia manuum suarum.* Vel, cum prudẽtia manibus suis. Videtur quidem impropria esse loquutio, quòd prudentia non sit in manibus: significanter tamen exponere voluit Propheta Dauidem non modò fœlicem in suis actionibus fuisse, sed gubernatum Dei Spiritu, vt manus ad nullum opus temere proiiceret, sed dextrè scienterque dirigeret quo vocabat fides & officium: atque ita in successu operum eius magis prudentiæ laus quam prosperitatis fulgeret. Vide 1. Sam. 18. c. 14. g. 30.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIX.

Psalmus hic lõgè post mortem Dauidis compositus querimoniam continet ac lamentationem Ecclesiæ grauiter afflictæ: deinde precationem pro hostium vltione, & fidelium liberatione, quam gratiarum actio consequitur.

P*salmus Asaph.* Deus, *venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum sanctitatis tuæ, posuerunt Ierusalem in aceruos.*

Psalmus Asaph. Quis fuerit huius Psalmi author incertum est. Apparet autem ex ipso contextu tunc fuisse compositum quando vel euerso Templo, & vrbe euersa ab Assyriis, tractus fuit in exilium populus: vel quum ab Antiocho Tẽplum fuit pollutũ multis stragibus editis. Nam ad vtrunque tempus argumentum optimè quadrat. Sumamus igitur pro confesso dictatam fuisse piis hanc querimoniam, quum oppressæ Ecclesiæ res ad vltimam desperationem essent adductæ. Scimus enim quàm crudeliter sæuierint Assyrii. Et siquis pro asserendo Dei cultu sub tyrannide Antiochi mutire ausus fuisset, iugulum mactationi statim præbere necesse erat. Verùm non

est hic anxiè immorandum, quum satis sit ad ædificationem si cum virga disciplinæ Dei, tum affectus afflictorum diligenter expendantus. *Deus, venerunt Gentes.* Vel, inuaserunt Gentes in hæreditatem tuam. Initio fideles summa angustia adflicti, querimonia satis lugubri aures Dei pulsant. Singula autem verba indignitatem exprimunt. Regio Israelitarum ex omnibus regionibus orbis electa à Deo fuit vt in ea inuocaretur nomen eius: Ideo dicitur peculium & possessio Domini hæreditaria. In hac metropolis erat Ierusalem, quæ templum habebat in quo solo Deus suam præsentiam erat pollicitus. Sancta igitur vt erant, ita excoli debebant à sanctis, non pollui & vastari ab impuris Ethnicis. Ergo quasi de peruerso naturæ ordine expostulat Propheta, Gētes venisse dicens in hæreditatem Dei. Interea fidei suæ testimoniū profert, dum firmiter tenet hæreditatē Dei fermēto impiorū, deinde & irruptione Gentium pollui ac vastari posse: at prorsus ita extingui vt non sit hæreditas Dei, nullo modo posse. Teneamus & nos istam Ecclesiæ Christi imaginem firmam & inconcussam, vt nihil dubitemus, vtut occupetur ab impiis cum pseudochristianis, tum Turcis, nihilominus ita permansuram vt non cesset ad finem vsque mundi quominus sit Ecclesia Christi, vt & nos hodie clamemus, Christe venerunt Gētes in Ecclesiam & hæreditatem tuam, quam à Patre accepisti, & pretioso sanguine tuo redemisti, tibique peculiarem adiunxisti. *Polluerunt templum sanctitatis tuæ.* Vel, regiam sanctitatis tuæ. Vel, sanctuarii tui. Hoc est, Polluerūt sedem tuam, quæ erat sanctuarium & regia simul. Deus enim volebat agnosci rex: simúlque dabat Sacerdotem qui figura Christi esset. Hæc templi euersio minus tolerabilis erat, quia hoc modo extinguebatur Dei cultus in terra, & religio peribat. Porro quæ fuerit hæc templi pollutio quæ per Gentes illata fuerit, Propheta non exprimit: sed si hæc ad Antiochi tempora referantur, videre licebit, 1. Machab. 1. f. 57. & 4. e. 45, quomodo per Gentes templum Dei sanctum aris & idolis sit pollutum, & postea à Iuda Machabæo repurgatum. *Posuerunt Ierusalem in aceruos.* Dicit Ierusalem, quæ regia erat Dei sedes, in aceruos fuisse redactam, qua voce notatur deformis ruina. Qua de re legere est 1. Mich. 1. c. 55, quomodo Ierusalem igni sit succensa, muri destructi, ac domus dirutæ. Poterat Propheta dicere destructam fuisse Ierusalem, sed veluti rem ob oculos exponens, dicere voluit in aceruos lapidum positam fuisse. Profanatio autem templi, & sanctæ vrbis euersio sicuti impio sacrilegio non carebant, ita meritò debebant contra hostes Dei vindictam prouocare: ideóque ab illis orditur Propheta.

2 *Dederunt cadauera seruorum tuorum escam volatilibus cælorum, carnem mansuetorum tuorum bestiis terræ.*

Dederunt cadauera seruorum. Secundo loco ad cædem piorum transit, dicens eos promiscuè fuisse cæsos, non sine magna crudelitate, & horrenda populi Dei calamitate. *Seruorum tuorum.* Legitur 1. Machab. 1. e. 39, quòd sanguinem innocentem circa Sanctuarium per circuitū hostes fuderint. quod intelligendū de illis est qui nolebant impio regis Antiochi edicto de deserenda Lege Dei obedire. Isti meritò à Propheta sancti ac serui Dei vocantur, potissimum eorum respectu qui deserto fœdere Dei, ad Gentium abominationes transibant: & meritò etiam interitus eorum cum luctu Deo commendatur. Vocantur serui Dei, id est cultores, eo quòd pro cultu Dei retinendo vitam suam impenderunt. *Escam volatilibus cælorum.* Hac circumstantia maior notatur crudelitas, quòd non tantùm occiderint seruos Dei, sed insepulta eorum cadauera proiecerint bestiis & auibus in prædam. Religio autem quædam semper tenuit hominum animos vt ne hostes quidem fraudarent sepulchri honore. Vnde sequitur immanibus belluis esse similes quos delectat ista barbaries, videre mortuos lacerari. *Carnem mansuetorum tuorum.* Vel, sanctorum tuorum. Vel, misericordium tuorum. Sic vocantur fideles respectu gratiæ Dei: quasi dicas, qui gratia & beneficentia Dei donati erant.

3 *Fuderunt sanguinem velut aquam in circuitu Ierusalem, & non fuit sepeliens.*

Fuderunt sanguinem. Ostendit inimicos non fuisse grassatos vulgari hostium more, quòd humano sanguini nihilo magis pepercerint quàm aquæ. vnde colligitur cædendi ac sæuiendi auiditas. Tanta fuit, inquit, humani sanguinis effusio, vt riuuli ex eo, aut amnes potius, per totum orbis ambitum diffluerent. *Et non fuit sepeliens.* Hoc ad fratres & cognatos extenditur: acsi diceret tantum fuisse incussum horrorem, deinde obuios quosque passim ita fuisse trucidatos vt nemo progredi auderet. Porro quum in hominum sepultura Deus aliquod testimoniū extare voluerit vltimæ resurrectionis, sanctos hoc iure post mortem spoliari his indignū fuit. Quæritur tamen, quum reprobis Deus hāc pœnam sæpe denunciet, cur fideles suos passus sit vorari à bestiis. Tenendum est quod alibi diximus, temporales pœnas, quæ ad solam carnem pertinent, tam electis quàm reprobis esse communes. Tantùm in exitu est discrimen, quia Deus in salutem fidelibus conuertit quod naturaliter iræ signum esset. Ac omnino de sepulchro idem quod de morte dicendum est. Continget optimos quosque Dei seruos violenter occidi: quam pœnam sanguinariis & aliis contemptoribus scimus sæpe infligi. Neque tamē ideo mors sanctorum pretiosa in conspectu Dei esse desinit: sed vbi iniustè in carne opprimi passus est, vindicta ostēdit quàm sibi chari fuerint. Sic vt iræ suæ notas etiam post mortem insculpat improbis, priuat eos sepulchro: & ideo impio regi minatur asini sepulturam, quemadmodum legimus Ierem. 22. e. 19. Sed quum suos exponit simili probro, licet ad tempus credantur eos deserere, illis postea in adiumentum salutis conuertit: quia fides eorū hac tentatione probatā nouā palmā sibi acquirit. Nā quod olim mortuos vngebāt, nōnisi ad viuos & superstites spectabat hæc cæremonia, vt cernētes corpus in custodia reponi, spē vitæ melioris in cordib⁹ suis fouerēt. Quare sine iactura sepulchro priuātur fideles, dū fide hæc media adminicula transcendūt, vt ad beatā immortalitatem properēt.

4 *Fuimus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & derisio iis qui in circuitu nostro sunt.*

Fuimus opprobrium vicinis. Alia expostulatione prouocant fideles Dei misericordiam. Res sanè crudelior est quàm vt exprimi possit, quempiam cernere calamitosum derideri. Quòd certè inter homines bona animi praelanguescant, penéque interierint & pax & charitas, mirari quidem possumus & dolere & ferre vtcunque, simul vt rebus omnibus datum est vt senescant aliquando: verùm vltra hæc ab infidelibus atque domesticis hostibus derisioni haberi & fabulæ, quis tam audax est vt id toleret viuus? Quum ergo acerbissima sit hæc inquietudo, fideles ad Deum confugiunt, qui solus remedium & solatium adferre potest. *Subsannatio & derisio.* Idem bis dicitur, sed non sine affectu luctus ac doloris præcipuè. Conantur enim fideles hac lugubri querimonia Deum ad misericordiam prouocare. Nam quo superbius insultāt nobis impii, eo propior nobis spes redemptionis affulget: quia minimè Deo tolerabilis est eorum petulantia dum tam licentiosè efferunt, præcipuè quum in sacrum Dei nomen redundet cōtumelia: sicuti apud Esaiam dicit, Quem subsannant, & super quem concutiunt caput, virgo filia Sion? Esa. 37. d. 22. Et certè vicini, qui partim apostatæ erant, vel degeneres Abrahæ filii, partim verò professi religionis hostes, miserum populum vexādo, non abstinebant à blasphemiis. Quare sciamus non de priuatis ludibriis hic conqueri fideles, sed quæ videbant oblique in Deū & Legem eius congeri: sicuti rursus in fine Psalmi videbimus.

5 *Quousque Iehouah irasceris in perpetuum? ardebit velut ignis zelus tuus?*

Quousque Iehouah irasceris. Post querimonias conuertitur Propheta ad orandum. id quod ad vltimum vsque versum facit: ita tamen vt subinde querimoniæ recurrant, vt fieri solet in orationibus adflictorum. Deprecatur hic Propheta iram Dei, ne sit illa perpetua, sed tandem cesset. *In perpetuum.* Vel, in seculū. Iam alibi admonuimus, duas istas voces, quousque & perpetuo, dum simul iunguntur, diuturnam & longam malorum continuationem notare, cuius etiam nullus appareret finis in posterū: sicuti Latinè dicimus, Quousque tandem? Colligimus ergo non primo vel secundo mense ex quo affligi cœpit Ecclesia, dictatam fuisse hanc querimoniam, sed quum tædio semifracti essent animi. *Ardebit velut ignis zelus tuus.* Hic Vates mala ista non simplici iræ Dei, quæ vulgaribus ac leuioribus sit peccatis prouocata, sed zelo vehementer ardenti ac graui adscribit, zelum Dei igni ardenti conferens. Itaque fatentur hic fideles nonnisi irato Deo tanta malorum congerie se obrui. Nam quū persuasi sint nihil posse impios, quicquid machinentur, nisi quantum Deus permiserit: ex hoc principio facilè ratiocinantur, vbi tātum licentiæ concedit profanis hostibus, iratum fuisse & infensum. Nec verò aliter se Dei auxilio saluos sperarent fore: quia eiusdē est compescere qui frænum laxat. Præsertim verò vbi nos coarguit propria cōscientia, quoties nos flagellis suis ferit Deus, ad manum eius attendere conuenit. Nec verò Deum iniustæ iræ insimulāt, sed meritò se plecti agnoscunt. Etsi autem semper iustas in seruis suis causas reperiet Deus cur eos castiget, sæpe tamen pro sua indulgentia eorum delictis parcēt, alium in finem cruce exercet: sicuti probare voluit patientiam Iob, Martyres verò honorifica militia dignatus est. Sed populus hic sponte ad Dei tribunal se citans, quas sustinet calamitates, peccatis suis imputat. Vnde probabilis coniectura sumi potest, tempore exilii Babylonici compositum fuisse Psalmum: quia sub Antiochi

tyrannide diuersam fuisse precandi formam alibi vidimus, Non recessimus à mandatis tuis, non desciuimus à fœdere tuo, non deflexim9 à te, nec defecimus à Lege tua: & tamen hæc omnia eueniunt nobis, Suprà, 44.c.18 Non quòd obstreperent Deo fideles, sed quia sciebant alium Deo finem propositum quàm peccata punire. Duris enim illis certaminibus ad palmam supernæ vocationis eos parabat.

6 *Effunde iram tuam super gentes quæ te non nouerunt, & super regna quæ nomen tuum non inuocant.*

Effunde iram tuam super. [M]Humano more Propheta loquitur. Irascentium namque is est impetus, vt conceptā iram continere nequeant, sed confestim in eos quibus irascūtur, vindictæ cupidi effundere gestiant. [F]Non tantùm (inquiunt sancti) qui te non solùm nouimus, verumetiam hanc à te nobis datam cognitionem, fide, sacrisque ritibus attestamur, sed in gentes illas impias excandesce potius. [C]Videtur à regula charitatis alienum esse hoc votum: quia sic propriis malis singulos esse anxios conuenit, vt alios quoque secum leuari cupiāt. Quare vidētur perperā fideles incredulis optare exitiū, pro quorum salute debebant potius esse soliciti. Sed tenendum est quod alibi diximus, vt ritè quis hæc vota concipiat, induendum esse publicum affectum, ne eum priuatæ iniuriæ titillent, ne carnis impetu feratur contra hostes, sed sui oblitus, communem modò salutem Ecclesiæ respiciat ac curet. Deinde inuocādum esse prudentiæ & iudicii Spiritum, ne incōsideratus zelus precantem impellat. Qua de re fusius disseruimus, Suprà, 14.a.4, & 35.a.6. Adde quòd fideles nō modò posthabita sui cura, toti Ecclesiæ hic consulunt, sed præcipuè oculos intēdunt ad Christum, vt desperatos eius hostes exitio deuoueant. Non ergo temerè prorompunt in hanc vocem, Vt hos vel illos perdat Deus: nec Dei iudicium anticipant, sed reprobis quale merentur iudicium optantes, patienter expectant dum reprobos ab electis discernat cælestis Iudex. Hoc modo non abiiciunt affectum charitatis: quia etsi cuperent omnes esse saluos, sciunt tamen quosdam insanabiles esse Christi hostes, quos manet certus interitus. Quanquam nondum prorsus soluta est quæstio: quia dum proximo versu hostium crudelitatem accusant, videntur appetere vindictam. Sed tenendum est quod nuper diximus, non posse in hunc modum precari, nisi qui publicam personam induerint, & omisso sui respectu, curam susceperint totius Ecclesiæ: imò Christum Ecclesiæ caput statuerint sibi ante oculos: postremò, nisi qui præeunte Spiritu animos suos extulerint ad Dei iudiciū, vt parati ad ignoscendum, non hostes quoslibet à quibus offensi sunt, sed solos reprobos morti addicāt. Nā qui antequam spes resipiscentiæ sit ablata, ad pœnam festinant, eos præposteri zeli damnauit Christus hac voce, Nescitis cuius spiritus sitis, *Lucæ* 9.g.55. Adde, quòd nō simpliciter impiis Ecclesiæ persecutoribus fideles perniciem hic optant, sed prout illis familiariter cum Deo agere conceditur, in hunc modum ratiocināntur ab absurdo, Qui fit Domine, vt tam duriter nos affligas, super quos inuocatur nomen tuum: Gentibus autem profanis, quæ te spernunt, indulges? Denique significant alibi satis amplam esse Deo materiam exercendæ iræ, quia non soli peccauerint in mundo. Etsi autem nostrum non est præscribere Deo legem, imò lex illa nobis patienter ferēda est, vt castigationes incipiant à domo eius (1. Petri 4.d.17) hæc tamen libertas ignoscitur fidelibus, vt postulēt non deteriore saltem loco esse quàm increduli & Dei contemptores. *Quæ te non nouerunt.* [A]Hoc est, qui nulla nominis tui cognitione præditi sunt. *Quæ nomen tuum non inuocant.* [C]Propheta pro eodē sumit, Non agnoscere Deum, &, Nomen eius non inuocare. Diuersis enim loquendi formis significat Propheta, nisi præcedat Dei cognitio, non posse ipsum inuocari: sicut etiā Paulus docet, Rom. 10.c.14. Neque enim respondere nostrum est, Tu Deus noster, donec anteuertens, dicēdo, Vos estis populus meus, Oseæ.2.d.23. sed os nobis aperit, dū ad se inuitat. Etsi autē inuocatio nominis Dei restringitur ad solas preces (quia sæpè tantundem valet ac Gallis verbum *Reclamer*) summa tamen huc redit, Nisi Dei notitia nos dirigat, non posse nos sincerè profiteri veram pietatem. Tunc passim gloriabantur Gentes se Deum colere, sed quia verbo destituebantur, ac sua illis figmenta & falsæ imaginationes Dei loco erant, abominabile fuit quicquid tentarunt. Sicut hodie in Papatu, quia non statuunt cæci cultores quid sit Deus, neque ex ore eius sciscitantur quid probet, sed imaginarios sequuntur cultus, certum est repudiari ipsos à Deo, quia idola in eius locum subrogant. [M]Notandū hic quo loco Prophetæ sit, Deū non cognoscere, nec nomen eius inuocare. Eo nimirum, vt tanquam summam impietatem, dignam arbitretur quæ effusione iræ Dei puniatur. Quoniam enim tot ac tātis diuinæ potētiæ pariter ac bonitatis argumētis refertus est mūdus, meritò impii ac idololatræ perdēdi sunt, qui ad creaturas & idola conuersi, Deum verum nec norunt nec colunt.

7 *Quia vorauerunt Iacob, & habitationem eius vastarunt.*

Quia vorarūt Iacob. [V]Ad verbū, Vorauit. Mutatio numeri singularis pro plurali, vt ex mox sequēti verbo apparet. [M]Quòd autem Propheta meminit Iacob ac loci eius, ad hoc factum est, vt recordatione Patriarchæ huius Deo dilectissimi, deinde & diuinæ promissionis, qua terra Chanaan illi ac posteris eius data erat, fiduciam contra gentes istas pro Israele orandi animo conciperet. Quāto igitur maiore fiducia nos ad Patrē nostrum cælestem cōtra Turcicas furias orabimus, memores cum infensissimi odii quo in Christum feruntur, tum Christi filii Dei, & hæreditatis ipsius quam à Patre ad fines vsque terræ accepit: vt dicamus, Quia vorant Christum filium tuum, & locum eius desolatum reddunt.

8 *Ne recorderis erga nos iniquitatum priorum: festina, præueniāt nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus valdè.*

Ne recorderis erga nos. [V]Quidam, Ne memineris nobis, id est in perniciem nostram. [M]Quoniam Propheta iræ ac zelo Dei omnem eam calamitatem tribuit quam primis quatuor versibus recensuit, iam consequenter & meritam vltionem deprecatur. Sentiebat enim peccatis Israelitarum ea mala deberi: ideo illa & confitetur, & vt obliuioni tradantur, petit: [C]quia ex reconciliatione petendum erat malorū leuamē. Hoc enim primum malis omnibus remediū est, vt nos Deus recipiat in gratiam: quia ipso irato prosperitas ipsa malè & infœliciter nobis cedit. [M]Loquitur autē Vates humano more cum Deo. Nam ita comparati sumus, vt mox atque in mentem redeunt offensæ, ad vindicandi cupidinem consideratione improbitatis incendamur: obliti vero offensarum, placidi simus, nec de vindicta cogitemus. [A]Rogat itaque Deum vt immemor scelerum quæ populus admisit, clementiæ & benignitati locum det. *Iniquitatum priorum.* [C]Sunt qui peccata antiqua aut priora intelligunt, quæ admissa sunt à patribus. Alii autem eorum qui precantur antiqua peccata vocari putāt, quæ pueri vel adolescentes admiserint. Sed hoc latius patet: acsi non modò reatū vnius & alterius culpæ & eius recentis agnoscerēt, sed se pridē multiplici reatu eóque vetusto cū patribus fuisse implicitos. Ita longam pertinaciam fatentur, in qua obduruerant cōtra Deum. Et Propheticis obiurgationibus respondet confessio hæc. Testatur enim sacra Historia suspensam fuisse exilii pœnam donec expertus fuisset penè incurabilem esse malitiam. Nec mirum est patrum culpam filios deprecari, quum Lex pronunciet Deum reiicere patrum delicta in sinū filiorū, & vlcisci peccata in tertiā & quartam generationē, Exodi 20.a.5, & Ierem. 32.c.18. quod tamen æquissimo fit eius iudicio. *Festina.* [M]Significant fideles non solùm opus esse vt adiuuentur diuinitus, sed vt citò adiuuentur: eo quòd prope sint interitum. [C]Notanda autem est antithesis inter verbum festinandi & vetusta peccata: quia si ad calculū vocasset Deus quicquid tribus vel quatuor seculis peccauerant Israelitæ, in longum tempus suspensa fuisset liberatio. Rogant igitur fideles vt abolitis prioribus offensis, ad opem ferendam festinet. *Præueniant nos misericordiæ tuæ.* [C]Quia in ipsis peccatis erat remora & obstaculum, non frustra petunt vt Dei misericordiæ celeriter accurrant. [M]Pulchrè autem vtitur verbo præueniendi. Quid enim aliud est auxilium Dei in talibus afflictionibus & calamitatibus, quàm quidam quasi fortissimi athletæ ac propugnatoris præuentus, qui iamiam sternendum ab hoste inualescente suo interuentu liberet? Sine hoc miserationum Dei præuentu sciebat Propheta nihil instare aliud quàm vt hic populus prorsus deleretur ac perderetur. *Quia attenuati sumus valdè.* Vel, miseri facti sumus, afflicti sum9. q.d. [M]Pauci adhuc supersum9, potissima nostri portio deleta iam & prostrata est, nihil restat aliud quàm vt iam quod reliquum est nostri, sternatur & perdatur, nisi nos miserationes tuæ præuenerint ac liberent.

9 *Succurre nobis Deus salutis nostræ, propter gloriam nominis tui, & erue nos propter nomen tuum.*

Succurre nobis. [A]Vel, Iuua nos ô Deus, Adiuua nos. [M]Adhuc Propheta ordinem in oratione seruat. Primùm deprecatus est memoriam peccatorum: deinde implorauit miserationes Dei: iam tertiò subdit petitionem auxilii. q.d. Succurre & fer opem laborantibus & periclitantibus. [C]Fatemur ô Deus quicquid afflictionum sustinemus, ex tua ira prouenire: [A]sed quum te vnū colamus, ac te solo nitamur, fac vt auerso furore tuo, clementiæ tuæ signa appareant. *Deus salutis nostræ.* [V]Vel, salus nostra. Vel, saluator noster. [V]Quia fideles sibi multorum scelerum conscii erant, spem veniæ impetrandæ confirmant variis loquendi modis. Primò fauorem sibi conciliant hoc epitheto, dum vocant Deum salutis suæ: [M]quod duo in se continet quæ huic petitioni plurimum seruiunt: vnum generale, alterū speciale. Generale est quòd Deum vocant Deum salutis, hoc

est Deum saluandi. Sic autem dicitur Deus, non modò quia seruare possit, vtpote omnipotens, sed & ob id quòd solus seruare valeat, Esa. 43. b. 11. d. 25, & 45. a. 5. deinde quòd seruare quoque velit, Esa. 55. b. 7. c. 8, & Suprà, 37. b. 6. 7, & 1. Timoth. 4. c. 10. Speciale verò est quod addùt, Nostræ, hoc est, qui nos toties saluasti, quique nobis toties declarasti quòd sis Deus salutis nostræ, quem & nos tanquam Deum nostrum, qui solus seruare queat, vnicum ac solum inuocamus. Nec abs re: non enim est perditionis, sed salutis nostræ Deus. *Propter gloriam nominis tui.* Iā se nihil à seipsis afferre testātur quod Dei misericordiā prouocet: ideóq. sua ei gloriam duntaxat obtendunt. Vnde colligimus non satisfactionibus vel vllis operum meritis, sed gratuita venia Deo reconciliari quicunque peccarunt. Tenendum est etiam quod fusius explicuimus Suprà, 6. a. 3, vbi nos Deus castigat, non modò ab externis pœnis leuamen esse optādum, sed in primis de placando Deo cogitandum esse: nec imitandos esse stultos ægrotos, qui symptomata tātùm auferri sibi cupiunt, pro nihilo ducunt fontem & causam morbi. *Et erue nos.* Vel, & libera nos. Generalius erat quod dixerant, Succurre nobis, vel, Iuua nos: ideo petitionem hanc specialius exprimunt dicentes, Et libera nos. Possunt qui nondum sunt in manibus hostium, adiuuari diuinitus ne capiuntur: verùm captiui nequeunt aliter adiuuari quàm vt liberentur. Erant autem in manibus hostium, ideo liberationem orāt. *Et propitius esto peccatis nostris.* Vel, propitiare peccatis nostris. Vel, placatus esto peccatis nostris, Remitte vel condona peccata nostra. Nam verbū כפר quod reddūt interpretes, Propitius esto, propriè significat expiare, & sacrificio aptare: ideóque quoties Deum nobis reconciliare cupimus, in mentem veniat nobis Christi: quia non fit remissio absque sanguine, Hebr. 9. f. 22. *Propter nomen tuum.* q. d. Scimus peccata nostra hanc iram tuam meruisse: verùm quid facies nomini tuo? Gloria illius labefactatur, si secūdum peccata nostra perditurus es populum tuum. Deinde vocaris bonus, clemens ac misericors, & multæ miserationis, qui ignoscas peccatis. Propter hoc nomē tuum, vt verè deprehendaris esse quod diceris, propitius esto peccatis nostris. Hoc autem magis agunt fideles vt seipsos nominis Dei argumento ad orandum confirment, quàm vt illius Deū admoneant.

10 *Quare dicerent Gentes, Vbi est Deus eorum? nota fiat in Gentibus coram oculis nostris vindicta sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est.*

Quare dicerent Gentes. Quia religio potissimum impugnabatur, & qui cruciabantur & interimebantur, verè serui Dei erant, fideles nominis Dei gloriam ingenti sua consolatione memorant, quam vtique cedere gentium impio furori Deus non potuit. Quāquam alio sensu nunc obiiciunt Deo fideles nomen suum. Nobis enim propter nomē suum ignoscit quia quum sit misericors, & velit os nobis obstruere, vt solus iustus censeatur, gratis peccata nobis ignoscit. Nunc autem deprecantur fideles ne Deus sacrum suum nomen blasphemiis ac maledictis impiorum subiiciat. Vnde etiam monemur perperam nos precari, nisi salutis nostræ curam cum zelo gloriæ Dei indiuiduo nexu iungamus. *Vbi est Deus eorum?* Non dicunt, Vbi est Deus? sed, Vbi est Deus eorum? Nolebant enim Deum in se probro afficere, sed Israelis Deo, tanquam ipsorū iudicio non Deo, hoc pacto insultare: atque Israelem stultitiæ ac dementiæ arguere, quòd coleret pro vero Deo inane figmētum, in quo vt non verus Deus, ita nec salus vlla esset. Interea tamen credebant esse verum aliquem Deum: deinde hoc dabant quòd cultores suos seruare & possit & velit. Quæ duo certè omnino vera sunt, nec vllo modo reiicienda. Tantùm in eo deficiebant, primùm quòd Deū verum, Deum Israelis ignorabant: deinde quòd nec hoc intelligebāt, quomodo & quatenus verus Deus cultores suos seruet. Opus Dei, quod in castigando populo peccatore declarabatur, tam non intelligebant, vt ex eo ipso argumentum infirmitatis colligerent, quasi non potuerit seruare populum suum. *Nota fiat in Gentibus.* Vel, palam fiat, diuulgetur, cognoscatur. Redit ad petendum vindictam de Gentibus sumendam. Vnde eadem quæ nuper soluta est quæstio, exoritur. Etsi enim Deus vindicem nostrum se fore pronunciet, non ideo tamen licet, quum læsi sumus, vltionem appetere. Sed meminerimus non quibuslibet dictatam esse hanc precandi formam, vt priuatis suis passionibus indulgeant: sed vt duce & magistro Spiritu aduersus reprobos communem agant causam Ecclesiæ. Ergo vt ritè precemur in hūc modum, primùm in nobis effulgeat Spiritus prudentia, deinde compositus sit ac purus zelus, quem lutulenti carnis affectus perturbant. Tunc liquido zelo & sedato petere licebit vt Deus claris exemplis ostendat ante oculos nostros sibi preciosam esse seruorum suorum vitam, quorum sanguinem vlciscitur. Neque enim hic volunt fideles expleri sanguine, acsi eum cupidè appeterent: sed tantùm expetunt fidei suæ confirmationem ex paterno Dei amore, qui in vlciscendis iniuriis apparet. *Seruorum tuorum.* q. d. Innotescat hoc inter Gentes quòd sis verus Deus, assertor tuorum, & vltor sanguinis seruorum tuorum: ne posthac dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? Notandum hic est vocari seruos Dei, qui tamen ob sua peccata iustè puniebātur: quia vtcunque nos castiget Deus, non ideo protinus abiicit, quin potius de salute nostra testatur se esse solicitum. Deinde sciamus, vbi grassatur ira Dei in totum Ecclesiæ corpus, quia boni malis permisti sunt, communiter etiam affligi, sicuti Ezechiel, Ieremias, Daniel & reliqui in exilium tracti sunt. Etsi enim non prorsus erant innoxii, certum tamen est non fuisse tantam cladem illatam populo, eorū causa: sed potius in eorum persona spectaculum exhibitū fuisse impiis quo magis tangerentur.

11 *Veniat coram facie tua gemitus vincti: secundum magnitudinem brachii tui residuos fac filios mortis.*

Veniat corā facie tua gemitus vincti. Singul. pro plurali, vinctorum. Quia dubiū non est quin tunc exulauerit populus Dei, quum Spiritus hanc precationem dictauit, vinctos generaliter nominat Propheta qui finibus Assyriæ & Chaldææ inclusi erant, vt capitale esset illinc mouere pedem. *Secundum magnitudinem brachii tui.* Hoc est, secundum virtutem tuam magnā. Hoc addūt fideles, quia sine ingenti miraculo sperari non poterat Ecclesiæ restitutio. *Residuos fac filios mortis.* Quidam, Relinque in vita filios mortis. Ad verbum, Remanere fac filios mortis. Filios mortis nominat quasi addictos vel destinatos morti, captiuitatis respectu. Quāquam absurdum non erit restringere ad paucos sententiam hanc, qui in arctiorem custodiam tradiderant. Hac autem voce significat Propheta fractos esse & verè humiliatos feroces illos spiritus qui prius cōtra Deum exultauerant.

12 *Et rependè vicinis nostris septuplum in sinum eorum, opprobrium eorum quod exprobrauerunt tibi Iehouah.*

Et repēde vicinis nostris. Erigebant sibi Sancti animum quum in se adeo hostes sæuirent, & diritate eorum quæ patiebantur, & raritate superstitum ex populo, & hostium impietate, & sua pietate. Vnde & hic clarius demonstrant non tam se moueri priuatis iniuriis, quam pro zelo excādescere, vbi proscindi vident sacrum Dei nomen. qui affectus si vigebit in animis nostris, facilè moderabitur carnis intemperiem: si autem accedat Spiritus prudentia, iusto Dei iudicio vota nostra rectè subscribent. *Septuplum.* Id est abundè. Nam septuplam repensionem pro ampla & sæua posuit Vates. Sic Deus dicebat, Quū occiderit Cain, septuplum punietur, Gen. 4. c. 15. d. 24. Et, Addam plagas vestras in septuplum, propter peccata vestra, Leuit. 26. c. 18. d. 21. Itèm, Rex præcepit vt succenderetur fornax septuplum, Danielis 3. b. 19. *In sinum eorum.* Metaphorica loquutio, In sinum dare, vel accipere, pro copiosè vel largiter dare: sicuti dari solent quæ non ad numerum præcisè, vel ad mēsurā, sed pro sinus capacitate largiter dātur. Sic Luc. 6. f. 38, Date, & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam & concussam atque exundantem dabunt in sinum vestrum. *Opprobrium eorum quod.* Vtinam hunc Prophetæ zelum pro vlciscēda gloria Dei imitentur hodie Christi fideles contra eos quā diuini nominis gloriam ignominia afficiunt, quicunque tandem illi sint.

13 *Et nos populus tuus, & oues pascuorū tuorum confitebimur tibi in seculum, in generationem & generationem narrantes laudem tuam.*

Et nos populus tuus. Ingens consolatio erat in mediis illis afflictionibus, potuisse gloriari se populum esse Dei, & gregem pascuorū Dei. Ea verò gloriatio sigillo electionis Spiritu filiorum Dei constat. *Confitebimur tibi in seculum.* Fructum suæ liberationis hunc fore prædicant, vt Dei nomen celebretur: sicuti minimè in alium finem nobis optanda est salus. Et ipse etiam gratis nobis omnia largitur, tātùm vt suam bonitatem illustret. Promittunt autem non exigui temporis gratitudinem, sed cuius memoria tradatur posteris, & per cōtinuas ætates transeat de manu in manum. Notanda etiam circunstantia est quòd dicit, *Nos populus tuus, & oues pascuorum tuorum.* Quia enim electa erat posteritas Abrahæ quæ nomen Dei celebraret, & laudes eius in Sion resonabāt, extincto illo populo, quid futurum erat nisi vt simul occideret nomen ipsum Dei? Nec dubium est quin respondeat hic locus vaticinio Esaiæ, Populum hunc mihi creaui, laudem meam narrabit, Esaiæ 43. e. 21.

ARGVMENTVM PSALMI LXXX.

Psalmus hic proximo affinis est. Nam pro restitutione

populi Dei ab impiis hostibus miserè pressi ac vastati ad Deū orat, & priora Dei beneficia, sub viteæ allegoria, præsenti calamitati collata, ad priorem spem erigendam, memorat.

PRæfecto super Sosannim Eduth. Psalmus Asaph.

Præfecto. Vel, victori. Vel, præsuli. Vide suprà, 4.a.1. *Super Sosannim.* Vide suprà, 45.a.1. *Eduth. Psalmus Asaph.* Quidam, Eduth ipsius Asaph. Alii, ornamentum ipsi Asaph. acsi dicat, Psalmum istum gloriosum & desiderabilem fuisse ipsi Asaph. Nonnulli melodiam fuisse volūt, & per appositionem hic poni Eduth. Non desunt qui vertant Super Sosannim decoram. Sed res hæc tanti momenti non est vt magnopere laborandum sit. quin etiam qui peritissimi sunt vetustatis, nihil afferunt præter coniecturas probabiles. Porro quanquam hic Psalmus proximo affinis est, sicuti in argumento attigimus, videtur tamē cōpositus esse in gratiam decem tribuum, postquam variis cladibus regnum illud atteri cœpit. Neque enim abs re fit expressa mentio Ioseph, Ephraim, & Manasse. Excipiunt quidam interpretes, Prophetam ad situm & ordinem castrorum alludere qualis à Mose describitur: quia ab vna parte progrediebantur Ephraim & Manasse. Sed frigidum esset, præterita tribu Iehudah, & vrbe quoque sancta, in medium proferri Ioseph, Manasse, Ephraim & Beniamin: nisi de regno Israel specialis fieret sermo. Siquis obiiciat, ex quo alienatæ fuēre decem tribus à domo Dauidis, fuisse degeneres, & illic corruptum fuisse Dei cultum: respondemus multos illic pios Dei cultores habitasse, qui non flexerant genu coram Baal, nec se ad communes superstitiones proiecerant. Ideóque in tribu Iehudah duritiem accusat Amos cap. 6. b. 6, quod illic nemo ingemiscebat super plaga Ioseph. Scimus etiam in illa defectione missos fuisse Prophetas qui spem redēptionis facerēt. Quāuis ergo omnes ferè essent apostatæ, residuum semen non neglexit Deus: & quemadmodum prius futuris malis solatium in variis initiis gratiæ suæ dederat, sic nunc preces dictando confirmat fouétque in eadem spe, donec re ipsa experiātur se non fuisse vanis promissionibus lactatos. Hinc tenemus quid duo isti Psalmi proximi inter se differant.

2 *Qui pascis Israel ausculta, qui ducis tanquam oues Ioseph, sedens inter Cherubim appare.*

Qui pascis Israel. Vel, ô pastor Israelis. Propheta Psalmum orditur à precatione, & appellationes quasdam admiscet quibus Deum competenter & ad causam quam agit, appositè appellat. Non dicit, Qui sustētas & moderaris omnia quæ in cœlo sunt & in terra, & qui sedem tuam super cælos cælorum cōstituisti: sed, Qui pascis Israel, &c. vt promissione diuinæ præsentiæ ac tutelæ se ad precandi fiduciam erigeret. *Ausculta.* Sub. quæ dicturus sum. *Qui ducis tanquam oues Ioseph.* Antequā Ephraim & Manasse nominet Propheta, ponit nomen Ioseph: cur potiꝰ quàm Iehudah, nisi quia seorsū de regno Israel, cuius potestas erat penes familiam & posteros Ioseph, verba erat facturus? Neq; absurdum est, vt diximus, quum peculiares illis dati fuerint Prophetæ, postquam Dei flagellis percussi sunt, additam fuisse precationē qua Deus reliquias sibi colligeret. Cæterùm ne sibi blandiantur in cultu adulterino, vocando Deum sessorem Cherubim, Propheta eos ad puram Legis doctrinam reuocat. Propiciatorium enim pignus erat præsentiæ Dei, vbi Deus se propinquum fore promiserat, vt eorum vota exaudiret. *Sedens inter Cherubim.* Populum Israelem, gregis loco habere se Deus receperat, acturumque se illi pastorē promiserat, ipque eius signum sedem dignationis suæ inter Cherubim, in operculo Arcæ delegerat, de quo suprà, 24.b.7, vbi de futura tēpli structura agitur. & alibi, Sic enim præceperat Deus Mosi, Faciéntque mihi tabernaculū, & habitabo in medio eorū, Exodi 25.a 8. Et versu 22. loquēs de Arca, Inde præcipiam & loquar ad te suprà propiciatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. Formam hanc diuinitus præscriptam, hominum arbitrio mutari fas non fuit. Monentur ergo Israelitæ ac iubentur redire ad primam originem, vt Deum propitium inuocent. Cæterū hoc epitheto, mirus erga homines Dei amor exprimitur, quòd se quodammodo exinaniat vt ad eos descendat, sedémque & domicilium sibi deligat in terra, vt habitet in medio ipsorum. Neque enim fideles ipse, sicuti loco non includitur quem cæli cælorum non capiunt (1. Reg. 8.c.27) sed respectu hominū locatur inter duos Cherubim, ne fideles remotum à se fingendo, perplexi hæreant in accessu. Interea tenendum quod attigimus, legitimam orandi regulam proponi Israelitis, ne in Dan & Bethel Deum à se fabricatum inuocent, sed superstitionibus valere iussis, vera fidei luce regantur, verbum Dei sequendo. Discamus & nos hoc exemplo fiduciam orandi ad Deum ex notis diuinæ & paternæ erga nos beneficentiæ in Christo vero pastore & propiciatorio declaratæ alere & corroborare. *Appare.* Vel, Splendere, affulge. Id est lucere fac faciem tuam, vt versu quarto dicet.

3 *Coram Ephraim & Beniamin & Manasse excita virtutem tuam, & veni in salutem nobis.*

Coram Ephraim & Beniamin. Orant hoc versu vt potentiam suam Deus excitet, & præsentem se exhibeat ad saluādum afflictos. Quod addunt, Excita potentiam tuam: vel, suscita fortitudinem tuam, innuit eos opponere Dei virtutem potentiæ impiorum hostium, qua Israel premebatur, ita vt gloria potentiæ Dei periclitaretur, quæ veluti consopita videbatur, obtinente vbique impiorum libidine & tyrannide. Ideo orant Deum, vt hanc excitet, hoc est declaret & ostendat. Ideo sibi vult quod subiiciunt, *Et veni in salutem nobis.* Vel veni vt saluos facias nos. Videtur enim abesse Deus ac deseruisse populum suum, quando illum impiorum libidini permittit: venisse & adesse, quando liberat & saluat.

4 *Deus conuerte nos, & lucere fac faciem tuam & salui erimus.*

Deus conuerte nos. Quidam vertunt, Deus redi ad nos. Alii, Deus recipe nos in gratiam. Sed simplex sensus est, Restitue nos. Petierāt fideles versu proximo vt virtutem suam erigeret Deus coram Ephraim & Manasse: nunc queruntur se proiectos, donec succurrat Deus & miseræ dissipationi remediū afferat, & præsentem opem exhibeat: acsi dicerēt, Nos variis malis afflicti ad te vnum confugimus, cuius proprium est reddere vitam mortuis: facito igitur vt auxilio tuum nobis in tempore succurrat. *Et lucere fac faciem tuam.* Humano more de Deo loquuntur: nam ita comparati sumus, vt irati facie simus contracta, seuera, obscura & auersa: benigni verò, aperta, hilari, illustri & porrecta. Orant itaque fideles Deum, vt remissa indignationis seueritate, benignum se & placatum populo suo exhibeat. Nam sicuti fatentur malorum omnium hanc esse causam, quòd Deus offensus faciem absconderit: ita rursum plenam salutem ab vnico Dei fauore expectant. Hæc (inquiunt) vera erit nobis resurrectio, si modò facies tua nobis illuceat: acsi dicerent se propitio & fauente Deo beatos fore, sibique omnia fœliciter cessura. *Et saluabimur.* Vel, seruabimur. Nempe, si tu nobis faciem exhibueris serenam & illustrem. Viuemus & regnabimus, nec vllo bono destituemur, si placatus nos respicias, & fauore tuo dignatus fueris. Hic versus quartus est intercalaris, ternò enim repetitur in hoc Psalmo.

5 *Iehoua Deus exercituum quousque fumabis in oratione populi tui?*

Iehoua Deus exercituum. Adiungunt precationi querimoniam, vt solent ardentes orantes. *Quousque fumabis in oratione populi tui?* Vel, in orationem populi tui. Solet enim supramodum iratis fumus quodammodo è naribus exire. acsi dicerent fideles, Domine Deus, cui omnes quamuis potentissimi parent exercitus, cuique subsunt omnia, quousque tandem excandesces, nec admittes precationem populi tui, nempe miseri & oppressi. Quidam vertunt Quousque irasceris precationi? q. d. Quousque velut iratus repudiabis orationem, &c. Sed quum vltrò promittat Deus, & toties affirmet non irrita fore suorum vota, mirum est cur non obiiciant sancti sibi esse implacabilem, vtcunque ad eum confugiant. Neque enim tantum queruntur se non exaudiri, sed eum fumare vbi inuocatur: acsi data opera hoc pietatis officium respueret. Vbi igitur illa promissio, Antequam clamauerint, ego exaudiam? Esa. 65. d. 24. Sed quia Deus auxilium suum differens, suorum patientiam exercet, ex sensu carnis dicit Propheta eum esse surdum ad preces. Non quòd in hac opinione subsistere precantes cōueniat: (viam enim sibi præcluderent) sed quanuis eos contra; eio fidei sensum eniti & penetrare in cælum oporteat, vbi occultam salutem cernant, Deus tamen permittit, vt exonerēt animos suos, curas, solicitudinem, dolores & metus quibus aguntur in medium proferre. Videtur autem tacita esse allusio inter fumum iræ Dei & suffitum qui sacrificiis adhibebatur sub Lege. Quum enim hic ad purgandum cælum valeret, queruntur diuerso fumo tenebras offundi, ne ad Deum perueniāt sui gemitus.

6 *Cibasti nos pane lachrymarum, & propinasti in lachrymis copiam.*

Cibasti nos pane lachrymarum. Queruntur de miserabili & lachrymoso luctu, in quem sint per iram Dei coniecti, qui tantos fuerit vt lacrymæ loco cibi & potus fuerint. hoc est, vt crebris sese ieiuniis & orationibus lugentes & illachrymantes confecerint. Eundem enim sensum habet hic versus quē quar-

tus Psalmi 42. Nam magnitudinem doloris,& longum etiam malorum tractum his loquendi modis exprimunt: acsi dicerent se confectos fuisse tristitia vsque ad summam satietatem. *Et propinasti in lachrymis copiam.* Vel,& propinasti eis lachrymas in mensura. Vel& potasti nos lachrymis ampla mensura. Vel, copiosissimis שליש Nomē mensuræ est sic dictæ, quod tertiā partē mensuræ maximæ cōtineat. Gallicè dicas, *A grand mesure.*

7 *Posuisti nos rixam uicinis nostris & inimici nostri subsannant apud se.*

Posuisti nos rixam. Hebraismus.q.d.Effecisti vt contenderent siue rixarentur nobiscum vicini nostri,qui debebant nobis esse amici. Vel,de nobis. Id est,Vt contenderent inter se de nobis tanquam de præda,vt fieri solet inter milites dum quisque spolia ad se rapere appetit. Prior tamen sensus videtur melius quadrare,vt querantur totidem sibi hostes fuisse quot vicinos, quum tamen mutuæ beneuolentiæ vinculum debeat esse ipsa vicinitas. Eodem pertinet quod subiiciunt. *Et inimici nostri subsannāt apud se.* Alii legunt subsannauerunt nos sibi. Id est,animi causa. Vel,Inter se,aut,Intra se. Hic Ridere apud se significat de rebus aduersis vltro & citro per iocum & ludibrium inter se fabulari. Acceperat hic populus à Deo suo tantum benedictionis,donec in Lege eius integro corde permansit, vt esset in caput vicinarum gentium,& non in caudā in terrorem omnibus vicinis,& non in subsannationem. Verùm vbi deserta verbi Dei obedientia alienorū deorum cultū admisit,& persuasu mundanæ sapientiæ vicinis gentibus in alienum cultum coniungi cœpit,nec vllis Propheticis admonitionibus ad verum ac sincerum cultū Dei reduci sustinuit,iustissimo Dei iudicio factum est vt abierit in contentionem & derisum vicinarum gentium, è quarum fœdere & coniunctione rerum suarum & publicæ pacis firmitudinem sperauerat. Itaque hoc Dei iudicio adscribūt, in cuius manu est flectere hominū animus, vt hoc modo se ad pœnitentiam hortētur. Quū verò eiusdem hodie reatus simus nobis conscii, non mirum est si nihilo etiam melior nostra conditio. Sed quum formam hanc precandi fere desperatis Spiritus sanctus dictauerit, spes nobis & libertas suggeritur ne ab inuocatione peccata nostra nos prohibeāt: modo corde sincero ad Dei auxilium confugiamus.

8 *Deus exercituum conuerte nos,& fac luce te faciem tuam, & salui erimus.*

Deus exercituū conuerte nos. Repetitio est quarti versus. Dubiū tamen non est quin ad superandum obstaculum iterum repetatur: quia inanem battologiam Deus suis dictare noluit, sed vt malis grauati, audacter nihilominus assurgerēt, hæc fultura sæpius oblata fuit,sicuti tertiò repetitur in Psalmi clausula.

9 *Vitem ex Ægypto transtulisti,expulisti,gentes & plantasti eam.*

Vitem ex Ægypto transtulisti. Vel,traduxisti. Futura Hebræa pro præteritis,pro fecisti,fecisti. Hic Propheta summatim potentiæ & beneuolentiæ Dei beneficia refricat, & vitis similitudine commendat singularem Dei gratiam, qua redemptum populum dignatus est: quod ad spem impetrandi non parum habuit efficaciæ. Quis enim nostrûm in Dei conspectum prosilire audeat donec præueniat nos ipse? Inuitat autem nos tam beneficiis quàm verbo: atque hoc consilio nunc exhibetur sua liberalitas, ne inchoatum deserat opus manuum suarum. Quanquam autem sine verbo frigerent apud nos Dei beneficia,vbi tamen ad verbi testimonium accedit experientia, non vulgariter nos animat. Et redemptio cuius hîc meminit Propheta, fœdere Dei vestita fuit, quia annis antè quadringentis Abrahæ eam Deus pepigerat. Summa huc redit,indignum esse vt Deus vitem manu sua plantatam & exquisitè cultam à feris bestiis nunc lacerari sinat. Neque enim tridui vel exigui temporis erat Dei fœdus, sed filios Abrahæ sibi adoptauerat quos perpetuò tueretur. Vitis autem nomine significat Propheta quanto in pretio populus hic coram Deo fuerit,quē non modò instar hæreditarii fundi sibi esse voluit, sed, sicuti vitis supra reliquas possessiones excellit, peculiari honore dignatus est. Eadem similitudine vitis vsi sunt Prophetæ, Esa.5.a.5.& Ierem.2.d.21.Et Christus Seruator noster,Matth.21.e.33. *Expulisti gentes,& plantasti eam.* q.d. Scis Domine quòd sumus populus tuus quem adoptasti:transtulisti enim patres nostros ex Ægypto, & expulsis è terra Chanaan gentibus,sedem illic dedisti eis, vt haberes gregem aliquem separatum à reliquis gentibus:vide igitur ne euanidum sit fœdus tuū quod cum patribus ac eorum posteris pepigisti.

10 *Expurgasti coram ea, radicasti radices eius, & impleuit terram.*

Expurgasti coram ea. Quidam, Repurgasti locum ante eam. Alii,Euacuasti,expurgasti. Metaphoricè repetit quod sine figura dixerat,Gētes fuisse expulsas,vt vacuus esset locus electo populo. Notat Propheta diligentiam Dei,singularem illam qua antequam israelem in terram hanc introduceret & collocaret, omnia ea reiecit ante illius faciem quæ commodam inhabitationem impedire poterant. Sic solent res geri quæ ex animo geruntur,vt non simpliciter & vtcunque, sed ita fiant vt commodæ sint illis quorum gratia geruntur. Posset etiā hîc allusio quædā esse ad cōtinuas fossiones, quibus vites, ne degenerent, purgandæ sunt:vt Propheta significet Deum functum esse agricolæ partibus erga suum populum,quia non destiterit post plantationem,in eo fouendo & conseruando operam impendere. Nam quod continuò pòst addit, *Radicasti radices eius*(Vel,Produxisti radices,) non debet intelligi de prima satione,sed de propagatione, quæ vna est culturæ species. q.d. Tu propagasti vitem tuam, & illi tua virtute adfuisti, vt populus tuus in terram inductus quietè ageret, nec vllis impiorum viribus turbaretur, sed in dies magis ac magis inualesceret, ita vt cuncti hostes in ipsius potestatem redigerentur. *Et impleuit terram.* De ea benedictione loquitur,quā Deus pollicitus erat Abrahæ, nempe de multiplicāda in immēsum gente, Genesis 17.a.5,& 22.c.17. Quanquam hæc multitudo non est statim consideranda post terræ ingressum: sed potius temporibus Dauidis, quibus quanta fuerit, videre est,1.Reg. 4.b.20.21.

11 *Operti sunt montes umbra eius,& palmites eius cedri Dei.*

Operti sunt montes umbra eius. Hoc addit, quia tota regio,licet montuosa esset, incolis referta fuit: in tantam multitudinem creuit populus ille. *Et palmites eius cedri Dei.* Comparat palmites huius vitis cedris Dei,hoc est pulcherrimis vel eximiis quibusque,quo illustrior reddatur Dei benedictio. Vide supra,36.b.7.

12 *Emisit malleolos suos usque ad Mare,& usque ad Fluuium propagines suas.*

Emisit malleolos suos. Vel misit ramos suos. Futurum Hebræū pro præterito. Hic prædicat amplitudinem ac latitudinem regni israelitici, de qua vide Suprà,72.b.8. Ab vna parte Dominus assignauerat populo suo hæreditatem vsque ad fluuium Euphratem: ab altera parte erat Mare mediterraneum. Mare igitur & Euphrates,termini promissæ hæreditatis fuerunt diuinitus præfixi. Promissiones huius amplitudinis leguntur, Exodi 23.g.31, & Deut.11. c.24, & Iosue 1.a.3.4. Impletio verò, 1 Reg.4.b.20.21.

13 *Cur diruisti sepem eius,& discerpserunt eam omnes transeuntes per uiam?*

Cur diruisti sepem eius. Superioribus versibus ostendit Propheta quàm dilexerit Deus israelem,quanta illum diligentia ex Ægypto liberatum in terrā Chanaan,expulsis gentibus,induxerit,in illa confirmauerit,multiplicauerit,illustrauerit,& dilatauerit. Nunc similitudinem applicat, dicens nihil minus consentaneum esse quàm Deum vitem à se plantatam feris bestiis euellendā tradere. Cur diruisti(inquit)sepem eius, vel macerias eius? Custodia vineæ est maceria qua circundatur,ne quorumuis libidini pateat. Prima igitur vastationis portio est,maceriæ destructio.Sicut dicitur, Auferam sepem eius, & erit in direptionem, &c.Esa.5.b.5. *Et discerpserunt eam omnes transeuntes.* Quidam,Et collegerunt eam. Vel,ex ea. Significat Vates populum diuina custodia destitutum quorumuis libidini ita fuisse expositum,vt nihil expectandum fuerit aliud quàm omnimodum exitium,omnia vastantibus impiis hostibus: hoc queruntur fideles accidisse. Deus quidem se ad factum sæpius minatur ac denūtiat per Prophetas: sed in eū finē,vt populi ingratitudo magis reddatur detestabilis, quæ prodigiosū illud pœnæ genus extorsit. Interea non abs re ex tam præclara Dei beneficentia fiduciā concipere iussi sunt fideles: saltem vt in ipsa euulsione sperarent curæ se futuros Deo,qui opus manuum suarum nunquam deserit, Infrà,138.b. 8. Etsi enim ad vastitatem redactus fuit populus, insanabilis suæ pertinaciæ culpa, paucis tamen palmitibus seruatis vitē suam deinde restituit Deus. Hæc quidem deprecatio toti populo fuit proposita, qua horrendæ dissipationi occurreret. Cæterùm quia paucissimi Deo verè supplices facti sunt, vt irā eius restinguerent, satis fuit illos ab interitu eripi, vt noua deinde vitis exurgeret.

14 *Vastauit eam aper è sylua, & fera agri depasta est eam.*

Vastauit eam aper è sylua. Apri è saltu nominatim meminit & ferarum agri,quia solent vineæ ab his maximè depasci. Dixit autem aprum pro apris,vel & feram agri pro feris,ne quis putet de singulari aliqua fera sibi philosophandum. Interea,au ditheris istis augetur indignitas,dum ab vna parte Deus vini-

cor statuitur: ab altera autem, non modò quicunque transeunt, sed apri quoque sylvestres, aliæque feræ bestiæ. Sunt qui verbum כסם accipiunt pro ventrem sarcire: quæ significatio nisi paulò esset ab vsu remotior, præsenti loco aptè quadraret.

15 *Deus exercituum revertere obsecro, inspice è cælis, & vide, & visita vitem hanc.*

Deus exercituum revertere. Orant vt rursus vitem hanc respicere Deus dignetur. Videbatur enim populum suum deseruisse, dum omnia hostium libidini permisit. Pollicitus quidem fuerat Israeli quòd habitaret in ipsius medio: sed addita conditione, nempè si præcepta illius servarent, Levit. 26.a.3.b.10. Conditionem hanc neglexerunt: ideo divina præsentia qua protegerentur destituti fuerunt. Quare afflicti nunc & derelicti, favorem ac benevolentiam Dei ambiunt. Itaque his verbis docere voluit Propheta, quamvis ad tempus faciem suam occultet Deus, imo speciem alienationis præbeat, tentationi minimè cedendum esse: quia, modò cum certa spe veniæ quæratur, quos abiicere visus est, placatus in gratiam recipiet. Etsi autē hæc summa fuit populi dignitas, censeri Dei vineam: dum tamen hoc respectu Deum sibi conciliant fideles, nihil afferunt proprium, sed tantùm postulant ne deficiat in medio liberalitatis cursu. *Inspice è cælis.* Non abs re interposita fuit hæc particula. Nimirum, ne fidem suam procul extendere fideles dubitarent, quamvis ab ipsis longè distaret Deus à quo recesserant: deinde si nullus liberationis modus apparebat in terra, vt in cælum suspicerent. *Et vide.* Nempe calamitatem nostram. Vel, contumeliam vineæ tuæ illatam. Nam sicut Deus de cælo despexisse ac vidisse dicitur, vel quando insignem aliquam impiorum malitiam & improbitatem iusto iudicio vlciscitur: vel quando suorum, supramodum & extremè afflictorum, calamitatem miseratus, auxilium ita conspicuum & luculentum demittit, vt cælitus liberatos esse nemo dubitare queat. ita solent, qui intenso vel impiorum malitiæ, vel suæ aut alienæ calamitatis sensu tanguntur, ad Deum clamare, ac petere vt de cælo despiciat ac videat: nihil addubitātes vel tantam esse impiorum temeritatem vt non possit illis non summopere succensere: vel adeo miserandam esse miserorum calamitatem, vt nequeat illorum non misereri, modò de cælo despicere ac videre dignetur. *Et visita vitem hanc.* Hoc est, propitius nobis esto, & clementiæ tuæ signa quibus patres semper iuvisti, nobis quoque ostendere velis.

16 *Et hortum quem plantavit dextera tua, & super filium [quem] confirmasti tibi.*

Et hortum quem plantavit. Quidam, Et vitiarium. Alii, Et plantationem quam, &c. Alii, Et sedem quam, &c. Alii, Et locum paratum, id est, terram Israel. sub. visita, inquit. Sedem plantare dixit, vt Dan. 11.g.45. Et plantavit tabernacula. Est autē metaphora priori affinis, qua notatur singularis Dei in ornando populo liberalitas. *Et super filium quem confirmasti tibi.* Quidam, Et super plantationem, &c. Alii, Et super filium (id est ramū) quem coborasti tibi. Id est, quem in gratiam tuam fortificasti, sive fortem reddidisti, vel, viribus adornasti. Ergo filii nomine intelligit palmitem manu Dei consitum. Scriptura enim id filium cuiusque rei vocat quod ab ea factum est, aut servatur, vllâve ratione ad illam attinet. Sic Esaias, 5.a.1, locum vberem vocat filium olei. & 21.c.10, vocat Babel filium areæ suæ, quòd ita vt frumentum in area, eam vellet conterere.

17 *Combusta est igne, excisa est: ab increpatione vultus tui pereunt.*

Combusta est igne. Vel, Incensa est igni. Non sine magno commiserationis affectu Propheta clades populi iam clarius exprimit. Dixerat vitem Dei bestiis fuisse expositam ad direptionem. Longè autē durius est incēdio consumi, eradicari & perire. Etsi autem perfidè desciverant à pietate Israelitæ, erāt tamen adhuc Ecclesiæ portio, vt dictum fuit. Quare hoc tristi eorum exemplo monemur, quàm severis pœnis digna sit nostra ingratitudo, præsertim vbi accedit cōtumacia, vt minis & obiurgationibus nihil Deus apud nos proficiat. Simul autem discamus, vbi passim ardet ira Dei, inter medias tamen incendii flammas dolores nostros in Dei sinum reiicere, qui mirabiliter Ecclesiam suam ab interitu suscitat. Paratus quidem esset non modò cōtinuo tenore prosequi suum erga nos favorem, sed magis ac magis nos locupletare, nisi obstaret nostra pravitas: sed quia fieri non potest quin tot sceleribus succenseat, hoc inæstimabilis clementiæ est, vbi ignis à nobis accēsus longè latéque grassatus est, eo restincto aliquam Ecclesiæ partē residuā servare, vel vt magis propriè loquamur, excitare ab ipsis cineribus populum qui nomen suum invocet. *Ab increpatione vultus tui pereunt.* Vel, ab increpatione iræ tuæ perceunt illi, nempe Israelitæ. q.d. Ecce plantula illa tua quam dextera tua plantavit, succiditur & in ignem mittitur. Et hoc illi ab increpatione vultus tui contingit, qua perit, nisi placatus perituris succurras. Sicuti ab illustratione faciei Dei salutem venire Propheta testatus est, ita nunc repetit non iri & armis hostium, sed increpatione vultus Dei Ecclesiam periisse: quia nūquam speranda est pœnarum mitigatio, nisi verè persuasi simus manu Dei iustè nobis infligi. Et hoc resipiscentiæ signum fuit, ad manum percutientis respicere: sicuti dicitur, Esa. 9.c.13.

18 *Sit manus tua super virum dexteræ tuæ, super filium hominis [quem] confirmasti tibi.*

Sit manus tua. Rursum facit populum, Dei beneficiorum in se meminisse, & precationem qua vsus fuerat sub figura vineæ, simplicibus verbis repetit, quum orat vt manus eius sit super virum dexteræ eius, cui scilicet dextera sua mirabiliter semper adfuerit: item filium quem sibi confirmavit. Quo loquendi modo solemus protectionem eam quæ infirmioribus ab iis qui potentia valent impenditur, exprimere. Incertum est autem, quum virum dexteræ, & filium hominis dicit, de solo rege, an de populo ipso loquatur. Nam etsi Iarobeam vnctus fuit in regem, non tamen legitimo iure honorem illum adeptus est: nec quēquam ex successoribus ita Deus probavit, quin semper & ius & potestas regni maneret penes posteros Davidis. Neque enim (vt Suprà, 78.g.67. vidimus) elegit Deus tribum Ephraim, imo inviolabili eius decreto sceptrum datum fuerat familiæ Iehudah: sicuti continet vaticinium Iacob, Gen. 49.b.10. Ergo impia ruptura fuit quum maior pars populi defecit ad Iarobeam. Solvi tamen potest hic nodus, quia etsi perversum fuit regni principium (sicut dicitur apud Oseam cap. 13.c.11. Dedi vobis regem in furore meo) tolerantia deinde probatum fuit: & vnctio testata est ratum Deo fuisse quod perperam tumultu populi gestum fuerat. Potuit igitur populus Israel regem suum dicere à Deo creatum & stabilitū, qui in remedium dissipationis additus fuerat filiis Davidis. Etsi enim dissidio illo collapsus est status populi, fultura tamen illa arcano Dei consilio supposita fuit ne concideret. Sed nos libenter totum Ecclesiæ corpus complectimur. Nec temerè singulari numero vsus est Propheta, quum vellet Deus populum illum instar esse vnius hominis. qua etiam ratione Paulus in vno semine insistit, Gal. 3.c.16. Diffluxerāt enim Ismael, Esau & alii, quum Deus redemit ac collegit semen Abrahæ. Ita filius hominis vocabitur populus quem sibi adoptaverat Deus, vt esset quasi vnus homo. Quia tamen vnitas hæc pendebat à capite, non displicet regem diserte notari quatenus retinebat maiorem populi partem, ne exitiali ruina periret. Cæterùm hic rursum Propheta nonnisi prioribus Dei beneficiis innititur ad conciliandum eius favorē: acsi diceret, Domine, quia tuum est perficere quod cœpisti, regem abs te nobis datum custodias. Est autem hæc orationis particula non eorum qui adhuc de suis viribus præsumentes, necessitatem divinæ protectionis nondum agnoscunt, sed eorum qui propriæ infirmitatis experimentum ceperunt, ac cognoverunt, se, etiamsi è manibus hostium eripiātur, ac in pristinum locum restituantur, firmos tamen persistere non posse, nisi eiusdem virtute protegantur à quo sunt erepti ac restituti.

19 *Et non recedemus abs te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.*

Et non recedemus à te. Habet hic versus annexum precationi votum, quo in posterum fidei constantiam, & divini nominis invocationem fideles pollicentur. Non recedemus à te: acsi diceret, Si exaudieris nos, ac vivificaveris, nō erimus ingrati. Nā tota vita nomē tuum celebrabimus, & iuxta Legis tuæ præscriptum actiones nostras omnes instituere conabimur. Quanquam sic contexi potest hic versus, Domine, etiam in rebus nostris deploratis manebimus sub tuo obsequio, neque malorum acerbitas ad defectionem nos impellet. Tua autem gratia & virtute restituti, celebrabimus nomen tuum. *Vivificabis nos.* Vel, (vt quidam vertunt) vivifica nos. *Et nomen tuum.* Tuum inquam, & non alienorum deorum, sed tuum solius nomen *invocabimus.* Ad verbum, Et in nomine tuo invocabimus. Idem est fere ac, Et invocatio nominis Dei pro vitulis labiorum accipitur. acsi dicerent, Profitebimur te esse Deum nostrum, celebrabimus tuam erga nos bonitatem, testabimur nos abs te esse redemptos & liberatos.

20 *Iehovah Deus exercituum converte nos, fac lucere faciem tuam, & salvi erimus.*

Iehovah Deus exercituum. Tertia versus quarti repetitio, quæ facta est ad significandum vehementissimum ardorem. Nam

omnia affectibus arděr, & iis ex desiderio gloriæ Dei illustrā darnaris. Digna omnia quæ Christiani diligenter expendant: nam omnino sic vt hic Psalmus canit, habet sors illorum.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXI.

[a]Author huius Psalmi, quisquis fuerit, [a]populum ad colendum seriò Deum hortatur. [M]Deinde simul Deū inducit qui populo ingratitudinem exprobrat, [c]eo quòd illum blandè & comiter ad se inuitās, nihil profecerit, quin iugum Legis peruicaciter respueret.

PRæfecto super Githith Asaph.

Præfecto. [v]Vel, victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Super Githith Asaph.* Instrumenti musici nomen est Githith, allatum ex Gath vrbe Palæsthinorum, vt quidam sentiunt. acsi dicat, Psalmus Asaphi Psalmographi, traditus ei qui præerat cantoribus, vt canotaretur super instrumento Githith. vide Suprà, 8.a.1.

2 *Exultate Deo, fortitudini nostræ, iubilate Deo Iacob.*

Exultate Deo fortitudini. [M]Habet hic versus mutuam adhortationem ad spiritualiter gaudendum & exultandum. [c]Probabile autem est Psalmum hunc festis diebus quibus solennes suos conuentus agebant Iudæi, fuisse destinatum. Nam à principio ostendit non fuisse ordinem illum diuinitus mandatum vt Iudæi & muti ad tabernaculum starent, (quia Deus neque otio, neque frigidis ac inanibus cæremoniis colitur) sed vt talibus exercitiis fidei vnitatē inter se fouerent, profiterentur suam pietatem, & se animarent ad continuos eius progressus, suaque studia coniungerent ad laudandum Deum: denique vt in sacro fœdere retinerentur, quo sibi Deus eos adoptauerat. Quum vero hic fuerit dierum festorum vsus sub Lege, colligere etiam licet, quoties hodie conueniunt fideles, debere finem hunc esse propositum vt se exerceant in vera pietate, Dei beneficia in memoriam reuocent, proficiant in eius verbo, fideique suæ consensum testentur. [c]Friuolis enim ac inutilibus cæremoniis ludunt homines cum Deo, nisi inprimis vigeat doctrina fidei, quæ ad inuocationem eos incitet, nisi etiam beneficiorum recordatio suggerat laudum materiam. Imò mera est profanatio nominis Dei, dum extincta doctrinæ luce externo tantùm cultu defungitur populus. Ideo Propheta non solùm fideles iubet ad tabernaculum conuenire, sed de fine quoque admonet, vt illic renouetur memoria gratuiti fœderis, vnde augescat fides eorum & pietas, vt celebrentur Dei beneficia quæ animos ad gratiarum actionem stimulent. [M]Notandum verò quòd non simpliciter dicit Propheta, Exultate & iubilate: sed addit, Deo, admonens vt nulla alia in re, quàm in Deo suo, nec alio fine, quàm ad gloriam Dni, exultet. [a]Ita Apostolus dicit, Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete, Philipp. 4.a.4. *Fortitudini nostræ.* [a]Hoc est qui robur & vires nobis suppeditat, & in quo omnibus nostris hostibus superiores esse possumus. sicut alibi dicitur, In Deo faciemus virtutem, Suprà, 60.c.14. *Iubilate Deo Iacob.* [M]q.d. Non cuiuis Deo, sed Deo vero, (inquam) qui se Iacobo & patribus patefecit, exultandum est ac iubilandum. In summa, Spiritus sanctus Israelitis inculcat vt in Deo suo, qui non sit recens aliquis, sed patrum ipsorum Deus: nec infirmus ac desertor populi sui, sed fortis, à quo toties sint summa cum potentia asserti, gaudeant, imò exultent.

3 *Sumite canticum, & date tympanum, citharam iucunditatum cum nablo.*

Sumite canticum. [a]Quidam vertunt, Sumite Psalmum. *Et date tympanum.* [M]q.d. Quouis modo & quouis musicorum instrumentorum genere declarate cordium vestrorum gaudium, quo in Deo nostro quisque afficitur. [c]Quantum ad tympanū, citharam & nablum attinet, diximus alibi, & postea dicendum erit, Leuitas non abs re musicis instrumentis vsos fuisse sub Lege: quia tenerum adhuc & pueris similem populum Deus talibus rudimentis docere voluit vsque ad Christi aduentum. Nunc vbi Euangelii claritas, discussis vmbris Legalibus, cultum Dei magis simplicem nobis commendat, stultè ac peperam imitaremur quod Propheta nonnisi ætati suæ præcepit. Vnde apparet Papistas hoc ad se transferendo, simias fuisse. [M]Vide de musicis instrumētis, 1. Paral. 16.a.4.7. & 25.a.1. Et Amos, 6.b.5.

4 *Clangite tuba in nouilunio, tempore statuto ad diem sacrificii nostri.*

Clangite tuba in nouilunio. [a]Alii, Clangite buccina in Calendis. [v]Vel, in noua Luna. Græcè *νεομηνίᾳ*. [c]Sub nouilunio Propheta per synecdochen alias quoque ferias designat. *Tempore statuto ad diem sacrificii nostri.* [v]Vel, tempore ad id determinato, nimirum die festiuitatis, &c. Quidam vertunt, In definito tempore ad diem sacrificii nostri. [c]Nam etsi quotidie offerebantur sacrificia, Vates tamen dies sacrificii per excellentiam nominat, quibus se ex Legis præscripto sistebant fideles ad tabernaculum. [M]Nam certos per annum festos dies Israeli præscripsit Deus. Habebant singuli suas rationes, ob quas in omnibus exultandum erat: vno dempto qui expiationi deputatus erat, in quo omnis anima se affligere debebat, Leuit. 23. d.27. Nunc verò noui Testamenti tempore, in quo locum nō habēt Legales vmbræ propter corporis illatum veritatē (quæ Christus est) fideles ad iuge & perpetuum gaudium inuitantur, Phil. 4.a.4. Nam hic mensis est ex mense, & sabbathum ex sabbatho, Esa. 66.g.23.

5 *Quia statutum Israeli hoc, iudicium Deo Iacob.*

Quia statutum Israeli hoc. [a]Quidam legunt, Quia cæremonia Israeli istuc. *Iudicium Deo Iacob.* [v]Vel ius. Id est, mos iustè institutus in honorem Dei Iacob. Verti potest, Et ius à Deo Iacob. sub. profectum. Quidam vertunt, Legitimum. [c]Quo efficacior sit Prophetæ exhortatio, Legem hanc impositam fuisse docet populo Dei, quasi sanciatur æternum fœdus. Quia autem in fœderibus mutua est conuentio, dicit hoc statutum datum fuisse Israeli, & Deum sibi hoc ius pepigisse. [M]Cauendum autem ne statuta ista in nouo Testamento locum habere putentur. Nam, vt diximus, vmbræ fuerunt quæ veritatis aduentu erant abolendæ. Hinc Paulus ait, Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum: corpus autē Christi, &c. Colos. 2.c.15. [a]Vide item Gal. 4.b.9.10.

6 *Testimonium in Ioseph posuit hoc, quum egressus est super terram Ægypti: labium quod nesciebam audiui.*

Testimonium in Ioseph. [v]Sunt qui præpositionem subaudiētes vertūt, Pro testimonio. Alii, Vice testimonii, à verbo עוד. Quidam Hebræorum deriuant ab עדה ornauit: ac vertunt, Ornamentum in Ioseph, &c. acsi diceret, Deum hanc legem statuisse in Iacob, vt hoc modo populum suum ornaret. Et sanè verum est solēnem illum ritum decus fuisse & insigne Israelis: sed illud non conuenit huic loco. [c]Nam nomen istud עדות descendit potius à עוד, & contextus flagitat pro testimonio vel pactione accipi. [v]Vult enim Propheta hac dictione Testimonii, duo superiora, Statutum & Iudicium cōplecti. Est igitur testimonium siue conuentio (sic plerūque in Scriptura accipitur testimonium) inter Deum & Israelitas. *In Ioseph.* [v]Quanquam sæpe Israel, Iacob & Ioseph pro populo sancto accipiuntur, hic tamen Propheta potius nomē Ioseph pro toto Israele posuit quam nomen Iacob aut Israel, [c]quia ad primam originem respexit, quum post mortem Iacob distinctæ fuerūt familiæ. Nā quia nondum ad Iehudam peruenerat tunc primatus, Ruben verò gradu primogeniti exciderat, meritò excellunt posteritas Ioseph ob memoriam beneficii: quia fratrum suorum vtriúsque gentis pater & nutricius fuerat. *Quum egressus est.* [M]Notanter posita est hæc particula. Neque enim tempus tantū statuti & testimonii huius, sed & gaudii causam exprimit, animi videlicet gratitudinem propter liberationem & egressionem è seruitute Ægypti. [c]Nam sensus est, Redēptum hac lege fuisse populum, vt statis diebus ad renouandam gratiæ memoriam conueniret. [v]Quod tamen de egressu super terram Ægypti dicitur, nonnulli ad Deum referunt, acsi Propheta diceret, Quū Deus egressus esset super terram Ægypti, tunc mādauit populo suo vt celebris esset redemptionis memoria, vt statuti essēt dies quibus populus profiteretur se fuisse liberatū ingēti Dei gratia. [c]Et est loquutio satis trita in Scriptura, Deum coră populo suo egredi, sicut pastor gregem, vel dux exercitum præcedit, Habac. 3.c.13. [v]Alii, ad populum referentes, exponunt, Egressus est populus super terram Ægypti. quia per terrā ipsam peruagatus est. Terrebātur Ægyptii quum viderent populum crescere, & ad tempus animi eorum conciderant. Interim liberum fuit populo calcare terram Ægypti, acsi haberēt plenum & liberum imperium. vtraque expositio bene quadrat. Quia verbum Egressus, tam Deo quàm populo cōuenit. [c]Sunt quibus placet præpositionem Super, notare altiorem Iudææ situū: quia ascendunt qui illuc veniūt ex Ægypto, sed simplicior sensus est, populum, præeunte Deo, liberè peruagatum fuisse per terrā Ægypti, quia fractis ac pauefactis incolis datus est trāsitus. *Labium quod nesciebam, audiui.* [v]Quidam vertunt, Vbi linguā quam non noueram, audiebā. [M]Quidam hoc de lingua Dei exponunt, quam Israelitæ ex Ægypto educti antea incognitam audierunt, idque in monte Sinai: iuxta id quod Mosen dixisse legimus, Loquutus est vobis Dominus de medio Ignis: vocem verborum eius audistis, Deut. 4.b.11.c.15. [c]Sed rectius de lingua Ægyptiorum Israeli prius incognita locus hic intelligitur. Nā Propheta gratiam liberationis amplificat, dicēs, in persona totius populi se fuisse ex profunda barbarie ereptum.

nihil enim molestius est quàm peregrinari apud gentem cum qua nulla sit linguæ communicatio, quæ præcipuum est societatis vinculum. Quia enim lingua est velut character mentis ac speculū, non secus ac syluestres feræ, inuicem alieni sunt qui carent linguæ vsu. Et Esaias quum vult durissimum supplicium minari, pronuntiat venturos hostes profundis labiis & confuso gutture, cap.33.c.19. Itaque eo præstantius Dei beneficium populus agnoscit, quòd ab Ægyptiis ereptus fuerit, quorum linguam non intelligebat.

7 *Amoui ab onere humerum eius: manus eius ab ollis recesserunt.*

Amoui ab onere humerum eius. [V]Vel, Subduxi ab onere humerū eius. Alii, Amouere feci. [M]Iam Propheta inducit Deum populum suum veluti paterno alloquio conuenientem, déque beneficiis suis & propēsa in ipsum beneuolentia multa commemorantem, [C]vt palam fiat quot & quantis beneficiis sibi populum illum deuinxerit. Nam quo asperior erat seruitus vnde ereptti fuerant, eo optabilior & magis pretiosa fuit libertas. *Manus eius ab ollis recesserunt.* [V]Vel, ab aheno, à caccabis. Quidam, ab ollis. sub. conficiendis. [M]q.d. Miserrar & miserè afflictus populus meus, sed misertus illius sum, liberauique afflictum à durissima seruitute. [V]Vacabant Israelitæ vasis fingēdis, & aliis operibus quæ ex luto fiunt: quemadmodùm Moses narrat, Et amaritudinibus, inquit, affecerunt vitam illorum, opere duro & lateribus, & in omni opere in agro &c. Exo.1.c.14. [V]Quidā vertūt à pyra, rogo, vel fornace. Significat Psaltes ita addictos fuisse Israelitas ad fornacem, vt non liceret illis pedem vnum ab opere assiduo discedere. [C]Quum ergo refert curuatos fuisse sub onere, & figulinæ addictos, aliisque seruilibus & duris operis, contrarios status inter se comparans, magis illustrat redemptionis gratiam. Nunc ab illis ad nos anagoge tenēda est: quia vbi non tantùm ab onere lateritio subduxit Deus humeros nostros, nec tantùm manus nostras à fornacibus remouit, sed ex miserrima Satanæ tyrannide redemptos, ab inferis eduxit: multo sanctior est nostra obligatio, quàm veteris populi.

8 *In tribulatione clamasti, & eripui te, respondi tibi in occulto tonitrui: probaui te super aquas Meriba. Selah.*

In tribulatione clamasti. [A]Quidam, In angustia inuocasti me. [M]Prosequitur superiorem sententiā, & per apostrophen Deus populū suū alloquitur, admonēs illum tribulationis & liberationis. [C]Dicit se suppetias illis tulisse, quum afflicti clamarēt, quemadmodum apud Mosen dicebat, Vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & clamorem eorum audiui &c. Exodi.3.b.7. [C]Quod libenter de precibus intelligimus. Nam si interdum contingit eos qui ad vltimam necessitatē redacti sunt, confuso clamore deflere suas miserias, quia tamen in afflicto populo aliquæ manebant pietatis scintillæ, neque effluxerat ex cordibus promissio patribus data, dubium non est eorum preces ad Deum fuisse conuersas. Nam & qui nihil tale meditatum habēt, si tamen vrgeat maior aliqua necessitas, arcano naturæ instinctu ad Deum feruntur. Quo magis credibile est, promissionem illis fuisse magistram, vt ad Deum respicerent. Quia verò nemo Deum verè implorat nisi auxiliū ab eo sperans, melius conuincere debuit Israelitas clamor ille, vt redēptionem oblatam soli Deo adscriberent. *Et eripui te.* [V]Vel, liberaui te. [M]Non abs re afflictionis meminit Deus antequam de liberatione loqueretur. Quia nequit esse dulcis liberationis commemoratio, si tribulationis & afflictionis admissa fuerit obliuio. Et hæc causa est cur toties in Scripturis Israeli Ægyptū & seruitutē durissimā, & fornacem ferream, memoriæ gratia refricari legimus. veluti, Deut.4.c.20, & 1. Reg.8.f.51, & Ierem.11.a.4. *Respondi tibi.* [V]Vel, Et exaudiui te. Beati qui quum affliguntur, ad Deū clamant: nam illis respondet Dominus, & eos exaudit. Vide Infrà, 120.a.1, & Suprà, 91.c.15. *In occulto tonitrui.* [V]Vel, In arcano, In secreto tonitrui. [C]Quidā nimis argute arcanum tonitrui exponunt tonitru quod occultauerit gemitus populi, ne Ægyptios magis exacerbaret: sed simplex sensus est, arcano & admirabili modo exauditum fuisse populum, & tamen edita palàm fuisse signa, ex quibus intelligerent Israelitæ, diuinitus se iuuari. Quāuis ergo non apparuerit Dei facies, tonitru tamen notabile fuit latentis eius præsentiæ indicium. [V]Itaque Dei maiestas dicitur fuisse abscondita sub tonitru. [M]Discamus hic quo loco tonitrua nobis esse debeant, vtut ratio illorum filiis huius seculi sit abscondita. Respondet oppressis, & ad se ingemiscentibus & clamantibus Deus, quādo vel terræ motibus, vel horrendis tempestatibus iram suam contra impios declarat. Habet interea mundus iste seductores suos, qui vt iræ cælestis argumenta obscurent, naturales tantùm causas comminiscuntur, quibus illa tribuant. Sed hac de re Vide Suprà, 18,a.8.11 & 29.a.3. *Probaui te super aquas Meriba.* [V]Vel, Iurgii. Id significat vox Hebræa. Exodi 17.b.6. [C]Iam quo pluris gratiam hāc liberationis æstiment Israelitæ, obliquè illis Deus exprobrat indignos fuisse præstitam: quia malignæ & peruersi ingenii experimentum dederint apud aquas Meriba, Numer.14.f.54: acsi diceret, quum palàm tunc innotuerit vestra impietas, certè nulla à me habita fuit dignitatis vestræ ratio. Non minus autem in nos competit hæc obiurgatio quàm in Israelitas: quia non solùm quum afflicti essemus sub Satanæ tyrannide, Deus nostros gemitus audiuit, sed antequam nati essemus, redemptionis pretium nobis statuit in Filio vnigenito. Deinde quum inimici essemus, per Euangelium nobis & Spiritum illucens, ad gratiæ suæ participationem nos vocauit: & tamen non desinimus ei subinde obstrepere, imò, ferociter contra eum tumultuari. *Selah.* [S]Hæc particula monet conferendam inter se Dei in populum suum Israelem bonitatem, & huius in Deum ingratitudinem: nostri enim in eo typum habemus delineatum.

9 *Audi populi mi, & contestabor te, Israel si audieris me.*

Audi populle mi. [A]Quidam subaudiunt ante versus initium, tunc dixi, Audi popule, &c. [C]Quo melius animos permoueat Propheta, Deum induit persona doctoris, eumque familiariter in medio cœtu loquentem inducit: vt intelligat populus inutiles ac lusorios esse conuentus omnes, vbi vox Dei ad fidem & pietatem excitans non resonat. [M]Primùm ergo exigit Deus vt populus audiat, nec immeritò. Quid enim magis competit populo Dei, quàm vt Deum suum audiat? [C]Præterea hac præfatione breuiter docet Propheta non ritè nec purè coli festos dies nisi attenti sint fideles ad Dei vocem: quia vt manus, pedes, oculos, séque totos illi consecrent in obsequium, necesse est ab auribus incipere. atque ita ostendit nullos se agnoscere cultores, nisi qui discipuli sint. *Et contestabor te.* [V]Vel, testabor tibi. [C]Quo maior constet verbis authoritas, contestandi verbo significat Deus se paciscí solenni more. [M]q.d. Ego pactum meum sancire tecum paratus sum, Vide Suprà, 50.b.7. *Israel si audieris me.* [C]Hoc videtur abruptè esse positum, vt in orationibus patheticis, defectus maiorem vehementiam exprimit. Alii connexunt cum versu sequenti, Israel si me audieris, non erit in te Deus extraneus. Sed rectius alii vocem desiderantis esse arbitrantur. Quanquam obliquè significat Deus præfracto populo se diffidere, & vix sperare mitigatum fore vel docilem. [M]Interea innuit hæc particula & solum Deum esse audiendum, tanquam vnicum nostrum & dominum ac præceptorem, & audiendum non vtcunque corporis auribus, sed auribus mentis ad obediendum paratæ. Quàm verò auditus hic sacrificiis omnibus præferatur videre est. 1. Samu.15.e.22.

10 *Ne sit in te Deus extraneus, & ne adores Deum alienum*

Ne sit in te Deus extraneus [C]Nunc præcipuum fœderis caput & fere summam totam proponit Deus, vt solus ipse emineat. Potest tamen sic resolui sententia, Israel, quum me audieris, nihil est quod æquè abs te postulem vel exigam, nisi vt me vno contentus alienos deos tibi non accersas. Certè hac voce confirmat Deus quod toties alibi inculcat in Lege & Prophetis, se zelotypum esse, vt socium honoris non admittat. Sed interea simul admonet principium veri cultus incipere ab obedientia. Diuersa est apud Mosen series, Exodi 20.a.2.4, & Deut.5.a.6.8. Nam vbi præfatus est Deus se esse Deum Israelis, prohibet ne sibi fabricent nouos deos: hic autem prohibitio priorem locum obtinet. deinde additur causæ redditio, quòd abundè sufficere debeat Deus ille qui sibi populum acquisiuit. Fortè etiam præparationis vice initio hoc posuit vt populum à superstitionibus abduceret, quas prius euelli ac purgari necesse est quàm radices in nobis agat vera pietas.

11 *Ego Iehoua Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.*

Ego Iehoua Deus tuus [M]Hæc ratio est (vt diximus) cur non debeat populus Dei alienos habere deos. Primùm, quia ego sum יהוה, inquit, Viuens ille & solus existens, vnde omnia habent vt sint. Deinde quia Deus tuus sum. Emphasis est in pronomine Ego. q.d. Ego sum solus & Dominus, & Deus tuus, vt nec liceat tibi diis alienis iungi, nec opus etiam sit vt alienos deos quæras, quum tibi abūdè in omnibus sufficiam. *Qui te eduxi de terra Ægypti.* [A]Ideo redemptionis beneficium nulla vnquam obliuione sepeliendum commemorat, vt populus intelligat satis esse in Deo auxilii & virtutis ad saluandum, & è quibusuis periculis eripiendū quos semel in suā fidem ac tutelam receperit. [M]Acsi Deus diceret, Ego sum Deus ille verus & solus, qui te ipsa ostendi quòd sim Dominus Deus tuus,

Ita-

quique te ad hoc è domo seruitutis liberaui vt meus esses, mihique vni adhæreres. Sic Moses populum hortabatur, Interroga de diebus antiquis qui fuerũt ante te, ex die quo creauit Deus hominem super terram, &c. an fecerit deus aliquis rem hanc vt ingrederetur & tolleret sibi gentem de medio, &c. Deutero.4.e.32. Et, Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem Deus vester, Numer.15.d.41. *Dilata os tuum & implebo illud.* ᵛHebraismus, pro, ampliter & largè pete, & impetrabis. Frequens Hebræis loquutio, Dilatare os suum, in varia tamen significatione, vt 1. Samu. 2. a. 1, & Suprà, 35. d. 37. Significat his verbis Deus modò pergat Israel in fide, se eundem fore erga filios qualem experti sunt Patres, quia exhausta non sit sua liberalitas. Nam verbo dilatandi obliquè perstringit angustias quæ beneficentiæ eius viam obstruunt, acsi diceret, culpam penuriæ residere in populo quia bonorum quibus indiget capax non sit, imò incredulitatis suæ obstaculo arceat ac repellat quæ vltro fluerent beneficia, Nec solùm iubet os aperire, sed gratiæ suæ abundantiam splendidius commendat: significans, quantumuis se longè ac latè extendant nostra desideria, nihil deforè ad plenam satietatem. Vnde sequitur parcè & tenuiter stillare in nos cælestes gratias, quia os nimis angustum est: alios verò ieiunos esse & inanes quia os prorsus claudũt. Nam maior pars vel fastidio, vel superbia, vel furore respuit quicquid è cælo bonorum offertur. Alii, quãuis non in totum reiiciant, vix tamen exiguas guttas admittunt, quia sic restricta est eorum fides vt effusam eius impediat. Hinc verò nimis clarè detegitur mundi prauitas quod neque Deum cognitum amplecti, neque in eo acquiescere sustinet. Etsi enim externo adorationis signo coli se Deus hic postulat, non tamen notatur nudum nomen, quia eius maiestas in duabus vel tribus syllabis sita non est, sed rem potius spectat, ne alio distrahant spes nostræ: vel laus iusticiæ, salutis, & bonorum omnium trãsferatur. Hoc enim nomine deitatem sibi vendicat, quod sibi plena bonorum suppetat vbertas ad nos satiandos & explendos. ᴹSanè locus hic insignis est, Non dicit, Si petieris, Si inuocaueris: sed iubet petere. Deinde non iubet modicè aut parcè (sicut solent diffidẽtes) sed plena cum fiducia, multa & magna à se petere. Tertio promittit quod velit largiter dare ac sufficienter quæ petantur. ᴬSic Christus dicebat, Petite & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis, Matth.7.b.7. Et Iacobus, Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei, postulet, &c. Iacobi 1.a.5.

12 *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel renuit me.*

Et non audiuit populus meus. ᴬQuidam, Et non paruit populus meus voci meæ. Psaltes querentem Deum inducit quòd audire vocem suam, (hoc est, suis parere iussis, quæ sola salutifera ei erãt) populus detrectarit: imo quũ pridẽ cœperit eos hortari, queritur sẽper aures fuisse clausas verbo suo. Neque enim de vnius tantùm diei cõtumacia expostulat, sed populum statim ab initio stupidum ac præfractum fuisse intelligit, & in eadẽ obstinatione pergere. Hæc verò prodigiosa malitia est, Deo, vbi paratus est nobiscum fere æquabili lege pacisci, claudere accessum & audientiam negare. *Populus meus.* ᴹHic Deus inobedientes ac perfidos, populum suum, & Israelem vocat, quum tamen nec quæ populi Dei sunt præstarent, nec Israelis Patriarchæ sui vestigiis ingrederentur, acsi planè à generis sui origine, & sancta illa radice degenerassent. Ideo tantùm abest vt hæc nomina isti populo honoris ac prærogatiuæ aliquid attulerint, vt multo magis ad condẽnationem illius fecerint. Ita & de nobis sentiendum est qui Christiani & Ecclesia Dei vocamur, quum rarissimus quisque sit qui vocabulis istis respondeat. *Et Israel renuit me.* ᶜNe Israelitæ culpam ignorantiæ obtentu extenuent, addit se ex professo & deliberato contemptu fuisse reiectum. Vnde apparet fascinatas à diabolo fuisse eorum mentes. ᴬIsrael, inquit, renuit me. Vel, (vt alii vertunt) noluit me. ᴹHoc est, Non dilexit me, Non adhæsit mihi ex animo, Cor eius longè fuit à me, vtut ore suo mihi appropinquauerit. Hæc veluti radix quædam est inobedientiæ, ac defectionis à Deo, non complecti ex animo Deum. Quemadmodùm enim mulier maritum suum non diligens, nulla in re facit illi morigera est, sed perpetua petulantia perfidiam suam declarat, ita & is populus comparatus est, corde erga Deum sincero non est, sed sinistro. ᴬVide similitudinem regis qui à suis ciuibus reiectus est, & quis finis eorum sit qui illum super se regnare noluerunt, Luc.19.d.27.

13 *Et dimisi eos in cogitatione cordis eorum, ambulabunt in consiliis suis.*

Et dimisi eos in cogitatione. ᵛSunt qui vertunt, Permisi igitur eos fortitudini cordis eorum. Alii, prauitati, duritiei, vel obstinationi. Id etiam cordis fortitudo significat. ᶜDictio Hebræa, vnde hoc nomẽ deductum est, vmbilicum propriè significat. Vnde apta est translatio ad cogitationes cordibus implicitas: vel etiam ad duritiẽ quæ mediũ cor occupat. Quia tamen scimus in Psalmis rem vnã bis solere repeti, cogitationis nomen prætulimus, quia mox sequitur, *Ambulabunt in consiliis suis.* ᴬVel, post sua consilia. q.d. ᵛNon amplius obstiti quominus facerent cogitationes & consilia sua. ᴹScriptura de impiis dicit, Comedent fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur, Prouerb.1.d.31. ᶜIta his verbis Deus istam se pœnam sumpsisse testatur de populo, dum sua eum doctrina spolians in reprobum sensum proiecit. Sicut enim verbo suo nos regens, quasi fræno cohibet ne post errores vagemur: ita Prophetas suos auferens Iudæis, peruersis eorum consiliis habenas laxauit, vt sibi errandi essent duces. atque hoc grauissimum est vindictæ genus, & signum horrendæ desperationis, quum ad nostram proteruiam dissimulans ac silens correctionis medecinam non adhibet. Quamdiu enim nos obiurgat, & ad tribunal suum citando metu iudicii nos terret, simul incitat quoque ad pœnitentiam: vbi autem operam se frustrando videt ludere, nec quicquam proficere suas admonitiones, tacendo declarat se curam abiecere salutis nostræ. Nihil ergo magis timendũ quam ita emancipari homines à Deo vt lasciuientes in suis consiliis à Satana trahantur. Quanquam potest hoc latius exponi, Deum tædio fatigatum non curasse de retinendo populo, qui perdita sua malitia spem omnem profectus abiecerat. ᴹNec ambulandi verbum otiosè positum est. Non dicit, Suis vsi sunt consiliis. Vel, Suis vtentur consiliis. sed, ambulabunt in consiliis suis. hoc est, Omnem suam vitam, omnem cultum ac religionem, reiecto verbo Dei, iuxta sua consilia instituent. ᶜCæterùm, stultè ex loco inferunt quidam, æqualiter distribui omnibus Dei gratiã, donec repudiata fuerit. Nam & tũc singulari priuilegio Deus solos Abrahæ filios, posthabito toto orbe, ad se vocare dignatus est. Hodie quidem sublatum est discrimen vt legatio Euangelii, qua se Deus mundo reconciliat, communis sit omnibus: videmus tamen vt certis in locis excitet Deus pios doctores. Quãquam non sola vox externa sufficeret, nisi efficaciter ad se traheret quos vocauit. Cæterùm quia docet hic locus nullam esse magis exitialem pestem quàm propriis consiliis regi, nihil aliud superest nisi vt prudentia carnis valere iussa, Spiritum sequamur ducem.

14 *O si populus meus audisset me, Israel in viis meis ambulasset.*

O si populus meus. ᵛVel, Vtinam. ᴬNunc memorat quantis seipsum populus spoliarit bonis, dum auscultare domino renuit. ᴹLoquitur autem Deus per *ἀνθρωποπάθειαν*, more paterni affectus, cui nihil potest esse tristius quàm si cogatur obstinatos & incorrigibiles filios dimittere, eo quòd disciplinam & institutionem non admittant: nec rursus lætius & iucundius quicquam poterit accidere quàm si morigeri sint filii, auresque habeant ad audiendum. ᶜSicut ergo pater, vbi remediis omnibus tentatis filios deploratos esse videt, voces emittit dolentis veluti cũ suspirio & gemitu, Ita Deus hic inducitur instar gementis exclamans miserum esse hunc populum, qui saluti suæ optimè consuli sponte recusauerit. Non quod obnoxius sit Deus humanis passionibus, sed quia aliter suum erga nos amorem exprimere non potest. Ac videtur Propheta locum hunc mutuatus ex cantico Mosis, vbi iisdem fere verbis deplorat populi peruicaciam, ᴹVtinam, (inquit) saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent, Deuteron.32.d.29. Et, Hæc dicit Dominus Deus tuus, redemptor tuus, sanctus Israel, Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas: vtinam attendisses mandata mea, fieret sicut flumen pax tua, &c. Esaiæ 48.c.17. Talis affectus & in verbis Christi, Luc.19.f.41, exprimitur, vbi legimus eum dixisse, Quia si cognouisses & tu, &c. ᶜEst autem hic tacita exprobatio vt sciant Iudæi non nisi per suam malitiam stetisse quominus optimè haberẽt. Si quis obiiciat, frustra & sine ratione Deum conqueri quando in eius arbitrio fuit flectere duras populi ceruices, nunc quando facere non libuit, non esse cur se homini dolenti comparet: Respondetur, iustè id fieri nostra causa, ne infœlicitatis nostræ culpam alibi quàm in nobis quæramus. Sed hic cauendum ne res diuersas misceamus, & quæ non minus inter se distant quàm cælum & terra. Deus enim ad nos descendens per verbum suum, & sine exceptione inuitans omnes, neminem

frustratur. Quicunque enim veniunt, admissi sentiunt non abs re se fuisse vocatos. Interim ex fonte æternæ electionis manat hoc discrimen, vt in paucorum corda verbum penetret, aliorum aures verberet duntaxat. Neque tamē absurdum est, eum flebiliter conqueri de nostra amentia, vbi non paremus. Sicut enim verbo externo nos inuitans, Patrem exhibet, cur non etiam Patris imaginem referret in hac forma querimoniæ? Verè enim pronuntiat se nolle mortem peccatoris (Ezech.18.e.32) modò ex toto contextu candidè & non contentiosè petatur eius dicti interpretatio. Non vult mortem: quomodo? Nempe quia vult omnes ad se conuerti. Satis verò constat non esse hanc cōuersionem in libero hominum arbitrio, donec ex cordibus lapideis carnea reddiderit: imò renouatio hæc (vt scitè Augustinus docet) ipsa creatione præstantior est. Quid autem obstat quominus pariter omnium corda flectat Deus, ac formet in obsequium? Hic ergo tenenda est modestia ac sobrietas, ne in arcanum eius iudicium perrūpere tentemus: sed nobis sufficiat voluntas in verbo patefacta. Eorum enim salutem velle meritò censetur ad quos dirigitur vox ista, Venite ad me, & conuertimini, Esa.55.e.35. *Israel in viis meis ambulasset.* Rectè subiungitur hæc particula. Audire nanque Deum, & in viis eius non ambulare, non est audire, sed illudere. Illi demum verè & ex animo Deum audiunt qui in viis eius, non in suis ipsorum ambulant. Est autem in viis Dei ambulare, abnegatis carnis affectibus, & propriis consiliis, secundum verbum Dei viuere. Ergo non satis est annuere loquenti Deo, (quia facilè concedunt hypocritæ verum esse quod ex ore Dei proficiscitur, acsi aures flecteret asinus) sed oportet nos ipsos eius imperio subiicere. Beati (inquit Christus) qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc.11.d.28.

15 *Breui inimicos eorum humiliassem, & super aduersarios eorum vertissem manum meam.*

Breui inimicos eorum humiliassem. Vel, Breui tempore. Alii, Quàm breui. Declarat his verbis, ad finē vsque Psalmi, qua ratione tantopere optet vt se audiat Israel, inque viis suis ambulet: nempe vt optimè consultum sit populo suo. Admonet etiam quascunque perpessi fuerant clades Israelitæ, imputandas esse eorum peccatis, quia non aliis viribus pugnarunt hostes quàm quibus è cælo instructi erāt. Promiserat Deus suis auspiciis electum populum fore omnium hostiū victorem. ne quis eum malæ fidei insimulet, affirmat se id facturū fuisse nisi prohibitus esset populi peccatis. Nec dubium est quin tacitè admoneat eos de prioribus victoriis, quas non proprio marte, sed eius adepti fuerant. Nunc se non modò cohiberi dicit eorum culpa vt à defensione ipsorum abstineat, sed etiam improbitate cogi vt hostib⁹ omissis in ipsos irruat armata manu. *Et super aduersarios eorum.* Eandem sententiam repetit aliis verbis. Nam vertere seu ponere manum super aduersarios, aliud nihil est quàm eorum vim & insultus repellere, ac conatus ipsorum vanos & irritos reddere. Discimus autem ex hoc loco, pacem hinc ab hostibus esse, si non nostris viribus confisi, nos ipsi defendere conemur, sed manu Dei humiliatis & contritis hostibus seruemur. Vbi tamē non excluditur nostra opera, sed omnis omnium conatuum ac virium nostrarum effectus soli Deo adscribitur. Impiorum vox est, Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Contrà pii dicunt, Non manus nostra, nec gladius noster, sed brachium tuum, Domine, &c. Subindicat etiam Propheta non aliam cum reprobis sperādam esse pacem, nisi quatenus eorum rabiem cōstringit Deus occultis catenis: sicuti leo ferrea cauea inclusus, manet sēper leo, sed cohibetur ne laceret ac discerpat quã quinque tamen vel sex pedibus ab eo distant: sic impii, licet in nostram perniciem inhient, exequi tamen quod cupetent nequeunt: imò eorum ferociam humiliat Deus, vt mansuetudinem simulent.

16 *Osores Iehouæ mentiti fuissent illi, & fuisset tempus ipsorum in seculum.*

Osores Iehouæ. Vel, odio habentes Iehouam. *Mentiti fuissent illi.* Hoc est, Præ nimio timore negassent se aliquid molitos contra eum. Vel, supplices fuissent, sed fucato corde: id est, Simulassent se libenter velle illis seruire & subdi: vt solent deuicti, qui libēter iugum excuterēt: sed quia nulla est illis melior cōditio quàm se victoribus subiicere, ideo simulāt, necessitate coacti. Illud est mentiri, se iugo submittere tāquam volentes, vbi ita cogit necessitas. Qua de re vide Suprà, 18.d.45, & 66.a.3. Ergo Propheta eandem sententiam prosequitur, dicēs hostes suppliciter iugum fuisse subituros, nisi illos ad licētiam armasset Israelitarum impietas, dum excusso iugo cōtra Deū, lasciuiūt. Hostes Iehouæ nomināt, perstringit Israelitas quòd abrupto fœderis vinculo se à Deo disiunxerint, ne bellū statim pro ipsis contra hostes cōmunes susciperet. Quēadmodū enim terreni principes, si à sociis fraudētur, descendunt ad inducias cū reliquis hostib⁹, & hoc pacto se vlciscūtur de periuris & fœdifragis: ita significat Deus se hostib⁹ suis pepercisse, quia perfidè & scelerate a populo Israel desert⁹ erat. Cur enim manifestos hostes sinit insultos esse, & in asserenda sua gloria ad tēpus cessat, nisi quòd rebelli & immorigero populo illos opponit à quib⁹ subigatur? Quid sibi velit verbū כחש diximus, Suprà, 18.d.45. *Et fuisset tempus ipsorum in seculum.* Hoc est alterū bonū quod Israelitæ consecuti fuissent si paruissent Dei præceptis, constans, quieta & diuturna fuisset illis in terra sancta habitatio, & ingens rerum omnium copia adfuisset. Nam tēpus hoc perpetuū de quo Vates hic loquitur, ad promissiones referri debet, sicuti copia tritici & mellis ad satietatem vsque. Testatus enim fuerat Deus se fore illis protectorem & custodem ad finem vsque. Mutatio igitur ista subita quæ cōtigerat, odiosè illis obiicitur, quòd data opera suam fœlicitatem protinus abiecerint. Idem & de terræ fertilitate dicendum. Qui fit enim vt esuriant in ea terra, vbi Deus tritici & mellis abundantiam illis pollicitus fuerat, nisi quia Dei benedictio eorum culpa exaruit? Hoc illis minatus fuerat per Mosen, dicentem, Testes inuoco cælū & terrā, citò perituros vos de terra quam transito Iordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore &c. Deut.4.d.26.

17 *Et pauisset eos adipe frumenti, & melle satiasset te è petra.*

Et pauisset eos adipe frumenti. Vel, Et cibassem te. Est enim mutatio personæ. Adipē frumenti metaphoricè vocat similaginē. Hoc est, florem farinæ. Nisi quis pro optimo tritico accipere malit. *Et melle satiasset te è petra.* Hoc quidam hyperbolicè accipiunt, acsi dictum foret, Potius mel fluxisset ex ipsis rupibus, quàm non saturasset Deus hunc populū. sicuti alibi dicitur, Et fecit vt sugeret mel de petra, & oleum à silice petræ, Deu.32.b.13. Sed quū appareat ex sacra Historia, in cauis rupibus mel fuisse repertum quādiu florebat Dei benedictio, simplex sensus est, tenorem gratiæ Dei continuū & æquabilē futurum fuisse, nisi malitia & sceleribus populi abruptus esset.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXII.

Totus hic Psalmus reges, & quicūque potestate prediti sunt, monet vt iustitiæ studeant, quoniā illis reddenda ratio est summo Iudici, qui omnem mundi celsitudinem supereminet. Postquam autem Propheta officii & conditionis suæ nos admonuit, surdis se canere videns, Deum vindicem implorat.

P*Salmus Asaph.*

Psalmus Asaph. Credibile est hunc Psalmū singulari in vsu fuisse in populo Israelis, & ad hoc compositum vt vel nouis magistratibus ac iudicibus, vel iamiam ad iudicādum concessuris præcineretur, vt hoc pacto officii ac suæ conditionis admoniti, ius cuique sine vlla personarum acceptione, tāquam in Deo summo iudici conspicui, redderent.

1 *Deus sedet in cœtu Dei, in medio deorum iudicabit.*

Deus sedet in cœtu. Vel, Deus astat in congregatione Dei, Vel deorū. Hoc valde indignum est, quum certos homines velit Deus humano generi præesse in commune bonū, eos non agnoscere in quem finē excellant, neque etiam cuius beneficio locati sint in tam excelso gradu, sed contēpta omni æquitate libidinosè dominari. Suo enim splendore hebetantur, vt totū orbē sibi natum esse putēt. Adde quòd suæ altitudini minimè consentaneū esse ducunt, regi moderatis consiliis: & quū ita sua dementia plus æquo insaniant, quærunt tamen adulatores, qui blandiātur & applaudant eorū vitiis. Hāc superbiā vt corrigat Propheta, principio negat sic occupari solia & tribunalia ab hominibus quin Deus retineat summū gradū. Sicut etiā voluit Deus profani & impuri Poetæ ore hoc esse testatum;

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio mouentis.

Ergo ne plus æquo sibi arrogent mundi proceres, Propheta hic Deo solium erigit vnde omnes iudicet, ac cogat in ordinē. Quod valde necessarium est. Etsi enim regnare se fatentur per Dei gratiam, & ceremoniis Deum colunt, infatuat tamen eos sua magnitudo, vt falsa imaginatione Deū à cœtu suo procul expellāt. Neque enim rationi & legibus subesse sustinent. Hāc vesaniā, qua fascinati sunt mundi principes, ridere, consiliū Prophetæ fuit: quòd Deo locum in cœtu suo non relinquunt. Et quo melius refellat ebriam confidentiā, qua inebriati sunt mūdi principes, ordinē politicū appellat cœtū Dei: quia vtcūque refulgeat eius gloria in singulis mūdi partibus, præcipuū tamē lumē hac in parte emittit, dū legitima gubernatio inter

mortales viget. Tritũ quidem Hebræis esse fatemur, quicquid eximiũ est, ornare Dei epitheto: sed videmus hic pro circũstãtia loci, Principũ ordinẽ diuinũ vocare Prophetam, in quo resplẽdet peculiaris Dei maiestas: sicuti coniugiũ appellat Solomo pactũ Dei, quòd polleat singulari quadã sanctitate, Prou. 2. c. 17. *In medio deorum iudicabit.* Vel, vt quidam vertunt, Iudicat. Vel, iudicem agit. Iudicare, est primatum tenere. Deorum nomẽ, quod hic ponitur, quidam ad Angelos trahunt: sed dubiũ non est quin pro iudicibus accipiatur, quibus specialẽ gloriæ notam insculpsit Deus. Et sanè omnino diuinũ quiddam est hominem in homines vitæ necisque arbitrium habere: & ingẽs miraculum, tam multos, quorum quisque natura sibi magis quàm aliis viuere quærit, quorum denique maximam partem Satan ab omni obedientia deturbet, vni homini ac sæpe tyranno parẽre. Ob hanc ergo humana conditione maiorem dignitatem ac potestatem, tàmque luculentam diuinitatis portionem Scriptura reges, principes & iudices deorum nomine dignatur, vocans eos אלהים & בני עליון. Quidam legunt, Iudicat deos in medio. Sed aptior est prior lectio. Significat autem Propheta Deum obtinere primatum in medio principum ac iudicum: acsi diceret, Quantumuis se extollãt mũdi proceres, nno tamen imminuere ius Dei quominus primatum inter ipsos teneat, sibique gubernationẽ asserat. Hoc si expẽderent principes ac iudices huius seculi, ius ex æquo & bono redderent, & commune pro libidine diuexarent.

2 *Vsquequo iudicabitis iniquitatẽ, & facies impiorũ sumetis? Selah.*

Vsquequo iudicabitis iniquitatem. Quidam, subaudito nomine verbi, vertunt, Iudicium iniquitatis, id est, iudicium iniquum. Nam verbum Hebraicũ includit nomen à se deriuatum. Videtur tamen Propheta, vt obiurgationi viam pararet, ita præfatus esse, Quantuis capita reges attollant super nubes, viuere tamen ipsos quoque hac lege vt regantur sub Dei manu: ideóque sua ferocia temere luctari ne rationi cedant. Etsi enim deterrimi sunt tyranni, scelestoque sacrilegio occupãt locum illum, si quis tamen Dei seruus cõtra ipsos hiscere audeat, quasi fieret ipsis magna iniuria, obtendunt sacrum Dei nomen. Ita, dum se fingunt communi lege exẽptos ac solutos, doctrinam eiusque ministros ablegant ad plebem. Denique nullum esse imperium putant nisi vbi exultat effrænis libido. Atqui principio hoc posito, Deum inter ipsos gubernare, iam patefactus est aliquis doctrinæ aditus. Ergo Propheta, vbi sibi authoritatem pepetit, liberè inuehitur in principes, & crassissimum vitium castigat, dum se venales iniustis pauperum vexatoribus prostituunt, & mercede redempti peruertunt omnem æquitatem. *Et facies impiorum sumetis.* Vel, suscipietis. Hebraismus, pro, In gratiam impiorum iudicabitis. Siue eorum rationem habebitis, neglecto iure pauperum ac innocentum. Iudices iniquos accusat quòd iudicia peruertant, non per ignorantiam (quod tamen per se dãnabile est) sed in gratiam quorundam hominum, non simpliciter peccatorum, sed impiorum, qui omni pietate ac metu Dei vacui, nullã iniquitatis rationem habẽt, sed omnia suæ libidini subiici volunt. Impios ergo disertè Propheta exprimit, quia probi homines nunquã studebunt corrumpere iudicia. Adhæc furor quidam diabolicus proceres mundi dementat, vt plus improbis vltrò deferãt quàm innoxiis & simplicibus. Fingamus impios cessare, neq; adulatione, neque fraudibus, neque pecunia, neque alio artificio sibi acquirere fauorem, qui tamen dominẽtur, vt plurimum in malam partem magis propensi erunt. Hæc ratio est cur exprobret Propheta impios plus repetire fauoris quàm bonos & integros. Porrò quum sit Deo abominabile & hominibus exitiale, suscipere personas in iudicio, testis est Scriptura, 2. Paral. 18. b. 7, & Deut. 16. d. 19, & Prouer. 24. e. 23, & multis aliis locis. *Selah* hic adscriptum monet, malum hoc, quo nihil magis execrandum, passim & apud eos quoque qui sibi admodum iusti videntur, planè regnare.

3 *Iudicate pauperem & pupillum, inopem & egenũ iustificate.*

Iudicate pauperem & pupillum. Vel, pauperem afflictum. Præmissa obiurgatione, hortatur ad officium, quod est tueri & defendere præcipuè eos qui, quòd seipsos nequeunt defendere, iniuriæ malorum maximè obnoxii sunt. Id nanque Deus solet, sicuti vidimus, Suprà, 10. d. 14, & 68. b. 6. Quare & principũ erat in idẽ incũbere, vt quẽ potestate ferunt, & vsu potestati referãt. *Inopem & egenum.* Vel, afflictũ. *Iustificate.* Vt iudicare popillo dicitur iudex, quũ ius dicit pro popillo: ita iustificare pupillũ, quum sua sentẽtia pupillũ oppressum absoluit. Seipsum exponit sequẽti versu. Est quidẽ in verbis synecdoche, quia certũ est obstrictã esse omnibus eorũ fidem: sed non abs re dicit Propheta miseris hominibus & oppressis datos esse patronos, quia & alieno auxilio indigent, nec alibi reperient quàm vbi auaritia, ambitio, aliæque corruptelæ cessant. Ideò autem gladium gestant iudices ad improbos cohibendos ne in furiosa hominum intẽperie vis præualeat: & quo quisque potentior est, eo audacior fit ad premendos infirmos. Itaque rarò confugiunt diuites ad opem magistratuum, nisi fortè dum inter se litigant. Nunc tenemus cur pauperes & egenos præcipuè commendet Propheta: quia, non secus ac medicis ægroti, magistratuum præsidio indigent qui diuitum sæuitiæ & iniuriis sunt obnoxii.

4 *Eripite pauperem & afflictum, è manu impiorũ liberate.*

Eripite pauperem & afflictum. Poterat simpliciter dicere, Iudicate pauperi, iustificate ac eripite egenum: verùm vt abundè satis exprimeret in quorum gratiam institutum sit iudicandi munus, tot ac tam variis appellationibus miseros & pauperes commendauit. Innuit enim omnis generis miseros, quibus impiorum violẽtia plerunque insidiatur, nullo modo negligendos esse, sed habendam eorum rationem. Hoc si seg[…]bus talis iudicibus solidè persuasum esset, se tutores pauperibus esse datos, vt se iniuriis opponant, compescántque omnem iniustam violentiam, vigeret vbique summa rectitudo. Nam quisquis pauperes tueri dig[…]tur, non flectetur huc illuc gratia, sed quod iustum est tantũ respiciet. Hoc etiam colligimus ex Prophetæ verbis, Quantuis nemo flagitet opem principum, ignauiæ tamen coram Deo damnari, nisi sponte succurrant. Falsò enim colorem hunc prætendunt, vbi manifestè grassatur iniquitas, gemitus & querimoniæ passim resonant, se mederi non posse malis, donec rogati fuerint. Quia igitur per se satis clamat oppressio, si iudex in alta specula sedens conniuet, dissimulationem hanc impunè non cessuram Propheta denuntiat.

5 *Non cognoscunt, neque intelligunt, in tenebris ambulant, quamuis moueantur omnia fundamenta terræ.*

Non cognoscunt neque intelligunt. Postquam officii admonuit principes, conqueritur deploratam eorum iniquitatem. Nam qui se deos quosdam hominibus præstare debebant, nihil eorum quæ sui muneris sunt, aduertunt, nec sanam doctrinam admittunt: imò, vt concutiatur totus orbis, securi manent in sua socordia. Nam hoc maximè coarguit & vrget eorum dementiam, quòd si videant cælum terræ misceri, non tamen moueantur, acsi eos nulla tangeret cura generis humani, cuius tamen specialiter delecti sunt custodes. Diximus autem paulò antè quid maximè eos priuet intelligentia, quia scilicet excæcantur suo fulgore: & quum ferociter excutiãt omne iugum, nulla religio ad modestiam eos flectit. Nam hoc sanæ mentis & prudẽtiæ initium est, tribuere Deo suum honorem, vt nos verbi sui fræno contineat. *In tenebris ambulant.* Similitudine ob oculos ponit qualis sit magistratus, qui nec cognitionem nec intelligentiam habet. Quicquid agunt huiusmodi magistratus, incertum est & cæcum: quales sunt gressus eorum qui in tenebris ambulant. Et alibi Scriptura dicit, Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat. Per diem incurrunt in tenebras, & quasi in nocte, sic palpant in meridie, Iob. 5. b. 13. Item, Qui mutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt frustrà incedant per inuium, palpãt quasi in tenebris, & non in luce: & errare eos facit quasi ebrios, Ibidem 12. d. 25. *Moueantur omnia fundamenta.* Hoc quidam ita accipiunt acsi Propheta diceret, Vniuersus orbis vacillat, conuersatio perit, vbi vera iudicia cessant: omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur, vbi iudices non fungũtur suo officio. Nam status terræ (hoc est hominum cõditio) huic fundamento innititur, si iustitia vigeat: labefactatur ergo totus orbis, si principes tyrãni extiterint. Hic sensus refellẽdus non est: quanquam Propheta potius hoc loco damnat (vt iam dictum est) prodigiosum stuporem in iudicibus qui rebus horrendum in modum confusis & ipsa terræ concussione non mouentur.

6 *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi vos omnes.*

Ego dixi, Dii estis. Vel, Ego dixeram. Redit ad absoluendum impiorum magistratuum reprehẽsionem. Nam postquam tacitus apud se obstinationem ac cæcitatẽ illorum notauit, iam ad eos deinde conuersus, primùm incogitantiæ & ingratitudinis vitiũ illis opprobrat: deinde, in quem sine defituri finem, comminando prædicit. Primùm itaque vocãs eos deos, ostendis hac concessione nihil ipsis præsidii fore in sacra persona quam Deus illis imposuit. Quanquam autem non inducit eos loquentes, tantundem valet hæc exceptio acsi dixisset, Si clypei loco obiiciatis vestram dignitatem, nihil vobis proderit hæc gloriatio: imò vos deluditis stulta confidentia: quia Deus vos sibi vicarios constituens, se proprio imperio non spoliauit. In magnum quidẽ maiestatis honorẽ euecti estis, ita tamen vt Deo, summo omnium iudici, vos ipsos subiiciatis, ac ipsius nomine ius cuique reddatis. Id verò quũ haudquaquam

præstetis, grauis vos manet vltio. [c]Potest hoc etiam accipi in Dei persona, quòd vnà cum principatu nomen illis suum detulerit. Ac videtur hoc congruere cum Christi dicto, vocari Deos ad quos Dei sermo factus est, Iohan.10.f.34. [u]acsi Dominus diceret, Ego vos in maximum honorem eueai. Quum homines sitis perinde atque alij, quod ad vos attinet, nihilo estis aliis mortalib[9] potiores: quòd verò dii estis, & filii Excelsi, id non estis ex vobisipsis, sed ex mea cōstitutione. Mihi hanc dignitatem debetis quotquot in magistratu estis: quòd si insolescatis, nec vllā mei rationem habeatis, quasi non homines sitis meo beneficio in istam dignitatem euecti, faciam vt adempta hac maiestate, non secus quàm reliqui mortales infimæ ac plebeiæ conditionis, in terram vnde sumpti estis, absque vllo reuertamini honore, & cum ingenti ignominia pereatis. *Et filii Excelsi vos omnes.* [a]Id est filii Dei qui verè excelsus & omniū altissimus esse prædicatur. [u]Quanquam autem hoc non est de eo intelligendum filiorum Dei genere quod ex gratia electionis est, & fide ad salutis æternæ participationem nascitur: documento tamen nobis est, magistratus ita esse Deo charos & acceptos, vt eos filiorū loco habeat, vt etiam hoc nomine subditis sint & amandi & reuerendi: deinde ipsos meritò permoneat, vt vicissim in honore habeant ac diligant eum quem nō solùm domini, sed & patris loco, simulatque in istam sunt assumpti dignitatem, sortiti sunt.

7 *Certe sicut homo moriemini, & sicut quilibet princeps cadetis.*

Certe sicut homo moriemini. [a]Singularis pro plurali, Sicut homines. [v]Id est, vt aliquis ex reliquis hominibus. [c]q.d. Etsi instructi estis potestate ad regendum mundum, non tamen exuistis naturam, vt mortales esse desinatis. Finem semel habebit omnis ille vester fastus, omnis ambitio, omnis insolētia ac dominandi libido. Hæc omnia vnà cum mundi figura effluent. *Et sicut quilibet princeps cadetis.* [c]Quidam non satis aptè vertunt, Quasi vnus principum cadetis. Putant autem illis denūntiari violentam mortem, sicut ille dicit,

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Sed quia illud coactum est ac remotum, dubium non est principes obscuris & gregariis hominibus cōferri. Vnus enim quēlibet è vulgo significat. Itaque licet homines se esse obliti, fallaci perpetuitatis confidentia se inebrient, ad promiscuā mortem trahēdos esse dicit. [a]Quoties ergo viderimus mortalium insolentiam & fastum, ne inuideamus illis eam stultitiam: sed magis per cōmiserationem cogitemus eos esse homines è terra sumptos, inque terram reuersuros & morituros. [c]Christus calūniam refutare volens, qua eum grauabant Pharisæi, testimonio hoc vsus est, Si vocat (inquit) Scriptura deos ad quos Dei mandatum peruenit, annon longè dignior est hoc titulo quem Pater signauit Deus? Iohan.10.f.35. Cæterùm his verbis non se constituit in ordine Iudicum, sed ratiocinatur à minori ad maius, Si transfertur Dei nomen ad eius officiarios (vt vocās) longè magis competere in Filium vnigenitum, qui Patris personam sustinet, in quo relucet eius maiestas, totáque deitatis plenitudo habitat, Colos.2.b.9.

8 *Surge Deus, iudica terram, quia tu hereditabis in cunctis gentibus.*

Surge Deus. [u]Iam Propheta inemendabili impiorum magistratuum iniquitate & obstinatione considerata, [a]& videns se nihil proficere monēdo & obiurgando, quia principes superbia inflati omnem æquitatis doctrinam respuunt, [u]Deum inuocat vt ipse surgat, & terrā iudicet. [v]Dicitur sedere Deus, quando dissimulat suam potentiam, neque exercet munus iudicis. Surgere verò dicitur, quando impiorum insolētiam cōpescit. Dicit ergo Vates, Surge Deus. Id est, ascende tribunal, *& iudica terram.* Id est, præsis cum legitima potestate, atque cōpone res turbatas, eásque in suum ordinem restitue, ostende tibi cōpetere totius terræ imperium. [c]Hoc autem modo Spiritus sanctus solatium nobis præscribit, quoties libidinosè nos vexant tyranni. Etsi enim nullum in terris frænum cohibendæ eorum licentiæ occurrit, suspicere tamen in cælum conuenit, atque inde remedium petere: quia non frustra Deus partes iudicandi orbis sibi vendicat. Ideóque rogandus est vt res confusas ad rationem legitimam cōponat. *Quia tu hereditabis in cunctis gentibus.* [v]Vel, Nā tu in hæreditatē accipies cunctas gentes. Alii vertūt, Nam tanquā iure hæreditario in omni gente possides. sub. electos. [c]Quidam existimāt hoc esse vaticinium de regno Christi: sed latius extenditur: Deo in cunctis gētibus obedientiam deberi, iusque dominandi perperam & iniustè ei eripi à tyrannis, dum posthabito eius mādato, fas & nefas permiscent. Itaque rogandus est, vt mundum ritè ordinando, imperium suum recuperet.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIII.

[u]Propheta orat Deum hoc Psalmo, aduersus sinitimos hostes, à quib[9] populus Dei miserè affligebatur. [c]Et vt facilius opem Dei exoret, commemorat quàm multæ gentes simul conspirauerint, & quidem eo cōsilio, vt deleto populo Israel, Ecclesiæ Dei nomē extinguāt. [a]Interim magna confidentia orat illos diuina vltione penitus absumi ac deleri, quemadmodū prisci Ecclesiæ hostes absumpti & deleti sunt.

CAnticum, Psalmus Asaph.

Canticum, Psalmus Asaph. [v]Vel, Canticum & Psalmus. Vel, Canticum Psalmi. Vide Suprà, 30.a.1. [c]Probabile est Psalmum hūc compositum fuisse tempore Regis Iosaphat: quia scimus quandoquidem pius ille rex belli molem sustinuerit contra multiplices hostium copias. Quanquam autem præcipui belli authores erāt Ammonitæ & Moabitæ, subsidia tamē contraxerant non modò ex Syria, sed etiam ex longinquis regionibus, quæ multitudine fere obruerant totam Iudæam. Quoniam ergo hic refertur longus hostium catalogus, qui inter se cōspirauerant ad perdendum Dei populum, probabilis est coniectura, psalmum tūc fuisse dictatum. Nam & sacra Historia refert vnum ex Leuitis pollicitum fuisse Regi victoriam, Spiritu prophetico, & Leuitas cecinisse coram Domino.

2 *Deus ne taceas apud te, ne sileas & ne quiescas Deus.*

Deus ne taceas apud te. [c]Ad verbum, Ne sileas tibi. Quod periphrasticè resoluunt quidam, Ne taceas in propria causa: sed tantundem valet hæc loquutio, acsi dictum esset, Ne te intus contineas. Potest autē esse superuacua particula, sicut aliis pluribus locis. [u]Hoc versu populus afflictus & anxius, Deum suum inclamat, & ad occurrendum hostium improbitati, veluti dormientem excitat, oratque ne sileat. Hoc est, ne conatus impiorum solita patientia diutius ferat, sed iram suam contra illos proferat & declaret. [c]Nam etsi Spiritu prophetico fuerit promissa regi victoria, quia tamen fieri non potuit quin totus populus cum sancto rege in tantis periculis magnopere esset obnoxius, plena vehementiæ & solicitudinis est hæc precatio, quemadmodum repetitio quæ statim sequitur, satis ostendit. *Ne sileas & ne quiescas.* [v]Vel, Ne obsurdescas. Vel, obmutescas. Qui surdi sunt, iidem & muti vt plurimum. [a]Acsi dicerent fideles, Si auxiliari sibi velit Deus, nunquam id tempestiuè facturum nisi celeriter festinet. Quanquam autem nostrum est patienter quiescere, siquando Deus auxilium suum differat, infirmitati tamē nostræ conceditur festinationem hanc optare. [u]Sic alibi Dauid, Deus, (inquit) vt eripias me, Domine in auxilium meum festina, Suprà, 70.a.2.

3 *Quia ecce, inimici tui tumultuantur, & qui oderunt te, extulerunt caput.*

Quia ecce, inimici tui. [a]Notat insolentiam & arrogantiam, tum & studium atque conatum hostium, nihil non tentātium quo Israelem perderent, ita vt nullum effugium pateret. [c]Ac notandum est vocari Dei hostes quicunque Ecclesiā infestant: quia hæc non vulgaris fiduciæ materia est, communes nobiscū Deo hostes esse. Hoc autem ex gratuito eius pacto manat, quo pollicitus est se fore aduersarium omnibus hostibus nostris: & meritò, quia ex quo nos amplexus est in suam tutelam, oppugnari non potest salus nostra, quin simul violetur eius maiestas. Interea pax nobis cum omnibus colenda est quoad licebit: studendumque probitati, vt securè coram Deo gloriari liceat iniuriā nobis fieri quū præter meritū lacessimus. *Tumultuantur.* [v]Vel, Infremunt. Quidam, Sonuerunt. [u]Tumultuandi verbo bellicam ferociam fremitúmque & impetum quo irrumpebant impii, exprimunt: vt intelligas eos instar leonū & vrsorum cædis auidissimos fuisse. *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* [v]Futurum Hebræum pro præsenti, vt quibusdam placet, extollunt. [a]Intelligit Propheta hostes populi Dei fretos sua potentia insolēter se gerere. [u]Sicut enim humilium ac deiectorum est capita submittere: ita præfractorum, arrogantiū & insolescentium est, capita in sublime erigere. [c]Quemadmodum autem talis ferocia pios animos valde labefactat, ita vnica leuatio est, de ipsa apud Deum conqueri, cuius perpetuum munus est superbos compescere. [a]Nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Iac.4.b.6. [c]Ideóque sancti vt plurimum, vbi Dei suppetias implorāt, obiicere solent hostium suorum proteruiam.

4 *Super populum tuum callidum excogitauerunt consilium, & consultauerunt aduersus absconditos tuos.*

Super pop. [a]Iterū cōfirmat hāc impiorū maliciā aduersus pios esse ex odio Dei, cui isti adhærēt, adeóque pios propter Deum suum affligi ab impiis in hac vita. [u]Non enim contentus est quod dixerit, Ecce inimici tui, & qui te oderunt, &c. sed addit, super populū tuū, &c. vt intelligam[9] præcipuā persequutionū

Gebalitarum certam originem Scriptura non indicat. Porro Thargum Ierosolymitanum vocat Seir גבלא, inde quibusdam verisimile est gentem fuisse quæ cum Edomitis ad hunc montem habitarit, vel partem Edomitarum sic fuisse dictam. [c]Sed de singulis gentibus curiosè disserendum non est, quia maior pars frequenti Scripturæ vsu satis nota est.

9 *Etiā Assur sociatus est illis, fuerunt brachiū filiis Lot. Selah.*

Etiam Assur sociatus est. [a]Assur vocat eos qui à regione trās Euphratem in auxiliū Ammonitis & Moabitis venerant. *Fuerunt brachium filiis Lot.* [a]Hoc est, suppetias tulerunt Ammonitis & Moabitis, vt regnum Israelis penitus euerterent. [c]Vnde non parum augetur indignitas. Nefariæ crudelitatis fuisset exteris Gentibus suppetias ferre contra suos cognatos: nunc quū classicū primi canunt, & vltro accersunt Assyrios & reliquos, perdendis suis fratribus, nonne meritò detestabilis est iam barbaris feritas? Nam, vt Iosephus ipse commemorat, sine noxa & maleficio per eorum fines transierant Israelitæ, quia Dei mandato sanguini suo pepercerant. Quum ergo viderent Moabitæ & Ammonitæ vigere apud fratres suos sāguinis memoriam, oōne mutuò etiam colenda ipsis erat humanitas, ne quid hostile tentarent? Sed hoc quoque Ecclesiæ quasi fatale est, nō modò ab externis hostibus impeti, sed plus molestiarum ab adulterinis fratribus sufferre. Sicuti hodie nulli importunius in nos insaniunt quàm degeneres Christiani. *Selah.* [a]Monet hæc particula considerādum vt omnes finitimi, etiam cognati populi sancti, ad eum delendum conspirauerint.

10 *Fac illis sicut Madianitis, sicut Sisaræ, sicut Iabin, in torrente Cison.*

Fac illis sicut Madianitis. [a]Post commemoratum hostium conatum & catalogum, populus Dei precatur dignam hostibus vltionem. [b]Et quo propensior sit Deus ad opem ferendam, in memoriam reuocant fideles, quàm sæpe desperatis populi sui rebus remedium attulerit. Vnde colligere prōptum fuit, Deū consultò auxilium suum differre dum premuntur eius serui, vt mirabiliter in vltima necessitate perditis succurrat. [a]Est autē ista vltionis imprecatio bimembris. Nam primùm fideles vindictam imprecantur hostibus, deinde cur id faciant, & quid spectent, clarè significant. *Sicut Sisaræ.* [c]Duas historias miscet Propheta, quia debuit vno contextu prosequi, Fac illis sicut Madianitis in torrente Cison. Inserit autem cladē Iabin & Sisaræ: sed in distinctione non multum fuit momenti, quia satis habebat sibi & reliquis fidelibus suggerere quæ Deus olim in liberando populo sæpius ediderat miracula. Summa enim huc tendit, Deum, qui toties profligatis hostibus pauidas oues suas è faucibus luporum eripuit, non destitui nunc eadem virtute. Scimus quàm mirificè populo per manum Gedeonis opitulatus sit. Videri enim potuit merum ludibrium, quòd cum validissimo exercitu congredi ausus fuerit Gedeon, nonnisi trecentos milites secum ducens, præsertim qui sectatio assueti, solo dominatorum aspectu terreri poterant. Iudic. 7.b.6. Atqui factum est vt Madianitæ mutuis vulneribus conciderent. Eadem Dei gratia in cæde Sisaræ & regis Iabin refulsit. Nam auspiciis mulieris ambo sunt profligati à Barach, qui ingentibus eorum copiis exiguam manum opponere ausus est. Dux etiam ipse Sisara non fortiter in prælio occubuit, sed quum in latebras fugisset, mulieris manu percussus est. Ergo ne fideles terrore occupati desperent, tempestiuè sibi obiiciunt hæc liberationis exempla, quibus testatus fuerat Deus satis in se vno residere potentiæ ad suos tuendos, quoties humanis opibus destituti ad eum confugerent. Porro ex illo incredibili & insolito modo liberationum, colligebant Deum mirificum esse artificem in Ecclesia sua seruanda, vt in solo eius fauore confiderent sibi esse satis præsidii ad hostes sternendos. Neque hoc tantùm loco refertur in hunc finem Madianitarum strages, sed Esaias etiam eadem ratione futuram Ecclesiæ restitutionem confirmat, Capite 9.a.4.

11 *Perierunt in Endor: fuerunt stercus terræ.*

Perierunt in Endor. [a]Nulla fit huius loci mentio in libro Iudicum, sed Dauidis tempore, multum adhuc veterum monumētorum præter sacram Historiam, quam nos habemus, extabat. Est עין דור quod significat fōtem nationis. [c]Legitur hoc nomē Ios. 17.c.11. vbi tribui Manasse adscribitur. [a]Et 1. Sam. 28.b.7, vbi Pythonissa à Saule in Endor inuenta legitur. [c]Et probabile est illic deletū fuisse exercitū Regis Iabin. Sūt qui appellatiuè accipiunt, quasi dictū esset palam & oculari strage: sed coacta est hæc expositio. *Fuerunt stercus terræ.* [c]Hoc bifariè exponitur, vel quòd in terra putrefacti sint, vel calcati sint instar sterquilinii. [a]Ita potest Deus impios tyrannos tyrannorumque satellites, populi sui oppressores, qui tantum non dii videntur, breui momento non solùm prosternere, sed & in sterquiliniū terræ mutare, cuius nec fœtorem nares, nec putredinem pedes nostri facilè ferant.

12 *Pone eos principes eorum sicut Oreb, & sicut Zeb, & sicut Zebe, & sicut Salmana, omnes principes eorum.*

Pone eos principes eorum. [v]Vel, Pone eos: nempe duces eorum. More Hebræorum alterum relatiuum redundat, pro, pone duces eorum. [a]Hic fideles hostium principibus nominatim exitium imprecantur: non quòd illi soli essent impii, sed quòd authores essent impiorum conatuum. Nam de exterminando Israele, inuadendisque habitaculis Dei, inito inter se fœdera conspirauerant. *Sicut Oreb, & sicut Zeb.* [a]Hi fuerant Madianitarum reges ac principes, hoc est, tyranni, ac violenti subditorum oppressores.

13 *Qui dixerunt, Hæreditate possideamus nobis habitacula Dei.*

Qui dixerunt. [v]Vel, Quia dixerunt. *Hæreditate possideamus nobis habitacula Dei.* [a]Quidam legunt, Sāctuarium Dei. Alii, aulam Dei. Alii, pulchritudinem Dei. Alii, Hæreditabimus nobis mā siones Dei. [c]Iterum accusat Psaltes profanos homines sacrilegii, quòd prædatoria licentia inuolent in ipsam Dei hæreditatem. Certum quidē est non hoc verbis præ se tulisse: sed quum Deum spernerent, quem sciebāt coli in populo Israel, meritò hoc crimine eos onerat, quòd Deum hæreditate sua spoliare conati sunt. Nec verò dubium est quin contumaciter exagitauerint verum Deum, vt suis figmentis inebriati sacrum eius numen pro nihilo ducebant. Atque vt abstinuerint à crassis blasphemiis, quicquid tamen molestiæ infertur piis, redundat in Dei contumeliam, qui in suam clientelam eos recepit. Subest etiam huic loquendi formæ non parua consolatio, dum Iudæam Propheta nuncupat habitacula Dei: quia hac lege se nobis coniunxit, vt perpetuam quietem & domicilium inter nos habeat: imò non secus charam & pretiosam habeat Ecclesiam quàm paterfamilias optimas possessiones.

14 *Deus mi, pone eos tanquam globum, tanquam stipulā coram vento.*

Deus mi pone eos tanquam globum. [v]Aut veluti rotam. Phrasis est Hebraica, pro, Instabiles eos redde, vt rota in loco decliui. Quidam Hebræorum iungunt istud sequentibus verbis, tanquam sit præposterus ordo. [c]Hoc modo, Pone eos velut stipulam quæ velut rota circumuoluitur à vento, & in orbem disiicitur. [a]Sed præstat ista distinguere: nam Propheta tres similitudines ponit, quibus Israeli ob oculos ponat qua potentia & quo modo hostes suos Deus exagitare possit ac perdere. Prima est rotæ seu globi: altera, stipulæ: tertia, ignis syluam exurētis. Prima similitudine orat vt inimici vi tempestatis ita inter se agitētur ac contorqueātur, vt nec sit quò consistere, nec quà euadere valeāt. *Tanquam stipulam coram vento.* [a]Eadem similitudine vsus est Dauid, Suprà, 1.a.4: & 35.a.5. [v]Rotæ verò meminit Esaias, cap. 17.d.14.

15 *Sicut ignis inflāmat syluā, & sicut flāma accendit montes.*

Sicut ignis inflammat syluam. [c]Exaggerat hac tertia similitudine quam orat vltionem, dum precatur redigi huc eos, vt sint instar ignis vorantis syluas, & flammæ qua conflagrāt mōtes. Eiusmodi enim incendium nequit restingui, & vorat omnia.

16 *Sic persequaris eos in tempestate tua, & turbine tuo terreas eos.*

Sic persequaris eos. [v]Futurum Hebræū pro Imperatiuo. [c]Quia intolerabilis est impiorum superbia, dum ad perdēdam Ecclesiam se accingunt, rogat Deum Propheta vt eos modis omnibus pudefaciat, quādo aliter corrigi eorum insolētia nequit, donec confusi & turpiter frustrati iaceant. *Et turbine tuo terreas eos.* [a]Id imprecatur quod habet versus 5, & 6, Psalmi 35. nempè vt vi vltionis, ceu procella & turbine, ita proterātur, vt nullo pacto consistere ac se recipere vnquam possint: [v]atque ita admoneatur popul⁹, Dei esse opus animos vel dare mortalibus, vel adimere.

17 *Imple facies eorum ignominia, vt quærant nomen tuum Iehouah.*

Imple facies eorum ignominia. [v]Optatiuè hæc leguntur, vel per futurum, Obrues facies eorum ignominia, & requirēt nomen tuum. Id astre. Hoc versu aperit Propheta se loqui de hostibus Ecclesiæ desperatis, & qui in dies irā Dei aduersus se prouocant. *Vt quærant nomen tuum Iehouah.* [c]Locus iste de vera conuersione intelligi non debet. Primus quidem hic gradus est ad resipiscēdum, vbi homines flagellis humiliati, vltro se demittunt: sed Propheta simpliciter coactā & seruilē subiectionem notat, qualis fuit Pharaonis. Sæpe enim contingit impios malis subactos dare gloriā Deo ad momentum. Sed quia paulò pòst phrenetica rursus amentia ferūtur, hic satis detegitur

hypocrisis, seque prodit quæ in eorum cordibus latebat feritas. Vult ergo plagis impios cogi vt inuiti Deum agnoscant vt saltem eorum furor, qui ex impunitate prorumpit, constrictus & inclusus teneatur.

18 *Pudefiant & terreantur usque & usque, & opprobrio afficiantur, & pereant.*

Pudefiant & terreantur usque & usque. [v]Vel, consternantur. [b]Hoc est, perturbentur & attoniti reddantur. [c]Hic palàm æternum illis interitum precatur. quod minimè quadraret si daretur pœnitentiæ locus. *Et opprobrio afficiantur & pereant.* [b]Apertioribus verbis precatur vt sempiterno pudore & opprobrio affecti, & terrore exagitati hostes planè pereant. [c]Nec abs re tot voces accumulat, partim quia, vt sunt indomabiles reprobi, quamuis sæpius castigati sint, colligunt tamen subinde nouas vires, & nouos spiritus: partim quia nihil apud nos persuasu magis est difficile, quàm breui perituros qui læti in summa prosperitate exultant. Id autem fit quia non satis apprehendimus quã formidabilis maneat Dei vindicta Ecclesiæ oppressores.

19 *Et sciant quòd tu sis nomen tuum Iehouah, solus tu excelsus super omnem terram.*

Et sciant quòd tu sis nomen. [v]Vel, quòd tu ô Iehouah, solus es & nomẽ tuũ solũ est: & quòd solus sis altissimus. Alii, Quòd tu, cuius solius nomẽ est Iehouah, sis altissimus, &c. Id est, Quòd tu, cui soli competit nomen Iehouah, sis, &c. Alii, Quòd tu solus es, nomen tuum Iehouah, & quòd sis altissimus. Id est, solus es quod diceris, solus verus Deus Iehouah, qui præes vniuersæ terræ, non vni tantùm regioni. [c]Nunc quoque de salutifica Dei notitia Propheta non agit, sed quam reprobis extorquet violenta Dei manus. Quanquam non simpliciter dicit cognituros aliquem esse Deum, sed speciale ponit notitiæ genus, quòd profani homines, quibus antea contẽptui fuit vera religio, tandem sensuri sint vnicum esse Deum illum qui se in Lege patefecit, & in Iudæa colitur. Interim tamen notitiam duntaxat euanidã, radicéque & viuo sensu carẽtem designat: quia nec seriò nec libenter se Deo subiiciunt reprobi, qui vel ad fictum obsequium inuiti trahuntur, vel, quatenus eos compescit, non audent in apertum furorem erumpere. Hæc igitur est experimentalis notitia, quæ ad cor vsque non penetrat, sed vi & necessitate exprimitur. Est autem emphaticũ pronomen אתה, quia subest comparatio inter Deum Israelis & alios omnes fictitios: acsi dixisset Propheta, Domine fac vt sentiãt, quæ sibi fabricati sunt idola, nihil esse. Et certè quantũuis refugiãt lucem Dei contẽptores, & nunc sibi obducãt nebulas, nunc se immergãt profundis tenebris, Deus tamen eos persequitur, & trahit ad sui notitiam, quam cuperent ignorantia sepelire. *Nomen tuum Iehouah.* [c]Quia promiscuè & indignè transfert mundus ad sua figmenta sacrum Dei nomen, hanc profanationem simul corrigit Propheta, quum addit, Nomen tuum Iehouah: acsi diceret, verè in eum solum cõpetere essentiam, aut verè esse quod dicitur: quia vtcunque eius gloriam dilacerent increduli, ipse tamen integer manet. Semper tenenda est illa quam diximus, antithesis. Nulla enim fuit tam barbara natio quæ non coleret deitatẽ aliquã, sed vnaquæq; regio proprios fingebat sibi Deos. Et quãuis Moabitæ, Idumæi, & reliqui concederẽt aliquid potestatis Deo Israel, cũ tamẽ putabant Iudææ finibus esse cõclusam: sicut Rex Syriæ vocabat Deũ montiũ, 1.Reg.20.d.23. Præpostera hæc gloriæ Dei partitio vno verbo refellitur, ac euertitur quicquid tunc in mũdo superstitionũ fuit, quum vni Deo Israel tam essentia quàm nomen suum asseritur: quia, nisi aboleantur omnia Gentium idola, non obtinebit solus Iehouæ nomen. *Solus tu excelsus super terram.* [m]Id est, Quòd præter te in toto terrarum orbe nec Deus sit quisquam alius, nec Dominus, ideóque non Iudæorum tãtùm, sed & vniuersarum Gentium vnus ac verus Deus sis, cuius potestas æterna est & immensa. [c]Hoc verò diligenter notandum est. Nã superstitiosis vt plurimum satis est relinquere Deo suum nomen, hoc est, duas vel tres syllabas, quum interea virtutẽ eius discerpant. quasi verò inani titulo contineatur eius maiestas. Sciamus ergo non aliter Deum excellere inter homines, nisi dum imperio suo potitur, nec quicquam opponitur ad obscurandam eius gloriam. [m]Postremò expendendum est quomodo impiorũ principum ignominia, confusio, consternatio & perditio ad hoc faciat vt cognoscant Deum esse Dominum. Nam quando temerario & impio ausu verbum ac populum Dei propriis viribus freti persequuntur, ita vt putent sibi perquàm facile esse vtrunq; extinguere, legitima vltione eiusmodi percussi, confusi, cõsternati, ac perditi, coguntur nolint velint per experientiã cognoscere non se esse dominos, sed Deũ cæli ac terræ omnibus in vniuersum dominari. Orãdum igitur ex animo vt impietas ac temeritas principum præsentis seculi potentia diuinæ vindictæ percussi, confusi ac consternati, tãdem discant homines esse se, Dei verò nomen esse Dominum.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIIII.

[a]Describit hic Psalmus flagrantissimum Dauidis desiderium veniendi in cœtum sacrum, & fœlicitatem illum adeuntium: [c]deinde docet nihil piorum desiderio obstare posse quominus ad Deum quærẽdum constanter perrũpant. Postremò Dauid restitui postulans, testatur pluris sibi esse diem vnum agere in tabernaculo Dei, quàm diu vitam prorogare inter incredulos.

PRæfecto super Githith, filiorum Coræ Psalmus.

Præfecto. [v]Vel, Victori. Vel, præsuli. Vide suprà, 4.a.1. *Super Githith.* Vide Suprà, 8.a.1. *Filiorum Coræ.* [v]Vide Suprà, 42.a.1, & 45.a.1. *Psalmus.* [c]Etsi non inscribitur nomen Dauidis, quia tamen argumentum conuenit eius personæ, probabile est eum fuisse authorem. Nam quòd putãt quidam à filiis Coræ eius nomine fuisse cõpositum, hac ratione satis refellitur, quòd ætate sua Dauid Prophetiæ dono magis excelluerit quã vt mãdaret partes istas Leuitis. Vna tãtũ obstat difficultas, quòd memoriæ montis Sion, ad quẽ non antè aduecta fuit Arca fœderis quàm ipse potitus est tranquillo regno. Atqui ab eo tempore semel tantùm ad breue tẽpus priuatus fuit Arcæ conspectu, quum filium suum fugeret. Verba autem sonant tunc iactatum fuisse per varia & longa exilia. Verùm si reputamus Dauidem longo pòst tempore Psalmis cõplexum esse quæ sub Saule perpessus fuerat, nõ mirabimur montẽ Sion ab eo simul nominari.

2 *Quàm dilecta tabernacula tua Iehouah exercituum!*

Quàm dilecta tabernacula tua. [v]Vel, Quàm amabilia, suauia, delectabilia. [?]Videtur hoc Psalmo Vates eo affici mœrore, quo in illo cuius initium est, Sicut ceruus clamat ad fontes aquarum, Suprà, 42.a.2. [m]Nam declarat vehemẽtiam desiderii sui, quo ardentissimè erga Tabernaculum Dei flagrabat. [c]Queritur sibi negari in Ecclesia locum vt fidem suam profiteatur, proficiat in pietate, séque exerceat in Dei cultu. Nam qui tabernacula, Dei regnum cæleste esse volunt, quasi ingemiscat se hospitem esse in mũdo, non satis attẽdunt præsentem eius necessitatem. Sciebat non frustra sacros conuentus diuinitus fuisse præscriptos, quia talibus adiumẽtis opus habent fideles quandiu peregrinantur in mũdo. Erat etiam sibi propriæ infirmitatis conscius, non ignorans quantum ab Angelica perfectione distaret. Quare non immeritò deplorat se destitui mediis illis quorum vsus satis notus est piis. Nam haud dubiè rectum externi ordinis finem spectauit: quia similis non erat hypocritis, qui dum solennes conuentus magna pompa frequentant, licet videantur toti feruere, mera tamen ostentatione defungi volunt erga Deum. In hoc certè crasso figmento minimè occupatus fuit Dauid, sed liberum Sanctuarii ingressum tantopere optauit, vt sincerè & spirituali modo Deum illic coleret. Exclamatio, ardentis affectus signum est, quem plenius secundo versu explicat. Vnde colligimus nimium esse stupidos qui ordinem à Deo mandatum, quasi possent proprio marte in cælum conscendere, securè negligunt.

3 *Concupiscit atque etiam deficit anima mea post atria Iehouæ: cor meum & caro mea exultant ad Deum viuum.*

Concupiscit atque etiam deficit. [a]Vel, desiderat & deficit. [c]Verbum Hebræum נכסף significat vehementer expetere. Neque tamen eo contẽtus Dauid, adiungit animã suam deficere post atria Dei: quod tantundem valet atque euanescere, quum immodico affectu extra nos rapimur. [m]Dicũtur enim rem aliquã deperire qui tam vehementer sunt desiderio accensi, vt vi illius prorsus consumi videantur, nisi voti compotes euadant. [c]Atria autem posuit, quia quum sacerdos non esset, nõ vltrà progredi licuit. Scimus enim Sanctuarium interius solis sacerdotibus fuisse apertum, Exodi 30.b.10, & Heb. 9.b.7. *Cor meum & caro mea exultant.* [c]Exprimit desiderium hoc diffundi vsque ad corpus. Per carnem intelligit & linguam, & manus, & pedes. Totum se dicit desiderio atriorum Domini accensum, & anima & corde & carne ad illa gestire. [m]Itaque expendendum hic est pii regis ingenium, quo ille debeat esse animo erga domum Dei. Pius Dauid vrbem reliquerat insignem, regni sui sedem, & tamen huius nulla habita mentione totus flagrat tabernaculi Dei desiderio. Sed quotusquisque nostri seculi princeps est qui regno pulsus non magis æstuet vrbium, aulæ, hortorum ac venationum quam domus Dei desiderio? *Ad Deum viuum.* [c]Sic de Arca fœderis loquitur Propheta, non quòd angusto tentorio inclusus esset Deus, sed quia scalis sibi sciebat esse opus per quas in cælum conscenderet.

Visibile verò Sanctuarium vice scalarum esse dicit, quia ad cæleste exemplar pias mentes dirigebat. Et certè quando ad Dei altitudinem nos carnis tarditas assurgere non patitur, frustra nos ad se vocaret, nisi etiā ad nos descēderet vicissim: vel saltem interpositis mediis manus quodāmodo ad nos sursum tollendos extenderet. "Ad hæc viuum dicit, ad contemptum deorum gentium qui lapides erant & ligna.

4 *Etiam passer inuenit sibi domum, & hirundo nidum sibi, vbi reponat pullos suos, O altaria tua Iehoua exercituum, Rex meus & Deus meus!*

Etiam passer inuenit sibi domum. "Singul. pro plurali & præteritum pro præsenti. Sunt qui vno contextu legunt, Etiam passeres inueniunt domum, hirundines nidū vbi reponant pullos suos prope altaria Domini. "Acsi diceret Propheta, aues prope altaria nidulari. Vnde melius apparet quàm iniqua sit eius cōditio qui procul inde prohibetur. Et huic sententiæ videtur suffragari particula *אֶת* quæ accusatiuo casui vt plurimum iungitur. Sed quia interdum etiam seruit exclamationibus, dubium non est quin Propheta medium orationis cursum abrūpens exclamet, sibi conspectu altaris nihil fore gratius. "Acsi diceret, En passeres & hirundines quæ crebrò (quòd subinde nidi earum deturbentur) emigrant, inueniunt tandem vbi pullos suos reponant: mihi autem peruenire ad altaria tua Deus, apud quæ sola grata mihi quies foret, non datur. "Primùm ergo Dauid passeribus se & hirundinibus cōparans, miseriā suā amplificat: quia indignum est ab hæreditate sibi promissa expelli Abrahæ filios, quum auiculæ nidos alicubi reperiant. Quamuis autem nactus quādoque esset cōmodum hospitium, imò liceret apud incredulos cum aliqua dignitate manere, visus tamen est sibi quodammodo exul à toto orbe, quantisper ad Sanctuarium non patebat accessus. Nam certè hic nobis est viuendi finis, vt in Dei cultu exerceamur. Porro quamuis non ritè colatur nisi spirituali modo, subsidiis tamen vti opus est quæ non abs re nobis destinauit. *O altaria tua.* "Non sine ardentissimo affectu in hanc vocem erumpit Dauid. "Nam quia obiicere promptū erat, multos esse angulos in mūdo vbi tutò quiesceret, imò multos esse hospites qui libēter eū exciperēt, atque ita sine causa tumultuari, respondet se malle toti mundo renunciare quàm priuari sacro Tabernaculo: nullum locum sibi iucundum esse procul à Dei altaribus, imò nullum vnquam domicilium extra terram sanctam sibi placere. *Iehouah exercituum.* "Bis vocat Deum Dominum exercituum, nec id facit intempestiuè. Erat enim illi negotium cum acerrimis hostibus, qui eum penitus interimere conabantur: quare hoc elogio diuinæ potentiæ, fidem suam corroborare studet. *Rex meus, & Deus meus.* "Significat his epithetis molestam sibi & acerbam esse vitam, quia exulet à regno Dei: acsi diceret, Etiamsi me certatim omnes inuitent, quandiu à finibus tuis excludor, quum Rex meus sis, quid me iuuaret in mundo agere? Iam quum Deus meus sis, quorsum viuo nisi vt ad te aspirem? Vbi autem me reiicis, cur non omnia hospitia asperner, quamlibet suauiter carni meæ arrideant?

5 *Beati qui habitant in domo tua, semper laudabunt te.*

Beati qui habitant in domo tua. "Vel, Beati habitatores domus tuæ. *Semper laudabunt te.* Vel, In seculum laudant te." Iam fœlices eos prædicat quibus dabatur coram Deo, in tabernaculo eius comparere, quod sibi, id temporis, quum eiectus esset, negabatur. Ita quippe comparati sumus vt non solùm miseriā nostram deploremus, sicubi rebus desperatis potiri non datur, sed & fœlicissimos eos deprædicemus quibus illis pro voto frui datur." Vide huius rei exemplū, Luc. 15. d. 17. Et quū addit Dauid, habitatores domus Dei perpetuò diuinas laudes corā arca decātare, "clarius definit rectum & legitimū Sāctuarii vsum. Atque ita se discernit ab hypocritis, qui & ipsi ad cæremonias externas sedulò accurrunt, sed pietate vacui: veros autem Dei cultores testatur Dauid afferre laudis sacrificiū quod à fide separari non potest. Neque enim ex animo Deum laudabit nisi qui acquiescens in eius gratia, spirituali pace & gaudio fruitur. "Significat etiam Dauid præcipuum hoc esse bonum, vt se homines exerceant in cultu Dei. "Et re vera nihil potest homini pio iucundius contingere in hac vita quàm si detur perpetuò laudibus Dei decantandis immorari. At ista laudum suauitas non potest locum habere in hominibus carnaliter ac seculariter animatis. Nascitur enim ex viuaci beneficiorum Dei sensu, & interna magnificentiæ, gloriæ, potentiæ, iustitiæ, bonitatis, misericordiæ ac veritatis illius consideratione.

6 *Beatus homo cui robur in te, semitæ in corde eorum.*

Beatus homo cui robur in te. "Vel, Beatus homo cuius fortitudo est in te. Id est, qui tota animi fiducia in te vnum recumbit, tantumque in te sperat. "Iterum docet, Sanctuarium se non expetere tantùm vt pascat oculos, sed vt in fide proficiat. Est enim hic non vulgaris profectus, recumbere toto animo in Deum. quod fieri non potest nisi deiecto omni fastu, & animis verè humiliatis. Atqui hanc sibi quærendi Dei rationem statuit, vt precariò mutuetur ab eo virtutem, qua se destitui sentit. "Porro si beatus ille homo cēsetur cuius fortitudo ex Deo est, sequitur miserū esse & infœlicē cuius fortitudo nō in Deo, sed vel in ipso, vel in aliis est creaturis. At iuxta rationis humanæ iudicium is demum infœlix potius dicitur, qui, quod ipsum vel alios concernit, nulla fortitudine præditus est, sed cogitur diuino niti auxilio & robore. Verùm Propheta talē beatum vocat. Quare? Quia videlicet fortitudinem habet potentissimam & inuictissimam. Sic Paulus dicebat, Omnia possum in eo qui me corroborat, Philip. 4. c. 13. *Semitæ in corde eorum.* "Hoc quidam vno contextu ita exponunt, fœlices esse qui viam sequuntur à Deo præscriptam: quia nihil magis perniciosum est quàm sapere ex proprio sensu. Nec verò frustra de Lege pronunciatum est, Hæc est via, ambulate in ea, Esa. 30. c. 21. Verum igitur est peruersis erroribus circumagi homines, vbi vel tantillum à verbo Dei deflexerūt. sed melius hoc restringitur ad præsentem circūstantiam, fœlices esse qui Deū sibi cupiunt esse vitæ moderatorem, ideóque ad eum accedere cupiunt. Neque enim (vt dictum est) moratur Deus externas cæremonias, sed regere vult ac sibi subiicere quos ad Tabernaculum suum inuitat. Quisquis ergo didicit quanta sit fœlicitas Deo inniti, studia huc sua & omnes sensus applicabit, vt ad Deum celeriter properet.

7 *Transeuntes in valle mori, fontem ponent, etiam cisternas operiet pluuia.*

Transeuntes in valle mori. "Hoc est, per vallem moris abundantem, Id est, aridam. in loco enim arido morus nasci solet. Alii vertunt, Transeuntes per vallem fletus (in qua scilicet ob siccitatem & ariditatem fletus excitatur transeuntibus) ponent eb fontes. Id est, scaturire facient illic aquas, &c. "Intelligit Propheta nihil posse cordatis strenuisque Dei cultoribus obstare quin ad Sāctuarium festinent. Atque hac loquendi forma confirmat quod prius dixit, nihil magis esse optabile quàm exerceri quotidie in Dei cultu: quando nullæ difficultates, nulla obstacula, piorum desideria morari poterunt, quin alacriter per arida deserta concurrant ad celebrandos sacros conuentus. Dubium verò non est notari mori nomine steriles & ieiunas solitudines, per quas molestum est iter facere: quia ad viaticum nihil est magis necessarium potu. Piorum ergo constantiam probare voluit Dauid, quia aquæ penuria, ob quam deficiunt viatores, non impediet quominus per valles arenosas ad Deum quærendum properent. Quibus verbis coarguitur eorum ignauia quibus graue est quicquam subire incommodi dum proficiendum est in Dei cultu. Suum otium & deliciæ eos oblectant. Itaque modò pedem mouere necesse non sit, libenter se profitebuntur Dei cultores: sed liberum doctrinæ & Sacramentorum vsum ne pilo quidem redimunt. Videmus quàm multos nidis suis affixos teneat hæc socordia, vt nulla commoditate se audari se sustineant, etiam vbi ad preces publicas, ad audiendam salutis doctrinam, ad sacra mysteria participanda vocantur. Videmus alios dormire, alios operā dare lucro, alios implicitos esse profanis negotiis, alios etiam ludere. Vnde mirum non est qui procul absunt & qui sine facultatum dispendio frui nequeunt istis salutis adminiculis, domi resides manere. Atqui, ne isti suis lautitiis sibi placeant, pronunciat Dauid, quibus cordi est pietas, & qui serió Deum colunt, eos pergere non modò per mollem & lætam viā sub vmbra & per delectabiles vias, sed etiam per aspera deserta: & potius sibi facturos cisternas maximo labore, quàm regionis siccitas eorum iter impediat. *Fontem ponent.* "Significare vult sanctos præ nimio studio adeundæ domus Domini, ac alios eodem pelliciendi, puteos passim in arentibus locis effossuros: & vbi id terræ ariditas fieri negat, paraturos cisternas & piscinas, quibus pluuialis aqua recipiatur. Vnde subiicit, *Etiam cisternas operiet pluuia.* "Vel, Pluuia vestiet (hoc est replebit) cisternas. Chaldæus paraphrastes vertit, Benedictionibus operiet illos qui conuersi fuerint ad doctrinam Legis.

8 *Venient è virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.*

Venient è virtute in virtutem. "Vel, de turma ad turmam, De cumulo ad cumulum (vel de caterua ad cateruam) comparebit quisque eorum apud Deum, &c. Id est, Ad singulas cateruas accedent, vt audiant laudes Dei. Vel, Ibunt in turmam donec videant Deum, vel, apparuerint coram Deo in Sion. Repetit enim quod superiore versu dixerat. Nam quia ex Legis

præscripto, postquam Arca fœderis in montem Sion translata fuerat, illic erant sacri conuentus, dicit fideles certatim illuc venturos. Nomen חיל rarò significat turmam, sæpius autem potentiam, vel robur: ideo ad communem linguæ vsum aptius vertitur, Venient è virtute in virtutem: acsi diceret, fideles collectis subinde viribus ascendere ad montem Sion, nec lassitudine vlla tardari, donec conspiciant Dei faciem. Sicut tamē turmæ vel cateruæ nomē magis placeat, sensus erit, Non paucos modò venturos, sed permultas cateruas. Non desunt etiā qui legant, de doctrina in doctrinam. Vel, de academia in academiam. Id est, Crescet eorum doctrina adeo vt vnusquisque videat eam in Ecclesia. Aut, Crescet donec perueniant ad perfectam Dei notitiam. Sed virtutis aut turmæ nomen multo aptius quàm doctrinæ conuenit. *Videbitur Deus deorum in Sion.* Iam alibi diximus quomodo apparuerit olim Deus in templo seruis suis. (Vide Suprà, 57.a. 4.5) Etsi enim nulla illic visibilis erat Dei imago, quia tamen Arca fœderis symbolū erat eius præsentiæ, experti sunt fideles hoc se adminiculo vtiliter iuuari, vt ad Deum accederent. In summa Propheta significat inter eundum robur Sanctis continuò augendum, & Dominum vires illis suffecturum, donec in templo comparuerint.

9 *Iehoua Deus exercituum audi precationem meam, ausculta Deus Iacob. Selah.*

Iehoua Deus exercituum. Continet hic versus cum sequenti egregiam precationem. Nam ex memoratis recensus David animos, precatur vt precem suam audiat Deus, vtque quā precabatur hanc & populo & sibi fœlicitatem testitui. Profani homines stultè & sine profectu se macerant & torquent in suis desyderiis, Dauid autem prudenter vota sua ad Deum conuertit. Vnde etiam apparet non fuisse ambitiosis iactantiæ deditum: sicuti mirum ardorem præ se ferunt multi hypocritæ, quos intus frigere testis est Deus. Audi, inquit, precationem meam. Non exprimit quid orauerat, quam orationē exaudiri petat, sed ex præcedentibus satis colligitur quæ fuerit sancti viri oratio, nempe ardentissimum illud votum quo ad domum Dei suspirabat. Sic alibi dicit, Vnum hoc petii à Domino, hoc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, Suprà, 27.b.4. Notandum & illud, suspiria & vota cordis orationem vocari: quod vtinam obseruarent qui putant se non orare nisi quando verbis compositis & longo sermone cum Deo loquuntur. *Ausculta Deus Iacob.* Nō est supervacua hæc repetitio, quia ardentissimum pii viri desiderium magis exprimit: sicuti & dictio Selah huic versui subiecta. q.d. Deus potentissime, Deus misericors, ausculta quid cor amarum intra se cogitet & desideret, ô Deus Iacob patris nostri.

10 *Clypeus noster aspice Deus, & intuere faciem Christi tui.*

Clypeus noster aspice Deus. Quidam, protector noster. Postquam Dauid generaliter audiri postulauit, quia videri poterat ab Ecclesia resectus, huic tentationi occurrit, se aggregans & colligens cum omnibus piis sub Dei præsidium. Nisi enim Ecclesiæ fuisset membrum, non poterat communiter, quasi in omnium persona, dicere, Clypeus noster. Clypei similitudo in Scripturis frequenter occurrit, vbi Deus in se sperantium clypeus dicitur, vt agnoscant pii omnes se in tuto degere, quum ton in vnum Deum, qui potentissimus est, & ad saluandum paratissimus, recumbunt. Vide Suprà, 5.c.11, & 18.a.3. *Et intuere faciem tuam Christi tui.* Iam alius conscendit Dauid, regiam vnctionem, qua Deus per manum Samuelis eum dignatus fuerat, in medium proferens. Emphatica enim est locutio, quæ frigidè transmitti non debet, Aspice in faciem Christi tui. Nam Dei fauorem hinc sibi promittit, quia eius mandato vnctus fuerat in regem, 1.Sam 16.c.13. q.d. Ne negligas me Domine, sed rationem habeas mei quem vnxisti in regem. Etiamsi indignus sim quem tu respicias, vide tamen & reputa quem mihi personam imposueris: vis enim me esse regem populi tui. Quia verò sciebat regnum suum nonnisi esse vmbratile, nō dubiū est quin sibi gratiā cōciliare studuerit obiecto Mediatore cuius personā gerebat: acsi dixisset, Quāuis indignus sum quem tu restituas, hoc tamen meretur vnctio, qua me typum fecisti venturi Redemptoris. Quibus verbis docemur non aliter nobis propitiari Deum, quàm vbi Christus in medium prodit, cuius aspectu discutiuntur omnes vitiorum nostrorum nebulæ. Præterea notent hic reges, principes, magistratus, & ministri verbi qua debeant esse, moneris gratia quod à Deo acceperunt, erga eum fiducia. Verùm cauendum illis est, ne sint ex eorum numero de quibus alibi dicit, Regnauerunt, & non ex me, Osee 8.a.4. Hoc est, Ne vel pretio, vel ambitione, vel vi seipsi intruserint. Deinde etiam si sic sint vocati, curandum est vt inculpatè quisque munus suū administret. Alioqui nunquam poterunt bona cum fiducia ad Deum dicere, Respice in faciem serui tui.

11 *Quia melior est dies vnus in atriis tuis, quàm mille: elegi limen tenere in domo Dei mei, potius quàm habitare in tabernaculis impietatis.*

Quia melior est dies vnus. Hic precationis suæ rationē subiungit, & simul animi sui desiderium erga domum Dei, collatione quadam exprimit. Quum enim maior pars mundi sine ratione viuere appetat, nec aliud habeat in votis quàm sibi vitam prorogari: testatur Dauid vno modò propositum sibi esse viuendi finem vt Deum colat, sed sibi pluris esse diem vnum, quem impendere licebit in cultum Dei, quàm longum tempus transigere inter homines profanos, à quibus exulat religio. Notanda est hæc collatio dierum eorum qui in domo Dei, & eorum qui inter profanos & impios transiguntur. Animo pio iucundius est vno die vel postremo loco esse in domo Dei sui, quàm diu regnare inter profanos. Tale quid de Mose commemorat Apostolus, Hebr.11.c.25. Sed pauci sunt hodie qui malint Christo pauperi & contempto seruire, quàm huic seculo omnium prosperrimo. *In atriis tuis.* Quia solis Sacerdotibus fas erat templum ingredi, disertè exprimit Dauid, modò subsidere in atriis liceat, hac sorte se contentum fore. *Elegi limen tenere in domo Dei.* Vel, malo desidere ad limen. q.d. Malo esse postremus in Ecclesia, &c. Comparatio ista multum amplificat, quum Dauid se malle dicit in ipsis templi foribus subsistere quàm occupare tabernacula impietatis: quasi diceret se in vulgarem & ignobilem locum malle reiici, modò censeatur in Dei populo, quàm primarium gradu tenere inter impios. Rarum certè pietatis exemplum. Quanuis enim multi locum sibi in Ecclesia esse cupiant, sic tamen præualet ambitio, vt paucissimis sufficiat in communi numero manere. Omnes enim ferè abripit vesana altius conscendendi cupiditas, vt quieta non sit illis statio nisi emineant. *In tabernaculis impietatis.* Aut, perturbationis. Id est, impiorum & perturbatorum. Ita vocantur homines qui metu Dei vacui omnia agunt pro libidine, acsi nullus sederet in cœlo iudex.

12 *Quia sol & clypeus Iehoua Deus, gratiam & gloriam dabit Iehoua: non claudet bonum ambulantibus in rectitudine.*

Quia sol & clypeus. Reddit præmissæ collationis rationem, dicens, Quia sol & clypeus est Dominus. acsi diceret, Quemadmodum sol luce sua mundum viuificat, fouet, atque exhilarat, ita fideles sereno Dei aspectu recreantur, imò non aliter viuunt & spirant nisi quatenus illis Deus affulget. Clypei nomine intelligit Propheta, salutem, quæ alioqui innumeris periculis exposita esset, eius defensione protegi, quia non satis esset viuificum nobis esse Dei fauorem, nisi inter tot discrimina, virtutem quoque suam ad nos tuendos opponeret. Nō ergo timeamus hostium insultus, quum tā forti clypeo muniat nos immensa Dei bonitas. *Gratiam & gloriam dabit.* Vel, gratiam & dignitatē dabit. Posset hoc ita accipi, quos Deus in hoc mundo sua gratia ornauit, tādē in regno suo cælesti gloria coronare. Sed quia hæc distinctio arguta videri posset, præstabit ita resoluere sententiam, Postquam fauore suo cōplexus fuerit Deus fideles, extollet eos in summam dignitatem, nec desinet eos suis donis locupletare. Quod etiam cōfirmat proximo membro, *Non claudet bonum ambulantibus in rectitudine.* Vel, Nec auertit bonum ab his qui ambulāt per perfectā viā. Alii, Nec retrahit bonū ab iis qui ambulant in sinceritatibus, vel perfectione. Quidam liberius vertunt, velut exponentes Hebraicum dicendi genus, Nullo bono destituit eos qui in integritate ambulant. acsi Propheta diceret, nunquàm exhauriri Dei beneficentiam quin assiduè fluat. Interea colligimus ex iis verbis, quicquid est in nobis præstantiæ, manare ex mera Dei gratia. Simul Dei cultoribus propriam notam adscribit, quòd eorum vita ad integritatem sit composita.

13 *Iehoua exercituum, beatus homo qui confidit in te.*

Iehoua exercituum, beatus homo. Epiphonema est animi spirituali voluptate, ex consideratione diuinæ bonitatis, ardentis, & inde gestientis quamplurimos ad studium Dei inuitare. Videtur autem hæc exclamatio referri ad exilii tempus. Prius dixerat beatos esse qui habitant in atriis Dei sui: nunc, quanuis hoc bono ad tempus caruerit, se tamen negat prorsus fuisse miserum: quia optimo solatio fretus, Dei gratiā procul intuitus sit. Atque hoc exemplum notatu dignum est. Quandiu etiam priuamur Dei beneficiis, angi quidem tristitia & gemere necesse est: sed ne doloris sensus nos absorbeat, statuer-

uenit inter ipsas miserias nos fide & patientia beatos esse.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXV.

[H] Psalmus hic primò orationem habet ad Deum pro reconciliatione ac salute populi perfectè impetranda: [C] Deinde querimoniam continet de longo malorum tractu, [H] quibus afflictus est populus. [A] Postremò vaticiniū habet de regno Christi, vnde omnis bonorum affluentia sperabatur.

PRæfecto filiorum Coræ Psalmus.

Præfecto. [V] Vel, victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4.a.1. *Filiorum Coræ.* [A] Vide Suprà, 42.a.1, & 45.a.1.

2 *Beneuolus fuisti Iehoua terræ tuæ, reduxisti captiuitatem Iacob.*

Beneuolus fuisti Iehoua. [V] Vel, Complacuisti Iehoua terræ tuæ. Vel, Reduxisti in gratiā Iehoua cum terra tua. Alii, Benignus factus es Iehoua terræ tuæ. Alii, Gratam habuisti Iehoua terram tuam. Vel, Fauisti Iehoua terræ tuæ. Id est, Gratuito fauore olim complexus es terram tuam: propterea idem nunc spero te facturum, & nos erepturum. [C] Sunt qui per futurum vertūt præterita istorum trium verborum, vsque ad quintum, Redibis in gratiam, &c. sed videntur isti sensum corrumpere. Probabile est, populo dira Antiochi tyrannide afflicto Psalmum fuisse dictatum: ideóque ex redemptione spes nouæ & continuæ gratiæ in posterum suggeritur: quia hoc modo testatus fuerat Deus nullis peccatis extingui posse fœderis sui memoriam, quin exorabilis esset erga filios Abrahæ. Nisi enim tantam Dei bonitatem prius essent experti, mole afflictionū, præsertim tam diuturna, obrui necesse fuit. Porro quòd redempti fuerint, causam statuunt in gratuito Dei amore, quo terram suam prosequutus est, quam ipse elegerat. Vnde sequitur continuum fuisse eius beneplaciti cursum: vnde etiam precandi fiduciam sibi comparant fideles, quia Deus electionis suæ memor, terræ suæ propitius fuerit. Diximus autem alibi nullare nos melius animari ad precandum, quàm vbi recordamur superiores Dei gratias: quia rebus aduersis statim succumberet fides nostra, & corda nostra suffocaret anxietas, nisi prioris temporis experiētia Deum seruis suis exorabilem esse, & semper vbi postulat necessitas, opitulari doceret: præsertim vbi eadem manet continuandæ gratiæ ratio. Ita prudenter ad fideles sui temporis accommodat Propheta quæ olim Deus beneficia patribus eorum contulerat: quia vtique in spem eiusdem hæreditatis vocati erant. *Reduxisti captiuitatem Iacob.* [A] Posset hæc reductio ad primam illam & insignem liberationem referri, qua ex Ægypti seruitute liberatus fuit populus: rectius tamē de liberatione à Babylonica captiuitate intelligitur. [C] Nā quia fideles ab exilio Babylonico reuersos nouis incommodis atque etiam cladibus Deus afflixerat, liberationem hanc commemorant, ne opus gratiæ suæ reddat imperfectum.

3 *Abstulisti iniquitatem populi tui, operuisti omnia peccata eorum.*

Abstulisti iniquitatem populi tui. [V] Vel, Remisisti, condonasti. [C] Quia metum & anxietatem poterant afferre fidelibus sua peccata, hanc quoque dubitationem tollit Propheta, quoniam Dominus populum suum redimendo, insigne gratuitæ veniæ specimen ediderit. Fontem prius ostenderat, gratuitum Dei beneplacitum: sed postquam interuenerant offensæ quibus alienauerat se populus à Deo, remedium hoc succurrere oportuit. Nam ablatam fuisse iniquitatem dicens, non intelligit correctos fuisse, & à suis peccatis purgatos fideles, sicuti Deus Spiritu regenerationis eos sanctificans, peccata verè tollit: sed statim explicat quid voluerit. Summa est, Deum fuisse Iudæis reconciliatum, peccata non imputando. Tegere enim peccata dicitur Deus, quæ sepelit, ne in iudicium veniant: sicuti plenius dictum est Suprà, 32.a.1. Ergo quum populi sui scelera exilio castigasset, restituere eos in patriam volēs, abolito reatu obstaculum sustulit. Nam ex culpæ remissione pendet etiam pœnarum relaxatio. [A] Videmus etiam hoc loco soli Deo tribui peccatorum remissionem, vt sciamus toto cælo errare qui alibi quàm in gratuita Dei misericordia veniam quærunt.

4 *Auertisti omnem iram tuam, reuocasti ab excandescentia furorem tuum.*

Auertisti omnem iram tuam. [V] Vel, Abstulisti, Collegisti, Contraxisti. Id est, delesti omnem iram tuam, ita vt amplius non fueris memor iniquitatum populi tui, adeò vt animum mutasse videaris. Non quòd Deus vel faciem suam auertat, vel ipse mutet sententiam: sed dicitur auertere faciem suam à furore, quum sepelit & abolet materiam indignationis, perinde acsi proiceret post tergum suum peccata nostra. Sicuti etiam nō cadit furor in Deum, sed Scriptura tribuit illi has passiones, quòd non possimus aliter concipere grauitatem iudicii eius, vt timere discamus. [C] Ergo Propheta superiorem sententiam confirmat hoc versu, dicens exorabilem fuisse Deum populo suo, vt manum suam ab eo castigando retraheret. Quid hic obgannient Sophistæ, qui Deum fore iustum negant, nisi remissa culpa pro sua seueritate pœnas exigat? Nam culpæ veniam consequitur hic effectus, vt sua benedictione testetur Deus se iam non esse offensum. [A] sicuti alibi dicitur, Peccatorum & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius, Ierem. 31. f. 34, & Hebr. 10. c. 17. *Reuocasti ab excandescentia furorem tuum.* [V] Vel, Auertisti à furore faciem tuam. Alii, Auersus es à furore iræ tuæ. [C] q. d. Desiisti nos affligere.

5 *Conuerte nos Deus salutis nostræ, & remitte iram tuam erga nos.*

Conuerte nos. [A] Vel, Restitue nos Deus opis nostræ. [C] Iam ad præsentem vsum accommodant fideles quod antea retulerāt de paterna Dei indulgentia erga populum redemptum: [V] acsi dicerent, Quod antehac fecisti patribus nostris, facturum te nunc speramus: quoniam eadem necessitas postulat vt nobis sis propitius. *Deus salutis nostræ.* [C] Vocant Deum salutis, à quo petunt restitui, vt in rebus deploratis ac perditis spem tamen hanc foueant, se Dei virtute saluos fore. Nam etsi visibilem bene sperandi materiam oculis nostris non offerat, statuere tamen conuenit, salutem in manu eius esse absconditā, & eius manifestandæ, quoties placuerit, promptum & expeditum esse modum. *Remitte iram tuam erga nos.* [V] Vel, Cessare fac iram tuam erga nos. Vel, Discute, dissipa, dissolue. [C] Quia calamitatum omnium causa & origo est ira Dei, eam quoque deprecantur fideles. Atque hic ordo sedulò notandus est, quia, vt teneri sumus ac molles, ad ferenda mala, simulac minimo digito ferire nos cœperit Deus, flebiliter quidem petimus vt nobis parcat, sed quod præcipuum est omittimus, vt nos à reatu absoluat: quia non libenter ad nos examinandos descendimus.

6 *An perpetuò irasceris erga nos? protrahes iram in seculum & in seculum?*

An perpetuò irasceris erga nos? [V] Vel, Num in seculum irasceris contra nos? *Protrahes iram tuam in seculum & in seculum?* [V] Vel, Extēdes iram tuam in generationem & generationem? q. d. Nū perpetuò tua in nos desæuiet iracundia? Num æternus erit furor? Nunquid tuam protrahes è progenie in progeniem vltionem? Pessimè profecto se haberent res nostræ si nostri non in sordibus arbitrii à te proiectos marcescere sineres. [C] Deplorant hoc loco fideles malorum diuturnitatem, & ratiocinantur à natura Dei, qualis in Lege describitur, nempe quòd tardus sit ad iram, longæque patientiæ, ad veniam propensus & facilis. sicuti etiā alibi vidimus irā eius momento euanescere, misericordiam durare perpetuò, Suprà, 30.b.6. Sic enim inter precandum promissiones Dei meditari conuenit, quæ nobis verba suppeditent. Etsi autem videntur quodammodo expostulare, acsi alium se Deus ostenderet, dubium tamen non est, cum tentatione fortiter luctando, spem leuationis quæsisse ex Dei natura: acsi principium hoc sumerent, fieri non posse vt Deus perpetuò irasceretur. Interea colligimus vsque ad tædium malis fuisse grauatos, dum ita orarunt, vt ferendo iam propemodum essent defessi. Quare discamus, vtcunque non statim palam nobiscum Deus in gratiam redeat, non esse tamen cessandum à continuo precandi studio. Siquis obiiciat, vanum igitur esse quòd Deus iram suam breuem fore promisit: certè si peccata nostra expendimus, breuis semper est: quòd si nobis occurrat æternus misericordiæ eius tenor, momentaneam esse fatebimur. Nam quia subinde rebellitur caro nostra ad lasciuiam, variis correctionibus penitus subigi necesse est.

7 *Annon tu conuersus viuificabis nos, & populus tuus lætabitur in te?*

Annon tu conuersus viuificabis nos? [V] Vel, Annon tu conuerteris, viuificabis. Duo verba futura sine coniunctione, quorum alterum Latini vertunt in participium, Conuersus viuificabis, vel, Vitæ nos restitues, mutata sententia. [C] Quia vigebat in cordibus fidelium principium hoc, pœnas quibus filios suos castigat Deus, esse temporales, hinc fiduciam colligunt, Deū, quamuis nunc meritò sis infensus & auersus, fore sibi exorabilem, vt mortuos in vitam susciret, luctūmque conuertat in lætitiam. Viuificandi enim verbo se mortuis propè similes queruntur, vel malis exanimes. [V] Cōuerti autem dicitur Deus, quando recipit nos in gratiam. *Et populus tuus lætabitur in te?* [C] Dum hic fideles lætandi materiam sibi promittunt, nunc se intelligunt mœrore propè esse confectos. [H] Proinde ex his verbis haud obscurè notari potest, mortem ac tristitiam esse

in sensu irati ac auersi Dei: vitam verò & lætitiam ex eo esse, si Deus placatus conuertatur, & iram suam à delinquentibus auertat.

8 *Ostende nobis Iehoua misericordiam tuam & salutem tuā da nobis.*

Ostende nobis Iehoua misericordiam tuam. [a]Vel, bonitatem tuam. Clementiam tuam. [c]Eadem in his verbis subest antithesis quæ versu superiori. Quia misericordiam sibi petentes ostendi, & salutem dari, fatentur omni vtriusque gustu se esse priuatos. Quum autem talis fuerit olim sanctorum conditio, discamus, etiam extremis malis afflicti & perditi, ad Deum tamen confugere. [m]Nō dicunt simpliciter, Miserere nobis: sed Ostende nobis misericordiam tuam. Est autem Ostendere misericordiam, non solùm misereri, sed & miserendo genuinam animi bonitatem & affectum misericordiæ plenum declarare. *Et salutem tuam da nobis.* [a]Hoc est, serua & libera nos ab afflictionibus quæ nos premunt. [c]Porro misericordia in priore gradu locatur, deinde subiicitur salus, quam illa ex se generat & profert: quia non aliunde inducitur Deus vt sit seruator, nisi quia misericors est. Vnde sequitur quicunque sua merita obiiciunt Deo, ad impetrādum eius fauorem saluti viam claudere. Neque enim abs re dicit, Propter me hoc faciam, non propter vos, &c. Ezech. 36. c. 22. f. 36.

9 *Audiam quid loquatur Deus Iehoua. certè loquetur pacem ad populum suum & ad mansuetos suos, & non redibunt ad stultitiam.*

Audiam quid loquatur Deus. [a]Quidam per præsens, Audio quid loquatur Dominus. [c]Hic suo exemplo Propheta totum Ecclesiæ corpus ad quietam & placidam tolerantiam hortatur. Nā quia efferbuerat quadam vehementia, quasi fræno se cohibet: sicuti semper in votis nostris, quamlibet piis & sanctis, cauendum est ne liberius exultent. Nam vbi quis suæ infirmitati indulget, facilè arripitur immodico feruore vltra metas. Hac ratione silentium nunc sibi & aliis indicit Propheta, vt Deum patienter expectent. His autem verbis ostendit se composito animo, & quasi tacitum manere, quia persuasus sit Ecclesiam curæ esse Deo: quia etsi dominari putasset fortunam in mundo, & cæco impetu rotari humanum genus, nō adscriberet Deo imbecilli partes. Loqui enim hoc loco tantundem valet ac præcipere vel mandare. acsi diceret, Quia confidit in manu Dei esse remedium, præsentibus malis, tranquillum se fore, donec opportunum liberandæ Ecclesiæ tempus aduenerit. Sicut ergo contra Deum tumultuatur passionum nostrarum intemperies, ita patientiæ species est silentii, quo se sub eius imperio continent piæ mentes. *Certè loquetur pacem.* [c]Colligit lætiorem fore Ecclesiæ statum: quia quū Dei sit præesse in rebus humanis, fieri nō potest quin Ecclesiæ quam dilexit, bene consulat. [a]acsi diceret, Deus efficiet vt tandem bene habeat Ecclesia eius. Nam Hebræi Pacis nomine omne genus boni significant, & fœlicem rerum successum. [c]Ideo summa est, Ecclesiam, Dei beneficio, prosperè habituram. [m]Quare licet ad tempus variis ærumnis subiecta sit, sperare tamen debet reconciliationem, sublationem iræ Dei & pristinarum calamitatum, omniumque rerum prosperitatem ac tranquillitatem. [c]Cæterùm Loquendi verbo subindicat Propheta se attentum fore ad promissiones. Simpliciter enim loqui de prouidentia Dei poterat, Spectabo quid facturus sit Deus. Sed quoniam beneficia quibus Ecclesiam prosequitur, ex promissionibus fluunt, os potius quàm manum posuit: & simul ostendit patientiam ex tranquillo fidei auditu pendere. *Ad populum suum.* [a]Id est, ad eos quos sibi adoptauit atque ceu peculium suum selegit. *Et ad mansuetos suos.* [a]Vel, ad sanctos suos, id est, ad eos quos gratia & bonitate sua donauit, & sanctificauit. [c]Discernit hac nota Psaltes verum & titularem (vt ita loquamur) Dei populum: quia quum hypocritæ omnia Ecclesiæ priuilegia superbè sibi arrogent, eorum iactantiam refutari operæpretium est, vt agnoscant iure se excludi à Dei promissionibus. [a]Qua de re vide Suprà, 15. 2. 1. & 24. 2. 3. Ergo pax multa diligentibus Legem Dei, Infrà, 119. 165. Contrà, Lōgè à peccatoribus salus, ibidem, versu 155. *Et nō redibunt ad stultitiam.* [a]Vel, Et non conuertentur ad stultitiam. Vel, Vt non reuertantur. Alii, Ne recidant ad stultitiam. Sic enim nonnulli resoluunt hanc particulam, [c]acsi Prophetæ fructum beneficentiæ Dei adiungeret. Nam quia fideles suos Deus benignè tractando allicit, vt sub eius obsequio se contineant, Propheta (vt ipsi quidem sentiunt) ad stultitiam redituros negat: quia instar fræni erit Dei bonitas ad ipsos retinendos. [c]Quanquam autem tolerabilis est illa interpretatio, aptior tamen referetur ad totum contextum: vt sit summa, Postquam satis correxerit Deus Ecclesiam suam, propitium tandem fore, vt sancti pœnis eruditi, melius sibi in posterum caueant. Causam enim ostēdit cur gratia suā Deus suspendat ac differat. Sicuti enim medicus ægrotum, quamuis iam leuatus sit aliqua ex parte, retinet sub sua disciplina, donec planè conualuerit, & sublata morbi materia collegerit firmas vires, quia liberum victum statim permittere noxium esset: sic Deus, quia videt non vno die nos bene & penitus curari à vitiis, suas castigationes extrahit: quia alioqui procliuis esset relapsus. Ergo Propheta dolorem, quo fideles opprimeret malorum diuturnitas, hoc solatio mitigat, consultò Deum plus pœnarum quàm vellent ab ipsis exigere, vt seriò resipiscant, ac cautiores in futurum reddantur.

10 *Certè propinqua est timentibus eum salus ipsius, ut inhabitet in terra gloria nostra.*

Certè propinqua est timentibus eum salus. [a]Vel, Vtique propè erit salus eius timentibus ipsum. [c]Confirmat proximam sententiam: & quamuis in speciem longè à populo suo remotus esset Deus, sibi tamē & aliis Dei cultoribus, spem propinquæ liberationis facit, quia tandem vltrò respiciat Deus quos palam negligere videtur. [m]Neq. enim fieri potest vt qui Deum timēt, ab ipso deserantur, Suprà, 9. c. 11. [c]Quòd si particulam אך aduersatiuè accipere libeat, (vt sæpius sumitur apud Hebræos) plenior erit sententia. Quia enim nuper dixerat, Deum longius in suis castigandis pergere, dum ad nouum lapsum nimis propensos videt, ne molesta esset ipsa tarditas, correctionem hanc adhibuit, etiam dum tardius appareat salus eius, propinquam tamē esse, modò illum sincerè innocemus. Sic enim alibi dicitur, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eū, omnibus inuocantibus eum in veritate, Infrà, 145. d. 18. *Vt inhabitet gloria in terra nostra.* [c]Gloriam opponit vastitati quæ tūc visa fuit per totam Iudæam, & probroso statui qui subiectus erat omniū ludibrio. Dicit igitur, Vt inhabitet siue appareat gloria in terra nostra. Hoc est, Vt possimus iure in ipso gloriari, & compotes efficiamur eius gloriæ qua sumus spoliati. [c]His ergo verbis se & alios hortatur Propheta ad pœnitentiā, tam grauiter hostium tyrannide non sine contumelia oppressos fuisse admonens, quia suis peccatis Dei salutem longè repulerint.

11 *Misericordia & veritas occurrent inter se, iustitia & pax osculabuntur.*

Misericordia & veritas occurrent inter se. [a]Vel, obuiabunt sibi. [v]Præterita Hebræis pro futuris, quod satis docent futura in versibus sequentibus. [c]Extenditur autem hoc vaticinium vsque ad regnum Christi. Dubium enim non est quin fideles, vbi speranda erat Ecclesiæ restitutio, præsertim ex quo reuersi erant Babylone, oculos sustulerint ad Christum. Interim consilium Prophetæ est ostēdere quam liberaliter agat Deus cum sua Ecclesia, vbi reconciliatus est. Dicit enim hos fructus emergere, vt misericordia & veritas mutuò sibi occurrant, iustitia & pax sese amplexentur. [m]Nam similitudine eorum qui pro more regionis suæ, occursu & osculo sese mutuò cōplectuntur, atque ita amicitiam suam testantur, virtutum harum cognationem & coniunctionem ob oculos exponit: vt intelligamus nullam harū futuram solam, sed passim omnes inter se cohæsuras, aliāmque aliam complexuram. [a]Ergo simplex & genuinus sensus est, regnum Christi nobile fore misericordia, veritate, pace & iustitia. Quia verò Propheta non hominum laudes prædicat, sed commendat, quam prius à solo Deo sperauit & precatus est gratiam, statuendum est omnia hæc bona à Deo fluere. Et per synecdochen his quatuor vocibus notatur vera fœlicitas. Nam vbi grassatur crudelitas, extincta est fides, oppressa sub pedibus iacet iustitia, confuso tumultu omnia miscentur: nonne præstaret prorsus mundum esse abolitum? Vnde sequitur nihil esse magis ad beatam vitā optabile quàm vt vigeant & principatum teneant quatuor istæ virtutes: sicuti similibus ferè elogiis alibi ornatum fuit Christi regnum. Quidam tamen non ineptè misericordiam & fidem Dei hoc loco intelligunt.

12 *Veritas è terra germinabit, & iustitia è cælo prospiciet.*

Veritas è terra germinabit. [a]Vel, Fides è terra progerminabit. Id est, distillabit ac depluet. [m]Alio simili futuram veritatis & iustitiæ copiam ac largitatē depingit. *Et iustitia è cælo prospiciet.* [u]Præteritū Hebræis pro futuro, Præbebit se visendam. q. d. A summo ad imū patebit regnū Christi, veritas & iustitia implebunt cælū & terrā: nullus erit cæli vel terræ angulus quò non pateat & diffusa sit veritas, pax & iustitia, vbi Dominus reconciliatus fuerit populo suo.

13 *Etiam Iehoua dabit bonum, & terra nostra dabit prouen-*

etiam suum.

Etiam Iehoua dabit bonum. Boni nomine significatur hic externa terræ fœcunditas. Notatur enim quædam accessio ad bona illa spiritualia de quibus paulò antè. Quanquam enim præcipua Ecclesiæ fœlicitas quatuor illis quæ retulit, donis continetur, non tamen negligenda est externi victus commoditas, modò in suo gradu subsidat. Si quis obiiciat perperam cum spirituali Christi regno misceri vberem terræ prouentum, facilis responsio est, nihil esse absurdi si Deus spiritualiter fideles benedicens, paterni quoque amoris gustum aliquem in externis beneficiis præbeat. (quando pietas non futuræ modò vitæ, sed etiam præsentis promissiones habet, 1. Timoth. 4. c. 8.) Sed notandum est, sic restringi caducæ huius vitæ commoda, ne terrenis blanditiis indormiant fideles. Ideóque in terra gustare eos diximus duntaxat paternū Dei amorem, non autem opulentia satiari. Porro hic versus docet non modò semel vim & gratiam fœcunditatis esse terræ inditam, vt alimenta nobis suggerat, (sicuti fingunt profani homines, Deum in prima creatione singulis elementis mandasse suas partes: nunc verò otiosum sedere) sed quotannis arcana Dei virtute fœcundari, prout suam bonitatem vult nobis testatam esse.

14 *Iustitia coram eo ambulabit, & ponet in via gressus suos.*

Iustitia coram eo ambulabit. Vel, Iustitiā ante se ambulare faciet quisque. Vel, iustitia ambulabit ante eū. Id est, ante vnumquemque illorum qui in regno Christi fuerint. Sunt qui iustitiam hoc loco pro iusto homine accipiunt, acsi Propheta diceret, Iustum coram Deo ambulaturum, & actiones suas ad rectitudinem compositurum: sed simplicior sensus est, ordinē sub Christi regno tam bene fore compositum vt iustitia corā Deo ambulet, ac occupet omnes vias. Hoc modo videtur reuocare fideles ad præcipuam fœlicitatem: quia, vtcunque suppeditet seruis suis Deus liberalē victū, non decet, tamen illic esse affixos. Et certè in hoc differimus à brutis pecudib⁹, quòd non saginat nos Deus, nec ventres nostros reficit vt mundo fruamur, sed altius nos deducit. *Coram eo ambulabit.* Significat his verbis, Dei ordinatione fieri vt iustitia suum cursum habeat: quod est ponere gressus in via: sicut ex opposito conqueritur Esaias, æquitatem non posse ingredi, quoniam arcetur publico, capite 59. c. 14.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVI.

Precatus David primùm vt innocētes, inde vt ab hostibus tutus viuat & fœlix. Et, vt se magis ad bene sperandum animet, immensam Dei bonitatem ac potentiam sibi proponit: pollicetúrque Deo gratitudinem postquam ab hostibus ereptus fuerit.

PRecatio Dauidis.

Precatio Dauidis. Vel, oratio ipsi Dauid. Quanquam nec inscriptio docet, nec ex contextu certò licet colligere de quibus periculis hic queratur Dauid, credibile tamē est, quando eum persequebatur Saul, meditatum fuisse quæ postea hic descripsit, quum in pace data esset melior opportunitas. Porrò non abs re miserias suas Deo allegat quæ fauorē impetrēt: quando naturæ nihil magis proprium est quàm succurrere miseris, & quo quisque durius premitur & destituitur humanis auxiliis, benignius eum iuuare. Quare ne summis afflictionibus animos nostros obruat desperatio, succurrat hæc fultura, pauperibus & miseris dictatam esse hanc precationem à Spiritu sancto.

1 *Inclina Iehoua aurem tuam, responde mihi, quia pauper & [illegible] sum ego.*

[illegible]*clina Iehoua aurem tuam.* Precatur sanctus Dei se audiri & [illegible]ri, vt innocenter ac piè ac inde fœliciter viuat. Composita [illegible] est hæc precatio ad eum fermè modum quo ea quàm ha[illegible] psalmus 25. Porro aurium inclinatione quam Spiritus [illegible] in Scriptoris proponit, dicitur quomodo Deus affli[illegible] & inuocantium se preces benignus exaudiat: quemad[illegible] alibi vidimus, Desiderium humilium audisti domine, [illegible]cor eorum: attendit auris tua, Suprà, 9. d. 17. *Quia pauper.* [illegible] omni ope destitutus. Alii, afflictus. *Et inops ego.* Vel, eg[illegible]sum. Dauid afflictionem & egestatem suam Deo ob[illegible] significans harum illum intuitu ad misericordiam & clemen[illegible] permoueri. Et licet per iniuriam ab hostibus afflictu[illegible] meritò dixisset, Quoniam innocens sum & iniustè affligo[illegible] luis tamen simpliciter afflictionem & egestatem suam ca[illegible] loco adducere, ob quam speret se clementer à Deo ex[illegible]iri. Admonemur ergo quid de Deo patre nostro sentire[illegible] quánam potissimum ratione petitiones nostras auribus [illegible] insinuare debeamus. Non debemus cum Pharisæo nos [illegible] iactare, sed cum publicano miseriam nostram agnoscere, atque ita patris nostri gratiam & clementiam ambire, Luc. 18. b. 11. 13.

2 *Custodi animam meam, quoniam misericors sum. serua tu Deus mi seruum tuum sperantem in te.*

Custodi animam meam. Hoc est, Habeto vitæ meæ rationem, Serua me in vita, Ne permittas me hostium meorum libidini. *Quoniam ego misericors sum.* Vel, misericordiæ studeo. Alii, Sanctus sum, vel, bonus. Id est, sanctitatis siue bonitatis studiosus. Duas alias causas recenset quibus sibi conciliet Dei auxilium: suam erga proximos humanitatem, deinde spem quā in Deo reposuit. Quanquam autem priore membro dignitatem aliquam videtur obtendere, nihil tamen minus habuit propositum quàm Deum obstringere vllis meritis: sed huc tendit clementiæ mentio, vt maiore odio grauet hostes suos, qui innoxium hominem adeóque benemeritum non minus indignè quàm inhumaniter vexabant. Quum ergo pronuntiet Deus se tam bonis causis quàm probis iustitiæ cultoribus fore patronum, Dauid non alij se beneficentiam se coluisse testatur: vnde appareat iniquam referet ab hostibus mercedē qui gratis erga misericordem sunt crudeles. Quod igitur Dauid dicit, tale est, Domine adiuua me, quia nihil tale meritus sum ab hostibus meis, quin potius studui illis benefacere, & de illis bene mereri. *Sperantē in te.* Vel, qui se nititur. Quia non sufficeret iustè & humaniter in mundo versari, adiungitur etiam fiducia in Deum recumbens, quæ mater est pietatis. Scimus quosdam ea fuisse integritate præditos, vt laudē summæ æquitatis obtinuerint apud homines (sicuti gloriabatur Aristides se nulli dedisse causam luctus) Sed quia illi, cum suarum virtutum præstantia, vel ambitione refecti erant, vel superbia inflati, vt sibi magis quàm Deo confiderent, non mirum est vanitatis suæ pœnam dedisse. Sicut profanas historias legendo, stultè miramur qui factum sit vt improborum multitudini exposuerit Deus honestos, graues & temperantes viros: quum propria virtute freti, Dei gratiam sacrilego fastu contempserint. Nam quum idoli loco illis esset sua virtus, ad Deum oculos attollere dignati non sunt. Itaque quāuis simus nobis bene conscii, & Deus nostræ innocentiæ optimus sit testis, si tamen cupimus eum nobis adesse, spes nostras & curas in eū reiicere necesse est. Sed quispiam obiiciet, hoc modo ianuam claudi peccatoribus. Quis enim integrum se ac innocentem esse iactabit? aut quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prouerb. 20. b. 9. Nam si dixerimus quòd peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, 1. Ioh. 1. d. 8. Sed responsio facilis est, Quum ad se innoxios Deus inuitat, non potius omnes arcere qui ob sua delicta plectuntur: quia illis ad manum est deprecatio. Cæterùm si nos iniustè lacessunt quos nunquam læsimus, duplicatur fiducia. Quoties ergo nobis cum hominibus negotium est, & iniustè ab eis affligimur, rectà ad Dei auxiliū confugiamus, certi quòd suis in tempore aderit, nec sinet seruos suos hostium malitia ac crudelitate opprimi.

3 *Miserere mei Iehoua, quia ad te clamo quotidie.*

Miserere mei Iehoua. Iterum ad Dei misericordiam confugit, & indicat se in hac inuocatione opem & auxilium Dei non iustitiæ & innocentiæ suæ, sed misericordiæ Dei respectu implorare. Nā verbū [illegible] Hebræis tātùm valet ac gratificatio, perinde acsi diceret, se nihil adferre proprii meriti, sed suppliciter à mera Dei gratia petere liberationem. Admonemur ergo hoc pii viri exemplo, quando per iniuriam impiorum affligimur, non tam nostræ iustitiæ intuitu, quàm spe misericordiæ Dei auxilium petere. Nam etiamsi insontes simus, respectu iniuriæ quam inferunt inimici, interea tamen erga Deum peccatores sumus, qui nos per improbitatem impiorum pro sua prouidentia bene meritos punit & castigat. *Quia ad te clamo.* Clamandi verbo indicat quàm seriò ac vehementer orauerit. Non est autem hoc de clamore vocis, sed magis de vociferatione cordis intelligendum. Quanquam enim non semper sonora voce preces concipiunt sancti, occulti tamen eorum gemitus altè resonant, & ex eorum cordibus penetrant vsque in cælum. Exemplo fuerint Moses, Exodi 14. d. 15. & Hanna mater Samuelis, 1. Sam. 1. b. 13.

Quotidie. Innuit se perseueranter orare, ac sine intermissione ad Deum clamare, vt sciamus non fuisse fractum primo vel secundo insultu, sed infatigabili studio continuasse preces. Sciebat enim pius vir Deum non esse inclementem aut crudelem, etiamsi non statim afflictum liberaret, sed omnia in suorum salutem moderari, vt illustrior tandem esset liberatio. Monemur itaque quàm non debeamus orando deficere, etiamsi non statim exaudiamur, sed sine intermissione instare, donec adiuuemur. Vide Lucæ 18. a. 1, & 1. Thess. 5. c. 17, &

Iacobi 5.d.16. Item exemplum cuiusdã amici, Luc.11.a.5:& mulieris Sidonicæ, Matth.15.c.25.

4 *Lætifica animam serui tui, quia ad te Domine animam meam leuo.*

Lætifica animam serui tui. [C]Magis specialiter exprimit quem in finem optauerit Deum sibi esse misericordem: nempe vt mœrore suo eximatur. Lætifica (inquit) animam serui tui. q.d. Exhilara, obsecro, animum serui tui, & mœstitiam illam pelle quæ me hactenus excruciauit. [M]Videmus hic non esse culpabilem illum affectum, quo natura quadam tristitiam fugimus, ac lætitiam complectimur, modò nihil inordinati accedat, quod voluntati diuinæ repugnet. Quod ideo monemus, nequis illos Dei, sicubi illos hilares viderit, temerè condemnet, & ne iustitiam & sanctitatem tristi & seuero vultu metiamur. [A]Vide Matth.6.b.16, & Coloss.2.c.18, & 2.Cor.7.c.10. *Quia ad te Domine animam meam leuo.* [C]Declarat his verbis nihil fictionis in suo clamore esse, quia animam suam ad Deum attollit, quæ præcipua est recte orandi ratio. [M]Ergo hic optimus est quærendæ lætitiæ modus, ad Deum animum suum attollere, hoc est, animi mœstitiam coram Deo ardentibus & irremissis gemitibus & suspiriis effundere. [A]Sic Hanna mater Samuelis animam suam in conspectu Dei effundebat, 1.Sam.1.c.15. Proinde nihil efficient qui animam ad res vanas attollentes, verba nuda & inania ad Deum mittunt.

5 *Quoniam tu Domine, bonus, & propitius, multus clementia erga omnes qui te inuocant.*

Quoniam tu Domine, bonus, & propitius. [V]Vel, parcens. Vel, veniæ largitor. [C]A natura Dei confirmat totam superiorem doctrinã, quia frustra ad Deum confugerent miseri, & votis in cælum assurgerent, nisi persuasi essent fidum esse remuneratorem omnibus qui eum inuocant. Huc nunc incumbit Dauid, Deum beneficum esse & exorabilem, vt pro magnitudine suæ clementiæ repudiare nequeat quicunque eius opem implorant. [M]Poterat Dauid aliud quid bonitati Dei subiicere, verùm voluit hanc illius clementiam commendare, qua propitiatur delictis miserorum, & quos per iustitiam auersari ac perdere poterat, per clementiam suam remissis delictis è periculis & tribulationibus liberat. *Multus clementia.* [V]Vel, misericordia. [M]Vel, multæ beneficentiæ. Est autem beneficentia, effusa illa Dei bonitas: vel, si mauis, opus, exercitium, studium & declaratio bonitatis: vnde illi quibus Deo benefit, misericordes Dei appellantur. *Erga omnes qui te inuocant.* [A]Hoc est, qui te colunt, & in te vnum recumbunt. [C]Etsi Propheta multitudinem clementiæ Dei commendat, hic tamen elogium illud restringit ad fideles qui ipsum inuocant: vt sciamus meritò in suis malis perire, qui neglecto Deo frænum contumaciter atrodunt. [A]Sic alibi dicitur, Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, Infra, 145.d.18. [C]Simul tamen dicit omnes, vt sine exceptione à minimo ad maximum quilibet audeat se ad Dei misericordiã conferre. [M]Non enim dicit, Erga omnes iustos, perfectos, & innocentes. Nec ait, Erga omnes reges, principes, sapientes, doctos ac diuites: sed, Erga omnes inuocantes te. Itaque quisquis sis, modò Deum ex animo inuoces, bonitatem, clementiam, ac beneficentiam eius senties. Idem enim Deus est diues in omnes qui inuocant illum, Rom.10.e.12.

6 *Ausculta Iehoua precationem meam, attende ad vocem deprecationum mearum.*

Ausculta Iehoua precationem. [M]Iterum audiri suam precem orat. [C]quo ostendit non leui dolore se fuisse constrictum, nec mediocri etiam cura æstuasse. [V]Et certè horrendum id est, mala quotidie increbrescere, augerique ærumnas: tardum verò, seu nullum omnino extare subsidium. Id maximum sanè opus est fidei, intoleranda, propter Deum toleranter, imò verò gratanter ferre, [A]ac precando minimè defatigari. [M]Commodùm autem subiicit Dauid se orare vt Deus auscultet precationem suam, postquam illum bonum, propitium ac omnib[9] se inuocantibus clementem esse asseruit: vt & ipsi discamus omnibus priuatis nostris necessitatibus adaptare, quod communiter in Deo paratum esse scimus. *Attende ad vocem deprecationum mearum.* [V]Hæc alia exaggeratio, animi maximè anxii indiciũ est. [C]Atque hoc exemplo docemur, nimis frigidos esse vel enanidos qui prece vna defuncti, nisi mox annuat Deus, fatiscunt. Nec verò inanis est repetitio qua paulatim fideles exonerans in Deum suas curas: éstque boni odoris sacrificium coram Deo hæc importunitas.

7 *In die tribulationis meæ clamabo ad te, quia respondebis mihi.*

In die tribulationis meæ clamabo. [V]Vel, In die angustiæ meæ inuoco te. Vel, inuocabo te, sciens quòd exaudies me. [C]Nunc in suum peculiarẽ vsum applicat quod nuper dixit, Deum omnibus ipsum inuocantibus esse propitium & facilem: simulque innuit nõ sine necessitate ad ipsum confugere, quum diei tribulationis vel angustiæ meminit. *Quia respondebis mihi.* [A]Vel, quia exaudies me. [M]Confirmat quod alibi scriptum est, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, Suprà, 50.c.15.

8 *Non est sicut tu inter deos, Domine, & nullus secundum opera tua.*

Non est sicut tu inter deos. [A]Postquam Deum sincero cordis affectu & vera fide inuocauit, [C]nunc voti compos erumpit in gratiarum actionem, vel animum & nouas vires ad precandũ colligit: [A]idque ex diuinæ potentiæ certitudine ac intenta consideratione. *Inter deos.* [C]Sunt qui de Angelis hoc accipiunt, acsi eos conferret Dauid cum summo Deo: sed hoc nõ videtur præsenti loco satis quadrare. Neque enim Angelos, quasi minores deos, cogit in ordinem, vt cedant Dei virtuti: sed omnes fictitios, in quibus increduli subesse aliquid auxilii putabant, contemptim deridet, quia operibus minimè probent se deos esse. Nam si virtutem operandi secundũ plus & minus distribuerit, non assereret Deo in solidũ quod suum est. Negat igitur re ipsa & effectu quicquam diuinum in ipsis deprehendi. *Et nullus secundum opera tua.* [V]Vel, nec sunt secundum opera tua. Quidam paraphrasticè vertunt, Nec est qui faciat opera qualia tu facis. Id est, nullus Deus probat suam virtutẽ quẽadmodũ tu: vnde sequitur illos esse cõmentitios deos. [M]Opera Dei placẽt supramodũ illis quibus ipse Deus placet: quibus verò ille cordi nõ est, quid mirũ si illis nec opera eius alicuius videãtur esse momẽti. [C]Præterea quũ Dauid nos ad Dei opera reuocat, satis ostendit friuolis tantùm nugis ludere qui subtiliter philosophantur de arcana Dei essentia, manifestas verò notas prætereunt, in quibus refulget eius maiestas. Ergo quum ad Dei altitudinem non perueniant sensus nostri, prudenter Dauid operum testimonio contentus, commentitios esse omnes deos pronuntiat, qui virtutem nullam exerunt. Siquis obiiciat, Deum absurdè conferri cum inanibus figmentis, facilis solutio est, accommodari sermonem ad vulgi inscitiam: quia scimus quàm audacter supra cælos attollant superstitiosi falsa cerebri sui commenta. Ac optimè Dauid insultat eorum amentiæ, quòd sibi deos fabricent absque vllo testimonio.

9 *Omnes gentes quas fecisti, venient, & adorabunt coram facie tua Domine, & gloriam dabunt nomini tuo.*

Omnes gentes quas fecisti. [M]Nunc vaticiniũ de gentium conuersione subiicit. [B]Nam de Dei bonitate & clementia loquutus, ostendit quòd Deus non Iudæis modò, sed & gẽtibus quoque bene velit, adeò vt ab his adorari & coli cupiat. *Quas fecisti.* [C]Quia propter nouitatem hoc dictu asperum erat apud Iudæos, venturas esse gentes, vt promiscuè Deum colerent cum filiis Abrahæ, ac sublato discrimine futuras cælestis doctrinæ participes, mitigandi causa dicit, Gentes quoque esse à Deo creatas: vt minimè absurdum videri debeat si ipsæ quoque illuminatæ, fictorem & opificem suum demum agnoscãt. [A]Sic Apostolus dicebat, Deum non tantùm Iudæorum, sed & Gentium Deum esse, Rom.3.d.29. [M]Quod diligenter notandum est, contra præposterum Iudæorum zelum, quo saluti nostræ repugnant, partémque nobis in regno Dei esse negant, quasi solis ipsis hoc datum sit, vt ad Deum vèrum & viuentem pertineant. Primis quidem ipsis oblata est hæc gratia, sed non solis. Hanc quia respuerunt, meritò amiserunt, vt iam, velint nolint, ferre cogãtur quòd ad nos (qui ex gẽtibus sumus) Apostolica est prædicatione iuxta præsens hoc vaticinium, translata. Quo pertinent ea quæ scribuntur Matth.8.b.11, & Iohan.10.e.16, & Act.13.g.46, & Rom.15.b.9, & Ephes.1.c.13.14. *Venient.* [B]Sic Gentes certatim venturas prædixit Propheta Esaias, 11.c.10.12. [M]Venire hic significat resipiscere, Deum cognoscere, ad eum conuerti, ac ipsum quærere, ac fidem in eum habere. Corde nanque ad Deum venitur, non pedibus. hinc subiicit, *Et adorabunt coram facie tua.* [V]Vel, genu flectent, supplicabunt. Hoc est, Te inuocabunt, opem abs te supplices petent. *Et gloriam dabunt nomini tuo.* [A]Vel, glorificabunt nomẽ tuum. [M]Hoc est, præclara & eximia de te prædicabunt, laudibus te extollent, potentiam ac bonitatem tuam, tanquam veri & vnici Dei, celebrabũt. [A]Vide Rom.15. [M]Certè fieri nequit vt qui vera fide ad Deum veniunt, eundem non adorent: & qui hunc adorãt, nõ etiam glorificent. Sic cohærent in vera pietate fides, inuocatio, & cultus, vel, si mauis, sacrificium laudis. Qua de re vide Suprà, 50.c.15, & Rom.10.c.14.

10 *Quoniam magnus tu, & faciens mirabilia tu Deus solus.*

Quoniam magnus tu. Iterum causam illam repetit quam versu

octauum attigerat: nempe Dei gloriam ex magnitudine operũ cognosci: quæ vera est discẽdæ pietatis ratio. Quantumuis enim sẽper carnis superbia in cælũ transuolare cupiat, quia tamen in tam longa inuestigatione deficiũt sensus nostri, nihil vtilius nobis est quàm pro infirmitatis nostræ modulo in operum suorum testimoniis Deum quærere. Quare discamus sensus nostros expergefacere ad reputanda Dei opera: superbos autem sinamus in suis ambagibus vagari, quarum finis semper erit inextricabilis abyssus. Notandum est igitur, quàm in oculis piorum, quæcunque in hoc mundo videntur esse maxima, præ magnitudine Dei non solùm non maximi, sed planè nihili æstimentur. Sic Esaias amplitudinem Dei contemplatus ac prædicaturus non vnus & alter rex, sed omnes in vniuersum gentes prorsus in nihilum euanescunt, quum capite 40. d.17. dicit, Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt. *Et faciens mirabilia.* Ne modestiæ, de qua loquuti sumus, nos pigeat, magnificè prædicat Dauid Dei opera mirabilium nomine, quamuis crassis & insipidis hominibus sordescant. Sic alibi dicebat, Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationes tuas super nos non licet ordinare: narrabo & loquar, præualent supra narrationem, Suprà, 40.b.6. *Tu Deus solus.* Principiũ hoc diligenter notandum est, nonnisi in vnum Deum competere deitatis gloriam: quia non alibi reperietur vel sapientia, vel potentia, vel iustitia, & quicquid diuinum in admirandis eius operibus refulget. Vnde sequitur Papistas veram deitatem quãtum in se est abnegare, quum Deum fraudantes suis virtutibus, nudũ fere nomen ei relinquunt. Itaque quoties particula hæc aut alia consimilis in scripturis occurrit, summa diligẽtia & constanti fide tenẽda est, & contra calumniam Iudæorum & Turcarum asserenda, qui sanctæ triadis mysterium ignorãtes, hoc nobis impietatis adscribunt quòd plures deos faciamus, quum non sit nisi vnus ille qui facit omnia solus, cæli, terræ, maris, & omnium conditor ac dominator. Certè vnus omnino Deus est, & præter hunc non est alius: sicut vnus tantùm sol, & vna in vno corpore anima est.

11 *Ostende mihi Iehoua uias tuas, ambulabo in ueritate tua, unias cor meum ad timendum nomen tuum.*

Ostende mihi Iehoua uias tuas. Vel, doce me Iehoua viam tuã. Altiùs nunc conscendit Dauid, vt spiritu sanæ intelligentiæ regatur ad sanctè viuendum, & spiritu fortitudinis in hoc studio confirmetur. *Vias* autem Dei tacitè apposuit, consiliis omnibus quæ ex carnis sensu capere poterat: quia Deo se subiiciens, eumque implorans ducem, fatetur non alium esse rectè viuendi modum quàm vbi præit, nos verò sequimur: atque ita in errorem abduci, quicunque vel minimum deflectunt a Lege, vt sapiant ex proprio cerebro. *Ambulabo in ueritate tua.* Vel, vt ambulem in veritate tua. Quidam vertunt, Et ingrediar in veritate tua. sed ambulãdi verbum melius conuenit. Docet autem Dauid non esse satis homini pio vt viam Dei cognoscat, nisi & in ea ambulet. Curiosus est scientiæ affectus qui ad studium pietatis non tendit. Non dicit, disputabo de veritate tua: sed, ambulabo in veritate tua, hoc est, sic vitam meam instituam vt in veritate tua viuam. Damnat ergo vanitatis & mendacii, quicunque hanc veritatis regulam non tenent. Cæterùm Dauid non optat doceri in viis Dei, quasi ipsius expers fuisset omnis doctrinæ: sed quòd sciret se adhuc implicitum esse multis ignorantiæ nebulis, ad profectum maiorem aspirat. Notandum quoque est eum non de externa tãtùm docẽdi ratione loqui, sed quum Legem haberet præ manibus, interius Spiritus sancti lumen petere, ne inutiliter in discenda litera laboret: sicut alibi dicit, Aperi oculos meos, & considerabo mirabilia in Lege tua, Infrà 119.18. Quòd si tantus Propheta, & tanta Spiritus amplitudine donatus, suam tamẽ ignorantiam ex animo fatetur, quantæ amentiæ erit non sentire quid nobis desit, vt tenuitatis nostræ cognitio ad vlteriorem progressum nos stimulet? Et certè quo quisque magis profecit in doctrina pietatis, eo melius sentit procul se à scopo distare. Secũdò addendũ est non sufficere lectionẽ vel auditũ, nisi intus nos Deus Spiritu suo illuminet. *Unias cor meũ ad timendum.* Vel, constringe. Id est, fac vt animus meus nomẽ tuũ solũ timeat. Hic Dauid cor suũ formari in Dei obsequiũ & in eo cõstanter stabiliri postulat: quia sicuti mẽs nostra luce indiget, sic volũtas rectitudine. Alii vertunt, Lætifica cor meũ: acsi verbum esset à radice חדה. Sed potius est a יחד quod vnire significat: qui sensus optimè conuenit præsenti loco. Subest enim antithesis, quæ non satis fuit, vt par erat, obseruata, inter firmum propositum quo adhæret cor hominis Deo, vbi a Spiritu regitur: & inquietudinem qua æstuat, huc que & illuc rapitur, quandiu fluctuat inter suos affectus. Postquam ergo quid rectum sit didicerint fideles, accedat firmus cõsensus necesse est, ne in prauas cupiditates cor ebulliat. Ideóque aptissima est in verbo vniendi metaphora, ex qua colligimus turbulentum esse cor hominis, distrahi, & quasi dissipari in varias partes, donec Deus ad se collectum in firmo & æquabili obedientiæ tenore retineat. Hinc etiam patet quid per se liberum arbitrium valeat. Nam quum sint duæ eius facultates, vtraque se destitui fatetur Dauid, lumen Spiritus sancti cæcitati mentis suæ opponens: & cordis rectitudinem affirmans merum esse Dei donum.

12 *Celebrabo te Domine, Deus mi in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum perpetuo.*

Celebrabo te Domine. Vel, laudabo te. Promittit gratitudinem postquam beneficum Patrem modis omnibus expertus fuerit. Sicuti verè credẽs nihil prius in votis habet quàm sanctificare nomen Domini. *In toto corde meo.* Sicuti Dauid cor suum vniri Deo petiit ad eum timendum, ita non tantùm ore vel lingua se laudum eius præconem fore dicit, sed ex serio cordis affectu. Nam laus quæ ore & lingua tantum absque debitis cordis affectibus absoluitur, non solùm indigna Deo est, sed & damnabilis ac Deum irritans, qua de re vide Esa. 9. d.13, & Matth.15.a.8. *Et glorificabo nomen tuum.* hoc est, teipsum laudibus efferã, & admiranda opera tua annuntiabo. *Perpetuo,* hoc est, constanter ac perseueranter. Monemur hic laudandum esse Deum non semel atque iterum, neque tum tantùm quando beneficiorum præsentium sensus animos nostros afficit, sed & dum illorum memoria durat, quæ certè nunquam intercidere debet, neque prosperis duntaxat, sed & aduersis rebus. Sicut alibi dicitur, Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34.a.2.

13 *Quia clementia tua magna fuit super me, & liberasti animam meam è sepulchro inferiori.*

Quia clementia tua magna fuit. Vel, quoniam misericordia tua magna est. Nunc causam subiicit cur sit nomen Dei glorificaturus, quia Deus in ipso liberando rarũ & memorabile misericordiæ suæ specimen ediderat. Videmus hic vnde nascatur in nobis affectus laudandi Deum, nempe ex sensu bonitatis eius erga nos, si ille non sit leuis ac euanidus. *E sepulchro inferiori.* Quo melius illustret gratiæ & liberationis magnitudinem, sepulchrum inferius nominat discrimen illud vnde ereptus fuerat, acsi diceret, non vna vel simplici morte se fuisse detẽtum, sed demersum in profundissimo sepulchro, vt manum à Deo mirabiliter porrigi oportuerit. Nunc quũ Christi gratia erepti simus ex atriore mortis abysso, minimè excusabilis nostra ingratitudo erit, nisi se quisque pro virili in hac liberatione prædicanda exerceat. Nam si Dei nomen tantopere extulit Dauid propter vitam ad breue tempus prorogatam, quas laudes meretur incomparabilis ista redẽptio, qua traducti sumus ab inferis ad cælum? Cogitandum etiam hic est quòd Dauid liberationem suã ex insidiis & persecutione impiorum, diuinæ bonitati & clementiæ adscribit, quũ posset eam duplici nomine iustitiæ Dei assignare. Erat enim iustum vt è manibus impiorum eriperetur, primùm tanquam insons, quòd ad ipsos hostes attinebat, deinde tanquam seruus Dei, cuius studio & zelo in tam graue impiorum odium inciderat, sicut alibi dicit, Zelus domus tuæ comedit me, Suprà, 69.c.10. Verùm maluit Propheta diuinam clementiam erga se, quàm suam ipsius innocentiam & iustitiam considerare, atque ita in amorem Dei & affectũ glorificandi nominis eius capi. Cæterùm quòd Papistæ ex hoc versu purgatorium suũ elicere contendunt, acsi esset infernus superior: nimis putidũ est, nec refutatione indiget.

14 *Deus, superbi surrexerunt contra me, & coetus robustorum quæsierunt animam meam, & non statuerunt te in conspectu suo.*

Deus, superbi surrexerunt. Vel, Contumaces, temerarii, ex malitia peccantes, non lacessiti. Id est, arrogantes. Quidam legerunt זרים per ר (magna enim affinitas est inter ד & ר, & differunt tantùm apiculo) vertentes alienos: nec illud multum recedit à sensu Prophetæ. Nam Scriptura alienos vocat hostes barbaros, qui omni sensu humanitatis exuti sunt. Inter vicinos nanque locus est aliquis misericordiæ & clementiæ: sed vbi longinqui sunt hostes, & quibuscum nihil vnquam fuit nobis commercii, illic grassatur maior barbaries. Ideo Scriptura alienos sæpe accipit pro crudelissimis. Verùm superborum arrogantiam hic notari certum est. Exprimit autem Dauid absque figura quod nuper dixit de sepulchro: quia quum agnus esset in medio luporum, mox absorptus fuisset, nisi miraculo eum Deus eripuisset quasi ex media morte. *Et coetus robustorum.* Quos modò superbos & arrogantes vocabat eósdem nunc robustos dicit, qui violenter impetu & fe-

rocia ruebant ad perdendum: sicuti scimus vbi regnat superbia, nihil esse moderationis. Fortes ergo seu robusti dicuntur, qui suis fidunt viribus. Quidam vertunt, Terribilium. Alii, Nebulonum. Nonnulli violentorum, eodem sensu. *Et non statuerunt te in conspectu suo.* Extremam sæuitiæ intemperiem his verbis designat, quia nisi nos refrænet Dei timor, & iudicii eius sensus, prodigiosus est libidinis nostræ furor ad quiduis audendum. Ponere Deum in conspectu suo, vel ante cõspectum suum, est illius respectum habere, & ipsum timere. Nam timor Dei aliquantum compescit incredulos. Quanuis enim non retineat ipsos in obsequio iustitiæ, sæpe tamen refrænat, ne non se proiiciant quemadmodum ferret libido carnis.

15 *Et tu Domine Deus misericors & propensus ad gratiam: procul ab ira, & multus clementia & veritate.*

Et tu Domine. Vel, Et tu dominator. Idem canit hic vates quod versu quinto, sed fusius: atque ita malis suis remediũ quærit in Dei misericordia. Nam quum statim delabitur ad hæc elogia, Tu Domine Deus mi, misericors, &c. perinde est ac si diceret, contra audaciam & rabiem impiorum satis esse nobis præsidii in Dei bonitate, clementia & fide. Fieri etiam potest quum sentiret impios esse Dei flagella, vt ad sedandum immodicum terrorem, Dei misericordiam sibi proposuerit. Hoc enim verum est atque vnicũ solatium, quanuis nos Deus castiget, non tamen misericordiæ suæ obliuisci: quemadmodum scribitur, Quum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, Habac. 3.a.2. *Et propensus ad gratiam.* Vel, clemens. Versus iste ad verbum desumptus est ex secundo Mosis libro, cap. 34.b.6. nisi quòd pro dictione Iehoua quæ in Exodo geminata legitur, hic Adonai positum est. Continet autem maximè insignem naturæ Dei descriptionem. Primò vocatur misericors, inde sequitur propensio ad gratiam, dum scilicet malis nostris compatitur. Additur tertiò eius tolerantia, dum *Procul ab ira*, seu longus ira prædicatur. Hoc est, longanimis, quia non excandescit simulac læsus est, sed pro sua indulgentia ignoscit. Tandem dicitur *multus clementia & veritate.* Hoc est, assiduè beneficus & verax. Quanuis autem non minus laudabilis sit eius seueritas quàm clementia, quia tamen nonnisi peruicacia nostra seuerus est, quasi ad exigendas pœnas cogatur, Scriptura naturaliter clementem & propitium prædicans, quasi accidentale esse significat si quandò seuerus ac rigidus est. Impropriè quidem & crassè loquimur, sed tamen huc tendit elogium quo describitur natura Dei, Deum sic natura propitium esse & facilem ad dandam veniam, vt dissimulet pœnásque differat, nec vnquam nisi malitia nostra coactus, ad vindictam se accingat. Diximus autem alibi cur Dei clementiæ iungatur veritas. Nam quia etiam qui maximè sunt benigni, cuperent interdum retractare siquid polliciti sunt, quia suæ facilitatis eos pœnitet: nos, qui perperam metiri Deum solemus nostra vlna, diffidimus de eius promissionibus. Ergo Deus dissimilem hominibus se esse pronũtiat, quia non minus sibi constat largè præstando quicquid pollicitus est, quàm liberaliter promittit.

16 *Respice ad me & miserere mei, da robur tuum seruo tuo, & serua filium ancillæ tuæ.*

Respice ad me. Hic misericordiam Dei implorat, per quam seruetur. atque ita clarius ad præsentem vsum accommodat quod dixit de clementia ac bonitate Dei. Nam quia misericors est Deus, ei salutem suam tuto fore confidit. *Et miserere mei.* Verbum חנן gratificari significat, refertúrque ad gratuitum auxilium. Videbatur Deus quodammodo auersus interea dum Dauid malorum improbitate affligeretur, nec aliquid auxilii compareret. Orat igitur Deum vt ad se afflictum videlicet ac miserum (qualem se esse non initio Psalmi conquestus est) respiciat, & misericordem se præbeat. *Da robur tuũ seruo tuo.* Significat se periclitari propter aduersariorum potentiam, ideo orat vt diuina potentia eripiatur. *Et serua filium ancillæ tuæ.* Quum seruum & filium ancillæ se vocat, non sua obsequia iactat, sed ex longa origine & diuturno cursu gratiæ Dei plus sibi conciliat fauoris: ac si diceret, se ab vtero matris domesticum esse Dei seruum & vernam. q.d. Ego Domine natus sum tibi seruus: quemadmodùm qui in Ecclesia nascũtur, possunt sibi vendicare hoc nomen quòd sint vernæ Domini. Magnum igitur est priuilegium, natum esse in grege Domini, & esse domesticum ipsius ab vtero matris.

17 *Fac mecum signum ad beneficentiam: & videbunt aduersarii mei, & pudefient, quia tu Iehoua auxiliatus es mihi, & consolatus es me.*

Fac mecum signum ad beneficentiam. Vel in bonum. Id est, declara signo aliquo te mihi velle fauere, & te esse mihi propitium. Hebraismus. Quidam, Ede signum aliquod bonitatis tuæ erga me. Alii, In signes benefac mihi. Confitetur iterũ se fuisse à Deo derelictum. Neque enim sibi signum aliquod gratiæ dari optaret, nisi vndique ad desperationem fuisset impulsus, & ad probandam eius patientiam absconditus fuisset Dei fauor. Hoc autem non vulgaris constantiæ experimentũ fuit, cum hac tentatione luctari, vt lucem in tenebris cernere non desineret. Intelligit autem dictione signi manifestam & expressam diuinæ bonitatis erga se declarationem, qua non solùm eripiatur, sed & cum miraculo & omnium admiratione eripiatur. Vnde & subdit, *Et videbunt aduersarii mei.* Vel, Et videant odio habentes me. id est, qui extinctum me cupiebant, déque afflictione mea gaudebant: confundantur, eo quòd tu Domine adiuueris me & cõsolatus me sis, vtpute quòd diuersum ab eo quod sperabãt & affectabãt, magno abs te miraculo, prætérque omnẽ expectationem, fieri videant. *Et pudefient.* Dauid hostes suos ideo pudefieri cupit, quòd simplicitatem eius ludibrio suis ac sanctis vexabant, quia stultè in Deum sperasset. Sicuti vulgare est huius seculi filiis, piorum spem, quam in Deo ponunt, vanam ac fallacem existimare. *Quia tu Iehoua auxiliatus es mihi.* Hoc est, periclitanti opem tulisti, & ex imminenti periculo potentissimè liberasti. *Et consolatus es me.* q.d. Fac vt sentiant hostes mei tuã potẽtiam, téque seruorum tuorum consolatorem esse. Locus hic apertè docet sanctos variis afflictionibus & tribulationibus esse obnoxios, sed Deum simul esse propensum vt periclitantibus succurrat, & tristes consoletur. Est enim simul & auxiliator & consolator. Verùm quàm certum hoc sit & indubitatum, nemo intelligit nisi primùm in periculis & tristitia constitutus, opem diuinam fide nõ ficta implorauerit, & præstitã senserit. Vide quid Paulus hac de re dicat, 2. Cor. 1.a.4.5.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVII.

Canit hic Psalmus de mira & incredibili Ecclesiæ restauratione, amplitudine, ac gloria. vt pii omnes intelligant nihil esse magis optabile quàm censeri in eius membris.

Filiorum Coræ, Psalmus Canticum.

Filiorum Coræ. Vel, Filiis Coræ. Vide Suprà, 42.a.1, & 45.a.1. *Psalmus canticum.* Vel, Psalmus cantici. Vide Suprà, 30.a.1. Hæc inscriptio non tam authores designat, quàm præfectos musicæ ad canendum Psalmum. Quanquam fieri potest vt quispiã ex illa progenie Leuita eum composuerit. Sit autem Psalmi huius summa, Vnam Dei Ecclesiam supra omnia mundi regna & politias excellere, quia Deum habet salutis suæ præsidem, eiúsque imperio gubernatur. Primùm vt inter violentos motus & horribiles procellas, quibus subindè concutitur orbis terrarum, salua maneat. Secundò, idque præcipuè, vt eiusdem Dei præsidio mirabiliter seruata, tandem ad palmam supernæ vocationis post longam militiam perueniat. Hoc singulare Dei beneficium est, at simul insigne miraculum, quòd inter tam varias regnorum terræ conuersiones Ecclesiam suã per continuos ætatum successus propagans, ab interitu vindicat, vt sola in mundo perpetua sit. Verùm quia sæpe, dum affluunt increduli diuitiis, florent opibus & potentia, miserẽ Ecclesiam inter plurima discrimina iactari, imò innumeris naufragiis propemodum obrui constat, in eo præsertim stanuẽda est eius fœlicitas, quòd æternum statum in cælo repositum habeat. Iam ad Psalmum intelligendum non parum facit temporis, quo compositus fuit, circumstantia. Nam etsi ab exilio Babylonico reuersus erat populus, collecta Dei Ecclesia rursus in vnum corpus ex longa dissipatione coaluerat, stabat templum & altare, restitutus erat Dei cultus: quia tamen ex ingenti multitudine exigua tantùm portio hominum restabat, Ecclesiæ conditio obscura erat & ignobilis: atque id quod erat residuum, ab hostibus quotidie atterebatur: templũ antiquo suo splendore longè inferius erat, fidelibus vix vlla suppetebat in posterum bene sperandi materia. Certè, vt in pristinum statum vnde exciderant se vnquam attollerent, fieri non posse videbatur. Quare periculum erat ne & acceptæ cladis memoria, & præsentium calamitatum mole oppressi labascerent, ac tandem desperatione conciderent piorum animi. Tam grauibus ærumnis ne succumberent, Dominus in hoc Psalmo non tantùm recuperationem promittit quod amiserant, sed in spem incomparabilis gloriæ eos erigit, secundum illud Haggæi Prophetæ vaticinium, Maior erit secundi templi quàm prioris gloria, cap. 2.b.10. Nunc postremò restat vt in vsum quoque nostrum aptare Psalmum hunc discamus. Tantum apud pios eius seculi homines valere debuit hæc cõsolatio, vt rebus suis afflictis, non modò erecti starent, sed è sepulchro pertingerent ad cælum. Hodie, quum sciamus quic-

quid prædixerat Spiritus completum fuisse, plusquam ingrati sumus nisi Patrum experimentum verbis accedens fidem nostram magis confirmet. Neque enim satis pro dignitate exprimi potest quàm splendidè Christus aduentu suo Ecclesiam ornauerit. Tunc enim vera religio, quæ in angustiis Iudææ prius clausa fuerat, per totum orbem diffusa fuit. Tunc Deus, qui ab vna familia cognitus fuerat, diuersis omnium gétium linguis cœpit inuocari: tunc mundus, qui innumeris superstitionum errorúmque sectis miserè laceratus fuerat, in sanctam fidei vnitatem coaluit. Tunc certatim omnes iudæis se aggregarunt, à quibus abhorruerant: reges terræ & populi in Christi obsequium sponte se dediderunt: lupi & leones in agnos conuersi sunt: dona Spiritus in fideles effusa, quæ omnem mundi gloriam, quæuis decora, diuitias omnes longè præcellerent. Ipsum Ecclesiæ corpus ex regionibus procul inter se remotis mirabiliter collectum & auctum & conseruatum fuit: Euangelii propagatio breui tempore incredibilis cum profectu pręque insigni coniuncta. Ergo, si Ecclesiæ nobilitas nunquam fuisset hoc vaticinio celebrata, ipsam tamen verè cælestè esse Dei regnum præclara & incomparabilis aurei illius seculi conditio palàm demonstrat. Cæterùm fideles tunc quoque oportuit in æstimanda Ecclesiæ præstantia altius sapere carnis sensu. Nam quo tempore maximè floruit, non purpura, auro & gemmis, sed martyrum sanguine fulgebat. Spiritu diues, egena nihilominus inópsque terrestrium bonorum erat: sanctitate coram Deo & Angelis nobilis & conspicua, mundo tamen despicabilis erat. Multi externi & professi hostes aut crudeliter sæuiebant, aut obliquis artibus pessima quæque in eam moliebantur: intus verò & timores & insidiæ. Denique sub Christi cruce adhuc latebat veneranda quidem, sed spiritualis eius dignitas. Quare tunc quoque tempestiua fuit quæ hoc Psalmo habetur consolatio, vt fideles ad perfectiorem Ecclesiæ statum animis assurgerent: nostra autem ratio diuersa est. Factum est proinde Patrum nostrorũ culpa vt præclara illa Ecclesiæ species sub impiorũ pedibus squalida & deformis iacuerit. Et hodie peccatis nostris oppressa sub misera vastatione, sub diaboli mundique ludibriis, sub tyrannorum sæuitia, & sub indignis hostium calumniis gemit: vt filiis seculi, qui sibi bene esse cupiunt, nihil minus sit optabile quàm censeri in Dei populo. Quo melius perspicitur huius Psalmi vtilitas, & simul quàm necessaria sit assidua eius meditatio.

1 *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

Fundamenta eius. [y]Istud est altera pars inscriptionis Psalmi apud Hebræos. Relatiuum autem sine antecedente positum est more Hebræorum, qui illud ad Psalmum referentes vertunt, Cuius Psalmi fundamentum (seu thema) iactum est *In montibus sanctis.* id est, de Ierusalem quæ fundata est in montibus. Et montes intelligunt Moria & Sion, quæ duo erant cacumina mõtis bicipitis. [c]Sed potius, quum montuosa esset regio, plures vicinos montes & contiguos, qui Ierosolymam cingebant, notauit Propheta: sicuti alibi videbimus, Ierusalem montes in circuitu eius, Infrà, 124. a.c. Ergo simplex & genuinus est sensus, quòd Deus elegerit sanctos montes in quibus vrbem suam fundaret. Nam paulo pòst in contextu sequitur, Excelsus ipse stabiliet eam. Est quidem & aliarum vrbium conditor: sed de nulla alia vrbe dictum legitur, Hæc requies mea in seculum, hic habitabo, quia elegi eã, Infrà, 132. c. 14. Tenendum est semper discrimen, quòd quum aliæ vrbes, externæ politiæ causa, auspiciis Dei & virtute conditæ forent, Ierosolyma peculiare erat eius sacrarium, sedésque regia. Eodem modo etiam Esaias loquitur, cap. 14. g. 32. Quinetiam quum tota Iudæa à Deo sacra esset, dicitur tamen vrbem hanc sibi aliis reiectis sumpsisse in qua regnaret. Neque enim de terrena politia hic agitur, sed de regimine spirituali, quia nusquã tũc alibi pura religio & legitimus Dei cultus & pietatis doctrina quàm Ierosolymæ vigebant. [n]In summa commendatur hic Ierusalem, non solùm ab ea quæ ex mõtibus est munitione, sed potius à sanctitate diuinæ electionis. Curent igitur Christianæ respublicæ vt magis sanctitatis quàm murorum, turrium, ac montium firmitudine munitas ciuitates habeant, si Christiani nominis hostibus resistere voluerint. Præ oculis sit hæc ciuitas Sion, quæ mox atque amissa hac sanctitate per impietatem & incredulitatem profanata est, & Babyloniis & Græcis & Romanis subiecta fuit. Sunt & Romanæ ciuitatis fundamenta in montibus (hoc est, septem collibus) sed cruentis totius orbis sanguine, & omnis generis impietate profanatis, non sanctis, collocata. vide Iohannis Apocalypsim, cap. 17. c. 9.

2 *Diligit Iehoua portas Sion præ omnibus tabernaculis Iacob.*

Diligit Iehoua portas Sion. [a]Describitur hoc versu insignis prærogatiua & præstantia ciuitatis Sion. [b]Quum enim nihil possit Deus donare sui cognitione præstabilius (æterna siquidem vita hac constat, Iohan. 17. a. 3: & hæc Ierosolymis primum cumulatissimè sanctis donata sit, ac inde in totũ mũdum deriuata, Esa. 2. a. 3) rectè canit hic Vates amare ipsius portas (id est ipsam) præ cunctis habitationibus Iacob. Hanc vnam siquidẽ ad hoc delegit vt in ea regnum cælorum institueret, atque ex ea ad cunctas orbis nationes perferret. [r]Porro quod Sionem pro Ierosolyma, & portas pro toto vrbis complexu Vates posuit, duplex est synecdoche. Docet autem hic locus totam sanctæ vrbis præstantiam à gratuita Dei electione pendere. cui respondet quod Suprà, 78. f. 60. habetur, Deum repudiasse Silo, tribum Ephraim, tabernaculum Ioseph, vt in Sione habitaret quam dilexit. [a]Aut intelligas Deum etiam reliqua Israelis tabernacula (quibus inter eos habitauerat) dilexisse: id quod absque dubio verum est: attamen ciuitatem hanc Sion ampliore beneuolentia quàm illa prosequutum esse. [c]Ergo causam notat Propheta cur locum vnum aliis prætulerit Deus, & causam statuit non in loci dignitate sed gratuito Dei amore. Quare si quæritur vnde aut cur excellat Ierosolyma, sufficiat breuis respõsio, quia sic Deo placuit. Atque hoc quidem diuini amoris fuit principium: finis autem, vt certus esset aliquis locus in quo ad fouendam fidei vnitatem consisteret vera religio vsque ad Christi aduentum, & vnde postea in omnes mundi plagas manaret. Proinde hoc elogio Propheta Ierosolymam commendat, quòd Deum habeat architectum ac præsidem. Deinde, quicquid præ aliis locis excellentiæ habet, Dei gratiæ & adoptioni ascribit.

3 *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Selah.*

Gloriosa dicta sunt de te. [y]Vel, præclara. Id est, quòd multæ res præclaræ tibi obuenturæ sunt. [c]Ad verbum est. Quod in te dicitur, sunt res gloriosæ. [b]Vel, præclara dictum in te. Enallage numeri est, singulare pro plurali, dictum pro dicta: & In te, idem est atque De te. [n]Vates ciuitatem Sion per apostrophen alloquitur & eã celebrat à singulari beneficio Dei, quo multis erat viris ac gestis, plusquam reliquarum gentium regna, decoranda. [c]Sed spectandum nobis est Prophetæ consilium, vel potius quo spectet Dei Spiritus, per os Prophetæ ipsius loquens. Quum humilis ac despecta esset totius populi conditio, multi & graues vndique aduersarii instarent, paucis animus suppeteret ad vincenda obstacula, quotidie noua aliqua mutatio præter spem exoriretur, & periculum esset ne res in deterius paulatim collapsæ tandem pessum irent: via vlla sanctæ vrbis instauratio sperari poterat. Ne desperatione victa succumberent corda fidelium, idonea fultura opponitur quòd alites de futuro eius statu loquutus sit Dominus. Neque enim dubium est quin à præsenti rerum aspectu reuocentur ad promissiones quæ spem dabant incredibilis gloriæ. Ergo quamuis nihil magnopere lætum appareat, filios tamen Dei iubet Propheta verbo erectos quasi in specula stare, vt patienter expectent quæ promissa sunt. Hoc modo admonebantur fideles, primùm vt ad vera oracula attenderent, eáque memoria repeterent, præsertim quæ apud Esaiam leguntur à capite 40 vsque ad ad finem libri: deinde vt aures præberent Dei seruis, qui tunc de regno Christi concionabãtur. Vnde sequitur rectum de Ecclesiæ fœlicitate iudicium nõ posse fieri, nisi dum eam ex Dei verbo æstimamus. *Ciuitas Dei.* [b]Vocat Sionem seu Ierusalem ciuitatem Dei, sicuti & Suprà, 46. a. 5, & 48. a. 2. idque propter Tabernaculi Dei præsentiam, qua præ aliis erat ciuitatibus cohonestata. Nullum certè præclarius elogium vrbi isti contingere potuisset, quàm quum Dei ciuitas appellata est. [a]Nam quomodo hostium libidini pateret hæc ciuitas, quæ Deum habet & præsidem & in se habitantem? Vide Esa. 37. e. 36.

4 *Memorabo Rahab & Babel inter cognitores meos: ecce Philistini & Tyrus cum Aethiopia, hic natus est ibi.*

Memorabo. [a]Vel, faciam memorari. *Rahab & Babel.* [y]Vel, Memorabo Ægyptum & Babel inter scientes me. Quidã, Memor ero Rahab & Babylonis cũ iis qui me agnoscũt. [a]Alii, Memorari faciã Rahab & Babel cognoscẽtibus me. Canit Vates fore vt & gẽtes quas enumerat, ad Dei Ecclesiã perueniãt. Reputabuntur (inquit) inter domesticos & familiares meos. [y]Cognoscẽtes vocat familiares amicos. q. d. Ægypt[us] & Babel erũt posthac Ecclesiæ mẽbra, & in ordine fideliũ, etiamsi fuerint hactenus acerrimi hostes, visumq; fuerit implacabile dissidiũ.

Y. ii

Nomẽ Rahab hic, vt Esa. 51. d. 19, & cõpluribus aliis Scripturæ locis, pro Ægypto sumitur. Nam Prophetæ consilium est scribere magnificam illam Ecclesiæ amplitudinem, quæ adhuc in spe abscondita erat. Dicit igitur, eos qui prius infesti hostes fuerant, vel prorsus alieni, non tantùm familiares amicos fore, sed inserendos in vnum corpus, vt censeantur Ierosolymæ ciues. *Ecce Philisthim & Tyrus cum Æthiopia.* Meminit nominatim gentium quæ Iudæis magis cognitæ erant, Ægyptiorum, Babyloniorum, Palæsthinorum, Tyriorum, atque Æthiopum. quasi dicat, Hi omnes quibus hactenus tantum fuit dissidium cum populo Dei, nunc perinde consentiẽt acsi essent indigenæ. Sanè præclara Ecclesiæ dignitas, quòd vndique ad eam aggregabuntur qui eam spernebant: & qui eam cupiebant excisam ac perditam, summi honoris loco ducent ciues eius esse & haberi. Sponte omnes patriæ suæ renunciabunt in qua prius superbiebant. Vndecũque ergo nati sint, siue ex Palæsthina, siue ex Æthiopia, siue Tyro, profitebuntur se vrbis sanctæ esse ciues. *Hic natus est ibi.* Iudæi stolida ambitione inducti, quasi data opera, locũ hunc torserunt: Christiani fere vno consensu ad Christum referunt, ac existimant reddi causam cur inter Ierosolymæ ciues numerandi sint qui hactenus extranei fuerant adeóque infensi hostes: quia scilicet illic nascetur Christus, cuius officium est homines dissipatos, quasi lacera mẽbra, in fidei vnitatem & spem vitæ æternæ colligere. Sed clara sunt Prophetæ verba, cuiuscũque gentis sint homines, libentes patriæ suæ renuntiaturos, vt in catalogo populi electi scribantur. Natos enim non ponit pro indigenis, sed pro ciuibus, & pronomen singulare vsurpat pro plurali. Isti nati sunt ibi. q. d. De illis vrbibus, inimicissimis aliquando Israelitis, multi in consortium ipsorum, & in populum Dei annumerabuntur, & conciues efficientur.

5 *Et de Sion dicetur, Vir & vir natus est in ea, & Excelsus ipse stabiliet eam.*

Et de Sion dicetur. Continuat eãdem sententiam, quòd ex diuersis mundi partibus colligentur noui ciues in Ecclesiam Dei. *Vir & vir natus est in ea.* Hebraismus, pro, Iste & ille, siue plures. q. d. Cuiuscunque gentis homines, & vndecunque nati sint, vel oriundi, tamen cupient omnes scribi in catalogo ciuium Ierosolymitanorum. Imò verò alienigenæ reputabuntur in sacro populo, perinde acsi originem à patre Abraham ducerẽt. tanta enim ac tam ingens nouæ sobolis turba futura est vt numeroso populo referta sit ciuitas, quæ ad tempus deserta, postea etiam exiguo hominum numero semiplena fuerat. Idem quod breuiter promittitur, pluribus verbis describit Esaias, Lauda sterilis, quæ non pariebas: quia plures filii erũt desertæ, quàm quæ marito coniuncta est. dilata locum tentorii tui, extende funiculos, & clauos consolida &c. Esa. 54. a. 1. Item, Filii tui à longinquo venient, leua per circuitum oculos tuos, omnes isti congregabuntur tibi, ibidem. 60. a. 4. Capite autem 44. a. 5. eadem ferè loquutio extat, vel saltẽ quæ proximè ad istam accedit quæ hic habetur, Iste dicet, Domini sum: ille vocabit in nomine Israel: scribet hic sua manu, Ego Domini: ille ex nomine Israel se cognominabit. Neque abs re nascendi verbo significat Propheta ex grege populi Dei fore Ægyptios, Chaldæos, & similes. Nã etsi natura geniti nõ erãt è Sione, sed adoptione inserendi in sancti populi corpus: quia tamen ipse in Ecclesiam transitus secunda est natiuitas, optimè cõuenit ista loquutio. nam & ea lege sibi Christus fideles despondet vt populum suum obliuiscãtur, & domum patris sui, Suprà, 45. c. 11. & formati ac regeniti semine incorruptibili in nouas creaturas, tam Dei quã Ecclesiæ filii esse incipiant, Gal. 4. c. 19. Et certè non aliter renascimur in cælestem vitam quàm per Ecclesiæ ministerium. Interea tenendum est discrimen quod ponit Apostolus inter terrenam Ierusalem (quæ, vt serua est, in subiectionem generat) & supernam quæ ingenuos filios per Euangelium parit. *Et Excelsus ipse stabiliet eam.* Vel, Confirmabit eam. Vel potius, ordinabit eam. quia scilicet verbo suo Deus Ecclesiam specialiter gubernat, & miris modis prouehit. Exprimitur ergo hoc versu longa diuturnitas. Sæpe enim contingit vt quo citius in eximiam altitudinem emergunt vrbes, breuior sit prosperi status duratio. Ne putetur in eum modum caduca Ecclesiæ fœlicitas, Propheta eius fortitudinem à Domino fore pronuntiat: acsi diceret, Non mirum est si nutent aliæ vrbes, variísque inclinationibus subinde sint obnoxiæ: quia vnà cum mundo voluũtur, neque æternos habent custodes. At nouæ Ierusalem diuersa erit ratio, cuius perpetuitas in Dei virtute fundata, etiam cælo & terra ruentibus consistet.

6 *Dominus recensebit scribendo populos, Hic natus est ibi. Selah.*

Dominus recensebit. Vel, Numerabit. Ad verbum legitur, Iehoua numerabit scribendo populos. Subaudienda est aliqua particula, vt legatur, Quum Deus numerabit & scribet populos. Nam Propheta Deum inducit numerantem populos, acsi diceret, Quum Deus censum aget populorum quos præcipuo honore dignabitur, Sioni potius quàm Babyloni aut aliis quibusuis vrbibus ascribet. pluris enim erit ista nobilitas, inter ciues Sionis plebeium locum tenere, quàm alibi vsquam primatum. Simul autem admonet vnde alienis hominibus repente tantus honos: nempe ex Dei beneficio. Et certè qui Satanæ & peccati mancipia sunt, nunquam sibi propria industria ius supernæ ciuitatis acquirent. solus est Dominus, qui populos vt visum est in suas classes distribuens, quum par sit hominum conditio, alios ab aliis discernit. Descriptio cuius hic fit mentio, ad vocationem pertinet. Nam etsi filios suos ante conditum mundum scripsit in libro vitæ, in suorum tamen catalogo tunc eos demum recenset quum regenitos adoptionis Spiritu, nota sua insignit. Quare te vide quid Paulus scribat, Ephes. 1. a. 4. *Selah.* Hæc vox ideo adscripta est vt id propius consideraretur, in quo sanè sanctorum salus & fœlicitas sita est. Neque enim leuis est prærogatiua censeri inter regni cælestis ciues & Dei domesticos.

7 *Et cantores sicut tibicines: omnes fontes mei in te.*

Et cantores sicut tibicines. Partim concisa breuitas, partim ambiguitas vnius vocis orationem reddit obscuram. Et cantores vt tibicines, sub. laudes dicent. q. d. Et voce & instrumentis musicis cantabunt laudes tuas. Quidam Hebræorum vertunt, Et cantores sicut mulieres. q. d. Tam viri quàm mulieres te laudabunt. Alii, Et in Sion cantores erunt vt tibicines. q. d. Tam facile erit inuenire in Ierosalem præcones diuinarum laudum, quàm in aliis regionibus tibicines. Abundantiam fidelium in vrbe Ierusalem Deum laudantium describit. *Omnes fontes mei in te.* Fontes nonnulli accipiunt hic pro spe: alii, pro affectibus: alii, pro cogitationibus. Sed multo rectius pro aspectu aut oculis sumuntur, quum radix nominis oculum significet. acsi Propheta dixisset, Ego in te quasi defixis oculis semper intentus ero. Confirmat ergo hoc versu quod prius dixit de magnifica Sionis instauratione: quia ex gaudii magnitudine & multiplici laudum concentu quanta futura sit eius fœlicitas demonstrat. Verùm interea finem describit donorum omnium quibus tam liberaliter Ecclesiam suam prosequitur Deus, vt scilicet hymnis & canticis suam erga eum gratitudinem testentur fideles. Alii חוללים vertunt, Qui saltant ad modulos vel tripudiant. Sed in eo parum est momenti, quum hoc summatim tenere sufficiat, perpetuam scilicet symphoniam laudum Dei in Ecclesia fore, vbi gratiæ suæ thesauros explicuerit, mutuásque fore canẽdi vices. Adde quòd Dei Ecclesiã singulari amore, cura, studio amplecti se demonstrat Propheta, vt suo exemplo ad eundem pios omnes affectum hortetur & accendat, iuxta illud, Obliuioni detur dextera mea, si non memor fuero tui Ierusalem, in principio lætitiæ meæ, Infrà, 137. a. 5. Tunc enim demũ in Ecclesia subsistunt omnes nostri affectus, dum à vagis vanisque distractionibus collecti, & posthabitis mundi honoribus, deliciis, opibus, pompis, vna spirituali regni Christi gloria contenti sunt.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVIII.

Continet hic Psalmus grauissimas & vehementissimas querelationes, qua Propheta extremis se malis pene obrutũ queritur, qui tamen inuictam fidei constantiam contra mœrorem luctando in hoc declarat, quòd ex profundissimis mortis tenebris Deum nihilominus redemptorem implorat.

CAnticum Psalmi filiorum Coræ, præfecto super Mahalath ad humiliandum, eruditiuum Heman Esrachitæ.

Canticum Psalmi. Vide Suprà, 30. a. 1. *Filiorum Coræ.* Vel, filiis Coræ. Vide Suprà, 42. a. 1, & 45. a. 1. *Præfecto.* Seu victori. Vel, præsuli. Vide Suprà, 4. a. 1. *Super Mahalath.* Sunt qui hanc particulam appellatiuè vertũt, super infirmitate. Sed ex cõmuni vsu probabile est, vel musicũ instrumentũ notari, vel initium cantilenæ. Vide Suprà, 53. a. 1. *Ad humiliandum.* Vel, ad canendum. *Eruditiuum.* Quidam, ad laudandum erudiens canticum Heman, &c. Alii, de afflictione erudiens ipsius Heman. Alii, ad humiliandum intellectus Heman. Quidam Hebræorum dicunt מחלת fuisse initium carminis,

ad cuius numeros & hic Psalmus cantatus sit. Alii instrumentū, alii certā modulationem hac voce significari arbitrātur.[c] Heman verò, cuius nomen hic inscribitur, eum esse probabile est cuius mentio fit 1. Reg. 4. d. 31. vbi dū laudatur prudentia Solomonis, confertur cum Ethan, Heman, Chalchol, & Darda. Ideóque mirum non est hominem sapientiæ spiritu præstantem, Psalmi huius authorem fuisse. Notandum autem est in vnius persona statui nobis ante oculos taræ afflictionis & simul patientiæ speculum. Neque enim Deus seruum suum, quem tam præclaris dotibus ornauerat, vt aliis esset exemplo, priuatim exercuit, sed communem eruditionis materiam dare voluit omnibus suis. Quo etiam consilio Heman, velut theatrum conscendens, tam suarū infirmitatum quàm suæ fidei & constantiæ testem facit Ecclesiam. Nostra enim plurimū interest nobilem Dei seruum, & eximiis Spiritus dotibus excellentem, spectare tāta afflictionum mole obrutum, vt flebiliter deploret se nihil à mortuo distare: ne vel ærūnæ nostræ quantumuis graues desperatione nos opprimant, vel, siquando nos ægritudo, cura, dolor, anxietas & metus debilitat, ideo tamen despondeamus animus, præsertim vbi videmus sanctum Prophetam non sine violento conatu ex profunda obscuritate in lucem bonæ spei emergere. Quin potius statuendum est per os Heman à Spiritu Dei petendi formulam dictari, qua desperatos omnes inuitet.

2 *Iehoua Deus salutis meæ, die clamo, nocte coram te.*

Iehoua Deus salutis meæ. [b]Vates hic ostendit quàm ardentes preces ad Deum fuderit. [m]Nam antequam queratur de vehementia afflictionis quam patiebatur, seriam & affectibus ardentem orationem præmittit, qua tamen nihil à Deo petit quàm vt orantis ad se clamorem ad conspectum suum admittat, & placatus exaudiat. [c]Etsi autem pro malorum atrocitate statim ebulliet in vehementes querimonias, breui tamē præfatione tempestiuè se munit, ne affectus sui feruore abreptus obstrepat potius Deo, & expostulet, quàm suppliciter veniam deprecetur. Deum enim salutis suæ vocans, quasi iniecto fræno cohibet doloris intēperantiā, desperationi ianuam claudit, séque ad crucis tolerātiā munit & cōparat. *Die clamo.* [b]Clamore & assiduitate ostendit quàm seriò intentus fuerit ad orandum. Fieri quidem potest vt vocem non extulerit pleno gutture, sed clamandi verbo ad contentionem notandam non frustra vsus est. *In nocte.* [v]Quidā vertūt, De die ac nocte clamaui. Alii, Die (id est tempore quo) noctu vociferor. [c]Sed sensus est Prophetam dies ac noctes continuasse in precibus. [m]Vnde apparet, quanta serio, quàmque irremissa vociferandi & applorandi contentione, in afflictionibus pii, præsertim si mortis premantur angustiis, clamitent. Extra tentationes vix modico aliquo spacio in oratione duramus: in tribulationibus verò noctes ac dies, id est sine intermissione, ad Deum suspiramus, ploramus, & clamamus. [c]Sed superuacua non est particula *Coram te*, quia etsi communiter omnes querulantur in dolore, multum tamen abest quin effundant coram Deo suos gemitus. imò maior pars latebras quærit, in quibus obmurmuret Deo, eiusque seueritatem accuset: alii clamores suos temere proiiciūt in aerem. Vnde colligimus raræ virtutis esse, Deum nobis statuere ante oculos, ad quem vota nostra dirigamus.

3 *Veniat in conspectum tuum precatio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.*

Veniat in conspectum tuum. [v]Vel, Intret coram te precatio mea. [m]Piorum & hypocritarum discrimen hoc est, quòd illi preces suas in Dei conspectum ascendere percupiunt: hi verò hoc magis appetunt vt conspicui sint hominibus, quorum rumusculos aucupantur. Qui in Ecclesiis quæstus gratia canunt, quid aliud cupiunt quàm vt voces ipsorum, mortalium aures demulceant? At vir pius coram Deo orat, & huius cōspectum & aures ambit, mortalium conspectum & aures magis fugiens quàm expetens. [a]Vide Matth. 6. a. 5, & 23. a. 5. b. 14, & Luc. 20. g. 47. *Inclina aurem tuam.* [a]Idem aliis verbis repetit. Hac verò repetitione ostendit quam cupidè expetat à Deo exaudiri, & eius auxilium percipere.

4 *Quoniam saturata est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.*

Quoniam saturata est malis. [a]Quidam, Quoniam repleta est malis anima mea. [c]His verbis Propheta magnitudinem sui doloris excusat: acsi diceret, se non mollitie vel deliciis adeo esse clamosum: sed, si reputetur sua conditio, immensa malorum congerie ad lamentationem iustè impelli. Nec vnam tantùm mali speciem profert, sed alia aliis fuisse aggesta, vt ad tædium vsque cor eius mœroribus refertum fuerit. *Et vita mea inferno appropinquauit.* [b]Dicit vitam suam non procul fuisse à sepulchro. q. d. Ea fuit malorum grauitas vt de vita desperandum mihi fuerit. Hæc loquendi ratio frequens in Scripturis, vitam hominis propinquam esse sepulchro, quoties nulla amplius vitæ spes affulget.

5 *Reputatus sum cum descendentibus in sepulchrum: fui tanquam vir cui nulla virtus.*

Reputatus sum cum descendentibus in sepulchrum. [v]Vel, in foueam, in lacum. Confirmat præcedentem sententiam, nempe se à morte parum distare. [c]Etsi enim spirabat inter viuos, multæ tamen mortes, quæ vndique impendebant, totidem erant sepulchra, quibus se mox degluriendum putabat. *Fui tanquam vir cui nulla virtus.* [v]Vel, Fui sicut robustus. Dicit se tanta malorum grauitate fuisse obrutum, vt perdiderit quicquid antea roboris habebat. [c]Et nomen גבר, quod à fortitudine dicitur, potius quàm hominis videtur posuisse, quo melius testatum faceret tantam fuisse atrocitatem malorum, quæ vel robustissimum quenque frangeret. [m]Admonemur hic vt cogitemus quàm sit emarcidum ac fluxum corporis nostri robur, quod modica interdum ægritudine amittitur, imò aliquando vnici momenti casu concutitur & eneruatur, vt non frustra dixerit Propheta, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Exiccatur fœnum, & cadit flos eius, &c. Esa. 40. b. 8.

6 *Inter mortuos liber, tanquam occisi iacentes in sepulchro, quorum non es memor amplius, & qui è manu tua abscissi sunt.*

Inter mortuos liber. [a]Auget querulationem, vt fit dum homines querelis fræna laxant. [c]Nam plus quiddam & grauius vulgari more exprimere voluit Propheta. Dicit enim se liberum esse inter mortuos, quòd inutilis esset ad omnia vitæ munera, & quasi à mundo alienatus. [a]Prioribus dixerat se morti accessisse proximè, nunc planè mortuum: illic, contigisse sepulchrum, hic, in eo collocatum. eò mala eius creuerant. Liber illud intelligendum est à negotiis huius vitæ, vt quum dicitur, Et seruus liber à dominis suis, Iob 3. c. 19. [c]Quidam hunc ad Christum referentes, dicunt illum liberum inter mortuos fuisse quia singulari priuilegio victoriam adeptus est, ne mors in eum dominaretur. Sed hæc argutia nihil ad Prophetæ mentem. Potius enim dicit Propheta se præsentis vitæ militia perfunctum, nullam animo curam amplius suscipere, quia sensum omnem mala abstulerint.[v] Nulla enim vacatio, quamdiu degimus in carne, nullæ induciæ, sed perpetua inquietudo nos exagitat. Libertas ergo datur nobis post mortem, quia tunc quiescimus à laboribus nostris. [m]Et tamē hæc cordis nostri stultitia est, vt vanitate huius vitæ, quantumuis plena sit omnis generis molestiis, admodum delectemur. Nam hæc libertas morituris admodum est grauis & molesta, quum tamen gaudendum esset libertatem hanc ingressuris, quæ piis nihil aliud est quàm terrenarum molestiarum commutatio cum cœlestibus bonis. *Tanquam occisi iacentes in sepulchro.* [v]Vel, Sicut interfecti dormientes in sepulchris. [c]Hic peius secum agi deplorat, quàm si malis debilitatus paulatim ad mortem descenderet: quia violentam mortem naturaliter magis horremus. acsi diceret, Fui similis occisis & vulneratis, quos violenta mors & sanguinaria subitò rapuit ad sepulchrum. *Quorum non es memor amplius, & qui è manu tua abscissi sunt.* Vel, separati sunt, amoti sunt. [c]Durius in speciem est quod hic addit Propheta, se obliuioni traditum esse à Deo, & abscissum ab eius manu, id est, cura vel custodia, quum certum sit mortuos, magis quàm viuos, sub tutela Dei esse. Imò nebulo ille Balaam, cui propositum erat lucem conuertere in tenebras, coactus tamen fuit exclamare, Moriatur anima mea morte iustorum, Numer. 23. b. 10. Itaque posset videri sententia hæc profani hominis, Deum non esse amplius memorem hominis mortui. Respondeti potest, Prophetam ex vulgi sensu loqui, sicuti etiam Scriptura, dum de prouidentia Dei agitur, stylum accommodat ad visibilē mundi statum, quia ad futuram vitam, quæ abscondita est, nōnisi gradatim conscendimus. Probabilius tamē est Prophetā magis ex turbulento afflicti hominis sensu loquutum esse, quàm respexisse quid rudes & imperiti sentiant. Nec mirum est, hominem Spiritu Dei præditū, vbi præualuit mœror, quasi attonitum fuisse, vt vocē parum consideratā emitteret,

Quanuis enim seruis Dei in summis perturbationibus fides hæc infixa maneat, Deo curæ esse tam viuos quàm mortuos: sæpe tamen eorum mentes obnubilat dolor, vt non occurrat in re præsenti Dei prouidentia. Hoc inter querimonias Iob sæpius animaduertere licet, dum præoccupati sunt piorũ animi tristitia, non statim penetrare ad æternã Dei prouidentiã, quam tamen probè meditati sunt, & insculptam in cordibus suis gestant. [M]Ergo Propheta, quanuis persuasus esset mortuos quoque esse sub tutela Dei, in primo tamen tristitiæ impetu non tam compositè loquutus est vt decebat: quia suffocatum erat lumen fidei, quod statim emicuit vt videbimus. Et hoc notatu inprimis vtile est, ne si tentationes nos debilitẽt, animos tamen despondeamus.

Posuisti me in fouea infima, in tenebrosis, in profunditatibus:

Posuisti me in fouea infima. [M]Iterum Propheta ærumnam suam deplorat similitudine captiui. Comparat enim se captiuo, qui non vulgari aliquo carcere propediem dimittendus leuiter teneatur, sed qui in tetrum, tenebricosum, lutosum ac profundum lacum cõiectus, omnium agat misertimè, nec quicquam spei de vita sua reliquum habeat, qualem locum Ieremias Propheta expertus est, cap.37,d.19.& 38.b.6. *In profunditatibus.* [V]Vel, In profunditates sub.maris. [B]Per inferiorem foueam, profunda & tenebricosa, intelligit extrema & morti proxima mala. [C]Interea distinctius agnoscit, quicquid patitur malorum, ex Dei manu profectum esse. Nec verò quisquam serio petendi remedii causa ad Deum confugiet, nisi qui iam persuasus erit eius manu se percuti, nihil autem fortuitò contingere. [A]Sic alibi dicebat David, Sagittæ tuæ descenderunt in me, & descendit super me percussio tua, Suprà, 38.a.3. Et abyssus abyssum inuocat ad sonitum fistularum tuarum, omnes inundationes tuæ & fluctus tui super me transierunt, Suprà, 42.b.8.

8 *Super me incubuit indignatio tua, & omnibus fluctibus tuis afflixisti me.*

Super me incubuit indignatio tua. [V]Vel, Super me sustentata est ira tua. Vel, sustentauit sese. [C]Quo propius ad Deum accedit, magis exacerbatur dolor: quia sanctis nihil magis horribile est Dei iudicio. Quidam vertunt, Appropinquauit super me furor tuus. vel, indignatio tua. Et sic interdum accipitur verbum סמך. sed constantia loci accipere cogit, vt pluribus aliis locis, pro circundare vel incumbere: quia vbi de homine in triplex sepulchrũ demerso sermo habetur, illud appropinquare nimis esset frigidum. Contextui autem optimè respondet versio quam sequuti sumus, vt dicat Propheta se sustinere totam molem iræ Dei, qui a eius fluctibus affligitur. Iam quum tam horribile diluuium Prophetam non impedierit quo minus cor suum & vota ad Deum extolleret, discamus eius exemplo, In omnibus naufragiis nostris anchorã fidei & precũ in cælos iacere. *Et omnibus fluctibus tuis afflixisti me.* [M]Vices illas dolorum ac passionum, crebrò recurrentium, & extrema minantium, fluctibus maris comparat, qui quum instar montium elati, & horrendis modis imminẽtes omnia operturi videntur, ipsissimam mortem periclitantibus obiiciunt, vt vniuersas totius maris procellas in se conuersas putent. [V]In summa, fluctus domini vocat illas grauissimas afflictiones, quibus penè obruebatur.

9 *Remouisti notos meos à me, posuisti me abominationes illis: conclusus sum ut non egrediar.*

Remouisti notos meos à me. [M]Accessit & hoc calamitatis, quòd ab amicis ac notis desertus & abominabilis habitus fuit: id quod & ipsum plurimum ad mali cumulum faciebat. [C]Et id quoque iræ Dei ascribit, in cuius arbitrio est flectere corda hominum ad humanitatem, vel eadem efferare. [A]Quemadmodum alibi dicitur, Conuertit cor eorum, vt odio haberent populum eius, & machinarentur in seruos eius, Infrà, 105.e.25. Et dedit eos in misericordias coram omnibus qui captiuos duxerunt eos, Infrà, 106.g.46. [M]Vt intelligamus dispositione diuina fieri vt amici & noti nobis dentur vel adimãtur. [C]Quod certè notatu dignum est: quia, nisi in memoriam succurrat Ideo nos destitui humanis mediis quia Deus manũ suam subducit, tumultuamur sine fine & modo: & iure quidem cõqueri licebit de hominum ingratitudine vel sæuitia, quoties iustis officiis nos fraudabunt: sed hoc profectu carebit nisi accedat hæc cognitio, quia nobis Deus offensus est, tollere quæ nobis destinauerat subsidia: sicuti promptũ est, quoties visum fuerit, conciliare nobis omniũ animos vt manum porrigant.

Posuisti me abominationes illis. [C]Hoc est, fecisti vt detestabilis omnibus amicis essem. *Conclusus sum ut non egrediar.* [M]Hac particula se velut in carcere, vnde nequeat egredi, clausum esse cõqueritur. Et certè fieri non potest vt quis è malorum carcere liberetur nisi Domino eripiente. Vnde Scriptura dicit, Si incluserit hominem, nemo est qui eripiat, Iob.12.c.14.

10 *Oculus meus doluit præ afflictione mea, inuoco te Iehoua quotidie, expando ad te manus meas.*

Oculus meus dolet præ. [V]Vel, Oculus meus elanguit. Sing. pro plurali. Id est, dolore affecti emarcuerũt oculi mei. [C]Ne Prophetam imaginemur fuisse ferreum, rursus inculcat sibi tam duras fuisse & molestas afflictiones, vt in vultu & oculis extarent mœstitiæ signa: vnde colligimus quantopere defectus fuerit. [M]Sic Iob dicebat, In amaritudinibus moratur oculus meus, cap.17.a.2. Et David, Caligauit præ amaritudine oculus meus, Suprà, 6.b.8. Et Ezechias, Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in Excelsum, Esa.38.c.14. Et inter reliqua Dominus populo suo rebelli etiam hoc est comminatus, quòd deficientes esset habiturus oculos, Deut.28,g.65. [A]Quibus verbis summam animi mœstitiam Scriptura significat. *Inuoco te Iehoua.* [C]Quanuis Propheta malorum acerbitate premeretur, testatur tamen se minimè fuisse à Deo abstractum, vt multi secum tacitè frementes, frænúmque rodentes (vt est in Prouerbio) nihil minus sibi proponunt, quàm suas curas in Deum exonerare, vt solatium ab eo petant. [M]Interea oportet admirabilem esse hanc fidem, quæ contra rationis sensum, iratum Deum in ipso iræ sensu inuocat. Ratio dicit, furore est erga se accensus, & hæc ipsa quæ patitur, ipsius manu infliguntur, ad quid igitur illum inuocabit? Contrà fides quæ manum Dei percutientis agnoscit, afflictum ad inuocationem impellit, dicens, Inuoca confidenter. Nõ enim in perpetuum irascetur, nec in æternum comminabitur, Infrà, 103.b.9. Imò verò quum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, Habac.3.a.2. *Quotidie.* [V]Vel, omni die. [A]Hæc particula perseuerantiam & constantiã in precibus notat. *Expando ad te manus meas.* [C]Signum ponit pro re ipsa. [M]Quorsum autem spectauerit hæc ceremonia quæ seculis omnibus fuit in communi vsu, diximus Suprà, 28.a.2. [A]Vide etiam Suprà, 63.b.5.

11 *An mortuis facies miraculum? an mortui surgentes confitebũtur tibi? Selah.*

An mortuis facies miraculum? [V]Vel, mirabilia. Id est, Num edito miraculo reuocabis omnes ad vitam? Seipsum exponit sequẽtibus. [C]Significat his verbis, nisi celeriter festinet Deus ad opem ferendam, non venturum in tempore: quia vix tantillũ à morte distet. ergo hunc esse extremum articulum, si Deus eum iuuare velit, quia posthac cessabit occasio. Quærit ergo quousque differre velit Deus, an vt mortuos miraculo excitet. [V]q.d. Vbi excisus fuero à societate hominum, an tunc mihi vitam restitues, vt ostendas virtutem tuam? [C]Quanquam autem Propheta de vltima resurrectione non loquitur (quæ superior erit reliquis omnibus miraculis) excusari tamen non potest excessus, quia Deo tẽpus præscribere nostrũ nõ est ferẽdi auxilii: quia iniuriã facimus eius potentiæ, nisi statuimus tam facile ei esse reddere vitam mortuis, quàm maturè occurrere & anteuertere vltimum discrimen. Et certè talis semper fuit sanctorum constantia, quæ carnis infirmitatem aliqua in parte resiperet, vt etiam in ipsis virtutibus, quod vitiũ admistum erat, necesse fuerit paterna Dei indulgentia tolerari. *An mortui surgentes confitebuntur tibi?* [M]Q.d. Quis potentiam, bonitatem ac fidem tuam prædicabit ac celebrabit nisi viuus, qui illis potiri ac frui potest?

12 *An narrabitur in sepulchro clementia tua, ueritas tua in interitu?*

An narrabitur in sepulchro clementia. [V]Repetitio, ac si diceret, [M]Sine ô Domine vt cum viuis mirabilia tua experiar, expertúsque deprædicem & extollam. Si mihi non parcis, parce saltem nomini ac honori tuo. [V]Similes sententiæ, vel potius querimoniæ extant, Suprà, 6. b. 6, & Infrà, 115. d. 17, & Esa. 38. d. 18. [C]Porro dum quærit Propheta an in sepulchro narrabitur Dei bonitas, non intelligit mortuos carere sensu, sed prosequitur quod iam ante dixerat, magis opportunũ esse auxiliandi tempus dum homines in periculis adhuc clamitant, quàm si mortuos è sepulchris excitet. Ratiocinatur autem ex communi more, quia Deus solitus non esset mortuos è sepulchris testes ac præcones suæ bonitatis producere. [M]Docet etiã hic versus quid potissimũ in mirabilib' Dei, quæ nobis viuentibus impendit, celebrare ac deprædicare debeamus, nempe quòd bonus sit Deus, fidelis ac probus. Varia

sunt mirabilium Dei genera, secundum operum illius infinitam varietatem: verùm in omnibus illis quæ viuentibus nobis ostendit, potissimum bonitas, fides ac probitas illius elucent, quæ veluti radices quædam sunt, vnde omnia nobis beneficia proueniunt. Et in his potissimum sita est laus Dei, quæ non tam est propter immensam potentiam quàm propter infinitam bonitatem illustris. *Veritas tua.* [v]Vel, fides tua. In interitu? Vel, In perditione. [c]Fidem Dei annectit clementiæ seu bonitati: quia quoties suorum liberator est Deus, se in promissionibus veracem esse confirmat. Porro ad promittendum non aliunde, quàm mera sua bonitate inducitur.

13 *An cognoscetur in tenebris mirabile tuum: & iustitia tua in terra obliuionis?*

An cognoscetur in tenebris mirabile tuum? [a]Vel, miraculum tuum. *In terra obliuionis.* [c]Quod Propheta tam fidem quàm bonitatem, virtutem & iustitiam in terra obliuionis cognosci negat, perperam trahunt homines fanatici ad crassum errorem, quasi morte abolerentur homines: quia tantum differit de modo iuuandi ordinario: quia Deus mundum hunc instar theatri esse voluit ad gratiam, qua prosequitur humanū genus, demonstrandam. [m]Itaque quod status mortuorum vocatur perditio, tenebræ, & terra obliuionis, non est respectu Dei dictum, quasi qui in sepulchris sunt, Deo perierint, illicque in tenebris & obliuione sint, quum illi nihil pereat, nihil in tenebris sit, nihil in obliuione. Dicuntur autem ista iuxta sensum humanæ rationis, cui qui viuunt, in vita, in luce, & memoria ac scientia: contrà, qui in sepulchris sunt, in perditione, tenebris, ac profundissima obliuione constituti ac sepulti videntur. Qua de re vide Esa. 63.d.16, & Eccles. 9.b.5.6.

14 *Ego autem ad te Iehoua clamaui, & mane oratio mea præueniet te.*

Ego autem ad te Iehoua clamaui. [a]Vel, vt quidā vertunt, Clamo. [m]Redit Propheta ad cōmendationē orationis suæ, [a]& queritur preces suas tanta instantia fusas non audiri, animámque suam vsque repulsam pati. [c]Proinde, quamuis aliqua perturbatio fuerit in eius verbis, quam diximus vitiosam fuisse: hoc tamen tam fidei & pietatis signum fuit, nunquam desistere à studio precandi. Nam hoc sensu dicit, Et mane oratio mea præueniet te. [m]q.d. Quamuis sciam hæc omnia abs te mihi infligi, ad neminem tamen alium quàm ad te, Domine, confugio, ad neminem alium quàm ad te clamo, idque anxiè ac sedulò: mox atque euigilo, repeto ad te clamorem meum, [c]Itáque se mane festinasse dicit, ne putemus lentè & frigidè fuisse cunctatum, donec cogeret vltima necessitas. Modestè autem hic verbis admonet, non factum esse sua pigritia vt in diuturnis malis contabuerit, acsi Deum non quæsisset. Atque exemplum hoc in primis est notabile, ne despondeamus animos, siquando preces nostras, licet voluntarias & assiduas, contingat tamen profectu carere.

15 *Vt quid Iehoua repudiabis animam meam, abscondes faciem tuam à me?*

Vt quid Iehoua repudiabis. [v]Vel, repellis, elongas, abominaris. [m]Sentiebat Propheta se non protinus iuuari quemadmodum cupiebat, atque ideo, pro sensu carnis, ea dilatione iudicabat animam suam à Domino deseri, nec orationem suam ab illo recipi, sed auersa facie ad morem indignantium respui. De hoc itáque queritur. q.d. [l]Is piorum parentum mos non est filiorum preces negligere, tu tamen omnium clementissimus, meam precationem abiicis, ac (quod me acrius affligit) faciem tuam illam, in qua omnis inest vis spei & veniæ, indignabundus planéque iratus à me misero auertis. Quo igitur me vertam? ad quem meum erit perfugium? [c]Porro quamuis lamentationes istæ primo intuitu mœrorem absque vllo solatio præ se ferant, continent tamen in se tacitas preces. Neque enim superbè cum Deo litigat, sed flebiliter malis suis exoptat remedium. Atque hoc genus querimoniæ meritò inter gemitus inenarrabiles censeri debet, quorum meminit Paulus, Rom. 8.e.26. Nec verò si putasset Propheta se respui & abominationi esse, orando perseuerasset. Verùm carnis sensum, cui fortiter reluctabatur, hic in medium proponit, vt reipsa tandem & manifesto effectu appareat non frustra eum orasse. Ergo quamuis hic Psalmus non claudatur gratiarum actione, sed in lamentabilem querimoniam desinat, acsi nullus restaret gratiæ locus, eo vtilior est ad nos in precandi officio retinēdos: quia certè non destitit Propheta, gemitus hos in Dei sinum deponens, sperare quam non videbat salutem: quia non vocauit in isto Deum salutis suæ, vt sibi postea nihil de eo promitteret.

16 *Ego miser & moribundus à pueritia, tuli terrores tuos dubitando:*

Ego miser & moribundus à pueritia. [v]Vel, Ego pauper sum & deficiens ab adolescentia. Vel, Afflictus sum ego & moribundus. Vel, quasi animam efflans. Vox Hebræa גוע eum significat qui lenta morte conficitur. [c]Cur verò Propheta sic de se loquatur incertum est, nisi quòd probabiliter conijcere licet fuisse multis modis duriter examinatum, acsi eius vita inter varias trepidationes ac metus è filo penderet. [l]q.d. In miseriis & cruce vixi tota planè ætate. Sic illis qui piè volunt viuere in Christo, contingere certum est, 2. Timoth. 3.c.12 Non est enim seruus maior domino suo, Ioh. 13.b.16, & 15.c.20. *Tuli terrores tuos.* [m]Repetit quod dixerat versu 8, Super me incubuit indignatio tua. *Dubitando.* [v]Vel, animi dubius sum. Vel, suspenso sum animo: Vel, hæsitās. Alii, Animo attonito. Alii, Semper & quotidie dicēs, ne fortè sub. peream. aut, fit hoc & hoc. [l]Q.d. Pertuli tales immissos mihi abs te terrores, vt propemodum succubuerim, & desperare de salute tātum non cœperim. [c]Sic autem Propheta de se loquitur: quia fieri nō potuit quin eius animum dira inquietudine iactaret iræ Dei sensus. Quæritur tamen quomodo fidei consentiat vacillatio. Et certè vbi quis perplexus hæret, ac dubius, imò huc & illuc agitatur, videtur absorpta esse fides: sed experientia nos docet, fidem, dum fluctuatur in his agitationibus, subinde tamen resurgere ne mergatur, quòd si quando suffocatur, foueri tamen absconditam. quia quantumuis insurgant procellæ, clypeum tamen illum opponit, Deum manere fidelem, vt suos nunquam frustretur, vel deserat.

17 *Super me transierunt furores tui: formidines tuæ exciderunt me:*

Super me transierunt furores tui. [l]Q.d. In me apparuerunt manifesta signa tui furoris. *Formidines tuæ exciderunt me.* [a]Hoc est, sic sum terroribus tuis confectus vt penè exanimatus iaceam. Quidam vertunt, Succiderunt me. Vel, Perdiderunt, perdiderunt, inquam, me. Aut, Prorsus perdiderunt me. Id significat verbum Hebraicum, in quo vltima syllaba repetitur ad vehementiam.

18 *Circundederunt me sicut aquæ quotidie, cinxerunt me simul.*

Circundederunt me sicut aqua. [c]Quum nihil magis horribile sit quàm Deum nobis infensum concipere, Propheta nō abs re diluuio anxietatem suam comparat: [m]sicuti quum versu 8. diceret, Et omnibus fluctibus tuis afflixisti me. *Quotidie.* [c]Ex hac particula colligimus furores Dei & formidines de quibus Propheta loquitur, non exigui tantùm fuisse momenti: sed diuturno cruciatu animum eius afflixisse. *Cinxerunt me simul.* [v]Vel, Circundederunt me pariter. [l]Nempe terrores atque horrendæ commistæ metu perturbationes.

19 *Remouisti à me amicum & socium, familiares mei tenebræ.*

Remouisti à me amicum & socium. [a]Nequid miseriarum cumulo deesse videretur, replicat, tanquam infortuniorum suorū summum, quod superius dixit versu 9. Elongasti notos meos à me. *Familiares mei tenebræ.* [v]Quidam, Notos meos in tenebris. Vel, Noti mei in tenebris. sub. sunt, vel delitescunt. Alii, Et notus meos obscuras. Quod perinde valet acsi diceret, Facis vt noti mei nusquam appareāt, sed mihi sint absconditi, perinde acsi tenebris quibusdā essent abditi. Chaldæus paraphrastes sic vertit, Et notis meis obscurus sum in conspectu eorū. [a]Q.d. Nusquam prodeunt qui mihi opem ferre deberent, atque ita aufers quicquid est consolationis, & addis quicquid est doloris & angustiæ.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIX.

[c]Propheta Deo pro afflicta Ecclesia supplicaturus, [a]multis & eleganter bonitatem ac fidem Dei, [m]in eo præsertim quòd fœdus cum domo Dauid pepigit, celebrat. [c]Deinde commemorata Dei potentia, redemptionis memoriam inculcat. [a]Inde ad promissiones regni Dauidi factas reuertitur. [c]Tandem queritur Ecclesiam Dei exponi impiorum libidini, [a]acsi rupto fœdere, penitus reiecta esset.

ERuditiuum Ethan Ezraitæ.

Eruditiuum. [a]Vel, Erudiēs. Vel, Intelligētia. Vide Suprà, 32.a.1. *Ethan Ezraita.* [a]Quisnam fuerit hic Ethan, cui adscribitur Psalmus, nō satis liquet. Nā si vnū esse dicamus ex iis quatuor quibus ob sapiētiæ præstātiā cōfertur Solomo, non quadrabit in ei⁹ ætatē argumētū. Nisi fortè Solomoni superstes, tristē & fu

...estã, quæ tũc accidit, dissipationẽ, (quæ præludiũ erat ruinæ) defleat. Etsi enim populus in duas partes diuisus fleret adhuc incolumis, quũ tamen dissidiũ illud sociirã à Deo vnitatẽ abrumperet, quid potuit spei esse residuum? Adde quòd ab vno capite, à quo decem tribus impiè defecerant, pendebat salus totius corporis. Quàm horribile verò portentum fuit statim post vnius hominis ætatem cernere regnum illud, quod vsque ad finem mundi integrum florere debebat, misera laceratione defutme? Quis non putasset lusorium & inane fuisse oraculum illud, cuius fides tam breui temporis spatio pessumdata erat. Ergo si placet Etham illum Psalmi fuisse authorem, licebit eius querimonias in tempus illud conferre quo non modò labefactatum fuit Dauidis solium, sed maior pars populi se à Deo alienauit, fratrésque mutuis & intestinis discordiis se conficere cœperunt. Et certe in re dubia nihil videtur probabilius. Nam qui voluit Spiritu Prophetico præmonitum fuisse populum de futuris cladibus, facilè refelluntur ab ipso contextu, vbi disertè scriptor, quisquis fuerit, mutationem deplorat, quæ prima contigit ex factione Ierobuam.

1 *Clementias Iehouæ in æternum cantabo, in ætatem & ætatem celebrabo veritatem tuam in ore meo.*

Clementias Iehouæ. Vel, Misericordias Iehouæ. Vel, Bonitates Iehouæ. Hoc versu Propheta se bonitatem ac fidem Domini non semel tantùm atque iterum, sed perpetuò cantaturum, aliisque declaraturum pollicetur. Orditur autem a Dei laudibus, & fœderis memoria, vt fideles contra graues tentationum machinas fidem suam stabiliant. Nam vbi nos ad precandum accingimus, si in ipso vestibulo occurrat desperatio, vi & impetu perrumpere necesse est, ne flaccescant animi, prorsusque deficiant. Consilium ergo Prophetæ fuit, inter ipsa principia firmis & solidis fulturis munire piorum animos, vt Dei promissione freti (quæ fere in speciem conciderat) repulsis omnibus tentationum machinis, quibus grauiter concutiebatur eorũ fides, non dubitarent de regni instauratione bene sperare, & pro ea constanter precari. Etsi igitur ex tristi ruinæ spectaculo, pro sensu carnis conijcere poterat Etham se & reliquos fideles fuisse delusos, se tamẽ Dei misericordias, quæ tunc erant absconditæ, celebraturum dicit. Quia verò non facile erat Deum, quem seuerum & rigidum experiebatur, clementem agnoscere, vt hanc tentationem copia & varietas gratiæ Dei superet, sibi in plurali numero proponit bonitates. *Celebrabo veritatem tuam.* Vel, annuntiabo, scire faciam, notam faciam. Ostendit quod non contentus sit bonitatem Dei per seipsum ore suo decantasse, nisi huius cognitionem etiam apud alios proueheat. acsi diceret, Quòd ad me attinet, cantico meo efficiam vt non præsenti modo generationi, sed & vniuersis ex ordine subsequẽtibus bonitas & fides seu veritas Domini innotescant. Adiungit autem bonitati fidem, seu veritatem, sicuti suprà, 88, b. 12. Quæ nihil aliud est quàm constantia bonitatis, qua fit vt perpetuò bene velit illis quos bonitate sua complexus est. *Ore meo.* Significat os suum ad hoc consecrasse vt laudem Domini decantaret, & clementiam ac fidem eius posteritati manifestam redderet. Sic alibi Dauid dicebat, Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34. a. 2.

2 *Quia dixi, Perpetuò clementia ædificabitur: cælos stabilies, veritas tua in illis.*

Quia dixi. Id est, statutum est apud me, atque in ea sum sententia. Sic Hebræi aliquando vtuntur verbo dicendi. Veluti rationem hoc versu reddit, cur Dei laudes contineat inter res aduersas, quia ne sic quidem desperet Deum suis propitiũ fore, quamuis asperius eos castiget. Neque enim os quisquam liberè aperiet ad laudandum Deum, nisi qui certò persuasus erit, etiam dum suis irascitur, nunquam paternum affectum exuere. Notandum tamen est non sine difficili certamine Prophetam fide amplexum Dei bonitatem, quæ tunc prorsus euanuerat, vt discamus, siquando nobis auferat Deus omnia amoris signa, statuere tamen in cordibus nostris, illum non perpetuò iratum fore. *Perpetuò clementia ædificabitur.* Id est, durabit instar ædificii summa arte constructi. Nam verbum Hebraicum significat ædificare, & etiam durare. Alii vertunt, stabilietur, vel, propagabitur. Significat hac metaphora, Dei misericordiam propagatum iri vel continuam fore, donec ad finem suum vel complementum perueniat. Non est igitur cogitandum quòd Dei bonitas aut misericordia sic ædificari possit acsi non esset in se perfectissima & absolutissima, sed Propheta Dei bonitatem aut misericordiam non in seipsa, sed in operibus illius, perpetuisque & indesinentibus beneficiis ædificari dicit, ne cognitio illius in Ecclesia & animis piorum intercidat, sed quasi quoddam ædificium firmum ac solidum perpetuo consistat. *Cælos stabilies, veritas tua in illis.* Subaudiendum est aduerbium quandiu, aut quid simile. vt sit sensus, Quandiu stabilis fuerit naturæ ordo, veritas tua permanebit. Vel, Quum stabilis maneat naturæ ordo, tu ipse non mutatis, nunquam varius es. Veritas igitur tua non minus fixa erit quàm cæli ipsi. In summa, significat non minus fore stabilitatis in Dei fide, quàm in ipsa cælorum consistentia, quæ æterna est, & ab omni mutatione immunis. acsi diceret, Veritas tua stabilis manebit vnà cum cælis: Perpetuo igitur laudandus, quum perpetuo tibi constes, ac verax sis in tuis promissionibus. Porro cælos intelligit non modò visibiles sed qui totam mundi architecturam superant: quia hic Dei veritas supra mundi elementa in cælesti Dei gloria locatur. Interea docemur quomodo cælorum firmitate ad considerandam Dei fidem inducamur, vt cogitemus quãta sit diuinæ bonitatis fides & constantia, si tanta est creaturæ vanitati obnoxiæ.

3 *Pepigi fœdus cum electo meo, & iuraui Dauidi, seruo meo.*

Pepigi fœdus cum electo meo. Vel, Percussi fœdus. Subaudiendum verbum aliquod, Dixisti enim, Pepigi, &c. Nam quo se & omnes pios melius confirmet in fide oraculi, authoritatem accersit ex Dei persona, quem hic loquentem inducit. Nam quia ex ore Dei pendere debent fideles, plus pòderis & energiæ huic loquendi formæ subest, dum in medium prodit ipse Deus, nósque propria voce inuitat. Vbi autem hoc modo nos præuenit, nullus iam est temeritati locus, si familiariter ad eum accedimus, sicuti rursus nihil nobis sine verbo Dei imaginari fas est de eius gratia, vel nostro arbitrio sperare quod non est pollicitus. Interea expendẽdũ hic est cum pia admiratione quòd Deus cũ homine, mortalis cũ immortali, potẽtissimus cũ infirmissimo, iustissimus cũ iniustissimo, ditissim⁹ cũ pauperrimo, fœlicissimus cũ miserrimo, fœdus inire dignatus est. Miratur Propheta quòd Deus hominis memor est, ac filiũ hominis visitat, Suprà, 8. b. 5. Sed quanto maiore admiratione dignum est quòd etiam illi coniungitur, idque non simpliciter, sed fœderis etiam obstrictione? Verbum ברית (quo Vates hic vtitur) significat incidere. Solebant enim fœdera olim vel æri vel saxo, memoriæ posteritatis ac diuturnitatis gratia, incidi & insculpi. Ideo metaphoram ea more illo sumptam vsurpat. *Cum electo meo.* Qui hunc titulum ad Abraham referunt, non satis attendunt ad communem loquendi formam, qua hic idem repetitur. Ergo electus Dei vocatur Dauid, quẽ Deus mero beneplacito, non modò posteris Saulis, & tot viris insignibus, sed etiã fratribus suis prætulit. Proinde si quæritur fœderis causa, vel origo, venire ad Dei electionem necesse est. Sic principium fœderis est non nostra iustitia, aut meritum, sed libera illa electio, qua sibi quos vult, pro bona sua voluntate & mero beneplacito, in hanc fœderis gratiam ac fœlicitatem eligit. Fœdus Dei est cum electis eius, non potest alia eius causa assignari, quàm libera electio. *Et iuraui Dauidi.* Hac loquutione promissio redditur magis authentica, quum dicitur Deus iureiurando interposito fœdus suum cum Dauide pepigisse. Porro de iuramento Dauidis Deo facto nõ legimus, de Dei verò Dauidi facto, hic & aliis aliquot locis mentionem fieri videmus. Ratio huius est quòd Scriptura, ad confirmandam fidem populi Dei, non hoc agit vt quæ fuerit Dauidis erga Deum fidei obstrictio (de quo tamen nihil est dubitationis animis piis, quin Deo fuerit fidelissimus) sed vt quæ sit Dei erga electos suos ad populum fœderis fidei firmitas, non simpliciter promissa, sed interposito etiam iuramẽto corroborata, animis nostris non solùm proponat, sed penitus inculcet. *Seruo meo.* Cauendum est ne serui nomine intelligamus Dauidem quicquam suis obsequiis fuisse promeritum: sed regiæ dignitatis intuitu vocatur Dei minister, quia non se temere ingessit, sed vocatione legitima fretus imperium sibi diuinitus oblatum recepit. Docet etiam hic locus, reges seruos esse Dei. Est enim regnum nõ hominis alicuius, sed Dei. Domini est regnum (inquit Propheta) & ipse dominabitur gentibus, Suprà, 22. g. 29. Neque enim Israelis tantũ, sed & reliquarũ gẽtium rex est, vnde rex seruus Dei vocatur, Ierem. 25. b. 9. Ipse siquidem dat reges, & rursus adimit, mutat ac transfert regna, & corda regum tenet in manu sua habet. vnde haud immeritò serui illius vocantur. Neque tamen ideo contemnendi sunt reges quòd Dei serui sint, sed ob hoc ipsum magis sunt honorandi, sicuti hortatur Petrus, dicens, Deum timete, regem honorate, 1. Petri 2. c. 17.

4 *Vsque in æternum stabiliam semen tuum, & ædificabo in ætatem & ætatem solium tuum.*

Vsque in æternum stabiliam. [V]Vel, præparabo, confirmabo. [H]Pollicetur hic Deus stabilitatem seminis Dauidi seruo suo. Ista autem stabilitas, non simplex quædam diuturnitas est, sed & immota rerũ prosperitas, quam solus Deus verè polliceri & præstare potest. *Et ædificabo in ætatem solium tuum.* [V]Vel, sedem tuam. Sedis dictione regnum in Scripturis intelligitur. [H]Pollicetur ergo Deus se regnum Dauidis ædificaturum, vt agnoscamus regnorum ædificationem extra humanam esse industriã, copiam, & potentiam, & in solius Dei manu. [C]Cæterùm ex ipsa fœderis summa colligimus, Prophetam non frustrà in vsum suum & totius populi illud accommodasse: quia non pepigit Deus priuatim cum Dauide, sed totum Ecclesiæ corpus in futuras ætates respexit. Etsi enim de Solomone & reliquis successoribus aliqua ex parte intelligi hoc debet, Stabiliam solium tuum in æternum: sciebat tamen Propheta solidam perpetuitatem non posse nisi in Christo reperiri. Et certè regem vnum creando, non vnius tantùm familiæ Deus respectum habuerat, posthabito & neglecto populo, cum quo fœdus ante pepigerat in manu Abrahæ: sed detulit imperiũ Dauidi eiusque filiis, vt præessent in communem omniũ salutẽ, donec Christi aduentu solium verè stabiliretur. [A]Quod mysterium vt diligenter consideremus, Vates Selah adscribere voluit.

6 *Et celebrabunt cæli miraculum tuum Iehoua, etiam veritatem tuam in cœtu sanctorum.*

Et celebrabunt cæli miraculum. [V]Vel, Celebrant autem cæli miraculum tuum. Ad verbum, Et celebrabunt, Vel, confitebũtur cæli mirabile tuum. [C]Miraculum pro Dei potentia sumitur, quam exerit in conseruatione suæ Ecclesiæ. Et cælorum nomine Angelos intelligit Vates, quia illis in salute Ecclesiæ communis est lætitia & gratulatio. Hic ergo Propheta non alio fine disserit de admirabili Dei potentia, nisi quo melius illustretur sanctitas fœderis. Exclamat enim hunc esse Deum qui iure colendus sit ac metuendus, cui sit habenda fides, cuius virtuti secure inniti liceat. *Etiam veritatem tuam in cœtu sanctorum.* [C]Hoc proximam expositionem confirmat. Neque enim dubium est, quin Propheta eandem sententiã hic contioue, & veritatis nomine insignis præclaras liberationes, quib' Deus fidem seruis suis datam præstiterat. [V]Ergo vtrosque fidei & potẽtiæ suæ testes adhibet Dominus Angelos & sanctos, dum Ecclesiam suam conseruat: sicuti bonitatem suam per singulas Ecclesiæ partes effundit, sursum & deorsum incipiens ab Angelis, & desinens in hominibus: ita etiam Angeli & homines vno consensu prædicant gratiam eius.

7 *Quia quis in nubibus æquabitur Iehouæ, similis erit Iehouæ in filiis deorum?*

Quia quis in nubibus. [H]Reddit hic rationem eius quod versu præcedenti mirabilia & veritatem Dei cùm à beatis spiritibus in cælis, tum à sanctis in Ecclesia celebrari dixit. Ea est, quòd nec in cælis quisquam, nec in terris sit qui domino possit adæquari. [C]Nubes autem vel cælum exprimit: quia mirum non est in terra nihil inueniri quod ad Dei gloriam accedat. Nam etsi excellit homo præ aliis animantibus, videmus tamen quàm misera sit abiectáque eius conditio: imò quam plena ignominiæ & probri. Vnde sequitur, sub cælo nullam excellentiam Deo æmulam esse, sed dum in cælos conscendimus, admiratione rapti fingimus deorum turbam, quæ veram deitatem abolet. [H]Resipit autem magni animi, déque excellentia Dei semper omnia quàm certissimè persuasi, ideóque & confidentis affectum, quòd non simpliciter dicit, Quoniam nullus est in nubibus qui Domino adæquetur: sed per interrogationis figuram instat & vrget, dicens, Quia quis in nubibus æquabitur Domino? *Similis erit Iehouæ in filiis deorum?* [C]Hoc membrum superius exponit. Nam quòd per nubes vel cælos quidã intelligunt solem, lunam & stellas, ipso contextu refellitur. Summa ergo est, etiam in cælis ipsis vnicum Deum eminere absque socio. Et Angelos quidem vocat filios deorũ: quia nec originem ex terra traxerunt, neque corruptibili corpore sunt vestiti, sed cælestes sunt spiritus, diuina præditi gloria. Non quòd pars sint essentiæ Dei, (sicuti somniant fanatici homines) sed quia in ipsis potentiam suam Deus exerit, hoc elogio eorum natura à nostra distinguitur. Summa est igitur, quamuis in Angelis refulgeat maior dignitas quàm in aliis creaturis, quæ etiam in sui admirationem nos rapit: non tamen appropinquare Deo, vt sua eminentia eum obscurent, vel imperium obtineant cum eo commune. Quod diligenter notandum est: quia vtcunque Deus passim Angelos pronunciet sibi esse ministros & paratos ad obsequium, mundus tamen vnico Deo non contentus, multas sibi deitates fabricat, [A]idque non sine magna sacri numinis contumelia.

8 *Deus terribilis in cœtu sanctorum valde, & metuendus super omnes qui in circuitu eius sunt.*

Deus terribilis in cœtu sanctorum. [V]Vel, Plurimum formidãdus, metuendus. [H]q. d. Par est vt qui omnes cælorum incolas gloriæ ac potentiæ suæ maiestate excellit, ab omnibus metuendus contineat, simul etiam terribilis sit, & magnus, ac tremendus omnibus. Nec verò dubium est Prophetam per cœtum sanctorum, cælestem illam beatorum spirituum congregationem intelligere, quòd illa à cognitione & commercio eorum qui adhuc in terris agunt, separata sit. [C]Vnde & diabolicam illam superstitionem corrigit, ad quam propensi sunt fere omnes, quum Angelos sine modo & ratione extollunt. Atqui si ipsi quoque Angeli trepident & expauescunt coram Dei maiestate, quomodo non cogentur in ordinem, vt solus Deus in solidum regnet? *Qui in circuitu eius sunt.* [C]Intelligit Angelus instar satellitum circundare solium Dei, præstóque semper adesse ad subeunda iussa, sicuti habetur, Infrà, 103.d. 20. [H]Sumpta est hæc similitudo à rege quodam, circa quem satellitum ac ministrorum sit multitudo, quibus omnibus sit tremendus.

9 *Iehoua Deus exercituum, quis sicut tu fortis Deus? & veritas tua per circuitus tuos.*

Iehoua Deus exercituum, quis. [C]Idem denuo repetit, vt metu saltem territi discamus non spoliare eum debito honore. [A]Nam Deum exercituum vocat, vt intelligamus satis illi esse potentiæ ad honorem suum asserendum. *Et veritas tua per circuitus tuos.* [C]Ne nimis nos absterreat, aliquid dulcedinis admiscet, veritatem eius per omnes circuitus spectari prædicans: acsi diceret, Deum semper constare suis promissis, & quicquid mutationum accidat, manere tamen à tergo & fronte, à dextra & sinistra veracem. [I]Nam quemadmodum mundi huius tyrannis, impietate, auaritia, Dei contemptu, & superbia, tanquam satellitibus, armata incedit: ita Deus maiestate, fide, misericordia ac æqua in suos omnes dilectione, tanquam vestitu deaurato circundatus, suo in excelso solio sedet.

10 *Tu dominaris superbiæ maris: dum attolluntur fluctus eius, tu compescis eos.*

Tu dominaris superbiæ maris. [B]Iam describit Vates potentiam & bonitatem Dei in liberatione & deductione Israelis per mare rubrum, & Ægyptiorum extinctione insigniter declaratam. [A]Sunt tamen qui generaliter hoc dictum volunt de eo quòd Deus maris fluctus quoties libet compescit, sed Propheta hoc & sequenti versu miraculũ illud attingit, quo primùm Deus, dissecto mari rubro, populum suum traduxit, & ab Ægyptiorum persecutione eripuit: deinde rursus coadunato, Pharaonem cum omni suo exercitu disiecit, & vndis oppressit.

11 *Tu afflixisti sicut vulneratum Ægyptum, in brachio fortitudinis tuæ dispersisti inimicos tuos.*

Tu afflixisti sicut vulneratum Ægyptum. [V]Vel, Tu confregisti tanquam vulneratum Ægyptum. Vel, Tu contriuisti ceu interemptum. sub. gladio. Vel, vsque ad internecionem. [C]Dicit terram Ægypti instar hominis occisi fuisse prostratam, quibus verbis Dei gratiam in liberanda Ecclesia commendat. Neque enim dubium est quin sibi & aliis proposuerit paternum Dei amorem, quo liberius ad eum confugeret. *In brachio fortitudinis tuæ.* [V]Brachium fortitudinis phrasi Hebraica significat brachium forte & robustum. [C]Propheta itáque Deum hic prædicans brachio suo forti contriuisse hostes, ab experimentali notitia colligit, quoties visum fuerit, idem semper facturum. [H]Notandum & illud, aduersarios Israelis vocari hostes Dei, vt intelligamus hostes Ecclesiæ esse Dei inimicos. Quod si impii in Deum, & hostes populi Dei, sunt inimici Dei, quid aliud expectandum illis est quàm vt dissipentur ac pereant?

12 *Tui sunt cæli, etiam tua est terra, orbem & plenitudinem eius tu formasti.*

Tui sunt cæli. [B]Canit omnia à Deo condita, & in eius solius potestate contineri. [C]Atque tertiò repetit, Deum, qui electi populi sui liberator, imperio suo regere totum orbem. Nã ex

creatione colligit Deum actualiter moderari quicquid in cælo & terra agitur, quia absurdum esset cælos à Deo creatos sursum deorsum volui, & res hominum arbitrio, vel temere & casu misceri in terra, quia proprium Dei est tueri & gubernare quicquid condidit, ne enim profanis hominibus imaginemur pulcherrimi huius theatri conspectu otiosum frui. *Orbem & plenitudinem eius tu formasti.* Vel, fundasti. [y] Ad verbum, fundasti eos. Redundat pronomen, nisi vertas, Orbis & plenitudo eius, tu fundasti ea, nempe cælum, terram, & plenitudinem eorum. [z] Ergo agnoscamus, Deũ non Angelorũ modo, sed & nostrũ dominũ esse, cuius sumus & nos & quæ possidemus omnia. Permulti sunt qui non Deo, sed sibiipsis eorum quæ possident dominium liberum vendicant. Et ne id abs re videantur asserere, obiiciunt illud, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum, (Infrà, 115.c.16.) acsi resignato terræ dominio, Deus liberam nobis in omnia potestatem dederit, sibique solùm cœlestia retinuerit: nec referas quomodo in hac terra, quã ille dedit, viuamus, rebúsque terrenis vtamur. Atqui Propheta non dicit terram esse filiorum hominũ, sed datam filiis hominum, nempe ad habitandum, sicuti Scriptura testatur Gen. 1.d.28, &. Act.17.f.26.

13 *Aquilonem & Meridiem tu creasti: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.*

Aquilonem & Meridiem. [y] Ad verbum, Et dextram, id est, Meridiem, quod versis ad orientem sit Meridies ad dextram. *Thabor & Hermon.* [c] Propheta sermonem suum accõmodat ad sensũ vulgi. Thabor est mons in occidente, Hermon in oriente: vnde pro illis partibus accipit Chaldæus Paraphrastes. Superiori versu dixit totum mundum subesse Dei imperio, quia ab ipso creatus est: isto autẽ versu confirmat eandẽ sententiã: acsi diceret, Domine, tu creasti omnes mundi partes, quas necesse est sustineri tua virtute, vnde etiam nulla mũdi pars est, quæ te opificem suum non reuereatur, atque obseruet. *Exultabunt.* [c] vel (vt quidam vertunt) Exultant. volunt enim futurum esse pro præsenti.

14 *Tibi brachium cum potentia: roborabis manum tuam, attolles dexteram tuam.*

Tibi brachium cum potentia. [m] Iterum Deum laudat ab illius potentia, quam magnificè ac multis modis declarauit, ac perpetuò declarat. [c] Debet autem versus iste simul contexi, quòd brachium Dei instructum sit potentia, manus eius robore, & dextra eius summam celsitudinem obtineat. *Roborabis manum tuam.* [y] Vel, Robusta est manus tua. Istud declarat priorem partem versus. *Attolles dexteram tuam.* [m] Vel, Attollis dexterã tuã. Non simpliciter dicit, Potens es ac robustus, sed brachii, manus, ac dexteræ meminit, vt ad opera potẽtiæ Dei respicere significet. Sicut enim gigantis robur brachio ac dextera declaratur, ita & Dei potentia in ipsius operibus exprimitur ac manifestatur. Manum firmare, ac dexteram attollere est fortia ac sublimia opera perficere: quibus quanta sit & quàm excellens Dei potentia conspicuum reddatur. [y] Quidam vertunt, Robora manum tuam, & eleua dexteram tuam. sed remotum hoc est à mente Prophetæ, qui simpliciter ad pios omnes animandos inæstimabilem Dei fortitudinem celebrat. [m] Terrent nos potentes huius seculi, qui in sublimitate sunt constituti, ideóque velut ex alto in miseros detonant ac fulminant. At brachium Deo est tam robustum vt potentes conterat, támque excelsum vt sublimes de sedibus suis deturbet.

15 *Iustitia & iudicium locus solii tui, clementia & veritas præcedent faciem tuam.*

Iustitia & iudicium locus solii tui. [y] Vel, basis, vel habitaculum solii tui, id est, locus paratus solio tuo. [a] q.d. Solium tuum in media iustitia & æquitate situm est: omnia ex iustitia & æquitate per te administrantur. [c] Plus valent hæc elogia ad spei confirmationem, quàm si in medium proposita esset sola Dei fortitudo. Et quoties fit Dei mentio, ad has præcipuè virtutes, quæ fidem ædificant, mentes intendere conuenit: ne frustra euanescamus in argutis speculationibus: quibus dum se oblectant stulti homines non tenent quid sit Deus. *Clementia & veritas præcedent faciem tuam.* [y] Alludit Propheta ad regum insignia, vel pompas: habent solium, vt emineant supra alios: deinde habẽt apparitores. Dicit autem Deum non auro, nec gẽmis, nec purpura, nec diademate, nec aliis insignibus ostendere suam magnitudinem, sed velle esse conspicuum in iustitia, in veritate, in iudicio, & clementia. [c] Nam quia terrenis regibus non suppetit intrinseca dignitas, aliunde eam mutuantur. Deus autem, qui se vno contẽtus nullis adminiculis indiget, splendorẽ imaginis suæ in iustitia, bonitate, & veritate sua nobis proponit. [m] Ergo regnũ Dei sedem suam non in tyrannide sed iustitia, iudicio, clementia ac veritate fixam habet. Proinde non dubitent pii causas suas Domino committere, cuius sedes iustitia & iudicio obfirmata, omnia in iudicium vocabit, tandémque reprobos cunctos pessumdabit, & insontes tuebitur.

16 *Beatus populus qui nouit iubilationem, Iehoua in splendore vultus tui ambulabunt.*

Beatus populus qui nouit iubilationem. [a] Vel, clangorem. Quidã, Fœlicitas populo qui norunt iubilationem. [m] Celebrat hoc versu & tribus sequẽtibus fœlicitatem populi Dei, [c] & prosequitur quod de Ecclesia attigeras, non modò quia ad intuitum operum Dei cæcutiunt increduli, sed quia Prophetæ non aliud quàm piis bonam spem dare propositum est, vt securè in Deũ recumbant, nullísque malis frangantur, quin eum intrepidè inuocent. Beatos autem esse dicit quibus datum est in Deo lætari: quia etsi Dei liberalitate communiter pascantur cuncti mortales, non tamen sensus paternæ eius bonitatis ad omnes peruenit, vt sibi propitium esse persuasi, de salute sibi gratulentur. Singulari itaque priuilegio dignatur suos electos, gustãdam illis bonitatem suam præbens, vt ad gaudium & iubilationem colligant animos. Et certè nihil miserius quàm incredulos bruto stupore calcare Dei beneficia quibus se ingurgitant: quia eo fœdior est eorum ingratitudo, quo largius eos Deus saginat. Hæc igitur vera fœlicitas, Dei bonitatem concipere, quæ animos nostros gaudio occupans, ad laudes & gratiarum actionem incitet. [b] Videtur autem Vates allusisse ad id, quod Dominus Legem daturus, præsentiã suam buccinarum clangore in monte Sinai declarauit, Exodi 19.c.13.16. 18. Vel ad eum clangorem de quo Moses scribit Numer. 10. a. 5.7. [m] Nam conuocabatur per hunc, iussu Dei, populus ad tabernaculum fœderis, mouebantur castra ad sonitum tubarum, in bello clangebant tubis ad excitandos populi animos, in diebus festis ad oblationes solennes adhibebatur clangor tubarum. Referebat hic clangor maiestatem regiam præsentis scilicet Dei. Sumitur itaque clangor iste seu iubilatio pro nota ac significatione diuinæ veluti regiæ maiestatis ac præsentia in medio populi sui constitutæ. Sic Bileam dicebat, Non est idolum, &c. & clangor regis, in eo. Numer. 23.e.21. *In splendore vultus tui ambulabunt.* [c] Vel, in lumine vultus tui ambulant. [s] Hoc est, aspirante illis tuo fauore, fœliciter in omnibus agent, vt semper eis sit quod de nomine tuo (id est virtute tantum rerum successum suppeditante) gaudeant, & freti tua iustitia (hoc est, tanta in ipsos bonitate) exaltentur, cunctis mortalibus modis omnibus supereminentes. [c] Probat ergo ab effectu, beatos esse qui læti & hilares Deum agnoscunt Patrem: quia non modò fruuntur eius beneficiis, sed fauore eius freti totum vitæ cursum tranquillis animis peragant. Hoc enim valet ambulare in lumine vultus eius, dum persuasi sumus peculiariter ab eo salutem nostram curari, eúmque excubias agere pro salute nostra, acquiescere in prouidentia eius. [m] Impii & increduli non ambulant in splendore vultus Dei, quia filii tenebrarum sunt, & in tenebris ambulantes, semper errant & impingunt. Tametsi enim in lumine mundi huius omnium prospersimè ambulare videntur, reuera tamen in mediis tenebris & erroribus volutantur: iden nunquam non miseri sunt & infœlices. [a] Vide Suprà, 4.b.7.

17 *In nomine tuo exultabũt quotidie, & in iustitia tua efferẽtur.*

In nomine tuo exultabunt. [m] Hoc est, summa lætitia afficientur, & gaudio pleno, exuberanti & perenni. Per nomen Dei intelligis vel fiduciam in nomen Dei, vel laudem ac celebritatẽ Dei. [a] Hoc enim verum & solidum gaudium est quod fiducia in Deum nititur. *Quotidie.* [c] Per hanc vocem notat Psaltes firmam & solidam continuationem, atque indirectè perstringit eorum arrogantiam, qui vento tantùm inflati, superbiendo in suis viribus, cornua in sublime tollunt. Nam vt male sunt fundati, tandem concidere necesse est. Vnde sequitur nullam esse veram magnanimitatem, nec vllam virtutem stare, nisi quæ vnius Dei gratiæ innititur: sicuti etiam magnificè Paulus se iactat, Si Deus pro nobis, quis præualebit cõtra nos? Rom.8.f.31. Et malis omnibus tam præsentibus quam futuris insultat. *Et in iustitia tua efferentur.* [y] Vel, exaltabunt se. Vel, exaltabuntur, attollentur. [m] Tribuitur hic fidelibus exaltatio, & iustitiæ nomine intelligitur bonitas, ac fides qua Deus suos tuetur & seruat. Per hanc exaltatur populus Dei, dum protegitur contra hostes, ac superior vbique redditur. [c] Summa est, satis & super in Deo reperire fideles quo exultẽt & glorientur.

18 *Quia gloria roboris eorum tu es, & in beneplacito tuo efferetur cornu nostrum.*

Quia gloria roboris eorum. Vel, Nam decus roboris eius tu. Alii, Quoniam gloria fortitudinis eorum tu es. Confirmat proximam sententiam quòd scilicet nunquam Deus fideles suos virtute destituat. Gloriam enim virtutis eorum vocans significat eos ita semper fulciri præsenti Dei auxilio, vt merito in ipso glorientur: vel (quòd idem valet) virtutem Dei in illis iuuandis ac sustinendis semper extare gloriosam. Quanquam interea monentur sui officii, vt quod stant salui & integri, laudem Deo referant. Quod si vere de præsenti vita dictum est, longè magis in spiritualem animæ vitam competit. *Et in beneplacito tuo.* Quidam, Et in voluntate tua. Alii, & pro beneuolentia tua exaltabis cornua nostra. Id est, vires nostras, nostram authoritatem, imperiúmque nostrum. Id enim hic significat cornu Hebræis. Sumpta est hæc vox ab animantibus cornutis, quorum robur ac defensio in cornibus est. Siquando nobis faueris (inquit) ac beneuolueris, cornu nostrum exaltatur, fortes sumus & erigimur: si non faueris, deprimimur. Quo itáque melius commendet Vates hanc Dei beneficentiam de qua loquutus est, simul docet à mero eius beneplacito pendere. Vnde sequitur in solidū deuinctos & astrictos esse Deo, qui sola liberalitate & gratuita ad prosequendum suum auxilium inducitur. Nam, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom. 11. d. 35.

19 *Quia Iehouæ clypeus noster, sancto Israelis rex noster*

Quia Iehouæ clypeus noster. Vel, à Iehoua est protectio nostra. Antecedens pro relatiuo. q. d. à te habemus qui nos protegat & regat, nempe regem. Nam quia in rege suum erat populi præsidium, specialiter admonet Propheta, hoc quoque Dei donum esse, quòd à rege ipso protegitur salus fidelium. Quanquam notandum est Prophetam non ita fuisse defixum in temporali & caduco regno, quin finem simul expenderet, sicuti mox videbimus. Sciebat enim nonnisi Christi respectu fauorem Dei à capite in totum Ecclesiæ corpus defluere. Ac primò quidem metaphoricè regem vocant clypeum, (sicuti hanc figuram Scriptura sæpe vsurpat) eius tamen manu & opera nonnisi diuinitus fatetur populum defendi. *Et sancto Israelis rex noster.* Idem hoc membro repetit quod prius, pronuntiās regem à Deo esse datum, qui populum gubernet: ideóque defensionem quæ à rege prouenit, Dei beneficium esse. Sanctum autem Israelis Deum vocat, id est, Israeli sanctè & vnicè colendum ac adorandum. Nihil igitur eorum quæ ad fœlicitatem faciunt, relinquit Propheta vel populo, vel regi, sed omnia Deo adscribit, significátque fœlicem quidem esse populum Dei, sed ita vt vniuersa illius fœlicitas à iustitia & beneuolentia Dei pendeat. Iam meminerimus, quod de vmbratili regno dicitur, propriè quadrare in Christi personam, qui nobis datus est à patre salutis custos, vt eius manu protegamur, quemadmodum ipsemet testatur, Iohan. 6. d. 39, & 10. e. 39, & 17. b. 12.

20 *Tunc loquutus es in visione mansuetis tuis, & dixisti, Posui adiutorium super fortem, exaltaui electum è populo:*

Tunc loquutus es in visione. Iam Propheta ad promissiones Dauidi factas descendit, & fusius explicat cur dixerit regem electi populi è cælo datum esse ad publicæ salutis conseruationem: quia scilicet neque suffragiis hominum fuit electus, neque sumpsit ipse sibi tyrannidem, vel malis artibus obrepsit: sed quia diuinitus electus erat publicæ salutis minister, sub eiusdem Dei auspiciis & ductu officio suo perfungi. Consilium enim Prophetæ est, (vt paulo post clarius videbimus) diuinum hunc regem à reliquis omnibus discernere. Nam etsi verè docet Paulus non esse potestatem nisi à Deo (Rom. 13. a. 1) longum tamen discrimen fuit inter Dauidem & terrenos omnes reges, qui humanis mediis imperium adepti sunt. Deus enim seruo suo Dauidi sceptrum de manu (quod aiunt) in manum tradiderat, eúmque sua authoritate locauerat in solio. Particula אז, (quæ propriè significat tunc) accipitur etiam pro olim. Sensus ergo est, Quum alii nascantur reges, qui hæreditario iura succedunt parentibus, alii eligantur, alii vi & manu potentiam sibi acquirant, Deum huius regni esse authorem, quia voce sua Dauidem elegit. Est itaque Prophetæ non modici momenti res, Deum loquutum esse, sed omnino maximi, vt qui sciat impossibile esse mentiri Deum, nec stare promissis. *In visione.* Aut per visionem. Scimus enim vnum hunc fuisse ex ordinariis modis quibus Dominus seruis suis, quid vellet patefaciebat, quemadmodum habetur, Numer. 12. b. 6. Vnde & Prophetæ, Videntes dicebantur, 1. Sam. 9. b. 9. 11, & alibi. *Mansuetis tuis.* Vel, sanctis tuis. Vel misericordibus tuis. Etsi Deus consilium suum de Dauidis electione patefecit Samueli, quia tamen plurali numero dicit Propheta, pluribus idem oraculum fuisse traditum, certò colligere licet plures fuisse testes adhibitos, qui vno cōsensu assererēt Dauidem fuisse diuinitus creatum Regem. Et certè, quum tūc alii Prophetæ floruerint, probabile non esset de re tanta fuisse celatos. Solus tamen nominatur Samuel, quia & præco fuit vaticinii, & minister vnctionis, sicuti videre licet, 1. Sam. 16. c. 11. 13. *Posui adiutorium super fortem.* Vel, auxilium in potente. Hebraismus est, pro, Constitui fortem quēdam qui futurus est auxilio populo meo. Nam mox initio oraculi sui Deus mentem suam aperit, ad quid populo regem præfecerit: ad hoc videlicet vt esset illi adiutorium. Dicere poterat, Posui regem potētem, si simpliciter regem dare voluisset: verùm quia talē elegerat qui populo suo adiutorii loco esset, dixit se adiutorium posuisse. Summa est, quòd Deus auxilio fortem vel robustū instruxerit quem elegerat, vt regno præficeret. *Super fortem.* Vel, super gigātem. Sic vocatur Dauid, non quod propria fortitudine excelleret (quando & exiguæ staturæ fuit, & inter fratres contemptibilis, vt eum Samuel quoque neglectū preteriret:) sed quia post electionem ornatus fuit noua virtute, & regiis aliis dotibus: sicuti quum Apostolos elegit Christus, non titulo duntaxat eos ornauit, sed simul contulit quæ ad munus exequendum erant necessaria. Et eandem hodie Spiritus gratiam in suis ministris exerit. Robur ergo Dauidis, cuius hic fit mētio electionis effectus fuit: quia Deus regem creando, virtute simul instruxit, quæ ad populi conseruationem sufficeret. *Exaltaui electum.* Notatur hic inuictæ fortitudinis origo, quia electum Deus è plebe extulerat. Sunt enim voces omnes emphaticæ: quia quum pronuntiat Deus se exaltasse, intelligitur humilis & abiecta conditio, in qua obscurus latebat Dauid antequam manum Deus porrigeret, & eum exaltaret. Adhæc, in voce electi nos ad suum arbitrium reuocat Deus: acsi vetaret aliam causam inuestigare quàm quod ita placuit. *E populo.* Et hæc particula gratiæ Dei amplitudinem cōmendat. Sensus enim est, ignobilem tunc & ex infima plebe fuisse Dauidem, & qui nihil eximium præ se ferret, quum vltimus esset in rustico tugurio, & inter pecuarios. Proinde qui ad exemplum hoc Dauidis, non de regio stemmate, sed de populo eliguntur, non obliuiscantur vnde sumpti sint, sed ad radicem, vnde ascenderunt, crebrò aspiciant, vt humilientur, ne populum, de quo sunt electi, contemnant. Talis ast omnino & perfectè principatus Christi, ad quem etiam oraculum hoc pertinet. Non enim electus est ex Angelis cœlestibus illis potentatibus, ac principatibus, sed de populo suo caro ex carne eius, & os ex ossibus alus, vt frater in fratres imperium obtineret.

21 *Inueni David seruum meum, oleo sanctitatis meæ unxi eum.*

Inueni Dauid. Nunc quis sit potens ille, atque à Deo electus exprimitur. Dauid nēpe Isai filius, in quo nihil regium fuit, nisi quatenus anteuertit eum Deus sua gratia. Nam verè illum inuenit Deus, vt vocatio illis ex electione fuisse dicatur non ex merito. Quid puer ille & pastor & pene à patre abiectus commeruit vnquam, vt rex à Deo institui perongique debuisset? gratis ergo assumptus fuit & à Deo inuentus. *Seruum meum.* Nomen Serui non meritum aliquod notat, sed ad vocationem refertur, acsi sanciret Deus sua authoritate suum imperium: quia si Deo probatur, legitimum esse dubium non est. Vide versum huius Psalmi quartum. *Oleo sanctitatis meæ.* Hebraismus, pro, Oleo sancto meo. Hoc est, Regem constitui eum, Euexi eum in regiam maiestatem. Iterum gratuita electio his verbis confirmatur: quia vnctio quam Dauid ipse non quæsiuit propria industria, sed præter spem adeptus est, honoris causa fuit. Quia ergo sponte & mero suo beneplacito Dauidi occurrit Deus, vt in manu Samuelis in regem vngeret, meritò pronūtiat se illū inuenisse. Porro in eo quòd oleū quo vnctus est Dauid vocatur oleum sanctum, oleum Dei, & opus vnctionis non homini sed Deo tribuitur, admonemur quid de symbolicis & sacramētalibus cùm elementis tum externonis sentiendum sit. Aqua baptismi sancta est ac Dei aqua, & ipse baptismus non hominis, sed Dei opus. Sic panis & vinum in Cœna sancta sunt elementa, & illorum distributio non hominis alicuius, sed Ipsius Domini opus. Is enim ast qui ista nobis verbo suo sanctificauit, & dispensationē illorum per ministros suos exequitur.

22 *Ideo manus mea stabilietur cum eo, atque brachium meum roborabit eum.*

Ideo manus mea stabilietur cum eo. Vel, Cum quo manus mea stabilis erit. Id est, firma & perpetua erit: q. d. Nunquam destituam eum auxilio meo. Alii vertunt, Quis est is cum quo manus mea directa erit? Significat his verbis Deus custodem se fore huius regni, cuius author est: sicuti nō debet inchoata opera sua deserere, sed cōtinuo progressu perducere ad suū finē. Sicuti etiā habetur Infrà, 138. b. 8. Cæterùm qualē opem Do-

minus seruo suo Dauidi præstiterit, testis est sacra historia, 1. Sa. 18. f. 25, & 2. Sam. 5. e. 10, & 8. a. 2. *Vtique brachium meum roborabit eum.* [V] Vel, Etiam brachium meum. [M] Hoc amplificationis gratia additum est. q. d. Non tantùm manus mea stabilietur cum eo, sed totum brachium meum paratum illi erit, ac eum corroborabit. Sumitur autem brachii dictio pro potentia & robore, ad similitudinem gigantis, cuius brachium videtur esse inuictum. Vnde etiam admonemur non leue esse seruis Dei paratum auxiliũ, sed omnino forte ac robustum, plenum ac perfectum.

23 *Non erit exactor inimicus in eum, nec filius iniquitatis affliget eum.*

Non erit exactor inimicus. [V] Vel, Non exiget inimicus ab eo, sub. tributa, tanquam exactor, aut fœnerator. Alii vertunt, Non violentus esse poterit contra eum hostis. Alii, Non seducet eum inimicus, non imponet ei hostis. Sed exigẽdi verbum melius conuenit. [C] Nam Propheta nominatim exprimit, quamuis hostibus non careat Dauid, præsto fore Dei virtutẽ, ad eum tuẽdum ne iniusta violentia prematur. Negat igitur Dauidem fore hostibus tributarium: sicuti qui bello deuictus est, cogitur subire iniquas victoris leges. [M] Sunt qui hostem hunc Saulem intelligunt, à quo Dauid Dei beneficio non semel ereptus fuit: sed ad vniuersos Dauidis inimicos aptius refertur, vt singulare positum sit pro plurali. *Nec filius iniquitatis affliget eum.* [M] Hoc est, filii iniquitatis, seu insigniter iniqui, vt vel ex ipsa iniquitate vel ad illam nati videantur. [C] Tacitè autẽ ostendit hæc appellatio innoxium fore dominationis genus, quod nemo absque iniuria & scelere euertere tentabit. Summa est, Dauidem eiusque posteros Dei præsidio tutos fore, & probè munitos, ne hostium libidini sint expositi. Iam quòd pessumdari regnum passus est Deus, vt Dauidis successores exteris & profanis regibus graue tributum pendere coacti sint, cum hac promissione non pugnat: quia satis fuit, accisis regni opibus, manere tamen radicem vsquedum prodiret Christus, in cuius demum manu stabile fuit regnum. Nam quum tantam Dei benedictionem tam rex quàm populus impiè abiicerent, eorum culpa sæpe concussum regnum fuit: deinde imminutum & tandem collapsum. neque tamẽ destitit interea Deus, vt oraculum sanciret de regni perpetuitate, cum illorum ingratitudine certando, spem aliquam fouere & tueri. Adde quòd, osores & oppressores Dauidis nominando, admonet, hoc soliũ non fore immune ab incommodis & molestiis: quia semper aliqui infesti erunt, nisi se Deus opponat.

24 *Et conteram à facie eius oppressores eius, & qui oderunt eum percutiam.*

Et conteram à facie eius. [V] Vel, Nam conteram. Ad verbum, Et contundam, Vel, concutiam. [M] q. d. Non patiar vt hostes eum apprehendãt, sed antequam pertingant ad eum, conteram eos. *Et qui oderunt.* [A] Hoc est, Inimicus ero inimicis eius, & de eis grauissimam vltionem sumam.

25 *Et veritas mea & clementia mea cum eo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.*

Et veritas mea & clementia. [A] Vel, Fides mea & bonitas mea cum ipso. [C] Docet continuũ eius gratiæ, quam initio Dauidi ostendit, tenorem fore. tantundem enim valent hæc verba acsi dixisset, vt se veracem præstet, fore semper beneficum. Ita videmus, non modò à principio Deum exhibuisse bonitatis suæ specimen in Dauide, sed eandem clementiam fuisse prosequutum: quod ad totam Christi Ecclesiam spectat, vt in toto salutis nostræ cursu appareat Dei bonitas, non tantùm in vestibulo, sicut nugantur Sophistæ. *Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* [C] Cornu hoc loco, vt & aliis, pro gloria, dignitate & potentia sumitur. Ideóque sensus est, Dei beneficio prosperum semper & florentem fore regni statũ. [M] Acsi Dominus diceret, Propter me, propter nomen meũ, propter gloriam nominis mei, efficiã vt regnũ Dauidis non sit humile & abiectum, sed sublime. Nã regnũ eius meũ est, & nomini meo subiectũ, ideóque propter nomẽ meum illustrandum & glorificandum, exaltabitur cornu Dauidis vncti mei.

26 *Et statuam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.*

Et statuam in mari manum. [V] Id est, Subiiciam potentiæ eius mare, & flumina imperio eius: multo magis terrã illis minorem. Vel, Protendam potestatem eius vsque ad mare. Laudat regnũ Dauidis ab amplitudine. [C] Nam quia populus suis sceleribus viã præcluserat Dei benedictioni, restrictior fuerat eius hæreditas, quàm ferebat promissio. Nunc pronunciat Deus sub Dauide rursus propagatum iri, vt totam regionem à mari vsque ad Euphratẽ populus occupet. Vnde colligimus nonnisi in Dauidis persona fuisse completum quod per Mosen Deus fuerat pollicitus, Exodi 23. g. 31 & Deut. 11. e. 24. Vide item Iosua, 1. a. 3. 4. *Et in fluminibus.* [C] Per fluuios tam solum Euphratem intelligere licet, (qui in multos alueos scinditur) quàm vicina etiam flumina à parte Syriæ. [M] Vide quomodo impletum hoc fuerit tempore Dauidis, 2. Samuel. 8. d. 14. *Dexteram eius.* Quòd manus ac dexteræ meminit, de potentia quidem regni intelligendum est: sed ea quæ belli iure contigerit, quo dominatus est cùm Philisthæis ad mare, tum Syris in Mesopotamia. Per manum intellige sinistram, & finge te imaginem Dauidis armati ita videre collocatam, vt læua Philisthæos, dextera Syros apprehenderit. Videmus etiam hoc loco coniungi manum Dei cum manu Dauidis. Nam dilatauit vncto suo regnum Deus & promissa sua adimpleuit, sed per manus Dauidis, quas, sicut alibi dicit, ad prælium direxit. Non igitur otiosis manus Dei.

27 *Ipse clamabit ad me, Pater meus es, Deus meus, rupes salutis meæ.*

Ipse clamabit ad me. [M] Quidã, Ipse inuocabit me. [C] Præcipuam regis huius præstantiam in eo fore memorat quòd filius Dei censebitur. Etsi autem quoscunque Deus constituit reges, eodẽ honore dignatur, (sicuti alibi vidimus, Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes, Suprà, 82. b. 6) hic tamen singulare aliquid de sacro & à se electo rege pronuntiat, & alio modo sibi in filium fore intelligit. Et paulo post videbimus altiore in gradu locari quàm terrenos reges, quamuis latius dominentur. Hæc igitur vnius tãtum regis in mundo prærogatiua fuit, filium Dei vocari. Alioqui non frigidè modò sed absurdè ratiocinatus esset Apostolus, Christum contendens superiorem esse Angelis, quia dictum est, Ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, Heb. 1. b. 5. Ergo quamuis tam Angeli, quàm reges, quicunque regeniti sunt adoptionis Spiritu, filii vocentur, eximitur tamen Dauid insigni prærogatiua à communi omnium ordine, quum Deus promisit sibi fore filium. *Rupes salutis meæ.* [V] Vel, opis meæ, id est auxilium meum inseparabile.

28 *Ego etiam primogenitum ponam eum, excelsum præ regibus terræ.*

Ego etiam primogenitum. [C] Dauidem primogenitum appellat, eoquòd eminet super omnes reges terræ: qui honor tam omni humana dignitate, quàm Angelica excellentior est. Siquis obiiciat, vnum ex grege mortalium non fuisse æqualem Angelis: solutio facilis est, Si in se reputetur, non posse in tam sublimem gradum iure efferri: sed quatenus Christi personam ad tempus sustinuit. *Excelsum præ regibus terræ.* [V] Vel excelsiorem regibus. Nam ל, vim habet comparandi, acsi dixisset, Excelsũ super omnes reges terræ. [A] Hoc autem verè in Christum competit. [M] Ipse siquidem is est filius Dei, qui verè ac perfectè pios, Deum patrem inuocauit & coluit, quem & pater vicissim Christum ac dominum fecit, Act. 2. f. 36. & celsiorem cunctis regibus terræ. [?] Regnum enim illius vt de hoc mũdo non est, sed cæleste ac spirituale: ita certè omnia mundi regna excellit: nec excellit modò, sed & imperium in illa obtinet. quapropter reges etiam admonentur vt illi seruiant ac subiiciantur, nisi velint iram Dei aduersus se accendere, Suprà, 2. c. 10. 11.

29 *Et in seculum seruabo illi misericordiam meam, & fœdus meum firmum erit ei.*

Et in seculum seruabo illi. [V] Æternum, inquit, volo illius esse regnũ, æternámq; in regno misericordiam, & pactũ tandẽ. Hoc est, quicquid sum illi pollicitus, inuiolabili à me seruabitur fide. [C] Sæpius inculcat Deus, hac lege erectum à se fuisse regnum Dauidis, vt in finem vsque stabiliatur. *Et fœdus meum firmum erit ei.* [M] Dixerat versu quarto, Pepigi fœdus cum electo meo: nunc certum illud ac firmum fore promittit. [C] Porro clementiam seu misericordiam priore loco ponens, deinde addens fœdus, causam fœderis designat: acsi vno verbo diceret esse gratuitum, nec modò fundatum esse in gratia, sed in eadem quoque persistere: quia huc redit summa verborum, Deum misericordem semper fore erga Dauidem, ne vnquam fœdus intereat. Vnde sequitur, eius firmitatem in mero Dei beneplacito consistere.

30 *Et statuam in perpetuum semen eius, & solium eius quasi dies cælorum.*

Et statuam in perpetuum semen. [M] Repetit quod versu huius Psalmi quarto promiserat Deus: Vsque in seculum stabiliam semen tuum, & ædificabo in generatione & generatione thronum tuum. [C] Atque ita veritatis suæ effectum Dominus exprimit, qua semper manebit Dauidis posteritas in regio solio. *Et solium eius quasi dies cælorum.* [V] Per dies cæli intelligit ætatem regni cælestis. Neque enim de cælis intelligit, qui etiam sunt corruptibiles. Est autẽ ætas illa perpetua, quia non numeratur

per annos, vel secula, sed est quiddam perpetuum quod initio caruit, nec etiam finem habet. In summa per dies cælorum æternam durationem intelligit. Vnde sequitur non posse cõstare huius vaticinii effectum donec ad Christum ventum fuerit, in quo solo demum reperietur ista æternitas. Qua de re vide Esa.9.b.7, & Luc.1.d.33.

31 *Si deseruerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint.*

Si deseruerint filii eius. Quoniam, dum perpetuitatem bonitatis ac fidei suæ, fœderis etiam ac regni Dauidi & semini eius pollicetur, futurum esse occurrit vt posteri Dauidis paternæ fidei non respondeant, sed legem suam, iudicia, statuta & mandata transgrediendo præuaricentur, ostendit Propheta Deũ tamen pollicitum fuisse se illis fore placabilem, ne summo iure exigeret vindictam de eorum transgressionibus. Et quo efficacior sit promissio, Deum semper loquentem inducit, ac si ex conceptis pacti verbis cum eis ageret. Fuit autem valde necessaria additio: quia nisi pro immensa sua indulgentia nobis Deus ignoscat (vt lubrici sumus, atque ad continuos lapsus procliues,) nullum eius nobiscum fœdus ratum vel firmum erit. Quia ergo videbat Deus fieri aliter non posse quin posteri Dauidis, quantum in ipsis erat, sua culpa subinde excideret à fœdere, exceptionem hanc remedii loco addidit. Cæterùm quia vtile est hominibus castigari Dei ferulis, non promittit Deus impunitatem qua alantur peccata, sed paternam moderationem in pœnis, vt vindictam summo iure non exigat. neque tamen leuibus solùm delictis promittit veniam, sed peccatis quoque atrocibus. Neque enim temere has loquendi formas vsurpat, Legẽ relinquere, Profanare statuta, Non ambulare in iudiciis, Præcepta non seruare. Neque temere transgressionem vel perfidiam & iniquitatem ponit. Ergo tolerantia Dei & lenitas, qua sibi reconciliat posteros Dauidis, vsque ad grauissima scelera extenditur. *Filii eius.* Filios Dauidis, posteros eius vocat, quibus regni sedem deputauit. Non loquitur de peccatis populi, quorum in hac causa non habetur respectus: sed de trãsgressionibus regum, filiorum Dauidis, quibus regia sedes meritò propter diuinæ legis præuaricationem adimi poterat. *Legem meam.* Id est, doctrinam & instructionem. Sic autem totam Legem vocat in genere. *Et in iudiciis meis non ambulauerint.* Quidam iudiciorum nomine præcepta significari dicunt, quorum vi peccantibus pœna, bene agentibus præmium constituitur. Vnde & iudices dicuntur in Scripturis, quibus iudiciorum Dei exequutio demandata est. Hoc est, quorum partes sunt, bonos tueri, improbos verò suppliciis afficere.

32 *Si edicta mea profanauerint, & præcepta mea non custodierint:*

Si edicta mea profanauerint. Vel, si statuta mea. Voce Hebræa חקת ea statuta vocantur quæ ritus ac cæremonias præscribũt, vtpote de sacerdotio, cultu, oblationibus, circuncisione, sabbatis, neomeniis, diebus festis, purificationibus, &c. Profanantur hæc statuta, quando vel temere, sine debita religione, vel pietate, vel à quibuslibet sine discrimine, vel pretio perficiuntur, vel traditionibus humanis adulterantur & corrumpuntur. *Et præcepta mea non custodierint.* Vel, mandata mea, quæ scilicet de timendo ac diligendo Deo, Legisque illius obseruantia & custodia mandant. Comprehenduntur his vocabulis quæcunque Deus suo populo præcepit. Ostendit porrò hic locus, dum cooptãtur homines à Deo, non protinus exuere carnem suam cum vitiis: sicuti somniant fanatici homines, simulac inserimur in corpus Christi, debere aboleri quicquid in nobis est corruptelæ. Vtinam quidem possemus repente mutare ingenium, vt vigeret in nobis ista, quam requirunt, Angelica perfectio: sed quoniam procul ab ea nos distare palàm est, quandiu circunferimus hanc carnem, diabolico illo figmento valere iusso, confugiamus omnes ad commune veniæ asylum. Nam certè de Ecclesiæ suæ domesticis Deus loquitur, vbi veniam eorum sceleribus promittẽs, reos fore defectionis pronuntiat.

33 *Tunc visitabo in virga transgressionem eorum, & in plagis iniquitatem eorum.*

Tunc visitabo in virga. Ad verbum, Et visitabo. Et, pro Tunc. *In virga.* Per virgam castigationem paternam intelligit, quæ scilicet virga fieri solet. Scriptura alibi vocat hanc castigationẽ virgã & plagas filiorũ hominũ, 2.Sam.7.b.19, Id est, quæ filius hominũ cõpetãt, sicut virga seruorũ, qua serui emẽdantur. *Et in plagis.* Quidã, Et in verberibus. Rẽ eandẽ bis dicit aliis verbis. Nihil est enim aliud virga quàm verbera. *Iniquitatem eorũ.* Videmus hic Deũ nõ loqui de trãsgressionibus quæ ex carnis infirmitate veniunt, ideóque quotidianæ sunt etiã apud piòs sed de illis quæ ex iniquitate proficiscuntur, id est, quibus iniquitas adscribi poterit.

34 *Sed clementiam meam non auferam ab eo, & non mentiar in veritate mea.*

Sed clementiam meam non auferam. Iam bonitatem suam & misericordiam resipiscentibus pollicetur. q.d. Non fraudabo eos clementia qui sic exorbitãrint, sed clementer cum eis agam: ac eos velut oues à pastore errantes reducam, paternoque fauore prosequar. Iam quod hic dicitur, ad veterem populum restringere, non modò insulsum est, sed prorsus impium. Primùm, illud quod iam sæpius visum est pro confesso sumimus, erectum fuisse vmbratile regnum, in quo Mediatorem Deus Ecclesiæ suæ proponeret. idque non modò probatur Christi & Apostolorum testimoniis, sed ex re ipsa certò apertéque colligitur. Nam Christo remoto, vbi illa solis æternitas cuius fit mentio? Secundus enim Dauidis successor maxima imperii parte spoliatus, vix tribum vnam & dimidiam ex duodecim retinuit. Iam quot postea cladibus deforme fuit exiguum illud regnum, donec tandem rex totúsque populus cũ summo dedecore & contumelia in exiliũ tracti sunt? Qualis verò solis dignitas fuit quum rex ingularis in conspectu filiis, capitale subiit iudicium? 2.Reg.25.b.7. Quòd deinde precariò Iudæis habitare in patria licuit, hoc fuit sine regni honore & titulo. Itaque Ezechiel ter pronuntiat peruersum fore diadema, donec veniat cuius erit, Ezech.21.f.17. Sequitur ergo in sola Christi persona residere perpetuum regni statum. Et certè quid vel olim Iudæis commune fuisset cum Deo, vel hodie quoque nobis esset, nisi ad gratiam conciliandam intercederet Mediator? Iã ergo qualitates regni de quib9 diximus, ad nos aptãdæ sunt. Sicuti enim æternitas ad spẽ beatæ immortalitatis nos deducit, inuictum autem robur animos nostros tranquillat, & quicquid machinetur Satan, & quãlibet variæ mortes nos circundent, fidem nostram collabi non patiuntur: ita venia quæ promittitur, ad spirituale Christi regnũ pertinet. sicuti etiã ex hoc loco æque colligitur salutẽ Ecclesiæ nonnisi in Dei gratia & veniæ consistere. Siquis obiiciat, nũquam deficere in totum qui regeniti sunt Dei Spiritu, quia semen incorruptibile in ipsis manet: id verissimum esse fatemur. Nec verò vniuersalis defectio hic notatur, vt nihil pietatis maneat residuum: sed quia interdum contingit fideles ita iugum excutere, vt videri possit suffocatus in illis Dei timor: ideo necesse fuit atrocibus quoque peccatis veniã promitti, ne eos desperatione obrueret talis quilibet lapsus. Sic Dauid ad tempus visus est in speciem orbatus Spiritu, quem sibi restitui postulat, Suprà, 51.c.14. Hæc causa est cur fœdis etiam & mortiferis transgressionibus spem veniæ Deus relinquat, ne qua nos scelerum grauitas arceat vel impediat à reconciliatione quærenda. Vnde etiam coarguitur nimia veterum seueritas, quibus iterum vel tertiò lapsos ad pœnitẽtiam admittere religio fuit. Etsi enim cauendum est ne vitiis habenas laxet facilitas, non minus tamen est periculi in rigore immodico. Interea notandum est, vbi Deus se transgressoribus fore propitium denuntiat, qui Legem suam violauerint, & mandata profanauerint, consulto odiosas istas voces proferre, vt nos in vitiorum odium & detestationem adducat, non autem alliciat ad peccandum. Summa hæc quidem tenenda est, quamuis non omni ex parte gratiæ Dei respondeant fideles, ideóque abdicatione digni sint, Deum tamen illis fore placabilem: quia coniuncta est cum fœdere peccatorum remissio. Et certè quum in Lege Deus plus exigat quàm præstando simus, quicquid illic promittit, inefficax est atque irritum: vnde illud Pauli, Si ex Lege hæreditas, exinanita est fides, abolita promissio, Rom.4.c.14. Quò etiam respicit illud Ieremiæ, Feriam vobiscum fœdus, non quale pepigi cum patribus vestris, quod statim violarũt: sed hoc erit fœdus quod vobiscum paciscar, Leges meas inscribam in cordibus eorum, & iniquitatibus eorum propitius ero, Ierem.31.f.33. Cæterùm quia non adoptat nos Deus vt impunè peccemus, interponitur hic castigatio, qua ostẽdit Deus sibi odio esse peccatum, & filios suos quid promeriti sint admonens, ad resipiscentiam inuitat & hortatur. Ergo inter indulgentiam, quæ peccãdi est illecebra, & extremum rigorem, qui in exitium præcipitat, media est paterna castigatio, quæ vim obtinet medecinæ. Propheta verò hic vaticinium illud attingit, quod refertur 2.Sam.7.b.14. vbi Deus se more humano pœnas de fidelibus sumpturum dicit, vel quia ex amore nascitur patris iracundia in puniendis filiis, (quia aliter male consuleret eorum saluti) vel antithesis est inter ipsum & homines: acsi diceret, se remissum fore & lenẽ: quia si virtutem suam exercere velit, protinus vel solo digiti motu in nihilum nos redigeret. Ad hunc quidem scopum tendit vterque locus, quoties fidelium peccata Deus puniet, salubre fore temperamentum, ideóque ad hunc vsum referre conne-

nit quicquid nobis infligit pœnarũ, tot totidẽ sint medicinæ. Atque in hoc nimis turpiter hallucinati sunt Papistæ. Nam quia illis incognitus erat verus castigationum finis ac fructus, Deum imaginati sunt de peccatoribus se vlcisci: Vnde natæ sunt satisfactiones, & ex illis rursum indulgentiæ quibus se redimere tentarunt. Atqui Deo nihil aliud est propositũ quàm vitia suorum corrigere, vt bene purgatos sibi recõciliet: sicut docet Paulus fideles corripi, ne cum hoc mundo damnentur, 1.Cor.11.g.32. Ideóque manum suam suspendit, ne pœnarum onere suos opprimat, ac infirmitati eorum parcit. Ita impletur hæc promissio, Misericordiam enim à fidelibus non auferri, dum irascitur: quia nõ desinit amare quos vult correctos esse in salutem. Quanquam notanda est in verbis personæ mutatio. Postquã enim dixit, Si filii eius reliquerint Legẽ meã, & quæ sequuntur: tandem subnectit, Non auferam misericordiam meam ab eo. Certè plurali numero debuerat eos nominare de quibus habitus fuit sermo, sed consultò videtur docuisse Propheta nonnisi Christi respectu nos reconciliari Deo, & ex eo fonte petendam esse spem misericordiæ. *Et non mentiar in veritate mea.* [y]Vel, Neque fallam fidem meam. [c]Hic plus aliquid exprimit quàm si dixisset Deum in suis dictis fore veracem. Nam fieri poterit vt effectu careant promissiones, Deus tamẽ fidelis maneat. Lex vera est ac sancta: quid tamen iuuat, salutem in ea nobis promitti, quam inde nemo consequitur? Ergo longius hoc loco Deus nos ducit, fœdus suum efficax ratumque fore promittens, non modò quia ipse verax erit, sed quia retinebit suos fideles ne vanitate sua diffluant.

35 *Non profanabo fœdus meum, & quod egressum est è labiis meis non mutabo.*

Non profanabo fœdus meum. [b]Hoc est, Nunquam violabo pactum quod est inter me & vos. [c]Quia non aliunde quàm ex verbo vera misericordiæ Dei notitia potest cõcipi, iubet nos in fœdere suo penitus defixos esse. Nam quo præstantius & magis inæstimabile beneficium, postquam semel adoptati sumus, nunquam abiici, eo magis difficile est creditu. Et scimus quàm variè subinde obrepere dubitationes soleant. Ne ergo anxiè & absque modo secum disceptent fideles an Deum habeant sibi propitium, iubentur ad fœdus respicere, ac salutem illic sibi oblatam amplecti. Fidem ergo suam cõmendat Deus, vt nobis sufficiat sola promissio, neque alibi quæramus certitudinẽ salutis. Quia autẽ prius dixerat, Si filii Dauidis statuta mea profanauerint, ad profanationẽ illã nũc alludẽs, negat se eundẽ mutuo fore erga illos. Acsi diceret, quanuis in totũ non respondeãt vocationi suæ fideles vt par erat, se tamẽ non passurum vt fœdus eorum culpa dissipetur, quia in promptu occurret remedium gratuitæ veniæ. Priorem enim sententiam prosequitur, Non mentiar in veritate mea: non modò se veracem ex parte sua (vt loquuntur) fore promittens, sed; qualecunque obstaculum ingerãt homines, ratum fore quod promisit: quia certabit cum eorum vitiis, vt bonitatis suæ effectus ad ipsos perueniat. Et certè quum Iudæi sua ingratitudine ac perfidia sese alienauerint à Deo, nõ tamẽ fuit abolitũ fœd[9] quod innixũ erat immobili eius constantiæ, Rom.3.a.3. Sic hodie, quũ peccata nostra vsq; in cælos ascendãt, Dei bonitas cælos trãscendẽs illis superior est. [m]Cæterùm verbo profanãdi indicat, quã sacta haberi debeãt quæ inter se homines pacta aut fœdera ineũt. Non simpliciter dicit, Non discedã à pacto meo: sed, Non profanabo pactũ meũ. Sed quotusquisq; hodie inter magnates huius seculi reperietur, qui iura pactorũ ac fœderum erga subditos hac religione ac fide custodiat, vt sentiat illa à se quoque profanari, si in fide nõ perstiterit, non minus quàm à subditis, siquid illorum transgressi fuerint? Hoc seculo pactorum profanatio solis subditis impingitur, quantumuis magnates pro libidine gerant omnia. *Et quod egressum est à labiis.* [y]Ad verbum, Et egressum labiorum meorum. Id est, sermonẽ non mutabo. Vel, Non retractabo quod pollicitus sum. [m]Sic qui veritatis studiosi sunt non mutabunt quod semel loquuti sunt, nisi tale sit, quod citra Dei offensam præstari nequeat. Os mendax meritò probris obnoxium est & exosum omnibus. Curandũ itaque est vt magna ac diligenti religione oris nostri claustra custodiamus, ne vel mendaces reperiamur, vel cõtra Deũ, aut nostram ipsorum commoditatem, quod ex labiis nostris egressum est, præstemus.

36 *Semel iuraui in sanctitate mea, Si Dauidi mentiar.*

Semel iuraui in sanctitate. [c]Iureiurãdo nunc sancit Deus quod prius se retulit pollicitum fuisse Dauidi. Vnde apparet rem non leuis momenti fuisse: quia Deus non frustra sacrum suum nomen interponeret. Interea raræ indulgentiæ signũ est quòd dum nos ad diffidentiam propensos videt, tam humaniter occurrit. Quo minus excusationis nobis restat, nisi promissionẽ tam probè sancitam indubia fide amplectimur, quum Deus salutis nostræ studio, dum vult nos verbo suo addictos esse, nominis suo non parcat. Nisi enim sufficiat nobis simplex promissio, illud quasi pignoris vice substituit. [m]Habet autẽ emphasim quod non simpliciter dicit, Iuraui, sed, Semel iuraui, [c]significans iuramentum esse irreuocabile, nec vllum esse inconstantiæ periculum. [f]Iurant crebrò homines, quia mutabiles sunt, atque in promissis mutabundi: Deus autẽ semel, quia immutabilis. *In sanctitate mea.* [y]Vel, Per sanctitatem meam. Quidam legunt, In sancto meo. Alii, In nomine sancto meo. [a]Sed sanctitatis nomen melius conuenit. [m]Qui iurant, per aliquid quod maius sit quàm ipsi, iurare solent. Deus non habet per quod iuret nisi per seipsum, quum nusquam maior inueniatur per quem iuret, ideo per suam ipsius non alterius cuiuspiam sanctitatem iurat. [c]Et magis emphatica est loquutio per sanctitatem, quàm si diceret, per seipsum, non modò quia gloriam eius commendat, sed quia ad confirmationem fidei longè est aptior, dum fideles reuocat ad terrenum domicilium Dei, quod sibi elegerat, ne procul quærendus esset. Neque enim dubium est quin Sanctuarium designet hoc nomine. neque tamẽ aliter quàm per seipsum iurat, quia Templum in quo residet, nominans, extra seipsum non egreditur, sed tantùm ruditati nostræ se accommodans, per sanctitatem suam iurat, quæ in terra visibilis residet. *Si Dauidi mentiar.* [a]Eclipsis est familiaris iurantibus, subaudiendum, Hoc aut illud mihi eueniat. Vulgo dicebant, hæc mihi Deus faciat, & ista addat. [c]Sic autem admonebãtur, sobriè sumendum esse Dei nomen, ne temere & audacter iudicium sibi accerserẽt: quia abruptus sermo & suspensus, instar fræni erat ad ipsos cohibendos. Nouum autem non est, Deum aliquid mutuari à communi hominum more. [m]q.d. Si Dauidi mẽtiar, non sim sanctus. Vel, non habear verax & fidelis in promissis. [f]Vel, mentirine Dauidi potero? absit vt illi mentiar. [m]Non fallam Dauidem.

37 *Semen eius in æternum stabit, & solium eius quasi Sol coram me.*

Semen eius in æternum stabit. [m]Dixit se iurasse, iam repetit declarando quid iurauerit, nempe, semen Dauidis ac regnum eius fore perpetuum. [c]Quibus verbis significat ius regni semper mansurum penes posteros Dauidis. Duo enim simul coniungit, progeniem & solium: quibus verbis promittitur regni æternitas, hac lege ne ad alienum vnquam transeat. [a]Hæc promissio iam facta fuerat versu hui[9] Psalmi 30, sed eam hoc versu & sequenti Propheta amplificat. *Quasi Sol coram me.* q.d. Tam erit regnum hoc Dauidis in conspectu meo clarum & illustre, quàm est Sol illustris ac perpetuus coram me, perpetuo splendore suo terram illustrans.

38 *Sicut Luna stabilietur in seculum, & testis in cælo fidelis. Selah.*

Sicut Luna stabilietur. [c]Citãtur Sol & Luna testes: quia etsi subiaceant corruptioni, plus in se habent firmitatis quàm terra, vel aer: quando elementa videmus continuis mutationibus esse obnoxia. Quia ergo totum mundum sua agitatio assiduè permutat, conditio stabilior proponitur in Sole & Luna, ne regnum Dauidis æstimetur à communi naturæ ordine. Iam quum sedes regia concussa fuerit sub Rehabeã (vt paulo ante diximus) postea verò diruta & euersa: sequitur non posse oraculum hoc restringi ad Dauidẽ. Neque enim Sol interdiu lucere & Luna noctu destitit, quanuis extincta esset sine spe restitutionis externa regni dignitas. Ideo, donec ad Christum ventum fuerit, videri fallax in suis promissis Deus posset. Verùm hic surculus, qui emersit ex trunco Isai, reipsa ostendit fidem optimam his verbis cõstitisse. *Et testis in cælo fidelis.* [y]Vel, Quæ testis est in æthere certus, nẽpe durationis illius regni. (ו pro relatiuo, vt Ezech.10.b.7) q.d. quãdiu Sol & Luna in cælo fulgebunt, erunt mihi testes quod solium hoc Dauidis nunquam concidet. [m]Nec verò insolens est quòd Lunam in testimonium Scriptura assumit, quum alicubi cælum ac terram testes aduocet. Quanquam sunt qui sic exponunt, vt Lunam dicat propterea fidelem testem in nubibus, quòd de temporibus certò testetur. [b]Hactenus promissio Dauidi facta (sed vt Christi typo) & posteritati eius, sed germanæ, hoc est, spirituali. Christus enim is est (sicuti iam diximus) quem Pater in hoc delegit & vnxit, vt, dũ Sol & Luna luxerint, regnet. Huic vul nocere hostes nequeunt, & necesse est seruire orbem primogenito viuorum & mortuorum, vt eum Paulus prædicat, Colos.1.b.15.c.18. Cum hoc regnat germana Dauidis soboles, electi Spiritu superno renati, quibus ille regnum parauit, ac habere secum statuit: quos denique peccãtes Pater corripit quidem, sed humaniore tantùm & verè paterna virga, ne scilicet eos cum reliquo mundo condemnet, 1.Cor.11.g.32.

Tu autem abominatus es, & repulisti, iratus es Messiæ tuo.

Tu autem abominatus es. [V]Vel repulisti, & spreuisti. Vel, execratus es, & auersatus es. Vel, repudiasti, deseruisti, reliquisti. [C]Nunc queritur Propheta, & deplorat regni Dauidici dissipationem ac proculcationem, eo quòd longè diuersa illi acciderint quàm habeant promissa Dei, quæ hactenus satis prolixè recensuit: [C]non quòd Deum mendacii insimulet, verùm vt curas suas & dolores familiariter reiiciat in eius sinum, vt nobis permittit secum familiariter agere. Nam etsi vota nostra ad eius arbitrium formare conuenit, non tamen fines transgreditur qui suppliciter deplorat ablata sibi esse gratiæ & fauoris signa, modò ne spē abiiciat, vel contumaciter obmurmuret, sicuti postea videbimus. Subiicit testimonium placidæ obedientiæ, quo suas querimonias Propheta corrigit, vel temperat, quum in fine Psalmi Deum benedicit. Itaque quisquis fuerit ille Rabbinus qui fas negabat hunc Psalmū recitari, stulta & impia morositate damnauit quod Deus in filiis suis tolerat. Neque enim hæc expostulandi libertas, qua vtitur Propheta, aliò tendit quàm vt se coram Deo exonerans, dubitationi & impatientiæ resistat. [H]Dixerat Deus Suprà, versu 22, Manus mea stabilietur cum eo. Huic opponitur quod Propheta queritur, dicens, Tu autem abominatus es & repulisti: [C]quod si quis exigere velit ad normam Græcæ vel Latinæ linguæ, erit ineptum: quia præcedit quod longè atrocius est, secundo loco additur quod est leuius. Sed quia Hebræi gradus nostros non seruant, nihil est in hoc ordine absurdi. *Iratus es Messiæ tuo.* [V]Vel, contra Christum tuum. [C]Hic causæ redditio est, quia regem abiectum esse significat Propheta, eo quòd iratus sit Deus. [A]Quidam ex Hebræis putant hæc dicta iuxta æstimationem hostium Israelis, [A]qui huiusmodi ludibria in populum Dei recitabant. Id autem affirmant vt effugiant offendiculum, quod Rabbinus ille ferre non potuit in hoc aspero loquendi genere. Sed notandum est Prophetam ex communi sensu loqui, quamuis certò apud se statueret non posse reiici qui semel electus fuerat.

40 *Cessare fecisti fœdus serui tui, profanasti ad terram diadema eius.*

Cessare fecisti fœdus. [V]Vel abiecisti, destruxisti, dissipasti, dissoluisti. [H]Promiserat Deus versu 35, Non profanabo fœdus meum, & quod egressum est è labiis meis, non mutabo. Semel iuraui per sanctitatem meam, si Dauidi mentiar. [A]nunc autem Propheta dissipatum esse fœdus queritur: sed non alio sensu quàm quo versu superiori loquutus est. [C]Neque enim leuitatis aut inconstantiæ Deum arguit, sed tantùm queritur præclara illa, quæ vidimus, promissa in speciem concidisse. Nam certè quoties interrogant fideles, quousque tandem dormies? Item, Quousque obliuisceris nostri? Deo somnum vel obliuionem non tribuunt: sed proferunt in medium quas sanguis & caro suggerunt tentationes, vt infirmitatem, qua premuntur, maturè Deus subleuet. Itaque mirum non est in horribili dissipatione Prophetam aliquid humanitus fuisse passum, vt diceret minimè conspici quod Deus promiserat. Neque enim erat ferreæ mentis, vt omnia videns contraria verbo Dei, tristi illo confusóque spectaculo non tangeretur: sed liberè in Dei conspectum prodiens, remedium quærit ne absorbeatur mœrore. quòd factum esset, si intus frænum rodendo neglexisset hoc leuamen. *Profanasti ad terram diadema eius.* [H]Per diadema intelligit gloriam regni, cuius insigne est diadema. [V]Profanari autem id dicitur, quod subiicitur opprobrio & probro. Opponitur enim hæc profanatio gloriæ & dignitati. Quia ergo contemptibile erat diadema, imò etiam erat expositum ad omnes contumelias, dicit profanatum fuisse diadema illud. [C]Quod certè non videtur competere in tempus Rehabeam: nisi fortè laceratio regni vocetur diadematis proiectio. Sed quæ postea adduntur, nisi hyperbolicè accipias, necessario referri debent ad maiorem cladem. Hoc si placeat, non erit author Psalmi Ethan, ille vnus ex quatuor sapientibus, quorum fit mentio in sacra historia, 1. Reg. 4. d. 31. Quare in re dubia libera sit cuique probabilis coniecturæ electio. Sunt enim nonnulli, qui has querelas pertinere dicant ad captiuitatem Babylonicam. Sunt rursus alii, qui ad tempora & tyrannidem Antiochi (de quo in libris Machabæorum legitur) referāt. Iudæi suo more hæc, sicut huiusmodi omnia, ad præsentem ipsorum captiuitatem pertinere dicunt. Vix itaque potest aliquid certi hac de re assignari.

41 *Dirupisti omnes muros eius, posuisti munitiones eius contritionem.*

Dirupisti omnes muros. [A]Vel, Rupisti omnes macerias eius. [H]Quæ hic de regni ac ciuitatum illius vastatione queritur, quæ facta sit per hostiles impetus, contraria videbantur ei quod versibus 23, & 24 promissum fuerat. Non erit exactor inimicus in eum, nec filius iniquitatis affliget eum. Et conterā à facie eius oppressores eius, & qui oderūt eum, percutiam. [C]Quanquam autem aliò causam trāscribere promptum esset, cur diruta essent fractæque munitiones, piè tamen sanctéque Propheta Deum agnoscit authorem: quia principium illud retinet, non potuisse nisi eo irato, quod ipse erexerat regnum, libidine hominum dissipari. *Posuisti munitiones eius contritionem.* [V]Vel, fracturam. Vel, terrorem. Vel, formidinem. Hebraismus pro, Fecisti vt propugnacula eius regni contererētur. Vel, Vt in propugnaculis regni formidarent milites Dauidis.

42 *Prædati sunt eum omnes transeuntes viam: fuit opprobrium vicinis suis.*

Prædati sunt eum omnes transeuntes viam. [S]Metaphoricè deplorat populum expositum à Deo quibusuis impuris & impiis hostibus, sub simili oppidi, quod muris dirutis omnium depopulationi patet. [C]Vel, quemadmodum si ager vel hortus, dirutis maceriis ad spoliationem pateat. [B]Vel respexit ad vineæ allegoriam, de qua Suprà, 80. b. 13. [C]Auget alia indignitate quod per se plus satis graue erat, dicens, *Fuit opprobrium vicinis suis.* Neque enim dubium est, quin profani homines in occasione tam plausibili proteruè insultauerint, Hiccine diuinus est ille rex, Angelis excellentior, cuius solium cum Sole & Luna staturum erat? Porro quum in Deum reciderēt hæc maledicta, meritò Propheta deplorat contumeliosè rideri Messiam, cuius dignitas cælesti vnctione sancita fuerat.

43 *Extulisti dexteram oppressorum eius, exhilarasti omnes aduersarios eius.*

44 *Etiam retudisti robur gladii eius, & non fecisti stare eum in prælio.*

45 *Deleuisti splendorem eius, & solium eius in terram detraxisti.*

Extulisti dexteram oppressorum. [A]Hoc est, Robur & animum addidisti hostibus, vt nos atrocius percuterēt. [C]Significat Deum ab hostium parte stetisse, quia satis intelligit nonnisi volente Deo præualuisse hostes, dum alios virtute instruit, alios effœminat. *Etiam retudisti robur.* [I]Q. d. Aciem gladii populi tui, aliàs audacem & acutam, penitus retudisti, illumque in prælio absque vlla ope deseruisti, ac tandem hostium libidini exposuisti. [H]Hoc autem contrarium videbatur ei quod Dominus promiserat versu 22, Etiam brachium meum roborabit eum. [I]Robur gladii, (quod aciem gladii vertunt) pro defensione gladii dixit. Significare enim voluit, neminem valuisse gladio Dei populum tueri. *Deleuisti splendorem eius.* [H]Vel, Finem fecisti splendori eius. [V]Extinxisti nitorem eius, elegantiam eius. Id est, splendore regio eum priuasti. [A]Alii, Finiuisti munditiem eius. Queritur extinctam esse omnem dignitatem, nullam omnino haberi iam rationem sanctitatis populi: [H]quum tamen gloriam & splendorem regno illi Deus promisisset. *Et solium eius in terram detraxisti.* [A]Id est, potestatem eius omnem in terram deiecisti. [C]Quotquot acciderāt clades, totidem colligit Vates signa esse alienationis Dei: quo propitio, totus mūdus, quicquid machinatus esset, sacri illius regni stabilitatem conuellere non poterat. Nam si dixisset hostes victoria esse potitos, verum id quidem erat, sed ad extollendam Dei potentiam obscurius, acsi homines Deo oppositi, propriis viribus violassent illius præsidium. Nunc verò secum expendit, nonnisi irato Deo tam miserè afflictum esse regnum quod erexerat Deus.

46 *Minuisti dies iuuentutis eius, operuisti eum ignominia, Selah.*

Minuisti dies iuuentutis eius. [V]Vel, abbreuiasti, præcidisti. Quidā ita resoluunt, Domine debilitasti regē nostrū, vt emarcuerit in primo ætatis flore, & antequam adoleuisset in virum, senio confectus fuerit. Verùm Propheta non de vno homine loquitur, sed statum regni confert vitæ humanæ: [V]acsi diceret, Fecisti vt regnum senesceret, ac tandem deficeret, priusquam veniret ad maturā conditionem: quēadmodum iuuenis abripitur in ipsa adolescētia violenta morte, antequā maturus sit. Et cōcinna est ista similitudo: quia si respicitur promissio, vix dum planè effloruerat regnum, quum inter primos suos progressus, repentè graui ruina deformatum est, tandémque euanuit. [H]Significat ergo Vates regnum Dauidis, antequam in iustam ætatem adoleuisset, exterminari cœpisse, vt nec virilem sit fortitudinem consequutum, nedum iustum aliquod senium. [C]Porro memoria tenendum est quod diximus, dum expostulat Propheta euentum non respondere Dei promissionibus, non tamen arguere Deum mendacii, & alio fine & consilio

proferre hanc repugnantiam, vt fiduciam orandi ex Dei promissionibus colligat: quas quum obiiceret Deo, persuasus erat fieri aliter non posse quin se veracem ostenderet. Nam sicuti plerique, quia de profectu desperant, intus sorbent suum dolorem mira fiducia, quo liberius Deum appellant de suis promissis, eo fortius luctantur cum diffidentia, & se ad bene sperandum animant.

47 *Vsquequo Iehoua absconditus eris perpetuò, ardebit tanquam ignis indignatio tua?*

Vsquequo Iehoua absconditus. [a]Postquam Propheta de variis Ecclesiæ cladibus conquestus est, [b]incipit precari vt populus tantis malis liberetur. Vtitur autem verbis quæ deceant animum summè excruciatum. [b]Tribuit Deo quòd se absconderit, & interim iratus contra populum suum excandescat. [c]Quibus verbis subindicat omnia fore salua simulac serena Dei facies apparuerit. [d]Quemadmodum alibi dicitur, Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus, Suprà, 80.a.4.8. [a]Ex eo autē quod Propheta post querelas conuertit se ad preces, colligimus, quas hactenus profudit voces doloris, quanquam manabant ex carnis sensu, fuisse tamen cum fide coniunctas. Nam increduli tumultuando quamuis ad orandum prosiliant, nihil tamen per eos nisi simulatè. Propheta verò preces annectens suis querelis, testatur nunquam excussam sibi fuisse promissionum Dei fidem. *Perpetuò.* [r]Vel, in seculum. Vsquequo in seculum, vel perpetuo, loquutio Hebræis frequens, de qua Suprà, 79.b.5. [e]Significat autem nimis diuturnos malorum successus. [a]Interea Vates spem adhuc sibi esse reliquā hoc loquendi genere significauit, ita vt à Deo immissa omnia agnoscebat. *Ardebit tanquam ignis indignatio tua?* [c]Iterum commemorat cur Deus paterno aspectu electum populum non dignetur: quia scilicet offensus est. Vnde sequitur, mala omnia ex peccatis proficisci, quum sint irati Dei flagella.

48 *Recordare cuius æui ego sim: cur frustra creasses omnes filios hominum?*

Recordare cuius æui ego sim. [r]Vel, Memento ego quid sim, quod tempus. Ad verbum, Ego quid tempus. Dictio מה repeti debet, & retrahi ad præcedens, vt loquuntur Hebræi: ideo vertendum, Memento quid ego sim, & quod tempus. id est, quàm fragilis, & quàm breuis vitæ in hoc mundo. Quibusdam redundat אני Ego. Memineris quod sit tempus vitæ meæ. id est, quàm longum aut quàm exiguum futurum sit, nisi redeas mecum in gratiam. Alii vertunt, quantuli æui sim. Alii, Ego quanti æui, aut cuius æui sim. Id est, Quā breue sit huius vitæ nostræ spatiū. [c]Et certè Propheta, vbi confessus est Ecclesiā sua culpa tā duriter & miserè affligi: vt Deū ad misericordiā flectat, proponit in mediū vitæ humanæ breuitatē, in qua si nullū diuinæ bonitatis gustum percipimus, videbimur frustra creati. [a]q.d. Perbreue est totius vitæ nostræ spatium. nemo enim est, quàlibet validus vir, quem mors non absumat: cur igitur nos tot calamitatibus adobruis, qui alioqui vitam hanc citissimè ponimus? Quin das vt respiremus, & bonitate tua vel aliquātulum fruamur? frustra alioqui nos videberis condidisse. *Cur frustra creasses omnes filios hominum?* [r]Ad verbum, Cur frustra creasti? [f]Vt huius versus summam teneamus, satius erit ab hoc membro incipere. Nam ex vero fonte sententiam hanc petunt fideles, quòd Deus homines ideo condiderit & locauerit in mūdo, vt se illis exhibeat Patrem. Nam, quum ad iumenta & brutas pecudes se diffundat eius liberalitas, nos huius esse expertes nimis absurdum esset, qui inter animantia excellimus. Si hic finis est creationis nostræ, præstaret nunquam nasci quàm sub cōtinuis doloribus tabescere. Huc accedit breue vitæ curriculum, quia nisi maturè acceleret Deus gustanda nobis præbere sua beneficia, in isto euanido transitu non erit opportunum tempus. Nunc tenemus quid velit Propheta in hoc versu. Primò expendit, in hunc finem conditos esse mortales, vt fruantur Dei beneficentia in mundo. Vnde colligit frustra nasci, nisi se illis Deus Patrem demonstret. Iam quia breuis est vitæ cursus, nisi benefacere festinet Deus, colligit non fore amplius locum vbi vita effluxerit. [a]Sed primò videntur sancti nimis licentiosè præscribere tempus Deo, deinde quanuis nos assiduis tormentis Deus excruciet dum in mūdo peregrinamur, præposterè tamen inde infertur frustra nos esse conditos, quia melior in cælo vita nos manet, in cuius spem dum adaptamur, non mirum est si nunc abscondita sit in terris vita nostra. Respondemus, Dei concessione sanctos hanc sibi licentiam sumere, vt Deum suis precibus ad festinationem incitent, modò simul iniiciant sibi modestiæ frænum, & cohibito feruore totos se eius arbitrio permittant. De secundo sic habendum est, Si per continuos cruciatus vita hæc nobis ægrè trahenda foret, verum quidem est satis esse solatii ad ferendas miserias, si mentes in cælum tollimus: sed neque in tanta infirmitate id quisquam faciet, nisi in hac vita prægustauerit Dei bonitatem. Deinde notandum est, fidelium gemitus non debere ad perfectam regulam exigi, quia non oriuntur ex composito & tranquillo sensu, sed ex passionum vehementia turbulētum aliquid trahunt. Verum quidem est, siquis metiatur Dei amorem ex præsenti statu, perperam eum facere: quia Deus quos diligit castigat, Hebr. 12. b. 6. sed quia nunquam tam austerus est erga suos, quin gratiam suam re & experientia ipsis ostendat, semper hoc verum manet, vitam hominis inutilem esse, nisi in ea sentiat Deum sibi esse Patrem. Quod verò ad secundum membrum spectat, dictum alibi fuit, non fluere æquabili tenore preces nostras, sed interdum doloris intemperiem prodere. Ideóque mirum non est, dum piorum sensus occupat & constrictos tenet immodicus dolor vel metus, si obrepit talis incogitantia, vt futuram vitam præ oculis non semper habeant. Putant multi hoc esse valde absurdum, si filii Dei prima quaque cogitatione non statim in cælum penetrent. Quasi verò non sæpe contingat intercedere crassas nebulas, quæ aspectum nostrum impediant vel morentur. Aliud enim est, fidem hebetari, aliud prorsus extingui. Et sanè quisquis exercitatus est in Dei iudiciis, & tentationum militia, fatebitur non tam memorem esse spiritualis vitæ quàm decebat. Ergo quanuis hæc sententia deducta sit ex vero principio, vitiosum tamen excessum resipit. Vnde apparet, in precibus optimè compositis semper nobis esse opus venia: quia nisi infirmitati nostræ Deus ignoscat, semper aliquid nimium elabitur.

49 *Quis vir viuet, & non videbit mortem, redimet animam suam è manu sepulchri? Selah.*

Quis vir viuet. [c]Confirmat hoc versu quod de breuitate humanæ vitæ dixit. [h]Et tapinosi vtitur ad mouendam cōmiserationē Dei. Nouit Deum parcere humiliatis, nec posse sæuire in miseros, miseriam & humilitatem conditionis suæ agnoscentes & confitentes. ideo humanæ vitæ breuitatem & mortalitatem humiliter illi proponit. [c]Summa est, clausam fore ianuam Dei gratiæ, nisi maturè occupet Patrem se ostendere hominibus. [h]Nec simpliciter dicit, Quis homo viuet, & sepulchrum effugiet? Sed, quis vir viuet, & redimet animam suam è manu sepulchri? Non ergo solùm dicit quòd moriendum sit omnibus hominibus, sed quòd mortis potentiam, quam per manum sepulchri significat, nemo quantumuis fortis ac robustus heros euadere queat. [c]גבר enim, quod à fortitudine deductum est, robustum, dominum, & heroa significat. *Redimet animam suam è manu sepulchri.* [r]Id est, de potestate. Repetit quod iam dixerat, Et non videbit mortem, sed aliis verbis. Nam, Non videre mortem, & Erui de potestate sepulchri, idē significant, hoc est, non mori. [a]Sed hac verborum varietate melius exprimit neminem à mortis imperio immunem esse. [h]Deiiciat hæc consideratio fastum & insolentiam potentum, diuitum, magnatum, principum, heroum. Deinde solatio etiam sit oppressis contra tyrannidem potentum, quòd mortis vim atque potentiam euadere nequeunt: id quod illis Dominus & Suprà, 82. b. 7, obiecit. Vide item, 1. Corinth. 15. e. 22, & Hebr. 9. g. 27.

50 *Vbi misericordiæ tuæ priores Domine? iurasti Dauidi in veritate tua.*

Vbi misericordiæ tuæ priores? [r]Vel, Antiquæ, pristinæ. Quidam, Vbi sunt bonitates tuæ priores? [h]Recordatur Propheta quàm fuerit olim Deus erga populum suum bonus ac benignus, quantisque beneficiis illum affecerit: ac inde erigit sibi animum: acsi ratiocinetur, Deum non posse sui esse dissimilem: ideóque non posse aboleri beneficentiam quam olim patribus exhibuit. Posset hæc quidem cōparatio debilitare animos piorum, dum se minus clementer à Deo tractari vident: nisi alterum simul occurreret, Deum neque mutari vnquam, neque in suæ liberalitatis cursu fatigari. [a]Notandum tamen hic est, benefecisse Deum populo suo, donec exigentibus peccatis posterorum, beneuolentiam suam in iram & indignationem cōmutarit. Nec aliud nobis expectādum est, postquam infandis modis tot iam secula patientiam illius exacerbauimus. *Iurasti Dauidi.* [c]Vel, interposito relatiuo, quas iurasti Dauidi. Nam fidem oraculi Deus claris experimentis comprobauerat, ideóque tam promissionem quàm multiplices eius effectus obiiciunt fideles Deo. *In veritate tua.* [r]Vel, per fidem tuam, id est, fidelis. Hoc addunt fideles quo ad se confidentius trahant quicquid olim Deus præstiterat: quia communis est ratio, quum Deus, qui semper sibi constat, iurauerit in omnes ætates se misericordem fore posteris Dauidis. [h]acsi dicerent, Scimus quòd quæ iurasti, irrita nunquam reddi poterunt. fidelis enim es in omnibus verbis tuis, Infrà, 145. c. 13.

51 *Recordare Domine opprobrij seruorum tuorum: sustinui in sinu meo omnia fortium populorum,*

Recordare Domine opprobrii. [M]Iam clarius exprimit spei quam conceperunt argumentum, nempe non passurum Deum perpetuò vt serui ipsius impiorum hominum probris sint obnoxii: quum ea ignominiæ non tam ipsis quàm nomini ipsius infligetur. Hoc enim subindicant seruorum Dei nomine, & dum hostes suos Dei aduersarios appellent versu sequenti. [C]Non parum etiam valebat ad prouocandam Dei misericordiam, quod dicunt ludibrio se haberi ab impiis. Nam quo grauior est ista tentatio & molestior, videri patientiam nostram ab impiis, vt damnata Dei fide in desperationē præcipitēt, eo paratior est Deus ad opem ferendam, ne tentationi succumbent debiles animi. Neque enim simpliciter intelligit Propheta contumelias hostium sibi esse intolerabiles: sed petulantiam hanc, quæ fidei & patientiæ piorum insultent, reprimendam esse à Deo, ne pudefiant in ipsa sperantes. [A]Vide quid hac de re dicat Apostolus, 1. Timoth. 4. c. 10. *Sustinui in sinu meo.* [V]Vel, quod fero. Ad verbum, ferre meum. Id est, quod patientissimè fero. Vel potius, nihil subaudiendo, Sustinui in sinu meo omnia fortium (vel multorum) populorum. [C]Nam hoc membro proximam sententiam Propheta magis exaggerat, quum dicit omne probrorum genus se sustinuisse à multis populis, vel, magnis. Nam vox רבים vtroque modo potest hic accipi. [C]Porro quum de seruis Dei communiter loquutus esset, non frustra numerum mutat, vt quisque fidelium magis seriò tangatur ad orandum. Particula enim *In sinu* emphatica est, quasi diceret impios non tantùm eminus iactare sua conuitia, sed vomere contra filios Dei, quæ ipsi patienter suo sinu excipere coguntur. Facit autem seculi nostri peruersitas vt nobis necessarius sit huius doctrinæ vsus: quia profanis & superbis Dei contemptoribus referta est terra, qui nobis insultare non desinunt: & quum Satan fecundus sit talis rhetoricæ magister, materiam illis suggerunt Ecclesiæ calamitates. [A]Sed quum Satanæ ministri os suum aperiunt, vt quiduis aduersus pios euomant, hi meminisse debent consolationis quam Christus suis Apostolis dedit, Matth. 5. b. 11, & Luc. 6. d. 22

52 *Quæ exprobrarunt inimici tui Iehoua, quæ exprobrarunt plantis Messiæ tui.*

Quæ exprobrarunt. [V]Vel, Quia probris affecerunt. Vel, Quod opprobrarunt inimici tui Iehoua, quod opprobrarunt calcibus Christi tui. [C]Iam non dicit Propheta impios suis probris vexare filios Dei, sed Deum ipsum proscindere, quia hoc ad conciliandum fauorem longè efficacius est, Deum rogare & hortari, vt suam causam suscipiat, non modò quia vulneratus in Ecclesiæ suæ persona, sed quia contumeliæ omnes, quibus exagitatur fidei simplicitas, in eum redundant: sicut apud Esaiam dicit, Super quem commouisti caput hostis tuus, & cui conuitiatus est, virgo filia Sion Esa. 37. d. 22. Putabat quidem scelerratus ille latro Rapsaces miseris Iudæis se illudere, quos tenebat obsessos, & quos persuasus erat mox deditionē facturos: Deus tamen perinde accepit acsi eius blasphemiis rectà impetitus foret. Hac ratione etiam vocat hostes Dei, quia Ecclesiā hostiliter persequendo, Deum in cuius protectione est, violant. *Quæ exprobrarunt plantis Messiæ tui.* [V]Id est, moram quam facit Christus tuus. Chaldæus paraphrastes vertit, Quo exprobrauerunt tarditatem vestigiorum Messiæ tui quasi nunquam venturi. Per calces seu plantas Hebræi significant aduentum, vt etiam per pedes, sicuti quum dicitur, Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, Esa. 52. b. 7. Id est, Quam optabilis est eorum aduentus qui veram fœlicitatem afferunt. [C]Dubium ergo non est quin Propheta hac loquutione aduentum Messiæ intelligat. Quia enim videbāt impii spe redemptionis Iudæos suspensos esse, &, quia promissus erat liberator, patiēter quaslibet ærumnas ferre: probrosè ridebant eorum patientiam, acsi fabulosum esset quicquid de Christi aduentu testati fuerant Prophetæ. Nunc etsi exhibitus semel fuit mundo, quia tamen receptus in cælestem gloriam, videtur procul distare à nobis, & Ecclesiam suam deseruisse: subsannant spem nostram impuri canes, acsi mera esset frustratio. [M]Quare notandus est hic locus, iis potissimum qui pro Christi nomine ignominiosè tractantur. Tria sunt quæ hoc nostro seculo Christi fidelibus probro vertuntur. Vnum est quòd aduentum Christi seculum hoc iudicaturi spe præstolantur infracta. De hoc irrisionis genere vide 2. Petr. 3. a. 3. Alterum est, quòd Christum seruatorem, dominum ac præceptorem suum, tanquam vitæ ducem, fideliter imitari conentur, atque eam ob causam mundo huic pessimo & impio valedicunt, [A]scientes amicitiam huius seculi, inimicitiam esse apud Deum, Iac. 4. a. 4. [M]Hi verò, stulti & insani à mundo iudicentur: imò, quia tātùm pastoris sui vocem audire & vestigia sequi volunt, hæreseos damnantur, trucidantur & exuruntur, ac tanquam oues mactationi destinatæ occiduntur, Rom. 8. g. 36. Tertium est, quod à Christo non deficiunt, tametsi iam regnum eius postrema periclitari videatur. Hic insultant nobis & Iudæi & Turcæ, videntes externa illa Christiani populi pomœria de extremis periclitari, ac modicas illas reliquias in seipsis amplius consistere non posse, etiamsi aliunde non impugnentur. Ignorant miseri homines regnū Christi non esse ex hoc mūdo, (Iohan. 18. f. 36) nec pendere à seculari aliqua potestate, sed prorsus esse cæleste ac sempiternum. Sed hoc vnum consoletur nos, quòd Christus hic, cuius nomine probris scindimur, Dei Christus est, cuius gloria & maiestas etiam, inuitis & renitentibus inimicis, olim apparebit.

53 *Benedictus Iehoua in æternum. Amen, & amen.*

Benedictus Iehoua. [M]Hæc est Psalmi conclusio, quam tamen nonnulli additam fuisse fingunt à librario, [C]quia contextui respondere non videtur. [C]Alii dicunt totum versiculum hūc addi solere fini librorum ab Hebræis grammaticis, siue scriptoribus. [M]Sed quum Dei benedictio æquè in clausula conueniat atque in exordio, dubium non est, postquam liberè calamitates Ecclesiæ defleuit Propheta, vt doloris acerbitatem leniat, consultò erumpere in Dei laudem. [C]acsi dicerent fideles, Domine, nos quidem liberè conquesti sumus apud te, & visi sumus expostulare tecum: sed nō hoc fecimus quòd velimus tibi obstrepere, vel excutere iugum tuum: vel quòd velimus minus reuerenter sentire de fide, gratia, & virtute tua: tu sis benedictus, etiamsi durius nos affligas. *Amen & amen.* [V]Voces Hebrææ, quæ significant Veritas est, veritas est. Q. d. Certissimè eueniet quod dixi. [C]Posita quidem est hæc particula hoc loco, vt alibi, distinguendi libri causa: quisquis tamen Psalmum composuit, hac gratulatione haud dubiè in rebus tristissimis leuare studuit doloris magnitudinem, vt alacrius salutem spectaret. Vide Suprà, 41. c. 14, & 72. d. 19.

ARGVMENTVM PSALMI XC.

[M]Admonet hoc Psalmo Moses quanta & vnde sit humanæ vitæ breuitas & miseria. [C]Deinde precatur vt Deus se rursus clementem, sicut olim, ac beneficum exhibeat, [M]atque ita seruos suos hactenus tristes & miseros exhilaret.

PRecatio Mosis.

Precatio Mosis. [A]Vel, Oratio ipsius Mosis. [M]Psalmum hunc compositum esse à Mose ipse titulus indicat, quanquam nonnulli aliter sentiant, dicentes ex precandi forma per manus à Mose tradita quempiam Prophetarum canticum hoc aptasse in vsum populi. [C]Sed epitheton quod mox additur, apertè eos refellit. Neque enim abs re Moses hic discertè nominatur Vir Dei, sed honorifico titulo ornatur, qui authoritatem doctrinæ conciliet. [M]Proinde siquid existimationis ac prærogatiuæ ex authore ac vetustate est, erit nobis hic Psalmus vtroque nomine commendatus. [C]Credibile est autem, quum iam instaret mortis tempus, vt diuturnum mœrorem, sub quo fere contabuerat populus, leniret, atque animos malorum congerie oppressos recrearet, precationem hanc dictasse. Etsi enim mirabilia in redēptione affulserat Dei bonitas, quæ sepultis prioribus ærumnis, lætitia eos repleret, scimus tamen eam paulò pòst illorum ingratitudine fuisse extinctam: ita per totos quadraginta annos languor in deserto eos attriuit. Opportunè igitur tunc rogare Deum potuit Moses vt secundum annos quibus populum suum afflixerat, clementer & benignè cum ipso ageret.

1 *Domine habitaculum tu fuisti nobis in generatione & generatione.*

Domine habitaculum tu fuisti. [V]Vel, Refugium. Alii, Habitaculum refugii. [M]Moses statim initio beneuolentiam Dei celebrat, qua populum Israelis, præteritis generationibus, variis beneficiis affecit, & perpetua quadam protectione tutatus est. [C]Finis autem huius exordii est, vt Deus quam olim erga sanctos Patriarchas exeruit gratiam, nunc iterum renouet, ac continuet erga eorum progeniem. acsi diceret, [C]Licet simus peregrini, nec appareat certe sedes vbi quiescamus tanquam in patria: tu tamen, Domine, quocunque nos ducas, eris habitatio nostra, sicut fuisti patribus nostris. Degemus sub tuo præsidio, & iacebimus sub alis tuis per continuas ætates. [M]Agnoscit ergo Moses, maioribus suis, qui peregrini in mundo & exules erant Deum nunquam defuisse, ideóque non simpliciter dicit, Tu fuisti nobis habitaculum, sed addit, *In generatione & generatione.* [C]Ergo non narrat qualem se Deus Israelis præbuerit, ex quo eos redemit, sed qualem seculis omnibus experti fuerint eorum patres ab initio vsque. Aptè autem quum

vagi & erratici semper fuerint, Deum habitationis loco illis fuisse docet. Quamuis enim instabilis sit omnium conditio in terra, scimus tamē Abraham eiusque posteros præ aliis fuisse inquilinos, & fere exules. Quum ergo vagati sint in terra Chanaan, vsquedum traducti sunt in Ægyptum, vbi etiam precariò in diem viuebant, necesse fuit stationem eos quærere sub vmbra Dei, sine qua vix cæteri poterāt mūdi incolæ, quū vbique sēper fuerint exteri, deinde circunducti per varios circuitus. Quòd verò per omnes peregrinationes eos Dominus sustinuerit ac protexerit etiam sua manu, quum inter feros & crudeles populos habitarēt, & expositi essent eorum iniuriis, hāc gratiam insigni elogio extollit Moses, Deum profugis & per noua subinde hospitia vagantibus pro habitatione vel domicilio assignans: ac eam temporis longitudine amplificat, quia vltra quatuor secula non destiterit illos tueri suo præsidio, vt sub alis eius manerent. Vide Deut.32.b.10.11.

2 *Antequam montes nascerentur, & formares terram & orbem, & à seculo vsque in seculum tu es Deus.*

Antequam montes nascerentur. [a]Vel, generarentur, ederentur. Moses hoc versu diuinitatis in Deo sempiternitatē prædicat. [b]Sed quis nescit (dicet quispiam) Deum esse mundo priorem? [c]Verum quidem est hoc omnes fateri, sed interea vix centesimus quisque solidè persuasus est semper manere sui similem. Atqui confertur Deus hic creaturis, quas scimus continuis inclinationibus esse obnoxias, vt nihil sit sub cælo firmum. Præsertim quum humana vita nihil magis æstuosum sit, ne homines à suis iactationibus Deum æstiment, locatur hic in trāquillo statu. Ita æternitas hæc de qua loquitur Moses, non ad essentiam modò refertur, sed ad prouidentiam qua mundū gubernat. Quamuis enim mundum subiiciat variis inclinationibus, ipse quietus manet: nec tantùm apud se, sed quia eum fideles experiuntur minimè versatilem, sed constantem in sua potentia, veritate, iustitia, bonitate, qualis ab initio fuit. Non poterat quidem ante conditum mundum perspici æterna hæc ac immutabilis Dei constantia, quum nulli adhuc essent oculi testes: sed à posteriori colligitur: quia quum voluantur omnia variis agitationibus, retinet ipse suam naturam. *Et formares terram.* [a]Quod montium primùm, deinde terræ meminit, per epitasin est factum. q.d. Non modò ante montes, sed ante ipsam quoque terram, è qua sunt montes, tu es Deus. Meminit verò terræ eo quòd in operibus creationis cælis coniungitur, Genes.1.a.1. *Et orbem.* [b]Dictione orbis vniuersum illud omnia condita complectens intelligit. [a]Hoc verò idem est quod Paulus habet, Elegit nos ante conditum mundum, Ephes.1.a.4. *A seculo vsque in seculum tu es Deus.* [a]q.d. A principio ad finem vsque seculorum. Cauendum autem ne putemus Deum in principio seculorū cœpisse, ac cum fine mundi huius desiturum. In principio siquidem seculorū erat Deus, & vbi terra dissoluetur, idem ipse permanebit, sicut dicitur Infrà, 102.d.1. [c]Posset etiam hic esse antithesis inter Deum & omnes fictitios Gētium deos, quorum turba errore & stultitia hominum paulatim obrepsit. Sed iam exposuimus quorsum tendat Mosis consiliū, perperā scilicet nos facere si Deum metimur nostro captu: sed superandam esse terram & cælum ipsum, quoties de ipso cogitamus. [a]Non enim temporarius est Deus, sed æternus.

3 *Conuertes hominem ad contritionem, & dicis, Reuertimini filii Adam.*

Conuertis hominem ad contritionem. [a]Vel, Conuertis hominem vsque ad contritionem. [b]Vel, Reducis hominem donec sit contritus. Vel, Vsque ad rem minutissimam. id est, in puluerem, in quem tu reuerti facis eum. [a]Ab hoc versu vsque ad 13 queritur Propheta de inanitate & fugacitate vitæ præsentis, [c]eiusque ærumnas deplorat: non vt cum Deo expostulet, sed quo propensior sit ad misericordiam. sicut alibi dicitur parcere mortalibus, dum reputat eorum figmentum, recordatur puluerem & fœnum esse, Infrà, 103.c.14. [c]Comparat vitam nostram gyro, veluti si Dominus versaret nos per gyrum & breuem circuitum, & statim nos ad se colligeret. *Reuertimini filii Adam.* [a]Vel, filii hominum. [b]Notat ineluctabile illud decretum, quod Adæ post transgressionem dictum est, In sudore vultus tui, (id est, in calamitate & miseria) vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es & in puluerem reuerteris, Genes. 3.d.19. Quæ verba non Adæ soli sed vniuerso generi humano (hoc est, Adæ posteritati) dicta esse Vates his verbis subindicat. [c]Sunt tamen qui aliter exponunt, quòd Deus dedicat homines vsque ad interitum, deinde in resurrectione instauret. Alii rursus ad pœnitentiæ conuersionem hæc referunt. Sed simplex hic ponitur vitæ nostræ definitio (sicuti iā diximus) quòd breuis quædā versatio sit, in qua celeriter gyrū implemus, cuius vltimus punctus meta est cursus nostri. Hæc autem cognitio melius ostendit quàm præclarè agat Deus cum seruis suis, quum eos adoptat in peculium, vt eos tandem in æternam hæreditatem colligat. [a]Præterea habent hic arrogantes, fœlices, diuites, & potentes huius seculi, amplissimā humilitatis materiam, sicuti rursus miseri, abiecti, pauperes & afflicti non vulgarem ex hac consideratione consolationem. Vsurpat item Propheta dictionem אנוש, quæ plerunque homini tanquam debili, vili, abiecto, ac misero tribuitur (vt Suprà, 8, b.5, & Infrà, 103.c.15) quo hominis vanitatem melius exprimeret.

4 *Quia mille anni in oculis tuis tanquam dies hesternus quando præteriit, & vigilia in nocte.*

Quia mille anni in oculis tuis. [a]Quo melius hominis vanitas ac misera conditio agnoscatur, Moses per apostrophā qua Deum compellat, [b]similibus aptissimis declarat quàm breuis, labilis, vana ac misera sit vita nostra. [c]Nec frustra ex opposito addit, mille annos coram Deo esse quasi diem hesternum. Etsi enim experientia verum esse conuincit homines peracto gyro statim è mundo abripi, non tamen animis nostris insidet fragilitatis huius notitia, quia supra mundum non respicimus. Vnde enim tantus stupor vt homines præsenti vitæ addicti, rationes suas ita componant acsi victuri essent ad duo annorum millia: nisi quia altius nihil concipiunt mente quàm quod oculis se offert? Quisque se cum aliis comparando, longam sibi vitam fingit. Denique in hac hebetudine triginta annos vel etiam pauciores sibi pro æternitate statuunt: nec agnoscunt vitæ suæ breuitatem quandiu sensus eorum occupat mundus. Hæc ratio est cur nos expergefaciat Moses, ad cælestem Dei æternitatem mentes nostras attollens, sine qua non sensimus quàm euanida sit vita nostra. Nam imaginatio longi temporis sopori similis est, in quo torpemus omnes, donec cælestis vitæ meditatio inanem hoc terreni status figmentum absorbeat. Porro quia tantopere cæcutiūt homines, Deū illis iudicem statuit: acsi diceret, Domine, si illam æternitatem, ex qua speculatis leues istos mundi circuitus, mente conciperent homines, pro nihilo ducerent præsentem vitam: sed quia non expendunt quæ sit vera diuturnitas, imò sponte oculos suos auertunt à cælo, ideo obstupescunt, & diem vnum reputant quasi centum annos. Hæc autem apostrophe valde emphatica est, quòd Moses socordiæ nostræ pertæsus Deum cōpellat: acsi diceret frustra se apud surdos verba facere, qui ne continuo quidem vsu & experimento se caducos esse discunt. *Quando præteriit.* [a]Notādum hic est, quomodo vitæ nostræ quā tumuis prolixum spatium, mille annorum numero hic significatum, vnius diei decursui conferatur, idque non præsentis, sed præteriti, ac tum demum quum iam præteriit. [c]Nec enim Moses mille annos duntaxat ad diem vnum restringit, sed ponit diem hesternum qui iam præteriit. Quicquid enim adhuc versatur ante oculos, mentes nostras retinet, quod autem præteriit, omnis afficit sui recordatione. [a]Ergo quis nobis hesterni dies visus? Is scilicet qui est aquæ hesternæ, quæ heri translapsa est. Perinde habet vitæ nostræ spatium, posteaquam termino suo clausum desiit. [c]Porro diuus Petrus hanc sententiam citat paulo in diuersum sensum: neque tamen abusiuè, quoniam aptè & scitè ex Mosis testimonio deducit Petrus quod illic tractat, nempe 2.Petri 3.b.8. Vult Moses homines à crassis suis imaginationibus abstractos in cælum attollere. Petrus autem quid? Quia plerique, dum pro eorum voto non festinat Christus, moræ tædio spem resurrectionis abiiciunt, præposterum hunc feruorem optimo remedio corrigit. Videt homines diffluere & excidere à promissionibus Dei, quia videtur Christus nimium tardare. Vnde hoc nisi quia in terra subsistunt? Propriè igitur ad hoc vitium sanandum accommodat Mosis sententiam. Sicut enim delicias sibi faciunt increduli eo quòd mundo nimis affixi cælestem æternitatem non gustant: ita ex eodem fonte oritur impatientia, atque hinc colligimus verum huius doctrinæ vsum. Vnde enim tantopere sumus anxii de vita nostra, vt nihil nobis sufficiat, & nobis ipsi molesti simus, nisi quia perpetuum nidum stultè nobis fingimus in mūdo? Vnde etiam tanta morositas vt flaccescāt animi nostri in aduentus Christi expectatione, nisi quia in terra desident? Discamus ergo non iudicare ex carnis sensu, sed pēdere à Dei iudicio: ideóque fide sursum feramur vsque ad cæleste eius solium, ex quo pronuntiat terrenam vitam nihil esse. *Et vigilia in nocte.* [b]Vel, Et custodia in nocte. [c]Veteres noctem in quatuor vigilias distribuere solebant, quarum singulæ ternis horis constabant. Extenuandi verò causa hæc similitudo addita est, mille annos coram Deo nihil differre à tribus horis nocturnis, in quibus vix sciunt homines vigilentne an dormiant. [b]Acsi Moses diceret, Domine, tu non

pluris facis (id significat In oculis tuis) mille annos quàm vigiliam vnam noctis, quæ tribus tantùm horis constat. [M] Et sanè quid aliud est hæc vita nostra quàm quasi vigilia, & ipsum vitæ nostræ tempus quàm velut nox quædam, si rectè singula reputemus? Noctu multa sunt erroribus & incertitudini, propter caliginem passim cuncta tegentem, obnoxia. Consimilis est & præsentis vitæ conditio, quæ magis opinionibus quàm rerum veritate ac certitudine consumitur. Vigiles nocturni facilè dormitant: sic & nobis accidit in hac vita, quæ plus habet somnij quàm veræ vigiliæ: & ij qui maximè putantur esse vigiles, semisomnes sunt: vt rectè Christus venturum se veluti in media nocte cunctis dormientibus dixerit, Math.25.a.6.

5 *Inundasti eos, somnium sunt: mane quasi herba crescet.*

Inundasti eos. [V] Vel, Inundas eos. Id est, Facis ceu impetu quodam ruere eos. Vel, Facis instar nimbi illos diffluere. Aut, Quasi immissa inundatione subitò rapis eos de mundo, & velut somnium traduntur obliuioni. [C] Confirmat quod prius dixit, homines, dum in mundo peregrinantur, peragere momentaneum quendam circuitum. Nam inundandi verbum ad grauiores pœnas restringi non debet, sed mox simpliciter in genere diluuium confertur. siquidem vbi pauxillum steterimus in mundo, mox cadimus in sepulchrum, & terra obruimur. Ita communis interitus propriè inundatio vocatur. Neque enim secus in ipso vitali statu nos Dominus inundat quàm qui pereunt naufragio absorpti: vt mors aptè dici queat inuisibile diluuium. Tunc verò palàm fieri dicit Moses somnium esse homines, qui in suo curriculo mirum sibi vigorem arrogant. *Somnium sunt*, inquit. [M] Certè hac similitudine non solùm breuitas sed & vanitas vitæ nostræ ob oculos ponitur. Quid enim somnio inanius? ad hæc quàm innumerabilis est somniorum inanium, siue tristium, siue lætorum, varietas? Ita vita nostra reuera & breuis est & inanis, ac innumeris cùm tristium tum lætarum rerum vanitatibus obnoxia. Vnde in libro Iob de potente & glorioso legimus, veluti somnium auolans non inuenietur, Iob 20.a.8. *Mane quasi herba crescet.* [V] Vel, vires accipit, roboratur. Alij, transit, vel præterit. [C] Huc spectat herbæ comparatio, prodiet mane homines, sicuti herba germinat, viret, vel transire ad tempus exiguum, donec succisi arescant. Quia verba sunt singularis numeri, videntur melius connexi cum herbæ nomine: sed commodè etiam referri possunt ad vnumquenque hominem.

6 *Mane florebit, & crescet: ad vesperum excidetur & arescet.*

Mane florebit & crescet. [V] Vel, crescit. Vel, vices accipit, coloratur, vt versu præcedente, nam idem verbum ponitur. [M] Trita est herbæ similitudo breui tempore florentis ac citò transeuntis. de qua vide Suprà, 37.a.2. & Infrà, 103.c.15. & 129.b.6 & Esa.40.b.6.7. & 1.Petri 1.d.24. & Iac.1.b.10.11. Iucundus primùm est illius aspectus, verùm citò flaccescit ac transit: ita fluxa est ac caduca hominis conditio. [C] Assiduam porrò meditationem requirit hæc doctrina: quia etsi fatemur omnes vita nostra nihil esse magis caducum, mox tamen quasi furiosi impetu singuli ad fingendam terrenam immortalitatem rapimur. Nam quisquis se mortalem esse meminit, sibi moderatur, ne vltra modum satagat, sed properet ad metam. Quando autem nullum finem curis nostris ponimus, assiduis stimulis pungi nos oportet, ne pro tenui vitæ vmbra mille vitas nobis somniemus.

7 *Quoniam defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati sumus.*

Quoniam defecimus in ira tua. [V] Vel, consumimur in furore tuo. Hoc est, A statu vitæ nostræ deijcimur, quòd nobis succensere cœpisti. [M] Vtitur similitudine ignis omnia consumentis. Nam & Deus noster, ignis consumens est, Deut.4.d.24. & Hebr.12.g.29. [C] Porrò Moses consultò meminit iræ Dei, cuius sensu nisi tangantur homines, nunquam probè expendunt quod experientia ipsos fateri cogit, quàm citò peracta reuolutione diffluant. Quanquam Moses alia etiam ratione hæc duo simul coniunxit: quum homines natura adeo caduci sint & ferè vmbratiles, populum Israeliticum aduersa Dei manu fuisse afflictum, quia euanidæ nostræ fragilitati minus tolerabilis est ira Dei quàm si mediocris aliqua virtus suppeteret. *Et in furore tuo conturbati sumus.* [M] Bis idem dicit, sed alijs verbis. Nam in ira Dei deficere, nihil aliud est quàm in eius furore conturbari.

8 *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta peccata nostra ad lumen vultus tui.*

Posuisti iniquitates nostras. [M] Hac confessione iram Dei iustificat Propheta. [C] Vt enim demonstret sibi minimè esse in animo hac querimonia Deo obstrepere, iram Dei, quantumuis fuisset terribilis, iustam tamen esse dicit, quia eam populus sua culpa prouocauerat. Nam qui Dei manu percussi non humiliantur, magis se obdurant. Ideo hæc vera proficiendi ratio, ac etiam superbiæ domandæ, Deum sentire iustum iudicem. Ergo Moses vbi breuiter docuit, homines instar fumi natura euanescere, inde colligit non esse mirum si Deus exanimet ac consumat quos in ira sua persequitur. Notanda autem locutio est, Deum, vbi iræ suæ signa profert, ponere ante oculos hominum peccata: quia inde sequitur, quicquid relaxationis nobis datur, Dei indulgentiæ meritò debere ascribi, qui peccata sepelit, vt nobis pareat. *Occulta peccata nostra ad lumen.* [V] Vel, errores nostros. Vel, absconditum, siue occultum nostrum. Id est, peccata quæ putamus secreta esse. Alij adulescentiam vertunt, [B] acsi dixisset Moses reuocari in memoriam adulescentiæ delicta. Quod nimis coactum est ac detortum. sic enim periret antithesis inter abscondita peccata & lumen vultus Dei, qua significat Moses, quandiu non affulget cum luce iudicij sui Deus, homines se in tenebras abdere, séque inuoluere multis fallacijs. Vbi autem Deus à subterfugijs eos retrahens quibus conantur elabi, quæ per hypocrisin occultant peccata oculis suis admouet, tunc metu & terrore subactos vere humiliari. [M] Itaque iustissimo Dei iudicio fit vt quoniam nos peccata nostra abscondimus, & foris per hypocrisin pietatem quandam simulamus, ponat ea Deus in lumine vultus sui, vindictàque de nobis sumat: & sic declaret nihil cogitari posse à nobis, nedum geri, quod ipse nesciat. [A] Vide Suprà, 19.d.13. & 31. h.5.

9 *Quoniam omnes dies nostri in indignatione tua, consumpsimus annos nostros velut cogitationem.*

Quoniam omnes dies nostri. [M] Omnes dies nostros pro omni præsenti hac vita nostra, vulgato loquendi modo posuit, eo quòd illa diebus comprehenditur, vel pluribus vel paucioribus inclusa. Diem verò intellige qui vesperi ac mane compleatur. [C] Confirmat itaque Moses proximam sententiam, totum humanæ vitæ curriculum citò consumi, simulac Deus iratus apparet. [M] Nam ira Dei, instar potentissimi cuiusdam venti, vitam hominum retro auertit, vt longius progredi nequeat. [B] Potest hic etiam amplificatio esse eius quod Moses de rigore Dei dixit, & seuero examine in castigandis peccatis. Dicit enim non exigui modò temporis fuisse hunc terrorem, quem inflixit Deus populo suo, sed protractum esse vno tenore vsque ad mortem. Conqueritur ergo Iudæos in continuis malis ferè contabuisse, quia iram suam Deus non temperit, nec mitigauerit. Ideòque non mirum est si subiiciat, *Consumpsimus annos nostros velut cogitationem.* [V] Vel, tanquam sermonem. Instar loquutionis. Ceu sermonem, qui scilicet tantum est dum fit: simulac vox proferri cœpit, in aerem ipsa spôte euanescit, vt in ea nihil sit firmum q.d. dicto citius. [M] Nam, quemadmodum ille dicit, Volat irreuocabile verbum: ita & hic rectè dixeris, Volat irreuocabilis annus.

10 *In diebus annorum nostrorum septuaginta anni: & si in fortitudinibus, octoginta anni: & superbia eorum, molestia & labor: quia præterit citò, & nos auolamus.*

In diebus annorum nostrorum. [B] Definit modũ ætatis ad quem vulgò homines viuunt, [C] quo ostendit quàm fluxa sit hominum conditio, etiamsi Deus ad eos terrêdos iram suam apertè non exerat. *Septuaginta anni.* [V] Ad verbum, In ipsis septuaginta annis. Id est, septuaginta anni sunt in ipsis diebus. Quidam vertunt, Anni nostri qui in ipsis diebus sunt, septuaginta sunt anni. Id est, In diebus annorum nostrorum sunt septuaginta anni. [C] Quasi dicat, Quæ est vitæ præsentis duratio? nempe si numeremus omnes annos, perueniemus tandem in septuagesimum: vel, si qui erunt magis vegeti ac viuaces, ad octogesimum vsque nos deducent. Dies autem annorum emphaticè posuit, quia dum in minutas partes distribuitur tempus, numerus ipse nos decipit, vt viuendi fiduciam nobis prorogemus. Has inanes blanditias refellere volens, permittit hominibus colligere in paucis annis multa annorũ millia. Simul tamen dicit hunc magnum aceruum statim in nihilum redigi. Amplificent ergo vt libuerit homines vitæ suæ spatium, hoc prætextu quòd singuli sunt trecentos sexaginta quinque

dies in se contineant: certè terminus septuaginta annorũ breuis reperietur. Atqui ex longa dierum supputatione hæc tandem conficitur summa. *Et, si in fortitudinibus.* [V] sub. fit naturæ nostra. Id est, si viuaciores & magis vegeti simus. Quidam, in viribus maioribus. [C] Q. d. qui octogenarius est ad sepulchrũ festinat. Moses, qui hoc carmẽ composuit, vixit annos viginti supra centum, Deut. 34. b. 7. & alii forsan eius ætate octogenarium annorum numerum excesserunt: sed de communi ratione hoc loco loquitur. tunc autem habiti sunt senes & ferè decrepiti qui ad annos octoginta peruenerant: vt non frustra dicat solis robustis id contingere. [M] Proinde notandum hic est, cuius admonendi sumus quando de annosa eorum vita legimus qui in priore mundo propè ad millesimum vsque annum peruenerunt, si nostros annos ad illã contulerimus: nempe peccatis nostris hoc deberi, nõ naturæ defectui in se, quòd nobis vix annus vnus relictus est, vbi prisci homines decem vixerunt. Solent nonnulli de annis illorum contendere, putantes nõ fuisse tales támque prolixos quales sunt nostri. Inepti sunt hi homines, præterquam quod ex scripturis sacris institui possunt. Quin hoc magis cogitãt, iram Dei in hoc declarari, quòd tãto temporis interuallo ab illis superamur qui primis seculis vixerunt. *Et superbia eorum.* [V] Vel, fortitudo eorum. Vel, robur, vigor, siue fœlicitas eorum (sub. annorum) in qua superbire solemus. q. d. & vt fœlicissimè viuam[V], dies illi sunt ærumna & vanitas. Alii, talium superbia. Alii, & fastus illorũ. *Molestia & labor.* [V] Vel, peruersitas & iniquitas. Alii, molestia & ærumna. Vel, ærumna & calamitas. [C] Moses hoc loco superbiam accipit pro virtute, vel præstantia, qua se magnificè iactant homines. Sensus autem est, Antequam declinent homines ad senium, in medio tamen ætatis flore iam implicari multis molestiis, nec posse curas, tædia, dolores, metus, ægritudines, incommoda & anxietates effugere, quibus obnoxia est vita mortalis. Cæterùm hoc ad totum vitæ curriculum refertur. Et certè siquis reputet qualis sit vitæ nostræ conditio ab infantia vsque ad sepulchrum, repetiet in singulis partibus molestias & labores. Nam עמל & און dum simul iunguntur, passiuè sumuntur pro incommodis & afflictionibus: acsi dixisset Moses laboriosam esse hominis vitam, multisque tormẽtis refertam, idque dum maximè superbiunt. *Quia præterit citò, & nos auolamus.* [C] Hæc ratio nõ satis quadrare videtur. fieri enim potest vt fœlicitas, quæ breuis est, non tamen ideo nulla sit. Sed intelligit Moses stultè gloriari homines in sua excellentia: quia, velint nolint, coguntur in futurũ tempus respicere. Atqui, simulac oculos aperiunt, præcipiti volatu se ad mortẽ ferri & rapi vident: suam verò præstantiam singulis momentis euanescere. [A] Agnoscamus ergo præsentis vitæ fugacitatem, & molestias & labores, quibus obnoxia est, peccatis nostris imputemus: nec nobis molestũ sit hinc discedere quum Domino visum fuerit. [M] Vidi (inquit Salomon) cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa, vanitas & afflictio spirit[V], Ecclesiast. 1. c. 14.

11 *Quis cognoscit vim iræ tuæ? & secundum timorem tuum ira tua.*

Quis cognoscit vim iræ tuæ? [A] Vel, Quis nouit robur iræ tuæ? [M] Exclamationem habet hic versus nõ otiosam, sed talem qua satis declaret quid hoc loco considerandum nobis proponat: nempe quàm immensa & incomprehẽsibilis sit iræ Dei vis ac potentia. Huius nos admoneri vult, quoties breuitatem hanc, vanitatem ac molestiam vitæ nostræ in nobis experimur, ac sensu illarum afficimur. [C] Meritò itaque exclamat Moses inæstimabile esse iræ Dei robur: quia quãtisper ipse manum suã subducit, homines, non secus ac serui fugitiui, quos Domini conspectus amplius non terret, petulanter exultant. Nec aliter sub obsequium cogitur præfracta eorum natura, quàm vbi iudicii sui terrore eos Deus percellit. Sensus ergo est, quandiu se occultat Deus, irámque suam dissimulat, contumaciã turgere homines, & violento impetu ruere: sed vbi sentire coguntur quàm sit ira eius formidabilis, ferociæ suæ oblitos decidere in nihilum. *Et secundum timorem tuum ira tua.* [V] Vel, vt timor tuus, ira tua. Alii, quantum enim quis te timet, tanta est indignatio tua. Alii, erit sicut timor tui, feruens ira tua. [M] Subobscurum est hoc membrum, propter locutionis breuitatem. [V] Quidam paraphrasticè sic vertunt, Vt te quique timent, ita in eos indignatio tua. Alii, quum timor tui sit indignatio tua. Hoc est, quum videaris in tuos pro eo quòd te colunt & timent, indignari. q. d. Quis habet perspectum modum iræ tuæ? nullus. Nam quo quis est religiosior, eo in eum ira tua videtur atrocior. [C] Et certè quo magis quisque Deum reueretur, eo durius & seuerius tractari solet. Iudicium enim à domo Dei incipit, 1. Pet. 4. d. 17. & quum reprobos in sua pinguedine foueat, electos suos maceret ac continuis tribulationibus, denique castigat quos diligit, Prouer. 3. b. 11. & Heb. 12. b. 6. Sed Moses aliud hoc loco voluisse videtur, nempe sola Dei reuerentia fieri vt verè & seriò sentiamus eius iram. Videmus enim reprobos, etiamsi duriter castigentur, vel frænum arrodere, vel calcitrare aduersus Deum, planéque furere vel stare attonitos, quasi occalluerint ad mala omnia: tantùm abest vt subigãtur. Quanuis etiam tumultuentur ac clament, non penetrat tamen ira Dei in eorum animos, vt mitescat eorum ferocia. Piæ tantùm mentes ira Dei vulnerantur, nec fulmina expectant quibus reprobi opponunt duram & ferream ceruicem: sed Deo vel minimum digitum mouẽte, statim contremiscunt. Hæc videtur esse genuina mens Prophetæ. Dixerat satis non posse comprehendi humano ingenio quàm horribilis sit ira Dei. Videmus autem, quanuis cælum & terram concutiat Deus, multos tamen Cyclopes ridere, & tam bruta esse ferocia vt Deum fulminantem contemnant. Sed quia doctrinam tractat peculiarẽ filiis Dei, dicit in illis tenerrimum esse iræ Dei sensum, vt scilicet eius imperio se placidè submittant. Quanuis enim impiis sit carnifex propria conscientia, quæ eos quiescere non sinit, ex cæco illo metu adeo non discunt mansuetudinem vt cõtumacius obstrepant. Denique solis fidelibus sensibilis est ira Dei, qui domiti se nihil esse agnoscũt, & cum vera humilitate totos se addicunt Deo. Hæc sapientia in reprobos homines non cadit, qui fastum, quo inflati sunt, nequeunt deponere: quia sensu iræ eius nõ tãguntur, eo quòd neque ipsum timeant.

12 *Vt numeremus dies nostros sic scire fac, & adducemus cor ad sapientiam.*

Vt numeremus dies nostros sic scire fac. [V] Aduerbium Sic reuocari debet ad principium versus, hoc modo, Sic fac scire nos vt numeremus. Hebraismus, pro, Sic fac intelligamus quàm breui tẽporis spatio simus victuri, ac ita reddemur sapientiores, cautiores, & circũspectiores. Id significat numerare ãnos. Quidam sic paraphrasticè vertunt, Vt ergo dierum nostrorum numerum sciamus, tu nobis planè indica, vt sapiẽtiæ animum intendamus. [M] Orat hoc versu Moses vt consideratio hæc breuis vitæ nostræ animis nostris insideat, & ad instructionem nobis per gratiam Domini cedat, quo sapientiores reddamur corde. [C] Nam quia videbat sanctus vir, quod hactenus docuit, hominum ingenio non comprehendi, donec affulgeat Deus Spiritu suo, iam ad precationem se conuertit. Videtur quidem primo intuitu ridicula esse precatio, vt teneamus numerum annorum nostrorum. Quid enim, quum vix annum octogesimum attingant robusti, an difficile est supputare tam paucos annos? Discunt numeros pueri simul ac balbutire incipiunt. Nec verò arithmeticam à magistro discere opus est vt numerum centenarium digitis supputemus. Atqui eo fœdior & magis pudenda nostra socordia quòd tam breue vitæ nostræ spatiũ nunquã comprehẽdimus. Nam qui optimus erit arithmeticus, & myriades myriadum distinctè ac subtiliter tenebit ac excutiet, non tamen poterit octoginta annos supputare in propria vita. Hoc certè prodigio simile est, homines extra seipsos metiri omnia interualla, cognoscere quot pedibus distet Luna à centro terræ, quàm longis inter se spatiis planetæ diuidantur, denique omnes cæli & terræ dimẽsiones tenere, quum in seipsis septuaginta annos non numerent. Videmus ergo, quod rarissimæ prudentiæ est non frustra Mosen à Deo petere. *Et adducemus cor ad sapientiam.* [V] Vel, adducemus in cor sapientiam. [A] Hoc est, sapientiæ animum intendemus. [C] Docet Moses nos tunc demum cor adiicere ad sapientiã dum capimus vitæ humanæ breuitatem. Quæ enim maior amentia est quàm nulla proposita meta vagari? Soli autem fideles, quibus nota est inter hanc caducam vitam & beatam æternitatem, ad quam creati sunt, distinctio, sciunt quo vitam dirigere oporteat. Ergo nemo composita mẽte vitã instituet nisi qui cognito vitæ fine (hoc est, morte ipsa) ad considerãdum viuendi scopum deductus fuerit, vt ad palmam supernæ vocationis pergat. [M] Et obserua, sapientiam hanc, quæ ex miseriæ nostræ consideratione hauritur, non capitis esse, sed cordis. Non dicit Moses, Adducemus intellectum, vel ingenii acumen, ad sapientiam: sed, adducemus cor ad sapientiam. Est enim hæc sapientia electorum, non qua scitur tantùm quod verum est, vel falsum, sed qua corda nostra, relictis mũdi huius vanitatibus, veri ac summi boni amore afficiuntur. Vide Ephes. 4. e. 22.

13 *Reuertere Iehoua: quousque? & placare super seruos tuos.*

Reuertere Iehoua. [M] Hoc versu Moses iram Dei deprecatur, cui supra omnem vitæ nostræ calamitatem, vanitatem, ac breui

tatem adscripsit. [c] Postquā ergo conquestus est, orat vt Deus, qui pridem grauer à populo suo pœnas exigere non desierat, tandem ad lenitatem flectatur. Etsi enim quotidie multis modis gustum aliquem dabat amoris sui, exilium tamen à terra promissa, durissima erat afflictio: quo admonebantur se beata illa hæreditate, quam Deus filiis suis destinauerat, esse indignos. Nam & horribile illud iusiurandum quo fulminauerat contra eos Deus, necesse fuit subinde illis venire in mentem, Non introibunt in requiem meam, sed putrescent eorum cadauera in deserto, Numer.14.d.23,& 35. Nec dubiū est quin asperam illam seruitutem, qua perpessi erant in Ægypto, coniungat cum erroribus deserti ideóque non immeritò diuturnum languorem deplorat in particula Quousque.

[h] Sicuti ergo auerti dicitur Deus quando iratus pœnas de nobis sumit, opémque suam negat: ita vicissim conuerti vel reuerti dicitur quando propitius & placatus afflictis succurrit, ac miseros amanter complectitur. Hoc est, quando calamitatem ac luctum in successum rerum & cordis exultationē trāsmutat. *Et placare super seruos tuos.* [a] Quia verbum נחם pœnitere significat, non malè quadrat hic sensus, pœniteat te super seruos tuos, quia ex communi Scripturæ vsu cōstat pœnitentiam Dei vocari, vbi discussa tristitia, gaudii materiam restituēs, quasi mutatus apparet. [v] Vnde etiā Chaldæus Paraphrastes sic vertit, Conuertere à malo quod loquutus es, vt taceres seruis tuis. Et Hebræorum quidam sic exponit, Et pœniteat te more filiorū hominum, quos pœnitet aliquid fecisse. [h] Propius tamen videntur ad Mosis mentem accedere qui vertunt, Consolare te super seruos tuos. [v] Dicitur autem Deus consolari se in nobis quum sese oblectat tanquam pater in filiis, & sumus illi quasi in deliciis, ac ex nobis voluptatem capit, quando placatus est nobis. quandiu enim alienatus est à nobis propter peccata, non potest seipsum in nobis oblectare. [a] Vide Prouerb.3.b.12.

14 *Satia nos mane bonitate tua, & exultabimus, & lætabimur cunctis diebus nostris.*

Satia nos mane bonitate tua. [h] Veluti exponit de qua conuersione loquatur. Satiabantur mane calamitatibus & afflictionibus: orat igitur vt sublatis illis quotidianis tribulationibus, mane satientur bonitate Dei, [a] hoc est, mœrore discusso, læti & alacres Deo seruiant. [h] Similitudine vtitur esurientium, quorum primarium ac perpetuum votum est vt satientur. *Et exultabimus, & lætabimur.* [v] Vel, Et orabimus, & cantabimus. [h] Sicut diuinæ bonitatis esuries in rebus afflictis omnia mœrore & anxietatibus, ita contra satietas illius omnia exultatione & gaudio replet. [a] Itaque satietas hæc fid. constat, qua Deus, qui vnus animum nostrum satiare potest, percipitur: hæc tamen parit gaudium, pacem, laudem, & gratiarum actionem. [h] Homines huius seculi dicunt, Satia nos opibus, deliciis, &c. fideles autem, Satia nos bonitate tua, siue misericordia tua. [a] quia norunt nihil sibi defuturum si Deum propitium ac beneuolum habuerint.

15 *Exhilara nos secundum dies afflictionis nostræ, annos quibus vidimus malum.*

Exhilara nos secundum dies. [a] Vel, lætifica nos. *Secundum dies afflictionis nostræ.* [v] Vel, secundum dies quibus afflixisti nos. [h] Repetit afflictiones quas aliquot fuerat seculis populus Israel non in desertis tantùm locis, sed & in Ægypto & ante incultum Ægypti, sub Patriarchis perpessus. Perpetuò siquidem aduenæ & peregrini fuerant donec in terram promissam inducerentur. Orat ergo vt aliquādo læti dies respondeant tristibus. *Annos quibus vidimus malum.* [v] Repetitio est. videre malum & affligi, idem. Quidam Hebræorum hunc in modum exponit, Quemadmodum afflixisti nos, & videre fecisti nos malum, sic nunc nos exhilara. q.d. Si perpetuus fuerit tuus iste rigor, quid nobis fiet? Certè consumet nos. Ergo ostende te esse placatum, & exhilara nos: sitque aliquis gaudii successus post tam longam tristitiam. [h] Notandum hic est spem fieri afflictis, vt pro diebus afflictionis olim exhilarentur. Est autem hic cursus populi Dei, vt primùm tristibus affligatur, deinde lætificetur. [c] Sicut Christus Apostolis dicebat, Mundus gaudebit, vos verò mœstitia afficiemini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Iohā.16.c.20. Vide Luc.16.f.25. & Iac.4.c.9. & 5.a.1, & 2. Petri, 2.6.

16 *Appareat erga seruos tuos opus tuum, & decor tuus super filios eorum.*

Appareat erga seruos tuos opus. [h] Hoc est, beneficentia ac magnificentia tua. [c] Nam quia Deus Ecclesiam suam deserens quodammodo alienam personā induit, ferè Moses proprium eius opus nominat protectionis gratiam, quam pollicitus fuerat filiis Abrahæ. Ergo quanuis in omnibus pœnarum exemplis, quibus perfidiam, ingratitudinem, contumaciam, libidines, prauásque cupiditates populi vltus est, conspicuum fuerit eius opus, κατ᾽ ἐξοχὴν aliis omnibus potentiæ eius documentis illam tuendæ populi salutis curam præfert Moses, quam maximè volebat innotescere. Hac ratione Paulus Dei bonitatem gloriæ titulo specialiter insignit, Rom.9.e.23. Quanuis enim gloriam suam asserat mundum iudicando, quia tamen nihil ei magis naturale est quàm beneficū se monstrare, ideo gloria eius in beneficiis excellere dicitur. Quod ad præsentē locū spectat, tantùm cœperat Deus populum suum liberare: restabat enim vt fruerentur terra Chanaan. Itaque nisi vltra desertum progressi essent, obscurata fuisset redemptio. Adde quòd ex promissione opus Dei æstimat Moses, ideóque plenum & suis numeris absolutum fore negat nisi suam gratiam vsque in finem cōtinuet. *Et decor tuus.* [v] Vel, gloria tua. Gloriā vel decus Dei aut splēdorem vocat quum Deus glorificatur, propterea quòd sit beneficus erga populum suum & misericors. Gloria Domini est mera eius bonitas & misericordia, de qua Eph.1.b.6. *Super filios eorum.* [a] Hæc particula verū esse ostendit quod diximus, Mosen æstimare opus Dei ex promissione. [c] Nam non modò ætati suæ bene precatur, sed generationi quæ nōdum nata erat. quia talis erat forma fœderis, Ero Deus tuus & seminis tui, Gen.17.a.7. [a] Dicit ergo Moses, fac vt nominis tui gloria non nobis tantùm, sed etiam posteritati nostræ sit cōspicua, vt nomen tuum in nobis ac in posteris nostris glorificetur. [c] Cæterùm hoc exemplo monemur, in precibus nostris habendam esse posteritatis curam. præsertim, quia nobis promissa est Ecclesiæ perpetuitas vsque ad finem mundi, (sicuti vidimus suprà, 89.a.5.) in omnibus votis, quibus commendamus eius salutem, complecti posteros nostros, etiam qui nōdum nati sunt, conuenit. [h] Primùm itaque danda nobis opera est vt simus nos serui Dei, deinde liberos ad eum modū educemus vt magnificentiæ Dei & gloriæ, tanquam posteri seruorum Dei, capaces esse possint. Hæc erat optima ratio consulendi posteris.

17 *Et sit pulchritudo Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.*

Et sit pulchritudo Domini. [v] Vel, Sit decor. q.d. Ostende te erga nos beneficum, vt sic decor tuus appareat in nobis, & sis illustris. [h] Hinc verò colligimus quàm incōparabilis sit erga nos Dei amor. Quanuis enim suis donis nos ornans, nihil sibi acquirat, liberaliter tamen nobiscum agendo, splendere vult, & decorem suum palàm facere: acsi forma eius obscura esset, vbi nos sua beneficentia prosequi cessat. *Et opus manuum nostrarum dirige.* [v] Quidam vertunt, Confirma. Alii, Instituε super nos. Sed confirmandi verbum melius conuenit. [c] Significat enim Moses nil posse nos fideliter aggredi vel tentare, nisi dū se ducē & authorē præbet Deus, & suis auspiciis nos regit. Vnde sequitur, suos profanis hominibus conatus & studia retrorsum cadere, quia Deum non sequendo, confusè & inordinatè omnia peruertunt. Nec superuacua est particula עלינו. nam etsi in optimum finem dirigit Deus quicquid Satan & omnes reprobi moliuntur, specialis tamen est Ecclesiæ ratio, in qua peculiare imperium Deus exercet. Nam arcana sua prouidentia opus suum dirigit Deus extra reprobos, sed intus fideles suo Spiritu gubernat, ideóque propriè opus manuū ipsorum ordinat. *Et opus manuum nostrarum dirige.* [v] Eiusdem precationis repetitio est. q.d. Domine tuum est disponere opera nostra, quia non possumus quicquam rectè aggredi nisi tuo ductu: sed hoc non sufficiet nisi pergas opera nostra disponere, hoc est, nisi perpetuo & continuo tenore nos deducas vt perseueremus in tuo obsequio.

ARGVMENTVM PSALMI XCI.

[a] DOCET hic Psalmus quàm tuti agant, liberique à malis vniuersis, qui Deo sese solida fide commiserint: vt pii omnes à sola Dei prouidentia pendere discant.

1 *Habitans in abdito Excelsi, in umbra Omnipotentis morabitur.*

Habitans in abdito Excelsi. [v] Vel, Qui habitat. Ad verbū, Habitās, Sedēs. [h] Primus hic versus descriptionē habet hominis fidelis, & à Deo pendentis. [a] Quidā tamen Hebræi interpretes vno contextu legunt tres primos versus, vt pēdeat sententia vsq; ad mēbrū illud, Certè eruet te à laqueo aucupis, atq; ita exponūt,

Qui habitat in refugio Excelsi, & in vmbra Dei commoratur, illi dicam de Iehoua quòd sit spes eius & propugnaculum, & Deus in quo acquiescere tutò liceat: quoniam liberabit eum à laqueo, &c. sed quàm coactus sit sensus ille, palam est. Deinde qui ita sentiunt, simulatatione mouentur: quia primo versu idem bis repeti existimant, ideóque nullum sensum possunt elicere. In quo longe falluntur: res enim diuersas notat Propheta, quisquis sit Psalmi author, dicens eos qui absconditi latent sub Dei custodia, non esse telorum ictibus expositos, sed inhabitare tutum & quietum locum. Si quis ita loquatur, Qui Deum habet præsidium salutis suæ, ille quiescet sub vmbra Dei: in secundo mébro emphatica notatio erit: quia illic humanis auxiliis opponitur Dei potentia. Sic etiam Propheta hoc loco mansuros dicit sub vmbra Dei qui in abdito eius habitant: quia sentient tandem quid valeat eius protectio. Quum ergo bona pars mundi quærat sibi varias latebras, atque vt se quique vident obnoxios pluribus malis, circumspiciant huc & illuc: docet nusquam alibi tutam & inexpugnabilem salutis arcem esse quàm in Dei præsidio. Itaque spes omnes, quibus vt plurimum delodimur, opponit eorum securitati qui in Deum recumbunt.

2 *Dicam Iehouæ, Spes mea & arx mea: Deus meus, sperabo in ipso.*

Dicam Iehouæ, Spes mea. [v] Quidam legunt, Dicam de Iehoua. acsi Propheta diceret, Ausim polliceri de Iehoua, nempe quod sequenti versu dicitur, in quo volunt sententiã perfici. [c] Sed plus efficaciæ habet quod reddidimus, Dicã Iehouæ, Spes mea. Nam Propheta absque dubio animi sui fiduciam erga Deum ad exemplum aliorum expressit, & ex proprio sensu & fidei experientia se loqui ostendit: quod valde necessarium est in doctore. Hæc enim vera demum est cognitio, quã per manus aliis tradere licet, dum profitemur nõ ex labiis tantùm, sed ex intimo corde, quod nobis Deus patefecit. Ergo Propheta ex intimo affectu, quod nuper docuit, profectum esse testatur. Ad hæc, fideles non simpliciter statuunt Deum sibi fore loco arcis, sed eius promissionibus freti, familiariter eum compellant. Ita ex precandi fiducia confirmat quàm tuta sit sub vmbra Dei habitatio. Hæc enim sancta gloriatio, maximus est fidei triumphus, dum intrepidè confugimus ad Deum, quicquid accidat: certóque persuasi sumus non tantùm vota nostra ab eo exaudiri, sed satis supérque auxilii nobis esse in eius manu. *Deus meus, sperabo in ipso.* [m] Obseruãdũ hic est quomodo Propheta spem suã & Deum suũ coniunxerit, vt intelligamus non debere spem nostrã esse nisi eum qui Deus noster est: nec posse nobis munimẽtum esse, aut arcem, nisi eundem. Blasphemia est itaque & impia cantio, qua Papistæ Mariæ matri Domini supplicantes, canunt, Salue regina misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, &c. Maledictus est qui spem suam ponit in hominem, Ierem. 17. a. 5. Contra, Beatus vir qui posuit Dominum spem suam, Suprà, 40. a. 5.

3 *Certè ipse liberabit te à laqueo aucupis, & à peste noxia.*

Certè ipse liberabit te. [a] Alii vertunt, Nam Ipse eruet te. [c] Hic Propheta spem, de qua loquutus erat, dicit non fallacem vel irritam fore, quia Deus suorum perpetuus sit liberator. Neque enim dubium est quin sermonem ad seipsum conuertat, séque hoc modo ad bene sperandum animet. [m] Sicuti solent qui in rebus arduis ac deliberando secum ipsi mussitant, séque ipsos alloquuntur. quale est quod Suprà, 42. b. 6. c. 12. & 43. b. 5, legimus. *A laqueo aucupis.* [v] Vel, venatoris. *Et à peste noxia.* [v] Vel, à peste prauitatum. Vel, ab excidio exitiorum. id est exitiali. [b] Laqueo aucupis videtur significasse insidias & clancularias inimicorum machinas: vt peste noxia, manifesta exitia. [c] acsi dixisset, siue clam occultis artibus insidietur nobis Satan, siue aperto Marte nos oppugnet, paratum fore Dei auxilium. Nam vt quispiã simplicius accipere verba malit, probabile tamen est notari quaslibet malorum species: vt sciamus nulla in parte nos periclitari quin Deus succurrat. [m] Interea notemus, pios in hoc seculo exerceri per impiorum hominum malitiam. Audimus hic venatores, laqueos, & pestẽ mortiferam: sed bene habet quòd illum habent pii omnes protectorem, qui his omnibus nocendi vim quoties vult adimit.

4 *Alis suis proteget te, & sub pennis eius tutus eris: scutum & clypeus veritas eius.*

Alis suis proteget te. [v] Vel, Sub penna sua. Vel, sub alis suis. [c] Hæc similitudo, quam etiã alibi vsurpat Scriptura, mirã Dei in tuenda salute nostra sollicitudinem pulchrè depingit. Si in se reputatur Dei maiestas, certè nihil habet affine vel gallinis, vel aliis auibus, vt fouẽdis pullis alas extẽdat. Ipse verò, vt infirmitati nostræ consulat, à cælesti sua gloria quodammodo descendere nõ grauatur, vt sub gallinæ imagine blandius nos inuitet. Nihil ergo est quod nos impediat à familiari eius accessu, quando ita comiter se demittit. [a] Vide Matth. 23. d. 37. *Et sub pennis eius tutus eris.* [m] Sicuti Deus fideles alis suis operit, ita habẽt hi instinctum diuino munere inditum, vt confestim sub alas Dei cõfugiant, illicque abdãtur. atque ita fiducia nostra, & fides Dei coniunguntur. Non debent istæ separatim inspici. Quantumuis immensa sit fides Dei, nisi tamen accedat fiducia nostra vt confidamus sub alis protectionis eius, nobis certè non conducet. Rursus, nisi esset fides Dei, inanis esset nostra fiducia. *Scutum & clypeus veritas eius.* [v] Vel, scuto & clypeo. Id est, Seruabit te iuxta promissionem suam fidelẽ & veracem. Alii vertunt eodem sensu, scuto & clypeo veritate sua, sub.teget te. [c] Quanquam autem veritas Dei, quam clypei & parmæ loco fore dicit, pro fidelitate capitur, certum tamẽ est Prophetam ad Dei promissiones respexisse, sine quibus nemo in Dei sinum conicere se auderet. Quia igitur sublato verbo gustare non possemus hanc Dei bonitatem, de qua disserit Propheta, ipsum testem eius producit. Sicuti autem nuper Deum arci comparans, tutos & saluos fore dixit qui in eo acquiescunt: ita nunc sub clypei similitudine intermedium fore docet, vt nos ab omni insultu defendat. [f] Discamus hic solo Dei verbo piorum animas in hoc vitæ deserto securissimam degere vitam. Vnde non abs re Seruator Deo Patri dicebat, Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est, Iohan. 17. c. 17.

5 *Non timebis à terrore noctis, à sagitta quæ volabit per diem.*

Non timebis à terrore noctis. [v] Vel, à timore noctis. Vel, nocturno. Id est, nihil accidere poterit nocte quod te terrere possit. [c] Fusius explicat Propheta quod paulo antè attigimus, vndecunque molestiam facessat nobis Satan, & quocunque telorum genere nos impetat, si vnico Dei præsidio cõtenti erimus, nihil nociturum. idque tenere operepretium est, quos Deus in tutelam suam suscepit, probè vndique esse munitos. Nam quum nihil difficilius sit quàm Deum amplecti liberatorem, quamuis eousque quis profecerit: vbi tamẽ occurrunt tot mortes, & noxæ quibus obsidetur vita nostra, simul obrepit dubitatio quæ inquietudinem & trepidationem generat. Ideò non abs re enumerat Propheta diuersas malorum species, ne vnã tantùm salutem à Deo sibi promittant fideles, sed innumeris tentationibus fortiter resistant. [a] Quod vtinã probè agnoscerent qui spes suas partiuntur, dum variis se periculis obnoxios vident, & ab iis liberari cupiunt. *A sagitta quæ volabit per diem.* [v] Id est, à repẽtino periculo quod non prauident & præcauent fideles. [b] Nam sagittam interdiu volantem potius elegit Propheta quàm aliud quoduis telũ, quia & longius vibratur, & propter celeritatem non facilè potest præcaueri.

6 *Ab exitio in tenebris grassante, à peste quæ in meridie vastat.*

Ab exitio in tenebris grassante. [v] Vel, A peste quæ in caligine ambulat. Vel, ab excidio, à vastatione. q. d. Tam diu quàm noctu, assiduè versantur homines in periculis, nec, quocunque se flectant, possunt mortem effugere: sed Dominus erit illis perpetuus defensor, idque non contra vnam mali speciem, sed contra innumeras, quoties opus fuerit. *A peste.* Vel, ab exterminio, à lue. id est, à peste, siue exitiali morbo qui grassatur quum calor solis est vehementissimus. *Quæ in meridie vastat.* [v] Vel, à peste vastante. q. d. A peste quæ clam inuadere homines solet, & ab ea quæ de improuiso exorta sæuiet, securus eris. [b] Diuersis verbis idem inculcat Vates, nullum esse genus mali quod non repellat Deus auxilii sui clypeo.

7 *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

Cadent à latere tuo mille. [v] Ad verbum, Cadet. q. d. Videbis passim peste & aliis malis interemptos coram te cadere, miseréque perire: at tu interim securus manebis. Quidam vertunt, Cadant licet à latere, &c. [a] quod nónulli ita exponunt, Si tanta etiã vis desæuiat pestis dæmonum ministerio immissæ, vt à sinistris mille, à dextris decẽ millia cadãt, nihil tamẽ erit quod tu tibi metuas. [b] Sed Vates proximam sententiã prosequutur, quãuis eadẽ sit mortaliũ omniũ cõditio in speciẽ, singulari tamẽ priuilegio eximi fideles à propinquis malis, & quæ ferè eorũ capitib. imminẽt. Alioqui enĩ protinus in mẽtẽ hoc veniret,

Quid? nōne tu vnus es ex vulgo hominū, quorum vita mille morbis circūdatur? Hanc dubitationem vt corrigat Propheta, disertè admonet, quamuis totus mundus ruinis misceatur, Deum tamen peculiari cura seruis suis consulere, ne promiscuè in turbis pereant. Valde necessaria admonitio. Quāuis naturaliter communibus incōmodis subiecti simus, singulari tamen priuilegio nos eximi, vt semper in periculis tuti simus. *Ad te autem non appropinquabit.* [V] Vel, non pertinget, sub. telum vllū, aut pestis. [M] hoc est, Permanebis illæsus. Vide Ezechiel. 9.c.6.

8 *Vtique oculis tuis aspicies, & retributionem impiorum videbis.*

Vtique oculis tuis aspicies. [V] Quidā, tantùm. Alii, Sed oculis tuis spectabis. Alii, Vtique oculis tuis videbis. q.d. Te nihil molestū, sed tantùm spectante. *Et retributionem impiorum videbis.* Vel, & repensionem. vel, & talionem. [C] Non modò intelligit Vates experientiam fore magistram (quia reipsa sentient fideles & quasi oculis cernent salutem suam in Dei manu repositam esse) sed alio argumēto confirmat hanc doctrinam, quòd scilicet Deus, qui iustus est mūdi iudex, impios ac reprobos suo meritis sontes exitio plectēs, suos tueatur. Quamuis ergo res sæpe in terra confusæ sint, in hac tamen obscura caligine dicit Propheta fideles palàm cognituros iudicia Dei, vnde colligāt non frustra se in eum sperasse. Alloquitur autē oculatos, & qui præditi sunt vera fidei luce, qui ad consideranda Dei iudicia sedulò excubant, qui etiam patienter & in silentio expectant tempus opportunum: quia maior pars iudicium præcipitans sua festinatione se confundit. Vnde fit vt sensus carnis ad Dei prouidētiam cæcutiat. Adde quòd sufficere nobis debet si iudicia sua Deus ex maiori parte in diem plenæ reuelationis differens, aliquem nunc gustum præbeat. [M] Interea notandum reproborum supplicia ideo piorum oculis obiici vt re ipsa videant multū esse coram Deo discriminis inter iustum & impium, discántque in timore Domini perdurare. Nō enim tam ob id punit Deus reprobos in hac vita quòd peccatū ab illis est, quàm vt peccandi cursus sistatur, & exemplum detur esse in cælis iudicem qui iniquitatem detestetur, iustitiam amet, & res mortalium cælitus despiciat, ac rationem timentium se habeat.

9 *Quia tu Iehoua protectio mea, excelsum posuisti refugium tuum.*

Quia tu Iehoua protectio mea. [V] Qui versum hunc sequenti iungunt, & sermonem ad pium dirigi volunt, legunt in hunc modum, Quoniam tu dixisti, Iehoua spes mea. Vel sic, Quoniam tu Iehoua, qui tutela mea es, & etiam Altissimum, posuisti refugium tuum, non accedet, &c. [M] Sed rectius alii sentiunt apostrophen hic esse ad Dominum. [C] Nam sicuti Propheta in hoc Psalmo subinde varias personas, ita in hoc versu primò Deum compellat, deinde iterum ad seipsum sermonem conuertit. Tu, inquit protectio mea, vel, spes mea. [M] Rationem reddit tantæ securitatis & fiduciæ, quare non timeat à terrore nocturno, &c. q.d. Quoniam spem meam in te colloco, qua securus reddor cōtra quascunque, siue visibiles siue inuisibiles noxas. Non enim deseris sperantem in te. Non dicit, Quoniam iustus sum, aut, Quoniam mea industria periculum effugi, sed, Quoniam tu es protectio, vel spes mea. Nam securitatem hanc nec iustitiæ, nec cautioni propriæ, sed diuinæ protectioni tribuit: [C] vt efficacius suo exemplo ad eum cogat reliquos fideles. *Excelsum posuisti refugium tuum.* [V] Id est, in Deo excelso. Alii referunt ad locum, vertentes, Excelsum posuisti habitaculum refugii tui. Vel, in edito loco collocasti habitationē tuā. [C] Seipsum denuò alloquitur Propheta, quo plus fidei faciat de interiore suo affectu. Nam hæc vera demum fidei probatio est, dum se quisque colligens, absque testibus animum suum examinat: quia vbi Deo vnico non contenti, ad homines reflectimus oculos, vix fieri potest quin se ambitio in fidei locum insinuet. Dicitur autem Deus censeri pro domicilio, quia sursum & deorsum nobis defensor est ab omnibus noxis, sicuti iā vidimus, Suprà, 90.a.1.

10 *Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Non occurret tibi malum. [A] Vel, non accidet tibi malum. Vel, non accedet ad te malum. [M] Post aliquot malorum specificationem, Propheta summatim & in genere dicit, Non occurret tibi malum, dictione mali omnis generis afflictiones, miserias, & ærumnas complectens. [C] Verum quidem est fidelibus quoque accidere multa incommoda: sed intelligit Propheta Deū opponere manum suam contra violentos insultus, ne prorsus obruantur fideles. [A] Qua de re dictum est Suprà 37.c.24. *Et plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.* [C] Iam hanc Dei protectionē & custodiam ad totas piorum domus extendit: quia scimus Deum ipsum paterno fauore, quo dignatur seruos suos, eorū etiam filios complecti. Nisi fortè simplicius accipere libeat, qui Deum eligunt domicilii loco, in suis ædibus tutò habitaturos. [M] Porrò dictione tabernaculi respexit Vates ad priscum viuendi & habitandi morem, quo Patres in tabernaculis commorati sunt.

11 *Quia Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.*

Quia Angelis suis mandauit de te. [A] Rationem subiungit prædictæ securitatis. Quia, inquit, meo nomine Deus Angelis suis mandatum dedit vt te custodiant vbique. [C] Hoc autem consultò additum fuit à Propheta, vt obuiam iret nostræ infirmitati. Vnde perspicimus quàm benignè nobis indulgeat, qui nō tantùm ignoscit diffidentiæ nostræ vitio, sed remedium adhibet, dum se pronuntiat fore loco arcis & clypei, vmbrā manus suæ offert, vocat se domicilium, alas denique ad nos fouendos extendit. Nisi tot & tam luculentæ promissiones nobis sufficiāt, annon plusquam ingrati sumus? Si nos terret eius maiestas, gallinæ se comparat: si trepidamus ad hostium potentiam, vel nos exanimat discriminum multitudo, inuictam suam virtutē proponit, quæ absorbeat cōtrarias omnes potētias. Atqui vbi tot modis ad se nos allicere tētauit, quia videt tardè adhuc & cunctanter accedere, acsi non essemus eo vno contenti, adiungit etiam Angelos, & eos offert salutis custodes. Hoc certè est insigne indulgentiæ eius testimonium, quòd se validis copiis armatum esse pronuntians ad nos tuendos, diffidentiam nostram subleuat. Nec modò singulis assignat vnū Angelum, sed cælestes suos exercitus de salute cuiusque fidelium iubet esse sollicitos. Nam vnumquenque fidelium alloquitur Propheta, sicut etiam suprà 34.b.8. vidimus Angelos castrametari in circuitu timentium Deum. Vnde apparet falsum illud esse commentum, suum cuique Angelum singularem esse, idque tenere maxime nostra interest: sicuti certamen nobis est cum multis hostibus, ita multis custodibus nos esse instructos. Si vnum tibi Angelum præsidii caput daret Deus, esset hoc quidem aliquid: sed dum eodis salutis suæ curam multis mādari, plus momenti habet hæc promissio. sicuti Elizæus hac fiducia ingentes hostiū copias spernebat, 2. Reg. 6.c.16. Nec repugnāt Scripturæ loci, qui videntur officia inter Angelos distribuere, vt singulis hominibus præsint. Constat enim Deum variè per Angelos operari, vt vnum pluribus populis præficiat, vni verò homini plures. Quomodo autem ad salutem nostram curandam inter se conspirent, nostrum non est nimis anxiè & scrupulosè disquirere. contenti simus hac Apostoli doctrina, quia nobis destinati sunt ministri, semper ad munus intenti esse, Hebr. 1.d.14. Nam quòd præstò esse dicūtur ad Dei obsequium & exequenda iussa (Infrà, 103.d.20.21.) hoc quoque ad fidei nostræ confirmationem valet, quum ad nos tuēdos eorum opera Deus vtatur. [M] Et Angelorum præstantia maiorem curam ostendit, quam Deus de suis fidelibus gerit. Sunt enim administratorii spiritus cælesti sapiētia, fide, & virtute instructi. Superni sunt, cælestes sunt, hominibus præstantiores sunt intelligentia, virtute, agilitate, &c. & tamen illis mandat Deus, id est, pios suos illis cōmendat. [C] Quanquā autem de singulis Ecclesiæ membris agit Propheta, nō temere hoc aptauit diabolus ad personam Christi. Nam vtcūque semper ei sit propositum peruertere & corrumpere veritatem Dei, in generalibus tamen principiis speciosum colorem adhibet, satisque acutus est theologus. Et sanè quum totum Adæ genus exulet à regno Dei, nihil cū Angelis est nobis cōmune, & illi nobiscum nihil habent negotii. Solus ergo Christus est qui sublato dissidio Angelos nobis conciliat: sicuti proprium eius est colligere quæ dissipata erāt in cælo & in terra, vt ait Paulus Eph. 1.b.10. Id sancto Patriarchæ Iacob ostensū fuit sub figura scalæ, Genes. 28.c.12. Et quia per Christum coalescimus in vnum corpus cum Angelis, dicebat ipse, Postquam videbitis cælos apertos, & Angelis ascendentes ac descendēt, Iohan. 1.g.51. Videmus ergo propriè in caput congruere quod eius beneficio ad omnia mēbra pertinet. *Vt custodiant te.* [A] Hoc est, vt tui curā suscipiāt, vt te seruēt, tueātur ac defendāt. [M] Non ait, Vt dominatū in te exerceāt, aut, Vt abs te coli & adorari exigāt (sicut maligni spiritus & horū satellites solent) sed, Vt te custodiant. Custodiāt autē non sibi (sicut lanius ouiculas ad mactandum) sed ipsi Domino, ne scilicet pereant, sed in vitam æternam seruentur. *In omnibus viis tuis.* [A] Id est, in omnibus actionibus tuis,

x.iii.

Propheta vias omnes plurali numero disertè ponit, quo distinctius exprimat, quocunque pergendum sit, Angelos semper fore duces. Et certè videmus quam flexuosus ac multiplex sit cursus vitæ nostræ, & quàm multæ tēpestates nos huc illuc subinde rapiant. Itaque oportuit singulis actionibus & consiliis nominatim Angelos attribui duces, vt sciamus nobis præire, siue ad dextram siue ad sinistram nos ferat necessitas.[c] Interea notandum sub viarum nomine commendari nobis modestiam, ne præcipiti iactu Deum tentemus, sed nos cōtineamus intra vocationis nostræ fines.[m] Non enim de quibuslibet viis, sed licitis & necessariis locus hic intelligitur. sacut enim accidit in temerariis viis ac illicitis. Nā illicitæ viæ ac temerariæ non sunt viæ piorum, sed impiorum, & eorum qui Deum tentant.[c] Siquis ergo se temere proiiciat, & aggrediatur plusquam permittit Deus, quasi vellet repugnāre Deo supra nubes conscendere: non est quòd sibi Angelos promittat suæ temeritatis ministros, vel adiutores. Ac videtur astutè Satan particulam hanc obliterasse, dum Christum ad temerariam proiectionem impellere tentabat, Matth. 4.a.6.[m] Ideo & illi responsum est à Domino, At rursus scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.

12 *Super manus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.*

Super manus portabunt te. [a] Vel, in manibus portabūt te.[c] Amplificat Vates quod dixit de Angelorum custodia,[m] acsi diceret, Vsqueadeo tui curam gerent vt non modò excubias agāt, nequid mali tibi accidat, sed te velut manibus portaturi sint, (perinde atque nutrix infantem gestare solet) ne qua ratione lædi possis.[c] Significat his verbis, Angelos non modò paratos esse ad opem nobis ferendam, sed etiam suis manibus fulcire gradus nostros, vt sine offensa cursum nostrū peragamus.[m] Videmus itaque quàm diligens Angelorum erga diuinum mādatum obedientia. Super manus, inquit, portabunt te. diceret saltem, Præcedent te, sequentur te, comitabuntur te, ducēt ac reducēt te, obseruabūt te. Iam quum dicit, Super manus portabunt te, quis non videt quam sedula, diligens & exacta describatur hæc custodia? Et verbum futuri temporis admonet, tum sperandam esse hanc custodiam quando illam præsens exigit necessitas. *Ne offendas ad lapidem pedem tuum.* [r] Vel, ne impingas,[m] Prouerbialiter dictū, pro eo quod est, Ne vel tantillum mali tibi accidat. Est enim omnino leuiculum siquis pedē impingat in lapidem aliquem, quod etiam piis vsuuenire solet, nequis hanc particulam ad literam accipiendam esse putet.[c] Imò verò quod hic dicit Vates de piorum securitate & Angelorum custodia, non semper apparet, in sublime attolli fideles, qui sæpe anhelant vel laborant ambulando, sæpe impingunt vel labuntur, via etiam & ægrè se trahunt. Sed quia in tanta debilitate non solùm cadere singulis momentis contingeret, sed etiam diffluere, nisi nos mirabiliter fulciret Deus, meritò leniter, quod præstatur Angelorum opera, tam magnificè Propheta commendat. Adde quòd superandis tam arduis obstaculis quæ nobis Satan opponit, minimè pares essemus nisi nos Deus attolleret. Quisquis hæc duo inter se conferet, fluidam nostram infirmitatē, deinde spinas, salebras, saltus, asperitates, viarum angustias, præterea hebetudinem mentis nostræ, & Satanæ vafritiem in struendis insidiis, reperiet non esse hyperbolicum hoc elogium, sed fatebitur non posse nos tres passus progredi nisi quodammodo præter naturam Angeli nos in aere portent. Quod autem sæpe impingimus, culpæ nostræ imputandum est, quia nos à capite nostro disiungimus. Quanquam autem propriæ infirmitatis conuinci nos vult Deus dum impingimus vel cadimus, quia tamen collidi non permittit, perinde est acsi manum suam supponeret.

13 *Super leonem & aspidem ambulabis, conculcabis leunculum & draconem.*

Super leonem & aspidem. [a] Vel, basilicum.[m] Amplificationē diuinæ custodiæ habet hic versus.[a] docet enim nihil prorsus, quamlibet nocens sit, sancto posse noxium esse, vt qui illæsus leonem & aspidem, leunculum ferocientem ac draconē pedibus calcet.[m] q.d. Non solùm hoc beneficii adferet Angelica custodia vt tutus sit ab omni plaga, sed & hoc dabit vt domitor euadas leonū, & aspidū, & draconum.[c] Per sæuas huiusmodi bestias significat mortiferos casus, quib⁹ obnoxii sumus in mundo. Certè quamdiu hic peregrinamur, ambulandum nobis est inter sæuas feras, aut virulenta animalia. Quid ergo nobis fieret, nisi victoriam nobis promitteret Deus contra tot noxas, quæ assiduè nobis ex pendent? Quisquis ergo suas tentationes expendet, non mirabitur hyperbolica loquendi forma vsum fuisse Prophetam, vt fideles eximeret a trepidatione & metu: imò non dicet esse hyperbolen, quia verè his verbis respondet effectus. Nos quidem procul à telorum iactu, videmur plusquam bellicosi, sed in minimis quibusque negotiis leones nobis & dracones fingimus, videmusque nobis ad pluses lanienas expositi. Ideo sermonem ad sensum carnis nostræ attemperauit Propheta. *Cōculcabis leunculum & draconem.* [a] Repetitio est Hebræis vsitata. nam vbi aspidem Græci verterunt, Hebraicum nomen leonem significat: ideóque subtiliter inter quatuor species distinguere nihil attinet, nisi quòd certum est per leones & leunculos designari aperta & violenta mala: per aspides verò & dracones, occultas noxas quibus insidiosè & ex inopinato, quasi ex serpentum latebris, impetimur.[m] Pro eo vsurpauit hunc versiculum Alexander tertius, quum Venetiis anno 1174, post pertinacissimam rebellionem, collum Friderici Barbarossæ imperatoris ac domini sui pede cōculcaret, ac diceret, Scriptum est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.[a] Ita scilicet diuinis scripturis, vt suæ ambitioni inseruiret, abuti fas erat sanctissimo Christi vicario.

14 *Quia in me acquieuit, liberabo eum, exaltabo eum quia cognouit nomen meum.*

Quia in me acquieuit. [a] Vel, Quoniam me valde amat. Vel, In me cōplacuit sibi, Mihi adhæsit, Ardet me, Vehemētissimè amat, Amplexus est me.[c] Hic tantundem valet verbum Hebræum ac suauiter recumbere in Deū, eiusque gratia oblectari.[r] Inducit nunc Propheta Deum loquentem, qui iubet nos bono esse animo, & quasi è cælo pronunciat se nunquā passurum vt quicquā aduersi accidat, si modò quæratur ex animo.[m] Quoniam, inquit, ad hunc modum toto corde ac spe firma mihi adhæret, noménque meū (id est, bonitatē ac fidē meam) tam certò cognouit & amplexus est vt firmā sibi in omnibus malis securitatem ex me polliceatur: nō patiar vt frustra mihi tantopere adhæreat, tantáque fiducia à me pēdendo fallatur: ideóque eripiam ac protegam eum, &c.[a] Promittit ergo se paratum fore ad ferendas nobis suppetias, si ex eius prouidentia toti pendeamus. Admonet interea, vitam nostram semper in terra circundari variis mortibus, nisi ad nos seruandos ipse manum habeat intentam. Etsi autem sæpe etiam incredulis opitulatur, solis tamen fidelibus ita manum porrigit vt sic in solidum & finem vsque eorum seruator. *Liberabo eum.* [a] Significat non fallacem nec euanidam esse fidelium spem, quum liberatio à periculis eam sequatur. Spes enim non confundit, Rom. 5.a.5. *Exaltabo eum.* [r] id est, In loco inaccesso aut alto ponam eum, hoc est, liberabo. Vbi homines verè cognouerūt Deum esse liberatorem, simul etiam in ipso locant fiduciam suam, atque illum inuocant: tunc Deus exaltat & liberat inuocantem.[c] Proinde etsi exaltare nihil aliud est quàm tutum & incolumem præstare, hæc tamen metaphoræ ratio est, quòd Deus suos mirabiliter seruat, dum eos in sublime propugnaculum attollit.[a] atque ita locus hic respondet versui huius psalmi 9, Excelsum posuisti refugium tuum. *Quia cognouit nomen meum.*[a] Aptè admodum spei & desiderio adiungitur cognitio nominis Dei. Nam quòd huc illuc circunspiciunt homines, & eos sua trepidatio diuersos trahit, inde fit quia illis incognita est Dei virtus: imò ne tenuiter quidem gustant quid sit Deus, quia eius loco somniant mortuum quoddam idolum. Quum ergo vera nominis Dei cognitio fiduciam ex se & inuocationem pariat, nec ab aliis sincerè quæratur, nisi qui eius promissiones amplexi, iustum ei honorem tribuunt, scitè & propriè notitiam hanc Propheta quasi spei fontem posuit. Ac melius patebit huius doctrinæ vtilitas, si reputamus quàm insulsè de fide balbutiāt Papistæ. Nā vtcūque iubeāt Deo penitus adhærere, verbum tamen sepeliūt quo aditum patefieri oportet ad ipsum quærendum.[m] Porrò nomen Dei cognoscere, non est simpliciter scire quomodo vocetur Deus (quo modo hominis cuiusdam nomen scitur) sed est Deum ipsum ita cognoscere, vt quæ de bonitate, fide, potentia ac prouidentia eius prædicātur, indubitata persuasione pro verissimis teneantur elogiis, haud aliter quàm si dicamus solis huius visibilis nomē, id est, quæ de eo prædicantur, vtpote quòd totum orbem illuminet, & cuncta calore suo foueat, cognoscere.

15 *Inuocabit me, & respondebo ei: cum ipso ero in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Inuocabit me, & respōdebo ei.[c] Expressius demōstrat quid sibi voluerit per illud Acquiescere in Deo, vel, Eum amore suū & beneplacitū (vt loquūtur) addicere. Amor enim ille & desideriū quæ ex fide nascūtur, nos ad eum inuocandū adducunt. Vnde iterū patet quod nuper attigimus, legitimā precandi rationē fundatā

esse in Dei verbo: quia hic nihil proprio arbitrio audendum est, sed quærendus est Deus quatenus nos inuitat. [u] Cæterùm inuocatio hoc loco non quamlibet orationem ad Deum significat (quales hypocritæ plerunque effundere solét) sed clamorem cordis angustiati: sicut & Hebræa dictio innuit, & sequens particula docet, qui scilicet ex vera ac sincera cordis erga Deum fiducia prorumpat. [u] Discimus itaque ex hoc cótextu, non otiosam esse fidem, sed verè hoc examine probari, dum rectà ad Deum confugiunt qui salutem ab eo expectant. *Et respondebo ei.* [r] Vel, Exaudiam eum. [u] Quanquam respondendi verbum emphaticum est. q.d. Clamanti ad me, vicissim acclamatione mea respondebo illi, sicut ita acclamari solet qui vel in igne vel aqua pereunt, amicorum opem implorant. Sic alibi dicitur, Clamabis, & dicet, Ecce adsum, Esa. 58.e.9. Et erit, antequam clament, &c. ibidem, 65.d.14. *Cum ipso ero in tribulatione.* [u] Et hoc non sine singulari emphasi adiectum est. q.d. Vsqueadeo non deseram eum, vt ego ipse in tribulatione illi assistam, iungámque me lateri eius, vt, si fieri queat, citius vnà cum illo periclitaturus, quàm ipsum deserturus sim. [u] Interea docemur, fideles nunquam ab ærumnis & molestiis fore immunes: quia non mollem & delicatam vitam illis Deus promittit, sed eorum tribulationibus se opem laturum. [r] Vide Matth. 16.d.14. & Act. 14.d.22 & Rom 8.f.19. & Iacobi 1.a.c.b. 12. & 1. Pet. 1.a.6. & 2. Timoth. 3.c.12. *Eripiam eum.* [u] Iam bis affirmat quòd pium velit eripere, id quod affectum habet animi seriò quid cóstituentis. *Et glorificabo eum.* [u] Auxesis est. q.d. Non modò eum eripiam, sed insuper & glorificabo. Quo verbo Vates significat nó temporale fore Dei auxilium, cuius hactenus meminit, sed vsquedú ad solidam fœlicitatem perueniát, Ornat quidem eos in mundo, & conspicuam reddit suam gloriam, sed nonnisi completo salutis eorú cursu triumphandi materiam suppeditat.

16 *Longitudine dierum satiabo eum, & ostendam ei salutem meam.*

Longitudine dierum satiabo eum. [r] Haud contemnendum Dei donum continet hæc promissio de vitæ diuturnitate. q.d. Inimici quidem multi vitæ illius insidiabuntur, cupiéntque illum prorsus & quamcitissime extinctum: ego vero ita eum tuebor vt quàdiutissime viuat, tantisper scilicet dum saturatus senio migrare cupiat è vita. [c] Sed hoc (dicet quispiam) videtur absurdum esse quod promittitur, quia vt plurimum cótingit fideles celerius è mū do migrare. Verùm hic repetere conuenit quod alibi diximus, (præsertim Sup. 37.e.27) Dei benedictiones quæ ad hanc caducam vitam spectant, non esse perpetuas, neque æquali tenore fluere. Quamuis enim gustú amoris sui præbeat in opibus & aliis cómodis, nó tamé sequitur odio illi esse pauperes: quàuis sanitas corporis & firma valetudo eius beneficiū sit, nō propterea cēsebimus ægrotos & debiles ei esse exosos. In hoc genere est vitæ diuturnitas, qua satiaret Deus seruos omnes suos nisi vtilius ipsis foret maturè è mundo migrare. Interea exiguo vitæ spatio melius satiátur quàm increduli decem seculis. Ita nemini vnquam prophano continget satiari longitudine dierum: quia etiamsi mille annos continuent, sunt inexplebiles, vitam ipsam ingurgitant: nec Dei bonitate, quæ sola animos tranquillat, vel ad momētum fruuntur. Vnde non immeritò Propheta singulari priuilegio fideles dicit vita satiari, quibus satis supérque sufficit maturum vocationis suæ cursum complere. Et sanè quum pluris longè sit æternitas dierum quàm diuturnitas, salus autem Dei terrenæ vitæ angustiis minimè inclusa sit, ad hāc præcipuè intētas esse decet pias mentes, tam in morte quàm in vita. Consultò enim hanc quasi extremam clausulam omnibus Dei beneficiis adiecit Propheta, quòd salutem suam ostēdat fidelibus, postquam eos per totam vitā paterno fauore prosequutus fuerit. *Et ostendam ei salutem meam.* vel, Et videre faciam eum salutē meam. Vel, Et exhibebo ei. q.d. Vita longæua donabo eum, vt non decedat nisi plenus et satur dierum, et tandem vita æterna potietur. Vel, Salutē meā ita illis declarabo vt summa cum animi iucūditate experiantur quàm sim saluandi deus, quàm sis verè saluus quem ego saluum ac liberum reddo. Nam videre salutem Dei, nihil aliud est quàm certò illā experiri, & certo experimēto quanta sit cognoscere. Tum autē videbimus verè salutem Dei, quando à mortuis excitati, glorificatis corporibus, sempiternam illam vitam, (in qua nec labor, nec dolor, nec egestas, nec tribulatio, nec morbus, nec mors, sed cuncta fœlicia ac læta obtingent,) apprehenderimus, & Deum ipsum, qui salus nostra est, videbimus, sicuti est 1. Iohan. 3.a.2.

ARGVMENTVM PSALMI XCII.

[u] Exhortatio est ad canendas Dei laudes, quarum amplissimam materiam suppeditant considerata probè ipsius Dei opera, [a] quibus pios mirificè fouet ac euehit, impios verò abiicit & perdit.

PSALMVS Cantici ad diem Sabbathi.

Psalmus Cantici. [r] Vide suprà, 30.a.1. *Ad diem sabbathi.* [a] Docet hæc inscriptio Sabbathis præcipuè cantatum fuisse hūc Psalmum, [u] sicuti & ex aliis locis apparet quosdam alios Psalmos propriè ad hūc vsum fuisse destinatos. [r] Quidam Hebræorum audent scribere, Adam hunc Psalmum cecinisse quo die conditus est.

2 *Bonum est confiteri Iehouæ, psallere nomini tuo Excelse.*

Bonum est confiteri Iehouæ. [r] Vel, Bonum est celebrare Iehouam. Quidam Hebræorum subaudiunt, dies sabbathi, ex superscriptione Psalmi, vt legatur, Bonus dies Sabbathi ad celebrādum Dominum, & aptus ad psallendum. Sed simplicior sensus est quem reddidimus. [a] Cur verò hanc doctrinam Sabbatho accommodet Propheta ratio in promptu est, quia non fuit dies ille sacer quasi Deus otio hominum capiatur, sed vt populus negotiis omnibus solutus totum se cōferat ad meditanda Dei opera. Nam, vt lubricæ sunt mentes nostræ, si distrahuntur huc & illuc, facilè alienantur à Deo. Itaque vt seriò ad Dei laudes se applicent, necesse est ab aliis omnibus curis expediri. Admonet igitur Propheta, Sabbathum non rectè coli feriando (quod nimis crassum esset) sed ordinatum esse vt celebretur Dei nomen. Hortatur autem à fructu, quia nihil nos acrius ad officium stimulat quàm vbi scimus nos operam non ludere, sed probari Deo quod agimus. *Psallere nomini tuo Excelse.* [u] Non caret emphasi hæc apostrophe. Cœperat Propheta vel seipsum vel alios ad laudem Dei excitare, dicens, Bonum est confiteri Iehouæ: & tamen confestim, velut sui oblitus, personam mutat, & ad Deum ardenti cordis affectu rapitur. quæ mutationes personarum sunt omnium suauissimæ. [a] Discamus ex hoc loco bonum esse, iucundum ac delectabile, laudibus Dei canēdis insistere. [u] quemadmodum alibi dicitur, Laudate Dominum, quoniam bonum est canere Deo nostro, quoniam dulcis, decora est laus, Infrà, 147.a.1.

3 *Annuntiare mane bonitatem tuam, & veritatem tuam nocte.*

Annuntiare mane bonitatem. [h] Vel, Significare, Notum facere. [a] Iam materiam & argumentum suggerit laudandi Dei: acsi diceret, nolle Deum celebrari nomen suum à nobis de nihilo, vel ob solam magnitudinem & potentiam, sed ob bonitatem & fidem, quarum sensus & experientia tale studium sponte accendere in cordibus nostris debent. Quibus verbis docet non modò dignum esse qui laudetur, sed nos malignos esse & ingratos si cessamus in hac parte. Nam quum Dei fides & bonitas ad nos propriè dirigantur, nisi animos nostros alliciant & rapiant in eius laudes, inexcusabilis est nostra segnities. [u] Cæterùm Propheta bonitatis & fidei Dei commemoratione significat, non solùm quid hoc sit præsenti Psalmo de Deo prædicaturus, sed & quid populus fidelium in Deo potissimum considerare, admirari, deprædicare & extollere debeat: nempe quòd sit benignus ac fidelis. *Et veritatem tuam nocte.* [e] Quod iubet hoc versu Propheta annuntiari bonitatem mane, & veritatem eius per noctes, videtur absurda esse distributio. Nam si Deus perpetuò non per interualla beneficus est, cur exigua diei portio ad canendam hanc virtutem destinabitur? Idem & de altera parte dici potest. Neque eius veritas tantùm noctu apparet. Sed alio sensu loquitur Propheta, si à primo mane incipimus laudare Deum, continuandas esse eius laudes ad vltimam noctis partem: quia hoc bonitas ipsius & fides merentur. Si verò initium fiat ab eius bonitate, proximè succedet veritas. Ita continuus erit vtriusque tenor, sicuti mutua est consensio. Propheta ergo alteram ab altera disiungere noluit, quum semper inter se coniunctæ sint, sed tantùm docere, nisi nos socordia nostra impediat, nunquam deesse argumentum laudandi Dei: nec verè defungi officio gratitudinis, nisi in eo simus assidui: sicuti ipse bonitatem suam & fidem erga nos perpetuat. [u] Sunt qui per mane læta, per noctem tristia tempora intelligunt, acsi Propheta admoueret vtrobique psallendum esse nomini Dei. Sed expositio quam attulimus, vt simplicior est, ita propius ad Prophetæ mentem accedit.

4 *Super psalterio & super nablo, super [Higaion] cum cithara.*

Super psalterio & super nablo. [r] Vel, super decachordo & super

Nebel. *Super Higaion.* Nomen est instrumenti musici. Nam illi præposuit עלי id est super, vel ad, quod solet instrumento musico præponi. Quidam vertunt, Super instrumento sonoro. Vox ipsa Hebræa meditationem ac sermonem significat.

Cum cithara. ᶜ Propheta hoc versu Leuitas, quibus iniunctū erat canēdi munus, propriè compellat, vt musicæ etiam instrumenta adhibeant. Non quia per se hoc necessarium foret, sed quia vtile erat rudimentum veteri populo. Neque enim citharam pulsari voluit Deus, acsi more hominum voluptatem caperet ex melodia: sed quia nondum aduenerat maturæ ætatis tempus, Iudæos sub illis puerilibus elementis continuit. Finis autem erat vt excusso torpore alacrius se accingerent ad Deum ex animo laudandum. Tenendum enim est, cultum Dei nunquam in illis rebus externis fuisse situm, sed rudes & infirmos adminiculis istis ad eum spiritualiter colēdum opus habuisse. Simul verò tenendū est discrimen veteris & noui populi: quia quū exhibitu Christo Ecclesia iā adoleuerit, Euāgelii lucem suffocant qui adhuc Ecclesiam inuoluunt veteribus vmbris. Vnde colligimus Papistas in musicis instrumētis non esse patrum imitatores, sed simias, qui vmbratili Legis cultu, cui finem attulit Euangelium, stultè adhuc oblectantur.

5 *Quia exhilarasti me Iehoua in operibus tuis, in factis manuum tuarum exultabo.*

Quia exhilarasti me. ᴬ Iterum opus Sabbathi memorat, nempe religiosam & attentam operum Dei considerationem. ᴮ Iucundū est (inquit) psallere nomini tuo Excelse. Quare? Quia exhilaror & exulto in consideratione operum tuorum, gestit animus magnificentiam tuam extollere, quoties opera manuum tuarum probè expendo. ᶜ Ostendit autem Propheta eos demum legitimos & idoneos esse laudum Dei præcones qui paternam erga se eius beneficentiam reputant ac sentiunt, vt liberaliter & lætis animis hoc pietatis officium suscipiant. Sed admonet interim Propheta, si ritè expēdimus Dei opera, illic conspicuam esse eius bonitatem & fidem de quibus loquutus est, quia hinc demū lætitia, dum se nobis Patrem exhibet Deus, sibique charam & pretiosam esse testatur salutē nostram: sicuti hæc bruti torporis nobis causa est, quòd ad gustādum fructum operum Dei insipidi simus. ᴹ Meminit in genere operum Dei, non quòd possibile sit cuiquam omnia manuū Dei facta vel oculorum vel aurium sensibus, vel animi cogitationibus percipere, considerare, & expendere (quum sint planè infinita & innumerabilia) sed quòd animo ipsius, ex quorundam contemplatione, etiam reliquorum admiratio subierit.

In factis manuum tuarum exultabo. ᵞ Vel, ouabo. ᶜ Ostendit eos qui ritè expendunt ac meditantur Dei opera, habere lætitiæ materiam. Ergo quum tota mundi machina sursum & deorsum clamitet beneficum & veracem esse Deum, prudenter ad hæc testimonia attendere discamus, vt nos sancta lætitia ad sacrum eius nomen celebrandum incitet. ᴰ Ergo ex attenta operum Dei consideratione canit Vates se lætitia perfusum, quam ouatione, (hoc est, cantico laudis erumpente ex corde in præconium Dei ardenti) testari oportuerit.

6 *Quàm magnificata sunt opera tua Iehoua: valde profundè factæ sunt cogitationes tuæ.*

Quàm magnificata sunt opera tua. ᴬ Vt ardentius ac melius opera Dei commendet, eorumque præstantiam declaret Vates, ᶜ orditur ab exclamatione: quia nos præpostera intemperies conturbat, vt operum Dei ratio, quātumuis clarè fulgeat, nobis sit abscondita. ᴮ Hæc autem exclamatio non est quorumuis, sed eorum qui cogitationes suas in considerādis operibus Dei exercent, & inter contemplandum, infinita quadam maiestate ac profunditate illorū superantur, vt desistere & ad hunc modum in encomium prorumpere, & exclamare cogantur. ᶜ Tenendum tamen est Prophetam hoc loco non disserere de cæli & terræ opificio, nec de generali Dei prouidētia in mundi gubernatione, sed restringere sermonem ad iudicia quæ inter homines exercet. Exclamat autem magnifica hîc esse Dei opera, & profundas cogitationes: quia scilicet longè aliter administret humanum genus quàm ferat captus noster. Nam certè si in arbitrio nostro esset, libenter quisque inuerteret quē Deus tenet ordinem. Et quia id penes nos non est, obliquè cū eo expostulamus quòd non magis festinet tam ad liberandos fideles, quàm ad reprobos vlciscendos. Nihil enim minus videtur consentaneū quàm ipsum quiescere dum contra eum furiunt, dum effræni audacia ad omne facinus grassantur, pro sua libidine vexant bonos & simplices. Videtur hoc, inquam, non esse tolerabile, Deum exponere cultores suos iniuriis & violentiæ malorum deinde frænum laxare fraudibus, mendaciis, rapinis, cædibus, & omne genus iniquitati. Quid quòd veritatem suam latere in tenebris patitur, & sacrum suum nomen probrosè calcari? Hæc est operum Dei magnificentia, hæc consilii profunditas, quam miratur Propheta. Verum quidem est tantam esse in mundi fabrica potentiæ & sapientiæ Dei altitudinem, vt sensus nostros longè superet: sed nominatim Propheta cohibere nos voluit ne obstrepamus Deo dum aliter quàm pro animi nostri voto humanum genus moderatur. Quod igitur a sensu communi abhorret, reuerenter suspicere nos iubet, quia Deus, vt obsequium nostrum probet, arcana sua iudicia lōgè supra captū nostrū attollit. *Valde profunde factæ sunt cogitationes.* ᴮ Dicit altas esse Dei cogitationes eo quòd earum ratio peruestigari nequeat. ᶜ Et certè deformis illa confusio quæ in hominum vita grassatur, ordinem prouidentiæ Dei maximè obscurat. Videmus enim exultare impios acsi nullus esset in cælo iudex, sibi applaudere in sua fortuna, &, dum illis parcit, hoc prætextu in maiorem licentiam ruere, acsi ex eius manu elapsi essent. Contrà seruí Dei cruce exercentur, nec de eorum salute videtur esse sollicitus. In summa, quum tanta sit, in orbe confusio, putant homines Deum abiecta mundi cura otiari in cælo. ᴬ Atqui Propheta altas dicens esse illius cogitationes significat illum haudquaquam cæcutire etiamsi dissimulat, sed admirabili ac incomprehensibili consilio omnia moderari. Vide Suprà, 36. b. 7. & Rom. 11. d. 33.

7 *Vir stultus non cognoscet, neque sapiens intelliget ea.*

Vir stultus non cognoscet. ᴹ Adiectus est hic versus ad amplificandam operum Dei profunditatem, in eo quòd tametsi videantur ab omnibus, sintque omnium vbique oculis exposita, non tamen cognoscatur ab omnibus quanta sit consiliorū Dei in operibus ipsius profunditas. ᶜ Ergo significat Propheta culpam in nobis residere quòd Dei iudiciis laudem suam non tribuimus. Quamuis enim profunda mysteria esse dixerit, nunc pronuntiat stupori nostro & socordiæ esse imputandum quòd nobis non sint conspicua. *Neque sapiens intelliget ea.* ᴹ Per stultum & insipientem non intelligit fatuos illos quos moriones vocant, sed huius seculi filios, carnali sapientia præditos, coram Deo stultos, secundum illud Pauli, Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum, 1. Cor. 3. d. 19. ᶜ Bruti certè omnes incredulos significat, ac tacitè eos fidelibus opponit, quibus Deus per verbum suum & Spiritum illucet. Nam peræquè omnium mētes occupat hæc inscitia & cæcitas, donec cælesti gratia oculati reddamur. ᴰ Ergo Sancti, quos hîc ab improbis multis modis exerceri oportet, hinc se maximè consolantur, quòd Deus omnia ex æquo gubernat: tandémque improbos sui nominis hostes, quamuis hîc sæpe florere videantur, deiicit & abolet, ipsos verò extollit & beat. Hácque viuētes fide, iustitiæ sedulò student, & aduersa omnia æquo animo perferunt. Qui autem Spiritu Dei destituti, & ob id stupidi & stulti sunt, cum sanctos tum improbos à præsenti eorum fortuna æstimant, ac ideo hos quàm illos sectari malunt. Quare eorum stultitia hîc pulchrè notatur, & Suprà, 73. d. 22. ᶜ Ideóque rogandus est Deus vt oculos nostros bene purget ad meditanda sua opera. Interim à contemptu vindicat incomprehensibilem Dei sapientiam, stultitiæ & amentiæ damnās eos omnes qui fastidiosè eam reiiciunt: & à vulgi torpore fideles reuocat, vt attentius considerandis operum Dei mysteriis incumbant.

8 *Dum florent impii quasi herba, & germinant omnes operarii iniquitatis, ut pereant in perpetuum.*

Dum florent impii. ᵞ Quidam, Quòd floreant impii. Infinitiuus, In florere, vel florendo. Vnde nonnulli vertunt, Quum floruerint impii sicut herba, atque germinauerint cuncti qui operātur iniquitatem, fiet tandem vt ipsi exterminētur in seculum seculi. Alii, Quòd quum impii sicut herba germinent, in hoc floreant cuncti facinorosi, vt in perpetuum excidantur. ᶜ Pulchra & concinna similitudine refellit ac deridet Propheta stultitiam hanc, quòd putamus impios, nisi statim cogantur in ordinem, quasi triumphum de ipso Deo agere. Est autem in verbis concessio quòd fatetur germinare & florere, sed notanda est quæ mox additur correctio, florere ad momētum instar herbæ: quia celeriter marcescit eorum fœlicitas. Atque ita scandalum, ad quod totus fere mundus impingit, prudēter tollit & abolet: quia nimis stultè putamus beatos esse quibus propinquus interitus impendet. florent quidem hodie, sed cras excidētur vt arescāt, Infrà, 129. a. 6. Alibi videbimus herbis cōferri quæ nascūtur in culminibus tectorū: quia dum illis deest soli pinguedo, ex qua succum trahant, spōte pereūt. Sed Propheta nūc simplici similitudine cōtentus fuit, quod prosperitas impiorū maturius exitiū sibi accersat, nō secus ac falcem, herbarum maturitas. ᴬ Vide Suprà, 37. a. 2.

Et germinant. [V]Vel, Et flores emittunt. Quidam, Vt vernent & germinent. q.d. Non animaduertunt stulti homines quàm euanida sit improborum fœlicitas, vtpote quæ herbæ & graminis instar habeat, eóque quo magis eminet, hoc citiùs disperdenda sit. *Omnes operarii iniquitatis.* [H]Quos impios dixit, eos modò operarios iniquitatis vocat, significãs impietatem malorum omnium radicem esse. Impium est cor, quod nulla est erga Deum fide, nulla obseruantia. Ex hac veluti radice nascitur studium iniquitatis, quum non solùm quæ iniqua sunt faciunt impii, sed studiosè atque ita faciunt vt nihil aliud agere dici queant. Operatio hæc non manibus solùm ac reliquis suis externis membris, sed etiam, imò potissimum impio cordi danda est. [A]Vide Matth. 15. b 19, & Suprà, 6. b 9. *Vt pereant.* Vel, Vt dissipentur, vt excidantur, aut vastentur. *In perpetuum.* [C]Notanda est hæc antithesis inter breuem durationem fœlicitatis impiorum, & æternum ipsorum exitium acsi diceret Propheta, nõ resecari, vt vere nouo pullulet iterũ eorũ radix (sicuti herbæ emortuæ vigorem colligunt) sed ad æternũ exitium damnari. [C]Vnde refellitur eorum error qui reproborum interitum æternum fore negant. Qua de re vide Matth. 25. d. 41. 46.

9 *Et tu excelsus in seculum Iehoua.*

Et tu excelsus. [V]Quidam, Tu autem excelsus es. Vel, In sublimi, vel, in excelso. [C]Quod quidam ita accipiunt acsi Propheta Deo asseteret potentiam ac munus regendi mundi: nequid putemus fortuitò accidere, dum rebus humanis præsidet tam æquus iudex ac moderator. Alii aliud afferunt. Sed videtur Propheta stabilitatem solii Dei conferre cum versatili mundi agitatione: acsi diceret non æstimãdum esse Deum ex mundo, in quo nihil fixum est vel stabile: quia longè diuersa eius ratio sit, qui terrenas mutationes ex alto quietus despicit: neque id modò vt Deum à creaturis discernat, quo gradum sui honoris obtineat illius maiestas: sed vt nos quoque discamus super nos & super totum mundum assurgere, quoties de mirabili & arcana eius prouidentia agitur: quia turbidus est eorum aspectus qui in terra subsistunt. Ergo, vt nobis appareant quæ in mundo non cernuntur Dei iudicia, Propheta sub voce sublimitatis admonet Deum non agere nostro arbitrio, sed prout fert eius æternitas. nos, quia breue est vitæ nostræ curriculum, quia vt plurimum non procedunt nostri conatus, variis scilicet obstaculis abrupti, quia non semper offertur occasio, præcipitanter ferimur, & secundum assiduas mundi turbationes fides etiam nostra turbatur ac labascit: Propheta Deum ante oculos nobis statuit in æterno & immutabili solio sedentem, vnde opportunè iudicia sua differt. Hoc ergo elogium non tantùm honoris causa ad Dei essentiam refertur, sed ad fidei nostræ fulturam: acsi dictum esset, quanuis in terra gemant fideles ac trepident, Deum tamen (qui custos est vitæ ipsorum) in sublimi manere, & eos protegere virtute æterna.

10 *Quia ecce inimici tui Iehoua, quia ecce inimici tui peribunt, dissipabuntur omnes operarij iniquitatis.*

Quia ecce inimici tui Iehoua. [C]Infert ex proxima sententia, fieri non posse quin Deus inimicos suos tandẽ prosternat. [A]Quũ enim totius mundi iudex sit æquissimus, nec iniquitatem approbare possit, quomodo impios, qui eius benignitate & tolerantia abutuntur, impunitos relinqueret? [C]Hinc verò clarius perspicimus quod nuper docuimus, non aliò spectare Prophetæ consilium, quàm vt fidem nostram armet contra omnia certamina: præsertim vt scandalum illud auertat, quum multi à recta via exturbantur, dum impiorum prosperitas Dei iudicium obnubilat. Sicut autem ardua & difficilis lucta hic opus est, vehementer insistit Propheta in doctrinæ suæ confirmationem. [H]Neque enim simpliciter dicit inimicos Dei perituros, sed emphatica demonstratione ait, quia ecce inimici, &c. quasi interitum eorum iam fidei oculis cernat. Eodem spectat quæ sequitur repetitio, *Quia ecce inimici tui peribunt.* [C]Innuit nõ minus securè perituros esse Dei hostes acsi iam ante oculos esset eorum interitus. Vnde colligimus quid ei profuerit fidei suæ intuitu penetrare vltra mũdum, vt oculos ad cæleste Dei solium dirigeret. [H]Itaque orandus nobis Deus est vt & nobis hodie fidei oculos largiatur, quibus non solùm quàm sint floridi in hoc seculo impii, pii verò miseri & abiecti, sed & quæ futura sit vtrorumque sors, perspicuè cum Propheta hoc præuideamus: ac vero fidei sensu dicamus, Domine, ecce inimici tui peribunt: sed &, Ecce amici tui Domine fœlices ac beati reddentur. Tam enim hoc fidei est, in miseria piorum & amicorum Dei perpetuam salutem, quàm in prosperitate inimicorum Dei sempiternam perditionem videre. *Dissipabuntur omnes operarii iniquitatis.* [A]Vel, Dispèrdentur omnes operantes iniquitatem. [C]Definit Propheta quinam sint hostes Dei. Neque enim quenquam gratis odit, imò, quatenus eius figmenta sunt homines, paterno eos amore complectitur. Sed quum nihil eius naturæ magis aduersum sit quàm iniustitia, sceleratis omnibus irreconciliabile bellum denuntiat. Atque hinc non vulgare solatium percipiunt fideles, dum exitii reproborum hæc illis causa redditur, quòd Deo exosos esse necesse est, qui non potest seipsum abnegare.

11 *Et attolles quasi unicornis cornu meum: perfusus sum oleo viridi.*

Et attolles quasi unicornis. [H]Postquam de impiorum interitu cecinit Vates, iam cõsequenter de piorum fœlicitate ad finem vsque Psalmi subiicit. Hanc ita declarat, imò futuram vaticinatur, vt primùm quid sibi futurum speret, deinde quæ in genere quosuis pios ac iustos concernant, canat. [A]Attolles, inquit, cornu meum, (id est potẽtiam & fœlicitatem) sicut cornu vnicornis. [B]Hoc est, in immensum. Nullius enim bestiæ robustius cornu est monocerotis. [H]Aiunt hanc feram esse reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro, media fronte cubitorum duûm eminente. Hanc feram viuam negãt capi. Vide Suprà, 22. c. 22. *Perfusus sum oleo viridi.* [V]Vel, vt quibusdam placet, per futurum, Conspergar oleo viridi. Vel, Delibutus ero oleo flagranti: aut, vnguento præstantissimo. q. d. Omnia fœlicia experiar. [C]Nam sub olei figura designat se fruiturum Dei benedictionibus. Et oleum viride nominat recens, quod emarcidum non est, nec vetustate obsoleuit. Notatu etiam dignum est quòd propriè gratiam Dei piis omnibus communem in suum vsum accommodat. Hoc autem modò significat frigere generalem doctrinam, nisi vnusquisque nostrum se vnum esse ex filiis Dei persuasus, ad eam participandã aspiret.

12 *Et videbit oculus meus in oppressoribus meis: in iis qui insurgunt contra me, in iis qui me infestant, audient aures meæ.*

Et videbit oculus meus. [H]Quod de perdendis suis hostibus dixit, vaticinatur hoc versu, ita breui ac certò futurum vt oculis suis interitum eorum sit visurus, & de eo auribus quoque suis auditurus. q. d. Certissimè ac præsenter ego ipse hostium meorum interitum videbo & experiar. Vide similem loquendi modum Suprà, 37. g. 34. *In oppressoribus meis.* [V]Vel, In hostibus meis. Vel, In insidiantibus mihi. Quidam nonnihil subaudientes vertunt, Et videbit oculus meus quod volo in hostibus meis. *In iis qui insurgunt contra me.* Describit multis verbis suos aduersarios. *Qui me infestant.* [H]Quidam vertunt, In malignantibus audient aures meæ. [V]Alii, De malignãtibus audient grata aures meæ. [H]Hic Propheta, vtcunque molesti sint hostes, & nunc insidiis, nunc vi & impetu eum infestent, Deum sibi auxiliatorem promittit, vt in hac mundi militia infatigabili studio perseueret. Vnde etiam apparet quàm inconsideratè quidam Rabbini Adam huius Psalmi authorem esse fingãt. Quasi verò credibile sit posteros contra eum insurrexisse. Cæterum discamus exemplo Prophetæ, quoties fidem nostram concutit impiorum prosperitas, in cælum cõsurgere: quia mox fluet hæc doctrina, fieri non posse vt diu in prospero statu maneant eius hostes.

13 *Iustus quasi palma florebit, tanquam cedrus in Libano propagabitur.*

Iustus quasi palma florebit. [B]Celebrat his versibus Vates sanctorum fœlicitatem in vniuersum: [C]docétque, quanuis ad tempus multis incommodis suos exerceat Deus, molestiis subiiciat, & ærũnis affligat, vltimo tandem exitu ostendere se eorum non esse oblitum. Nec mirum est tam accuratè in hoc capite doctrinæ insistere Prophetam: quia nihil difficilius est quàm sanctos, dum similes sunt mortuis, & vita eorum abscõdita est, de instauratione bene sperare. *Tanquam cedrus in Libano.* [H]Quoniam Propheta de impiis loquens, dixerat quòd floruerint quidem ac germinauerint, sed velut herba: adiicit hic de iustis, palmæ ac cedri similitudinem, quarum viriditas eam quæ herbæ est lõgè excellit. Palma nota est in Scripturis, propterea quòd in Iudæa optima & vbertim, præsertim in agro Hiericunthino, prouenit. De hac Plinius libr. 13. cap. 4. Et cedrorum in Scripturis multa est mentio, præsertim earum quæ in Libano & plures & proceriores nascuntur. Plinius libr. 13. cap. 5, cedro tribuit quòd fructificet, sed nõ floreat: quæ verò floreat, ea non fructificet. Dat etiam cedri materiæ æternitatem. Sunt itaque duo hæc arborum genera selecta ac singularia, & talia quæ potissimum in terra promissionis prouenirant, vt non sint hic frustra ad delineãdum iustorum fœlicitatem adducta. [C]Quod tamen in cedris fragrantiam boni odoris, in palmis fructus dulcedinem notari quidam putant, nimis fortè subtile est. Simplicius est, quanuis ad tempus exaruerint, vel etiam succisi fuerint iusti, collecto nouo vigore

ea integro surrecturos: vt nō minori præstantia & dignitate in Ecclesia Dei floreāt quàm pulcherrimæ arbores in mōte Libano. *Propagabitur.*[v] Quidam, Multiplicabitur. Alii, crescet, eminebit, diffundet sese. Id est, mirum in modum accipiet incrementum.

14 *Plantati in domo Iehouæ, in atriis Dei nostri florebunt.*

Plantati in domo Iehouæ.[b] Persistit in allegoria arborum, ac simul exprimit vnde iustis crescendi vigor, [c]plantatos esse dicens in templo Dei, non modò quia illic locū occupent (quod hypocritis etiam commune est) sed quia viuis radicibus actis, penitus illic sint defixi, vt Deo adhæreant. *In atriis Dei nostri florebunt.* Alludit ad formam templi, quia solis sacerdotibus licebat ingredi Sanctuariū, plebs autē ex atrio adorabat. Veros itaque & interiore cordis affectu coniunctos esse Deo intelligit qui in eius domo plantati sunt: ideóque fluxam eorum fœlicitatem fore negat, quia non dependet à mundo. Neque enim dubium est quin radice in atriis Dei locata, istud florere ad spiritualem & æternam vitam extendat.[m] Quò pertinet id quod de aquis è Sāctuario promanantibus legitur, Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignū pomiferum. Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius. Per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de Sanctuario egredientur &c. Ezechielis 47.a.1. [b]Porro plantatio hæc, de qua Vates hic loquitur, insitio est in Christum, de qua Paulus Rom. 11.b.17. Nemo enim fructum facere potest nisi palmes sit huic viti insitus: & soli huic implantati, in domo Dei, sanctorum Ecclesia, radices agunt, fœcundatique Spiritu Dei fructum afferunt vitæ innocentis & probæ, eúmque perpetuò. Nunquam enim vel folium eius arescit, sicuti vidimus Suprà, 1.a.3.

15 *Adhuc germinabunt in senectute, pingues & virides erunt.*

Adhuc germinabunt.[m] Ostendit quanta sit in piis cœlestis gratiæ perennitas & virtus, quum dicit iustos adhuc germinaturos. q.d. Fœcundo succo vigentes & verdantes semper in Dei domo fructificabunt. *Pingues & virides erunt.*[v] Vel, Succulenti & viuidi. vel, pleni vigore. Alii, florentes. [v]Confirmat quod diximus, florere illud ad spiritualē vitam extendi. Nam quum dicit iustos adhuc germinaturos, & in senectute, quæ succū & natiuum humorem desiccat, pingues fore, perinde est ac si eos à communi aliorum sorte eximeret, imò vitam eorum assereret à communi naturæ lege. Ita Esaias, de Ecclesiæ renouatione loquens, dicit in illo beato statu senem centum annorum similem fore puero, cap. 65.d.20. significans, quamuis naturaliter ad interitum declinet senectus, vt sit fere semimortuus qui centesimum annum attigit, sub regno Christi initium seculi fore pueritiam & viuendi initium. Quod non aliter impletur, nisi quia post mortem sumus in cælo superstites.

16 *Vt annuntient quòd rectus sit Iehoua, rupes mea, & non sit iniquitas in eo.*

Vt annuntient quòd rectus sit. [a]Vel, Ad annuntiandum quòd rectus Iehoua est. [c]Clausula hæc apertissimè confirmat in hoc totum esse Prophetam, vt in rebus turbulentis compositum animi statum retineant fideles: &, quamuis se duriter & asperè tractari videant, reprobos verò potiri opibus ac imperiis, vegetos esse, affluere deliciis & honoribus: patienter expectent dum opportunè, discussis tenebris, lucidum & distinctū ordinem Deus restituat. *Quòd rectus sit.* [c] Hoc nominatim dicit Propheta, quia nisi res mundi ad votum nostrum Deus attemperet, caro nostra non solùm imaginatur mundum ab eo negligi, sed eum iniustitiæ insimulat, ac si desereret suos cultores, scelerumque licentiam permitteret. Quòd si iustitiā suam illustrat Deus reprobos vlciscendo, certò statuere licet, quicquid fœlicitatis obtinent, pessimi exitus esse præludium. *Rupes mea.* [v]Vel, fortitudo mea, petra mea. [c] Se rursus includit Propheta in eorum numero quibus Deus iustitiam suam in tuenda eorum salute manifestabit. *Et non sit iniquitas in eo.* [v]Vel, prauitas. Intelligit Deum nunquam officio suo deesse, itaque fieri non posse quin tandem miserè perdantur impii. [a]Sicuti alibi dicitur, Non Deus volens impietatē tu es, non habitabit iuxta te malus, non stabunt stulti coram oculis tuis: odisti omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium, Suprà, 5.a.5. [m] Quæ omnia ad hoc populo Dei proponuntur, vt sese contra quorumuis graues tentationes muniāt fideles, nec dubitent Deum esse rectum: idque olim manifestū futurum, vbi prorsus interibunt impii, florebunt verò pii, ac sempiterna vita potientur.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXXIII.

[a]Celebrat hic Psalmus Dei maiestatem ac immensam gloriam. [c] Deinde fidelem esse dicit, vt omnes in eius promissionibus tutò acquiescant.

1 *Iehoua regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, accinxit se, etiam firmauit orbem, non mouebitur.*

Iehoua regnauit. [v]Quidam vertunt, Iehoua regnat. Alii, Iehoua rex est. *Decorem induit.* Vel, gloriam. Vel, celsitudinē. Vel, splendorem. Alii, Vestiuit se, vel amictus est magnificentia. [b]Vates initio potentiam Dei canit & prædicat, qua omnia cōdidit. Frequens verò est hæc in Scripturis metaphora, vt dicatur indui tanquam vestimento, quo quis abundat. Sic vocat ignominia amictum qui ignominia supremo dum affectus est: indutum iustitia, qui illi per omnia deditus est, ac ceu veste ornatur. Ad hunc modum ergo canit Deum indutum decore & robore, [c] non quòd aliquid in eo aduentitium imaginari oporteat, sed vt re ipsa certisque experimentis demonstret admirabili iustitia & sapientia souere humanum genus. *Accinxit se.*[v] Q.d. Vestibus regiis ornatur. Nam rex est, continens omnia sub manu sua, siue imperio suo. [c]Porro in hac Dei potentia fiduciæ materia piis omnibus proponitur: quia hinc vt plurimum metus & trepidatio, dum sua virtute, vt par erat, non induimus Deum, malignéque eum suo imperio spoliamus. Non audemus quidem palàm id facere, sed si probè de eius omnipotentia persuasi essemus, contra omnes tentationum insultus inuicta nobis futura esset. Verbo fatentur omnes quod Propheta hic docet, Deum regnare: sed quotus quisque hunc clypeū, vt decebat, contrariis mundi opibus opponit, vt nihil metuat quantumuis formidabile? Hæc ergo gloria Dei est, suo arbitrio moderari humanum genus. *Etiam firmauit orbem.*[v] Vel, Etiam firmatus est orbis ne se moueat.[c] Propheta Deum mundi curam nunquam abiicere, ab ipsa creatione probat. Et certè solus mundi aspectus abundè ad testandam Dei prouidentiam nobis sufficere deberet. Cælum quotidie voluitur, & in mole tantæ magnitudinis nulla est concussio, quæ æquabilem cursum in tanta celeritate perturbet. Sol, quum in circuitu quotidiano semper diuersum iter teneat, quotannis in idem redit punctum: planetæ in suis erroribus stationem tamen suam non deserunt. Terra quomodo in aere pendet nisi Dei manu suffulta: quomodo in tam præcipiti cælorū agitatione staret immobilis, nisi firmitudinem hanc à suo opifice haberet? Est igitur emphatica particula אף, ac si Latinè diceremus, & sanè. [m]Seruit autem ad hoc huius rei consideratio vt ad infinitam & incomprehensibilem Dei sapiētiam, bonitatem & potentiam stupeamus, ac diuinitatem deprædicemus, quò in fide prouidentiæ illius corroboremur. *Non mouebitur.* [c] Significat orbem tantam firmitudinem à suo opifice habere, vt semper in sua statione permaneat. [a]quod diuinam potentiam ac magnificentiam non parum illustrat. [m]Quum enim terra super aquas fundata sit (quemadmodum habetur Sup. 24.a.2, & Infra, 136.a.6.) & nihil sit instabilius aut mobilius aquis, maxima admiratione dignū est quòd vastissima hæc & amplissima totius orbis machina ita semel sit aquis imposita ac firmata, vt in hodiernum vsque diē immota persistat: quum tamen naues onerariæ ventorum impulsu nonnunquam mergantur & pereant.

2 *Stabile solium tuum, ex tunc à seculo tu es.*

Stabile solium tuum. [v]Vel, stabilitum est solium tuum. Vel, firmum est. [c]Quidam non malè, paratum, vertunt, vt coniunctim legantur hæc duo membra, Domine quum tu sis à seculo, solium quoque tibi ab eo tēpore erectum est. Nam quòd nonnulli simpliciter de æternitate Dei hoc dictum esse volunt frigidum est. Docet enim his verbis Propheta, sicuti æterna Dei essentia est, ita semper imperio & maiestate fuisse præditum. Nam solii nomine per synecdochen iustitiam & gubernādi munus designat, vt similitudines istæ ab hominibus sumptæ pro infirmitatis nostræ captu impropriè solent ad Deum transferri. Hoc autem elogio crassa omnia commenta, quæ Dei potentiam abrogant, vel extenuant, Propheta refellit: ac si diceret non aliter fore Deum, nisi solio suo insideat, hoc est, simul teneat mundi gubernacula. *A seculo tu es.* [v]Ac si diceret, nihil sibi accessit. [a]Porro etsi Deus sua maiestate cælum & terram implet, (Ierem. 23.c.24) [m]Scriptura tamen de eo tanquam de rege quodam eximio loqui solet. Ideo tribuit illi regnum & sedem. Sicut ergo regibus solenne est vt vrbem vel arcem quandam præcipuam & insigniorem deligant, in qua sedem regni collocent, vnde iudicium & iustitiam in subditos ac ciues regni, ac defensionem etiam contra hostes exerceant: ita & Deo sacra scriptura cælum, tanquam sublimissimam ac splendidissimam arcem, sedis loco tribuit, vnde omnē potentiam & iustitiam, denique innumera beneficia erga mortales telluris huius incolas assiduè declarat. Cuius rei consideratio semper mentibus nostris insidere debet, præcipuè verò quum oculos sursum attollimus. *Ex tunc à seculo tu es.*[b] q.d. Tu regnum ab æterno obtines, & omnium iustissimè

administras, eadem semper præditus fuisti potestate.

3 *Extulerunt flumina Iehoua, extulerunt flumina vocem suã, extollent flumina gurgites suos.*

Extulerunt flumina. [A] Vel, vt quidam vertunt, Extollunt. [E] Hic Vates quasi per hypotyposin Dei potentiam nobis exprimit: quasi diceret quærendum non esse illustrius specimen potentiæ Dei, vt nobis formidabilis sit eius maiestas, quàm in rapido fluminũ decursu, & maris tempestatibus. sicuti Suprà, 29.a.4, dictum fuit in tonitru resonare terrificam Dei vocem. Nõnulli metaphoricè notari putant violentos hostium impetus, qui surrexerant cõtra Ecclesiam Dei, & Dei gratiam celebrari qui eos compescuerit. [M] Nam à Scriptura alienũ nõ est, per flumina populos, & per vocem ac fremitum illorum insultus ac impetus hostiles exprimere. [C] Alii hunc sensum eliciunt, Quanuis terribiles sint magnarũ aquarũ strepitus, & eorum terrorem superent fluctus maris, Deũ tamen in supremo gradu esse terribilem. Sed in comparationis argutia nõ multum insistendum est. simplex sensus sit, Deum in fluminũ strepitu & tẽpestuosis maris fluctibus virtutem exerere, qua nos ad sui reuerentiam commoueat. Quòd si placeat cõparatio, addendum erit, hoc quoque nihil esse vbi ad ipsam Dei maiestatem venitur, qualis est in cælo. Potest tamen & hic ex his verbis sensus elici, Quanuis mũdus hic variis mudis concutiatur in speciem, non tamen minui Dei potentiam, quia terribili suo imperio perturbationes omnes facilè compescit. [A] Qua de re vide Suprà, 46.b.10. *Extollent flumina gurgites suos.* [V] Vel, fluctus suos, contritionem suam, illisionẽ suam. Sic vocantur Hebraicè fluctus à conterendo & illidendo.

4 *A vocibus aquarum multarum terribiles fluctus maris, terribilis in excelsa Iehoua.*

A vocibus aquarum multarum. [V] Vel, magis quàm voces aquarũ multarum. *Terribiles fluctus maris.* [A] Vide superioris versus expositionem.

5 *Testimonia tua verificata sunt valde: domui tuæ decus, sanctitas Iehoua in longitudinem dierum.*

Testimonia tua verificata sunt valde. [V] Vel, fidelia sunt valda, probata, firma, certa. [C] Testimonia Dei vocat doctrinã. Postquam retulit Propheta quàm admirabilis sit Deus cùm in mũdi creatione, tum etiam in gubernatione generis humani, nũc peculiare beneficium commemorat, quo populum electum dignatus est, patefacta salutis doctrina. Ac primò quidẽ legẽ Dei à certa fide & veritate cõmendat. *Domui tuæ decus.* [C] Quia thesaurus ille de quo loquutus est, cũctis populis promiscuè expositus non erat, inde adiungit domum Dei ornatam esse splendore in perpetuum. Quanuis ergo se Dei bonitas ad totum mundum extendat, hoc inæstimabile Dei beneficium meritò celebrat Propheta, quod fœdus æternæ vitæ in Ecclesia sua deposuerit, vt illic cælestis sua gloria plenius fulgeret. Quidã נאוה pro desiderabili accipiunt, acsi dixisset Propheta, Templi decus esse pretiosum. Sed ratio grammaticæ aliud postulat, quẽadmodum facilè iudicare possunt, qui Prophetã attentius expendunt. *Sanctitas Iehoua in longitudinem dierum.* Dierum longitudine notatur perpetua successio, de qua etiam præclarè Esa. Ecce posui verbum meum in ore tuo, in ore seminis tui, & seminis quod deinde sequetur. Esa. 59.d.21. vt fideli custodia per multas ætates cælestis doctrina vigeat. [M] Cogimur hic agnoscere non esse Ecclesiam Dei veram illam & perpetuam, quæ profanari potuit.

ARGVMENTVM PSALMI XCIIII.

[C] Propheta implorat Dei auxilium contra improbos innocentium & afflictorum oppressores. [A] Deinde docet salutare esse ad tempus corripi à Domino, qui suos maturè à malis omnibus asserit, atque, dum illa perferunt, abundè consolatur.

DEVS *ultionum Iehoua, Deus ultionum affulge:*

Deus vltionum Iehoua. [M] Propheta magno & ardenti zelo cõtra superbos & oppressores populi Dei accẽsus, mox initio vltionẽ Dei tanquã iusti iudicis implorat. [C] Nã certũ est Iudæos malis vicinis cinctos fuisse, adeóq; totidẽ fuisse acerrimos hostes, qui eos vexare & fatigare nõ cessabãt. Sed quũ impii pro libidine dominantibus, interior afflictio durius eos vrgeret, meritò Deum inclamat Propheta, vt tam exitiali malo remedium afferat. *Deus vltionum.* [M] Repetitio hæc animi feruorem testatur. [A] Deum vltionum vocat: nam inde spem sibi sancti suffulciunt, quod cogitant illum tandem pro se contra impios iudicaturum. ipse namque dixit, Mea est vltio, & ego rependo, Deut. 32.c.35. Sed & tota de eo Scriptura prædicat, vnicuique iuxta facta sua rependsurum, Suprà 62.d.13. & Rom. 2.a.6. *Affulge.* [V] Vel, appare, fac te conspicuum. Vel, conspicuus appare. Alii, ostendere, id est, prodi in lucem. [C] Loquutio satis trita est, Deũ apparere conspicuum & in sublime efferri, dum manifesto effectu se vindicem demonstrat: quia tunc videtur tribunal cõscendere vt pœnas exigat de sceleribus, & virtutem suam exerere mundum in ordinem cogendo. Atque id dicitur respectu nostri: quia non sentimus eum gerere curam nostri, nisi quatenus manum suam apertè & quasi visibili modo profert ad nos iuuandos.

2 *Eleua te iudex terræ, redde mercedem superbis.*

Eleua te iudex terræ. [V] Vel, attollere, exaltare, id est, conscende tribunal, vt pœnas de impiis sumas. *Iudex terræ.* [C] Hoc epitheton cum proximo, quo Deus vltionum vocabatur, ad præsentis causæ circunstantiam spectat, acsi ipsum sui officii moneret Propheta, his verbis, Domine, tuum est vindictam sumere de sceleratis, & terram iudicare. Vides autem, dum impunè grassatur eorum iniquitas, vt eorum audacia proteruè insultet. Non quòd vlla admonitione indigeat Deus, qui nunquam torpet, quin potius, dum lentè cunctari videtur, pro opportunitate sibi cognita, iudicia sua temperat: sed eius naturã hoc modo reputant fideles, quo se ad meliorem fiduciam animent & stimulent ad precandi vehementiam: quò etiam pertinet repetitio. itaque quo petulantius lasciuient impii, semper occurrat nobis hæc doctrina, non posse tamẽ hoc auferri Deo, quin mundi sit iudex ad exigendam de sceleribus vindictam. Et quanuis pro carnis nostræ sensu Deus tenebris inclusus lateat, hanc precandi formam, quæ à Spiritu sancto dictatur, nõ dubitemus arripere, vt scilicet tandem affulgeat. *Redde mercedem superbis.* [A] Vel, retributionem. Vel, talionẽ. [M] Significat eos id esse meritos, vt paria factis suis recipiant, idque competere iusto iudici, vt retribuat cuique secundum facta sua. Quapropter nemo potens, dum tenues opprimit, securus sit, nemo pauper desperet. Hæc enim diuini iudicii æquitas est, vt qua mensura illi mensi fuerint remetiatur eis, Matth. 7.a.2. Nec abs re superbos vocat eos Vates aduersus quos vltionem diuinam implorat. Scit enim Deum parcere humilibus, & resistere superbis (Iacobi 4.b.6.) nec tam delicta mortalium quàm superbiam & arrogantiam punire. Ne terreantur ergo fideles, quando impios non solum delinquere, sed simul etiam superbire & arrogantes esse vident.

3 *Vsquequo impii Iehoua, vsquequo impii exultabunt.*

Vsquequo impii Iehoua. [A] Exprimit vt vrat sanctos sceleratorum successus & arrogantia, [C] ac simul feruorem suum excusat, quia tempestiua sit festinatio, dum nullum superbiẽdi modum faciunt improbi. Quia igitur necessitas addere nobis debet animum, vt sciamus iustas preces exauditum iri, testatur hic Propheta suam querimoniam non de nihilo, vel leui de causa nasci, sed extorqueri sibi grauissimis iniuriis. Circunstantia etiam temporis ad augendam indignitatem valet, quòd longa Dei patientia obduruerant, atque ex duritie non peruicaciã contraxerant modò, sed impudentiam quoque: acsi eorum improbitati Deus faueret. Nam in aduerbio vsquequo bis repetito diuturna notatur impunitas: acsi dixisset nõ incipere nũc demum impios, sed, quum nimis diu fuerint tolerati, nullum facere peccãdi modũ. iã quũ olim tantã in Ecclesia tyrannidẽ exercuerint reprobi, nec statim adhibitũ fuerit à Deo remedium: ne miremur si hodie quoque lõgis oppressionibus subiaceat Ecclesia, nec putemus prorsus à Deo desertam, quanuis non protinus sanãdis malis manũ admoueat. *Vsquequo impii exultabunt.* [M] Hoc impiorum ingenium est, vt non solùm malè agant, sed & in rebus pessimis exultent, [A] sicuti eos Solomo describit Prouerb. 2.c.14. [C] Itaque Propheta exultandi verbo, lætitiam proteruiæ & iactantiæ plenam designat, quum impii longa prosperitate ebrii quiduis sibi licere confidunt.

4 *Effutiunt, loquuntur duriter, extollunt se omnes operarii iniquitatis:*

Effutiunt. [V] Quidam, pronuntiabunt, ebullient, effabuntur. [A] Clarius exprimit tanta ferocia turgere impios, vt gloriari in sceleribus non dubitent. [M] Nam verbo נבע (quod propriè ebullire significat) notat oris temeritatem & petulantiam, qua impii sese cunctis præferentes, quicquid eis in buccam venerit, tam contra Deum quàm homines, loqui sibi permittunt. *Loquuntur duriter.* [V] Vel dura, sub. verba q.d. Grandia & superba loquuntur, audacter sese iactant, & omnes præ se contemnunt ac despiciunt. [C] Videmus enim quò sua ambitio & superbia impios homines præcipitet, vt etiam cum magno suo

probro & dedecore potentiam suam futiliter efferant. Minũdo enim, nihil quàm cædes, violentiam & barbarã atrocitatẽ crepãt. Istæ sunt ebullitiones de quibus loquitur Propheta, dum impii pudoris & modestiæ obliti se quiduis pro libidine acturos iactare nõ dubitãt. Atque hæc est durities sermonis, quam neque ratio, neque timor, neque honesti respectus cohibet, quin perrumpat quocunque tulerit effrænis licentia. Iam sicut hæc grauis tentatio fuit olim fidelibus cernere in Ecclesia prorsus confusam dominationẽ: ita hodie docemur, quoties præposterè regitur Ecclesia, vel potius opprimitur, nihil noui accidere: sed inuocandum esse Deum, qui post longam dissimulationem tandem seruis suis opitulari solet.

Extollunt se omnes operarii iniquitatis. [b] Verbum יתאמרו hic pro extollere se verbis positũ est (vt & Deut. 26. d. 17.) vbi quum Moses vellet dicere, Extulisti hodie Iehouam, vt sit tibi in Deum: & paulo pòst, Et ipse extulit te, vt sis illi in populũ, verbo אמר vsus est. Ita Esaias, Opulentia Gentium fruemini, & in gloria earum exaltabimini, vel iactabitis vos, Esa. 61. b. 6. Porro de ista impiorum superbia & petulantia vide Suprà, 10. b. 5. & 73. b. 29. *Omnes operarii iniquitatis.* [a] Qui paulo antè superbi & impii dicebantur, nunc vocantur operarii iniquitatis, vt intelligas eos sic intus turgidos & vana confidentia inflatos vt in sanctos etiam crudeliter sæuiant, ac omnem iniquitatem externis actionibus designent. [m] Ad hæc, omnes impii sunt operatores iniquitatis: sicut omnes pii, operatores sunt æquitatis ac bonitatis.

5 *Populum tuum Iehoua conterunt, & hæreditatem tuam affligunt.*

Populum tuum Iehoua conterunt. [v] Vel, opprimunt. Futura Hebræa pro præsentibus, vsque ad octauum versum. [a] Accusat istorum violentiam in populum Dei. Nam vbi de ebria & petulanti verborum iactantia loquutus est, facta quoque describit, quòd immaniter Dei Ecclesiam affligũt. *Et hæreditatem tuam affligunt.* [m] Emphasis in eo est, quòd Ecclesia, populus ac hæreditas Dei appellatur. [c] Nam si indignum est à profanis regibus subditos suos iniustè premi, certè electum Dei populum, qui peculiaris est eius hæreditas, tyrannicè conteri multo minus est tolerabile. Iam meminerimus dictari hic nobis precãdi formã, quoties scelerati homines, ac præsertim hostes domestici nobis & reliquis fidelibus molesti sunt. Nam quia nõ tantùm Deo curæ est nostra salus, quia homines sumus ab ipso conditi, sed etiam pretiosa, quia nos in peculio suo censet: siquid patimur iniuriæ, familiariter ad eum confugere licet.

6 *Viduam & peregrinum interficiunt, & pupillos occidunt.*

Viduam & peregrinum interficiunt. [c] Hæc altera est amplificatio, quòd ne viduis quidem parcant, pupillos interficiant ac peregrinos. Atqui Deus, postquam in genere præcepit vt iustitiã & æquitatẽ mutuo colamus, præcipuè tamẽ viduas & peregrinos & pupillos cõmẽdat, Exod. 22. c. 21. & Deut 24. d. 17. 19. quia eo plus merentur humanitatis & misericordiæ quo magis obnoxii sunt iniuriis. [m] Vnde apparet infinitæ Dei bonitatis ingenium, quòd potissimum ea complectitur ac tuetur quæ in hoc seculo sunt neglecta, humilia, destituta & misera. [c] Contrà eo magis se prodit impietas & Dei contemptus, vbi promiscuè in viduas & peregrinos sæuiendo, non modò violatur ius commune, sed priuilegium quod Deus ad tuendam eorum salutem ferre dignatus est. Itaque magis in se prouocant iram Dei qui crudeliter in illos insurgunt. Et certè pueris, quia se defendere nequeunt, ætas ipsa infirma præsidio est, etiam aduersus canes & feras bestias. Quàm turpe est igitur & monstruosum hominibus vires suas contra eos experiri? [a] Hac ratione Propheta audet aduersus huiusmodi pauperum oppressores Dei iudicium inuocare. [m] Nouit enim non abs re scriptum esse à Mose, Dominus amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum, Deut. 10 d. 18. [c] Porro quasi in speculo cernimus quàm deformis tunc fuerit in Ecclesia vastitas. Erat lex, erant iudicia diuinitus instituta: videmus tamen vt horribili modo exundauerit omne genus scelerum. Ergo sollicitè cauendum est nequid tale nobis vsueniat: quòd si tamen cõtingat peregrinos iniustè vexari, raptari viduas in prædam, spoliari pupillos: rogandus est Deus vt eorum patrocinium suscipiat: sicuti exemplo suo Propheta nos ad leuandas eorum miserias hortatur.

7 *Et dixerunt, Non uidebit Deus, non cognoscet Deus Iacob.*

Et dixerunt. [a] Vel, dicunt. *Non uidebit Deus.* [b] Vt impii in eam immanitatem, nisi penitè erecto ex animo omni Dei metu efferari non possent, [c] ita Vates canit eos negare Deum ista videre. Quod tamen ita non debet intelligi quasi distinctè hos concipiant in animis suis: sed quia perinde contemnunt eius iudicium acsi nulla eum tangeret cura humani generis. Nam si penitus insculptum esset hominum cordibus se Dei oculos non posse effugere, sufficeret frænum hoc ad cohibendam eorum vitam. Quum ergo hucusque prosiliant audaciæ, & hunc diripiant, illum spoliẽt, alium deuorent: certum est in sua socordia esse demersos, acsi absconditi essent à Dei oculis. Certè tum supina securitas ostẽdit eos peccare, acsi nunquam vocandi essent ad reddendam vitæ rationem. Quanuis ergo tam crassas blasphemias euomere non audeant, Deum esse rerum omnium ignarum, ac ferè similem trunco, iure tamen illis exprobrat Propheta quòd mundum existiment Dei prouidentia nõ regi, imò palàm ei iudicis officium ac potestatem abrogent. Quia si persuasi essent, vt decet, de eius prouidentia, simul tribuerent honorem qui reuerentiam ac metum incuteret. Qua de re fusius alibi disseruimus. Consilium autem Prophetæ est, extremam & perditam nequitiam exprimere, dum scilicet abiecto Dei timore quiduis sibi indulget peccator. Si quis profanus homo, qui nihil vnquam cælestis doctrinæ gustauerit, ita insultet, furor erit non ferendus: homines ergo qui à pueris educati fuerant in Legis doctrina, tam contemptim illudere vel fucum facere Deo, immane portẽtum fuit. *Non cognoscet Deus Iacob.* [t] Emphasim habet quod Iah, id est existentem, & Deum Iacob dixit. Expressit enim in eo quàm sibi doluerit vnicũ & verum Deũ sic blasphemari. [m] Iacob est populus Israel, à Iacob descendens, cui impii isti dominabantur & quẽ tanta tyrannide opprimebant. Ergo fatentur se opprimere populum Israelis, & sciunt hunc populum habere Deum cuius ipsi sint serui: atque ita non modò in populum hunc sed & Deum ipsum ac Dominum suum peccare: illumque ita esse affectum erga populum istum vt si oppressionem illius & iniustitiam, qua viduas & pupillos occidebãt, intelligat, non sit laturus impune: [a] & tamen tam cæco furore correpti sunt vt sibi quiduis in miseros & innoxios licere putent.

8 *Intelligite insipientes in populo, & stulti quando sapietis?*

Intelligite insipientes in populo. [a] Iam per apostrophen admonet improbos illos de quibus queritur, vt sustineant credere Deum õnia intueri, & iudicaturũ. Nã hunc ipsi in tantã improbitatẽ & crudelitatẽ peruenerant, quia persuadere sibi conati fuerãt Deum nõ cernere quæ designarẽt. [c] Quũ itaque execrãda in Deũ blasphemia sit, eum iudicis officio priuare, vehemẽtius in eorũ socordiã inuehitur Propheta, qui se illius iudiciũ subterfugere, imò oculos fallere suis astutiis posse confidunt. [m] Vocat autem eos insipientes & stultos, eo quòd, quũ ipsi insipientes sint, non intelligant fieri non posse vt qui homini & aurem, & oculum, & intellectum dedit, ipse nec videat, nec audiat, nec intelligat: sed putent eum non intelligere quum ipsi tanquam insipientes non intelligant. Hinc verò obseruandũ בערים non semper pro stupidis natura vsurpari, quum hic Vates hoc nomine appellarit ex impietate desipiẽtes. *Insipientes in populo.* [m] Notãda est & hæc particula. Grauius enim est vocare stultos in populo, quàm simpliciter stultos: [a] eo quòd minus excusabilis sit talis amentia in filiis Abrahæ, de quibus dictum fuerat à Mose, Quis populus tam nobilis qui deos sibi appropinquãtes habeat, sicuti hodie Deus tuus ad te descẽdit? Hæc enim vestra est intelligentia coram cunctis gentibus, & sapientia, Deum habere Legislatorem, Deut. 4. a. 7. Nisi fortè ignominiosos in populo vocat, qui tamen primores erant, summumque tenebãt honoris gradũ: acsi vocaret gregarios. Nam superbos, quos sua dignitas excæcat, ita in ordinem cogi vtile est, vt sentiant non alio se loco censeri apud Deum quàm promiscuè quoslibet è vulgo. Et certè videtur eos ad plebẽ relegare, vt sibi in sua altitudine placere desinant, nisi quòd ironicè eorum eminentiam perstringit: acsi diceret hac maximè nota esse conspicuos quòd reliquos omnes stultitia superent. *Et stulti quando sapietis.* [v] Vel, prudentes eritis, intelligetis. [c] Exaggerat Propheta hac interrogatione eorũ stultitiã quòd in ea obdurueriint ac pertinaciter maneant. [m] Et reuera huiusmodi homines vsqueadeo deploratè sunt insipiẽtes & stulti, vt citius in malitia sua sint perituri quàm ad resipiscentiam redituri. Tales multos hodie habemus etiã in Ecclesia. Quando enim, putas, incipient nostri Pontifices & Ecclesiastici domini intelligere ac sapere. Sed à Domino dictum est, Si sal infatuatus fuerit, in quo salietur? Matth. 5. b. 13. Citius videntur non solùm ipsi perituri, sed & vniuersum Christianismum Mahometicæ impietati ac tyrannidi subiecturi, quàm stultitiã suam emendaturi.

9 *Qui plantauit aurem, annon audiet? an qui finxit oculum, non aspiciet?*

Qui plantauit aurem. [a] Asserit Deum omnia cognoscere

& iudicaturũ, eo quòd nobis cognoscendi facultatem dedit, & antea quoque mundi scelera sæpe grauiter vltus est. ᵉVidetur tamẽ, dum interrogat, an nõ audiret Deus qui aurem formauit: frigidè asserere contra impios dei prouidentiam: quia nemo tam barbarus est qui Deo cognitionem planè detrahat: sed (quemadmodum nuper diximus) tam crassa audacia, in qua sibi indulget maior pars mũdi, testis est, eos qui tam securè cõtra Deum irruunt, eius loco imaginari mortuum idolum. quia si seriò persuasi essent ab eo sua facta aspici & notari, non minus saltem honoris ei deferrent quàm mortalibus, quorum metu & reuerentia à peccando prohibentur. Non abs re igitur Propheta, ad excutiendum hunc torporem, ratiocinatur à naturæ ordine, quum homines visu & auditu præditi sint: quia hæc illis facultas à Deo opifice collata est, fieri non posse vt quicquam eum lateat qui tam aures quam oculos creauit. Videmus ergo qualemnam Propheta sapientiam & intelligẽtiam requirat ab illis, qui perinde peccãt quasi Deus nec audiat, nec videat, nec intelligat. Non profundam aliquam abstrusionem quàm quæ ab homine ratione prædito percipi queat: sed planè vulgarem & obuiam, qua carere nequeant nisi qui planè sint insensati & amentes, vsqueadeo vt nõ cogitent vnde ipsi habeant (imò non ipsi modò, sed & bestiæ ratione carentes) quod vident & audiunt. Quæ poterit ergo esse impiis hominibus excusatio tantæ cæcitatis & amentiæ? *An qui finxit oculum.* ᴹNon simpliciter dicit, Qui fecit aurem & oculum, sed in aure, plantandi, in oculo, fingendi metaphora vtitur. Aures ipsæ sua forma non sunt plantæ absimiles, cum propter expansionem, tum quòd extant & superemineñt. Oculi pulchritudine, rotunditate, mobilitate, ac perspicuitate sua singularẽ exprimunt opificis fingẽdi diligentiã, vt nõ immeritò dixerit Propheta, Qui finxit oculũ &c. Docemur autẽ hic, quoties auriũ ac oculorũ beneficio vtimur, cogitare de ipso opifice, quã ille liquidè audiat & videat qui nobis audiẽdi vidẽdique virtutẽ largitus est, & quotidie largitur, dum quotidie aures plãtat, & oculos fingit, imò plantatis auribus ac fictis oculis, quotidie audiendi ac videndi sensus subministrat. Certè nihil videre, nihil audire, nihil omnino cogitare poterimus, quod ille non melius nobis ipsis, nempe opus suum magis quàm nostrũ, cognoscat.

10 *Qui arguit gentes, an non corripiet? qui docet hominem scientiam?*

Qui arguit gentes, an non. ᵛVel, Qui corripit, castigat, corripere solet. ᶜArgumentum est à maiori ad minus, fieri non posse vt Deus, qui totis populis non parcit, sed vlciscitur eorum peccata, paucos homines impunitos prætereat. Quanquam posset etiam esse Gentium comparatio cum Iudæis. ᴹq.d. An vos nõ redarguet qui sub ipsius nomine tyrannidem hanc & crudelitatem in populo eius exercetis, quum gentibus à nomine suo alienis non parcat? ᶜNam si deus erga gentes Legis suæ ignaras seueritatem exercet, digni sunt grauioribus pœnis Iudæi, quos Deus in sua schola familiariter edocuit. Quia sicuti electo populo præsidet, ita æquũ est illic clarius fulgere eius iustitiam. Prior tamẽ sensus aptior videtur, quòd stultè impunitatẽ sibi promittant pauci homines, qui Deum vident publicas de cunctis gentibus pœnas exigere. Restringunt hoc quidam ad insignes & memorabiles vindictas quæ in Scriptura leguntur, quales fuerunt quum Deus Sodomam igne cælesti & totum humanum genus diluuio perdidit, Genes.19.e.24 & 7.d.21. Sed simplicius accipere malumus, nimis peruersam eorum contumaciam, qui populis pereuntibus saluos se fore confidunt. Notandum est hoc loco, esse Deum non solùm Iudæorum sed & Gentium dominum. Alioqui quæ illi ratio esset castigandi non suos? Quod ergo Apostolus Gentes in hoc mundo sine Deo fuisse dicit (Ephes.2.c.12) non sic intelligendum est, quòd extra ius, dominium, potestatem ac prouidentiam Dei fuerint, qui omnia tam in cælis quàm in terris moderatur: sed quòd in fœdere, cognitione, & gratia Dei non fuerint. Præterea, Si arguuntur & corripiuntur à Domino qui nec cognitione illius imbuti, nec in professione nominis ac religionis eius sunt constituti, quid illis expectandum qui & instituti sunt in scientia voluntatis eius, & ad professionẽ nominis eius assumpti, vt populus eius dicantur & habeantur? Seruus enim sciens voluntatem heri sui, & non faciẽs, &c. Luc.12.f.47. Nec omittenda est arguendi & corripiendi particula. Non ait, Qui perdit gentes, an non perdet vos? Sed, Qui arguit gentes, an nõ corripiet? Digni quidem sunt omnes qui Deum non norunt, aut cognitum non glorificant, qui perdantur: verùm maluit Spiritus sanctus hac loquendi formula diuinam commendare clementiam: qua, quum iure perdere posset impios, ita eos punit, vt sit castigatio ac redargutio, non perditio. Non enim delectatur perditione filiorum hominum, neque quærit mortẽ peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant, Ezech.18.c.23.& 33.e.11. Agnoscamus itaque misericordiæ Dei deberi quòd seculum hoc pessimum non prorsus vno momẽto consumitur. *Qui docet hominem scientiam.* ᴮVidetur hæc particula suo carere antitheto: nam subaudiendum iuxta priores antitheses videtur, Quomodo non & vestra mala sciret? Sunt tamen quibus hæc lectio placet, An non docet hominem scientiã? Quod ad summam attinet, hoc ad perstringendam eorum confidentiam valet, qui ex Dei contẽptu laudem acuminis vel astutiæ captant: sicuti Esaias vafros istos contemptores maledicit, qui sibi cuniculos fodiunt, quibus se abscondant à Dei oculis. Atque vtinam hoc morbo nunc quoque mundus non scateret. Sed videmus quibus integumentis tam aulici homines quàm forenses suas mentes obtenebrent, vt sine vllo pudore subsannare Deũ audeant. Vos scilicet (inquit) ingeniis vestris confisi Deum eludere tentatis: quasi vestrũ sit eum priuare sciẽtia qui ex sua plenitudine exiguas tantùm particulas in mundum distillat.

11 *Iehoua nouit cogitationes hominum quòd vanæ sint.*

Iehoua nouit cogitationes. ᴮVersus hic cõtinet lætam quandã de prouidẽtia Dei cũcta intuẽtis & cernentis, & ipsos homines nihilum esse, prædicationem. ᶜAd hæc rursus insultat Propheta hominum fallaciis, qui, dum sibi ipsis nebulas obducunt, sperant se dei oculos posse effugere. Ergo vt sibi inani hoc prætextu blandiri desinant, admonet fumos istos momentaneo discussum iri, vbi in Dei conspectum ventum fuerit. ᴹ acsi diceret, Quem putatis opera vestra non intelligere, imò ne videre quidem, non opera modò, sed & ipsas intimas cogitationes, non vestras tantùm, sed & cunctorũ hominum, non coniectura aliqua colligit quæ sint, sed & planè nouit & intelligit quid velint, quid agant, quid petant, quid fugiant. ᴮImò verò optimè nouit fallaces esse & euanidas cogitationes vestras qui hos putatis eum quicquã latere posse. ᶜHinc verò sequitur eos nihil proficere, dum è cælo Deus vanitatis cõdemnat quicquid astutè cõminiscuntur. Nã eos ad tribunal Dei citando retrahit ad propriæ conscientiæ examẽ. Vnde enim securitas, nisi quòd Deo tergum obuertunt: sepeliunt omne boni & mali discrimen, & quantum in se est, exuunt omnem sensum? dum ita se inaniter demulcent, denuntiat Propheta rideri à Deo tam pueriles ineptias. Nota est & celebris sententia: sed attendere operæpretiũ est ad consilium Prophetæ, quod multi neglectim prætereunt: nempe impios, dum sibi latebras fabricant, seipsos decipere: quia Deum sua vafritia fallere nequeunt. ᴬOmnia enim sunt oculis eius conspicua. *Quòd vanæ sint.* ᶜQuod quidam vertunt, ipsi sunt vanitas, nimis coactum est. Loquutio enim est tam Hebraica quàm Græca, quæ sic resolui debet, Deus nouit hominum cogitationes esse vanas. Nec mirum si cogitationes hominum vanæ dicantur, quum totus homo nihil aliud sit quàm vanus, imò vanitas ipsa, aut ipsa vanitate vanior. ᴬ Vide Suprà, 4.a.3.& 39.b.7.& 1. Cor.3.d.20.

12 *Beatus vir quem erudieris, & à Lege tua docueris.*

Beatus vir quem erudieris. ᵛQuidam vertunt, castigaueris. ᴾAlii, Fœlicitas viro quem ô Iah corripis. ᵛSed erudiendi verbum textui conuenit. ᶜNam Propheta ab obiurgatione ad consolationem tam sui quàm piorũ omnium transit, quòd Deus ipsorum saluti consulat, dum ad tempus affligi sinit. Doctrina apprime vtilis in toto vitæ cursu qui in continua militia peragendus nobis est. Nam vt Deus, infirmitati nostræ parcẽs, aliquid relaxationis concedat, vult tamẽ multis iniuriis esse expositos. Et videmus quanta sit impiorum petulantia. Itaque miserrima esset sine hoc solatio nostra conditio, beatos esse quos Deus cruce exercet. Vbi nos Deus sibi in populum collegit, videtur segregasse à reliquo mundo, vt iustitiam & æquitatem inter nos colendo beata pace omnes fruamur. Atqui sæpe cõtingit vt prætextu honorificæ potestatis tyranni sceleratè opprimãt Ecclesiã. ac talis fuit tentatio de qua hoc Psalmo conquestus est Propheta: quia non alios quàm domesticos hostes accusat, qui se populi iudices profitebantur. Hic dictat carnis sensus, si Deus nos respiceret, nunquam tantam licentiam daturum improbæ eorum libidini. Sed reclamat ex opposito Propheta, aliunde sapiendũ esse quàm ex proprio cerebro, & opus esse cælesti prouidentia. Sic enim locum hunc interpretamur, vt nos, dum vrgent res aduersæ, tranquillis animis stemus, & patienter expectemus Dei auxilium, non aliter fieri quàm si nos Deus in schola sua erudiat. Fatetur enim Propheta non ita naturaliter sapere homines vt per continuas afflictiones pacatis animis ad metam contendant, sed hanc sapientiam diuinitus illis conferri. Ideo exclamat beatos esse quos Deus Legis suæ doctrina assuefecit ad crucis tolerantiam, & quos etiam arcana Spiritus sui consolatione fulcit, ne rebus aduersis succumbãt. ac si diceret, Certè Domine homines sta-

tim deficerent in tribulationibus, nisi essent in schula tua edocti, & à Lege sua eruditi. Nemo nostrûm posset vel momentum perstare quin succumberet rebus aduersis, nisi tu Domine fulcires ipsum tuo instinctu & interiore Spiritus tui doctrina. [c]Quod ergo dicit, Beatus quem tu erudieris, ad interius illuminationis donum extenditur sed mox addit Propheta, *Et à lege tua docueris.* [c]Quibus verbis docet, sapientiam hanc, quam Deus nobis intus inspirat, simul in Lege proponi & patefieri. Quo elogio commendat externæ doctrinæ vsum. Nam si volumus patientes esse in rebus aduersis, debemus ex fonte illo haurire patientiam, sicuti etiam dicit Paulus, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinâ scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom.15.a.4. Coniungitur autem versus iste sequenti.

13 *Ad præstandam ei quietem à diebus mali, dum fodiatur scelerato fouea.*

Ad præstandam ei quietem. [A]Vel, Vt quietem præstes ei. Vel, Vt tranquillum illum reddas. [V]Vt tranquillitatem illi parias. [B]Consiliû Prophetæ est in his duobus versibus, primùm fideles hortari ad patientiam, ne sub cruce animos despondeant, sed in quiete & silentio Deum expectent liberatorem: deinde nos monere vnde petenda sit hæc prudentia. quia enim caro nostra nos assiduè solicitat ad desperationem, centies euanesceret spes nostra, nisi diuinitus edocti mala omnia sciremus nobis cessura in salutem. Interea restatur veram consolationis materiam nobis in Lege Dei suppetere, vt nunquâ desperet, ve frangatur, vel se miserum esse ducat quisquis rite in ea profecerit. Nam hac nota veros discipulos Deus à fictitiis discernit, si ad crucem ferendam pacati sint ac compositi, non obstrepant, nec tumultuentur, sed liberationem quieti sperẽt. Et sanè hæc vera est patientiæ ratio, non contumaciter resistere rebus aduersis (sicuti præfractam duritiem Stoici pro virtute laudarunt) sed nos libenter subiicere Deo, quia in eius gratiâ recumbimus. Scitè igitur Propheta ab hoc fundamento incipit: vt discât fideles se ideo affligi ad momentum vt perfuncti sua militia, beatam quietem obtineât. [A]sicuti Paulus egregiè docet 2.Cor.4.d.17. [L]Dicere poterat beatos esse qui ex Lege Dei æquo animo crucem tolerare didicerint: sed solatium posuit quo mitigantur animi, vt se Dei arbitrio placidè submittant. Nam vt quis in rebus aduersis lachrymas contineat & gemitus, si absque vlla spe frænum mordet, tantumq; tenet illa principia, nos esse mortales, necessitati frustra resistere, vel contra fatum niti, fortunam esse cæcam: hæc pertulcacia est magis quàm patientia: quia interim libenter aduersus Deû calcitraret qui fortitudinis prætextu mala sua despicit. Ad mansuetudinem verò sola hæc doctrina animos nostros subiget, Deum, vbi suos vexationibus exponit, eorum quieti sic consulere. Vbi autem regnabit hæc persuasio, quietem parari fidelibus & refrigeriû dum in æstu miseriarû versantur, ne cû mundo pereant, satis superque ad lenitendam quamlibet doloris acerbitatem valebit. Hoc modo *dies malos* vel *mali* intelligeret Propheta æternû interitum, qui reprobos omnes manet vbi illis ad tempus Deus pepercerit. Possent etiam sic exponi Prophetæ verba, Beatus qui inter afflictiones quietus & tranquillus esse didicerit. Ita notabitur interior tranquillitas, qua fruuntur fideles etiam inter medias procellas. atque hæc esset contextus ratio, Beatus est homo qui hucusq; profecerit in Dei Lege, vt sedato animo & composito omnes malorum insultus sustineat. Sed quia mox sequitur, Dum fodiatur impio sepulchrum, vt opposita membra inter se respondeant, videtur eorum prudentiam laudare Propheta, qui se in hunc finem à Deo affligi reputant vt salui sint ab interitu, & fœlici tandem exitu potiantur. *Dum fodiatur scelerato fouea.* [A]Vel, donec fodiatur impio fouea. Alii, dum fodiatur impio sepulchrû [N].q.d. Domine paras omnino impiis foueam perditionis qua prorsus pereant: quare fœlix meritò censendus est quem tu ita iudiciorum tuorum cognitione instituis vt inde in corde suo pacatus ac tranquillus tempus illud iudicii tui patienter expectet, [A]ac perditis reprobis tuus gloria fruatur. [C]Hæc autem consolationis particula omnino addenda fuit, quia fieri non potest, vbi impii triumphant, nec eos Deus côpescit, quin violentus doloris feruor in cordibus nostris ebulliat. Tempestiuè igitur occurrit Propheta, admonẽs, impios super terram relinqui, sicuti cadauer in cubiculo repositû manet, donec effossum sit sepulchrum. His autem verbis docet nô aliter posse fideles constanter perstare nisi speculam conscendât, (sicuti loquitur Habacuc, cap.2.a.1) vnde procul cernant Dei iudicia. Vident impios terrenis deliciis potitos. nisi longius suam cogitationem extendant, præ indignatione deficient. Verùm si in mentem veniat, domos quæ viuis destinatæ sunt, ad exiguû tempus vsque concedi mortuis, dum illis effoditur sepulchrum, ita

& superstites manere qui tamen exitio iam sunt deuoti: hæc consolatio ad placandam tristitiam sufficiet.

14 *Certè non abiiciet Iehoua populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet.*

Certè non abiiciet Iehoua populum. [B]Quidam legunt, Quia non repellet Iehoua populum suum. Videtur enim Vates causam adscere cur Deus hâc tranquillitatem suis confert, nêpe quòd Deus nequeat populum suû abiicere, quem in hæreditatem sibi assumpsit & peculium: nimirû vt peculiari eû beneuolẽtia excoleret, sicuti dictum est Suprà, 16.a.5, & 31.b.12. [C]Atque hoc nobis sacrum asylum esse debet, quoties malis tentamur, nos tamen esse Dei populum, quia nos sibi gratis adoptauit, tantaque charam ei esse & pretiosam salutem nostram: quia nô frustra pollicitus est se non secus Ecclesiæ suæ ac propriæ hæreditatis sedulum fore custodem. Vnde rursum colligimus, excidere & euanescere patientiam nisi affulgeat gratiæ notitia ad pacandos omnes carnis tumultus. *Et hæreditatem suam non derelinquet.* [A]Bis idem dicit, sed aliis verbis. [M]In summa, geminus est vsus huius versus. vnus, ad tuẽdam diuinæ præscientiæ, electionis, & vocationis immutabilitatem: alter, ad consolationẽ afflictorum & oppressorum, [A]ne propterea putent se à Deo reiici quòd affligantur, quum Dei iudicium ab eius domo incipere soleat, 1. Petri 4.d.17. [M]Videtur Apostolus ad hunc versiculû respexisse quum de Iudæorum reiectione & gentium electione abundè disserit, Rom.11.a.1. [A]Vide item Esa.49.d.15.16.

[V]15 *Quia ad iustitiam reuertetur iudicium, & post ipsum omnes recti corde.*

Quia ad iustitiam reuertetur. [A]Vel, Nam tandem vsque ad iustitiam reuertetur iudicium. [C]Quia in afflictionum tenebris non facile est cernere amorem illum quo Deus suos occultè prosequitur, aliud argumento vtitur Propheta, nêpe quòd post confusam perturbationẽ Deus tandem res in legitimû ordinem côponet Quidam disiunctim hæc duo legût, Iustitia ad finem reuertetur, postea iudiciû reuertetur: sed hoc modo perperam torquẽt ac dilacerât contextû. Nam quod dicit Vates, petenda est acsi dictum esset, iudicium aptabitur vel côformabitur iustitiæ. [V].q.d. Quamuis Dominus differat sua iudicia, sinâtque suos diutius affligi, tandẽ tamen iustitia & iudiciû restituetur in locum suû: hoc est, ex æquitate iudiciû faciet omnibus. nam populum suû è manu impiorû eripiet, & impios persecutores perdet. Iudiciû porro hic, sicut multis aliis locis, pro gubernatione accipitur, vel publico statu. Iâ quia reb[9] in mûdo turbatis videtur iniquû ac peruersum esse regimen, ideo promittit meliorem exitû. Nec tantùm dicit redituros ad æquitatẽ homines qui prius inordinatè dominati fuerint, sed altius penetrat, Dominû tandẽ in restituẽda Ecclesia iustitiâ quam occultauerit patefacturum: non quòd eius prouidentia vnquâ à recto ordine vel minimû deflectat, sed quia hominû respectu nô semper apparet talis temperatio vel moderamẽtum, vt conspicua sit illius iustitia: quæ iusta gubernatio dicitur, vbi correcta est inæqualitas. Nam sicuti nocte vel tempore nubilo lumẽ solis absconditû est, ita dum impii homines tyrânice bonos vexât, & eorum libidini ac sceleribus laxantur habenæ, inter nos & Dei prouidentiam interpositæ nebulæ lucem æquitatis obscurant, & ita quodâmodo iudicium à iustitia distrahitur. Rebus autẽ in verum ordinem restitutis, optimus imperii & iustitiæ consensus in moderata æqualitate apparet. [F]Fide quidẽ in rebus confusis Iustitiam Dei, licet absconditam, apprehendere nos decet: sed hoc ad sensum & experientiâ refertur, quòd tâquam sereno cælo fulgebit Dei iustitia. *Et post ipsû omnes recti corde.* [V]Quidam vertunt, Et post illam sub. iustitiam. Vel, post illud sub. iudicium suspirant. [C]Sed rectius de Deo alii intelligunt, vt sit relatiuû sine antecedẽte. Neque enim Hebræis rarû est vbi Dei fit mẽtio, nominis eius loco ponere relatiuû. Sensus ergo erit, iustos homines, vbi Deus statû mûdi côposuerit, sumpturos animû, vt eum alacrius sequâtur. Etsi enim etiam crucem ferendo, per ærumnas & afflictiones ad eum aspirant, vbi tamen sentiunt liberatorem, & talem conspiciunt eius manum, plenius ei sese addicunt. [A]Ergo Ire post Dominum seu sequi Dominum, nihil aliud erit quàm vitam suam ad diuinæ Legis præscriptum componere, & vera animi fiducia Deo ipsi adhærere.

16 *Quis surget mihi cum aduersantibus? quis se statuet mihi cum operariis iniquitatis?*

Quis surget mihi cum aduersantibus? [V]Vel, Quis consurget mecum contra improbos? [M]Prædicat & extollit Propheta bonitatem Dei, qua bene vsus sit côtra vim & insidias reproborum & iniquorum, ac interim suo exẽplo docet quàm non deserat Deus suos cultores. *Quis surget, inquit, mihi.* [C]Demonstrat quasi

per hypotyposin quantopere fuerit destitutus hominum auxilio. Nam quasi in re præsenti exclamat, Quis stabit pro me? q.d. Quis mihi opem feret vt reprobis resistere valeam? *Quis se statuet mihi cum operariis iniquitatis?* Id est, cũ impiis & sceleratis? Idem bis dicit aliis verbis: quanquam hoc posteriori membro significat se bona conscientia fretum opem Dei inclamasse. Nam hostes suos, operarios iniquitatis vocat, hoc est, nequitiæ & iniquitati prorsus deditos. Si ergo Dominum Deum à parte nostra stare volumus, integritati ac sanctitati danda nobis est opera, vt nõnisi operarios iniquitatis hostes habeamus.

17 *Nisi Iehoua auxilio fuisset mihi, propemodum habitasset in silentio anima mea.*

Nisi Iehoua auxilio fuisset. ᶜ Propheta sibi respondet. q.d. Nisi Deus opem misero tulisset, actum iam fuisset de salute mea. Tantam enim passus sum impiorum violentiam, ac tanto furore insurrexerunt in me reprobi, vt planè mihi pereundum fuisset, nisi Dominus auxiliatricem manũ suam afflicto porrexisset. ᶜ Hoc verò ad amplificandam Dei gratiam nõ parum valet, dum se prædicat miraculo ereptum fuisse ex morte, quia à toto mundo desertus erat. Quamuis enim homines, dum nobis manum porrigunt, ministri sint gratiæ Dei, vbi tamen oculis nostris occurrit inferior aliquod subsidium, non facilè agnoscimus manum Dei. *Propemodum habitasset in silentio anima mea.* ᵛ Vel, Breui habitasset. Ad verbum, secundum parum. id est propemodum, mox. q.d. Ego non amplius viuerem, sed vita mea conuersa esset in mortem. Hic animam pro vita accipit, non pro animæ substantia, quæ æterna est. ᶜ Dicitur ergo anima seu vita in silentio habitare, dum mortui sensu & vigore carentes in sepulchris iacent. Itaque fatetur Propheta nullum sibi vitæ seruandæ fuisse remedium, nisi rectà manum suam Deus è cœlo extendisset. ᴹ Porro Scriptura silentii nomine statum mortuorum ideo significare solet, quia status huius vitæ strepitum habet, qui post mortem cessat.

18 *Si dixi, lapsus est pes meus: bonitas tua Iehoua sustinuit me.*

Si dixi, lapsus est pes. ᵛ Vel, Si dicebam. Vel, Quum dicerem. *Lapsus est pes meus.* ᵛ Vel, motus est pes meus. Vel, nutat. *Bonitas tua sustinuit me.* ᴹ Proximam sententiam confirmat. nam quo Dei bonitatem ac potentiam melius commendet, commemorat se non à mediocri aliquo periculo, sed quasi à morte præsenti fuisse seruatum. ᴹ q.d. Videbar mihi subinde in exitium prolabi, & incidere in manus inimicorum, ita vt in corde meo dicerem, Non euades, pes tuus iam prolabitur, & proximus es ruinæ: verùm bonitas tua, Domine, sustentabat me, vbi vires destituebant. ᶜ Dicit ergo mortem ita versatam fuisse ante eius oculos vt proprio iudicio esset deploratus. Quẽadmodũ Paulus dicit se nuntiũ mortis in seipso accepisse, quum omni spe abscissa, vitæ renuntiauit, 2. Cor. 1. b. 9. Quum autem Propheta, qui iam se morti addixerat, præter spem liberatus est, eo illustrius fuit Dei auxilium. Iam si lapsum pedis intelligimus de corporali tantùm morte, in desperatione Prophetæ nihil erit absurdi: quia Deus sæpe vitam in mundo suis prorogat, quamuis omni spe viuendi ablata ad migrandum parati sint. Quanquam fieri potest vt Propheta hoc suũ dicere ad carnis sensum restringat: quod magis est probabile, quia prius vidimus eum nunquam cessasse ab inuocatione Dei: vnde sequitur aliquid sperasse.

19 *In multitudine cogitationum mearum, in medio mei consolationes tuæ exhilarant animam meam.*

In multitudine cogitationum. ᵛ Hebraismus, pro, dum multa mecum tacitus reuoluo, aut voluerem: nempe quòd nihil iniustè agas, quòd sis iustus iudex. Quidam vertunt, Pro magnitudine anxiarum cogitationum intra me. Alii, In multitudine anxietatum mearum &c. ᶜ Certè Propheta per cogitationes intelligere videtur anxias illas & perplexas curas, quibus fuisset obrutus nisi diuinitus adhibita fuisset aliqua consolatio. acsi diceret, Sicuti videbas me prorsus obrutum esse anxiis cogitationibus & multis, ita tu lætitiam in tempore suggessisti. *Consolationes tuæ.* ᴹ q.d. Dum multis ac variis cogitationibus perturbatus essem, tuæ consolationes, Domine, tuæ promissiones, bonitas ac fides tua, quam erga tuos perpetuò declarasti, recreabant animum meum tristem & abiectum. ᶜ Docet igitur hic locus, Deum pro magnitudine tristitiæ & mœroris seruis suis in ipso articulo succurrere, vt dilatet eorũ angustias, sicut dicitur Sup. 4. a. 2. & Infrà, 118. a. 5. Itaq; quo magis ingrauescent mala nostra, speremus leniendis doloribus potentiorem fore eius gratiam. Quòd si pro carnis infirmitate curæ & ægritudines nos vrant & excruciẽt, sufficiat nobis hoc remediũ quod magnificè extollit Propheta. Nam fideles duplicem in animis suis affectum gerunt, quia ab vna parte anguntur, distrahunturque etiam in varios metus & curas: sed Deus arcanam illis lætitiam inspirat, idque pro necessitatis modo, ne vllus malorum gurges quantumuis profundus eos absorbeat. ᴹ Notandũ autem hic est, præcipuum consolationis genus esse, animum tristem consolari, etiamsi res aduersæ adhuc durent.

20 *An sociabitur tibi soliũ iniquitatis? artifex molestiæ loco iuris?*

An sociabitur tibi solium? Vel, Nunquid sociabitur tibi thronus? Vel, Num tibi quicquam commune erit cum tribunali constantinum, quod creat iniuriam cum præcepto? vel, de more, siue ex consuetudine. q.d. Nihil habes cõmune cum tribunali iniusto, cum iudicibus improbis, qui solent aliis iniuriam facere. Alii, An verò affixum tibi erit solium prauitatum, vt fingas afflictionem pro statuto? Vel, quod fingit molestiam ex more? ᶜ Propheta fiduciam rursus colligit à Dei natura, quia fieri non potest vt vel improbis faueat, vel consentiat impiis eorum machinationibus. Deo autem aduerso quomodo interitum effugerent? Plus autem vehementiæ habet interrogatio, quæ docet omnem iniquitatem Dei naturæ esse contrariam. Solii autem consultò meminit, quia non accusat vulgares sicarios, vel fures, quorum infamia passim nota sit, sed contra tyrannos inuehitur, qui fallaci iuris prætextu opprimebant Ecclesiam. Dicit ergo, quamuis occupent solium quod Deo consecratum est, nihil tamen cum ipso cõmune habere, quatenus solium illud sceleribus suis polluunt ac contaminant. q.d. An ille qui solium occupat Deo consecratum, & illud contaminat ac polluit suis iniquitatibus, habebit te sibi cõsentientem? ᴮ Simile est illud, Nam nõ es Deus cui probatur improbus, impius non aget tecum &c. Suprà, 5. a. 5. Quid enim ipsi iustitiæ authori commune esset cum sceleratorum potestate, ad lædendum innocuos tantùm intenta? *Artifex molestiæ loco iuris?* ᶜ Clarius se exponit hoc membro, vbi prorsus à Deo alienos esse pronuntiat qui molestiam fabricant loco iuris. Dictio חק significat ius & decretum, vel statorum ordinem. Perstringit igitur Propheta improbos iudices, qui per omne oppressionum genus grassando, simulabant tamen se tenere rectum officii cursum. Sic enim perfidi iudices, vt possessionem honesti & speciosi tituli retineant, varios colores accersunt ad tegenda suæ tyrannidis flagitia. Nunc tenemus quid Propheta velit, nempe, quamuis honorificum sit solii nomen, vbi tamen corrumpitur hominum prauitate, suo pretio & honore excidere apud Deum, qui iniquitati suffragari non potest. ᴹ Porro habemus hic singularem imaginem sedis antichristianæ, in qua singularis etiam iniquitas notatur. Vulgaris iniquitas est, qua vi manifesta opprimuntur innocẽtes. Singularis verò est, qua prætextu legum affliguntur iusti. Fit hoc tripliciter. primò per deprauationẽ bonarũ legum, quæ vocibus quibusdam vel inuersis vel malè expositis committitur. Deinde, per abusum bonarũ legum, vt quando secundũ legem qua blasphemi puniri iubentur, puniuntur insontes. Sic Christus cõdemnatus est. Tertiò, per iniustas leges, quæ malitiosè ad oppressionem innocentium ponuntur. De hoc Esaias cap. 10. a. 1, Væ qui condunt leges iniquas. Talis est Antichristi lex illa quæ hæreticis datam fidem publicam seruandam non esse dicit. Tales sunt innumeræ aliæ Simoniacæ leges.

21 *Coibunt super animam iusti, & sanguinem innocentis damnabunt.*

Coibunt super animam iusti. ᵛ Vel, Cõgregant exercitum. Turmatim cõueniunt. Cõglobant se. Concursant. Dicit eos habere suum conuentum, acsi esset collectus exercitus vt interficiant iustum. ᶜ Quo significat Propheta non sibi fieri negotiũ à gregariis hominibus, sed à ducibus populi qui rerũ potiebantur. Exprimit etiam hoc verbo se & reliquos fideles non ab vno vel altero priuato homine fuisse iniustè tractatos, sed à publico cœtu. Triste quidem ac etiã turpe exemplũ fuit in legitimo conuentu ita regnare improbos vt collegium iudicum nihil aliud esset quàm latronum turba. Nam hoc bis indignum est, vbi oppressi fuerint innoxii homines, simul cum iniuria probrum sustinere. Deinde quid minus consentaneum quàm vt tota forensis ratio nihil aliud sit quàm scelesta conspiratio ad insontes damnandos? ᵁ Haudquaquam tamen videtur temere plecti qui ex sententia alicuius concilii & multorum consultatione damnatur. Sed hoc pacto damnatus est Christus, damnati Apostoli, damnatus olim Athanasius, Iohannes Huss, & innumeri alii boni ac pii viri. ᶜ Verùm hoc exemplo nos hodie armari conuenit, si tantum licentiæ permittat Deus impiis, vt prætextu iuris in perniciem bonorum & simplicium, tribunal conscẽdant. Quãuis ergo tolerabile non sit primo intuitu, insontes ab ipsis iudicibus crudeliter vexari, atque etiam grauari ignominia, quia tamẽ vtraque tentatione seruos suos olim exercuit Deus, discamus non solùm iniustã violẽtiã æquo animo ferre, sed indignas etiã calũnias, quib⁹ præter meritũ grauamur. *Et sanguinem innocentis damnabunt.* ᴹ Nẽpe prætextu cõsultationis & concilii. Hoc pacto damnatus est Christ⁹, dãnati Apostoli, damnatus olim Athanasius, Iohannes Huss, & innumeri alii boni ac pii viri, sicut modò dictum est.

22 *Atqui fuit mihi Iehoua in arcem, & Deus meus in rupem fiduciæ meæ.*

Atqui fuit Iehoua mihi in arcem. Vel, pro arce, in refugium. Concludit Propheta, quamuis in tantas angustias redactus esset, sibi satis fuisse in Deo vno præsidii. Quibus verbis iterum eius virtutem illustrat, quia solus tam validos conatus, tantas copias, tantumque furorem subegerit. *Et Deus meus in rupem fiduciæ meæ.* Vel, in petram fiduciæ meæ. Hebraismus, pro, in qua fido, siue, in qua tutus & securus agam. Vel, vt alii, rupem inuictam. Hoc non parum valet ad consolandum oppressos, & monendum quò sit à facie iniquorum magistratuum ac iudicum confugiendum, nempe ad Dominum. Non ergo terreamur prætextu illo nominis Dei, quo suam iniquitatis sedes iniquitatis palliat, & indignationem Omnipotentis omnibus sibi non obedientibus minatur: quin potius ad ipsum Dominum Deum nostrum confugiamus, & illius præsidio nitamur, certi non posse illum tueri partes & malitiam impiorum.

23 *Et rependet super eos iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum perdet eos, perdet eos Iehoua Deus noster.*

Et rependet super eos. Vel, Et reddet eis iniquitatem. Vel, Et conuertet contra eos. Alii, Et rependet eis. Alii, Et reducet super eos. Id est, retorquebit in caput impiorum quicquid mali bonis intentant. Vbi Propheta sibi gratulatus est de protectione Dei, hostibus quoque exitium denũtiat: quia propriũ Dei munus est, quicquid molestiæ intentãt bonis, retorquere in eorum capita. Si tantùm irriti & frustranei essent eorum conatus, in eo iam gustũ aliquem iustitiæ suæ Deus præberet: sed dum cadunt ipsi in foueam quam parabant, & vbi insidiosè captant omnes vias ad bonos perdendos pereunt in sua astutia, totũmq; robur suum experti se propriis gladiis conficiũt, tunc mirabile Dei iudicium melius apparet. *Et in malitia eorum perdet eos.* Vel, Et malo eorum succidet eos. Vel, Et malo suo perdet eos. Malum ipsorum vocat, quod in bonos moliuntur. q.d. illis artibus peribunt quibus iustos perdere volebant. Nam sua cuique malitia certissimum est exitium. *Perdet eos Iehoua.* Quia quod Propheta dixit de impiorum interitu & perditione, creditu difficile est, illud bis repetit: ne quis dubitet perdendam esse sedem iniquitatis. *Deus noster.* Hoc addidit Propheta vt fidelibus inde daret sperandi materiam. Reducit enim in memoriam quod prius dixit, Deũ hæreditatem suam non negligere, quam in fidem suam suscepit. Quare etsi ad tempus Ecclesia variis tentationum procellis agitatur, quieta tandem ac secura sub Dei protectione erit, reprobis omnibus diuina vltione destructis.

ARGVMENTVM PSALMI XCV.

Continet hic Psalmus publicam quandam ad Dei laudes prædicandas inuitationem: tum quia mundum quem creauit sustinet, tum quia Ecclesiam sibi gratia adoptauit. Et vt omnis hypocrisis à sacro conuentu arceatur, admonetur populus, vt seriò se totum Deo addicat, caueátque ne Patrum ingratitudine infectus vera ac æterna hæreditate priuetur.

1 *Venite, exultemus Iehouæ, iubilemus rupi salutis nostræ.*

VEnite, exultemus. Vel, Cantemus, canemus. Apparet hunc Psalmum Ecclesiasticæ congregationi, præsertim frequẽtiori destinatum, qualis erat apud Iudæos dies Sabbathi, quo scimus sacros conuentus peculiariter habitos ad celebrandum Dei nomen. Neque enim vnumquemque piorum hortatur ad Deum priuatim laudandum, sed hoc fieri iubet in publico conuentu. Atque ita ostendit non in mortuis cæremoniis situm esse externum Dei cultum, sed præcipuè in laudis sacrificio, sicuti iam sæpe dictum est, præcipuè verò Suprà, 50.b.8 & 51.d.18 *Iubilemus rupi salutis nostræ.* Vel, petræ salutis nostræ. Hebraismus, pro, ei qui est propugnaculum in quo tuti sumus. Quidam, propugnatori salutis nostræ. Ergo Propheta laudem Dei poscit quam ardentissimam, quam ouationem ideo & iubilum vocat. quæ voces animi sunt iam præ ingenti lætitia nequientis composita verba promere. Etenim laudari satis Dei maiestas & bonitas haud potest.

2 *Præueniamus faciem eius cum laude, in canticis iubilemus ei.*

Præueniamus faciem eius. Vel, Præoccupemus faciem eius. Vel, Prodeamus in conspectum eius. Festinationem his verbis Propheta requirit, qua restentur fideles officium hoc se alacriter obire. Nam verbum קדם quo vtitur, properare vel maturare significat. Præcipit ergo vt in Dei cõspectum venire accelerent: quod operæpretium fuit in tanta segnitie quæ nobis ingenita est, vbi Deus ad gratias sibi agendas nos vocat. Sicut autem obliquè Propheta veteris populi ignauiam in canendis Dei laudibus perstrinxit: ita sciamus quoque hodie eodem stimulo nobis opus esse, quia non minor est in nobis ingratitudo. Nec parum hoc valuit ad excitandũ populi studium, quum iuberet in Dei conspectum prodire: quia nihil magis optabile est quàm præsenti Deo sacrificiũ offerre, quod sibi acceptum esse declarat. Tantundẽ enim valet hæc loquutio acsi dixisset Deum corãm adesse testem, ne se operam ludere putaret. Porro qualis fuerit Dei præsentia in Sanctuario, diximus Suprà, 50.a.3. & 84.a.7. *In canticis iubilemus ei.* Hoc est, debita animi gratitudine, fide, ac reuerentia, laudibus Dei prædicãdis nos ipsos addicamus, ac tantum benefactorem summo honore, vt par est, afficiamus.

3 *Quia Deus magnus Iehoua, & rex magnus super omnes deos.*

Quia Deus magnus Iehoua. Causam cur tantopere celebrari Deus debeat exponit. Est enim Optimus Maximus, præstans omnibus quæ magna & diuina habentur: quia in manu sua habet, vt & finxit, omnia. Ergo his verbis admonet Propheta suppetere vberem laudandi Dei materiam, vt mendacibus encomiis minimè indigeat, sicuti regibus adulari solent rhetores. *Deus magnus,* inquit, *Iehoua.* Sic alibi, Magnus Dominus & laudatus valde, Suprà, 48.a.2. Item. Quoniã magnus tu, & faciens mirabilia tu Deus solus, Suprà, 86.b.10. *Et rex magnus.* Sic Deus appellatur quia regnũ & imperium propriè in illum competit. Omnes reges ac principes huius seculi serui illius sunt. quia potestatem, quam in alios exercent, ab eo, tanquam omnium Domino & principe, acceperunt, Rom.13.a.1. *Super omnes deos.* Hoc encomio Propheta Deũ super omnes & reges & deos extollit: ac tacitè omnibus diis fictitiis opponit quos sibi fabricauerant homines. Scimus semper in mundo magnã fuisse deorũ turbã: vnde illud Pauli, multos in terra nominari deos, 1.Cor.8.b.5. Notanda est igitur antithesis inter Deum Israelis, & alios omnes quos sibi finxerat hominum libido. Siquis excipiat, idolum nihil esse (1.Cor. 8.a.4.) respondemus hac sententia Prophetam refellere vanos hominum errores, qui deitates suo arbitrio stultè imaginantur. Quanquam sub hoc nomine Angelos libenter complectimur: acsi diceret Propheta Deum ita excellere vt longè emineat supra omnem cælestem gloriam, & quicquid diuinum est, non minus quam supra omne terrenum figmẽtum. Angeli quidem dii nõ sunt: sed quia propius ad Deum accedunt, impropriè ad ipsos transfertur hoc nomen: maximè verò hominum respectu, qui immodica admiratione eos superstitiosè euehunt. Quòd si Dei vnius maiestas in ordinem cogit cælestes Angelos, quam indignum est eius gloriæ obstare nihili figmenta?

4 *Quia in manu eius ima terræ, & altitudines montium ipsius sunt.*

Quia in manu eius ima terræ. Vel, penetralia. Vel, inuestigationes, id est fundamenta. Iam diuinæ magnitudinis specimẽ in mundi opificio spectandum proponit, dicẽs opus esse manuũ Dei, & eius imperio subesse. Atque hæc laus est generalis, quòd Deus conspicuam suam gloriam in mundi creatione reddidit, & quotidie in eius gubernatione vult agnosci. Nam quum dicit in manu eius esse penetralia terræ, intelligit eius prouidentia regi, ac imperio subesse. Nonnulli fines vertunt. sed potius abyssos notat Propheta, quas opponit altitudini mõtium, dicens, *Et altitudines montium ipsius sunt.* Vel, & fortitudines, seu acumina. id est, montes altissimi, eius etiam sunt. q.d. Ipse est qui terrã supernè & infernè in potestate sua habet. Magna putatur esse mortalium maiestas siquam in superficie terræ potestatem ostentare possunt. At hic Deus noster, ipsa terræ fundamenta, ipsa montiũ cacumina in manu sua habet: adeo vt quandocunque placuerit, illam non modò cõcutere (quod aliquando facit) sed & prorsus in nihilum redigere queat: imò illam ita habet in manu vt, si manum subtrahat, nec tellus, nec montes subsistere queant. Hæc potentia nec mortalibus, nec diis illis quos mortalium superstitio coluit, competere potest.

5 *Quia ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam manus eius formauerunt.*

Quia ipsius est mare. Hoc est, Verus est totius maris dominus ac possessor. *Et ipse fecit illud.* Hoc addidit Vates ne quis ius illud possidendi mare Deũ aliunde acquisiuisse putet. *Et aridam manus eius formauerunt.* Vel, Et siccam. Id est, partem illam terræ quæ aret, & aquis est vacua. Exprimit his verbis Vates primùm omnium iustissimam terræ marisque possessionem,

tanquam proprii opificii, deinde & infinitam sapientiam pariter & potētiam in ipso terræ ac maris opificio nunquam satis consideratam. ᵛEtenim quis vnquam tam vastam vndarum molem terræque amplitudinem & immensitatem facere potuisset qui Deus idem non esset?

6 *Venite, adoremus & procidamus, genu flectamus coram facie Iehouæ factoris nostri.*

Venite, adoremus. ᵛVel, prosternamur. *Et procidamus.* Vel, Et incuruemus nos. Verbum Hebræum ברך significat caput in terram inclinare, more eorum qui beneficium accipientes ab aliis, gratias agunt. ᴹInuitat iam secundo loco Propheta populum Dei ad reuerentiam & submissionem inuocationis & adorationis. ᶜEt quia electum populum ad gratitudinem etiam hortatur, vehementior est sermo: sicuti pleniorem laudis materiam nobis suppeditat dum spirituali honore nos dignatur, & præter meritum anteponit cunctis mortalibus. Itaque tribus verbis rem vnam designat, vt scilicet filii Abrahæ se totos illi addicant. ᴹNam adorare, procidere, & genua flectere, idē significant, nempe omnimodam subiectionem ac reuerentiā Deo debitam. ᶜVerū quidē est tanti momenti esse Dei cultū, de quo concionatur Propheta, vt omnes nostros conatus sibi meritò vendicet: sed notanda est circunstantia, quòd scilicet paternum Dei fauorem commendet, quo Deus solos Abrahæ filios complexus erat, vt in spem spiritualis ac æternæ vitæ eos adoptaret. Hoc quoque notandum est, non tantùm de cordis gratitudine hic agi, sed simul requiri professionem externam pietatis. His enim tribus verbis exprimitur officio suo non defungi fideles nisi palam & genu flexione, & aliis signis Deo se in sacrificium offerant. *Genu flectamus.* ᴸEst in his verbis gradatio, sed pro more Scripturæ retrograda nobis. Nos enim quod minimū est, vt flectere genua, præmisissemus, quòd gradatim creuisset oratio. *Coram facie Iehouæ.* ᴱIubet his verbis Propheta vt ante Arcā fœderis populus se prosternat: quia sermo de legali cultu habetur. Semper tamē addenda est exceptio, vt sublatis in cœlum oculis, spiritualiter Deum colant fideles. *Factoris nostri.* ᴬHoc est, conditoris, aut creatoris. Causam tantæ adorationis adiicit, vocans Iehouā nostrum factorem, sicut præcedentibus, rerum aliarum omnium conditorem prædicarat. ᴹErgo inuitat nos per Prophetam Spiritus sanctus non ad imaginum ac sculptilium, sed ad Dei adorationem, Dei inquā, qui nos fecerit. Qui vel è ligno, vel lapide, vel auro aut argento imaginem in Papatu fingit, ante opus manuum suarum, quod ipse fecit, incuruatur: at hic nobis non factura aliqua, sed ipse factor ac conditor adorandus proponitur. Ideo addit Vates,

7 *Quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuorum eius, & grex manus eius, hodie si vocem eius audieritis.*

Quia ipse est Deus noster. ᴬNempe verus & solus, Esa. 45.d.21. *Et nos populus pascuorum eius.* ᵛSicut præcedenti versu Deū etiam nostrum conditorem celebrauit, ita hic nobis quoq; singulari dignatione canit prouidere, curāq; nostri gerere: neque hanc vt aliorum hominum, sed vt in id selectorum quibus consortiū impertiat diuinitatis suæ. Quod perpensum summam certè venerationē & religiosissimas laudes eius apud nos iure excitauerit. Nam tum ille nobis se Deum præstat, nósque suum gregem suumque populum habet, quū suo refectos Spiritu, iustitia solida ornat, vita æterna donat. *Et grex manus eius.* ᶜQuāuis in huoc finem creatum sit totum humanum genus, Ecclesia tamen non abs re vocatur Dei plantatio in laudem. Itaque meritò officium hoc specialiter ab electo populo exigit Propheta. Hæc ratio est cur admoneat filios Abrahæ de inæstimabili priuilegio quo ipsos dignatus fuerat quum eos in suam curam susciperet. Nam etsi quodammodo hoc ad totum humanum genus posset extendi, certum tamen est Deum vocari Ecclesiæ suæ pastorem, non qualiter reliquos mortales promiscuè alit, sustinet ac gubernat: sed quia eam à toto mundo distinxit, vt paterno sinu foueat. ᶜVocatur ergo populus pascuorum quem Deus peculiari cura & tuetur, & prosequitur omni beneficiorū genere. Poterat quidē distinctius loqui, vocando gregem pascuorum, & populum manus: vel si tantùm nomen gregis posuisset, continua fluebat metaphora. Sed non adeo curauit sermonis elegantiam, modò populū de inæstimabili adoptionis gratia moneret, cuius finis erat vt sub Dei fideli tutela degeret, bonisq. omnibus frueretur. Grex manus vocatur non tam quòd à Deo formatus sit quàm eo quòd regitur eius manu. Gallicè dicimus Le troupeau de sa cōduicte. Quanquam autem antithesis quam nonnulli obseruant, paulo fortè argutior est quàm ferat genuinus Prophetæ sensus, Deū scilicet pascendo populo intentum esse, nec vti conductitiis pastoribus, dubium tamen non est quin exprimere voluerit Propheta propinquum illum & familiarē gubernationis modum qui tunc in vno duntaxat populo refulsit. Non quòd hominum operas Deus abiiceret, qui Sacerdotibus, Prophetis, Iudicibus, deinde etiam Regibus populi sui regimen mandarat: sed quia aliter in populo illo, quàm generali prouidentia in reliquo mundo, pastoris officium obiret. *Hodie si vocem eius audieritis.* ᵛQuidam mutāt secūdam personam in primam, vertentes, Si modò audierimus vocem eius, erimus grex eius. Alii verò exponunt אם per quādo vel quum, Hodie quum vocem eius audiatis. Vel, quū vocē eius auditis. Et hic sensus optimè quadrat, ᶜacsi dictum esset, hanc esse discretionis notam inter Gentes & Iudæos, quia Deus ad hos vocem suam direxerat: sicut dicitur non ita fecisse reliquis nationibus, Infrà, 147. d.20. Dixerat autem prius Moses, Hæc est nobilitas vestra corā populis. quæ enim est natio sub cœlo quæ deos habeat ita appropinquantes sibi? Deu. 4.a.7. Solent autē multa Prophetæ à Mose mutuari, vt satis notum est: ac emphaticè demonstrat Propheta in aduerbio hodie Iudæos esse Dei populum, quum audiant eius vocem: quia non procul quærendum sit testimoniū, sed in re præsenti appareat, & sub oculis versetur. Iubet ergo in eo pastorem agnoscere quòd vocem eius audiant, quia singulari gratia factum est vt eos familiariter alloqui dignatus sit. ᵛGræcus interpres sententiā hanc cum sequenti versu connexit: sicuti etiam apparet ex epistola ad Hebræos scripta, cap. 3.b.9. Quapropter (inquit) sicut dicit Spiritus sanctus, hodie si vocē eius audieritis, ne obduretis corda vestra. Quæ sentētia optimè cohæret. ᶜAlii vertunt vtinā, & volunt esse aduerbiū hortātis: sed illud quod posuimus cōcinnè fluit, quādo vox Dei assiduè in auribus personat, nec semel tantū Patribus ostēdit pastoralis curæ, vel quotannis memoriale aliquod duntaxat præbet, sed continuat hoc munus, satis clarè patefieri electos esse Iudæos in gregē. ᴹCæterùm vt debitā Deo reuerētiā exhibeamus, defigendi sunt mentis nostræ oculi in nos ipsos, considerandumque nō quā simus diuites, docti, potētes, sapientes, fortes, industrii, gloriosi &c. sed quòd factura sumus, nō minus quàm quælibet minutissima ac cōtemptissima creatura: deinde quòd de populo sumus, cui competit subiectio, & qui summa opus habeat protectione. Tertiò, quòd instar ouium sumus, quibus opus sit pasci, duci ac reduci. Ex hac consideratione ad cognitionem nostræ infirmitatis perueniēdum est: quæ si probè fuerit perspecta, non poterit nō veram animis nostris erga diuinam maiestatem submissionem, reuerentiam & adorationem inserere.

8 *Ne obduretis cor vestrum, sicut in Meriba, secūdum diem Massa, in deserto.*

Ne obduretis cor vestrum. ᴮQuia Iudæi duræ ceruicis erant, & difficiles ad obsequium, postquam Dei gratiam extulit, ac celebrauit in officio pastoris: ita vicissim admonet vt docilitate & placida mansuetudine se gregem ouium eius esse probent. ᴮAc quo efficacior sit exhortatio, deterret eos ab inobedientia, neglectúque Dei, exemplo patrum, quorum contumaciam filiis exprobrat. ᶜPorro sub obduratione cordis non dubium est quin Propheta quemlibet verbi Dei contemptum significet, quamuis multæ sint ac diuersæ species. Nam quum in medium proponitur, videmus ab aliis frigidè audiri, & cōtempni, ab aliis fastidiosè respui, ab aliis superbè reiici, ab aliis etiam furiosè non sine probro & blasphemia proscindi. Quum ergo ex auditoribus alii sint ignaui, alii fastidiosi, alii derisores, alii insani & rabiosi: vitia hæc omnia vno verbo Propheta complectitur. Neque enim cor nostrū molle & flexibile ad Deum audiendum censebitur, nisi reuerēter promptóq; ad obsequium affectu excipiamus eius doctrinā. Quòd si nulla eius est apud nos authoritas, nihilo plus quàm homini mortali tribuimus. In quo se prodit cordis durities, siue tantùm ex socordia, siue ex fastu, siue ex rebellione procedat. Cōsultò autem odiosa voce vsus est, quo magis execrabilem redderet verbi contemptum: sicuti in Lege sub adulterii nomine quasuis scortationem & impuras libidines damnat: sub nomine homicidii, omne genus violentiæ & iniuriæ, odia etiam & simultates, Exodi. 20.c.13.14. Ergo quisquis neglectim prætereit verbum Dei, neq. attentus est ad parēdū, quamuis non sit apertè contumax, dicitur tamen esse corde lapideo. Ridiculi tamen sunt Papistæ dum ex hoc loco liberū arbitriū astruere conātur. Primò notādū est corda omniū mortaliū naturaliter lapidea esse: quia Scriptura quū de corde lapideo loquitur, nō restringit vitium ad paucos, sed in genere pronūtiat qualis sit hominū natura, Ezech. 36.f.26. Cæterū quāuis ingenita sit nobis talis Prauitas, quia tamē voluntaria est, neque sensu caremus vt lapides: quisquis Dei verbo se regi nō patitur, cor su

iam ante lapideum obdurat, ac proprio sensu conuincitur suæ contumaciæ. Neque tamen sequitur mollitiem & cor in vtrāque partem flexibile esse in manu nostra: quia facit naturæ corruptio vt tota hominis voluntas ad malum inclinet, atque etiam feratur. Seipsum tamen quisque obdurat quoties Deo non obedit, quia malitiæ culpam non potest alio transcribere. Itaque obdurant homines corda sua, vel inuidia, vel odio, vel maleuolentia, vel carnalium rerum cura, vel prauis cupiditatibus, vel fastu, vel contentione, donec obdurationis suæ pœnas dent. *Sicut in Meriba, secundum diem Massa.* Historiam adducit populo Israelis satis notam, de qua vide Exodi 17.a.1.b.7, & Supra, 78.c.10. Quidam Meriba & Massa locorum nomina esse volunt: alii tanquam appellatiua exponunt, conuertentes hoc pacto, Sicut in disceptatione (siue contensione) sicut in die tentationis, &c. Quidam Hebræorum scribunt nomina esse locorum duorum, quorum secundi fiat mentio Numer. 14. d at: vbi dicitur, Et tentauerunt me iam decem vicibus. Primi autem, Exodi 17.a.2.b.7. Alii rectius vtroque nomine vnius loci nomen significari volunt, de quo scribitur eodem loco, Exodi 17.a.2. vbi vtraq; dictio legitur his verbis, Cur iurgamini mecum? cur tentatis Dominum? Et paulo post, versu 7, Vocauitq; nomen loci Massa & Meriba, propter iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, dicendo. Num est Dominus in medio nostri, an non? *In deserto.* Vel, in solitudine, postquam scilicet tot Dei beneficia iam experti fuerant.

9 *Quando tentauerunt me patres vestri, probauerunt me, quum tamen vidissent opus meum.*

Quando tentauerunt me patres. Quidā, In quo tentauerunt me patres vestri. In quo. sub. deserto. Alii, Vbi tētauerunt me. Alii, quum tentauerunt. Sic alibi dictum est, Et addiderunt adhuc peccare ei, vt prouocarent ad iracundiam Excelsum in solitudine. Et tentauerunt Deum, &c. Suprà 78.b.17. Oblique autē significat hoc loco Propheta (sicuti prius attigimus) Iudæos ab initio peruersi ingenii & propè indomitos fuisse. Visla tamen ob duas rationes fuit, crimen patrum filiis reuocari in memoriam. Scimus quàm procliuis in eorum imitatione sit lapsus. Nam & licitum videtur quicquid inualuit, & vetustas semper aliquam reuerentiā sibi vendicat: & domestica exempla nos excæcant, vt sine delectu loco virtutis arripiant posteri quicquid à maioribus profectum est. Itaque videmus quā audacter in Papatu patrum authoritas verbo Dei opponi soleat. Adde quòd Iudæi, quibus mos erat gloriari in patribus, facilius hac in parte decepti fuissent. Ideóque non abs re Propheta eos à patribus suis abducit, quòd detestabilis fuerit eorum ingratitudo. Altera est ratio quam prius attigimus, vt scirent necessariò se admoneri. Nam si nulla fuisset patrum rebellio, exciperetur promptum erat, Quorsum præcipis ne obduremus corda, quando hactenus genus nostrum docile ac morigerum fuit? Quum verò patres eorum ab initio duri fuerint ac præfracti, Propheta non de nihilo se in hoc vitio corrigendo ostendit insistere docet. *Probauerunt me, quum tamen vidissent opus meum.* Hoc bifariā exponi potest. Nam quum tētare Deum nihil aliud sit quàm prauo & illicito voto efferri ad quærendum virtutis eius experimentum: vno contextu legi posset, Tentauerunt me & probauerunt, quāuis iam opus meū vidissent. q.d. Explorare conati sunt quantum possem ego, quanuis vidissent opera plurima, diuinitatis meæ argomēta manifestissima. Et certè iusta hæc Dei querimonia fuit, quum tot documentis testatam præclarè fecisset suam potentiam apud eos, quæsisse tamen nouam probationem. Potest tamen probandi verbum aliter sumi, hoc modo, Tentauerunt me patres vestri, quum ad tot mea beneficia cæcutientes quærerent vbinā esset Deus. Probauerunt igitur, hoc est, reipsa experti sunt: quia non destiti apud eos præsentiæ meæ signa palam edere, adeóque viderūt opus meum. Vtrumuis sensum eligas, huc tendit consilium Prophetæ, minus excusabiles fuisse Iudæos, quòd Dei virtutē, de qua tot experimentis edocti fuerant, quasi incognitam patefieri sibi cuperent. Quærēdo cur illos Deus destitueret cibo & potu, etiamsi nullum ante signū datum esset, suam intemperiem prodebant. Sed quum Deus excelsa manu traxisset eos ex Ægypto, tótq; luculentis testimoniis se illis propinquum esse monstrasset: ibi dubitās de eius præsentia, acsi antè fuisset absconditus, peruersa obliuio crimē auget. Itaq; omnibus expensis sic resoluere præstat Prophetæ verba, Tētauerūt me patres vestri, quū tamē satis supérq; probassent, hoc est, sensissēt veris & claris documētis me suū esse Deū, imò opera mea illis fuissēt cōspicua. Atque hæc doctrina æquè ad nos pertinet. nā quo melius testata nobis fuerit Dei gratia & virtus, si adhuc expetimus nouas eius probationes, eo deterior est nostra impietas. Sicuti hodie videmus multos miracula flagitare, alios expostulare cū Deo nisi eorum votis obtemperet. Apostolus, postquā hoc testimonium citauit, hæc inter cætera adiunxit, Videte fratres nequando sit in vllo vestrûm cor prauum, obnoxium incredulitati, vt desciscat à Deo viuēte. sed exhortemini &c. Hebr. 3.c.12. Quæritur tamen cur Propheta tot historiæ præteritis mentionem tantùm fecerit Meriba. Nā quūm in ipso mari trāsitu iam experint contra Deum tumultuari, neque vnquam ab eo die destiterint, crimen vnum exprobrans, videtur suo silentio eos à reliquis absoluere. Sed quum frequentes sint in Scripturis synecdochæ, nihil absurdi erit si dicamus sub vna specie plures notari. Videtur tamen alia fuisse ratio cur hoc exemplum Propheta maximè eligeret, quia ex Mose promptum est colligere hunc fuisse extremum ingratitudinis & contumaciæ cumulum vbi populus propter aquam irxatus est. Multi quidem aliter sentiunt: sic tamen res habet, tunc implesse omnes impietatis numeros, vt solus ille strepitus, quasi omniū actionum catastrophe, palàm ostenderit insanabilem esse eorū peruicaciam.

10 *Quadraginta annos litigaui cū generatione hac: & dixi, Populus sunt errans corde, & ipsi non cognouerunt vias meas.*

Quadraginta annos litigaui. Vel, iratus sum, contendi. Alii, Molestiā passus sum à generatione hac. Vel, Cū tædio pertuli gētem istā. Nonnulli vertunt, Contemptui fui. Græcus interpres, Infensus fui, vel exacerbatus. Sed Hebræi genuinum sensum tenent, quòd Deus litigādo continuum habuerit certamen. Quod notabile specimē fuit perditæ obstinationis patrū. Et ex temporis circunstantia crimē eorū exaggerat Propheta, dicens Deum cum ea gente annos quadraginta fuisse luctatum absque vllo profectu. Accidere enim interdum solet vt ebulliat aliqua proteruia, quæ momento postea considit: Deus autem totis quadraginta annis sibi assidua fuisse cum populo iurgia cōqueritur: vnde indomabilis prauitas colligi potest. *Cum generatione hac.* Vel, cum gente ista. Vtitur generationis nomine in eum quem diximus finem. Nam דור seculū vel spacium humanæ vitæ significat. Ad vnius autē ætatis homines transfert: acsi diceret Propheta, quādiu vixerūt Israelitæ quos Deus liberauerat, non potuisse in obsequium subigi. quemadmodū fusius ostensum est Suprà, 78.d.40. *Et dixi.* Nūc iudicium suum profert, acsi diceret, Postquam tot modis suam impietatem prodiderant, amentiam eorum plus satis fuisse cognitam. *Populus sunt errans corde.* Vel, populus sunt qui errant corde. Errorem cordis non extenuādi causa ponit: sed vecordes & insanos esse pronūtiat: acsi diceret, Mihi negotium non est cum hominibus præditis aliquo rationis sensu, sed potius cum bestiis. nihil enim cordis vel intelligentiæ in ipsis est. Nam duplex est errorum genus. Vnum est intellectus, quo erramus per ignorantiam rerum. Errabat hoc errandi genere Paulus, quum persequeretur Ecclesiam Christi. Errántque & hodie multi in Ecclesia zelo quidē Dei præditi, verùm recta illius scientia destituti. periode atque de Iudæis Paulus testificatur, Rom, 10.a 2. Hoc genus erroris veniā & misericordiam plerunque consequitur: sicut & Paulus misericordiā consequutū se dicit, (1. Timoth. 1.c.13.) eo quòd ignorans peccauerit. Et Christus describitur talis pōtifex qui condolere possit iis qui ignorant & errant, Hebr. 5.a.2. Alterū genus errādi, cordis est & affectuum, quo non per ignorātiā, sed cordis corruptionem ac peruersitatē erratur. Hic error in hoc populo notatur, sicut & alibi, Et cor eorum non erat rectum cum eo, Suprà, 78.d.37. *Et ipsi non cognouerunt vias meas.* Rationem reddit quare fuerint errantes corde, quia ad tot Dei opera attēti non fuerint, & præcipuè ad doctrinam. Nam viarum nomine Deus hic complectitur tam Legem & continuas admonitiones, quibus erudiri poterant, quàm omnia miracula quæ ediderat in ipsorum salutem.

11 *Quare iuraui in ira mea, Si intrabunt in requiem meam.*

Quare iuraui in ira mea. Vel, Propterea iuraui in furore meo. Quidam vertunt, Quibus iuraui. Alii, Quia iuraui. Sed illatio non malè quadrat, Quare vel Ideo iuraui. non quòd tunc demum priuati fuerint promissa hæreditate quum Deum tentassent: sed postquam de eorum obstinatione loquutus est Propheta in persona Dei, colligit non frustra interposito iureiurando prohibitos fuisse à terræ ingressu. Assiduo enim scelerum progressu satis supérque innotuit, quia corrigi nullo modo poterant, non temere fuisse abdicatos à requie Dei. Clarior enim erit sensus, si legas in tēpore plusquā perfecto, Iurauerā. quia ante iurgium illud Deus iā illorum malitiā præuidēs, eos ab hæreditate promissa excluserat. quemadmodū ex scriptis Mosis colligere licet. *In ira mea.* Vel, Iratus iuraui. Docet his verbis se propè ad hanc pœnā infligendā fuisse coactū: acsi diceret, Populus hic à recto aberrat, palàmque desipit. Non enim agnouit vias meas. meam quidem spreuit bonitatem, abiecit clementiam, derisit beneficia. Quid iroganter me auersatus est. Quid faciā populo istiusmodi? obloquutori, rebelli, quærenti quæ sua sunt, non quæ religionis, superbo,

attingam, liuido, malis omnibus sub prætextu pietatis refertissimo. Cur enim illorum lõga à me abiit. Quare iratus illorumque flagitiis lacessitus dixi, iuraui que me illos nũquam in terram illam quietissimam, quam illis dare pollicitus fueram, introducturum. [c]Non fuit igitur leuis hæc vel modica irritatio, sed detestabilis autem peruersitas istem mihi accẽdit, quæ simul extorsit iusiurandum. *Si introibunt.* [f]Ecliptica est hæc iurandi forma: & particula Si iuramentis seruit apud Hebræos, qui etiam subaudiunt, Hoc vel illud mihi accidat. Vel, Sic & sic mihi eueniat. Ita hoc loco nõnihil subaudiri debet. q.d. Ne sim iustus si isti murmuratores introierint in regionẽ in qua pollicebar eis requiem. *In requiem meam.* [m]Hic terra Chanaã, quã Deus populo Israelis promiserat, requies vocatur: sicut & aliis locis, Deut. 15.d.19. & Iosua 1.c.13.d.15. Cuius appellationis ratio ex promissione petẽda est. Abrahamo enim & eius posteri in ea peregrinati fuerant donec maturum possessionis tẽpus veniret. Ægyptos tẽporale hospitiũ & quasi exiliũ fuerat. Quũ ergo De[us] iam ex pacto Iudæos in terra Chanaã, quasi in iusto patrimonio, locare paratus esset, meritò vocat requiẽ suã. Quod tamẽ actiuè intelligitur, quia scilicet singulare ei[us] beneficiu erat, Iudæos illic, tãquã in solo natali & quieto domicilio, habitare. [c]Iã verò hunc locũ Apostolus in tertio & quarto capite ad Hebræos cum Prophetæ verbis breuiter conferre operæpretium est. Quòd Græcã versionẽ sequitur Apostolus, non debet videri absurdum. Neque enim ex professo tractandum locum suscipit, sed tantùm insistit in aduerbio hodie, & in nomine quietis. Primò igitur docet non restringi illud hodie ad Legis tempus, sed propriè aptari Euãgelio, in quo plenius loqui Deus cœpit. Doctrinæ autẽ perfectio plus attẽtionis iure postulat. Certè quum Deus loqui non cessauerit, sed Christo patefacto quotidie nos ad se inuitet, vtendum est occasione vt eius voci obtẽperemus. Secundo loco de requie subtilius disputat quàm ferant Prophetæ verba. Sumit enim hoc principium, quum sub pœnæ denunciatione inclusa sit tacita promissio, meliorem requiẽ populo Dei promitti quàm in terra Chanaan. Postquam enim illuc ingressi fuerãt Iudæi, Deus spem nouæ quietis Ecclesiæ suæ facit. Definit Apostolus nostri abnegationem esse, qua fit vt Deo in nobis operãte feriemur ab operibus nostris. Atque hac occasione vetus & Legale Sabbathum, quod vmbratile tantùm erat, cum spiritualis vitæ nouitate confert.

ARGVMENTVM PSALMI XCVI.

[m]Hortatur hic Psalmus non modò Israelem, sed & vniuersas totius orbis nationes ad laudandum Deum. [a]Vnde colligimus vaticinium esse de regno Christi, & eiusdem incremẽto. [a]quia non alibi quàm in Iudæa inuocari potuit Dei nomen, donec patefactus fuit mundo.

CAntate Iehouæ canticum nouum, cantate Iehouæ omnis terra.

Cantate Iehouæ canticum. [m]Ab hoc versu vsque ad vndecimum inuitat Propheta cunctas creaturas ad laudem Dei. Iubet autem cantare non cuilibet, sed Iehouæ. *Canticum nouum.* [a]Quòd nouum & inauditum Dei beneficium nouos & antea inauditos hymnos requireret. Solemus enim nouis celebrare carminib[us] quæ eximiè afficiũt. de quo vide Suprà, 33.a.3. *Omnis terra.* [c]Docet hæc particula quod diximus, non solos Israelitas, sed promiscuè totum orbem hortari ad testandam pietatem. Quod fieri non potuit donec per Euangelium Deus passim innotuit. Tenendũ enim semper est illud Pauli, Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Rom. 10.c.14. Et quum idem alibi Gẽtium vocationem probet hoc testimonio, Laudate Gẽtes cũ populo eius (Rom. 15.c.10.) sequitur in laudum concẽtu esse fidei societatem. Adde quòd nõ vulgare vel vsitatum canticum sed nouum requirit Propheta. Vnde colligimus sermonẽ haberi de insolita & extraordinaria Dei gratia. Quemadmodum Esaias, vbi de instauratione Ecclesiæ loquitur, quia incredibile erat miraculum, dicit, Cantate Domino canticum nouum, Esa. 42.b.10. Admonet igitur Prophetæ venturum esse tempus quo Deus insperato more regnum suum eriget.

2 *Cantate Iehouæ, benedicite nomini eius, prædicate de die in diem salutem eius.*

Cantate Iehouæ, benedicite nomini. [a]Vel, laudate nomen eius. *Prædicate de die in diem.* Vel, annunciate, euangelizate. q.d. Præconio vbique renunciate salutem quam populo suo præstat. [c]Hoc loco clarior iterum exprimit participes fore omnes populos gratiæ Dei, iubens vbique prædicari eius salutem: & salutem hanc non esse caducam vel euanidam, sed perpetuò vigere confirmat: quia vult de die in diem celebrari. Vnde etiã colligimus, Spiritum sanctum nullum nobis diẽ vacuum & expertem noui cantici & Euangelicæ prædicationis relinquere: nec immeritò. Neque enim vllus dies est salutis huius expers quam Christus in cordibus suorum quotidie operatur. Cur ergo non & quotidie deprædicaretur?

3 *Narrate in gentibus gloriam eius, in populis mirabilia eius.*

Narrate in gentibus gloriam eius. [v]Vel, Annunciate inter gẽtes gloriam eius. [c]q.d. Nullus sit orbis angulus, nulla gens, nulla regio, quæ diuinis per vos non resonet laudibus. *In omnibus populis mirabilia eius.* [c]Hic aliis nominibus insignit salutem illã de qua loquutus est, nempe gloriæ ac mirabiliũ: ac si diceret gloriosam fore & admirabilẽ. Quib[us] epithetis eam discernit ab antiquis liberationibus: vt certè nobilius tunc & præstantius quàm antehac immensæ suæ bonitatis & potentiæ suæ specimen Deus edidit, quum apparuit toti mũdo redemptor. Hæc verò salus, vt nuper attigimus, Gẽtibus prædicari nõ potuit, si eius fuissent expertes. Monemur autem his verbis non aliter nos pro merito redemptionem à Christo partam satis agnoscere, nisi ad incomparabile miraculum, quod in ea resplendet, sensus nostros attollimus.

4 *Quia magnus Iehoua, laudabilis valde, terribilis ipse super omnes deos.*

Quia magnus Iehoua. [m]Propheta veluti rationem subiicit, nõ simpliciter quare ad cantandum Domino, nomini eius benedicendum, salutem eius euangelizandum, gloriámque & mirabilia eius narrandum hortetur: sed quare totius terræ incolas ad ista facienda inuitet. Pendebant totius orbis nationes, dempto Israele, à diis falsis, quorũ opinione & cultu à cognitione veri & vnici Dei impediebantur. [c]Ob hãc causam Propheta designat Deum illum quem vult laudari, ne gentes pro more in suis erroribus vagentur. *Et laudabilis valde.* [v]Vel, Et laudatus plurimũ. Alii, Et plurima laude dignus. [c]Et sanè magnus est Dominus propter rerum cõditarum effectionem, in illisque potestatem ac prouidentiam: laudabilis verò ob bonitatem variáque gratiarum munera ad omnes, ac spiritus effusionem. [c]Ergo vt totus mundus superstitiones abiiciat, séque conferat ad veram religionem, ostendit vnicum Deum omni laude dignum esse. Atque hoc magni interest, quia nisi hoc fræno se cohibeant homines, quo plus operæ impendent ad laudandum Deum, eo magis eum spoliabunt sua gloria. Itaque hic ordo tenendus est, ne temere Dei nomen profanemus: sicuti faciunt increduli falsos deos orando quos ipsi fabricarunt. *Terribilis ipse.* [v]Vel, tremendus, [c]propter occulta illius iudicia, consiliáque profunda in caligine delitescentia. *Super omnes deos.* [c]Nomen Elohim tam de Angelis quam de idolis potest accipi, vt Suprà 95.a.3. diximus. Imò comprehẽditur hoc nomine omne numen quod est vel censetur. Quia Deus per Angelos irradiat totum mundum, in illis refulgent deitatis scintillæ. Iam homines, dum idola fingunt, de nihilo sibi deos comminiscũtur. Docet igitur Propheta perperã falli qui vel Angelis affingunt immodicam gloriã, vel suis idolis, quæ eos abducat à vero & vnico Deo. [m]Sed quæritur quomodo ad propositum faciat quòd Propheta Deum prædicat terribilẽ. Inuitat quosuis ad cantandum Domino canticum nouum, laudandúmque nomen eius, ac salutem, gloriam & mirabilia eius deprædicãdũ. Hoc quomodo facit quòd non solùm magnũ & laudabilẽ, sed & terribilem prædicat? Quomodo cantabitur Domino terribili canticum nouum? quomodo benedicetur nomini eius? quum hoc potius quadrasset, si eum amabilem, placidum ac benignum magis quàm terribilem prædicasset. quod vtique prædicati genus tyranno magis quàm Deo laudabili competere videtur. Responsio. Non simpliciter prædicat vates Deum terribilẽ, sed addit, Super omnes deos. Dii gentium habebantur terribiles ac formidandi, atque ob id potissimum colebãtur, quum tamen nec bene nec male facere, nec saluare nec perdere possent: hunc itaque diuinæ maiestatis metum & obseruantiam diis Gẽtium, qui nihil sunt nisi inania simulacra, adimit, ac Domino tanquam soli vero Deo tribuit. Sic Ieremias dicit, Nolite ergo timere ea, quia nec male facere possunt, nec bene. Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. quis te non timeat ô Rex gentium? Ierem. 10.a.5. Adde quòd non solũ prædicatur Deus terribilis, sed simul & magnus & laudabilis: magnus potentia, magnus sapientia, magnus bonitate & clementia: laudabilis ac celebris propter innumera beneficia, quæ in mortales effundit. De tyranno non potest prædicari quòd sit bonus & terribilis, sed malus & terribilis. Deus verò & bonus est & potens, ideóque & amabilis & terribilis.

5 *Quia omnes dii Gentium, vanitates: Iehoua autem cœlos fecit.*

Quia omnes dii Gentium, vanitates. [v]Vel, Idola, simulachra, meræ nugæ, nihil. Hic Propheta disertè Gentiũ dementiã refutat,

quia vanitas sit ac nihilū quicquid Deū appellant. Nā Hebræis id valet אלילים, quod contemptum ad idola transfertur. Notādum autē quòd nō dicit, Quoniā omnes dii mūdi, sed Quoniā omnes dii populorū, aut gentiū. Suggillat enim nō solùm multitudinem deorum falsorū, sed & diuisionē. Alius erat Philistinorum, alius Assyriorum, alius Græcorum, alius Ægyptiorū deus. imo vni populo erant multi. at verus Deus non vnius aut alterius populi, sed totius orbis Deus est ac Dominus. Ista diuisio deorum, etiam inter Christianos in Papatu, sub nomine ac titulis sanctorum obtinuit. [c]Summa est, quia nonnisi in vno mundi opifice vera est ac solida deitas, friuolas esse & stultas religiones quæ purū eius cultum corrumpunt. Quæritur tamen an censeri nihilum aut vanitas debeāt Angeli: quia multi in eis decepti sunt, putantes deos esse. Respondemus Angelis fieri iniuriam dum in eos transfertur Dei maiestas. neque tamen ideo redigi in nihilum eorum naturam, sed quicquid imaginarium illis affingitur, nihilum esse. Quanquam de crassis Gentium erroribus hic tantùm agitur, quæ sibi deos audacter imaginatæ sunt. Antequam verò earum commenta Propheta refelleret, prudenter dicit Deum esse magnum & laudabilem: hoc est, sic excellere vt facilè infinitas gloriæ eius quicquid de suis idolis somniant homines, absorbeat. Notanda est etiā Prophetæ fiducia, vbi neglecto mortalium omniū cōsensu veri Dei gloriam strenuè asserit. Magnū tunc & arduū certamen erat veris Dei cultoribus contra tantam turba & cōgeriem superstitionum, qua refertus erat totus mundus. Verus enim Deus in Iudæa quasi in obscuro recessu latebat. Iupiter vbique erat celeberrim[9], tota Asia, Europa, & Aphrica personabat ci[9] nomē. Quū vnaquæque regio peculiares haberet deos, alibi tamen quoque famam obtinebāt: solus verus Deus honore suo carebat. Tametsi ergo conspirauerat totus mundus in mendacia, Propheta hic ex alto despicit quid sentiant vel suis suffragiis probent cuncti mortales: quia eorum vanitas nihil derogat vnius Dei gloriæ. Vnde sequitur peruersè ex multitudinis consensu fieri de religione iudicium: quia si vel hominum calculis statueretur religio, vel penderet Dei cultus ex nutu hominum, consideret hæc Prophetæ sententia. Ergo vtcunque innumeri homines in errorem consentiant, liberè clamemus post Spiritum sanctum non posse eos minuere Dei gloriam: quia, vt ipsi sunt vanitas, ita vanum est ac fallax quicquid ab ipsis prodit. *Iehoua autem cælos fecit.* [c]Vbi Propheta magnitudinem Dei asseruit, eam simul confirmat: quoniam in mundi fabrica relucet eius imago. Nam quū proprium sit Dei à seipso esse, & sua virtute stare: sequitur cōmentitios esse omnes deos qui non sunt mundi opifices. Cœlos autem per synecdochen posuit, quia illic magis conspicua est Dei potētia, pro modo ornatus & pulchritudinis. [a]quemadmodū alibi dicitur, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera eius annuntiat firmamentum, Suprà, 19.a.2.

6 *Fortitudo & decor corā eo, robur & decus in Sanctuario eius.*

Fortitudo & decor coram eo. [V]Quia dictio עוז robur & fortitudinē significat, sique etiam gloriam, quidam vertunt, Celebritas & splēdor (vel honor) coram eo. id est, ei adsunt, & illis ornatur. Verùm hic idem bis dicit, quòd apud Deum sit fortitudo & gloria. [M]Propterea pro eodem accipere videtur cōspectum Dei & Sanctuarium, quum dicit, *Robur & decus in Sanctuario eius.* [c]His autem verbis significat non posse Deum rite cognosci quin resplendeat in ipso incomparabilis virtus & maiestas. Potentiam verò & robur pariter locu nominat quasi materiam gloriæ. Et quia Deus per se inuisibilis est, fideles reuocat Propheta ad Sanctuarium, quod symbolum fuisse præsentiæ eius alibi vidimus. Quia enim mentis nostræ imbecillitas ad cœli altitudinem non cōscendit, Propheta admonet nō esse nobis obscuram eius gloriam, quia præsentiæ suæ insignia extare voluit in Templo, in sacrificiis, in Arca fœderis. [M]Ergo Propheta de Deo loquitur per imaginem potentissimi regis, in cuius aula & palatio cuncta passim regiam maiestatē visentium oculis obiiciāt, ita vt circa ipsum omnia referta sint decore, splendore, potentia, & gloria. [c]Itaque quoties fit Dei mentio, discamus gloriam hanc quæ in facie eius refulget, animis nostris concipere: quia mortuam potius essentiam imaginantur, quā viuā deitatem, qui eius potentiā ab eo separant.

7 *Afferte Iehouæ congregationes populorum, afferte Iehouæ decus & robur.*

Afferte Iehouæ congregationes. [a]Vel, Date Iehouæ &c. Hebraismus, Date Deo gloriam siue laudem fortitudinis, pro Confitemini Deum esse fortem. q.d. Afferte Deo gloriā quæ illi iure debetur, quoniam penes ipsum solum est virtus & potentia. Quum enim tribuitur Deo quod suum est, tunc verè glorificatur à nobis. [c]Quum tunc Deum maneret laus in Sion, & locus ille sacer esset ad celebrandum Dei nomen, sola etiam Abrahæ posteritas sacerdotio ornata foret: non dubium est quin hic Propheta Ecclesiæ renouationem designet, quæ tandem contigit Christi aduentu. Est igitur antithesis inter veterem populum & Gentium familias, quæ tandem futuræ erāt eiusdem adoptionis cōsortes. [M]Exigit ergo Vates à cūctis populis cultum Deo debitum. Facit Dominum regem œcumenicum, ideòque à cunctis totius orbis gentibus ac populis hoc requirit, vt illum tanquam suum regem debito cultu & honore prosequantur. *Afferte Iehouæ decus & robur.*[M] q.d. Ascribite Deo omnem gloriam, confitemini illum esse omnipotentem.

8 *Afferte Iehouæ decus nominis eius: tollite oblationem, & intrate in atria eius.*

Afferte Iehouæ decus nominis eius. [V]Vel, gloriam nominis eius. id est, quæ eius propria est, & meritò illi debetur. Alii, gloriā nominis sui debitam. id est, Glorificate Deum pro dignitate. [c]Vt ostēderet Propheta nihil afferre homines de suo, sed Deū iusta laude impiè fraudare nisi eum celebrent, adiungit gloriam nominis eius. Quo verbo significat non aliunde eū mutuari, sed penes eū residere quicquid laudis sibi tribui postulat. [M]Exigitur etiā hac particula, nomē Domini hactenus esse glorificandum, vt ea quæ sub illo nobis proponuntur, summa cum reuerentia & religione audiamus, percipiamus & perficiamus. hanc gloriam exigit nomen Domini. *Tollite oblationem, & introite in atria eius.* [c]Nunc Gentes disertè ad eundem cultum cum Iudæis Deo præstandum inuitat: non quòd externo ritu, qui olim præscriptus in Lege fuit, nunc colendus sit à nobis Deus: sed vnam significat fore regulam vel formam pietatis in quam consentiant omnes populi. Atque nisi diruta fuisset maceria (Ephes. 2. c. 14) fas non erat Gentibus cōmuniter cum filiis Dei ingredi Sanctuarii atria. Clarum etiam vaticinium est de futura Gentium vocatione, quæ aggregari in sacrum cœtum nō poterant, donec purgata esset earum immundities. Erat quidem spes vna tantùm sacrificii minhah: sed Propheta sub ea complectitur totum Dei cultum, quia magis ordinaria erat pietatis professio. Patet autem ex hoc loco, sicut ex pluribus aliis, vbi de regno Christi agunt Prophetæ, sub ætatis suæ symbolis notare internū Dei cultū. Neque enim placētas sibi Deus offerri voluit post Christum exhibitum: sed perinde est acsi diceret Propheta, fores Templi, quæ olim clausæ fuerant, apertum iri Gentibus. Quibus autem sacrificiis nunc coli Deus velit, Apostolus breuiter docet in Epistola ad Hebræos, Cap. 13. c. 15. 16. Quominus ferendi sunt Papistæ dum hæc testimonia ad suam missam vel alias nugas detorquēt. Aptè interea colligere ex hoc loco licet, veros Dei cultores vacuos ad Dei conspectum non accedere: sicuti iubemur nos & nostra omnia offerendo in sacrificium, rationalem ei cultum præstare, Rom. 12. a. 1, & 1. Pet. 2. a. 5.

9 *Adorate coram Iehoua in decore Sanctuarii, tremiscite à facie eius tota terra.*

Adorate coram Iehoua. [V]Vel, Incuruate vos Iehouæ, Supplicate proni. [c]Prosequitur adhuc eandem sententiam. Nā quòd olim Deus oblationes exegit à populo suo, non id fecit quòd hominum officiis indigeat ([a]quemadmodum fusius ostensum est, Suprà, 50. b. 8. c. 14. d. 23) [c]sed vt fidem suam profiterentur. Docet igitur Propheta quorsum pertineat oblatio cuius meminit, vt scilicet prosternant se coram Deo fideles, séque totos & quicquid habent testentur eius esse. *In decore Sanctuarii.* [V]Vel, In magnificentia Sanctitatis, sub. eius. Alii, in splendore Sacrarii eius. Alii, in magnifico & splendido Sacrario eius. Nō simpliciter dicit, Vt gētes Deum adorēt, sed Vt adorent in Tēplo, & in Sanctuario. acsi diceret Gētes fore aliquando domesticas, & quasi familiares Dei, propterea quòd inserēdæ erāt per fidē in vnū corpus. [c]Ac iterū de tēpli pulchritudine meminit, ostēdere volens Gētes cooptandas esse in nouū honorē, vt corpus vnū cū electo populo efficiāt. Id verò quo tempore cōposi tus fuit Psalmus, vulgo minimè credibile fuit, profanas gētes promiscuè cū sancto genere Abrahæ admissum in tēplū iri. Sed eo nobis testatior meritò esse debet nostra vocatio, quæ tūc mōstri loco habita fuit: quia certò nobis cōstat nonnisi diuinitus apertā nobis fuisse salutis ianuā. Pulchritudinis autē nomine Tēplo reuerētiā cōciliat Propheta, ne temere prosiliant homines in cōspectū Dei, sed metū & humilitatē afferant. Pulchritudo autē vel decor Sanctuarii non in argento vel auro, non in pretiosa materia, vel quadratis lapidibus, vel reliquo splēdore & opulentia situs erat, sed in imagine cœlestis prototypi, quod Mosi ostēsum fuerat in mōte, Exod. 25. a. 9. Quoniā ergo Deus spiritus est (Iohā. 4. d. 24) & in cordibus fideliū suorū habitare cōstituit (vnde & Ecclesia Christi, domus Dei ac tēplū Dei dicitur) rectè intelligemus Sanctuariū hoc Dei, ad quod gētes vniuersæ vocantur, esse etiā Ecclesiā Christi. Ecclesiam verò

illam dicimus quæ electorum est, in quorum mentibus habitat Spiritus Dei. Et in hoc quoque Sanctuarii Dei decor est, splendor & gloria, & lætitia & potentia. Sed ista non sunt oculis carnis visibilia, sed oculis fidei tantùm patent. *Timescite à facie eius.* Hoc additur vt reuerēter populi ad colendum Deū accedāt, & reputātes quāta sit ei' maiestas, suppliciter corā eo se incuruēt. Neque tamē Propheta terrere voluit Dei cultores vt fugaret ab eius accessu (quibus nihil dulcius vel iocundius esse debet quàm ipsum quærere) sed quia nos humiliari necesse est, vt verè & seriò Deū colamus. Externa illa & corporea adoratio, quæ fit ante aras, caecas ac surdas mortuorum Sanctorum imagines, à superstitiosis & idololatris cū stupore quodā ac pauore seruili, ab hypocritis cum reuerentiæ simulatione, quæ gestibus ostentatur, à leuibus hominibus plerunque ridendo, ludendo & garriendo perficitur: at vera illa adoratio Dei, quæ fidelium ac electorum est, nec superstitiosum pauorem, nec simulationem, nec vanam scurrilitatem admittit, sed debitam reuerentiam coniunctam habet. quemadmodum alibi dicitur, Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore, Suprà, 2.c.11.

10 *Dicite in Gentibus, Iehoua regnat, sinque stabilietur orbis, non commouebitur: iudicabit populos in rectitudinibus.*

Dicite in Gentibus, Iehoua regnat. Ad verbum, regnauit, pro regnat. Id est, regnandi gubernacula obtinet. Sunt qui legūt, Dicite, Dominus regnat in Gentibus. Alii volunt Prophetā hic exigere à Gentibus vt Domino tāquā regi suo acclament, ac dicant, regnat Dominus. sicut solent regibus acclamare, Viuit rex, regnat rex. Verùm Propheta simpliciter his verbis inculcat non vigere Dei cultum nisi vbi ad regendū præsidet. Quandiu enim solium Dei fuit in angulo Iudææ, cultum eius verè profiteri non poterant Gentes quū imperio non parerēt. Ergo regnum eius Propheta ad vltimas mundi plagas extendit, vt sub eius auspiciis in vnum coalescant qui prius fuerant dispersi. Et per verbum Dicite significat Deum verbo suo & doctrina propagari velle regni sui fines. *Vtique stabilietur orbis.* Vel, Certè firmabitur orbis. Vel, parauit orbem ne nutet, aut ruat, cadat, vel labatur. Hæc particula de orbis stabilitate notatu digna est. Etsi enim scimus naturæ ordinem ab initio diluuii fuisse positum, eundem semper Solem, lunam & stellas resplenduisse in cœlo, iisdem alimentis quibus fideles sustentatos fuisse incredulos, & eundem extitisse spiritum vitalem: tenendum est omnia esse confusa, & horribilem *ἀταξίας* instar diluuii mundum in tenebris demersum tenere, quandiu impietas hominum animos occupat: quis extra Deum quid stabile esse potest? Non immeritò igitur docet hic locus stabiliri orbem, vt amplius non nutet, vbi rediguntur homines sub imperium Dei. Vnde etiam discendum est, quamuis suum officium peragant singulæ creaturæ, nihil tamen esse in mundo ordinatum, donec regiam sedem sibi Deus figat regendis hominibus. Quæ enim vastitas magis deformis est quā vbi creator ipse non agnoscitur? Iam vtcunque sibi placeāt increduli, semper tamen fluctuari necesse est, & vitā eorū pendere de filo, quia in Deo fundatus non est eorum status. Atqui hic memoria repetere conuenit quod vidimus Suprà, 46.a.6, Deus in medio vrbis sanctæ, ideo non commouebitur. Neque etiam displicet, quū adhuc omnia in Lege suspensa essent, obliquè conferri cum illis præludiis plenum fœlicitatis statum qui sub Christo futurus erat. *Iudicabit populos in rectitudinibus.* Vel, in rectitudine. Alii, in æquitatibus. Id est, ex summa æquitate. Prædicit Vates regnum hoc æquitatis plenum fore, sicuti & Suprà 45.b.7, vidimus, Virga rectitudinis, virga regni tui. Iudicandi verbo quoduis regimē notatur apud Hebræos. Quòd si Deo hic regnandi modus est vt vitam hominum ad æquitatem formet ac componat, primò colligere licet, vtcunque sibi placeant homines, omnia tamen esse tortuosa donec eos Christus sibi subiiciat. Hæc autem rectitudo non ad externas modò vitæ actiones refertur, sed est interior cordis nouitas quæ pendet à Spiritus regeneratione, qua refingimur ad imaginem Dei.

11 *Lætentur cœli, exultet terra, tonet mare, & plenitudo eius.*

Lætentur cœli. Inuitat nunc Propheta ad lætandum de fœlicitate regni Dei vniuersas creaturas. homine enim restituto, restituuntur & illæ, quæ filiis Dei hic adhuc laborātibus semper congemiscunt corruptioni subiectæ, Rom. 8.d.21. Communis ergo ipsis est de regno Christi lætitia. *Tonet mare.* Vel, perstrepat, reboet. *Et plenitudo eius.* Hebraismus, Quicquid in eo est. Exponit Psaltes Hebraismum sequente versu, quum dicit,

12 *Exultet ager, & quicquid in eo est, simul iubilent omnes arbores syluæ.*

Exultet ager, & quicquid in eo est. Quo melius amplificet magnitudinem gratiæ Dei, vbi cunctos homines dignatur sub manum suam colligere, ipsas quoque brutas creaturas, sicut arbores, terram, mare & cœlos ad societatem lætitiæ inuitat. Neque enim metonymicè de Angelis vel hominibus loquitur, quia muros quoque pisces resonare præ gaudio iubet. Hyperbolica igitur est loquutio, qua exprimit nihil esse magis optabile vel beatum quàm sub Dei fide esse. ac si diceret, Quā fœlicia erunt illa tempora quibus Dominus venturus est in hunc mundum, vt ipse cunctos populos in iustitia & fide sua moderetur, regat & gubernet: quibus ad eum, tanquam verum & vnum Deum, cunctæ gentes diis vanis relictis conuertentur, illumque vnicè colent & adorabunt! Verè beati erunt oculi quibus ista coram cernere dabitur. Itaque his verbis significat Propheta Deum minimè regnare more tyrānico vel formidabili, sed plenam suauitatis & lætitiæ esse eius potestatem. Nam quòd expauescunt impii simulac erigitur Dei solium, hoc illis accidentale est. Interea ex hoc loco colligimus quàm furiosa sit hominum lætitia, vbi sine Deo lasciuiunt.

13 *Coram Iehoua: quia venit, quia venit ad iudicādum terram. iudicabit orbem in iustitia, & populos in veritate sua.*

Coram Iehoua. Vel, ante faciem Domini. *Quia venit.* Clarius docet Propheta, quandiu abscondita est nobis Dei facies, nullam veri gaudii scintillam nobis micare. Exultant, inquit, à facie Dei, quia venit. Quòd si mare & terrā occupat mœstitia donec appareat Dei aduētus: quid nobis futurum est quibus propriè incūbit horribilis maledictio? *Quia venit.* Quia res erat creditu difficilis, bis repetit Propheta Deum venire, vt sit iudex, rex, & gubernator omniū. *Ad iudicandum terram.* Vel, Iudicare, Vt iudicet. Alii, vt regat. Nam iudicare pro regere ponitur, vt paulo ante dictū est. quòd iudices eam potestatem haberent in terra sancta quam nunc reges & magistratus. Vnde Iudicum liber. *Iudicabit orbem in iustitia.* Iterum designat regnandi modum, vt versu decimo. *Et populos in veritate sua.* Vel, ex fide sua. Id est, fide optima. Dicit quòd Deus iustitia sua & fide mundum gubernabit. Et certè vbi homines non reguntur Dei imperio, tunc lasciuiunt in prauis cupiditatibus, tunc dominantur iniquitas & iniustitia: vbi veritas Dei non regnat, omnia sunt plena mendaciis, & implicita tenebris. Vnde sequitur nonnisi luce iustitiæ Dei & veritatis prauitatem & hypocrisin, quæ hominibus ingenitæ sunt, discuti ac purgari. Vide Rom. 14.c.17.

ARGVMENTVM PSALMI XCVII.

Continet & hic Psalmus præclarum vaticinium de Christi regno, quod per Euangelium repente illuxit. Deinde immensam Dei potentiam prædicat, vt cuncti mortales rogantur ad humilitatem. Postremò admonet Dei regnū non aliò spectare quàm in hominum salutem.

I*Ehoua regnat, exultet terra, lætentur insulæ magnæ.*

Iehoua regnat. Ad verbum, Regnauit, vt versu decimo præcedentis Psalmi. Dicit mox initio psalmi regnare Dominum, id est superiores tulisse contra hostes nominis sui, quò omnes ad eius reuerentiam & cultum sese præparent. *Exultet terra.* Hoc est, habitatores terræ. Propheta homines ad lætitiam inuitans, satis declarat nunquā Deū regnare quin simul affulgeat salus & plena fœlicitas. *Lætentur insulæ magnæ.* Vel multæ. Vel, Lætetur insularum multitudo. Dum gaudium cōmune toti mundo facit adeóque transmarinis regionibus, significat regnum Dei, quod tunc angustis Iudææ finibus erat inclusum, longè fore amplius, quia ad Gentes vsque propagabitur. Quàm verò debeat vniuersa terra ac insulæ omnes propter regnum Dei per Christum orbi inductum lætari, norunt ii qui fœlicitatem illius intelligunt. Quapropter deploranda est ista insania, qua Herodes cum suis nato Seruatore ac cœlesti rege, tristatur & sæuire incipit, Matth. 2.a.3.c.16.

2 *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium locus solii eius.*

Nubes & caligo in circuitu eius. Nunc Propheta potentiam omnibus tremendam prædicat, hoc versu & tribus sequentibus. Nā cœlestem Dei gloriam suis insignibus exornans, ad eius reuerentiam subigere voluit cunctos mortales. Nam proponitur in hunc finem formidabilis eius maiestas, vt fastum & prauam carnis confidentiam sub se prosternat ac conterat. Scimus in conspectu nubili cœli plus esse terroris quàm in serena luce: quia obscuritas sensus nostros cōtrahit. Itaque dubium non est Prophetam inducere hoc symbolo terrorem, quo magis reuerenter Deum mundus exciperet. Alii subtilius exponunt, nubē esse in circuitu Dei, quæ temeritatē & audaciā humani ingenii cōpescat, ne in excutiēdis eius mysteriis

plus æquo sibi permittunt qui nimium curiosi sunt. Etsi autem continet sensus ille vtilem doctrinam, quia tamen cauendæ sunt argutiæ, retinendum est illud Prophetæ consilium, quòd fuliginoso Dei conspectu percellere velit corda hominum, vt tremiscant.

Iustitia & iudicium locus solii eius. Vel, habitaculum solii eius, vel basis. Vide 10 & 15 versum Psalmi præcedentis. Propheta cœleste solium in iustitia & iudicio locans, regnum Dei à fructu quem inde percipimus commendat: quia quum nihil miserius sit quàm sine iustitia & iudicio viuere, laudem hanc Deo specialiter vendicat Propheta, quòd regnando æquitatem solus in mundo constituat, vt certè exulat à nobis omnibus, donec Spiritu mansuetudinis Deus ad subeundum verbi sui iugum nos flectit ac domat. Sic Esaias de regno Dei loquens, quod per Christum administrari debebat, Super solium Dauid, inquit, & super regnum eius, vt disponat & stabiliat ipsum in iudicio & iustitia, ab hoc tempore vsque in perpetuum, Esa. 9. b. 7. Sed quia magna pars hominum peruicaciter imperium Dei reiicit & excutit, cogitur Propheta pingere seueram Dei faciem, vt doceat non impunè cessuram impiis præfractam suam malitiam.

3 *Ignis coram facie eius ambulabit, & exuret in circuitu inimicos suos.*

Ignis coram facie eius ambulabit. Vel, ambulat & exurit. grassatur (aut vadit) & inflammat. sub. ignis ille. Intelligit hæc de fulminibus, quæ aliis locis vocat carbunes ignis. Vide Suprà, 18. b. 13. Tremendam itaque Dei potentiam prædicat & Deum ipsum, qui quoslibet homines, quantumuis feroces, dum densa nube veluti adequitat, & in dira caligine tonat, territat & exanimat, adesse iam & regnare gloriatur. *Et exuret in circuitu inimicos suos.* Significat horrendam hostibus Dei apparatam esse vltionem. Nam Propheta describit Deum potentiam suam declarare contra hostes insigni aliqua ac tali tempestate, qua exercitus illorum vel atterat, vel perterritos in fugam vertat. Tale quid in sacra historia factum legimus, 1. Sam. 5. c. 10. d. 14.

4 *Illuxerunt fulgura eius orbi, vidit ac tremuit terra.*

Illuxerunt fulgura eius orbi. Vel, illustrant fulgura eius orbem. Vel, illuminant, perfundunt lumine. Exponit his verbis, fulgura tempestatum, esse Dei irascentis fulgura, quasi iram quis micantibus & ardentibus oculis ostendat. *Videbit ac tremiscet terra.* Significat his verbis impiorum animos maximo pauore percelli, vbi Deus se iratum esse prodit.

5 *Montes tanquam cera fluxerunt à facie Iehouæ, à facie Domini totius terræ.*

Montes tanquam cera fluxerunt. Vel, dissoluuntur, liquefiunt. Clarius exprimit intolerabilem esse iram Dei. Nihil solidius & immotius videtur esse montibus, nihil rursus cera mollius, & tamen potentes huius seculi, qui instar montium elati ac turgidi sunt, ante faciem irati Dei velut cera colliquescunt. Itaque nemo metuat hosce montes, homines impios & Dei inimicos. Cogitemus eos rursum in conspectu Dei nihilo esse solidiores ac firmiores quàm cera sit in conspectu ignis. Vide eandem similitudinem Suprà, 68. a. 3. *A facie Domini totius terræ.* Vel, dominatoris. Non ait, ab igne Domini, sed A facie Domini. Fingit horribilem illum tempestatis, caliginosæ nubis, fulgurum micantium, fulminumque percutientium aspectum esse faciem irati Domini & sæuientis, vsqueadeo terribilem vt solo aspectu terreat, & quos voluerit in fugam conuertat. Siquis excipiat non conuenire hanc formidinem cum gaudio cuius nuper meminit Propheta, respondendum est, primùm, quanuis Deus solium suum erigendo, quantum in se est, beare omnes paratus sit, non omnes tamen huius beneficii capaces esse: deinde tenendum est quod prius attigimus, vtilem hanc admonitionem esse fidelibus vt proiecta carnis altitudine Deum suppliciter adorent. Propriè ergo in hostes regni Dei competit tantæ seueritatis descriptio, quando nonnullis in salutem electorum suorum territ eam suam potentiam Deus exercet. Quia autem, nisi Deum sibi appropinquantem revereantur & placidè excipiant homines, duplicatur eorum impietas, iure hæc vindictæ denunciatio aptatur ad regnum Christi. Qui verò Deum in filii sui vnigeniti persona contemnunt, dicit Propheta eos tandem velint nolint sensuros quàm tremenda sit eius maiestas. Hoc enim intelligis verbo videndi: quia dum vident impii frustra se conari vesano impetu contra Deum, quærere incipiunt subterfugia & latebras. Propheta autem hac hebetudine consequi posse negat vt se a Dei facie abscondant.

6 *Annuntiauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.*

Annuntiauerunt cœli iustitiam eius. Quidam vertunt, Annuntient cœli. Alii, Annuntiant. Alii, Indicarunt cœli iustitiam eius. Tam illustrem fore Dei iustitiam affirmat vt cœli quoque futuri sint eius præcones. Cœli quidem linguam non habent, sed ideo inducit eos Propheta iustitiæ Dei præcones, vt ostendat Deum nunquam regnare super nos quin iustitia eius totum mundum impleat, vt etiam elogia eius celebrent. Differt tamen quod hic dicitur ab illa sententia, Cœli enarrant gloriam Dei, &c. Suprà, 19. a. 1. quia illic docet tantum Dauid in cœlorum fabrica lucere imaginem sapientiæ & potentiæ Dei, ac si eam Deus vocali testimonio assereret: hic verò spiritualem iustitiam, quam Deus manifestabit sub regno Christi, tantam fore dicit vt cœlos & terram impleat. Ac multum vehementiæ habet ista prosopopœia, quum cœlos de iustitia Dei loquentes inducit, acsi ad eos quoque penetrasset eius sensus. *Et viderunt omnes populi gloriam eius.* Innuit gloriam Dei in iustitia consistere, quam cœlos celebrare dixit.

7 *Pudefiant omnes serui sculptilis, qui gloriantur in figmentis, adorent coram eo omnes dii.*

Pudefiant omnes serui sculptilis. Vel, qui colunt sculptilia. Considerata diuinæ maiestatis gloria, quam cunctos populos vidisse cecinit Propheta, nunc capitur animo ad detestandum cultum idolorum. Atque ita, sicuti proximo Psalmo, verum Deum ab omnibus hominum figmentis apertè discernit, ne elogia quæ protulit quisque ad commentitiam deitatem capiat. Facilè admittimus Deum laudari, sed (vt ad superstitionem sumus procliues) vix centesimus quisque continet se in puro Dei cultu: sed simulac fit Dei mentio, labimur ad nostra deliria. Et quanuis quisque sibi fingat peculiarem Deum, in tam confusa varietate nobis placemus. Hæc ratio est cur tam sollicitè Propheta, dum homines hortatur ad Dei cultum, ne falsos deos adorent, simul designat quisnam sit verus Deus. Sed in ordine Prophetæ hoc quoque notatu dignum est, non aliter euanescere prauas superstitiones nisi dum obtinet vera religio. Nam quia pro sensus sui tarditate ad verum Deum non pertingunt, necesse est eos in suis mendaciis errare. quæ sola Dei cognitio discutit ac purgat, non secus ac sol fulgore suo tenebras dispergit. Ingenita est hominibus religio aliqua: sed quia talis est non solùm imbecillitas mentis nostræ, sed etiam cæcitas ac stupor vt conceptum deitatis sensum statim deprauet, hinc fit vt religio initium sit omnium superstitionum: non id quidem sua natura, sed quia obtenebratæ sunt hominum mentes, vt verum Deum ab idolis non discernant. Simul autem ac innotuit Dei veritas, fugandis & procul abigendis superstitionibus satis est efficax. Nam si sol (vt diximus) quæcunque aerem offuscant impedimenta absorbet, quid non efficiet ipse Dei conspectus? Non mirum igitur si Propheta de regno Dei præfatus, profanis gentibus insultat quæ in fictilibus gloriantur: sicuti Esaias, vbi de exortu lucis Euangelicæ loquitur, mox addit, Tunc cadent omnia sculptilia Ægypti, Esa. 19. a. 1. Porro quum Dei cognitio homines latuerit, ne miremur si tam variæ superstitiones mundum ab initio occupauerint. Quæ eadem ratio nunc quoque valet. nam apud Turcas, Iudæos, & Papistas, scimus extinctam esse veræ doctrinæ lucem. Quare aliter fieri non potest quàm vt obstupefacti iaceant in suis erroribus: quia impossibile est, nisi agnito vero Deo, redire ad sanam mentem, vt eos errorum pœniteat. Nam Propheta in verbo Pudefiant significat tempus esse vt qui dediti fuerant superstitionibus resipiscant, & se conferant ad verum vnius Dei cultum. Non quòd tangantur promiscuè omnes vera pœnitentia (videmus enim hodie multos Lucianicos homines excussis superstitionibus meretriciam impudentiam induere) sed Dei cognitio fructum hunc esse profert, vt homines damnatis erroribus ad Deum se conuertant. Qui verò pertinaciter resistunt Deo (sicut hodie videmus multos in Papatu manere obstinatos) non tamen dubium est eos intus prosterni, vt cum sua contumacia confusi iaceant. *Qui gloriantur in figmentis.* Vel, Qui iactant se de idolis. Vel, Qui celebrant figmenta. Vel, Qui in iis qui non sunt dii gloriantur. *Adorent coram eo omnes dii.* Vel, Incuruate vos ei omnes dii. Quanquam hoc propriè in Angelos competit, in quibus relucet aliqua Deitatis particula, potest tamen impropriè ad Deos fictitios extendi, acsi diceret, Quicquid habetur pro Deo, cedat, & se submittat, vt emineat Deus vnus. Atque hinc colligi potest vera definitio pietatis, quum scilicet verus Deus in solidum colitur, & ita vnus eminet vt nulla creatura eius nomen obscuret: ac, nisi velimus inter nos pessundare veram pietatem, tenendum est hoc principium, ne qua creatura à

nobis vltra modum euehatur. Hæc antè in regno Christi verè demū impleta sunt. Tum enim pudefacti sunt superstitiosi vniuersi, vero cultu Dei à mūdo recepto, cunctis iam diis, hoc est, Angelis & hominibus potentia aliqua præditis, ipsius nomen adorantibus.

8 *Audiuit & læta est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Iehoua.*

Audiuit. Sub. Potentiā eius magnificā. Nūc opponit populum & Ecclesiam Dei gentibus idololatris: & sicut impiis cōfusionem imprecatur, sic iustis lætitiam ex auditu gloriæ Dei conceptam tribuit. *Et læta est Sion.* Quanquam prius commune gaudium fecerat toti mundo, nūc peculiariter electum populum appellat primùm, quia ei oblatæ sunt gaudii primitiæ, vt tollatur omnis æmulatio & inuidia. Quamuis ergo dixerit gentes æquandas esse filiis Abrahæ, nunc addit hac societate nihil decedere Iudæis, quin potius iustam esse lætitiæ causam, quòd Deus ex eorum fonte totum mundum irriget. Nam de Sion Lex exire debebat, & verbum Domini de Ierusalem, Esa.2.a.3. Et salutē ex Iudæis esse Christus affirmat, Iohan.4.c.22. *Et exultauerunt filiæ Iudæ.* Sic alibi dicitur, Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iehudah propter iudicia tua, Supra, 48.c.11. Audiuit igitur Sion iudicia Dei. Hoc est, Deum regnare etiam in vltimis & remotissimis terræ partibus in filio suo Iesu Christo, non in sola Iudæa. Cæterùm Propheta de legitimis tantùm Abrahæ filiis loquitur, qui dupliciter gauisi sunt, vbi Deus imperium suum & gloriæ ab ortu solis vsque ad occasum extendit: primò quia tunc Deus promissam redemptionem in solidum exhibuit in Christo: deinde quòd Dei gloriam quæ latuerat in Iudæa, viderunt vbique diffundi. Nec parua fuit fidei cōfirmatio quum Gētes secūdum vaticiniū se benedicerent in semine Abrahæ: & religio quæ exosa vel contempta fuerat, passim reciperetur. Sed cur potius audisse dicit quàm vidisse? Respondemus, hoc verbo vsum fuisse Prophetam ob duas causas, nempe, vt fideles antequam id completū esset gaudium, tamen ex spe iam conciperent: deinde significat longè latéque spargendam esse Euangelii gloriam, vt eam fama potius quàm contuitu cognituri sint Iudæi.

9 *Quia tu Iehoua excelsus super totam terram, valde exaltatus es supra omnes deos.*

Quia tu Iehoua excelsus. Vel, excelsior omnibus quæ in terra sunt. Hebraismus, omnia ditioni tuæ subiecta sunt. q.d. Hoc est quod Sionem vehementer exhilarat, quòd tu Domine excelsus declararis super omnem terram, & plurimùm super vniuersos deos exaltatus. Hoc est, quòd omnis terra maiestatē et sublimitatem nominis ac potentiæ tuæ nolit velit experitur, sentitque cogitur te verum Deum esse, qui cūctos deos potentia ac diuinitate excellas. Tale quid habet & versus 4 Psalmi præcedentis. Vide illic expositionem. *Valde exaltatus es super omnes deos.* Notanda est hæc comparatio inter Deum & Angelos, ac quicquid eminet. Nam hac cōparatione Prophete significat Deum verum sic debere agnosci vt nihil obscuret eius gloriam, neque impediat quominus tribuamus illi quod suum est, nempe vt solus sit Deus, & penes ipsum resideat omnis maiestas. Id autem tunc plenius contigit, dum in filio suo vnigenito apparuit Deus, qui viua est eius imago. Sicuti enim prius obscurior erat eius notitia, sic minus conspicua fuit exaltatio. Ergo sit hoc etiam nobis in votis, vt optemus Deum exaltari super vniuersam terram, verbo illius rebellem, & super cunctos deos ac potentes, quocunque illi nomine censeantur, qui in hac terra à miseris ac cæcis mortalibus adorantur & coluntur.

10 *Qui diligitis Iehouam, odio habete malum: custodit animas mansuetorum suorum, è manu impiorum eripiet eos.*

Qui diligitis Iehouam. Opportunè post tantam regni Christi fœlicitatem boni atque amantes Dei vt à malitia, id est studio lædēdi alios iniuriámque retaliandi abstineant quàm longissimè, eo quòd bonitatis studiosos ille seruet, & in tēpore vindicet. *Odio habete malum.* Hoc est, colite integritatem, fugite vitia quæ Deus abominatur, sicuti etiā Paulus dicit, Discedat ab iniquitate quisquis inuocat nomē Domini, 2.Timoth.2.c.19. Probat igitur à natura Dei nullos ab eo agnosci vel censeri in numero seruorum suorum nisi qui à malitia discedunt, vt se addicant rectitudini: quia quum sit fons omnis iustitiæ, omnem iniquitatem odio habeat necesse est: quia seipsum abnegare non potest. Ideoque hac lege nos sibi deuinctos tenet, vt nobis dissidium sit cum omni iniustitia. *Custodit animas mansuetorum suorum.* Vel, misericordium suorum. Vel, Sanctorum suorum, id est, qui sanctitati & iustitiæ student. Quia hostium prauitas sæpe nos ad vindictam sollicitat, nec videmur salui posse euadere nisi malis artibus: vt his tentationibus occurrat Propheta, pronuntiat Deum esse suorum custodem. Nam qui sub Dei tutela se agere persuasi sunt, non certant cum improbis, neque retaliant acceptas iniurias, vicissim nocendo si læsi sunt: sed suam salutem fido eius protectori commendant. Ita frænum nobis inicitur ne molestum sit vel graue abstinere à malitia, & seruare puras manus, quamuis nos improbi lacessant, vbi Deus animas nostras in custodiam recipere dignatur. *E manu impiorum eripiet eos.* Ne quis putet curā quā Dominus de suis gerit inanem esse ac inefficacem, effectus qui inde consequitur hac particula monstratur, nempe piorum liberatio. Acsi Propheta diceret, Nolite metuere malos, sed odio illos prosequimini: nihil hæsitantes futurum vt ab illorum vos insidiis Dominus, si hunc dilexeritis, eripiat, & animas vestras custodiat.

11 *Lux seminata est iusto, & rectis corde lætitia.*

Lux seminata est iusto. Vel, Lux sata est iusto. Confirmat Propheta proximam sententiam, ac simul obiectionem anticipat quæ cōtrà afferri poterat. Videmus enim sæpe iustos malè & indignè tractari, acsi hostium libidini expositi forent. Respondet igitur Propheta, quanuis non statim suos liberet Deus, arcana tamen virtute tueri eorum salutem. Ac duplex est metaphora in priore membro versus. Nomine enim lucis lætitiam designat, vel prosperū successum. quæ loquendi ratio passim occurrit in scriptura, sicuti res aduersæ conferuntur tenebris. Posterior metaphora in voce sationis videtur aliquāto durior. Quidam dicunt seminari lætitiam iustis, quemadmodum semen quum proiicitur in terram emoritur, vel latet aliquādiu occultū antequā germinet. Sed sensus hic simplicior est, Quanuis iusti vix locum in mundo inueniant, saltem non audeant in publicum prodire, & quasi demersi lateant, Deus tamen fœlicitatem eorum instar seminis longè latéque disperget: vel lucem quæ constricta est producet. *Et rectis corde lætitia.* Hoc membrum est prioris exegesis: lætitiā enim pro luce ponit, & rectos corde pro iustis. Atque definitio iustitiæ notanda est, quòd scilicet non sit externa larua, sed sinceram cordis integritatem requirat, vt non sufficiat linguas, manus & pedes à maleficio continere, si cupimus coram Deo iusti censeri. Porro huic iustitiæ seu cordis rectitudini opponitur cor prauum, detortum, peruersum, & iniquū, quale sunt impiorum & filiorum huius seculi.

12 *Gaudete iusti in Iehoua, & celebrate memoriam sanctitatis eius.*

Gaudete iusti in Iehoua. Hortatur pios ad gratitudinem, vt scilicet persuasi Deum esse suum liberatorem, eius gratiæ acceptam vitam suam referant: & quicquid acciderit, cōtenti sint eius præsidio. Quidam legunt, Lætamini iusti in Iehoua, eodem sensu. *Et celebrate memoriam sanctitatis eius.* Vel, Et confitemini memoriæ. Hebraismus, Date gloriā nomini sancto eius q.d. Referte Deo acceptum quod salui sitis. Hic Propheta nō immeritò laudem Dei memoriæ sanctitatis Dei annectit. Est enim hic præcipuus vsus diuinæ laudis, vt exercitio illius memoriam Dei & omnium beneficiorum ab illo acceptorum in animis nostris refricemus.

ARGVMENTVM PSALMI XCVIII.

Psalmus hic eiusdem argumenti est cum præcedenti & nonagesimo sexto. Propheta siquidem terram vniuersam & cuncta quæ in illa sunt, ad laudem Dei excitat, idque ob Dei cognitionem quæ reuelato Christo per totum orbem propaganda erat.

Psalmus 98.

Psalmus. Quis huius Psalmi author fuerit, nescitur. Credibile tamen est editum fuisse propter insignem quandam liberationem populo Israelis præstitam, quæ typus erat redemptionis Ecclesiæ per Christum.

1 *Cantate Iehouæ canticum nouum, quia mirabilia fecit, salutē peperit ei dextera sua & brachium sanctitatis suæ.*

Cantate Iehouæ. Initio hortatur fideles Propheta ad canendam Deo laudem, quòd mira sint & memoratu digna eius beneficia erga Ecclesiam. *Canticum nouum.* Iam alibi diximus his verbis notari exquisitam & non vulgarē gratiarum actionem. Quod etiam ex ratione mox addita patet, nempe *Quia mirabilia fecit.* Hoc est, mirabiliter & incredibili modo salutem suam in medium protulit. Nam de miraculis loquutus, ea specialiter ad summam vnam restringit, dicens,

Salutem peperit ei dextera sua. [b] Vel, Seruauit eum dextera eius. Ad verbum, Saluabit sibi dextera sua, & brachio sanctitatis suæ. Quidã, Salutẽ operatus est sibi dextera sua. [c] hoc est, Salutem sibi acquisiuit propria virtute. Vel, Salutem ipse operatus est, & nullus alius. [m] Significat autẽ his verbis, non humanis mediis, vel ordine consueto, sed inaudito hactenus modo seruatã fuisse Ecclesiam. [c] Miraculum hoc pluribus verbis extollit Esaias cap. 59.e.16, Respexit Deus an esset auxiliator: miratus est non neminem esse qui intercederet. Itaque salutem sibi fecit brachio suo, & se iustitia sua firmauit. Vtroque loco brachiũ Dei ordinariis mediis opponitur: quæ tametsi nihil derogant potentiæ Dei, eius tamen aspectum quasi vela quædam obscurant. & perinde est acsi dixisset Propheta, Nõ vtetur Deus vsitatis modis ad seruandum mundum, sed prodibit ipse in medium, vt appareat salutem hanc mirificum esse eius opus. Merito igitur concludit, hãc admirabilem Dei bonitatem, & quæ incomprehensibilis est humanis ingeniis, summis laudibus prædicandam esse. [m] Sic apud Prophetam dicitur, Dies vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ veniet, & aspexi & non erat auxiliator, admiratus sum, & non erat qui fulciret: & seruauit, Esa. 63. a. 4.

2 *Notam fecit Iehoua salutem suam, in oculis Gentium reuelauit iustitiam suam.*

Notam fecit Iehoua salutem suam. [a] Idem clarius exponit quod prius, patefactam esse dicens salutem & iustitiam eius gentibus. Quid enim minus sperari potuit quàm in densis illis tenebris ignorantiæ & cæcitatis repẽte exorituram esse lucem: & in profunda iniquitatum abysso, iustitiæ locum fore? [m] Salutis dictio pro virtute saluandi ponitur, sicuti quum dicitur, Domini est salus, Suprà 3. b. 9. [v] Id est, virtus saluandi quam Deus erga suam Ecclesiam exerit. *In oculis Gentium reuelauit iustitiam suam.* [v] Dei iustitia accipitur pro eius gratia erga fideles, [a] nequis putet illam in eo sitam esse quasi hominibus rependat Deus quod meriti sunt. Nam gratuita est hæc salus quæ fidelibus confertur. [c] Itaque quòd salus, quæ effectus est iustitiæ, priore loco ponitur, tametsi inuersus est ordo, id tamẽ rarũ nõ est, nec absurdũ videri debet, vbi de beneficiis Dei habitus est sermo, modũ, qui ordine præcedit, explicationis causa adiungi.

3 *Recordatus est bonitatis suæ & veritatis erga domum Israel: viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.*

Recordatus est bonitatis. [c] Postquam de generali reuelatione salutis loquutus est, peculiarem Dei gratiam erga electum populum proprio elogio cõmendat. Etsi enim Gentibus ac Iudæis communiter se Deus in Patrem obtulit, à Iudæis tamen exorsus est, vt essent quasi primogeniti. [a] Qua de re vide Act. 13. g. 46. & Rom. 3. a. 1. 2, & 9. a. 4. & Eph. 2. d. 17. [c] Hæc enim Gentium gloria est quòd cooptatæ sint ac insitæ in sanctam Abrahæ domum: & ex promissione Abrahæ facta fluxerit totius mundi redemptio: sicuti etiam dicit Christus, Salus ex Iudæis est, Ioh. 4. c. 22. Quare meritò dicit Propheta, Deum in mundo redimẽdo, fidei quam dederat populo Israel, recordatum esse. Quibus etiam verbis docet, no alia causa inductum fuisse, nisi vt fideliter præstaret quod fuerat pollicitus. Ac quo melius exprimat promissionem non in meritis vel iustitia hominum fundatam esse, bonitatem priore loco nominat: deinde fidem adiungit, quæ ex ea pendet. Summa est, Deum non exisse extra se, vt loquuntur, sed causam reperisse in gratuita sua bonitate & mero beneplacito, quod pridem Abrahæ & eius posteris testatum fecerat. Recordandi autem verbum ad sensum hominum refertur, quia diuturna suspensio quædam obliuio videri poterat. Siquidem à die promissionis vltra duo annorum millia præterierãt antequam exhibitus fuerit Christus: & interim tot malis & cladibus subinde afflicti sunt fideles, vt mirum nõ sit anxiè gemuisse, acsi a spe videndæ & fruendæ redemptionis deiecti forent. *Viderunt omnes fines terræ salutem.* [c] Hoc non tantùm ad commẽdationem spectat, acsi dixisset memorabile fore salutis genus, cuius fama ad vltimos vsque terræ fines perueniret: sed etiam significat Gentes, quæ prius suis deliriis fascinatæ fuerant, fore eius participes.

4 *Exultate Iehouæ omnis terra, resonate, & exultate, & plaudite.*

Exultate Iehouæ. [v] Vel, Iubilate Iehouæ. *Omnis terra.* [m] Quũ exhortationem hanc ad Gentes etiam dirigat Propheta, satis ostendit vnam fore Ecclesiam in toto mundo, vbi Deus dura maceria, in eundẽ fidei consensum omnes colliget. [a] Quia ergo communis est omnium Gentium salus facta per Christum, meritò Psaltes omnem terrã ad laudes Dei inuitat, & quidem studiosam. *Et exultate.* [v] Vel, Et ouate. Vel, resonate. *Et plaudite.* [a] In signum videlicet lætitiæ ob salutis nuntium, quam Deus in Ecclesia sua operatus est.

5 *Psallite Iehouæ in cithara, in cithara & voce cantici.*

Psallite Iehouæ in cithara. [a] Ardentissimum laudandi Dei studium exigit Vates, dum omne ferè genus organorum musicorum requirit, & adhiberi iubet. Nam ab hac ope quam tulit Christus, pendent omnia. [c] Interea in musicis instrumentis alludit Vates haud dubiè ad temporis sui morem. nõluit autem Gentes cæremoniis legalibus obstringere. [a] Sed hac de re vide plura Suprà, 33. a. 2. *In cithara.* [a] Hæc verborum repetitio vehementiam notat: acsi dixisset, quamlibet ardenter conentur homines celebrare mundi redemptionem, nullas tamẽ laudes gratiæ magnitudini pares fore. *Et voce cantici.* [v] Vel, Et sono Psalmi. Vel, voce cantus. Quidam vertunt, Citharæ vocem Psalmi iungite. [a] q. d. Vos modis omnibus authorẽ tantæ salutis celebrare, & dignis laudibus efferte.

6 *In tubis & voce buccinæ psallite coram rege Iehoua.*

In tubis & voce buccinæ. [v] Vel, In tubis, classicis, & sonitu cornu. [a] Vel, In buccinis & voce tubæ. *Psallite.* [v] Vel, Iubilate. *Coram rege Iehoua.* [a] Hoc est, Ante Arcam fœderis quæ diuinæ præsentiæ symbolum est. [a] Vide Suprà, 47. b. 6.

7 *Resonet mare, & plenitudo eius: orbis & qui habitant in eo.*

Resonet mare. [v] Vel, Tonet, perstrepat, fremat, reboet. Vide hæc eadem verba & Suprà, 96. e. 11.

8 *Flumina plaudant manu, simul montes exultent.*

Flumina plaudant manu. [a] Hic rebus inanimatis sensum tribuit, & manũ fluminibus per prosopopœiam. [v] q. d. Edãt signa lætitiæ more gaudentium. *Simul montes exultent.* [v] Vel, vociferentur.

9 *Ad conspectum Iehouæ, quia venit ad iudicandam terram, iudicabit orbem in iustitia, & populos in rectitudine.*

Ad conspectum Iehouæ. [a] Vel, Coram Iehoua. istud, quantum ad typum attinet, de Arca fœderis intelligendum est, de quo vide Suprà, 24. b. 7: quantum ad veritatem Christi, de præsentia Dei quæ fide Christi habetur, dum spiritus noster solidè faciem Dei nobis adeò præsentis, & vt filiis in omnibus consulentis, contemplatur. *Quia venit ad iudicandam terram.* [a] Vide aliquam huius versus expositionem Suprà, 96. e. 13.

ARGVMENTVM PSALMI XCIX.

[a] Canit & hic Psalmus bonitatem & potentiã Dei per Arcam fœderis olim repræsentatam, [c] vnde singulari priuilegio filios Abrahæ à reliquis gentibus separant, illos peculiariter ad laudes Deo canendas inuitat.

1 *Iehoua regnat, contremiscant populi, sedens inter Cherubim, contremiscat terra.*

Iehoua regnat. [v] Præteritum Hebræum pro præsenti. q. d. Dominus imperium ac regnandi vim obtinet. Idẽ principium Psalmi 97. Psalmus iste in hoc videtur à cæteris differre, quòd non extendit regnum Dei extra Iudææ fines: neque eius gratiam & beneficia vltra statum veteris Ecclesiæ. Nam in aliis Psalmis continetur vaticinium de futuro regno: hic autem Propheta nonnisi de populo Iudaico loquitur, quem opponit reliquis gentibus, ac docet salutem Dei quodammodo inclusam esse in posteris Abrahæ, quos adoptauerat in peculium suum. *Contremiscant populi.* [v] Ad verbum, contremiscent. Quidam, cõmoueantur. Alii, turbẽtur, aut expauescant. [c] Hic Propheta tantùm iubet populos contremiscere quos prius ad lætitiam vocabat. Nam quia vndique obsessi hostibus erant Iudæi, operæpretium fuit Dei potentiam apud ipsos extolli, vt scirent illius præsidio se contra omnium odia & furores semper tutos fore. Verbum [illegible], vt alibi vidimus, nunc contremiscere, nunc irasci Hebræis significat: denique refertur ad quemlibet motum, siue ex iracundia nascatur, siue ex timore. Itaque nunc intelligit Propheta Deum in liberatione electi populi virtutem patefacturum quæ conturbet omnes gentes, easque tandem sensurat quantopere insanierint in suam perniciem. Dicitur enim regnare Deus hominũ respectu dum se magnificis potentiæ documentis in sublime attollit: quia dum opem suam occultat, audacius proteruiunt increduli, acsi nullus esset. [m] Cæterùm ex hoc loco colligimus pios regni eius

Deo ac suas vendicante ita animari & confirmari, vt omnem impiorum fremitum & totius terræ tumultuationem rideant.

Sedens inter Cherubim. [v] Vel, habitator. Hoc dicit quia scriptum est, Inde præcipiam & loquar ad te, ac de medio duorum Cherubim qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ, &c. Exod. 25. c. 22. [a] Quod ad formam Cherubim attinet, imagunculæ erant alatæ, humana tamē faciei formatæ: quibus adumbratum est Deum nusquam habitare verius quàm inter humanas mentes quidem, sed quæ posita peccati mole, & sumptis alis Spiritus, in cælis versantur. *Commoueatur terra.* [v] Vel, moueatur terra. Ad verbum, commouebitur terra. Quidam, agitetur, vel ruat terra.

2 *Iehoua in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.*

Iehoua in Sion magnus. [a] Tenenda est illa, cuius meminimus, antithesis, Deum esse magnum in Sion ad perdendos & in nihilum redigendos Ecclesiæ suæ hostes. *Et excelsus super omnes populos.* [b] Hoc non ita debet accipi quasi Deus præsideat in omnium populorum salutem, sed vt dissipet eorum consilia, conatus dissoluet, totū robur euertat. [m] Acsi Propheta diceret, Non est quod terreamur quantumcunque populorum odio, viribus, insidiis, & infestatione. Etiamsi populi vniuersi quotquot terram hāc incolunt, vno impetu in nos exurgerent, nihil nobis incommodare poterunt. Nam Dominus qui in Sion habitat & in medio nostri sedem sibi delegit, viribus & potentia cunctos populos longè excellit. Ergo Propheta vt Israeli metum irruentium populorum eximat, prædicat Dei celsitudinem. Sic Christus quum de ouium suarum securitate disseréret, dixissetque, Nemo rapiet eas de manu mea, adiecit de amplitudine ac maiestate Patris, dicens, Pater meus qui dedit mihi, maior est omnibus, & non rapiet eas quisquam de manu Patris. Iohan. 10. d. 29.

3 *Confitebuntur nomini tuo magno, & terribili: sanctum est.*

Confitebuntur nomini tuo magno. [v] Quidam vertunt, Celebrabunt nomen tuum magnum & tremendum. [m] Hæc apostrophe qua Vates sermonem ad ipsum Deum conuertit, ardentis animi raptum exprimit. [b] Et quod de nominis Dei confessione dicit nonnulli ad omnes gentes referunt, sed rectius alii sentiunt Prophetam his verbis gratitudinem à fidelibus requirere. Etsi enim confessionem extorquet Deus ab hostibus deuictis, quia tamen eius gloriæ obstrepere non desinunt, ac etiam blasphemias euomere, aliis non congrueret quod dicit, Confiteantur nomini Dei, quia sanctum est. Fideles ergo propriè compellat, quòd ad Dei nomen sponte celebrandum cognitio sanctitatis eius inuitat. *Magno & terribili.* [v] Vel, tremendo. Vocat nomen Dei terribile, tanquā victoris qui hostibus suis imperat, qui ipsos cogit in ordinem, quantumuis ferociter resistant, aut saltem resistere conentur. *Sanctum est.* [v] Vel, quod sanctum est. Quidam subaudientes coniunctionem legunt, Et sanctum est. [m] Innuit Propheta nomē Dei piis quidē magnum & sanctum, iucundū & laudabile, impiis verò esse terribile. Et meritò terribilis illa potentia Dei, propter quam impii contremiscere coguntur, ab illis laudatur & celebratur qui per hāc defenduntur & asseruntur.

4 *Et robur regis iudicium diligit, tu statuisti rectitudines, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.*

Et robur regis iudicium. [v] Vel, Et fortitudo. Et potentia. Quidam vertunt, Robur est regi, qui amat iudicium. [m] Celebrat hoc versu regnum Dei omnium potentissimum à studio iudicii & iustitiæ. [a] Hoc est, rectitudinis & æquitatis. [c] Posset autem esse comminatio ad hostes terrēdos: acsi diceret Deum fortitudine armatum esse ad vlciscendas iniurias: quia iustitiam & æquitatē diligit. Sed rectius ad Ecclesiā refertur, quòd scilicet ea lege subsit Dei imperio, vt iustitiam & integritatem colat. Nō malè etiam quadraret alius sensus, nefas esse imaginari tyrannicum in Deo imperium, quia perpetuus consensus sit inter potentiam eius & rectitudinem. Sed si probè expendatur totus contextus, dubium non erit quin vbi Deum in Regis solio locauit Propheta, de modo regnandi nunc disserat. Nam addit, *Tu statuisti rectitudines.* [v] Vel, Tu apparas omnia ea rectitudine. Mutatio personæ. Ad verbum, Tu parasti æquitates. Quidam vertunt, Tu recta dirigis. Alii, Tu fecisti obtinere quæ recta sunt. *Iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.* [c] Hæc bifariam accipi possunt. Vel quòd Deus in lege sua perfectam æquitatem populo suo mandauerit, vel quòd iustitiam suam & æquitatem semper approbauerit in fouēdo & tuendo populo. Etsi autem verissimum est in Dei operibus & iudiciis semper refulsisse summam iustitiam, videtur tamen probabilius de doctrina hoc intelligi, quòd Deus qui iustitiam amat, imperii formam instituerit in populo Israel, quæ optima esset probè iustéque viuendi regula. Ita verbum facere impropriè sumetur pro mandare vel præcipere. Nisi fortè hoc postremū de ipsa Dei gubernatione seorsum accipere placeat: quod nō malè quadraret. Nihil enim ad præstandum Deo obsequium magis animat fideles, vel in studio seruandæ Legis confirmat, quam dum re ipsa experiuntur Deo se esse curæ, & quam à suis iustitiam sermone requirit, factis mutuò præstare.

5 *Exaltate Iehouam Deum nostrum, & adorate ad scabellum pedum eius, sanctum est.*

Exaltate Iehouam. [a] Commodùm ad ea quæ Superiori versu cecinit pios hortatur, vt Deum sic præsidentem, & omnia optimè instituentem religiosè colant. [c] Hæc autem exhortatio ad solam Ecclesiam propriè dirigitur, vt Dei gratiam experta, eo se alacrius ad cultum pietatis addicat. [m] Nam extollere Deum non est re ipsa ex humili sublimem reddere, sicut ipse humiles exaltat, (nihil enim potest illi à nobis accedere, vnde sublimis reddatur, quum in se sit sublimior omnibus) sed est illum primùm in cordibus nostris, deinde & coram omnibus laudando & prædicando, denique & viuendo, faciendo & patiendo, extollere & deprædicare. Quousque? Quousque in seipso est gloria, potentia, maiestate & bonitate exaltatus. Exaltatus est autem super omnia, ergo & à nobis debet extolli super omnia. Extollimus eum super omnia, quando eum omnibus amando, æstimando, prædicando, adhærendo &c. præponimus. Affectus hic exaltādi Dominum Deum nostrum planè inexplicabilis est. *Deum nostrum.* [a] Hoc est, qui se Patribus nostris patefecit, & fœdus cum illis ac cum eorum semine pepigit, qui etiam tot beneficiis nos hactenus prosecutus est. [c] Ergo Propheta Iudæos ad Deū qui tam præclarè illis opitulatus est, extollendum incitat, & iubet cultum in lege mandatum offerre.

Et adorate ad scabellum pedum eius. [v] Vel, Et incuruate vos scabello pedū eius. Id est, in tēplo, vt Chaldæus Paraphrastes conuertit. Hebræi scabellū pedū Dei intelligunt Arcā super quā præsentiā suam exhibebat Deus. [m] Sic vocatur & 1. Paralip. 28. a. 2. Et Thren. 2. a. 1. [a] Porro Dominus certum locum ideo nomini suo cōsecrauit, vt religionis sinceritas melius in populo conseruaretur, ac Christianæ Ecclesiæ ad cælos vndique inspiranti & contendenti præluderetur. [c] Itaque quod ad Templum attinet, vocatur quidē sæpe alibi Dei sedes, vel domicilium, vel requies, aut domus habitationis. Quòd autem hic vocatur scabellum pedum eius, optima est huius metaphoræ ratio. Voluit enim Deus ita habitare in medio populi, vt non teneret defixas mentes in externo Templo & Arca fœderis, sed sursum potius attolleret. Ergo domus vel habitationis nomē ad fiduciā valuit, quo familiariter pii omnes accedere ad Deū auderent, quem videbant vltro sibi occurrere. Sed quia procliues sunt hominum animi ad superstitionem, vitium hoc corrigi oportuit, nequid de ipso Deo carnale vel terrenū conciperent, neque subsisterent in externis signis. Propheta ergo Templum vocās scabellum pedum Dei, pios altius cōsurgere iubet: quia immensa sua gloria cælum & terram replet. Ierem. 23. c. 24. Hoc tamen modo admonet non alibi quàm in monte Sion legitimum Deo cultum præstari. Nam stylū ita temperat vt pias mentes supra mundum attollens, nihil tamen deroget sanctitati Templi quatenus locū illum in terra vnum elegerat Deus, vbi inuocaretur. Hinc videmus quam frustra post Augustinum multi se torqueant, quomodo iubeat Propheta adorari scabellum pedum Dei. Subtilis est Augustini responsio, Si ad Christum hominem respicimus, inquit, inuenta est ratio qua piè adoretur scabellum Dei. Corpus enim assumpsit ex terra in quo vult adorari: neque tamen aliud quàm Deus adoratur in terra hac: quia & terra Deitatis est habitaculum, & Deus ipse terra fieri dignatus est. Sed nihil hoc ad Prophetæ mentem, qui discrimen ponere volens inter legalem cultum (quem solum Deus probabat) & Gētium superstitiones, filios Abrahæ ad Templum tanquam ad vexillum euocat: vbi tamē spirituali modo colere Deum iubet, quia cælestem gloriā inhabitat. Nunc vmbris abolitis fatemur non aliter Deum coli, nisi vbi nos rectà ad Christum conferimus, in quo habitat plenitudo Deitatis, Coloss. 2. b. 9. Sed impropriè & absurdè scabellum quis vocaret, quia hac loquendi forma docere Propheta voluit, Deum visibili templo minimè inclusum esse, sed quærendum esse supra omnes cælos, sicuti toto mundo superior est. Nimis puridè verò abusi sunt hoc loco phrenetici Græcorū Episcopi in secunda synodo Nicena vt probarent Deum in statuis & picturis adorandum esse. *Sanctus est.* [v] Vel, sanctus ipse. [c] Hæc causæ redditio antithesim continet. Nam Propheta nomen vnius Dei sanctificans, profanat omnia Gentium idola: acsi diceret, Quamuis suis idolis imaginariam sanctitatem arrogent Gentes, sunt tamen mera vanitas, abo-

minimo, & sterquilinia fœtoris plena. Alii vertunt, Quia sanctum est. Sed patebit ex fine Psalmi, Prophetæ fuisse cōsilium hoc epitheto Deum ab omnibus idolis discernere.

6 *Moses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter inuocantes nomen eius: clamarunt ad Iehouam, & ipse respondebat eis.*

Moses & Aaron. [b] Vt melius persuadeat & commendet peculiarem Dei gratiam erga populum Iudaicum, [a] proponit fidelibus exemplum Mosis, Aharon, & Samuelis, qui præcipui fuerunt inter sacerdotes & Dei cultores. [c] Nam hac nota cōmendatur peculiaris gratia, qua Deus semen Abrahæ dignatus est, quòd inde sibi delegit Prophetas & sacerdotes, qui ad sanciendum salutis fœdus quasi intermedii sponsores forent. Ac tres quidem nominat Propheta, qui primis temporibus excelluerunt. Moses enim ad populum Deo conciliādum fuit quasi stipulator: Aaron eodem functus est officio: postea Samuel eandem sustinuit personam. Neque tamen dubium est quin sub his tribus personis cōplexus sit totum populum cum quo Deus fœdus pepigerat. Sed nominatim hos recenset qui huius incomparabilis thesauri fuerant depositarii & custodes. *In sacerdotibus eius.* [m] Aharoni datam fuisse sacerdotii functionem legimus, de Mose non legimus quòd sacerdos fuerit. [c] Imò eius filii tantùm fuerunt inter vulgares Leuitas, ipse verò post Legem datam summi sacerdotii honorem nunquam vsurpauit. [m] Sed nodus hic facilè soluetur si dicamus Hebræam dictionem כהן hoc loco nō simpliciter sacerdotii, sed ministerii significationem habere, sicut etiam ministrum in se significat. [v] Vnde & pro vulgaribus Leuitis, & pro primariis hominibus vox כהנים accipitur, quales erāt filii Regum, quemadmodum filii Dauidis hoc nomine appellantur, 2.Sam.8.d.18, & 1. Paralip.18.d.17. qui tamē nec sacerdotes fuerunt, nec esse potuerunt. [a] Quare nihil impedit quominus Mosen hoc nomine insignierit Propheta, acsi dixisset vnum ex sacris Ecclesiæ proceribus. Deinde si ad primā originem respicimus, Moses certè, antequam Lex lata esset, summo sacerdotio fuit præditus. Tenendum autem Prophetæ consilium est, quòd Deus non modò adoptauerit genus Abrahæ, sed, quo certior esset fides fœderis, quosdā voluerit esse mediatores, quibus inuocandi sui nominis partes iniunxit. Nā inuocatio cuius meminit, non quælibet intelligenda est, sed sacerdotalis: nempe quia internuntii erant diuinitus electi, qui totius populi nomine in Dei conspectum prodirent, ac pro omnibus verba facerent.

Et Samuel inter inuocantes nomen eius. [m] Non denegat his verbis Samueli sacerdotium, acsi à Mose & Aharone seiungeretur. nam & ipse sacerdotio functus est, ex tribu Leui natus, 1.Paralip.6.b 28. Sed Propheta potius ad inuocationem sacerdotali officio cōiunctam respicit: sicuti paulò ante dictum est. *Clamarunt ad Iehouam.* [v] Vel, Inuocabant Iehouam. His verbis exprimit quid sit illos fuisse inter inuocantes nomen Dñi, nempe illos orasse Dominum pro eius populo. Totius populi erat inuocare Dominum: sed (sicuti iam attigimus) erat quædam propria inuocatio sacerdotalis. Nā sacerdotes benedicebant populo: preces etiam concipiebāt nomine totius populi: in summa erant quasi mediatores inter Deum & populum. *Et ipse respondebat eis.* [c] Apertius explicat quod iam diximus, Deum singularibus beneficiis ab initio prosecutū fuisse Abrahæ filios, idque gratuiti æterni fœderis respectu. Nam quotquot vnquam in Iudæos contulit beneficia, ex fonte illo manabant. Ideóque quoties experti sunt Deum propitium, primæ illius gratiæ memoriam renouare illos oportuit. [v] Certè qui hic à Propheta recēsentur, tantum in placādo Deo valuerunt, vt & ipse de Mose & Samuele, tanquam de præcipuis hac in re, dixerit per Prophetam, Si steterint coram me Moses & Samuel, nō est mihi animus ad populum istum, Ierem.15.a.1. [m] De Mose quidem multi sunt in Scriptura loci, quibus Dominum inuocasse, responsumque ab illo obtinuisse legitur. De Aharone legimus Numeror.16.g.47, quòd ad Dominū pro populo orauerit, exauditusque sit. De Samuele perspicuus locus est 1.Samu.7.b.8.c.9. In genere de his Propheta loquitur, dicens illos ad Deum clamasse ac exauditos ab eo fuisse.

7 *In columna nubis loquutus est ad eos, custodierunt testimonia eius, & statutum quod dedit illis.*

In columna nubis. [v] Hoc de Mose & Aharon notissimum est, quibus in caligine Deus loqui consueuerat. [m] Qua de re vide Exodi 33.b 9. [c] Disertè autem visibile columnæ nubis symbolum commemorat Propheta, quo Deus testatā in omnes ætates suam præsentiā voluit: sicuti temporalibus signis vsus est Deus non modò in eorum gratiam quibus exhibita fuerunt, sed qui deinde sequuti sunt. Quamuis ergo Deus non semper columnam nubis obtulerit oculis veteris populi, quia tamē ea est hominum tarditas vt Dei præsentiam non sentiāt nisi admoniti externis signis, Propheta meritò reuocat Iudæos ad memorabile hoc pignus: quia Deus Patribus in deserto palàm apparuerat, vt certò persuasi essent posteri eū sibi quoque propinquum semper fore. *Custodierunt testimonia eius.* [m] His verbis pietatem ac religionem sanctorum Patrum populo Dei Propheta in eo commendat, quòd testimonia & præcepta Dei (sic Legem Dei vocat) studiosa pietate custodierint. [a] Hoc autem Ideo facit vt alias ætates sub eodem obsequio contineat, [v] & vt ostēdat quare exauditi fuerint: nimirum quia ex fide & corde sincero Deum inuocabant. erant enim tum pauci Dei cultores, qui seruabant Legē ipsius. [a] Proinde si preces nostras in Sanctuariū Dei peruenire volumus vt exaudiātur, omnes nostras cogitationes & actiones ad Legis diuinæ præscriptū instituamus oportet. Vide Esa.1.d.15, & Iohan.9.f.31.

8 *Iehoua Deus noster, tu respondisti illis, Deus, propitius fuisti illis, & vltor super opera eorum.*

Iehoua Deus noster. [c] Confirmat Psaltes quod modò diximus, Mosen & Aaronem exauditos fuisse, quia mutuus erat inter Dei gratiam & eorum pietatē consensus. Ergo sequitur eorum exemplo posteros sic debere Deum inuocare, vt nō modò eius nomen in supremis labris resonent, sed sincero affectu custodiāt eius fœdus. Interea admonet, quòd Deus non tā benignè & largiter gloriā suā illustrat omnibus seculis, hominum culpa id accidere: quia posteritas vt plurimum à fide patrum vel desciscit, vel certè declinat. Nihil enim mirū, vbi refrigescit pietas in mundo, Deum quoque manum suam subducere, vel saltem exerere tam illustri modo. *Tu respondisti illis.* [v] Vel, Tu exaudiebas eos. [m] Ardēti affectu clementiam Dñi extollit. Nā & apostropha ad Deum vtitur, & secundò repetit viros illos insignes non frustra Deum inuocasse. *Deus propitius fuisti illis.* [a] Sunt qui hoc ad tres illos restringunt, quorū nomina versu sexto expressa sunt. [a] Sed rectius alii ad totum populum referunt. Notat enim Propheta Ecclesiæ statum, quòd scilicet Deus ad sacerdotum suorum preces Iudæis fuerit propitius, & tamen seuerè animaduerterit in eorum peccata. Nam sequitur, *Et vltor super opera eorum.* [v] Vel, Et vltionem capiens de operibus eorum. Vel, Et vindicans opera eorum, vel, studia. Id est, adinuentiones quas illi excogitabant in perniciem eorum, & vindictam sumens ob iniuriam ipsis illatam. [a] Ergo Propheta ab vna parte celebrat Dei gratiā, quum tam indulgenter populū illum fouerit, ac tam clemēter pepercerit eius delictis: ab altera autem parte commemorat tremēda exempla, quibus vltus est eorum ingratitudinem, vt posteri se ei obedienter subiicere discant. Semper enim tenendum est, quo liberalius nobiscum agit Deus, eo minus ferre vt ludibrio sit eius liberalitas.

9 *Exaltate Iehouam Deum nostrum, & adorate ad montem sanctitatis eius, quia sanctus Iehoua Deus noster.*

Exaltate Iehouam Deum. [a] Hic eadem habet quæ versus quintus, paucis exceptis. *Et adorate ad montem sanctitatis eius.* [c] Pro scabello pedum ponit montem sanctitatis. [m] Nam mons Sion Suprà, 2. a. 6, & aliis plerisque locis sanctus dicitur, eo quòd Deus illum cultui suo consecrauerat. *Quia sanctus Iehoua Deus noster.* [c] Quod propter breuitatem obscurius antea dixerat Sanctus ipse, vel, Sāctus est, nunc plenius explicat. Vult enim Deum non fortuitò coli ab Israelitis (sicuti Gentium religio à sola opinione pendebat) sed eius cultum in fidei certitudine fundatum esse.

ARGVMENTVM PSALMI C.

[a] Inuitantur fideles ad laudandū Deum in sacro cœtu, [a] quòd eos sibi elegerit in populum, & in suam curam susceperit.

1 *Psalmus ad laudandum. Exultate Iehouæ omnis terra.*

Psalmus ad laudandum. [v] Vel, pro laude. sub. diuinæ misericordiæ. Decantabatur enim hic Psalmus quum offerrebant sacrificium hostiæ pacificæ pro impetranda Dei gratia. Alii vertunt, Ad agendum gratias. Siue, Pro gratiarum actione.

Exultate Iehouæ. [a] Vel, Iubilate Iehouæ. *Omnis terra.* [a] Vel, Quicunque inhabitatis terram. [m] Hortatur fideles & aduocat, vt cum gaudio, exultatione, gratiarum actione & laude in conspectu & atriis Domini Dei sui appareant omnes.

2 *Seruite Iehouæ in lætitia: venite in conspectum eius in exultatione.*

Seruite Iehouæ in lætitia, [b] Vel, Colite læti Iehouam. [c] Partem duntaxat cultus Dei attingit, quæ in reputandis eius beneficiis & gratiarum actione sita est. Quia autem promiscue compellat totam terram, videtur Spiritu Prophetico ad tempus respexisse quo ex variis Gentibus colligenda erat Ecclesia. [a] Quanquam nonnulli hoc loco omnem terram pro terra Israelis tantùm accipiunt. [c] Iubet autem Propheta Deum in lætitia coli, significans ita beneficum esse erga suos vt largam gaudii materiam eis suppeditet, sicuti versu sequenti exprimitur. *Venite in conspectum eius.* [v] Vel, Ingredimini coram eo. *In exultatione.* [v] Vel, Cum exultatione, Cum ouatione. Quidam vertût, Prodite in conspectum eius cum iubilatione. vel, clamore vehementi.

3 *Cognoscite quòd Iehoua ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos: populus eius & grex pascuorum eius.*

Cognoscite quòd Iehoua ipse. [i] Q. d. Agnoscite, Dominum illum qui cuncta condidit, esse verum Deum, nullum alium pro Deo colite. solus enim hic est in quem competit deitatis nomen. Hic Propheta hominum audaciã castigat, qui sibi & plures deos & multiplices eorum cultus fingendo, perpetuò a verbo Dei desciuerãt. Quoniam ergo deorum turba obruit ac sepelit veram vnius Dei notitiam, eiusque gloriam lacerat: meritò admonet Propheta cunctos mortales vt ad sanam mentem reuersi Deum suo honore spoliare desinant: & eorum amentiã coarguit, quòd non contenti vno Deo, in suis cogitationibus euanescant. Nam vtcunque verbo fateri cogãtur omnes, esse aliquem Deum cœli & terræ opificem, mox tamé eius gloriã huc & illuc distrahunt. Atque hoc modo ipsa diuinitas, quantum in ipsis est, redigitur in nihilũ. Quum ergo res arduí negotii sit, retinere homines in puro Dei cultu, non abs re à rõlue vanitate Propheta mundũ reuocans, cognoscere iubet quòd Deus sit Deus. Tenẽda enim est breuis eius notitiæ definitio, dum sciliret ut integrum relinquitur ius suum, nec opponitur vlla dextus quæ eius nomen obscuret. In Papatu quidem relinquitur ei suum nomen: quia tamen eius gloria in duabus syllabis minimè inclusa est, certũ est pro Deo non agnosci. Sciamus ergo non stare rectum Dei cultũ donec correcta fuerit impia gloriæ eius profanatio, quam impuræ superstitiones secum afferunt. *Ipse fecit nos.* [c] Iam Vates singulare Dei beneficium prædicat, in quo reputãdo fideles præcipuè suam operam vult consumere. [m] Nam ù tute creationis Deum vnum esse colligere possumus. Si autem Deus ille est & Dominus qui fecit nos, ergo Deus non est qui non fecit nos. *Et non ipsi nos.* [m] Sub. fecimus. Alii legunt, Et ipsius sumus. acsi Propheta diceret non esse nos in alicuius potestate, nisi eius qui fecit nos. [a] Sed vsitatior est altera lectio. vnde colligimus non posse nos nostris ipsorum necessitatibus sufficere, nec id quod cõditi sumus mutare. [c] Videtur quidam hoc esse nimis vulgare, quòd Deus nos fecerit, & non ipsi nos: sed vt taceamus de communi ingratitudine, quòd vix centesimus quisque seriò vitam suam Deo acceptam refert, quanuis dum vigentur non negent se de nihilo creatos esse, quisque tamen sibi Deus est, & seipsum adorat, dũ arrogãt omnes suis viribus quod Deus suum esse pronuntiat. Deinde tenendum est, Prophetam non de communi creatione hic agere, vt alibi diximus: sed de spirituali regeneratione, qua imaginẽ suã in electis refingit. Solos ergo fideles hic Propheta docet esse opus Dei, non quatenus in vtero formati sunt homines, sed quo sensu Paulus vocat eos ποίημα Dei, quia cõditi sunt ad bona opera quæ præparauit vt in illis ambulent, Ephes. 2.b.10. Idque ex contextu melius liquet, *Populus eius & grex pascuorum eius.* Nam his verbis specialem gratiam notat, qua sibi Deus in peculium segregauit filios suos, vt eos tanquam sub alis foueat. Quod multo præstantius est quàm homines nasci. Iam siquis gloriesur se factum esse hominem à seipso: quis non detestetur tam putidum sacrilegium? Nec verò tribuere terrenis partibus hoc licet, quòd nos propria virtute genuerint. Quid enim efficeret putridum semen? Atqui non dubitat maior pars spiritualis vitæ laudem adserrahere. Quorsum enim tendunt liberi arbitrii præcones, nisi vt persuadeãt propria industria nos consequi vt filii Dei ex filiis Adæ simus? Atqui Propheta populum Dei nos vocando, gratuita eius bonitate nos spiritualiter regenitos esse docet. Per gregem verò pascuorum significat eadem gratia nobis saluum manere vsque ad finem quod semel datum est. Potest etiam secus legi, Facit nos populum suum & gregem pascui tũ suorum: sed quia non mutatur sensus, retinuimus quod u agis receptum erat.

4 *Ingredimini portas eius cum laude, atria eius cum exultatione: celebrate eum, & benedicite nomini eius.*

Ingredimini portas eius. [a] Ad id quod in sacris cœtibus debet esse præcipuum, hortatur iterum, [m] ac populum inuitat, vt instar ouium per portas tabernaculi Dei, velut septa sua, ingrediatur, ibique Domino sacrificia laudis & gratiarum actionis offerat, ac nomini eius benedicat. *Atria eius.* [a] Atriorũ meminit quia illic cõueniebat plebs. [c] Hortatur ad legalé cultum, simpliciter tamen admonens non aliter rite defungi fideles in gratiis Deo agendis, nisi etiam in solenni pietatis professione se exercerẽt. Interea templi seu atriorum nomine significat Deum nolle nisi ex Legis suæ præscripto coli. *Celebrate eum.* [a] Vel, laudate eum. *Et benedicite nomini eius.* [m] Repetitione vtitur. nihil enim aliud est benedicere nomini Dei quàm laudare Deum, nisi quòd posterius prioris expositionem continet.

5 *Quoniam bonus est Iehoua, in seculum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.*

Quoniam bonus est Iehoua. [a] Versus hic vltimus exhortationis rationem habet. [c] Nam vt sciamus assiduam nobis præberi materiam laudandi Dei, [a] Propheta illum bonũ & benignũ esse in omnes, idque perpetuò, prædicat. *In seculum misericordia eius.* [v] Quidam, In sempiternum perennat bonitas eius. *Veritas eius.* [v] Vel, Fides eius. Vox Hebræa significat veritatem & constantiam promissionum. [c] Dicit ergo misericordiam Dei manere in secula, veritatẽ quoque eius esse perpetuã, nec vnquam desinere. Quum igitur nobiscum ita agere non desinat, plusquam turpe nobis esset in soluendo laudis sacrificio defatigari. Porro veritatem adiungit misericordiæ, quia, vt sumus insipidi, misericordiã Dei, dum se palam exhibet, ne palpando quidem sentimus, donec sacrum os suum ad testandũ nobis paternum amorem aperiat. Qua de re nõnulla diximus Suprà, 89. a. 1, & 92. a 3, & 98. a. 3.

ARGVMENTVM PSALMI CI.

[a] Quum nondum in regni possessionem venisset Dauid, sciens tamen se à Deo regem creatum esse, [b] officio pii sanctique principis functurum se pollicetur: [c] atque hac pia meditatione non solum se ad præstandum regium munus extimulat, sed votum Deo nuncupans, fidelem se eius ministrum fore promittit, vt maturam impetret possessionem.

Dauidis Psalmus.

Dauidis Psalmus. [m] Sunt qui putant Psalmum compositum fuisse tẽpore exilii Dauidis, siue quũ à Saule exagitaretur, siue quum à filio Absalomo profligatus esset. Et sane exprimit hoc Psalmo non modò spem futuræ restitutionis, sed & propositum religiosè, piè, & iustè, vbi quietam regni possessionem adeptus esset, cum erga Deum, tum erga subditos conuersandi, ita vt expressum hic sit pii ac boni principis exemplum.

2 *Clementiam & iudicium cantabo, tibi Iehoua psallam.*

Clementiam & iudicium cantabo. [a] Vel, Bonitatem & iudicium cantabo. [i] Quidam, De bonitate & æquitate cantabo. Alii, Misericordiam & iudicium cantabo. [c] Hebraismus, acsi Dauid diceret, Ego profitebor hoc Psalmo quod apud me meditatus eram, qualis scilicet rex futurus sim simulac promissum solium adeptus fuero. Cantare ergo clementiam & iudicium, tãtundem valet ac testari solenni verborum nuncupatione, se fore iustum & æquum regem. Quidam subtiliter accipiunt, quòd laudandus sit Deus, siue homines seuerè puniat, siue misericordem se illis præstet. Sed Dauid hic non de arcanis Dei iudiciis, sed de legitima regni administratione cõcionatur, vt tã verbis quàm factis suæ vocationi respondeat. [v] q. d. De clementia & æquitate quam in administratione regni omnibus exhibebo, memorabo. [c] Non abs re autem regias virtutes duabus his partibus complectitur, clementia & iudicio. quia sicuti præcipuum regis munus est, suum cuique ius reddere, ita solicitus erga suos amor & humanitas in eo requiritur. Nec abs re dicit Salomo clemẽtia stabiliri solium, Prouerb. 16. b. 12. *Tibi Iehoua psallam.* [c] Hic Dauid Dei beneficio se agnoscit ad tam præclarum & honorificum munus esse destinatũ: quia superbæ temeritatis fuisset vltro se ingerere. [a] Præterea vt prædictæ virtutes à Domino donantur, ita eius duntaxat debent gloriæ inseruire, nec in aliud memorari quam ut subinde laudetur, pluribus ad similia studia incitatis. quasi subiicit pius vir se Iehouæ cantaturum.

2 *Prudenter agam in via perfecta, donec venias ad me: ambulabo in integritate cordis mei in medio domus meæ.*

Prudenter agam. [V] Ad verbum, Intelligam, Prudenter me geram. Alii paraphrasticè, Prudenter me habebo, vitam vivens innocentem. [C] Hic significat David probè se expendere quàm difficile sibi onus sit impositum vbi rex creatus est. Scimus, & experientia docet, omnes ferè reges suo splendore esse ebrios: nec prouerbiũ illud temere olim in vsu fuit, Aut regem, aut fatuum oportuit nasci. Malè quidem interpretabantur, quia scilicet vt plurimum contingit eos qui rerum potiuntur, stultos esse & fatuos. Et certè notabilis est Dei vindicta, quòd bestiæ, & indigni qui cẽseantur in hominũ numero, summa imperia vt plurimũ occupent: sed quamuis reges non nascantur stulti, eos tamen excæcat sua dignitas, nequid se debere cogitẽt suis subditis, vt se insolẽter efferant, securè se demergant in suas delicias, tandémque sui obliuiscantur. Prudentem ergo se acturum (vel, quod idem valet) summopere attentum fore prædicat: quia rara virtus est, eum qui omnia potest, ita esse temperãtem, vt nihil sibi licentiæ permittat. Qui ergo summo imperio præditus nõ tẽtat male agendo quid possit, sed seipsum frænat sua modestia, vera intelligentia præditus est. Denique testatur se aliis regibus non fore similẽ, quos infatuat sua dignitas: sed pro magnitudine oneris curam se adhibiturum vt intelligenter munus suum impleat. *In via perfecta.* [V] Id est, Dabo operam vt inculpatè viuam. Ego vitæ integritati studebo. [C] Notandum hic est quòd David prudentiam in viæ perfecta siue rectitudine statuit. Vnde colligimus secundum Deum minimè sapere tyrãnos qui ingenium suum ad prauas astutias conferunt, nouas artes quotidie excudunt onerandis & grauandis subditis: denique nonnisi ad nocẽdum acuti sunt. Vt talis vafrities multis displiceat, certè hæc regum censetur optima prudentia & summis laudibus extollitur, si ad propagandos suos fines sint attẽti, & exquisitis etiam artificiis polleant. Atqui non aliam sibi prudentiam appetit David quàm quæ sit integritatis magistra. *Donec venias ad me.* [V] Vel, Interea dum venias ad me. Vel, Vsquedum ad me venias. Id est, Licet adhuc priuatus degam, nec fruar dignitate promissa, nihilominus studebo integritati vitæ, vsque ad diem illũ in quo præficies me regno, vt promisisti. [C] Alii interrogatiuè vertunt, Quando venies? acsi peteret David non se differri in longiorem moram. Et certè iusta ei gemendi & expostulandi fuit ratio, quum tamdiu se inopia premi & miserè per diuersa exilia iactari videret. Præstabat enim, vt homo antè pecuarius fuerat, ignobilẽ degere in tugurio patris, quã regem vngi vt à patria reiectus in summo dedecore & odio ageret. Altera tamen lectio melius quadrat, vt legamus vsquedum, vel quando, hoc sensu, quòd David quamuis adhuc maneat priuatus homo, needum sibi promisso iure regio fruatur, sectari tamẽ interea integritatem nõ differet. Q.d. Domine, quamuis me longius suspensũ teneas, ego nihilominus integritati studebo. *Ambulabo in integritate cordis mei.* [H] Hoc est, Versabor corde integro. Conuersabor in perfectione cordis. *In medio domus meæ.* [V] Hoc est, quãdiu priuatus egero domi meæ. [C] Medium domus suæ palatio & regiis ædibus opponit: acsi diceret, Intra priuatos parietes ego colam integritatem. [H] Certè qui ex corde est integer, non solùm in oculis mortalium, aut dignitate aliqua præditus, sed & in ipsis domus suæ penetralibus & priuatus rectè & integrè conuersabitur.

3 *Non statuam coram oculis meis rem peruersam: opus declinantium odio habebo: non adhærebit mihi.*

Non statuam coram oculis meis rem peruersam. [V] Vel, impiam. Hebræi accipiunt hanc dictionem Belial pro homine maligno, pessimo, atque improbissimo, quo tanquã scelerum suorum ministro vtitur diabolus. Accipitur item pro impietate & quacunque nefaria re. [C] Postquam David professus est se in priuata vita probitatis & iustitiæ cultorem fore (sicuti etiam bonos principes hinc auspicari decet) nunc addit se in gerendo principis officio hostẽ fore iniustitiæ & sceleribus. Rem enim peruersam coram oculis ponere tantundem valet, ac sibi proponere aliquid impiè agendum. Auersum igitur ab omni scelere se fore pronuntiat: vt certè nemo iustus & æquabilis erit iniustitiæ vltor nisi qui ab ea penitus ex animo abhorret. Vnde sequitur nõ præstare officium reges, nisi pura sint ab omni prauo consensu. Quidam מעשה simul contexunt, subaudientes literã ל, acsi dixisset, Non proponẽ mihi quicquã impiè agendum. Vel, Nulla prauitas mihi allubescet, vt eam exequar. Sed alter sensus probabilior est, quòd vbi testatus est David se nihil iniquitatis coram oculis suis passurum, nunc ad confirmationem addat, se inimicum fore omnibus maleficiis. *Opus declinantium odio habebo.* [V] Ad verbum, Facere declinantium. Infinitiuus pro nomine. Id est, opus eorum qui deficiunt à Deo. Hoc est, opus obliquum & tortuosum. [C] Si ad personas declinantium referas, erit numeri mutatio. Potest tamen de opere ipso commodè exponi: acsi dixisset, nullis impiis defectionibus se fore affinem. *Non adhærebit mihi.* [A] Significat se ex animo inimicum fore omnibus maleficiis. [B] Q.d. Opus prauum ac peruersum odiui, non hærebit mihi vel in animo quidem. Hic nãque omnibus voluit testari, se ab iis quæ praua & flagitiosa sunt, animo suo abhorrere.

4 *Cor prauum recedet à me, malum non cognoscam.*

Cor prauum recedet à me. [B] Hoc nonnulli ad perfidos & malæ fidei homines extẽdunt, acsi diceret David, Quicunque sunt peruersi corde atque improbi, facessant à me. [A] nam abhorrebo ab omni vitio scelerato ac flagitioso. [C] Sed David potius affirmat his verbis operã se daturũ vt sibi caueat ab õni maleficio: & quid sit proximis iniuriã facere, nesciat. [V] q.d. Ego ero & corde sincerus & opere rectus: nõ concipiam apud me quicquam sceleris, neque etiam manibus exequar. *Malum non cognoscam.* [A] Hoc est, Abhorrebo ab omni maleficio & iniuria. [A] Nã per cognitionem siue agnitionem mali, significat David se omni studio animi & affectu repugnaturum maleficiis. Dicimur enim agnoscere siue cognoscere quod appetimus, & quò animi nostri cupiditas nos rapit: sicuti quum aliquid refugimus, dicimur non cognoscere.

5 *Detrahentem clam proximo suo, hunc disperdam: elatum oculis & largum corde, hunc ferre non potero.*

Detrahentem clam proximo. [V] Vel, In secreto. Vel, in occulto. [H] Hoc versu apertè exprimit quo animo futurus sit aduersus delatores superbos & fastuosos, fraudulentos, mendaces & impios, & quæ iniqua sunt operantes. [C] Atque ita clarius disseritur de regis officio, qui gladio armatus est ad coercendos improbos. Nam etsi meritò bonis omnibus displicẽt obtrectatio, superbia, & alia vitia, non est eorum cuiusque è medio tollere superbos vel obtrectatores: quia non sunt instructi publica potestate, sed manus habẽt ligatas. Atque hæc distinctio tenenda est, vt in modestia se contineant filii Dei, nec quisquam vocationis suæ fines transiliat. Nam certè quãdiu priuatus vixit David, nunquam ausus fuisset hoc tẽtare: sed solio impositus gladium sumpsit è manu Dei, quem ad vlciscenda maleficia exerceret. Species autem quasdam designat, vt per synecdochen significet se omnium scelerum fore vindicem. Pestis apprimè noxia est, clancularia & furtiua detractio. Perinde enim est acsi quis hominem per insidias occidat. imò calumniator, non secus ac veneficus, incautos opprimit. Atque hoc signum est peruersæ & proditoriæ naturæ, ita lædere alterius famam vt non sit defensioni locus. Malum ergo hoc quia nimia passim grassatur, & tamen minimè est tolerabile in hominum vita, David vlciscendũ suscipit. [H] Quin exemplo monet, principi & magistratui non esse ferendum obtrectationis seu delationis vitium. Et obserua Davidem non dixisse, Eum qui me defert proximo suo disperdã, sed, Eum qui clam proximo suo detrahit. Ergo pius princeps non tam cõtra eos exacerbatur à quibus ipse defertur, quàm contra eos qui proximos suos ipsi deferunt. Eo enim non tam est suspicax quàm cõmunis iustitiæ vindex. Peccant quidem qui vndique sunt qui principibus suis detrahunt (neque enim immeritò Lex clamat, Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices, Exod. 22. d. 28) verùm non est in eo pô, boni ac iusti principis argumẽtum, si in eos animaduertat è quibus ipse defertur: sed in eo, si non præbeat delatoribus aures, sed in eos acriter animaduertat. Porro aduerbiũ Clàm pulchrè delatorum ingenium, & obtrectationis pestẽ exprimit. Quid enim perniciosius esse potest, quàm sic ferire proximum, vt pereat antequem percussum se sciat, nec detur vulnus vel prohibere ne inferatur, vel vbi illatum est, curare ne perdat? *Hunc disperdam.* [V] Vel, succidam, conficiam. [H] Non ait, Hunc non audiam, Vel, non diligam, Vel, ad me non admittam: sed quia publicã personam, & gladium malorum vltorem gestaturus erat, significat se nõ solùm nõ auditurum delatorẽ, sed etiã perditurũ vel, secundũ Hebrææ vocis significationẽ, succisurum. Hoc est, vel ex aula & domo sua eiecturũ, vel, si res postulet, ex mortalium vita excisurum. Nam & Lex ipsa falsos testes morti adiudicabat, Deut. 19. d. 16. 21. Certè arduum est, & indefessæ vigilantiæ, sic huic malo resistere vt nusquam obrepat. Quin & David ipse non planè præstitit quod proposuerat. Etenim per Sibam seruum Miphiboseth heri sui delatorem, deceptus est, quem tamen non exterminauit, 2. Sam. 16. & 19. *Elatum oculis & largum corde.* [C] Superbos duabus loquẽdi formis notat. Altera

oculis vocat, non quòd supercilia attollat quisquis superbus est: sed quia vt plurimū elato vultu produnt superbi animi sui altitudinem. Vocat latos corde, quia inflatos esse & turgidos necesse est qui ad res magnas aspirāt. Nihil enim illis satis est, nisi degluriant totum mundum. [c] Atque hinc colligimus nō vigere rectum ordinem nisi principes reprimendæ superbiæ sedulò inuigilent, quæ secum necessariò & ferociam & crudelitatem trahit, parit contumelias, rapinas, & quoduis iniuriæ genus. Ita fiet vt simplices & quieti homines potentiorum libidini expositi sint, nisi opposita principū authoritas, eorum audaciam arceat. Iam quum velit Deus piis regibus detestabilem esse superbiam, certum est ei perinde exosam esse: ideóque à filiis suis placidam mansuetudinem requirit, quia professus est eorum omnium hostis qui emergere altius conantur quàm ferat ipsorum cōditio. [v] De elatis oculis & lato corde vide Prouerb. 21. a. 4, & Esa. 2. c. 11.

6 *Oculi mei ad veraces terræ, ut habitent mecum: ambulans in via perfecta, hic ministrabit mihi.*

Oculi mei ad veraces terræ. [i] Vel, fideles terræ. [v] Hoc est, Oculi mei obseruabūt eos qui bona fide versantur in terra. [c] Hic Dauid ponit aliam virtutē cordati principis, sibi fore curæ dicēs vt familiares sibi reddat veraces terræ, eorumq; vtatur opera, & vt integros habeat ministros. Quidā generaliter accipiunt hanc particulā, *Vt mecum habitent*, hoc sensu, Non negligā bonos & innoxios: neq; patiar iniustè vexari, sed faciā vt trāquillo statu mecū fruātur. Sed potius significat sibi delectū fore, ne promiscuè assumat hos vel illos, sed prudenter qualis sit quisque discernat, vt coniunctissimos sibi habeat qui integrè viuunt, eósque publicis muneribus præficiat. Ac veraces primo loco ponit, quia etiamsi quis virtutibus excellat, nisi tamē fidei & integritati sit deditus, nunquam rectè in iudiciis versabitur. Hoc autem notatu dignum est, quia licet optimus sit princeps, nisi tamen respondeant ministri, eius innocentia vix ad subditos perueniet. Nam quum ministri sint principū manus, quicquid ille statuerit, sceleratè peruertēt, si auari sint, vel fraudulenti, vel rapaces. quod plus satis experientia notum est. Maior quidem pars regum, præteritis bonis & integris, imò procul valere iussis, data opera ministros apperunt sui similes, & ad tyrannidem suā appositos: sed in bonis & moderatis hæc quoque mollities apparet vt pessimis consiliis regātur, & publica munera inconsideratè prostituant. *Ambulans in via perfecta.* [v] Vel, sincera, integra, innocenti. *Hic ministrabit mihi.* [a] Hoc est, illum publicis & arduis muneribus præficiā. [m] Admonentur hic magistratus vt non temere sine discrimine ex aliorum tantùm iudicio colligant quorum opera vtantur, sed diligenti circumspectione veraces, fideles ac integros homines conquirant. Nam plerunque accidit vt commēdentur magistratibus tales quorum profectus magis quàm vel magistratuum vel subditorum quæratur. Ideo de talibus experimentū capi oportet. Nam & ipse Dauid per Achitophelum & alios consimiles deceptus est, 2. Sam. 16. c. 15.

7 *Non habitabit in medio domus meæ faciens fraudem, loquens fallacias non statuetur coram oculis meis.*

Non habitabit in medio. [v] Vel, nō firmabitur, non stabilietur. Id est, Sedem permanentem apud me non est habiturus. [a] Potest hic versus tā de aulicis omnibus qui publica iudicia exercent exponi, quàm de ministris domesticis. Sed quū nuper in genere de ōnibus officiariis loquutus sit, videtur nūc sermonē propriè habere de cohorte regia. Nā hinc ōnes corruptelæ: si primarii regū amici, & alii familiares qui eorū aures occupāt, fallaces sint ac dolosi, suo exemplo quasi signum licentiæ attollent. Et fieri non potest vt qui domum suam temperanter non continet, tenendis populi gubernaculis sufficiat. Vilescit enim in publico authoritas quæ ne domi quidē gradum suum tenere potest. *Loquens fallacias non statuetur.* [m] Fraudulentos & mendaces veracibus & integris opponit, ac proponit se ab omni malorū consortio alienū fore, vt facilius integritati studeat. [a] Nam impii scandala ideo appellantur (Matth. 13. c. 41) quia pietatis & sanctitatis cursum, quem pii pro viribus tenere conantur, retardant & impediunt.

8 *In matutinis perdam omnes impios terræ, ad exterminandum ex urbe Iehouæ omnes operarios iniquitatis.*

In matutinis perdam. [v] Vel, singulis matutinis. Vel, Mane, mane inquam. Alii, In dies, vel quotidie. [c] Tandem concludit Dauid præcipuam curam se adhibiturum vt terram purget improbis & sceleratis hominibus. [v] Dicit autem mane, vt festinationem notet. q.d. Ego me strenuè geram in puniendis sceleribus, ita vt nō differam in longum tempus. Neque enim differre bonos principes æquum est, quum armati sint gladio. [c] Nam si resides sint ac lenti, non satis tempestiuè occurrent sanandis malis. Principiis ergo obstandum, modò ne iracundiæ indulgeat iudex, vel se inconsideratè præcipitet. [a] Profectò in improbos seuerè animaduertendum est, malumque è medio populi Dei tollendum. Væ Saulitica illi misericordiæ, qua malis parcitur, vt bonis plus noceant, quíque mortales cum iniquitate concepti, æquitate se Deo conantur præferre. *Omnes impios terræ.* [c] Plurali numero notatur continua strenuitas, quia non satis esset iudicem semel ac iterum pœnas de improbis seuerè & acriter exigere, nisi in hanc curam perseueranter intentus esset. [m] Mane ergo (inquit Dauid) perdā, idque omnes. q. d. Absque vlla cunctatione, & præter personarum acceptionem animaduertam in sceleratos. [c] Damnatur autem hic in principibus segnities, vbi improbos videntes audacter ad peccandum ruere, vel metu vel indulgentia diem de die trahunt. Meminerint ergo reges & magistratus se gladio armatos esse, vt Dei iudicia strenuè & maturè exequantur. Non potuit quidem Dauid purgare omnibus inquinamentis terram, quantumuis animosè in eam rem incumberet: sed tantùm promittit se absque vllius personæ respectu seuerū fore iudicem ad tollēdos omnes impios. Iudicibus autem sæpe obstat timiditas, ne satis viriliter malos protervientes compescant. Quare necesse est esse præditos spiritu inuictæ magnitudinis, vt freti Dei auxilio munus sibi iniunctum peragant. Deinde ambitio & gratia flexibiles eos reddit, ne æquabili tenore scelera vbi oportet puniant. Hinc colligimus quantopere placeat Deo seueritas quæ modum non excedit: & quàm rursus non probetur crudelis humanitas, quæ improbis habenas laxat: sicuti nulla est maior peccādi illecebra quàm impunitas. ideo tenendum illud Salomonis, Qui iustificat impium, & condemnat innocentem, vterque abominatio est Deo, Prouerb. 17. c. 15. *Ad exterminandum ex urbe Iehouæ.* [v] Vel, Vt exterminem, Vt eliminem, Vt excidam. [m] q.d. Ego hortulani studium sequar, cuius est hortum vrticis ac vepribus excisis repurgare. Emphaticum autem est quod addit, *Ex urbe Iehouæ.* [c] Nā si profanis etiam regibus communiter mādata est scelerum vindicta, sciebat Dauid sanctiori vinculō se astringi, quum Ecclesiæ Dei præesset. Et certè qui tam honorificum locum obtinent, nisi conatus omnes suos conferant ad purgandas sordes, quarum in se polluunt Dei Sacrarium: nec solùm erga homines infideliter se gerunt, bonorum salutem perdēdo, sed etiam in Deum ipsum sunt sacrilegi. Iam quum regnum Dauidis obscura tantùm fuerit regni Christi imago, statuēdus nobis est in medio Christus, qui etsi patitur multos hypocritas, quoniam tamen futurus est mundi iudex, vocabit tandem omnes ad rationem, & segregabit agnos ab hœdis, Matth. 25. c. 32. Quòd si videtur longiorem moram facere, cogitandum nobis est de aurora illa, quæ repente exurget, vt sordibus purgatis vera puritas refulgeat. Porro locus iste docet, bonos etiam in domo Dei malis permixtos esse, sicuti docet Christus Matth. 13. d. 30. f. 47.

ARGVMENTVM PSALMI CII.

[c] Quum populus in Babylonico exilio lāgueret, de mali diuturnitate queritur. Deinde vrbis sanctæ & Templi restitutionem Deo commendat. [a] Postea consolationem concipiunt ex consideratione æternitatis ac beneuolentiæ Dei: quia seruos suos in spem meliorem adoptatos à communi hominum sorte segregauit.

P*recatio afflicto, quando constrictus erit, & coram Iehoua effundet meditationem suam.*

Precatio afflicto. [v] Vel, Oratio pauperis. Vel, afflicti. Vel, pro afflicto. [c] Quisquis ex Prophetis fuerit author Psalmi, certum est eum dictasse precādi formam pro Templi & vrbis reparatione. Quòd restringūt quidam ad tempus quo impediebatur à vicinis gentibus Templi ædificatio, alienum videtur à mente authoris. probabilius est, ante reditum populi, quū iam instaret promissæ redemptionis tempus, compositum fuisse Psalmum. Tunc enim cœperunt Prophetæ magis erigere piorum animos, iuxta illud vaticinium Esaiæ, Consolamini, consolamini populum meum, dicet Deus vester. Esa. 40. a. 1. [c] Consilium autem Prophetæ fuit non modò animare populum ad fiduciam, sed curam & solicitudinem inicere pro Ecclesiæ salute. Inscriptio ostendit in quem vsum & finem destinatus fuerit Psalmus. Nam qui in tempore præterito vertunt, Oratio afflicto dum fuit constrictus, & effudit suam meditatio-

9.b.4, de gementibus signo Tau signatis. Tauri pingues, Antichristi de grege porci, quos cernere est bene curata cute insolescere & lasciuire contra eos qui crebris gemitibus captiuitatē ac corruptionē Ecclesiæ deplorāt, dū macilēti & sales cum Propheta visuntur quibus cutis vix ossibus hæreat, de corporum suorum viriditate & succulentia sic gloriātur, & macilentiā piis obiiciunt, quasi apprime sit Christianū de rapina bonorum Ecclesiasticorum saginare ventrem: & contrà hæreticum sit, cum Prophetis maciem indesinentium gemituum & quotidiani luctus testem circumferre.

7 *Similis factus sum pelicano deserti, fui quasi bubo solitudinum.*

Similis factus sum pelicano. [a] Queritur vt desertus ab omnibus, & agens calamitosissimè, per anxia liberationis expectatione tortus fuerit, quæ etiam totas noctes cogebat ducere insomnes, & hac re noctuis & desertum incolentibus auibus similem fieri. [b] Pro nomine pelicani alii onocrotalon, alii cucullum ponunt. *Fui quasi bubo solitudinum.* [c] Græca interpres pro bubone nycticoracē reddidit. Sed quia aues istæ sunt Iudæis quoque incognitæ, simpliciter tenere sufficiat notari hoc versu funestas aues, quæ in latebrosis montibus ac desertis habitant, quarum adeo amœnus & suauis cantus non est vt horrorem potius incutiat: acsi diceret, se ab hominum consuetudine remotum similem propè fuisse bestiæ syluestri. Et certè quamuis degerent fideles in regione culta & fertili, certum tamen est totam Chaldæam & Assyriam instar deserti illis fuisse, quū Templum & patria vnde disiecti erant, obstrictas tenerent eorum mentes.

8 *Vigilaui, & fui quasi passer solitarius super tectum.*

Vigilaui. [a] Vel, vt quidam vertunt, Vigilo. Verbum tamen Hebræum est temporis præteriti. [b] Exprimit Vates hoc verbo intermissas curarum ac sollicitudinum angustias, quæ somnum oculis haud facilè admittunt. Porro multa sunt vigilantium genera: vigilant amatores, vigilant lusores integras plerumque noctes, vigilant potatores, vigilant etiam latrones, vigilant fures. Hæ vigiliæ ministræ sunt scelerum ac damnabiles. Rursus vigilant ægroti, vigilant ægrotantium ministri, vigilant custodes, vigilant lugentes & anxiis curis affecti: quorum vigiliæ, aliæ sunt miseræ, nec vitio nec laudi dandæ, aliæ vtiles ac laudabiles: nonnullæ etiam debitæ. *Et fui quasi passer solitarius.* [c] Denotat hac tertia similitudine luctum inquietudinis plenum. Etsi enim צפור quamlibet auem significat, dubium tamen non est hic pro passere accipi. Solitarium autem vocat quia viduatus sit compare. Scimus autem auiculas illas tam impatienter viduitatem ferre vt ferè omnem luctum superent. [a] Ergo Propheta dicit se expectasse redemptionem Israelis, ac interim velut solitarium passerē in tecto desedisse, propterea quòd desertus ab omnibus in exilio detineretur, exclusus patria sua.

9 *Quotidie exprobrarunt mihi inimici mei, & insanientes in me, per me iurarunt.*

Quotidie exprobrarunt mihi. [a] Vel, Singulis diebus probris me afficiunt inimici mei. [b] Memorant fideles probrosam inimicorum insectationem & illusionem quam quotidie ferre cogebantur. [c] Atque hac circumstantia sibi misericordiam conciliant quòd hostibus suis nō tantùm sint ludibrio, sed etiam execrationi. [b] Quàm molesta sit & acerba illa afflictio, norunt experti. Certè ingens est malitia probris insectari calamitosos, quorum magis misereri virum bonum decet quàm calamitati illorum addere calamitatem. *Et insanientes in me.* [a] Vel, subsannatores mei. [c] Exaggerat hic ac magis exprimit hostium crudelitatem, furere eos dicens. Quum autem verbum הלל significet vt plurimū laudare, posset per antiphrasin sumi, Qui me vituperant. Sed præstat sequi quod vsu magis receptum est. [a] Nonnulli vertunt, Insanientes mihi. Id est, Qui mihi illudentur insanire, hoc est, Homines nihili, Homines nulla gratia præditi, sed similes insanis. [c] Acsi Propheta diceret hostes suos amentiam suam prodidisse, vt constaret reipsa nihili esse homines, imò quasi fæcem & quisquilias. Sed hoc nimis decorum est. Sufficiat igitur sensus ille, quòd fideles sæuitiæ vel furiosi odii accusent maledicos. *Per me iurarunt.* [a] Queruntur se in exilio hostium opprobriis & contumeliis quotidie fuisse exagitatos: tum adeo calamitosos vt qui iratiores, sibi dira voluissent imprecari nisi quod promisissent præstitissent, imprecati sibi sint sortem Iudæorum. Id quod sacerdos imprecabatur mulieri suspectæ de adulterio, nimirum vt in execrationem abiret & iuramentum, Numer.5. d.27. [a] Nam iurare per nomen alicuius, hoc loco, est illud sumere tanquam exemplar maledictionis, Deus tibi maledicat sicut illi maledixit, Perdat te Deus sicut perdidit Sodomā. [c] De hac ergo indignitate conqueritur Propheta, quòd electo Dei populo impii tam probrosè insultent vt etiam mutuentur ex eius cladibus iurandi formulam. Hoc autem fuit Iudæos sumere quasi insigne maledictionis exemplar. Hodie verò quum peræquè sibi fræna laxent impii ad petulantiam, discamus his armis nos munire quæ hoc tentationis genus quamlibet asperum superent. Nam Spiritus sanctus, hanc precandi formam dictando, testari voluit Deum talibus cōtumeliis moueri vt suis succurrat: quemadmodum habetur apud Esaiam, 37. c.23, Quem probris affecisti & cui conuiciatus es? contra quem exaltasti vocem? nempe contra sanctum Israelis. Dixerat autem proximo antè versu, Despexit te, filia Sion, super te concussit caput, filia Ierusalem. Hæc certè inæstimabilis est consolatio, proteruia hostium nostrorum magis accendi Deum vt se ad opē nobis ferendā accingat. [a] Interea notādum, sanctis molestum esse si probris & illusionibus afficiantur, & nomina impiorum ob crucem in fabulam vulgo rapiantur.

10 *Quia puluerem tanquam panem comedi, & potum meum cum fletu miscui.*

Quia puluerem tanquam panem. [a] Vel, Certè cinerem tanquam panem comedi. [b] Quidam pauculis subauditis & ordine commutato vertunt, Adeò sum fractus malis vt panem tanquam cinerem edam. Hoc est, vt in pane meo nihilo plus saporis reperiam quàm in puluere, quia scilicet ciborum fastidiū generet cordis mœstitia. Sed simplicius est, puluerem comedisse loco panis, qui humi prostrati iacerēt, vt quasi terram lingerent. Scimus enim solenne fuisse lugētibus, pronos in terra iacere. Quanquam aliud dicere voluit Propheta, nempe, quum cibum sumeret non fuisse mensam appositam, sed panem sordidè fuisse in terra proiectum. Ergo in persona fidelium dicit, se ita fuisse terræ affixum, vt ne cibi quidem sumēdi gratia inde surrexerit. Quò etiam spectat quod subdit, *Et potum meum cum fletu miscui.* Nam quum mœrorem cohibere paulisper soleant qui lugent, dū se reficiunt cibo, dicit Propheta nihil sibi fuisse intermissionis à luctu.

11 *A facie indignationis tuæ & iræ tuæ, quia extulisti me & proiecisti me.*

A facie indignationis tuæ. [a] Vel, propter commotionem tuam, & indignationem tuam. [b] Id est, Quia tam vehementer mihi es iratus. [c] Iam exprimit Propheta mœstitiæ magnitudinē nō simpliciter ex incommodis vel ærumnis natam fuisse, sed ex pœnæ diuinitus inflictæ sensu. Et certè nihil est quod tam grauiter nos vulnerare debeat, quàm vbi sentimus Deum nobis infensum. Huc ergo spectat Prophetæ sermo, Domine nō tātùm quæ profanis hominibus veniunt in mētem reputo, sed sensum potius meū conuerto ad irā tuam: quia nisi nobis aduersus esses, potiremur hæreditate abs te data, vnde nos meritò furor tuus expulit. Est autem vtilis admonitio, quum nos manu sua Deus percutit, non tamē ad ictus ingemiscere, vt solent stupidi homines, sed præcipuè causam expēdere, vt seriò humiliemur. *Quia extulisti me & proiecisti me.* [c] Hoc membrum bifariam exponi potest. Quia enim in sublime attollimus quæ volumus durius ad terram allidere, posset violenta deiectio notari his verbis, Tu me alto & præcipiti iactu fortius contriuisti quàm si è gradu deiectus forem. Sed videtur esse alia doloris amplificatio. Quia enim nihil acerbius est quā ex beato statu detractos in vltimas miserias cōiici, Propheta hîc dolēter conqueritur priuatum fuisse Dei populum præclaris beneficiis quibus olim ornatus fuerat, vt ipsa beneficiorum Dei memoria, quæ ad solatium valere debuerat, magis exasperet dolorem. Nec verò fuit hoc ingratitudinis, trahere in materiā luctus præterita Dei beneficia, quū agnoscerent sua culpa ad miseram & fœdam nuditatem redactos se fuisse. Neque enim Deum oblectat mutatio, vt post breuem suæ bonitatis gustum nos statim frustretur: sed quēadmodū inexhausta est eius bonitas, sic perpetuo nos flueret eius benedictio, nisi eius cursum abrumperent nostra peccata. Quòd ergo beneficiorum Dei recordatio dolores nostros lenire debet, id non obstat quominus magis nobis doleat ex alto cecidisse, dum apparet nos prouocasse iram Dei, vt benignam & beneficam manum à nobis retraheret. Sic dum reputamus, imaginem Dei quæ in Adam conspicua erat, fuisse fulgorem cœlestis gloriæ: ex opposito autem nobis occurrit pudēda fœditas quam nobis in signum iræ suæ Deus inussit: fieri certè

nequis quin acerbius nos vulneret ista cōparatio. Ergo quoties Deus ornamentis quæ contulerat nudatos quasi prostituit ad opprobrium, discamus ideo maiorē nobis esse lugēdi causam, quia lucem culpa nostra conuertimus in tenebras.

Dies mei tanquam umbra inclinata, & ego tāquam herba a

Dies mei tanquam umbra inclinata. [a] Vel, fugax. Id est, quæ citò abit. [c] Scimus, dum sol capitibus nostris imminet, in ipso scilicet meridie, non perspici tam subitas mutationes vmbrarum: sed vbi vergere ad occasum incipit, singulis fere momētis varians vmbræ. hæc ratio est cur disertè vmbram inclinatam nominet. Q.d. Declinauerūt vitæ meæ dies, sicut declinat vmbra vergitque ad noctem, cadente sole. Vmbra quidem, etsi grandior sole occidēte appareat, magnitudo tamē illa eo propior fit nocti quo maior videtur. Non secus sanè est vita hominis, fugax nimirum, vana, ac tum vicinior infortuniis & morti quum fœlix magisque beata vulgo existimatur. Dies igitur nostri similes sunt vmbræ serotinæ. [c] Etsi autem videtur hoc cōmune esse cūctis mortalibus quod in personā afflictæ Ecclesiæ Propheta confert, specialis tamē hæc ratio in calamitate exilii valuit. Verum quidem est, simulac vergimus ad senium, exiguo tempore nos collabi: sed id Propheta in medio ætatis flore populo Dei accidisse conqueritur. Dierum enim nomine totum vitæ curriculū designat: acsi diceret exilium piis fuisse quasi solis occasum, eo quòd celeriter conciderent. *Et ego tanquam herba arui.* [a] Ad verbum, Arescam. Futurum Hebræum pro præterito, arui. [c] Repetit similitudinem herbæ arefactæ, qua nuper vsus fuerat, significans vitā in exilio fuisse mœroribus implicitam, qui ipsum vitalem succum exurerent. nec mirum, quum centum mortibus deterior esset illa viuendi conditio, nisi spe futuræ redemptionis suffulti fuissent. Etsi autem non fuerunt prorsus tētatione obruti: nō tamē leuem tristitiam concipere oportuit, quòd à Deo essent abdicati.

13 *Et tu Iehoua in perpetuum habitabis: & memoria tui in generationem & generationem.*

Et tu Iehoua in perpetuum habitabis. [a] Vel, Tu autem Iehoua in perpetuum permanes. Vel, Tu autem Domine in æternum sedes. [c] Quòd Propheta se ad bonā spem erigere volēs, sibi proponit æternum Dei statum, videtur longè petita consolatio. Quid enim hoc ad nos, si Deus immutabilis est, & semper idē in solio cœlesti sedet, quando interim fragilis & caduca conditio ne ad momentum quidem nos stare sinit? Imò ex notitia beatæ quietis, qua Deus fruitur, melius apparet vitā nostram merum esse ludibrium. Sed Propheta in memoriam reuocans promissiones, quibus testatus fuerat Deus sibi curæ fore Ecclesiam, ac præcipuè illud insigne fœderis caput, Habitabo in medio vestri (Exod. 25. a. 8) sacro hoc & insolubili vinculo fretus, non dubitat pios in squalore iacentes, socios & consortes facere cœlestis gloriæ quam Deus inhabitat. *Et memoria tui in generationem.* [a] Sub. est, vel durat. His memoria Dei nihil aliud est quàm notitia quæ concipitur ex verbo & promissionibus, quæ inclusa est in fœdere quod Dominus pepigit cum populo suo. Ista memoria cōtinua est per omnes ætatum series. Æternus est Deus, æternum etiam est fœdus vitæ & salutis: perpetuò durat promissio illa, nunquam deerit. saluabit tandem, etiamsi in afflictionibus nihil tale appareat. Sit igitur hæc summa, Tametsi fœno arido sumus similes, concidamus singulis momentis, parum distemos à morte. imò iam quasi in sepulchro habitemus: quia tamen fœdus nobiscū pepigit Deus, quo se promisit populi sui fore custodem, séque nobis coniunxit, hac lege vt semper in medio nostri habitet, bene esse sperandum: & quanquam, si in nobis subsistimus, nihil restat præter meram desperationem, erigendas esse mentes ad cœleste solium, vnde nobis Deus tandem manum porriget. Quisquis mediocriter exercitatus est in Scripturis, agnoscet hoc nobis esse agendum, quoties multæ mortes nos obsident, nempe quum semper maneat Deus sui similis, ac ne vlla quidem obumbratio in eum cadat, nihil impedire quominus nos iuuet atque id facturum, quia verbum habemus quo se nobis deuinxit, quia memoriam sui apud nos deposuit quæ sanctam & inseparabilem societatem continet.

14 *Tu exurges, misereberis Sionis: quia tempus miserendi eius, quia venit statutum tempus.*

Tu exurges, misereberis. [a] Vel, vt quidā vertunt, Tu exurge & miserearis. Alii, Tu exurgens miserearis. [c] Hæc est illa consequentia cuius meminimus, Deus æternus est, ergo miserebitur Sionis. Æternitas autem in memoria aut verbo spectanda est, vbi se nobis obligās salutis nostræ custodiā suscipit. Porro quia non deest ei potentia, nec fieri potest vt seipsum abneget, timendum non est quin suo tempore impleat quod promisit. Surgendi verbum ad ipsam experientiam refertur quæ nobis apparet. Quanuis enim quiescat immutabilis, potentiā tamen exerens, suam altitudinem externo actu (vt loquūtur) demonstrat. [a] Exurgit ergo Deus quando potentiam suam exercet, quæ tunc videtur esse quasi oppressa quum fideles suos non eripit. *Quia tempus miserendi eius.* [c] Vbi de Ecclesiæ instauratione agitur, eius causam Propheta sibi proponit Dei misericordiam: sed eā facit duplicem, ideóque diuersis verbis vtitur. Quod ad priorem misericordiæ speciē attinet, hæc eius ratio est, quia hic nihil loci habent merita, nec aliunde adduci potest Deus vt Ecclesiā suam ædificet, causam sumit à gratuita sua bonitate. Deinde secūdam misericordiam adiungit, quæ promissionibus annexa erat, dicens Deum sic Sionis misertum quia tempus iam aderat diuino beneplacito præfixum. Interea consilium Prophetæ fuit, euehere Dei misericordiam, vt scirent fideles in ea sola inclusam esse suam salutem. *Quia venit statutum tempus.* [a] Sub. à Prophetis. [c] Dictio מועד Hebræis dies omnes statos vel condictos significat. Ergo non dubium est quin respiciat ad vaticinium Ieremiæ, quod legitur cap. 29. b. 10, & repetitur 2. Paralip. 36. d. 21. Fideles enim, ne in ipsa diuturnitate malorum deficerent, recumbere oportuit in spem illam, finem exilio fuisse diuinitus impositum, ne duraret vltra septuaginta annos. Et videmus Danielem in hac cogitatione fuisse versatum, quum precari pro Ecclesiæ reparatione vellet, Dan. 9. a. 1. Hoc quoque modo nunc Prophetæ consilium fuit, quò se & alios animaret ad intrepidè orandum, celebre illud vaticinium Deo proferre, vt triste exilium finiret. Et sanè nisi in precibus semper nobis occurrant Dei promissiones, vota quasi fumos in aerem iactamus. Simul notandum est, quanuis appropinquaret vel iam impletum esset tempus redemptionis promissæ, Prophetam tamen non cessare à precibus, ad quas nos Deus verbo suo sollicitat. Quanuis etiam tempus esset condictum, sic Deum appellat Propheta de suo pacto vt confugere ad meram eius bonitatem non desinat, quia promissiones quibus fidem suam obstringit, eius gratiam minimè obscurant.

15 *Quia diligunt serui tui lapides eius, & puluerē eius miserebuntur.*

Quia diligunt serui tui lapides. [a] His verbis Propheta affectum illum piorum exprimit quo erant erga ciuitatem Dei præditi, quāuis destructa & in aceruos lapidum esset redacta. Quoniā, inquit, placēt seruis tuis lapides eius. [a] Sunt qui seruos hic intelligunt Cyrum & Darium: [c] sed quum probabile sit Psalmū hoc compositum fuisse antequā edictum promulgassent de populi reditu, rectius est si dicamus solos fideles in catalogo seruorum Dei simpliciter censeri: quia illis propositum est tota vita Dei vocationi obsequi. Certè dubium non est quin communiter de tota Ecclesia loquatur: acsi diceret nō ab vno tantùm homine conceptū hoc votum, sed totum Ecclesiæ corpus in eodem esse consensu. Nam quo Deum melius inclinet, pios omnes, quotquot tunc erant in mundo, suffragatores sibi aduocat. Et certè ad fiduciam augendam hoc nō parum valet, quasi in vna persona preces ab omnibus simul concipi: sicuti Paulus 2. Cor. 1. b. 11. notat. Subest autem in verbis pondus, quia lapides Sionis vocat deformem materiam quæ superat ex ruinis: vt significet non tantùm fuisse olim conspicuo illo Templi splendore captos fideles, quum posset non tantùm allicere oculos hominum, sed rapere in sui admirationē omnes sensus: sed, quanuis subuersum sit Templū & deformis tantùm vastitas illic appareat, fideles tamē in eius amore manere defixos, in putridis lapidibus, & corrupto cæmēto agnoscere Dei gloriā. Et certè quū Dei auspiciis cōditum fuisset Templum, & reparatio eius ab eodem Deo promissa, non oportuit ab eius ruinis auelli piorum affectus. Interea ne ipsos frangerent Gentium ludibria, in verbo Dei aliud speculari necesse fuit quàm oculis cernerent. Nam quia locum sciebant Deo sacrum esse, & rursus illic erigendum esse Tēplum, quāuis mutili & concisi lapides iacerent sine ordine, disiectáque esset inutilis materia: non abiiciunt fideles Templi reuerentiam. Ergo, quo tristior est Ecclesiæ desolatio, eo minus alienari nos oportet ab eius amore. Quin potius hæc misericordia gemitus & suspiria elicere nobis debet. Quæ doctrina vtinam nostræ ætati non adeo conueniret. nam Ecclesiæ quæ adhuc supersunt, quid aliud sunt, si eas fidei ac Spiritus oculis cōsideres, quā ruinæ quædā & disiectarū maceriarū aceruus, lapides, ac puluis de vastatione domus Dei testātes, pleni vrticarū ac spinarum, & habitatio volucrū immundarum, bestiarū ac serpentium? [c] Certè etsi alicubi Deus habet sua templa

vbi viget purior eius cultus, si tamen oculos coniicimus in totum orbem, quia vbique calcatur verbum Dei, & innumeris profanationibus eius cultus fœdatur, certè sanctum eius templum tristibus ruinis vbique dilapsum est: imò Ecclesiolæ istæ in quibus Deus habitat, laceræ sunt ac dispersæ. Quid hæc tuguria ad splendidum illud ædificium quod apud Esaiam, Ezechielem & Zachariam describitur? Sed nulla desolatio obstare debet quominus amemus Ecclesiæ lapides & puluerem. Papistas sinamus in suis altaribus, magnis structuris & aliis pompis superbire: quia totus ille profanus splẽdor nihil aliud est quam abominatio coram Deo & Angelis. Veri autem templi sacræ sunt ruinæ.

16 *Et timebunt Gentes nomen Iehouæ, & omnes reges terræ gloriam tuam.*

Et timebunt Gentes. [b] Hoc versu & sequentibus canit Propheta quòd vbi Sion per Dei misericordiam restaurata fuerit, ea res plurimum ad gloriam nominis Dei etiam apud Gentes & posteras generationes propagandam & illustrandam factura est. [c] Quo tacitè significat, oppressa Ecclesia simul Dei gloriã deiici, sicuti haud dubiè tũc derisui fuit impiis Deus Israel, acsi facultas eum deficeret ad opem suis ferẽdam. Dicit ergo Propheta, Si Deus populum suum redemerit, fore hoc notabile potentiæ eius specimen, quòd Gentes cogat eum vereri quem subsannant. [a] q.d. Quòd si Domine nulis respõdere votis seruorum tuorum (quorum corda miseria ciuitatis tuæ noctes ac dies fatigat) miserere illius saltem propter nomen ac gloriam tuam. Nominis tui nullus metus est apud Gentes, gloriæ tuæ ignari sunt reges terræ: quòd si ciuitatem nomini tuo consecratam restauraueris, atque ita gloriam tuam rursus ostenderis, omnino futurum est vt innotescat nominis tui gloria & religio apud Gentes, & cuncti reges terræ splendore gloriæ tuæ pauefacti se verum Deum metuant ac reuereantur. *Et omnes reges terræ gloriam tuam.* [v] Vel, maiestatem tuam, decus suum. [a] q.d. Tu gloriosus apparebis in conspectu regum terræ, qui virtutem tuam non agnoscunt.

17 *Quia ædificauit Iehoua Sion, visus est in gloria sua.*

Quia ædificauit Iehoua Sion. [v] Vel, dum ædificauerit Iehoua Siõ. Vel, Quòd ædificauerit. hoc est, Quia restaurata fuit ciuitas Sion à te Domine. [m] Hic rursus videmus Ecclesiæ ædificationẽ ac restaurationem opus Domini esse. Vtitur quidem ille ministris suis ad perficiendam hanc structuram, opus tamen nõ ministrorum, sed ipsius est, 1.Cor.3.b.9. *Visus est in gloria sua.* [v] Vel, Et visus fuerit in gloria sua. Vel, videbitur (aut, apparebit) in gloria eius. Sunt qui præteritum ita conuertunt in futurum, Quia ædificabit Iehoua Sion, & apparebit in maiestate sua. [c] Propheta Deum esse visum in gloria sua dicit vbi Ecclesiam suam eduxit è mortis tenebris. Sicut de prima redẽptione canitur, Fact^9 est tũc Iehudah in sanctitatẽ eius, Israel tum potestas eius (Infrà, 114.a.2) ita hoc loco Deus populũ tecũ sibi colligẽs qui dispersus fuerat, & quasi à morte suscitans Ecclesiam, apparuit in sua gloria. Atque hæc non vulgaris consolatio est, tantum esse Dei erga nos amorem vt decus suum in salute nostra fulgere velit. Quanuis autem inter medias afflictiones fidelibus abscondita fuerit virtus Dei, eam tamen semper fidei oculis & in speculo promissionum intuiti sunt. [m] Videmus igitur quomodo gloriam nominis Dei & orationẽ afflictorum coniungat Propheta, futurum significans vt gloriam suã Dominus declaret in ædificatione Sionis. [a] hoc est Ecclesiæ suæ.

18 *Respexit ad precem solitarii, & non contempsit precem eorum.*

Respexit ad precem solitarii. [v] Quidam sic vertunt paucis subauditis, Et respexit ad orationem eorum qui sunt velut myricæ. Alii, ad orationem pauperis, vel debilis. Vox Hebræa (pro qua quidam vertunt debilem) significat arbusculã nascentem in deserto, quæ iuniperus vel myrica vulgò dicitur: & per metaphoram debiles, miseros & afflictos denotat. Significat etiam hominem excitantem se: propterea quidam sedulum vertunt, sic, Respiciet ad orationem excitãtis se, vel, seduli & diligentis: nempe ad orationem. [m] Hoc autem notatu dignum est, precibus fidelium ascribi piorum redemptionem. Quanuis enim nonnisi mera clementia fuerit adductus Deus ad liberandam Ecclesiam (sicuti gratis pollicitus fuerat id se facturum) vt tamen stimulet fideles ad studium precandi, hoc idem quod sponte facturus est, eorum votis se daturum asserit. Neque hæc duo inter se pugnant, Deum gratuita misericordia seruare Ecclesiam, & in ea seruanda propitium esse suorum votis: qui[a] quum gratuitis promissionibus annexæ sint preces, harum effectus ex illis fluit. Preces autem solitarii exauditas fuisse dicens, non loquitur tamen de vno homine, quia mox plurali numero vtetur: sed Iudæos omnes, quandiu eiectì à patria exularunt in alieno solo, vocat solitarios: quia vtcunque Assyria & Chaldæa regiones essent apprimè fertiles & amœnæ, non secus tamen illic vagati sunt miseri exules quàm in deserto, vt alibi diximus. Cæterum vt tunc populus solitarius gemendo gratiam adeptus est, ita quanuis nunc dispersi sint fideles, nec legitimos habeant conuentus, Dominus tamen in hac vasta dissipatione eorum gemitus exaudiet, modo sincero fidei consensu simul aspirent ad restitutionem Ecclesiæ.

Et non contempsit precem eorum. [a] Vel, Et non spreuit orationem eorum. hoc est, solitariorum, lugentium, humilium, ac desolatorum. [m] Solent huiusmodi in hoc seculo plurimum contemni, & impunè quibusuis probris affici: cõtra, orationes eorum qui in pretio habentur, magni fieri. Verùm admonemur hoc loco tam non esse hoc genus hominum in conspectu Dei abiectum, vt etiam orationes eorum in rebus deploratis respiciat, & illarum respectu, ea quoque faciat quæ cumprimis propter asserendam gloriam suam facere debebat.

19 *Scribetur hoc ad generationem posteram, & populus creatus laudabit Deum.*

Scribetur hoc ad generationem. [v] Vel, pro generatione nouissima. Vel, generationi posteræ. Vel, postero seculo. Id est, mandabitur literis hæc liberatio in gratiam posteritatis. [c] Magis extollit Vates redemptionis fructum, quò se & alios omnes ad spem impetrandi animet. His autem verbis significat memorabile fore hoc Dei opus, cuius laus propaganda sit in multas ætates. Scimus enim multa esse laude digna, quorum tamen memoria euanescit: sed Propheta salutem Ecclesiæ pro qua rogat, à vulgaribus beneficiis discernit. [c] Scribendi verbo significat historiam publico monumento dignam esse, vt transmittatur eius memoria ad posteros. [v] Acsi diceret, Hoc Dei opus nõ tantum laudabitur ad paucos dies, sed eius memoria vigebit etiam apud posteros. Nam in historias referetur, & perpetuæ memoriæ consecrabitur, vt ad cognitionem posterorum seculorum transferatur, nulla obliuione sepelienda. Ex hoc loco discimus quis sit vsus sacræ scripturæ. Illis qui mirabilia Dei coram vident, non est opus vlla scriptura, qua eorum quæ viderunt admoneantur: opus autem literis est illis qui de præteritis sunt admonendi. Ergo posterorum rationem habet Spiritus sanctus. [a] veluti quum dicitur, Et statuit testimonium in Iacob, & Legem posuit in Israel: quia mandauit patribus nostris vt nota facerent ea filiis suis, vt cognoscat generatio postera: filii qui nascentur surgant, & narrent filiis suis, vt ponant in Deo spem suam &c. Suprà, 78.a.5. *Et populus creatus laudabit Deum.* [v] Chaldæus paraphrastes, Populus qui futurus est vt creetur. Hebræi vertunt creatus. [c] Subest autem concinna antithesis inter nouam populi creationem & præsentem interitum, quam interpretes malè prætereunt. Populo enim abdicato, extincta quodammodo erat Ecclesia. Certè mortuum videri poterat eius nomen, quum Iudæi profanis gentibus permixti nullum corpus efficerent. Itaque reditus quasi secunda fuit natiuitas: ideòque non abs re Propheta nouam creationem expectat, quia vtcũque periisset Ecclesia, persuasus erat Deum mirabili virtute facturum esse vt de integro rediuiua surgeret. Atque hic locus insignis est, non semper ita seruari Ecclesiam vt superstes appareat: sed vbi mortua videtur, repentè nouam creari, quoties ita Deo visum est. Nulla igitur desolatio hanc nobis spem adimat, sicuti semel Deus ex nihilo mundum condidit, ita proprium esse eius opus Ecclesiam ex mortis tenebris eruere. [m] Notandum est etiam quòd Propheta creationem & laudem creationis cõiunxit. Non enim simpliciter dixit, Et posteri laudabunt Deum, sed, Et populus creatus laudabit Deum. Quem Deum? vtique creatorem. Quasi parum sit creatum esse à Domino, etiam singularibus beneficiis ad laudandum eum prouocamur.

20 *Quia prospexit è sublimi loco sanctitatis suæ, Iehoua è cælis in terram respexit.*

Quia prospexit è sublimi. [v] Vel, de excelso sanctitatis suæ. Vel, è sublimi sanctitatis suæ. Quidam vertunt, è sublimi sacrario suo. [c] Nunc Propheta redemptionem, ad quam anxiè suspirat, perinde amplectitur acsi peracta esset. Ac ne tantũ Dei beneficium obscuret hominum malignitas, apertè & disertis verbis laudem suam Deo vendicat: sicuti etiam multis mo-

dis coactus fuit populus agnoscere Dei manum. Nam multo ante quàm in exilium tractus foret, hæc clades fuerat prædicta, vt testatum esset Dei iudicium. Simul promissa fuerat liberatio, & tempus notatum vsque ad septuaginta annos. [a] Quemadmodum videre licet Ieremiæ 25. c. 11, & 29. b. 10, & Danielis 9. a. 2. [c] Non potuit igitur hominum ingratitudo excogitare vel comminisci alias causas reditus quàm meram Dei bonitatem. Dicit ergo Propheta Deum e cælo respexisse, ne gratiæ & fauori Cyri Iudæi acceptam ferant salutem palam è cælis profectam. Sublimis locus Sanctuarii tantundem hic valet ac cælum. Nam sicuti Templum habitatio Dei vocatur, respectu hominum, Suprà 26. b. 8. & 76. a. 3: ita ne quid terrenum de ipso Deo imaginemur, domicilium sibi in cælo assignat: non quod inclusus sit cælo, sed vt supra mundum à nobis quæratur. [u] Interea monemur vt quoties cælos suspicimus, contemplemur fidem ipsam Diuinam maiestatem ac potentiam, qua tam mirabile opus potuit solo verbo creare. Ad huius diuinæ celsitudinis considerationem nos inuitat corporis nostri compositio, & oculorum nostrorum sublimitas. Non enim frustra summus ille rerum opifex voluit vt homines erecto ad sydera vultu quæ sublimia sunt subinde contemplarentur. Summopere ergo cauendum est ne dum cæli perpetuam Diuinæ maiestatis, bonitatis, ac potentiæ effigiem oculis nostris obiiciunt, ingrato animo id beneficii prætereamus.

Iehoua è cælis in terram respexit. [a] Quasi dicat, Etsi excelsus est Dominus & in loco valde sublimi habitat, non tamen auersatur preces seruorum qui in terra sunt, & ad eum clamant sed eos benignus intuetur, & eorum precationes exaudit. [m] Certè mirabilis est ista clementia & φιλανθρωπία Dei, qua fit vt de excelso sacrario suo, de cælis illis sublimibus, Dominus omnium ad terram hanc miserabilem prospiciat. Quare non immeritò iudicat Propheta dignum vt hæc non solum à præsentibus, sed & posteris generationibus in Deo celebretur ac deprædicetur.

21 *Ad audiendum gemitum uincti, ad soluendos filios mortis.*

Ad audiendum gemitum uincti. [v] Vel, vt audiret gemitum vinctorum. Nam singularis numerus pro plurali numero ponitur. [t] Iterum repetit quod de precibus attigerat, vt iterum excitet piorum corda ad orandum: deinde vbi liberati fuerint, sentiant fidei suæ hoc concessum, quòd promissionibus freti sursum direxerint suos gemitus. Vinctos autem dicit, quia etsi compedibus nexi non erant, captiuitas tamen eorum instar durissimi carceris erat. Imò paulo pòst dicit, *Ad soluendos filios mortis.* [v] Hebraismus pro Homines morti destinatos, morti adiudicatos. Vel, sicut interpretendor. Dixerat illos vinctos qui erant captiui: iam filios mortis vocat & morti destinatos. acsi diceret salutem ipsorum fuisse desperatam quum diuinitus adiuti sunt. actum enim erat reuera de salute ipsorum, [a] nisi extraordinaria Dei virtute à morte erepti fuissent. [m] Videmus itaque vsqueadeo efficaces esse in auribus Dei gemitus vinctorum ad excitandam commiserationem, vt auditus illorum permoueat ad solutionem ac liberationem. Quare notandum hoc loco primùm, solutionem vinctorum esse in manu Dei. Idem qui ligat inobedientes iratus, soluit vinctos placatus. Deinde, soluere Deum vinctos, gemitibus illorum ad misericordiam motum. Sic Exodi 2. d. 24, & 3. b. 7, & Iudicum 2. c. 18, gemitibus afflictorum liberationem subiectam videmus. Nihil efficitur apud Deum diris, imprecationibus, maledictis, & cæteris: sed gemitibus. Vnde etiam legimus, Propter gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, Suprà, 12. b. 6. Tertiò, soluere eum vinctos non statim initio, sed dum omnia videntur deplorata: sicuti de Ioseph, Gen. 41. b. 14: de Israelitis, Exo. 3. b. 7: de Petro Apostolo, Actorum 12. a. 6 sacra scriptura testatur. Admonentur ergo piorum mentes, & in rebus maximè deploratis ad Deum clament, petentes vt gemitus vinctorum audiat, & filios mortis soluat. Sic Suprà, 79. c. 11. legimus. Intret in conspectum tuum gemitus vinctorum, secundum magnitudinem brachii tui solue filios mortis.

22 *Vt narretur in Sion nomen Iehouæ, & laus eius in Ierusalem.*

Vt narretur in Sion nomen. [a] Vel, vt narrent in Sion. [u] Explicat rationem ob quã Dominus de cælo prospexerit, gemitum vinctorum audierit, ac filios mortis soluerit. Vt celebretur (inquit) in Sion nomen Domini. Vox Hebræa ספר narrare, numerare, recensere ac deprædicare significat. Pulchrè ergo hac loquutione admonemur quid sit laudare Deum, ac nomen eius celebrare: nempe, nihil aliud quàm beneficia & magnalia eius, quibus vel potentiam vel bonitatem suam declarauit, narrare, recensere, deprædicare ac celebrare. Non est igitur quorumuis laudare Deum, sed eorum duntaxat qui & notitiam & sensum mirabilium illius factorum ac beneficiorum habent. *Et laudem eius in Ierusalem.* [i] Hæc pars superioris est expositio. Sion enim & Ierusalem idem sunt in Scripturis, locus vtique Deo consecratus, qui Ecclesiæ imaginem præ se tulit, quæ vna est Dei sponsa: quemadmodum vnus est baptismus, vna fides, vna religio, atque vnus Christus, nexus nimirum totius corporis in ipso, cuius is caput est, atque incrementi origo & fons.

23 *Dum colligentur populi simul & regna, ut seruiant Iehouæ.*

Dum colligentur populi simul. [a] Vel, Quum congregati fuerint populi simul. [c] Hic amplior & vberior quam antehac celebratur redemptionis fructus: quia non tantum ad gratias Deo agendas in vnum coalescent Iudæi, sed in patriam reducti, secum etiam reges & populos in fidei vnitatem & eundem Dei cultum colligent. Hoc verò prorsus tunc incredibile fuit, non modò in Templo diruto & exciso breui resonaturas Dei laudes vt olim, sed venturos vndique populos, & Iudæis, qui tunc quasi putridum erant cadauer, aggregandos ad Deum colendum. Ratione quidem hac vtitur Propheta ad spem reditus dandam populo, quòd impossibile sit locum illum quem Deus sibi delegit perpetuò deseri: sed nouam materiam laudandi Dei fore denuntiat, quia nomen Dei adorabitur ab omnibus populis: nec tantum ex gente vna constabit Ecclesia, sed ex toto orbe. Quod scimus Christi auspiciis fuisse completum, sicuti etiam testatum fuerat vaticinio sancti Iacob, Ad ipsum erit collectio Gentium, Genes. 49. b. 10. Sed quia Prophetis solenne est continuare liberationem ab exilio Babylonico vsque ad Christi aduentum, Propheta non partem vnam duntaxat arripit, sed perducit gratiam Dei vsque ad suum finem. Etsi autem necesse non fuit Ierosolymam ascendere quicunque ad Christum conuersi sunt, manere tamen vsitato Legalem cultum posuit tanquam symbolum veræ pietatis. Cæterùm discamus ex hoc loco nunquam posse melius celebrari Dei nomen quàm dum propagatur religio, & crescit Ecclesia quæ ob hanc causam vocatur plantatio in laudem Dei, Esaiæ 61. a. 3.

24 *Afflixit in uia robur meum, abbreuiauit dies meos.*

Afflixit in uia robur meum. [v] Vel, Fortitudinem meam, virtutem meam, vires meas. [c] Nonnulli hanc querimoniam ad tempus illud restringunt quo exhibitæ fuerunt Iudæis molestiæ, postquam data fuerat redeundi libertas. Atqui in voce itineris aut viæ potius metaphora est. Nam quum meta veteris populi esset Christi exhibitio, iure afflictos se queruntur in medio stadii cursu. Atque ita Deo suam promissionem obiiciunt, quòd quum temere non cucurrerint, sed sequuti sint eius fidem, in medio itinere attriti fuerint eius manu. [v] Dicunt igitur, Domine hactenus sequuti sumus viam à te præscriptam: tu ipse metam nobis statuisti: nondum apparuit redemptio quam speramus, freti verbo tuo: qui fit ergo vt robur nostrum conteras in medio cursu? [c] Non expostulant quidem cum Deo, acsi spem eorum frustratus esset, sed quia persuasi sunt eum non agere fallaciter cum suis cultoribus, hac querimonia se ad bene sperandum confirmant.

[v] Eodem sensu addunt, *Contraxit dies meos.* Vel, abbreuiauit, præcidit. Vel, in angustias redegit. [c] Dicunt dies suos fuisse concisos, vel in angustum redactos, quia ad tempus plenitudinis respiciunt, quod nisi Christo patefacto, suspensum semper fuit. Ideo sequitur, Dixi, Deus mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum: in gene. &c. [m] Kimhi exponit, Inimicus afflixit virtutem meam, abbreuiauit dies meos in via, dum me de loco ad locum migrare coegit, nec certam sedem figere permisit. At nobis videtur populus de Deo loqui, quòd in via (id est in ipso dierum suorum cursu) virtutem suam afflixerit, & dies annorum suorum abbreuiauerit: ideóque orare quæ sequuntur, Deus meus ne tollas me in dim. &c. Hoc est, ne prorsus extinguas nos antequam ad iustam ætatem ac senectutem pertingamus: redemptique salutem tuam, quam maioribus nostris pollicitus es, videamus.

25 *Dixi, Deus mi ne tollas me in dimidio dierum meorum: in generationem generationum anni tui.*

Dixi, Deus mi, ne tollas me in dimidio. [v] Quidam, Dico. Alii, Dicebam. Alii, Dicam. subaudi ergo. *Ne tollas me.* [h] Vel, ne perimas me, ne succidas me. *In dimidio dierum meorum.* [c] Hic fideles spatium intermedium vsquedum apparuisset Christus, dimidiæ vitæ comparant: quia natura Ecclesiæ ætas Christi demum aduentu completa fuit, vt diximus. [v] Dies enim Israelis comprehendunt totum tempus illud à fœdere inito cum Abraham vsque ad Christi aduentum. [c] Etsi ergo prædicta illa calamitas fuerat, sic tamen ferebat natura fœderis vt populum illum Deus sub manu sua protegeret ac tueretur: ideoque exitium violenta quædam ruptura fuit: quo maiore fiducia rogarunt pii ne ante tempus in medio itinere raperentur. Neque enim hoc modo finxerunt certum vitæ spatium: sed quia Deus gratis eos adoptans, hac lege dederat vitæ initium vt eos ad Christi vsque aduentum foueret, iure licuit hanc promissionem in medium proferre: acsi dicerent, Domine tu vitam nobis pollicitus es non tridui, vel vnius mensis, vel paucorum annorum, sed donec renouares totum orbem, & colligeres vnà omnes populos terræ sub manu Christi vnigeniti Filii tui. quid ergo sibi vult interitus ille in medio cursu?

In generationem generationum anni tui. [h] Deo anni tribuuntur per anthropopathiam. non enim annos habet qui primus est & nouissimus. Scriptura verò de Deo loquitur ad hunc modum, vt significet nullam esse generationem ipso antiquiorem, quum ipse æternus sit. [c] Sed nihil videtur hæc ratio ad præsentem causam facere. Nam etsi æternus est Deus, an ideo æterni erunt homines? Sed Suprà 90. a. s. diximus quomodo tempestiuè in medium vocetur Dei æternitas, vbi de salutis nostræ fiducia agitur: quia Deus nō modò in arcana sua essentia vult æternus agnosci, sed etiam in verbo. sicuti est apud Esaiam, Omnis caro fœnum, & omnis gratia eius quasi flos herbæ: verbū autem Domini in æternum manet, Esaiæ 40. b. 6. Iam quia nos sibi per verbum coniungit, quantumuis distet fragilis nostra cōditio à cælesti eius gloria, fides tamē nostra ad beatum illum statum penetrare debet, ex quo Deus miserias nostras respicit. Quanquam aliò quoque spectat comparatio inter æternam Dei vitam, & breue humanæ vitæ curriculum: hac etiam causa ad misericordiam flectitur Deus dum videt quasi momento transire homines & mox euanescere: sicuti fusius mox exponitur.

26 *Prius terram fundasti, & opus manuum tuarum cæli.*

Prius terram fundasti. [v] Vel, Antea terram fundasti. Vel, In principio, olim, pridem, iampridem. [c] Amplificat quod prius dixit, nempe totum mundum, si conferatur cum Deo, euanidam esse figuram. Paulò post tamen Ecclesiam eximit ab hac communi sorte, quia in verbo Dei fundata est, & eiusdem verbi custodia protegitur. [v] acsi diceret, Tu Domine fundasti terram antehac: cæli sunt opus manuum tuarum, ipsi peribūt, tu permanes. Sed alia est diuturnitas Ecclesiæ tuæ. superat enim statum terræ & cæli. Nam fundata est in verbo tuo: quod est stabilius cælis & terra ipsa. Dominus semel asseruit se fore perpetuum Ecclesiæ custodem: non est igitur quod dubitemus, etiamsi mundus iste quotidie videatur misceri, quin salus nostra sit in tuto. [c] Duo igitur membra sunt, Quum cæli ipsi nihil ferè à fumo differant coram Deo, eam esse fragilitatem in humano genere quæ Dei misericordiam prouocare debeat. Deinde vtcunque nulla sit cæli & terræ stabilitas, Ecclesiæ tamen salutem, quia suffulta est æterna Dei veritate, firmam perpetuò fore. Priore membro docentur fideles, dum prodeunt in conspectum Dei, suppliciter reputare quàm fluxa sit & caduca sua conditio, ne aliud quàm suam inanitatem afferant. Primus enim ad conciliandam nobis gratiam gradus est hæc deiectio: sicut etiam nostris miseriis se moueri affirmat Deus, vt nobis sit propitius. Huc optimè quadrat cælorum comparatio. quanta enim est eorum vetustas, vitæ nostræ respectu, quæ tam citò præterit vel potius euolat? Quot mortalium ætates fluxerunt ex quo cæli continua agitatione naturam nostram retinent? Deinde tam concinna & præclara fabrica se opus esse manuum Dei clamitat. Atqui neque antiquitas, neque tam pulcher ornatus cælos eximent ab interitu. Quid ergo nobis miseris mortalibus fiet, qui vixdum nati morimur? quia nulla est vitæ nostræ particula quæ non celeriter ad mortem inclinet.

27 *Ipsi peribunt, & tu permanebis: & omnes quasi vestimentum veterascent: quasi vestem mutabis eos, & mutabuntur.*

Ipsi peribunt. [v] Vel, Corrumpentur. [h] Hoc dicit vt infirmitatem & instabilitatem creaturarum agnoscamus. [a] Vidēdū tamē nobis est quomodo Scriptura cælos perituros esse affirmet. [c] Quidā simpliciter de mutatione intelligūt, quæ species quædā erit interitus. Etsi enim nō sunt redigendi in nihilū, ipsa tamen naturæ alteratio (vt ita loquamur) absumet quod mortale est ac corruptibile: vt alii esse cæli incipiant ac noui. Secundū alios subaudienda est conditio, Si Deo ita placuerit. quia absurdum esse existimant cælos corruptioni subiici. Sed primùm nulla necessitas cogit asciscere particulam illam quæ magis impedit sensum quàm expediat. Deinde falsò cælis tribuunt immortalem statum, quos Paulus, non secus ac terram aliásque creaturas, gemere & parturire dicit vsque ad diem redemptionis, eo quòd subiectæ sint corruptioni, non sponte vel natura, sed quia homo se præcipitans, totum mundum in eiusdem ruinæ societatem secum traxit, Roman. 8. d. 22. Duo igitur tenenda sunt, vere nunc obnoxios esse cælos corruptioni propter hominis lapsum, & ita renouatum iri vt meritò perituros dicat Propheta, quia non iidem erunt, sed alii. [a] Qua de re vide Esa. 66. g. 15, & 2. Pet. 3. c. 13. Summa est, quocunque vertamus oculos, donec ad Deum ventum fuerit, vbique nobis desperationem occurrere. Quid enim in nobis est nisi putredo? & quid sumus ipsi nisi mortis speculum? Iam quid aliud est totius mundi mutatio, nisi præsagium quoddam, imò præludium interitus? Si vniuersa mundi fabrica ad finem suum fertur, quid de genere humano fiet? Si interituri sunt omnes populi, quænā erit in singulis hominibus stabilitas? Ergo non alibi quàm in Deo solo quærenda est stabilitas.

28 *At tu idem es, & anni tui non deficient.*

At tu idem es. [h] De Deo prædicat quòd non mutetur, sed idem ipse per omnia secula & in sempiternum permaneat. Nā Deus non alteratur in se, sicuti mortales, qui per singulas ætates, pueritiam, adolescētiam, iuuentutem, virilem ætatem & senectutem alii atque alii redduntur: nec aliorum successione mutatur, sicuti pater successione filiorum, & reges successione sequentium regum mutantur.

Et anni tui non deficient. [v] Vel, non consumentur, non finientur. [h] Vide quomodo Apostolus hūc locum citatos Christo aptauerit ad probādam eius diuinitatem, epist. ad Hebræos cap. 1. c. 10. 11.

29 *Filii seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum coram te stabilietur.*

Filii seruorum tuorum habitabunt. [h] Aperit hoc versu quid oret, & quò respiciat: nempe quòd cupiat Israelem per diuinam clementiam conseruari: imò ex eo quod Deus æternùm Deus est, colligit & Dei cultores semper victuros, atque omnimodo fœlicitate donandos, & in terra Domini habitaturos. De seruis enim Spiritu superno loquitur, quos Deus in seruos sibi delegit, vt colant ipsum perpetuò. [c] Itaque his verbis significat Propheta se non petere Ecclesiæ conseruationem, quia sit pars generis humani, sed quia Deus extra mundi reuolutiones eam extulerit. Et certè hac lege nos sibi adoptat vt foueat in sinu suo. Quare non est illatio longè petita, quòd inter innumeras procellas, quarum singulæ abripere nos possent, firmam stationem Ecclesiæ speret Propheta. Nam etsi nostra culpa alienati à Deo, simul quasi abscissi à fonte vitæ sumus: vbi tamen reconciliamur Deo, cursum in nos defluere incipit. Vnde sequitur, fideles, quia regeniti sunt semine incorruptibili, à morte fore superstites, quia Deus semper idem manet. Nam verbo habitandi firmam & æternam hæreditatem significat.

Coram te. [c] Addita est hæc particula quia non secundum mundi respectum, vel secundum communem rationem cæli & terræ firma est piorum salus, sed pro sancta coniunctione quæ illis est cum Deo. Ergo aliud est prosperari ac dirigi in mundo, secularique rerum successu potiri, & aliud, dirigi ac prosperari coram Deo. quæ prosperitas, & spiritualis est, & sempiterna ac propria electorum seminis seruorum Dei, qui Deum habent propitium, & patrem omnium clementissimum, in fide, spe, ac charitate crescunt ac ditescunt: idque in mediis tribulationibus, dum filii huius seculi pace & opibus modico temporis momento abundant, & in miseriam ac infœlicitatem sempiternam desinunt. [c] Porrò per semen & filios piorum intelligit nō quoslibet (quia multi ex carne geniti, sunt degeneres) sed qui à fide parentum non desciscunt. Disertè autem notata est successio, quia fœdus ad futuras ætates extenditur, vt iterum vidimus Psalmo proximo. Quòd si constanter seruamus vitæ thesaurum apud nos depositum, ne dubitemus, etiamsi innumeræ mortes nos circumstent, anchoram fidei nostræ in cœlo iacere.

vt in Deo resideat salutis nostræ stabilitas. *Stabilietur.* [V]Vel, firmabitur. dirigetur. Videtur deesse particula illatiua in principio versus, Filii igitur seruorum tuorum. quasi dicat, Quum igitur idem sis atque æternus, propterea statuimus nos quoque fore perpetuos, quatenus dignatus es nos tibi coniungere verbi tui vinculo. [D]Videmus ergo Prophetam præcipue de restitutione supernæ Hierusalem, ac verioris Israelis, sed sub typo vrbis, populique internum, hæc cecinisse. Qui igitur verè didicerit precari, Adueniat regnum tuum, multa hic habebit vnde ardorem Spiritus ad huiusmodi precem alat.

ARGVMENTVM PSALMI CIII.

[M]Celebrat Propheta insignem Dei bonitatem præclaris cùm erga se tum erga populum Israelem beneficiis declaratam, [C]præcipuè vero quum illum adoptionis suæ participem fecit. [D]Postea immensam Dei erga suos indulgentiam commendat, ac tandem ad benedicendum illi creaturas omnes inuitat.

DAuidis. *Benedic anima mea Iehouæ, & omnia interiora mea nomini sanctitatis.*

Dauidis. [V]Subaudi Psalmus. Vel, Canticum. *Benedic anima mea Iehoua.* [A]Vel, Lauda, (prædica) anima mea Iehouam. [C]Quoniam omnia ex spiritu & veritate erga Deo gerenda sunt, Propheta in exemplum animam suam secundo ad laudandū Deum excitat. [M]hoc est, seipsum adhortatur vt Dominum benedicat. Est autem benedicere Domino, idem quod laudibus eum extollere, præclara de illo prædicare. [C]Propheta autem seipsum ad gratitudinem stimulans, suo exemplo docet quid singulis agendum sit. Et certè segnities nostra hac in parte continuis stimulis opus habet: imò si ne Propheta quidem ipse, qui singulari ante alios zelo feruebat, immunis fuit ab hoc pigritiæ morbo (sicuti fatetur seipsum sollicitans) quanto nobis hæc medicina magis necessaria est, qui proprii torporis plus satis sumus nobis conscii? Ergo Spiritus per os Prophetæ obliquè nobis exprobrat quòd non magis seduli simus ad laudandum Deum: simulque remedium ostendit, vt quisque in seipsum descendens, tarditatem suam corrigat. *Et omnia interiora mea.* [A]Id est, (vt alias Scriptura loquitur) omnia viscera mea. [C]Hæc loquutio ardentissimum animi affectum significat. [C]Nam Propheta animæ nomine non contentus, quo haud dubiè sedem intelligentiæ & affectuum significat, omnes eius partes distinctè adiungit: quasi mentem & cor suum, omnésque vtriusque facultates compellans. Qui verò ita seipsum alloquitur, quasi remotis arbitris coram Deo secum agit. [D]Et certè laus Dei labiis externis non perficitur, sed interiora hominis requirit. Notum est illud, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, Esaiæ 29. d. 13, & Matthæi 15. a. 8. *Nomini sanctitatis.* [M]Exponit quid sit benedicere Domino, nempe nomini eius benedicere. hoc est, nomen eius laudibus deprædicare & extollere. Est autem nomen Dei, Dominus Deus, iustus, omnipotens, misericors, propitius, clemens, bonus, verax, & cætera. Ista celebrare in Deo, est nomini eius benedicere. Sanctum autem vocatur Dei nomen, & meritò: quia selectum est, diuinum, magnificum, augustum & religiosum.

2 *Benedic anima mea Iehouæ, & ne obliuiscaris omnium munerum eius.*

Benedic anima mea Iehouæ. [C]Hæc repetitio ad emphasin valet, acsi Propheta tarditatem suam argueret. *Et ne obliuiscaris omnium munerum eius.* [V]Vel, omnium quæ contulit in me. Quidam retributiones vertunt. [A]Sunt autem (vt sequentia testantur) beneficia Dei, non solùm quæ rependit, sed quibus etiam nos præuenit: quorum sanè qui non oblitus fuerit, hoc est, dignè illa æstimauerit, huius cor, anima, & quicquid in eo fuerit, in laudes Dei ardebit summopere. [C]Admonet etiam hac particula Vates Deum suis partibus non deesse quin suppeditet largam sui laudandi materiam, modò ne obstaret nobis propria ingratitudo. Ac primò quidem docet, ideo tam liberaliter nobiscum agere vt per nos celebretur nomen suum: sed interim perstringit nostram vanitatem, quæ nos aliò quouis potius rapit. Qui fit enim vt in hoc exercitio pietatis adeo torpeamus, nisi quòd immensa Dei beneficia, quæ palam cælo & terræ apparent, fœda & impia obliuio in cordibus nostris sepelit? Nam si modò eorum vigeret memoria, satis nos ad officium propensos fore docet Propheta, quum solùm obliuisci vetat. [M]Consideremus ergo quàm necessaria nobis sit hæc admonitio. Nullius rei citius obliuiscamur quàm beneficii, siue diuinitus siue humanitus accepti. Iniuriarum tenacissima est memoria. Denique si vel tantillum beneficium cuipiam impenderimus, cuius conscientia ad sinistram à dextra (iuxta dictum Christi, Matthæi cap. 6. a. 3) peruenire non debeat, mirum quàm diuturna sit illius memoria. Quum igitur hoc simus corrupto ingenio, quis non videt quàm sit necessarium vt magno nos studio in retinenda beneficiorum Dei memoria exerceamus? Particula etiam vniuersalis admonet nullum ex Dei beneficiis modici momenti reputandum esse.

3 *Qui propitius est omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Qui propitius est omnibus iniquitatibus. [V]Vel, Qui remittit omnes iniquitates tuas. [C]Nunc per species enumerat beneficia, in quibus reputandis nos nimis obliuiosos & socordes esse docuit. [D]Ac primùm canit remissionem peccatorum. Nam dum illis premimur, nullorum sumus beneficiorum Dei capaces, eo quòd aduersantibus Deo aduersa esse oporteat omnia. [C]Gratuita itaque reconciliatio fons est vnde reliqua omnia scaturiunt. Etsi enim ad impios quoque se diffundit beneficentia Dei, adeo tamen ea non fruuntur vt ne gustum quidem capiant. Omnium ergo bonorum, quorum vera & solida fruitio ad nos peruenit, hoc initium est, quòd Deus peccata nostra gratis condonans & abolens, in gratiam nos recipit. Imò peccatorum remissio dum nobis Deum propitiat, simul etiam sanctificat quæcunque largitur nobis bona, vt in salutem cedant. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* [C]Vel repetitio est eiusdem sententiæ, vel latius patet. Nam hi sunt gratuitæ veniæ effectus, quòd Deus nos Spiritu suo gubernans, concupiscentias carnis mortificat, & nos purgat à vitiis, vel animæ piæ & rectæ vitæ sanitatem restituit. Qui verò intelligunt sanari infirmitates à Deo, quia vbi peccata remisit, simul nos à corporalibus morbis liberat: videtur nimis ieiunè restringere Prophetæ sensum. Quare dubium non est medicinam, de qua Propheta loquitur, spectare ad delendum reatum: deinde ad curanda vitia quæ nobis inhærent. quod fit Spiritu regenerationis. Siquis tertiā addere velit, quòd Deus nobis placatus etiam pœnas condonet, non malè exponet hunc locum. Discamus interea ex hoc loco, donec cœlestis medicus opem nobis ferat, nos non tantum intus fouere multos morbos, sed etiam mortes. tanta est naturæ nostræ corruptio & vitiositas.

4 *Qui redimit è sepulchro vitam tuam, qui te coronat clementia & miserationibus.*

Qui redimit è sepulchro. [V]Vel, Qui redimit de fouea. Alii, Qui vindicat à sepulchro. Vel, ab interitu. Fructum gratuitæ peccatorum remissionis commendat. nam ira Dei, certa mors est. Simúlque clarius exprimit qualis sit nostra conditio antequam malis nostris Deus medeatur, nempe mortuos esse & sepulchro deuotos. Quo pluris æstimare conuenit Dei misericordiam, quia liberatio est à morte & interitu. Nam si initium spiritualis vitæ, resurrectio est à sepulchro: quid iam reliquum erit hominibus in quo sibi placeant? [M]Expendamus ergo quam gratiarum actionem Christo redemptori debeamus, qui animas nostras ab æterna morte, moriendo pro nobis, redemit. Ista redemptio rectè (sicuti iam dictum est) peccatorum remissioni subiicitur. [D]Sicuti enim sempiternam mortem peccata nostra promerentur, ([M]quia stipendia peccati mors, ad Romanos 6. d. 23) ita ab æterna morte redempti per eum sumus qui sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum in cruce fudit. *Qui te coronat clementia & miserationibus.* [V]Vel, Qui coronat te pietate (vel benignitate) & miserationibus. Id est, Qui vndique te cingit & cumulat. [C]Docet his verbis Propheta tam in ipso principio salutis, quàm in toto progressu fulgere incomparabilem Dei gratiam. Cuius laudem vt magis amplificet, adiungit etiam plurali numero miserationes. Dicit autem nos illis circumdari: quasi diceret, à fronte, à tergo, ab vtroque latere, sursum & deorsum immensam Dei gratiæ abundantiam nobis præsto esse, adeo vt nullus locus ab ea sit vacuus. [A]Sic alibi idem ostendere volens, videlicet gratuito Dei fauore probè munitos esse fideles, hunc in modum loquitur, Quoniam tu benedices iusto Iehoua, beneuolentia tua quasi scuto circundabis eum. Vel (vt alii vertunt), coronabis eum. Suprà, Psalmo 5. c. 13.

5 *Qui satiat bono maxillas tuas, renouabitur tanquam aquilæ iuuentus tua.*

Qui satiat bono maxillas. [a] Amplificat gratiæ abundantiam, dicens satiari maxillas. qua metaphora ad epulandi licentiam alludit in largiore ciborum copia. (nam qui laborant victus penuria, vix audent tenuiter cibum gustare) Non quòd ingluviem probet in Dei beneficiis nimis cupidè vorandis (sicuti intemperanter sibi homines indulgent quoties vberior suppetit copia) sed loquutionem sumpsit ex communi more, qua doceret, quicquid bonorũ optari potest, nobis Dei benignitate affluere vsque ad plenam satietatem. [b] Nam in Scripturis passim, ac etiam in Euangeliis, per cibum & potum quæcunque cupimus significantur. Vnde quum Dominus vellet significare credentes in se nihil bonorum desideraturos, dicebat, Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam, Iohannis 6.d.35. Sicut ergo Suprà, 81.b.11. per illud, Dilata os tuum, & implebo illud, cumulus bonorum omnium designatus est: ita & hic Vates per satietatem oris seu maxillarum, bona omnia capit illis quæ ex gratuita Dei bonitate piis proueniunt. [c] Non loquitur quidem de cibo corporali, sed commendat vberrimam beneficiorum Dei copiam, quam effundit in omnes pios, ita vt nihil illis desit quod vtile sit in salutem. *Renouabitur tanquam aquila iuuentus tua.* [d] Alii subaudientes aliquid vertunt, Et cuius beneficio renouatur, &c. [e] Dicit Dauid stillari sibi diuinitus nouum vigorem vt semper maneat integer: quemadmodum Esaias, de Ecclesiæ instauratione disserens, senem centenarium dicit fore similem puero, Cap 65. d. 10. Hac autem loquendi forma significat Deum sibi suggerere cum vberrima bonorum copia internumquoque vigorem, vt illis fruatur lætus, acsi vires assiduè resflorescerent. Aquilæ comparatio, fabulandi occasio fuit Iudæis. Namquum nullius prorsus scientiæ elementa teneant, tanta sunt audacia prædiri vt, quacunque de re agatur, nusquam hæsitent. Simul verò atque aliquid incognitum occurrit, nullum est tam putidum figmentum quod non oraculi loco obtrudant. Ita hoc loco diuinant aquilas singulis quibusque decenniis conscendere vsque ad ignem elementarem, & postea se proiicere in mare, statimq; succrescere nouas pennas. Atqui ea aquilæ natura, quam philosophi describunt vsu scilicet bene compertam, simplex elicitur Prophetæ sensus. Auis enim illa ad vltimum vsque senium semper vegeta est, nec annis debilitatur, nec morbis obnoxia est, donec tandem fame intereat. Viuacem esse satis constat, sed tandem succrescit rostrum, vt cibum capere nequeat, sed tantùm sanguinem sugere cogatur, vel se potu reficere. Vnde prouerbium, Aquilæ senectus: quia bibaces facit necessitas. Quia verò solus potus ad tolerandam vitam non sufficit, fame & inedia magis tabescunt quàm concidant defectu virium. Nunc tenemus absque fabula genuinum Prophetæ sensum, Sicut aquilis semper durat suus vigor, vt in senectute sint iuuenes: ita sustinet arcana Dei virtute pios, vt retineant vires integras. Etsi autem non semper vegeti sunt in hac vita, imò se trahunt in continuis languoribus, verè tamen in eos suo modo competit quod hic dicitur. Hoc quidem omnibus sine controuersia commune est, quòd educti è sepulchro, Deum infinitis modis beneficum sentiunt. Quòd si reputent singuli quantum illi debeant, meritò dicent satiari os suum bonis: sicuti prius confessus est Dauid se numerando esse imparem, quia superat arenas maris, Suprà, 40.b.6. Ac nisi malignitas nostra sensus perstringeret, in ipsa esurie sic famelici pascimur vt multiplices semper suæ bonitatis diuitias Deus proferat. De vigore sic habendum est, quia dum corrumpitur exterior homo noster, renouamur in meliorem vitam, (2. Cor 4. d.16.) non esse cur molestè feramus vires nostras collabi, præsertim quum debiles ac languidos Spiritu suo sustineat.

6 *Faciens iustitias Iehoua, & iudicia omnibus oppressis.*

Faciens iustitias Iehoua. [*] Quidam vertunt, Faciens misericordias Dominus & iudicium. Chaldæus paraphrastes, Faciens iustitiam Deus & iudicium. [a] Postquam in seipso Dei beneficia recensuit Dauid, ab hac priuata consideratione longius euehitur. [*] Incipit enim prædicare in genere beneficia populo Israeli præstita. [c] Quanquam dubium non est, vbi Deum prædicat succurrere oppressis, quin se vnum statuat in eorum numero, sicuti eius auxiliũ in multis persequutionibus expertus erat: sed ex sua experiẽtia describit qualẽ Deus se præstare soleat omnibus iniustè afflictis. Cæterùm quia fideles in hoc mundo semper inter lupos versantur, plurali numero varias liberationes celebrat: vt sciamus hoc esse ordinarium Dei munus, succurrere seruis suis quoties iniuriam illis afferri videt. Nam hinc ad patientiam instruimur, dum nostras iniurias Deus vindicandas suscipit: & quoties iniquè impetimur, iustitiæ suæ clypeo nos tegit, vel iudicii gladio defendit. *Et iudicia omnibus oppressis.* [*] Excluditur hic omnis personarum acceptio, & accessus aperitur quibuscunque insontibus, afflictis & oppressis, ad Deum, tanquam iustum iudicem, confugiendi. Cæterùm huius loci veritas à solis fidelibus capitur, qui cum Dauide improborum ac violentorum nouissima considerant, & sanctuarium iudiciorum Dei ingressi, consilium illius penitius introspiciunt, quo patientia sua & reprobis pœnitendi locum permittit, vt vel resipiscant, vel suo tempore omni excusatione reiecta, iustissimo iudicio puniantur, & insontes variis tribulationibus magno ipsorum bono exerceat, ac probatos reddat. Interea causas iustorum & oppressorum licet differat, non tamen negligit, à quarum exequutione nulla ratione, nec morte etiam cùm insontium tum reproborum impeditur.

7 *Patefecit vias suas Mosi, filiis Israel facta sua.*

Patefecit vias suas Mosi. [a] Nunc canit immensum illud Dei beneficium, quo Deus Israeli seipsum dedit cognoscendum, dum Mosi & per hunc toti populo vias suas patefecit. [c] Ergo electi populi personam suscipit Dauid, & quidem opportunè, nẽpe beneficiis sibi collatis admonitus: & quia persuasus erat nõ nisi quatenus erat Ecclesiæ membrum, tot bonis locupletatum fuisse, mentem suam ad commune fœdus mox retulit. Eandem (fatemur) sententiam continuat: quia viæ istæ quas Mosi ostensas dicit, nihil aliud fuerunt quàm liberatio populi, donec terram promissam ingressus est. Atque hoc tanquam insigne præ aliis iustitiæ & iudicii documentum elegit, quo probaret Deum oppressis iustum auxiliatorem semper esse. Sed quia hoc ex promissione pendebat, non dubium est quin hanc præcipuè respiciat: acsi diceret Dei iustitiam in electo populo, quem adoptauerat & cum quo fœdus pepigerat, clarè fuisse probatam & conspectam. Dicitur autem Mosi primùm, qui minister & internuntius erat, deinde toti populo vias suas manifestasse. Inducitur enim Moses ipse persona diuinitus imposita: quia voluit Deus per eius manum & operam innotescere populo. Viæ ergo & facta Dei sunt, quòd surrexit cum admirabili potentia vt populum redimeret, quòd eum traduxit per mare rubrum, quòd multis signis & virtutibus testatus est præsentiam suam. Sed quia hoc totum manabat ex gratuito fœdere, se & alios ad gratias Deo agendas hortatur Dauid, quòd electi fuerint in peculiarem populum, & per Legis doctrinam illuxerit eorum mentibus. quia sicuti nihil homine miserius est absque Dei notitia, ita incomparabilis plenæ fœlicitatis est thesaurus quòd Deus ad nos cum paterni amoris testimonio descendit. [a] Cauendum itaque ne hoc inæstimabile beneficiũ clausis oculis prætereamus.

8 *Misericors & clemens Iehoua, longus ira, & multus bonitate.*

Misericors & clemens Iehoua. [a] Ex consideratione beneficiorum Dei quæ memorauit, in hanc laudem Dei bonæque spei vocem prorumpit. [b] Videtur autem hoc versu alludere ad illud quod Moses viso Domino exclamauit, Deus misericors & clemens, propitius, lentus ad iram, multus bonitate, Exodi 34.a.6. vbi pro insigni reuelationis modo clarius quàm alibi describitur Dei natura. Quum ergo Moses summatim illic complexus sit quod de ipso nobis cognitu vtile est, prudenter Dauid ad præsentem vsum accommodat elogia illa. Nam eius consilium est mera Dei bonitati tribuere quòd populus, qui suis vitiis à gratia adoptionis subinde excideret, gradum tamen suum retinet. Cæterùm in genere sic habendum est, veram Dei notitiam semper ad fidei sensum referri debere: quia non vult in occulta sua essentia inuestigari, sed quatenus se nobis communicat. Quod notatu dignum est. videmus enim quoties fit Dei mentio, peruersè rapi hominum ingenia ad frigidas speculationes, & arripere quæ nihil prosunt: negligere interim quæ oculis nostris occurrunt virtutes, in quibus relucet viua eius imago. Atqui quocũq; studiũ suũ applicẽt homines, nusquã melius proficient quàm in continua meditatione sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, & misericordiæ eius. Præsertim bonitatis eius cognitio tam ad fidem ædificandã quàm ad laudes eius illustrãdas apta est. Ideoque Paulus hãc nostrã altitudinẽ esse pronũtiat, lõgitudinẽ, latitudinem, & profundum, cognoscere ineffabiles gratiæ diuitias quæ nobis

patefactæ sunt in Christo, Ephes. 3. d. 18. Hæc etiã ratio est cur Dauid post Mosen pluribus verbis Dei misericordiam commendet. Nam primò nullum in nobis vitium deterius est diabolica arrogantia, quæ suam Deo laudem eripit. Adeo autem penitus inhæret vt nõ facilè reuelli queat. Exurgit ergo Deus, & quo exinaniat sacrilegam carnis fiduciam, misericordiam suam, qua sola stamus, magnificè asserit. Rursum vbi acquiescere decebat in Dei gratiam, trepidant aut vacillant mentes nostræ: nec quicquam nobis difficilius est quàm agnoscere Deum nobis propitium. Quare huic dubitationi Dauid post Mosen synonyma hæc opposuit, Deũ esse misericordẽ: deinde gratificum, vt ita loquamur: tertiò, humaniter & cum mansuetudine tolerãtem hominum peccata: postremò, multæ clementiæ & bonitatis. *Longus ira.* Hebraismum sic reddunt quidam, Tardus ad irascẽdum, & multa beneuolẽtia præditus. Alii, Remotus ab ira, & multus misericordia, siue bonitate. Tardus ad iram Deus esse dicitur, eo quòd non illico puniat.

9 *Non in perpetuum rixabitur, & non in seculum custodiet.*

Non in perpetuum rixabitur. Quidam, Non in seculum contendit. Futurum Hebræum, Litigabit, cõtẽdet, vel rixabitur. subaudi, cum homine. Alii, obiurgabit. Consequenter iam ex superioribus epithetis colligit Dauid, Deum, vbi offensus fuerit, fore tamen placabilem, quia natura semper ad ignoscendum propensus est. quasi dicat, Etiamsi aliquando delinquentium improbitate & impœnitentia post longam patientiam victus irascitur, obiurgat & punit, facit tamen hoc non in sempiternum, sed facilè placatur: neque retinet iram quãuis iustam, sed ad beneuolentiam reuertitur. Hoc autem additu necessarium fuit, quia peccata nostra ianuam clauderent eius bonitati, nisi occurreret eius placandi ratio. Subindicat autem Dauid Deum litem intendere peccatoribus, vt eos sensu reatus humiliet: mox tamen supersedere, vbi subactos videt ac supplices. Aliter Genes. 6. a. 3. dicit, Non litigabit Spiritus meus amplius cum homine: nempe quia conuictis maleficiis, iam matura erat damnatio. Hic autem Dauid perpetuò rixari negat: quia, vt est exorabilis & facilis ad veniam, ius suum non prosequitur. Atque huc pertinet secundum verbum, quod phrasi Gallicæ respondet, *te luy garde, Il me l'a gardé*, vbi de occulta vltione agitur, quam intus fouens qui iniuriis ignoscere non potest, nocendi occasionem expectat. Negat autem Dauid Deum more hominum seruare iniurias, quia vltro ad reconciliationem descendit. Sciendum tamen est promiscuè hoc non competere in totum genus humanum, sed esse Ecclesiæ priuilegium. Nam disertè apud Mosen vocatur Deus formidabilis vltor, qui patrum delicta reiicit in sinum filiorum, Deut. 5. a. 9. Sed Dauid, omissis incredulis (quibus incumbit æterna & implacabilis ira Dei) docet quàm comiter indulgeat filiis suis: sicut etiam loquitur Deus ipse apud Esaiam, In momento castigaui te, miserationibus autem æternis te prosequar, Esa. 54. c. 8. Interea notandum Deum sic clementem esse & misericordem vt nonnunquam suos obiurget, ac peccantibus irascatur, ita tamen vt clementiam suam ab illis minimè auferat.

10 *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras rependit super nos.*

Non secundum peccata nostra. Vt hanc Dei gratiam illustriorem reddat, intertexit peccatorum & iniquitatum confessionem. atque ita experimento vel effectu probat quod dixit, quia nonnisi mira Dei tolerãtia salui hactenus steterant Israelitæ. perinde acsi diceret, Examinet quisque nostrum vitam suam, quot modis prouocauimus iram Dei, imò assiduè prouocamus: ipse verò non modò sibi à pœnis temperat, sed benignè etiã alit quos meritò perdere poterat. *Neque secũdũ iniquitates nostras rependit super nos.* Idem dicit, sed aliis verbis. Q.d. Iam actum de nobis prorsus esset si Dei vltio ac pœna nostra æquaret scelera quæ admisimus, si par pari in inferendis plagis referret, si secundum quod meriti sumus, de nobis pœnas sumeret. Hic Dauid apertè sibi non modò peccata, sed & iniquitates populo Dei ascribit, longè diuersus ab illis qui Ecclesiam Dei non agnoscunt nisi prorsus puram & puram, deinde & ab illis qui secundum vitæ puritatem vel impuritatem, de doctrina iudicandũ esse putant. Præterea seipsum populo peccatori & iniquo accenset. sicuti Daniel cap. 9. a. 5. b. 6, & alii Prophetæ, qui peccatorum veniam nunquam non sibi, vt cæteris, necessariam esse confessi sunt.

11 *Quia secundum altitudinem cœlorum super terram præualuit bonitas eius super timentes eum.*

Quia secundum altitudinem. Hoc versu & duobus sequentibus Propheta diuinæ bonitatis & clementiæ gratiam amplificare voluit, excellentiam illius deprædicando. Ac primùm similitudine confirmat, Deum fideles suos non vlcisci vt meriti sunt, sed clementia sua cum eorum maleficiis certare. Porro tantundem valet loquutio acsi immensam erga nos Dei misericordiam esse diceret. *Præualuit bonitas eius.* Quidam vertunt, Roborauit misericordiã suã. Alii, Valentẽ fecit bonitatẽ suã. Alii, præualuit pietas eius. Nã verbũ גבר quidam neutraliter, quidam trãsitiuè accipiũt, sed parũ interest vtrouis modo sumatur: quia semper misericordiæ Dei immensitas mundi amplitudini confertur. Sic alibi dicebat, Magna est vsque ad cælos misericordia tua, & vsq; ad cælos veritas tua, Suprà 57. c. 11. *Super timentes eum.* Obseruandum hic est quibusnam peccatoribus Deus sit adeo propitius & indulgens: sanè timentibus, id est colẽtibus ipsum, qui interim etsi cupiditatibus carnis in transuersum acti delinquant, semper tamen Dei timorem & amorem in animis suis seruant. In summa, negatur contemptoribus & impœnitentibus Dei misericordia, promittitur autem timentibus Deum & veris eius cultoribus.

12 *Sicuti procul distat Oriens ab Occidente, procul remouit à nobis peccata nostra.*

Sicuti procul distat Oriens. Altera cõparatione idem dicit quod versu superiori. *Procul remouit à nobis.* Vel, distare fecit. longè fecit, elongauit, longè remouit. Quia Dei misericordiæ ad nos vsque non pateret accessus nisi sublato reatus obstaculo, nunc addit Propheta Deum tam procul abigere à nobis peccata quàm longè distat Oriens ab Occasu. Hi mundi termini se contingere nunquam possunt, ita nequeunt sanctos & Dei timentes eorum peccata vnquam sic attingere vt meritis malis inuoluant, vtcunque in salutem ipsorum à cœlesti Patre subinde castigentur. Summa est, longè latéque pro orbis magnitudine effundi misericordiam Dei super fideles: ac nequid impediat eius cursum, aboleri prorsus eorum peccata. Nisi enim peccata à nobis remouerentur, locus diuinæ erga nos misericordiæ esse non posset. Confirmat autem hoc loco Dauid quod nuper diximus, non generaliter se tractare qualis erga totum mundum sit Deus, sed qualem se fidelibus præstet. Vnde etiam apparet non hic agi de misericordia qua nos initio sibi reconciliat, sed qua assiduè prosequitur quos paterno amore complexus est. Vna enim species misericordiæ est qua nos à morte restituit in vitã, dũ adhuc sumus ab eo alieni: altera, qua nos sustinet. quia statim euanesceret gratia illa nisi eam quotidiana venia sanciret. Vnde etiam colligimus quàm crassè ineptiãt Papistæ, dum gratuitã peccatorũ remissionẽ semel tantùm dari fingunt: postea autem iustitiam acquiri, vel retineri eius possessionem operum meritis: quicquid culpæ contrahitur, satisfactionibus redimi. Videmus autem vt Dauid Dei misericordiam, qua sibi nos reconciliat, peccata non imputando, non includat puncto temporis, sed extendat vsque ad vitæ finem. Non minus etiam validè refellit hic locus fanaticos, qui se & alios vesana perfectæ iustitiæ opinione fascinant, vt amplius non indigeant venia.

13 *Sicut misericors est pater erga filios, misericors fuit Iehoua erga timentes se.*

Sicut misericors est pater. Dauid hoc versu non tantùm similitudine explicat quod dixit, sed simul primam totius clementiæ huius & indulgentiæ causam notat, quod nimirum nos Deus vt pater complexus est, & planè paterno in nos affectu existit. Non ait, Sicut miseretur homo hominis, diues pauperis, sanus ægroti, liber captiui &c. sed eam misericordiam inducit quam parẽs impendit filio, quæ omnium est maxima. Huc facit & verbum רחם cuius significatione viscerum commotio exprimitur. Exemplum huius habes 1. Regum, 3. d. 26. de muliere quæ necem filii sui ferre non poterat, eo quòd materna ipsius viscera ad iudicium Solomonis concuterentur: deinde & in patre filii prodigi, Lucæ 15. c. 20. Et in Ioseph, dum fratres suos, præcipuè vero Beniamin, coram vidit, Genesis 43. f. 30. Ergo mirum in modum Deus erga nos afficitur, quia Pater noster est. Gratuita igitur adoptio illum peccatis nostris assiduè propitiat: ideoque ex fonte illo spes veniæ petenda est. Iam quum nullus suo merito adoptatus fuerit, sequitur gratis remitti omnibus peccata. Scimus autem Deum terrenis patribus conferri, non quia similis sit illis, sed quia incom-

parabilis erga nos eius amor exprimi non potest. [A]Quin & matris personam interdum suscepit, vt ardentissimum amorem, quo suos prosequitur, magis exprimat. Vide Esa. 49.d.15. *Erga timentes se.* [A]Id est, erga cultores suos. [C]Ne ad licentiã trahatur paterna Dei indulgentia, iterum repetit Dauid, nonnisi synceris suis cultoribus ita esse propitium. Est quidem hoc non vulgaris tolerantiæ, quòd solem suum oriri facit super bonos & malos: (Matth.5.g.45) sed hic agitur de gratuita imputatione iustitiæ, qua censemur Dei filii. Ea autem non aliis offertur nisi qui tam benefico patri se addicunt, & reuerenter subiiciunt eius verbo. Sed quia qualecunque pietatis studium longè à perfectione distat, vnica salutis fultura relinquitur in Dei bonitate.

14 *Quia ipse cognoscit figmentum nostrum, recordatus est quòd puluis sumus.*

Quia ipse cognoscit figmentum. [A]Quidam, Ipse enim nouit plasmationem nostram. [V]Vox Hebræa significat opus figulinum: acsi diceret Dauid, Scit Deus quàm fragiles nos creauerit, atque aliud non esse nos quàm puluerem & lutum. [A]Nam Dominus Deus quoniam tam paterno in nos & plusquam indulgenti est affectu, agnoscit vt ipse nos finxerit, sanè ex limo terræ terrenos, caducos & miseros. Hoc est, magna lenitate infirmitatis & inanitatis nostræ rationem habet, ne dignas scilicet de commissis nostris pœnas sumat: sed considerata potius vitæ nostræ fugacitate, indulgentius nobiscum agat quàm certe prauitati carnis nostræ debebatur. [C]Hîc Dauid in nihilum redigens quicquid sibi dignitatis arrogant homines, solum miseriæ respectum esse asserit qui Deum prouocat ad nos humaniter tolerandos. Quod diligenter rursus notandum est, non modò ad domandam carnis superbiam, sed ne fiduciam nostram moretur vel impediat nostra indignitas. Nam quo miserior est ac magis despicabilis nostra conditio, propensior ad misericordiam erit Deus, si quidem vt nobis benefaciat, luto nostro & puluere contentus est. *Recordatus est quòd puluis sumus.* [H]Sumus quidem ad Dei imaginem conditi, nec tantùm terrestris in homine materia est, sed cælestis, nempe spiritus: (nam ex anima & corpore compositus est homo) quod tamen in homine abiectius est & humilius Deũ magis ad misericordiam illi præstandam flectit, quàm quod gloriosum, præclarum & cæleste. Admonemur itaque vt & ipsi in nobis magis hoc respiciamus quòd puluis sumus, quàm quod sapientia, gloria, opibus, spiritu, & cæteris præditi sumus: & oculis diuinæ maiestatis humilitatem potius conditionis nostræ offeramus, vnde ad misericordiam permoueatur, quàm arrogantiam ex donis ipsius conceptam, vnde irascendi occasionem sumat. [A]Etenim Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Iacobi 4.b.6. [H]Adhæc parentes admonentur vt & ipsi partus suos agnoscant, quo maiore diligentia liberos suos educent & instituant, quos tam procliues ad malum genuerunt. Postremò qui potentes sunt, considerent & ipsi in subditis suis, quàm sint infirmi, rudes, insipientes, & inde occasionem ignoscendi sumant. Deinde & quòd ipsi quoque puluis sint, cum hoc Dauide rege cogitent: ne, si superbiant, audiant illud, Quid superbis terra & cinis? Eccles.10.b.13.

15 *Homo quasi herbæ dies eius, quasi flos agri, sic floret.*

Homo quasi herba dies. [V]Vel, Hominis dies sicut herba. vel, gramen, fœnum. [H]Non solùm humili conditione est homo, sed & vita caduca & fragili. [C]Ideo Dauid dicit totam hominis præstantiam, non secus ac floris caduci, vno flatu marcescere. *Quasi flos agri.* [H]Herba ex terra, & quasi vita terræ, flos veluti gloria herbæ est: sic & nos conditione terra sumus, & vitam habemus fragilem herbæ similem, & gloriam vitæ perinde atque flosculum caducam. Sapientia, fortitudo, opes, iuuentus, vigor & sanitas corporis, gloria sunt vitæ nostræ, quæ omnia flori herbæ rectissimè comparantur. Vide Esa. 40.a.5.

16 *Vbi uentus transierit super eum, tunc non erit, nec cognoscet eum amplius locus eius.*

Vbi uentus transierit super eum. [C]Clarius hominis vanitatem ac vitæ eius breuitatem hac similitudine florentis herbæ exprimit. Impropriè quidem homo florere dicitur: sed quia nihil possit, cum tamen aliqua gratia pollere, Dauid per concessionem florere dicit instar herbæ, potius quàm fumum vel vmbram, ac rem nihili esse pronuntiat: sicuti iure poterat. Etsi enim quamdiu viuimus in mundo, naturalibus donis sumus ornati, atque (vt reliqua taceamus) in Deo sumus & mouemur (Act.17.f.28) quia tamen nihil habemus nisi precarium, & quod in singulas horas auferri potest, pompa est vel figura quæ præterit. Propriè autem de vitæ breuitate hic agitur, cuius Deus rationem habet, clementer nobis ignoscendo: sicuti dicitur, Recordatus est quia caro sunt, spiritus transiens, & non rediens, Suprà, 79.d.38. Siquis roget cur præterita mentione animæ (quæ tamen potior est pars hominis) Dauid nos pronuntiet esse puluerem & lutum: respondendum est, hoc Deo sufficere ad nos clementer sustinendos, dum videt nostra vita nihil esse fragilius. Etsi autem anima, postquam migrauit ex ergastulo corporis, superstes manet: in se tamen nihil habet firmitudinis. Creata est vt corpus viuificet: sed nulla vitæ gutta prædita est, nisi quam Deus inspirat. Quòd si gratiam suam subducat Deus, anima non aliter flatus erit quàm corpus puluis: certè in toto homine nonnisi mera vanitas reperietur.

17 *At bonitas Iehouæ à seculo & usque in seculum super timentes eum, & iustitia super filios filiorum,*

At bonitas Iehouæ. [A]Vel, misericordia autem Iehouæ. Vel, clementia Iehouæ. [H]Paulo latius repetit hoc loco Dauid quod de Dei misericordia dixerat. Nam beneuolentiam Dei erga timẽtes ipsum in eo celebrat quòd nec heri ac nudiustertius cœperit: nec aliquãdo desitura, sed in sempiternũ per omnia secula sit duratura. [C]Atq; ita hoc tantùm facit hominibus residuũ, vt in Dei misericordia subsistãt: quia nimiũ desiperẽt fulturã in se quærendo. Postquam autem exinaniuit homines, opportunè solatium addit: quamuis nulla sit in ipsis virtus intrinseca quæ non in fumum abeat, Deum tamẽ inexhaustum esse vitæ fontem, qui eorum ariditati succurrat. *A seculo & usque in seculum.* [H]Constantiam diuinæ beneuolentiæ his verbis prædicat. Nulla humana beneuolentia perpetuò sibi similis est, sed ipsa experientia videmus eos qui hodie clementes sunt, cras mutari in tyrannos: at Dei beneuolentia constans est ac perpetua. *Super timentes eum.* [C]Notanda est hæc antithesis. quosdam enim eximit Dauid omni virtute: nempe fideles, qui regeniti sunt Dei Spiritu, veráque pietate eum colunt: nihil tamen relinquit vbi spes eorum subsidat, præter meram Dei bonitatem. Cæterùm quia æterna est Dei bonitas, non obstat sua fidelibus infirmitas quominus de æterna salute vsque ad finem & in morte ipsa glorientur. neque enim eorum spem aliis temporum finibus includit Dauid, quàm Dei gratiam in qua fundata est. *Et iustitia.* [V]Bonitati subiicit iustitiam. quo nomine Vates non significat hoc loco ius quod Deus hominibus reddit, sed potius fidem ac præsidium quo tuetur suos. [C]Deus ergo iustus est, non quia vnumquenque remunerat prout dignus fuerit, sed quia fideliter cum suis agit, eos manu sua protegendo. Hanc verò iustitiam scitè Propheta in inferiore gradu statuit tanquam effectum bonitatis. *Super filios filiorum.* [E]Addit, hanc Dei bonitatem & misericordiam super filios & nepotes propagari, secundum illud, Deus misericors in mille generationes, Deut. 7.b.9. [H]Nam hæc particula Erga filios filiorũ, non sic est intelligenda, quasi filiis ac nepotibus duntaxat Deus beneuolentiam istam impendat, sed quòd omnis posteritas piorum quantumuis prolixa, beneuolẽtiæ huius particeps existat, nisi à pietate paterna degeneret. Neque enim morte piorum, nec quãuis longa seculorum serie extinguitur. [C]Est autem hæc eximia amoris probatio, quòd non tantũ singulos in gratiam recipit, sed quasi hæreditario iure posteros associat, vt eiusdem sint adoptionis consortes. Quomodo enim nos abiiceret, qui filios nostros & nepotes in tutelam suam recipiens, in eorum personis demonstrat quàm sibi pretiosa sit nostra salus? [H]Admonentur ergo hac consideratione parentes quomodo liberis ac posteris suis, vt verè fœlices sint, consulant. Timeant Dominum, & voluntati illius ex animo synceráque fide studeant: deinde, cum Abrahamo, filiis ac domui suæ præcipiant vt viã Domini custodiant, Genes.18.e.19. Hæc ratio consulendi posteris multo melior est quàm si illis Crœsi opes colligãtur, ac relinquantur. Magna est eorum insania qui liberis malè institutis portentosas opes coaceruant, quibus ad libidinem & propriam perniciem vtantur.

18 *Iis qui custodiunt fœdus eius, & memores sunt statutorum eius, ut faciant ea.*

Iis qui custodiunt fœdus eius. [H]Declarat de quibus timentibus Dei loquatur. [C]Nam quia nihil magis procliue est quam vt falso gratiæ Dei prætextu se deludant hypocritæ, vel filii degeneres perperam ad se rapiãt quod patribus promissum est, iterum

cōditione rerum, & naturæ ordine, vbi admirabilis eius prouidentia cernitur.

BEnedic anima mea Iehouæ. Iehoua Deus mi, magnificatus es valde, laudem & decorem induisti.

Benedic anima mea Iehouæ. Quidā, Lauda (vel prædica) anima mea Iehouē. Iterum Propheta semetipsū ad laudē Dei excitat, sicut & Psalmo præcedenti fecit. quanquam differt hic Psalmus à proximo: quia neque de specialibus Dei beneficiis disserit quæ residēt in Ecclesia, neque ad spem cœlestis vitæ nos attollit, sed in mundi opificio & naturæ ordine viuam sapientiæ, potentiæ, & bonitatis Dei imaginem nobis depingens, ad eum laudādum nos hortatur, quatenus in hac caduca vita se nobis patrem exhibet. *Iehoua Deus mi.* Hic per apostrophē ad Deum ipsum, cuius opificium & prouidētiam laudat, conuertitur, Dominum Deum suum appellans. quæ verba magnam fidem per emphasin ac inenarrabilem quandam pii cordis suauitatem spirant. Subiicit, *Magnificatus es valde.* Intellige, propter indicibilem sapientiam & potentiam, quam in conditione cœli ac terræ expressit. In se perpetuò magnus est Deus, nec potest amplitudini illius quicquam accedere: verùm magnificari dicitur quando per opera sua mortalibus magnus & admirandus innotescit. *Laudem & decorem induisti.* Hebraismus, pro Ornaris & commendaris magnificentia & splendore: per cælos te decorum & splēdidum agnoscimus, vt homioem per vestem. Postquam se hortatus est Propheta ad Deum laudādum, subiicit, argumentum suppetere, obliquè se & alios ingratitudinis dānans, si Dei laudes, quibus nihil debebat esse notius vel magis celebre, sepeliant silentio.

2 *Amictus luce sicut vestimento, extendens cælos quasi velum.*

Amictus luce sicut vestimento. Dicit Deum ornatum esse luce, & lucem vestimento comparat, significans, quamuis inuisibilis sit Deus, conspicuam tamen esse eius gloriam. Si de essentia eius agitur, habitat certè lucem inaccessam (1. Timoth. 6.d.16) sed dum irradiet totum mundum suo fulgore, hæc vestis est in qua visibilis quodammodo nobis apparet qui in seipso erat absconditus. Atque hæc doctrina cognitu apprimè vtilis est. Nam si conentur homines ascendere ad Dei altitudinem, quamuis nubes transuolent, deficere tamen in medio cursu necesse est. Et certè desipiunt qui Deum quærunt in nuda sua maiestate. Quare vt conspectu eius fruamur, prodeat in medium cum suo ornatu, hoc est, vertamus oculos ad pulcherrimam hāc mundi fabricā, in qua vult à nobis conspici, ne perperam in arcanæ essentiæ inuestigatione simus curiosi. Iam quum Deus sa luce vestitum nobis offerat, non est cur ignauiæ suæ prætextum capiant qui eius notitiam subterfugiunt, acsi in profundis tenebris lateret. Præterea, si Deus in se magnus, gloriosus & illustris, tum demum magnificatus, laudemque & gloriā indutus describitur, quando sapientiam & potentiam suam ipsis operibus exerit, & cunctorum oculis obiicit, quàm iniquum est, hominem pulverem et terram, qui peccata velut aquam bibit, omnique dignus est ignominia & confusione, titulos magnificentiæ, laudis & gloriæ tum quoque venari, quando non modò nihil laude dignum operatur, sed & operibus suis impiis ac nefandis summam meretur ignominiam? *Extendens cælos quasi velum.* Vel, qui extēdis cœlos veluti pellem, qua scilicet fit tentoriū. Non intelligit cælum esse velum quo se occultet Deus, sed quo decoretur eius maiestas: acsi diceret regium esse tentorium. Loquitur autem de firmamento, vel expansio, רקיע, quod שמים est appellatum, Genes. 1. a. 8. Cortinæ, quæ ex pellibus fit, facilis est extensio: verùm multo facilius cælum hoc immensum Deus verbo suo extendit, & veluti cortinam vniuerso mondo circumduxit, ac magnificentissimè ornauit. Quàm verò ista cæli extensio piis animis ad fidem diuinæ prouidētiæ etiam in rebus aduersis seruire debeat, videre est Esa. 51. d. 12. vbi sic legimus, Quis tu, vt timeas ab homine misero, & à filio hominis, qui perinde ac fœnum arescit, & obliuiscaris Domini, qui te fecit, qui cælos extendit, & terram fundauit?

3 *Contignans in aquis cœnacula sua, ponens nubes vehiculum suum, ambulans super alas venti.*

Contignans in aquis cœnacula. Vel, qui contignat in aquis superiora sua. Quidam, Qui ponit trabes cœnaculorum suorum in aquis. Alii, Qui facit velut contignationē cœnaculi sui aquas. Pluribus verbis explicat Dauid quod breuiter & figuratè dixerat de vestimento Dei. Huc tendit summa, non esse penetrādum super cælos quærēdi Dei causa, quia nobis occurrit in mundo, viuásque picturas oculis nostris passim ingerit. Porro ne imaginemur aliquid in eo aduentitium, quasi creato mundo auctus fuerit, tenendum est eum nostra causa vestem induere. Paulò durior videtur esse metaphora, quòd Deus cœnacula sua in aquis contignet: sed ex re incomprehensibili plus admirationis mouere voluit Propheta. Nisi enim trabes solidæ sint ac robustæ, ne mediocris quidem ædificii moles illis incumbet. Quid ergo Deus aquas cælesti suo palatio superponit, quis nō ad miraculum tam incredibile obstupescat? Tempore nostro non superuacuæ sunt tales hyperbolæ, quæ vix ad leuē vsque notitiam nos expergefaciunt. *Ponens nubes vehiculum suum.* Vel, qui ponit nubes currum suum. Sic alibi vocat nubes lambulū Dei, Suprà 18.b.11. *Ambulans super alas venti.* Rem eandem bis dicit. Solebant magni reges curribus & equis vti, quorum copia & instructione superbia quoque bellica cōstabat. Horum similitudine Propheta vt maiestatem cælestis regis exprimat, loco curruum & equorū tribuit illi nubes & ventos: quos canit etiā alatos esse, vt incredibilem illorum velocitatē exprimat. Vult his verbis admonere quanta velocitate Deus cunctos totius orbis terminos penetret, non quòd ventorum ac nubium velocitas diuinæ naturæ sufficiat, sed quòd in rebus sensibilibus nihil reperitur quod velociore motu feratur quàm ventus. Admonemur itaque vi ac velocitate ventorum (quam vtranque & sentimus & experimur), quàm velociter currat verbi Dei operatio. Sed quid sit ambulare super pennas ventorum, ex sequenti versu melius liquebit, vbi dicit Propheta,

4 *Faciens Angelos suos, ventos, ministros suos, ignem flammantem.*

Faciens angelos suos, ventos. Alii legunt, Qui facis Angelos suos, spiritus. Hebræi hoc ità exponunt; Qui flatibus siue ventis, & fulmine, igneque cælesti vtitur tanquam ministris: vt in subuersione Sodomæ, Gen. 19. c. 24. Propheta dicit vētos esse nuntios Dei. En quemodo in nubibus equitet Deus, & ventorum alis vehatur: quia scilicet ventos & nubes circumagit suo arbitrio, & qua vult celeritate huc illuc transmittens, præsentiam suæ virtutis demonstrat. His autem verbis admonet non temere ventos surgere, nec fortuito impetu oriri fulgura, sed Deum suo imperio regere & moderari quicquid est perturbationum in aere. Cuius doctrinæ duplex est fructus. Nam si quando fugant noxii venti, Auster aerem inficiat, segetes exurat Aquilo, non arbores tantùm sed ædificia prosternat: alii venti fruges terræ corrumpant, trepidandum est sub istis Dei flagellis. Rursum si Deus suaui aliquo vento temperet nimium calorem, si Aquilone purget aerem fæculentū, si Austris aridam terram humectet, hic reputanda est eius bonitas. Hic ergo potentia Dei prædicatur, cui venti & ignis obedire ac seruire coguntur, quemadmodum alibi dicitur, Ignis & grando, nix & vapor, ventus turbinis faciens verbum eius, Infrà 148. b. 8. Quòd si creaturæ illæ promptam Deo obedientiam præstant, quomodo excusabuntur homines, qui perpetua contumacia Dei iussa securè contemnunt? *Ministros suos ignem flammantem.* Vel, flammātem. Videtur loqui de igni fulminum, de quo videre licet Suprà 18. b. 6. & 19. a. 5. Cæterùm quia locum hunc Apostolus citat in epistola ad Hebræos, cap. 1. c. 7, & transfert ad Angelos, communi ferè consensu Græci & Latini interpretes putarunt allegoricè Dauidem loqui. Sic quia Paulus locū ex psalmo 19. a. 5, citans, vsus fuerat transferre ad Apostolos quod de cælis illic dicitur, totus psalmus ad allegoriam insciè tractus est. Porro Apostoli consilium non fuit simpliciter exponere quid doceat hoc loco Propheta, sed quia Deus quasi in speculo nobis visibilis proponitur, meritò analogiam posuit Apostolus inter obsequium quod palam & sensibili modo venti Deo præstant, & quod ipse ab Angelis recipit. Summa est, sicuti Deus ventis vtitur tanquam nuntiis, huc illuc cōuertit, sedat & excitat quoties visum est, vt eorum ministerio declaret suam potentiam: sic Angelos esse creatos vt Dei iussa exequantur. Et certè malè proficimus in spectaculo totius naturæ, nisi fidei oculis speculamur spiritualem illam gloriam, cuius imago in mundo nobis apparet.

5 *Fundans terram super bases suas, non mutabit in seculum & vsque.*

Fundauit terram super bases. Vel, super locum suum. Propheta admirābilem sapientiam, gloriam, potentiam ac maiestatem Dei in structura cæli, deinde in nubibus, vento & igne considerādam proposuit. Iam consequenter in terræ stabilitate prædicat ipsius Dei gloriam. Fundauit, inquit, terram super bases suas. Quæ sint illæ bases explicat alibi, dicens, Quoniā ipse super maria fundauit eā, & super flumina præparauit eam, Suprà 24. a. 2. Ergo bases terræ sunt maria, fundamētum planè stupendum & mirabile tantæ moli subiectum. Quomodo enim terra locum suum tenet immobilis, quum in medio aere pendeat, & solis aquis fulciatur? Nō caret hoc ratione, fatemur, quia terra infimū locum occupans, vt est centrum mundi, naturaliter illic subsidit: sed in hoc quoque artificio relucet admirabilis Dei potentia. Deinde si aquæ supereminent quia leuiores sunt, cur ergo circulariter operiunt totam terram? Hic certè non habent philosophi quod respondeant, nisi Dei prouidentia correctum fuisse naturæ ordinem, vt hospitium pateret hominibus.

Nisi enim certo Dei consilio cohiberi aquas concedant, non modò malitiam suam produnt & ingratitudinem, sed inscitiã quoque, suntque prorsus barbari. Non abs re igitur inter Dei miracula Propheta commemorat quod incredibile nobis esset, nisi experientia conuinceret verum esse. Ac nimium maligni sumus nisi hoc tam certo documento admoniti, discamus nihil in mundo esse firmum nisi quatenus Dei manu fulcitur. Neque enim mundus habet à seipso originẽ. itaque non aliũde pẽdet tot' naturæ ordo quàm ex decreto Dei, quo indita est singulis elemẽtis sua proprietas. [c] Nec tantùm hortatur nos Propheta ad gratias Deo agendas, sed in futurũ tẽpus cõfirmat, ne trepidè & anxiè viuamus in mundo: sicut necesse esset nisi testatus esset Deus se hominibus stationem dedisse in terra. [a] Nã subdit, *Non mutabit in seculum & usque.* [b] Vel, Ne moueat se in seculum & in seculum. [m] Vel, non mutabitur, non mouebitur. Quibus verbis firmitatem huius admirabilis fundamẽti significat, & gloriam fundatoris deprædicat. [c] Cuius etiam hoc singulare beneficium est, quòd vult tranquillis animis nos in terra habitare, quia æternis eam fulturis stabiliuit. Etsi enim sæpe contingit vrbes chasmate perire, corpus tamen ipsum terræ manet: imò quicquid motuum accidit, melius confirmat terrã singulis momentis absorberi posse nisi arcana Dei virtute staret. [m] Proinde hæc Dei potentia quam Vates celebrat, debet à nobis singulis diebus expendi: ac tum præsertim cum stupore considerari, quando terræ motu ingentia ac præclara ædificia subruuntur: [a] vt cogitemus posse id indesinẽter fieri nisi terræ moles diuina virtute contineretur. [m] Sed de stupenda & admirabili terræ fundatione ac stabilitate plura vide Iob 38. a.4. &c. & Prouerb. 3. c.19, & 8. d.19. & Suprà 24. a.2. & 102. d.26. & 119. 90.

6 *Abyssa quasi veste operuit eam, super montes stabunt aquæ.*

Abyssa quasi veste operuit eam. [v] Vel, vt quidam vertunt, Voragine tanquam vestimento operueras eam. Vel, texisti (vel, texeras) eam. Sub. terram. [c] Potest hoc duobus modis intelligi, vel, quòd nunc mare operiat terram quasi vestis: vel quòd initio, antequam aquas voce sua Deus in aceruum colligeret, ab ipsis tecta fuerit terra. Videtur tamen illud melius quadrare Prophetæ verbis, nunc mare esse terræ integumentum. Nam in prima creatione abyssus non tam vestis erat quàm sepulchrum: quia nihil ab ornatu magis alienum est quàm confusa illa vastitas, & informe chaos. Hic ergo laudatur mirabilis ista distinctio, quòd quum abyssus forma careat, sit tamen ornatus terræ. Quia videtur alio ducere contextus, illuc magis inclinans interpretes, tectam fuisse terram ab ipso antequam segregarentur aquæ. Sed facilè soluitur hic nodus: si futurum tempus, vbi dicit Propheta, *Super montes stabunt aquæ*, in potentialem modum resoluas: quod Hebræis satis tritum est. Et certè dubium non est, vbi dicit Propheta vestitam fuisse terram aquis, exegeticè addere, Super montes starẽt aquæ, nisi ab increpatione tua fugerent. Vnde enim fit vt emineant montes, valles subsidant, nisi quòd fixi sunt aquis limites, ne reuerti queant ad terram mergendam? Videmus nunc contextum optimè fluere, quòd mare, quum abyssus sit horrorem sua vastitate incutiens, speciosa tamen sit terræ vestis. Metaphoræ autem ratio est, quia extat aperta terræ superficies.

7 *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui celeriter trãsibunt.*

Ab increpatione tua fugient. [a] Quidam, Et tamen ab increpatione tua fugerunt. [c] Confirmat Propheta non esse fortuitum quod extet aperta terræ superficies. Nisi enim aquas cohibeat Dei prouidentia, annon protinus se proiicient aquæ ad terram obruendam? Quænam restabit montium & valliũ distinctio? Ergo Propheta non temere contendit, claro miraculo, non autẽ naturaliter fieri vt appareat aliqua terræ facies. Nã si habenas mari Deus laxaret, repente starent aquæ super montes: nunc quia fugiunt ab obiurgatione Dei, feruntur in diuersam partẽ. *A voce tonitrui tui.* [c] Obiurgationem Dei & vocem tonitrui vocat terrificum imperium, quo Deus prohibet violentos maris impetus. Quanquam enim solo nutu hanc distinctionem posuit, & hodie tuetur: si tamen reputamus quàm tumultuosè despumetur maris feruor, non frustra dicit Propheta violento Dei imperio compesci. Sicuti & Ieremiæ 5. e.22, & Iob 38. d.25, Deus hac in parte suam potentiam magnificè commendat. *Celeriter transibunt.* [v] Vel, festinauerũt. Futura Hebræa pro præteritis, præcipitauerũt se. Alii, festinanter deiiciuntur. Alii, præcipites cesserunt.

8 *Ascendent montes, descendent valles ad locum quem fundasti eis.*

Ascendent montes. [a] Quidam, Tunc ascenderunt montes, descenderunt valles. [c] Ad phantasiam hominum dicit montes ascendisse, & descendisse valles, vbi desidentibus aquis, & in Oceanum collectis, montes & campi, vallésque apparuerunt. [c] Ergo ascensus montium & vallium descensus poeticæ sunt figuræ, nisi Deus abyssum suis finibus includeret, nullum fore amplius discrimen inter montes & valles, quia totam terram ingurgitaret. Valet autem hæc diuersitas ad terræ pulchritudinẽ. Dicit vallibus fundatum esse locum, quia in radicibus montiũ nihil esset solidi, sed illic dominaretur abyssus, nisi Deus vacua illic spatia esse præter naturam iuberet.

9 *Terminum posuisti, non præteribunt: non reuertentur ad operiendam terram.*

Terminum posuisti, non præteribunt. [m] Non de montibus iam loquitur, quorum suo quisque loco terrã operit, sed de vndis quæ vt antea terram initio operuerunt, ita ad hoc procliues sunt, vt, nisi diuinitus præscriptis limitibus detinerentur, ad operiendum tellurem, & ad pristinam stationem facillimo momento reuerterentur. Sic legitur Iob 38. b.10, Circundedi illud terminis meis, & posui vectẽ, & ostia, & dixi, Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. [c] Quare ab hoc perpetuo ordine Vates melius amplificat quod posuit miraculum. Physici hoc fateri coguntur, & vnum est ex primis rudimentis, quum aqua circularis sit, & medium locum inter terram & aerẽ occupet, fieri cœlesti prouidentia vt pars terræ sicca ad hominum habitationem emineat. Huius etiam rei clara est oculis demonstratio: imò si rudissimi idiotæ tantùm aperiant oculos, videbunt in mari excelsas aquarum moles longè supra terræ situm. Certè nulli aggeres, nulla etiam ferrea claustra facerent tam firmam consistentiam qualis in aquis natura fluidis cernitur. *Non reuertentur ad operiendam terram.* [a] Nempe quemadmodum initio factum est, antequam Dei iusso in certum locum dispellerentur: aut tempore diluuii, quando excelsissimos montes superabant, sicuti Moses scribit Gen. 1. a.2. & 7. d.19. [c] Sicuti autem nuper diximus terræ motus & hiatus, qui cladem afferũt certis locis, non euertere terræ statum, ita & de mari sciendum est, quum alicubi fines suos transilit, fixam tamen manere Legem, vt vacua maneat terræ incolis habitatio. Mare Balticum ætate nostra lõgos agrorum tractus submersit, magnámque iacturã Flandris intulit, & aliis vicinis gentibus. Sed hoc speciali diluuio admoniti sumus quid fieret sublato Dei obstaculo. Qui enim factũ est vt non simul absorpti simus, nisi quia Deus sæuum illud elemẽtum verbo suo continuit? Summa est, quamuis naturaliter possint aquæ terram tegere, hoc tamen non futurum: quia sicuti æterna est veritas, ita stabilis manet hic ordo quem Deus verbo suo sanciuit.

10 *Emittens fontes in conuallibus qui inter montes ambulabunt.*

Emittens fontes in conuallibus. [v] Vel, Qui emittit fontes. Sub. Lauda, inquam, anima mea Iehouam qui emittit. Verti potest, Qui emittis &c. [c] Aliud tam virtutis quàm gratiæ Dei specimen describit, quòd fontes scaturire facit in montibus, qui per medias valles decurrant. Quamuis enim terræ siccitas nobis ad hospitium necessaria sit, nisi tamen suppeteret aqua ad potum, & terra aperiret suas venas, deficeret omne genus animalium. Hoc ergo temperamentum commendat Propheta, quòd terra, quamuis arida sit, suo tamen liquore nos irrigat. *In conuallibus.* [v] Quidam vertũt, in fluuios qui inter montes &c. Alii, qui fiunt torrentes, vel fluuii. Sed rectius legitur In conuallibus, vel Per valles. q. d. Iussit Deus vt aqua fontana decurrat per valles. [m] Notum est enim נחל Hebræis significare primùm hæreditatem, deinde & fluuium, vel torrentem: &, quoniam torrens plerũque in valle labitur, accipi pro valle, sicuti hoc loco. Quo etiam sensu cõtinuo pòst additur, *Qui inter montes ambulabunt.* [v] Vel, ambulant. Hebraismus, pro decurrunt, siue labuntur. [m] q. d. Qui fluuii inter montes labuntur, [c] quum tamen vix credibile sit ex rupibus & lapidosis locis posse hauriri fõtes. [m] Hoc breui versiculo Vates innumera illa & clarissima flumina vniuersam terram vbertim irrigantia complectitur: quæ si singula recenseri describique possent, amplissimam & admirabilem diuinæ prouidentiæ virtutem considerandam proponerent.

11 *Bibent omnes bestiæ agri: frangent onagri sitim suam.*

Bibent omnes bestiæ agri. [v] Vel, potum dant omnibus bestiis agrestibus. Vel, potãt inde omnes bestiæ agrestes. *Frangẽt onagri sitim suam.* [v] Vel, leuant, extinguunt. Quidam minus rectè, Expectabunt onagri sitim suam. [m] Iam consequenter & vsum qui ex fluuiis est Propheta deprædicare incipit, & primùm eum ponit qui inde redit ad bestias. Is est vt innumerabilis illa variarum bestiarum multitudo potu necessario reficiatur. Nam non solùm hoc ad sapientiam cõditoris pertinet, quòd cunct-

condidit,& in ordinem digessit: sed & illud requiritur,vt quæ cōdita sunt,in natura sua cōseruētur. [A] quod fieri haudquaquā posset nisi animalibus de cibo & potu prouideretur. [C] Quæritur tamen cur animalia agri potius dicat Propheta sitim suam restinguere quàm homines, quorum gratia conditus est mūdus. Dubiū nō est quin ad amplificādam Dei gratiam ita loquutus sit Propheta,quòd suam curam ad bruta pecora extendere dignatur,imò vsque ad onagros:sub qua specie syluestres feras designat. Et Propheta consultò deserta loca commemorat,vt quisque nostrū deinde amœniores terræ partes & cultu aliquo nitidas cū illis comparet.Nam per vastas quoque solitudines decurrūt fluuii:illic feræ bestiæ aliqua Dei benedictione fruūtur:nec vlla est tam sterilis regio quæ nō habeat sparsas arbores,vbi resonant auium cantus. Quum in locis illis squalidis appareant signa diuinæ bonitatis & potentiæ, quantum admirationis meretur vberrima tot bonorum copia quæ in regionibus cultis & amœnis conspicitur? Certè vbi non modò flumen vnum decurrit,crescit herba pascendis feris,ex paucis arboribus audiuntur auium voces,sed multiplex bonorū copia & varietas oculis nostris vbique se ingerit, plusquam bruta est stupor noster nisi ad piam gloriæ Dei meditationem eo magis simus intenti.

12 *Iuxta eos volucris cæli habitabit, è medio ramorum dabunt vocem.*

Volucris cæli habitabit. [V] Vel,volucres cæli habitant. Nam fut. Hebræū pro præsen,& singul.pro plur. ponitur. [A] Alii,volucres sedēt. [M] Dicit volucres cæli iuxta fluuios ac riuos sedere,potādi videlicet gratia: vnde exhilaratæ, è mediis arborum frondibus creatorem suum laudando cantillant. Comprehendit autem Vates per bestias agrestes & volucres cæli omnia cuiusuis generis animalia,quibus omnibus diuina prouidētia per fluuiorum vbertatem passim effusam largissimè cōsulit. *E medio ramorum dabunt vocem.* [A] Hoc est,cantillabunt suo more. [M] Vnde admonemur quomodo contra anxiam illam & ethnicam terreni victus solicitudinem,dum regnum Dei & iustitiam eius quærimus, secura fide à prouidentia cœlestis Patris nostri pendere debeamus:nec dubitare affuturum eum nobis filiis suis in omnibus necessariis,qui ne auiculas quidem illas negligit quarū cura nemo alias tangitur. Qua de re vide quid Christus seruator noster dicat,Matth.6.

13 *Irrigans montes è cœnaculis suis: è fructu operum tuorum satiabitur terra.*

Irrigans montes è cœnaculis. [V] Vel,de superioribus suis. Vide versum huius psalmi tertium. [A] Prosequitur Vates eandem sententiam,quum dicit Deum irrigare mōtes è cœnaculis suis. Hoc enim miraculum est non vulgare,quòd montes,qui vidētur perpetua siccitate damnati, & quodāmodo in aere pendēt, abundant tamen pascuis. [M] Ergo cœnacula seu superiora Dei vocat cœlum,vnde descendunt ros & pluuia. Et quia montes nequeūt aquis infernis irrigari,quemadmodū cāpi & valles humectantur supernis ac cœlestibus:atque ita vbi humanæ cura locum non habet,diuina prouidentia absque vllo humano ministerio quæ necessaria sunt exequitur, & abundè suppeditat: [C] ideò meritò cōcludit Propheta nō aliūde prouenire hāc mōtiū fœcunditatem,nisi quia Deus arcanus est agricola. Nam sequitur, *E fructu operum tuorum satiabitur terra.* [V] Personæ mutatio. Id est,Imbre opera sua in nubibus facta. [C] Tribuitur quidem impropriè labor Deo, sed non sine ratione: quia Deus terram ex sua quiete benedicens,efficacius agit quàm si cuncti mortales assiduo labore se cōficerent. [M] Nemo enim est præter Deū qui rorem & pluuiam suis temporibus dispensare queat: ideóque meritò inter opera Dei recēsetur,in quibus nihil valet humana vel industria,vel potentia.

14 *Germinare faciens herbam animali, & herbam in ministerium hominis, ad educendum panem è terra.*

Germinare faciens herbam. [V] Vel,Qui germinare facit fœnum. [A] Hoc versu & sequentibus aliquot canit Vates quæ ex rigatione pluuiæ in vtilitatem hominibus & reliquis animantibus proueniunt, nempe gramen,herbas, fruges,vinum, oleum, ac reliquas arbores. [C] Atque ita ad homines descendit,quos Deus peculiari cura tāquam filios dignatur. Postquam ergo de brutis animalibus loquutus est,dicit segetem produci,& ex ea panem ad homines alendos.neque id modò, sed oleum quoque & vinum accedere:quæ duo non solùm ad necessitatem,sed ad lætitia pertinēt. *Et herbā in ministeriū hominis.* [V] Vel,ad vsum hominū.ad obsequiūhominū. [A] Quidā hoc de labore exponūt quē agriculturæ impendunt homines, iuxta illud,In sudore vultus tui vesceēris pane tuo,Genes.3.d.19. [C] Nam quum sponte & sine humana industria herbæ in montibus nascantur, segetes & herbas satiuas hominum operam requirere & sudorem,notum est. Ergo secundum eos sensus erit,Deum benedicere hominum obsequio quod præstant in agrorum cultu. Sed rectius sumetur hoc nomen pro seruitio,vt vulgò loquuntur. *Ad educendum panem è terra.* [V] Vel,vt educat panem. Vel, ad educendum escam. Vel, dum educit escam. Q.d. Deus producit herbā quæ seruiat hominibus,nempe quia hinc aluntur. Panis nomine reliqui etiam cibi comprehenduntur. [C] Intelligit ergo Vates Deum producere herbam hominibus qua alantur,non modò quia victum in tritico terra suppeditat,sed etiam in herbis & aliis fructibus: quia non vno tantùm alimenti genere pascimur.

15 *Et vinum exhilarat cor hominis, ad illustrandum faciem eius oleo: & panis cor hominis sustentat.*

Et vinum exhilarat cor hominis. [V] Vel,Et vinum quod lætificat cor hominis. [C] His verbis admonet Propheta Deum non modò prospicere hominum necessitati,& largiri quantum ad ordinarios vitæ vsus sufficiat: sed pro sua indulgentia liberalius eos tractare,dum corda exhilarat vino & oleo. Nam certè aquæ potu contenta esset natura: ergo ex Dei largitate est vini accessio. [M] Memorat autem Vates triplex recreationis genus, homini diuinitus ex vbertate terræ præstitum. Ad necessariam sustentationem datus est panis: ad exhilarationem cordis facit vinum: ad nitorem verò & alacritatē corporis datū est oleum: cuius vsus calidis regionibus accommodatior est quàm frigidis. [A] Hæc autem tria hoc versu comprehenduntur. [M] Quod ad vini vsum attinet, apertè Propheta dicit exhilarandi cordis humani gratia datū esse. Nam ad sedandam sitim data est aqua, & refrigerans & humectans interiora, siti arēria & calentia: ad hilarandum verò cor hominis datum est vinum. Satis ex eo datur argumenti,non delectari Deum miseria,tristitia & squalore mortalium,quos ad nominis sui gloriam condidit, & sic amat vt illis non in futura tantùm sed & præsenti hac vita cupiat esse quam optime consultum. Denique sic esse comparatā illius bonitatem & clementiam, vt hominem à se deficientem, abalienatum & inimicum,beneficentia ad se reducere ac pellicere,quàm pro meritis iusta vindicta perdere malit. *Ad illustrandum faciem eius oleo.* [C] Hoc variè exponi solet. nam quia tristitia obnubilat faciem,quidam intelligunt nitere lætitia dum commoditate vini & olei fruuntur homines. Quidam argutius ad lucernas referunt. quod ratione caret. Alii literam ם comparatiuè accipiunt: acsi dictum esset nitere magis hominum facies vino quam si oleo perunctæ essent. Sed de vnguentis Propheta loquitur. hoc enim vult, Deum non modo erogare hominibus quod satis sit ad frugalem vsum,sed vlterius progredi,dum eorum deliciis indulget. Hoc itaque nitore faciei significatur vnguentorum vsus,de quo vide Suprà 23.a.5.

Et panis cor hominis sustentat. [V] Vel,fulcit. Hoc membrum sic verti debet,Quanquam panis cor hominis fulciat. [C] acsi Propheta diceret, Sufficeret quidem homini panis ad vitam tolerandam,sed Deus vinum & oleū de superabundanti (vt aiunt) largitur. Non est igitur superuacua repetitio de panis vsu, sed ad commendationem gratiæ Dei posita est: dum molliter & lautè homines,tanquam pater indulgentissimus filios,educat. Ergo iterum dicit,quum Deus satis benignum se nutritium in pane præstet,bis & ter in ipsis lautitiis esse liberalē. Cæterùm quia nihil procliuius est quàm Dei beneficentia ad luxū abuti, quo largior erga homines est Deus, eo magis cauendū est ne abundantiam quæ offertur,contaminent sua intemperie. Ideo non abs re vetat Paulus curā carnis agere pro concupiscentiis eius,Rom.13.d.14. Nullus enim erit modus si carni demus quātum appetit. Et sane sicuti benignè nobis Deus indulget,sic legem temperantiæ statuit,vt quisque in sua abundantia sponte se restringat. Emittit boues & asinus ad pascua qui sua saturitate contenti sunt: nobis plusquam opus sit suppeditans, præscribit certam moderationē,ne sua beneficia nimis cupidè voremus: ac in largiore copia frugalitatem nostram examinat. Hæc autem legitima vtendi ratio,vt nos sustentet victus, non opprimat. Mutua enim cōmunicatio,quam Deus præcipit, optimum est intemperantiæ frænum. Hac enim lege abundant diuites vt fratrum succurrant inopiæ. Certè quia Propheta ingluviem hominum hic cum Dei prouidentia non permiscet, colligimus ex eius verbis vino licere vti non modò ad necessitatem,sed ad lætitiam. Sed hæc lætitia sobriè temperanda est: primùm ne sui obliuiscantur homines, sensus suos obruant, vires suffocent: sed lætentur coram Deo suo, quemadmodum iubet Moses Leuit.23.g.40.& cum gratitudine se ita exhilarent vt agiliores reddantur ad Dei obsequium. [C] Qui hoc modo gaudebit,paratus quoque erit ad ferendam tristitiam quoties ita visum Deo fuerit. Tenenda enim est illa Pauli regula, Didici abundare,didici & penuriam pati, Philip.4.c.12. Nam siquod

immineat iræ Dei signum, etiam qui circonfluet omni lautioris annonæ copia, restrictus erit in suo victu, quia se ad saccum & cinerem vocari intelliget. Multo itaque magis à delicijs prohibetur quem ipsa inopia cogit esse frugi ac sobriũ. Denique si alium cogat morbus à vino abstinere, alius vappam tantum habeat, alius nonnisi aquam, contentus sit quisque sua sorte, ac se lætitia quam Dominus non concedit, libenter & placidè abdicet. Idem & de oleo dicendũ. Videmus vnguenta fuisse in vsu frequenti apud Iudæos, sicuti apud reliquos Orientales. Alia est hodie nostra ratio, quia magis ad medicinam seruantur vnguẽta, quàm ad delicias adhibeantur. Dicit tamen Propheta in hunc quoque vsum dari oleum vt se eo perfundant homines. Sed notandũ est, quia plus satis ad voluptatem procliues sunt homines, ne ad luxuriam trahatur libertas, temperantiæ legem non debere separari à Dei beneficẽtia. Et semper addenda est hæc exceptio, nequis licentiam ex hac doctrina arripiat. Cæterum vbi sedulò admoniti fuerint homines de cupiditate fræmanda, vtile est ipsis cognoscere Deum permittere moderatas delicias vbi facultas suppetit. Alioqui ne pane quidem & vino tranquilla consciẽtia vnquam vescentur: imò tandem de sapore aquæ scrupulum sibi inicient: certè ad mẽsam nunquam accedent nisi trepidè. Interea maior pars mũdi sine delectu in delicias se ingurgitabit: quia non expendet quid secundum Deum liceat: quia optima frugalitatis magistra nobis esse debet paterna Dei indulgentia.

16 *Satiabuntur arbores Iehouæ, cedri Libani quas plantauit.*

Satiabuntur arbores Iehouæ. [v] Vel, Saturabuntur arbores excelsæ. [c] Rursus concionatur de generali Dei prouidentia in fouendis omnibus mũdi partibus. ac primũ dicit illa irrigatione de qua loquutus fuerat, saturari arbores, vt hospitium auibus præbeant. Atque ita ab hominibus ad arbores transit, acsi diceret non esse mirum si Deus homines ad imaginẽ suam creatos tam liberaliter nutriat, quum ne ad arbores quidem curam suam extendere grauetur. [v] Ad verbum legitur, Saturabuntur arbores Iehouæ, pro, Satiantur, vel, Reficiũtur arbores excelsæ. Nam quicquid eximium, magnum & præstans est, id Dei esse dicitur: vnde hic arbores excelsæ dicuntur arbores Iehouæ. Vide Suprà, 36 .b.7. Et satiari hic sumitur pro abundè irrigari ab eodem imbre è cœlo misso, de quo paulo ante, versu 13. [c] Nominat autẽ Vates proceras arbores & quæ pulchritudine excellũt, quia in illis magis cõspicua est Dei benedictio, & via succus vllus terræ sufficere posse videtur qui ad tantã altitudinem perueniat dum folia quotannis resumunt. *Cedri Libani quas plantauit.* [m] sub. Dominus. Aiunt cedros in Libano nasci & annosissimas & excellentissimas.

17 *Quia illic aues nidificant, ciconia cuius abietes sunt domus.*

Quia illic aues nidificant. [v] Vel, Vt ibi aues nidificent. Ad verbũ, in quibus illic, &c. Alii vertunt, quòd illic aues, &c. [s] Vsum describit arborum ingentium, quæ etiam nec ædificiis adhuc seruiunt, nec etiam sũt materia ignis, vt scilicet hominibus seruiant. [m] Aues, inquit, nidulantur in arboribus illis sublimibus. Et vt exempli gratia aliquod auium genus producat, addit, *Ciconia.* [s] Huius auis peculiariter meminit Vates quòd ea in altioribus soleat arboribus nidificare. [m] Hãc Hebræi חסידה (id est piam) vocant, ob id fortè quod ea auis parentes senio confectos cura sua nutrit ac fouet. Notat hoc Plinius libro 10. cap. 23. dicens, Genitricum senectam inuicem educant. Est huius auis in eo quoque præclarus vsus, quòd ad tollendos & amoliẽdos stupentes nata videtur, ob quam causam apud nonnullas gentes capitale fuisse scribit Plinius siquis illam occidisset. *Cuius abietes sunt domus.* [v] Ad verbum, Ciconia abietes domus eius. Id est, Ciconia pro mansione sua habet abietes.

18 *Montes excelsi damis, rupes latibulum erinaciis.*

Montes excelsi damis. [v] Vel, capreis. Vel, rupicapris. ibicibus. [m] Montes deputat feris. nominat autem damas, hoc est capras syluestres, vel (vt quidam volunt) ceruos. *Rupes latibulum erinaceis.* [v] Vel, cuniculis, vel leporibus. Animalia sunt non grandia, sed minuta, & quæ petris immorantur. [c] Dicit ergo Vates latebras etiam dari capreis syluestribus & cuniculis, vt appareat nullam mundi partem ab optimo Patre negligi, & nullam creaturam curæ eius esse expertem.

19 *Fecit lunam in stata tempora, sol cognouit occasum suum.*

Fecit lunam in stata tempora. [c] Descendit iam Propheta ad aliud elogium diuinæ prouidentiæ, Deum scilicet ita disposuisse solis & Lunæ cursum vt aptissimè cohæreat alterna series. [m] Adeo enim ordinem nõ perturbat varietas in motuis vicibus, vt facilè appareat tempus non potuisse melius distingui. Ergo Vates post celebrationem eorum quæ tribus primis diebus in Genesi leguntur à Deo condita ac disposita, progreditur ad ea quæ quarto die facta commemorantur. [s] Nam solis & lunæ, ac inde noctis & diei vtilitatem celebrat. [c] Quum dicit lunam creatam esse in tempora statuta, consentiunt interpretes hoc debere intelligi de statis & præfixis diebus. Nam quum soleant Hebræi supputare menses suos à luna, eam habent directricem ad festos dies, & tam ad sacros quàm politicos conuentus. Dubiũ tamen non est synecdochen hic subesse, acsi dixisset Propheta lunam non modò dies à noctibus distinguere, sed etiam notare dies festos, describere annos & menses, denique accommodatã esse ad multiplices vsus: quia ex eius cursu petitur temporum distinctio. *Sol cognouit occasum suum.* [m] Hoc est, certum occidendi tempus constanter retinet. [c] Quanquam non de quotidiano tantum cursu hoc intelligi debet: sed quia gradatim, nunc accedens propius ad nos, nunc recedẽs, suas stationes metiri nouerit, ex quibus æstatem, hyemem, ver & autumnum conficiat.

20 *Ponis tenebras, & fit nox: in ea reptat omnis bestia syluæ.*

Ponis tenebras. [a] Vel, Inducis tenebras. Canit quibus potissimum vsui nox sit, bestiis scilicet quæ interdiu in lustris suis accubant. Ponis, inquit, tenebras. [m] Sunt autem tenebræ, vel aer aliquis lucis expers, aut locus obiectu corporis alicuius solidi vmbratus, vel quacunque ratione luce carens. Disputant physici quibusnam causis & modis oriantur tenebræ. Et sanè naturales sunt illarum causæ pariter & modi: verùm nobis, quorum est doctrinæ Spiritus sancti assuescere, obseruandum est quod hic Propheta dicit, nempe tenebras opus Dei esse, perinde atque lucem. *Et fit nox.* [m] Tenebræ non sunt nox, licet nox habeat tenebras. nam & tenebræ erant, quum nox nondum esset, Gen. 1. a. 5. Nox tempus est hominis quieti peculiariter deputatum. *In ea reptat.* [v] Futurum Hebræum pro præsenti. Id est, peruagatur & discurrit. *Omnis bestia syluæ.* [c] Reptare noctu dicit bestias syluæ, quia timidè egrediuntur ex suis latebris. Quidam verbũ רמש pro ambulare accipiunt: sed propria significatio non malè conuenit, quia etsi inedia sæpe feras adigit ad rabiem, captãt tamen noctis tenebras: adeo propter hanc timiditatem dicuntur reptare, [m] dum scilicet de cubilibus, latebris ac lustris suis prodeunt, ac circumcursitantes escam quærunt, qua naturæ necessitati consulant. Hoc Dauid per experientiam cognouit, quum exul in montanis ac syluestribus latebris delitesceret.

21. *Leones rugiunt ad prædam, & ad quærendum à Deo cibum suum.*

Leones rugiunt ad prædam. [v] Subaudiendũ aliquid, Tunc etiam rugiunt leones. per noctis tenebras scilicet. Dicit etiam leones non audere progredi interdiu, sed noctu ad prædam quærendam è latebris suis exire. [c] Nam tametsi leones, si fames eos cogat, etiam media luce prodeunt & rugitum edunt, descripsit tamen Propheta quid frequentius accidere soleat. Dicit ergo leones interdiu progredi non audere, sed tenebris noctis fretos prosilire ad prædam. Atque hic mirabilis Dei prouidentia apparet, quòd tam formidolosum animal in antro se continet, vt liberior sit hominibus ambulatio. Quod autẽ maiore interdũ licẽtia vagãtur leones, id defectioni Adæ imputãdũ est, quæ illi dominiũ in feras bestias abstulit. Manent interea reliquiæ quædam pristinæ benedictionis Dei, quòd diurna luce, quasi repagulis vel catenis, Deus tot truculentas bestias continet. *Et ad quærendum à Deo cibum suum.* [v] Quod dicit leones à Deo quærere cibum suum: non ideo dicit quòd illi agnoscant sibi à Deo prouenire alimentum: sed rem ipsam designat, quòd leones, nisi Dominus haberet curam ipsorum, & daret illis prædã aliquam, statim fame perirẽt. [m] Dicit ergo leones escam à Deo quærere, non quòd hoc scienter faciant, sed quòd rugitus eorum vi famis expressus coram Deo creatore & conseruatore omnium, loco sit implorationis pro cibo necessario. perinde acsi infantem ploratu suo escam & potum à matre quærere dicas, quum nulla matris sit & maternæ curæ cognitione præditus, sed quòd infantis necessitas propriè pertineat ad materni pectoris curã. Sic alibi dicitur, Qui dat iumento escam suam, filiis coruorum quum clamauerint, Infrà, 147. b. 9.

22 *Orietur sol, colligentur, & ad domicilia sua accubabunt.*

Orietur sol, colligentur. [a]Vel, Dum oritur sol, congregant se. [c]Prosequitur illã sententiã, sic distribui à Deo tẽporum vices, vt dies sit proprius hominis. Nisi enim tot feras nobis infestas cohiberet Deus, mox actũ foret de genere humano. Quum ergo iam post lapsum hominis videri possint bestiæ in perniciẽ nostram natæ, & obuios quosque discerpant ac lanient: necesse est sæuitiam hanc Dei prouidentia clausam teneri. Est autem vt recludat in antra sua, tantùm pro terrore lucem solis opponit. *Colligentur.* [v]Vel, colliguntur. congregant se. [m]Quod tamen non sic accipi debet acsi bestias diceret Propheta orto die in vnum aliquem locum gregatim accurrere & congregari. Nam subdit, *Et ad sua domicilia accubabunt.* [v]Vel, Et in habitaculis suis accubant. Vel, in lustris suis accubãt. [m]Hoc est, Quieti sese, vel cuminatoni, vel securitati tradunt.

23 *Egredietur homo ad opus suum & ad laborem suum vsque in vesperam.*

Egredietur homo ad opus suum. [a]Vel, Tunc egreditur homo. [c]Gratiam de qua loquuti sumus, magis commendat Propheta à necessitate: quia nulla alioqui libertas esset hominibus versandi in labore vel negotiis. Quod ergo iure protegitur homo contra vim & iniurias belluarum, in eo perspicitur incomparabilis Dei bonitas, qui humanis commodis tam paternè prospexit. [m]Inde etiam perspicitur non prorsus sublatum esse terrorem ac tremorem illum de quo Moses loquitur, vbi ait Dominum Deum dixisse ad Noe, Terror ac tremor vestri erit super cuncta animantia terræ, Genes. 9. a. 2. *Ad opus suum.* [m]Nempe honestum ac verè humanum. Opus peccati, furtum, rapina, adulterium, &c. non est opus hominis, sed Satanæ, quo authore inuectum est peccatũ [a]. Vide Ephes. 4. f. 28. De labore manuũ qui hominibus iniunct⁹ est, vide Genes. 3. c. 17. d. 19, & Infrà 128 a. 1, & 2. Thes. 3. c. 10. 12. *Vsque ad vesperam.* [m]Obseruanda est hæc particula. Vespera finis est & terminus diei: ergo prouidentia Dei noluit sic prolixam esse operandi continuationem, vt hominia vires nimium atteretet: sed modum constituit, vesperam scilicet, cuius interuentu molestia laborandi interrumperetur. Admonemur hoc exemplo vt & ipsi operantium & laborantium imbecillitatem consideremus, & modum seruemus.

24 *Quàm magnificata sunt opera tua Iehoua: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra opibus tuis.*

Quàm magnificata sunt opera. [v]Vel, Quàm multiplicata sunt. Vel, Quàm multa sunt. Quidam, Quanta sunt. [c]Non enumerat Propheta integrã operũ Dei descriptionẽ, quod immẽsũ foret: sed tantùm species quasdam attingit, vt accuratius apud se quisque reputet ac meditetur qua prouidentia Deus totũ mundum & singulas eius partes gubernet. Itaque sermonem suum abrumpens, cũ admiratione exclamat, Quàm magnificata sunt opera tua. Sicuti tunc demum iustus honor tribuitur Deo, vbi stupore correpti fatemur linguas omnes & sensus omnes deficere. Quòd si exigua operum Dei portio nos obstupescere cogit, quantulus erit ingenii nostri modus, vt solidam magnitudinem capiat? [h]Quod ergo Propheta hic dicit, tale est, Tãta est operum tuorũ multitudo Domine, tantáq. sapientia, vt illa nec numerare nec pro dignitate satis laudare & extollere valeam. *Omnia in sapientia fecisti.* [m]Hoc est, Omnia sapientissimè disposuisti. Nomine sapientiæ non excludit potentiam, sed intelligit nihil in mũdo esse confusum: quin potius summa ratione ordinatã esse tot rerum mixturã, vt nihil vel addi, vel detrahi, vel corrigi queat. [f]q. d. Opera tua summa effecta sũt sapientia & cõsilio: tuque solus is es in cuius cõspectu nihil quod casu fiat & fortuitò inueniatur, sed omnia propria tua sunt, tuáque in potestate perseuerant. [c]Hoc verò elogium quo Deus nihil non sapienter fecisse prædicatur, prauis imaginationibus opponitur, quæ nobis sæpe obrepunt, vbi nos in Dei operibus fugit eius consilium. Quasi verò stoliditati nostræ obnoxius sit Deus, vt cogatur reprehensores ferre, qui in reputandis eius operibus cæcutiunt. Eodem quoque elogio vesaniam illorum coarguit Propheta qui mundum fortuitò conflatum esse somniant: sicuti Epicurus ex atomis nugatus est compositã fuisse elementa. Quum autem plusquam brutum sit commentum illud, tam concinnam fabricam & inæstimabili ornatu distinctã ex cæco atomorum concursu concretam fuisse, Propheta hic nos Dei sapientiam & incredibile artificium, quod refulget in tota mundi gubernatione, diligenter attendere iubet. Omnia, inquit, in sapiẽtia fecisti. [v]Dicitur autẽ infrà, 136. a. 5, Qui fecit cælos in intelligentia. [m]Admonemur etiã hîc à Spiritu sancto nihil prorsus esse in operibus Dei vel tam minutum, vel tã in speciem absurdum, quod non sit summa, nimirum diuinã sapientia conditum, etiamsi nos illorum nec rationem nec vsum intelligamus. Moses de operũ Dei creatione loquut⁹, dicit, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, Genes. 1. d. 31. Hæc sapientia Deo, tanquam optimo bono, digna est: quæ non solùm miris modis, sed & vtiliter faciat quæ facere instituit, vt in operibus illius vbique stupenda & adoranda bonitas deprehendatur. Hæc sit etiam filiorum Dei sapientia, vt ad imitationem Patris cælestis male facere nesciãt, bene facere sciãt. *Impleta est terra opibus tuis.* [a]Vel, possessionibus tuis. Alii, facultatibus tuis. [c]Sub opibus comprehenditur bonitas Dei, & beneficentia. Neque enim sibi diues est, sed in bonum nostrum exuberat, nequid in vsus nostros desit. Terram verò non esse tam fœcundam à seipsa vel locupletem, sed liberalitatis Dei ministram nobis testatum esse debet. [v]Hinc ergo videmus Deum omnia possidere, & eius propria esse omnia, atque in eius potestate. [m]Verbo autem implendi abundantia notatur. acsi diceret Vates, tantas esse Dei opes ac diuitias vt nõ aliquam tantùm terræ partem, sed vniuersam terram passim impleant. Non sunt quidem opes hæ sic dispensatæ, vt quicquid in vna & altera regione reperitur, mox reperiatur & in aliis omnibus: verùm non est aliquis locus qui non refertus sit hisce facultatibus Dei, quæ sic dispensantur diuinitus, vt pro ratione incolentium terram, nulla regio immunis & expers illarum reperiatur. Postremò ex terrenis opibus colligere licet quanta cœlestium futura sit copia, quam Deus cultoribus suis affectat.

25 *Hoc mare magnum & spatiosum regionibus, illic reptile & non numerus, animalia pusilla cum magnis.*

Hoc mare magnum & spatiosum. [v]Ad verbum, & amplum manibus, id est, locis & littoribus: aut (vt alii exponunt) plagis, siue regionibus. [c]Postquam de terrenis gloria Dei testimoniis cõcionatus est Propheta, ad mare quoque ascendit, docens illud nouum esse potentiæ Dei & sapientiæ speculum. Nam si mare piscibus vacuum esset, solo tamen amplitudinis cõspectu tam esset admirabile, præsertim dum nunc ventis & tempestatibus intumescit, nunc sedatum residet. [m]Potest tamen hic quæri cur in singulari loquatur Propheta, vnius tantùm maris mentionem faciens, quum sint multa: vtpote Tuscum, Bosporeum, Proponticum, Hellespontiacum, Siculum, Sardonicum, Ionicum, Ægeum, & alia multa. Respons. Propriè non est nisi vnicum mare, tanquam omnium aquarum fons & origo: & illud est mare quod Oceanum vocant. Ex illo sunt reliquæ aquarum congregationes, quas etiam Scriptura subinde maria vocat. Sic enim apud Mosen legitur, Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram: congregationem verò aquarum appellauit maria, Genes. 1. a. 10. Audimus hic locum vnum deputatum aquis, & tamen congregationem aquarum vocari maria. Quæ verba sic sunt intelligẽda vt vnus ille locus aquarum separationi deputatus, sit Oceanus totam terram circũdans: & maria sint congregationes illæ aquarum aliis atque aliis locis comprehensæ: quæ non solùm ob id ab Oceano differũt quòd ad illius amplitudinem non extenduntur: sed etiam hoc nomine, quòd vt ille terram vniuersam circundat, ita istæ à terra cinguntur. *Illic reptile.* [a]Vel, Ibi reptilia. *Et non numerus.* [v]Hoc est, non possunt certo numero comprehendi. *Animalia pusilla cum magnis.* [v]Vel, bestiæ pusillæ cum magnis. sub. illic sunt. [m]De bestiis maris seu piscibus intelligit, dicitque esse innumerabiles non modo multitudine, sed & genere ac formarum varietate.

26 *Illic naues ambulant: Leuiathan quem formasti ut ludat in eo.*

Illic naues ambulant. [c]Quanuis nauigatio ab hominum industria profecta sit, pendet tamen ex Dei prouidentia, quæ transitum hominibus per aquas concessit. Scribunt quidam de Atlante Mauro, quòd primus nauem construxerit, ac nauigauerit. Sed nos meliorem habemus quem Noe hic ante præferamus. Is autẽ, teste sacra scriptura, arcam quam struxit, nõ propria industria, sed ex diuina instructione composuit, Gen. c. 14. *Leuiathan quem formasti.* [c]Piscium abundantia & varietas gloriam Dei non parum amplificat. Balænam tamen vel cetum præcipuè celebrat Vates: quia solum hoc animal satis superque formidabilem Dei virtutem ante oculos exhibet. Quare & de eo tam longus sermo in libro Iob, cap. 40. b. 20. texitur.

scribũt de hac bestia, quòd dum in maris superficie cernitur, instar insularum & altissimorum montium appareat. *Vt ludat in eo.* [a] Quia motus huius bestiæ ingenti concussione non minus corda hominũ quàm mare perturbat, Propheta hunc motum lusus nomine designat, respectu Dei: acsi diceret balænis datum esse campum illum in quo se exerceant. [b] Significatur enim his verbis immensum eius robur, quo ita in mari dominatur vt mero lusu sit venari & capere animantes quaslibet, naues euertere, cunctámque vim cùm hominũ tum bestiarum proterere.

27 *Omnia ad te respiciunt, ut des escam eorum in tempore suo.*

Omnia ad te respiciunt. [v] Vel, vniuersa ipsa in te sperant. Vel, te expectant. *Vt des escam eorum.* [b] Hic rursus Propheta Deum nobis prouidum erga omne animalium genus patremfamilias & nutritium describit. Prius dixerat fœnum creari in montibus vnde alantur iumẽta, subministrari leonibus ipsis victũ eiusdẽ Dei manu, quamuis ex rapto viuant: nunc addita circunstantia miraculum illud diuinæ beneficentiæ exprimit. Nam quum infinitæ propemodum sint animalium species, & in singulis tantus numerus, nullũ tamen est quod non indigeat quotidiano victu. Hoc intelligit dicens omnia respicere in Deum: acsi diceret non posse vel triduum manere in statu, nisi Deus quotidianæ eorum necessitati subueniens, singula reficeret. [c] Huc pertinet tanta fructuum diuersitas: quia commodum & proprium quibusque cibum Deus attribuit & destinat. Etsi autem ratione & iudicio non pollent bruta animalia, vt necessitati suæ remedium in Deo quærant, imò prona in terram ad pabulum ingurgitandum ferantur: propriè tamen loquutus est Propheta, respicere ad Deum dicens, quorum inediæ eius liberalitatem succurrere necesse est, ne mox deficiant. [h] Nec simpliciter dicit Vates, Vt des illis escam, sed Vt des escam ipsorum. Vt enim varia sunt animantium genera, ita & varia illis esca conuenit. Sic vnumquodque genus pro sua esca ad Deum respicit. *Tempore suo.* [a] Non est superuacua hæc temporis notatio, quòd unicuique animalibus ceponit Deus, [c] vt per totum anni circuitum reperiant vnde vescantur. Nam quum terra hyeme viscera sua claudat, quid fieret nisi victum curaret in longum tempus. Crescit ergo miraculum quòd Deus statis temporibus terram fœcundam reddens, benedictionem suam in reliquum annum extendit, quamuis esuriem & famem minetur. Quid enim nobis miserius, dum suas opes hyeme contrahit terra, nisi animos nostros foueret spes noui prouentus? [m] Qui ergo omnia sapienter moderatur, etiam tempora certa serie disponit, secundum quam terra nascentia producat, & quæ alia in escam animantibus parantur, suis quæque temporibus suppeditet. Agnoscamus igitur manum dantis Dei, quocunque tempore vel nos ipsi pascimur, vel reliquis creaturis escam suppeditari cernimus.

28 *Dabis illis, colligent: aperies manum tuam, satiabuntur bono.*

Dabis illis, colligent. [v] Vel, des eis, colligũt. Quidam sic vertunt, Quum dederis eis, colligent: & quum aperueris manum tuam, satiabuntur bono. *Aperies manum tuam.* [a] Quum scilicet opportunum erit. Respicit enim ad id quod de temporis notatione Vates superiore versu dixerat, vt hac vicissitudine melius prouidentiam Dei commendet. [c] Et certe si quotidie nasceretur triticũ, obscurior esset Dei prouidẽtia: vbi autem arescit terra, perinde est acsi manum suam clauderet Deus. Vnde sequitur, dum eam fœcundat, quasi extensa manu cibũ è cælo nobis porrigere. Quòd si feris & brutis animalibus victum opportunè suppeditat, quo ad satietatem pascantur, nobis eius benedictio inexhaustum erit copiæ cornu, modò ne eam prohibeamus infidelitatis nostræ obstaculo. [s] Quod vtinam quàm clarè hic dicitur, tã esset certò omnibus persuasum. Quò enim scelerum (proh dedecus) miseros nos vna ventris cura non protrudit? Tum quantus est rerum omnium abusus? quanta temporis, benéque agẽdi occasionũ negligentia? quæ longè à nobis essent si certò crederemus à beneuolentia Dei sic donari omnia vt quũ ille velut momẽto fauoris sui aspectũ auerterit, manumque suam subduxerit, necesse sit nos penitus deficere. *Satiabuntur bono.* [m] In verbo satiãdi notatur liberalis ac beneuolus largitor. Non enim dat Deus parcè, sed abundè, liberaliter ac ad satietatem vsque. Cuius ingenii imitatores nos esse cõuenit, vt scilicet & ipsi qui filii Dei censeri volumus, liberaliter demus, eoquòd Deus hilarem datorem diligat, 2. Cor 9.b.7. Postremò bonis omnino licitum creaturarum vsum Vates indicat. qua de re vide quid scribat Apostolus, 1. Timoth. 4.b.4.

29 *Abscondes faciem tuam, terrebuntur: colliges spiritum eorum, deficient, & in puluerem suum reuertentur.*

Abscondes faciem tuam. [a] Vel, Abscondis faciem tuam. [m] Docetur hoc versu quanta sit diuinæ prouidentiæ necessitas, & creaturarum imbecillitas, qua fit vt si opem suam Deus & gratiam cuncta pascentem & conseruantem paruo tempore abscondat, mox omnia turbentur & concidant. [c] Quare fatendum est nos stare & cadere pro Dei nutu. Stamus enim quatenus nos sua virtute sustinet: simul autem ac viuificum spiritum subducit, cadimus. Vidit hoc etiam Plato, qui sæpius docet propriè loquẽdo vnũ Deũ esse, omnia autem in eo subsistere duntaxat. Nec dubium quin per illum profanum scriptorem expergefacere voluerit Deus cunctos mortales, vt sentirent aliunde se vitam mutuari. Ac primò terreri dicit si Deus faciem suam absconoat, si spiritum eorum auferat, mori & in puluerẽ redire. Quibus verbis significat viuificos esse Dei oculos, vbi nos respicere dignatur: & quandiu relucet serena eius facies, vitam inspirare omnibus creaturis. Bis ergo inexcusabilis est nostra cæcitas, nisi in illam bonitatem, quæ totum mundũ viuificat, vicissim conuertimus oculos. [h] Nam si faciem suam Deus vno tantùm die auerteret, quid esset vniuersa hæc terra cum omnibus quæ in ea repunt, quàm summa confusio, & rerum omnium perturbatio? Quid reges, imperatores, principes, &c. in toto mortaliũ genere præstarent, si Deus neglectus ille & contemptus faciem suam auerteret, & merum illis imperium (vt loquuntur) permitteret? Egregiè scilicet gubernarentur & alerentur omnia. Itaque si quid est in nobis veræ sapientiæ pendeamus ab eo soli sine cuius facie cuncta turbantur: nec turbemur si tyranni alicuius facies iram & furorem spiret. *Colliges spiritum eorum.* Vel per præsens, Aufers, colligis, retrahis spiritum eorũ. Quidam, Congregabis spiritum eorũ. Locus iste manifestissime docet omnẽ omnium animantium, & hominũ, regum etiam & principum spiritum in manu Dei esse, vt quemadmodum illum das, ita & auferre possit suopte arbitrio. nec potiu modò, sed auferat etiam. [v] Quod Paulus breui sententia significauit, dicens nos in Deo viuere, & moueri, & esse, Act. 17. f. 28. nam tam homines quàm reliqua animalia non viuunt nec quicquam habent vigoris nisi quatenus virtutem suam illis inspirat Dominus. *Deficient.* [m] Loquitur de vitæ defectu & extinctione quam quotidie videmus ob oculos, tam in hominibus quã in bestiis. Quid igitur homo est nisi inflata quædã bulla, quæ ablato spiritu confestim euanescit. *Et in puluerem suum reuertentur.* [a] Admonet his verbis esse nos ex puluere, & ad puluerem nostrum, vnde sumus, reuersuros. [h] Iuxta id quod Dominus primo parẽti dixit, Donec reuertaris in terram de qua sumptus es: Quia puluis es & in puluerem reuerteris, Genes. 3. d. 19. Videmus hic quomodo Propheta gradatim describat animalium interitum, vbi arcanum suum vigorem retrahit Deus. quo melius ex opposito continuã inspirationem commendet, qua vegetantur. Quanquam autem vltrà progredi poterat, omnia scilicet in nihilum redacta esse, contentus tamen fuit hoc crasso & populari docendi modo, in putredinem concidere quicquid diuinitus non fouetur.

30 *Emittes spiritum tuum, creabuntur: & renouabis faciem terræ.*

Emittes spiritum tuum, creabuntur. [a] Vel, Mittis spiritum tuum, creantur. [c] Dicit rursum quotidie mundum renouari, quia spiritum suum Deus emittit. [s] Nam occasione eius quod de animantiũ morte & interitu præmisit, canit nouas quotidie animantes à Deo refingi, & ita continuò orbem renouari. Nam in noua animaliũ sobole assiduè cernimus nouam mũdi creationem. Quod verò spiritum, quem prius animalium esse dixit, nunc tribuit Deo, nihil in eo repugnantiæ est: Deus spiritum qui penes eum residet, emittit quo visum est: simulac emisit, omnia creantur: hoc modo quod suum erat, nostrum facit. [a] Et certè vita ab vno ipso Deo inspiratur, iuxta id quod Moses scribit, Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, Genes. 2. a. 7. Rectè ergo dicit Propheta, emisso spiritu Dei, animantes creari, quibus facies orbis velut renouatur. [c] Proinde hoc veteri Manichæorum delirio nihil suffragatur, quod in detestationem nostra ætate auxit impurus ille canis Seruetus. Dicebant Manichæi animã hominis particulam esse diuini Spiritus, & ex eius traduce nasci: hic nebulo dicere ausus est boues, asinos & canes esse partes diuinæ essentiæ. Manichæi saltem colore hunc obtendebant, quòd anima hominis formata est ad Dei imaginem: sed idem ad porcos & pecudes transferre, bis detestabile portentum est.

tentum est. Prophetæ autem nihil minus propositũ fuit quàm Dei Spiritum partiri, vt essentialiter aliqua eius portio in singulis animantibus habitet: sed spiritum Dei vocauit qui ab eo proficiscitur. Interea nostrum esse admonet, quia nobis in vitam datus est. Summa huc tendit, dum videmus quotidie mundum deficere & renasci, in hoc speculo lucere nobis viuificam Dei virtutem. Quotquot enim animalium interitus accidunt, totidem sunt exempla nostræ nullitatis, vt ita loquamur: dum alia subolescunt, quædam mundi renouatio nobis ostenditur. Quando itaque mundus quotidie interit & renascitur in suis partibus, hinc colligere promptum est nonnisi arcana Dei virtute subsistere. *Et renouabis faciem terræ.* [m] Videmus sic comparatam esse terram vt facies eius subinde opus habeat renouatione. Est enim vanitati ac corruptioni obnoxia, mortéque ac interitu rerum quæ in illa sunt visibilia, antiquatur, & ad interitum tendit. Porro sicuti hæc antiquatio annua est, & quotidiana: ita & gemina est quæ succedit renouatio. Annua est antiquatio, qua terræ facies singulis annis omni ornatu exuitur, & cuncta illius arescere videntur: quæ autumni tempore incipit, & per hyemem ad vernum vsque tempus durat. Quotidiana est, qua quotidie ex omnis generis animantibus & spirantibus innumera multitudo passim per orbem vniuersum morti & interitui traditur. Renouatio annua est, qua rursus verno tempore cuncta virescere, frondescere ac fructificare incipiunt. Quotidiana verò, qua rursus alia quotidie nascuntur, & in locum eorum quæ sublata sunt, succedunt.

31 *Sit gloria Iehouæ in seculũ, lætetur Iehoua in operibus suis.*

Sit gloria Iehouæ in seculum. [a] Hoc est, Celebretur Dei nomen inter homines perpetuò. Multi in futuro legunt, Erit gloria Domini in sempiternum, & intelligunt de maiestate operum Dei, quòd illa sit in perpetuum duratura. Et certè Propheta ostendit quorsum hactenus in Dei operibus celebrauerit eius potentiam, sapientiam, & bonitatem: nempe vt sensus hominum erigeret ad ipsum laudandum. Neque enim hic vulgaris honor est, quòd Deus mundum tam splendido ornatu in gratiam nostram instruxit, vt non solùm pulchri illius theatri simus spectatores, sed multiplici bonorum copia & varietate, quæ in eo nobis sunt exposita, fruamur. Hæc gratitudo vnica compensationis loco est apud Deum, vbi debita eum laude prosequimur. [m] In oratione Dominica dicimus, Sanctificetur nomen tuum, (Matth. 6.b.9) at hæc verba ab iis demum ex animo proferuntur qui consideratione primùm paternæ beneuolentiæ, deinde & cælestis ac diuinæ maiestatis accensi, ad huiusmodi apprecationem permouentur. A quo affectu prorsus alieni sunt qui sine corde & meditatione, nuda verba recensent. *Lætetur Iehoua in operibus suis.* [c] Hæc particula non est superuacua: cupit enim Vates ordinem, quem à principio Deus instituit, fluere in legitimo donorum eius vsu. Sicut enim eum pœnituit fecisse hominem (Gen. 6.b.6.) ita dum suam benedictionem inquinari videt nostris corruptelis, oblectationem ex ea capere desinit. Et certè confusæ perturbationes (quæ accidunt vbi elementa in officio suo cessant) testantur displicentia & tædio Deum adduci vt æquabilem cursum suæ beneficentiæ abrumpat: non quòd in eum cadant huiusmodi passiones: sed personam optimi patris induit, qui filiis blandè fouendis & liberaliter alendis se oblectat. [m] Vel metaphora ab opificibus sumitur, qui, siquid ab ipsis factum sit insigne ac præclarum, plurimum suo ipsorum opere delectantur.

32 *Aspiciens terram, & contremiscet: si tetigerit montes, fumigabunt.*

Aspiciens terram, & contremiscet. [v] Vel, Qui aspicit terram, & tremit. [c] Ostendit statum mundi in illa Dei lætitia fundatum esse, quia nisi terram vegetet sereno paternóque affectu, simulac seuero oculo aspexerit, tremefaciet, montésque ipsos exuret. *Si tetigerit montes, fumigabunt.* [m] De iactu fulminum hoc intelligit. [s] Interea per terræ tremorem & montium fumigationem, significat nihil tantis niti viribus quod nõ concidat Deo irato. Perelegans autem est potentiæ diuinæ significatio, in eo quod canit à solo Dei intuitu terram tremere, & à solo eius contactu montes iam incensos fumare. [m] q.d. Tanta est diuinæ maiestatis potentia & tam admirabilis virtus, vt solo nutu terram tremefaciat, & leui tactu montes incendat.

33 *Canam Iehouæ in vita mea psallam Deo meo quandiu sum.*

Canam Iehouæ in vita mea. [c] Hactenus celebrauit Psaltes opera Dei, ex quorum consideratione, accensus diuinæ bonitatis admiratione, [c] præit aliis suo exemplo & se toto vitæ cursu infatigabilem laudum Dei præconem fore denũtiat. [m] Dicit autem se Deo cantaturum quia plurimum refert cui quis canat, ventrine, vel Deo. Et ventris serui hoc sibi vendicant, quòd per omnem vitam suam cantare & psallere velint. Psallunt etiam quotidie: sed cui? Deo quidem suo psallunt, sed is venter est, non Iehoua. *Psallam Deo meo.* [m] Eiusdem sententiæ repetitio. Nihil enim aliud est psallere Deo, quàm canere Deo: nisi quòd illud ore, hoc musicis fit instrumentis. *Quandiu sum.* [a] Hoc ipsum est quod dixerat, In vita mea. Ergo metam laudandi Dei in morte locat Propheta: non quòd fideli, vbi in aliam vitam migrarunt, supersedeãt ab hoc pietatis officio: sed quia in hunc finem sumus conditi vt Dei nomen per nos in terra celebretur. [a] Qua de re vide Supra, 6.b.6. & Infrà, 115.c.17.

34 *Gratus sit ei sermo meus: ego lætabor in Iehoua.*

Gratus sit ei sermo meus. [v] Vel, Dulce erit ei eloquium meum: Ad verbũ, Dulcescet ei, (id est, gratus erit ei) sermo meus. Alii; Sit ei suauis sermo meus. Alii, Erit sermo meus de illo dulcis, vel iucundus. Sed rectius per imperatiuum vertitur. [c] Nam quia Propheta indignum se agnoscit qui tam pretiosum Deo sacrificium offerat, suppliciter rogat vt gratæ sint quas Deo cantabit laudes, licet ex pollutis labiis profectæ. Verum quidem est nihil Deo magis placere vel probari, quàm laudum suarum prædicationem (sicuti nihil à nobis tantopere exigit) sed quia pollutio nostra contaminat quod erat natura sua sanctissimum, meritò ad Dei indulgentiam confugit Propheta, ne suis canticis grauetur locum dare. Ideo docet Apostolus placere Deo sacrificia gratiarum actionis, quatenus per Christum offeruntur, Hebr. 13.c.15, & 1. Petri 2.a.5. *Ego lætabor in Iehoua.* [c] Quia dum promiscuè fruuntur homines Dei beneficiis, vix centesimus quisque respicit in ipsum authorem, subiicit Propheta se in Domino lætaturum: raram virtutem significans; quia nihil difficilius quam ex erraticis gaudiis, quæ per cælum & terram euanescunt, mentem colligere, vt se in Deo contineat. [m] Ex hoc autem spirituali gaudio, quo se gauisurum dicit Propheta, oritur canticum & sacrificium laudis. Nã radix dubiæ laudis est sincerũ & solidũ gaudiũ de Deo: quod etiam ex vera dilectione manat, quia qui verè diligit, in eo vtique gaudet quod diligit: qui Deum suũ verè diligit, & sensu bonitatis eius tangitur, non potest non gaudere in eo quem vnicè diligit.

35 *Deficiant scelerati è terra, & impii vsquedum desinant: benedic anima mea Iehouæ. Halelu-Iah.*

Deficiant scelerati è terra. [v] Vel, Consumantur peccatores: Quidam legunt, Deficient: vel, consumentur. [m] Hoc vltimo versu Propheta imprecatur peccatoribus & impiis omnimodum & extremũ interitũ. [c] Pendet autẽ hæc imprecatio ab illa sententia versus 31, Lætetur Deus in operibus suis. Nã quia scelerati mundũ suis sordibus inficiũt, hinc fit vt Deo minus iucunda sit ac ferè displiceat eius fabrica. Neq; enim fieri potest quin eum offendat pollutio, quæ per omnes mundi partes dispersa, deprauat & corrumpit tam nobile eius opus. Ergo quia impii peruerso donorum Dei abusu faciunt vt quodammodo degeneret mundus & desciscat à prima sua origine, meritò eos exterminari cupit Propheta, vsquedum prorsus deficiant. Meminerimus ergo sic expendere Dei prouidentiam vt in eius obsequium addicti, beneficiis, quæ in vsum nostrum sanctificat, ritè & purè vtamur. Deinde nobis doleat tam pretiosos thesauros impiè dissipari: ac nobis detestabile portentum sit, mortales non tantum sui opificis obliuisci, sed quasi data opera conuertere in præposterum & indignum finem quicquid ipsis bonorum contulit. *Et impii.* [m] Hoc est, perfidi & contumaces Dei contemptores, qui scilicet Deum conditorem omnium, cuius facultatibus in hac terra abutuntur, non agnoscunt sed contemnunt: digni certè qui à superficie terræ deleantur. Peccatores quidem sumus omnes, verùm hoc loco Propheta de planè impiis, reprobis ac deploratis contemptoribus & osoribus Dei loquitur, quos quia ex animo vt Dei hostes detestatur, prorsus interiisse cupit: addit enim, *Vsquedum esse desinant.* [v] Vel, vltrà ne sint. Vel, donec non sint. Ad verbum, donec non ipsi. sub. fint. Vel, Vltrà non ipsi. sub. erunt. [c] Q.d. Exstirpentur scelerati isti è terra, radicitúsque tanquam noxium gramen euellantur, ne amplius Deo illudant, pisque eius cultoribus negotium faciant. *Benedic anima mea Iehouæ.* [v] Vel, Prædica Iehouam ô anima mea. [m] Propheta animam suam, hoc est seipsum, rursus, sicuti initio psalmi fecit, ad laudandum Dominum hortatur. q.d. Quantumuis ista contemnantur ab impiis, tu tamen anima mea de illis meditare, loquere, & cane, vt Dominum Deum tuum summis laudibus extollas. *Halelu-Iah.* [v] Dictio ex imperatiuo Halelu (quod Laudate significat) & Iah nomine Dei composita. [m] Tandem ergo ardenti affectu Vates ad omnes verè pios conuersus, illos quoque ad laudandum Domini in excitat. Vnde discimus eorum esse alios ad laudem Dei hortari qui seipsos cum primis ad laudandum Deum incitant, & id re ipsa ex animo præstant.

ARGVMENTVM PSALMI CV.

[m] Populus Israel ad laudes Deo suo canendas præsertim ob adoptionis beneficium hoc psalmo prouocatur. [a] Deinde præclara Dei beneficia eidem populo vsque ad terræ promissæ possessionem præstita memorantur: [m] quo vicissim sanctum

eius fœdus obseruet, séque ad sincerum eius cultum penitus addicat.

Celebrate Iehouam, inuocate nomen eius, annuntiate in populis opera eius.

Celebrate Iehouam. [a] Vel (vt quidam vertunt) Confitemini Domino. Alii, Laudate Iehouam. Alii, Gratias agite Domino. [m] Hoc est, Celebrate & laudate Domini Dei beneficentiam. *Inuocate nomen eius.* [a] Quia vera inuocatio ex fide manat (sicuti docet Apostolus Rom. 10. c. 14.) certum est ad solos fideles sermonem hunc dirigi. *Annuntiate in populis.* [v] Vel, Cognoscere facite, Nota facite, Prædicate. *Opera eius.* [v] Vel, egregia facinora eius. [a] Quidam, studia eius. [c] Non aliò spectat exordium hoc nisi vt totam suam beatitudinem Abrahæ genus constituat in adoptione Dei gratuita. Etsi enim non spernendum bonum erat, creatos esse homines, paterna eius cura foueri in mundo, & alimenta ex eius manu percipere: longè tamen præstantior fuit hæc dignatio, electos esse in peculiarem Dei populum. Nam quum in Adam maledicta sit omnium mortalium origo, sic distincta fuit conditio populi illius à reliquis gentibus, vt gloriari posset se Deo sacrum esse. Ideo Propheta ad huius gratiæ commendationem tot verba congerit. Neque enim differit de tota mundi gubernatione, vt psalmo proximo: sed paternum fauorem, quo complexus est Deus Israelitas, prædicat.

2 *Canite ei, psallite ei, loquimini de omnibus mirabilibus eius.*

Canite ei, psallite ei. [m] Q. d. Ore & instrumentis musicis laudes Dei prædicate. *Loquimini de omnibus mirabilibus eius.* [m] Repetit, sed excellentiori nomine, quod versu primo dixerat, Annuntiate in populis opera eius. [c] Nominat quidem indefinitè opera & mirabilia Dei: sed vtcunque ad spirituale fœdus restringit, quo Ecclesiam selegit quæ in terra cœlestem vitam meditaretur. Neque enim mirabilia nunc vocat, quod sol, luna & stellæ quotidie oriuntur vt mundum illustrent, quòd terra suis temporibus germinat, quòd bonorum omnium copia in alimentum suggeritur animantibus, quòd humano generi liberaliter suppetunt tot commoditates: sed quòd ex perdita Adæ progenie exiguam partem sibi delegit cui se patrem familiariter præstaret.

3 *Laudate in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Iehouam.*

Laudate in nomine sancto eius. [a] Vel, Gloriamini in nomine sancto eius. [b] Id est, In præclara illa Dei maiestate, quæ se vbique in vestram salutem tam mirificè ostentat. *Lætetur cor quærentium Iehouam.* [m] Hoc est, Lætentur illi qui Dominum ex corde quærunt. Nam multi impii & hypocritæ tabernaculum Dei ingrediebantur, & Deum quærere simulabant: sed quia labiis tantùm illum honorabant, & eorum corda procul aberant ab eo, ad hanc spiritualem lætitiam non inuitantur. [c] Nam sola Ecclesia hoc priuilegio excellit vt verè gaudeat. Vnde sequitur quod iam diximus, nonnisi ad fideles dirigi sermonem, quos Deus in fidem & custodiam suam suscipiens, voluit suo nomine gloriari. [a] Et certè quis non impeditè lætetur, agnoscens suum Deum, & patrem esse, & tanta quæ fecit & facere paratus est, in salutem se colentium fierit

4 *Quærite Iehouam & fortitudinem eius, inquirite faciem eius iugiter.*

Quærite Iehouam. [a] Nunc ad exhibendum Deo cultum debitum fideles hortatur. [m] Quasi dicat, Habetis in medio vestri Dominum Deum, potentem assertorem ac protectorem: huius potentiam & faciem indesinenter quærite. [c] Hoc quidem titulo nuper fideles insignierat, quòd Deum quærant, eos tamen iam ad illius quærendi studium hortatur: neque abs re. Nam verum quidem est hac propriè nota discerni fideles à profanis hominibus, sed multum abest quin eum quo decet læto feruore quærant: ideóque stimulis assiduis opus est, quibus, licet vltro currētes, incitētur. Neque enim hic vel erraticos homines, vel prorsus ignauos & terrenis fæcibus affixos ad Deum quærendum solicitat Propheta, sed qui prompto iam animo huc tendebant: quia scilicet multis impedimentis eos tardari videt, ne satis accelerent suum cursum. Quamlibet ergo voluntarii simus, necessaria est nobis hæc incitatio quæ pigritiam nostrā castiget. *Et fortitudinem eius.* [b] Vel, Robur eius. [c] Arcam fœderis vocat hic fortitudinē Dei, vt Suprà, 63. a. 5. quòd in ea se virtus diuina exhiberet. [m] Conuenit autem potentiæ seu roboris nomen præcipuè infirmis & potentiorum potētia pressis, qui sibiipsis consulere non possunt. Illi admonētur de potētia Dei, qua suis quacunque tribulatione & afflictione obrutis opem ferre consueuit, vt hanc quærant & ipsi. *Inquirite faciem eius.* [c] Et hic facies Dei pro Arca ponitur ([a] quemadmodum & Suprà 93. a. 2) [v] propterea quòd Deus pollicitus erat se præsentem exhibiturum super illam. Q. d. Conuenite in eum locum vbi Deus coli vult: si vultis propinqui esse Deo, & cupitis fidem vestram magis ac magis augeri, vtque ipse vnum sit vobiscum, quærite illum qualiter se vobis proponit & manifestat. Vult enim hæc signa & visibiles figuras vobis esse in vsu, quia videt vos esse infirmos. [c] Modestia itaque nobis hoc loco commendatur, vt in quærendo Deo, tarditatis nostræ memores, viam teneamus ab eo præscriptam, nec rudimenta fastidiamus quibus nos ad se paulatim deducit. [m] Præterea admonemur hic quomodo Scriptura typos rerum spiritualium nominibus ipsarū rerum appellare consueuerit. Deinde quam fiduciam Spiritus sanctus à fidelibus ac Dominū quærentibus requirat. Non dicit, Quærite sanctos eius, qui pro vobis intercedāt: sed, Quærite faciem eius. hoc est, Accedite ad ipsum thronum gratiæ Dei, & auxilium ab illo quærite, sicut monet Apostolus, Hebr. 4. d. 16. *Iugiter.* [c] Additur hæc particula nequis in hoc cursu defatigetur, vel stulta perfectionis opinione inflatus, externa pietatis subsidia negligat: quemadmodum multi, vbi quatuor vel quinque pedes progressi sunt in Dei notitia, quasi Angelis superiores essent, à lege communi se eximunt. [h] Ad hæc non sic iubet Propheta semper faciem Domini quærere quasi nunquā inueniatur à quærentibus Deus, ideóque semper sit quærendus: sed vt in omnibus afflictionibus opem illius imploremus, donec in hac vita peregrinamur: nec deficiamus, etiamsi non mox auxilium ab illo impetremus: neque illi molestum esse cogitemus si sæpius, imò indesinenter, faciē ipsius quæramus. Sic & Christus admonet esse semper orandum & non deficiendum, Luc. 18. a. 1.

5 *Mementote mirabilium eius quæ fecit, prodigiorum eius & iudiciorum oris eius.*

Mementote mirabilium eius. [c] Iterum iubet recordari mirabilium Dei quæ in populi sui liberatione edidit. [b] Nam admirandis & insolentissimis rationibus scimus Deum suis adfuisse, [c] ac virtutem suam nouis & inusitatis modis exeruisse. *Prodigiorum eius.* [m] De portentis illius loqui videtur quæ per manum Mosis in Ægypto facta legūtur. Sic appellabātur eo quòd iram Dei & futurum improborū exitium portēdebant. Huiusmodi multa etiam postremis hisce tēporibus contingūt, quæ tamen clausis oculis & corde obdurato contemnuntur. *Et iudiciorum oris eius.* [c] Per iudicia oris quidam Legem intelligunt: sed quia hæc tria vno contextu legimus, præstat de signis exponere quibus Pharaonis superbiā fregit Deus. Adhuc tamen de ratione loquutionis ambigitur. Quidam ob Mosis prædictionem iudicia oris Dei vocari putant: quod probabile est. Quanquam simplicius posset accipi, in signis apparuisse incredibilem Dei potētiam. Vnde colligere promptum esset ab eo esse profecta. Nos quidem ministerium Mosis non excludimus, quem Prophetam Deus excitauerat Ægyptiis, qui denuntians quod futurum erat, hoc ipso probaret non esse fortuitum. Videtur tamen Propheta ad ipsam miraculorum claritatem alludere: acsi diceret, Quanuis Deus verba non fecisset, re tamen ipsa patuisse eum esse populi sui vindicem.

6 *Semen Abrahæ serui eius, filij Iacob electi eius.*

Semen Abrahæ. [m] Iam Propheta populum Israelis ex nomine compellat, & eorum admonet quæ diuino beneficio patribus ipsorum, Abrahæ, Isaaco & Iacobo primùm contigerunt. Q. d. Vos compello, quotquot ad posteritatem Abrahæ pertinetis, & filii Iacob estis. Vestrum est potissimùm confiteri Domino, inuocare nomen eius, canere ei, ac psallere: imò & stupenda illius opera aliis deprædicare. [a] Vester enim Deus est, qui mero suo beneplacito vos omnibus populis prætulit. [c] Vocans autem Israelitas filios Abrahæ & filios Iacob, admonet non adeptos fuisse tantum honorem proprio marte: sed quia progeniti erant ex sanctis patribus. *Serui eius.* [a] Hoc est, Qui Dominum sincero corde ac vera fide coluit, qui illi vocāti morem gessit, & eum præ cunctis rebus dilexit. *Filij Iacob.* [m] Postquam de semine Abrahæ loquutus est, confestim Iacobi mentionem facit, ne, quod de semine Abrahæ dixerat, ad Ismaelem referatur, vel etiam ad Esau, qui & ipse Iacobi frater fuit, ex Abrahæ semine natus. *Electi eius.* [c] Quum Vates populum vocauit semē Abrahæ serui Dei, & filios Iacob electi Dei, admonere voluit diuinæ dignationis (sicuti iam diximus) qua eum sibi in seruum elegit, non ex ipsius solùm familia, sed tota hominum vniuersitate: deinde & Iacob, reiecto fratre primogenito Esau. [c] Asserit etiam sanctitatem patrum huius populi à sola Dei electione manare, non autem à natura. Vtcunque enim disertè exprimit Propheta, antequam nascerentur filii Abrahæ, iam fuisse hæredes fœderis, quia originem à sanctis patribus traherent: deinde patres ipsos non sibi peperisse hoc iuris suo merito, vel dignitate, sed gratis fuisse electos. nam ideo vocat Iacob electum Dei. Quanquam autem Abraham vocatur ipse quoque Dei seruus, quia purus fuit eius cultor, secundo tamen loco testatur Propheta non ab ho-

minibus fuisse iustitiam, sed à Deo solo, qui eos sibi in peculiũ asciscere dignatus est.

7 *Ipse Iehoua Deus noster, in tota terra iudicia eius.*

Ipse Iehoua Deus noster. [a] Infert ex hoc fœdere, quamuis imperium Dei pateat per totũ orbem, & vbique sua iudicia exerceat, esse tamen peculiarem Deum vni populo. [b] Q.d. Etsi Deus iudex est & Dominus vniuersæ terræ, peculiariter tamẽ est noster Dominus ac Deus, propter patres nostros, quos vnà cum ipsorum posteritate sibi in peculium elegit. Quum sit igitur potissimum noster Deus, nostrum quoque potissimum est laudes illius passim & ex animo celebrare. *In tota terra iudicia eius.* [b] Hoc est, potestas & regnum eius in omni terra semper obtinent. [a] Vt enim solus Deus cuncta condidit sua virtute ac potentia, ita rerum omnium solus Dominus est & iudex. Et tamen ex omnibus gentibus posteros Abrahæ in populum sibi peculiarem selegit. [c] quemadmodum in Cãtico Mosis scribitur, Quum diuideret Excelsus gentes, quum distribueret populos, extendit funiculum in Iacob, Deut. 32.a.8. Atque iterum docere voluit Propheta non excellere Israelitas quòd meliores essent aliis, sed propter Dei beneplacitũ. Nam si Dei iudicia se extendunt per omnes mundi plagas, æqualis est gentium omnium conditio, earum respectu. Vnde sequitur discrimẽ in Dei amore esse, & fontem dignitatis esse gratuitum. Quamuis ergo Deus iure suo possideat totam terram, dicit populum vnum sibi sumpsisse in quo regnaret. Ad nos quoque hodie pertinet hæc admonitio. nam si probè vocationem nostram expendimus, certè reperiemus non aliunde inductum fuisse Deum vt nos aliis præferret, sed mera sua gratia fuisse contentum.

8 *Recordatus est in seculum fœderis sui, verbi quod mandauit in mille generationes:*

Recordatus est in seculum fœderis. [v] Vel, Memor fuit in seculum. Vel, Perpetuò meminit. [a] Canit hic Vates fidem Dei, ostendens eum plenissimè præstitisse quæcunque sanctis patribus fœdere cum illis icto gratuita sua bonitate promiserat. [c] Atque ita realem (vt vocant) fœderis effectum commendat: ex ipsa redemptione probans quod prius dixit, Deum, quũ æqualiter dominaretur cunctis gentibus, vnum tamẽ genus Abrahæ suo fauore esse complexum. Nam qui factum est vt Deus in redimendo populo, brachii sui virtutem palàm tot miraculis illustrauerit, nisi vt fidem olim seruis suis datam præstaret? Constat igitur antiquum fœdus redemptionis fuisse causam: quia vt verax esset Deus in seruandis promissis, antè oportuit misericordem esse. Quia verò longa annorum series fluxerat inter promissionem & effectum, recordãdi verbo vtitur Propheta: acsi diceret non obsolescere lõgo temporis tractu Dei promissiones, sed, dum mundus credit eas esse extinctas, vel obliuione deletas, vigere earum memoriam coram Deo, vt eas opportunè impleat. Quod melius confirmat subiungens, Verbi quod mandauit in mille generationes. Nam symmetriã & consensum laudat inter formam pacti & effectum. Non ad diẽ vnum (inquit) vel paucos Deus pepigit cum Abraham, neque etiam vnius hominis vita finiuit fœdus suum, sed in mille vsque generationes promisit se Deum fore eius posteris. Ergo quamuis diu suspensum fuerit complementum, Deus tamen re ipsa ostendit vetustate non collabi vel effluere fidem suam.

Verbi quod mandauit in mille generationes. [a] Vel, quod præceperat in mille generationes. Alii, quod præcepit mille generationibus. [b] Q.d. Dominus Deus vult vt quemadmodum fœdus hoc non solùm cum Abrahamo, sed & cum posteris eius pepigit, ita illud ad posteras etiam generationes sic proferatur vt ex illis nulla sit quæ hac fœderis gratia priuetur. Vnde & huic prædicationi signum fœderis adiunxit, voluitque illud communicari non modò adultis, sed & infantibus, qui & ipsi eius sunt participes gratiæ quam in mille generationes mandauit.

9 *Quod pepigit cum Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.*

Quod pepigit cum Abraham. [c] Quia Abraham quum permistus esset idololatris, primus vocatus est: ideo ab eius persona Propheta incipit. Et postea in filii quoque & nepotis manu sancitum fuisse cõmemorat. Deposuit ergo Deus fœdus suum apud Abraham, & solenni iureiurando pepegit se fore Deum seminis eius. Sed quò certior constaret fides, repetere voluit erga Isaac & Iacob. facit enim talis propagatio vt altius hominum cordibus insideat Dei veritas: deinde vt notior fit ac magis celebris Dei gratia repetitis vicibus sæpius testata. Ideóque per gradus exprimitur quàm firma sit stabilitas illius fœderis: nam quod de singulis Patriarchis dicitur, peræque ad omnes pertinet. Dicit Propheta Deum iurasse ipsi Isaac: annó prius iurauerat Abrahæ: hoc certè extra dubium est.

10 *Et stabiliuit ipsi Iacob in decretum, Israeli in fœdus perpetuum.*

Et stabiliuit ipsi Iacob in decretum. [v] Vel, in statutum. Ad verbũ, Et stare fecit illud ipsi Iacob in decretum. Id est, Fœdus illud ratum fuit ipsi Iacob, ita vt habeatur vice legis. *Israeli in fœdus perpetuum.* [v] Vel, Sempiternum. Repetitio est, qua Israelẽ vocat quem Iacob appellauerat. [c] Dicit ergo fœdus hoc stabilitum fuisse erga Iacob decreti loco, & in fœdus perpetuũ. An quòd temporale vel caducum fuerit fœdus, & tunc naturam mutauerit? Hoc prorsus remotum est à Prophetæ cõsilio. Sed diuersis loquendi formis planam & solidam confirmationem asserit: vt si fortè in vno homine obscura esset vocatio, plus lucis accederet ex quo eius testimonium ad posteros transmiserat: quia hoc modo melius rata fuit eius fides. Hic rursus memoria repetere conuenit, Deum plusquam indulgẽter nostræ infirmitati consulere, dum & iureiurando & repetito sermone nobis confirmat quod semel pollicitus est. Quo fœdior est nostra ingratitudo dum fidem abrogamus non loquenti modò, sed etiam iuranti. [b] Huius paternæ indulgentiæ meminit Apostolus, dicens, Qua in re Deus, quum eximiè vellet hæredibus promissionis ostẽdere firmitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest vt mentiretur Deus, validam cõsolationẽ habeamus, Hebr.6.d.17.

11 *Dicendo, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.*

Dicendo, Tibi dabo terram. [a] Leges fœderis erant vt Dominus esset illorũ Deus, & vicissim illi ipsius populus: sicuti manifestum est legenti quæ scribit Moses Gen.17.a.2, & 26.a.3, & 27.c.13. In signum autẽ huius fœderis, & promisit & dedit illis possessionem terræ Chanaan. Quæ quum exigua fuerit portio gratiæ patribus oblatæ, non comprehendit totum Dei fœdus quod ad spem vsque hæreditatis patebat. Sed Prophetæ satis habuit per synecdochen monstrare præstitum fuisse ac completum quod Deus patribus fuerat pollicitus. Hoc enim tendit eius consilium, eos non alio iure possidere terram Chanaan, nisi quòd ex Dei pacto legitima erat Abrahæ hæreditas. Certè siquis arrham cõtractus ostendat, non violat contractum. Itaque Propheta visibili symbolo probans Deum nõ frustra pepigisse cum seruis suis, nec spem eorum lusisse, alias gratiæ partes non tollit vel abolet, imò, dum audiunt Israelitæ se iure hæreditario occupare, quia sint electus Dei populus, longius eos ascendere conuenit, vt priuilegia omnia, quibus eos ornare dignatus est, simul colligant. Atque hinc notandum est, dum aliqua in parte sua promissa erga nos complet Deus, malignos esse nos & ingratos nisi in fidei nostræ confirmationem hæc experientia valeat. Neque enim dubium est, quoties se nobis patrem exhibet Deus, quin verbi sui vim & efficaciam realiter (vt loquuntur) cordibus nostris obsignet. Quòd si terra Chanaan in cælum deducere Israelitas debuit, quia sciebãt respectu fœderis in eam se fuisse adductos, longè plus momenti apud nos habere debet quòd Deus Christum suum exhibuit, in quo omnes promissiones sunt etiam & amen, 2. Cor.1.d.20.

Funiculum hæreditatis vestræ. [a] Hæc numeri mutatio ostendit communiter Deum pepigisse cum toto populo, licet ad paucos homines verba faceret: sicut paulo antè vidimus fuisse decretum, vel legem perpetuam. Etsi enim sancti Patriarchæ primarii fuerunt promissionis custodes, non tamen priuatim sibi amplexi sunt oblatam gratiam, sed vt posteris communis foret. [a] Vnde etiã Petrus ad Iudæos, quos alloquebatur, promissionem spectare dicebat. Act.2.f.39. [b] Cæterùm quando hic agitur de fœderis perpetuitate, Iudæi ex hoc loco argutantur terram Chanaan fore sempiternam, & Iudæos, quamuis nunc captiuos, & in varias orbis plagas disiectos, ad illam olim reuersuros, inque ea perpetuò mansuros. Perpetuum quidẽ est fœdus hoc à Deo cum Abraham & semine eius initum: ipsa verò terra Chanaan, transitoria, perinde atque aliæ orbis regiones: sed hæc fœderis perpetuitas in Christo cõseruatur, in quo nõ Iudæi tantùm, sed & Gentes illius participes redduntur, sic vt non ipsorũ modò, sed & seminis ipsorum Deus existat idem ille qui Abrahæ promisit quòd Deus ipsius & seminis ipsius in sempiternum esse vellet. Qua de re vide Act.2.f.39, & Rom.3.d.29. & Ephes.2.d.17.

12 *Quum ipsi essent pauci numero admodum, & peregrini in ea.*

Quum ipsi essent pauci numero. [v] Vel, Quum essent viri pauci numero. Ad verbum, homines numeri. Id est, quum adhuc facilè numerari possent pra paucitate. [c] Nunc Propheta memorat prima illa Dei in Israelem beneficia, vt appareat longè

ante redemptionem non fuisse ioane fœdus. Huc enim tēdit narratio quam videbimus, ex quo Abraham in fidē suam excepit, mirabiliter eum fouisse: paternum quoque eros amorē & curā apparuisse in tuendis duobus aliis patriarchis. Quanquā vbi dicit eos fuisse numero admodum paucos, non modò virtutem Dei hac circunstantia commēdat, sed causam simul notat cur tam beneficus erga eos fuerit Deus. Hoc igitur primo loco tenendum est, ne sibi quicquam arrogent Iudæi, Prophetam disertè excipere, patres eorum iam tunc fauorem Dei expertos esse quum infirmi essent & contēptibiles, vagi, inopes, & secundum carnem modis omnibus miseri. Sic etiam illis Moses exprobrat, Non elegit Deus patres tuos quòd plures essent numero quàm alii populi, vel in illis esset aliqua maior nobilitas: sed quia dilexit eos, Deut.7.b.7. In summa, neque multitudinis, neque vllius præstantiæ ratio habita fuit in electione huius populi. Vnica fuit domus Abrahæ, & quidem sterilis: Isaac ex duobus filiis alterum lōgè ablegare coactus est, alterum vidit eiectum è sua familia. Quāquam domus Iacob fuit fœcundior, erat tamen priuata. *Et peregrini in ea.* [c] Vel, Et pauco tempore peregrini fuissent in ea. Ad verbum, quasi modicum, & peregrini. Quidam vertunt totum versum, Quū essent viri pauci numero, & peregrini in ea. Alii præcedentibus iūgunt, vertentes, Pauci admodum, atque aduenæ. vel, Viri numero pauci, & aduenæ. Sed distinctio Hebraica quæ supponitur dictioni מספר repugnat. [c] Sensus tamē est, patres Israelitarū ignobiles fuisse & contēptos, quū essent inquilini in alieno solo. Nam & fames & aliarum rerū penuria sæpius eos coegit locum mutare. Quare concidit hic omnis humanæ dignitatis respectus: & clare patet, quæcunque in eos contulit Deus beneficia, non fluxisse ex alio fonte quàm amoris eius. Causa autem amoris extra eum quærenda non est. Iam si tam solicitè commendat Spiritus sanctus Dei gratiam in terrenis beneficiis, quanto magis hoc tenendum est vbi de cœlesti hæreditate habetur sermo? [m] Præterea hæc populi Dei primordia in oculis carnis admodum humilia, & indigna erant quæ Deo tribuerentur. Verùm sic solet ille delectari humilibus vt ea quæ in mundo sublimia habentur cōfundat: deinde res humiles & instar modicas in sublime euehere, inque illis virtutis suæ argumēta exprimere. Qua de re vide 1.Cor.1.d.27. [a] Locus etiā hic facit aduersus eos qui multitudini semper adhærendum esse dicunt, non perpendentes veram Dei Ecclesiam respectu totius mundi semper exiguam fuisse & modicam.

13 *Et obambularent è gente ad gentem, è regno ad populum alium.*

Et obambularent è gente. [a] Hoc est, Et migrarent de regione in regionem. [c] Hac circunstātia clarius demonstrat Vates quàm mirabilis fuerit Dei protectio in illis seruandis. Si nidum aliquem quietum reperissent, fuisset hæc commoditas notabile gratiæ Dei signum: sed quū exulauerint in diuersis locis, hinc inde cum magna inuidia reiecti fuerint, quemadmodum si ventus propellat quisquilias, multo clarius illic refulget Dei præsidium. Quum ergo vbique eorum vita è filo penderet, mutatio autem hospitii eos nouis subinde iniuriis redderet obnoxios, sola Dei virtus præstitit incolumes. [m] Hoc verò patrū exemplum non parum cōsolationis adfert illis omnibus quibus non datur in hoc seculo vt in patria certa consistant, vel saltem inter extraneos alicubi sedem stabilem inueniant: sed eo adiguntur vt cum suis necesse habeant subinde mutare sedes, & de gente migrare ad gentem. Sunt hæc molesta quidem est in se, & coram mundo abiecta & contempta, verùm haud aliena à viris Dei, imò ipsis populi Dei patribus & capitibus: quorum sese exemplo solentur quotquot illam nulla sua temeritate, sed per diuinam dispositionē experiuntur: & interea cogitent in hoc se mūdo peregrinos esse & ad patriam cœlestem tendere.

14 *Non permisit hominibus nocere illis, & corripuit pro ipsis reges.*

Non permisit hominibus nocere. [a] Vel, non permisit hominem iniuria afficere eos. Alii, Non permisit vt quisquam hominū calumniam illis inferret. [i] hoc est, Quamuis Abraham & eius filii sic haberent vt quorumuis iniuriis obnoxii essent, eam tamen illorum curam Deus egit vt nemo eos lædere potuerit. [c] Nam scimus non duos vel tres Abrahæ & eius filiis fuisse aduersos, sed à totis populis exhibitas fuisse molestias. Quum ergo turmatim multi insurgerent, alii post alios, Propheta indefinitè dixit prohibitos à noxa fuisse homines. Ponitur enim hic nomē אדם. [h] Erāt ergo multi reprobi ac mali, ad hoc parati vt viros Dei opprimerent: & hanc illorum malitiam Deus illorum cordibus non exemit, verùm sic coercuit vt esset ina- [illegible]

nis & inefficax. Itaque non est quòd ad impiorum malitiam expauescamus. Nihil in nos possunt à Deo patre nostro cœlesti, [a] sine cuius voluntate ne capillus quidē de capite nostro peribit, Matth.10.c.30, & Luc.21.d.18. *Corripuit pro ipsis reges.* [v] Quidam, Sed coarguit. Alii, Et castigauit. [c] Propheta amorem Dei amplificat erga seruos suos, quòd eorum causa se regibus opposuerit. Nam quòd ne regibus quidem Ægypti & Gerar pepercit Deus, hinc apparet quàm pretiosa ei fuerit Abrahæ & generis eius salus. Diximus enim nuper nullius pretii vel æstimationis fuisse sanctos patres coram mūdo. Quo illustrius suā bonitatem Deus extulit, regibus eos præferens. Iam videmus Iudæos in patrum persona fuisse humiliatos, ne qua dignitatis specie fingerent partam sibi fuisse gratiam coram Deo. Porro quia regum potentia erat populo Israelitico formidabilis, vt Propheta doceret vnum Deum timendū esse, hoc de regibus addere voluit. Vnde Salomon etiam dicit cor regis in manu Domini esse, &c. Prouerb. 21.a.1.

15 *Ne tangatis christos meos, & Prophetas meos ne lædatis.*

Ne tangatis christos meos. [v] Vel, vnctos meos. [c] Lōgius nunc procedit Vates, quum Deus bellum susceperit cum regibus in fauorem seruorum suorum, non modò fuisse ab eo defensos, quemadmodum solet miseris hominibus & iniustè oppressis succurrere: sed quia illos suo præsidio tuēdos susceperat. Neque enim generali illa ratiōne suos Deus protegit: sed quia iure gratuitæ adoptionis professus est se fore illorū vindicem. Hæc ratio est cur nunc duobus elogiis sanctos patriarchas insigniat Propheta: vocans Prophetas & vnctos Dei. Dixisset de aliis Deus, Ne tāgatis homines innoxios, ne miseros lædatis, qui de vobis nihil tale meriti sunt: sed in Abraham & eius filiis aliam sibi ostendit defensionis causam esse. Vnctos vocat quos sibi sanctificauit in peculium. *Et Prophetas meos ne lædatis.* [a] Vel, Et Prophetis meis ne malefacitis. [c] Eadem ratione sancti Prophetæ dicuntur quo vncti. Et Abraham ipse Prophetæ elogio ornatur, Genes.20.b.7, quia scilicet non solùm Deus propius se illis patefecerat, sed quia cœlestem doctrinam fideliter propagarunt, vt superstes eius memoria illis mortuis vigeret. Nondum quidem vnctionis erat vsus qualis postea sub Lege fuit: sed quod Deus in Legalibus cæremoniis postea ostendit, Propheta in Abraham et ipsa fuisse testatur: sicuti Deus omnibus suis electis insculpit sanctificationis notam. Iam si tantum valuit interior Dei vnctio quo tempore nec Legis quidem figuras Deus prodiderat, quanto nunc maiore cura suos tuebitur postquam in filio suo vnigenito vnctionis plenitudinem exhibuit? [m] Videmus hoc loco quid Deus à regibus requirat, ne quis scilicet christos suos & Prophetas affligat. Est igitur hoc regum, vt populum sanctum nec ipsi lædant, nec vt à quopiam lædātur permittant. At hi ipsi sunt qui viros Dei cum primis affligunt: tātum abest vt eos defendant. Et interea eos quos oportebat opprimere, tanquam scortatores, Simoniacos, idololatras, & seductores, hoc nomine tuentur, locupletant, euehunt, & ἀνευθύνους constituunt, quòd sint vncti oleo externo. Ad hos pertinere putant quod hic Deus de seruis suis dixisse canitur, Ne tangatis christos meos, & Prophetas meos ne lædatis. Et hæc cæcitas eousque obtinuit vt illicitum factum sit magistratibus secularibus in vnctum aliquem, iure potestatis à Deo acceptæ, manum mittere, & meritas pœnas exercere, etiamsi sit omniū flagitiosissimus. Non licet (inquiunt) regibus & reliquis magistratibus tangere christos Domini. Verum est, non licet prorsus vlli mortalium. At christi Domini non sunt illi quos mortalium superstitio propter externam vnctionem putat esse christos Domini. Sed vis cognoscere christos Domini? Noli morari speciosos titulos, sed respice Christum ipsum, patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Samuelem, Dauidem, Prophetas & Apostolos, quorum exempla satis docent quales sint veri christi Domini.

16 *Et vocauit famem super terram, omnem baculum panis contriuit.*

Et vocauit famem. [a] Transit Propheta ad celebrandum beneficium quod Israeli præstitit per Ioseph, cuius historiam legimus Genes.39. 40, & 41. [m] Q. d. Quum famem esset Deus terræ immissurus, pro sua prouidentia Israeli in tempore consuluit: & antequam futura sterilitas adesset, vnum ex filiis Iacob in Ægyptum misit, cuius opera non solùm Israeli, sed & Ægypto & gentibus Chananæis de victu prouideretur: atque ita declarauit se non oblitum fœderis sui, modò perfidia suorum non cæcutiretur. [c] Ergo Propheta hoc loco nobilissimum specimen prouidentiæ Dei erga electum populum prædicat, quo tempore videri poterat irritum & deletum esse fœdus. Nam ad confirmationem (vt prius dictum fuit) addita

fuerat arrhæ loco vel pignoris hæreditatis terræ Chanaan. Quum ergo descensus in Ægyptum, qui domum Iacob priuabat terræ conspectu, facere non potuit vt fœdus intercideret, illic melius refulsit Dei constantia. Atqui Deus hac ipsa tentatione clarius ostendit quàm prouidus esset pater in tuendo genere Abrahæ. Sed præstat singulas partes expendere. Primò docet nō fortuitā fuisse illam famē quæ Iacob eapulit in Ægyptum. Tametsi autem de vna fame nunc agitur, statuendum tamen est in genere nō aliam esse cuiusuis penuriæ causam, nisi quòd Deus manum suam retrahens, alimenta subducit. Sed magis exprimitur Dei maledictio, quum dicitur vocata fuisse fames, quasi præsto fuerit ad Dei obsequium, tanquam iræ eius ministra. Quo monemur, famem & pestem, & alia flagella non temere oriri, nec fieri cæco casu, sed Dei manu dirigi quo visum est, & parere eius arbitrio. [M]Certè admirabile est hoc vocandi genus, quo vocantur res nondum existentes, vt fiant, & veniant ad imperium vocātis quò ille vocauerit. Talis est potentia verbi Dei, quam & Apostolus hac in re celebrat, Rom. 4.c.17. Sic alibi dicitur, Vocat frumentum ad multiplicādum, Ezech.36.f.29. Et, Vocauit tempus aduersus Israelem, quo contererentur electi eius, Thren.1.c.15. Item, Vocaui siccitatem super terram, Hag.1.c.11. Quid igitur est iam in terra, quàm in cælo, quod non obediat huic potentiæ Dei, quando etiam ea quæ non sunt vocantis voci obtemperant? *Omnem baculum panis contriuit.* [v]Vel, Omnem virgam panis. [c]En ratio vocandæ famis, nempe vbi Deus frangit panis robur. [v]Aptissima autem metaphora vocatur virga seu baculus panis fultura illa quæ nos sustinet. quia (vt Psalmi præcedētis versu 15 dictum est) officium panis est confirmare siue fulcire cor hominis. In pane igitur cōclusum est quasi baculus, qui nos sustineat: velut si quis baculo innitatur, quòd vires deficiāt. [a]Duobus autem modis conteritur hic baculus, vel quum aufert tritici copiam, quæ sufficiat ad nos alendos: (atque ita videtur Ezechiel accipere cap.4.d.16, Confringam baculum panis in Ierusalem, comedent in mēsura & anxietate, bibent aquam cum pauore, ne scilicet deficiant) vel quum sufflat Deus in panem ipsum, vt esuriem non tollat, sed maneant famelici qui vorando satietatem quærunt. Et certè hoc secūdum fere ad terræ sterilitatem accedit, vt Deus à pane fulturam auferat: quia per se non viuificat panis (vt dicitur Deut. 8. a. 3.) sed intrinsecam virtutem mutuatur ex ore Dei. [M]Interea notemus hoc loco, sic infirmā esse corporum nostrorum constitutionem, vt sustēraculo, velut baculo quodam, opus habeat. Deinde cordium nostrorum peruersitatem sæpe causam esse cur fames à Deo vocetur & baculus iste panis conteratur. [h]Sic enim solet Dominus hominum malitiam & turpem ingratitudinem iusto iudicio vlcisci, vt homines sibi displiceant, ac ab vnius Dei bonitate & prouidentia pendere discant.

17 *Misit ante eos virum, in seruum venditus est Ioseph.*

Miserat ante eos virum. [c]Vel, Miserat ante eos virum. [v]Quisnam ille fuerit, mox declarat, quum dicit, *In seruum venditus est Ioseph.* [M]Respicit Vates ad historiam quæ legitur Genes. 37, de venditione Ioseph. [c]Totus autem hic contextus quasi per hypotyposin ostendit manu & consilio Dei fuisse gubernatum quicquid contigit in populo illo. Simplex narratio erat, famē venisse in terram quum Ioseph à fratribus venditus, in Ægyptum delatus esset. Sed emphaticè loquitur Propheta, Dei cōsilio præmissum fuisse Ioseph qui domū patris sui aleret: vocatam deinde fuisse famem, tunc Dei prouidentia oblatum fuisse præter spem remedium. Etsi autem hoc generaliter verum est in rebus humanis, peculiarem tamen regendæ & alendæ Ecclesiæ curam commemorat Propheta. Recitat autem secundo loco quod tēporis ordine prius est. Ideo in verbo mittendi tempus plusquamperfectum melius sensum exprimet: nempe antequam Deus terram Chanaan fame affligeret, remedium parasse seruo suo Iacob, & familiæ eius. Ioseph enim præmiserat quasi œconomum qui victum illis curaret. Ponit autem duo quasi contraria, vnde prouidentia Dei melius elucet. Quomodo enim missus est Ioseph à Deo? Nempe quum destinatus esset ad mortem, fortè accidit vt fratres ipsum vēdere mallent quàm relinquere in sepulchro. Ipsa igitur venditio si per se reputetur, quasi nubes interposita obscurat & obtegit Dei prouidentiam. Vbi enim initum est consilium de eius cæde, quis sperasset fore nutritium paternæ domus? Pòst, genus mortis inuentum est omnium crudele. Sed in cisternam proiectus quomodo aliis succurrere poterat? Summa spes fuit, quòd tandem venditus è cisterna emersit. Sed rursus parum abfuit quin tota vita putresceret in carcere. Quis putaret tam flexuosos circuitus regi Dei prouidentia? Ideo Propheta occurrit, dicens, respectu quidem hominum fuisse venditum, sed præmissum tamē fuisse diuinitus. Locus hic notatu dignus est, quia optimè Dei prouidentiā asserit contra præposterum carnis nostræ stuporē. Quia enim subsistimus in mediis quæ nobis occurrunt, vel hominum consiliis ascribimus quicquid geritur, vel casu accidere putamus: ita nemo ferè ad Deum penetrat. Atqui venditio Ioseph hic non obtenditur quasi velum quod Dei prouidentiam abscondat, sed potius tanquam insigne monumētum, quo docemur, vbi hoc vel illud molliti sunt homines, tenetius esse in Dei manu: imò corda hominum huc & illuc arcano instinctu flectere, vt per eos vel inscios vel nolentes exequatur quod statuit. Sic dicebat Ioseph ipse fratribus, Non vos misistis me huc, sed Deus, qui & posuit me in patrē ipsi Pharaoni, Genes. 45 b.8. Cæterùm ita Deus occulto fræno gubernat res humanas, & prauis cōsiliis vtitur in rectū finem vt tamen permista nō sinat iudicia hominum prauitati. Perperam conspirāt fratres Ioseph in eius necem, iniustè etiam eum vēdunt, culpa in ipsis residet: Deus per eorum manum prospicit tā ipsi quàm patri Iacob, totique suæ Ecclesiæ. Hoc sanctum consilium nihil sordis vel maculæ contrahit ex eorum malitia qui prorsus tendebant in diuersum finem: sicut postea testatus est idem Ioseph, Vos quidem de me cogitastis malum, sed Deus in bonum conuertit, Genes. 50.d.20. [a]Memorandum sanè exemplum, quod vtinam liberet nobis semper imitari. Sic enim habent cuncta de nobis Dei erga suos consilia vt habuit hoc quod de Ioseph sæpissime iam prædicamus. Tantùm in bonum fiunt nobis accidere quicquid accidit, quamuis improbi mala sint in nos voluntate, quibus ille vt virgis ad castigandum nos vtitur. [M]Sciamus ergo vanos esse mortalium conatus, quālibet astutos & in speciem efficaces, nisi subscribat illis diuina maiestas.

18 *Afflixerunt in compede pedes eius, ferrum venit in animam eius.*

Afflixerunt in compede pedes. [v]Vel, afflixerunt compedibus pedem eius. [b]Memorat quibus malis oportuerit antea exerceri ac probari Iosephum, quàm Deus eo populi sui seruatore vteretur, in principalem dignitatem euecto. [c]Nec frustra prosequitur Vates circuitum illū, qui obnubilare poterat hominum mentes, ne ad Dei consilium respicerent. Quid enim minus consentaneum, quàm per tam diuersas ambages Deum ad propositum sibi finem venire? Sed prouidentia Dei, superatis tot obstaculis, multo illustrior emergit quàm si breui & facili compendio totum negotium trāsigeret. Si primo statim educto Ioseph deductus esset ad regem, & Ægypto præfectus, facilis ad secundum actum transitus erat. Sed vbi in carcerem abreptus, quasi extra hominum cōsuetudinem, semimortuam vitam agit: deinde longo pòst tempore præter spem regi innotescit, subita illa mutatio non vulgariter miraculum illustrat. Ergo hic circuitus quem recenset Propheta, ad rei summam non parum facit: decies mortuus est Ioseph antequam venderetur. Ergo toties Deus Ecclesiæ suæ curam habuit, patrem eius liberando. Vbi in Ægyptum delatus transfertur de manu in manum, donec in aliud sepulchrum descendat. Annon hic clarius apparet Deum, vbi dormire in cælo videtur, maximè excubare pro suis, & melius progredi per varios istos flexus quàm si rectà pergeret, imò celeriter curreret? Ideo dicit Propheta afflictos fuisse in compede pedes eius. quod tametsi à Mose non narratur, certum tamē est de re nota & vulgata loqui. Et certè multa per manus tradita fuerunt Iudæis, quorum nulla fit in Scriptura mentio. Satis etiam probabile est non fuisse traditum initio in liberalem custodiam (vt postea colligit) sed duriter oppressum. *Ferrum venit in animam eius.* [v]Vel, in ferrum venit anima eius. Hebraismus, pro, Ferrum ingressum est animā eius. [c]Sensus est, sanctum virum ita cōstrictum fuisse catenis acsi ferro addicta esset eius vita. Vnde sequitur, nihilo magis sperandam fuisse vitam ab eo quàm ab aliquo cadauere. [h]Sic affligi ac cruciari oportuit innocentem, donec liberationis eius tempus à Deo præfixū veniret, quemadmodum versu sequenti dicitur.

19 *Vsque ad tempus quo venit verbum eius: sermo Iehouæ examinauit eum.*

Vsque ad tempus quo venit verbum eius. [v]Nempe Dei. Est autem Hebraism°, pro, Donec veniret id quod Deus decreuerat de ipso Ioseph: & tamen oraculum Dei (id est, interpretatio somnii Pharaonis immissa à Deo) reddidit illum probatum ipsi Pharaoni. Relatiuum sine antecedente. [c]Posset tamen, & quidem commodè, referre Ioseph, donec scilicet pateficret exitus Ioseph, qui in Dei consilio latebat. Vel, donec Dominus illum eripuit è carcere, & patefecit eius conditionē, quā illi decreuerat, & quæ prius ignota erat. Tenēdum semper est,

Prophetam reuocare hominum mentes à profana illa imaginatione quòd fortuna verset res humanas. Quum enim nihil Ecclesiæ saluti magis confusum fuerit, quandiu habitus est Ioseph pro damnato, Propheta hic nos sursum attollit, & iubet reputare occultum verbum, cuius nondū opportuna vel matura erat manifestatio. [M] Cæterùm notandum hic est quòd sicuti vincula Ioseph non sempiterna fuerūt, sed temporaria: ita sanctorum afflictiones in hoc seculo finem tandem habituræ sunt, 2.Cor.4.d.17. Est illis constitutum tempus quo terminentur. Nemo itaque grauetur animo si ferenda sint vincula, & ineunda propter fidem Christo Domino seruandam quamlibet magna discrimina, quum sciat constitutum esse liberationis tempus. *Sermo Iehouæ examinauit eum.* [V] Quidam, Eloquium Iehouæ purgauit eum. Vel, Probauit eum. nempe vt probatur argentum. Vocat sermonem siue eloquium Iehouæ, arcanum Dei secretum quod de Ioseph decrauerat, quòd suo tempore cognitū fuit. [C] Nam quousque apparuit lætior euentus, quem Deus occultum & suspensum diu tenuit, seriò examinata fuit patientia Ioseph. Et quod profani homines, qui non agnoscunt Deum rebus humanis præesse, fatum appellāt, Propheta magis proprio nomine insignit, dicens sermonem esse Dei & cuiusque verbum. Nec displicet quod Galli sua lingua vocant destinee. Stoici, quum de fato disputāt, vel potius balbutiunt, nō modò spinosis anfractibus se inuoluūt & rem ipsam, sed verum principium: quia complexum causarum fingentes, eripiunt Deo mūdi gubernacula. Impium hoc figmētum est, causas inter se perplexas nectere, quibus alligatus sit ipse Deus. Fidem ergo nostram ad arcanum Dei consilium ascendere oportet, quo liberè omnia in suum finem dirigit. Interea docet etiam hic locus finem piorum afflictionibus diuinitus esse præfixum donec probè examinati fuerint.

20 *Misit rex, & soluit eum: dominator populorum, & liberauit eum.*

Misit rex, & soluit eum. [A] Recitat nunc Vates Iosephi liberationē, quæ narratur à Mose, Genes.41.b.14. [B] Quum enim tempus venisset quo Dominus palam facere voluit sortem quā ei destinasset, misit rex Ægypti pro eo: nec solùm accipit eū, sed etiam dominum ac moderatorem domus suæ, imò totius regni constituit. *Dominator populorum.* [A] Regem Ægypti intelligit, qui magno populo dominabatur. *Et liberauit eum.* [A] Hoc est, E carcere eductum & dimissum ad se venire iussit.

21 *Constituit eum dominum super domum suam, & dominatorem in cunctis opibus suis.*

Constituit eum dominum super. [M] Quod Psaltes paucis hoc loco attingit, fusius explicat Moses, nempe quomodo Ioseph à Pharaone & in quem honorem sit euectus. *Super domum suam.* [M] Hoc non tantùm de aula Pharaonis intelligi debet, sed de omni illius principatu, dempto regni solio quod vnicum sibi Pharao reseruauit, reliquis omnibus in manu Iosephi traditis. [A] Ita enim dicebat ei, Præeris domui meæ, & ad imperium oris tui parebit omnis populus meus: vno solio te antecibo, Genes. 41.e.40. Et rursus versu 41, Et constitui te super omnem terrā Ægypti. Et iterum versu 44, Ego sum Pharao, præter tuā voluntatem nemo attollet manum vel pedem suum in tota terra Ægypti. Tum sanè calamitatibus suis, ceu igni, ereptus, in tam præcellentem dignitatem (defæcato iam argento similis) est euectus. [C] In qua re tam incredibili maximè enituit rara Dei virtus. Quid enim magis insolitum quàm regem potentissimum, hominem externum è carcere accersere, quem toti regno præficiat, & secundum à se gradū tenere iubeat? [M] Huiusmodi honori præcedentem seruitutem, in quam fuerat venundatus à fratribus, & captiuitatem, cui causam impudicæ mulieris nequitia dederat, conferamus: & obseruemus quid expectandum sit omnibus illis qui veritatis gratia ignominia & probris afficiūtur. [A] Etsi enim non omnes in externum honoris gradum post afflictiones euehuntur, dubium tamē non est quin Dominus sit eorum mœstitiam in summam lætitiam, & miseram eorum sortem in maximā fœlicitatem commutaturus. *Et dominatorem in cunctis operibus suis.* [V] Vel, in omni possessione sua. Vel, super cunctas opes. Hoc ad exaggerandam Iosephi authoritatem additum est.

22 *Ad vinciendum principes suos in anima sua: & vt senes suos sapere doceret.*

Ad vinciendum principes suos. [C] Vel, vt alligaret. [V] Vulgò exponunt delatum fuisse summum imperiū ipsi Ioseph, vt pro sua voluntate conijceret in carcerem etiam regni proceres. Alij, quia hoc asperius esse vidēt, deducunt verbum לאסור à verbo יסר quod est erudire, vt י mutetur in א. Sed mirum est vtrosq; metaphoram non animaduertisse in hoc verbo: nempe quòd Ioseph deuinctos suo arbitrio teneret primores Ægypti, vel potestati suæ subiectos. Nō agitur hic de vinculis, sed de obstrictione vel nexu obsequij, quum ab eius nutu penderēt tā principes quàm omnes reliqui. *In anima sua.* [V] Vel, secundum animam suam. Hebraismus, pro Arbitrio suo. q.d. vt deuinctos teneret arbitrio suo, & subiectos suæ potestati. Nemo enim tūc in Ægypto dominabatur post regē præter ipsum Ioseph. *Et vt senes suos sapere doceret.* [V] Vel, sapientes efficeret. Vel, sapientiam doceret. [C] Ostendit Ioseph non tyrannicè fuisse dominatum, (sicuti difficile & rarum est in summa potestate nihil permittere suæ libidini) sed summis quibusque regulam fuisse & exemplar optimæ moderationis. [C] Lōgè alius fuit ab Hamā, qui inanis gloriæ cupiditate inflatus non dubitauit gētem vnam extremo exitio ac internecioni exponere, Esther 3.b.9.

23 *Et venit Israel in Ægyptum, & Iacob peregrinatus est in terra Cham.*

Et venit Israel in Ægyptum. [B] Iam ingressus Iacob in Ægyptū describitur, & quid populo Dei euenerit per Ægyptios, Ægyptiisque illius causa. [C] Non recitat totam historiam, neque opus fuit: tantùm ponit ante oculos Dei prouidentiam, quam vix centesimus quisque expendit, dum legunt quod scriptum est à Mose. Dicit ergo, postquam præmissus fuit Ioseph qui patrē cum familia hospitio exciperet, tūc Iacob venisse in Ægyptū, rebus scilicet mirabiliter ordinatis, vt in gente superbissima, quum omnes inedia tabescerent, reperiret panis copiam. Vnde apparet tarditatem Dei quæ putatur, nō altò spectare quàm vt optima occasione opus suum compleat. *Et Iacob peregrinatus est.* [A] Vel, Iacob aduena factus est. [A] Idem aliis verbis dicit. *In terra Cham.* [M] Vocat Ægyptum terrā Cham, eo quòd Misraim (cuius nomine Scriptura Ægyptū vocat,) filius Cham filij Noa fuit, etiam primogenitus, Genes.10.a.6.

24 *Et auxit populum suum valde, multiplicauit eum præ oppressoribus eius.*

Et auxit populum suum valde. [V] Auxit, sub. Deus. [M] Quum in Ægyptum descenderet Iacob, familia illius erat animarum septuaginta. Hāc quomodo Deus breui tempore auxerit testatur Moses his verbis, Et filij Israel germinauerūt more reptilium, plurimi prouenerunt, multi facti sunt, & numero inualuerunt multo plurimum, & repleuerūt terram suam, Exodi. 1.a.7. [C] Hac itaque circunstantia laudatur singularis Dei fauor erga Ecclesiā, quòd populus ille breui temporis spatio præter communem modum auctus fuerit. Qua in parte enituit admirabilis Dei benedictio. Quo putidior est quorūdam canum latratus, dum populi multiplicationem, quæ à Mose refertur, proteruè subsannāt, quia superat cōmunem naturæ modum. Atqui si vsitato more creuisset populus, protinus exciperent nullum illic cerni Dei opus. Ita hoc vnum captāt suis cauillis vt Dei benedictionem aboleant. Nos verò, qui scimus fas nō esse potentiam Dei vel sensu nostro vel communi lege naturæ metiri, reuerēter hoc extraordinarium eius opus admiremur. [M] Docet etiam hic locus quàm verax sit Deus in promissis suis præstandis. Abrahæ multoties seminis multiplicationem promiserat, Gen.15.a 2, & 17.a.6. quā hic abundè præstitit. *Multiplicauit eum præ oppressoribus eius.* [A] Vel, roborauit eum præ hostibus eius. [C] Hæc pars versus subobscura est, præsertim si legamus roboratum fuisse populum. Neque enim notare tempus illud videtur Propheta quo quieti in prospero statu degebant Israelitæ: sed quo contumeliosè vexati sunt tanquam mancipia. Possumus tamē hoc per prolepsin accipere de re futura. nam proximo versu dicet Propheta Ægyptios mutatis animis cœpisse crudeliter in populum grassari. Quanuis ergo nondum palàm sæuirent in populum Ægyptij, dum & numero hominum & viribus inualescebat, persequutores tamen eos vocat Propheta. Quāquam certum est, dum seruiliter oppressus fuit populus, formidabilē hostibus suis fuisse: & Moses clarè affirmat sub tyrannide & iniustis oppressionibus cōspicuam adhuc fuisse Dei benedictionem, Exodi 1.c.12.

25 *Vertit cor eorum, ut odio haberent populum suum, & fraudulenter agerent cum seruis suis.*

Vertit cor eorum, ut odio haberent. [B] Transitum facit Propheta ad memorandum Dei beneficium, quo ex Ægypto populum suum potenti brachio suo eduxit. Illud autem non nisi antea humiliati, & quum iam plus nimio fuissent ab Ægyptiis attriti, consequi non potuerūt. Nec enim potest vera populo Dei gloria contingere, nisi carne hac penitus confecta. Ipse ergo fuit immittit qui eos exerceant, carnémque eorum obterant.

[c] Itaque quòd Ægyptii, ex beneuolis & humanis hospitibus sæui postea hostes facti sunt, hoc quoque Dei consilio assignat Propheta. [a] Vnde discimus omnem hominum & fauorem & odium ab vno Deo proficisci. Clarè enim testatur Vates concitatos à Deo esse impios vt Israelem odio prosequerentur. [c] Certum quidè est prauo malignoque ingenio, fastu & auaritia fuisse illuc compulsos: sed non sine Dei prouidentia, qui modo incomprehensibili opus suum ita in reprobis peragit vt lucem eliciat ex tenebris. Sed quia locutio videtur quibusdam durior, passiuè exponunt conuersa fuisse corda, quod neque respondet contextui, & frigidum est. [m] Non enim Propheta dicit, Versum est cor eorum, sed Vertit cor eorum. Est igitur cor hominis in se mobile, instabile & versutum, in manu Dei, vt ab illo vertatur quolibet. [c] Imò videmus data opera Prophetæ esse propositum totam gubernationem Ecclesiæ subiicere Deo, vt nihil nisi ex eius voluntate contingat. Si autem hoc quasi diuerticulum refugium teneræ quorundam aures, Spiritus sanctus alibi quoque securè pronuntiat, arcano instinctu impelli huc illuc corda hominum, vt nihil velint vel faciant nisi ex eius nutu, Prouerb. 21.a.1. Quanta autem vesania est, nihil amplecti nisi quod arrideat rationi humanæ? Qualis erit verbi Dei authoritas si non admittitur nisi quatenus allubescit? Qui ergo hanc doctrinam respuunt quia humano sensui minus grata est, inflati sunt peruersa arrogantia. Alii malignè calumniantur, non inscitia vel errore, sed tantùm vt suscitent turbas in Ecclesia, vel odium nobis conflent apud imperitos. Sunt etiam quidam nimis timidi, qui pacis causa doctrinam hanc cuperent sepultam esse. Iniqui certè moderatores, nam videmus hanc olim fuisse causam cur desciuerint Ecclesiæ scriptores à puro & genuino Euangelio, & deflexerint ad profanam philosophiam. Vnde enim nobis liberum arbitrium, vnde operum iustitia, nisi quòd veriti sunt boni patres ne locum darent maledicis vel proteruis hominibus, si liberè profiterentur quod Scripturis proditum est? Quòd nisi Deus quasi violenta manu coegisset Augustinũ, similis prorsus fuisset aliis: Deus autem quasi malleo eum expoliens, coercuit stultam illam prudentiam quæ contra Spiritum sanctum cristas erigit. Videmus quid asserat Spiritus sanctus, Ægyptios sic fuisse malos, vt corda eorum verterit in odium populi sui. Eludunt, mediatores flexisse corda, quia passus fuerit: vel, quum Ægyptii corda sua adiicerent ad tale odium, quasi per accidens vsus fuerit eorum malitia. Quasi elinguis fuerit Spiritus, vt aliud pro alio proferret. Si videtur hoc prima specie absurdum, sciamus non frustra Dei iudicia inscrutabilia vocari, (Rom. 11.d.33.) & abyssum profundam, Suprà, 36.a.7. Nisi enim infra eorum altitudinem subsideret sensus noster, nullus esset labyrinthus. Interea tenendum est radicem malitiæ fuisse in ipsis Ægyptiis, vt culpa in Deum transferri nequeat. Dicimus sponte & intrinsecus malos fuisse, non alieno impulsu coactos. Quantum ad Deum spectat, etiamsi non appareat ratio, voluntas eius sufficere nobis debet. Sed causa etiam apparet, quæ iustitiã Dei ab omni calumnia vindicat. Cæterùm si modò hoc rudimentum imbiberimus, reuerenter acquiescendum esse verbo Dei, mysteria hæc quæ vel superbos vel nimis cautos offendunt, sine controuersia nobis sapient. *Et fraudulenter agerent cum seruis suis.* [a] Quidam, Vt dolos struerent seruis suis. Alii, Vt machinarentur contra seruos suos. [c] Propheta modum exprimit nocendi. neque enim palàm aggressi sunt Ægyptii populum Dei, vt eum conficerent, sed dolis & astutia paulatim opprimere tentarunt. nam Propheta verbum ex Mose mutuatus est. Atque hoc disertè expressum est, ne putemus corda impiorum libero cursu in perniciem nostram ferri. Hoc quidem sufficere nobis deberet, quicquid diabolus & impii in nos machinentur. Deum tamen ipsorum conatus reprimere. sed duplex est fidei confirmatio, vbi audimus eorum manus non solùm teneri ligatas, sed etiam corda & mentes, vt nequid consultent nisi quod Deo visum est. Notandum hic ingenium odii. In hoc differt odium ab ira, quòd ira manifestè ac properè lædit: odium verò clanculum, dolosè, & pedetentim insidiatur. [a] vt de fratribus Ioseph (Genesis 37.b. 8.d. 20) & plerisque aliis legere licet. Itaque quando de odio constat, nihil aliud expectandum est quàm intermissæ malitiosissimæ insidiæ, præsertim ab illis qui ad dissimulandum sunt accommodatiores.

26 *Misit Mosen seruum suum, Aharon quem elegit.*

Misit Mosen seruum suum. [a] Quemadmodum populus Deo fisus est, ita non finit affligi supra quàm queat ferre: & in tempore etiam, dum adhuc malis exercendi sumus, ne illis frangamur, mittit qui consolentur. Hac causa misit oppressis iam nimio Israelitis consolatores Mosen & Aaron: sicuti scribitur Exodi 3.c.10, & 4.d.14. [m] Ergo quæ in populi redemptione notatu digna erant, Propheta hoc loco breuiter perstringit. Si sponte passi fuissent Ægyptii populum exire, neque Mosis opera, neque miraculis opus erat. Sic ergo liberationem illam Deus disposuit vt negari non possit ipsum fuisse authorem.

Seruum suum. [c] Sic vocatur Moses vt sciamus non à seipso fuisse electum, nec quicquam à seipso tentasse, sed quatenus Dei minister erat, exequutum fuisse partes sibi iniunctas. *Aharon quem elegit.* [a] Eadem ratione vocatur Aharon electus à Domino, qua Moses seruus Domini. vt intelligamus seipsum non ingessisse vt interpretis officio fungeretur, sed in hoc à Deo selectum fuisse: quemadmodum scribitur Exodi 4.d.14. Interea quod singulis tribuitur, ambobus pariter competit. [m] Nam vterque, & seruus & electus Domini erat. sicuti suprà, versu sexto, Abraham seruus Dei & Iacob electus eius appellatus est, qui tamen & ipsi ambo, serui & electi Dei fuerunt. Ideòque sic resolui debet oratio, Deum misisse Mosen & Aharonem ministros suos, non qui per se idonei forent, vel qui vltro suum obsequium detulerint, sed quia eos elegit. Atque hic locus docet, quicunque vtilem Ecclesiæ operã impẽdunt, non præparari suo proprio marte, vel industria formari, sed excitari diuinitus. Moses homo fuit heroicæ virtutis: sed si per se æstimetur, nullus erat. Ideoque iubet Propheta vni Deo adscribi quicquid tam de illo quàm de Aharone memorabile refertur. Ita quicquid conferunt homines in Ecclesiæ salutem, gratuitum esse Dei donum constat.

27 *Posuerunt in illis verba signorum eius, & prodigia in terra Cham.*

Posuerunt in illis verba signorum. [v] Hebraismus, pro facta. Vel, res signorũ Dei. Vel potius, signa ipsa. Seipsum mox explicat, hoc est, Moses & Aharon miracula ediderunt inter Ægyptios. [c] Primũ leuiter delibat Propheta quæ fusius & pluribus verbis narrantur à Mose neque prosequitur continuam historiæ seriem: quia satis habuit ostendere liberationem illam diuinum fuisse opus. Ac rursum distinguit inter Dei potentiam, & ministerium Mosis & Aharon. Nam hos quidem dicit signa edidisse, sed à Deo profecta, vt cœlestis virtus non obscurè apparuerit in eorum manu. *In terra Cham.* [a] Hoc est, in terra Ægypti. Vide Gen. 10.a.6.

28 *Misit tenebras, & obtenebrauit: & non fuerunt rebelles verbis eius.*

Misit tenebras. [m] Quia signorum ac portentorum Mosis & Aharonis mentionem fecit, consequenter iam illa recensere incipit. Recenset autem ea nec omnia, nec eo ordine quo in sacris historiis gesta leguntur. Nam plaga hæc tenebrarum, ordine prima non fuit: sed ideo primo loco eam Vates narrare voluit, quia ex ipsa facilè colligitur Deum fuisse redẽptionis authorẽ. In qua tota naturæ ratio mutata fuit, quia nihil magis stupendum quàm lucem in tenebras conuerti. [m] Sic autem legitur, Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: vbicunque autem habitabãt filii Israel, lux erat, Exodi 10.f.23. *Et obtenebrauit.* [a] Terram videlicet Ægyptiorum. *Et non fuerunt rebelles verbis eius.* [v] Vel, Neque repugnarunt verbo eius. Commẽdat his verbis fidem Mosis & Aharõ, quia strenuè exequuti sunt quicquid mandauerat Deus. ac si diceret optimum fuisse cõsensum inter imperium Dei ipsius, & vtriusque ministri obsequium. [m] Quidam tamen hæc ad signa & portenta referunt, quòd ad verbum Dei præstò fuerint, nec repugnarint mandatis Dei imperio. Sed rectius de Mose & Aharone locus exponitur, qui bona fide exequuti sunt & absque vlla rebellione quicquid ab ipso Deo iniunctũ fuerat.

29 *Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.*

Conuertit aquas eorum in sanguinem. [a] Versio aquarum in sanguinem, prima vltio fuit, de qua Exodi 7.d.20. scribitur. [c] Quàm grauis autem fuerit hæc plaga Ægyptiis, hinc colligere licet, quòd elementum aquæ vnum est ex duobus vitæ principiis. Clarius autem enituit Dei potentia, quòd quum irrigua sit illa regio, tamen siti exaruerint Ægyptii in aquæ abundantia. [m] Discamus hic eiusdem esse vertere creaturas, cuius est omnia ex nihilo creare. Ex hac Dei omnipotentia argumentum opinionis suæ sumunt qui transmutationem substantiæ panis in carnem Dei mordicus defendunt, quasi nos negemus omnipotentiam Dei. Non vident (quia videre nolunt) controuersiam hanc in eo non esse, possitne Deus, sed an velit etiam. Deinde quando in huiusmodi metamorphosi potentiam suam ostendit, sic eam perspicuam reddit vt videatur & sentiatur. *Et occidit pisces eorum.* [a] Non enim pisces in sanguine, sed in aqua viuere possunt.

30 *Produxit terra eorum ranas in cubiculis regum ipsorum.*

Produxit terra eorum. [V]Vel, Edidit terra eorum ranas. [C]Dicit productas fuisse ranas quæ penetrauerunt vsque ad regũ cubicula. quo se palam testatus est Deus miraculi esse authorem. Etsi enim tota Ægyptus scateret ranis, oportuit tamẽ regũ aulas esse immunes. Cæterùm reges vocat vel primores regni, vel filios regios, qui in spe regni educabãtur: quia scimus tunc regem vnum fuisse dominatum in Ægypto. Hinc verò discamus quam facilè Deus nec sine ludibrio in ordinẽ cogat qui superbiunt in carne. Neque enim sibi collegit exercitum, vt cum Ægyptiis cõfligeret, neque statim armauit Angelos, vel è cœlo fulminauit: sed produxit ranas, quæ fastum illius gentis contumeliose calcarent, à qua scimus despectum fuisse totũ orbẽ. Gloriosũ illi fuisset sub robustis hostib⁹ cadere: nũc ranis cedere quantũ ast dedecus? Sed ita probare voluit Deus sibi non opus esse validis copiis ad impios perdendos, quia ludendo id præstabit quoties volet. [M]Et sanè ridiculum est animalculum rana, nec vllis vel dentibus, vel vnguibus, vel viribus armatum: & tamen sic producitur diuinitus vt Ægypti potentiam fatiget & confundat. Hæc est gloria potentiæ Dei, cui opus non est vt deuoratos ac sæuos leones impiis immittat, quum eos abiectis animalculis punire queat quoties illi visum fuerit.

31 *Dixit, & uenit examen muscarum: pediculi in omni termino eorum.*

Dixit, & uenit examen muscarum. [V]Vel, congregatio mista bestiarum. Vel, Feræ omnis generis. Vel, turba miscellanea ferarũ. Alii, insectum. Alii, mixtura, vel examen. sub. insectorũ. [C]Dicẽdi verbo exprimit non fortuitò muscas & pediculos prodiisse. scimus autem verbũ hoc prolatum fuisse ore Mosis: quia etsi Deus iubere poterat, Mosẽ interposuit quasi præconem. Cæterùm non minus efficaciæ verbo suo dedit Deus, proferri iubens per hominem, quam si è cœlo tonasset ipse. Nam dum nihil effutit minister, sed quatenus Dei organũ est, munus suum fideliter peragit, cum externa eius voce coniũcta est interior virtus Spiritus. Hic verò rursus notãdum est muscis & pediculis subiectos fuisse Ægyptios, vt maiore probro Deus eorum cõtumaciam domaret. *Psócos.* [M]Pertinet huc ad tertiam plagam, quæ Exodi 8. d. 16 describitur. *In omni termino eorum.* [M]Historia sacra habet, In hominibus & iumentis, puluis terræ versus est in cinyphes per totam terram Ægypti. Videmus hic muscas & pediculos ad imperium Domini venisse. qua in re & obedientia Deo debita in bestiolis ratione destitutis & indocibilibus commendatur. Ad hæc, ceterarũ consimilium plagarum inculcationem habet eius quod agitur, nempe vt magis ac magis diuinæ potentiæ gloria illustretur, & impiorum superbia confundatur.

32 *Posuit pluuias eorum grandinem, ignem flãmantem in terra ipsorum.*

Posuit pluuias eorum grandinem. [A]Vel, Dedit pluuias eorum grandinem. Vel, Posuit imbres eorum grandinem. [V]Hebraismus, pro, Deus vertit imbres eorum in grandinem. Vel, Pro pluuia dedit grandinem. [C]Significat horribilem fuisse impetũ grandinis qui naturæ tribui nõ posset. Probabile etiam est huic incommodo minus obnoxiam esse Ægyptum quam alias regiones: imò non sæpe pluuiam recipit, sed Nilo rigatur: quo magis Ægyptiis fuit insolitum terram eorum grandine percuti. Ignem quoque interposuit Deus, quo plus incuteret terroris. Grãdo igitur procelloso turbine fuit permista, vt Ægyptii, qui ad alia miracula obduruerãt, tandem expauefacti sentirent cum Deo sibi esse negocium. *Ignem flammantem.* [B]Hebraismus, pro, conflagrantem & vrentem. De hac plaga, quæ septima fuit ordine, vide Exodi 9. c. 23. vbi sic legitur, Grando & ignis mista pariter ferebantur.

33 *Et percussit uites ipsorum, & ficulneas eorum: & contriuit arborem termini eorum.*

Et percussit uites eorum. [M]In historia huius plagæ additur quòd hæc grando homines & iumenta percusserit. *Et contriuit arborem termini eorum.* [M]Alii legunt, Et confregit lignum finium eorum. hoc est, Et confregit arbores in finibus eorum. Id est Ægyptiorum. Nam in terra Gosen, vbi filii Israel erant, grando non cecidit.

34 *Dixit, & uenit locusta, & bruchus absque numero.*

Dixit, & uenit locusta. [M]Hæc est octaua plaga, quam Psaltes hoc & sequenti versu canit. Vide Exodi 10. b. 4. d. 13. *Et bruchus absque numero.* [M]De brucho nulla fit mentio in historia, sed tantùm de locusta.

35 *Et comedit omnem herbam in terra ipsorum, & consumpsit fructum telluris ipsorum.*

Et comedit omnem herbam. [V]Vel, Et comedit, Et depasta est. deuorauit, consumpsit. sub. locusta, vel bruchus. *Et consumpsit fructum telluris ipsorum.* [M]Ostendit quid nocumenti Ægyptiis intulerit harum bestiolarũ multitudo. [V]sicuti Moses, qui scribit, Deuorata est herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat. [C]Porro hæc agrorum calamitas non potuit in fortunam cõferri, quia & momento exortæ sunt locustæ, & absque numero, vt totam Ægyptum obruerent. Sed miraculum in verbo maximè conspicuum fuit: quia prædictio abstulit omnem dubitationem. Itaque disertè Propheta bruchos & locustas irrupisse dicit Deo iubẽte, acsi dato signo milites ad prælium currerent. Semper quidem hæc insecta, vbi nos infestãt, & corrumpunt terræ fruges, Dei flagella sunt: sed Propheta extraordinarium Dei opus hic notare voluit.

36 *Et percussit omne primogenitum in terra ipsorum, principium omnis uirtutis eorum.*

Et percussit omne primogenitum. [V]Vel, Percussit insuper omnẽ primogenitum. [C]Recitat tandem Propheta vltimum miraculum, quod proxima nocte ante populi egressum edidit Angelus, primogenita omnia occidẽdo, [M]à primogenito regis vsque ad primogenitum ancillæ quæ ad molam erat, & primogenita iumentorum. quemadmodum narrat Moses Exodi 12. e. 29. *Principium omnis uirtutis eorum.* [C]Hac repetitione virtutem Dei amplificat Vates, dicens contritas fuisse primitias & florem virtutis eorum. Malè quidam vertunt, principium doloris. Nã quia virile robur in generatione se prodit, principium virtutis vocant Hebræi primogenita. [M]Sic Ruben ab ipso patre suo Iacobo vocabatur, eo quod esset illius primogenitus, Gen. 49. a. 3. Erat autem hæc grauis admodum & horrenda plaga, & tamen iustissimo Dei iudicio immissa.

37 *Et eduxit eos cum argento & auro: & nullus in familiis eius fuit debilis.*

Et eduxit eos. [A]Postquam Vates plagas memorauit quibus Dominus percussit Ægyptum, [A]ex opposito commẽdat Dei gratiam, quæ populum electum ab omnibus plagis intactum & incolumem seruauit. Si promiscuè vtrique easdem sensissent plagas, minus notabilis fuisset Dei manus: nunc dum ex tot cladibus nihil prorsus sentiunt incommodi, hæc distinctio, quasi in tabula paternam Dei curã erga suos depingit. [M]Porro onustos diuitiis Ægyptiorum eductos Israelitas memorat sacra historia, Exodi 12. f. 36. In quo obseruandum vt Dominus operas suorum & molestiam ex facultatibus Ægyptiorum rependerit, inuitis etiam Ægyptiis, quos quum ex iussu Domini fefellerunt, adeo nihil iniqui admiserunt, vt grauiter peccassent nisi ita fefellissent, non minus quàm Saul sua in regem Amalecbitarum præpostera clementia peccauit, 1. Sam. 15. b. 9. Apertè & sincerè etiam cum hostibus agendum, nisi secus iubeat is cuius toti sumus. ita nemo quoque lædendus est: at quum secus iusserit Deus, iam impia est misericordia quæ parcit. Impia itaque fuisset veritas, si Israelitæ iussi à Domino fallere noluissent. *Et nullus in familiis eius.* [V]Vel, in tribubus eius. Quidam intelligũt relatiuum pertinere ad Deum, quòd Deus populum illum adoptasset, vt essent ipsius tribus. sed potius mutatio numeri est. Non fuit ergo in familiis eius. Id est, eorum, vel populi, vel gentis, quisquam debilis. *Debilis.* [C]Vel, impingens. nam verbum כשל vtrunque significat. Simplicius tamen accipi potest, Quum Ægyptus ad interitum tenderet, populum Dei vegetum fuisse, & ab omni morbo immunem.

38 *Lætata est Ægyptus in egressu eorum, quia ceciderat timor eorum super illos.*

Lætata est Ægyptus in egressu. [A]Ægyptii tam raris & tremendis signis adduci non poterant vt dimitterent populum Dei: tandem autem acti malis suis, vrserunt etiam illos vt abirent, multùmque lætati fuerunt quum abiissent. [C]Hæc itaque circunstantia Dei potentiam testatur, quòd libenter electum populum dimiserint Ægyptii, quum tamen nihil minus esset propositum. Nam quum centies perditos cuperent, se tamen putabant lupum auribus tenere: ita vindictæ metus ad delendam populi memoriam eos reddebat magis obstinatos. Vnde sequitur occultum esse opus prouidentiæ Dei, quòd priorem affectum repentè exuunt. Eodem spectat quod dixit proximo versu, eductos fuisse cum auro & argẽto. Neque enim animus fuisset Ægyptiis se vltro spoliare ad eos ditãdos quos cupidè

vita priuassent. Fuit igitur hæc Dei liberalitas, in cuius manu & arbitrio sunt omnes mundi copiæ. Quum autem violenter eripere posset Ægyptiis quæ dederat, flexit eorum corda vt se vltrò nudarent, & quæ petebant Israelitæ, sponte præstarent. *Quia ceciderat timor eorum.* [V] Vel, quia irruerat pauor ipsorum super eos. [M] hoc est, Quoniam timebant cuncti se propter Israelitas interituros, nisi illi dimitterentur. Sic timor seu terror vocatur hîc non quo Israelitæ, sed quo Ægyptii propter Israelitas, plagas Dei metuentes terrebantur. [C] Non enim timebât Israelitæ Ægyptios, sed terribiles erant. [M] Lætabatur ergo tota Ægyptus, quum egrediebantur Israelitæ, propterea quod terrore illo ac discrimine liberarentur. [C] Porrò non loquitur Propheta de vulgari timore. Nam paulo antè eos instigauerat timor ad sæuitiam & tyrannidem. Sed quum ad eum vsque diē præfracta ferocia conati essent metum excutere, Deus repente eos prostrauit. Quare non abs re inter Dei virtutes commemorat Propheta quòd fregerit violentos impetus quibus antè seruabant Ægyptii, vt liberos dimitterent quos seruilibus operis atterere statuerant: quasi oues lupis formidolosas redderet. Hæc certè mutatio insignis est, & omnium æquissima. Suprà, versu 25. Psaltes dicebat quòd Ægyptii odio prosequebantur Israelitas: iam verò canit quòd terror Israelitarum ceciderit super Ægyptios. Sic ergo odium mutatum est in terrorem, vt qui olim hostiliter terrebantur & opprimebantur, terrori oppressoribus suis & osoribus fierent. Hæc est mutatio dextræ Excelsi, quæ vtinam declaretur propediem etiam erga huius seculi impios. Verùm in fine mundi omnium potentissimè declarabitur.

39 *Extendit nubem ad tegumentum, & ignem ut luceret nocte.*

Extendit nubem ad tegumentum. [A] Vel, Expandit nubem in tentorium. Vel, in operimentum. [C] Recolet Psaltes quædam miracula, quibus gratiam suam Deus erga populū suum prosequutus est in deserto. Atque hanc seriem notare operæpretium est. nam ad illud incomparabile redemptionis opus accessit non vulgaris confirmatio, quum Deus se itineris ducem præstare non destitit. Ergo post maris transitum nubem extendit interdiu, quæ populum protegeret ab æstu solis: noctu illuxit per columnam ignis, vt in tenebris lucidum eius præsentiæ signum extaret. Hæc certè perseuerantia, locuples perpetui amoris testis fuit, acsi palàm ostēderet Deus filios Abrahæ se adoptasse vt in finem vsque sub custodia sua foueret.

40 *Et petijt, & adduxit coturnices, & pane cælorum satiauit eos.*

Et petiit, & adduxit. [M] Versus iste duas historias diuerso tēpore gestas complectitur, vnam de coturnicibus Israeli in deserto datis: alteram de manna, pane videlicet cælesti. [B] Quod ad coturnices attinet, Propheta alio fine mentionem earum facit quàm alibi. Certum est acerbitate Dei potius quàm beneficentiæ delatam fuisse copiam coturnicum, vt se populus carnibus satiaret (sicuti etiam antè vidimus exprobrari) sed nunc omissa eorum ingratitudine Propheta continuam erga nos Dei indulgentiam celebrat. Nisi fortè petendi verbum accipere libeat in malam partem, quia non suppliciter Deum rogauit populus, sed sua intemperie prosiliuit ad obstrependum: imò proteruè cum Deo litigauit. Hoc modo amplificatio esset, quòd Deus iure suo cedens, prauæ etiam cupiditati morē gesserit. Quia tamen tacetur crimen, sinamus quod simplicius est, coaceruari Dei beneficia quibus redemptionem simul à se factam sanxerit. *Et pane cælorum.* [M] Vel, cælesti. Sic vocabatur man, eo quòd cibus ille non ex terra, humana cultura interueniente, sed cælitus absque omni mortalium opera ad pascendū Dei populum descendit. [C] Quum itaque naturale sit è terra nobis produci cibum quo vescimur, apertius tunc Deus porrexit manum Iudæis, vt eos è cælo pasceret. [B] Quo miraculo declarauit vt suos aliturus sit, si etiam nihil in orbe superesse videatur vnde pasci possint. *Satiauit eos.* [M] Verbo satiandi diuitias & copiam cibi huius cælitus administrati Vates significare voluit. Quamuis enim numerosissimus esset populus, nec vllo alio cibo nisi hoc solo vteretur, sic tamen illum largiter suppeditauit diuina opulentia, vt ex eo cuncti abundè saturarentur. Vide Exodi 16.c.13.14.

41 *Aperuit rupem, & fluxerunt aquæ, abundauerunt in aridis locis ut flumina.*

Aperuit rupem, & fluxerunt aquæ. [C] Quia non satis erat cibo reficii famelicos, nisi & potū Deus suggereret, addit rupem fuisse apertam, & inde fluxisse aquas per loca arida vel desertum. Respicit ad historiam quæ legitur Exodi 17.b.6, & Numer.20.b.9. vbi virtutem suam Deus patefecit, dum ex rupe, vnde planè nihil aquæ sperari poterat, tantam aquarum vim eduxit vt & populus & iumenta biberint. *Ambulauerunt in aridis locis.* [V] Vel, abierunt. Id est, defluxerunt, decurrerunt. *Vt flumen.* [A] Significat hoc nomine, nō teouiter, sed instar fluminis eductam è rupe aquarum copiam, vt Dei virtus liberalitati coniuncta melius appareret. Cæterùm quid manna cibus & aquæ potus figurabat, disertè explicat Paulus Apostolus, 1. Corin. 10.b.4.

42 *Quia recordatus est uerbi sanctitatis suæ ad Abraham seruum suum.*

Quia recordatus est uerbi. [V] Id est, promissionis suæ sanctæ, quam fecerat ad Abraham. [B] acsi diceret, his omnibus miraculis, quæ suprà recensuimus, potētet adeo Israelem asserendo, & per desertum ducēdo, declarauit Deus quàm sanctè fœdus cum Abraham ictum coluerit. [C] Iterum ergo causam designat Propheta cur tam benignè Deus cum populo illo egerit, támque humaniter eum tolerauerit, nempe vt fidei datæ staret: quia cum Abraham pepigerat se fore Deum seminis eius. Hoc autem non abs re summa cura traditum fuit à Prophetis, gratuitum fœdus fontem esse ex quo fluxit redemptio, & cōtinua salus mundi: quia & melius inde innotuit Dei gratia, quum nihil subitum fieret, sed tantùm impleret Deus quod quatuor antè seculis pollicitus fuerat. Præluxit ergo Deus verbo suo, ne obscura esset sua gratia & veritas. Ideo rursus Propheta inculcat Deum non fuisse noua causa inductum vt populum redimeret, sed fidem & effectum fœderis sui comprobasse: perinde acsi quis thesaurum erueret sub terra defossum. Nec dubium est quin longius fidem gētis suæ ducere voluerit Propheta, vt certò persuasi essent omnes posteri, quia tunc testatus erat Deus futuris seculis certam & solidam verbo suo veritatem constare, non alium fore quàm olim experti fuerāt patres. Ideo epitheto insigniit verbum illud, quod mortuo Abraham semper viuam efficaciam retinuit. Nam cum Abrahā loquutus erat Deus, sed vis fœderis cum homine mortua non est, quin se Deus veracem erga posteros ostenderet.

43 *Et eduxit populum suum in lætitia, in exultatione electos suos.*

Et eduxit populum suum in lætitia. [M] Summatim repetit eductionem populi Israelis ex Ægypto, cuius versu huius Psalmi tricesimo septimo mentionem fecit. [C] Lætitiæ autem & exultationis meminit, quò gratiæ magnitudinem altius extolleret. Neque enim hoc paruum fuit, quum diris & atrocibus modis afflicti essent Ægyptii, tota regio plena esset lachrymis & vlulatu, singulæ etiam domus funestæ: populū, qui nuper mœstus gemebat, imò iacebat ferè exanimis, alacrem & lætum exire.

In exultatione electos suos. [M] Rem eandem bis dicit. etenim nō sunt alii quos vocat electos Dei, quàm populus Dei. Deinde non est aliud quod dicit, In exultatione, quàm quod præmisit, In lætitia: nisi quòd posterior particula præcedentem nonnihil intendit. [C] Præterea electos Dei vocando, admonet non suo merito, vel generis dignitate, tam propitium illis fuisse Deum: sed quia illos adoptauerat: vt nihil gloriæ fiat residuū hominibus, sed in solo Deo gloriari discant.

44 *Et dedit illis terras gentium, & laborem populorum in hæreditatem adepti sunt.*

Et dedit illis terras gentium. [A] Breuiter ostendit quomodo & ad quid in terram sanctam introducti fuerint Israelitæ. Dicit datas illis fuisse à Deo terras gentium. [M] Quo nomine Chananæos intelligit, quorum terram Abrahæ Deus ac eius posteris gratuita sua bonitate pollicitus fuerat. Addit, *Et laborem populorum in hæreditatem adepti sunt.* [V] Vel, possederunt, in hæreditatem acceperunt. [M] Per laborem populorum intelligit ciuitates, vicos, pagos, agros, & vineta. Id est, omnia illa quæ laboribus humanis ædificantur, plantantur, & coluntur. Sic dicebat Iosue ad Israelitas, Dedit vobis terram in qua non laborastis, & vrbes quas non ædificastis, vt habitaretis in eis, vineas & oliueta quæ non plantastis, Iosue 24.c.13.

45 *Vt custodiant decreta eius, & legem eius seruent. Halleluia.*

Vt custodiant decreta eius. [A] Vel, statuta eius. Quidā, cæremonias eius. [C] Nunc causam finalē profert cur Deus mirificā suā virtutem tot modis exeruerit in redimēdo populo, cur nō destiterit in deserto fouere illum & meritò cur terrā, sicuti pollicitus fuerat, fruendam illis tradiderit: nempe vt se totos dicarēt & addicerēt in eius cultum. Et certè hic electionis nostræ finis est, quòd Deus populum aliquem vult habere in terra à quo

inuocetur & colatur. Porro glorificãdi Dei modum breuiter definit, *Et legem eius seruent.* quia non satis esset linguis tantùm celebrare Dei gratiam, nisi accederent seria pietatis experimenta. Et quia fictitios omnes cultus Deus repudiat, vnica superest eius rite colendi ratio, in seruandis eius præceptis. [b] Admonet ergo Vates hoc fuisse consilium Dei, vt populum suum, quem de omnibus totius orbis nationibus elegerat, ab omnium aliarum gentium conuictu & cohabitatione separatum, in ea terra seorsum, in vera pietate suique cognitione ac cultu institueret. Quapropter illis etiam expressè mãdauit vt gentes idololatras delerẽt, nec quicquam commercii cum illis haberent. Hanc illi commoditatẽ contemnẽtes, nec deleuerunt impiorum nationẽ, nec consortia illorum declinarunt, sed illis sese adoras etiam vsque coniunxerunt. Quare factum est vt meritò postea eiecti ex hac terra, dispersi sint inter Gentes. Hoc iustum Dei iudicium etiam Christianis est populis timendum.

ARGVMENTVM PSALMI CVI.

[a] Populus Dei ob peccata sua per diuersas Gentium nationes dispersus, [c] ad cõcipiendã fiduciam ex præteritis Dei beneficiis, [b] & laudandã eius bonitatem, quærẽtibus ipsum semper expositam, sese hortatur. [c] atque vbi confessus est se semper sua ingratitudine, superbia, perfidia, & aliis vitiis iram Dei prouocasse, memor tamen fœderis Domini, in gratiam recipi postulat.

HALelu-Ia. *Celebrate Iehouam, quia bonus, quia in seculum clementia eius.*

Halelu-Ia. [y] Vel, Laudate Dominum. *Celebrate Iehouam.* [b] Hortatur mox initio Psalmi ad laudandũ Dominum, significans hunc sibi præfixum esse in hoc Psalmo scopum, vt populus Dei ad laudandum Dominum Deum suum, illique ex animo confitendũ excitetur. [c] Non quòd Psalmus solam gratiarum actionem, vel laudes Dei contineat, sed vt reconciliationis fiduciã ex præteritis beneficiis colligat populus: atque ita Deum, quamuis tunc offensus foret, placabilem speret fore. Ergo Dei laudes canendo, reuocare in memoriam iubet quæ præsentium malorum leuire dolorem possent, & animos à desperatione erigere. *Quia bonus.* [a] Commemoratio bonitatis diuinæ fiduciam in Deum & amorem, & inde omne pietatis studium mirum in modum accẽdit, auget, prouehit. ideo hanc initio statim, vt causam cur summa religione celebrari ab omnibus Deus debeat, memorat: tantùmque esse prædicat vt in omne æuum extet. addit enim, *Quia in seculum clementia eius.* [a] Vel, bonitas. Vel, misericordia eius.

2 *Quis loquetur potentias Iehouæ? annuntiabit omnem laudem eius?*

Quis loquetur potentias. [a] Iam canit Dei clementiam tantam esse vt à nemine satis enarrari queat. [c] Si tamen versum hunc coniunctim cum proximè sequenti legas, sensus erit non esse idoneos quoslibet laudum Dei præcones, quia impii & scelerati ore impuro nihil aliud quàm sacrum eius nomen profanant. sicuti dicitur Suprà, 50.c.16. Atque ita huic sententiæ addita esset responsio, Beati qui custodiunt iudicium. Sed alia videtur esse mens Prophetæ, neminem scilicet mortalium, vtcunque ad canendas Dei laudes studia omnia & conatus suos conferat, tam splendido argumento parem fore, cuius immensitas sensus omnes nostros obruit. Quanquam non eo consilio in sublime attollit Dei potentias, vt nos ab illis prædicandis deterreat: sed hac potius ratione nos stimulat vt supra vires nitamur. Nam si strenuè currẽdo longè tamen à perfectione semper distamus, quis iam pigritiæ locus restat? Optimum verò ad nos animandos solatium est, quòd scimus, vtcunque nos facultas deficiat, quas ex animo offerimus laudes Deo placere. tantùm ne frigeamus: quia nimis absurdum esset, qui ad decimã partem non perueniunt, hac occasione in centesima torpere.

3 *Beati qui custodiũt iudicium, qui faciunt iustitiam omni tempore.*

Beati qui custodiunt iudicium. [b] Ex consideratione infinitæ bonitatis Dei, (de qua prioribus duobus versibus cecinit) eò rapitur vt fœlices eos prædicat qui studio & obseruãtia Dei indesinenter, quod iustum & æquum est facientes, in gratia & fauore Dei permanent, atque adeo tantæ bonitatis participes existunt. [c] Significat etiam his verbis non placere Deo laudes quæ in ore tantùm resonent, nisi consentiant animi, imò in tota vita respondeat concentus. [b] Respicit etiam vates ad ea quæ maioribus Israelis incõmoda & molestiæ eam ob causam acciderũt quòd studium Dei ac veræ pietatis abiecerant, quum licuerit illis fœliciter agere, modò rectè se & integrè erga Dominum Deum suum gerere voluissent. Horũ ob id meminit vt populum Dei ab ea maiorum suorum incredulitate & impietate dehortetur, de qua præsenti psalmo canere instituit. *Qui faciunt iustitiam.* [c] Breuis est veræ pietatis definitio, dũ primò iubet custodiri iudicium, deinde fieri iustitiam. Neque enim dubium est quin priore membro sincerum cordis affectum notet, postea descẽdat ad externa opera. Scimus enim vmbratilem esse iustitiam, nisi ex animo probitati quis studeat. [b] Nõ loquitur ergo Psaltes de iudicio & iustitia, in quibus functio iudiciaria & magistratuum consistit, sed de illis quibus vita hominis pii constat. *Omni tempore.* [a] Hic perseuerantia requiritur, nequis se defunctum putet nisi qui constanter & perpetuo tenore in studium rectè iustèque viuendi incumbit. Videmus enim multos proiicere quasdam spumas, alios virtutis quædam signa dare, sed æquabilem nõ tenere cursum. [b] Præterea rebus prosperis bene & rectè colũtur, aduersis verò deficiunt, putãtes nullam rationem pietatis & probitatis esse coram Deo. Atqui opus est [c] vt constanter in studio pietatis quouis tempore perseueremus, nec vnquam deficiamus. Sic Apostolus hortatur, dicens, Bonum facientes non deficiamus, Gal. 6.b.9. Et Christus, Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit, Matth. 24.b.13.

4 *Memento mei Iehoua in beneplacito populi tui, visita me in salute tua:*

Memento mei Iehoua. [a] Hoc versu & sequenti inducit seipsum Vates precari vt eandem Dominus promissam populo suo beneuolentiam exhibeat, & collectum, rursus seruet, vera iustitia & salute donatũ. Sic tamen precatur vt ad se extendi optet amorem quo Deus Ecclesiam suam complexus est: vt hoc modo benedictionum omnium fiat particeps quibus ab initio Deus dignatus est suos electos, & quas de die in diẽ cõtinuat. *In beneplacito populi tui.* [y] Hebraismum sic quidam vertunt, Propter fauorem tuum. Alii melius, fauore illo quo prosequeris populũ tuum. [c] Acsi diceret, Fac Domine vt gratuitus fauor, quo populum tuum dignaris, ad me perueniat, ne disiungar ab Ecclesia, sed vnus censear ex tuorum numero. Nam beneplacitum populi passiuè sumitur pro dilectione qua Deus electos gratis amplectitur. Quanquam per metonymiam transfert hanc vocem Propheta ad signa amoris Dei. Nam quòd gratiam suam Deus re ipsa & experimẽtis probat, hoc ex fonte illo gratuito fluit. Porro summam veræ fœlicitatis in eo statuit Propheta, si censeatur in Dei populo: quia hoc modo sentiet Deum sibi esse propitium (quo nihil optabilius est) eum quoque liberalem sentiet. Recordandi verbum ad circunstãtiam temporis refertur: quia in fine videbimus in tristi & calamitoso populi statu compositum fuisse hunc Psalmum, vt fidelibus obrepere dubitatio posset se obliuioni esse traditos. *Visita me.* [a] Hoc est, fer mihi opem: ne me tuo fauore destituas: habe rationem afflictionis meæ in hoc tempore tristi & calamitoso. [a] Visitare Deus videtur à quibus se in speciẽ subduxit: salus autem est beneplaciti demonstratio. *In salute tua.* [y] Hebraismus, pro, Ope tua salutifera. Salutẽ Dei accipit pro effectu illius beneplaciti. Nam vbi Deus propitius est populo suo, simul etiam apparet seruator. [b] Porro hoc nunquam orasset Propheta nisi de beneuolentia Dei erga populum ipsius persuasus fuisset.

5 *Vt videam beneficentiam electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, ut glorier cum hæreditate tua.*

Vt videam beneficentiam electorum tuorum. [y] Vel, Vt videam bonum. Ad verbum, in bonitate. [c] Depẽdet hæc sententia ex superiori. Nam Propheta socius & consors eius beneficẽtiæ fieri cupit quã semper experti sunt electi Dei. Aspectus enim pro fruitione capitur, vt satis notum est, vt Videre regnũ Dei, Ioh. 3.a.3. Videre bonum & vitam, 1.Pet.3.b.10. Quidam exponũt, Vt videam te electis benefacere. sed superior versus vnde hic dependet, sensum hunc non admittit. Adhæc id quod statim sequitur, expositionem quam attulimus confirmat. *Vt læter in lætitia gentis tuæ, ut glorier cum hæreditate tua.* [c] Satis enim constat Prophetam sibi bonorum omnium societatem optare cum electis, vt Deo vno contentus, beatè & fœliciter sub præsidio eius degat. Quamuis autem tunc misera esset Ecclesiæ conditio, in rebus tamen confusis hoc principiũ retinet Propheta, nihil esse melius quàm censeri in grege & populo Dei: quia semper optimus fuerit pater suorum, & salutis eorũ fidelis custos. Tantùm petit eodem se modo tractari quo Deus Ecclesiã suam semper tractare solitus est. Atque hoc vnum sibi sufficere testatur, non diuelli nec separari à cõmuni Ecclesiæ sorte. Tacita interim querimonia subest, quòd Deus bonitatem suam tunc prohiberet ab Ecclesia afflicta, acsi eam abdicasset. [b] Videmus hic quibus elogiis Vates populum Dei cohone-

ficet. vocat enim electos Dei, & hæreditatem Dei. Quibus verbis aperit quid de populo Dei senserit, & vnde fidem suam de futura illius fœlicitate in animo confirmarit: ex eo videlicet quòd electionem & vocationem Dei sic firmam esse iudicabat vt huius illum haudquaquam pœniteat: sicuti dicit Paulus Rom. 11. d. 29.

6 *Peccauimus cum patribus nostris, iniquè egimus, sceleratè nos gessimus.*

Peccauimus cum patribus. [A] Postquam Vates se diuinæ beneuolentiæ insinuauit, incipit peccata patrum, & contrà Dei in illos beneficia memorare. [C] Vnde clarius patet, quamuis loquutus sit in persona vnius hominis, dictasse tamen Ecclesiæ communem formam orandi, quia iam totum corpus sibi adiungit. Cæterùm hinc ad finem vsque Psalmi ex veteribus historiis colligit patres suos maligno semper & improbo ingenio, peruersis moribus, rebelles, ingratos, & perfidos Deo fuisse: posterósque nihilo meliores agnoscit: vt hac confessione edita, veniæ deprecatio locum obtineat. Quia ergo veniæ impetrandæ non antè sumus capaces quàm peccata nostra damnauerimus, & stupor noster ianuam Dei gratiæ claudit: meritò Propheta in seuera & dura populi castigatione suppliciter reatum fatetur, ac, si Deus grauiores velit pœnas exigere, iuste id facturum. Alia etiam de causa vtile fuit peccata sua Iudæis ante oculos poni. quia si nos Deus asperius castigat, mox fingimus promissiones eius excidisse. Sed vbi ex opposito mouemur mercedem nos referre quam peccatis nostris sumus promeriti, simul occurrunt promissiones quibus se propitium Deus offert, modò ex animo resipiscamus. *Iniquè egimus.* [M] Dum se & patres iniquè egisse fatetur, exaggerat hoc modo peccata populi Israelis, primùm in se, quòd sint iniqua & impia: deinde quòd sint auita etiam, hoc est, quòd populus iste non solùm in se iniquus sit & impius, sed & iniqua & impia iniquorū & impiorum maiorum natio & posteritas. Nam idem est ac si diceret, Perinde peccauimus, iniquè & impiè egimus, atq; patres nostri. *Sceleratè nos gessimus.* [B] Tribus verbis scelerū atrocitatē exaggerat, ne leuiter (vt fieri solet) tangantur animi, sed penitus mœrore vulnerentur. Scimus enim homines vitiis suis teneri implicitos, & sibi parcere donec ad serium examen coganturː imò vbi Dominus in iudicium eos citat, defunctoriè tantùm vno verbo dicunt se peccasse. interea hypocrisis sopitos tenet animos. Non est igitur superuacua verborum congeries, quum dicit Propheta populum peccādo iniquè egisse, prorsúsque impium fuisse & sceleratum. Et certè si quisque nostrū se examinet, facilè iudicabimus non minus nobis esse necessarium ad veram confessionem vrgeri. quia etsi nos absoluere non audemus, nemo tamen est qui non libenter captet latebras & effugia. Eadem fere forma Daniel sua & populi peccata cōdemnat, cap. 9. a. 5. Et fieri potest vt author huius Psalmi illius exemplum sequutus sit. [M] Et sanè tres sunt gradus quibus peccata exurgunt in altum & crescunt. Primus est, quando simpliciter vel errore, vel per infirmitatem carnis delinquitur. hoc est, à via recti & æqui disceditur. Id simpliciter peccare dicitur. Secundus est, quando nec errore, nec infirmitate carnis, sed malitia & iniquitate peccatur. Tertius est, quādo etiam impiè in Deum peccatur. quo peccati genere comprehenditur incredulitas cordis, contemptus Dei, rebellio & obmurmuratio aduersus Deum, tētatio Dei, defectus à vero cultu Dei ad superstitiones & idololatriam, & siquid aliud est huiusmodi. Hisce tribus gradibus cōplexus est Psaltes omnia generis peccata, agnoscens nullum esse peccati genus quod non commiserint. [C] Discamus ergo nos & ab hoc Propheta & à Daniele, hanc esse rationem placandi Dei, vbi seueri in nos censores sumus. Diligenter etiam notandum est, sanctos istos Prophetas, licet nunquam à Dei timore & cultu descinerant, subire tamen communem reatum cum populo: neque id simulata modestia, sed quia sciebant multis corruptelis se fuisse infectos: vt fieri non potest, dum regnant vitia, & eorum colluuies exundat, quin aliqua etiam ad optimos serpat contagio. Neque enim se cum reliquis comparant, sed ad tribunal Dei prodeuntes vident se non posse elabi. Tunc verò sic inualuerat impietas apud Iudæos, vt mirum non sit, etiam qui optimi erant ac integerrimi, fuisse quasi vi tempestatis abreptos. Quo magis detestabilis est eorum superbia qui se vix putant delinquere, imò diabolicam nescio quam perfectionem imaginantur, vt hodie faciunt quidam fanatici. Certè tenendum est, quamuis solicitè Daniel se continuerit sub timore Dei, quē etiam Spiritus sanctus vnum ex iustissimis fuisse pronuntiat, (Ezech. 14. d. 14.) non tamen fictè sua & populi peccata cū graui & seuera detestatione coram Deo fateri. Non fuerat quidē eodem quo vulgus diluuio submersus, se tamen sciebat multas labes traxisse. Iam verò patres non ideo adducit Propheta vt eorum prætextu culpam minuat (sicuti hoc clypeo multi obiurgationes repellunt, se ita edoctos fuisse à patribus, prauam educationem in causa esse:) sed potius grauiori pœnæ se & gētiles suos esse obnoxios, quia ab initio vsq; & quasi à prima infantia exorsi, non destiterint nouis sceleribus iram Dei magis ac magis in se prouocare. Sic enim multiplici reatu patres vnà cum filiis inuoluit.

7 *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non recordati sunt multitudinis bonitatum tuarum: & rebelles fuerunt ad mare, in mari rubro.*

Patres nostri in Ægypto. [M] Quoniam patrū mentionem fecit, & illos peccasse iniquè & impiè fecisse dixit, consequenter subiungit quomodo illi, vbi & quando iniquè & impiè egerint. *Non intellexerunt mirabilia tua.* [V] Vel, non prudenter perpēderunt mirabilia tua. Alii, Non prudentes fuerunt in mirabilibus tuis. [C] Primò accusat populi demētiam, quæ causa fuit ingratitudinis. Neque enim stultitiæ nomine culpā extenuat, vt sæpe fieri solet: sed traducit fœdum & pudendum populi stuporem, quòd in rebus tam apertis cæcutierit. Erant enim eiusmodi opera Dei quæ etiam à cæcis conspici deberent. Vnde igitur tam crassa ignorantia, nisi quòd ipsos dementauerat Satan, vt Dei miracula negligerent quæ lapides ipsos poterāt mouere? *Non recordati sunt multitudinis bonitatum tuarum.* [C] Melius exprimit his verbis non fuisse excusabilem ignorantiam: imò supina magis socordia quā inscitia eos fuisse cæcos. Causa enim ignorantiæ fuit quòd sepellerunt quæ per se satis erant conspicua. *Rebelles fuerunt ad mare.* [V] Vel, Iuxta mare. [C] Addit quā subita fuerit obliuio: quod ad crimen augendum valet. Fuit enim hoc prodigiosum, quòd ne conspectus quidem ipse eorum animos excitauerit. Hinc factum est vt vixdum egressi ex Ægypto, in ipso maris transitu contra suum redemptorem proteruè insurrexerint. Certè nec annus nec seculum tā memorabiles victorias debebat ex eorum cordibus delere. Quantus igitur furor quòd adhuc in re præsenti obstrepunt Deo, quasi hostibus eos iugulandos prodiderit? *In mari rubro.* [M] Mare Suph Hebræi vocant sinum illum quo traiectus est populus. Quidā vertunt caricosum, & סוף algam esse volunt. Qualiscunq; autē sit etymologia, de loco ipso nulla dubitatio est. Probabile autem est, quia iuncis refertus erat tractus ille, ideo inditū fuisse nomen. [M] Admonemur hoc loco vbi potissimū diuinæ bonitatis vigere debeat memoria, & quæ vera sit beneficiorum Dei recordatio. Contendimus hoc nostro seculo de sensu Cœnæ Dominicæ, quam ab ipso Christo ad memoriam ipsius institutam esse constat. Sed quotusquisque est qui, dum pericula & discrimina propter veritatem Euangelii Dei occursunt, sic memor sit mortis Christi, & bonitatis illius qua redempti sumus, vt inde cōfirmatior factus patienter sustineat crucem, & opem à Domino expectet? Facile est in Ecclesiasticis cōuentibus memoriam Dominicæ mortis celebrare (quod genus memoriæ tam reprobis quàm piis commune esse potest) in tribulationibus verò ostendere quàm non obliuiscamur Domini, non est adeo facile, nec aliorum quàm verorum fidelium.

8 *Et seruauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam.*

Et seruauit eos. [B] Prædicat Vates Dei bonitatem, qui tāta populi incredulitate & ingratitudine se à sua in illos beneficētia remorari passus non fuit. *Propter nomen suum.* [V] Mox sequentibus verbis declarat quid sibi velit, seruatos fuisse Israelitas per nomen Dei. [C] nēpe non quia digni erāt, sed quia Deus gloriæ suæ consulere voluit. Ergo ne Deus sacrum suum nomen prostitueret Gentium opprobriis, superato illo obstaculo, pertexit ad implendam quam cœperat redemptionem. Porro antithesis inter nomen Dei, & hominum merita, vel dignitatem, notanda est: quia Deus seipsum respiciens, causam in nobis reperit qua ad nos seruandos flectatur. [M] Cæterùm aliquando opem fert Deus afflictis, & eos liberat, propterea quòd eorum miseretur, & clamores ac gemitus illorum exaudit: sicuti dictum est Suprà, 12. b. 6. Aliquādo propter fidem inuocātium se, vt Suprà, 50. c. 15, & 91. c. 14. 15. Nonnunquam malitiam hostium respicit, quum illa mēsuram suā impleuit, & propter hanc suos liberat. Sic vbi Ægyptii & Chananæi mensuram suā impleuerant, illos oppressit, & populum suum liberauit. Hic autem propter nomē suum seruasse dicitur, ne illud probris impiorū obnoxium redderetur. Sunt itaq; varii respectus Deo propter quos opem ac salutē mortalibus conferre solet, qui ob id sunt obseruandi, vt illorum exemplis in fide hac, quòd suorum seruator sit, contra quosuis tentationum insultus confirmemur.

Vt notam faceret potentiam suã. [a] Hoc est, vt nomẽ suũ illustraret, & celebrem redderet virtutem suam. Vnde dicebat, Et scient Ægyptii quòd ego Iehouah, quum glorificatus fuero in Pharaone, curribus & equitibus eius, Exodi 14.d.18. [N] Sic autẽ loquitur Vates de virtutis Dei manifestatione, quia nomen Dei inter impios non illustratur nisi potenti brachio. Ideo sancti plerũque orant vt potentiã suã Deus perdendo vel saltem humiliando impios notam faciat & illustret: non quòd perditione hominum delectentur, sed quòd diuini nominis gloria & maiestas aliter in natione impiorũ asseri non potest nisi per vindictam & vltionem adeo grauem vt in se manum Dei experiri cogantur. Iudicant enim satius esse vt pereant omnes impii, quàm vt nomẽ Dei & gloria potentiæ illius obscuretur.

9 *Et increpuit mare rubrũ, & exiccatum est: & ambulare fecit eos in abyssis sicut in deserto.*

Et increpuit mare rubrum. [c] Nunc modum seruandi describit: in quo melius adhuc refulget inæstimabilis Dei bonitas, quæ in gratiam peruersi adeo populi naturæ ordinẽ mutauit. Quũ dicit increpitum fuisse mare, Dei potentiam prædicat, quòd solo imperio vel nutu mare siccauerit, aquas retrocedere iubens, vt liber transitus inter diuersas aquarum moles pateret. [N] Vocat autem ventum illum vrẽtem, per quem mare rubrũ diuisum fuit & exiccatum, increpationem Dei, quo magis virtutem Dei & potẽtiam celebret. *Et exiccatum est.* [N] Non dixit, diminutum est, vel diffluxit, sed exiccatum est, vt verbi Dei potentiam magis ostenderet. Nam si tanta est increpationis Dei vis, quanta erit percutiẽtis? Timeant ergo impii. futurũ enim est vt loquatur ipsis in ira sua, Soph 2,s.b.5. *Et ambulare fecit eos in abyssis.* [c] Vt miraculũ extollat, similitudine vtitur, quã verisimile est ex Esaia sumptã esse. dicit enim cap.63.c.13, Tu ambulare fecisti populũ tuum per abyssos quasi equum, in deserto, vt non impingat. Intelligit autem hoc non sine rara Dei potentia factum esse vt populus per mare iter faceret, non secus atque in sicca planitie. Fieri quidem potest vt desertum in quo peregrinatus est populus, habuerit multas abyssos, iter fuerit salebrosum, multæ crepidines: sed non dubium est quin Dei potentiam in maris transitu æstimet Propheta, & hac cõparatione augeat, quòd per illud profundum mare æquabilis fuerit via. [N] q.d. Vna nocte vi venti vrentis ipsas maris abyssos exiccauit, vsqueadeo vt populum suum pereas perinde sicco pede traduxerit acsi illum per loca deserta & arentia duxisset.

10 *Et seruauit eos è manu hostis, & redemit eos è manu inimici.*

Et seruauit eos è manu hostis. [V] Vel, odio habentis. Pharaonem intelligit, vel Ægyptios, vt numerus singularis positus sit pro plurali. *Et redemit eos.* Vel, Et liberauit eos. Vel, vindicauit eos. *E manu inimici.* [N] Rem eandem bis dicit. nam idem est seruare de manu odientis, seu hostis, quod Redimere de manu inimici. Admonentur hic pii non debere terreri etiamsi aliquando incidant in manus odientium eos & inimicorũ, sed cogitare, esse sortem hanc piorum, nec recentem, nec præsentis tantùm seculi, sed planè inueteratam, & populo Dei perpetuam: sic vt ne Christus quidem omnium innocentissimus immunis ab illa fuerit. Deinde quantumuis grauis ac potens fuerit inimicorum manus, potentiorem tamen esse Dei manum, qua suos non tantùm eripere potest, sed & eripit etiam de manu quorumcunq; inimicorum.

11 *Et operuerunt aquæ oppressores eorum, vnus ex illis non fuit residuus.*

Et operuerunt aquæ oppressores eorum. [a] Vel, hostes eorum. [c] Propheta miraculum confirmat, dicens submersos fuisse hostes eorum, quia vbi mare liberum iter præbet Israelitis, operit & absorbet Ægyptios, vt ne vnus quidẽ saluus euadat. Vnde hoc tam subitum discrimen, nisi quia Deus alios ab aliis distinxit? Cæterùm Ægyptii vocantur hic oppressores seu tribulantes, propterea quòd Israelem ad id vsque temporis tribulauerant & afflixerant. *Vnus ex illis non fuit residuus.* Sic ad verbum habet sacra historia, Et refluebant aquæ, operuerũtque quadrigas & equites, atque totum exercitum Pharaonis, qui mare ingressi fuerant post illos, vt ne vnus quidẽ ex eis superesset, Exodi 14.d.28. [N] Sic impiis accidet in extremo iudicio: prorsus peribunt, vt nihil postea aduersum pios sint tentaturi: deinde & vniuersi perdentur, vt ne vnus quidem superfuturus sit ex ipsis.

12 *Et crediderunt verbis eius, cecinerunt laudem eius.*

Et crediderunt verbis eius. [a] Moses memorat Exodi 14.g.31 credidisse Israelitas verbis Domini, quum vidissent se mirificè adeo seruatos, & extinctos Ægyptios. *Cecinerũt laudem eius.* [a] Hoc legitur statim initio capitis decimiquinti Exodi, Tũc cecinit Moses & filii Israel carmen hoc Domino: & dixerunt, Cantemus Domino &c. Est autẽ laudẽ Dei canere, nihil aliud quàm laudabilia illius facinora decãtare & extollere, ad hoc vt corda mortalium ad laudandum eum excitentur. [c] Hoc tamen in Israelitarum laudẽ minimè ponitur, quòd crediderint verbis Dei, & cecinerint laudẽ eius: sed hinc duplicatur crimẽ, quòd conuicti tam insignibus documentis, mox tamen ad ingeniũ reuersi, quasi nihil vidissent, cœperunt cõtra Deũ tumultuari. Hæc verò minimè excusabilis fuit impietas, momẽto sepelire præclara beneficia, quæ agnoscere coacti fuerant. Magnitudine ergo operum Dei, fidem & laudẽ illis quasi inuitis expressam fuisse dicit, vt crimen defectionis augeat: quia quum subacta esset eorum durities, mox relapsi sunt ad suam infidelitatem. [N] Sic conscientia reproborum miraculis conuicta, ad tempus credit, donec videlicet splendor ille miraculi sensus illorum tenet. [c] Exoritur tamen quæstio. nam quum vera fides verbi naturæ respõdeat, sicut verbũ semẽ est incorruptibile, sic illa nũquã extinguitur, quãuis suffocari cõtingat. sed est tẽporalis quædam fides, (vt à Marco vocatur cap.4.b.17.) quæ nõ tã ex Spiritu regenerationis quàm ex mutabili aliquo affectu manat, ideóque euanescit. Quanquam ne volũtaria quidem fides hic à Propheta laudatur, sed potius violẽter extorta. quia scilicet velint nolint homines potentiæ Dei sensu ad aliquam eius reuerentiam coguntur. Locus hic notãdus est, ne sibi blãdiãtur qui semel Deo se subiecerint, sed hanc veræ fidei probationem esse discant, vbi sponte amplexi erũt Dei verbum, in hac obedientia constanter perstare.

13 *Festinauerunt, obliti sunt operum eius, non expectauerunt ad consilium eius.*

Festinauerunt, obliti sunt operum. [V] Duo verba sine coniũctione, quorum alterum Latini per aduerbium reddũt, sic, Festinanter obliti sunt. q.d. Crediderũt verbis Domini, sed ad momẽtũ. nã statim obliti sunt. Atque ita leuitas & inconstantia populi perstringitur. Nonnulli exponũt, celeriter cœpto itinere profectos fuisse ad locum Marah. sed nimis frigidè prætereunt emphaticam Prophetæ loquutionem, qua Vates odiosè feruidum & præcipitem eorum errorem infamat, quòd tantùm ad momentum crediderint, & festinanter obliti sint operum Dei. Triduũ enim fuit illis iter à traiecto maris vsque ad Marah: interim cœperunt obstrepere Deo quòd non reperirent aquas dulces. Interea notandum quod alibi vidimus, nõ alia de causa tam ingratos erga Deum esse homines, nisi quia spernunt eius beneficia: quorũ si memoria animis nostris hæreret, fræni loco esset ad nos in eius timore retinendos. *Non expectauerunt ad consilium eius.* [c] Speciem transgressionis designat Propheta, quòd non suspenderint vota sua ad tempus opportunum. Mira enim est cupiditatum nostrarum intemperies, vt vix diem vnum Deo concedat. Nisi enim protinus nobis obsequitur, statim subit impatientia & tandem desperatio. Hoc igitur crimen populi fuit, non coniicere curas suas in Deum, non placidè eum inuocare, & patienter expectare dum precibus annueret, sed tumultuoso impetu ruere, acsi legem imponere Deo vellet. Ideo consilii nomine vtitur, festinationis crimen exaggerans, quòd homines Deũ sapere non permittunt, neque pendent ab eius consilio vt decebat: sed volunt plusquam liceat esse prouidi, & potius Deum regere quàm se permittere regẽdos illius arbitrio. Ergo, ne Deum exasperemus, tenendum est hoc principium, vt sinamus Deum nobis prospicere quemadmodum vtile esse nouit. Et certè fides propria nos sapientia spolians, in spe & silentio nos cõtinet, donec impleat Deus opus suum, quum semper caro intempestiuè Dei consilium anticipet.

14 *Et concupiuerunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in solitudine.*

Et concupiuerunt concupiscentiam. [a] Memorat murmur populi cõtra Dominum pro carnibus, & vltionem quam eo in se prouocarunt. de quibus legitur Numer. 11.a.1. Siquis ergo roget quomodo Dei consiliũ non expectauerint, respõdet, quia suis concupiscentiis habenas laxarunt: quia hæc vnica est moderationis ratio si Deus affectus nostros gubernet, eorumque sit arbiter. Quo nos magis conti decet ad frænandas concupiscendi licẽtias, quæ naturaliter in nobis ebulliũt. nam qui sibi appetere permittit plusquam datur, apertè bellum Deo indicit: quia omnes carnis concupiscentiæ rectà feruntur contra Deum. [N] Quod ergo hic dicitur, Concupiuerunt concupiscẽtiam, hunc sensum habet, indulserunt concupiscẽtiæ, non ne-

cessitati. Etenim quod necessitati dabatur mãna fastidiebant, & carnes cõcupiscebant, memores piscium Ægyptiorum. Nõ est illicitum vesci carnibus (quarum esum ipse Deus mortalibus licitũ fecit, Genesis 9.a.3.) verùm cibum à Deo pro tempore administratum & naturæ necessitati sufficientem fastidire, & secundum gulæ intemperantiam carnis edulia concupiscere, ea demum est non naturalis sed intemperans & voluptuaria concupiscentia, adeóque & magna reprehensione digna. quemadmodum si filius cibum à patre porrectum reiiciendo, noua quædam quanuis aliàs licita edulia appetat, seuera correptione dignum se ostendit. Sequitur, *Et tentauerunt Deum.* [M]Tentatur Deus vbi non acquiescimus eius arbitrio, sed importunè expetimus quod ipse dare non vult. [C]Quum autem diuersis modis tentetur, genus vnũ hic notat Propheta, quòd Deum excogitatis à se mediis astringere ausus est populus, atque ita contempto medio quod amplecti debuerat, sibi imaginatus est nouam Dei virtutẽ. Nisi nos Deus carnibus pascat, nõ putabimus esse Deum. Atqui alimentorum suggerebat quod sufficeret. Deus autem quanuis non alligatus sit vllis mediis, vult tamen mediis à se ordinatis sensus nostros subiici. Exempli gratia, quanuis nos possit absque pane alere, vult tamen hoc subsidio sustineri vitam nostram: quo neglecto, si nouã ei rationem præscribimus, tentamus eius virtutem. [M]Curandũ est igitur vt malã hãc radicem sic supprimamus vt fructus suos non proferat in lucem. Hinc Apostolus, Nõ regnet peccatum &c. Rom.6.b.12.

15 *Et dedit illis petitionem eorum, & misit maciem in animam eorum.*

Et dedit illis petitionem eorum. [M]Illuc est, Dedit illis quod petebant. sicuti sacra historia refert, Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit &c. Nume.11.g.31. Sic suprà, 105.d.40, Petiit, & adduxit coturnices. *Et misit maciem in animam eorum.* [V]Vel, tabẽ, vel perniciem. [C]Elegans est paronomasia in voce רזון, nam si pro ז legatur צ, erit beneplacitum. Ergo Propheta voce assini ad beneplacitum alludens, vel desiderium, dicit Deum misisse in animãs eorum maciem. [V]q.d. Carnes illæ quibus volebãt corpus suum reddere robustius, illos maciores & imbecilliores reddiderunt. [C]Obsequutus quidem est Dominus desideriis ipsorum, ita tamen vt pessimè cesserit, quia nihil præter maciem retulerunt quibus fastidio erat manna. Videtur etiam obliquè conferre in populũ quod perspicimus quotidie in hominibus lautis & fastidiosis, præsertim vbi ventriculus propter vitiosos humores, salubres cibos respuit. tales enim nonnisi quæ maximè noxia sunt appetunt. Quo autem se magis ingurgitant, eo plus malæ habitudinis contrahitur: ita paulatim eos cibus ipse macerat. Videtur ergo Propheta vitiosum corporis affectũ ad animos transferre, & cõferre Iudæos hecticis, quib[us] nihil profuit largius comedere, imo nocuit propter *ἀτροφίαν*. Ratio est, quia cibo quẽ improbè petierant, Deus maledixerit, vt pœna transgressionis eos humiliaret. Quòd autem ne hoc quidem modo correcta fuit obstinatio, in eo se prodidit maior prauitas. Dicitur vulgari prouerbio stultos accepto malo sapere: ergo insanos & insanabiles esse oportet qui ne coacti quidem resipuerunt.

16 *Et æmulati sunt Mosen in castris, Aharon sanctum Iehouæ.*

Et æmulati sunt Mosen in castris. [V]Quidam, Et inuiderunt ipsi Mosi in castris. Alii, Et zelati sunt aduersus Mosen in &c. [B]Perstringit hic Vates coniurationem Core, Dathan & Abirã, quos terra cum tabernaculis suis viuos absorpsit. acsi diceret Quanuis Dominus illos variis ac magnis beneficiis affecerit per manũ Mosis & Aharonis, tamen inuiderunt illis in castris, & eorum opinionẽ labefactare cupientes, sese præferre illis vel æquare non dubitauerunt. [C]Significat ergo diabolico fastu contra Deum fuisse elatos, vt iugum ab eo impositum excuterent. sicut etiam dicebat Moses, Quid sumus ego & Aharon? Numer.16.b.11. Nam quum per eorum manus populum regere Deus vellet, hanc gubernationis speciem nõ ferre, nihil aliud fuit quã contumaciter resistere Dei imperio. Itaque sub verbo æmulandi subest magnum pondus, quòd dum blandè & suauiter foueba Deus Israelitas sub alis suis, sua tamẽ sorte non cõtenti aduersus eum calcitrauerint. Quorsum ista intemperies, nisi quòd Deũ amplius non ferentes nutritiũ, nubes ipsas trãscendere cupiunt? *Aharon sanctum Iehouæ.* [A]Quia nõ modò Mosi sed & Aharoni commissa erat quodammodo populi cura, impii isti murmuratores nõ modò Mosi sed & fratri Aharoni negotiũ facessere tẽtauerunt. [C]Vocatur autẽ Aharon sanctus Iehouæ, vt sciamus nihil tã ei quàm Mosi fuisse à Deo separatũ. Nam sub vnius persona vtrique hoc elogium tribuitur: quo significat Propheta diuinitus fuisse ad illud ministerium segregatos. Dathan igitur & Abiram delectum hunc labefactando, non cum hominibus, sed cum Deo bellum gerunt: quia quantum in se est profanant sanctos Dei. [M]Cæterùm hoc Mosis & Aharonis exemplo cogitandum est quæ sors sit eorum qui in populo Dei rite præpositi, legitimè munus suum obeunt. Ea videlicet, vt non solùm plebis inobedientiam, sed & eorum qui capita sunt familiarum, liuorem & inuidiam aduersus se ferre cogantur: tantum abest vt aliquid vicariæ gratitudinis expectare debeant.

17 *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super tabernaculum Abiram.*

Aperta est terra. [V]Vel, Tunc aperuit se terra. Iam de horrẽdo murmuratorum supplicio Propheta loquitur. Sacra historia refert absorptos fuisse à terra cum tabernaculis ipsorum, Numer.16.e.31. [C]Itaque ex pœnæ magnitudine cognosci potuit criminis atrocitas. Vnde etiam discimus quantum sit eius cõtumaciæ ac rebellionis scelus quo iis qui sunt à Deo præpositi, & ministerio suo fideliter ac legitimè funguntur, cõtumelia & ignominia infertur. Tantum scilicet vt digni sint qui hoc faciunt quos terra absorbeat. Quanquam ergo non plectãtur simili pœna qua puniti leguntur qui Mosen & Aharonem æmulati sunt: paratum tamen est illis os & barathrum gehennæ, quo multo infœlicius & horribilius vorabuntur quàm si tellure tantùm aperta interirent. Sceleris huius atrocitatem Episcopi Papisticæ factionis illis obiicere cœperunt quos sibi rebelles & contradictores inueniunt: id quod Romani pontificis satellitibus solenne est. Verùm declarent ipsi primùm, esse se, perinde ac Moses erat, diuinitus vocatos, ac Ecclesiæ Dei præfectos: deinde fungantur officio Episcopali ea fide qua Moses in domo Dei fidelis fuisse probatur, Heb.3.a.2. tũ demum exemplum de Core, Dathan & Abiram contra rebelles & immorigeros citent. *Super tabernaculum Abiram.* [A]Significat non modò homines ipsos ab ipsa tellure absorptos, sed in sceleris detestationem, ipsorum quoque tabernacula penitus delet a & absorpta fuisse: quemadmodũ de Achan legitur, quòd non tantùm mortis supplicium ipse pertulerit, sed & cunctæ eius facultates combustæ fuerunt, Iosue 7.d.24.

18 *Et accensus est ignis in conuentu ipsorum, flamma exarsit super impios.*

Et accensus est ignis. [C]Meminit incendii quod vorauit ducentos & quinquaginta proceres synagogæ, qui cũ Core Dathan & Abiram coniurauerant. Consilium autẽ Prophetæ fuit populi duritiem traducere, quia adeo plagis non fuit emendatus (quum tamen lapides quoque mouere debuerit tam horribilis Dei vindicta) vt petulantius insanierint. Fuit sanè horribile hoc portentum quòd terra viuos absorbuit Dathan & Abirã cum tota factione, quòd ignis è cœlo descendens eos cõsumpsit: sicut dicebat Moses, Siquid vulgare contigerit, ne credatis Deum qui in cœlo regnat vobis & mihi præfuisse: sed si hoc nouum accidat & insolitũ vt dehiscat terra, credite saltem me à Deo fuisse missum, Numer.16.e.29. Quum verò suo furore abrepti Israelitæ tunc quoque in Deum tumultati sint, deterrimum fuisse morbum apparet, qui tam violento remedio corrigi non potuit. Et quum hypocritas quoque terreat Dei seueritas, fremere & iurgari contra Deũ tam duriter percutientem, prodigiosi furoris fuit. *Flamma exarsit super impios.* [A]Vel, flamma combussit impios. Hoc est, non eos modò puniuit Deus horrẽdo supplicio qui fuerant seditionis et impiæ murmurationis authores, sed eos quoque qui postea in Mosen & Aharonem tumultuati sunt acsi rem iniustam designassent, quum à Deo vltio illa fuisset. [C]Porro si quæratur cur paucorum hominum crimen toti populo imputet Propheta, solutio facilis est: quia etsi duo tantùm præcipui fuerũt tumultus, qui ducentos & septuaginta seditiosos homines secum traxerunt, populum tamen contagione fuisse infectum, ex fremitu & calumniis apparet. Pœna duces & antesignanos impiæ cõiurationis transgressa non est: nempe quia eam mitigare voluit Deus, & vulgo hominum parcere, quod tamen nouitatis cupidũ fuerat, vt omnibus intolerabiles essent Moses & Aharon.

19 *Fecerunt uitulum in Horeb, & adorauerunt coram sculptili.*

Fecerunt uitulum in Horeb. [V]Memorat scelus conflati vituli, cuius historia legitur Exodi 32.a.4. [C]Certè hæc defectio omniũ turpissima fuit, dum Israelitæ, reiecto vero Dei cultu, vitulum sibi fabricarunt. *Et adorauerunt coram sculptili.* [M]Vel, incuruaue-

runt se conflatili. Vel, adorauerunt conflatile. [m]Atqui nolebant videri tales qui vitulum conflatilem adorarẽt, [c]imò erat illis propositum Deum hoc modo colere. [m]Dicebãt enim, Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt ex Ægypto. Et Aharon clamari fecit per præconem, Cras solennitas est יהוה, id est Domino. Quibus verbis significabatur se non adoraturos in vitulo illo Deum aliũ quàm יהוה à quo erant ex Ægypto liberati. Et tamen Spiritus sanctus non concedit quòd Dominum adorauerint in vitulo, sed eorum impietatem & idololatriam manifestè coarguit. Vnde colligimus, quicquid prætexatur à cultoribus simulachrorũ, adorari conflatilia & sculptilia ab illis qui ante statuas quarũcunque formarum religionis gratia procumbunt, esséque illos non Dei sed idolorum cultores execrandos.

20 *Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem bouis comedentis fœnum.*

Et mutauerunt gloriam suam. [v]Hebraismus, Relicto vero Deo, qui erat gloria & decus ipsorum, coluerunt simulachrum bouis, quod illis fuderat Aharon. [c]Itaque etsi Israelitis propositũ erat Deum in sculptili colere, brutum tamen stuporẽ coarguit Propheta, quod Deum sub figura bouis repræsentauerint. Nã hinc colligit, ausertur Deo quod suum est, totámq; eius gloriã profanari. Et sanè ita est quamuis enim obtendant idololatræ colendi Dei zelum, simul tamen ac sibi figurant visibilem Deum, abnegato vero Deo, idolum sibi impiè fabricant. Sed flagitium grauius exprobrat, quum dicit, *In similitudinem bouis comedentis fœnum*, et ex opposito ponit decus ipsorũ vel gloriã. Nam quum Deus sua gloria eos decoraret, quantæ socordiæ fuit substituere in eius locũ nõ modò bouẽ, sed mortuã bouis formam? quasi aliqua sit affinitas inter Deum (qui omnes alimentorum species procreat) & crassum animal, quod fœno vescitur. Notandum ergo Prophetæ consilium, quia dum homines in mediocri superstitione se non continent, sed proiecto pudore saliant ad prodigiosos cultus, turpior est eorum excæcat & magis detestabilis. Si Deũ sibi repræsentasset populus sub hominis figura, id iam impium & sacrilegum erat: sed multo fœdior stupiditas quòd boui Deũ assimilant. Dum vitam sustinent homines cibo & potu, quia eius vsuram mutuantur à rebus mortuis, fatentur quàm fragilis sit sua conditio. Quanto ergo maiore contumelia afficitur Deus quum relegatur ad bestias? Iam cõparatio de qua diximus, crimen exaggerat. Quale enim decus fuit sancto populo mortuam bouis effigiem colere loco Dei? Atqui gloriam suam instar alarum Deus super filios Abrahæ extendere dignatus est, vt eos summa præstantia ornaret. Ergo illi, se nudando, turpitudinẽ suã exposuerunt gentium omnium ludibrio. Ideo crimen illud idololatriæ describens Moses nuditatis voce vtitur, Exodi 32.f.25. Porro hanc insaniam quam Vates hic damnat, suo tempore redarguit & Ieremias, cap.2.e.3. Et Apostolus gentes quoque huius insaniæ accusat, Rom.1.c.23. Quod vtinam probè expenderent qui cultum imaginum & mortuorum sanctorũ in Ecclesiam Christi introductum tuentur. Siquis excipiat, Arcam fœderis fuisse Dei imaginem: respondemus, symbolum illud datũ fuisse Israelitis, non in quo defigerent mentes suas, sed quo potius adiuuarentur ad spiritualem Dei cultum.

21 *Obliti sunt Dei seruatoris sui, qui fecerat magnifica in Ægypto.*

Obliti sunt Dei. [m]Causam & radicem huius peccati & impiæ defectionis ostẽdit, obliuionẽ videlicet Dei seruatoris ipsorũ, & mirabiliũ eius quæ magnifica & tremẽda in Ægypto & in mari rubro ediderat. [c]Atque ita Vates secundò repetit, nõ inscitia sola errasse populum, sed ingratitudine: quia iam satis superque se Deus patefecerat. Cæteris etiam ipsis sublata est excusatio: quia Deus in opificio cœli & terræ conspicuus apparet. Sed Israelitarum crimen longè atrocius, qui Deo valere iusso, postquam familiariter se illis communicauerat, conuertunt se ad brutas superstitiones.

22 *Mirabilia in terra Cham, terribilia ad mare rubrum.*

Mirabilia in terra Cham. [a]Hoc est, in terra Ægypti. Vide Suprà, 105.e.13. *Terribilia ad mare rubrum.* [a]Hæc omnia crassum Israelitarum stuporem amplificãt. Subest enim magnam his omnibus elogiis emphasis, quòd Deus, vt eorum esset seruator, incredibilem suam potentiam cælitus exeruerat. Si vulgare modò aliquod signum dedisset suæ virtutis, debebat tamẽ mirandum retinere populum in eius timore & cultu: nunc quum virtutes apprimè insignes fuerint, imò terribiles & insolitæ, populum clausis oculis ad idololatriam se proiicere, nimis turpe

dignum fuit. Nam illa Dei notitia, non secus ac solis fulgore caligo discutitur, cõmẽta omnia & prauos errores euanescere oportuit. [m]Porro si accidit Israelitis vt visis tot miraculis, Dei obliuiscerentur, quid nobis timẽdum non est? Etenim si in ea quæ visa sunt magnifica, miranda & tremenda, cadere potuit obliuio in cordibus eorum qui ea recẽs oculis suis viderant, quomodo non multo facilius ea tradi possunt obliuioni quæ vel leguntur in literis, vel narrantibus aliis audiuntur? [a]Studiosè itaque in Dei timore & sincero eius cultu nobis versandum est.

23 *Et dixit ut perderet eos, nisi Moses electus eius stetisset in ruptura coram facie eius, ad euertendam iram eius, ne deleret.*

Et dixit ut perderet eos. [a]Vel, Et dixit se disperditurũ eos. [v]Ad verbum, Et dixit ad disperdẽdum ipsos. Id est, decreuit, siue hoc sibi proposuit Deus vt ipsos perderet. [v]Notat illud dictum Domini ad Mosen, Sine me vt succenseat ira mea contra eos, & consumam eos, & faciam ex te venire gẽtem magnam, Exodi 32.c.11. [c]Quibus verbis docet Propheta, quũ solis precibus cohibita fuerit Dei vltio, populum sensisse mirabiliter se exitio fuisse ereptũ, cui iam propinquus erat. In quo se prodidit peruicax eius malitia, quando paulo pòst ad ingeniũ reuersus est. Quo exprimat grauem Dei offensam, dicit fecisse decretum de perdendis transgressoribus, non quòd in Deum cadant passiones humanæ, vt ad momentum exardescat, deinde placatus mutet consilium: (Deus enim in arcano suo cõsilio ignoscere statuerat, sicuti fecit.) sed aliud decretum commemorat Propheta, quo Deus terrere populum voluit, vt agnita culpæ suæ grauitate, humiliaretur. Hæc est pœnitentia cuius sæpe fit in Scriptura mentio. non quòd Deus in seipso sit flexibilis: sed quia, vt iræ suæ sensu nos seriò tãgat, induere cogitur hominis personam: acsi rex, qui malefico dare veniã statuit, prius tamen ad tribunal suum sistat, quo melius commendet suum beneficium. Deus ergo arcanum suum consiliũ intus sibi retinens, decretum protulit quo populum ostendit æternæ mortis reatu esse obstrictũ. *Nisi Moses electus eius.* [a]Hoc est, quem elegerat liberationis ministrũ, & populi ducẽ, & qui nihil nisi ex Domini mãdato aggrediebatur. *Stetisset in ruptura coram facie eius.* [v]Ad verbum, In diuisione ad faciem eius. Id est, Nisi in pũcto iræ occurrisset Deo, [c]ne cũ extrema vltione perrũperet. Allusio autẽ est ad vrbiũ oppugnationes: nam si murus ariete vel alia machina dirutus fuerit, strenui milites obiectis suis corporibus rupturã claudunt. Ita Ezechiel pseudoprophetis obiicit quòd Mosi sint dissimiles, qui suis blanditiis murum quasi stramineũ fingẽtes, se in die prælii ad rupturam non opponant, Ezech.13.a.5. Existimãt quidam interpretes alludere Prophetam ad diuulsionem, quam populus, abrupto Dei fœdere & sancta vnitate, fecerat. Et eodem redit sensus. quia in ruptura hæc est metaphoræ ratio, quòd Deus populum fide sua protegẽs, erat ei loco muri & antemuralis: rursum iratus irruebat quasi ad stragem, nisi Moses medius intercessisset. [m]Expendendum hic est quod sit boni pastoris ingenium. Moses non dubitauit se iræ Dei aduersus oues sibi concreditas accensæ opponere: quamuis audiret hunc populũ esse duræ ceruicis, & grauiter in ipsius deliquisse absẽtia. Multa fuerat ab illis perpessus, quorum tamen gratia iam non fuit animo ab eis auerso, verum quoque quum potissimũ ingratitudini eorum competenter rependere posset, bonum pro malis redderet, & eos ab exitio conseruaret. Talis esse debet affectus eorum qui populis præficiuntur. Deinde vidimus quid possit boni pastoris interuentus coram Deo. Peccauerat hic populus, & grauiter adeo vt Deus conceperit contra eum nõ leuem aliquam iram & castigandi propositum, sed talem furorem, qui omnimodum exitium esset illaturus: & tamen tãtùm valuit pastoris huius intercessio vt conceptum furorem Dei amolitus fuerit.

24 *Et repudiarunt terram desiderabilem, non crediderunt verbo eius.*

Et repudiarunt terram. [v]Vel, Spreuerunt etiam terram. Vel, Et abominati sunt terrã, auditis scilicet exploratoribus. [a]Hoc apertum indomitæ malitiæ signum fuit, postquam exitio addicti fuerant Israelitæ, vixdũ e tanto & tã præsenti periculo ereptos tumultuari contra Deum. Quanam autem tumultus causa? Fastidium terræ sanctæ, qua nihil illis fuit optabilius. [a]Memorat enim hoc loco Vates quæ legimus Numer.14.a.1, de murmure & seditione populi excitata, quum exploratores renunciassent terram Chanaã optimam quidem, sed ipsis inuincibilẽ. optabant enim potius mori in solitudine, quàm terram à Domino promissam & optimam ingredi, támque parabant reuerti in Ægyptum. *Terram desiderabilem.* [v]Vel, experi-

bilē. Terra desiderii tam hic quàm pluribus aliis locis, nō abs re vocatur regio Chanaā, quæ illis destinata erat, in qua fouerentur paterno Dei sinu, & segregati à Gentibus Deum purè colerent, imò quæ cœlestis hæreditatis arrha illis erat. Sacrum ergo illud domicilium electi populi respuere, quàm fœdæ ingratitudinis fuit? Sed tale est carnalis populi ingenium. Vnde hic figuram habemus eorum quibus omnia sordēt quæ de cœlesti patria præclara & toto pectore desideranda promittuntur, eo quòd corde adhoc pendent ab hoc mundo, & quæ mūdi sunt admirantur & sectatur. Quod quid aliud est quàm cœlestia susque déque facere? *Non crediderunt verbis eius.* Causam contemptus notat Propheta quòd verbo Dei fuerint increduli. Nam si Dei promissionem qua decebat fide amplexi essent, ingenti terræ desiderio accensi superassent omnia obstacula: nunc quia fidem derogant, non modò respuūt oblatam sibi hæreditatem, sed tumultum in castris miscent, acsi arma induerent contra Deum. Locus hic ostendit frustra Deum loqui populo carnali: namà tali tribei expectandum aliud est quam vt verbis eius non credat, & ad quancunque tentationem murmuret, ac tandem vocem eius ne audiat quidem.

15 *Et tumultuati sunt in tentoriis suis, non audierunt vocem Iehouæ.*

Et tumultuati sunt in tentoriis suis. Seditionem notat quam excitarunt, volentes Mosen, Aharon, Iosue & Caleb, qui illis terram promissam commendabant, & à furore reuocabant, lapidibus obruere. Turbarūt, (inquit) vel, tumultuati sunt. vel, seditiose egerunt. Q.d. more clancularii susurronis, homines inter se committentis, sese inuicem in seditionem excitarunt. Eadem voce vsus est Moses, Deut. 1. c. 27. vbi hoc ipsum populi murmur memorat. *Non audierūt vocem Iehouæ.* Hoc iterum de generali promissione Dei, qua terram hanc illis fuerat pollicitus, intelligi potest: vel de eo quod Iosue & Caleb in nomine Domini coram plebe affirmabant.

16 *Et extulit manum suam ad eos, ad dispergendum eos in deserto.*

Et extulit manum suam. Vel, Et eleuauit manum suam. Vel, Idcirco eleuauit manum suam. Aliam Dei vindictam Psaltes describit, cuius memoria insidere cordibus debuerat, vt metū assiduè renouans, sollicitudinē etiam incuteret. Nunc vbi nihil proficitur, constat insanabilem fuisse furorem eius gentis. Quod dicit Deum extulisse manum, bifariam exponi potest: Aut de iuramento Dei quod Numer. 14. d. 21. factum legitur, vt externus gestus iurisiurandi pro ipso iuramento potius intelligatur: Vel de plaga, qua populus incredulus in deserto per manum Dei percussus interiit. Prior expositio optimè huic loco quadrare videtur, vt intelligamus Prophetā de iureiurando loqui. Fuit autem solennis manus leuandæ ritus, quasi Deum è cœlo accerserent: itaque ad Deum impropriè transfertur, qui sua altitudine omnia superat, nec iurare potest per maiorem, vt dicit Apostolus Hebr. 6. c. 13. Verùm hoc, vt multa alia, mutuatur à communi hominum more. Futura igitur erat horribilis dissipatio populi, nisi precibus Mosis retenta fuisset terræ sanctæ possessio. *Ad dispergendum eos in deserto.* Quidam, Vt cadere faceret eos. Alii, vt deiiceret eos. Alii, se prostraturum eos in deserto. Videmus hoc exemplo quid expectandum sit illis qui cœlestem patriam ad quam vocati sunt, contemnunt, & mūdum hunc Ægyptiacum illi cum deliciis suis foedidit ac vilibus præferunt. Hoc videlicet, vt & illi gratia cœlestis patriæ, quam contemnunt, tanquam indigni priuērur, & delicias quas sectantur non assequantur, sed in calamitatibus huius vitæ, velut in solitudine quadam, concidant & pereant.

17 *Et ad dispergendum semen eorum inter gentes, & ad semouendum eos per terras.*

Et ad dispergendum semen eorum. Hoc quidem liber Numerorum non habet: at quum Psaltes id narret, non potest esse vanum. Vnde & hinc coniectura est, pleraque vetustatis monumēta, præter historiam Legis, tempore exilii Babylonici extitisse. Ad hæc Ezechiel iuramentum hoc in solitudine factum fuisse cōfirmat, cap. 20, c. 15. Significat autem Vates constituisse Deum eiicere posteros incredulorum è terra, si & ipsi fuerint increduli. Id quod postea accidit. vt sciamus quæ sors futura sit filiis, si patrum vestigia sequantur. *Per terras.* Vel, in terras. Id est, per varias regiones.

18 *Et copulati sunt Baal-peor, & comederunt sacrificia mortuorum.*

Et copulati sunt Baal-peor. Vel, adhæserunt insuper ipsi Baal-peor. Vel, cōiugati sunt. Recitat Iudæos, quā horribili pœna denuntiata, statim tamen prolapsus fuisse ad nouam apostasiam. Quum dicit copulatos siue coniugatos fuisse Baal-peor, significare videtur copulationē illam cum mulieribus Moabitarum, quæ in causa fuit vt Israelitæ sacrificiis Baal peor contaminarentur. Et coniugati sunt, inquit, nempe vt par iumentorum ad iugū alligatur. Quo tropo & Apostolus vtitur, Nolite iugū trahere cū infidelibus, 2. Cor. 6. c. 14. Inuehitur ergo Propheta in suæ gētis perfidiā, quòd spirituale cōiugiū à puro Dei cultu degenerās violauerit. Scimus enim, quū Deus vxoris loco Ecclesiā suam habeat, dū se idolis addicit, nō minus turpiter fidem violare quàm si mulier relicto marito se adulteris prostituat. Satis notum est Baal peor Madianitarum fuisse Idolū. Quæ verò sit nominis ratio nō satis conuenit. בעל enim certè tantundem valet ac patronus: & quia פער aperire significat, vertunt quidam Deū aperitionis, & causam addunt, quòd pudenda coram eo detegerent: quod non audemus pro certo recipere. Ac fieri potest vt sit nomen propriū loci, quemadmodū scimus idolis gentilia nomina sæpe imposita fuisse. Tenemus nunc Prophetæ sensum, Iudæos nefarium fecisse diuortiū cum Deo, vt se pollueret societate Baal-peor. Magna profectò cæcitas populi carnalis. Erexerāt antea vitulū magno suo malo: eius peccati & plagæ pariter obliti iunguntur idolo Baal-peor. Sic populus incredulus ne plagis quidē in via retinetur. *Et comederunt sacrificia mortuorū.* Turpitudinē his verbis magis exaggerat, dicens Israelitas comedisse sacrificia mortuorum. Intelligit autem quæ idolis oblata fuerant, quum prius soliti essent sacrificiis vesci, quæ eos vniebant vero Deo, qui fons est vitæ inexhaustus. Quo magis pudenda fuit mutatio, quum se nefando sacrilegio in mortem vltrò addixerunt. Erat autem epulum, vt scimus, quasi cultus accessio. Itaque hoc consequebantur suis sacrificiis, vt vero Deo valedicētes, mortuos sibi in coniugium accerserent: ideóque duplici dedecore eos onerat, quòd non tantū genu flexerint coram Baal, & mactauerint hostias, sed epulati sint in sacrificiis. Notandum hic est quomodo concurrere soleant cultus simulachrorum, comessationes, & scortationes. Nam ternario isto carni accommodatissimo, sic seruitur & Satanæ & carni vt & mens impietate absorbeatur, & corpus à spurcitiis perdatur, atque ita totus homo prorsus Deo abalienatus in sempiternum pereat. Videtur horum scelerum coniunctio non modò quandam illorum spirare cognationem, sed & execrationis præferre notā. Exemplis res ista non eget, quibus aliquot Christiani nominis secula plus nimio abundant, præsertim in illis qui sacrificia mortuorum voratores, studiis scortandi prorsus sunt absorpti.

19 *Et ad iracundiam prouocauerunt in operibus suis: & irruit in eos plaga.*

Et ad iracundiam prouocauerunt. Rursus narrat noua plaga fuisse admonitos: vt appareat Deū semper gloriæ suæ seuerū fuisse iudicem, populum castigando, sed absque profectu, quia nullis plagis correcti fuerint. *Operibus suis.* Vel, studiis suis. Vt intelligamus tum demum ad iracundiam & furorem prouocari patientiam Dei, quando non simpliciter semel atque iterum peccatur, sed quando studium peccandi accedit & inolescit. *Et irruit in eos plaga.* Vel, Et creuit, & fracta est. vel, prorupit. Id est, amplior facta est, acsi fracta esset maceria plagarum. Alii vertunt, Et multiplicata est. De hac plaga sic in sacra historia legitur, Dixitque Moses ad iudices Israel, Occidat vnusquisque proximos suos qui initiati sunt Baal-peor, Numer. 25. b. 5. Item, Et occisa sunt vigintiquatuor millia hominum, Versu 9. Videmus hic plagam confestim subsequi Iræ Dei prouocationem, ne quis temere Deū aduersus se irritare præsumat, nisi velit plagam exacerbationis Dei testem sentire.

30 *Et stetit Phinees, & vindicauit: & cohibita est plaga.*

Et stetit Phinees. Vel, Tum stetit Phinees. Id est, animosè surrexit, vt pœnas de scortatore sumeret. Sicuti nuper dixit Propheta placatum fuisse Deū precibus Mosis, ita nunc dicit plagā fuisse repressam vel sanatam beneficio Phinees. *Et vindicauit.* Vel, & diiudicauit. Alii, & iudicauit. Id est, præbuit se vindicem, non expectata iudicum sententia sumpsit pœnas de Zamri. Chaldæus paraphrastes vertit, Et orauit. Quem sequūtur quidam. Sed alter sensus contextui aptior est, quod iudiciū exercens in scortatorem & scortum, zelo suo Dei vindictam anteuerterit. Stetit ergo, (hoc est surrexit, vel se opposuit) quū alii omnes dissoluta ignauia cessarent. Nam standi verbo significat Psaltes sanctum hūc virum Dei animo parato, erecto, & obfirmato in zelo Dei fuisse. sicut de Zacharia Ioiadæ filio

legimus, quòd se rebelli populo fortiter ac magna animi cõfidentia opposuerit, 2. Paralip. 24. f. 22. *Et cohibita est plaga.* Vel, Et cessauit, sedata est. Quum autem vnius hominis beneficio sedatam fuisse plagam sentirent Iudæi, eo minus excusabilis fuit eorum peruicacia, quòd ne sic quidem peccandi finem fecerũt. Sciamus autem hæc omnia nobis dict. nam quum subinde nos castiget Deus, vel alienis exemplis ad pœnitentiam inuitet, quotusquisque sub eius ferulis proficit? Quod ad plagæ cohibitionem attinet, satis apertè significat Propheta factum hoc Phinees Deo fuisse probatum, etsi in oculis carnis admodum damnabile appareat. Primùm quia in se crudele videbatur, nempe virum simul & mulierem perfodere: deinde, persona Phinees non videbatur esse talis cui huiusmodi vltionem suapte sponte præsumere liceret: maximè præsente Mose, quem facinus Zamri non latebat. Postremò & persona Zamri non erat priuata aliqua, sed in dignitate ducum populi constituta: denique & mulier filia erat illustrissimi principis, vt etiã hoc respectu factũ hoc Phinees admodũ temerariũ & barbaricũ videatur. Sed aliud lõgè est iudiciũ Dei quam carnis nostræ. Deus absque personarum acceptione iudicat, & sæpissime damnat quos humanum iudicium facillimè absolueret. Præterea notatu dignum est, plagam cessasse ex quo executus est iudicium Phinees: vt sciamus optimum hoc remedium esse extinguendo vindictæ Dei incendio, vbi peccator ipse vltro iudicis partes ad se puniẽdum occupat. sicut dicit Paulus, Si nos iudicaremus, vtique non iudicaremus à Domino, 1. Cor. 11. g. 31. Atque hæc summa dignatio est, dum nobis iudicium in manu permittit Deus, vt de peccatis nostris pœnas sumamus. Simul tamẽ notandum est sedatã túnc fuisse plagam, vnius hominis pœna, quia tunc exhorruit populus suum flagitium cui assueuerat.

31 *Et imputatum est ei ad iustitiam in generationem & generationem usque in seculum.*

Et imputatum est ei ad iustitiam. Vel, Et reputatum est illi ad iustitiam. Hebraismus, pro Iustus reputatus siue habitus est à Deo. Ostẽdit Propheta placuisse Deo pro nomine eius susceptam seueritatem. Interea vnius hominis laude totum populi corpus infamat. Nam ex elogio quo Spiritus sanctus præclarum illud facinus Phinees ornare dignatus, colligimus quàm detestabilis fuerit populi fœditas. Neque enim penes eum solum resedit decus, sed nobilitat parta fuit eius familiæ in multas ætates. Itaque maioris ignominiæ causa toti populo opponitur vnus Phinees. Quæritur tamen quomodo probatus Deo fuerit priuati hominis zelus, qui præter vocationis modum, arrepto gladio iudicium exercuit. Videtur enim inconsideratè id tentasse. Respondendum est, quosdam fuisse in sanctis singulares & extraordinarios motus, qui ad communẽ regulam exigi non debent. Moses, quum Ægyptium occidit, quamuis iam esset vocatus, quia tamen nondũ data ei erat gladii potestas, arcano Dei instinctu adductum fuisse certũ est vt hoc auderet, Exodi. 2. b. 11, & Act. 7. c. 24. Talis fuit impulsus in Phinees. nam etsi nemo putabat gladio Dei esse armatum, ipse tamen potestatis diuinitus concessæ probè sibi conscius fuit. Atque ita notandum est, vsitatum vocandi modum & ordinem quo Deus vtitur, non obstare quominus electos suos, vbi visum est, arcano Spiritus motu gubernet. Sed restat difficilior quæstio. nam qui doctrinæ iustificantis fidei repugnant, quo conuincant vel in speciem non soli fidei sed & operibus hanc inesse virtutẽ vt iustificent, vsurpant hunc versiculum. Ecce, inquiũt, & de opere Phinees sacra Scriptura testatur quòd reputatum sit ei ad iustitiam. Non itaque sola fides, sed & opera iustificãt. Quæritur ergo quomodo imputatum fuerit ipsi Phinees vnum facinus ad iustitiam. Paulus sola fide iustificari homines probat: quia scriptum est, Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad iustitiam, Rom. 4. a. 3, & Gen. 15. b. 6. Eodem verbo illic vtitur Moses. Nunc si contrà idem de operibus excipere liceat, non infirma tantùm erit Pauli ratio, sed etiam friuola. Primò vidẽdum est an Phinees vno opere iustitiam adeptus fuerit. Certè Lex etiamsi iustificaret, non tamen singulis operibus salutem promittit, sed iustitiam locat in perfecta obseruatione omniũ præceptorum. Restat ergo vt dicamus ipsi Phinees imputatum fuisse opus suũ ad iustitiã, sicuti Deus opera fidelib⁹ nõ intrinseco merito sed gratis ad iustitiã imputat. Nam quũ sola perfecta Legis obseruatio, quæ nusquã reperitur, sit iustitia, mortales õnes confusos ad Dei tribunal iacere necesse est. Huc accedit quòd singula opera, si vocẽtur ad examen, reperientur næuo aliquo aspersa. Superest igitur vnicũ asylũ in gratuita Dei misericordia. Porro nõ solũ ipsi iustitiã gratis fide cõsequimur, sed quẽ admodũ lumen suũ mutuatur Luna à Sole, ita eadẽ fides operaquoque nostra iustificat: quia abolitis vitiis iusta reputãtur. Denique tã personis quàm operibus iustitiæ titulũ nõ dignitas sed sola fides conciliat. Iam redimus ad Paulũ. non tantùm ex vna voce ratiocinatur nos gratis & sola fide iustificari, sed altiosa principia sumit, quæ iam attigimus, iustitia destitui cũctos mortales, donec eos sibi Deus recõciliet per Christi sanguinem: deinde modum obtinendæ veniæ & reconciliationis esse fidem: quia nusquam reperiatur operum iustitia. Quare meritò concludit sola fide nos iustificari. Huic verò iustitiæ subalterna est (vt loquuntur) operum iustitia, quæ nihil prætii meretur nisi ex indulgẽtia Dei, quatenus nos pro iustis reputat.

32 *Et prouocauerunt ad iracundiam super aquas iurgii, & malè cessit ipsi Mosi propter eos.*

Et prouocauerunt ad iracundiam. Vel, Irritauerunt etiã illum. Ad verbum, Et irritauerũt illum. Loquitur de murmure populi pro aquis, quod describitur Numer. 20. a. 3. Dicit, prouocauerunt. subaudiendum est, Deum. *Super aquas iurgii.* Vel, contentionis. Vel, contradictionis. Quia Israelitæ cum Deo litigauerunt propter aquas, locus ille nomen Meriba sortitus est, sicuti dictum est Suprà, 95. b. 8. Quamuis enim rixa contra Mosen directè suscepta fuerit, erant tamen in Deum tumultuosi, si causa rectè expenditur. *Et male cessit ipsi Mosi propter eos.* Vt magis culpam Israelitarũ exaggeret Propheta, dicit Mosen propter eos male fuisse multatum. quia scilicet frustratus fuit ingressu terræ propter infidelitatem. q. d. Tam grauis fuit contumacia vt pœna vsque ad Mosen ipsum redundauerit. Hinc ergo colligitur grauitas offensæ, quòd Deus ne electissimo quidem seruo suo pepercerit. Certum quidem est Mosen pœna illa fuisse dignum: sed, si fontem culpæ quærimus, in illum redundauit populi iniquitas. Quòd si priuatus fuit terræ ingressu Moses quia alieno vitio præter animi sui sententiã abreptus fuit ad peccandum, quanto minus tolerabilis est populi impietas, qui data opera cum Deo rixatus est, & Mosen sua intẽperie ad culpæ societatem pertraxit. Cæterùm quod de Mose hic dicitur, & de Aharon intelligendum est. nam fuit vterque priuatus ingressu terræ sanctæ. Sic enim Dominum dixisse legimus ad Mosen & Aharonem, Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam daboeis, Numer. 20. b. 11. Videmus ergo quàm sit ardua eorum prouincia qui populo Dei præsunt. Erat Moses vir Dei magna Spiritus sancti gratia præditus, & tamen euadere non potuit quin populi malitia victus aliquid faceret quo in Deum peccaret. Et hoc illi condonatum non est, quantumuis cætera sincero & integro.

33 *Quia exacerbauerunt spiritũ eius, & loquutus est labiis suis.*

Quia exacerbauerunt spiritum eius. Vel, rebelles fuerunt spiritui eius. Dictio Hebraica מרה propriè exacerbare significat. sed quia ponitur in coniugatione hiphil, transitiuè accipi potest, quòd Mosen rebellare fecerit populus. Neque tamen eorum expositionem admittimus qui ita interpretantur, Rebellare fecerunt (sub. Mosen) spiritum eius. sub. Dei. acsi Psaltes diceret Mosen rebellem fuisse spiritui Dei. Neque enim tam asperè de inconsiderato lapsu & errore loquutus esset Propheta. Illud autem quod prius retulimus, optimè conuenit, quum tam seuerus fuerit Deus contra Mosen, qui populi furore quasi violenter ad peccandum adactus fuerat, præcipuos authores longè atrocius peccasse. Interea tamen docet Propheta, quanuis propter populum castigatus fuerit Moses, non tamen fuisse extra culpam: quia etsi eius impatientia à populi strepitu principium habuit, debebat tamen stare firmior. Interea cogitandum quantum referat quo spiritu præditus sit qui magistratus aut episcopatus munere fungitur. Donec Moses spiritu erat quieto & pacato, constanter & inoffensè munere suo functus est: vbi verò populi iurgiis & obloquutionibus exacerbatus est spiritus eius, cohibere se nõ potuit quin diceret aliquid quod parum ad diuini nominis gloriam sanctificandam faciebat. Tale erat & quod Aharoni accidit, qui spiritu fatigatus, non loquutus modò est sed & fecit quod culpabile erat. *Et loquutus est labiis suis.* Hoc quidam ad Deum referunt, cuius animũ populus impio suo murmure exacerbauit: qui etiam dira postea loquutus est, negando vnicè dilecto & fido seruo suo Mosi ingressum in terram Chanaam. Sed rectius ad Mosen refertur. Nam Propheta exprimit spiritum Mosis tanta perturbatione fuisse impulsum vt Deo palam obstreperet. q. d. Quum docili & mansueto ingenio esset Moses, malitia tamen populi quasi flabello sic fuit mutatus vt ipse quoque turbulentè loquutus sit, An poterit vobis Deus aquã

ex rupe educere, Numer. 20.b.10. Tantum enim indignationis iam conceperat apud se vt placidè mandatum Dei non audiret. Multa hic Iudæi disputant in quo peccarint Moses & Aharon. sed quum Scriptura disertè affirmet Deum cum illis expostulasse de incredulitate, ambigi non potest illos pollicitis eius haud satis fidei habuisse.

34 *Non perdiderunt populos de quibus mandauerat illis Iehoua.*

Non perdiderunt populos. Quidam, non disperdiderunt. Alii, Non exterminarunt populos. Nouum crimen Israelitis Propheta obiicit, & impietatem admissam in terra Chanaan. Non enim deleuerunt gentes quas delere Dominus præceperat. q.d. Ignaui fuerunt in profligandis Gentibus, imò in terra purganda morem Deo gerere detrectarunt. *De quibus mandauerat illis Iehoua.* Factum fuerat hoc Deut. 7.a.1.5. vbi legitur quòd præceperit illis Deus vt Chananæorum populos Philistæum, Sidonios, Heuæos, Hethæos, Amorrhæos, Pherezæos, & Iebusæos ad internecionem vsque delerent, aras eorum subuerterent, statuas confringerent &c. Iam enim ad summum cumulum peruenerat iniquitas Amorrhæorum, vt Deus non frustra vellet excisos, præsertim ne eorum societas contagiosa foret sancto populo. Deus enim terram illam sibi in domicilium eligens, volebat sanctam & ab omni fœde puram esse. Populus ergo iniunctam sibi vindictam exequi recusans, se inquinamentis vltro appetere ostendit. Ideo videmus quàm duriter excanduerit ob hunc torporem. Ecce, inquit, iusseram interfici gladio omnes istos populos: nunc quia non paruistis mihi, erunt vobis in spinas, configent vtrinque latera vestra, compungent oculos vestros &c. Numer. 33.g.55. Quàuis enim species clementiæ fuerit nō omnes ad vnū occidere, non tamen excusabilis est populus qui iustam Dei vindictam negligit, & terram inquinamentis relinquit obnoxiam. Idque notandum est, quia in vtranque partem sibi plus æquo indulgēt homines, quòd nimis rigidi sunt vbi opus non est, & iudicia corrumpūt dissoluta mollitie. Pendere igitur ab ore Dei nos oportet, ne in hanc vel illam partem perperam labamur. Nam si dānātur Israelitæ quòd integris gentibus pepercerint, quid de iudicibus dicēdum est, qui dū erga paucos remissi sunt ac segnes, in publicam perniciem habenas laxāt sceleribus? Scimus quàm grauiter deliquerit Saul parcendo regi Amalech contra præceptum Domini, 1. Sam. 15.d.19 e.22. Itaque nō modò culpabilis sed & noxia est illa clementia qua impiis, quos Deus exterminari iubet, parcitur.

35 *Et commisti fuerunt Gentibus, & didicerunt opera eorum.*

Et commisti fuerunt Gentibus. Vel, Sed miscuerunt se cum Gentibus. Fructum præposteræ humanitatis describit, quòd se implicuerint Gentium, quibus pepercerant, inquinamentis: eorum impietatem didicerint & imitati sint: vt ad mendacia & vana superstitionum figmenta ingenium hominum semper quàm ad veræ religionis studium pronius est. Historiam horum habes secundo & tertio capite Iudicum. Si soli Israelitæ habitassent in terra, facilius erat retinere purum Dei cultū: nunc nō mirū est si à vicinis pellecti degenerēt, quia ad mala exempla nimium propensi sumus. Loquitur autem nunc de eorum posteris qui toties in deserto prouocauerant iram Dei. Atqui nihilo meliores patribus fuisse docet, quia gente renouata eadem infidelitas, cōtumacia & ingratitudo grassata est. Porro hæc mistura cum Gentibus aperta erat reiectio gratiæ, quando hac lege eos adoptauerat Deus vt segregati essēt à profanis gentibus: hanc sanctificationem promiscua commistione quantum in se est in nihilum redigunt. *Et didicerunt opera eorum.* Non loquitur Propheta de operibus licitis quæ ad victus necessitatem faciunt, sed peruersos & vitiosos cultus intelligit, quibus infecti fuerunt Israelitæ. Quare hic locus admonet nihil esse pestilentius impiorum consuetudine: quia, vt sumus ad vitia procliues, fieri nō potest, vbi inter corruptelas versamur, quin mox latius serpat contagio. Quare hic summa adhibenda est sedulitas & cautio, ne impii, dum nobis sunt familiares, vitiosis suis moribus nos imbuant: ac præsertim vbi idololatriæ periculum est, ad quam vnumquenque suum ingeniū inclinat. Quid ergo fiet vbi oleum camino addet aliena castigatio? Exprimit igitur Propheta Iudæos fuisse Gentium discipulos, vt se addicerent eorum superstitionibus.

36 *Et seruierunt simulachris eorum, & fuerunt illis in ruinam.*

Et seruierunt simulachris eorum. Vel, sculptilibus eorum, fastidiis eorum, tristitiis eorum. Vocat idola & deos Gentium עצבים id est molestias, per cōtemptum scilicet, vt ostendat nihil nisi calamitatem ab illis referri, quum stulti homines salutem ab eis sperent. Cæterum seruiendi verbo refellitur puerile Papistarum effugium, dum adoratione duliæ, non latriæ, se imagines colere excusant. Atqui si imaginibus seruire fas est, immeritò Propheta gentem suam accusat quòd seruierit diis alienis. Putida igitur est illa distinctio, Deum latria colendum esse, imagines autem dulia. Certè Spiritus sanctus vocat seruitutem simulachrorum, omnem eum cultum qui imaginibus vel deorum vel sanctorum religiosè in Templis impenditur, & hanc damnat idololatriæ. Quapropter huiusmodi loci diligenter obseruandi sunt viris veræ pietatis studiosis, quibus aduersus eos vtantur qui cultum simulachrorum improbe defendunt. *Et fuerunt illis in ruinam.* Dicit Propheta hoc Israelitis cessisse in ruinam, quo melius appareat, contemptis Dei flagellis, peruicaciter in suis erroribus fuisse defixos. Notemus ergo simulachra & cultus superstitiosos instar laqueorum esse, qui nunquam meliori compendio vitari possunt quàm vt ab illis quamlongissimè discedatur: vt non frustra monuerit Iohannes, dicens, Filioli, cauete vobis à simulachris, 1. Iohan. 5.d.21.

37 *Et sacrificauerunt filios suos & filias suas dæmonibus.*

Et sacrificauerunt filios suos. Quidam legunt, Nam sacrificauerunt. Speciem vnam superstitionis designat Propheta, in qua exprimit quousque progressi sint Israelitæ in hac idololomania. Eo videlicet, vt iam non solùm pecudes, sed & ipsa sua pignora, filios & filias mactarint, & dæmoniis immolarint. Hanc verò gentium cōsuetudinem fuisse testatur Moses Deut. 12.d.31. Et Prophetæ Israelē accusant quòd eā fuerit imitatus, quemadmodum videre est Ierem. 19.b.5, & Ezech. 16.c.20. Porro liberorum sacrificium præcipuè Moloch fiebat, vt ex Leuit. 20.a.2, & multis aliis Scripturæ locis liquet. Eum putant eundem fuisse Hebræis qui Latinis fuit Saturnus. Insaniam hanc quidam existimant ad imitationem Abrahæ à Gentibus susceptam. Sed neque ille suum filium exussit, neque videntur Gentes Abraham tanti fecisse vt imitari ipsum studuissent. A Satana plures aliæ quoque superstitiones non minus absurdæ (etsi minus crudeles) profectæ sunt. huic & hanc acceptam referemus. Forsan huiusmodi commentum ingessit, Deo offerendum quod quisque habet præstantissimum & charissimum. Iam liberi pecudibus multo sunt & præstantiores & chariores. *Dæmonibus* שדים (quorum & Moses meminit Deut. 32.c.17.) creduntur dæmones esse in agris potissimum suas præstigias exercentes, quibus ideo homines sacrificare instituerunt. Hoc autem nomen odiosum data opera ponit Propheta quo magis detestabile reddat crimen populi. Vnde colligimus quā friuolus sit prætextus inconsiderati zeli. Nam quo plus feruoris in Iudæis fuit, eo sceleratiores fuisse cōuincit Propheta: quia vesania sua abrepti ne propriis quidem filiis pepercerint. Certè siquid valeret bona intentio qualem fingunt idololatræ, dignum maxima laude fuisset opus, obliuisci omnem naturæ affectus in liberis mactandis. Sed vbi suo arbitrio feruntur homines, quo magis satagunt, eo magis augent crimen. Quid enim dissimile fuit inter Abraham & istos quorum meminit Propheta, nisi quòd ille fidei obsequio ad filii immolationem se accinxit, hos autem vesanus zelus egit præcipites, vt deposito humanitatis affectu in proprium sanguinem sæuirent.

38 *Et effuderunt sanguinem innocuum, sanguinem filiorum suorū & filiarum suarum, quæ sacrificauerunt sculptilibus Chanaan: & polluta est terra sanguinibus.*

Et effuderunt sanguinem innocuum. Exaggerat illorum insaniā & crudelitatē hoc versu, quòd liberos suos mactando terram polluerint fuso innoxio sanguine. Non enim simpliciter consecrarunt filios suos ac filias dæmonū seruituti: sed & mactarunt etiam & occiderunt. id quod per sanguinis effusionem Vates expressit. Deinde paruulos adhuc existentes & innocentes occiderunt. quod facinus atrocissimum habetur, à quocūque fiat, nedum ab ipsis parentibus. *Et polluta est terra sanguinibus.* Vel, sanguine. id est cæde. Istud referri debet ad iniustas neces. Ad hoc enim additum est hoc membrum, vt frequentia nefandorum horum sacrificiorum exprimeretur, quia passim terra cruore infantiū polluebatur. Siquis obiiciat laudari Abrahā quòd vnigenito suo nō pepercerit (Gen. 22.c.16.) solutio facilis est, quia Deo paruit, fidei puritate omnem crudelitatis maculam fuisse deletam. Nam si obedientia præstantior est omnibus victimis, piè & rectè agendi optima est regula. Hoc autem horribile est vindictæ Dei signū, dum superstitiosi suis tantùm figmentis dediti, obdurescunt ad brutam feritatem.

Quoties martyres vitam impendunt pro asserenda veritate, suauis est huius sacrificii odor coram Deo: at quum Decii execrabili forma se exitio deuouent, nefandum est sacrilegiũ. Non abs re igitur hac circunstantia populi crimen Propheta exaggerat, quòd peruersum cultũ sequuta sit immanis sæuitia. Nec sine causa exprobrat terram ab illis fuisse pollutã, ex qua veteres incolas Deus profligari iusserat, vt peculiare aliquod haberet cultus sui domicilium. Bis ergo scelerati Israelitæ, qui non modò superstitionibus terram polluendo, sed etiam crudeli mactatione filiorum, Deum iure suo fraudant, & quodammodo frustrantur.

39 *Et coinquinati sunt in operibus suis, & fornicati sunt in studiis suis.*

Et coinquinati sunt in operibus. [a] Vel, Et polluerunt se in operibus suis. [c] Concludit nunc in genere, Iudæos modis omnibus fuisse coinquinatos, vbi in Gentium mores prolapsi sunt: quia in hominum figmentis nihil est præter sordes. Nam opera hominũ vocat fictitios omnes cultus quos sine Dei mandato excogitant: acsi diceret veram sanctitatem cultus Dei ex Verbo manare: quicquid ex seipsis ingerunt homines & admiscent, profanum esse suóq; fœtore inficere Dei cultum. Certè Israelitis propositum erat Deo seruire: sed hoc magno feruore adepti sunt vt Spiritus sanctus pronuntiet pollutionũ suarũ fœtore & scortationibus fuisse Deo abominabiles: quia hæc spiritualis est castitas, verbo Dei prorsus adhærere, 2. Pet. 2.d.11. *Et fornicati sunt in studiis suis.* [m] Q.d. Itaque Israel huiusmodi cultu deorum Gentilium, (quo perinde insaniunt acsi mulier derelicto marito legitimo, alienos viros, spiritu adulterii percita, studiosissimè insequatur) contaminatissimum sese in conspectu Domini Dei sui reddidit, factusque est prorsus pollutus & immundus, qui debebat esse populus sanctus Domino Deo suo.

40 *Et exarsit ira Iehouæ in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam.*

Et exarsit ira Iehouæ. [m] Postquam recẽsuit defectionem populi Israelitici, consequenter adiungit quantum illi calamitatis eam ob causam acciderit. [a] Concitauit in se iram Domini, adeo vt iratus Dominus eos execratus fuerit ac tanquam immundos neglexerit ac proiecerit. [c] Cuius pœnæ atrocitas cõfirmat quod nuper diximus, non fuisse leue delictum quòd populus Dei cultũ adulterare ausus est. Sed populus ipse eo magis insanabilem suam malitiam prodidit, quòd ne sic quidẽ ad veram pœnitentiam reuocatus est. [m] Porro quum Propheta dicit exarsisse iram Domini in populum ipsius, significat perinde irasci Deum populo suo simulachra colẽti, atque maritus irasci solet vxori scortanti. Quod genus iræ & abominationis omnium solet esse vehementissimum. [a] Vide Exodi 20.a.5. *Et abominatus est hæreditatem suam.* Id est populum quem sibi velut in peculium & hæreditatem, relictis omnibus aliis nationibus, selegerat. Non enim potest non abominari idololatriam, in quocunque populo ipsa reperiatur.

41 *Et tradidit illos in manus Gentium, & dominati sunt super eos inimici ipsorum.*

Et tradidit illos in manus Gentium. [m] Id est, in omnem potestatem ac libidinem Gentium. Hoc autem æquissimũ erat ac iustissimum Dei iudicium. Dederat initio Gentes in manus populi sui, vt eas delerent & exterminarent: verùm quoniam gratia ista non sunt vsi, sed contra ipsius sententiam & præceptum Gentes in terra retinuerunt, & fœdera amicitiæ & coniugiorũ cum illis pepigerunt, mutata sententia dedit eos in manu Gẽtium. Quo exemplo docemur, non solùm amittere eos concessam diuinitus gratiã qui illa nõ vtuntur, sed & in contrariã incidere miseriã, calamitatẽ & infœlicitatẽ. *Et dominati sunt super eos inimici ipsorum.* [a] Vel, Dominati sunt eis odio habentes eos. Vel, hostes eorum. [s] Meritò seruiebant duris & iniquis dominis qui commodum iugum Dei sui tam impiè abiecerant.

42 *Et subiugarunt ipsos hostes ipsorum, & afflicti sunt sub manu ipsorum.*

Et subiugarunt eos hostes eorum. [a] Vel, oppresserunt eos. Nam verbum לחץ arctare, opprimere, adfligere & tribulare significat. [m] Ideo nonnulli reddiderũt, Et tribulauerũt eos. [c] Fuit certè horribilis vindicta, quòd populus qui sacra erat & electa hæreditas, expositus fuit Gentium libidini, quæ tamẽ diaboli mancipia erant. Tunc saltem sua scelera detestari debuit, quibus in illas extremas clades proiectus fuerat. Ideo indignitatem auget Propheta, subiugatos & afflictos ab hostibus fuisse dicens, quo turpior sit amentia, talibus probris non vere & ex animo humiliari sub potenti Dei manu. Pridem enim admoniti fuerant a Mose, non fortuitò nec hostium virtute se in duram illam seruitutem esse coniectos: sed quia diuinitus traditi erant & quasi venundati. Fuit autem iustissima vltio, vexandos & opprimendos tyrannis tradi qui Dei iugum recusauerant: & subiici hostibus suis calcãdos qui non sustinuerãt paterno Dei imperio regi. *Et afflicti sunt sub manu ipsorum*[a]. Vel, humiliati sunt. Vel, prostrati sunt. Alii, Et humiliauerunt sub manum suam. Vel, subegerunt eos suæ potestati. [s] Obseruandum hic est, iræ diuinæ argumentum esse, opprimi à tyrannis. Inde orant sancti (vel Paulo iubente. 1. Tim. 2. a. 2) pro principibus, vt quietam ac tranquillam vitã viuere possint in omni pietate & honestate. hoc est, (vt Zacharias vaticinatus est Luc. 1. g. 74.) liberi è manu inimicorum seruire Deo in omni sanctitate & iustitia. [m] Interea notandũ, quũ Deus populũ suũ tradit in manus iniquorũ propter peccata ipsius, nõ hoc agere vt exterminetur ac prorsus perdatur, sed vt ad tẽpus affligatur & humilietur: humiliatos resipiscat, & ad se conuertatur. Hoc quidẽ impii minimè intelligunt, ideo hunc totis serũtus vt piorum nationem deleant. Verùm quoniam hoc præter consilium Dei conantur, nihil efficiunt aliud quàm vt oppressos humilient. (id quod ipsis plurimum cõducit) & seipsos maiori iudicio obnoxios constituant.

43 *Multis vicibus liberauit eos, & ipsi exasperauerunt eum in consiliis suis, & oppressi sunt in iniquitate sua.*

Multis vicibus liberauit eos. [m] Hoc est, populum miserum & captiuum frequenter è manibus hostium per commiserationem eripuit. [c] Sicut impia populi obstinatio prodita fuit, qui ne durissimis quidem flagellis potuit corrigi: ita nunc Propheta sceleratam duritiem ex opposito coarguit, quòd nullis beneficiis flexus est ad obsequium. Pares quidem inter afflictiones sub onere gemuisse: sed vbi Deus non modò pœnas mitigat, sed mirabiliter eos eripit, an excusabilis postea lapsus est? [m] Liber Iudicum testis est quàm frequenter Dominus populũ illum è manibus oppressorum eripuit, & quidem mirabiliter: [a] qui tamen beneficiorum Dei oblitus semper ad ingenium rediit. *Nam & ipsi exasperauerunt eum.* [v] Vel, repugnauerunt. sub. Deo. Alii, rebelles fuerũt. [m] q.d. quoties liberabãtur, toties ad ingenium recurrebant, & suo more Domino Deo suo rebellabant. [a] Vnde maximam fuisse eorum ingratitudinem res ipsa clamat. [c] Meminerimus autem hic in speculo nobis proponi totius humani generis ingenium, quia quum Deus omnes fere vtroque modo reducere in viam tentet, quotusquisque nõ manet idem? Quòd si nos vel flagellis suis cõtundat, vel bonitate emolliat, hoc tantùm momentaneum est: quia statim in eadẽ vitia reuoluimur, dico quantumuis sæpe vel pœnas iteret vel indulgẽtiam. Quod ad Iudæos spectat, intolerabilis certè fuit vecordia & stupor, quòd post tot liberatores non cessarunt à suis defectionib[v]. addit enim Propheta, *Et ipsi exasperauerũt eum in consiliis suis.* [c] Hoc est, prauis suis figmentis Deum irritauerũt. *Et oppressi sunt in iniquitate sua.* [v] Vel, Et humiliati sunt. Et deiecti sunt, vel attriti. Alii, confecti, vel depressi sunt in iniquitate sua. [c] Repetit Vates iustã illis mercedem fuisse solutã, quia in sua iniquitate oppressi sint.

44 *Et vidit quum essent in angustia, audiendo clamorem ipsorum.*

Et vidit quum essent in angustia. [a] Quidam legunt, attamen vidit. [m] Rursus misericordiam Dei in eo celebrat quòd ad conspectum tribulationis populi sui, & auditum eiulatus eorum motus sit commiseratione, ac eorũ gemitus exaudierit, quãuis tot malis essent dignissimi. Vnde colligimus infatigabili bonitate certasse cũ ipsorum malitia. Cuius enim misericordiæ fuit attendere ad eorum clamorem, qui sanæ eius doctrinæ aures clauserant, surdi fuerant ad omnes obiurgationes & minas? Atqui ne hac quidem perseuerantia diabolicum eorũ furorem sanauit.

45 *Et recordatus est erga eos fœderis sui, & pœnituit eum secundum magnitudinem clementiarum suarum.*

Et recordatus est. [s] Habet hic versus causam tantæ beneuolẽtiæ Dei, qua humiliatis & opẽ suã orantibus semper adesse & opẽ ferre dignatus est. Receperat hãc gentẽ semel in populũ suum, ideo eos penitus delere noluit. [s] Interea Vates non tantũ gratuitã veniã notat his verbis: sed peruersam Israelitarũ excitatẽ perstringit, qui talibus remediis ad fœdus, in quo videbant salutem suã positam esse, seducti non sunt. Præcipuè tamen ingratitudinẽ illis exprobrat, quòd quũ digni essent exitio, non agnouerint se Dei clemẽtia seruatos esse. Quod melius cõfirmat secundo membro, dicens, *Et pœnituit eum secundum magnitudinem miserationum suarum.* Nam quum necesse fuerit Deũ explicare ingentes bonitatum suarum thesauros in illis redimẽdis, inde colligitur quid meriti fuerint. Quidam legũt, Et pœnitudine ductus est ob amplitudinẽ miserationum suarum.

pœnitendi verbo non aliqua in ipso Deo mutatio, sed tantùm in pœnis ipsis notatur. Nam Deus, pœnas mitigãdo, vel manũ retrahẽdo ab exequẽdis suis iudiciis, videtur quodãmodo mutare consiliũ. Itaque Scriptura ruditati nostræ se accõmodans, ex sensu nostro loquitur, vt agnoscamus tantam esse vim diuinæ benignitatis & misericordiæ vt quod propositum à Deo & decretum videtur, veluti pœnitentiæ cuiusdam interuentu mutetur, vel saltem mitigetur.

46 *Et dedit eos in misericordias coram omnibus qui captiuos abduxerant eos.*

Et dedit eos in misericordias. Hebraismus, pro, Fecit vt illi qui in captiuitatem eos abduxerant, cum illis summa misericordia agerent. Memorat beneuolentiam Dei, qua captiuos etiã respexit, efficiens vt eorum misererentur qui ipsos captiuos tenebant. Quod ideò videtur memorasse quòd propiùs spectabat ad sortem populi, in qua erat quum hic Psalmus conscriptus est. Inde enim voluit sanctos apud Gentes captiuos seruiẽtésque, ad sperandum in sua captiuitate similem gratiam erigere, donec tempus veniret vt liberati suis sedibus restituerentur, in illis Deum sincera religione culturi, & dignis laudibus celebraturi. Sicuti ergo nuper dixerat Psaltes traditos fuisse Iudæos in manus hostiũ, quia hostes ipsa ira Dei armauerat vt illos sub iugum cogerẽt, ita nunc ab eodem Deo mansuefactos dicit fuisse hostes qui prius eius vindictam diris modis executi fuerunt. Quia ergo Dei manu reguntur corda hominum, vt vel ad sæuitiam inflammet, vel ad humanitatem flectat quoties ita visum est, quandiu exarsit ira eius in populum, hostes quoque ipsi implacabili odio accensi sunt: eo autem placato, non solùm extinctus fuit ignis ille qui ex fornace iudicii eius prodibat, sed crudelitas in misericordiam versa est. Incredibilis enim fuisset illa conuersio vt hostes sæui & truculenti amore complecti & misericordia prosequi inciperent quos prius oderant, nisi Dei prouidentia ex lupis facti fuissent agni. Certè mutationem hanc hostilis ferociæ ex diuina dispensatione esse agnouerunt etiam illi qui inter Gentes habitabant. vnde illud poetæ est, -ponuntque ferocia Pœni Corda, volente Deo.

47 *Serua nos Iehoua Deus noster, & collige nos ex Gentibus ad celebrandum nomen sanctitatis tuæ, ad gloriandum in laude tua.*

Serua nos Iehoua Deus noster. Psalmus hic egregia precatione clauditur, qua Vates non suo tantùm sed & totius populi Israelis nomine petit primùm vt seruentur & eripiantur, è captiuitate videlicet & manu inimicorum: deinde vt colligantur è medio Gentium, & in pristinum fœlicitatis statum restituantur. Vnde apparet, ob id Vatem omnia illa Dei & iudicia & beneficia, quæ recluit, memorasse, vt spem in exilio degentiũ firmaret, si verè resipiscerent, & ad Dominum conuerterentur, sic vt id studẽtes verè se populum Dei præstarent, ita indubiè fore vt ille se indulgentem Deum exhiberet, colligendo eos ex dispersione qua inter Gentes dispersi exulabant, & donando vt liberi rursus in sua terra nomen Dei celebrarent, & laudibus eius intendere possent. Nam ex hac clausula facilè colligimus compositũ fuisse Psalmum sub misera & tristi populi dispersione. Et quanquam non extiterint post Haggæũ & Malachiam insignes Prophetæ in populo illo, probabile est aliquos ex sacerdotibus Spiritu Prophetico fuisse præditos qui tales necessarias cõsolationes populo dictarẽt, ac votis ardẽtibus dicerẽt, *Collige nos ex Gentibus.* sub. in quas dispersi sumus. Certè credibile est, postquã tyrãnide Antiochi dissipatus fuerat iterum populus, præsenti necessitati aptatam fuisse precandi formam, in qua populus veteres historias repetendo, agnosceret innumeris modis prouocatam fuisse à patribus irã Dei ex quo eos redemerat. Oportuit enim verè humiliari populũ, ne Dei castigationi obstreperet. Quum verò indignis pepercisset Deus, spes veniæ in futurum tempus dabatur si ex animo studerent eum sibi reconciliare: præsertim quia hic celebratur memoria fœderis cuius fiducia licebat Deum quanuis offensum inuocare. Quia autem Deus eos elegerat in populũ peculiarem, petunt vt lacera membra restituat in vnum corpus, secundum vaticinium Mosis, Si disiectus fueris ad quatuor mundi plagas, inde ego te colligam, Deut. 30. a. 4. Quod tũ demum impletum fuit vbi multitudo huc & illuc dispersa, in fidei vnitatem coaluit. Etsi enim terrenum regnum & politiam nunquam recuperauit populus ille, fœlicior tamen fuit hæc collectio quòd in corpus Christi insiti, vbicunque agerẽt, sacro & spirituali fidei vinculo inter se & vnà cum Gentibus copulati sunt, vt Ecclesiam vnam in toto orbe diffusam facerent. *Ad celebrandum nomen sanctitatis tuæ.* Vel, vt celebremus nomen sanctitatis tuæ. id est, sanctum tuum. His verbis exprimit quo affectu ipse petat, & populus in misero & calamitoso statu cõstitutus rectum petere debeat vt liberari de medio Gentiũ ad terrã suã colligãtur. hoc videlicet, vt pleno ore & corde exultãte laudes Deo in terra sancta decãtare valeant. Hic enim finis redemptionis erat vt celebrarent Dei nomen, séque exercerẽt in eius laudibus. Vnde admonemur quo potissimũ spectare nos oporteat, dum in tribulationibus constituti Dominum Deum nostrum inuocamus. Huc videlicet vt nomen Dei nostri celebretur. Inuocat & caro, & eripi cupit, verùm nihil aliud respicit quàm vt liberius, cõmodius & pro voto viuere possit. At piorum spiritus spectat non quid sibi commodo, sed quid nomini Dei honori esse possit. Sic docemur à Christo cumprimis dicere, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, Matth. 6. b. 9. *Ad gloriandũ in laude tua.* Vel, Vt laudemus in laude tua. Hebraismus est, Laudare in laude, vel, Laudare laudem: quo significant fideles sibi fore nomen Dei pro laudis materia. Quemadmodum prius dixerant, Vt celebremus nomẽ tuum, vel, Vt cõfiteamur nomini tuo: ita nũc, Ad laudandum laudem tuam. Idest, Vt non gloriemur nisi in te vno, & ita laus tua sit nobis argumentum lætitiæ & cantus.

48 *Benedictus Iehoua Deus Israel à seculo & in seculum: & dicat omnis populus Amen. Halelu-iah.*

Benedictus Iehoua. Addit Vates præconium diuinæ laudis, & vota populi sic temperat, vt inter suos gemitus, calamitosi exules non desinant tamen Deo gratias agere. Quæ circunstãtia diligẽter notãda est: quia vbi rebus aduersis premimur, vix cẽtesimus quisque ad eum accedit: sed fastidiosè precando, vel tumultuosè conquerẽdo superbiam nostram prodimus. Atqui hæc vna erat exorandi Dei ratio, mansueto spiritu nos subiicere eius ferulis, crucem nobis impositam ferendo. Itaque nõ abs re Propheta afflictos exules ad Deum benedicendum hortatur, quanuis eos asperius castiget. Non enim desinit propterea patris officio fungi, & suos amore prosequi. Porro idem est Benedictum esse Deum, atque celebrem & laudatum. *Deus Israel.* Hoc est, Deus ille qui populum Israel velut in peculium & hæreditatem suam elegit: quem etiam vnum Israel colit. *A seculo & in seculum.* Vel, ab æterno & vsque in æternum. Quia nunquam deest celebrandi nominis Dei materia, laudes illius perpetuas esse plusquam æquum est. Hæc est igitur diuinæ laudis summa, vt sit Deus benedictus id est, celebris ac laudatus: idque non in genere tantùm, tanquam totius orbis dominus, sed & specialiter, tanquam Deus Israelis, id est fidelium suorum: in illis, ab illis & propter illos celebretur & laudetur. Deinde vt laus ista non sit temporaria nec transitoria, sed per cuncta secula durans ac sempiterna. *Et dicat omnis populus.* Vel, vt quidam legunt, Et dicet. *Amen.* Hortatur suo exemplo fideles ad celebrandum Dei nomen, acsi iuberet omnes Dei laudibus subscribere, quanuis publicè & priuatim anxiis laboribus confecti iacerent. Cæterùm Psalmus iste finis est libri quarti Psalmorum apud Hebræos, cui etiam apponitur Amen, vt in fine aliorum librorum: de qua dictione dictũ est Suprà, 41. e. 14, & 89. g. 53. *Halelu-Iah.* Hoc est, laudate Dominum. acsi diceret, quotquot ex Dei populo fideles censeri vultis, vos totos laudibus illius addicite, ac iugiter nomen eius sacrosanctum celebrate. Est enim omni laude dignus, & vnicè tremendus.

ARGVMENTVM PSALMI CVII.

Psalmus hic insignem continet Dei prouidentiæ prædicationem. testatur enim cuncta mala diuinitus immitti & tolli. deinde in profanos homines inuehitur qui in tam claris prouidentiæ Dei documentis excutiunt.

Celebrate Iehouam, quia bonus, quia in seculum clementia eius.

Celebrate Iehouam. Primùm hortatur in genere ad laudandum Deum quicunque eius beneficio erepti sunt malis. Quo simul docet ad id nobis mala immitti vt ad opem Dei confugiamus, eámque consecuti, eius bonitatem deprædicemus, quo illa quamplurimi fidant. Constat autem versum hunc primũ non solùm in vsu frequentissimo fuisse Iudæis, sed ita aliis canticis intercalari solitum, vt dum chorus vnus prosequebatur Psalmum aliquem, chorus oppositus alternis vicibus succineret, Celebrate Iehouam, quia bonus, &c. Tritam ergo & celebrẽ sententiam generalis procemii loco hic posuit quisquis fuerit author deinde ad species descendit. *Quia in seculum clementia eius.* Vide expositionem primi versus precedentis Psalmi.

2 *Dicant redempti Iehouæ, quos redemit è manu tribulantis.*

Dicant. Sub. hymnũ, vel laudẽ. Hoc est, prædicẽt quicquid beneficii in ipsos contulerit. Posset hic versus cum primo cõtexi. acsi iuberet Propheta quos alloquitur recitare celebre illud canticũ. Sed nõ minus commodè seorsum legetur, hoc modo, *Redempti Iehouæ*, qui ex captiuitate postliminio reuersi sunt.

prodeant in medium, & suscipiant ipsi suas partes in canendis Dei laudibus, ac narrent quam in sua liberatione experti sunt Dei gratiam. *Redempti Iehouæ.* ^ Vel, qui redimuntur à Domino. ^c Ad gratitudinē primùm hortatur eos qui ex lōginqua & difficili peregrinatione, adeóq. ex seruitute & vinculis domū incolumes reuersi sunt. Tales autē vocat redēptos Dei, quia per deserta & inuias solitudines vagādo, sæpiùs à reditu exclusi essent, nisi Deus, quasi porrecta manu, ducem se illis præbuisset. Quanquam non quoslibet viatores hic designat, sed qui vel hostili impetu, vel alia vi & necessitate in longinquas regiones expulsi, extrema quæque discrimina experti sunt, imò captiui fuerunt apud hostes, vel piratas, vel alios prædones. Admonet igitur non casu fuisse iactatos, nec temere etiam in patriam relatos esse, sed eorū errores gubernatos esse Dei prouidentia. Etsi autem id Iudæis ferè omnibus commune fuit, quibus longinquas profectiones suscipere contigerat: quia terram suam egredi vix poterant quin vndique occurrerent asperæ viæ ac difficiles, plenæque variis periculis: hæc tamen doctrina promiscuè patet ad totum genus humanū. *Quos redemit è manu tribulantis.* ^ Vel, inimici. Quidā, de manu angustiæ. hoc est, de vi angustiæ, de afflictionibus.

3 *Quos collegit ex terris, ab Oriente & Occasu, à Septentrione & Meridie.*

Quos collegit ex terris. ^m Non intelligit erratores in desertis locis in vnum colligi, sed in loca habitationum, ciuitates, pagos, consortium & conuictum mortalium, vbi necessitatibus suis consulere, & vel manere, vel ad destinata loca vlterius proficisci queant. *Ab occidente & occasu.* ^m Hoc addidit Propheta ne de solitudinibus Iudææ duntaxat loqui videretur. ^n Canit autē Dei prouidentia, errantes ab Oriente, Occidente, Aquilone & mari colligi, & ad rectam viam reduci. Hic verò præter diuini auxilii potentiam (qua quæ carni videntur prorsus impossibilia, facillimè consiūt) etiam errantium affectum exprimit: qui dum viam ad loca habitata hominibus amiserunt, putant se in extremis orbis finibus constitutos. *Et meridie.* ^m Quia Hebraicè legitur, Et à mari, quidam de mari Occidentali intelligunt, ideoqs Occidētē bis hoc versu poni existimātes, multa philosophātur. Hebræi putās Meridiē hic prætermissā quòd ea regio propter æstū rarius soleat adiri. ^n Id autē parū firmū videtur, quū in nulla orbis plaga Iudæi plus fuerint negotiati quàm in Ægypto & Arabia fœlice, quæ illis Meridiem spectant. Tum & illud notūm est, mare pro trāsmarinis regionibus poni, quum illæ, si de mari Mediterraneo intelligas, Occidentales sint. ^m Simplicius est igitur vt hic de mari non occidentali, sed meridionali loqui Psalten, atque ita per quatuor orbis plagas, vniuersum orbem complecti intelligamus.

4 *Errarunt à via in deserto, in solitudine, urbem habitationis non inuenerunt:*

Errarunt à uia in deserto, ^n Reducit illis in memoriam quàm sæpe à recto itinere abducti, hospitio caruerint: quod frequenter contingit in locis incultis. imò siquis syluam ingreditur, nisi peritus sit itineris, poterit subitò prædæ esse leonum & luporum. Sed peculiariter eos designat qui deprehensi in locis desertis, etiam ob famem & sitim de vita periclitantur. Certum enim est tales (nisi Dominus succurrat) tantùm vnius horæ spatio à morte distare. *Vrbem habitationis nō inuenerunt.* ^m Hoc in desertis sæpe accidere solet, vt qui per ea proficiscuntur, viam quæ ad loca habitationum perueniant amittant, ideoque miserè errent. Sunt enim loca deserta plerunque arenosa, vnde fit vt arena vi ventorum iit uentorum iactata vias ac semitas obducat, vt viator quo tēdum sit nesciat, adeóque perplexus summa cum molestia oberret. ^v Porrò Vates vrbem habitationis pro vrbe habitata siue habitabili (id est in qua possent habitare) Hebræo idiotismo dixit.

5 *Famelici, etiam sitibundi, ut anima eorum in ipsis deficeret.*

Famelici, etiam sitibundi. ^m Aliam incommoditatem subiicit quæ ex priore nascitur. Solent qui solitudines transeunt, iuxta numerum dierum quibus se in locis desertis futuros indicant, tantum cibi ac potus secum deferre quantum necessitas requirit. Norunt enim nihil alimoniæ reperiri in solitudine. Itaque vbi accidit eos vltra præscriptum dierum omissa via oberrare, consumpto viatico ad famis ac sitis duram & ineuitabilē necessitatē rediguntur. Vnde & illis accidit quod Vates subiūgit, dicens, Vt *anima eorum in ipsis deficeret.* Id quod non solùm de corporalium viriū, sed & de animi defectione, coarctatione, metu & angustia intelligi debet. Iam verò si tanta est vis corporalis famis vt anima propter eam deficiat, quantam oportet esse vim spiritualis famis, per quam non corporis sed animæ vita periclitatur? Licet enim immortalis sit anima, opus tamen habet suo cibo, quo sustentetur, ne etsi non animalem, vetam tamen (spiritualem videlicet) mortem incurrat, quæ est destitutio veræ vitæ, qua in Deo & cum Deo verè ac fœliciter viuitur. ^a Audiamus ergo quid Christus dicat, Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam, Ioh. 6. d. 35.

6 *Et clamauerunt ad Iehouam in angustia sua: ex tribulatione eorum eripuit eos.*

Et clamauerunt ad Iehouam. ^v Vel, Tum clamauerunt ad Iehouam. ^t Memorat vt tales, diffisi omni creaturarum auxilio, ad Deum vociferentur, ac etiam auxilium impetrent. ^o Verba autem præteriti temporis continuum actum hic notant, vt loquuntur grammatici. Sensus est igitur, Qui errant in locis desertis, sæpe, quia hospitium non inueniūt, fame & inedia premi: & quum eos spes deficit, clamare ad Deum. Certum quidē est, Deum multis laborantibus opem ferre, quāuis ad eum sua vota non dirigant. Nec verò Prophetæ tam fuit propositum laudare piorum fidem qui ex animo Deum quærūt, quàm describere communem naturæ affectum. Nam etsi multos ū spes in Deo minimè defixa sit, vbi tamen vrget maior aliqua necessitas, arcano ductu ad Deum trahuntur. Atque hoc modo confessionem illis Deus extorquet, non aliūde quàm ab vno ipso salutem petendam esse. Imò impios, qui Deum alioqui in delicijs & quietè subsannāt, Deus ad nominis sui inuocationē nolentes cogit. Fuit hoc ordinarium omnibus seculis vt profani homines, quibus religio pro fabula est, necessitate coacti ad Deum clamarent. An id per iocum faciunt? Imò arcano naturæ instinctu feruntur ad celebrandum Dei nomen, quod prius ludibrio habuerant. Quòd ergo vt plurimum accidere solet, Propheta hic narrat, homines, quamuis pietate & fide vacuos, & qui putarēt nihil sibi esse cum Deo negotii, si grauiori in discrimina versentur, etiam sine certa meditatione, ad Deū inuocandum natura doce & magistra impelli. Quum autem in rebus dubiis vel deploratis ita ad Deum confugiant, eorum socordiam palam arguit hæc cōfessio, quòd rebus tranquillis Deum negligant, quia ipsos inebriat sua prosperitas: & quanuis insitum sit eorum cordibus religionis semen, nunquam tamen sapere nisi malis coacti. Sapere dicimur, vel meminerint aliquē esse in cœlo Deū. Nec est quòd obiiciat quispiā dicterium illud scurræ veteris. Nam quū templū ingressus tabulas à mercatoribus illic positas spectaret, quibus profitebantur se deorum beneficio ex naufragio ereptos esse, visus est facetè & salsè excipere, Atqui non numerātur eorum mortes qui submersi sunt, quorum innumera est turba. Fictitiis idolis potuit ille fortè sic illudere: sed quanuis centuplo plures mergantur in medio mari quàm salui in portū euadāt, hoc gloriā bonitatis eius nō obscurat, qui sic est misericos vt simul tamē exerceat sua iudicia. Sic de viatoribus per deserta palatis & vagantibus dicendum, si pereunt multi fame & siti, multi vorātur à feris, multi frigore intereunt: nempe totidem iudicii sui spectacula proponit Deus. Vnde colligimus idē omnibus instare, nisi vellet aliquam partem generis humani esse saluam: atque ita medius iudex restandæ misericordiæ suæ causa quosdam seruat, in aliis seueritatem suam ostendit.

7 *Et deduxit eos in uiā rectā, ut uenirent in urbem habitationis.*

Et deduxit eos in uiam rectam. ^v Q. d. Sic eos eripit vt clamantes ad se, voti compotes reddat. Est enim votum eorum nihil aliud quàm vt in viam rectam restitutis, ad loca habitata peruenire, & necessitatibus suis consulere liceat. Porrò non vno modo errantes in viam rectam reducūtur. Hagar ancilla Saræ Angeli ministerio reducta est, Genes. 21. c. 17. Populus Israelis in solitudine constitutus, columnarum ignis & nubis beneficio ductus est, Exodi 13. d. 21. 22. Nonnihil etiam iuuit eos hac in re Iethro socer Mosis, Num. 10. d. 29. Dominus Deus Magos orientales, quum Regem Iudæorum Christum recens natum quærerent, indicio stellæ duxit. Potest etiam instinctu interno, Spiritus sancti afflatu & monitu fieri vt errantium pedes dirigantur, & ad rectam viam reuocentur. In summa, potentissimo illi Regi ac sapiētissimo, cui omnia seruiunt, in prōptu est his atq; aliis rationibus seruare quos seruare constituit. *Vt uenirent in urbē habitationis.* ^a Hoc est, in locum habitabilem & tutum. Vide versum huius Psalmi quartū. ^m Quāquam interdum satius fuerit cum bestiis in solitudine, quàm cum hominibus in bestias transformatis & efferatis, in ciuitatibus quantumuis celebribus degere. Nam & Ieremias optabat, deserto populo suo, habitare in solitudine, eo quòd pessimis sceleribus corrupta esset illius habitatio, Iere. 9. a. 2. Quod tamen anachoretis illis & monachis minimè fauet, quia longè alio quàm Ieremiæ & piorū virorum spiritu ducuntur.

8 *Celebrent coram Iehoua clementiam suam, mirabilia eius coram filiis hominum.*

8 *Celebrēt coram Iehoua clementiam.* ᵛVel, Celebrent ergo Iehouæ misericordiam suam. Vel, gratias agant Iehouæ propter misericordiam eius. ᴹHoc est, agnoscant & grato animo confiteantur Domino quòd per ipsius benignitatem liberati sint ex angustiis, & viam rectam, qua euaderent, inuenerint. Non requirit Vates vt redempti pecudes Deo mactent & sacrificent, sed vt agnoscant & confiteantur sa benignitate Domini seruatos, atq; ita illi sacrificiū laudis & gratiarū actionis offerant. Qua de re plura Suprà, 50.e.14.15.d.23. *Mirabilia eius.* ᶜQuo melius confirmet Dei beneficium, misericordiæ coniungit Dei mirabilia: acsi diceret, in hac gratia magis conspicuam esse Dei gratiam quàm vt latere debeat: & dum tacent qui ita liberati sunt, perfido silentio non aliter suffocare Dei miracula quàm si conentur lumen solis pedibus calcare. Quid enim aliud dicendum? quum naturæ sensus in discrimine ipso ad Deum nos rapiat, vbi statim eius obliuiscimur, quis negabit malitia & ingratitudine nostra eius gloriam obrui?

Coram filiis hominum. ᴹq.d. Deprædicent illi aliis hominibus quāto suos periculo diuinitus liberati sunt: vt fides, inuocatio & cultus veri & vnici Dei in cordibus filiorum hominum plātetur.

9 *Quia satiauit animam concupiscentem, & animam famelicam impleuit bono.*

10 *Habitantes in tenebris & umbra mortis, deuincti angustia & ferro,*

9 *Quia satiauit.* ᴬVel, Quòd satiat. *Animam concupiscentem.* ᵛVel, auidam, desiderantem, anhelam. Idest sitibundam. Alii, inanē. ᴹHoc est, qui cibo & potu famelicos ac sitibūdos implet & satiat. Cæterùm si tāta est Dei benignitas vt in necessitatib⁹ corporalib⁹ succurrat, quāto propēsior est vt idem faciat in spiritualibus? Hinc illud est, Beati qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth.5.a.6.

10 *Habitantes in tenebris.* ᴬVel, vt alii vertunt, Sedentes in tenebris. ᴹHic Psaltes eos alloquitur quos diuina bonitas vinculis & carceribus detentos liberat & eripit, hortatúrque vt & ipsi benignitatem Domini, per quam liberati sunt, agnoscant, confiteantur, & reliquis mortalibus prædicent. ᴮDicit eos sedere in tenebris, & in vmbra mortis: quasi enim mortui luce destituuntur, inclusi obscuro carcere, afflicti prætereà vinculis & compedibus ferreis. *Deuincti angustia.* ᵛVel, vincti afflictione. Vel, constricti afflictione. sub. neruorum. Idest, cōstricti vinculis quibus corpus affligitur. *Et ferro.* ᴬPer ferrum ferreas cōpedes intelligit. Qui sic affligūtur, aut alio quouis modo, Dei prouidentiam reputare debent, & ad eum seriò cōfugere, qui eos quādo & quomodo visum illi fuerit eripere potest. ᴮVocat mundus agitationes istas, ludum fortunæ: & Dei prouidentiæ vix centesimus quisque locum relinquit. Sed aliam prudētiam à nobis exigit Propheta, vt in omnibus rebus aduersis reputemus Dei iudicia, in ipso autem extra bonitatem. Neque enim vel casu incidit quispiam in manus hostiū, vel latronū, vel casu seruatur. Sed tenendum est principium illud, afflictiones, Dei flagella esse, ideoque non alibi quàm in eius gratia esse remedium. Siquis à latronibus vel piratis captus non extemplo iuguletur, tantùm viuit in singula momenta, & quidē sine spe vitæ: itaque eius liberatio documentū est gratiæ Dei, quæ eo clarius effulget quo pauciores euadunt: tantum abest vt eius laudes extinguere debeant multi interitus. Quare eos omnes ingratitudinis damnat Propheta qui tam mirabiliter erepti, paulo post salutem sibi præstitam obliuione inducunt. Et quo eorum crimen melius arguat, iterum contra ipsos, clamores ipsorum testes citat. Nam quum in suis angustiis sine fictione professi sint Deum esse suum liberatorem, qui fit vt in otio & pace notitia hæc euanescat?

11 *Quia rebelles fuerūt verbis Dei, & cōsiliū Excelsi spreuerūt:*

Quia rebelles fuerunt. ᵇCausam prædicti mali & reliquorum omnium canit esse reiectionem & contemptū verbi Dei, quod tabulis cordis omnium inscriptum est. ᶜEt causam hanc notando, falsum illum errorem corrigit, quòd fortuitò res aduersæ contingant. Nam si reputantur Dei iudicia, casui & fortunæ non relinquitur locus. Iam verò donec persuasi sint homines ærumnas diuinitus infligi, nunquam in animum inducent salutem ab eo petere. Porro causæ notatio huc non spectat quasi palàm in foro humano scelerati habeātur de quibus agit Propheta: sed his verbis hortatur afflictos ad examen vitæ suæ habendum: & quamuis nemo eos accuset, vt tamen in seipsos descendant, vbi semper reperiāt malorum causam. Nec simpliciter eos peccasse dicit, sed rebelles fuisse verbo Dei. Quo significat vnam esse bene viuendi regulam, sequi quod Deus præcipit. Qui ergo sic conuicti tenentur, si illis clamorem ad Deū extorquet vltima necessitas, nimis stupidi sunt nisi agnoscāt inopinatam liberationem à Deo esse. Nam ostia chalybea & vectes ferreos nominat amplificandi beneficii causa: acsi diceret vincula perpetuæ seruitutis soluta esse. *Et cōsilium Excelsi spreuerunt.* ᴬIdem dicit, sed aliis verbis. quanquam consilii nomen non abs re eloquiis Dei adiungitur. ᴹNam hinc admonemur, eloquia, præcepta, & mandata Dei habere spiritum, rationē & conditionem consilii diuini. Hoc est, ad id esse mortalibus proposita vt suo ipsorum commodo illis obediant, nō vt Deo aliquid inde vtilitatis accedat. Habent præcepta Dei conformitatem cum præceptis medicorum, quibus non medicis, sed ægrotis seruitur, &, si obediant, consulitur. Sic in qualitate præceptorum & eloquiorum Dei, prouidentiæ illius bonitas & φιλανθρωπία deprehenditur.

12 *Et humiliauit molestia cor ipsorum: afflicti sunt, & nemo adiuuit.*

13 *Clamauerunt ad Iehouam in angustia sua, ex tribulationibus eorum liberauit eos.*

14 *Eripuit eos ex tenebris, & umbra mortis: & vincula eorū disrupit.*

15 *Celebrent coram Iehoua clementiam eius, & mirabilia eius coram filiis hominum.*

16 *Quia contriuit portas æneas, & vectes ferreos confregit.*

Et humiliauit molestia cor ipsorum. ᵛQuidam vertunt, Præterea humiliauit in labore (vel, molestiis) cor ipsorum. *Afflicti sunt.* ᵛVel, Corruerunt sub. in captiuitatem. Vel, cōciderunt. sub animis. *Et nemo adiuuit.* ᴬHoc est, Nemo est qui illis opem ferat, Omni humano auxilio & solatio destituti sunt. Videtur hoc de animi defectione, angustia, humiliatione & contritione intelligendū esse, quæ hoc grauior esse solet quo minus quisquam est qui adiuuet.

13 *Clamauerunt ad Iehouam in angustia.* ᴮQ.d. quum adeo premātur vt nullum ab hominibus auxilium sentiant, vis afflictionum eos cogit ad Deum clamare, qui tandem eos voti compotes reddit. ᴹVide versum sextum.

14 *Eripuit eos ex tenebris.* ᴬVel, Eduxit eos è tenebris. Iisdem verbis vtitur quibus vsus est versu 10. *Et vincula eorū disrupit.* ᵛFuturum Hebræum pro præsenti, aut præterito.

15 *Celebrent coram Iehoua.* ᵛVide versum huius Psalmi octauū.

16 *Quia contriuit portas æneas.* ᵛVel, confregit portas æreas. *Et vectes ferreos confregit.* ᵛHis verbis exornat Dei gratiam, quæ apparet in eorum liberatione qui poterant videri addicti perpetuæ seruituti. Quum ergo illi præter spem exeant, perinde est acsi Dominus virtute sua confringeret portas æneas, & vectes ferreos contereret.

17 *Stulti propter viam transgressionis suæ, & propter iniquitates suas cruciantur.*

Stulti propter viam transgressionis. ᴮDescendit ad aliam castigationis speciem. Nam sicuti nuper dixit captiuos tradi in manus hominum qui se à Dei obsequio emancipant, ita nunc docet morbos diuinitus infligi propter peccata. Vbi autem senserit peccator Dei ferulis se castigari, facilis inde trāsitus erit ad gratiæ notitiam. *Propter viam trāsgressionis.* ᵛVel, præuaricationis suæ. Hebraismus, ob procliuitatē ad scelera, quæ est velut via. Alii exponunt, Stulti propter scelera, &c. Quidā vertunt, Propter viam defectionis suæ. ᴹStultos autem vocat Propheta peccatores, quia vt sapientia est custodire eloquia & consilia Domini, ita stultitia est peccare & iniquè agere. Sic timor Domini, principiū & caput sapientiæ vocatur, Pro.1.a.7. & Infrà 111.b.10. propterea quòd hominem continet in vera obedientia & obseruantia Dei. *Et propter iniquitates suas cruciātur.* ᵛVel, affliguntur. ᶜCaput amentiæ Propheta defectionem ponit: deinde addit iniquitates. quia vbi quis semel à Deo recessit, raptari huc & illuc subinde necesse est, vt non desinat aliud ex alio peccare. Non autem hic de vulgaribus morbis disserit, sed qui lethales prorsus censentur, nec spem vitæ residuam faciunt, quo melius refulgeat liberationis gratia. Nam siquis incommoda valetudine sit leuatus, non ita probè in leui mutatione exprodet Dei manum, quæ se notabili & illustri modo exerit dum semimortuis restituit plenum vigorē. Dicit ergo seruari à multis corruptionib⁹ perinde ac à multis mortibus.

18 *Omnem escam abominatur anima eorum, & appropinquant ad portas mortis.*

19 *Tunc clamant ad Iehouam in tribulatione sua: ex angustiis suis seruat eos.*

Omnem escam abominatur anima. ᵛAd verbum, abominabitur. Futurum pro præsenti, vel præterito, Fastidit, vel fastidiuit. *Anima eorum.* ᵛAnima pro appetitu. *Et appropinquant ad portas mortis.* ᴹHoc est, morti redduntur vicini. ᶜDisertè exponit Propheta se non loqui de morbis communibus. Neque enim spes vitæ esse potest vbi nihil alimenti admittitur: vnde eos morti vicinos esse dicit.

Tunc clamant ad Iehouam. ᴬEt hoc morbi grauitatē significat. Si enim dixim⁹ homines in extremas angustias redactos, clamādo fateri de salute sua actū esse nisi mirabiliter De⁹ succurrat.

[b] Vbi ægrotus sentit se mortis appropinquare portis, nec quicquam superesse spei ex medicis, nihil aliud habet reliquum quàm vt ad Dominum clamet, illiusque misericordiam & opem imploret. *Ex angustiis suis seruat eos.* [b] Iam quartò canit Psaltes clementissimum Dominum exaudire clamorem afflictorum & angustiatorum.

20 *Mittit uerbum suum, & sanat eos, & eripit eos ex omnibus corruptionibus eorum.*

Mittit uerbum suum. [b] Modum liberationis indicat: ac iterum ostendit se de exitialibus morbis agere, qui propè exanimant homines, quum eos dicit liberari à perditionibus. [c] Cæterùm opem Dei opponit omnibus humanis remediis: acsi diceret sola Dei virtute eos reuiuiscere, quia medicum in terra inuenire impossibile erat. Modus quoque sanandi notandus est, quòd scilicet Deus solo nutu vel mãdato morbos omnes mortémque ipsam procul abigat. Neque enim ad fideles restringi debet quod hic dicitur. Verum quidem est, nisi purgentur animæ Dei verbo, corporum sanationem leuis esse momenti: sed Propheta Dei clementiã in reprobis quoque & ingratis vult considerari. Itaque sensus est, Sicuti morbi non influunt casu in homines, vel tantùm ex naturalibus causis proueniunt, sed tanquam Dei apparitores, eius imperium exequuntur: ita eundem ipsum qui percussit, sanare absque vllo negotio: quia sufficit præcipere quid fieri velit. [b] In summa Verbum mittere & sanare, hoc loco nihil aliud est quàm velle & mandare vt sanentur ægrotos. Hinc videtur accepisse Centurio ille vt Domino, quem filium Dei agnouerat, tribueret, verbo posse seruo suo sanitatem restituere, Matthæi 8. a.8. [c] Cæterùm vbi Prophetæ mentem tenuerimus, non malè deinde suo loco conueniet anagoge, Si corporales morbi nonnisi Dei verbo vel imperio sanantur, multo minus animas restitui in vitam nisi per verbum, & quidem fide apprehensũ.

Et eripit eos ex omnibus corruptionibus eorum. [v] Vel, foueis. Vel, sepulchris ipsorum. Id est, morbis quibus erant vicini. Alii, laqueis seu retibus. Alii, perditionibus. Morbos intelligit quibus miseri detinebantur.

21 *Celebrent coram Iehoua misericordiam eius, & mirabilia eius apud filios hominum.*

22 *Et sacrificent sacrificia laudis, & prædicent opera eius cum exultatione.*

23 *Qui descendunt in mare nauibus, negotiantes in aquis magnis.*

21 *Celebrent coram Iehoua misericordiam.* [b] Vel, Confiteantur Domino benignitatem eius. Vide versum huius Psalmi octauũ.

22 *Et sacrificent sacrificia laudis.* [b] Meminit sacrificii laudis, quia perceptis à Deo insignioribus beneficiis, solebant gratias agentes simul sacrificium facere, vt & de Ezechia legimus. De quo Supra 53.b.8. [c] Ad hanc sententiam hanc exegeticè addidit Propheta, quo melius exprimeret fraudari Deum iure suo, nisi hac in parte agnoscitur eius prouidentia. Natura dictat, Deo cultum aliquem deberi, & hoc sine magistro profani quoque homines sentiunt. Et scimus ritum sacrificandi semper in vsu fuisse apud omnes gẽtes: nec dubium est quin illo principio Deus vtaliquo pietatis sensu retinere voluerit humanum genus. Illuc ergo stupidos vel nimis torpentes reuocat Propheta, vera hæc sacrificia esse admonens dum agnoscitur eius beneficẽtia. Alludit quidẽ ad cæremonias legales: sed quia promiscuè in toto mũdo religio sacrificiis colebatur, reos ingratitudinis peragit qui exẽpti ab aliquo periculo, silentio laudẽ Dei sepeliũt.

23 *Qui descendunt in mare.* [v] Vel, descendẽtes in mare nauibus. Hebraismus, pro Qui negotiãtur in mari. Seipsum mox exponit, dicens, *Negotiantes in aquis magnis.* [v] Vel, Qui faciũt opus in aquis magnis. Vel, multis. [b] Ostendit quomodo Deus adesse soleat periclitantibus in mari, [b] vt intelligamus quãtam humani generis curam gerat, dum naufragos in portum adducit non secus acsi è sepulchro in lucẽ eos attolleret. [b] Quod dicit, Qui descendũt in mare, (quum maris vnda tellore sit altior,) intelligendum est sic dici respectu non ipsius æquoris, sed littoris, in quod sanè descendendum est, non ascendendum.

24 *Ipsi uident opera Iehouæ, mirabilia eius in profundo.*

Ipsi uident opera Iehouæ. [v] Præteritum Hebræum pro præsenti, sicut verba sequenti. [b] Hoc quidam exponunt de piscibus illis ingẽtibus, & innumeris bestiis quæ visuntur in mari, & de multiplici miraculorum copia quibus mare refertum est. Verum quidem est ea esse opera Domini, idque admodum mirabilia, & nauigationi assuetos idoneos esse testes operũ Domini (quia maior illic rerũ incredibiliũ copia & varietas offertur quàm in terra) [b] sed Psaltes potiùs de operibus illis & mirabilibus Dei loquitur quæ declarantur & visuntur in tẽpestatibus & commotione, deinde & in sedatione maris. de quibus dicturus est insequẽtibus. Sũma huc redit, Eos qui nauigãt, tẽpestatibus ad viuũ probari, vt ipsa iactatio totidẽ ostẽtet mortes quot fluctos insurgũt. *Mirabilia eius in profundo.* [b] Notãdũ hic quod vẽtũ turbinis, commotionem maris, exaltationẽ fluctuũ, exagitationem nauium, & periclitationem nauigantium Psaltes vocat opera ac mirabilia Dei, ne illa physicis rationibus tribuamus, quasi sine vlla diuina prouidentia, nec miraculosè sed naturaliter tantùm fierent, sed potius vt admirabilem in illis potentiam Dei consideremus & admiremur.

25 *Et dicit, & excitat spiritum procellæ, & in sublime attollit fluctus suos.*

26 *Ascendunt in cælos, descendunt in abyssos: anima eorum in malo dissoluitur.*

27 *Agitantur & nutant tanquam ebrius: & omnis intelligentia absorbetur.*

28 *Et clamant ad Iehouam in angustia sua, & ex tribulationibus eorum educit eos.*

29 *Stare facit procellã in silentio, ut quiescant fluctus ipsorũ:*

30 *Et lætentur quia sedati sunt: & deducit eos ad regionem uoti eorum.*

31 *Celebrent coram Iehoua clemẽtiam eius, & mirabilia apud filios hominum.*

32 *Et extollãt eũ in cœtu populi, & in consessu senũ laudẽt eum.*

25 *Et dicit.* [v] Vel, Dicit nanque. [c] Iam magis graphicè Vates Dei prouidentiam nobis depingit. Vt enim sciamus non spõte mare tumultuari, consultò dicendi verbum vsurpat, significãs Dei prouidentia & imperio ventos ad mare turbandum flare. Verum quidem est nautas ex naturalibus causis tempestates futuras coniicere, sed subitæ mutationes nonnisi ex occulto Dei iussu proueniunt. Non igitur historicè tantùm refert procellas ac turbines surgere: sed quia sustinet personam doctoris, ab ipsa causa incipit.

26 *Ascendunt in cælos.* Exponit periculi magnitudinem, imò quasi mortis imaginem depingit in tabula, quo melius in euentu lætiore Dei gratia refulgeat. Surgunt (inquit) in cœlũ, & descendunt in abyssos, quasi diceret sursum euolare, vt euanescat eorum vita: postea præcipites deorsum ruere ac mergi.

27 *Agitantur & nutant.* [v] Vel, iactantur & nutant. Futurum Hebræum pro præsenti, Tremunt & mouent se. Alii, Vagantur & mouentur. Alii, Exagitantur & nutant. Vel, circumiactantur. [c] Memorat terrores qui nauigantibus mortes continuũt, imò auferunt: significans his verbis, quantumuis periti sint nautæ qui gubernandis nauibus præsunt, excidere tamẽ ab omni intelligentia. Vnde sequitur aliis adminiculis destitui, quorum nullus esset vsus etiamsi ad manum suppeterent. Nam etsi armamenta colligunt, deiiciũt holidem in profundum, flectũt huc vel illuc vela: tamen omnibus tentatis, permittunt tandem se ventis rapiendos vbi ars defecit. desperatio enim nihil relinquit consilii. Itaque vbi nihil apparet solatii in mundo, superest vnus clamor, qui conuincit ipsos similes fuisse mortuis. *Et omnis intelligentia eorum absorbetur.* Vel, Ita vt peritia (vel industria) eorum euanescat.

28 *Et clamant ad Iehouam.* [a] Vel. Tum clamant ad Dominũ. Vide versum sextũ. 29 *Stare facit procellam.* [v] Vel, stare facit turbinem in silentium. Futurum Hebræum pro præsenti, Statuit procellam in quiete. Alii, Sedat turbinem vt sit tranquillitas. Alii paraphrasticè, Et sedata tempestate reddit mare tranquillũ. Nõnulli sic legunt, Procella quæ surrexerat, ad silentium scilicet, cessit. Mare commotum perstrepit: rectè igitur tranquillitatẽ eius per silentium significat. [c] Diceret profanus homo historiam referens, ventos posuisse, & sedatos esse motus: sed Propheta in hac mutatione prouidentiam Dei commendat, significãs nõ fieri humanitus vt tam repẽte cessent violenti impetus maris ac ventorum, quibus videtur labefactari mũdi machina. Quum ergo horribili feruore mare ebullit, vt singulæ quasi guttæ inter se pugnent, vnde mox silentium & quies, nisi quòd vndas, quarum tam formidabilis erat collisio, Deus cohibet, nec secus stare facit aquas quàm si cõglaciatæ essent. *Vt quiescant fluctus ipsorum.* [v] Vel, & silent fluctus ipsorum. Præteritum Hebræum, Et tacent fluctus ipsorum. sub. nautarum, quibus huc illuc iactabantur.

30 *Et lætentur, quia sedati sunt.* [a] Quidã, Tunc lætentur quòd siluerunt. [c] Lætitiam opponit timoribus, vnde pateat ingratitudo, nisi memoriam tam preclaræ liberationis colant. Neque enim magistro indigẽt, postquam & discrimine ipso, & serenitate reddita, satis superque edocti sunt vitã suã sub Dei fuisse manu & custodia. *Et deducit eos ad regionem uoti eorum.* [a] Vel, ad terminum voluntatis eorum. Hebraismum sic reddunt interpretes, ad portum optatum ipsis. Alii, Ad portum in quem est animus eorum.

31 *Celebrent coram Iehoua clementiam.* [a] Vel, Celebrẽt ergo Iehouæ misericordiam suam. Vide versum huius Psalmi octauum

Et extollãt eum in cœtu. [c] Docet hoc beneficii genus esse quod non modò priuatim agnosci vel narrari intra priuatos parie-

tet, sed passim & per celebres conuentus mereatur prædicari. imò addit, *Et in conuentu senum laudent eum.* ^a Vel, Et in cathedra seniorū laudent eū. ^b Et in consessu, vel cōgregatione. ^c Senes disertè ponit, significās, quò quisque maiore pollebit prudentia, ita harum laudum magis idoneum fore auditorem & testem. ^d Præterea coetus senum, consessus est iudiciarius. Refert autem plurimū qua fide erga Deum & animi pietate iudicetur. Vult itaque Spiritus sanctus ve exemplis prouidentiæ Dei iudices palam in ipsorum consessu recitatis, in fide ac religione Dei contineantur. Verùm sic comparati sunt iudices ac senatus inter Christianos hodie, vt siquis de benignitate Dei & operibus illius in ipsorum consessu quicquam commemorare conaretur, mox risu explosus, ad Ecclesiasticū suggestum, vt illic côcionaretur, amandaretur. Vnde etiam non mirum si postremo hoc seculo corrupta sunt omnia iudicia, luxatæ leges, sublata iustitiæ seueritas, & pro iustitia regnat iniquitas. Concilium Iudæorum aures non habebat vt cæcum illū quomodo visus facultatē accepisset narrantem, patienter audirent, sed tantùm vt miraculū calumniarentur, Ioh. 9. e. 36. Imò alias Nicodemū ferre non potuerūt Christi innocentiæ partes quantūuis frigidè tuentem, Iohan. 7. g. 52.

33 *Ponet flumina in desertum, & exitus aquarum in siccitatem.*

Ponet flumina in desertum. ^e Futurum Hebræum pro præterito, vel præsenti. Id est, Fœcundas terras interdum arescere facit. Exéplū declarat sequēti versu. ^f Canit his versibus vt Deus pro suo arbitrio omnia immutet. Terrā maximè irriguā ac inde fructiferā redigit, dū libet, in horrendam solitudinem: & cōtrà arens & vastum desertum in terram insigniter irriguam ac fertilem. ^g Has verò mutationes fortunæ ascribi nimis absurdum esset. Contingit enim fœcundas terras arescere, steriles verò induere nouam naturam. Vnde fit vt sterilescat vna regio, altera verò insolitam pinguedinē acquirat, nisi quia Deus contra illius incolas iudicia sua exercens, benedictionem ab illis suā tollit, hanc verò pascendis famelicis fœcundat? Quod multæ Asiæ & Græciæ partes, quarū olim famosa vbertas fuit, nūc iaceant squalidæ, posset hominū paucitati tribui: sed quum experientia doceat siccari quarundam terrarum pinguedinem, quum aliæ infructuosæ esse incipiant, hic certè Dei prouidentiam, quam extollit Propheta, agnosci necesse est. *Et exitus aquarum in sitim.* ^h Vel, Et scaturigines aquarum in locum sitientem. Alii, Et exitus aquarum in siccitatem. Repetitio est. ^i Nam exitus aquarum & stagna pro agris vel regionibus irriguis posuit, quia continuus humor succum fructuosum suppeditat. Ergo ponere flumina in desertū, & exitus seu scaturigines aquarum in sitim, aliud nihil est quàm clausis ac exiccatis fontibus ac fluuiis, quibus terra irrigabatur, terram irriguam & fertilem perinde reddere aridam, adustam & sitibundam, acsi non terra fertilis sed solitudo quædam esset.

34 *Terram fructiferam in salsuginē, propter malitiam habitantium in ea.*

Terram fructiferam in salsuginem. ^k Id est, in terrā sterilem, nam salsugine terra redditur sterilis. ^l Quanquā ex voce salsuginis est metaphora, quia nihil sale sterilius. Vnde etiā illud Christi, Sal si infatuatus fuerit, ad quid proderit amplius nisi ad sterilitatē quidem. Marci 9. g. 50. Ideo, quum aliquem locū damnare volebāt solitudini, solebant salem spargere, Iudicū 9. f. 45. Ac fieri potest vt Propheta ad morem antiquum alluserit, dicens sale terram aspergi. ^m Hinc discimus quid timendum illis qui loca amœna, irrigua & fertilia incolunt, & quàm non debeant admodum de fœcunditate soli, & amœnitate loci sui gloriari, quum nulla terra adeo sit iucunda aspectu, & ferax frugum, quin instar deserti reddi possit à Domino. Exemplū Sodomæ & Gomorrhæ habeant ob oculos: quæ regio quum, velut paradisus, omnium esset amœnissima, per diuinam vltionē sic est vastata vt perpetuū sit diuini iudicii exemplum. Vide Gen. 13. c. 10, & 19. e. 24. *Propter malitiam habitantiū in ea.* ^n Non certè omittenda hæc particula. non enim sufficit tenere, Dei consilium dominari in his mutationibus, nisi accedat hoc secundum, terrā maledici propter suos incolas, vbi indigni sunt quos Deus liberaliter pascat. ^o Ergo quotiescunque talem aliquam insignē rerum mutationem fieri cernimus, fieri illam a Deo non sine causa cogitemus. Deinde expendamus causam hanc quam Propheta memorat, nimirum hominum malitiā, quam nequit non auersari super bonos ille Deus: ^p qui summa iustitia est. Est enim Deus cui non placet iniquitas, Suprà, 5. a. 5.

35 *Ponit desertum in stagnum aquarū, & terram solitudinis in exitus aquarum.*

Ponit desertum in stagnum. ^q Quidam sic legunt, Contrà ponit desertum. ^r Hæc mutatio priori opposita melius illustrat mirabilem Dei potentiā: quia siquid ex pristina fœcunditate agris decederet, dicerent profani homines quod olim vulgo iactatū fuit terram post frequentes partus quasi effœtā consenescere. Sed vnde locis aridis noua pinguedo, vt videri possit mutatus aeris natura terræ, nisi quòd Deus insigne suæ bonitatis specimē illic proferat? Quare non abs re Propheta dicit conuerti deserta in stagna aquarum, vt in locis vastis & incultis, vbi ne vnum quidem tugurium antè fuerat, surgant populosæ vrbes. Neque enim magis probabile est mutari terræ naturā quàm cursum solis & astrorum. ^s Videmus ergo quomodo Deus ille, rerum conditor, dispensator & moderator omnium, non solùm irrigua & fertilia, sed & arida & sterilia in irrigua & fertilia mutat. hoc est, non solùm punit malos, sed & benefacit bonis. Hæc est eius potentia & bonitas, vt punire & bene facere queat. Quā ob causam de idolis Gentium dicit Propheta, Nec bene facere possūt, nec male: ideo ne timueritis ea, Ierem. 10. a. 5. *In exitus aquarum.* ^t Vel, in scaturigines. Idem aliis verbis dicit.

36 *Et facit illic habitare famelicos, qui ordinant urbem habitationis.*

Et facit illic habitare famelicos. ^a Vel, Et collocat illic famelicos. ^b Hoc duplicem sensum admittit, vel quòd ipsi quoque famelici terræ sterilitati quod longæ inediæ medeatur: vel quòd miseris & vagis hominibus, quos penuria cogit nouū hospitiū quærere, Deus liberaliter subueniat. Sed potius notatur quod vt plurimū fieri solet, nempe famelicos, quibus videtur mūdus negare victū, & quos etiam patria sua euomit (quæ tamen mater erat) cōmodè locari in desertis, vt Dei benedictione illic augescāt. Discamus hic Deū esse collocatorē populorum & gentium, ac diuisorem regionum: siue id ministerio humano, & autoritate regum ac principum, siue alio modo fiat. Quicunque habitantes in regionibus, prouinciis, ac insulis, à Deo sunt illoc ad habitandum collocati. ^d Qua de re vide Act. 17. f. 26. *Qui ordinant urbem habitationis.* ^e Id est, ciuitates habitabiles, aut, quæ habitari possint. ^f Tribuitur hic populo pauperi & famelico quòd vrbes ædificent. Sic accidit frequenter. Humilitas & paupertas ædificant ciuitates: opulentia, superbia & saturitas destruunt ædificatas. Vix dabitur aliqua ciuitas quæ non magis opibus, saturitate & insolentia, quàm paupertate & fame perierit.

37 *Et serunt agros, & plātant vineas, & faciunt fructum prouentus.*

Et serunt agros. ^g Subaudit his verbis nullum illic prius arationis vel culturæ fuisse vsum: ideóque regionem cuius agris data est insolita pinguedo, nouam faciem induere. ^h Hæc itaque qualitas est ciuitatis quam parant pauperes & esurientes, nimirū vt ex ea ciues egrediantur ad serēdum agros, plātandō vineas, & faciendum fructus ex culta terra prouenientes. Hoc genus vitæ maiorum erat, etiam eorū qui magnarum ciuitatū fundamēta iecerunt. Sed hæc magna & laudabilis frugalitas in maximam superbiā ac detestabilem insolentiam degenerauit. *Et faciunt fructū prouentus.* ^i Vel, fructum & prouentū. Nā Hebræi multi grammatici duplicationē esse putant, ac subaudiunt copulam. Verùm Propheta potius fructum annuū designat, acsi diceret non semel nec paucis annis fructum in illis regionibus prouenire, sed fœcunditatem esse perpetuam. [illegible] enim vocant Hebræi fructus annuos, & quos terra quotannis affert. ^k Interea obseruāda est hæc loquutio, qua agricolis serētibus & plātantibus tribuitur quòd fructum faciant. Quanuis enim solus Deus det incrementum, adeo vt qui serit ac plantat nihil sit, (1 Cor. 3. b. 6. 7.) quia tamen hominum ministerio vtitur, & illud suo incremento efficax reddit ac fœcundū, Spiritus sanctus hominibus interdum tribuit quod propriè ei soli Deō competit.

38 *Et benedicit eos, & multiplicātur valde: & animalia eorum non minuit.*

Et benedicit eos. ^l Vel, Benedicitque eis. ^m Addit, nonnisi Dei benedictione fieri vt per continuos progressus locupletentur quos nuper egestas & inopia premebat. ^n Nam benedicere, hoc loco idem est quod benefacere. *Et multiplicantur valde.* ^o Hoc est, Copiosa sobole donantur. Est igitur sobolis multiplicatio ex benedictione Dei, quæ tamē interdū cōtingit impiis, & nonnunquam piis negatur: vt sciamus benedictionem hanc temporalē esse & terrenam, adeóque talem quæ, sicuti & pluuia de cœlis, non solùm bonis sed & malis confertur.

39 *Postea minuuntur, & deiiciuntur præ dolore, malo, & ægritudine.*

Postea minuuntur, & deiiciuntur. ^a Vel, Deinde minuuntur, & humiliantur. *Præ dolore.* ^b Quidam vertunt, à tyrannide. nam & verbum עצר (vnde hoc nomen [illegible] deducitur) dominari significat. Sed quia metaphoricè pro angustia capitur, videtur hic sensus melius congruere. *Malo & ægritudine.* ^c Vel, ab angustia mali & dolore. ^d Quidam legunt, Et decidunt propter imperium tyrannicum, malitiam & afflictionem.

[c] Sed quod ad summam rei pertinet, sicuti antehac descripta nobis fuit quæ terris, quod ad fundos agrorum, contingit mutatio, ita nunc docemur non eodē semper in statu manere homines: quia & numero decrescunt, & bellis, vel intestinis seditionibus, vel aliis incommodis attriti, decidunt ex suo gradu. Ergo siue pestis absumat eorum partem, siue ab hostibus cladem accipiant, siue conficiant seipsos mutuis dissidiis, sæpe alterari eorum cōditio. Vnde autem hoc, nisi quòd Deus gratiam suam subducit, quæ prius erat instar scaturiginis, vnde fluebat prosperitas? [m] Ergo quando iam multiplicati ac ditati homines, facti sunt insolentes & elati, séque totos omnis generis malitiæ & nequitiæ dediderunt, tum viceversa diuinitus diminuuntur & humiliantur.

40 *Effundit contemptum in principes, & errare facit eos in vastitate vbi non est via.*

Effundit contemptum in principes. [v] Id est, reddit ipsos contemptibiles, & spoliat eos sua dignitate. [c] Quum varii sint rerū casus, speciem vnam exprimit Propheta præ aliis notabilem & conspicuam. Namquia in priuatis & obscuris hominibus nō ita expenditur manus Dei, principes ipsos in theatrum producit, quorum nobilitas non patitur latere siquid illis contigit memoratu dignum. Videtur enim mundus in eorum gratiam creatus esse. Ergo dum eos præcipitat Deus è gradu, magis expergefiunt hominum mentes ad considerandum Dei iudicium. Notanda autem loquutio, quum dicit contemptum diuinitus effundi super principes: sicuti rursus, quamdiu tueri vult eos in statu, reuerentiam ipsis conciliat. Nota est sententia Danielis, Terrorem tui ô rex posuit Deus in ipsis a-uibus cœli & bestiis terræ, Dan. 2. f. 37. Et certè quantuis armati sint potentia principes, nihil tamen maiori præsidio est quàm interior dignitas, quæ illis diuinitus insculpta est. Nec aliter ad triduū staret pagus vnus quàm si occulto fræno contineret Deus omnium animos. Ergo vbi contemptibiles Deus principes reddit, necesse est summa quæque imperia labefactari. Atque hoc testantur historiæ, maximos reges, qui formidabiles toti mundo fuerant, postquā dignitate exuti sunt, ludibrio fuisse seruis suis. Sed quum prodigii loco censeri debeat hæc mutatio, facit stupor noster vt Dei prouidentia oculis nostris non occurrat. *Et errare facit eos in vastitate.* [v] Vel, in inani, qua nō est via. q. d. Et tandem regiones eorum ita euertit vt nullū vestigium appareat. Alii, per vasta loca & inuia. Id est, expellit eos ex hominum consortio. [c] Videtur enim Vates innuere defectionem in extremam miseriam exilii, vt iam ii commodè habitandi locum nullum habeant, errantes in desertis & asperis locis, quo sæpe nimirū istiusmodi fugere coguntur. [m] Posset etiam hoc ad animi varios errores referri, vt intelligamus huiusmodi principes nihil consilii ad se tuendū captare posse, sed ebriorum instar in omnibus errare ac impingere. Quæ vtinam probè expenderent qui rerum potiūtur in hoc seculo. [a] Certè plus timoris ac reuerentiæ Dei in illis vigeret si Deum agnoscerent iustum ac seuerum mundanæ insolentiæ vindicē.

41 *Et erigit afflictum à miseria, & statuit eos instar gregis familias.*

Et erigit afflictum à miseria. [a] Vel, attollit afflictum. Quidam legunt, Subleuat autem pauperem ab inopia, vel afflictione. [c] Ex opposito docet Propheta, abiectos & ignobiles extolli, augeri familiis: & qui nullo in pretio erant, opibus & dignitate repente florere. In quo Dei prouidentiam agnoscerent homines nisi cor hebetaret sua prauitas. [m] Hoc ipsum beata Virgo cecinit, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, Luc. 1. e. 52. Et Iacobus ait, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Cap. 4. b. 6. Quin & Christus ipse non semel dixit, Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur, Luc. 14. b. 11. & 18. c. 14. Exemplū esto Dauid & Ioseph. *Et statuit eos instar gregis familias.* [v] Vel, Et ponit eos instar gregis familiās. Hebraismus est, quem quidam sic conuertunt, Efficitque illis familiam instar gregis. Vel, Vt ex eis exeant plurimæ familiæ. Mutatio est numeri, quum dicit eos. sub. pauperes. [m] Expēdamus hic quales familias illis det Deus quos ipse exaltat. Instar ouium (inquit) ponit familias. Vel, instar gregis. Non dicit instar suum, quum tamen sues multiplicentur in greges. Verùm eiusmodi familiæ quæ nihil habēt simplicitatis & placiditatis ouillæ, sed magis immunditiem porcorum referunt, conueniunt magis ad maledictionē quàm benedictionē Dei.

42 *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas obstruet os suum.*

Videbunt recti, & lætabuntur. [v] Quidā vertunt, Vident hæc recti, & lætantur. Alii, Videant recti, & lætentur. Alii, Timebunt recti. [c] Concludit tandem Propheta non excidere iustis tot documenta prouidentiæ Dei: sed quia fide oculati sunt, gaudere tali spectaculo: impios quoq; cōfusos obmutescere. q. d. Has rerum mutationes & hæc insignia diuinæ prouidentiæ documenta eo quo conuenit animo, recto nimirum ac puro considerabunt sancti: reprobi autem ne mutire quidem (vt solent pessimè sibi cōscii malefici) audebūt. [c] Itaq; Propheta alios ab aliis prudenter discernit: quia impii, vtcūque agnoscere cogātur Deum mundi gubernatorem, exæcutiuntur tamen videndo nec aliter proficiūt aspectu quàm quòd redduntur magis inexcusabiles: iusti autem non tantùm iudicio pollent, sed sponte etiam aperiūt oculos ad contemplandam Dei iustitiam, séque oblectant earū notitia nā gaudiū, voluntarii intuitus signum est. *Et omnis iniquitas obstruet os suum.* [v] Vel, Claudet os suū. Vel, Cōtinebit, cōtrahet, obthurabit. [c] Nō intelligit Propheta impios seriò affici, vt verè sentiant diuinitus regi mundum, sed teneri cōstrictos, vt non audeāt negare Dei prouidentiā vt cuperēt, vel saltem refutētur quoties oblatrant. Nam etsi in propatulo sint ipsis Dei iudicia, excæcatæ tamen sunt eorum mentes, ne claram lucem cernant. Loquutio autem hæc plus habet vehementiæ quàm si dixisset obmutescere ipsos impios. Neq; enim obstrepere ipsi desinunt: imò videmus quàm proteruè fidei nostræ insultent, nec dubitent fœdas blasphemias euomere. Verissimum tamen est hoc Prophetæ dictum, Iniquitati os obstrui, quia reipsa quo petulantius ruunt, apertius conuincitur eorum improbitas. Porro lætitia hæc cuius Propheta meminit, inde manat quia nihil ad fidem ædificandam aptius est quàm prouidentiæ Dei cognitio: quoniam ea sublata non minus quisq; apud se æstuabit quàm mundum fortuitò versari finget. Proinde qui hanc doctrinæ partem euertere conantur, filios Dei vero gaudio priuantes, misera inquietudine torquent animos, & ipsis inferos in hoc mūdo fabricant. Quod enim magis horribile tormētum quàm si anxii sine fine trepidemus? Atqui nulla requies donec in Dei prouidentia os recūbere didicerimus. Cæterùm ostendit hæc clausula, quum Deus promiscuè suam bonitatem exhibeat hominibus, paucos tamen ex innumera turba proficere. Vnde sequitur hortatum prius fuisse omnes ad celebrandam Dei bonitatem, quo palam fieret multorum ingratitudo.

43 *Quis sapiens, ut obseruet hæc? & intelligent bonitates Iehouæ.*

Quis sapiens, ut obseruet hæc? [a] Vel, Quis sapiens, & obseruabit hæc? Vel, & custodiet hæc? [c] Significat tūc demum sapere homines vbi studium applicant ad considerationem operum Dei: desipere verò reliquos, & quantumuis callidi appareāt, euanescere tamē in suo acumine, dum clausis oculis prætereūt lucem sibi oblatam. Interrogatione autem obliquà perstringit falsam persuasionem quæ volgò in mundo grassatur, dum audacissimus quisque Dei contemptor se optimè sapere putat. acsi diceret fatuos omnes deprehensum iri qui hac in parte oculati non sunt. Atque eo magis necessaria est hæc admonitio quia videmus quosdam ex summis philosophis adeo fuisse malignos vt nulla in re magis laborauerint quàm in sepelienda Dei prouidentia: vel saltem in excudendis mediis causis, quibus se & alios neglecto Deo affigerent. Aristoteles tam ingenio quàm doctrina maximè excelluit: vt tamen profanus homo erat prauiq; animi, semper hoc habuit propositum vt Dei prouidentiam inuolueret multis vagis speculationibus: imò quicquid perspicaciæ in eum Deus contulerat, sacrilegus ille nebulo ad extinguendā omnem lucem applicuit. Propheta autem non modo Epicureos (quorum crassior fuit fatuitas) amētiæ damnat, sed admonet, in summis illis philosophis magis detestabile fuisse excitatis portentum. Custodiendi verbo docet non sufficere siquis subitò apprehendat Dei opera, sed sedula obseruatione esse opus, quæ maturè concoquat hanc notitiam. itaque continua meditatio requiritur quæ illam penitus animis nostris insculpat. *Et intelligent bonitates Iehouæ.* [v] Vel, aduertent animū ad bonitates. Ad verbū, Et intelligēt misericordias Iehouæ. Numeri mutatio gratia non caret, quum dicit Propheta, Quis sapiens, & intelligent? Nam primò tacitè conqueritur de eorum paucitate qui Dei iudicia obseruāt: acsi diceret, Quotusquisque reperietur verus spectator operū Dei? Postea ostendit versari ante omnium oculos, vt nihil eos impediat præter suā malitiā. Cæterùm siquis roget cur Propheta, vbi de iudiciis Dei & eius seueritate disseruit, nunc tantùm clementias eius attingat: respondendum est, in Dei operibus semper excellere & quasi primatum tenere eius bonitatem: sicuti natura ad beneficentiam propensus est, quo etiam maximè ad se nos allicit. [m] Itaque obseruantia operum Dei hoc facere debet vt benignitas illius intelligatur erga pauperes, egenos, humiles, afflictos &c. ita tamē vt simul iustitia ipsius erga impios, malos, iniquos & superbos consideretur. Et hic

esto verus & legitimus vsus pariter & finis legendi historias, quas Scriptura sacra in cõmunẽ Ecclesiæ ædificationẽ tradit.

ARGVMENTVM PSALMI CVIII.

[a] Ostendit Propheta hoc Psalmo quãto ardore velit Dei laudes voce & organis modulari, [M] idque in medio populorũ & nationum. Deinde regni sui, ac in eo, ceu typo, regni Christi dilatationem & amplitudinem memorat.

1 *Canticum Psalmi Dauidis.*
2 *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam, etiam gloria mea.*
3 *Exurge nablum & cithara: excit. &c.*

Canticum Psalmi. [V] Vide Suprà, 30.

Paratum cor meum, Deus. [V] Vel, Confirmatũ est cor meũ. [A] Hæc fere ad verbũ vsque ad versum septimũ leguntur & Suprà, 57. b.8. ideo superuacuum foret ea repetere quæ illic dicta sunt.

7 *Vt liberentur dilecti tui, serua dextera tua, & exaudi me.*

Vt liberentur dilecti tui. [A] Ab hoc versu vsque ad finem Psalmi eadem leguntur ad verbum Suprà, 60.b.7.

ARGVMENTVM PSALMI CIX.

[c] Postquam Dauid de iniuriis sibi illatis hoc Psalmo conquestus est, magnũ catalogũ imprecationũ vehementissimarũ recenset: quem sequitur precatio cũ testimonio gratitudinis.

1 *Præfecto, Dauidis Psalmus. Deus laudis meæ ne taceas.*

Præfecto Dauidis Psalmus. [V] Vide Suprà, 4.a.1.

Deus laudis meæ. [M] Implorat Dauid hoc versu opem Dei contra inimicos suos, testaturque, neque alium se expetere integritatis suæ vindicẽ quàm Deũ, neque etiam alibi posse vsquã inuenire. Deum enim laudis suæ vocans, licet dãnatus sit totius fere mundi iudiciis, suam tamen integritatem ei commendat. Quidam actiuè accipiũt, acsi Dauid laudum Dei se præconem diceret. Sed eum sensum refellit circunstantia, quia videmus Dauidem iniustia & crudelibus odiis in mundo oppressum ad Dei iudicium refugere. Ac subest tacita antithesis, quia vbi calumniæ prævalẽt, laudem suam & pretiũ nusquam alibi quã apud Deũ obtinet integritas. Sensus ergo est, Domine vtcunque habear pro homine deterrimo, & expositus sim totius mundi infamiæ, tu innocentiæ meæ vindex eris, ac proinde meus laudator. Concinnè etiã respõdet quod addit continuo pòst, *Ne taceas*: quia absurdum esset, vbi improborũ calumniis obruimur, Deum innocẽtiæ nostræ testẽ silere. [A] Porro similis huic Psalmo habes Psalmus 35. [C] Et memoria tenẽdum est quod diximus, de priuatis quas Dauid patiebatur iniuriis sic cum conqueri, vt in sua persona Christum & totũ Ecclesiæ corpus repræsentet. Ergo quamuis omni probrorum genere nos onerent homines, discamus acquiescere in vnius Dei patrocinio. Neque enim puro animo quisquam Deo se cõmittet, nisi qui statuerit apud se spernenda esse mundi probra, modò sibi bene cõscius, Deũ habeat causæ suæ patronum.

2 *Quia os impii & os fraudis super me aperta sunt, locuti sunt super me lingua doli.*

Quia os impii & os fraudis. [V] Quidam legunt, Quia os impii & os dolosi. Vel, os impii, & os doli, vel fraudis. Id est, hominis dolosi, quóve improbus & dolosus vti solent. Q.d. Impii aperuerunt super me os suum, & quidem dolosè. [C] Clarius exprimit Dauid se tam sollicitè implorare Dei opẽ quia nulla inter homines reperiatur æquitas. Etsi autem credibile est tumultuosè oppugnatum fuisse Dauidem, conqueritur tamẽ ora doli vel fraudis cõtra se fuisse aperta, séque linguis fallacibus fuisse circumuentum. Vnde apparet eum specioso colore grauatum fuisse calumniis apud imperitos, vt criminis infamiã non effugeret. [M] Innuit ergo hac querimonia tempestiuũ planè esse vt in impios animaduertat Deus, quia impiè, fraudulẽter, mẽdaciter & odiosè insidias viro innoxio struxerãt, ac eum prorsus opprimere decreuerant. *Super me aperta sunt.* [V] Vel, super me aperuerunt se. sub. delatores. *Lingua doli.* [V] Vel, lingua mendaci. Ad verbum, lingua mendacii. Id est, sermone ficto. [M] Q.d. aliud loquuntur me præsente, aliud me absente.

3 *Et verbis odii circundederunt me, & prœliati sunt mecum sine causa.*

Et verbis odii circundederunt me. [V] Vel, Verbis odiosis. [C] Deplorat se verbis hostilibus obsessum fuisse, quum tamen nihil tale fuerit promeritus. *Et prœliati sunt mecum.* [V] Vel, & pugnauerunt contra me. Vel, & belligerantur mecum frustra. [C] Pulchra similitudine ostendit tantã fuisse virulentiæ copiam in linguis hostium vt durius fuerit obiectus quàm à magno exercitu, & quidem nullo suo merito. Hæc belli species notanda est, qua Deus filios suos vsplurimũ exercet. Nã etsi eos vi aperta oppugnet Satan, vt tamen pater est mendacii, miris calumniarũ artificiis eos deformare tentat, acsi essent fæces & excrementa mundi. *Sine causa.* [V] Vel, gratis, frustra. [M] Videmus hic quomodo innocentiam suã asserat. Sic adscribit hostibus suis odiũ & obtrectationem vt neget se malum cuipiam intulisse. Quo exemplo admonemur quàm non satis sit si queri possimus quòd odio habeamur, nisi & illud adiungere queamus quòd sine causa odio habeamur. [C] Iam sicut in Christo fuit impletũ quod adumbratum fuerat in Dauide, ([M] sicuti habetur Iohan. 15.d.25.) [C] ita meminerimus impleri quotidie in fidelibus *reliquias* passionũ Christi, Coloss.1.d.24. quia semel in se passus, illos sibi consortes ac socios accersit. [A] Vide Rom.8.f.29, &.2. Timoth.2.b.12.

4 *Pro dilectione mea aduersati sunt mihi, & ego ad precem.*

Pro dilectione mea aduersati. [V] Id est, Quum diligam eos. [C] Iam testatus fuerat hostes nulla iniuria lacessitos sibi gratis & tãtũ diabolico furore infestos esse. Idẽ nũc confirmat, seillis amicũ fuisse dicens. Plus autem est diligere quàm abstinere ab omni maleficio. [M] Ergo suam innocentiam asserit Dauid, & hostiũ suorum malitiam vehementer aggrauat, & admodum tam coram Deo quàm coram hominibus detestabilem reddit. [C] Et certè ex hoc loco perspicimus quàm prodigiosi sint Satanæ impulsus, vbi mentes hominum sibi mancipatas tenet. Nihil enim naturæ minus consentaneum quàm odio prosequi & crudeliter infestare qui nos amant. *Et ego ad precem.* [A] Quidam vertunt, Et ego vir orationis eram. [V] Ad verbum, Et ego oratio. Hebraismum sic nonnulli reddunt, Pro illis orabam. Alii, Orationem fundebam pro eis. [C] Intelligunt enim, quamuis hostes irruerent tanto furore, pro ipsis tamen precatũ fuisse Dauidẽ. cui sententiæ respondet quod habuimus Suprà, 35.b.13. Sed simplicior sensus esse videtur, quòd atrociter vexatus nõ applicuerit animum ad illicita media, vt par in referret: sed contentus vnius Dei tutela, se ad eũ contulerit. [A] acsi diceret, Quũ illi me maledictis incesserẽt, dolosísque sermonibus illaqueare peruestigarent, nihil illis mali rependebam, sed ad te pro auxilio orabam, vt me de manibus eorum eriperes. [C] Hoc autem magnæ virtutis est, temperare suis affectibus hominem indignè læsum (quem iniuriæ ad vindictam sollicitant) vt tãtùm prouocet ad Dei iudicium. Nam qui alioqui bene cum bonis agere cupiunt, si cum improbis negotium est, fas sibi esse putant retaliare iniurias: & nemo est piorum qui non sentiat in se hoc tentationis genus. Atqui Spiritus sanctus frænum nobis inicit: atque vt centies sua intemperie nos cogant hostes ad vindictæ desideriũ, violẽtia tamẽ & fraude omni valere iussa, confugiendum esse docet ad preces. Atque hoc suo exemplo præscribit Dauid, his armis pugnandum esse, si modò sub Dei auspiciis vincere cupimus. Similis locus est Suprà, 69, b.13, Loquebantur contra me sedentes in porta, canticum fui bibẽtium siceram: ego verò precationem meam ad te Iehoua. Nam illic quoque ecliptica est loquẽdi forma. Porro his verbis significat Dauid, quamuis totum mundum sibi aduersum experiretur, satis ad tranquillum animi statum fuisse, conlicere sustentas in Deum. [A] Hoc itaque exemplo monemur, quicquid agant hostes, integritati semper studendum esse, & patientia potius vincẽdos aduersarios quàm malum malo rependendũ. [C] Et certè quia non frustra has preces Dauidi Spiritus sanctus & piis omnibus dictauit, quisquis formã hanc sequetur, ne dubitet, prout cõtumeliosè viderit Deus ipsum vexari, ita ad opem ferendam propensum fore. [A] Neque enim frustra ab eo dictum est, Mihi vindictã, & ego rependã, Deut.32. e.35.

5 *Et posuerunt super me malum loco beneficentiæ, & odium pro dilectione mea.*

Et posuerunt super me malum. [A] Vel, Et posuerunt aduersum me malum pro bono. [C] Amori beneficentiam adiungit, significãs externis beneficiis se studuisse de hostibus suis bene mereri. [M] Q.d. Non modò nihil vicariæ beneuolentiæ rependerunt, sed (quod grauius etiã est) odium & malefaciendi studiũ. [A] Sic alibi dicebat, Rependunt mihi malum pro beneficentia in orbitatem animæ meæ, Suprà, 35.b 12. [M] Itaque reproborum ingenium pulchrè hoc loco describitur. Non solùm malefaciunt immeritis, innocentibus & iustis, sed & mala pro bonis repẽdunt: quod extremæ malitiæ notam habet. odio habẽt diligentes, maledicunt benedicentibus, & malefaciunt benefacientibus.

6 *Præfice super eum impium, & aduersarius stet ad dexteram eius.*

Præfice super eũ impiũ. [V] Vel, Constitue super eũ improbũ. [A] Sic

ddauit.

qui vertunt, Constitue contra eum impium. [c] Quum hactenus in plurali numero conquestus sit Dauid de magna turba, nunc quasi hominem vnum designat. [a] precaturq; vt habeat aduersarium semper ad dexteram, à quo nimirum iniurus & contumeliis conficiebatur. [a] Fieri tamen potest vt de singulis quasi de vno loquatur. Quanquam non minus probabile est, odiosius certum aliquem perstringi, qui primatum tenebat inter improbos, & erat illis veluti antesignanus. [r] Qualis erat Doeg, quem scimus perfida delatione non solùm Dauidi, sed piis sacerdotibus perniciem conflasse, 1. Sam. 22. b. 9. (notum est enim Psalmū hunc Iudæ aptari à Petro, Act. 1. d. 20.) sed æquè & fortè melius quadrabit, hanc querimoniam de amico magis familiari intelligere. [m] Principio petit à Deo vt subiiciat illum homini impio, cuius libidini ac violentiæ per omnia sit obnoxius. Addit, *Et aduersarius stet ad dextram eius.* [v] Ad verbum, Et satan. [a] Hoc est, Hostis acerrimus & infensissimus non discedat ab eius latere. [m] Siue de eodem intelligas quē impium vocauit, orans vt super illū constituatur, & aduersus dexterā eius, id est, aduersus vniuersos illius conatus, insurgat, vt eos reprimat & irritos reddat: siue de alio quopiam singulari aduersario, vel homine, vel spiritu malo, nō admodū referre videtur. Orat vt è vicino habeat aduersarium, à quo indesinenter impetatur. [c] Sed priusquā ad alias imprecationes veniamus, operæpretium est tenere quod alibi diximus, Dauidem, quoties diras istas vel maledictionis vota concepit, nec immodico carnis affectu fuisse commotum, nec priuatam causam egisse, nec zelo inconsiderato fuisse accensum. Hæc tria diligēter notanda sunt. Nam vt quisq; seipsum amat, ita suis cōmodis intentus statim prosilit ad vltionem. Ideo vt sibi quisq; priuatim addictus est, intēperanter ad curam priuatæ vtilitatis rapitur. Ex studio priuati commodi oritur alterū vitium. nemo enim pœnā expetit de suis hostibus quia hoc rectum & iustum sit, sed quia odio suo indulget. Prætenditur quidem hic color, sed totus ebulliens cupiditas, sublata æquitatis memoria, animos excæcat. Vbi correcta fuerint hæc duo vitia, nempe priuatus nostri respectus & intemperantia carnis, requiritur etiam tertia moderatio, vt cohibito stulti zeli feruore Spiritum sequamur ducē. Nunc siquis præpostero zelo abreptus exemplum Dauidis obtendat, nihil proficiet. Nam quod Christus respondit discipulis, meritò in eum competet, Nescitis cuius spiritus sitis, Lucæ 9. g. 55. Quo magis detestabile sacrilegium est quòd Psalmum hunc monachi profanant, & maximè Franciscani. Res enim minimè occulta est, siquis hostem capitalē habeat, quem velle perditum, conducere ex illis nebulonibus aliquem qui quotidie Psalmum hunc recitet. Imò in regno Galliæ primaria quædam fœmina, nostra ætate cōductitios ex Franciscanis habuit qui vnigenito filio hac forma imprecarentur. Sed iam redimus ad Dauidem, qui purus omni turbido affectu, vota sua præeunte Spiritu protulit. quia impii, contempto Deo, ad perdendos bonos & simplices grassando, iugum omne excussūt, vt nulla eos modestia retineat, vel æquitas. dignissimi sunt hoc supplicio vt impius super eos dominetur: quia etiam per insidias pestem bonis machinantur, dignissimi sunt quibus subornet Deus aduersarium, qui nunquam discedat ab eorum latere. Tātum à nimia festinatione caueant fideles dum orant, quin potius Dei gratiæ concedāt locum: quia fieri poterit vt qui hodie nos capitaliter odit, cras amicus fiat.

7 *Dum iudicatur, exeat impius, & oratio eius vertatur in peccatum.*

Dum iudicatur, exeat impius. [v] Hebraismus, pro Condemnetur impietatis, siue improbitatis, dū agitur de eius causa. In iudicio non inueniat misericordiæ locum, etiamsi supplex deprecetur. *Et oratio eius vertatur in peccatum.* Id est, reddat illum iudici magis odiosum. Aut, Oratio eius sit frustranea. Id est, patiatur repulsam, nullam veniam sua deprecatione obtineat. [c] Precatur ergo vt in iudicium tractus, sine vlla misericordia plectatur: & quamuis suppliciter petat veniam, Iudex tamen inflexibilis maneat. Posset quidem hoc non incommodè accipi de ipsius Dei iudicio: sed quum humanis iudiciis rectè hoc conueniat, non est quòd à recepta sententia recedamus. Duo igitur membra sunt, vt palam fiant impiorum scelera, ne cuiquam sit absolutioni locus: deinde vt omnis deprecatio repudietur. Exire ergo impium dicit à conspectu iudicis, qui reiectus & conuictus flagitiis quam meritus est damnationis infamiam refert. Quantum ad Dei tribunal spectat, absurdum etiam non esset precationem suam impiis verti in peccatum, quia omnia eorū sacrificia abominationi esse scimus: atq; vt ipsi polluti sunt, ita fœtere quæ videntur in illis speciosæ virtutes. Sed quia de terrenis iudicibus cōtextus melius fluit, in hac parte nō insistimus. Interea hoc nobis cōsiderandum est, si humano iudicio digni sunt impii quorū deprecatio peccati loco habeatur, sic vt quo magis meritas pœnas deprecātur, hoc se detestabiliores reddāt: quomodo putabim' corā supremo Iudice Deo orationes impiorū, sceleratorum ac flagitiosorum, siue pro se, siue pro aliis orent, aliquid efficere posse? & non magis ad hoc facere vt execrabiliores reddantur, irámque Dei magis exacerbent quàm placent? [a] Vide Esa. 1. d. 15. & Ioh. 9. f. 31.

8 *Sint dies eius pauci, & præfecturam eius accipiat alter.*

Sint dies eius pauci. [a] Vel, Fiant dies eius imminuti. Tertiò imprecatur improbo, curtari eius vitam, & spoliari eum dignitate sua. [m] q. d. Fac Domine vt hic immatura morte absorptus plenitudinem dierum suorum non consequatur. [c] Quamlibet multis ærumnis referta sit hæc vita, scimus tamē benedictionis Dei symbolum esse ac testimonium: sicuti Deus sæpe in signum fauoris promittit vitam se prorogaturum hominibus: non quòd in ea subsistere conueniat, sed quia paternus Dei amor in ea gustatur, qui ad spem immortalis vitæ nos deducat. Ex opposito nunc vitæ breuitas in signum maledictionis ponitur. Nam si Deus scelestos è terra quasi violenter rapiēs, indignos esse communi spiritu demonstrat, idem etiam dicendū est quum eos honore abdicās ex alto præcipitat. Verum quidem est hoc idem filiis Dei contingere, quia tam bonis quàm malis promiscuæ sunt temporales pœnæ: sed nunquam adeo cōfusa est permistio quin manifesta Dei iudicia & notatu digna nobis interdū appareāt, nisi prorsus ac spōte cæcutimus. *Præfecturam eius accipiat alter.* [v] Vel, munus eius. Alii, munus sibi cōcreditum. Alii, Functionem eius. [m] innuit hunc hostem suum non fuisse priuatum & vulgarem hominem, sed præfecturæ alicuius munus administrasse, eóque nomine factum esse elatiorem, audaciorem, improbiorem, & insolentiorem, sicuti in aulis principum & aliis magistratuū functionibus fieri solet. Itaque hæc sors est filiorum Dei, electorum & credentium, in hoc mundo, vt capitaliores hostes non habeant quàm eos potissimum qui omnis innocentiæ, pietatis, & iustitiæ amatores ac defensores esse debebant. Sed ea est humani ingenii corruptio, vt quo sublimius euehimur, hoc omnis generis impietati viciniores & magis addicti reddamur. [c] Cæterùm Petrus hūc versum citās, Act. 1. d. 20, dicit oportuisse impleri in Iuda, quia hic scriptum est, Episcopatum eius accipiat alter. Sumit autem principium illud, Dauidem in Christi persona loquutum esse. Quamuis ergo Hebraicum nomen פקדה præfecturam generaliter significet, aptè Petrus de Apostolatu Iudæ exponit. Ac credibile est malitia factum Hebræos interpretes quòd alii hūc hunc locum de vxore, alii de anima (quæ est pretiosum depositum in homine) alii de substantia exponunt. Quorsum enim attinet vocem per se claram & facilē sic torqueri, nisi quis maligne in ea obscuranda sudant, ne locus apposite citatus videatur à Petro? Porro docemur his verbis non esse cur superbiant improbi dum regnant in mundo: quia tandem eos manet exitus quem Spiritus hic denuntiat: & nobis etiā suggeritur optima patientiæ, & consolationis materia, dum audimus, vtcunque in sublime nūc euecti sint, propinquam tamen abdicationē illis instare. [a] Qua de re vide Ester 7. d. 10. & Esa. 22. f. 19. 20.

9 *Sint filii eius pupilli, & vxor eius vidua.*

Sint filii eius pupilli. [a] Quartò iam solitudinem & calamitatē imprecatur vxori, quam orat semper relinqui viduam: & liberis improbi, quos orat depelli suis sedibus, & omni hæreditate paterna, vt mendicando aberrare cogantur, nec inueniant tamen qui ipsis misericordiam exhibeant, eáque calamitate premantur, vt ad vnum omnibus extinctis nomen improbi in vna natione deleatur. [a] Vnde colligitur atrocitas criminis, quia mediocri delicto Spiritus sanctus non denuntiaret tam grauem ac seueram pœnam. [m] Iniquum autem videretur vxori ac liberis viri improbi maledictionē ac diuinā vltionē imprecari, nisi & ipsi sceleribus essent implicati. Est enim omnium aliud, thori coniugalis consortem esse viro impio, (id quod & Abigaeli contigit) & sobolē patris impii, (quod accidit & Ezechiæ piissimo regi:) & aliud consortē esse ac sobolē ipsius impietatis. [a] Sicuti de Anania & Sapphira, Act. 5. a. 5. de Herode & Archelao legimus, Math. 2. d. 22. [m] Nam alioqui scriptum est, Filius nō portabit iniquitatē patris, &c. Ezech. 18. e. 20. Tenēdū est igitur, istos de quibus Dauid loquitur, consortes fuisse impietatis, & similes habuisse labra lactucas. Vnde admonemur, impiam impiorum sobolē non solùm propriæ sed & auitæ ac paternæ impietatis pœnas dare, quando tempus diuinæ vltionis irruit. [a] Ita tamen vt nullus eorum iniuriam sibi fieri meritò queri possit.

10 *Et vagando vagentur filii eius, & mendicent, & quærant è locis suis vastatis.*

Et vagando vagentur filii eius. [m] Imprecatur illis extremam egestatem, qua vagi & mendici reddantur, nec orphani duntaxat sint, sed & necessariis omnibus destituti: quò duplicata

calamitate premantur. *Et mendicent.* [b] Hoc est, perpetuæ sint mendicitati obnoxii. [a] Mendicitas per se mala non est nisi coniunctam habeat impietatem. [m] de hac vide Suprà, 37. c.25. *Et quærant è locis suis vastatis.* [v] Vel, de suis desertis. Vel, de desolatis suis locis. [o] Precatur vt liberi improbi non solùm passim vagando mendicent, sed ea etiam premantur necessitate vt & quum domi sint, in vastatis iam casulis suis cogantur anxiè conquirere vnde viuant: vt ita tam domi quàm foris mendicare eos oporteat. [m] Quidã tamẽ quærendi verbum coniungunt ad præcedens, ac legunt sic, Et mẽdicent, & quærant, victum videlicet, & panem necessarium: eo quòd domus ipsorum vacuæ sint ac desolatæ, vt cogantur vagari passim inter exteros, & mendicando vitam sustentare. [v] Meminit autem locorum vastatorum & desolatorum, quia Deus, vbi honore abdicauit impios, simul etiam vasta & deserta eorum loca relinquit: vt post eorum mortem totus mundus agnoscat percussos fuisse manu Domini. [m] Proinde quoties magnificarum ædium ruinas speculamur, conuenit potius vt exempla diuinæ vltionis consideremus quàm vt insignium ædificiorũ structuras admiremur: & sicubi amplissimas ædes peruerse viuentium adhuc in splendore stantes videremus, cogitemus futurum aliquãdo vt vertãtur in loca desolata ac deserta. [a] Qua de re vide Esa.5.b.8.& Matth.24.a.1.2.

11 *Illaqueet exactor quæcunque sunt illi, & diripiant extranei laborem eius.*

Illaqueet exactor quæcunque sunt illi. [v] Vel, irretiat. Id est, ponat laqueũ, vel rete, & insidietur vniuersis quæ habet. Q.d. Quæcunque eius sunt, veniant quasi in nassas hominis auari & fœneratoris. [c] Hic Dauid bona improbi deuouet atque addicit in prædam. quod ad futuram inopiam filiorum refertur. Neque enim de ignobili & paupere quolibet loquitur, qui moriẽs nihil suis relinquit, sed de eo qui per fas & nefas sibi cumulauit vnde filios locupletaret, nisi raperet Deus ex eius manu male parta spolia. [m] Quod ad fœneratores attinet, notandum est hoc loco, maledictionis genus esse si quis in eorum laqueos incidat: deinde esse illos non benedictionis sed maledictionis ministros, quãtumuis hoc potissimum seculo magnis honoribus potiantur. Notanda est etiam bonorum seculi huius vanitas ac incertitudo: nam bona impiorum summa cura ac indefessis laboribus parta, in alienorum manus sæpissime trãseunt: vt non iniuste dictum sit illud, De male quæsitis non gaudet tertius hæres. Et Propheta alicubi dicit, Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea, &c. Suprà, 39. a.7. [a] Et stulto cuidam diuiti dictum legimus, Hac nocte animam, &c. & quæ congregasti, cuius erunt Luc.12.c.20. [m] Sed de hac vanitate & miseria plura scripsit diuinus ille concionator, Ecclesiast.cap.1.c.14. [a] Væ ergo iis qui secundum Deum diuites nõ sunt, & animum tantùm congerendis opibus intendunt.

12 *Ne sit illi protrahens clementiam: & ne sit qui misereatur pupillorum eius.*

Ne sit illi protrahens clementiam. [v] Vel, extendens misericordiam. Vel, porrigens misericordiam. Id est, Ne sit qui eius misereatur. [c] Protrahere humanitatem vel clementiã, accipiunt Hebræi pro constanter benefacere: aliquando etiam pro misereri, vel ad humanitatem flecti, vbi longo temporis successu mitescit ira, & calamitas etiam animos emollit. Ideo sic quidã exponunt hunc locum, Nequis etiam erga filios sit placabilis. quem sensum confirmat secunda pars versus, *Et ne sit qui misereatur pupillorum eius.* [a] Sic aduersus liberos precatur vt ipsum quoque impium cõplectatur. [c] ac si diceret, Quamuis tabescat ipse diutinis malis, & continuo tractu perueniat vsque ad filios calamitas, nequis tamen tangatur misericordia. Scimus autem vt plurimũ accidere vt crudelibus etiam ingeniis longa miseria inimici vel sympathiam extorqueat, vel obliuionẽ inducat odii & maleuolentiæ. Hic autem Dauid hostem suum vnà cum progenie ita exosum & detestabilem esse cupit vt nullis malis satietur totius populi odium, sed omnes, ac si ferreo essent corde, ad tale spectaculum obdurescant. Tenendum autem est Dauidem non temere ferri priuato suo dolore, sed pronuntiare, quasi ex ore Dei, pœnã impiis repositæ sine pœnæ: sicut etiã inter Dei iudicia Lex recẽset, nempe eũ obdurare corda, ne quid misericordiæ inueniãt qui sine modo fuerunt crudeles, Deut.2.f.30. Nam æquum est eãdem illis mensuram repẽdi qua vsi fuerint erga alios, Matth. 7.a.2, & Iacobi 2.c.13. Admonemur etiam hoc loco ad maledictionem pertinere tale genus amicitiæ, quæ nonnisi in faciem & dum fortuna blandè spirat, sese ostendit, & vltra mortem amici ad posteros eius nõ prorogatur.

13 *Sit posteritas eius in exitium: in generatione altera deleatur nomen eorum.*

Sit posteritas eius in exitium. [b] Orat breui absumi liberos, vt nomen improbi vna generatione deleatur. [c] Atque ita prosequitur quod nuper dicere incepit, vt Deus patrum scelera reiiciat in sinum filiorum. Sunt qui legunt, Nouissimum eius excidatur. Vel, Postremum eius. Ad verbum, Sit postremum eius ad excidendum. Sed certum est Prophetam de improbi posteritate loqui. [m] Q.d. Posteritas eius prorsus ac breui excidatur, nequis ex illa superstes sit qui sequentem ætatem exuperet, sic vt nomen etiam illius deleta posteritate deleatur: dum nemo superest amplius, qui ad ipsum pertinẽs, nominis ipsius memoriam retineat. *In generatione altera deleatur nomen eorum.* [c] Quod iam Dauid pluralem numerum vsurpat, sic potest accipi, quia certamen ei fuit cum tota cohorte Saulis, non autem cum vno tãtùm homine. Cæterùm quia semper in malis actionibus aliquos scimus esse duces & antesignanos, non mirum est ab vno homine ad plures conuerti, deinde ad ipsum eundẽ redire. Quanquã simplicius est ad progeniem eius referri, quia nomen אחרית est collectiuum. Grauior est autem imprecatio quàm altera quæ præcessit. Accidit enim sæpe vt postea resurgat domus quam repentina calamitas euertit. Sed hic cupit Propheta in eam ruinam deiici impios, vt nunquam vires colligant ad recuperandum pristinum statum. Id enim est, nomen eorum deleri in generatione altera, vel post finem seculi.

14 *In memoriam reuocetur iniquitas patrum eius coram Iehoua, & salus matris eius ne deleatur.*

In memoriam reuocetur iniquitas. [a] Quinimò iam, quoniam omnium malorum causæ peccata sunt, orat ne illa improbo vnquam remittantur, imò vt imputẽtur peccata parentum: quæ precatur sẽper Domino esse in oculis. hoc est, iugi vltione in improbo puniri, vt ipse & qui ad eum attinent, penitus exterminentur, ne vlla eius supersit memoria. [c] Est autem hoc ex communi Scripturæ doctrina sumptum: quia sicut prorogat Deus misericordiam suam & continuat erga posteros, quia viget fœderis eius memoria in mille generationes, ita etiã peccata vlciscitur in tertiam & quartam generationem, Exodi 20 a.5. non quòd insontes promiscuè sceleratis inuoluat, sed quia reprobos priuando gratia & luce Spiritus sui, vasa iræ apparat, etiam antequam nascantur, ad interitum, Rom.9.c.12. Ab hac seueritate abhorret communis sensus: sed inde discendum est iniuriam fieri arcanis & incomprehensibilibus Dei iudiciis vbi ea modulo nostro metimur. Ergo hæc tam rigida denuntiatio horrore nos percellat, qui mentes nostras humiliet ad reuerentiam. Quod autem ad dictum Ezechielis spectat, Non portabit filius iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur: (cap.18.d.20) scimus illic refelli iniustas populi querimonias, qui se innoxium iactabat, ideóque præter meritum affligi. Atqui vbi Deus vindictam persequitur à patribus vsque in filios, nullum illis relinquit defensionis locum: quia eodem impietatis fasciculo sunt omnes impliciti. Et iam diximus hoc esse vindictæ initium quòd Deus Spiritũ suum tam à filiis quàm à patribus subducens, vtrosque Satanæ mancipat.

15 *Sint coram Iehoua semper, & deleat è terra memoriam ipsorum.*

Sint coram Iehoua semper. [m] Nempe peccata parentum. Hoc est patris & matris improbi. Q.d. Etiam quũ ad hunc modum excinduntur, nihilo tamen minus maneat super eos indignatio Dei, nec ad gratiam illius admittantur. *Et deleat è terra memoriam ipsorum.* [v] Vel, Et succidat, vt exterminet. Hoc cumulũ habes eius quod Suprà versu 13 dixit, In generatione altera deleatur nomen eorum. [m] quasi dicat, Non solùm nemo superstes ex posteris, in quo nomen ipsorum maneat, sed etiam post excidium posteritatis nulla sit inter reliquos mortales illorum memoria. Sic alibi de impiis dicitur, Vultus Domini contra facientes malum, vt succidat de terra memoriam eorum, Suprà, 34.c.17. [c] Quæri tamen posset, quum optet Propheta semper coram Deo versari peccatum, cur non etiam addat, Nomẽ eorum è cælo deleatur: sed tantùm cupiat excidere ac perire in mundo. Respondemus loquutum esse pro ratione suæ ætatis, quia nondum spirituales pœnæ tam liquidò patefactæ erant: quia nondum aduenerat maturum plenæ reuelationis tempus. Deinde vult Dauid cõspicuam extare Dei vindictam inter homines, vt sentiat totus mundus Deum esse iustum iudicem.

16 *Quia non recordatus est facere clementiam, & persequutus est virum miserum ac pauperem, & afflictum corde, ut interficeret.*

Quia non recordatus est facere. [a] Causam hic reddit cur ita deuoueat improbum, tantisque malis eum dignum iudicet. q.d.

immemor factus est beneuolentiæ meæ, quam erga illum declaraui, vsqueadeo vt non solùm illi mutua humanitate non responderit, sed & sursum per me, verum alioqui afflictum & calamitosum persequutus sit, & necidere quæsierit. Quapropter dignus est quem huiusmodi vltio immissa comprehendat, & prorsus de terra cum posteris suis omnibus excindat. [b] Deus nihil æquè charitate & beneuolentia exigit: quare summa eius indignatione & extremis malis dignus est etiam qui in quēuis iniurius est, & inhumaniter se habet. Iā id plusquem Satanicum est, cum etiam posse affligere & iniuriis afficere qui antea afflictus & calamitosus est, idque nullo suo merito, nempe innocens, & de omnibus bene mereri studens. [c] Docet ergo Propheta nō abs re se hostibus pœnam adeo diram & atrocem imprecari, quia insatiabilis fuerit eorum inhumanitas, & persequuti sint non minori obstinato quàm crudeli furore miserum hominem, acsi canem mortuum impeterent. Nā & philosophi sordidis & seruilibus ingeniis hoc tribuunt, sæuire contra miseros quibus nullæ sunt ad resistendū vires. nam æmulatio est inter pares. Ideóque Propheta malitiam hostium suorum amplificat, quòd persequuti sint miserū & inopem. Magis etiam emphaticum est quod addit, *Et afflictum corde.* Reperiuntur enim miseri qui tamen superbia surgere non desinunt: & quo minus ferendum est tale potentum, eo magis in se prouocant potentum iracundiam. Vbi autem accedit cordis deiectio, signū est extremæ sæuitiæ si quis adhuc insultet. Quid enim hoc aliud est quàm luctari cū vmbris? Porro inexplebilis crudelitas notatur hoc verbo, quòd non recordatus sit facere misericordiam. Significat enim nullis hominis innocui & miseri cladibus fuisse mitigatū, vt saltem memor humanæ sortis feritatē suam exueret. Mutua ergo antithesis respondet inter talem contumaciam & inexorabile Dei iudicium. Iam quum Dauid nōnisi Spiritus impulsu loquutus sit, perinde habenda est hæc imprecatio acsi Deus ipse è cœlesti solio tonaret. Ita ab vna parte vindictam denuntiando, retundit in nobis ac compescit prauos omnes nocendi affectus: ab altera dolorem nostrum temperat, adhibito solatio quo patienter feramus iniurias. Impunè quidem ad tempus exultant impii in sua libidine: sed hæc comminatio ostendit Deum non frustra in tutelam suam recipere miseros. tantùm se sub mansuetudine contineant fideles, vt deiectio cordis eorum in Dei conspectum ascendat. Et quia nondum nobis datum est discernere electos à reprobis, discamus bene precari omnibus qui nobis molesti sunt, optare totius humani generis salutem, pro singulis etiam esse solicitī. Interea hoc non impediet, si modò puri sint nobis & compositi animi, quin liberè prouocemus ad Dei iudicium, vt desperatos omnes male perdat.

17 *Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & non complacitum fuit ei in benedictione, & elongetur ab eo.*

Et dilexit maledictionem. [m] Iam aliam rationem assignat Dauid, ob quam dignus sit improbus qui ad hūc quem diximus modū pereat. Ea sumpta est à summa æquitate. Quid enim magis poterit esse æquum quàm vt malè habeat qui bene noluit: maledictioni subiiciatur qui maledictionē cupidè sectatus est: & benedictione priuetur qui benedictionem studio malo auersatus est. Hoc sēsu dicit, Dilexit maledictionē, & veniat ei. Verba quidem sunt præteriti temporis, Venit ei maledictio, & benedictio elongata est: sed quæ in modum optandi resolui debent. Precatur enim adhuc Dauid retaliari hosti suo quæ aliis intulerat mala. Sicut ergo expers omnis beneficentiæ fuerat, imò quasi in deliciis habuerat maleficia: ita nunc obnoxium vult esse omne genus malis. Quidam tamen diligere maledictionem hoc loco exponunt, data opera in se prouocare vindictam: acsi improbus bellum Deo indicens perniciem sibi accerseret. Sed hoc nimis coactum videtur. Alii maledictionē accipiūt pro imprecationibus ac diris: acsi dixisset execrationibus esse deditum, & nihil præter exitia vel infaustos & aduersos euentus sperare. Quæ expositio repudianda non est, quamuis hoc longius extenditur, Qui lædēdo & nocendo abolere studuerit omnem benedictionem, bonorū autem & simplicium cladibus oblectatus fuerit, talem benedictione meritò priuari. Significat ergo Dauid hostem suum sic addictum fuisse prauitati & iniustitiæ, vt nihil recti vel humani ab eo exprimi potuerit. [m] Interea considerandū est quam sit hoc iudicium Dei omnium iustissimum, quo maledictione perdātur qui maledictionē diligunt, & per omnem vitam sectātur: & benedictione priuētur quàm longissime qui benedictionem beneficio Dei oblatā respuunt. Nemo Dei iudicia incusabit, quibus pereunt impii, si obstinatam hanc peruersitatem aduersus bonitatem Dei declaratam consideret: sed cum Propheta dicturus est, Quòd iudicia tua æquitas Domine, Iustà, 119. 75.

[c] Præterea notandum est, quicquid machinantur improbi, recidere tandem in ipsorum capita, & quo maiore licentia grassantur, sibi accersere quicquid aliis intentant, non secus ac Cæcias flādo nubes accersit. [a] Ne ergo dubitemus quin impii tādem suis ipsorum consiliis quamlibet versutis capiātur, ac miserè pereant. *Et non complacitum fuit in benedictione.* [v] Vel, Neque voluit benedictionē. [a] q.d. totus nequitiæ ac prauitati deditus omnem benedictionem extinxit. *Et elongetur ab eo.* [v] Quidā, Et elōgauit se ab eo. Alii, Ideò lōge recessit ab eo. Rectius per modum optandi resoluitur oratio, vt iam dictum est, q.d. Quia maledictione potius oblectatus est quàm benedictione, ideo longè absit ab eo vt ipse benedicatur ac veræ benedictionis fiat particeps.

18 *Et induatur maledictione quasi vestimento: & veniat, tāquam aque, in penetralia eius, & sicut oleum in ossa eius:*

19 *Sit ei quasi pallium quo operiatur, & cingulum quo semper se accingat.*

Et induatur maledictione. [v] Quidam vertunt, Induit quoque maledictionem sicut vestimētum suum. Quem Hebraismum sic nonnulli exponunt acsi diceret Dauid, hostem suum non minus cupidè appetere maledictionem quàm pretiosum ornamentum. Vel, se ea inuoluere perinde ac vestimento, ossibusque eius ac medullis penitus esse infixum hunc morbum. Alter tamen sensus simplicior est, Dauidem orare vt improbus maledictione induatur, tanquam veste interiore: postea vt ea amiciatur superne, tāquam pallio: postremò vt ea velut cinctorio vndique & perpetuò cingatur: præterea vt ipsum perfluat, sicut solet hausta aqua perfluere interiora hominis. Addit, *Sicut oleum in ossa eius.* [v] Vel, sicut vnguentum. Nam vnguentum etiam ossa penetrat, quum externè membra inunguntur.

Sit ei quasi pallium. [a] Repetit aliis verbis quod dixerat. *Et cingulum quo semper se accingat.* [v] Quidā legunt, Et pro cingulo quo semper accingantur. q.d. Perpetuò adhæreat illi maledictio, ita vt instar cinguli eum constringat. [c] Semper autem tenere conuenit, Dauidem non agere priuatam causam, nec vnum esse quemlibet ex vulgo: ne quis temere in exemplū trahat quod peculiari Spiritus instinctu hic dicit. Nec verò dubiū est, quatenus erat ex communi ordine fidelium, quin regulam charitatis sequutus optauerit omnes esse saluos: sed hic spiritū eius extulit Deus supra omnes respectus humanos, sicuti iracūdia & omni turbida passione eum exuit, vt sancta moderatione & prudentia spiritus reprobum hominem ac perditum deuoueret exitio.

20 *Hoc opus aduersantium mihi à Iehoua, & loquentibus malum super animam meam.*

Hoc opus aduersantium mihi. Vel, Hæc merces. vel, operæpretium. [a] sic enim in Scripturis aliquoties פעלה accipitur. [m] Hoc versu indicat Dauid se non vni tantùm impio suo aduersario, sed & reliquis omnibus hanc iustam à Domino vltionem imprecari, eo quòd sine causa animæ suæ insidiabantur. *A Iehoua.* Hoc disertè exprimit, vt testetur sibi in cœlesti vindice spem esse residuam, quamuis in terra nudatus sit & orbatus humanis subsidiis. *Et loquentibus malum super animam meam.* [v] Hic Loqui pro deliberare, vel consultare, more Hebræorum ponitur. Id est, machinantibus mihi perniciem. Hoc est loqui aduersus animam, machinari mortem homini innoxio. [c] Colligimus autem ex hoc versu non temere ac futiliter hostibus suis maledixisse Dauidem, sed securè pronuntiasse quod dictabat Spiritus. Verum quidem est multos, dum talem fiduciam prætexūt, ad petulantiam nihilominus & intemperiem ruere: sed Dauid quod pro fidei oculo cernebat, quieto etiā affectu protulit (nempe quia pietatem ipse coleret ac Dei manu tegeretur) mercedem hostibus suis esse repositam. Atque hinc colligimus non habuisse respectū ad homines, vt fluctuaret prout mūdum sentiret propitiū vel aduersum, sed in vnum Deū recubuisse. Et certè quisquis ab hominibus pendebit, ad minima quæque incommoda excidet. Itaque sancti viri exemplo, quamuis totus mundus nos destituat, mentes sursum erigere nos cōuenit, & inde vindicem nostrum expectare. Si nos eripere velit per manū hominum, facilè reperiet ministros quibus vtatur: verùm si fidei nostræ probandæ causa terrenis omnib' auxiliis nos exuat, honore suo spoliādus non est donec maturè appareat eius iudiciū, in quo patienter acquiescimus. Cæterùm non solùm piorū occisores, sed & eis aduersantes & aduersus eos malum loquentes, digni sunt maledictione & vltione diuina, etiamsi non efficiant quod verbis conantur. voluntas enim pro facto reputatur, non humano solùm sed & diuino iudicio.

21 *Et tu Iehoua Domine mi fac mecum propter nomen tuum: quia bona clementia tua, eripe me.*

Et tu Iehoua Domine mi. [B] Postquam de hostibus suis conquestus est, ac iustam illis & debitam vltionē prædixit, [B] implorat opem Dei, & suam iterū exponit miseriam. [C] imò postquam Deum sibi proposuit liberatorem, videtur hac occasione se ad precandum animasse: sicuti omnes piæ meditationes quibus sancti fidem suam exercent & confirmant, ad inuocationem nominis Dei eos sollicitant. *Domine mi.* [H] Fidem suam hac appellatione cōfirmat, dum Deum dominum suum vocat, à quo petit eripi. Et sanè quid conuenientius quàm vt seruus dominum suum agnoscat: &, si nomine illius periclitetur, bona cū fiducia opem & auxilium ab illo petat: & vice versa, vt dominus seruū suū agnoscat, cū eo faciat, ipsum tueatur, &, si periclitetur, eripiat? [A] Hac ratione toties Dauid se Dei seruum & vicissim Deum dominum suum serio ac ardenti affectu appellat. *Fac mecum.* [H] Hoc est, Tuere partes meas. Sis mihi à latere adiutor contra inimicos meos. *Propter nomen tuum.* [V] Q. d. Age mecum, non quòd mihi debeas quicquam, sed quoniam tu beneficus es natura: deinde quia vis gratiam tuam celebrari in gratia quam fidelibus præstas. [H] Quisquis ego sum, & quicquid mihi accidat, nomen tuum respice, illius saltem rationem habe. Dignus non sum qui ope tua potiar, dignum tamen est nomen tuum quod à contemptu vindices. *Quia bona clementia tua.* [V] Vel, misericordia tua. Hoc est, quoniam placet tibi nobiscum sic agere, non respectu operum nostrorum, sed tantùm vt misericordiam erga nos tuam exerceas. [C] Hic Dauid nullum obsequium iactat quo promeritus sit auxiliū Dei, nec sua dignitate nititur: sed vnicum sibi asylū statuit in Dei clemētia. Opposuit quidem hostibus suis integritatem, cuius sibi conscius erat: quo magis pateret eorum iniquitas. Sed de compensatione cum Deo non agit: quia alius principium tenet, omnia se debere gratuitæ Dei electioni, & ab ea pendere suam salutem. Atqui si quisquam gloriari potuit propria virtute & meritis, Dauid certè non fuisset vltimus. Adde quòd Christi & totius Ecclesiæ personam sustinuit. Vnde sequitur preces omnes diffluere nisi in Dei clemētia fundatæ sint. Specialis quidem fuit Christi ratio, qui sua iustitia Patrem nobis placauit: sed quia à Dei beneplacito pēdebat quicquid habuit in hominis natura, suo exemplo ad hunc fontem nos deducere voluit. Nobis verò quid agēdum est, quorum integerrimus fateri semper cogetur se multis peccatis esse oneratum? Tantum abest vt Deum sibi vllo iure obstrictum teneat. Restat igitur hoc vnum, quia Deus natura beneficus est, suámque gratiā vult in salute nostra fulgere, quia bona est misericordia eius, vt nos tueatur. Ergo quoties ad Deum accedimus, hæc duo tenenda sunt, opus quidē esse testimonio bonæ conscientiæ: sed nullam esse fingendam dignitatem quæ Deum nobis obstringat, nullum meritum cui debeat mercedēm. Nam si in fluxæ huius & caducæ vitæ conseruatione nomen suum & bonitatē illustret Deus, vbi ad vitam cælestem & æternā venitur, quanto magis cessare debet omnis operum fiducia? Si tantùm mihi in terra vitā prorogat ad breue tempus, hoc modo glorificat nomen suum, se bonum & vltro beneficum esse ostēdēs: quum ergo me ex tyrannide diaboli ereptum adoptat inter filios, Christi sanguine sordes meas purgat, regenerat Spiritu sācto, in corpus Filii sui me inserit, perducit ad cælestem vitam, certè quanto liberalius agit mecum, tāto minus fas est vllum partem laudis mihi vendicare. [A] Quod vtinam probè expenderent qui & merita arrogātes iactant, & miris laudibus liberum hominis arbitrium extollunt.

22 *Quia pauper & inops sum: & cor meum vulneratum est intra me.*

Quia pauper & inops. [V] Vel, miser, afflictus, & egenus. [H] Vox Hebræa אביון significat hominem volentem, appetentem ac desiderantem: quales sunt egeni, quibus quæ necessaria sunt, non suppetunt. Sunt autem afflicti & pauperes ita comparati vt opē & auxilium indesinenter optent, appetant, suspirent, desiderent, ac quærāt, nisi sint mente moti. Rectè ergo Dauid, vbi se afflictum esse dixit, simul & egenum & auxilii cupidum vocauit. [C] atque ita quo sibi fauorem acquirat, miseriam & egestatem suam profert in medium. *Et cor meum vulneratum est intra me.* [C] Quia non sufficeret externa afflictio ad commouendum Dei misericordiam, nisi sublata omni contumacia deiectus esset, iterum asserit cor suum vulneratum esse. [V] Q. d. Ego nō modò graues & atroces iniurias perpessus sum ab hostibus meis, sed tu nosti me intus etiam afflictum esse, ita vt sim ferè exanimis, nisi in te vnum respiciam, & expectem abs te salutem. Ex hoc loco colligimus, primùm corda sanctorum & piorum virorum non aenea esse vel lapidea, vt locum in illis habeat Stoica ἀπάθεια, sed doloribus ac passionibus obnoxia. Deinde Dominum Deum non aliis fore medicum nisi qui verè humiliati ad eū suspirāt, nec obstupescunt in suis malis.

23 *Sicut vmbra dum inclinat, perambulo: excussus sum quasi locusta.*

Sicut vmbra dum inclinat, perambulo. [V] Vel, abeo. Præteritum Hebræum pro præsenti, ambulo. Alii, pertranseo. [A] Duabus aptissimis similitudinib^9 miserum & calamitosum statū suum deplorat. Priore quidem queritur se abire, id est euanescere & dilabi, perinde atque vmbra solet, quum declinat. [C] De hac similitudine aliquid diximus Suprà, 102. c. 12. optimè scilicet hominem afflictum, & quasi semiexanimem, conferri vmbræ vespertinæ. Nam dum sol exoritur, vel altè eminet, non tam facilè perspicitur continua vmbrarum mutatio: sed vbi ad occasum vergit, nullum præterit momentum quo non vmbra ante oculos nostros volitet. Notum est illud Salomonis, Spiritus tristis exsiccat ossa, animus gaudens ætatem floridam facit, Prouerb. 17. d. 22. [A] Qui igitur continuo mœrore afficitur, fieri nequit quin indē deficiat ac absumatur. *Excussus sum.* [V] Vel, (vt quidam per præsens efferunt) Excutior velut locusta. [H] Hoc quidam ita exponunt acsi Propheta diceret se macie corporis similē factum esse locustis, tenuem videlicet ac leuem. [C] Sed potius hac similitudine notatur instabilis conditio. Sicuti enim locustæ hinc inde saltant, ita conqueritur Dauid sibi motoriam fuisse vitam, quum subinde iustæ eū persequutores, nec vllum ei recessum quietum permitterēt. Sicut iam dixit, instar passeris, cui vndique tenduntur laquei ab aucupibus, se coactum fuisse migrare, Suprà, 11. a. 1. In summa autē deplorat miseram suam sortem, quòd nusquam tuta sit statio: imò nullus inter homines reliquus sit locus. Quum verò totius Ecclesiæ effigiem in hoc Psalmo nobis repræsentet, ne miremur si nos quoque Deus exagitat & multa casuum varietate nobis torporē excutit: sicuti Paulus se & alios vocat ἀστατοῦντας 1. Cor. 4. c. 11. quod elogium aliquatenus competat in omnes Dei filios.

24 *Genua mea collapsa sunt præ ieiunio: & caro mea exaruit à pinguedine.*

Genua mea collapsa sunt. [V] Vel, debilitata sunt. Præteritum Hebræum pro præsenti, vacillant, nutant. *Præ ieiunio.* [C] Potest hoc accipi quasi mœroris signū, quòd Dauid, licet victus suppeteret, confecerit tamen se voluntaria inedia, & ieiunio non minus quàm precibus se addixerit. Potest etiam notari fastidium cibi & potus: quia tristib^9 ac mœstis scimus insipida esse alimenta, sicuti vita ipsa tædio est. Siquis ad inopiam referre malit, quia Dauid, dum sæuitiam hostis fugiens se abdit in cauernis ferarum, multam penuriam & esuriem passus est: fruatur ille suo sensu. Videtur tamen hoc signo grauissimum luctum notare, quia mortem ante oculos cernens abhorruerit à cibo & potu. *Et caro mea exaruit à pinguedine.* [V] Vel, Macruit, emaciuit. Id est, Exhausta est à pinguedine, vnde sum illis opprobrio. Ita quidam sequenti versui istum coniungunt. Vel, Macilenta fuit à pinguedine. Id est, Exuit siue deposuit omnē succum. [H] Nonnulli accipiunt pinguedinē pro lautitiis: quasi diceret Dauid se omni delicatiore victu fuisse priuatum. Verùm alter sensus simplicior est, quòd penè inedia succ^9 in ipso defecerit, ita vt nulla fere in ipso esset caro.

25 *Ego autem factus sum opprobrium illis: dum vident me, concutiunt caput suum.*

Ego autem factus sum opprobrium. [D] Auget indignitatē alia circunstantia, quòd ludibrio sit omnibus. sicuti etiam cōquestus est Suprà, 22. b. 7. [H] Videmus itaque tātam esse impiorum malitiam & inhumanitatem erga innocentes ac pios, vt illos non solùm persequantur & affligant, sed & afflictos & miseros irrideant, probrique loco habeāt. Quod posterius priorem malitiam planè superat, imò manifestum habet animi prorsus impii indicium. *Dum vident me.* [V] Futurum Hebræum pro præsenti, vel præterito. [I] Quasi dicat, Quoties me vident, moto capite rident me. De motione capitis in signum ludibrii dictum est Suprà, 22. b. 8. [C] Profectò triste & acerbum est filiis Dei, maledictionem quam Deus Legis suæ trāsgressoribus denuntiat, sentire in sua capita conuerti. Dicit enim Lex contemptoribus, Eris in opprobrium & concussionem capitis, Deut. 28. d. 37. Atque hoc genere tētationis impetitus fuit Dauid: nec tantùm se pro damnato habitum fuisse dicit, sed cū petulanter derisum, nō sine obliqua Dei subsannatione: sicuti solenne est impiis, dum prætexto afflictionum nostrarū cristas erigunt, fidem simul nostram & pietatem incessere: quia Deus miseris non succurrit. [H] Hic itaque nobis cogitādum est, quoties ab impiis deridemur & probris afficimur, nihil euenire nobis quod insolitum sit, & quod nō ante nos pii ferre &

impii inferre consueuerint. [a] quemadmodum variis patrum exemplis Scriptura abundè testatur.

26 *Adiuua me Iehoua Deus mi, saluum me fac secundum clementiam tuam:*

Adiuua me Iehoua. [A] Vel, Auxiliare mihi ô Iehoua. [M] Vbi Dauid de istis questus est, & calamitatem suam recensuit, ad petitionem suam redit, dicens, Adiuua me, &c. [A] Quum enim omni humano auxilio destitutum se videat, agnoscit vnum hoc remedium superesse, vt ad Dei benignitatem, quam toties expertus fuerat, confidenter & infracto animo confugiat. *Saluum me fac, secundum clementiam tuam.* [C] Precationem suam iterat Propheta, sicuti necesse est eo maiore studio contendere & eniti quo pluribus machinis nos oppugnat Satan. Quanuis enim persuasissimos Deum nobis esse propitium, vbi tamen moratur, & suis cauillis nos lacessunt impii, fieri non potest quin se insinuent ac subinde recurrāt variæ dubitationes. Itaque non frustra Dauid ad sustinendos tales insultus clypeum hunc sæpius opponit, Deum pro sua clementia suis in necessitate opem ferre.

27 *Et cognoscant quòd manus tua hæc, quòd tu Iehoua feceris.*

Et cognoscant quòd manus tua. [V] Quid significet hæc loquutio, sequentibus declarat, quum dicit, *Quòd tu Iehoua feceris.* [a] Precatur ergo ita se iuuari vt hostes sentiāt manum Domini esse, [c] atque hoc pacto confusi obmutescant. [M] Q. d. Sic me Domine Deus meus secundum benignitatem tuam luculenter affice ac serua, vt cogantur inimici mei manum tuam & opus tuum, nolint velint, agnoscere. [C] Scimus enim Deum obscurè interdum suis auxiliari: aliquādo autem exerere palā brachiū suum, vt impii, licet claudāt oculos, id sentiāt. Nam sicuti Deo insultauerūt eius hostes, ita vicissim de illis triumphum agere cupit Dei nomine. Neque enim sibi laudē bellicæ virtutis acquirere studet, sed manifestari Dei potentiam, quæ omnem carnem humiliet. Quanquam hæc non solùm de exitu accipi, sed ad ipsam afflictionem extendi potest. Præcipuè tamen salutem suam Dei gratiæ ascribi cupit: quia Dei manum iam fortunæ quàm humanis omnibus mediis opponēs, vult Deum vnum agnosci authorem. Quod diligenter notādum est, quia etsi cupimus omnes manu Dei seruari, vix tamen centesimus quisque scopum illustrandæ Dei gloriæ sibi proponit. Atqui eam pluris esse nobis decebat, quàm propriam salutē, sicuti ordine præcellit. Iam qui impios ipsos conuinci optat, ne Dei manum ignorent, multo magis expendere debet quod in seipso experitur Dei auxilium. Nimis enim præposterum esset obiicere aliis Dei manum, nisi eius cognitio animis nostris insideret. [M] Videmus ergo quo Propheta potissimum petendo auxilium & liberationem respexerit, nempe vt gloria diuini nominis asseceretur, & vt manus Domini cognosceretur. hoc est, manifestum esset liberatum se esse nō suapte industria, sed bonitate ac fide Dei. Vnde piis omnibus cōstare posset nō deserere Deum sperantes in se, sed eos in tempore ex omnibus tribulationibus eripere, & causam esse impios confundendi.

28 *Maledicant ipsi, & tu benedicas: dum surrexerint, pudefient, & seruus tuus lætabitur.*

Maledicent ipsi, & tu ben. [a] Qui hoc legunt in modo optādi, precationē esse volunt: sed Dauid potius post cōcepta vota iā securus de fauore Dei gloriatur, se suis hostibus insultat: acsi diceret, Frustra maledicent mihi, quia tu benedices. Hoc autem modo ostendit se minimè terreri hostium minis, quāuis linguæ virulentia non minus quàm gladio instructi sint ad nocendum. Discamus ergo exemplo Dauidis, ne corda nostra vnquam percellat hostium malitia, improbitas, audacia, robur, & furor, à parte nostra statuere qui instar fumi discutiat omnes eorum conatus. Et certè tunc demum locus datur gratiæ Dei, vbi eius fulgore euanescit quicquid terroris obiectū nobis erat à mundo. Dauid ergo fauore Dei fretus, etiā in medio prælio ἐπινίκιον sibi canit, intrepidè spernēs quicquid moliti fuerāt hostes: quia cōtra Dei benedictionē nō præualebūt. [M] Similem fiduciā diligenter imbibamus, ne maledictis & infestationibus impiorū terreamur, quales quales illi sint, & quocunque nos siua Pōtificiæ, siue Ecclesiasticæ, siue Apostolicæ, siue synodicæ authoritatis prætextu, maledictis suis impetāt: modo pietatem cordis & innocentiæ studium retinentes, diuinæ benedictionis participes perseuerēmus. Nō possunt ab homine efficaciter maledici qui benedicuntur à Domino. Quod & impius ille Balaam agnoscere coactus est (Numer. 23.a.8) hodie verò Papales Episcopi non agnoscunt. *Dum surrexerint, pudefient.* [c] Vel, Quantumuis insurrexerint, pudefient tamen,

Significat his verbis nōdum domitam esse hostium intemperiem, sed patitur eos furere ac proiicere suos impetus, modò ipse opposita Dei manu regatur. [M] Q. d. Agant illi quicquid voluerint, insurgant ac conentur quicquid potuerint nō moror ipsorum malitiam & impios conatus, modò tu mecum facias. [c] Ita sanctus vir se & alios suo exemplo contra omnem mundi superbiam erigit ac confirmat, etiam dum superior videtur esse hostium nostrorum improbitas: hac spe sinē tristitiæ sibi in futurum tēpus promittit. Vnde colligimus, leniter & mansueto animis ferendas esse afflictiones, donec adueniat maturum gaudii tempus. *Et seruus tuus lætabitur.* [M] Significat se non tam quærere vt sibi bene sit quàm vt ratio habeatur gloriæ Dei: quæ eo illustrior redditur quo potētius pii liberātur.

Induentur aduersarij mei opprobrio, & operientur, quasi veste, erubescentia sua.

Induentur aduersarii mei opprobrio. [V] Vel, Ignominia. [M] In eadē gloriatione pergit hoc versu: qui etsi magna insolētia efferri videt improbos, procul tamen extendens fidei intuitum, nō dubitat quin Deus frustretur tandē & eludat eorum conatus. *Et operientur quasi veste.* [A] Vel, amicientur tanquam pallio, erubescentia. [M] Hoc est, Quicquid nunc moliantur & agere cupiant, dubiū tamen non est quin toti ignominia obruantur.

30 *Laudabo Iehouam valde ore meo, & in cœtu magnorum celebrabo eum.*

Laudabo Iehouam valde. [V] Vel, Celebrabo Iehouam valde, vel admodum. [M] Iam votum facit diuinæ laudis, quòd celebrare velit Dominum ore suo, idque non leuiter, sed admodum & impensissimè. [C] Vnde liquet quòd nuper diximus, Dauidem ipsum sancta fidei gloriatione lacessere hostes suos, potius quā precari. Nam quasi votorum compos ad gratitudinē se accingit, & vota laudis publicè nuncupat. *Ore meo.* [C] Non est hic πλεονασμὸς (sicuti falsò quidam putant) sed exprimit se publicè Deo gratias acturum: acsi diceret, Non modò apud me tacito cordis affectu vel priuatim sine testibus expēdam quid Deus mihi contulerit, sed solenni laudis sacrificio palam apud homines testabor quantum eius gratiæ debeam. *In cœtu magnorum.* [V] Vel, multorum. Hoc enim significat aliquando hæc dictio רבים. vt Ester 1.b.8 Q.d. Non tantùm agnoscam Deum salutis meæ authorē, sed faciam vt omnes etiā magni & proceres & magnates meo præconio hoc intelligant. [C] Ergo gratum se fore Deo profitetur, nō in obscuro tantùm angulo, sed maxima populi frequētia, atque inter ipsos proceres. Etsi enim pectus linguam præire debet in celebrandis Dei laudibus, frigoris tamen signum est nisi lingua etiam comes accedat. Oris verò solùm meminit Dauid quia hoc pro cōfesso sentiebat, vanas & friuolas esse laudes quæ in hominum auribus resonant, nisi cor loquatur corā Deo. Ideóque ex intimo cordis affectu erumpit in externam confessionem: sicuti mutuæ ædificationis studiū fideles ad hoc officium stimulare debet: alioqui legitimo honore fraudatur Deus.

31 *Eo quòd stet ad dexteram pauperis, ad seruandum à condemnationibus animam eius.*

Eo quòd stet ad dexteram. [V] Vel, Quia astat. Vel, Quòd astet. Id est, quòd porrigat manum pauperi. [C] Forma hæc est gratiarum actionis, quòd steterit Deus ad dexteram pauperis. Significat autem Dauid, quo tempore visus fuerat Deus, eo neglecto & deserto procul recessisse, semper tamen fuisse propinquum, vt præstò esset ad opem tempestiuè ferendam. Nam certè egestas & afflictio Dauidis speciem quandam reiectionis præbebāt, eo quòd subduceret Deus vel occultaret suam gratiam. Agnoscit tamen Deum sibi, quanuis afflicto & pauperi, semper adfuisse. [M] Ergo innuit Dauid se de Deo prædicaturū quòd egenos & afflictos nō despiciat, sed causam eorum contra impios suscipiat. Sic composuit hæc verba Spiritus sanctus ad consolationem afflictorum & egenorum, ne quispiam in afflictione constitutus animum despondeat. *Ad seruandum à condemnationibus animam eius.* [V] Vel, Vt seruet eum à iudicantibus animam eius. Alii, Vt seruet à iudicibus iniquis animā eius. [C] Desperationem clarius exprimit his verbis, quibus non modò significat cum potentissimis hostibus (nempe rege ipso & proceribus regni) sibi fuisse negotium, sed illos potentia sua confisos, superbè, acsi de vita eius actum foret, tāquam canem mortuum spreuisse. Certè dubium non est quin queratur non modò sæuitia hostium se malè vexatum fuisse, sed probris & contumeliis traductum, quia scimus eorum iniquitatē fuisse oppressum qui dignitate præditi falsum iudicii prætextum iactabant.

ARGVMENTVM PSALMI CX.

[a] David spiritu prophetico percitus vaticinatur tam de regno quàm sacerdotio Christi, [c] quorum vtrunque perpetuum fore affirmat.

PSalmus Davidis.

Psalmus Davidis. [a] Quæ in hoc Psalmo dicuntur, omnia Christo propriè competunt. [a] Et quum de se compositum fuisse testetur, non aliunde quidem nobis quàm ex eius ore petenda est certitudo: verùm vt esset eius authoritas, atque etiā Apostoli testimonium, Paulus ipse clamat se non aliam expositionem admittere. Nam vt nobis certamen sit cum pervicacissimis quibusque Iudæis, firmis rationibus extorquebimus, neque in Davidem, neque in alium quempiam (excepto solo Mediatore) competere quæ hic dicuntur. Verum quidem est in Davidis persona adumbratā fuisse regni Christi effigiem: sed neque de se neque de vllis successoribus asserere potuit, regem late dominaturum qui simul sacerdos esset, non legalis, sed secundum ordinem Melchisedec, & quidem æternus. Neque enim nova & insolita sacerdotii dignitas erigi tunc potuit nisi ablato a Leuitis honore. Nec verò in hominem mortalem competere potuit æternitas cuius hic fit mētio: quia aliis, præter hunc vnum, brevi & fluxo vitæ curriculo statim honor finitur. Cæterùm quia fusius hæc suo loco mox tractāda erunt, nunc paucis attigisse sufficiat.

Dixit Iehoua domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.

Dixit Iehoua domino meo. [v] Vel, Dictum Iehouæ. Sermo Iehouæ. sub. erat. Id est, Dicet Iehoua. Prophetia enim est de futuro per præteritum tempus, more Prophetarum, qui etiam hac dictione frequenter vtuntur. [m] Scimus Iudæorū Rabbinos, qui post Christi tempora scripserunt, vt se ipsi luce veritatis priuarent, præsentem Psalmum nō ad Christum, sed alios ad Abrahamum, alios ad Davidem retulisse. Nobis verò, qui Servatoris nostri testimonium amplexi sumus, extra dubium est, Davidem hoc Psalmo Spiritus sancti impulsu de Christo prophetasse. [m] Posset quidem Davidis personæ aliquatenus congruere quod hic dicitur: quia neque temere solium ipse conscendit, neque illuc penetrauit malis artib[us], neque euectus fuit stultis suffragiis: sed Dei mandato regnauit. Imò de cunctis mundi regibus meritò dici posset, diuinitus locatos esse in suo solio: quia cælesti decreto distincti sunt mundi ordines, nec est potestas nisi à Deo, Rom. 13. a. 1. Atqui David regnū de quo nunc disserit, ab aliis omnibus voluit distinguere, sicuti etiam peculiaris fuit eius ratio. Instruit quidem Deus potestate reges, sed non sanctificantur sicut David, vt eius sacra vnctio tanquam Christi vicarios insigniat. Vidimus quidē vocari Deos Suprà, 82. a. 1. b. 6, quia & Dei placito locum occupant, & eius personā quodammodo sustinent, quia penes eum solum est omnis dominatio: sed illis deest sacra maiestas, qua excelluit David, vt esset vnigeniti Filii Dei imago. Adde quòd meritò prædicat sibi aliter datū fuisse regnum quàm aliis regibus terrenis, qui tametsi præfantur se gratia Dei regnare, se tamen Dei manu sustineri minime intus reputant: quin potius vel propria industria se regnare fingunt, vel hæreditario iure, vel fortunæ beneficio: ideòque ipsorum respectu vt plurimum legitima nō est vocatio. Et quia acceptum illi non referunt quod debent, propriè ad eos non dirigitur mandatū Dei. David autem, qui sibi probè conscius erat diuinæ electionis, séque modestè continuerat in priuato gradu, donec voce Dei regnare iussus esset, non abs re à communi grege se eximit: acsi diceret Deum sibi esse regnādi authorem. Cæterùm ne Davidi quidem posse hoc omni ex parte aptari, patet ex Christi responso, quod legitur Matth. 22. d. 44. Nec est quòd obstrepant Iudæi, cauillo vsum fuisse Christum, quia non suo nomine loquatur David, sed populi. Hanc exceptionem refellere promptum est. quāuis enim fatēdum sit, in communem vsum Ecclesiæ compositum fuisse Psalmum: quia tamen ipse quoque David vnus fuit ex piorum numero, & membrum corporis sub capite, se inde eximere nō potuit. imò non potuit canticum aliis dictare quin sua etiam voce simul cōcineret. Operæpretium quoque est aliud notare. Principium enim vel ἀξίωμα pro confesso sumit quod tunc receptum erat, nempe Davidem locutum esse Spiritu prophetico, atque ita de futuro Christi regno vaticinatum esse. Hoc posito, haud dubiè colligitur ad Christum respicere qui postea manifestandus erat: quia summum est & vnicum Ecclesiæ caput: ([a] sicuti docet Paulus Eph. 1. d. 22, & 4. d. 15.) [c] Vnde etiā sequitur aliquid humana natura præstantius in Christo esse, cuius respectu vocatur Davidis patris sui dominus. *Sede à dextris meis.* [v] Vel, ad dexteram meam. Hoc est, obtine imperiū. Vel, Secundum à me potentiæ & imperii gradum obtine. [a] Vel, Regna & dominare super omnia. Quibus enim datur, regibus ad dexteram sedere, illi proxima ab ipsis dignitate & potestate pollent. Inde quum Salomon vellet matrem honorare, collocavit eam sibi ad dexterā, 1. Reg. 2. c. 19. [c] Hoc itaque cōfirmat quod modò diximus, aliquid esse in Christo, homine præstantius. Etsi enim terreni reges aliquatenus sedent ad dexteram Dei, cuius nomine præsidēt: hic tamē sublimius aliquid exprimitur, nempe regem vnum peculiariter eligi, qui secundum à Deo potētiæ & imperii gradum obtineat: cuius dignitatis exigua tantum scintilla emicuit in Davide, perfecta autem claritas emicuit in Christo. Nā quum dextera Dei longè supra Angelos emineat, sequitur omnibus creaturis præferri qui illic locatur. Porro non dicemus Angelos, vt Davidi subiicerentur, in ordinem fuisse coactos. Quid ergo superest nisi vt Spiritu prophetico supra cælestes principat[us] in sublime collatur Christi solium? Est autem similitudo ab hominibus sumpta: quia sicut in mundo ad dexteram regis sedet qui est ab eo secundus, ita Filius, per cuius manum Pater totum mundum regit, metaphoricè summo imperio ornatur per hanc sessionem. [m] Neque enim hoc loco imaginari licet quòd Deus Pater sedeat in cælo ad formam regum, solio sublimis eburneo, habeátque Christum primogenitum suum sedentem ad dexteram. Forma hæc terreni regni, non cælestis, & hominum mortalium est, nō Dei incomprehensibilis. Loquitur quidem sacra scriptura hominibus de rebus cælestibus ac diuinis more humano, tribuēs Deo oculos, aures, manus, pedes, sedem, scabellum, & alia consimilia: (non enim aliter hominibus loqui potest) verùm res ipsæ non sunt humanis rebus cōsimiles, sed planè diuinæ in se & spirituales. [a] Proinde nihil aliud hac loquendi forma Vates significare voluit quàm Christum super omnia regnaturū: [a] acsi Deus Pater filio suo vnigenito diceret, Regna super omnia, primàque potentia esto præditus, cui se genua cuncta flectant, quémque omnis lingua dominum confiteatur, Philip. 2. b. 10. Hæc Christi sublimitas & gloria, à resurrectione & euectione in cælos orbi primùm reuelata est: ideo scribitur tantùm à dextris Dei consedisse quum cælos conscendit, Marc. 16. d. 19. & Ephes. 1. d. 20. vbi etiam Paulus abūdè exponit quid sit Christum ad dexteram Patris sedere. [m] Vide etiam Hebr. 1. d. 13, & 10. c. 12, & Act. 2. e. 34. *Donec ponam inimicos tuos.* [a] Quia plurimum facit ad gloriam regni vt inimici regis humilientur, & ad scabellum vsque pedum eius subiiciantur, prædicit Spiritus Sanctus per os Davidis, omnes Christi hostes victos fore: adeo vt quantuis vndique ad turbandum Christi regnū tumultuentur, Christus tamen ipse superior futurus sit omnibus obstaculis. Interea subindicat tranquillum non fore Christi regnum donec multos & varios hostes subegerit. Ergo quantuis machinas admoueat totus mundus ad labefactandum Christi solium, dicit tamen David staturum esse in sua firmitate: & quicunque contrà insurrexerint, tandem sternendos. Teneamus ergo, quantuis innumeri hostes contra filium Dei conspirent, ac regnū eius conentur euertere, nihil tamen profecturos: quia non præualebunt aduersus Dei immutabile decretum, quin potius immensa Dei virtute sternentur sub pedibus Christi. Iam quia ante diem nouissimū hæc prophetia non implebitur, necesse est vsque ad finem mundi à variis hostibus subinde oppugnari Christi regnum: sicuti paulo post iterum dicetur, Dominare in medio inimicorum tuorum, versu huius Psalmi secundo. [a] Porro hostes Christi sunt quicūque ex Deo nati non sunt, & inde vt Patrem ita ipsum perpetuò oderunt. Hi sunt qui dicunt, Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. b. 14. Reliqui enim omnes vt ante conditum mundum in hoc electi sunt vt filii Dei sint, ita dum eum nondū regem suum agnoscunt, vocantur quidē immorigeri filii, oues errātes, peccatores: at hostes Christi non vocantur. Impiè ergo hinc noui Origenistæ colligunt vniuersos seruādos: quos etenim Christus seruat, eos mensæ suæ adhibebit conuiuas in regno Patris, non habebit scabellum pedum. [c] Itaque particula donec non significat quid futurū sit post vltimam stragē hostium Christi. Dicit quidem Paulus traditurū tunc Deo & Patri regnum quod accepit ex eius manu, 1. Cor. 15. c. 24: sed his verbis non intelligit, deposito imperio quasi priuatum hominem fore: tantùm regnandi modum designat, quòd scilicet diuina eius maiestas magis conspicua erit. [m] Dominus Deus sic per Esaiam loquitur, Vsque ad senectā ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, Esa. 46. a. 4. Ex qua sententia inferri nō potest, in ipsa senecta, & post, nec Deum amplius, nec nos sub illius prouidentia fore. Adhæc, si tamē Christus regnare desineret quum hostes ipsius fuissent deuicti, quomodo eos habiturus esset sibi tanquam pedum scabellum subiectos? Tātum abest itaque vt verba præsentis oraculi quorundam errori patrocinentur, vt illum magis impugnent.

2 *Sceptrum potentiæ tuæ emittet Iehoua è Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*

Sceptrum potentiæ tuæ emittet. [V] Vel, Virgam fortitudinis tuæ mittet. Id est, Robur quo roboraberis. Vel, Robur regni tui, quod est fortitudo tua. [C] Canit hoc versu regni huius potentiā ex Sion profectam. Non enim tantùm aliis verbis confirmat quod nuper dixit, sed addit hoc quoque amplius, lōgè latéque dominaturum esse Christum: quia Deus sceptrum eius procul extendet. [V] q.d. Non patietur Dominus te sedere quasi in angulo aliquo mundi, vt sis rex Ierosolymæ tātùm, & in vrbibus vicinis: sed extendet Deus potentiam regni tui vsque ad vltimos mundi fines. [A] quemadmodum etiam dicitur Suprà, 2.c.8. [C] Quanquam autem Dauid multas ex vicinis gētibus sibi tributarias fecit, si tamen confertur aliis monarchis, eius regnū semper inclusum fuit angustis finibus. Subest autem antithesis, acsi dixisset, non in monte Sion duntaxat Christum fore regem, quia Deus amplitudinem eius in longinquas mundi plagas extendet. Atque ideo vocatur sceptrum potētiæ: quia hoc mirabile fuit, toto fere mundo repugnāte propagari nihilominus Christi regnum. In summa confirmat hic Dauid piorum animos, ne ob vesanam eorum audaciam qui se efferēt ad turbandum Christi regnum, atque inter formidabiles tumultus labascant: quia ad tuendam sacri huius solii gloriam inexpugnabilis Dei potentia se exeret. Quoties ergo agitamur inter varias perturbationes, discamus in hanc fulturam recumbere, quantumuis insaniat mundus, non esse tam longas ei manus vt Christum detrahat è patria dextera. iam, quia nō sibi regnat Christus, sed in salutem nostram, nos sub inuicti regis victoria tutos & incolumes fore. Est quidem aspera hæc conditio, sed quia Deo visum est, vt nos continua militia exerceat, Christi regnum circundare hostibus, paremus nos ad tolerātiam & mansuetudinem. Dei autem præsidio freti, intrepidè totius mūdi furori insultemus. *Dominare in medio inimicorū tuorū.* [V] Imperatiuus modus pro futuro indicatiui, dominaberis. Quia futurum erat vt nō sine magnis obstaculis Christus regnaret non solùm inter Iudæos, sed etiam inter omnes gētes, ideo hic Propheta repetiuit quod primo versu dixerat, quòd scilicet dominaturus esset Christus inter hostes suos. [C] Elicitur etiam ex hoc versu Gentium vocatio. Nisi enim pronuntiasset Deus quod hic audimus de amplitudine regni Christi, non essemus hodie ex eius populo: sed quia rupta maceria promulgatum fuit Euāgelium, in corpus Ecclesiæ fuimus collecti, & virtus Christi ad nos protegendos ac tuendos diffusa. [M] Ergo otiosum non est quod Propheta priore loco de Christi potentia canit, qua in medio inimicorum dominatur. In ea siquidē plus est gloriæ. nam difficilius est & operosius domare inimicos ac rebelles, quàm regere subiectos & morigeros.

3 *Populus tuus cum voluntariis oblationibus in die exercitus tui, in pulchritudine sanctitatis: ex vtero ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.*

Populus tuus cum voluntariis oblat. [V] Quidam, Populus tuus spontaneus. vel, spontaneorum (sub voluntatum) erit. Alii, spontanei. Alii, sponte, sub. veniet. [C] Hic regnum Christi tam à prompta & alacri obediētia subditi populi, quàm à multitudine celebrat. [M] Nam & hæc portio ad gloriam regni pertinet, vt non solùm inimicorum rebellio retundatur, sed & populus regni animo spontaneo & voluntario regem suum veneretur, obseruet & colat. [C] Nomen נדבות sæpe oblationes spontaneas significat: sed hoc loco sensus est, electum populum, & qui verè in Christi grege censentur, voluntarium fore, vt sponte & liberaliter ad parendum se offerat. [M] Nam populus Christi sunt electi & fideles, quos Pater illi dedit, in quibus per Spiritum suū regnat, & corda eorū regenerat, illuminat, iustificat, sāctificat, & gubernat. Populus hic verè spōtaneus est & liber. Spōtaneus credēdo, diligēdo, obediendo, adhærendo, piè ac iustè in hoc seculo viuendo: vt nec legum, nec minarum exercitionibus opus habeat. Etenim Spiritu Dei ducitur, [A] Spiritu, inquam, non timoris, sed amoris, non seruitutis, sed summæ libertatis. [M] Hic populus verè spontaneum sacrificium Domino Deo suo offert, dum semetipsum illi voluntariū ad omnia sistit, & animas suas sponte progloria & veritate illustrādis sicuti hortatur Paulus Rom. 12.a.1. Videmus ergo qualem populū Deus velit Christo suo subiici, talē scilicet qui nec metu pœnæ, nec respectu præmii, præter animi liberi seotētiam, sed ex corde parato ac spōtaneo se colat & obseruet. Et hinc patet quàm sint hodie pauci qui verè ad populum & Ecclesiā Christi pertineant. *In die exercitus tui.* [V] Vel, quum educes exercitum tuum. Hoc est, quoties agentur solennes conuentus ac legitimi. [C] Vel, Quoties rex populum lustrare volet. quod Gallicè dici posset, *Au tour des monstres*. Alii vertunt, in die virtutis tuæ. id est, quum potentiam tuam exeres, vel, declarabis. sed illa prior interpretatio melius quadrat, vbi suos colligere volet Christus, statim ad obsequium præstò fore, licet violento imperio non cogantur. *In pulchritudine sanctitatis.* [V] Vel, in splendoribus sanctitatis. Quod quidam exponunt de ciuitate illa clarissima ac celeberrima, nempe Ierusalem, vbi primùm illuxit Euangelii splendor. Alii vertunt, In magnificentia Sanctuarii. quod optimè conuenit. [C] Nam vt Dauid iterum confirmet regnum hoc Deo sacrum esse præ aliis, addit pulchritudines, vel decora sanctitatis, seu sanctuarii: acsi diceret, Populus tuus liberaliter cōueniet, non tanquam ad imperium regis profani, sed tanquam in conspectum Dei sui. quia Deus solio regio te imposuit: ideo præsidet & tibi & toti populo quē tibi subiecit. Conueniet igitur populus ad te, vt regem suum agnoscat. *Ex vtero ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.* [A] Locus hic variè hactenus fuit expositus. [M] Sācti Patres, quoniam legunt, iuxta vulgatam æditionem, Ex vtero ante luciferum genui te, exponunt tanquam verbum Patris ad Filium, indéque communiter colligunt, Christum, vt Filium Dei, esse primùm verbum Dei per se subsistens, ex natura Patris genitum: deinde & sine principio & tempore. Qua de re plura Eusebius Eccles. historiæ libro 1, capite item primo: & Epiphanius libro 2. aduersus hæreses, contra Paulum Samosatenum. Et illud Ante luciferum, exponunt, Ante productionem stellarum, id est, antequam quicquam esset conditum. [V] Alii hunc in modum interpretantur, Tibi ros natiuitatis tuæ. sub. erit. & rorem accipiunt pro benedictione & plenitudine gratiæ: acsi Propheta diceret, O Christe, ros natiuitatis tuæ, id est, gratiæ illæ quæ tibi donabuntur à Patre dum carnem assumes, obuenient tibi iam inde ab vtero, & à principio natiuitatis tuæ. Atque ita plenitudinem gratiarum in Christo laudaret Propheta. [A] de qua plenitudine fideles omnes accipiunt, Ioh. 1.b.16 [M] Sed omnibus ritè perpensis, Dauid hic Dei benedictionem in augendo Christi populo celebrat: ideóque pueritiam vel sobolē quæ nascetur rori comparat. [V] acsi diceret, Dominus benedicet tibi, vt crescat populus tuus, crescat, inquam, præter ordinarium modum: quemadmodum aurora emittit rorem, vnde mirantur omnes, quum vident terram irriguam esse, non viderint autē eum decidentem. Quemadmodum igitur ros, dum cadit è cœlo, oculos fallit, deinde spectatur in magna abundātia (operit enim omnes fere herbas) ita nascetur tibi soboles incredibilis numero, & præter vsitatum naturæ morem. [C] Nā ילדות est nomen collectiuum. [V] Ordo autem verborum talis est, Ab vtero ros pueritiæ nascituræ est, tanquam ab aurora. Id est, quemadmodum quotidie ab aurora ros nascitur, & distillat. [C] Porro hoc temere non fuisse prædictum, experientia ostēdit: quia incredibile erat tātam multitudinē sub Christi imperiū tam exiguo tempore posse colligi, & quidem sola Euāgelii voce, quū totus mundus furiosè repugnaret. Pueros autem vocari ex vtero progenitos qui senes vel prouectæ ætatis ad Christum cōuersi sunt, mirum non est, quia spiritualis regeneratio nos omnes similes facit infantibus, sicut Petrus docet 1. epist.2.a.2. Sic apud Esaiā dicitur Christus visurus semē longæuū, Cap. 53.c.10. & sub eius regno promittitur Ecclesiæ inæstimabilis fœcunditas. Hic de ratione nominis. Certè ex mūdi fæce, quæ tantùm filios Dei continet, numerum aliquem licet exiguum colligi, miraculum esset: duplex verò miraculum est, immensam fere hominum multitudinem Christi Spiritu & Euāgelio esse regenitam. Sed meminerimus Deum hoc honore dignari suos electos, vt alacres ad iussa capessenda concurrant, sulóque nutu regātur. Neque enim pro suis agnoscet Christus nisi qui libenter iugum subibunt, & signo dato sistent se in eius conspectum. Iam nequis se defunctum putet oculari obsequio, addendum est etiam illud alterum, Christum non externa pōpa sed vera sanctitate velle coli, qualem in Dei conspectum afferri decet.

4 *Iurauit Iehoua, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in seculum secundum rationem Melchisedec.*

Iurauit Iehoua, & non pœnitebit eum. [V] Hebraismum sic quidā exponunt, Immutabili voluntate sua statuit Iehoua te fore sacerdotem æternum. Quidam vertunt, Iurabit, nec mutabit sententiam, &c. [M] Geminam dignitatem Christo Vates hoc Psalmo tribuit, regiam, vnam: sacerdotalem, alteram. De regia hactenus: de sacerdotali, præsenti versu canit, quo ostendat Christum mediatorem esse Dei & hominum. [A] Ac primò commendat verbi Dei certitudinem, eo quòd Dominus non modò hoc futurum esse dixerit, sed etiam iureiurando confirmauerit. *Tu es sacerdos.* [C] Locus hic satis conuincit non de alio quopiam haberi sermonem quàm de Christo. Nam quòd Iudæi (vt vaticiniū obscurent) כהן vertunt principem, omnis dilutum est, adeóque friuolum. Verum quidem est כהנים vocari proceres, vel qui sunt ex cognatione regia: sed quod dignum ipso Christo loquutus esset Dauid, proceris titulo

ipsum insignicos, qui inferior est dignitate regia? Deinde quid hoc sibi vellet, principem esse æternum, & ex ratione Melchisedec? Ergo non dubium est quin singulare aliquid designet Spiritus, quod regem hunc discernat ac separet ab aliis omnibus. Porro notum est elogium quo ornatur Melchisedec apud Mosen, Gen.14.d.18. Fatemur quidem olim etiã in profanis gentibus reges sacerdotio functos esse: sed quia vnicum Deũ rite colebat Melchisedec, vocatur sacerdos Dei altissimi. Deus autẽ in populo suo hæc officia misceri noluit. Itaq; quũ rex Vzias, qui legitimus erat Dauidis successor, suffitum Deo adolere tentasset, lepra fuit percussus, 2. Paralip. 26. d.19. Fuit igitur diuersa ratio in progenie Dauidis quàm in Melchisedec. Et colligere promptum est discrimẽ hoc notari, quòd in hoc nouo rege, sacerdotii religio cũ diademate & solio coniuncta erit. Nam certè imperii maiestas non tanta fuit in obscuro regulo Melchisedec, vt eo solo respectu proponi debuerit in exemplar. Nam Salem vnica eius sedes, ignobile erat oppidulum, vbi precariò regnabat: vt nihil in eo memorabile fuerit nisi sacerdotii & regni coniunctio. Profanos enim reges ambitio impulit vt reuerentiæ captandæ causa honorem sacerdotii ad se raperent: Melchisedec autem vtranque personam Dei mandato sustinuit. Nobis quidem abundè sufficere debet Apostoli authoritas ne dubitemus Dauidem id sensisse: sed quamlibet pertinaciter contendant Iudæi, manifesta ratio euincit clarius describi illum sanctitatis decorem cuius nuper facta fuit mentio: & certam ac insolitam notam apponi quæ sacerdotii honore Christum attollat super alios reges, simulque eius sacerdotium discernat à Leuitico. Huc accedit Dei iusiurandum, qui certè sacrum nomen suum rebus leuiculis interponere nõ solet: imò vt nos suo exemplo ad sobriè & reuerenter iurãdum instituat, nunquam iurat nisi graui & seria de causa. Si autem iurasset Deus Messiã fore ducem & gubernatorẽ populi sui, sicut fuit Melchisedec, insulsa esset nominis eius profanatio: nunc quum appareat rarum aliquid & eximium notari, colligere licet quanti sit ponderis Christi sacerdotium quod Dei iureiurando sancitur. Et certè in hoc cardine vertitur salus nostra: quia nisi Christo Mediatore freti, à Dei cõspectu omnes arcemur. Quia verò nihil nobis magis necessarium precandi fiducia, Deus nõ modò ad se nos inuitat, sed interposito iureiurando patronum nobis constituit qui gratiam cõciliet. Ideo qui sibi præcludunt ianuam, Deum insimulant mendacii, atque etiam periurii. Nec abs re contendit Apostolus, hoc modo abrogatum fuisse Leuiticum Sacerdotium, quia illo stante non iuraret Deus nouam fore rationẽ, nisi futura esset aliqua mutatio. Imo quum promittit nouum sacerdotium, non dubium est aliis omnibus præferri, & qui receptum morem aboleat. דברתי quidam vertunt Secundum verbum meum: quorum sententia non prorsus repudianda est. Nam hoc modo Dauid sacerdotiũ Melchisedec in Dei vocatione & mandato fundatum esse diceret. Sed quia ' sæpe superuacuum est, nos simplicius rationem vertere maluimus. [m] Notandum autem hic est, non esse sacerdotium siue Melchisedec, siue Aaronis, siue Christi, sic comparatum vt sit temerario arbitratui obnoxiũ, possitque in quascũque formas fingi ac refingi, sed cõstringi ordine, id est certa conditione, serie, & cõstitutione, eáque diuinitus posita. Quapropter admodum temerarium sit oportet, & nihil minus quàm diuinum hoc sacerdotium, quod non est ordine diuinitus constituto astrictũ, sed à libidine & arbitratu cõstitutionis humanæ pendet. [c] Cæterùm quia cõparatio Christi cum Melchisedec plerosque ex vetustis Ecclesiæ scriptoribus fefellit, quid simile sit, ex Apostolo discendum est. Vnde discere promptum erit quanta inconsiderantia hallucinati sunt. Quid enim magis præposterum quàm negligere mysteria õnia de quibus Spiritus per os Apostoli disserit: & quod ille omisit vnum arriperet Nam solùm in pane & vino philosophantur, cuius oblatio secundum eos vtrique communis est. Atqui Abrahæ in viaticum, panem & vinum obtulit Melchisedec, nõ autem in sacrificium Deo. Neque in sacra Cœna oblatio est panis & vini, sicut illi falsò putarunt: sed cõmunicatio inter fideles. Quod verò ad præsentem locum spectat, præcipuè in perpetuo sacerdotio similitudo tenenda est: sicuti etiam particula לעולם admonet. Quemadmodum ergo Melchisedec quasi cœlestis quidam homo describitur à Mose: ita nunc Dauid Christum ei comparans, fine carere intelligit eius sacerdotium. Vnde sequitur (quod etiã Apostolus disputat) quia morte non impeditur ab exequendo suo munere, nullum ei esse successorem. Quo refutatur detestabile sacrilegium papalis Missæ. nam vt Deum hominibus reconciliẽt Papæ sacerdotes, eos Christo eripere necesse est honorem ei à Patre datum.

5 *Dominus ad dexteram tuam confregit in die iræ suæ reges.*

Dominus ad dexteram tuam. [m] Nunc terribilem Christi potentiam celebrat Dauid ad profligandos hostes: atque hoc modo confirmat, quamuis vndique infestis hostium turbis cingatur, non tamen fore obstaculo improbos illorum conatus quin Deus regem quem constituit defendat. [b] Q.d. Dominus astãs tibi à dextris, atque omnia quæ ad bellum faciunt expediens, reges (nedum hostes alios) confringet, quum sæuire dignum duxerit, volueritque pro te irasci. *Confregit.* [a] Vel, percussit, transfixit. *In die iræ suæ.* [v] Id est, quum maturum sumendæ vindictæ tempus aduenerit. [c] Monemur hac particula patienter ferendam esse nobis crucem si Deus, grassante hostium sæuitia & furore, ad tempus dissimulet: quia ipse nouit maturum & iustum vltionis tempus. [m] Adhæc notandum est duplex plagarum esse genus, gratiæ vnum, iræ alterum. Gratiæ est, quo electi ac filii Dei corripiuntur, ne cum hoc mundo damnẽtur, 1.Cor.11.g.32. Et hoc genus percussionis, paternum est, habẽtque argumentum paternæ dilectionis, Hebr.12.b.7. Iræ est, quo percutiuntur impii, ac illi potissimum qui Christo Dei aduersantur. [a] Qua de re Suprà, 2. c. 12. *Reges.* [m] Notanda est hæc particula, qua reges nominatim plagæ Dei subiicit Spiritus sanctus, quum tamen non soli reges, sed & reliqui primores, imò & populi Christo aduersentur. Sed hoc ad fidelium consolationem pertinet, quòd omnes Christi hostes, etiam reges & magnates, diuinæ vindictæ subiiciuntur, ne scilicet nimio regum ac potentum huius seculi terrore corripiãtur. Iam verò si ne reges quidem manum Dei effugere possunt, quis se ab eius imperio subducet?

6 *Iudicabit in Gentibus, implebit ruinis, confringet caput super terram magnam.*

Iudicabit in Gentibus. [v] Id est, iudicium ac potentiam exercebit in Gentibus. Vel potius, Vt populo non dominabitur, quemadmodum posteri Dauidis, sed imperiũ exercebit in toto orbe: [c] adeo vt gentes etiam remotissimas sub imperio suo contineat. sicuti dictum fuit Suprà, 2.c.8. [v] Hic iudicandi verbum significat regere vel imperio potiri. *Implebit ruinis.* [m] Vel, Implebit loca cadaueribus. [c] Quia in omnibus terræ plagis, sicut intra Iudææ fines, multi rebelles & immorigeri futuri erant, de eorum quoque strage concionatur. [m] Singulare autem Dei consilio fit vt dum impii Deo cedere nolunt (qui tamen nihil sunt quàm viua quædam cadauera, animam instar suum pro sale habentia, ne putrescant) abreptis animabus prosternantur, & cadaueribus suis exanguibus, putridis & abominandis euocta repleãt, omniúmque impiorum deiectam redarguant, ac gloriam iustitiæ ac potentiæ Dei illustrent. *Confringet caput super terram magnam.* [v] Vel, percutiet caput super terram multã. Singularis pro plurali. Hoc est, Percutiet capita, siue principes qui præsunt regionibus amplis, & summos potentatus. [c] Q.d. Quicunque Christo resistent, cum sua duritie frangẽtur. Confirmat enim quod prius dixit de hostibus, nempe non fore hostes obstaculo, quamlibet robusti sint, quo minus Christus emergat victor, & illos cogat in suum obsequium. [a] Et sanè quàm multos ille iam reges, quàm formidabilia terrarum capita eorum qui regnum eius oppugnatũr, ab eo quod per Euangelium regnum suum mundo manifestauit, contriuit? quantum prostrauit cadauerum? Initium huius factum est à Iudæis: inde percussit & caput Romanũ, quod vtique caput fuit super multam terram & amplam: & Turcarum caput internecioni dabit. [a] Nam potestas illius, potestas æterna, (Dan.7.d.14) cui õnes alias potestates cedere necessum est.

7 *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

De torrente in via bibet. [m] Scriptores varias in hunc versum expositiones adferunt. Quidam sic exponunt, De torrẽte (sub. sanguinis cæsorum) bibet in via. acsi diceret Propheta, Tantum sanguinis fundetur vt etiam liceat victori bibere è torrente sanguinis cæsorum, in via, dum persequetur hostes. Satiabitur hostium suorum sanguine, & propter eam victoriam multum attolletur Christus, & euadet clarissimus. [c] Alii torrentem allegoricè pro ærumnis & doloribus accipiunt, acsi dictum esset, Christum in hac caduca vita obnoxiũ fore multis afflictionibus. Atqui potius similitudo est à strenuis & robustis ducibus sumpta, qui, dum festinãt ad hostes persequendos, non indulgent deliciis, sed ad potum contẽti sunt obuiis quibusque fluminibus, & quidem in transcursu, vt stantes sitim è flumine restinguant. Nam & hoc modo Gedeon cordatos & bellicosos milites expertus est: quia ignauos esse colligens qui bibendi causa se curuabãt, domum remisit, Iudic.7. b.5. Itaque dubium non est quin figuratè tribuat Dauid militare robur Christo, negans sumptuum quietem potus causa, quia pergendo raptum è flumine potum hauriet. Quo elo-

gio incutere voluit hostibus terrorem, vt sciant in hac festinatione sibi instare exitium. Siquis roget vbi igitur clementia & mansuetudo Spiritus, quo præditum fore alibi docet Scriptura (Esa. 42. a. 1.) respondendum est, sicuti erga oues mansuetus est pastor, lupis autem & furibus asper & formidabilis: ita Christum suauiter & placidè fouere qui se eius custodiæ committunt: sed qui obstinata malitia excutiunt eius iugum, sensuros quàm horribili potentia instructus sit. Sicuti ergo vidimus Suprà 2. c. 9, sceptrum ferreum esse in eius manu, quo omnem mundi contumaciam conterat: sic etiam ad vlciscendos hostes suos sanguinarius dicitur. Quo attentius cauere nos oportet ne præfracto & intractabili ingenio iram eius prouocemus, dum nos comiter inuitat.

ARGVMENTVM PSALMI CXI.

[a] Vt Vates pios omnes ad Deum laudandum melius animet, non modò exemplo ipse præit, [b] sed etiam virtutem eius, sapientiam & bonitatē, quæ ex operibus illius & gestis cum populo Israele mirificè elucent, breuiter non minus quàm luculenter celebrat.

Halelu-Iah. א *Celebrabo Iehouam in toto corde,* ב *in congregatione iustorum & cœtu.*

Halelu-Iah. [a] Hæc inscriptio, quæ significat Laudate Dominum, ostendit quid contineat Psalmus, nempe exhortationem ad canendas Dei laudes. Digestus est autē ordine alphabetico, ita vt singuli versus contineant duas literas à quibus hemistichia incipiunt. [b] Tantùm duo vltimi versus nō sunt in hemistichia distincti, sed vterque ternas literas comprahēdit. Quod tamen errore factum esse reperiet quisquis propius expendet contextum. Nam si tres versus ex duobus quis faciat, aptissimè inter se cohærēt sententiæ. Itaque à librariis perperam neglecta fuit Prophetæ distinctio. *Celebrabo Iehouam.* [c] Vel, Confitebor Iehouæ. Ebr. laudibus Iehouam. [d] Vbi alios ad canendas Dei laudes inuitauit, exemplum sui subiicit: [e] quia hæc optima est ac in primis efficax exhortandi ratio. [f] Sic pii & verbis & exemplo suo aliorum animos ad cultum Dei prouocant. *In toto corde.* [g] Significat quòd Dominum laudare proposuerit non simpliciter, obiter, & verbis in ore nascentibus, sed ex corde, eóque nō diuiso, sed integro ac toto, ex omnibus videlicet animi affectibus. [h] Et meritò exordium facit à corde, vbi de Dei laudibus agitur, quia Deum intus & sine teste laudare præstat quàm ficto animo clamare, & tonare eius laudes pleno gutture. Cæterùm quisquis tacitè apud se Deo gratus erit, simul in apertas voces erumpet: quia alioqui fraudatur Deus dimidia honoris sui parte. Deum ergo celebrare instituit Propheta, primùm toto corde, hoc est integro, non fucato. Neque enim se omni ex parte officio satisfacturū promittit, sed tantùm hypocritis se fore similem negat, qui frigidè & corde duplici, imò fallaciter, linguam tantùm exercent in canendis Dei laudibus. Atque hoc notandum est, nequem exanimet desperatio, si cordis perfectionem non afferat qualis optanda foret: quia vtcunque mutilæ sint laudes nostræ, Deo tamen placere non desinunt, si modò non simulatè enitimur ad præstandum hunc pietatis cultum. *In congregatione iustorum & cœtu.* [i] Hoc est, vbicunque recti conueniunt. Vel, In Ecclesia & publica congregatione. [k] Profitetur se laudum Dei fore præconem apud homines. Quanquam autem nomen סוד Hebræis cœtum arcanum significat, probabile tamen est duo synonyma hic poni. Dicit autem In cœtu iustorum quia in hunc maximè finem aguntur sacri conuentus vt Deo laudem sacrificent sui cultores. sicuti alibi dicitur, Te expectat Iehoua laus in Sion, Suprà 65. a. 2. Admonet ergo Vates non quamuis Ecclesiam, sed eam duntaxat quæ rectorum est, decere laudem Dei. Nam illorum laude delectatur Deus, reproborum verò offenditur. [l] Qua de re vide Suprà, 33. a. 1, & 50. c. 16. Deinde non delectantur pii consortio quouis, sed rectorum tantùm, quos Deo probari sciunt. Et pares paribus congaudent.

2 ג *Magna opera Iehouæ,* ד *explorata cunctis cupientibus ea.*

Magna opera Iehouæ. [a] Diuertit se celebraturum Dominum, id iam aggreditur: [b] ac simul admonet materiam laudandi Dei in eius operibus abundè suppetere. Magna (inquit) hoc est modis omnibus magnifica, eximia, nimirum diuina, ac maiestatem Dei referentia sunt opera Iehouæ. *Explorata cupientibus ea.* [c] Quia operum Dei magnitudo à paucis cognoscitur, vulgò autem fugit mortalium oculos, eius ignorantiam mundi socordiæ & ingratitudini imputat Propheta, quia pauci attendere dignantur quanta in ipsis sapientia, bonitas, iustitia & virtus refulgeat. Quanquam secunda pars versus variè exponitur. Nonnulli enim vertunt, Exquisita omnibus desideriis eorum. Et certè חפץ beneplacitum Hebræis significat. sed quia sensus ille durior est, rectius חפציהם adiectiuè sumatur, pro studiosis vel desiderantibus. Quod ad participiū explorata spectat, quanquam דרש Hebræis propriè est inuestigare, hic tamen opera Iehouæ vocantur דרושים, quasi perspecta vel comperta. sicuti Esa. 65. a. 1, Inuentus sum ab iis qui me non quærebāt. Nunc vt ad Prophetæ mētem redeamus, quia pauci ad reputanda Dei opera studium suum applicant, hinc fieri docet Propheta vt maior pars in luce cæcutiat. Nam quum excellentiam operum Dei notam esse dicit omnibus eam cupientibus, nullos eius ignaros esse intelligit nisi qui oculos sponte claudunt, imò maligno contemptu suffocant oblatam lucem. Tenendus est tamen intelligentiæ modus, quia scimus tardiores esse ac magis debiles fidelium mētes, quamdiu in terra peregrinantur, quàm vt ad summam operum Dei altitudinem penetrent. Sed vtcunque incomprehensibilis sit sapientiæ, æquitatis, iustitiæ, virtutis, misericordiæ immensitas in Dei operibus, notitiam tamen delibant fideles quæ ad Deum glorificandum sufficiat. Tantùm à reuerentia incipere discamus, vt nobis sapiant opera Dei, quæ apud reprobos scelerato fastidio vilescunt.

3 ה *Pulchritudo & decor opus eius,* ו *& iustitia eius manet in seculum.*

Pulchritudo & decor, opus eius. [a] Vel, Gloria & decor opus eius. Alii, Splendor & decor opus eius. Hebraismus, Quicquid agit Deus, plenum est magnifica dignitate. [b] Vel, Quicquid omnino Deus facit, ea sapientia & bonitate præcellit vt nihil nisi mera celebritas sit, splendor & decus. *Et iustitia eius manet in seculum.* [c] Iam definit decus hoc & pulchritudinem cuius meminit: quia vbique conspicua est Dei iustitia. Neque enim potentiæ solùm & imperii specimen extare vult Deus in suis operibus quod metu percelleret omnium animos: sed iustitiam spectandam exhibet, quæ sua dulcedine nos alliciat. Opponitur autem elogium hoc obstreperis impiorum calumniis, quibus gloriam operum Dei, quanta in se est, scelaratè deformant. [d] Et iustitiam Dei vocat bonitatem ac benignitatem Dei, quæ veluti fons quidam est eorum operum quibus populum suum asseruit, & in terras Gentium introduxit: de quibus in sequentibus mentionem faciet. Et quoniam illa indesinenter declaratur, dicit eam durare in sempiternum.

4 ז *Memoriam fecit mirabilibus suis,* ח *clemens & misericors Iehoua.*

Memoriam fecit mirabilibus suis. [a] Vel, (vt quidam vertunt) Fecit vt memoria celebrētur mirabilia sua. hoc est, Talia sunt quæ edidit opera vt nunquam possint memoria excidere. vel, vt digna sint perpetua memoria. [b] Sicuti autem Propheta nuper ad reputandam Dei iustitiam nos hortatus est, ita nunc in miraculis præcipuè gratiam & misericordiam celebrat: idque eodem fere sensu, quia ex fonte gratuiti amoris manat iustitia illa quam in suis conseruandis ostendit. Nam addit, *Clemens & misericors Iehoua.* [c] Occurrebat sensus clementiæ ac misericordiæ Dei quæ in operibus illius erga Israelem declaratis relucet: ideo aptissimo illum elogio clementem & misericordem vocat. Vnde apparet quanta fuerit populi Iudaici peruersitas & corruptio, quòd potuit tam mirabilium operum Dei obliuisci, quæ non ex aliorum narratione cognouit, sed ipsis oculis suis spectauit. Sic enim scriptum est de illo, Et obliti sunt operum eius, Suprà, 106. b. 13. Cæterùm quomodo Deus clemens & misericors dicatur, vide Suprà, 86. c. 15, & 103. b. 8.

5 ט *Portionem dedit timentibus se,* י *recordabitur in seculum fœderis sui.*

Portionem dedit timentibus se. [a] Vel, Escam dedit. Alii, prædam dedit. [b] Nam טרף sæpius accipitur pro præda: sed portionis nomen melius conuenit (quo etiam sensu sumitur Prouerb. 30. b. 8, & 31. b. 15) acsi diceret, Deum populo suo dedisse quicquid opus erat, & hoc fuisse quasi liberale demensum. Scimus enim populum Israel non sua industria, sed Dei benedictione fuisse ditatum, acsi paterfamilias domesticis suis annonam victùmque diuideret. Ergo quoniam Ecclesia speculum est gratiæ & iustitiæ Dei, ad eam Propheta nominatim accommodat quod de illis dicit. Nec verò propositum fuit de qualibet Dei iustitia differere, sed quam erga electos suos peculiariter explicat. Dicit igitur Deum habere curam populi sui, vt necessitatibus eius prospiciat. [c] Potest hoc etiam exponi de omnium hostium spoliis, quibus potiti sunt Israelitæ quum in terram Chanaam introducerentur. *Recordabitur in seculum*

fœderis sui. ᶜ Caussam huius curæ & liberalitatis assignat: quia scilicet effectu probare voluerit fœdus suum non esse irritum, vel inane. ʸ Q.d. Memoria fœderis illius fecit vt tot beneficiis assiduè prosequutus sit populum suum. ᴹ Atque hoc diligenter notandum est, sicuti olim fœderis gratuiti respectu tam benignè egit cum populo Israel, ita non aliunde fluere beneficia quibus nos prosequitur, nisi quia nos sibi adoptauit in populum. Porro memoriam fœderis semper vigere dicit: quia nunquam fatigatur Deus benignè suos tractando. Sicuti autem de die in diem ad extremum vsque continuat gratiæ suæ testimonia, sic fidem nostram, vt constantiæ eius respondeat, non fluxam esse oportet, sed vitam & mortem transcendere.

7 כ *Virtutem operum suorum annuntiauit populo suo,* ל *ad dandum illis hæreditatem Gentium.*

Virtutem operum suorum. ʸ Vel, Fortitudinem operum suorum manifestauit. Vel, declarauit. Id est, Facinora summæ virtutis. Q.d. Patefecit virtutem operum suorum populo suo, quum dedit illis hæreditatem Gentium. ᴸ Nam hic versus expositionis loco additus est, Deum in danda Gentium hæreditate virtutem operum suorum manifestasse populo suo. Verbo quidem verbo annuntiandi, sed realem prædicationem intelligit: quia terræ sanctæ possessio nō humanitus parta est, sed cælesti virtute multisque miraculis tradita: acsi palam testatus esset Deus filiis Abrahæ quàm incomparabili potentia sit præditus. Huc etiam pertinet quòd multis gentibus populum opponit, qui certè, nisi fretus cælesti auxilio, nunquam præualuisset contra tot hostes. ᴹ Interea notat Vates Israelitici populi incredulitatem, qui contra Dominum in deserto murmurarunt: quasi fieri non posset vt in terram promissam introducerentur, illamque possiderent, propterea quòd ciuitates essent muratæ, & incolæ eius robusti, & Gigantes in illa habitarent, Numer. 13. f. 29. Sed monstrauit (inquit) id esse, ob oculos spectandam posuit operum suorum potentiam, quum terras Gentium populo suo incolendas traderet.

7 מ *Opera manuum eius, veritas & iudicium:* נ *veracia omnia statuta eius:*

Opera manuum eius, veritas. ʸ Hebraismus, Quicquid agit, id agit vt ostendat se veracem in promissis, & iustum, vt qui impiis Gentibus terram suam eripiat, & eam suis tradat. ᴹ Porro hoc fine proponuntur operum Dei elogia, vt ex illis Deum ipsum qualis sit agnoscamus. Etenim qualis quisque est, talia dicit & facit. Quid autem animos nostros tandem ad fidendum illi permouebit, si persuasio de fide & æquitate illius nihil efficere poterit? Poterat dicere veracem & iustum esse Dominum: verùm, vt nostram ipsorum conscientiam conuincat, arguit ex ipsis operibus Dei, esse eum non solum fidelem & æquum, sed ipsissimam fidem & æquitatem. perinde atque Iohannes nō solùm id de Deo prædicet quòd diligat, sed quòd sit ipsa charitas, 1. epist. ca. 4. b. 8. & 16. *Veracia omnia statuta eius.* ʸ Vel, fidelia, certa. ᶜ Postquam exclamauit fidelem & rectū in suis operibus Deum cognosci: nunc tandem veritatem & rectitudinem in doctrina Legis commendat. acsi diceret Inter dicta & facta Dei pulcherrimum esse cōsensum, quia vbique verax iustusque appareat. Etsi autem redemptio veteris populi memorabile huius rei documentū fuit, non tamen dubium est quin sub operum nomine continuā Ecclesiæ gubernationē cōplexus sit Propheta: quia nō desistit Deus quotidie se probare & iustum & veracem, & hunc quasi infatigabilē cursum tenere.

8 ס *Stabilita usque in seculum,* ע *facta in ueritate & rectitudine.*

Stabilita usque in seculum. ʸ Vel, Firma, confirmata. ᶜ Quanquā inter homines plus esset manu quàm lingua aliquem cognoscere iustum: quia tamen doctrina Legis, vita fuit & salus populi, non abs re Propheta pluribus verbis in hac secunda parte insistit, veracia esse omnia statuta dicens, perpetuò manere, & summæ fidei & rectitudinis normā exactè esse composita. Et certè, nisi sacro Legis vinculo populū sibi Deus copulasset, perquā tenuis fuisset redēptionis fructus, adeóque statim exaruisset gratia illa. Notemus ergo primarū hic tribui doctrinæ, quia æternū Dei amicitiā testādo viuifica fuit. Vide Suprà, 19. c. 8

9 פ *Redemptionem misit populo suo,* צ *mandauit in æternum fœdus suum,* ק *sanctum & terribile nomen eius.*

Redemptionem misit populo suo. ᴬ Hoc est, Redemit Deus populum suū. *Mandauit in æternum fœdus suum.* ʸ Dicit Deū non tantùm semel redemptorem populi sui fuisse, sed statuisse etiam modum quo Ecclesiā suam seruaret, ne salus illa esset irrita, vel vnquam efflueret, nempe Legē suam promulgando per manū Mosis. Lex enim fœdus est æternæ vitæ. ᶜ Ergo Propheta aliis verbis repetit quod iā dixerat: quia initiū salutis fuit redemptio, eam primo loco statuit: deinde adiungit confirmationē in Lege, qua factum est ne vnquam excideret Dei adoptio. Etsi enim fœdus Deus olim pepigerat cum Abrahā (quæ etiā caussa fuit redimendi populi) hoc tamē elogium ad Legem refertur, quæ sancitum fœdus fuit, ne vnquā efflueret. Summe huc redit, Deum nō vno tantùm die beneficū fuisse Patrem in liberando populo, sed gratiam suā Lege promulgata stabiliuisse, vt spes æternæ vitæ semper in Ecclesia resideret. Porro tenendum est quod alibi admonuimus, & fusius repetēdum erit Infra, 119. 1, vbi de Lege sermo habetur, non semper nuda præcepta arripi debere: quia Spiritus sanctus maxima ad promissiones in Christo fundatas respicit, quibus Deus electū populū sibi colligēs in vitam æternā regenuit. ᴹ Quod ad loquutionē illā attinet, mandauit in æternum (vel, in seculum) fœdus suum, vide Suprà, 105. a. 8. vbi hunc in modum legitur, Memor fuit in seculum pacti sui, verbi quod mādauit in mille generationes. ᴮ Interea notandum ex his loquutionibus, redemptos fuisse Israelites ex seruitute Ægyptiaca, & in terrā Chanaā liberos introductos, vt fœd⁹ quod cū eis De⁹ icit, seruarēt, obseruātes quæ ipsis præceperat. ᴸ In quo discendum nostri redemptionē, ac cuncta Dei beneficia in hoc nobis conferri, vt innocenter & sanctè viuamus, Luc. 1. g. 74, & Eph. 1. a. 4, & 1. Petri 1. d. 19. 22, & Tit. 2. d. 14. *Sanctum & terribile nomen eius.* ᴹ Nō sine optima ratione addita est hæc acclamatio. nā vbi Vates, de operibus redēptionis canendo, diuinā beneficentiā celebrauit, in hanc vocē acclamando prorupit, Sanctum & terribile nomen eius: admonens vt cōsideratione acceptorū beneficiorū Dei sic viuamus, quo reuerentiā & obseruantiam diuinæ maiestati debitam imbibemus. Dicere quidē poterat, Sanctus & terribilis Dominus: verùm vt auxesin quandam timoris ac reuerētiæ erga Deum exprimeret, dicere maluit, Sanctū & terribile nomē eius. Q.d. Vsqueadeo sanctus & terribilis esse nobis debet Dominus ac redemptor noster, vt etiam nominis ipsius honorem sanctitatis ac reuerentiæ adhibeamus.

10 ר *Principium sapientiæ, timor Iehouæ:* ש *intelligentia bona cunctis facientibus ea:* ת *laus eius manet perpetuò.*

Principium sapientiæ, timor. ʸ Vel, Caput sapiētiæ, timor Iehouæ. Quidam, primitiæ sapientiæ. ᴸ Postquā de beneficiis Dei concionatus est Propheta, & inter eiusmodi Legem censuit: nunc fideles ad ipsius Dei reuerentiā Legisque seruādæ studium hortatur, ʸ docēs, Deum metuere & colere, esse ipsum caput omnis pietatis & salutis. ᶜ Imò, timorē Dei, principiū vel caput sapientiæ vocando, eos omnes damnat amentiæ qui se Deo in obsequium non addicunt: acsi diceret, brutos esse omnes, nec prima saltem rudimenta rectè sapiendi qui Dei timore penitus imbuti non sunt, & vitam nō componūt ad eius Legem. Quod diligenter notandū est. Nam quum sapere passim appetat omnes, totus fere mundus, contēpto Deo, in praua astutia sibi placet. Quum ergo pessimi quique præ aliis sapere credantur, & hac fiducia turgentes, contra Deū se obdurent, Propheta omnem mundi sapientiam, sine Dei timore, fumū vel inane spectrū esse pronuntiat. Et certè quicūque viuendi finē non tenent, eos desipere & mēte alienatos esse certū est. Atqui in hoc nati sumus & viuimus vt nos exerceam⁹ in Dei cultu. Nulla ergo deterior cæcitas, nullus magis brutus stupor quàm vbi contempto Deo studia nostra aliò conuertimus. Quæcunque enim vafritia polleant homines profani, deest illis caput, hoc est vera pietas. ᴹ Interea monemur quid principio ad hoc requiratur vt veram sapientiam acquiramus. Timor videlicet ille, quo Deus obseruatur vt Deus, & volūtati illius studetur. Ab hoc principio progressus est ad incrementa huius sapientiæ, quibus in cognitione diuinæ volūtatis, fide, dilectione, spe, &c. crescentes ad perfectionē tēdimus. Qua de re vide Act. 10. a. 2. 6. 13. b. 7. f. 42. ᶜ Porro nomē principii multos decepit, vt putarent timorē Dei vocari initiū sapientiæ, quasi alphabetum, eo quòd ad vera pietatem homines præparat. Sed hoc friuolū est, quū alibi vocetur sapiētia, Iob 28. d. 28. Neque enim timor hic, sicut 1. Iohā. 4. d. 18 pro tyrocinio vel rudimēto pietatis capitur, sed totā pietatem vel Dei cultū comprehēdit. *Intelligentia bona cunctis facientibus ea.* ᴬ Dicit prudentiā, bonam esse mādata Dei seruantibus: vt confirmat quod nuper diximus, eos ōnes amētiæ dānari qui se Dei obsequio non addicunt. ᶜ Ac in epitheto שׂכל טוב, subest magna emphasis, quia stultā persuasionē, de qua diximus, Propheta refutans, tacitè eos perstringit qui præposterè acuti sunt. acsi diceret, Fateor vulgò prudētes æstimari qui bene cōsulunt rebus suis, qui suo seruiunt, qui astuti sunt ad captandū mundi fauorē, alios etiā decipiunt: cæterùm vt hoc nomen illis cōcedam, inutilis ac peruersa est eorū prudētia: quia sanitas mentis in Legis obseruatione se prodit. Nemo itaq; seipsum fallat, dū sibi habet mundum fauentē, quum sola Legis custodia beatos faciat. ᶜ Quæri tamē potest cur pro timore ponitur hic obseruatio mādatorum Dei, & cur sapiētia timori & obseruātiæ Dei potius quàm scientiæ & intellectui tribuatur: quum tamē nemo Deū aut timere & obseruare possit, nisi illū cognoscat. Ad primum sic respondetur, Quū promiscuè omnia fere iactēt se ri-

ee. i.

mere Deũ, nihil tamẽ magis vulgare sit Legis cõtẽptu: meritò hoc examine probari Dei timorẽ docet Propheta, si libẽter iugum eius suscipimus, nósque regi patimur eius verbo, & mandata eius nobis constituimus pro regula bene viuendi. ᴮPosterioris verò obiectionis hæc sit responsio, Verum omnino est non posse legitimum Dei timorem constare citraquam sine scientia & cognitione Dei: (nam timor Dei sine scientia, fons est omnis generis idololatriæ & superstitionis: cuius rei exẽpla nimis multa, non solùm in Gentibus & Iudæis, sed & Christianis præcesserunt:) & tamen hæc sapiẽtia quæ nobis in Scripturis amplectenda proponitur, licet scientiam Dei nõ excludat, sed necessariò requirat, fioretis tamen & repurgatis affectibus, timori videlicet, obseruantiæ, fidei, dilectioni, spei, modestiæ, patientiæ & cæteris huiusmodi ob id tribuitur quòd qui his sunt diuino munere præditi, veræ salutis ac sempiternæ fœlicitatis sunt participes, & in hac quoque vita optimo compendio rebus suis consulunt, dum ab illius prouidentia pendent, qui, vt potentissimus est & optimus, ita deserere non potest eos qui toto corde se obseruant & à se pendent. *Laus eius manet perpetuò.* ᵞ Vel, permanens. sub. sit. Hæc clausula exhortationem in se continet, ᶜ vt intelligant fideles nihil sibi esse potius tota vita quàm Deum celebrare, ᴰmodò id integro & sincero animo fiat.

ARGVMENTVM PSALMI CXII.

ᴹ Sicuti Psalmo præcedenti opera, statuta & fœdus Dei cum Israele initum ad hoc celebrauit Propheta vt populum ad Dei timorem & obseruantiam prouocaret: ᴮ ita hoc Psalmo perpetuam illorum fœlicitatem canit qui timent, colunt & bonitate imitantur Deum: ᶜ vt sciamus studium piè iustéque viuendi optima mercede non carere.

א Halelu-iah. *Beatus uir qui timet Iehouam,* ב *in mandatis eius delectabitur valde.*

Halelu-iah. ᴬ Idem initium habet hic Psalmus quod & superior: ᴮ quanquam alius tendit Propheta quàm vt ad canendas Dei laudes incitet fideles. Nam quia hæc passim habetur fœlicitas, malis artibus vel iniuriis grassari ad nocendum, & quanuis interdum laudetur integritas, vix tamen centesimus quisque eam sequitur, dum se omnes fore miseros putant nisi per fas & nefas ad se rapiant quicquid prædæ expositum erit: Propheta contrà docet plus à paterno Dei fauore sperandum esse quàm ab omni genere noxarum: ac spe mercedis proposita, nos ad colendam æquitatem & beneficentiam reuocat. *Beatus uir qui timet Iehouam.* ᵞ Eodem literarum Hebraicarum ordine compositus est iste Psalmus quo & præcedens: ᴹ vt alphabetaria versuum & hemistichiorum serie memoriæ cantantiũ succurreret. ᴬ Dicit beatos & fœlices esse eos qui Dominum timent. cuius rei ratio alibi ponitur, nempe quia nihil deest timentibus eum, Suprà, 34. b. 10. *In mandatis eius delectabitur valde.* ᵞ Præteritum Hebræum pro præsenti, vel futuro. ᶜ Sic autem debent resolui verba, Beatus vir qui timet Dominum, séque oblectat in eius mandatis. Vt secundo membro definiat Propheta in quo positus sit Dei timor. Atque hæc additio valde necessaria fuit, sicut in fine proximi Psalmi attigimus: quia quum omnes securè Legem Dei despiciant, nihil tamẽ procliuius est quàm Dei timorem prætexere. Hæc improbitas optimè refellitur à Propheta, dum neminem agnoscit inter Dei cultores nisi qui animum suum adiicit ad Legem seruandam. Nec emphasi caret verbum חפץ quod tantundem valet ac complacitum habere, vt vulgò loquuntur. Nos vertimus delectari. ᴰ voluntarium & alacre studium seruandæ Legis à seruili & coacto obsequio distinguit Propheta: quia non satis est attendere ad Legẽ Dei, nisi eam libẽter amplectimur, vt eius amor sua dulcedine omnes carnis illecebras superet. Itaque donec hucusque progressus quis fuerit vt Legis delectatio eum hilariter in officio contineat, non censebitur verus Legis obseruator. Nunc redimus ad totam sententiam. Propheta beatos esse affirmans Dei cultores, ex aduerso admonet pestiferam esse fallaciam qua se deludũt impii, fictitiam sibi beatitudinem ex maleficiis fingendo. ᴬ Vide Suprà, 1. a. 1.

2 ג *Potens in terra erit semen eius,* ד *generatio rectorum benedicetur.*

Potens in terra erit semen. ᴮ Canit hoc versu fœlicitatem liberorum timentis Deum, quos ait fore in terra potentes, hoc est firma & stabili prosperitate. ᶜ Atque ita docet non modò in parentum Dei timentium persona residere paternum Dei fauorem, sed extendi ad posteros: sicut etiam in Lege dicitur, Ego sum misericors in mille generationes erga eos qui me diligunt, & custodiunt mandata mea, Exodi 20. b. 6. Et Suprà, 103. b. 8. 9, aliisque locis hoc doctrinæ caput attigimus. ᴹ Videmus itaque quo loco sit apud Deum vir pius & rectus. Eo videlicet vt non ipse modò, sed & semen eius particeps sit diuinæ benedictionis. ᴵ Vt nanque sanctis suis liberos donat Deus, ita donat fere bonos & fœlices. Si non omnes, (vt nec sanctissimorum patrum posteri omnes boni fœlicésque fuere) saltem aliquos. *Generatio rectorum benedicetur.* ᴬ Hoc est, Deus suam benedictionem effundet in liberos eorum qui serio timore diuinæ maiestatis præditi sunt. ᴮ Quia tamen plurimi perperam æquali modulo metiri volunt tẽporales Dei gratias, tenẽdum est quod Suprà, 37. c. 25. docuimus, variè scilicet eas dispensari prout Deo placet. Interdum fiet vt careat liberis optimus vir. atqui sterilitas per se censetur Dei maledictio. Sic multi ex Dei cultoribus premuntur egestate & inopia, morbis laborãt, variis ærumnis miserè affliguntur. Tenenda est igitur generalis regula, prout Deus singulis vtile esse nouit, nunc largius, nunc parcius erga suos esse beneficum. imò interdum fauoris sui signa abscondere, vt videri possit negligere prorsus suos. In hac tamen confusione semper apparet non frustra esse dictum, pios cum sua progenie benedici. Nam quum improbis nihil aliud propositũ sit quàm regnare in mundo, & filios suos attollere supra nubes, vt plurimum vanas eorum spes frustratur Deus. Rursum quum fidelibus satis sit instituere filios suos in Dei timore, vt tenuiter victitent, Deus quasi porrecta manu eos in sublime attollit. Adde quòd olim sub Lege magis dilucida fuit huius doctrinæ approbatio, quia rudem & infirmum populum terrenis benedictionibus paulatim ad spem meliorẽ deduci oportuit. Quanquam nisi nostra vitia obstaculo forẽt, hodie quoque clarius fulgerẽt terrena erga nos Dei beneficia.

3 ה *Opes & diuitiæ in domo eius,* ו *& iustitia eius manet in æternum.*

Opes & diuitiæ in domo eius. ᴬ Vel, Substantia & diuitiæ. Alii, vbertas & diuitiæ. ᴹ Hoc additur ad amplificandam piorum fœlicitatem. Nam pars diuinæ benedictionis est, quòd nõnunquam timentes Dei, etiam in hoc seculo, diuites redduntur & fœlices. Quanquam hoc non peræquè semper experiẽtia verum esse demõstrat. quia sæpe contingit probos & sanctos homines esurire, & frugali etiam victu destitui: nempe quia noxium illis esset liberalius à Deo tractari: quia multi ferendæ opulentiæ idonei non sunt. Interea notemus, gratiam quam celebrat Propheta, in eo maxime conspici quòd sua mediocritate contenti sunt probi & simplices: quum nulla copia satiarentur profani homines, quãuis totum mundum absorbeant. Verum enim est vetus illud prouerbium, Tam deesse auaro quod habet quàm quod non habet. quia nihil possidet, sed tantum possidetur à suis diuitiis. *Et iustitia eius manet.* ᵞ Quidam legunt, Nam iustitia eius, &c. vt copula vice causalis particulæ posita sit. Nam Propheta rationem reddit quare qui rectè & innoxiè se gessit, fruatur opibus suis: nempe quòd iustitia eius sit tanquam custos opum. Iniquitas absumit opes partas, iustitia recti hominis conseruat quæsitas. ᶜ Nam etsi ad tempus farciunt impii domos suas magnis copiis, vno Dei flatu, (sicut dicit Propheta Hagg. 1. c. 9) repente euanescet tota illa congeries. Et videmus quotidie in prædã exponi quæ rapinis vel fraudibus parta sunt: integritas autem fidelibus optima est & fidelissima benedictionum Dei custos. ᴹ Multo præclarius est ac rarius esse simul iustum ac diuitem, quàm esse iustũ & pauperẽ. Admonemur etiam vt potioris æstimetur quod perpetuũ quàm quod fluxum est & caducum. Non dicit Propheta opes iusti in perpetuũ mansuras, sed iustitiam eius perpetuò duraturam. Id autem fit duplici modo: primùm in iustis deinde corã Deo, apud quem & fructus eius durat in sempiternum.

4 ז *Ortum est in tenebris lumen rectis,* ח *clemens & misericors & iustus.*

Ortum est in tenebris lumen. ᵞ Vel (vt quidam legunt) Oritur in tenebris lumen. Vel, Oriri facit. Hebraismum sic quidam exponunt, quòd immunes seruet Deus iustos à cõmunibus miseriis, acsi tenebris occupãtibus totã terrã, sol luceret in aliquo angulo. Vel, quòd Deus serenitatem restituat seruis suis, quãuis ad tẽpus eorũ animos tristitia obnubilet, sicuti diei nocti succedit. Si probetur posterior hæc expositio, per tenebras vel tempus nubilum ac pluuiosum, afflictiones intelligit Propheta, quibus seruos suos exercet Deus ad patientiam. Quanquam aptior videtur altera sententia, nẽpe toto mundo in malis demerso, lucere Dei gratiam super fideles, vt sentiant Deo propitio bene ac fœliciter sibi esse. Hoc modo rectè distinguitur eorum conditio à communi hominum sorte. Nam improbi, quanuis prosperis rebus exultent, quia tamen non gustant paternum Dei amorem, cæcutiunt in luce, rebus autem aduersis in tenebras mortales mergũtur. Certè nunquam illis est serena tranquillitas. Pii autem, quibus semper lucet Dei gratia, quanuis obnoxii communibus miseriis, nunquam tamen tenebris obruuntur. ideo non abs re dicitur oriri lumen in tenebris. Cæterùm si actiuè sumamus verbum זרח, melius non te-

more fluet verborum syntaxis. Certè non dubium est quin Deū his elogiis insigniat Propheta, *Clemens, & misericors & iustus.* Itaque si in neutro genere legamus, Exortum est lumen, posterius membrum erit causæ redditio. Nam quod exponunt nonnulli, iustos & humanos non obtenebrare mundum, vt faciūt improbi & scelesti, neque ex luce dare fumum, sed ex fumo lucem: nimis detorquent Prophetæ verba.

5 ט *Bonus vir miseretur, & mutuò dat,* י *metitur verba sua in rectitudine.*

Bonus vir miseretur. [V] Quidam vertunt, Bene viro qui miseretur & commodat. quemadmodū primo versu dixerat, Beatitudines viri. [C] Et certè melius texetur Prophetæ oratio si legamus, Bene viro qui miseretur & mutuò dat: acsi Propheta diceret bene fore humanis & liberalibus. Propositum enim est ostendere longè falli profanos homines, dum prauis & illicitis artibus ad fœlicitatem aspirāt: quia sola Dei gratia fons & causa sit bonorum omnium. Atque hoc modo subaudiendum erit relatiuum. Falli ergo admonet qui maligna tenacitate sæuisque exactionibus ditescere properant: quia fideles humanitate & beneficentia Dei gratiā velut canali ad se eliciunt. Nam טוב in genere masculino sæpe neutraliter capitur. *Et mutuò dat.* [C] Mutuò dare ponit tāquam misericordiæ fructū. nam & fœnerator dat mutuò, sed vt miseros fallaci iuuandi prætextu exugat. Prosperum ergò successum promittit Deus verè liberalibus, qui misericordia adducti pauperibus succurrūt, non autem vt tendant retia. Vnde Propheta non dicit simpliciter, bonum illum esse qui mutuò dat, sed intertexit, Qui miseretur: vt intelligamus, etiamsi quis mutuò dat, nō statim virum bonum censeri debere, nisi det ex affectu bonitatis & misericordiæ. *Metitur verba sua in rectitudine.* [V] Vel, moderatur res suas in iudicio. [C] Vox Hebræa דברים pro negotiis hoc loco accipitur, quemadmodum & fidelissimi iudæorū interpretes exponunt. Nam de sermone hoc prædicari, nimis esset frigidum: & simplicius loquutus esset Propheta. Hoc autem optime conuenit, iustos sua negotia ratione & iudicio metiri, vt in re domestica neque prodigi sint, neque sordidi, vel nimium tenaces, sed sine luxuria modum teneant, deinde in contrahēdo æquitatis regulam semper obseruent.

6 כ *Certè in æternum non mutabit,* ל *in memoriam seculi erit iustus.*

Certè in æternum non mutabit. [V] Hic כי affirmatiua est particula, vt principio versus præcedentis respondeat. Si autem principium illud vertas, Bene est viro: tūc כי causalis erit particula. redditio enim causæ sit, & cōfirmatio illius sententiæ: acsi diceret Propheta, fœlicem esse virum misericordem, & qui liberaliter succurrit pauperibus: quia inter mundi conuersiones non agitabitur. Deinde eius integritatem Dominus lucere facit, & ab iniustis calumniis vindicat. Porro misericordes & humani dicuntur non labascere: quia etsi obnoxii sunt communibus incommodis, sæpe etiam videntur malorum oneri succumbere, manent tamen intus in suo gradu, & victrice patientia superāt res omnes aduersas. *In memoriam seculi erit iustus.* [C] Quanuis Deus assertor sit iustitiæ ipsorum, nō effugiunt tamen improborum calumnias: sed satis est coram Deo & Angelis totóque piorum theatro benedictam esse eorum memoriā. [M] Notandum hic est quòd siquid memoriæ consequuntur impii, non potest tamen id fieri cum laude, sed cum ignominia. At qui iustitiæ studet, quicquid illi nominis in hoc seculo contingat, coram Deo tamen nulli est obliuioni obnoxius: is memor illius est in sempiternum. vt taceamus quòd inter pios quoque memoriam consequitur & celebrem & immortalem.

7 מ *Ab auditu malo non timebit: stabilitum cor eius,* נ *quia confidit in Iehoua.*

Ab auditu malo non timebit. [V] Vel, Propter rumorem malum. [M] Pertinet & hoc ad piorum fœlicitatem, non timere sibi ab auditu malo. Quod duobus modis exponi potest. Primo, [C] vt sit confirmatio superioris sententiæ: acsi dixisset Propheta, iustos à sinistra fama, quam sibi reprobi sua culpa & vitiis contrahunt, esse immunes. [M] Q.d. Non metuet iustus ne malè audiat, non timebit diffamiam. Vel alio modo, Non timebit iustus ab auditu malo. Id est, A rumore periculi haudquaquam formidabit. [A] Hic posterior sensus melius quadrat. [B] Significat enim Propheta iustos nō esse incredulis similes, qui ad minimas quasque rumoris auras trepidant: sed, quicquid periculorum oriatur, placidos & quietos inniti paternæ Dei prouidētiæ. Vnde enim cōtinua incredulis fluctuatio nisi quòd Deo in cælis otium agente fortunam ludos suos in terra agere putant? Ergo non mirum est ad strepitum folii cadentis perculsi & concidere. Tali inquietudine fideles eximit Propheta, quia non pendent ex rumoribus, neque metu impediuntur quin semper Deum inuocent. Verum quidem est metuere quoque Dei filios siquid impendet discriminis: quia si nulla eos malorum cura tangeret, stuporis esset non constantiæ securitas. Sed, dum agnoscunt Deum vitæ suæ custodem, quanuis sollicitudine & metu non sint exuti, in suo tamen cursu pergendo salutem suam Deo commendant, cuius arbitrio libēter se permittunt. Hæc iustorum est magnanimitas, qua formidolosos rumores eos contemnere dicit Propheta. *Stabilitum cor eius, quia confidit in Iehoua.* [V] Quidam legunt, Quia paratum est cor eius. Vel, firmum, stabile, confirmatum, fidens Iehouæ. Id est, Nititur Iehoua. [A] Hoc ipsum affirmat versu sequenti.

8 ס *Suffultum cor eius, non timebit* ע *donec videat in suis aduersariis.*

Suffultum cor eius. [V] Vel, Consignatum, stabilitum, sustentatum. Eadem dictione vtitur qua Suprà, 111.b.8, quum de operibus Dei loqueretur. *Non timebit.* [C] Prudenter Propheta fulturam iusti in Domino statuit: quia quum innumeræ mortes à dextris & sinistris nos obsideant, statim desperatione obrui necesse erit, nisi succurrat hæc fiducia, nos sub Dei custodia tutos esse. Recta ergo stabilitas est qualē definit Propheta, nēpe si in Deo confidimus. Nā quòd se vana securitate inebriāt profani homines, eo magis in se prouocant Dei fulmina: quia obliuiscuntur quā fragilis sit humanæ vitæ conditio, suáque superbia stolide se aduersus Deum efferūt. Itaque quum dixerint, Pax & securitas, repētinus superueniet interitus, 1. Thess. 5.a.3. Fideles autem sic terret vel sollicitat malorum sensus vt tamen non labefactet eorum animos: quia fidem non excutit, qua sola fortes sunt ac firmi. In summa, neque ferrei sunt, neque stupidi, sed fiducia, quam in Deo locant, supra omnes anxietates se attollunt. Hoc modo mentes retinent pacatas & compositas, donec veniat maturum vltionis tempus contra reprobos. *Donec videat in suis aduersariis.* [V] Subaudiendum est verbum aliquod, hoc modo, Expectans donec viderit. Vel, Nō desinet illi fidere donec videat. Aut verte, Tādem videbit, &c. Tribuit fidelibus fœlicem statum quousque Dominus eos liberet, ac vindictam sumat de ipsorū persequutoribus. [M] Ergo parata est impiis diuina vltio, eáque talis quam pii cum gaudio sint aliquando visuri. [A] sicuti dicitur, Lætabitur iustus quū viderit vindictam &c. Suprà, 58.b.11. [M] Et ne mora diuinæ patientiæ, qua illis ad tempus parcitur, molesta sit piis, datur interea temporis spiritus trāquillus, & à diuina voluntate, infracta cum fiducia, pendens.

9 פ *Dispersit, dedit pauperibus,* צ *iustitia eius perstat in seculum,* ק *cornu eius exaltabitur in gloria.*

Dispersit, dedit pauperibus. [A] Vel, per præsens, dispergit, dat pauperibus. [M] Hic iustos commendat Vates ab operibus misericordiæ, ac rursum affirmat nunquam eos fructu & mercede suæ liberalitatis fraudari. Aptè autē verbo dispergendi vtitur vt iustorum liberalitatē melius exprimat. [C] Neque enim tenuiter & malignè erogare solent pauxillum aliquid, (quemadmodū multi exigua stipe defungi volunt erga pauperes,) sed copiosè largiuntur, quātum scilicet postulat vsus & patitur eorum facultas. [M] Nullum hic locum habet sordida tenacitas, sed mera liberalitas sequitur, prout scilicet facultates suppetūt. [C] Fieri enim poterit vt liberali animo non suppetat rerum abūdantia. [M] Notandum est autem quod statim additur, Dedit pauperibus: vt intelligamus qui sint nostris facultatibus iuuādi. Nō ait, Dedit sacrificiis, dedit simolachris, impendit aris, aut mortuis: sed, Dedit pauperibus, seu egenis. [C] significat iustos non temere sua proiicere, sed adhibere prudentiam & delectum vt necessitati subueniant. Scimus à mundo sæpe laudari superuacuos & superfluos sumptus, qui fiūt vanæ ostētationis causa. Itaque centuplo plus bonorum dilapidat luxus vel ambitio, quàm moderata liberalitas dispenset. Propheta autem beneficentiæ laudem non in promiscua largitione sitam esse docet, sed vbi pauperum inopiæ succurritur, & consumitur pecunia in rectos vsus ac legitimos. Citatur hic locus à Paulo, 2. Cor. 9. c. 9. vbi admonet Deo promptum esse vt nobis copiam suppeditet, vnde fluat æquali cursu liberalitas. quod optimè cum mente Prophetæ quadrat. *Iustitia eius perstat in seculum.* [A] Hæc particula bifariam accipi potest. Quia enim virtutis nomen non meretur impetus ille ambitionis qui profanos homines ad dissipandum incitat, non malè conuenit continuum tenorem laudari à Propheta: sicuti prius dixit iustos metiri suas rationes in iudicio. Potest tamen hic locus de iustitiæ fructu exponi. Nam videtur esse eiusdem quam nuper vidimus sententiæ repetitio. *Cornu eius exaltabitur in gloria.* [V] id est, Robur & potentia eius sublimabitur in gloria. [C] Ostēdit Propheta quomodo iustitiæ suæ laudem beneficiis Deus asserat,

ac mercede non frustretur: quia scilicet cornu eorum (hoc est, robur, vel prosperum statum) magis ac magis attollet. Acsi diceret, Dominus Deus, cui placet iustitia, magis ac magis iustos & humanos euehet, vt crescat in dies ipsorũ prosperitas. imò à cunctis celebrabitur ipse, in eóque diuina laudabitur bonitas, cuius imitator is factus sit.

10 *Impius videbit, & irascetur, & dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium impiorum peribit.*

Impius videbit. Hoc vltimo versu Propheta infœlicitatem impiorum perstringit, atque antithesi quadam magis illustrat Dei gratiam erga fideles. Videbit (inquit) impius gloriam & fœlicitatem piorum ac timentium Dei, quos antea & contempserat, & odio quoque prosequutus fuerat: indéque adeo turbabitur animo vt molestiam cordis sui fremitu quoque prodat: & tanta liuoris violentia corripietur vt corde cõtabescat. Nam hæc inuidorum natura est vt aliena perspecta celebritate ingemiscant, acerbéque permoueantur: vnde odia plerunque ortum habent, dissidia, persequutiones, exilia, ac, quibus maximè afficitur probitas, obloquutiones. Similem antithesin habes Suprà, 1.a.5. Summa est, quamuis procul omnem pietatis sensum à se reiiciant impii, ne Deũ existiment rebus humanis præesse, sensuros tamen, velint nolint, iustos non frustra se addicere Dei imperio, ad colendam humanitatem. Quantumuis ergo se obducent, mercedem quam rependit filiis suis, manifestam illis fore dicit, quæ ad stridorem dentium cogat, & ipsa inuidiæ tabe ipsos conficiat. *Desiderium impiorum peribit.* Concludit Propheta impios frustratum iri suis cupiditatibus. Nam quum sint inexplebiles, & hoc vel illud subinde appetant, non minus tamen audax est eorum confidentia quã eorum cupiditas. Ita fit vt totum mundum stulta spe haurire non dubitent. Atqui docet Propheta ereptum illis iri à Deo quod putabant in manu sua esse, vt inanes & famelici semper discedãt. Pulchrè ergo tribuitur impiis tale desiderium quod obtinere nõ poterunt. Quid autem molestius quàm inani desiderio noctes ac dies fatigari, ac tandem ipsis oculis longè spectare diuersum?

ARGVMENTVM PSALMI CXIII.

Psalmus hic adhortationem habet ad laudem Dei, eo quòd cuncta tuetur, regit, & pro arbitrio suo mutat, humiles semper euehens, & miseros restituens.

Halelu-iah. *Laudate serui Iehouæ, laudate nomen Iehouæ.*

Halelu-iah. Hoc est, Laudate Dominum. Vel, Existentem. *Laudate serui Iehouæ.* Quanquam Psalmus argumentum continet cunctis mortalibus commune, peculiariter tamen fideles alloquitur Propheta: quia soli spiritualib⁹ oculis præditi sunt ad cernendam Dei manum. Etsi ergo laus Dei tale quid est quod concernat omne genus mortalium, & (sicut Infrà 150.b.6. Vates canit) à quouis spiritu requiratur, non abs re tamen peculiariter serui Dei ad laudem nominis eius excitantur. Nã præter ea quæ cum reliquis mortalibus communiter à Deo acceperunt, in id sunt dignitatis euecti vt gloriæ illius singulariter & ex officio seruiant. *Laudate nomen Iehouæ.* Non est superuacua hæc duplicatio, si expendimus quàm frigidi sint ac pigri homines in hoc pietatis exercitio. Fatemur quidem omnes nos ad celebrandum Dei nomen creatos esse: sed interim iacet inter nos eius gloria. Ideóque meritò corrigitur tã praua segnities, & eadem opera nos stimulat Propheta ad infatigabile studium laudandi Dei. Ergo repetita exhortatio tam ad perseuerantiam quàm ad ardorem referri debet. Siquis per seruos Dei malit Leuitas intelligere, quibus sub Lege erant mandatæ partes canendi Deo, tolerabilis erit sensus ille, modò ne excludat reliquos fideles, quib⁹ olim Deus præfecit Leuitas duces ac magistros, vt sine exceptione celebraretur à populo suo. Nec certè alia ratione, vbi de laudibus Dei agitur, nominatim Leuitas Spiritus compellat, nisi vt suo exemplo præeant aliis, totáque Ecclesia sancto concentu respondeat. Nunc verò, quum regale simus sacerdotiũ (1. Pet. 2.b.9) & Zacharias cap 14.d.21, testetur contemptissimos quosque ex plebe sub regno Christi fore Leuitas, non dubium est quin præteritis incredulis, qui muti sunt, nos ad cultum hunc Deo præstandum communiter Propheta inuitet.

2 *Sit nomen Iehouæ benedictum, ex nunc & vsque in seculum.*

Sit nomen Iehouæ benedictum. Vel, prædicetur nomen Iehouæ. Vel, benedicatur nomen Domini. Est autem benedici, hoc loco, nihil aliud quàm laudari ac celebrari. Confirmat Propheta quod nuper attigimus, cõtinuandas esse toto vitæ cursu Dei laudes. Nam si seculis omnibus laudabile est Dei nomen, saltem tam breui tẽporis spatio, quo in mũdo peregrinamur, solliciè curandum est vt nobis mortuis vigeat eius memoria. *Ex nunc & vsque in seculum.* Pertinet hoc, (vt iam diximus) ad diuinæ laudis diuturnitatem. Ab hoc (inquit) tempore, vsque in sempiternum, nomen Domini tremendum æstimetur, celebreturque à cunctis passim nationibus.

3 *Ab ortu solis vsque ad eius occasum laudabile nomen Iehouæ.*

Ab ortu solis. Superiori versu tempora omnino omnia in extollendo Dei nomine expendi continuúmque debere admonuit Vates: in hoc verò atque in sequenti, loca orbis cuncta & hortatur, & anxiè id adeo inculcat, vt propè nihil aliud à nobis exigi præ se ferat, quàm vt Dei nomen semper omnique in loco atque hominum gradu celebre fiat ac notum. *Laudabile nomen Iehouæ.* Vel, Laudatum. Id est, clarissimum ac celeberrima est gloria Domini. Extẽdit gloriam Domini in omnes terræ plagas: vnde sequitur minimè excusabilem esse nostram ignauiam, nisi mutuò inter nos resonemus eius laudes. Etsi autem sub Lege non alibi quàm in Iudæa rite celebrari potuit Deus, quia nonnisi electo populo innotuerat, digna tamẽ fuerunt eius opera totius mundi præconiis, quæ fuerunt cunctis gentibus patefacta.

4 *Excelsus supra omnes gentes Iehoua, supra cœlos gloria eius.*

Excelsus supra omnes gentes. Ab hoc versu vsque ad finẽ psalmi quasi rationem reddit quare optãdum sit seruis Dei vt nomen eius nõ in Iudæa tantùm, sed & toto terrarum orbe, inter cunctas gentes & nationes laudetur. Q.d. Dominus est, rex est, potẽs est, dominium ac regnum habet non solùm super Israelem, sed & super omnes gentes, quotquot à solis ortu ad occasum vsque orbem hunc incolunt. Conuenit igitur vt no in Iudæa tantùm, sed & in cunctis totius orbis nationibus gloriosum sit nomen eius. Subest etiam hic tacita exprobratio ad damnandũ electi populi torporem. Nam quid magis absurdum quàm oculatos gloriæ Dei testes cessare ab eius laudibus, quæ inter cæcos quoque refulget? Quãuis enim solos Iudæos Deus cœlestis doctrinæ luce tunc dignatus esset, nunquam tamen desinit voluit testimonio: quemadmodum dicit Paulus, Act. 14. c.17, & Rom. 10. c.10. Cæterùm hæc sublimitas promulgato Euãgelio melius perspecta fuit, quia tunc demum sub eius imperium collectus est orbis. *Supra cœlos gloria eius.* Hoc amplificationis gratia adiectum est. Q.d. Non solùm terræ huius incolas, sed & ipsos cœlos excellit diuinæ potentiæ maiestas, vt mirum non sit si laudetur ab vniuersis gentibus. Hac etiam particula Vates hominum socordiam ac tarditatem in prædicandis Dei laudibus notare voluit. Quid enim magis indignum quàm nos in extollenda Dei gloria parcos esse ac tardos quum in sui admirationem sursum rapere debeat cunctas creaturas? Non frustra igitur tantopere extollit Dei nomen Propheta, sed vt sciamus non esse locum desidiæ, & sacrilegum esse silentium, nisi ad ipsum laudibus celebrãdum supra vires contendimus, ita vt affectus noster quodammodo cœlos transcendat.

5 *Quis sicut Iehoua Deus noster, se exaltans ad habitandum?*

Quis sicut Iehoua Deus. Vt Dominum Deum omnibus in vniuersum potentibus præferat, sic vt nec in cœlo nec in terra parem habeat, in hanc exclamationem prorumpit, & quasi insultat vniuersis qui aliquid esse videntur: prouocãs eos vt prodeat aliquis qui Domino Deo par esse possit. *Se exaltans ad habitandum.* Vel, qui eleuat sese ad habitandum. Vel, Qui se attollit ad sedendum. Id est, In summo & sublimi delegit sibi sedem, Attollit se supra cœlos. Sic resolui debent hæc verba, Quamuis Deus in sublimi habitet, ita vt longa sit distantia inter ipsum & omnes creaturas, tamẽ eousque se demittit vt omnia quæ condidit curæ habeat. Ita versus iste sequenti iungitur.

6 *Se humilians ad videndum in cœlo & in terra?*

Se humilians ad videndũ. Docet quomodo Dei prouidentia omnia gubernat & moderatur. Et altitudinẽ gloriæ & potentiæ Dei cum immensa bonitate comparans, hinc laudes eius amplificat. nõ quòd Dei bonitas ab eius gloria separari queat: sed distinctio hæc ponitur hominum respectu, quibus per se formidabilis esset Dei maiestas, nisi comiter se demittẽs amabili dulcedine nos alliceret. Summa igitur est, quamuis Deus supra cœlos habitans, tanto interuallo à nobis distet, non tamen obstare hãc altitudinem quin se nobis propinquum exhibeat, & familiariter salutem nostrã curet. At Propheta Deum supra cœlos excelsum esse dicens, nõ solùm erga homines eius misericordiam commendat (quorum vilis est & abiecta conditio) sed admonet ipsum cœlestes quoque Angelos posse suo iure despicere, nisi quòd paterno amore adductus ad eos sua cura amplexãdos descendit. Quòd si Angelorum causa se hu-

militat, quid de hominibus dicendum, qui in terris reptando, simul etiam innumeris sordibus tenentur impliciti? Siquis roget annon impleat Deus cælum & terrã: facilis solutio est, nihil aliud tradi Prophetæ verbis, quàm ipsum posse pedibus calcare nobilissimas creaturas, imò, propter longam distantiã posse eas negligere. In summa, discendum est non fieri nostra propinquitate vt curã nostri Deus gerat, sed quia vltrò se demittit.

7 *Attollens è puluere inopem, è stercoribus eriget miserum:*

Attollens è puluere inopem. [b] Quo melius Dei prouidẽtia cuncta gubernari ostendat, eam exemplis aliquot illustrat, [c] ac in variis conuersionibus, quæ fortuitò creduntur accidere, egregiè celebrat. Quòd ergo præter nostram opinionem res mutentur, hoc pendere dicit ab vnius Dei arbitrio. Nam si idem & æquabilis esset cursus, iactarent omnes naturam: nunc vicissitudo admonet dominari arcanum Dei consilium. Atqui rebus insperatis attoniti, transferimus imaginationes nostras ad fortunam. Quia ergo omni ex parte maligni sumus, Propheta in rebus insolitis iubet nos prouidentiam mirari. Nam quũ vel bubulci vel alii despectissimi homines ad summa imperia emerserint, tã inopinata nouitate sensus nostros melius expergefieri æquum est. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Nam poterat (sicuti aliis locis) proponere cæli & terræ architecturam: sed quia in ordinario naturæ cursu cæcutiunt mentes nostræ, dicit in operibus insolitis magis conspicuam esse Dei manum. [b] Admonemur etiam hoc loco, non solùm curare Deum res humanas, sed & eorum habere rationem quorum mundus præ fastidio & cõtemptu ne nomina quidem scire dignatur. Hinc ergo discamus delectari humilibus & abiectis, ne si sublimia experiuerimus, vnà cum illis aliquando deturbemur diuinitus. *E stercoribus eriget miserum.* [a] Idem dicit aliis verbis. Vide similia quædam Suprà, 107.d.41.

8 *Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

Vt collocet eum cum principibus. [b] Vel, Vt sedere faciat eum. Vel, Vt habitare faciat eum. [c] Miraculum his verbis amplificat, quum dicit obscuros & sordidos homines non solùm ad quãlibet principatũ euehi, sed vt in sacro populo emineant. Quod maius est quàm dominari in aliis terræ partibus. Status enim Ecclesiæ, præcipuum est & maximè speciosum theatrum, vbi Deus admirabilis suæ potentiæ, sapiẽtiæ & iustitiæ documenta profert ac explicat.

9 *Habitare faciens sterilem in familia, matrem filiorum lætantem. Halelu-Iah.*

Habitare faciens sterilem in familia. [a] Vel, Qui constituit sterilem, familiam. [b] Vel, Qui habitare facit sterilẽ in domo. Vel, familia. Hebraismus pro, Efficit vt quæ prius erat sterilis, amplam habeat familiam. Efficit inquam eam, matrem filiorum multorum, & propter eos lætantem. [c] Ex alio Dei opere diuinam prouidentiam celebrat, quod etsi non videtur tam memorabile, non minus tamen afficit sensus nostros. Nam si mulier quæ diu fuit sterilis, repente concipiat numerosam sobolem, mirari cogimur, licet in quotidianis Dei operibus simus stupidi. בית hoc loco non simpliciter pro ædificio capitur, sed pro ipsa familia, continens pro contento: sicuti Græci *οἶκον* vel *οἰκίαν*, Latini domum appellant. Sensus ergo est, quæ prius solitaria fuerat mulier, donari fœcunditate, vt domum liberis impleat. *Matrem filiorum lætantem.* [c] Lætitiam matribus Vates tribuit, quia licet ad expetendas diuitias, vel honores, vel delicias, vel quælibet commoda propendeant omnium animi, soboles tamen aliis omnibus præfertur. Quum ergo Deus non modo consuetum naturæ ordinem gubernet, sed mutet etiam rerum vices, in sublime euehens qui iacebant contempti, & mulieres steriles fœcundans: nisi ad considerandam eius manum attenti sumus, bis damnabilis est stupor noster. [b] De sterilitate vide Suprà, 68.a.6. Sterilitatis exempla præcesserunt in Sara, Rebecca, & Hannah matre Samuelis: quas tamen Deus gratuita sua bonitate fœcundas reddidit.

ARGVMENTVM PSALMI CXIIII.

[b] Psalmus hic breuiter describit redemptionem Israelis ex Ægypto: deinde præcipua quæ pro eo Dominus designauit miracula perstringit, [c] hoc fine vt filii Abrahæ Deo se totos addicãt, qui gratuita adoptione eos complexus, sibi in sacrum & peculiarem populum esse voluit.

1 *Quum egressus est Israel ex Ægypto, domus Iacob è populo barbaro,*

Quum egressus est Israel. [a] Vel, Quum egrederetur Israel ex Ægypto. [c] Quum enim ille tam præclarũ erga filios Abrahæ amoris Dei pignus & signum fuerit, non mirum est toties reuocari in memoriam. [b] Vnde Vates carmen hoc de redemptione populi ex Ægypto & miraculis aliquot, quæ post illam in mari, in Iordane, in monte Sina & in petra deserti edita sunt diuinitus, quasi poetico more composuit, & Israeli decantãdum præscripsit. Porro non solum egressionis sed & seruitutis Ægypticæ memoriam refricat hoc primo versu, non solùm vt Israelitas admoneat quàm mirabiliter Patres educti fuerint è domo seruitutis: sed etiam vt intelligamus nullum esse captiuitatis ac seruitutis genus tam durum ac potẽs, vnde non sit exitus populo Dei, vbi ille suos liberare & educere cõstituit. Non potuit Ægypti potẽtia prohibere quominus Israel soluta seruitute liber egrederetur. Quòd si talis externa redemptio nunquam obliuione sepelienda erat, quantæ ingratitudinis foret si redemptionem Christi sanguine partam nihili duceremus? *Domus Iacob.* [a] Hoc est, posteri Iacob, Israelitæ, qui, licet in magno numero essent quum ex Ægypto egrederentur, vnam tamen domum ac familiam constituebant. Sic Ecclesia hodie per vniuersum orbẽ dispersa, domus vna dicitur, 1. Timoth.3.d.15, & Hebr.3.b.6, & 1. Petri 2.a.5. idque propter vnam fidem, vnum Deum, vnum Patrem, vnum baptisma, Ephes.4.a.5. *E populo barbaro.* [a] Ægyptios vocat populum לעז id est, linguæ barbaræ & ignotæ. Sic enim fuerant Israelitis ab initio, quum ad illos concederent, [a] sicuti vidimus suprà, 81.a.6. [a] Et fieri potest, quum egerint separati in terra Gosen, vt vulgo lingua Ægyptiorum semper aliena manserit. Vox Hebræa, qua hic vtitur Vates, significat eos qui lingua alia quã Hebræa loquuntur. [b] Interea cogitãdum plurimum calamitatis habere non solùm coniunctum esse sed & subiectum ac mancipatum populo barbaro, non modò quod ad linguã attinet, sed & moribus, animo, ac religione alieno. Maledictionis loco comminatus est Deus hoc malum populo suo immorigero ac rebelli, Deut. 28.e.49.

2 *Fuit Iehudah in sanctificationem eius, Israel dominia eius.*

Fuit Iehudah in sanctificationem. [?] Vel, In sanctitatem. Vel, Fuit Iehudah sanctificatio eius. sub. Dei. Relatiuum sine antecedẽte. Hebraismus. Id est, Consecrauit sibi populum Iehudah. hoc est, Israelem: pars pro toto, secundum illud, Vos estis gens sancta, & regnum sacerdotale, Exodi 19.a.6, & 1. Pet. 2.b.9. [c] Vel potius Propheta his verbis admonet non esse amplius sui iuris populum quem Deus sibi tam pretiose acquisiuit. Quem sensum confirmat id quod mox subiicitur, *Israel dominia eius.* Hoc est, Israel tunc fuit Dei imperio addictus. [c] Nam eiusdem sentẽtiæ sub diuersis verbis repetitio est: ac tribus quidem Iehudah propter excellentiam primatus reliquo populo præfertur. Quanquam minimè dubium est quin idem elogium quo specialiter ornatur, ad totũ populi corpus pertineat. Porro dicitur sanctificari Deus, hominum respectu: quia in se neque crescit, neque minuitur. Et dicitur Iehudah fuisse in eius sanctitatem, Israel in dominium, quia tunc sancta eius maiestas, quæ prius obscurata fuerat, in sui reuerẽtiam traxit quicunque tam incredibilis potentiæ fuerunt testes. [b] Itaque hoc versu potentia Dei celebratur, qua Israelem forti brachio è tyrãnide Ægyptiaca liberauit, & sibi ipsi voicè asseruit ac vindicauit. [c] Quòd si Deus populum suum redimẽdo, regnum sibi erexit, & venerationem peperit sacro suo nomini, excusabilis non est populi ignauia, nisi se in continua tanti beneficii meditatione exerceat.

3 *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.*

[?] *Mare vidit, & fugit.* [b] Hoc versu & sequenti tria miracula admodum insignia commemorat. Primum de diuiso mari rubro, cuius historia legitur Exodi 14.d.16. Secundũ de Iordanis trãsitu, qui Iosue 3.e.14. describitur. Tertium de commotione montis Sina, de quo Exodi 19.c.18. legere licet. *Vidit & fugit.* [a] De mari & Iordane per prosopopœiam loquitur, vt de hominibus. Vidit (inquit) vtique exercitum Dei, indéque quasi pauefactum fugit, & Iordanis cessit retro. Nam illico vt virga Aaron mare rubrum cæderetur, sectum viam dedit Israelitis & Iordanis, simulatque sacerdotes gestantes Arcam, pedibus suis cum attigissent, diruptus est, pársque stetit vt murus, pars in mare salis defluxit. & hoc est quod dicit, *Iordanis conuersus est retrorsum.* [a] Vide hanc historiam in libro Iosue, Cap.3.c.14.

4 *Montes exultauerunt vt arietes, colles sicut agni ouium.*

Montes exultauerunt vt arietes. [a] Montis Sinai concussionem ac tremorem, qui visus est quum Dominus daturus Legem in eum descendisset, assimilat subsultationi arietum & ouium. currentes enim oues subsiliunt. Sic legimus Exodi 19.c.18, Et tremuit (vel commotus est) omnis mons valde. Quod de locis illis montanis dictum fuisse videtur. [b] Quanquam nonnulli Prophetam hoc loco de scopulis Arnon loqui existimant, de quibus Numer.21.c.13. Alii de montibus & collibus intelligũt qui in transitu maris rubri, nudi in ipso maris sinu apparuerũt,

vt illi, quum defluentibus maris vndis prominerent, veluti subsilire visi sint.[A] Qua de re non magnopere cõtendendum est. Potius hoc teneamus,[C] quòd etsi poeticè describit Propheta maris & Iordanis recessum, verba tamen rei modum nõ excedunt: ac mare quidem opifici suo tale præstans obsequiũ sanctificauit eius nomen, Iordanis sua subiectione ornauit eius imperium, montes cõtremiscendo testati sunt quàm sacra sibi esset illius maiestas. Sed non magis propositum est celebrare Dei potentiam quàm paternam curam & studium seruãdæ Ecclesiæ. Ideóque prudenter Israelem à mari, Iordane & mõtibus separat: sicuti diuersa fuit ratio electi populi & mortuorum elementorum.

5 *Quid tibi mare quòd fugisti? Iordanis, quòd conuersus es retrorsum?*

Quid tibi mare quòd fugisti? [M] Hoc & sequenti versu res inanimes & sensu carentes appellat Propheta: interrogátque quid acciderit ipsis vt ad transitum Israelis, naturæ suæ oblitæ, insuetis se modis gesserint: mare fugerit, Iordanis retrocesserit, montes & colles subsilierint.[C] Dum autem Propheta sic populariter mare, Iordanem & montes interrogat, sicuti nuper sensum & reuerentiam potẽtiæ Dei illis tribuit, his figuris acrius coarguit hominum stuporem, nisi intelligentiam qua præditi sunt, ad consideranda Dei opera applicent:[a] ac tantum miraculum diligentius perpendant, vt Deo cui omnia cedunt, ipsi quoque cedant.[e] Aspectus etiam maris, de quo loquitur Propheta, ad damnandam eorum cæcitatem satis superque valebit. mare enim non potuit siccari, neque fluuius lardè retro cursum flectere nisi arcano instinctu, vt Deus ad obsequiũ cogeret. Cæterùm, quanquam ad mare, Iordanem & montes dirigitur sermo, potius tamẽ nos cõpellat Propheta, vt quisque nostrum in se descendens, sedulò & attentè in hac cõsideratione insistat. Ideo quoties occurrunt hæc verba, respõdeat quisque non posse ascribi tantam mutationem naturæ & inferioribus causis, sed hic palam fulgere Dei manum.

6 *Montes exultastis ut arietes, colles sicut agni ouium.*

Montes exultastis ut arietes. [A] Vel, Et vobis montes quòd subsilistis: Futurũ Hebræũ pro præterito. Et plurali vtitur quòd non solùm Sinai, (sicuti versu 4. attigimus) sed & vicini mõtes agitati sint ob præsentiam Dei.[M] Porro montes non interrogat Propheta vt ipse quicquam ab eis discat, sed, (sicuti iam diximus) vt mentes fidelium ad considerationem rerum harum aliquanto penitiorem & accuratiorem excitet, déque potentia Dei admoneat, ad cuius veluti sensum mare, fluuii, mõtes & colles horruerunt, ac signa tremoris, fugiendo, cedendo ac subsiliendo dederunt. *Colles sicut agni ouium.* [C] Similitudo ab agnis & arietibus sumpta, videtur quidem à rei magnitudine longissimè abesse: sed consilium Prophetæ fuit, rudissimè exprimere quàm incredibili modo suam illic virtutẽ Deus explicuerit. Nam quũ in montibus quodammodo fundata sit orbis stabilitas, quid eũ arietibus vel agnis simile, vt huc & illuc saltando se agitent? Non ergo miraculum extenuat Propheta, sed sub crasso genere dicẽdi rudibus ingeniis melius insculpit inopinata virtutis Dei signa.

7 *A facie Domini contremisce terra, à facie Dei Iacob.*

A facie Domini contrem. terra.[V] Quidã legũt, cõtremiscit. Aliĩ, contremiscere meũ. sub. est. vt sit responsio terræ ad præcedẽtis versus interrogationẽ. q.d. meũ est expauescere.[C] Sed quia mox nomẽ terræ subiicitur, hoc cõmẽtum stare nõ potest. Rectius igitur alii literam superuacuam esse docent in dictione חולי, (vt sæpe aliàs) atque hunc eiiciunt sensum, Terram contremiscere coram Domino suo æquum est ac decet. Sed quia à plerisque non malè resoluitur verbum חולי in modum imperandi, eos libenter sequuti sumus. Probabile enim est Prophetam rursus ad terram verba facere, quo magis ad viuum afficiat hominum animos. Sensus tamẽ eodem redit: ac si dixisset, Agedum, sic fieri oportuit vt terra à conspectu regis sui contremisceret. Ponitur enim nomen אדון quod dominum vel herum significat. *A facie Dei Iacob.* [M] Non solùm specificandi gratia adiecta est hæc particula, sed & ad hoc vt Israel de fœlicitate sua admoneretur, ac summæ gloriæ loco duceret quòd tanti Dei populus esset factus.[a] Præterea iubet hac particula omnes deos fictitios procul facessere. Nam (vt propẽsi sunt homines ad fallacias) semper timẽdum est ne idola substituant in veri Dei locum.[M] Cæterùm quod ad terræmotum à facie Dei attinet, cogitandum nobis est quid futurum sit in extremo iudicio, quando totus orbis à facie Domini ad iudicandum viuos & mortuos venientis, imò ipsæ cœlorũ virtutes commouebuntur, & homines exarescent præ metu & expectatione eorũ quæ superuenient orbi vniuerso, Luc. 21. c. 26.

8 *Qui conuertit rupem in stagna aquarum, silicem in fontem aquarum.*

Qui conuertit rupem in stagna. [M] Quo ampliorem de potentia Dei cogitandi materiam fidelibus obiiceret Propheta, aliud miraculum recenset quo Deus post transitum populi rursum in deserto suam virtutem magnificè extulit. Hoc autem modo admonet, non vno tantùm die apparuisse Dei gloriam in exitu populi: sed continuo temporis successu fuisse in aliis operibus conspicuam: sicuti quum ex arida rupe repente fluuius emersit, Exodi 17. b. 6. Verum quidem est scaturire fontes ex rupibus & locis lapidosis, sed ex sicca rupe aquam elicere fuit certè præter naturæ ordinem. Porro hic subtiliter disputandum non est quomodo lapis in aquam fuerit cõuersus: & simplex est Prophetæ sensus, vbi prius siccitas erat ac durities, fluxisse aquas.

ARGVMENTVM PSALMI CXV.

[C] Populus Israel in tristi & calamitoso statu cõstitutus Deũ orat vt liberetur, ne sacrum eius nomen sannis & opprobriis Gentium subiaceat.[a] Deinde vanam idololatrarum confidẽtiam arguit ac ridet,[M] ac seipsum ad gratitudinem & fiduciam in Deum hortatur, sperans ob adoptionis beneficium se nunquam gratuito Dei fauore priuandum.

N*on nobis, Iehoua, non nobis, sed nomini tuo da gloriam propter veritatem tuam.*

Non nobis, Iehoua. [A] Quisnam huius psalmi author fuerit, aut quo tempore compositus, non satis constat.[C] Initiũ tamen hoc demonstrat, fideles in rebus deploratis ad Deum confugere. Non exprimũt autem disertis verbis quid velint, sed obliquè insinuãt suã postulationẽ:[V] ac si dicerent, Eripe nos à tyrãnide Gẽtium, non vt euadamus elatiores, sed vt nomen suum illustrius reddatur. eripe, inquam, vt appareas verax in promissa misericordia. *Non nobis.* [A] Hæc repetitio ardentissimum affectum exprimit.[M] q.d. Non est quòd gloriæ nostræ rationem habeas, eam non quærimus. quid enim sumus quàm mera vanitas? Vindica tuam gloriam: ea periclitatur probris impiarum Gẽtium, quæ, dum premimur, non ærumnis nostris, sed nomini tuo insultant, & illius gratia populum tuum irrident. *Sed nomini tuo da gloriam.* [C] Præfantur his verbis se nõ afferre in medium vlla merita, nec impetrandi fiduciam aliunde cõcipere nisi quia ipsos liberando Deus gloriæ suæ consulet: quia res sint inseparabili nexu cõiunctæ. Quamuis ergo repulsam mereantur, rogant tamen ne Deus nomen suum Gentium ludibriis prostituat. Suis quidem miseriis cupiunt solatium & opem afferri, sed quia nihil in se dignum reperiũt Dei fauore, ipsum appellant gloriæ suæ vindicem. Atque hoc notatu dignum est, quamlibet indigni simus quos Deus respiciat, hoc tamẽ sperandum esse, quia nomen suũ glorificare vult nos seruando, quos ea lege adoptauit vt nunquam deserat. Interea notandum, humilitatis & modestiæ causa non cõqueri apertè de suis miseriis, nec à salute sua incipere, sed potius à gloria Dei. Nam quum ipsa calamitas, quædam esset species reiectionis, pudore confusi non audebãt palã petere à Domino quod optabãt: ideóque insinuatione vsi sunt, vt peccatoribus nihil gratiæ promeritis patrem se Deus præstaret, gloriæ suæ intuitu. Quia autem non semel dictata fuit Ecclesiæ hæc precandi forma, quoties ad Deũ accedimus, veniat nobis in mẽtẽ propria dignitate nos exuere, vt gratuita eius bonitas nos ad bene sperandum animet. Imò hic etiam, quum iuuari petimus, scopus nobis esse debet, vt illustret nomen Dei liberatio quã adepti erimus. *Propter clementiam tuam.*[A] Vel, propter misericordiã tuã. Vel, propter bonitatem tuam.[C] Verisimile est fideles promissione admonitos sic orasse. Dixerat enim Deus exilii tempore, Non propter vos, sed propter me hoc faciam, Esa. 48. b. 11. Vide & Ezech. 36. e. 22. f. 26. Nunc agnoscũt hoc sibi vnicũ esse asylum, dũ spes omnes aliæ deficiunt.[M] Q.d. Quales quales nos sumus, assere gloriam benignitatis ac fidei tuæ, quam toties erga populum tuum declarasti. *Propter veritatem tuam.* [C] Hac repetitione melius ostendunt quàm probè sibi conscii sint suæ indignitatis: vt si contingat centies suas preces repudiari, litem mouere nequeant sua causa.

2 *Vtquid dicent Gentes, Vbi nunc Deus eorum?*

Vtquid dicent Gentes. [M] Exprimunt hoc versu quod genus probri nomini Dei illatum à Gentibus, diminiens repelli petant.[S] Dolebat sanctis, gloriæ Dei imprimis studiosis, iactare impias gentes, Vbi nunc est Deus illorum,[M] de quo gloriati sunt hactenus? Exurgat & opituletur ipsis.[A] Hoc autem in mediũ proferri sciendum est[C] nõ quòd tali admonitione indigeat Deus, sed potius vt ad sanctum illum zelum animos suos

referant fideles, de quo iam vidimus, Opprobria exprobrantium tibi acciderũt super me, Suprà, 69.b.10. Neque enim rhetoricos colores persuadendi causa fictâ inducunt, sed profitentur se ita sollicitus esse de propria salute vt pluris tamen æstiment Dei gloriam, sicuti meretur. *Vbi nunc Deus eorum?* [c] Rationem assignãt cur interfit Dei gloriæ ipsos seruari: quia scilicet fœdus pepigerat quod impii iactassent abolitum esse & extinctum: atque hoc modo & irritam Dei gratiam & vanas promissiones esse dixissent. Deo itaque gratiã suam obiiciunt, deinde fidem, quarum vtranque manebant impiæ calumniæ, si populum, quem æterno fœdere sibi deuinxerat, & quem adoptauerat, gratuita misericordia frustratus esset. Nũc quum nos quoque Deus Euangelii sui participes faciens, in corpus filii sui inserere dignatus sit, licebit idem in medium afferre. [m] Notandũ est autẽ quòd non dicunt simpliciter, Vbinam est Deus? Sed, Vbi nunc est Deus eorum? Neque enim tales videri volebant qui de Deo vero dubitarent, & vbinã esset quærerent: sed præsumebant habere se verorum deorum cultum, esse in templis ipsorum deos, quorũ ipsi beneficio & virtute regnarent, & Israelitas opprimerent, tanquam populum impium, veris diis inimicum, atque interim de vano quodam patrũ ipsorum Deo gloriantẽ, qui tamen nusquã ostendi posset, nec populum suum tueatur. Et certè hoc genus probri ferè perpetuò piis ac Dei timentibus incumbit, à quo alieni sunt illi qui & Deum suum in templis ostendunt, quoties volunt, & rebus huius mundi, ex voto, veluti religionis suæ beneficio, vtuntur. Sed de hac impia Gentium insultatione vide Suprà, 79.c.10.

3 *Atqui Deus noster in cælo: omnia quæ voluit fecit.*

Atqui Deus noster in cælo. [v] Quidam vertunt, Certè Deus noster. Ad verbum, Et Deus noster. Paucissimis verbis fideles insultationi Gentium occurrunt, & gloriam diuinæ maiestatis tuentur, ea illi tribuentes quæ diis gentium tribui non poterant. [c] Atque hoc modo sancta fiducia se magis animant ad precandum: quia scimus irritas esse nostras preces si inter dubitationes fluctuamus. Si in eorũ animos penetrasset illa blasphemia, futurum erat lethale vulnus. maturè igitur clypeum opponunt, atque ideo abrumpunt orationis filũ. [v] Secum enim ipsi loquuntur, & sibi confirmationem suppeditant, quo animosius precentur. [c] Porro Deum in cælis locando, non includunt aliqua loci circumscriptione, neque cancellos circundant immensæ eius essentiæ: sed negãt finitam esse eius potentiam, vel alligatam humanis mediis, negant obnoxiam esse fato, vel fortunæ: denique totum mundum subiiciunt eius imperio, vt superior omnibus obstaculis liberè quicquid visum est exequatur. Quod clarius exprimit, dicens, *Omnia quæ voluit fecit.* Quomodo igitur in cælis Deus habitat? [c] Quia subiectus est mundus eius arbitrio, vt nihil obstare queat quominus impleat quicquid decreuit. Est autem insignis doctrina, Deum facere quæcunque vult, modò aptetur in verum & legitimum vsum. Quod ideo admonemus, ne curiosi vel proterui homines licentiam sibi pro more arripiant transferendæ sanæ doctrinæ in phreneticas delitias. Et plus satis quotidie perspicimus hac in parte humani ingenii lasciuiam, quia plurimi de hoc mysterio, quod reuerenter in primis suspicere decebat, sine vllo pudore & modestia blaterant. [m] Noster ergo Deus (inquiunt) in cælis est. Cælestis quippe est, non terrenus, sicut illorum non dii, sed inania figmenta. Cælos possides, tanquam arcem diuinæ maiestati conuenientem. Quòd videtur nos deserere, non est infirmitatis, vt putant, sed consilii & arbitrii ipsius omnium liberrimi & potentissimi. Etenim hæc illius est potentia, diuina videlicet, vt faciat non ex necessitate, non impeditè, non ex occasione: sed liberè, perfectè, & ex destinato, quicquid ipsi lubet ac placet. Est enim Deus viuus, omnis sciens, omnia potẽs. [c] Sed, vt ad nos redeat huius doctrinæ vtilitas, notare conuenit cur dicatur Deus facere quæcunque vult: nempe quòd Deo plena suppetat facultas ad tuendam Ecclesiæ suæ salutem: deinde quum omnes creaturas cõtineat sub manu sua, nullo obstaculo prohiberi quominus sua consilia perficiat. [a] Ait enim, Cõsilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Esa. 46.c.10. [c] Quanquam ergo vident fideles præclusas sibi esse omnes salutis vias, colligunt tamen animos, quia Deus non solùm omnibus impedimentis superior est, sed ipsis etiam vtitur ad viam sibi sternendam. Interea simul hoc tenere necesse est, fieri omnia solius Dei decreto, nihil autem fortuitò cõtingere. Tantùm de vsu doctrinæ præfari oportuit, vt se cohibeant mentes nostræ nequid imaginentur indignum Dei gloria, sicut solẽt erratici spiritus. Sumpto illo principio, ne pudeat nos ingenuè fateri Deum sic æterno consilio moderari omnia vt nihil fiat nisi ipso volente & ordinãte. Ideo appositè & scitè Augustinus hoc testimonio probat non simplici Dei permissu accidere quæ videntur nobis absurda, sed nutu etiam & decreto. Nam si facit Deus noster quæcunque vult, cur permitteret fieri quæ non vult? Cur diabolum & omnes impios sibi repugnantes non coercet? Si medius fingitur inter actionem & passionem, vt toleret quæ fieri non vult, erit igitur otiosus in cælo, vt Epicurei somniant. Quòd si fatemur Deum consilio præditum esse, vt mundum, cuius est opifex, curet & gubernet, nullàque negligat eius partem, inde sequitur, quicquid fit, ipso volente fieri. Qui obgãniunt, Deum hoc modo fore malorum authorẽ, peruersi sunt dialectici. Nec verò si impuri sunt canes, latratu suo efficient vt mentitus sit Propheta, vel Deo arripiant mũdi gubernationem. Si nihil fit nisi ex Dei consilio & decreto, videtur peccata non reprobare. Atqui habet arcanas suas causas & nobis incognitas cur fieri velit quod faciũt peruersi homines, non tamẽ pro vitioso eorum affectu. Voluit Deus Ierosolymam excidi: volebat hoc idem Chaldæus, sed alio modo. Ac tametsi Babylonios sæpius appellet milites suos conductitios, dicat excitatos suo sibilo, imò gladium manus suæ (Esa. 5.f.26.) non tamen propterea dicemus fuisse eius socios: quia longè diuersum fuit consilium: vt in excidio Ierosolymæ refulgeat Dei iustitia, Chaldæos sua libido, auaritia & crudelitas meritò condemnet. Quanuis ergo fieri velit Deus quicquid fit in mundo, non tamen quicquam mali vult fieri: quia etsi incomprehẽsibile nobis est eius consilium, optima tamen ei ratio semper constat. Quòd si nobis sufficit sola eius voluntas, vt certò persuasi simus, quanuis iudicia eius sint abyssus profunda (Suprà 36.b.7.) illic tamen regnare summam iustitiam: hæc iustitia longè doctior erit toto eorum acumine qui opera eius captu suo metiri audent. [m] Itaque si quispiam dicat, Quid si illi placeat quod iniustum, malum & iniquum est? annon id faciat? Respondendum est illi, Fac primùm arborem malam, deinde disputa de malis fructibus. Constitue primùm Deum malum, deinde infer periculosum esse si detur illi libera voluntas, vt quod ipsi lubet faciat. Fieri enim posse vt quod malum est, malus ipse velit: quod iniustum & iniquum est, ipse iniustus & iniquus cupiat. In summa, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, si tribuas homini, tyrãnis est: si Deo, libera diuinæ maiestatis prouidentia est. [c] Iam & hoc rursus notandum est: si facit Deus quæcunque vult, ipsum fieri nolle quæcunque non fiunt. [m] Neque enim Propheta dicit, Quicquid ipsi lubet, facere potest, sed, Quicquid ipsi lubet, facit. [c] Quod in primis vtile cognitu est. sæpe enim quum ad Ecclesiæ afflictiones conniuet Deus, ac quiescit, quærimus cur sinat eam tabescere, cui succurrere in manu eius est. Auaritia, fraudes, perfidia, crudelitas, ambitio, superbia, libidines, ebrietas, omne deniq; genus corruptelæ hodie grassatur in mundo: quæ mox cessarent si Deo placeret adhibere remedium. Quare hoc nobis tolerantiæ frænum sit, dum videtur torpere Deus, vel facultate destitui ad opem ferendã, nolle tam subitò, quia moram & dilationem vtilem esse nouit: volentem certè, sua dissimulatione ferre quæ momento corrigere posset, si liberet.

4 *Idola eorum, argentum & aurum, opus manuum hominum.*

Idola eorum, argentum. [m] Post assertam diuinæ maiestatis gloriã, [a] inanitatem idolorũ deridet potius quã describit, [a] ostendens quàm latum sit discrimẽ inter verum Deũ, quẽ fideles colunt, & falsos illos deos quos superstitiosa imò impia Gẽtiũ multitudo veneratur. [a] Hac autem antithesis in hunc finem referri debet vt melius spem suam confirment pii qua recumbunt in vnum Deum: quia extra ipsum quicquid diuinitatis concipiunt hominum mentes, stultum est ac delusorium figmentum. Nam certè totius mundi errorem & insaniam cognoscere non parum prodest ad veræ pietatis confirmationẽ, dum ex altera parte occurrit Deus, quẽ certò scimus esse cæli & terræ opificem, nec frustra vel fortuitò à nobis coli. Porro quo fortius retundat impiorum petulantiam, qui Deum cum electo populo superbè despicere audebant, contemptim deridet fallaces eorũ deos, primũ idola vocans, hoc est ter nihili deridens, quia conflati sunt ex mortua materia, vigore & sensu carere arguẽs. Quid enim magis præposterum quàm ab illis quicquã opis sperare, quando neque materia ex qua fabricantur, neque forma quæ accedit ex manu hominum, vllam in se continent diuinitatis guttam, quæ reuerentiam illis conciliet? Interea tamen subindicat Propheta pretium materiæ nihil dare præstantiæ idolis, vt pluris fieri mereantur. Ideóque aduersatiuè resolui potest oratio, quanuis aurea sint & argentea, non esse tamen deos, quia sint opus manuum hominis. Nam si simpliciter materiam vilipendere propositum fuisset, potius vocasset lignum & lapidem: nunc verò auri tantùm & argenti meminit. Interea tamẽ Propheta nihil minus cõsentaneum esse

admonet quàm hominis vel essentiam, vel formam, vel honorem etiam Deo conferre, quia ipsi prærarò euanidum spiritum tribuunt. [c] Vnde sequitur stultè gloriari gentes de deorum suorum auxilio, quibus originem dederunt. Nam vnde idolis principium, nisi ex hominum arbitrio? Adest ad manum materia: liberum esset non modò pateram aut vas aliud fingere ex auro vel argento, sed matulam quoque & Deum fingere magis libet. Quid magis ridiculum quàm mortuæ massæ accedere nouam deitatem? [m] Quum ergo Propheta dicit idola esse opera manuum hominum, illorum vanitatem ostendit. Animalia etiam leuiora & minutula, opera Dei sunt, non hominum: sunt igitur ea multo nobiliora & excellentiora idolis quæ tantùm opera manuum hominum dicuntur.

5 *Os illis, & non loquentur: oculi illis, & non videbunt.*

Os illis, & non loquentur. [a] Vel, (vt quibusdam placet) nō loquuntur. [b] Salsè addit Propheta, quamuis membra suis simulachris forment Gentes, non posse vel motum aliquem vel visum dare. Eo itaque præclarius secum agi intelligunt fideles, quia indubiè stat verus & vnicus Deus ab eorum parte: quando constat gentes omnes superbire vmbrarum præsidio. Quāquam latius extendi debet hæc doctrina, quia inde generaliter colligimus, perperam Deum quæri sub externis figuris quæ nihil simile vel affine habēt cælesti eius gloriæ. Nisi enim hæc sententia hodie teneretur, Gentibus in promptu fuisset exceptio, iniustè se damnari: quia etsi idola sibi in terris conflabāt, persuasi tamen erāt Deum in cælo esse. Neque enim Iouem putabant vel lapideum esse, vel aureū, vel fictilem, sed repræsentari sub his signis. Vnde enim loquutio illa, supplicare ad deos? nisi quòd simulachra putabant esse quasi eorum personas? Nō habent (inquit Cicero) Siculi deos ad quos precentur. Barbarè hoc diceret nisi hæc infixa fuisset opinio vulgi animis, deorum cælestium figuras sibi ante oculos versari, in ære vel argento, vel marmore. Sed quia deos sibi propiores putabant, quum ad simulachra accederēt: meritò delictum hoc exagitat Propheta, quòd deitatem includāt corruptibilibus signis: quia à natura Dei alienum est sub lapide, frusto marmoris, vel ligno, & trunco, vel ære, vel argento, habitare. Et hac ratione vocat Habacuc magisterium falsitatis crassam illam colendi Dei formam, Cap. 5. d. 18. *Os illis, & non loquentur.* Notanda est hæc insectatio. Cur enim ad Deum confugimus, nisi quia vita nostra ab eo pendet? in eius manu est salus nostra? penes eum residet bonorum omnium copia, & iuuandi facultas? Quid ergo absurdius quàm à simulachris petere quod illis deest, quū & motu & sensu careant?

6 *Aures illis, & non audient: nares illis, & non olfacient.*

7 *Manus illis, & non palpabunt: pedes illis, & non ambulabunt: non clamabunt gutture suo.*

Aures illis, & non audient. [v] Vel, non audiunt. [a] Hoc quàm verum sit testatur sacra historia, quæ narrat sacrificatores Baal ad vesperam vsque clamasse, nec tamē exauditos à Deo ipsorum fuisse, 1. Reg. 18. c. 29. 7 *Manus illis, & non palpabunt.* [a] Et hoc ad amplificandam idolorum vanitatem ac inanitatem additum est. Manus Domini potentissima est, quæ & humiles erigit, & elatos deprimit: at manus idolorum prorsus inutiles sunt & inefficaces. *Pedes illis, & non ambulabunt.* [a] Vel, Et non ambulant. Q. d. Si hostes aduenerint, non possunt aufugere, imò nec pedem mouere vllo modo possunt. *Non clamabunt gutture suo.* [v] Vel, loquuntur, immurmurant. [m] Rem per se satis notā refert hic Propheta, & quam ne idololatræ quidem negant. Fatentur enim simulachra quæ venerantur, nec videre, nec audire, nec loqui, nec incedere, nec olfacere, &c. Neque tamen sacra scriptura hæc tam vulgariter nota præter rationem simulachrorum cultoribus obiicit. Quanuis enim illa quæ diximus negare nequeunt, adeo tamen dementati sunt vt ad simulachra ambulare non valentia ipsi pedibus incedentes, prolixis itineribus contendant: coram cæcis ipsi videntes, in genua procumbant, & cereos accendant: coram surdis ipsi audientes vota faciant: à mutis ipsi loquentes responsa poscant, coram olfactu destitutis thura succendant, nihil manibus accipere valentibus dona offerant: & in summa, opem ab illis petant quæ eam nec hominibus dare nec ab hominibus accipere possunt: hoc solo illecti quòd formæ humanæ membra habentia, sub deorum nomine loco honorabili prostant.

8 *Similes illis erunt qui faciunt ea, quisquis confidit in ipsis.*

Similes illis erunt qui faciunt ea. [a] Vel, Vt illa sunt, sic sunt qui faciunt ea. [e] Quibusdam videtur esse imprecatio: itaque futurum tempus optādi modo vertunt, Similes fiant. Vel, Sic vt ipsa sint qui faciunt ea. Sed non minus rectè conuenit subsannatio, si affirmet Propheta idololatras non minus esse stupidos quàm si trunci essent, vel lapides. [m] Sicuti ergo primùm ipsum Deum, deinde & cultores eius, populum Israelis, respuerunt & irriserunt: sic Propheta vicissim, postquam simulachra gentium vanitatis arguit, consequenter & omnes illorum cum factores tum cultores pariformiter traducit. Similes (inquit) illis erunt qui faciunt ea. Et quomodo sunt illa Muta, cæca, surda, &c. oculos habentia, & non videntia, aures &c. in summa, brutis animantibus viliora. Sic sunt etiam illorum opifices & cultores. Nā nisi cæci, surdi ac dementes essent, facilè intelligerent nihil illic quærendum esse diuinitatis, nihil auxilii, vbi mortua sunt ōnia, & talia quæ nec sibi ipsis, nedum aliis aliquid adferre queāt. [c] Meritò autē tam acriter inuehitur Propheta in homines naturaliter ratione præditos, quòd seipsos abdicēt omni ratione, & iudicio, sensúque communi priuent. Nam qui à rebus mortuis vitam petunt, nónne quantum in se est extingunt omne rationis lumen? Summa est, Si qua esset gutta sanæ mentis, nō tribuerent operibus manuum suarum deitatem, quibus sensum dare nequeūt. Et certè hoc vnum sufficit ad tollendū ignorantiæ prætextum, quòd præter naturæ rationem falsos deos sibi fabricant. Vnde sequitur sponte claudere oculos, obducere sibi tenebras, séque obstupefacere. quæ voluntaria cæcitas eos prorsus inexcusabiles reddit, ne obtēdere liceat errorem a pio zelo profectum esse. Nec verò dubium est quin Propheta titulum ac colorem ignorantiæ discutere voluerit: quia sponte obbrutescunt homines. [m] Ergo opifices & cultores idolorum, licet, vt viui homines, videant, audiant, loquantur, incedant, &c. in cognitione tamen ac cultu Dei nec vident, nec audiūt, nec vllo sunt sensu prædi[t]i: sed planè similes mortuis, cæcis, surdis, & insensatis simulachris, quibus cultus diuinos impēdunt. *Qui quis confidit in ipsis.* [v] Vel, omnis qui fidit eis. [e] Hinc clarius patet cur tantopere abominetur Deus simulachra: quia scilicet ferre nequit cultum sibi ereptum ad ea transferri. Nihil Deo magis proprium quàm vt mundus agnoscat eum esse vnicum salutis authorē: quicquid opus est petat ab eo solo & expectet. Ideóque spoliatur debito cultu, & quasi in nihilum redigitur eius maiestas quoties alibi locatur fiducia. Sacrilegium hoc Propheta accusat: sicuti etiam multis locis zelotypiæ confertur Dei indignatio, quoties videt idola & commentitios deos suis spoliis ornari, Exodi 34. b. 14, & Deut. 5. a. 9. Si quis statuam fingat ex marmore, vel ligno, vel ære, si conflet ex auro vel argento, non esset hoc per se tam execrabile: sed vbi Deum suis figmentis tentat affigere, & quasi ipsum elicere è cælo, in eius locum substituitur mera falsitas. Verum quidem est falsificari (vt ita loquamur) Dei gloriam, simulac induitur forma corruptibili: (Cui similem me fecistis? clamat per Esaiam, Cap. 40. f. 15, & 46. b. 5, & plena est Scriptura talibus testimoniis) duplicatur tamen contumelia vbi eius virtus, gratia & potestas in idolis inclusa creditur. Quanquam morbi sunt fere inseparabiles, idolis alligare suam fiduciam, postquam fabricata fuerint. Vnde enim tam cupidè appetit mundus lapideos vel ligneos deos, vel fictiles, vel ex quauis terrena materia, nisi quia imaginantur Deum à se remotum, donec aliquo vinculo constrictum teneant? Quia igitur nolūt Deum spiritualiter quærere, detractum ex solio suo mortuis elementis subiiciunt. Hinc fit vt preces dirigant ad simulachra, quia in illis putant propinquas sibi esse Dei aures, oculos etiam & manus. Dicimus vix posse hæc duo vitia disiungi quin diuinum numen idolis arrogent quicunque ea fabricando, Dei veritatem conuertunt in mendacium. Prophetæ tamen consilium fuit (vt nuper admonuimus) præcipuum sacrilegium damnare, & quod maximè detestabile est, quum dicit idolis confidere incredulos. [m] Notandum etiam quomodo Spiritus sanctus fiduciam in simulachra cultoribus simulachrorum tribuit. Idolorum cultores nolunt tales videri qui spem ac fiduciam ponant in simulachra surda, cæca, muta, mortua & insensata: sed prætexunt alii numen in simulachro latens, alii id quod per simulachrum significatur. Sic enim idololatriam suam excusare soleot. Verùm quoniā simulachra adorant, vota ad illa destinant, & coram illis procūbendo reddunt, sacrificant, opem ex statuarum implorant, & cultum Dei profanant, rectè Spiritus sanctus hoc illis tribuit, quòd fiduciam in simulachra collocēt. [a] Vani igitur erunt omnes eorum prætextus in Dei iudicio.

9 *Israel confide in Iehoua, auxilium eorum & clypeus eorum ipse.*

Israel confide in Iehoua. [a] Vel, Nitere Iehoua. Postquam idola idolorúmque cultores dignè irrisit Propheta, ad fidendum & colendum Deum inuitat primùm Israelem, deinde domum

Aharon, siue Leuitas, tertiò, timentes Deum. Cuius rei rationē mox subiungit, dicēs, *Auxilium eorum, & clypeus eorum ipse.* [b] Nēpe sperantium in eo. Nam relatiua sæpe sine substantiuis ponuntur, quæ ex præcedentibus suppleri debent. Vel est personæ mutatio. pro, Est enim auxiliator noster & propugnator. [a] Docet autem Propheta non esse timendum veris Dei cultoribus ne ipsos in necessitate deserat, vel frustretur: quia tā propensus est ad curandam eorum salutem quàm potentia instructus. [m] Admonentur etiam pii omnes non satis esse si falsos idololatrarum cultus damnent ac detestentur, nisi nos rite ad verum cultum Dei accommodent. Damnātur quidem simulachrorum cultores quòd fiduciam collocant in simulachra sua: verùm illis adhuc peiores sunt qui prorsus omni sunt fide spe et fiducia destituti, homines planè impii, & omnis religionis & fidei expertes.

10 *Domus Aharon confidite in Iehoua: auxilium eorum & clypeus eorum ipse.*

Domus Aharon confidite in Iehoua. [a] Optimo ordine Vates progreditur, dum populum Dei ad ei fidendum hortatur. [c] Nam quia Deus promiscuè adoptauerat totum populum, omnibus etiam exposita erat eius gratia, vt deberent in eo spes suas figere. quo sensu dicit Paulus duodecim tribus Israel expectare promissam redemptionem, Act.26.b.7. Non abs re igitur Propheta totum Israelem initio complectitur. Rursum tamē quia peculiariter elegerat sibi Deus Leuitas, præcipuè verò Sacerdotes ex domo Aharō, qui aliis præirent essēntque religionis antistites, plus ab ipsis quàm à reliquo vulgo requiritur: nō quòd specialis salus illis promissa esset, sed quia æquum erat viam aliis ipsos monstrare, quibus aditus in Sanctuarium patebat. Acsi diceret Propheta, Vos filii Aharon, quos Deus magistros religionis populo suo esse voluit, estote aliis exemplum fidei: quando singulari honore vos dignatus est, Sanctuarium suum vobis aperiēs. [m] Monemur autem hoc loco, vt qui in Ecclesia Dei præ cæteris ministerii dignitate honorātur, quicquid pietatis à populo Dei in genere requiritur, hoc ipsi singulariter & magis eximiè præstent. Verùm nostris temporibus nusquam minus fidei & pietatis reperitur quàm in illis ipsis qui de sacerdotii dignitate admodum gloriantur ac digladiantur.

11 *Qui timetis Iehouā, confidite in Iehoua: auxilium eorum & clypeus eorum ipse.*

Qui timetis Iehouā, confidite. [m] Hoc nonnulli de religiosis Iudæis, alii de proselytis, alii de quibusuis, quocunque loco & natione Dominum timētibus, intelligūt, [a] acsi vaticiniū esset de Gentium vocatione. Quia enim filiis Israel & filiis Aharon eos adiungit Vates, putant quidam incircumcisos notari, qui nondum collecti erant in ouile. Sed eodem argumento colligere liceret sacerdotes non esse ex genere Abrahæ, quia seorsum de illis facta est mentio. [m] Potius ergo istud edictum est hac ratione vt admoneātur & populus & Sacerdotes, illis demū sperandum esse in Dominum, & illis esse Dominum auxilium & scutum qui ipsum timēt, id est piè & ex animo colūt, reliquis verò nequaquā. [c] Subest itaque correctio in his verbis, quæ veros Dei cultores ab hypocritis, qui degeneres erāt Abrahæ filii, discernit. Quoniam ergo multi carnales Abrahæ filii desciuerant à fide patris, promissionem ad eos restringit Propheta qui eam fide amplexi sincerè Deum colebāt. Atque ita nunc tenemus cur per tres istos gradus progressus fuerit quemadmodum siquis hodie exhortationem dirigat, primò ad totum Ecclesiæ corpus, postea descendat specialiter ad ministros & doctores, qui debēt aliis esse antesignani. [m] Interea notandum non satis esse siquis sit de populo Dei, quod ad externos ritus attinet, nisi adsit timor Domini. nulla enim prærogatiua quicquam valet coram Domino nisi animi integritas refulgeat.

12 *Iehoua recordatus est nostri: benedicet, benedicet domui Israel, benedicet domui Aharon.*

Iehoua recordatus est nostri. [a] Vel, Iehoua memor fuit nostri. Id est, respexit nos. Vel, misertus est nostri: opem tulit nobis. *Benedicet.* [c] Qui verbum benedicendi in præterito tempore vertunt, acsi Vates proposita experientia superiorum temporum, fideles ad bene sperandum incitaret, hūc sensum eliciūt, [v] Nisi Dominus nos respexisset, sæpius actum erat de nobis: quòd non perimus, quòd adhuc stat genus nostrum, quòd floremus adhuc, quòd etiam bona multa nobis suppetunt, hoc necesse est adscribere Dei benedictioni: quia nos respexit, vel nostri misertus est. [c] Quia tamen nulla ratio cogit futurū in verbis tēpus mutare, optimè etiā cōuenies, fidelib' eandē promitti quam antè experti erant gratiam. Ita sensus esset, Deus hactenus fœderis sui memor nos respexit: ergo eius benedictio sicuti cœpit, ad finem vsque in nos defluet. [m] Videbatur Deus populi sui oblitus, eo quòd illū ad tempus libidini Gentium permitteret: sed Vates benedictionem a Deo pollicetur, sciens veros Dei cultores nunquam à Deo desertum iri. *Benedicet domui Israel* [a]. q.d. Semel Israelem adoptauit, ac sibi populum illum elegit: nunquam igitur suo illum fauore destituet, semper illi aderit & auxiliabitur. *Benedicet domui Aharon.* Hoc est, Sacerdotibus & Leuitis, quos ad sui ministerii dignitatem euexit.

13 *Benedicet timentibus Iehouam, paruulis simul cum magnis.*

Benedicet timentibus Iehouam. [a] De veris Dei cultoribus, qui erant in populo Israelis, loquitur. [c] Nam eundem ordinem repetit, filiis Aharō superiorē gradum tribuens in benedictione Dei, larvatos autem Israelitas ab ea excludens. [m] In eo verò quòd benedictionis verbū quatrò repetitur, admonemur de certitudine benedictionis diuinæ, quæ promissa est populo Dei, & ministris eius, quotquot Dominum timēt, & ex animo colunt. *Paruulis simul cum magnis.* [a] Hac circumstantia magis commendat Vates paternam Dei indulgētiam, quia ne vilissimos quidem & cōtemptissimos negligat, qui modò ex animo eius fidem implorant. Iam quum nulla sit personarum acceptio apud Deum, ne ab accessu nos absterreat ignobilis & abiecta nostra conditio, quando tam comiter inuitat qui nullius videntur esse pretii.

14 *Adiiciet Iehoua super vos, super vos & super filios vestros.*

Adiiciet Iehoua super vos. [v] Vel, addet. Id est, maiora quàm antea vobis beneficia conferet. Coniungit spem futuri temporis cum experimento superioris vitæ. [c] Quia enim fons est inexhaustus Dei liberalitas, nunquam desinit cursum suum tenere quādiu suæ ingratitudinis obstaculo eam homines non arcent. Vnde sequitur ad posteros quoque manare: quia Deus adoptionis suæ gratiam & fructū in mille generationes propagat. *Super vos & super filios vestros.* [m] Mirum videtur in oculis iustitiariorum, gratiam Dei non agnoscentium, quòd Dei benedictio, quam electis suis pollicitus est, ad eorum etiam posteros extendatur: adeo vt non modò adulti, sed & infantes diuinæ sint benedictionis, regni Dei ac fœderis participes: vnde & iussi sunt signo fœderis obsignari. [a] Neque enim frustra dictum est, Ero Deus tuus, & seminis tui, Gen.17.a.7.

15 *Benedicti vos à Iehoua qui fecit cælum & terram.*

Benedicti vos à Iehoua. [v] Versus iste exclamationem habet, natam ex tantæ bonitatis admiratione, hos qui Deo credunt, esse eos in quos incomparabiliter Deus beneficus esse soleat. Loquitur enim hic de vero Israele, veris sacerdotibus, verisque Dei cultoribus. [v] Alloquitur autē Vates filios Abrahæ à reliquis Gentibus selectos, vt hoc priuilegio freti non dubitent totos se tam benigno & benefico patri addicere. [m] q.d. Vos estis populus diuinæ benedictionis particeps, populus in gratiam ab eo acceptus qui summa potestate præditus rerum omniū conditor est. Videmus hic quid sentiendum sit homini fideli de populo & Ecclesia Dei: esse eos videlicet benedictos à Iehoua, vel (quod idem est) benedictos Iehouæ. Sic conuenit nos & sentire & affici quoque erga Ecclesiam fidelium, non solùm in genere, sed & erga quemuis è numero fidelium. Sic Laban seruum Abrahæ benedictum Domini vocauit, Gen.24.d.31. Et Christus eadem appellatione electos suos ad possidendum paratum illis regnum in die iudicii vocaturus est, Matth.25.c.34. *Qui fecit cælum & terram.* [c] Quia caro pro sua tarditate non apprehendit Dei potentiam, cuius cognitio nos sub Dei præsidio quietos & securos continet, Propheta cœli & terræ opificem vocans, admonet minimè timendum ne ipse vnus ad nos tuendos sufficiat. Neque enim sic creauit Deus cœlum & terram vt nunc sedeat otiosus in cælo, sed vt suo imperio moderetur quicquid semel condidit. Ergo creationis cæli & terræ consideratio seruiat nobis in afflictionibus, vt Dei immensam potentiam considerantes, securè spernamus huius mundi minas. Vide Act.4.f.19.

16 *Cæli cæli Iehouæ, at terram dedit filiis hominum.*

Cæli cæli Iehouæ. [a] Vel, Cælum cælum Iehouæ est. Quidam, Cæli cælorum Domini sunt. [m] Quia proximo versu de cæli & terræ creatione cecinit, asserit hoc versu cælum & terram esse in iure ac potestate Dei, tanquam opificis ipsorum: [c] simulque bonitatem Dei paternumque erga humanum genus amorem commendat, quòd quū nulla re indigeat Deus, mundum tamen cum suis opibus in suum vsum condiderit. Quorsum enim tanta bonorum varietas (quæ vbique se ingerit oculis nostris) referta est terra, nisi quia Deus, vt proui-

dus paterfamilias, necessitatibus nostris consuluit. Quotquot ergo commoditates hic percipimus, totidem sunt paternæ eius curæ testimonia. Hoc itaque Prophetæ consilium est, ostendere Deum gloria sua contentum, terram locupletasse copiis omnibus, nequid hominibus deesset. Deum autẽ omni terrena opulentia posse carere probat, quoniam inhabitat cœlos: acsi diceret, Sufficit Deo habitatio cœlestis, quanquam illic neque seritur, neque metitur, neque vlla est frugũ copia. non enim indiget istis adminiculis quæ pertinent ad tolerandam hominum vitam: cœli sunt illi pro centum mundis: intus est eius fœlicitas. Quicquid autem creauit, illud creauit in vsum filiorum hominum. hoc vnum spectauit in creatione rerum omnium, vt ostendat se esse patrem erga homines, & liberaliter illis prospiciat quantum fert illorum vsus: omnia dat & destinat in ipsorum vsum. Tantùm hoc vnum vult, vt homines ipsum adeant, & referant illi acceptum quicquid bonorum percipiunt. [c] Et duplicatio, rei certitudinem ostendit. q.d. Cæli cæli Deo sufficiunt. *At terram dedit filiis hominum.* [c] Nempe vt eam inhabitent, et bonorum quæ in ea sunt opulentia vtantur, atque ita Deum tam beneficum patrem suspiciant, reuereantur & ament. [c] Quicquid enim in mundo opulentiæ est, clamat alta voce quàm beneficus pater sit Deus ergà homines. [A] Qua de re vide Matth.5.g.45, & Act.14.c.17. [V] Quũ verò de incomparabili ista Dei bonitate concionatus sit hoc loco Spiritus sanctus, mirum est huius doctrinæ nullum fuisse gustum. Canebant sub Papatu (sicut hodie faciunt) Psalmum hunc in templis: sed an centesimus quisque expendit Deum, omnia nobis largiendo, nihil sibi præter gratiarum actionem residuum facere? Neque in eo tantùm se prodit mũdi ingratitud o. sed fœdius ad crassam & nimis pudendam blasphemiam vulgò corrumpere ausi sunt perditi nebulones, quibus hic versus iocosi dicterii loco fuit, quum Deum in cælo deliciari dicerent, nec curare res humanas. Et quũ Propheta hic disertè exprimat Deo non alia in re velle esse mũdum nisi vt paternæ erga homines eius solicitudini seruiat, verba Prophetæ in ludibrium torserunt porci isti & canes, acsi propter lõgam distantiam homines non respiceret. [N] Nam ex hoc loco probare nitũtur, in potestate monarcharum esse vt in hac terra in qua imperant, liberè constituant de omnibus non solùm in humanis rebus, sed & in religione: quasi sic diuiserit Deus cælum & terram, vt sibi & Angelis cælum reseruarit, in quo regnet & ludat cum cælestibus spiritibus: terram autem filiis hominum sic dederit vt in illa non habitent tantùm sed & pro arbitrio ipsorum regnent, & cuncta disponant: nec curet ipse quomodo regnent magistratus, merum (vt vocant) imperium habentes. Sed vim faciunt perditi isti nebulones non solùm veritati, sed & hisce Prophetæ verbis, [A] quibus diuinam bonitatem paternumque erga genus humanum affectum commẽdare voluit, quemadmodum exposuimus.

17 *Non mortui laudabunt te Deus, neque omnes qui descendũt in silentium.*

Non mortui laudabunt te Deus. [N] Hic vltrà progreditur Propheta, Deumque precatur vt hac saltem de causa se placabilem exhibeat suæ Ecclesiæ, ne funditus intereat humanum genus: & sint qui non modò fruantur eius beneficentia, sed nomen etiam inuocent ac celebrent. Postquam enim peculiarem erga Israelitas Dei gratiam, & deinde beneficentiam qua prosequitur totum genus hominum, laudauit Propheta: nunc ad Dei misericordiam confugit, vt populi sui peccatis ignoscat. Sumit autem principium illud, Quum profanæ gentes se ingurgitent Dei beneficiis, solum genus Abrahæ ad canẽdas eius laudes esse electum. acsi diceret, Domine, quid fiet si nos perire sinas, nisi vt nomen tuum nobiscum extinctum sepeliatur? [D] Si enim ab impiis hinc rapimur, quis celebrabit nomen tuum? Impii hostes nostri illud modis omnibus blasphemant, & mortui te non laudant Domine: [illegible] igitur nos, vt vel aliqui sint qui laudes tuas in terra hac deprædicent: ad quod paratos nos offerimus. *Neque omnes qui descendunt in silentiũ.* [V] Non legitur præpositio Hebraicè. Silentium, id est sepulchrũ, quòd ibi perpetuum sit silentium. Vide Esa.38.d.18, vbi descẽdentes in silentium vocat mortuos. [c] Sed hic exoritur quæstio, quia videtur Propheta priuare sensu omnes mortuos. Atqui si animæ ex corporum ergastulis egressæ sunt superstites, alacrius tunc eas vigere certum est. Vnde sequitur Deum à mortuis quoque laudari. Adde quòd domiciliũ hominibus in terra assignans, ita ipsos à Deo separat vt communem tantùm cum brutis animalibus relinquat vitam. Neque enim solis hominibus data est terra: sed bobus quoque, porcis, & canibus, leonibus, & vesis, imò & insectis quibuslibet. Nulla enim musca est, nullus pediculus, cui domicilium non præbeat terra. Primæ quæstionis facilis est solutio: quia in terra ideo locati sunt homines vt vno quasi ore inter ipsos Dei laudes personent, ad hanc symphoniam respexit Propheta: sicuti & Scriptura pluribus aliis locis, Non moriar, sed viuã, & narrabo opera Domini, Infrà, 118.e.17. Dicebat etiam pius rex Ezechias, Viuẽs viuẽs ipse confitebitur tibi, Esa.38.d.19. Dicebat etiam Ionas è ventre ceti eiectus, Immolabo & vota reddam Domino, Cap.2.d.10. Denique quia hic nobis viuendi finis est vt simus in terra præcones gloriæ Dei, non est autem talis inter mortuos communicatio & societas, vt mutuò laudes Dei inter se concinant: meritò Propheta partes laudandi Dei mortuis adimit. Hinc & alterius quæstionis pendet solutio. Dicit Propheta terram hominibus esse datam, nempe vbi se exerceãt in Dei cultu, donec fruantur æterna sua fœlicitate. Nam quum ad pecudes & feras perueniant terræ opes, præcipuè tamen in vsum hominum creata esse omnia Spiritus pronuntiat, vt Deum inde patrem agnoscant.

18 *Nos autem benedicamus Deo, ex nunc & vsque in seculum.*

Nos autem benedicemus. [c] Concludit Propheta, nisi Deus Ecclesiam conseruet, inuersum iri totum naturæ ordinem: quia irrita erit mundi creatio nisi sit aliquis populus qui Deum inuocet. Inde colligit, reliquias aliquas semper fore superstites. [A] Nos, inquit, benedicemus Deo. Q.d. Dominus semper aliquos habebit qui ipsum colant: atqui nos sibi in populum selegit vt illius obsequio totos nos dedamus: seruabit igitur nos vt semper à nobis laudetur. *Ex nunc & vsque in seculum.* [c] Non solùm promittit incolumem fore Ecclesiam, sed quis in hunc modum seruati fuerint, eos ad gratitudinem hortatur: imò se omnium nomine ad canẽdas Dei laudes obstringit. [N] Illud autem, Ex hoc nunc, & vsque in seculum, non intelligendum est de illis qui tum viuebant: (quia non potuerũt laudare Dominum in seculum, sed sua tãtùm ætate, donec in viuis erant) sed de vniuerso fidelis populi corpore. [c] quod ideo propagat Deus per continuas ætatũ series, vt testes semper ac præcones habeat suæ iustitiæ, bonitatis, ac misericordiæ. [N] Interea videmus quid semper in Ecclesia Dei vigere debeat. Illud videlicet, vt qui viuunt, ministri, auditores, superiores & inferiores, cuncti Dominum Deum laudent, & gloriam eius ad finem vsque mundi extollant. Hoc est illud iuge sacrificium laudis indesinens & perpetuum. [A] de quo vide Suprà, 34.a.2, & 50.c.14.d.23, & Hebr.13.c.15.

ARGVMENTVM PSALMI CXVI.

[c] Recitat hoc Psalmo quomodo ope Domini ereptus fuit ex summis periculis: hinc Deo gratias agens, [D] eius bonitatẽ ac immensam potentiam celebrat, vt suo exemplo pios omnes ad bene sperandum etiam in mortis angustiis animet.

Dilexi, quia exaudiet Iehoua vocem precationis meæ.

Dilexi, quia exaudiet. [V] Quidam per futurum, Diligam. sub. Dominum. Alii, Diligo. q.d firmè ac vnicè Dominum diligo. [A] Sed præteritum verbi tempus melius conuenit. [c] Hic enim ab initio Dauid testatur se dulcedine bonitatis Dei illectum, in ipso vno quiescere. Nam defectiua loquutio magis emphatica est, qua exprimit nusquam sibi vel gaudium esse vel quietem nisi in vno Deo. Scimus enim, donec sibi Deus animas nostras penitus deuinciat, semper vagari post inanes illecebras, & inquietudine feruere. Hunc morbum in se curatum esse asserit Dauid, quia certè senserit Deum sibi esse propitium: & quia expertus est in solidum beatos esse quicunque Deum inuocant, nullis se deliciis ab eo abstractum iri prædicat. Illud ergo Dilexi, tantundem valet acsi negaret sibi quicquam suaue fore extra Deum, vel delectabile.

Quia exaudiet vocem precationis meæ. [V] Vel, vocem meam. deprecationes meas. Per appositionem dictum. q.d. Vocem meam supplicem. Quidam Hebræi coniunctionem subaudientes, legunt, Vocem meam & deprecationes meas. [A] Dicit se ideò dilexisse Dominum Deum, quia certò nouit exauditas ab eo fuisse suas preces. [c] Vnde colligimus, malè proficere in experientia gratiæ Dei qui ab eo exauditi non se penitus ipsius fidei tradunt.

2 *Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.*

Quia inclinauit aurem suam mihi. [N] Rem eandem bis dicit. nã idem est hic Inclinare aurem, quod Exaudire precationem. Alioqui aures Deo non sunt quasincliuet. *Et in diebus meis inuocabo.* [c] Hoc multi ita exponunt acsi diceret Dauid, Ego, cui

ram fœliciter antehac successit Deum orare, toto vitæ curriculo in hoc cursu pergam. Sed non minus rectè conueniet accipi dies Dauidis pro opportuno quærendæ opis tẽpore, quum scilicet angustiæ vrgerent. q.d. Quia aurem mihi præbuit dum in aduersis meis temporibus inuoco, adeóque in ipso articulo vltimæ necessitatis. In hac significatione & Infrà 137.b.7. accipitur dies Ierusalem. id est, tempus quo excisa fuit.

3 *Circundederunt me laquei mortis, & angustiæ sepulchri inuenerunt me: tribulationem & dolorem inueni.*

Circundederunt me laquei mortis. Vel, funes mortis. Sunt etiam qui vertunt, Dolores mortis. id est, eram morti proximus. Vt gloriam Dei pro merito illustret, nullum sibi à morte exitum fuisse prædicat: quemadmodum si quis apud hostes manicis & compedibus ligatus omni spe redemptionis priuetur. Fatetur ergo se morti fuisse mancipatum, se deprehensum ac captum fuisse, vt nulla euasio reliqua esset. Videbar (inquit) iam velut ipsis mortis laqueis irretitus. Penè actum de me erat. *Et angustiæ sepulchri inuenerunt me.* Hoc est, apprehenderunt me. q.d. Parum abfuit quin ad sepulchrum deducerer. *Tribulationem & dolorem inueni.* Quemadmodum se mortis angustiis dicit fuisse constrictum, ita etiam addit se incidisse in tribulationes & dolores. Videmus hoc loco quomodo Sancti pericula & tribulationes, quibus exercentur à Domino, haudquaquam extenuent, sed metaphoricis loquutionibus amplificent: nec angustiam animi dissimulent, sed disertè & vltrò manifestent. quod ideo faciunt vt gloriam diuini auxilii magis illustrent.

4 *Et in nomine Iehouæ inuocabo, Obsecro Iehoua libera animam meam.*

Et in nomine Iehouæ inuocabo. Vel, Nomen autem Iehouæ inuocaui. Hic iam confirmat quod nuper dixit, quum videri posset procul à Deo reiectus, sibi hoc maximè opportunum fuisse tempus orandi. Hoc autem de se canit Propheta vice exempli, ad instruendum & excitandum afflictorum animos, vt se bona cum fiducia sequantur. *Obsecro Iehoua, libera animam meam.* Orat animam suam eripi, quia erat in summo discrimine. Sic orant sancti in angustia constituti. Orationes illorum non sunt verbosæ, non sunt compositæ, sed breuissimæ, & plus gemituum quàm verborum habentes: verùm crebræ & indesinentes.

5 *Clemens Iehoua, & iustus, & Deus noster misericors.*

Clemens Iehoua, & iustus. Hoc versu & sequenti canit laudem bonitatis diuinæ erga miseros ac simul illius dilectionis de qua meminit, fructus profert, Dei elogia sibi proponens, quæ ad fidem in eo retinendam valeant. Primò vocat clemẽtem, quia gratis ad auxiliandum propẽsus est. Clemẽs (inquit) Iehoua. hoc est, benignus est Dominus. Deinde addit, *Et iustus.* Iustum Deum vocat quia suos non deserit in discrimine, sed quemadmodum pollicitus est sibi illorum vitam fore curæ, ita etiam illis in tempore fert auxilium. *Et Deus noster misericors.* Misericordia adiungitur, sine qua indigni sumus quibus Deus succurrat. Et quia quæ interueniunt afflictiones, sæpe videntur iustitiæ præcludere ianuam, hinc sequitur nihil suauius esse quàm acquiescere in eo solo, vt paternus eius fauor sensus omnes nostros cõtineat, nec aliò nos rapiat vlla oblectatio aut voluptas. Videmus hic quomodo Dauid è periculis ereptus statim non qualis sit ipse, sed qualis sit Deus, prædicet: quo gloriam omnem diuinæ bonitati tribuat, vt discamus, quoties videmus aut audimus aliquem è tribulationibus liberatum ac seruatum, magis ex eo colligere, benignum, iustum, & misericordem esse Dominum, quàm iustum & bene meritum eũ qui seruatus est.

6 *Custodiens simplices Iehoua: extenuatus sum, & me seruauit.*

Custodiens simplices Iehoua. Vel, paruulos. Iam vsum clementiæ & iustitiæ Dei accommodat ad custodiendos simplices, nempe qui consilio destituti sibiipsis prospicere nequeũt. Accipitur hoc nomen פתאים sæpe in malam partem pro inconsideratis & stultis qui recto consilio non obtemperant: sed nunc simplices vocantur qui patent iniuriis, qui cauendis insidiis minimè sunt solertes, qui denique facilè circũueniũtur: quũ filii huius seculi tã astu polleãt quàm rationibus sint instructi ad se protegẽdos. Dauid ergo se fatetur instar pueri fuisse qui sibi cõsulere nequiret, & ad repellẽda discrimina, quibus erat obnoxius, minimè idoneus esset. Ideò Græcus interpres nõ male reddidit, *φυλάσσων τὰ νήπια ὁ Κύριος.* Sũma est, vbi neq; prudẽtia neque ratio miseris suppetit ad reperienda effugia, Deũ pro ipsis sapere, & arcanam prouidentiæ suæ custodiam opponere periculis omnibus quibus impetitur ipsorum salus. *Extenuatus sum, & me seruauit.* Vel, attenuatus sum. Id est, Viribus destitutus succubueram. Siue, ad summam paupertatem redactus eram. Id significat verbum Hebraicum. Exemplum in se Dauid proponit, quòd redactus ad summam inopiã, integrũ statum per Dei gratiam receperit: atque ita Deus palam fecerit quàm sit clemens, iustus & misericors, ac simplicium rationem habeat.

7 *Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Iehoua rependit super te.*

Reuertere anima mea. Nũc seipsum alloquitur præ gaudio, & exprimit animi conditionem, quum iam erat periculo exemptus. Solemus sanè, & quum res maximè aduersæ sunt, & quum singulariter secundæ, nobiscum ipsi commentari. Sensus est ergo, Iam ô anima summè affligebaris, & vrgebant te mortis angustiæ: nunc redi ad trãquillitatem tuam, recipe te ab anxietudine & perturbatione tua: nam Deus adiuuit te iterum. Quidam quietis nomine Deum intelligunt: sed potius pro tranquillo & bene composito animi statu accipitur. Fatetur enim Dauid se grauiter fuisse perculsum, & iactatum inter multas agitationes: sicuti quisque nostrum sibi conscius est propriæ inquietudinis, vbi vndique mortis terrores impendent. Quanuis ergo rara fortitudine excelleret Dauid, mœroris tamen impulsu tumultuatus est: & interior concussio animũ eius adeo turbauit vt meritò queratur se fuisse quiete sua priuatum. Nunc Dei gratiam sufficere dicit ad sedandas istas perturbationes. Quæritur tamen an sola experiẽtia gratiæ Dei metum & trepidationem in animis nostris sanet: quia se posthac tranquillum fore Dauid prædicat, quòd subleuatus fuerit Dei auxilio. Si autem fideles non aliter quietem suam recuperant nisi quatenus se illis exhibet Deus liberatorem, quisnam erit fidei locus? & quæ vis promissionum? Nam hæc certè est fidei probatio, dũ placidè & in silentio expectamus quæ Deus occultat fauoris sui signa. Fides autem vbicunque viget, tranquillat conscientias & mẽtes, vt pax Dei, quæ exuperat omnẽ sensum, illic obtineat palmam, sicut dicit Paulus, Philip. 4.b.7. itaque pii, quãuis labascat totus mũdus, resident in sua statione. Quid ergo sibi vult iste reditus ad quietem? Respondemus, quanuis sursum & deorsum versentur filii Dei, suam tamen illis fulturam manere in Dei verbo, ne prorsus excidant. Cæterùm, quãuis promissionibus Dei freti se reiiciant in eius prouidentiam, laborant nihilominus inquietudine, & inter tẽtationum procellas miserè æstuãt. Vbi autem succurrit Deus, non modò pax interior custodit eorum mentes, sed hilaritatis & lætitiæ materiam concipiunt ex manifesta eius gratia. De hac altera quietis specie nunc tractat Dauid, tempus esse dicens, quanuis in anima sua præualuerit tumultus, vt iam se placidè in Deo oblectet. *Quia Iehoua benefecit tibi.* Vel, beneficium tibi cõtulit. Quidam impropriè vertunt rependere, quum גמל generaliter Hebræis tam conferre beneficium quã mercedem rependere significet: & proximus versus satis indicat hoc loco sumi pro beneficium conferre.

8 *Quia eripuisti animam meam à morte, oculum meum à lachrymis, pedem meum à lapsu.*

Quia eripuisti animam meam. Mutatio personæ, à tertia ad secundam. Id est, Eripuisti me de extremo periculo, & omnẽ tristitiam & mœrorem à me sustulisti, effecistique ne laberer. *Oculum meum à lachrymis.* Vide quàm infirma sua non taceant sancti. Non sunt saxei. soluuntur in lachrymas citius quàm in risum. Et Christus filios Dei fleuisse legitur, Luc. 19.f.41, & Ioh. 11.d.35, & Hebr. 5.c.7. risisse nõ legitur. Sed futurum est aliquãdo vt Deus eorũ lachrymas ab oculis ipsorũ abstergat, Apoc. 21.b.4. & luctum eorum in risum cõmutet, Iohan. 16.c.20. Neque enim frustra dictum est, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient, Matth. 5.a.4. itẽ, Beati qui nũc fletis quoniã ridebitis, Luc. 6.25. *Pedẽ meũ à lap.* Vel, ab expulsione. Ab impulsione. Fideles pedib9 sunt infirmis, vt facilè labãtur, hoc est, Infirmiores sunt & animo & corpore quàm vt grauioribus tentationibus resistere valeant, nisi cœlesti auxilio seruentur. Hanc infirmitatem suam agnoscunt, & illam ad gloriam bonitatis ac potentiæ Dei confitentur. Videtur tamen inuersus hic ordo verborum: quia more nostro dicẽdum fuit potius, Eripuit pedes meos à lapsu, oculos meos à lachrymis. Imò, Eripuit animam meam à morte. quia quod præcipuũ est, solemus extremo loco ponere. Sed Hebræis hæc series verborum minimè absurda est: quæ sic resolui debet, Non tantùm asseruit me Deus à præsenti morte, sed liberaliter egit mecum,

tristitiam mihi discutiens, & manum mihi porrigē, ne impingerem. Nam est amplificatio gratiæ Dei, quòd penè exanimē in vitam restituit.

9 *Ambulabo coram facie Iehouæ in terris uiuorum.*

Ambulabo coram facie Iehouæ. [b] Hoc nonnulli de tabernaculo Dei exponunt, acsi Dauid diceret se coram Arca Dei pro pietate ac religione sua versaturum, & sacrificia laudis Domino Deo suo oblaturum. [c] Sed hic Ambulare coram Deo, tantundem valet atque agere sub eius cura. Hinc Dauid fore sperat vt sua incolumitate semper fruatur. Nihil enim optabilius est quàm Deo pro nobis excubias agente, vitam nostram inclusā esse sub eius custodia. Itaque sicuti impiorū securitas est procul à Deo recedere, ita hoc vno pii se beatos æstimāt quòd De[us] totam eorum vitam dirigat. Victurum ergo se Dauid prædicat quia Deum habeat vitæ suæ custodem. Nam quod addit, *in terris uiuorum*, huc spectat, actum de nobis esse, & singulis ferè momentis instare nouos interitus si nostri obliuiscatur.

10 *Credidi, quia loquar: ego afflictus eram ualde.*

Credidi, quia loquar. [c] Iterum recitat Dauid quàm magno in discrimine versatus sit: quo melius eluceat liberationis miraculum. Sed præfatur se ex sincero animi sensu loqui, nec aliud nunc proferre quàm quod diu meditatum & propè concoctum habuerat. Hoc enim valet particula, Credidi, quia loquar, verba ex serio animi affectu proficisci. [b] Quidam tamen vertūt, Credidi, propterea loquar. Vel, Credidi quod loquar. Acsi Vates fidei suæ firmitatem iactaret, ac diceret, Fide promissorum Dei confirmatus sum, certò persuasus omnia vt pollicitus est circa me perfecturum: ideo de hac Domini erga me benignitate loquar, & prædicabo cum alacritate summa. [c] Sed rectior est alter sensus, Non loquar nisi quod animo concepi. Circunstantia enim loci hoc exigit, externam linguæ professionem cum vero cordis sensu congruere: sicut multi futiliter garriūt quod nunquam in animos eorum penetrauit. Acsi diceret, Ne quis putet me futiles iactare hyperbolas, quia loquor, verè credidi. Vnde colligitur vtilis doctrina, fidem non posse in cordibus mortuam latere quin emergat. Spiritus enim sacro vinculo fidem cordis hic copulat cum externa confessione. Quæ autem Deus coniunxit, homo ne separet. Itaque perfidè totum Dei verbum corrumpunt simulatores, qui fidem libenter obruerent in tenebris. Sed meminerimus exigi à filiis Dei ordinē quem præscribit Dauid, vt ante credant quàm lingua profiteantur. [a] Porro vsus est hoc hemistichio Apostolus 2. Cor. 4. c. 13. [a] sed Græcā versionē sequutus, Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, id est Credidi, propterea loquutus sum. Sed quia alibi admonuimus Apostolis non fuisse propositum singulas voces aut syllabas referre, sufficiat, Dauidis verba natiuo sensu propriè aptari ad causam quæ illic à Paulo tractatur. Postquam enim obliquè perstrinxit Corinthios, qui tanquam exempti communi sorte hominum, se supra nubes efferebant, Credidi, inquit, propterea loquutus sum: qui semel excitauit Christum à mortuis, Christi quoque vitam ad nos vsque extendet. Hoc est, ego credo, & ideo loquor. Inde colligit stulta iactātia superbire Corinthios, quia nō humiliter amplexentur Christi nomen, quū eodem fidei spiritu ipsos loqui deceat. *Ego afflictus eram ualde.* [v] Vel, afflictus sum. Alii, Ad summam pauperiem redactus sum. Alii, affligebar. [c] Dauid de magnitudine periculi sui disserit, quo salutem diuinitus sibi oblatam magis illustret.

11 *Ego dixi in trepidatione mea, Omnis homo mendax.*

Ego dixi in trepidatione mea. [v] Vel, in festinatione. vel, fuga mea. Alii, quum festinarē. [c] Acsi Dauid diceret se sic fuisse loquutum, quum celeriter fugeret à facie Saulis. Sed quia nomen Hebræum חפז trepidationem metaphoricè significat, dubium nō est quin recitet Dauid se consternatum fuisse animo, vt quasi in præcipitio esset. Quum ergo mentis agitatio eum raptaret, fatetur se propemodum animo concidisse. *Omnis homo mendax.* Hoc vario modo exponi solet. [c] Quidam hæc ita accipiunt acsi Dauid, videns se patria expulsum subinde in varias mortes incurrere, [b] dixisset intra se, Nemo non fallitur. Promiserat tibi Samuel ex iussu Dei (vt sibi videbatur, & ego credebā) regnum Israelis: iam autem peribit miser hic, priusquam vel vmbram regni consequutus sit. [c] Alii contrarium sensum eliciunt, Dauidem scilicet tentationis fuisse victorē, quòd quū a fine mentem eius Satan ad desperationem attraheret, seipsū mox corripuerit, atque ansam præciderit suæ incredulitati, hoc modo, Quid agis miser, & quò te præcipitas? Audésne obliquè Deo imputare mendacium? Imò sit ille verax, tu autem mendax ac perfidus. Sed generaliùs hæc doctrina patet, quòd scilicet non sibi directè vaticinium hoc proposuerit Dauid: sed animo confusus, inconsideratè se implicuerit Satanæ laqueis, vt nihil firmi vsquam conciperet. Quanquam enim sæpe labascunt fideles (vt densæ tenebræ illis obiicit Satan) vt ferè illis euanescat verbum Dei, fundamentum tamen suum non relinquunt, neque Deum consultò insimulant mendacii: quin potius impiis cogitationibus frænum iniiciunt. Certè, quum dicendi verbum Hebræis fixam persuasionem denotet (sicut Gallicè dicimus, *i'ay conclu, ou resolu*) non potuit hæc tentatio ferire animū Dauidis, quin statim occurreret. Restat igitur quod diximus, Dauidem metu obtenebratum, momento illo in Deum non respexisse. Etsi enim non ex professo litigant vel inquirunt fideles sitne Deus verax, neque hæc exertāda blasphemia, quasi formata (vt ita loquamur) occupat eorum sensus: quin potius eam, quoties se insinuat, repellunt ac detestantur, cōtingit tamē interdū ipsis vsqueadeo turbari vt nihil cernāt præter mendaciū & vanitatē. Talis fuit in trepidatione sensus Dauidis, & quidem cōfusus, acsi crassæ nebulæ aspectum lucis tollerent. Nihil certi est, nihil stabilis: quid credam? quid sperabo? quo fugiam? Atque ita secum non rarò disceptant fideles, in hominibus nihil certum esse. Nam velum est oppositum eorum oculis, quo prohibentur à conspectu lucis Dei, ideóque in terra subsidunt, donec supra cœlos euecti, veritatem Dei rursus cernere incipiant. Consilium Dauidis est amplificare modis omnibus Dei gratiam. Hac de causa, de suis tentationibus verba faciens se indignū fuisse fatetur quē Deus ope sua subleuaret. Debuerat enim se colligere, vt vaticinio innixus super omnē diffidentiā se attolleret. hoc se fecisse negat, quòd mēs cōfusa nihil præter vanitatē cerneret. Porro quū tam horribili impulsu cōcussus fuerit tātus vir, quid nobis fiet nisi nos D[eus] fulciat ac retineat? Quod tamē nō eo spectat vt dubii & incerti pēdeāt fideles, sed magis solicitè Deū inuocēt. Sedulò autē ad certādū intēti simus: quia incredibiles sunt istæ luctæ. Quanquā simul tenendū est, agitationem hanc, quasi momentaneam fuisse in Dauide, quū scilicet elapsa vaticinii memoria dubius oberraret. [a] Cæterum hoc dictū Prophetæ vsurpat Apostolus, Rom. 3. a. 4, vbi ostendit quàm sit corrupta hominis natura, de cuius indiuiduis omnibus pronuntiari potest quod hic Propheta dicit, Omnis homo mendax. Et hoc præcipuè cogitandum est ad exemplum Apostoli, quoties infidelitas reproborum verbo Dei mendacii suspicionem impingit, conuenire potius vt dicamus Deum esse veracem, & omnem hominem mendacem, quàm vt gloriam veritatis demus homini, & auferamus Deo.

12 *Quid rependam Iehouæ? omnia beneficia eius super me.*

Quid rependam Iehouæ? [a] Iam cum admiratione exclamat se magis obrui immensa beneficiorum Dei mole quàm vt referendæ gratiæ par esse queat. Emphatica enim interrogatio est, quia studium quidem sibi non deesse ostendit, sed rationē minimè suppetere. Quum ergo se non esse soluēdo agnoscat, sumit quod residuū est, nempe vt Dei gratiam celebret quibuscūque potest laudibus. Cuperē (inquit) officio defungi: sed dum in omnes partes circunspicio, nihil vsquam inuenio compensationis. *Omnia beneficia eius super me.* [c] Hoc est, (vt nōnulli exponunt) Residet in animo meo memoria omniū beneficiorum quæ Deus in me cōtulit. Alii, cum Græco interprete subaudientes particulam Pro, legunt hoc modo, Quid rependam Domino pro omnibus quibus benefecit mihi? [a] Ita enim Græcus interpres, Τί ἀνταποδώσω τῷ Κυρίῳ περὶ πάντων; [c] Sed melius quadrat distinctio post dictionem Iehouæ. Postquam enim se Deo remunerando imparem confessus est, imò nihil sibi occurrere quod rependat, simul adiungit, confirmandi causa, nō vna tantùm beneficii specie se esse obstrictum, sed innumeris: acsi diceret, Quum nullum sit beneficii genus quo non me Deus sibi deuinxerit, quomodo remunerandi facultas mihi suppeteret? Quia ergo omnia præmia deficiunt, confugit ad gratiarum actionem: quæ vna solutio Deo abūdè sufficit. Admonet autem hoc Dauidis exemplum, non leuiter aut defunctoriè reputanda esse Dei beneficia: quia si pro merito æstimētur, ipsa cogitatio in admirationem rapere nos debet. Nemo enim est nostrûm qui non onustus sit immensa beneficiorum Dei congerie: sed vanitas nostra (quæ animos in erraticas speculationes abstrahit) huius doctrinæ obliuionem inducit, quæ tamen in assidua sui meditatione nos occupare debuerat. Ac eo plus laudis meretur Dei erga nos liberalitas, quòd nihil à nobis mutuum expectat, sicuti nec recipere potest: quia nec vlla re indiget, nos verò bonorum omnium inopes sumus ac vacui.

13 *Calicem salutum accipiam, & nomen Iehouæ inuocabo.*

Calicem salutum accipiam. [y] Vel, saluationum. [h] Intelligit calicē quem inter sacrificandum edentes ac bibentes leuare ac Domino pro salute accepta gratias agere solebant. Et verbū Hebræum quod hic habetur, hunc leuandi calicis morē innuere videtur, vt legi possit, Calicem salutum leuabo. *Et nomen Iehouæ inuocabo.* [y] Hoc est, nomen Dei celebrabo. q.d. In omni cōuiuio gratiarum actionis, me hilarem exhibebo, & coram omnibus hilariter bibam, attollendo calicem, quo significem conuiuis me Dei ope seruatum: semperque nomen eius colā & prædicabo. [c] Quia verò calix ille symbolum erat liberationis, calicem salutum vocat; [y] & plurali numero vtitur, quòd insigne auxilium significet. [c] Summa hoc tendit, non esse magnopere laborandū fidelibus quomodo se liberēt, quia Deus satisfactiones nō quærit quib⁹ eos, scit carere: sed nuda & simplici gratitudine contentus est. Nam hæc iusta solutio, fateri omnia illi nos debere. Quòd si Deus tam benignè & humaniter nobis indulget, eo magis detestabilis est nostra ignauia nisi laudes saltē, quas exigit, ei referimus. Et certè plusquam indigni sunt qui solis luce & vitali spiritu (ne dicamus mundi totius diuitiis) fruantur, qui authorem tam exiguo iure fraudant. Quanquā autē iam in vsu non sunt Legales ceremoniæ, ideóque cessauit externa ista libatio, cuius meminit Dauid, viget tamen spiritualis cultus, de quo vidimus Suprà, 50.d 23, Sacrificium laudis glorificabit me. Interea meminerimus, tum Deum à nobis laudari si non modò linguas, sed nos ipsos & quicquid in nobis est, offerimus in sacrificium. Non quòd vlla inde ad Deum redeat vtilitas: sed quia gratitudinem nostram hoc modo probari æquū est. [h] Admonemur autē hoc loco vt quemadmodum piissimus rex a magnis discriminibus à Domino liberatus pro more veteris Ecclesiæ, in qua viuebat, animū ad sacrificium laudis adiecit: ita & nos, ab æterna morte per Christum liberati, perpetuam gratiarum actionem Deo referamus.

14 *Vota mea Iehouæ reddam nunc coram toto populo eius.*

Vota mea Iehouæ reddam. [a] Dicit se vota, quæ in mediis periculis nuncupauerat, Deo redditurum, vt pietatis constantiam testetur. [c] Ostendit enim se eorum minimè oblitum, sicuti plerique, dum vrgentur manu Dei, eius quidem fidem implorant ad momentum, sed memoriam acceptæ salutis mox sepeliunt. Atqui Spiritus de vero cultu disserēs, nō abs re duas istas partes inseparabili nexu coniungit, Inuoca me in die tribulationis: & liberatus glorifica me, Suprà, 50.c.15. [h] Quæ ad vota attinēt vide Suprà, 22.f.26, & 66 e.13, & 76.e.12. De Legalis voti genere nihil superest in Ecclesia Christianorū. In locum illius introducta sunt vota, partim monastica, partim idololatrica, quæ fiunt & redduntur mortuis sanctis, ad quos etiā præcipua pars diuini cultus vnà cum inuocatione in necessitatibus, perperam translata est. Sic visuntur in templis sanctorum votiua donaria, manifestū ethnicismū argumētia. [c] Sicut autē absurdū esse videtur, fideles votorum nuncupatione paciscī cum Deo, vt sibi conciliant fauorē: respondemus non promittere ipsos laudis sacrificium, vt blādитиis ipsum, instar mortalis hominis, demulceāt, vel vt sibi obstringāt proposita mercede. Nuper enim testatus est Dauid nihil se afferre compensationis. Votorum ergo finis & vsus est, primùm vt impetrandi fiduciam cordib⁹ suis obsignēt filii Dei: deinde vt se magis ad gratiarū actionē incitēt. Nā certè vouendi libertas filiis Dei pro subleuanda eorum infirmitate conceditur: quia hoc modo ad eos descendit indulgentissimus Pater, ut secum permittit familiariter agi, modò in hūc quem diximus finem voueāt. Quicquid sit, nihil tentandum nisi ex eius permissu. Quo magis ridiculi sunt Papistæ qui stulta quælibet absurdáque vota, quæ sine iudicio effutire libuerit, defendunt hoc prætextu. Quasi verò licita sit ebrietas, quia Deus nobis permittit comedere. [h] Vana sunt ergo vota illa, partim monastica, partim idololatrica, quorum modò meminimus.

15 *Pretiosa in oculis Iehouæ mors mansuetorum eius.*

Pretiosa in oculis Iehouæ. [s] Rationem horum votorum repetit, quia pretiosa sit in oculis Domini mors suorum qui bonitati student. acsi diceret, Ostendā cunctis, & admonebo quoslibet, dum vota mea reddam, quàm non deserat Deus suos, quos in gratiam suam semel accepit. [c] Dubium autem non est quin hac generali doctrina, tanquam optimo clypeo, munire se voluerit Dauid contra mortis terrores, qui sæpe ingerebantur, quum se mox absorbendum putaret. Nam dum ita Deo conniuente periclitamur, obrepit opinio, nos tāquam vilia mancipia negligi, vitámque nostram pro nihilo duci. Iam scimus impios, dum vident nos destitui omnibus præsidiis, eo audacius contra nos insolescere, acsi nulla esset vitæ aut mortis nostræ ratio. Eorum ergo libidini opposuit Dauid hanc sententiam, pluris esse Deo suos cultores quàm vt eos fortuitò in mortem proiiciat. Quamuis ergo ad tempus simus omnibus fortunæ & hominum iniuriis expositi, semper tamen occurrat hæc consolatio, Deum tandem palam facturum quàm charas habeat animas nostras. Sicut hodie quum innoxios sanguis funditur, & atrociter insultant impii, acsi, Deo victo, triumphos agerent, stet nobis firma hæc doctrina, mortem fideliū, quæ sordida est coram hominibus, imò probrosa, in oculis Dei esse pretiosam, vt tandem vel mortuis manū porrigat, & horrendis exemplis demonstret quàm sibi inuisa sit eorum crudelitas qui iniustè bonos & simplices affligunt. Nā si lachrymas eorum in vtre numeratas seruat, (Suprà, 56.b.9.) quomodo sanguinem euanescere sineret? Suo igitur tempore implebitur Esaiæ vaticinium, vt terra sanguines suos detegat, Cap.26.d. 21. *Mors mansuetorum eius.* [y] Vel, misericordium eius. Vide Suprà, 4.a.4. [a] Cæterùm vt locū demus gratiæ Dei, induamus mansuetudinis spiritum, sicuti Propheta vocans fideles mansuetos, ad ferēdum crucis onus iubet colla placidè submittere, vt in patientia sua possideant animas suas, Luc.21.d.19. [a] Nam iustissimus ille scelerum vindex Deus vēturus est propediem, ac innoxium sanguinem, qui in terra fusus est, haud dubiè vindicaturus. Neque enim frustra dixit, Mihi vindictā, & ego rependam, Deut.32.e.35, & Rom.12.d.19.

16 *Agedū Iehoua, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea.*

Agedum Iehoua. [y] Vel, Vtique Iehoua. Confirmat suo exemplo præcedentem sententiā, qua dixerat pretiosam esse piorū mortem in conspectu Dei: [c] atque ita generalem doctrinam specialiter ad se accommodat, vincula sua esse dicens, quæ vnus fuerit ex numero seruorum Dei. [y] q.d. Ita res habet quòd tu non vis pios interfici: nam me liberasti, qui te colo. *Quia ego seruus tuus.* [b] Causam addit cur seruatus fuerit: nempe quia seruus Domini sit: [a] idque terna ingeminatione repetit ad suæ fidei confirmationem. *Ego seruus tuus.* [a] Quum Dauid liberationis suæ causam statuit in eo quòd seruus Dei fuerit, minimè iactat sua obsequia, sed potius animum refert ad gratuitam Dei electionē: quia minimè in nobis situm est facere nos Dei seruos, sed ex mera Dei adoptione nobis cōtingit hæc dignitas. ideóque Dauid non simpliciter asserit se fuisse Dei seruum, sed addit, *Filius ancillæ tuæ.* acsi diceret se iam ab vtero, imò antequam nasceretur, id honoris fuisse adeptum. Ergo se communè omnibus speculum proponit qui se in Dei clientelam addixerint, vt non dubitēt se eius patrocinio saluos fore. [y] Quidam ex Hebræis aiunt Dauidem se filium ancillæ Dei appellasse (id est mulieris quæ purè Deum colebat) propterea quòd filii matrum ingenia & mores ferè imitantur, ob educationem primam. Propterea etiam in libris Regum sæpius dicitur, Rex talis, filius mulieris talis, & non patris. Sed alia ratio quam posuimus, potior esse videtur. De qua etia vide Suprà, 86.d 16. *Dirupisti vincula mea.* [y] Vel, soluisti vincula mea. Id est, seruasti me, ne venirem in vincula hostium meorum. Vel, Liberasti me è vinculis & potestate hostium meorum. [c] Nam vincula nominat, quemadmodum siquis pedibus & manibus ligatus trahatur à carnifice. [a] Interea notandum quomodo Dauid beneficium à Domino acceptum, adoptioni suæ connectat, vt se ad maiorem animi gratitudinem incitet, agnoscens se nonnisi gratuito Dei fauore seruatum & ab hostibus ereptum.

17 *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Iehouæ inuocabo.*
18 *Vota mea Iehouæ reddam nunc coram toto populo eius.*
19 *In atriis domus Iehouæ, in medio tui Hierusalem. Halelu-iah.*

17 *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* [y] Vel, sacrificium laudis. Vel gratiarum actionis. [a] Id est, Gratias tibi agam, & te laudabo. Repetit de sacrificiis laudis, quæ à celebrantibus Dei laudes, & gratias ipsi agentibus offerebantur: de quibus & vota nuncuparat, reddenda coram omni populo Dei. *Et nomen Iehouæ inuocabo.* [a] Id est, nomen Dei celebrabo, & prædicabo. sicuti versu 13. [y] Est tamen hic personæ mutatio, pro Nomen tuum inuocabo. Id est, Non desinam te colere. Me tibi in omnibus morigerum præstabo.

18 *Vota mea Iehouæ reddam.* [a] De votis loquitur quæ iuxta Legis præscriptum Deo ipsi nuncupauerat: sicuti Lex multa de sacrificiis externis præceperat. [h] De hoc voti genere nihil superest in Ecclesia Christianorum. In locum illius introducta sunt vota, partim monastica, partim idololatrica, quæ fiunt & redduntur mortuis sanctis, ad quos etiam præcipua pars diuini cultus, vnà cum inuocatione in necessitatibus, est translata.

Sic visuntur in templis sanctorum votiua donaria, manifesti ethnicismi indicia. *Coram toto populo eius.* [c]Publicam gratiarum actionem fore prædicat: quoniam non arcano tantùm sensu coram Deo, sed externa quoque professione testanda est nobis pietas nostra apud homines. Etsi autē Legalibus ceremoniis defunctus est Dauid cum reliquo populo, quia hæc exercitia sciebat non frustra tunc mandari: verum tamē finem respexit, vt sacrificium laudis & vitulos labiorum præcipuè offerret.

19 *In atriis domus Iehouæ.* [y]Plurale pro singulari. nam atrium vnicum habebat tabernaculum. In atriis igitur, id est ad ostiū atrii tabernaculi. Neque enim licebat populo ingredi Sanctuariū. [c]Ad hæc, atria domus Dei nominat, quia tūc vnicū erat altare, à quo discedere fas non erat: & volebat illic Deus celebrari sacros conuentus, vt mutua esset inter fideles ad cultum pietatis inuitatio. *In medio tui Ierusalem.* [m]Hæc apostrophe ad sanctam ciuitatem ostendit quomodo affecti sint sancti erga ciuitatem in qua est domus Dei. Sic animati simus nos erga ipsam Ecclesiam, in qua Deus habitat & Templum incolit, non ex lapidibus, sed ex fidelium animabus constructum. Præterea ex eo quòd Ierusalem hic fit mentio, colligunt nonnulli Psalmum hunc fuisse compositum quum iam Dauid in Ierusalem regnaret. *Halelu-Iah.* [m]q.d. Laudate Dominum quotquot adestis, & illius bonitatem erga seruos suos indesinenter prædicate.

ARGVMENTVM PSALMI CXVII.

[h] Exhortatio est ad cūctas orbis nationes, vt Dominum Deū laudent: [c] vnde colligimus, hoc vaticinio prædictam fuisse totius mundi vocationem.

LAudate Iehouam omnes gentes, celebrate eum omnes populi.

Laudate Iehouam omnes gentes. [a]Primus hic versus manifestè gētes omnes inuitat ad laudes Dei prædicādas. [c]Vnde meritò colligit Paulus, gentiū totiùs mūdi vocationē hoc vaticinio prædictam fuisse, Rom. 15.c.11. Nam increduli, quamuis expertes non sint Dei misericordiæ, quia tamen eam non sentiunt, & simul incognita est illis eius veritas, quomodo ad eum laudandum se accingerent? Itaque frustra ad gentes profanas verba faceret Propheta, nisi simul cum filiis Abrahæ congregandæ essent in fidei vnitatem. Nec est quòd nasuti homines suis cauillis eludere conentur hanc Pauli rationem. Hortatur quidem alibi Spiritus tam montes quàm fluuios, arbores, pluuias, ventos & tonitrua ad personandas Dei laudes: quia scilicet omnes creaturæ tacendo clamant suum esse opificem. Sed alio modo laudatur ab hominibus qui intelligentia præditi sunt. *Celebrate eum omnes populi.* [m] Rem eandem bis dicit. idem enim sunt גוים & האמים id est gentes & nationes, seu populi. Quanquam nonnulli posteriorem particulam de Iudæis exponunt, dicentes Prophetam gentes hic coniunxisse cum populo Dei, & ad communes eius laudes inuitasse. Discimus autem ex præclara hac inuitatione, primùm gentes quoque pertinere ad consortium Israelis, vt vnà Dominum Deum glorificent: deinde veri Israelitæ animum sic esse comparatum vt ad hoc consortium diuinæ laudis gentes vniuersas inuitet: tantum abest vt eas repellat, sicuti Iudæi in noui Testamenti primordiis fecisse leguntur, Act. 11.a.3, & 13.e.18, & 22.e.22.

2 *Quia confirmata est super nos clementia eius, & veritas Iehouæ in æternum. Halelu Iah.*

Quia confirmata est super nos. [y] Vel, multiplicata est. Vel, roborata est. aucta fuit. exuperauit. Id est, excelluit, & magna fuit. *Super nos.* [b] Nempe Iudæos primùm, deinde & Gentes. Percepto siquidem Spiritu Christi tam potente & diuite, iure populus Dei canere potuit auctiorem iam in se Dei bonitatem effusam, ac fidem eius sic declaratam vt certò videret nunquam beneficentiam Dei sibi auferendam. [c] Non intelligit tamen Propheta laudandum esse passim Deum à Gentibus, quia in angulo Iudææ hæc notitia resideat: sed quatenus diffusa erit per totum orbem. *Clementia eius.* [a] Vel, misericordia eius. *Et veritas Iehouæ in æternum.* [a] Primùm laudari Deum iubet, quòd bonitas eius aucta sit, vel confirmata: deinde quia stabilis in æternum maneat eius veritas. Qui ergo bruto stupore prætereunt Dei bonitatem, qui cælestem eius doctrinam surdis auribus respuunt, quomodo parati essent ad canendas Dei laudes? Porro veritas Dei hoc loco propriè ad testimonium gratiæ refertur. Poterat enim verax esse Deus, vt toti mundo minitetur exitium: sed ideo priore loco clementiam posuit vt fides eius paternæ beneuolentiæ testimonium continens pias animas exhilaret. Non minus quidem laudis merentur potentia eius & iudicium: sed quia nunquam ad laudandum Deum rectè affecti erunt homines, nisi gustu bonitatis eius allecti, nō abs re Propheta misericordiam & fidem delegit quæ sola mutis ora aperiunt. Porrò non dicitur æterna veritas, quasi misericordia, postquam viguit ad momentum, deinde euanescat (nā eadem ratione, exigua esset, respectu misericordiæ, quæ copiosa esse dicitur) sed sensus est, sic vberem esse Dei misericordiā super nos vt fluat continuo cursu: quia coniuncta est cum æterna eius veritate. Cæterùm si legamus confirmatam esse clementiam, exemptus erit scrupulus: quia eodem constantiæ & firmitatis elogio ornabitur tam clementia quàm veritas. Huius autem confirmatio est in propositi Dei firmitate, quod ab æterno ante constitutionem mundi confirmatum est in Christo, nec vlli est pœnitentiæ ac mutationi obnoxium.

ARGVMENTVM PSALMI CXVIII.

[a] Dauid iam malis suis defunctus, [c]& rex in cōmunem Ecclesiæ salutem à Deo cōstitutus, [m] Israelem populum, domum Aharonis, ac timentes Dei ad laudes diuinæ bonitatis hortatur: deinde postquam prædicauit quantis beneficiis à Domino affectus fuerit, [c]docet non temere se neque illicitis artibus prorupisse ad rapiendum Saulis imperium, sed diuinitus creatum esse regem: [a]ac simul Christi in se imaginem exponit.

CElebrate Iehouam, quia bonus, quia in seculum clementia eius.

Celebrate Iehouam. [y] Vel, Confitemini Iehouæ. [a] Probabile est Dauidem hunc Psalmum cecinisse, [a] vel, quum in regem iam ab vniuerso Israele inaugurabatur, vel quum solenni illa pompa Arcam fœderis in vrbem sanctam inuexit. Imprimis celebrem fuisse diem, ac populi maximam frequentiam tum non longè ab electione sua in regnum, quum cantatus est, ipsa Psalmi verba abundè testantur. [c] Porrò videmus Dauidē non agere priuatim gratias Deo, sed populum clara voce hortari ad commune pietatis officium. Hoc autem facit non modò quia dux & magister aliis erat ordinatus, sed quia Deus, eū creando regem, Ecclesiæ suæ afflictæ misertus fuerat. Ergo Israelitas ad prædicandam Dei gratiam hortatur, cuius fœlicibus auspiciis prodit salutis eorum liberator. Generaliter quidem dicit initio Deum esse bonum, & clementiam eius æternam: sed deinde eius bonitatis documentum in se profert, vt postea videbimus. *Quia in seculum clementia eius.* [a] Vel, misericordia eius. Vel, benignitas eius. Quidam, Nam in seculum perstat bonitas eius. [c] In memoriam reuocare conuenit quod Suprà 117. a.1. admonuimus, argumentum laudandi Dei nobis proponi in eius misericordia potius quàm in potentia & iudicio: quia etsi illic quoque refulget eius gloria, nunquā tamen alacres & voluntarias laudes eius canemus, donec suæ bonitatis dulcedine nos alliciat: sicut Suprà 51.d.17, vidimus aperiri ora fidelibus ad Deum laudandum, vbi senserint eum liberatorem.

2 *Dicat nunc Israel quia in seculum clementia eius.*

3 *Dicat nunc domus Aharon quia in seculum clementia eius.*

4 *Dicant nunc timentes Iehouam quia in seculum clementia eius.*

2 *Dicat nunc Israel.* [m]Postquam sine vllius appellatione ad laudādum Deum hortatus est, nominatim Israelem appellat, cum quo Dominus gratuitum ac æternum fœdus pepigerat.

3 *Dicat nunc domus Aharon.* [a]Hoc est, Sacerdotes & Leuitæ. [c]Quòd Dauid solum Israelem & filios Aharon alloquitur, id facit ætatis suæ respectu: quia adhuc in vna illa gēte residebat adoptio: sicuti docet Paulus Rom. 9.a.4, & Ephes. 2.c.12.

4 *Dicant nunc timentes Iehouam.* [y] Nunc peculiariter Dei studiosos ex Israele appellat. Atque ita eundem ordinem sequitur quem tenuit Suprà, 115.b.9.10. Postquam enim filios Abrahæ, qui Dei electione segregati erant à gētibus, hortatus est: item filios Aharon, qui sacerdotii iure aliis præcinere debebant: sermonem conuertit ad alios Dei cultores: quia multi bastardi erant Israelitæ, qui tametsi in Ecclesia locum occupabant, ab ea nihilominus erant extranei. Nec obstat quòd hic prophetico Spiritu differat Dauid de futuro Christi regno: quia etsi ad Gētes extensum est, originem tamen & primitias habuit in populo electo. [m] Porro quod Vates timorem Dei requirit à fidelibus, quos ad canendas Dei laudes hortatur, hinc discimus sine Dei timore conspurcari laudes eius.

5 *Ex angustia inuocaui Deum, respondit mihi in latitudine Deus.*

Ex angustia inuocaui Deum. [M] Iam consequenter incipit Propheta bonitatem Dei in illis celebrare quæ sibi contigerant. [C] Atque ita suo exemplo pios omnes confirmat, ne rebus aduersis animum despondeant. Et videtur consultò occurrere dubitationi, quæ statim obrepere solet quoties prædicatur Dei bonitas, Cur argo sinat seruos suos tam duriter opprimi & laborare? Admonet igitur David ne sic quidem excidere Dei misericordiam, quia paratum est malis nostris solatium, & remedium in precibus. Ex angustia, inquit, inuocaui Deum. [M] Hoc est, quum essem in magnis periculis, tribulationibus & angustiis, omnium mortalium auxilio destitutus, opem Domini obnixè imploraui. [C] Circunstantia quam exprimit, admonet, quo magis nos premunt res aduersæ, tùc verè opportunum esse orandi tempus: dum scilicet se ex angustiis precatum dicit, [M] atque hoc modo in latitudinem fuisse eductum. *Respondit mihi.* [A] Vel, Exaudiuit me. [M] q.d. non contempsit me miserum & afflictum, sed inuocanti respondit, & opem tulit. *In latitudine.* [V] Subaudiendum, & statuit me. hoc modo, Quum ego coarctarer, imploraui opem Domini, & statuit me in loco lato & amplo. Hoc est, liberauit me. [V] Vide similem loquutionem Suprà, 4.a.2.

6 *Iehoua mecum, non timebo quid faciat mihi homo.*

Iehoua mecum, non timebo. [V] Vel, Iehoua mihi (vel, meus erat) non timebam. quid enim fecisset mihi homo? Iuxta hanc versionem, David recitat affectus suos quos habuit in mediis periculis. [A] Sed altera versio rectior videtur, vt intelligamus [C] Dauidem vnius Dei auxilio fretum, non paucis tantùm hostibus sed toti mũdo insultare: acsi diceret, quia manu Dei protegitur, secure se & ex tuto despicere quicquid machinari poterũt homines. Et certè tũc demùm tribuitur iustus honor Deo, quũ præ ipso nihili ducitur tota mũdi potentia. [A] Sic alibi dicebat, Non timebo à decem millibus populi, qui circunquaque pugnauerũt aduersum me, Supra, 3.b.7. Item, Dum præliabuntur aduersus me maligni, &c. Suprà 27.a.2. [C] Perstringit etiã his verbis David omnium fere incredulitatem, qui se vltrò consternant vanis terroribus. Etsi enim tranquillum animi statum omnes expetũt, quia tamẽ impiè Deũ fraudãt virtutis suæ laude, eos tamen bono illo priuat sua ingratitudo. Nã si Dei arbitrio & potestati cuncta vt decet subiicerent, intrepidè ad superãda omnia incommoda parati starent, quorum metu subinde expauescunt. Nunc quum Dei præsidio præferant noxios hominũ conatus, digni sunt quos exagitet strepitus folii cadẽtis. Hanc prauitatem suo exemplo corrigere voluit David, se Deo propitio cunctos mortales non metuere asserẽs, quia scilicet persuasus est in eius arbitrio esse situm aduersos omnes conatus discutere. Porrò si hoc canticum cecinit post liberationem, cõstat quàm bene profecerit in experiẽtia gratiæ Dei. Ergo quoties nobis opem Deus tulerit, crescat inde fiducia in posterũ: nec tam obliuiosi simus quin semper occurrat bonitas & virtus Dei, in ipsa necessitate nobis perspecta. Quanquam fieri potest vt hic recitet quas inter media discrimina sibi meditationes suggessit: alterum tamẽ illud magis probabile, postquã victoria potitus erat, de perpetuo Dei auxilio in futurũ semp' gloriari. Notandum est & illud, quòd non simpliciter dicit David, Non timebo quid faciant mihi hostes mei, sed Quid faciat mihi homo. Atqui inimici Dauidis, erant potentes, principes, ac satrapæ. Verùm non considerat in illis quales sint, honore, dignitate & viribus, sed quales sint natura & carne. Homines sunt, inquit: homines, inquam, non Deus. qualiscunque sit illorum personatus cultus in hoc seculo. Illud etiam considerandum venit quod aduersus auaritiæ malum hunc versum citat Apostolus, Hebr.13.a.6. Nam nullum melius est aduersus auaritiam remedium quàm sincera in Dominum fiducia. Et diffidentia cum metu hominum coniuncta, radix est auaritiæ, & defectionis à constanti Christianæ fidei confessione.

7 *Iehoua mecum, inter auxiliarios meos: & ego uidebo in aduersariis meis.*

8 *Melius est sperare in Iehoua quàm confidere in homine.*

Iehoua mecum. [V] Vel, Iehoua meus est. Vel pro me est, cum iis qui auxiliantur mihi. [C] Quidam auxiliatores accipiunt pro exigua manu quam sibi conciliauerat David. Sed hoc nimis dilutum videtur. frigidè enim Deum numeraret inter sexcentos illos quos secum ducebat, quasi vnus esset ex grege. Simplicius ergo dicimus vocari Deum auxiliatorem, acsi diceret David sibi sufficere modò illum habeat à parte sua stantem. Quãuis enim destitueretur humanis subsidiis, Deum cunctis hostibus opponere non dubitat. *Et ego uidebo in aduersarios meos.* [V] Chaldæus paraphrastes, Videbo vltionem in odio habentibus me. Alii, Videbo inimicos meos. Id est, despiciam eos. [H] Vide Suprà 118.b.8.

8 *Melius est sperare in Iehoua.* [M] Versus iste cum sequenti sententiam habet prolatam ex certitudine experiẽtiæ. Nam quia David, relicta hominum fiducia, in solo Deo sperauit, & ab omnibus periculis ereptus est, liberè pronũciat multo esse melius sperare in Dominum, quàm sperare in homines, etiãsi sint magnates & principes. [C] Videtur autem nihil nisi vulgare & tritum dicere. Fatẽtur enim vno consensu omnes, vbi ad Dei & hominum comparationem ventum, longè pluris illum vnum debere fieri, ideóque nihil esse melius quàm recumbere in spem auxilii quod suis promittit. Et quidem hæc confessio resonat in omnium ore: interea vix centesimus quisque Deum vnum sibi sufficere persuasus est. Quare multum profecit qui vno Deo contẽtus, etiamsi nihil auxilii reperiat in terra, bene tamen sperare non desinit. Est autem impropria comparatio, quia in totum nefas est, vel minimam spei nostræ partem, quæ tota in Deo fixa esse debet, transferre ad homines. Sensus tamẽ minimè est ambiguus, ridere vanas spes hominum, quibus huc & illuc rapiuntur, & dum illis mundus arridet, præterito vel spreto Deo, cristas erigunt. Putant nonnulli Dauidem odiosè suis hostibus obiicere quod à Saulis fauore pendentes decepti fuerint. Sed hoc nimis restrictum videtur: nec dubium est quin David exemplum se piis omnibus proponat, quia amplã mercedem retulerat spei suæ, quum soli Deo innixus patienter tulisset se priuari omnibus humanis subsidiis.

9 *Melius est sperare in Iehoua quàm confidere in principibus.*

Melius est sperare in Iehoua. [C] Amplificatio est hoc versu, vbi principes loco hominum ponit. acsi diceret non eos modò stultè errare qui plebeis hominibus spem suam addicunt, sed qui summis etiam regibus sunt amici: quia semper tandem maledicta erit fiducia quæ in carne fundata est: Deo autem propitio mors quoque in vitam vertetur. [A] Qua de re multa Ieremias Propheta, Cap.17.a.5. [M] In summa, sicut in præcedentibus Propheta timorem illum reiecit quo hominis consilia & vires timentur: ita his duobus versibus spem repudiat, qua salus & auxilium in tribulationibus ab homine speratur. Non sunt hæc temerè ad hunc modum disposita. Nihil est quod veræ pietati pariter ac saluti magis aduersetur quàm hæc ipsa duo, primùm, si homo timeatur magis quàm Deus (à quo timore suos Christus auocat, Mat.10.c.28) deinde si spes collocetur in hominem, qui si in se consideretur, ipsa vanitate vanior est, Suprà 62.c.10.

10 *Omnes gentes circundederunt me: in nomine Iehouæ certè excidam eas.*

Omnes gentes circundederunt me. [V] Iã pericula memorat in quibus fuerat, & è quib' ope Domini euaserat: [A] vt certò agnoscãt omnes, liberationem quæ humanitus cõtingere nõ potuit, verè fuisse diuinam. Refert enim sæpius se fuisse obsessum, neque id à paucis sed ab ingenti multitudine. Quum ergo totus populus iracundia & furore in eum ardens eum teneret comprehensum, vt nulla pateret euasio, nulla salus aliunde quàm è cælo prouenire potuit. Omnes gẽtes (inquit) circũdederũt me. [M] Quidam omnium gentium nomine vicinas gentes intelligunt, Philistæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Syros, &c. à quibus David initio regni sui infestabatur, quas etiam atteruit ac suppressit. [C] Sed potius David simpliciter intelligit, totum mundum sibi fuisse aduersum, quia vnius Dei auxilium capitali & furioso odio opponit, quo eum prosequebantur tam populares quàm vicini, vt nullus angulus in terra tutus ei foret. Quanuis enim exercitus ex pluribus populis non fuerint collecti ad eum obsidendum: quia tamen nulla nisi in latebris secretum quieta erat statio, imò illinc quoque metu abigebatur, & quotquot obuii erant, tendebant laqueos: non mirũ si dicat circundatũ se fuisse ab omnibus populis. *In nomine Iehouæ.* [V] Quidã subaudiũt spero. Alii bis subaudiũt Sperani, hoc modo, Et speraui in nomine Domini: speraui (inquã) quòd exciderẽ eos. Sic in duob' proximè sequẽtibus versib'. [C] Ellipsis autem loquutio plus habet vehementiæ quàm si dixisset se sperasse in Deo, & hoc modo victoriam esse adeptum. Nam solum Dei nomen in medium proferens, se aliis copiis instructũ fuisse negat, vt pereundum certò fuerit nisi Deus vnus opem tulisset. *Certè excidam eas.* [V] Alii vertunt, quòd excidam (vel succidam) eas. sed præstat particulam כי affirmatiuè accipere, hoc sensu, Quanuis vndique sim obsessus à mundo, tantùm mihi succurrat Dei virtus, certè ea satis supérque valebit ad omnes

situ͂ viue͂di sanctit in eo potissimu͂ co͂sistere vt opera Domini laudibus extollere, & cursum gloriæ illius inter viuos prouehere queant. Longè aliam caro nostra viuendi rationem sequitur.

18 *Castigans castigauit me Deus: sed morti non tradidit me.*

Castigans castigauit me Deus. Vel, Corripiendo corripuit me, Hoc est, Corripuit me seuera & seuera castigatione: at non siuit me mori. Hic agnoscit Dauid, quamuis eum iniuriose hostes impeterent, se tamen castigatum fuisse Dei ferulis per illorum manus: deinde hanc fuisse paternam castigationem, quia non inflixerit Deus mortiferas plagas, sed moderatus sit rigore suo. Videtur autē anteuertere peruersa iudicia quibus odiosè premi se videbat, acsi mala omnia quæ perpetius fuerat, totidem essent reprobationis signa. Quod ergo calumniabatur reprobi, retorquet in contrariam partem: leniter se & paterno amore fuisse correctum. Hoc primum est in rebus aduersis, vt sciamus nos humiliari Dei manu: accedat deinde alterum, hoc modo probari nostram obediētiam, nos expergefieri ē nimio torpore, crucifigi veterem hominem, purgari sordes nostras, cogi nos sub Dei obsequium, & stimulari ad meditationē cœlestis vitæ. Nam si hæc veniant nobis in mentem, nemo erit qui non exhorreat fremere aduersus Deum, imò se potius quisque mansueto spiritu subiiciet. Et certè, quòd frustra arrodimus, vel prorumpimus ad impatientiā, inde contingit quòd maior pars non reputat afflictiones esse Dei ferulas: alii verò paternam eius moderationem non gustant. Quare quod subdit Dauid, diligenter notandum est, *Sed morti non tradidit me.* Significat enim Deū semper clementer cum suis agere, vt percutiēdo sanet: non quòd sēper appareat paterna eius indulgētia, sed exitus tandem demonstrat, adeo non fuisse exitiales plagas, vt medicinæ vice fuerint, quæ nos ad exiguum tempus debilitans, sanatis nostris vitiis integrum vigorem nobis restituerit. Adhæc non solùm illud hoc loco cogitandum est quòd, nisi Dominus morti tradat, nihil efficiunt impiorum conatus: sed & consilium Dei obseruandum quo potestatem illā vitæ ac necis diuersimodè ac sic dispensat, vt aliquos piorum in manus impiorum ac morti tradat: aliquos verò non tradat, sed afflictionibus duntaxat exerceat & castiget. Dauidē ad hoc destinarat vt viuendo, hostes impios prosternendo, & populū Israelis asserēdo ac gubernando, gloriæ suæ seruiret. quapropter morti illum non dedit, nec passus est vt in manus inimicorum incideret. Alios verò morti dedit, quos ad id delegerat vt constantis fidei exemplaria populo Dei præferrent. Sic Stephanum ac Iacobum statim initio regni Christi dedit, Act. 6. d. 12, & 12. a. 2: Petrum verò & Paulum non item, nisi post longum ministerii Euangelici cursum, Act. 12. a. 6, & 9. d. 15, & 2. Cor. 1. b. 10.

19 *Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus in eas celebrabo Deum.*

Aperite mihi portas. Alloquitur hisce verbis ordinem sacerdotum ac Leuitarum, vt sibi fores tabernaculi Dei aperiāt, vt illas ingressus Dominum celebret. Nam portas iustitiæ vocat Tēplum, & inde cœtum sacrum, in quem verè & coram Deo non veniunt nisi iusti. Hic ergo zeli ardore prorumpit ad testandam suam gratitudinem, dum sibi Templum aperiri iubet, quasi victimis in medium adductis. Aperite, inquit, mihi Tēplum in quo congregantur iusti & sancti, vt coram illis gratias agam Deo, & palàm celebrem hāc liberationem, quam mihi contulit. *Ingressus in eas celebrabo Deum.* Iterum confirmat quod prius dixit, se publicè Deo gratias acturū in legitimo piorum cœtu. Quanquam autem ex more sacerdotes portas Tēpli aperiebant populo, videtur tamen alludere Dauid ad diuturnum suum exilium. Atque hanc coniecturam melius confirmat proximus versus. Quum ergo diu prohibitus esset ab accessu Sanctuarii, imò priuatus eius conspectu, nunc lætatur ac triumphat se admitti vt Deo sacrificet. Simul ostendit se venturum, non vt solebant hypocritæ (quibus Deus per Esaiam exprobat quòd pauimētum suum frustra terans, Cap. 1. c. 12.) sed se venturum cum sacrificio laudis. De quo vide Suprà, 50. c. 14. d. 23. Hodie Papales sacrifici templa non ingrediuntur hoc animo vt Deum celebrent, sed vt quæstum exerceant, & ventri seruiant. Sicuti ergo templa eorum talia non sunt vt possint pro tabernaculis Dei agnosci, ita non conuenit etiam vt portæ illorum vocentur portæ iustitiæ & Dei.

20 *Hæc porta Iehouæ, iusti intrabunt in eam.*

Hæc porta Iehouæ. Hoc est, Deus hoc templum sibi dicari voluit. hic est sanctuarium eius, debet purum esse ab omnibus sordibus, quemadmodum etiam Lex seuerè iubet. Iam quia Dauid sibi veræ pietatis conscius erat, æquū esse dicit sibi suique similibus patefieri Templi fores, ad quas accedere pridem ausus non fuerat. *Iusti* (inquit) *intrabunt in eam.* q. d. Porta est Iehouæ: ergo iustis eam tandem aperiet. Summa huc redit, quamuis exterris à Templo & patria fuisset Dauid, nunc tam ipsum quàm sinceros Dei cultores recuperare ius suum, statu regni in melius composito. Atque ita obliquè deflet Templi profanationem, quandiu sub tyrānide Saulis fuerat à profanis Dei contemptoribus occupatum, acsi canibus & impuris animalibus stabulum esset. Quod ergo Templum diu fuerat latronum cauerna, hac indignitas perstringitur: nunc verò quum iustis pateat, verè sacram esse Dei domum asserit. Cæterùm his appellationibus admonet Spiritus sanctus, ædes sacras nomini Dei & vsibus Ecclesiæ deputatas, non debere profanorum hominum ingressu pollui ac profanari. Olim magno certo Israelitarum ædium reuerētia & religio custodiebatur, quas nunc latronum videmus esse speluncas magis quam Templum illud Ierosolymitanū, e quo Christus vendentes & emētes eiecit, Matth. 21. a. 12, & Ioh. 2. c. 15. Nō solùm ingrediūtur tā homines iniusti impii, carnales, Deo odibiles, scortatores, molles, adulteri, Sodomitæ, Simoniaci, &c. sed regnant in tēplis, ascendūt ad aras, occupant suggestum: sunt sacrorum magistri, quorum vox esse non potest quod his Propheta dicit, Ingrediar per portas iustitiæ, & celebrabo Dominum. non enim hoc animo sacras ædes ingrediuntur vt Dominum celebrent, sed vt quæstum faciant & exerceant, & ventri seruiant, cæci cæcorumque duces. In summa, quod contigit tempore Saulis, hodie cernitur, vt per summum nefas ac dedecus sanctuarium Dei occupent sacrilegi eius hostes. Neque enim antichristus esset Papa nisi sederet in templo Dei, 2. Thess. 2. a. 4. Cæterùm quū ille passim omnia tēpla fœdis pollutionib' in lupanaria conuerterit, studeamus, quoad in nobis est, ea purgare, vt in illis purè colatur Deus. Vbi autem sacrū inter nos domicilium eligere dignatur, demus quam possumus operā arcendis inquinamentis & fœdis mixturis, quæ puritatem Ecclesiæ corrumpunt.

21 *Celebrabo te, quia exaudisti me, & fuisti mihi in salutem.*

Celebrabo te. Vel, Confitebor tibi. q. d. Prædicabo bonitatem tuam quam magnificentissime. Causam mox subiicit, *Quia exaudisti me.* Vel, quoniam respondisti mihi. *Et fuisti mihi in salutem.* Hoc est, Opem tulisti periclitanti. Vel, Eripuisti me ab hostibus. Breuiter cōmemorat quale te laudis sacrificiū offerre Deo instituat, quia scilicet seruatus fuerit eius gratia. acsi diceret, Domine quando tot beneficiis me indignum affecisti, & toties virtutem tuam sum expertus, æquissimum est vt nomen tuum celebrem, ac in piorum cœtu laudibus extollam, vt pii omnes exemplo meo admoniti, in te suam fiduciā locare, & è tentationibus erepti, gratias nomini sancto tuo agere discāt. Cōuenientius certè videtur vt sic legamus, Celebro te, quoniam respondisti mihi, &c. quàm Celebrabo te, quoniā respondisti mihi. Iam enim in tabernaculo constitutus Psaltes Dominum ipsum alloquitur: atque adeo apparet eum hisce verbis aut aliis consimilibus vsum quum iam per fores tabernaculi ingressus, intro in conspectum Domini peruenisset. Te Domine celebro ac laudibus extollo quòd mihi responderis quum in tribulationibus & angustiis constitutus auxilium tuum implorarem, & factus sis in seruatorem, &c. Talibus verbis sacrificium laudis ordiebatur, & reliquorum animos ad considerationem rerum quæ agebātur diuinitus & congratulationem excitabat.

22 *Lapidem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli.*

Lapidem reprobauerunt ædificantes. Gloriatur iam de sua in tantam potentiam & gloriam euectione, quum tamen prius reiectus adeo esset vt nusquam in toto Israelis ditione hærere posset. Atque ita collecto animo, calumniis insultat quibus iniustè & præter meritum fuerat grauatus. Porrò quia durum erat præiudicium à toto procerum consessu & omnibus qui gubernacula tenebant damnatum esse, simque inualuerat opinio hominem sceleratum esse ac reprobum: hunc errorem consultò refutat, & contra principibus quosque innocentiam suam asserit. Nihil moror (inquit) quòd reiectus fuerim à maximis quibusque, quando re ipsa apparuit Dei iudicium mu

fuisse electum. ᵃ Allegoria vtitur lapidis quem ædificantes vt nulli ædificii loco idoneum reiiciunt, & postea præter omnem suam expectationem vident collocatum in capite anguli, primo & insigniore ædificii loco. Factus enim erat Dauid rex populi Dei, & quidem augustissimus, cui paulo antè qui rerum potiebantur (quos per ædificantes intellexit) ne in infima quidem plebe locum permiserant. ᶜ Concinna ergo metaphora vtitur, lapidi se comparans: ipsos verò Ecclesiæ primores, architectis. ᵛ Tritum enim est in Scripturis regnum Dei vel Ecclesiam conferri ædificio. ᶜ Poterat quidem absurdum videri priuatos fuisse Dei Spiritu & sana mente regni proceres, penes quos residebat regni potestas: sed prauis & fallacibus eorum suffragiis opponit Dei gratiam, quòd decreto & manu Dei positus sit ad sustinendum totum ædificium. Hoc enim significat quod subdit, *Factus est in caput anguli*. Q.d. Ego, qui similis eram lapidi reiectitio & inutili, non modò inter populi Dei ciues restitutus sum, sed in regem quoque & caput eorum euectus. ᶜ In summa, docet Dauid sibi non obstitisse splendidos titulos, & præstantiam dignitatis qua superbiebant improbi, quia Dei vocatione subnixus gloriam totius mundi iudiciis superiorem obtinebat.

23 *A Iehoua factum est hoc: mirabile est in oculis nostris.*

A Iehoua factum est hoc. ᵐ Id est, opus hoc humana cõsilia excedit, nam planè diuinum est ac stupendũ. ᶜ Quia difficilis erat eius rei quam narrabat persuasio, gratiam Dei pluribus verbis extollit, vt eius authoritate improbos omnes & obstreperos sermones compescat. A Domino, inquit, factum est: perinde ac si diceret, Ite & litigate cum Deo quicunque me è solio deiicere contenditis: quod ego non temerè cõscendi, vel humanis mediis, sed manifesta Dei virtute. Id autem probat quia omnes quod factum est quasi incredibile cogãtur mirari. Vbi autem supra captum nostrum & mirabiliter operatur Deus, conspicua eius virtus nobis esse debet. Quidam adn. clatiuè accipiũt in hunc sensum, Quãuis homines in hoc Dei opere obstupescant, non debere tamen repudiari: sed probabilius tamen est miraculi nomen à Dauide positum vt Deo cedat omnis carnis protectio, nec quisquã amplius obstrepere ausit. Porrò quomodo hæc in Christũ propriè conueniant, cõmodius disseremus vbi ad versum peruenerim. ᵐ Porrò quũ dicit, Factũ est hoc, vtrunque intellige, cùm quòd reprobatus est hic lapis ab architectis, tum quod est in caput anguli factus. Nam vt Petrus Act. ca. 2. dicit, definito consilio Dei traditus fuerat vt crucifigeretur. Videmus igitur hic quomodo fiat vt opera Dei cognoscantur. Non solum magnificè agit sed & modis à iudicio rationis nostræ diuersis, qui operibus illius, vbi perficiuntur, & notã qua nõ humana sed diuina esse cognoscãtur, & admiratione adficiunt. Declaratur hoc vtroque & Dauidis & Christi exemplo. nam vt viusque exaltationem à Deo esse, hoc potissimum apparuit, & hinc admirationem consequuta est, quòd vtrobique reprobatio ab architectis & primoribus, crux videlicet & afflictio, eáque non leuis, sed in Dauide grauis, in Christo autem, omnium, propter mortem crucis, deploratissima præcessit. Vnde factum est vt quanto deploratius fuerant abiecti, tanto illorum exaltatio plus sit gloriæ & admirationis cõsequuta.

24 *Hæc dies quam fecit Iehoua, exultemus & lætemur in ea.*

Hæc dies quam fecit Iehoua. ᶜ Nunc faustam & fœlicem esse prædicat diem illum quo tandem receptus fuit in regem, & vnctio Samuelis effectu sancita fuit. ᵐ Non loquitur autem de die illo præcisè, sed de causa propter quam dies is panegyricus esse merebatur. Alioqui non est dies quem Dominus non fecerit: etiam dies tribulationis à Domino sunt. Verùm illa dies, lætitiæ erat & exultationis dies. ᶜ vnde Dauid κατ' ἐξοχὴν diem illum appellat, qui in salutem Ecclesiæ illuxerat post longas tenebras, quia ornatus erat insigni nota & ad posteros memorabili. *Exultemus & lætemur in ea.* ᶜ Quia emerserat Ecclesia ex tam densa caligine, Propheta ad lætitiam & gratulationem fideles hortatur: idque consultò facit, quia multi adhuc ignorabant vel spernebant Dei gratiam: alios verò tenebat peruersum studiũ Saulis, vt se Dauidis imperio ægrè summitterent.

25 *Obsecro Iehoua serua, obsecro, obsecro Iehoua, prosperum successum da, obsecro.*

Obsecro Iehoua, serua obsecro. ᵛ Vel, Da obsecro fœlicem successum. ᶜ Vel, Fac vt nũc prosperè agamus. Aut, Da nunc fœlicem successum regno Dauidis. Nam dictio נא sæpe aduerbium est temporis apud Hebræos. Verum obsecrandi significatio melius præsenti loco congruit. Neque enim dubium est quin Spiritus sanctus frequenti repetitione per os Prophetæ excitare in cordibus piorum voluerit rarum vehementiam & ardorem precandi. Quanquam diuersum sensum alii eligere possint. Hoc tamen certum est, dictari electo populo precandi formam, vt fœlicem successum optet regno Dauidis, ex quo pendebat publica omnium salus.

Prosperum successum da, obsecro. ᶜ Testatur his verbis, cœlestibus auspiciis se regnare. ᵐ q.d. Egregia sunt hæc regni principia, verùm non stabunt nisi tu regem serues, & successum in omnibus præbeas. Tu Domine cœpisti hoc opus, adiice illi rerum successum ac prosperitatem.

26 *Benedictus qui venit in nomine Iehouæ, benediximus è domo Iehouæ.*

Benedictus qui venit in nomine. ᵃ Additur hic speciale votum quod concipere debent fideles, nempe vt Deus, sicut Dauidem constituit gratiæ suæ ministrum, ita benedicat. Nam dicitur cui in nomine Domini venire quorum opera vtitur in populi sui salutem. ᵛ Veniunt Prophetæ & doctores, quos ipse excitat suo Spiritu: veniunt et alii in nomine Domini, per quos suam gratiam declarat. Hic verò dicitur rex venire in nomine Domini quia Dominus eo fine regnum illud erexerat, vt populus fœliciter ageret sub posteris Dauidis vsque ad Christum. ᶜ Posset etiam gratulationis esse elogium quum dicitur, Benedictus qui veniet. Sed quia mox subiicitur benedictio sacerdotalis, verisimilius est populum Dauidi precari Dei gratiam & fauorem. ᵐ ac si diceret, Acceptus, fœlix & gratiosus sit iste quem Dominus nobis regem dedit.

Benediximus vobis è domo Iehouæ. ᵛ Præteritum Hebræum pro præsenti. ᶜ Quo votum hoc alacrius conciperent fideles, & inde animentur ad amplexandum quem illis Deus regem præfecit, additur promissio in sacerdotum persona. q.d. Fœlicia omnia imprecamur vobis nos, qui de domo Domini sumus. Id est, nos sacerdotes, aut qui colimus Dominum. Sic autem pro officii sui ratione loquuntur quibus iniunctæ erant benedicendi partes: sicut pluribus locis Moses docet, & præcipue Num. 6. v. 23. ᶜ Hoc autem membro significant sacerdotes coniunctam esse publicam salutem totius populi cum prospero regni statu: quin potius admonent incolumem fore populum quandiu florebit regnum illud, & benedictos fore omnes simul cum suo rege: quia inseparabilis sit nexus inter caput & membra. Iam quia scimus, quum Dauid rex creatus est, iacta fuisse fundamenta æterni regni, quod tandem Christi aduentu patefactũ fuit: & tẽporale illud solium, in quo sedebant posteri Dauidis, imaginem fuisse perpetui imperii quo donatus est Christus à Patre, vt plenam potestatem tam in cœlo quàm in terra obtineat: non dubium est quin fideles iubeat Propheta assiduis votis expetere lætos & fœlices spiritualis huius regni progressus. Oportuit autem qui sub veteribus figuris vixerunt, pro Dauide & successoribus precari: vbi verò collapsa fuit tota regni dignitas, oportuit maiore studio promissam instaurationem à Deo petere. Denique quicquid hic dicitur, propriè in Christi personã competit, & quod in Dauide obscurè adũbratum fuerat, solidè in Christo ipso fuit exhibitum. Arcana fuit Dauidis electio: & quum Samuel eum in regem vnxisset, reiectus fuit à Saule & cunctis populi ducibus: omnésque eum abominabantur quasi centum mortibus dignum. Tanta igitur ignominia deformis, non visus est idoneus lapis cui daretur locus in ædificio. Eadem regni Christi fuerunt exordia, qui in Ecclesiæ redemptionem missus à patre, non solùm cõtemptus fuit à mũdo, sed in odio & execratione habitus: nec modò apud vulgus ignobile, sed primos Ecclesiæ antistites. Quæri tamen posset quomodo architectos nominet Propheta qui nihil aliud machinabantur quàm totũ templi ædificiũ euertere: tantum abest vt tueri studerent. Scimus enim quanto socordia incubuerint Scribæ & sacerdotes Christi tẽpore ad totius pietatis ruinã. Facilis solutio est, Dauidem ad eorũ munus nõ autẽ studiũ respicere. Quãquam enim euersor Ecclesiæ Dei fuit Saul cum suis consiliariis, vocationis tamen respectu architecti erant. Ita solet interpres Spiritus sanctus conferre honorificũ nomen

officii, donec eos Deus abdicet. Scimus quàm scelesti sæpe fuerint Sacerdotes in veteri populo: manebat tamen penes eos tituli honor & decus, donec è suo gradu deiecti essent. Sic loquitur Esaias cap. 42. c. 19, Quis est cæcus nisi seruus meus? & quis stupidus, nisi quem ego misi? Quamuis enim illis proposituũ esset totum ordinẽ labefactare, quia tamen in alium finẽ diuinitus vocati erãt, seruos Dei & ab eo missos vocat. Sic hodie, vtcunque sibi Papa cum fœtido suo clero titulum Sacerdotũ vsurpent, non tamẽ desinunt professi esse Christi hostes. Vnde sequitur, nihil minus quã legitimos esse Dei ministros, atque hoc illis in gestius iudiciũ cedet, quòd gregem dissipando, locum tamen occupant pastorum. Quanquam autẽ inter ipsos & sacerdotes Leuiticos magnum est discrimen, quatenus tamen ordinaria potestas penes eos residet, titulum illis concedere nihil obest: modò ne hoc prætextu tyrannidis suæ probrum obtegant. Nam si nudus titulus ad reuerentiam sufficeret, necesse fuisset Christum obmutescere, quum eius doctrinam respuerent sacerdotes. Quin potius docet hic locus pessimos interdum esse operarios quibus mandatum est regendæ Ecclesiæ officium. Architectos vocat Dauid in Spiritu qui filium Dei & salutem humani generis extinguere conati sunt, à quibus adulteratus fuerat Dei cultus, tota religio corrupta, & profanatum Dei Templum. Ergo, si promiscuè audiri oportet quasi legitimum pastorem quicunque ordinaria potestate præditus est, taceat Christus: quia vt plurimũ cõtingit deterrimos eius hostes delitescere sub pastorum larua. Videmus quàm valido & firmo clypeo nos instruat Spiritus contra iactantias cleri Papalis iactantias. Sint sanè titulo architecti: sed si Christũ reprobant, an eum nobis abnegare fas erit? imò spretis & calcatis eorum placitis, veneremur hũc pretiosum lapidem, in quo salus nostra fundata est. Nam quòd dicitur *locatus in capite anguli*, his verbis intellige verum esse Ecclesiæ fundamentum, quod totam ædificii molem sustinet: quia in angulis præcipua debet esse firmitas. Neque enim placet illa Augustini argutia, Christum angularem esse lapidem, quia Iudæos cum Gentibus coniunxit: sicuti angulus medius est inter diuersos parietes. Postea inculcat Dauid (vt diximus) pluribus verbis perperam æstimari Christi regnum ab hominum sensu vel suffragiis: quia inuito & repugnante mundo, mirabiliter erigitur arcana Dei virtute. Interea meminerimus, quod in Christi persona impletum fuit, spectare ad continuum regni eius cursum vsque ad finem mundi. Spreuerunt Christum Ecclesiæ antistites, dum in terra versatus est: nũc Gigantum more bellantur contra Euangelium & Spiritum qui Petri & Pauli se successores nominãt, quum prorsus sint Annæ & Caiaphæ. Atqui nõ est quòd furiosa hæc rebellio nos cõturbet: sed suppliciter adoremus admirabilem eius potentiam, quæ peruersa mundi iudicia euertit. Nam si rationem quam Deus in tuenda Ecclesia sua seruat, caperet ingenii nostri modulus, non fieret miraculi mentio. Vnde colligimus operãdi modum esse incomprehensibilem, qui cogat omnes humanos sensus conticescere. Quæritur tamẽ an necesse sit Christum reprobari ab architectis. Atqui male ageretur cum Ecclesia si nullos vnquam haberet pastores nisi salutis suæ capitales inimicos. Deinde Paulus se architectũ nominans, docet hoc commune fuisse Apostolis omnibus officiũ, Rom. 15. c. 20, & 1. Cor. 3. b. 10. Respondendum igitur, non damnari perpetuæ cæcitatis quicunque dignitate pollent in Ecclesia, sed Spiritum sanctum occurrere huic scandalo, quod alioqui plurimos mouari solet, dum vident mũdi splendore obrui Christi nomen. Quia ergo Deus, vt potentiam suam clarius illustret, laxat frenum Satanæ, vt qui authoritate & imperio sunt præditi, Christum respuant: hic Spiritus sanctus nos magno animo esse iubet, & peruersis eiusmodi iudiciis valere iussis, reuerenter quẽ Deus nobis regẽ præficit, suscipere. Scimus initio architectos Christum euertere conatos esse. Idem ætate nostra accidit: quia imperiũ Christi nobis omnibus euertere conati sunt quibus mãdatum erat Ecclesiæ regimen: & hodie adhuc quascũque possunt admouent machinas. Sed si huius vaticinii memoria nobis succurrat, adeo non labascet fides nostra, vt magis ac magis stabiliatur. quia inde melius constat non regnare Christũ hominum arbitrio, vel muniri terrenis subsidiis, sicuti imperium non est adeptus humanis suffragiis. Interea si probe ædificant architecti, eo minus excusabilis erit eorum malitia qui se non permittẽt aptari sacro ædificio. Cæterùm, quoties hoc tentationis genere probabimur, semper in mentem veniat, minimè æquum esse gubernari Ecclesiam pro captu nostro, sed incognitum nobis esse eius regimen: quia quod fit miraculo, non potest à nobis comprehendi. Sequitur postea, *diem hunc factum esse à Deo.* Quibus verbis admonet Propheta mortiferas tenebras grassari, donec per sum Euangelium illuceat sol iustitiæ Christus. Quum enim sit lux mundi (sicuti de se apertè testatur Iohan. 8. b. 12) quid superest nisi vt eo absente totus mundus dẽsissima tenebrarum caligine obruatur? Simul etiã monemur adscribi hoc opus Deo, nequid suæ industriæ arrogẽt homines. Exhortatio ad gratulationẽ, quæ mox sequitur, huc spectat, ne cedamus hostium vesaniæ, quantumuis tumultuentur ad excutiẽdum nobis gaudium quod Christus attulit. Nam quum tota nostra fœlicitas inde fluat, mirum non est, quamuis fremant ac indignentur omnes impii, nos ad gaudium insuperabile attolli, quod omnes dolores, & afflictionũ quæ ferendæ sunt acerbitatẽ prosternat. Hoc sibi voluit Christus, quum diceret suis discipulis, Gaudium vestrũ nemo tollet à vobis, Iohan. 16. c. 22. Precatio quæ sequitur, trita fuit in populo vsque ad ipsos pueros: sicuti hac voce exceptum fuisse Christum Euangelistæ commemorãt, Matth. 21. a. 9, Luc. 9. f. 38. Nec dubium est quin tunc Deus vaticinium quod protulerat per os Dauidis, sancire voluerit: imò acclamatio illa palam demonstrat publico consensu receptam fuisse interpretationem cui nũc obstrepunt & allatrant Iudæi. Quo minus excusabilis est eorum peruicacia & improbitas. Nam stuporem non accusamus, quum data opera ignorantiæ nebulas sibi & aliis offundant. Quod autem in illa tristi vastitate ac deformibus ruinis non cessauit tamen hæc precatio inter Iudæos, animos nobis hodie addere debet illorum perseuerantia. Nulla erat tunc regni dignitas, nullum solium, nullum nomen, nisi apud Deum: rebus tamen perditis ac deploratis retinuerunt precandi formam semel à Spiritu sancto dictatam. Hoc exemplo edocti, quamlibet miserè dissipata hodie sit Ecclesia, pro eius tamen restitutione fortiter orare pergamus. Præterea his verbis iterum docemur non hominum industria vel promoueri vel fulciri Christi regnum, sed hoc vnius Dei esse opus: quia ad solã eius benedictionem confugere docentur fideles. Ipsa etiã verborum repetitio (quam emphaticam esse diximus) segnitiem nostram excitet: quo ardentius intenti simus ad hoc votũ. Posset quidem ipse Deus spõte & absque vllius rogatu Filii sui regnum tam erigere quàm tueri: sed non frustra hanc curam nobis mandauit, quia nihil est in quo se melius exerceant fideles quàm in expetenda eius gloria.

27 *Deus Iehoua, & illuxit nobis: ligate agnum funibus vsque ad cornua altaris.*

Deus Iehoua. Vel, fortis Iehoua. Id est, Deus est Iehoua, vt sequenti versu. *Et illuxit nobis.* Copula in particulam expositiuam vel causalem resolui debet, vt legas, Iehoua est Deus, quia nobis illuxit. Cõfirmat quod prius dixit, Deum Ecclesiæ suæ misertũ, discussis tenebris gratiæ suæ lucem protulisse, vbi in solium conscendit Dauid: quia hoc redemptionis quæ à Christo tandem speranda erat, fuit præludium. Reperit etiam Deum huius tam inopinatæ salutis esse authorem, & effectu ipso palam probasse dicit verè se Deum esse. Subest enim his verbis emphasis, Iehoua ipse est Deus fortis, quiá lucem vitæ nobis restituit. Nam quia confuso Ecclesiæ statu fideles propemodum animos despoderant, impii verò imaginabantur actum esse de genere Abrahæ, Deus ipse quodammodo absconditus erat. Admonet nos etiam Spiritus sanctus hoc ipso quòd Christus in hunc mundum ad nos venit, venisse ad nos Deum ac Dominum, vt rectè vocetur עמנואל id est nobiscum Deus, Esa. 7. c. 14, & Matt. 1. d. 23. Deinde Christum esse lucem Dei, per quam cordibus mortalium illucescat. Et Christus ipse de se testatur, dicens, Lux venit in mũdum: sed dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem, Iohan. 3. c. 19. *Ligate agnũ funibus.* Vox Hebræa חג propriè solennitatem & festum diem significat, ab חגג saltauit, subsiliit: quòd in illo die lætitiæ gratia saltarent. Agnus quoque, siue pecus, vel hostia, eodem appellatur nomine, quòd cum lætitia & tripudio offerretur. *Vsque ad cornua altaris.* sub. adducite alligatum. Quia ex Legis præscripto, fideles non sine sacrificiis solennes Deo agebant gratias, iubet ligari victimam ad cornua altaris. Scimus enim, vt sedulus erat Legis obseruator Dauid, cæremonias à Deo mandatas minimè neglexisse. Quanquam præcipuum semper finem spectauit, vt rudimentis illis adiutus spiritualem offerret Deo cultum. Nunc vmbris Legalibus abolitis, superest vt per Christum offeramus gratiarum actiones Deo, quas ipse sua puritate sanctificat, ne ab hoc pietatis cultu sordibus carnis nostræ arceamur. Vide Hebr. 13. c. 15, & 1. Petri 2. a. 5.

28 *Deus meus es, & celebrabo te. Deus meus, exaltabo te.*

Deus meus es, & celebrabo te. Hic Dauid finem Psalmi factu-

eius, fidem suam & animi gratitudinem erga Deum cōfitetur: ostendens quomodo mentem suam ad Dei laudes direxerit. Promittit enim se celebraturum Dei nomen, quia Deum suū expertus fuerit. hoc est, re ipsa senserit salutem sibi in eius manu certam & paratam fuisse. *Deus meus exaltabo te.* Idem bis repetit, ad exprimendam sinceri affectus vehementiam & summum ardorem. q.d. Equidem non frustra colui Deum, nō frustra inuocaui. nam salutem ipse attulit in tempore, seruator meus.

29 *Celebrate Iehouam, quia bonus, quia in seculum clementia eius.*

Celebrate Iehouam. Vel, Confitemini Iehouæ. Eodem versu inchoat & finit Psalmum. Vide igitur primum huius Psalmi versum.

ARGVMENTVM PSALMI CXIX.

Hoc Psalmo prolixo exprimitur animus diuinæ Legis ardore accensus, & fidelibus exempli vice proponitur. Nam ad pietatis & sanctæ fidei studium filios Dei hortatur Propheta: deinde regulam & modum veri cultus præscribit, vt se totos Legis doctrinæ addicant fideles. Queritur etiam aliquoties de suis hostibus, ac diuinæ Legis impios transgressores interdū exitio deuouet.

1 א *BEati integri in via, ambulantes in Lege Iehouæ.*
2 א *Beati custodientes testimonia eius, [qui] toto corde exquirūt eum.*
3 א *Certè non operantur iniquitatem, [qui] in viis eius ambulant.*
4 א *Tu mandasti statuta tua custodiri valde.*
5 א *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodienda edicta tua.*
6 א *Tunc non pudefiam quum intentus fuero ad omnia mandata tua.*
7 א *Celebrabo te in rectitudine cordis, quum didicero iudicia iustitiæ tuæ.*
8 א *Edicta tua custodiam: ne me derelinquas vsque longè.*

1 *Beati integri in via.* Vel, perfecti via. Vel, integri itinere. Vel, sinceri via. Id est, quorū mores sunt probi, qui vitam suā rectè componunt. Via pro ipso vitæ instituto & cursu. Videri posset hic Psalmus æquo verbosior, eo quòd eadem identidē inculcet: sed qui nouerit quàm ardeant verè sancti Legis diuinæ studio, quàm anxiè cupiant vita illam exprimere, quàm doleat illis quod eam non possint assequi, quàm enecet quòd impii eam etiam irrident, & ab ea quos possunt reuocant: ille profectò nihil hic redundare, nihil præter rem repeti, sed singulos versus nouum aliquid offerre, quòdque haud vulgare ad instaurationem pietatis momentum habeat, agnoscet. Scribitur autem per octonarios iuxta ordinē alphabeti, vnde quidam ipsum octonarium nominant. Sic autem scriptum esse memoriæ iuuandæ causa, ex re ipsa colligitur. Continet enim doctrinam cuius meditatio assidua esse debet inter filios Dei. Itaque vt molestia lectores Propheta leuaret, singulas quasque versuum ogdoadas propriis literis à capite distinxit: quo subsidio pigris etiā & frigidis sublata fuit excusatio ignauiæ. Quanquā autē Latinis hominibus hoc leuamē cōmune nō est, seuere tamen hoc principium conuenit, doctrinam hic proponi in qua se exerceant omnes filii Dei, & quam memoriter discant, quo magis familiaris ac trita sit. De authore nihil asserimus, quia nec probabili coniectura elicere licet quisnam fuerit, nec interpretum cōsensu quicquam certi constat. Quia tamen hac dote alios omnes antecellit Dauid, nobis religio non erit alicubi nomen eius ponere. De vocibus etiā quarum celeberrima occurrit repetitio, aliquid præfari conuenit. De nomine תורה nō loquemur, quia tametsi à doctrina deductum est, passim pro Lege capitur. חקים statuta, vel ritus diuinitus præscriptos, quorum certa constet ratio, quidam Hebræi doctores esse tradunt. פקודים volunt esse præcepta quæ ad naturæ æquitatem spectant. משפטים certum est esse mandata, idque ex etymologia probant. עדות accipiunt Hebræi pro doctrina Legis, sed cum certa notatione, vt sciamus illic comprehendi quomodo Deus cum populo suo paciscatur. Cur præcepta Legis vocentur iudicia vel iustitiæ, satis notum est. Nēpe vt sciamus nihil à Deo præcipi nisi rectum & iustum. Deinde non aliam hominibus perfectæ sanctitatis regulā esse quærendam nisi vt vitam suam in Legis obsequium componant. Eodem fere sensu vocantur viæ Domini, vt se ab omni errore tutū certò sciat quisquis à Legis ductu non deflectit. Sed quū חקים promiscuè vocentur quælibet Dei vel regum edicta, פקודים etiam quum ex multis locis constet ad diuersas species extendi: refellitur iam arguta illud discrimen. Quod verò ad Psalmum hunc attinet, ex contextu patebit omnia ferè esse synonyma. Vt Legi plus reuerentiæ conciliet Propheta, variis eam elogiis insignit, eandem tamen doctrinam semper commēdans. Primo versu fœlices & beatos esse prædicat qui in Lege Dei toto corde & integro versatur & ambulāt. Neque enim sat est Legem tenere aut quid præcipiat nosse, nisi ad colendā iustitiā animum applicuerimus. *Ambulantes in Lege Iehouæ.* Clarius definit quænam ratio sit piè iustéque viuendi, nempe ambulare in Lege Dei: quia siquis suo arbitrio currat, nihil aliud quàm vagabitur, atque, vt ei totus mundus applaudat, se tamen absque profectu fatigabit. Posset tamen quæri an à spe fœlicitatis excludat Propheta quicunque non perfectè deum colunt. Atqui hoc modo soli Angeli fœlices essent, quia nusquam in terra reperietur perfecta Legis obseruatio. Quis enim potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prouer. 20. b. 9. Item, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, 1. Ioh. 1. d. 8. Sed facilis est solutio, vbi integritas exigitur à filiis Dei, non tolli gratuitam veniam, qua sola consistit eorum salus. Sic ergo beati sunt Dei cultores vt tamen ad misericordiam confugere necesse habeant: quia tantum dimidia est eorum integritas. Hoc modo verè prædicantur fœlices qui Legem Dei fideliter obseruant: simul tamen illud impletur, beatos esse quibus non imputat Deus peccata, Suprà, 32. a. 2. Et certè bona, iusta, & sancta Lex est: sed caro nostra sic est corrupta & infirma vt efficacia Legis locum in nobis habere nequeat, quo per obseruātiam ipsius vitam cōsequamur. Quapropter promissum est semē benedictionis Christus, mox initio transgressionis, per cuius gratiam & virtutem seruemur, illuminemur, regeneremur, & fœlicitatem illam consequamur ad quā per Legis obseruantiam peruenire non possumus. Interea tamen animum ad Legis obseruationem adiicere nos oportet, vt quod naturæ nostræ viribus præstare nō possumus, gratia & fide in Christum vtcunque impleamus. Hoc est, Vt à manu inimicorum nostrorū liberati, seruiamus Deo in sanctitate & iustitia corā ipso, omnibus diebus nostris, Luc. 1. g. 74.

2 *Beati custodientes testimonia eius.* Superiorem doctrinam melius confirmat hoc versu, beatos vocans non qui sibi sapiunt, vel sanctitatem sibi fingunt suo arbitrio: sed qui pacto Dei & Legis doctrinæ addicti sunt. Nam per testimonia Dei intelligis conuentionem quam Deus habuit cum populo suo. Agit enim Dominus humano more, acsi pacisceretur cū suis. Hinc videmus Legis nomine non modò decem verba sed promissiones etiam cōprehendi, quibus testatur Dominus gratiā suam populo. *Qui toto corde exquirunt eum.* Vt sciamus Deum oculari cultu minimè contentum esse, sincerum quoque affectū requirit. Et certè si solus Deus vitæ nostræ idoneus est iudex & arbiter, non satis est pedibus & manibus obsequium præstare, nisi primum locum teneat cordis veritas. Porro exquirere Deum toto corde aliud nihil est quàm prorsus & per omnia illi esse addictum, & in omnibus sese voluntati eius accōmodare, déque illa cognoscenda sedulò meditari.

3 *Certè non operantur iniquitatem.* Vel, non perpetrabūt. Præteritum Hebr. pro præsenti vel futuro. Quidam vertunt, Etiam qui non operātur iniquitatem. Sensus est, Hoc hominum genus quod iniquum est detestantur ac fugiunt, & secundum rationem viuendi à Deo præscriptam vitam suam instituunt. Quapropter verè fœlices sunt censendi. Etsi videtur Propheta nihil nisi vulgare tritumque dicere, quod publico consensu passim receptū est, nō peccare qui Deum sequūtur ducē: duas tamē ob causas necessaria est hæc admonitio, vt scilicet discamus totam vitam permittere Deo regendam: deinde magis attenti simus ac soliciti ad audiendam eius doctrinam. Fatentur omnes extra errandi esse periculum quisquis Deo obtemperat, sed interim quisque ad suas ambages declinat, atque ita homines pluris commenta sua faciunt quàm Dei Legem. Iam quoties lapsus est quispiam, nónne statim obiicitur incogitantiæ prætextus, acsi nemo sciens & volens vnquam peccasset. Quasi verò non satis ad cauendum suggerat prudentiæ Lex Dei, quæ omnibus delictis remedium affert, quia vitiosas omnes cupiditates frænat. Itaque meritò denūtiat Propheta, quicunque in Lege Dei edocti sunt, carere ignorantiæ prætextu, quia sponte excurrunt. Si enim attenderēt ad vocem Dei, probè contra omnes Satanæ insidias muniti essent.

4 *Tu mandasti.* Vt timorem incutiat, dicit Legis obseruationem seuerè à Deo exigi: vnde sequitur eius contemptum nō fore impunitum. Deum enim secūda persona cōpellans, quasi iudicem ante oculos statuit. *Custodiri valde.* Vel, vt custodiantur valde. Vel, custodiri summa diligentia. Hoc est, nō obiter nec leuiter, sed admodum diligenter & seriò. Sunt multi loci

quibus Legem suam Dominus seruandam populo præcepit, vt Leuit.26.a.2.3,& Deut.28.a.1.

5 *Vtinam dirigantur viæ meæ.* ᵃ Vel, parentur, disponantur. Quidam, Vtinam firmentur, vel stabiliantur. acsi Propheta sibi optaret perseuerandi virtutem. ᵇ Sed dirigendi significatio melius quadrat, quia etsi apertè nos instituit Deus in Lege sua, quæ tamen est mentis nostræ tarditas, quæ etiam cordis contumacia, necesse habemus in singula momenta eius Spiritu dirigi. Quare hoc sit caput omnium votorum, mentem expetere quæ nobis ex Lege Dei sapiat, & cor etiam docile ac morigerum. ᵐ Videmus itaque quomodo sancti propriarum virium infirmitatem agnoscant, & diuinitus sibi succurri optent, quo præceptis Dei obedire possint.

6 *Tunc non pudefiam.* ᵃ Vel, non confundar. ᶜ Asserit minimè timendum esse siquis intentus sit ad seruandam Dei Legem, ne ipsum pœniteat vllius consilii, vel actionis. ᵐ q.d. Tunc bona potero conscientia versari in conspectu tuo, quando oculos mentis meæ à præceptis tuis non dimouero, sed sedulò vitam meam ad illorum præscriptum direxero. *Quum intentus fuero.* ᵃ Vel, quum inspexero. Verbo inspiciendi significat tunc rectè compositam fore hominis vitam, si tantùm sibi Legem Dei pro scopo ante oculos ponat, non dando locum consiliis suis, neque deliberando quid agere conueniat, sed simpliciter sequendo quod præcepit Dominus, non declinando neque ad dexteram neque ad sinistram. ᶜ Etsi autem non desinunt à maiori hominum parte damnari qui reuerenter attenduntur ad eius Legem, eos Propheta negat pudefieri qui sibi probè conscii sunt cum Deo & Angelis, & cœlesti theatro abundè sunt contenti. Nam si penderent à mundi opinione, subinde labascerent. Dicit autem, *Ad omnia mandata tua*, quia inter tot Satanæ insidias, inter crassis tenebris, in tanta nostra hebetudine non vulgaris ad cauendum sedulitas requiritur, si omni ex parte culpam effugere cupimus. Quare danda opera est vt in singulis actionibus recurrat Legis memoria, quæ nos à lapsu contineat. Meminerimus ergo Legem Dei nobis datam velut speculum quoddam, quod nobis perpetuo obiici debet, ne quid vnquam committamus quod Dei maiestatem offendat. Vide Iac.1.b.10.

7 *Celebrabo te.* ᵃ Vel, Confitebor tibi. *In rectitudine cordis.* ᵃ Vel, In directione cordis. ᵃ Intelligit hoc nomine simplicitatem & sinceritatem. ᶜ Confirmat Propheta singulare Dei beneficium esse siquis rite in Lege profecerit. Gratiarum enim actio loco signi ponitur, acsi dixisset, Domine tu mihi incomparabile bonum præstiteris si me docueris in Lege tua. Vnde sequitur nihil esse in vita magis expetendum. Atque vtinam id nobis bene & penitus persuasum esset. Nam dum sollicitè quærendo quicquid nobis vtile putamus, nullum prætermittimus carnis commodum, interea quod præcipuum erat negligimus. *Quum didicero iudicia iustitiæ tuæ.* ᵃ Hebraismus, pro iudicia tua iusta. Iudicia vocat statuta & decreta: acsi quis dicat rectitudines. Nam ideo Legis præcepta vocantur iudicia, quoniam illic præscribit Deus quid rectum sit & iustum. ᶜ In summa, iudicia iustitiæ tantundem valet ac præcepta quæ perfectam in se iustitiam continent. Atque ita ab exacta doctrinæ perfectione Legem Dei Propheta commendat. Docemur præterea hoc versu neminem sincero cordis affectu laudare Deum, nisi qui in eius schola huc vsque profecit vt vitam formet ad eius obsequium: quia nimis frigida simulatio est Deum ore & lingua laudare, si vita nostra eum probro afficit. Meritò itaque Propheta fructum veræ pietatis hic ponit, Deum sine hypocrisi laudare. ᵐ Porrò notandum duplex esse discendi genus. Vnum, quod situm intelligentia, vt sciamus quid verum sit, quid falsum: quid bonum, quid malum: quid faciendum, quid vitandum. Huc commodum facit sacrarum literarum studium. Alterum est, quo, quæ intelligimus, opere adimplere & præstare discimus, vt scientes simus non solùm intellectu, sed & virtute & actu. Ego didici (inquit Paulus) in quibus sum, esse contentus, Phil.4.c.11. Et ipsi vos à Deo didicistis vt diligatis vos inuicem, 1.Thess.4.b.9. Vide etiam Eph.4.a.21. De hoc posteriore discendi genere Propheta hic loquitur.

8 *Edicta tua custodiam.* ᵃ Vel, statuta tua custodiam. Quidam, Cæremonias tuas custodiam. ᵃ Quum in studio Legis diuinæ omnem adeo sitam fœlicitatem cernisset, clandestinos octonarium, profitetur se edicta Dei obseruaturum. ᵐ q.d. Hoc sum animi proposito, ita mecum ipse constitui, vt custodiam statuta tua, viuamque ad illorum præscriptum. *Ne me derelinquas vsque longe.* ᵃ Vbi testatus est sibi esse in animo seruare Dei Legem, quia propriæ infirmitatis sibi conscius est, mox precem adiungit, ne deseratur à gratia Dei: ᵃ quia à Legis diuinæ obseruantia cato & mundus semper reuocant. Quanquam istud derelinquere bifariam exponi potest, vel, quum spiritum suum Deus subducit, vel quum perinde rebus aduersis affligi suos patitur acsi abalienatus foret. Atque hæc posterior expositio melius conuenit, propter particulam mox additam *vsque valde.* Neque enim Propheta in totum fugit quin fides sua tentationibus probetur: sed si examen nimis diu extrahatur, deficere metuit. Itaque suæ infirmitati ignosci cupit. Summa est, Tu vides Deus quo sim animo: sed quia homo sum, ne fauoris tui signa diutius à me abscondas, vel differas auxilium tuum, quàm mihi expediat: ne me derelictum putans, à recto pietatis studio desciscam.

9 ב *In quo purgabit adolescens viam suam? custodiendo secundum sermonem tuum.*
10 ב *In toto corde meo exquisiui te: ne me errare sinas à mandatis tuis.*
11 ב *In corde meo abscondi eloquium tuum, ut non peccem tibi.*
12 ב *Benedictus tu Iehoua, doce me edicta tua.*
13 ב *Labiis meis narraui omnia iudicia oris tui.*
14 ב *In via testimoniorum tuorum delectatus sum ut in omnibus diuitiis.*
15 ב *In statutis tuis meditabor, & considerabo semitas tuas.*
16 ב *In edictis tuis oblectabo me, non obliuiscar verborum tuorum.*

9 *In quo purgabit.* ᵃ Vel, mundabit, puram reddet. Vel, emendabit. Quidam, in quo puram præstabit iunior semitam suam? ᵇ Hic versus varie legitur. Quidam sic legunt vt interrogatio & responsio simul habeantur, in hunc modum, In quo purgabit viam suam adolescens? In eo quòd studiosè se moderatur & custodit secundum verba tua. Alii, vt totus versus interrogatio sit, difficultatem indicans viuendi iuxta Legem Dei, hoc modo, In quo mundabit iunior semitam suam, vt obseruet secundum verba tua? ᶜ Prior lectio aptior videtur. Reperit autem Propheta aliis verbis quod prius dixerat, nempe, vtcunque sibi blandiantur in suis factis homines, nihil tamen purum esse in eorum vita, donec se totos addixerint verbo Domini. Sed quo efficacius permoueat, disertè pueros vel adolescentes in exemplum adducit. Neque enim hos nominans, frænum adultis vel senibus laxat, quasi idonei sint ad regendam vitam, ac ipsis sua prudentia Legis instar sit: sed quia adolescentia homines locat in biuio, vt certum genus vitæ sibi deligant, significat, vbi quis vitam instituere cogitat, nullum consilium posse fideliter succedere, nisi Legem Dei magistram & ducem sibi proponat. Hoc modo simul ad mores suos citò vel maturè formandos Propheta homines solicitat, ne in longum tempus differant. sicut & Solomo dicit, Memento creatoris tui in iuuentute tua, antequam veniant dies afflictionis, & anni qui sint tibi tædio, Eccles.12.a.1. Et certè videmus eos qui procrastinant, obdurescere in suis vitiis, vt serò ad ea corrigenda virilem ætatem ingressi conantur. Accedit altera ratio, quòd adolescentes in quibus magis ebulliunt libidines carnis, quasi duplici fræno opus habent: & quo minus in ipsis est temperantiæ, tanto magis lasciuiam cohiberi necesse est. Itaque non immeritò eos Propheta peculiariter ad studium Legis hortatur. Vide Prouer.22.a.6. ᵐ Notandum autem hoc esse discrimen inter pios & impios adolescentes, vt sicut impii nulla cura tenentur alia quàm quomodo concupiscentiis suis obsequantur, & concupitis potiantur: ita pii ad repurgandam adolescentiæ suæ impuritatem toti feruntur, & noctes ac dies in id instituti incumbant. *Secundum sermonem tuum.* ᵐ Innuit opus esse adolescentibus diligentiore illi custodia quæ omnino maior sit humana, à quibuscunque illa mortalibus, siue parentibus, siue pædagogis, siue amicis, siue sacrorum ministris & magistratibus impendatur. Interea tamen humana custodia & diligentia respuenda non est, nec inutilis ducenda, sed, vt ministra cælestis prouidentiæ, amplectenda, tum efficax quando Patris nostri cælestis oculus vias adolescentiæ nostræ obseruat, & declinantes in viam virga & baculo suo reducit. ᶠ Iam ducendum est argumentum à maiori ad minus. Nam si ad frænandos adolescentiæ impetus tam efficax est Lex Domini vt puros & integros seruet quicunque ad eam respiciunt, minimè dubium est, vbi accesserit ætatis maturitas, & cupiditates deferbuerint, optimum fore remedium sanandis vitiis. Inde igitur tanta malorum colluuies in communi vita, quòd sibi omnes in sua immunditie indulgent, vel plus suo ingenio tribuunt quàm cælesti doctrinæ. Hæc enim vna est fidelis custodia, cauere nobis secundum Dei sermonem. Sed alii, dum sapiunt ex proprio sensu, se proiiciunt in Satanæ laqueos, alii autem flagitiosam vitam ignauia fouent.

10 *In toto corde meo exquisiui te.* ᵃ Dixerat versu secundo fœlices esse qui Deum toto corde exquirerent, nunc se ex eorum numero esse testatur: sed statim addit, *Ne me errare sinas à mandatis tuis.* ᵛ Vel, Ne errare facias me. Id est, Ne sinas me deflectere à mandatis tuis. ᶜ Quanuis Propheta verè animum sibi rectum esse prædicet, ne tamen infirmitate labatur, implorat Dei auxilium. ᵃ q.d. Equidem apud me constitui ad Le-

ctiu.

gis tuæ præscriptum totam vitam meam componere, sed quia expertus scio quanta sit naturæ meæ ad errandum & peccandũ procliuitas, oro vt infirmitati meæ succurrat diuina bonitas & prouidentia tua. [c] Hic Propheta præparationem suam minimè iactat, quasi proprio motu Deum quærere cœperit: sed quam adeptus est gratiam celebrans, simul ad perseuerandi cõstantiam aspicit. Stultè ergo hunc locum & similes arripiunt Papistæ, quasi sancti libero arbitrio antecreuerint gratiam Spiritus, & deinde eius subsidio adiuti fuerint. Neque enim hic inter se & Deum partitur Propheta: sed potius rogat vt Deus in finem vsque cõtinuet opus suũ: sicuti vbique docemur obiicere Deo sua beneficia, donec ea ad perfectionem adduxerit. Interim legitima est precãdi ratio vt Domin⁹ manũ nobis porrigat, dum videt animis ita esse compositos vt nihil magis expetamus quàm ritè agere. Sicut autem ad petandum donum perseuerãtiæ Deus nos fiducia erigit, vbi rectum affectũ cordibus nostris inspirat, sic etiam nos sollicitat in futurum tẽpus, ne securè torpeamus tanquam emeriti, sed petamus vt in singula momenta nos dirigat Spiritu prudẽtiæ, & Spiritu virtutis fulciat. Dauid enim hic suo exemplo regulam nobis dictat, vt quisque se diuinitus adiutum fuisse sentit, eo maiore cura & studio ad continuum eius auxilium implorandũ impelli: quia nisi nos sua manu retineat, statim in errorẽ labimur. Quod etiam clarius exprimitur verbo Hebraico תַּשְׁגֵּנִי, est enim transitiuum, quod tantundem valet ac in errorem inducere: nõ quòd ex verbi significatione internum Dei motum probare contendamus, sed vt teneant lectores, quæ nostra est ad peccandũ propensio, simulac manum laxarit Deus, protinus in errorem labi. Admonet etiam hic locus, quisquis vel tantillum declinat à mandatis Dei, extra viam errare.

11 *In corde meo abscondi eloquium tuũ.* [M] Hoc versu commemorat quid iamdudum fecerit. [A] Interea notãdum est, [c] quia Psalmus hic in vsum priuatum compositus non fuit, quoties exẽplum suum proponit Dauid, sciamus sub typo nobis describi quid sequendum sit. Hoc autem loco docet tunc demum nos ad cauendas Satanæ insidias esse instructos, si Lex Dei penitus cordibus nostris sit infixa. Nisi enim ita solidè corda nostra occupet, nullo negotio subinde excidemus. Nam sicuti qui tantùm ex commentariis sapiunt, nisi librum habeant præ manibus, facilè produnt suam inscitiam: ita nisi imbiberimus Dei doctrinam & ea probè simus imbuti, facilè nos deprehendet Satã, suisque laqueis induet. Hæc igitur vera demum munitio est, non leuiter gustasse Legem Dei, vel legendo transuolasse, sed profundè eam recondere in animis nostris. Vide Eph. 6. b. 11. c. 14, & 1. Pet. 5. c. 9. quomodo Satanæ insultibus resistere fideles debeant. [b] Et verbum abscondendi optimè huic loco conuenit, sumptum à similitudine eorum qui thesaurum suum recõdunt. Significat ergo Propheta eloquia Dei pris esse loco thesauri, qui abscondi solet ne amittatur. Sic Christus vsus est hoc simili, dicens, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, &c. Matth. 13. f. 44. Porrò sicuti nihil efficiunt qui thesaurum hunc in libris duntaxat repositum habent, & non in corde: ita monemur, quicquid sibi de sua prudentia homines persuadeant, omni tamen recto iudicio destitui, nisi quatenus Deus illorum magister est.

12 *Benedictus tu Iehoua.* [A] Orat pro Spiritus incremẽto, vt ad diuinæ Legis præscriptum totam vitam suam cõponere possit. *Doce me statuta tua.* [V] Vel, edicta tua. [A] Etsi hucusque profecerat Propheta vt non tantùm vnus esset ex discipulis Dei, sed publicus Ecclesiæ doctor, quia tamẽ se & perfectissimos quosque in cursu esse agnoscit vsque ad vitæ finem, Spiritum intelligẽtiæ petere non desinit. Ac in genere quidem ostendit hic locus, quamuis Lex Dei sub oculis nostris versetur, non eo tamẽ acumine, vt lucem illic propositã cernamus, donec Spiritu iudicii nos Deus illuminet. Atque hinc fit vt multi cæcutiant in clara luce doctrinæ, quòd perspicacia sua confisi arcanam Spiritus illuminationem negligunt.

[M] Notandum est autem duplex docendi genus, vnum, quo intelligentia instruitur: alterum, quo animi vires ad perficiendum quod intelligitur, imbuuntur. Vtrunque necessarium, verùm posterius tale est quod vt peculiarius est electorum, & prioris præstantius, ita & magis catholico doctori conuenit. [c] Deinde obseruandum est neminem mortalium tanta intelligẽtia pollere quin semper incrementis indigeat: quia si Propheta, cui Deus tam honorificum munus contulerat, profitetur se adhuc vnum esse ex discipulis: cuius socordiæ erit nos, qui longè adhuc ab eo distamus, ad profectum non eniti? Adde quòd nunc propria merita ingerit, vt impetret quod postulat: sed Deum per suam gloriam obtestatur. Nam exordium hoc sumens, Benedictus tu Iehoua, se inde exorandi fiduciam cõcipere declarat quòd Deus ob immensam bonitatem, iustitiam, misericordiam, omni laude dignus sit. [M] Præterea amorem & obseruantiam erga ipsum legislatorem his verbis expressit, & simul fontem aperuit vnde desiderium hoc edicta Dei discendi ac seruandi profluxerit: vt intelligamus illos demum studio seruandorum præceptorum Dei teneri, qui ipsum præceptorem ac legislatorem, tanquam benedictum, cordis propensione & amore prosequuntur. Vnde & illud Christi est, Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, Ioh. 14. c. 23. *Labiis meis narraui omnia iud.* [A] Quidam, In labiis meis memorabo omnia edicta oris tui. [B] Testatur se non tãtùm habuisse Legem Dei in corde suo inclusam, sed operam quoque dedisse vt multos cõdiscipulos adduceret in obsequium Dei. [M] q. d. Iugiter in Lege tua meditatus sum, ac passim de illa disserui. [C] Parùm quidẽ frigidum esset de Lege Dei verba facere (sicut videmus hypocritas facundè garrire de tota pietatis doctrina, à qua tamen sunt alienissimi) sed quod Propheta nuper de cordis affectu professus est, ad linguam quoque nunc transfert. [b] Non ergo hoc pugnat cum eo quod modò dixerat, In corde meo abscondi eloquiũ tuum: quia docere voluit thesaurum eloquiorum Dei abscondi non silentio oris, sed fidei & dilectionis claustris. Imò hoc ipsum ad custodiam eloquiorũ Dei facit, si de illis crebrò disseramus, & illorum commemoratione animos nostros ad obseruãtiam illorum excitemus. Vtrunque ergo aptissimè dixit Propheta, quia ex cordis abũdantia os loquitur, Matth. 12. e. 34.

14 *In via testimoniorum tuorum delectatus sum.* [A] Vel, gauisus sum. [C] Rursus confirmat, ex animo & absque fictione operam se impendisse aliis docẽdis, dum se non minus oblectationis cepisse prædicat ex Dei doctrina quàm ex cunctis mundi opibus. *Vt in omnibus diuitiis.* [V] Vel, sicut in omni opulentia multa. Viã testimoniorum Dei accipit pro tota Legis doctrina. [C] & pium hunc Legis amorem quo flagrabat, obliquè confert prauæ cupiditati, quæ totum ferè mundum occupat: acsi dixisset, Quẽadmodum maior pars hominum beatam vitam in hoc sitã esse imaginatur si diuitiis abundet: ita hæc vna mea fœlicitas fuit, scire quid Dominus mihi præcipiat, quam nobis tradat viuẽdi regulam. [C] Vel, Quum hominum mentes ad se captent diuitiæ, mihi non minus iucundum fuit proficere in doctrina pietatis, quàm summa opulentia affluere. [M] Ergo studium pietatis tam est iucundum piis, quàm iucũda est illis huius seculi terrenarum opum copia. Proinde obseruet quisq; quam adhuc alienus sit ab huiusmodi piorum hominũ ingenio, & rectæ vitæ delectatione.

15 *In statutis tuis meditabor.* [A] Vel, In præceptis tuis loquar. [V] Vel, in mandatis tuis me exercebo. Alii, De præceptis tuis loquar. Alii, De tuis constitutionib⁹ disserã, vel cõfabulabor. [A] Sed meditandi verbum optimè quadrat. [C] Tenendum est tamen quod prius admonuimus, Prophetam hic non efflare suas glorias, sed aliis proponere exemplar quod sequantur. Scimus quãtum maior pars hominum terrenis curis addicta sit, vt nihil tẽporis & otii ad doctrinam Dei meditandam restet. Itaq; vt frigus illud ac segnitiem corrigat, non frustra commendat diligentiam & attentionem. Atque vt mundus non ita nos teneat implicitos, scimus tamen quàm facilè in quotidianis tẽtationibus nobis obrepat Legis Dei obliuio. Itaque non abs re ad continuam exercitationem nos hortatur Propheta, & huc studia omnia applicare nos iubet. *Et considerabo semitas tuas.* [C] Quoniã erratica est hominũ vita, (quòd carnis cupiditatibus huc & illuc distrahi non desinit) ideo se ad considerandas Dei semitas intentum fore dicit. [M] Et semitis tuis, inquit, intẽdam. q. d. Non simpliciter, sed cũ summa diligẽtia ambulabo in semitis tuis, adeo vt nõ deflectam ad dexterã, neque ad sinisteã.

16 *In edictis tuis oblectabo me.* [V] Vel, delectabor. [C] Iterum repetit se ex hoc studio summam voluptatẽ percepisse. Donec enim hilariter & cum oblectatione animum suum quis adiiciat ad Legem Dei, frigidè nimis & lẽtè in ea proficiet. Atqui hoc rectè viuendi exordium est, vt Lex Dei suauitate nos sua alliciat. Hæc etiam vna ratio est domandis vel sanandis carnis cupiditatibus. Quid enim naturaliter nobis accidet nisi vitiositatis, itaque semper in illam partem feremur propensi, nisi contraria Legis oblectatio nos retrahat. [A] Fœlices igitur sunt quibus Lex Dei continua meditatio est. *Non obliuiscar sermonum tuorum.* [A] Hoc est, Perpetuò recordabor Legis tuæ. Secundum illud, Non recedet volumen Legis huius de ore tuo, &c. Iosue 1. b. 8. [M] Itaque obseruanda est hoc loco delectationis & iugis memoriæ coniunctio. Non poterit quisquam obliuisci eorum quibus impensè delectatur. Delectantur autẽ pii statutis ac verbo Dei, ideòque illorum obliuisci non poterunt. Arguit ergo verbi Dei obliuio animum nulla illius oblectatione præditum.

17 ג *Confer seruo tuo: viuam, & custodiam sermonem tuum.*
18 ג *Aperi oculos meos, & conspiciam mirabilia ex Lege tua.*
19 ג *Peregrinus sum in terra: ne abscondas à me mandata tua.*

20 ב *Confracta est anima mea præ desiderio ad iudicia tua in omni tempore.*
21 ב *Perdidisti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.*
22 ב *Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua custodiui.*
23 ב *Etiam sederunt principes, in me loquuti sunt: seruus tuus meditatus est in edictis tuis.*
24 *Etiam testimonia tua oblectationes meæ, viri consilii mei.*

17 *Confer seruo tuo.* [y] Vel, Retribue, Repende hoc beneficium. Vel potius, confer. [c] Nam verbum גמל (quod retribuere vertunt) Hebræis non significat mutuam mercedem, sed tantundem sæpe valet atque conferre beneficium, sicuti ex Psalmo 116.b.7.& pluribus aliis locis patet. Hic quidem locus postulat de gratuito beneficio exponi. Duplex tamen adhuc potest esse sensus: vel vt seorsum legatur, hoc modo, Præsta Deus te beneficum & liberalem seruo tuo: ita viuam. vel, tunc me existimabo fœlicem. Vel, vt tota sententia vno tenore fluat, Hoc confer seruo tuo Deus vt viuēdo custodiam mādata tua. Si prior lectio magis placet, testatur his verbis Propheta se absque Dei fauore similem esse mortuo: atque, vt alia omnia suppetant, sibi nulla fore vitam, nisi Deū sibi propitium sentiat. Sed rectior est altera expositio, Prophetam hoc summi beneficii loco petere vt viuendo se totum Deo addicat: quia statuat non aliam sibi esse viuendi causam nisi vt se exerceat in Dei cultu. itaque hæc duo simul cohærent, *Viuā & custodiā sermonem tuum*, ac si diceret nō aliam se vitam expetere, nisi in qua se probet fidū & verū Dei cultorē. Sibi omnes vitā à Deo prorogari cupiunt, & certatim rapitur totus mūdus ad hoc votum: interea quorsum viuendum sit, vix centesimus quisque reputat. Vt nos ab hoc bruto affectu reuocet Propheta, legitimum vitæ finem præscribit. [m] Videmus hoc loco quodnam beneficii genus cumprimis debeat à Deo petere seruus Dei. hoc videlicet, vt ad custodiendum præcepta Dei viuere possit: non vt cōmodè & in deliciis agat in hoc seculo. [c] Vnde & illud colligitur, singulari Spiritus gratia fieri vt quis Legem Dei obseruet. Nam si Propheta putasset in libero suo arbitrio esse positum ad custodiēdam Dei Legem se accingere, simulata fuisset precatio. Nemo igitur de viribus suis præsumens existimat se posse Legem Dei seruare, quum Dominus Deus sit qui in nobis operatur & velle & perficere pro bono animi proposito, Phil. 2.b.13.

18 *Aperi oculos meos.* [y] Vel, Reuela oculos meos. Vel, Velamen detrahe oculis meis. Retege oculos meos. [c] Confirmat hoc versu superiorē doctrinam. Postquam enim confessus est diuinitus hominibus cōferri seruandæ Legis virtutem, statim addit vnumquemque nostrum cæcum esse, donec mentis oculos idē Deus illuminet. Verum quidē est Deum nobis lucere per verbum suum, sed intelligit Propheta, donec velum ex oculis nostris abstulerit, nos cæcutire in clara luce. Perinde ergo est acsi suam & totius humani generis cæcitatem Propheta defleret, dum sibi velatos & clausos oculos fatetur, ne cœlestis doctrinæ lucem cōspiciant donec eos arcana Spiritus sui gratia Deus aperiat. [m] Sic Christus discipulis suis sensum aperuit, vt intelligerent Scripturas, Luc.24.g.45. Scripturæ sunt satis per se lucidæ, sed sensus nostri sunt cæci. Sic non legimus, Aperuit illis Scripturas, sed Aperuit illis sensum. Sic hoc loco Propheta non dicit, Aperi Legem tuam, sed Aperi oculos meos. Sēsit vir Dei magna, præclara & miranda esse mysteria Legis Dei, rationi nostræ abscondita: quæ nemo queat cognoscere nisi oculos mentis diuinitus habeat illuminatos. *Et conspiciam*, inquit, *mirabilia ex Lege tua.* [y] Vel, Et considerabo. Et contemplabor. Id est, Tūc ego ero idoneus ad percipiēda Legis tuæ mysteria. [c] Porrò dum Deus munus sibi vendicat vt solus oculos suis aperiat ad conspicienda Legis mirabilia, docet remedium in promptu esse, modò ne proprio acumine confisi spernamus quam offert illuminationis gratiam. [f] Neque enim frustra nos ad se inuitat, vt docilem & morigerum animum adferamus, ac in eius schola maiores semper progressus faciamus. [c] Discamus præterea non ideo nos illuminari vt contempto externo verbo rapiamur ad arcanos afflatus: quemadmodum multi fanatici nō aliter se putant spirituales nisi reiecto Dei verbo, sua deliria substituant. Atqui longè alium illuminationis vsum notat Propheta, vt ad cernendam viuificam lucem quam profert Deus verbo suo, nobis sufficiant oculi. Et mirabilia vocat Legis doctrinam, primùm vt ad suspiciendam eius altitudinem nos humiliet: deinde quo melius persuadeat nobis cœlesti gratia opus esse ad intelligenda arcana quæ captum nostrum superant. Atque hinc colligimus per nomē Legis non modò decem præcepta intelligi, sed fœdus æternæ salutis quod Deus pepigit, cū suis appendicibus. Et certè quum sciamus Christum in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ (Coloss.2.a.3) finem esse Legis (sicuti Paulus docet in epistola ad Roman. cap.10.a.4) non mirum est si eam à sublimibus mysteriis commendat Propheta.

19 *Peregrinus sum in terra.* [a] Vel, Aduena ego in terra. [y] Canit hoc versu se nihil aliud velle quàm cognoscere & vita exprimere Legē Dei, vt qui sit in terra aduena, in cœlis, ciuis. [c] Et certè profanis & terrenis hominibus nihil aliud curæ est nisi vt cō modè hic viuant: qui verò sciunt nobis currendum esse, & hæreditatem nobis in cælo repositam, non affixi sunt neque implicati rebus caducis, sed aspirant quo vocantur. Sensus ergo est, Domine, quum mihi per terrā celeriter trāsire necesse sit, quid mihi fiet si doctrina Legis tuæ destituar? Hinc discamus vnde nos incipere oporteat, vt alacriter ad Deum pergamus. [m] Deinde qua conditione debeat seruus Dei versari in mundo, nō vt filius & domesticus, sed vt inquilinus, hospes & peregrinus. Non poterunt esse serui Dei qui sese mundo familiarius & addictius quam peregrino conueniat, accommodant. Paulus dicit, Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, Gala.1.b.10. [a] Et Iacobus, Adulteri & adulteræ, nescitis quòd amicitia mundi huius, inimicitia est cum Deo? Cap.4.a.4. *Ne abscōdas à me mandata tua.* [y] Hoc est, Ne permittas vt ego destituar doctrina Legis tuæ. [c] Nam abscondere dicitur Deus mādata sua quibus oculos non aperit: quia dum spiritualibus oculis non sunt prædití, videndo non vident, vt absconditum sit quod palam versatur ante oculos.

20 *Confracta est anima mea.* [y] Vel, debilior fit, atteritur. comminuitur, consternatur. [c] Vt ostendat Propheta se non defunctorie precari vt oculi mentis suæ aperiantur, adiungit se totū Legis desiderio ardere. Nam quum dicit animam suam confractam fuisse, ostendit hac confractione, attritione & consternatione animæ, quantopere & quàm vehementer sese totum applicuerit ad studium diuinæ Legis. [c] Quemadmodum enim siquis adeo cupidè conferat in rem aliquam sensus suos vt ferè euanescant, dicetur intemperie sua consumptus: sic etiam Propheta animi sui vigorem ardenti Legis desiderio fractum vel exhaustum esse dicit. *Præ desiderio ad iudicia tua.* [a] Vel, concupiscendo iudicia tua. [m] Notātet non dicit, Confracta est vel atteritur anima mea, adimplendo & perficiendo: sed præ desiderio, &c. Quibus verbis vehementissimum & ardentissimum affectum erga diuinam Legem exprimit. Et simul perseuerantiā notat, quum dicit, *Omni tempore.* Quia interdum contingit magno impetu quempiam ad cælestis doctrinæ studium impelli, sed cuius eusmodi erit feruor. Habenda igitur constātia est ne tædio languescant animi.

21 *Perdidisti superbos.* [y] Vel, disperdidisti. Quidā vertunt præteritum in futurū, Perdes. [c] Alii vertūt, Increpasti superbos. Nā גער Hebræis increpare interdum significat, sed quum in regimine additur litera ב. Nunc autem quū simpliciter dicat גערת זדים secundum rationem grammaticæ aptius conuenit perdendi verbum. Quanquam ad summam rei parum refert. Cōsilium enim Prophetæ minimè ambiguum est, se Dei iudiciis fuisse edoctum vt animum adiiceret ad studium Legis. Et certè non expectādum est dum nos suis ferulis castiget Deus: sed dum impios & verbi sui contemptores vlciscitur, nimium sumus socordes nisi nos erudiant eius flagella. Ac profectò hæc singularis Dei clementia est, dum nobis parcit, procul terrorē incutere, vt intactos & à castigatione immunes ad se adducat. [m] Superbos vocat homines elatos, feroces, & arrogātes, & qui per cordis superbiam & fastum à Lege Dei deficiunt. [c] Tales sunt omnes increduli, quia sola fides est quæ nos humiliat, & omnis rebellio ex superbia nascitur. [a] Talibus superbis Deus resistere solet, humilibus autem dare gratiam, Iac.4.b.6. Subdit Propheta, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* [y] Vel, execrabiles. [m] Hic Vates per assertionem constanter loquitur, quòd Deus increpaturus sit superbos, & quòd maledicti sint qui per superbiam à præceptis Dei deficiunt. [c] Vnde colligimus quàm vtile sit attentè & sedulò Dei iudicia animaduertere, quibus talem fastum compescit. Quandiu enim vident Infideli furiosè impios contra Deum insurgere, proteruè omne iugum excutere, & impune habere ludibrio totam pietatem, dubitare incipiunt an aliquis in cælo iudex Deus sedeat. Quanuis ergo ad tempus Deus conniueat, simul tamen atq; aliquod exemplum edit, certò statuamus non frustra transgressoribus Legis suæ minatum esse Deum: atque ita in mentem veniat, maledictos esse omnes qui à Deo recedunt. Cæterùm notandum est declinādi verbo non quodlibet delictum notari, sed effrænem licentiam quæ ex impio Dei contemptu nascitur. Est quidem illa vniuersalis sententia, maledictum esse quisquis non permanserit in omnibus quæ scripta sunt (Deu.27.d.26.) sed quia Deus paterna indulgentia tolerat qui per infirmitatem vitium claudicant, hic de iudiciis nominatim agitur quæ aduersus reprobos exercet. Illorum verò finem esse docet Esaias, vt iustitiam discant habitatores terræ, Cap.26.b.9.

22 *Aufer à me opprobrium & contemptum.* [y]sub. superborũ. [z]Vel, Deuolue à me opprobrium & ignominiã. Precatur se liberari à vi impiorũ, qui probro & ignominia ipsum afficiebant propter Legis sanctæ studium.[y] Posset tamen hic esse sensus verborum, Domine ne sinas me iniustis hominum calumniis opprimi, & vitam meã falsis criminationibus infamari: nam cõscientia mea mihi testimonium reddit veræ probitatis. [c] Sic non frustra postulant fideles vt Deus contra linguas virulentas, sinceræ quã colũt pietatis sit assertor. Plenior tamen erit sententia si vno contextu legatur, Ne patiaris Deus impios ideo mihi illudere, & me suis opprobriis traducere, quia Legẽ tuam seruare studeo. [s] Vt enim cecinit Deum increpaturum & vt execratos deleturum impios, qui à præceptis ipsius aberrant, ita precatur nunc vt se probro vindicet, quo vtrique ab illis execratis & maledictis, atque ob id meritò perituris, afficiebatur. [c] Et sanè hæc impietas ab initio in mundo grassata est, vt Dei cultoribus probri loco obiecta fuerit sua simplicitas, & in ludibrium tracta. Sicuti hodie eadem fere probra aduersus filios Dei volitant, quòd non contenti vsitata viuendi ratione, nimium sapere velint. Nam illud Esaiæ nunc quoque impleri oportet, Ecce ego, & pueri mei quos dedisti mihi in portentum, Esa. 8. d. 18. vt filii Dei cum capite suo Christo apud profanos homines monstris sint similes: sicuti & Petrus testatur nos ab illis insaniæ damnari, quia eorum vias non sequimur, 1. Pet. 4. a. 4. [c] Quia autem hæc contumelia in nomẽ Dei redundat, si ob purum Legis Dei studium habemur ludibrio: meritò Propheta subsannationes istas compesci postulat. Atque etiam ad hoc asylum nos suo exemplo Elias confugere docet cap. 23. d. 11, quòd impiis in terra ferociter probra sua iactantibus, sedeat tamen in cælo iudex noster. [m] Expendendũ hic est quãta sit aulæ regiæ corruptio, sub tyrãno impio. Principes illius illudunt piis, quorum potissimum erat obseruantes esse pietatis. [a]sicuti de Herode & ministris eius, quib[y] Christus ludibrio est habitus, Luc. 23. b. 11. [m] Hoc probri genere pii mirum in modum afficiuntur, quia non tam suam ipsorum quàm Dei gloriam spectant. Vide Ierem. 20. b. 7. 8.

23 *Etiam sederant principes.* [c] Iam clarius asserit Propheta se non frustra precatum esse vt eum Deus a talibus probris asseereret: quia non tantùm à plebe & hominum quisquiliis derisus fuerit, sed etiam ab ipsis proceribus, qui sedebant tanquam iudices. Nam sedendi verbo significat non tantùm in suis cubiculis vel mẽsis perperam & iniquè loquutos esse, sed publicè quoque & in ipso tribunali, vbi ius dicendum erat. Ideo vtitur particula גם, quæ tacita cõparatione inter obscuros plebis susurros & superba istorum iudicia, amplificat rei indignitatem. *Seruus tuus meditatus est.* [y] Vel, meditabatur. Quidam futurum vertunt per præsens, Seruus tuus loquetur, disseret. [c] Ostendit se in studio pietatis persistisse. Nam quia hoc artificio tentabat Satan eum ad desperationem impellere, remediũ ex meditatione Legis Dei se quæsiisse dicit. [a]q. d. Etsi huius mundi proceribus ludibrio fui, propter pietatis studium cui addictus eram, non tamẽ cessaui persequi rectum cursum. [c] Hic docemur non esse nouum si mundi iudices iniquè opprimant seruos Dei, & eorum pietati insultent. Hanc contumeliam si effugere non potuit Dauid, cur hodie essemus immunes? Simul tamen discamus nihil magis esse peruersum quàm pendere ab hominum iudiciis: quia necesse erit singulis momentis vacillare. Quare satis sit nos Deo probari, quãuis nos iniustè traducãt homines, nec modò vulgus ignobile, sed ipsi etiam iudices à quibus speranda erat maior æquitas. [m] Nam qui aliter animati sunt, facillimo motu, & leui occasione deficiunt. Sic Ieremias dicebat, Et factum est tanquam ignis in ossibus meis, & ferre non potui, Ierem. 20. c. 9.

24 *Etiã testimonia tua.* [c]Particula גם versum hũc cum superiore connectit. [m]q. d. Ego verò, quantumuis illi me contemnant, & in consessibus suis proscindant, non cesso de statutis tuis disserere, [c]quia quanuis molesta sit & acerba hominum iniquitas, dum mendaciter me accusant, sufficiunt tamen ad compẽsationem deliciæ Legis tuæ. Certè hoc raræ fortitudinis exemplum est, quum mundus perperam de nobis iudicat, non mutare propositum, nec fluctuari, sed persequi meditationem diuinæ Legis. *Viri consilii mei.* [y]Hebraismus pro consiliariis & consultoribus. Id est, gubernant mẽtem meam & cor meum. [a] Significat hac loquendi forma se non acquiescere in proprio sẽsu, sed petere à verbo Dei auxilium. Quod diligenter notandũ est. Videmus enim vt regendæ hominum vitæ præsideant cæci affectus. Auarus vnde petit consilium, nisi ex falso principio, quod sibi imaginatus est, nihil scilicet esse melius diuitiis? Cur ambitiosi vnam altitudinem appetũt, nisi quia existimãt nihil esse melius quàm tenere gradum honorificum in mũdo? Non igitur mirum est tam miserè errare homines, qui se tam malis consiliariis regendos tradunt. Tunc autem & carnis nostræ & mundi imposturis clausus erit aditus, & contra omnes tentationum impetus stabimus inuicti, si nos verbum Dei gubernet, atque hæc nobis vnica sit prudentia, quicquid præscribit, obediẽter sequi. Cõsolãtur liquidè & mirificè erecturi Dei oracula, dũ eius in nos bonitatẽ tam præclarè demõstrãt: consulunt quoque probè, dum sola quæ salutis sunt, indicant.

25 ד *Adhæsit pulueri anima mea: viuifica me secundum verbũ tuum.*
26 ד *Vias meas narraui, & respondisti mihi: doce me edicta tua.*
27 ד *Viam mandatorum tuorum fac vt intelligam, & meditabor in mirabilibus tuis.*
28 ד *Stillat anima mea præ dolore: erige me secundum verbum tuum.*
29 ד *Viam falsitatis aufer à me, & Lege tua gratificare mihi.*
30 ד *Viam veritatis elegi, iudicia tua proposui.*
31 ד *Adhæsi testimoniis tuis Iehoua, ne pudefacias me.*
32 ד *Viam statutorum tuorum percurram, vbi dilataueris cor meum.*

25 *Adhæsit pulueri anima mea.*[y] Vel, Adhæsit terræ vita mea. [c] Significat se de vita non secus desperasse quàm si affixus esset sepulchro. [y]q. d. Parum abest quin deferar ad sepulchrum. [m]Vel, Emorior ac pereo sepulchro vicinus. Sic exprimit angustiæ suæ vehementiã. [c]Hoc autem notatu dignũ est, ne tædeat nos vel pigeat, quoties ita visum fuerit Deo, per varias mortes transire. *Viuifica me.* [y]Hebraismus pro Restitue me vitæ pristinæ, vt pollicitus es. Recrea me solatio eloquiorum ac promissorum tuorum. [c] Propheta suo exemplo docet, quum nihil occurrit præter mortem, spesque omnes videtur extinctæ, ad Deum nihilominus vota nostra dirigere, in cuius manu sunt exitus mortis, quemadmodum vidimus Supra, 68 c. 21. & cuius proprium munus est vitam restituere mortuis. Cæterùm quia hæc difficilis lucta est, ideo se & alios reuocat ad Dei promissiones. Nam quum dicit, *secundum verbum tuum*, fatetur si à Dei verbo recesserit, nullam spem manere sibi residuam. Verùm quia pollicitus est Deus vitam piorum in manu sua & tutela esse, quanuis sepulchro adhæreat, se tamen in vitæ fiduciam erigit. [m] Admonemur itaque quo loco piis sit verbum Dei, & quid sit solatium è verbo & secundum verbum Dei præstitum, viuificatio scilicet mentis alioqui dilabentis & periclitantis.

26 *Vias meas narraui.*[y] Vel, exposui. Vel, memoraui. [a] Cunis vt vias suas, hoc est, quicquid sibi faciendum incidisset, enumerarit, vtique Deo. [c] Quibus verbis testatur se absque fuco fuisse precatum, nec sequutum esse superbos homines, qui prudentia sua, virtute aut opibus freti, ad Deum non confugiunt. Vias enim suas Deo exponere dicitur qui nihil tentare vel aggredi audet nisi eius auxilio, sed totus pẽdens ab eius prouidẽtia, sua omnia consilia eius arbitrio permittit, & quasi in eius sinum deponit affectus suos: idque sincerè facit, non vt hypocritæ, qui aliud lingua præ se ferunt, aliud in corde occultant. *Et respondisti mihi.*[y] Vel, Et exaudisti me. [m] Pulchrè consolatio Dei afflictis præstita responsio vocatur. [c] Addit ergo Dauid se fuisse exauditum, quod in spem futuri temporis non parum valebat. [m] Et certè credi non potest quantum ex eo sit fidei nostræ robur & augmentum, quòd Deum implorationibus nostris respondere sensu Spiritus experimur. *Doce me edicta tua.* [y] Vel, statuta tua. [c] Iterum testatur sibi nihil esse potius quàm veram Legis intelligentiam consequi. Sunt enim nonnulli qui vota quidem sua Deo aperiunt, sed eum stultis suis cupiditatibus morigerum habere vellent. Ideo dicit Propheta nihil se magis cupere quàm in Dei statutis rectè doceri.

27 *Viam mandatorum tuorum fac intelligam.* [a] Vel, viam præceptorum tuorum fac me intelligere. [z]Postulat præceptorum Dei veram intelligentiam. [m]Q. d. Paratus sum ad obediendum voluntati tuæ, & viuendum secundum Legis tuæ præscriptum. Quapropter imbue & intellectum & animum meum, vt intelligam & sciã præstare quæ mãdata tua requirunt. [c]Notandum est hoc loco, quanuis oculis nostris Lex Dei sit exposita, nisi tamen accedat interior magister Dei Spiritus, nõ multum nos posse ex illius lectione consequi. [m] Ideo fideles indesinenter orant vt à Deo doceantur, & voluntatis suæ intelligentes reddantur. *Et meditabor in mirabilibus tuis.* [s] Quidam vertunt, Et disseram de mirabilibus tuis. Nam & verbum שיח tam ad sermonem quàm ad tacitas cogitationes refertur. Sed huic loco posterior significatio melius conuenit. Sic enim resolui debent Prophetæ verba, Vt mediter in mirabilibus tuis, fac vt mãdata tua intelligam. Scimus enim, donec mentes nostras Deus purgauerit, vt veræ sapientiæ gustum percipiãt, Legẽ eius esse nobis insipidam. Atque ex hoc fastidio nascitur ignauia, vt grauetur mundus ad Dei Legem reuerenter attẽdere: quia admirabilem sapientiam, quæ illic recondita est, non gustamus.

Quare non temere Propheta ianuam intelligentiæ dono sibi patefieri rogat. Hinc verò simul discendum est, prout donati sumus intelligentiæ Spiritu, reuerentiam Legis Dei & eius meditandæ studium debere in nobis crescere.

28 *Stillat anima mea præ dolore.* ^a Vel, Diffluit anima mea præ tristitia. ^b Vel, Distillat, stillatim perit vita mea. ^c Quemadmodū paulo ante versu 25 dixerat animā suam quasi affixam esse pulueri, ita nunc dicit stillare animam suam præ dolore. ^a Vel, præ ægritudine, vel anxietate. ^c Quanquam sunt qui ad lachrymas putant eum alludere: acsi dixisset animā suam in lachrymas liquefieri. Verùm sensus est simplicior, vires diffluere instar aquarum. Et verbum quidem est futuri temporis, cōtinuum tamen actum designat. *Erige me.* ^a Vel, Confirma me. Quidam, Serua me. ^b Extremi mœroris remedium hoc sibi statuit Propheta, si Deus manum porrigat. Sicuti enim nuper, quum exanimis esset, spem resurrectionis concepit ex Dei gratia: ita nūc ex eadem noui & pleni vigoris restitutionem sperat, quamuis nūc euanuerit. Repetit particulā illā, *Secundum verbum tuum*, quia absque verbo nobis frigeret Dei potentia. Atqui vbi nobis Deus occurrit, quamuis nos animus & vires deficiant, satis ad nos confirmandos valere debet eius promissio. ^m Discimus ab hoc loco, secundum verbum Dei petenda esse à Deo quæcunque animo piorum aduersus omnis generis incommoda, vtilia & necessaria videntur. Est enim verbum Dei, promissio Dei, iuxta quā anima nostra viuificari, illuminari, erigi, confirmari, duci ac dirigi potest in omnibus.

29 *Viam falsitatis aufer à me.* ^a Vel, Viam mendacii amoue à me. ^m Orat vt vitam suam secundum diuinæ Legis certitudinem, & non secundum humana consilia, (quæ viam mendacii, id est, viam mendacem & fallacem vocat) instituere possit. *Et Lege tua gratificare mihi.* ^c Quidam vertūt, Fac vt Lex tua grata sit mihi. Et certè quia Lex carni, quam cogit in ordinē, odiosa est, meritò rogandus est Deus vt suauem & gratiosam nobis eam reddat. Alii exponunt, Miserere mei de Lege tua. acsi misericordiam deduceret Propheta ex proprio suo fonte, quia Deus in Lege sua fidelibus eam promisit. Vterque sensus coactus videtur. Ideo tertius melius quadrat, Legem tuam gratuitò mihi dona. ^a חנן nō potuit aliter transferri quàm gratificare mihi, et asse quidem & barbarè: sed nobis perinde fuit, modò Prophetæ mentem certò tenerent lectores. Iam summa nobis constat. quia enim nos occupat hebetudo, nihil procliuius est quàm vt se errores insinuent. Quare subinde in varias hallucinationes rapi contingeret, nisi prudentiæ Spiritu nos Deus instruat. Modus autem exprimitur, vt nos instituat in Lege. Sed gratificandi verbum posuit, acsi dixisset, Hoc quidem incomparabile beneficiū est quòd homines Lege tua dirigis: sed quia gratuita est tua liberalitas, petere non dubito vt me in huius boni fruitionē admittere digneris. Iam si Propheta, qui pridē Deum coluerat, nunc ad nouum profectum aspirans, non petit plenitudinem gratiam meritis suis tanquam debitam rependi, sed fatetur hoc gratuitum esse Dei munus, concidit impium illud commentum quod in Papatu obtinuit, augmētum gratiæ meritis tanquam debitum retribui.

30 *Viam veritatis elegi.* ^c Opponit viam veritatis viæ falsitatis, quæ propria via est simulatorum: illa verò ad sinceros pertinet animos. ^b Est autem via veritatis id quod verū & rectum est: nēpe quod Lege sua præcipit Dominus. ^c Propheta igitur hoc versu & proximo se ita animatum fuisse asserit, vt nihil magis expeteret quàm sequi quod rectum & verum erat. Non temere hic ponitur eligendi verbum. nam quod veteri prouerbio dictum est, Vitam hominum esse quasi in biuio, non modò ad generalem cursum sed ad singulas actiones pertinet. Simul enim ac minimū aliquid suscipimus, huc & illuc distrahimur, & quasi tempestate abrepti miscemus varia consilia. Ideo Propheta, vt constāter in recta via pergeret, dicit sibi fixum ac decretum fuisse non relinquere veritatē. Hoc modo se non fuisse expertem tentationum significat: præualuisse tamē, quia animum addixerat studio seruandæ Legis. Eodem spectat quod subdit, *Iudicia tua proposui.* Dicit proposita sibi fuisse Dei iudicia. Neq; enim firma esset electio nisi se fideles in cōtinuo Legis intuitu exerceant, neque vagandi licentiam permittant oculis suis. ^m Obseruandum autem hic est quomodo humana consilia aut mandata Dei, similitudine viarū à se inuicem distinguantur: & illa, viæ falsæ & erroneæ, ista, viæ certæ conferantur. Imitemur itaque Vatem, vt & ipsi certam diuini verbi viam, qua nemo seducitur, eligamus: fallam verò humani cōsilii viam, ad quam tāquam latam ac tritam, etiam nostra inclinat, procul à nobis remoueamus. Videte (inquit Propheta) quæ sit via bona, & ambulate in ea, Ierem. 6.d.16.

31 *Adhæsi testimoniis tuis.* ^a Idem verbum nunc repetit quo prius vsus est, vbi animam suam dicebat affixam esse pulueri, versu 25: atque ita declarat se Legem Dei ita tenaciter esse amplexum vt ab ea auelli nequeat. ^m Q.d. Non tantùm proposui mihi iudicia tua, sed etiam adhæreo & infixo voluntatis tuæ testimoniis. Hoc est, verbo ac promissis tuis. *Ne pudefacias me.* ^v Id est, Ne pudefieri me sinas. Maior pars hominum ludibrio habet seruos Domini, nec alia de causa ipsos infamat nisi quia student rectè viuere. Itaque Propheta, quum tam iniustè sinistris sermonibus grauetur, ita vt possit coram mundo pudefieri, petit à Domino vt appareat è cælo vindex. Q.d. Quum videas impios mihi illudere, quia sector Legem tuā, libera me ab eorum probris. ^c Dum autem sic pudefieri metuit, vel probris obrui, hinc colligimus, quo sincerius quisque se Deo addicit, magis prouocare impuras & virulentas linguas.

32 *Viam statutorum tuorum percurram.* ^v Verbo percurrendi significat se alacrem fore ad seruandam Legem Dei, vbi Deus eam alacritatem dederit. ^m Q.d. Certam hanc viuendi rationē, quam secundum Legem tuā instituit, expeditè & alacri animo prosequar: modò cor meum ab hac qua premor angustia liberes, & recreatione auxilii tui dilatatum reddas. *Vbi dilataueris cor meum.* ^v Vel, in latitudinē eduxeris. Hoc est, vbi opem tuleris. Vel potius, Vbi liberam voluntatē dederis, vt aperto corde studeam me tibi in obsequium tradere. ^c His verbis tacitè fatetur Vates, donec corda hominū dilatauerit Deus, non modò fore ignauos, sed nō posse pedem mouere vt ad bene agendum aspirent: porro vbi corda eorū Deus explicuerit, nō modo ad ambulandum, sed etiam ad currēdum satis fore idoneos. Admonet interea, veram Legis obseruationem non in externis tantùm operibus sitam esse, sed requirere volūtarium obsequium, vbi cor se quodammodo dilatat. Non quòd se proprio motu ita comparet, sed quia, vbi correcta est eius duritiess & contumacia, liberaliter se offert, neque amplius suis angustiis constringitur. Docet postremò hic locus, vbi animos nostros in hanc latitudinem formauerit Deus, vires non defore: quia Deus vnà cum recto affectu facultatem quoque sufficiet vt pedes ad currendum sint parati.

33 ה *Doce me Iehoua viam edictorum tuorum, & custodiam eam ad finem.*

34 ה *Fac me intelligere, & seruabo Legem tuam, & custodiam eam toto corde.*

35 ה *Dirige me in via statutorum tuorum: quia in ea est beneplacitum meum.*

36 ה *Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad auaritiam.*

37 ה *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.*

38 ה *Confirma seruo tuo eloquium tuum, qui timori tuo deditus est.*

39 ה *Aufer opprobrium meum quod timui: quia iudicia tua bona.*

40 ה *Ecce concupiui ad mandata tua, in iustitia tua viuifica me.*

33 *Doce me Iehoua viam edictorum tuorum.* ^a Vel, statutorum tuorum. ^v Id est, viuendi rationē quæ est in tua Lege tua. ^c Quidā legunt, Ostende mihi viam. Alii, Illumina. Idem supra orauit, versu 12, quum dixit, Doce me statuta tua. ^a Neque tamē superuacua est huiusmodi repetitio. ^c quia magnopere nostra refert tenere hoc in vita esse præcipuum vt nos Deus gubernet. Videmus enim vt maior pars quiduis potius cogitet quā hoc sibi a Deo petendum esse. Ideo votum quod assiduè recurrere nobis debet, Spiritus sanctus inculcat, vt non modò qui nouitii sunt ac rudes tyrunculi, sed qui magnos progressus fecerunt, non desistant vlteriùs. Et quia Spiritus intelligentiæ à cælo datur, arcano eius instinctu postulant se ad veram Legis sciētiam deduci. Nam quod addit Propheta, *Et custodiam eam ad finem*, ostendit de qua specie doctrinæ loquatur: nempe quæ efficax sit ad formandum cor hominis. Cæterùm vox עקב duobus modis exponi solet. Quidam pro mercede accipiunt, hoc sensu, Vbi probè edoctus fuero, nō frustra eos laborare cognoscam qui se addicunt ad obseruantiam Legis suæ. ideóque propter mercedem mandata tua custodiam: quia nunquam frustratus cultores tuos. Alii vertunt, Ad finem vsque: quia quos Deus efficaciter docet, simul etiam confirmat, ne fatigentur in medio itinere, sed absque lassitudine constanter ad metam pergant. Certè dubium non est quin de perseuerantiæ dono loquatur: sed expendant lectores annon simpliciter legi possit hic versus vt verba sonant. Neque enim propositio in exprimitur à Propheta, sed dicit, Custodiam finem. Ita sensus esset, Domine, mihi necesse est assiduè doceri, ne deficiam, sed semper intentus sim ad scopum meum. Tu enim hac lege in stadio tuo currere præcipis vt mors demum sit meta. Hæc verò constantia in me non reperietur, nisi quotidie me doceas. Atqui te duce semper ero in specula, nec oculos à fine meo vel scopo deflectam. Nos tamen in versione posuimus quod magis receptum erat.

34 *Fac me intelligere, & seru. &c.* Vel, Fac me intelligentē. Hoc est, Dona me spiritu prudentiæ, & seruabo mandata tua. Primò admonet, hāc esse veram prudentiā, si tantum sapimus ex Lege Domini vt nos sub eius timore & obsequio contineat. hanc verò sibi diuinitus conferri postulans, fatetur homines carnis sensu excæcatos quouis potius tendere. Et certè longè à communi hominum opinione remotum est, studia omnia conferre ad seruandam Dei Legem. Eos enim demum sapere mundus existimat qui bene prospiciunt suis commodis, in negotiis terrenæ vitæ acuti sunt & versuti, astutia etiam pollent ad fallendos simplices. Contrà autem denūtiat Propheta, recta intelligentia destitui homines quādiu primatū non obtinet Dei timor. Neque enim aliam sibi perspicaciam expetit nisi vt discat totum se Deo regendum tradere. Fatetur etiā interim hoc speciale esse Dei donum, non autem proprio marte vel industria acquiri. Nā si idone⁹ quisq; sibi magister foret, superuacua & inanis esset ista precatio. *Et seruabo Legē tuam.* Hoc est, obediam præceptis tuis. Non recedam à præscripto Legis tuæ. *Et custodiam eam.* Quia non vulgaris est Legis obseruatio, duobus verbis vtitur Propheta: acsi diceret, Domine ardua res est ac difficilis Legem tuam exactè vt decet seruare, quæ munditiem plus quàm humanam præscribis: sed ego cœlestis Spiritus tui luce fretus non desistam. Clarior tamen erit sensus si verba sic reuoluas, Da mihi intellectum vt seruem & toto corde custodiam. *Toto corde.* Totius cordis fit mentio, vt sciamus procul abesse à Legis iustitia qui externos tantùm sensus in officio continent, vt nihil palàm designent reprehēsione dignum. Quia Deus frænum maximè cordibus inijcit, vt illic vigeat pura integritas, cuius deinde fructus in vita appareant. Atque hæc spiritualis Legis obseruatio melius conuincit quàm necesse sit nos diuinitus ad eam formari. Locus iste docet quàm grata Deo sit cordis sinceritas, & quàm execranda hypocrisis. non est defunctoriè Lex Dei custodienda, sed corde sincero & perseuerātē. Cōstanter geri non potest quod non geritur ex cordis integritate. Facilè ad ingenium recurrit quisquis non ex animo, sed vel per occasionem aut simulationem, vel coactè quicquam gerit. Nequit itaque perpetuū esse quod aut fingitur, aut animo inuito geritur.

35 *Dirige me in semita.* Non solùm doceri cupit, sed & in via mandatorum Dei cognita & intellecta per gratiam diuinam duci ac dirigi. q.d. A fallacibus errorum diuerticulis, inanibusque hominum persuasionibus ad veram regiámque mandatorum tuorum semitam deduc me. Quod autem subinde hanc sententiam iterat Propheta, non est superuacuum: quia quū hominibus hic sit viuendi finis vt proficiant in schola Dei, videmus vt suis illecebris mundus eos huc & illuc trahat, ipsi etiā sibi innumera nouamēta fingāt. Non ergo satis est ad iustum pietatis studium, vt intelligamus ex præceptis Dei quæ sit illius voluntas, illique obedire statuamus: nisi in via obedientiæ ducamur etiam ac dirigamur. *Quia in ea est beneplacitum meum.* Vel, mihi complacui. q.d. Non tantùm huc animum meum adieci, sed hæc mea voluptas est, tibi seruire & obsequi secundum Legem tuam. Sic dicebat versu 14, In via testimoniorum tuorum delectatus sum. Quod diligēter notari oportet. Est enim hoc raræ virtutis, hominē sensus suos & affectus ita colligere vt blāditiis omnibus, quæ carnem titillāt, valere iussis, non alibi se oblectet quàm in Dei cultu. Et tamē hanc palmam adeptus Propheta sibi adhuc aliquid deesse videt. Nouum igitur Dei subsidium implorat, vt ad desiderium accedat plenus effectus. sicuti Paulus dicit Deum esse qui in nobis operatur & velle & exequi, Philip. 2. b. 13. Tenendum verò est non hic gloriari de interiore suo motu: sed quā accepit gratiam proferre in medium, vt Deus opus quod inchoauit perficiat: acsi dixisset, Domine, qui mihi animum dedisti, adde etiam vires. Iam nomine beneplaciti, carnis cupiditatibus tacitè opponitur, quæ hominum corda suis illecebris deuincta tenent.

36 *Inclina cor meum ad testimonia.* Orat se à prauis cupiditatibus, ne à Lege Dei detorqueant, liberari. Et verbo inclināndi fatetur adeo morigerum non esse cor hominis Dei iustitiæ, vt potius in contrariam partem feratur. Nam si naturaliter & sponte propensi essemus ad Legis iustitiam, frustra dictū esset, Inclina cor meum. Sequitur ergo corda nostra nihil nisi vitiosum concipere, & cōtumaciæ esse dedita, donec ea in diuersam partē reflectat Deus. Notanda diligenter est hæc Prophetæ confessio, corruptam vsqueadeo esse hominum naturam, vt quiduis potius quàm quod rectum est appetat: donec manu Dei ad nouam docilitatem flectatur, vt proclinis ad bonum esse incipiat. *Et non ad auaritiam.* Vel, ad quæstum. Alii, ad violentiam, vel rapinam. Vel, prauam cupiditatem. Sic precatur sibi dari sanctæ vitæ amorē, vt quæstus & omnis vanitas (id est, quicquid fuerit fallacium non bonorum, sed vmbrarum boni, quibus transuersum humanus animus agi solet) nihil prorsus apud se valeat. Atque ita ostendit Propheta quid impediat quominus ad iustitiæ studiū aspirent homines: quia scilicet procliues sunt in auaritiam. Ac species pro genere per synecdochen ponitur. בצע quidem violēter agere significat, sicut concupiscere vel fraudare: sed nomē auaritiæ optimè conuenit, modò sciamus delectam esse hāc speciem à Propheta (quæ radix est omnium malorum, 1. Timoth. 6. b. 10) vt ostenderet nihil magis esse contrarium iustitiæ Dei. Interea monemur in genere teneri nos prauis & vitiosis affectib⁹ implicitos, vt abhorreant corda nostra à studio Legis Dei, donec propensionem ad bonum inspiret Deus. Cogitent hic quid sibi potissimum cauendum sit quibus ea conditio contigit in hoc seculo, vt crebræ occurrant occasiones quibus ad auaritiæ sectandæ studium incitētur. Vidit hoc Propheta sibi maximopere timendum esse: ideóque peculiariter orauit vt diuinitus cohiberetur. Nihil autem plus vero cultui Dei aduersatur quā studium proprii commodi. Nemo enim potest Deo & mammonæ seruire, Matth. 6. c. 24.

37 *Auerte oculos meos.* Orat vt externi sensus cohibeantur, ne ad res vanas excurrāt. Quibus verbis docemur sic occupari sensus omnes nostros vanitate vt non mirū sit à recti studio esse alienos, donec fuerint purgati & reformati. Imò prauitatem quum dixit proximo versu regnare in hominum cordibus, ad externos quoque sensus extendit: acsi diceret morbum concupiscēdi non in animis modò latere, sed diffusum esse per omnes partes, vt neque oculi, neque aures, neque pedes, neque manus integram naturam retineant: denique nihil purum sit à corruptela. Et certè scimus labem originalis peccati non tātùm residere in aliqua parte hominis, sed possidere totam animam & corpus. Nā si oculos speciali Dei gratia auerti necesse est à vanitate, sequitur, simulatq; aperti fuerint, cupidè occurrere in Satanæ fallacias, quæ vbique se ingerunt. Si tantùm laqueos tenderet Satan, nos autem ad cauendas eius imposturas prouidi essemus, non propriè oculos Deus auerteret à vanitate: sed quia sponte deditæ sunt malis illecebris, retrahi necesse est. Quoties ergo oculos aperimus, duas ianuas sciamus diabolo esse apertas, quibus in animam nostram penetret, nisi Spiritus sui custodiam Deus opponat. Quod autem de oculis dicit, pertinet etiā ad alios sensus: quia hic quoque synecdochica est loquutio. Ac respondet posterius membrum, *In via tua viuifica me.* Q.d. Domine, quia maledicta est vita hominum, quandiu suas facultates conferunt ad peccandum: fac vt quicquid est in me vigoris, nihil nisi iustitiam quam præscribis, spiret. Vt hoc melius pateat, tenere principium illud conuenit, Quòd oculi vident, quòd aures audiunt, pedes ambulāt, manus palpant, pretiosa quidem dona esse Dei, excellentius etiam esse donum quòd iudicio & voluntate præditi sumus: sed interim nullum esse oculorum aspectum, nullos sensuum motus, nullam cogitationem, cui non adhæreat vitium & prauitas. Quum ita sit, meritò Propheta se totum Deo mortificandum offert, vt nouam vitam viuere incipiat. Admonemur itaque vt exemplo Prophetæ, naturæ nostræ corruptionem & ad malum procliuitatem considerantes, quasuis malæ concupiscentiæ occasiones amputemus. Apparet etiam rerum vanarum concupiscētia animum etiam piis alioqui hominis in studio pietatis elanguidum reddi. Quare orādus est assiduè Dominus Deus vt suo fauore semper nos prosequatur, ne vanis & fallacib⁹ huius mundi illecebris sensus nostri capiantur, & à recta veritatis semita deflectamus.

38 *Confirma seruo tuo eloquium.* Vel, Statue. Ad verbum, Fac surgere. Id est, confirma seruo tuo promissum tuum. Orat sibi firmari promissionē Dei: hoc est, præstari sibi, qui se timori veróque eius cultui addixerit, quibus nimirum ea quæ orat, Deus est pollicitus. Hic autem breuiter notatur legitimus & vnicus precandi finis, vt promissionū Dei effectus ad nos perueniat. Vnde sequitur perperam facere qui habenas suis votis laxant. Videmus enim vt Propheta nihil petere vel optare sibi permittat nisi quod Deus promittere dignatus est. Et certè nimis importuna eorum audacia est qui ad Deū sine vlla verbi eius imitatione perrumpunt: perinde acsi arbitrio suo vellent Deum subiicere. Notanda autem est quæ sequitur ratio, *Quia ad timorem tuum.* Nā relatiuū אשר causalem particulā valet. Alii vertūt, qui timori tuo adhæret. vel, deditus est. Alii, Ad timorē tuum. sub. tendo. Significat Propheta se non subsistere in terrenis commodis, (vt solent profani homines) nec præposterè abuti promissionibus Dei ad captandas carnis delicias: sed timorem & reuerentiā Dei sibi esse pro scopo. q.d. Hoc vnum mihi sufficit si me regas tuo Spiritu, ne quicquam vel cogitem vel expetam vel faciam nisi pro tua iustitia. Et certè hæc optima impetrandi fiducia est vbi vota nostra non seiungimus à Dei cultu, sed hoc vnum expetimus vt in nobis

regnet.

39 *Aufer opprobrium meum quod timui.* [a] Iterum deprecatur probrum, sicuti versu 22. [a] Quanquam non satis liquidò constat quodnam opprobrium hoc loco designet. Quia multos calumniatores sciebat esse quasi in excubiis, vt si fortè eum deprehenderent in aliquo delicto, maledicendi occasio suppeteret: meritò incidere timuit in talem infamiã, idque sua culpa. Potuit etiã timere aliud probrum, quia sciebat improbos homines optimis quibusque proterue maledicere, & rectè facta suis calumniis trahere in sinistram partẽ. *Quia iudicia tua bona sunt.* [c] Addit Dauid hanc rationem, vt Deus improbas linguas compescat, quæ virus petulantiæ suæ exerunt cõtra homines innoxios, qui Dei ipsius Legem reuerenter obseruant. [m] Videamus autem hoc loco quid & nobis, quibus per Euangelium bona Dei iudicia erga resipiscentes prædicantur, magnopere sit timendum: nempe, ne occasione clementiæ Dei negligẽtes facti, securius peccemus: & non nobis tantùm, sed & sermoni gratiæ probrum accersamus. [c] Si opprobrium quispiam accipere malit Dei respectu, nõ male sensus quadrabit, hoc modo, vt Propheta cui satis erat vitam suam Deo probare, tãtùm cupiat, vbi apparuerit ad eius tribunal, iudicium effugere hominis reprobi: perinde acsi magno & sublimi animo despiciat quicquid garriunt in mundo homines, modò stet integer in Dei conspectu. Et certè hoc maximè probrum timere sanctos omnes decet, ne cum ignominia cadant ad Dei tribunal.

40 *Ecce concupiui ad mandata tua.* [v] Vel, desiderio affectus sum ad statuta tua. [m] Sic suprà, versu 20, Confracta est anima mea desiderando iudicia tua. [a] Nam iterum repetit quod testatus fuerat, se præditum esse pio affectu, & sibi cordi esse rectitudinem: tãtùm restare vt Deus opus quod inchoauit absoluat. *In iustitia tua viuifica me.* [a] Id est, In via tua. Nam iustitiæ nomẽ passim occurrit in hoc Psalmo pro Lege Dei, vel iustè viuẽdi regula. Et hoc modo melius duo membra inter se cohærebũt, Domine hoc iam præclarum est gratiæ tuæ munus, quòd sanctum seruandæ Legis tuæ desiderium mihi inspiraueris: sed hoc adhuc deest vt eadẽ virtus se in tota vita mea exerat. [a] Quòd si iustitiã pro Dei bonitate ac benignitate, vt alibi sæpe, accipere libeat, sensus erit, [c] Domine pro tua bonitate, qua soles vti erga omnes tuos, restitue me, tuere ac sustẽta. [a] Alter tamen sensus melius conuenit, vt iustitiæ Dei nomine Lex significetur, [a] quòd in hac, vera & solida iustitia docetur: vnde in hac se viuificari (hoc est confirmari, animique alacritate donari) Vates hic precatur.

41 ו *Et veniant ad me misericordiæ tuæ Iehoua, salus tua secundum eloquium tuum.*

42 ו *Et respondebo probris me afficienti verbum, quia sperauerim in verbo tuo.*

43 ו *Et ne eripias ex ore meo verbum veritatis vsque valde: quia iudicia tua expecto.*

44 ו *Et custodiam Legem tuam semper, in seculum, & vsque.*

45 ו *Et ambulabo in latitudine, quia statuta tua exquisiui.*

46 ו *Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, & non pudefiam.*

47 ו *Et oblectabo me in mandatis tuis, quæ dilexi.*

48 ו *Et tollam manus meas ad statuta tua, quæ dilexi: & meditabor in edictis tuis.*

41 *Et veniant ad me misericordiæ tuæ.* [b] Orat se bonitate Dei fieri in studio Legis sacræ cõfirmari vt subsistere ac liberè profiteri illud possit, nulla mũdi potestate deterritus. *Salus tua.* [c] Quũ misericordias Dei priore loco statuit, deinde salutẽ addit, præfert causam affectui, vt naturæ ordo postulat. [l] Nouerat enim salutis originem esse Dei misericordiã. [c] Atque hoc modo fatetur non aliter se fore saluũ nisi mera Dei misericordia. Addit, *Secundum eloquium tuum.* [c] Non abs re adiecta est hæc particula, quia frustra gratuitam salutem sibi optaret Dauid, nisi promissioni simul inniteretur. [m] Coniungit ergo in hac petitione duo tãquam sustentamẽta quædam fiduciæ suæ, misericordiam scilicet Dei ac verbum eius. Sunt hæc duo homini fideli duæ robustissimæ columnæ quibus, in omnibus, fide infracta nititur, & vnde salutem à Deo bona cum fiducia petit.

42 *Et respondebo probris me afficienti.* [v] Hebraism[a], pro, Vt sit quod respõdeam opprobrantibus mihi rationem &c. Quidã existimãtes esse precatione, vertunt, Respondeam verbũ mihi exprobranti quòd sperauí in verbo tuo. Exprobrat enim Satã cũ suis quòd fuerimus decepti sperando in Deum. I nunc (inquit) & spera in Deum tuo. [c] Sed Propheta hoc versu gloriatur se optima defẽsione cõtra hostium calũnias fore instructum, quia in Dei verbo sperauit. Nam addit, *Quia sperauerim in verbo tuo.* Quanquã futurum tempus licebit in optatiuum resoluere, vt multi faciũt: acsi dixisset, Domine, quia speraui in verbo tuo, fac vt os mihi liberè apertum sit ad refutanda eorum maledicta: neque me obmutescere permittas dum falsa in me probra congerũt, vel, dum fidei meæ suis subsannationibus illudunt. Docemur hic nunquam defore homines maledicos, qui filios Dei quãtumuis innoxios insectari non desinant. Sed quia Deus sperãtes in se non fraudat, dabit suis cultoribus quod falsis impiorum insultationibus respondeant. [m] Ergo Dauid seruari cupit hoc potissimum nomine vt probrum fidei ac spei suæ illatum ab improbis è medio tollatur, & veritas verbi Dei asseratur. Nam id animum eius vrebat, quòd fides verbi Dei ludibrio habebatur. Hoc genus probri & Christus ipse in cruce expertus est. dicebãt enim hostes ipsius, Sperauit in Dominum, eripiat eum, Matth. 27. e. 43. Vide Suprà, 22. b. 8. 9, & 1. Timoth. 4. c. 10. [a] Notanda est etiam mutua inter verbum & verbum relatio: quia nisi Deus ex verbo suo aliud verbum nobis ad defẽsionẽ suppeditet, statim obruemur impiorum petulantia. Ergo si cupimus inuicti stare contra mũdi insultus, fortitudinis principiũ hic nobis ostenditur, nempe sperare in Dei verbo: quo dum fulti sumus, iubet nos Spiritus Dei virulentas impiorum blasphemias animosè contemnere: atque vt eas refutemus, verbo speradiungit verbum confessionis.

43 *Et ne eripias ex ore meo verbum.* [b] Orat vt nunquam verbis veritatis destituatur: quia nitatur promissis eius, & ad edicta eius suspiciat, in omnibus à iussis eius pendens. Credentibus enim & sic sibi addictis nihil Deus potest negare. *Ex ore meo.* [c] Quæri posset cur verbo veritatis linguam potius instrui postulet quàm cor muniri, nam hoc, ordine prius est & maioris momenti. Quantulum enim iuuabit promptas esse & disertas linguas, si corda fide vacua sint? Atqui vbi solida fides, vltro etiam sequitur lingua. Respondẽdum est, Dauidem non ita de externa professione fuisse solicitum quin fidem cordis præferret. sed quum apud Deum verba faciat, nihil mirum si tantùm de illa loquatur, sub qua tamen hanc comprehendit. Perinde acsi dixisset, Domine, non modò cor meum fide sustineas, ne tentationibus obruatur, sed fac etiam vt linguæ constet plena libertas, vt inter homines te intrepidè celebrẽ. Videmus et loquendi fiduciam sibi dari postulans, à corde incipiat. [m] Porro Deus verbum suum ex ore mortalium vario modo aufert: primùm ex destinato, per modum pœnæ: deinde accidentaliter, & ad tẽpus, singulari dispẽsatione. Ex destinato & per modũ pœnæ hoc facit, quãdo iratus corda reproborũ excæcat, & donũ verbi tam ex auribus, quàm ex ore illorum adimit. Accidentaliter & ad tempus, quando suos vel aliquãdiu deserit (vt desperationi vicini incipiant varius de verbo veritatis commentari) vel per impiorum tyrannorum violentiam ora eorum aliquãdiu occludit, donec illorum misertus, auxilium ferat, & labia eorum cantico liberationis repleat. *Vsque valde.* [v] Vel, Vsquequaque. Quidam, omnino, aut, perpetuo. [c] Posset iterum hic quærere quis dicat, Vsque valde. quasi verò nõ metuat verbo veritatis destitui ad breue tẽpus. Atqui hoc valde absurdũ esset, quum in singula momẽta solicitos esse oporteat ne vnquam inermes ac nudi deprehendamur. Solutio eius nodi à proprio experimento nobis petenda est. Nam in hac carnis infirmitate fieri vix potest quin trepident interdum robustissimi cuiusque, dum violentius eos impugnat Satan. Et quanquam fides non succumbit, labascere tamen sentimus. Præsertim non tanta suppetit animi præsentia et æqualis semper tenor in linguis constet, ac semper ad impiorum ludibria prompta sit responsio: quin potius vacillant ad breue tempus & trepidant. Dauid ergo huius quæ se in omnibus prodit infirmitatis sibi conscius, precationem suam tẽperat hoc modo, Etiamsi non semper in promptu mihi sit quæ optanda esset loquẽdi fiducia, ne me permittas diu obmutescere. Quibus verbis tacitè fatetur Propheta se non fuisse tam cõstantẽ & animosum vt par erat, sed linguam suam metu fuisse quasi deuinctam. Hinc verò discendum est non magis in arbitrio nostro esse ingenuè loquẽdi virtutem quàm cordis affectus. Quatenus itaque linguas nostras gubernat Deus, promptæ sunt ad liberam cõfessionẽ: simulac Spiritum fortitudinis submouet, non modò languẽt corda, vel prostrata iacẽt, sed linguæ etiam cõticescunt. [c] Vnde Christus suis dixisse legitur, Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus, &c. Matth. 10. c. 20. Item, Dabo vobis os & sapientiam cui, &c. Luc. 21. c. 15. Paulus item fideles ad orandum hortabatur pro omnibus sanctis, Et pro me, (dicebat) vt mihi detur sermo in apertione oris mei cum libertate, vt notum faciam mysterium Euangelii, &c. vt in eo liberè loquar, sicut oportet me loqui, Eph. 6. d. 19. *Quia iudicia tua expecto.* [v] Quidam, Quia ob iudicia tua intersperaui. [a] Ad verbum Quia ad iudicia tua expectaui. Vnde colligimus non tantùm pro Legis præceptis iudicia accipi, sed hac voce etiã notari promissiones quæ propriè expectationem nostram sustinent. Quod enim nonnulli

deducentes à radice [illegible] vertunt, Contremui ad iudicia tua, vix conuenire potest. Certè quod iudicia interpretantur de pœnis, alienū est. [m]Cæterùm etsi vera sunt & fallere nequeūt Dei iudicia, quia tamen eorum dispensatio secundum Dei patientiam nonnūquam tardo pede progreditur, opus est vt illorum effectus patienter expectetur. Si moram fecerit (inquit) expecta illum, Habac. 3. a. 3.

44 *Et custodiam Legem tuam.* [a] Dum Deus suam mentibus nostris veritatem immittit, & seruat, iam ipso nitimur, ad verba eius in omnibus suspicimus, atque iugiter in Legē eius intentos animi oculos habemus, sicuti Propheta hoc versu canit. [e] Promittit enim non modò ad paucos dies se fore Legis studiosum, sed vsque ad vitæ finem. sicuti versu 33 dicebat, Doce me Iehoua viam statutorum tuorum, & custodiam eam vsque in finem. *Semper in seculum, & vsque.* [f] Tribus verbis vtitur eodē sensu: sed non superuacua est congeries, quia subindicat, nisi fortiter ad resistendū insistant fideles, variis subinde tentationibus posse illis excuti Dei timorem, vt à Legis studio deficiscant. Ideo quo paratior sit ad pugnam, difficultatem commemorat. [a] Q.d. Scio quanta sit naturæ procliuitas ad peccandū, ideo oro vt semper Spiritus tui gratia fretus Legem tuā & toto corde diligere, & æternis vitæ operibus seruare possim.

45 *Et ambulabo in latitudine.* [f] Etsi hæc verba duplici modo legi possunt, sequemur tamen quod magis receptum est, nempe Dauidem gloriari, quia Dei præcepta solicitè inquirat, viam sibi planā fore & expeditā. [v] acsi diceret, Cum conscientiæ trāquillitate & voluptate cordis viuā, nihil mihi timē ab ira tua. (vt qui regia & lata via graditur, nihil à latronib[9] sibi timēt) nā tu expedies mihi viā, suppeditabis mihi omnia consilia: hinc fiet vt tranquillo animo pergam. Hoc vocat Vates ambulare in latitudine, nempe nō torqueri animo, quemadmodum increduli, quos mala conscientia torquet & vexat. [f] Scimus enim plerunque vias hominum vel spinosas esse, vel angustiis constrictas, quia sibi varia obstacula accersunt, vel ambagibus se implicant. Ita fit, dum nemo se Dei verbo subiicere & regendum tradere sustinet, vt huius arrogantiæ pœnā quisque luat: quia Deus vndique laqueos nobis tendit, foueas obiicit, vias abrumpit multis salebris, concludit denique in abyssos: & quo quisque astutior est, eo magis anxiè laborat. Docet autem hic versus, si quis simpliciter Deo obtemperet, hanc ei mercedem rependi vt quieto & securo animo iter faciat: quòd si quando occurrant angustiæ, inueniat tamen exitum. Nā fideles, quantumuis se Deo præbeant dociles, contingit tamen interdum hærere perplexos. Sed tandem impletur illud Pauli, quanuis anxii laborent, non tamē manere constrictos, 2. Cor. 4. b. 8. quia Dei est viam per inuia monstrare. Imò, quanuis anxiè premantur, ambulant nihilominus in latitudine. quia dubios euentus sic Deo committunt vt eo duce non dubitent ex abyssis liberū sibi fore egressum. *Quia statuta tua exquisiui.* [v] Vel, Exquiro. [m] Q.d. Quia mādata tua quæro, bona sum fiducia præditus quòd aliquando mihi liberum futurum sit vt iuxta illa, quasi spatio amplissimo potitus, absque vlla offēsione omnem vitam meā instituam. [a] Fons igitur bonorum omnium est Legi Dei studere, esséque deditum atque addictum animo.

46 *Et loquar de testimoniis tuis.* [m] Vel, Disseram de statutis tuis coram regibus. Q.d. Nō me pœnitebit de testimoniis tuis loqui, etiamsi id coram regibus sit faciendū. [f] Videtur hic Propheta securè sibi promittere quod ante precatus est. Postquā enim dixit, Ne auferas verbum ex ore meo, nunc quasi voti compos exurgit, séque elinguem fore negat, etiamsi coram regibus habendus sit sermo. Neque enim dubiū est quin dicat, toto mundo obstante sibi fore præsentem animum, vt ingenuè Dei gloriam asserat. Sed reges deligit, qui præ aliis sunt formidabiles, fastuque suo Dei testibus ora claudunt. Sæpe quidem cōtingit etiam infimis hominibus nos cedere: (simul enim ac se quispiam opponit verbo Dei, timidè nos colligimus, & euanescit illa quam initio professi eramus libertas) maximè tamen vbi ad regum tribunalia ventum est, timiditas nostra se prodit. Hæc ratio est cur dicat Dauid non modò contra ignobiles aduersarios se fortiter staturum, sed coram regibus ipsis constantē & intrepidum se fore. Quibus verbis docemur, tunc demum nos ritè profecisse in verbo Domini, si mētes nostræ, vbi eas mundus deiicere conabitur, contra humanos terrores munitæ ne regum quidem cōspectum formident. Nam vano eorum splēdore Dei gloriam obteri nimis indignum est.

47 *Et oblectabo me in mandatis.* [m] Ostendit cordis sui affectum & amorem erga Legem Dei. [e] Similem ferè sententiam protulerat versu 14. Summa est, sic amplexum esse amore præcepta Dei vt nihil suauius reperiat continuus eorum meditatione. Nā oblectandi verbo exprimitur amoris vehementia. *Quæ dilexi.* [v] Præteritum Hebræum pro præsenti. Sic sequenti versu.

48 *Et tollam manus meas.* [v] Vel, Et leuabo palmas meas. Id est, Manus admouebo præceptis tuis. Q.d. Dabo operam vt factis exprimā præcepta tua. Vel potius hac loquutione nō vulgare desiderium significatur. [e] Nam quod extentis manibus captamus, cupidè à nobis appeti certū est. [a] Talis igitur sensus metaphoræ esse videtur, Non tantùm intus optabo proficere in Lege tua, sed extabit etiam feruor & vehemens desideriū meum in ipso corporis gestu. Nā ego manus meas attollam, quēadmodum ad rem quam maximè omnium capero. *Quæ dilexi.* [e] Iterum cōfirmat feruum illum & ardentem affectum inde nasci quod iam Legis dulcedo animos nostros sibi deuinxit. [m] Videamus hic quomodo duobus istis versibus coniungantur cordis affectus, dilectio & delectatio, deinde externus gestus, cum diuini verbi meditatione. Nec cor sine ore & manu, nec os & manus sine corde: sed coniunctim ista in vero ac solido pietatis studio cum magna delectatione concurrunt. *Et meditabor in edictis tuis.* [a] Quidam vertunt, Et disseram. Alii, Et loquar. [e] Sed dubium non est quin verbum שיח ad tacitam meditationem, in qua se exercent filii Dei, referri debeat. [a] Q.d. Summa mihi voluptas erit in Lege tua meditari.

49 ו *Memento verbi ad seruum tuum, super quo spem mihi dedisti.*
50 ו *Hæc consolatio mea in afflictione mea, quia sermo tuus viuificat me.*
51 ו *Superbi deriserunt me plurimum: à Lege tua non declinaui.*
52 ו *Recordatus sum iudiciorum tuorum à seculo Iehoua, & me consolatus sum.*
53 ו *Terror inuasit me propter impios derelinquentes Legem tuam.*
54 ו *Cantiones fuerunt mihi edicta tua in domo peregrinationis meæ.*
55 ו *Recordatus sum nocte nominis tui Iehoua, & custodiui Legem tuam.*
56 ו *Hoc factum est mihi quia statuta tua seruaui.*

49 *Memento verbi ad seruum tuum.* [a] Alii vertunt, Memor sis verbi seruo tuo. Id est, Recordare promissionis tuæ quam promisisti seruo tuo. Hebraismus est, Recordare verbi tui seruo tuo. pro, Imple promissionem quam promisisti, quæ me inuitat ad bene sperandum. [e] Precatur vt Deus reipsa exhibeat quod pollicitus est. Nam effectus demonstrat Deum esse verborum suorum memorem. [m] Nō ergo incusat Deum obliuionis, sed pro auxilio impetrando orat, quod spe promissionum Dei conceperat. *Super quo spem mihi dedisti.* [e] Colligimus ex hoc membro, de promissionib[9] haberi sermonem, quia dicit Prophetam datam sibi sperādi materiam. Quod non staret nisi oblata fuisset gratia. [m] Diligenter autem obseruandum & imitandum est quòd toties Propheta sic verbo Dei niti significat. Quanuis de seipso sentiret humiliter, ac se seruum vocaret: nihilo tamen minus indiuulsa fiducia totus à verbo promissionū Dei pependit, & illius in orationibus suis in cōspectu Dei meminit. Cogitandum est etiam quomodo is fallere haudquaquā possit qui non promittit modò sed & promissa suis one fidere facit.

50 *Hæc consolatio mea in.* [a] Testatur hoc versu, quanuis Deus eū adhuc suspensū teneret, se tamē in verbo eius requieuisse. [v] q.d. Fide promissorum tuorum in afflictionibus meis sustētor & recreor. [f] Et sanè non est tam dira aduersitas ac tentatio quā non anima promissionib[9] Dei fulta superet. [c] Docet itaq; Dauid se in molestiis & curis nō captasse vana solatia, quēadmodū solet mūdus, ad leuādas suas miserias huc & illuc circūspicere: & siquæ illecebræ arrideāt, dolores suos lenire talib[9] emplastris. Propheta autem se vnico Dei verbo dicit fuisse cōtentum: & quanuis omnia alia deficerent, se illic reperisse plenam vitam. Interim tacitè fatetur, nisi animū recepisset ex Dei verbo, se fore exanimem. Et certè quanuis profani homines sæpe in suis miseriis inflatos habeāt spiritus, vacui tamē sunt interno animi vigore. Itaque non immeritò Propheta fideles hoc solo viuere & vigere in suis miseriis dicit, quia illis vitam inspirat Dei verbum. *Quia sermo tuus viuificat me.* [v] Ad verbū, viuificauit, pro præsenti, viuificat me, recreat me. Sermonem siue eloquiū intelligit promissiones salutis quæ in verbo Dei continentur. [c] Quare si probè meditemur verbum Domini, etiam in media morte viuemus, nec erit vlla tam grauis tristitia quæ non sanetur isto remedio. Quod autē leuatione destituimur in malis nostris, fit nostra culpa, qui contempto vel posthabito Dei verbo, vanis solatiis nos ipsos data opera fallimus. [m] Ergo Dauidis exemplo solatiū malorum petamus ex Dei verbo, & de Dei auxilio non desperemus. Aderit enim ille in tempore, nec sinet suos supra vires tentari, 1. Cor. 10. c. 13.

51 *Superbi deriserunt me plurimum.* [v] Præterita Hebræa pro præsentibus, derident, illudunt. Sic, Non declino. [a] Semper pietas

irrisus est impiis: at qui Legem Dei verè didicit, aue lli ab ea nō potest. nam vitæ venam nouit esse.[A] Dicit itaque David se ab impiis derisum, neq; tamē à Lege Dei deflexisse. [M] q.d. Quantumuis me propter Legem tuam rideant, ego tamen ab obseruantia illius non discedo. [C] Designat autem proprio nomine incredulos, dum superbos vocat. Nam hæc sapientia est infidelium, Deum contemnere, floccifacere eius iudicia, calcare pedibus totam pietatem, denique cœleste regnum conspuere. Nec verò tam audacter ruerent nisi excæcati essent superbia. [M] nam huiusmodi illusio, autus & nostra secula multis sceñe exemplis, non potest fieri sine superbia & summa impietate. Aliàs & Elias sacrificiis Baal illusit, 1. Reg. 18. c. 27. *Plurimum.* [V] Ad verbum, Vsque valde. id est, magnopere, vt versu 43. [C] Notanda est hæc particula. nam significat Propheta, non semel aut vno die se fuisse exagitatum ab impiis, sed quotidie continuatum fuisse certamen. Vnde colligimus, licentiam maiorem inde sumpsisse impios quòd numero præualeret: sicuti exiguus semper est piorum numerus qui reuerenter Deum colunt. Quare vt maneamus integri, cum magna turba & colluuie luctandum est. *A Lege tua non declinaui.* [M] Hoc est, Ab obseruantia Legis tuæ, & ab instituto iam cœpto non deflexi. [I] tantum abest vt conuitium pro conuicio regesserim. [C] Exemplum hoc apprime vtile est, vt discamus, quamuis impiorū ludibriis obnoxia sit nostra simplicitas, firma constantia refutandum esse eorum fastum, ne vnquam nobis Legis Dei fastidium obrepat. Plerosque enim videmus, qui alioqui ad Dei timorem propensi essent, huic tētationi succumbere. Iam terra profanis Dei contemptoribus semper referta fuit, hodie verò fere exundat. Quare nisi ad eorum sannas obdurescamur, nulla erit fidei nostræ firmitas.

52 *Recordatus sum iudiciorum tuorum.* [C] Iudicia Dei à seculo, hoc loco vocat exēpla quibus testatus est Deus se iustum esse mūdi iudicem. [M] Q. d. Iudiciorum suorum memoria confirmat & solatur animum meum, ne à Lege tua, propter impiorū hominum illusionem discedā.[I] Recordabatur enim Vates quāta olim in sui populi gratiam contra hostes conterminos exercuisset iudicia Deus, quantas clades, quàm immensa iniecisset in gentes illas barbaras nonnunquam incendia, direptiones, excidia, vlcerāque insanabilia, atque alias propè infinitas calamitates. Ideo non dubitans fore aliquando vt eadem in præsenses viteretur vltione, sese mirum in modum cōsolabatur, & fiduciam suam confirmabat. [C] Atque hæc confirmatio valde necessaria nobis est, quia vbi apertè non perspicitur Dei manus, sæpe friget eius doctrina. Vbi autem vindictam Deus sumit de impiis, sancit quæ loquutus fuerat. Vnde & pœnæ in iure ciuili vocantur sanctiones. Sed hoc verius cōpetit in Dei iudicia, quibus confirmat Legis suæ authoritatem, acsi et alia probatio ad verba accederet. Quum autem vetustissima quæque Dei iudicia se in memoriam reuocasse dicit, discamus ex hoc verbo, nostra ingratitudine vel socordia fieri quominus satis multa Dei iudicia ad fideī nostræ confirmationem occurrant. Nulla enim ætas præteriit qua nō clara in hunc finem documenta ediderit Deus, vt verè dici queat cōtinuo tenore fluxisse Dei iudicia per singulas ætates: sed ideo nos fugere quia non dignamur aperire oculos. Siquis obiiciat contrarium esse Dei iudiciis vt consolationem nobis afferant quæ debebant terrorem incutere: respōsio facilis est, iudiciis Dei terreri fideles quatenus illis ad carnis suæ mortificationem expedit: sed quatenus inde agnoscūt Deo curæ esse genus humanum, ampla consolationis materia sese offert. Colligunt enim, vbi ad tempus lasciuierint impii, vēnturos tandem ad Dei tribunal: se verò, vbi patienter militauerint sub tali suæ salutis præside, haud dubiè fore saluos.

53 *Terror inuasit me.* [V] Vel, Tremor apprehendit me. Alii, Ardor, vel tabes corripuit me. *Propter impios.* [B] Duplex sensus potest hic admitti: vel quòd grauiter vulneratus fuerit Propheta, Legem Dei violari cernens ab impiis: vel quòd eorum exitium exhorruerit. Certè hic zeli vehementia notatur, quia nō tantùm molestè tulerit Legis transgressiones, sed instar monstri detestatus fuerit sceleratam eorum audaciam quibus Lex Dei nullo in pretio erat. [M] Notandum verò est quòd non dicit Propheta, Horror inuasit me propter peccatores, errantes, aut imperfectos: sed, propter impios. Non auersantur sancti simpliciter peccatores & errantes, sed eos qui impiè ac per malitiam Legi Dei omnem obseruantiam denegant. Addit, *Derelinquentes Legem tuam.* Non ait, aduersantes, aut nocentes mihi, sed, derelinquentes Legem tuam. Sic amant pii verbum Dei vt hostes illius non possint non cum horrore quodam auersari. [C] Notandum est autem non esse nouum scandali genus si multi excusso iugo contra Deum proteruiunt: idque notare operæpretium est, quia multi friuolam excusationem petunt ex temporis corruptela, acsi inter lupos vlulare fas sit. Atqui Dauidis etiam ætate vidimus multos fuisse apostatas qui à pietate desciscerent: adeo tamen non concidisse vel fractum esse, vt timor Dei sanctam potius iracūdiam in eius animo accenderit. Quid ergo si vndique nos obsideāt mala exempla, agendum est, nisi vt quisque ad eorum detestationem se exstimulet? Atque hic inclusa est antithesis inter fallaces blāditias, dum licitum esse creditur quicquid vulgare est: & horrorem quo se Propheta correptum fuisse docet. Si pro libidine contra Deum se efferant impii, quia non euigilāmus ad Dei iudicia, trahimus id in occasionem prauæ consuetudinis, vel stuporis. contrà autem Propheta se horrore correptum dicit, quia Dei patientiam ab vna parte reputans, certò tamen persuasus erat fieri non posse quin tandem pœnas exigeret Deus.

54 *Cantiones mihi fuerunt edicta tua.* [V] Vel, Cantus mihi fuerunt statuta tua. Vel, Cantiones sunt mihi, siue cantica. [M] Hoc versu & duobus sequentibus in summa illud dicit, Tantam esse sibi custodiēdæ Legis diligentiam, & animi propensionem, vt etiā in ipsis peregrinationis suæ locis, statutorum Dei obliuisci nunquam: sed esse illa sibi suauissima cantica, & ne noctu quidem deesse sibi illorum memoriam. [I] Solent viatores & peregrini, siquo viæ longitudinis tædio afficiuntur, cantu suum solari laborē, qui, si pio sunt animo, aut Psalmis aut poemate alio istiusmodi sese recreant: si impuro, lasciuis suam miseriam leuare conantur carminibus. [C] David igitur, vt significet Legem Dei sibi vnicam fuisse vel præcipuam oblectationem in vita, dicit edicta Legis diuinæ cantiones sibi fuisse. Cantus enim lætitiæ indiciū est. *In domo peregrinationis meæ.* [V] Vel, peregrinationum mearum. [B] Quia Sancti in hoc mundo peregrinantur, nec aliter censeri possunt filii Dei & cælorum hæredes quàm si terræ sint hospites, per domum peregrinationum intelligi potest terrenæ vitæ cursus. Quanquam videtur specialis notari circunstantia, quòd David exul à patria, nō destiterit ex Lege Dei solamē petere suis malis, imò gaudium quod exilii mœrorem vinceret. Fuit enim hoc raræ virtutis specimen, quum careret templi conspectu, non posset ad sacrificia accedere, priuatus esset pietatis exercitiis, non tamen fuisse alienatum à Deo. Ergo domus peregrinationis ad amplificationem ponitur, quòd eiectus à patria infixam in animo Dei Legem retinuerit: & quamuis posset eum deiicere exilii acerbitas, tamē Legem meditando, se ad hilaritatem erexerit. [A] Sic pius animus legi diuinæ ex animo addictus difficultates ōnes facilè superat, quia in solo Deo acquiescit.

55 *Recordatus sum noctu nominis tui.* [V] Præterita Hebræa pro præsentibus, Memor sum, Recordor. id est, Legem tuā seruo, & doctrinæ tuæ addictus sum, quia tu mihi perpetuò occurris. *Et custodiui Legem tuam.* [C] Coniunctum Legi debet totus versus, quia secundum membrum ex priori dependet. Significat enim Propheta se Dei recordatione ad seruādam Legem induci. Nā hinc Legis contemptus quia nemo fere ad Deum respicit. Itaque Scriptura, dum impietatem hominum damnat, dicit oblitos esse Dei. Contrà David vnicam Dei memoriam sufficere admonet ad nos in timore Dei & Legis obseruantia retinēdos. Et certè, quoties se mentibus nostris ingerit Dei maiestas, eius sensu nos humiliari necesse est, vt hæc cogitatio nos ad pietatem solicitet. Quāquam autem noctis verbo significat recordationem non vnius tantùm momenti, sed continuam: noctis tamen ideo disertè meminit quia tunc obruuntur fere omniū sensus: acsi dixisset, quum alii dormiūt, sibi in somno ipso Deum occurrere. Alia etiam ratione noctis tempus posuit, vt sciamus, quamuis nullus adesset testis, vel monitor, imò tenebris esset tectus, non secus tamen attentum fuisse ad colēdam Dei memoriā quàm si in illustri theatro versatus foret. [A] Hypocritæ solo hominum conspectu & testimonio contenti, sibi intus blandiuntur, acsi omnium sanctissimi forent: sed fideles se coram Dei tribunali sistunt, & vitæ suæ actiones ad iusti iudicis voluntatē pro viribus formare student, scientes sine cordis integritate neminem illi placere.

56 *Hoc factum est mihi.* [V] Vel, Hoc euenit mihi. Hoc pronomine comprehēdit David omnia Dei beneficia, [C] sed quia coram Deo in rem præsentem venit, demonstratiuè loquitur. [V] Q. d. Domine video me ornatum esse multis tuis beneficiis, me sæpius & variis modis seruatum à te. *Quia statuta tua seruaui.* [A] Vel, præcepta tua custodiui. [C] Non iactat David quicquam se fuisse promeritum, quēadmodum Pharisæi, quicquid tale occurrit in Scripturis, ad operū merita arripiunt. Atqui nō aliud fuit Prophetæ consilium quàm se opponere Dei contemptoribus, qui prospera omnia vel arrogant suæ industriæ, vel fortunæ ascribunt: Dei prouidētiam tegunt impio silentio. Propheta igitur se & nos ad Deum reuocat, & admonet, quia Deus iustus iudex est, mercedem pietati apud Deum esse repositam. Fortè etiam hac sancta iactātia malignas impiorum calumnias retundit, quibus alibi vidimus dure fuisse impetitum.

57 ח *Portio mea Iehoua dixi ad custodiendum verba tua.*
58 ח *Precatus sum faciem tuam toto corde: miserere mei secundum eloquium tuum.*
59 ח *Reputaui vias meas, & conuerti pedes meos ad testimonia tua.*
60 ח *Festinaui & non distuli ad custodiendum mandata tua.*
61 ח *Funes impiorum apprehenderunt me: Legis tuæ non sum oblitus.*
62 ח *Media nocte surgam ad confitendum tibi super iudicijs iustitiæ tuæ.*
63 ח *Socius ego omnibus qui te timent & qui custodiunt statuta tua.*
64 ח *Misericordia tua Iehoua plena est terra: edicta tua doce me.*

57 *Portio mea Iehoua dixi.* [a] Ardens sum Dei, eum Legis studium & præsenti octonario memorat. [c] Ambiguus tamen est in hoc versu, verborum sensus, quia & Iehoua in nominandi casu legi potest, & verbum dixi referri tam ad prius quã ad posterius membrum. Hæc igitur erit vna lectio, Iehoua es portio mea, ideo decreui Legem suam seruare. Altera, Deus, qui portio mea es, decreui Legem tuam seruare. Tertia, Dixi, vel statui Deum portionem meam, ad custodiendam eius Legem. Quarta, Dixi, vel statui, Domine hæc portio mea est, seruare Legem tuam. Et hæc melius quadrat. Rectè quidem conueniet hæc sententia, quia Deus portio nostra est, id debere ad seruandam eius Legem animũ nobis addere. Nam pluribus alijs locis visum est Deum vocari hæreditatem fidelium, quia ad solidam eorum fœlicitatem ipse vnus sufficiat. Et certe, quũ sibi nos in peculium elegerit, æquum est vicissim in ipso solo nos acquiescere. Quòd si vno Deo contenti erimus, propensi quoque animi nostri erunt ad seruandam eius Legem: & caris cupiditatibus valere iussis, hæc nobis summa erit oblectatio & firmum propositum. Quanquam autem hæc expositio, sicut diximus, non male cohæret, continétque vtilem doctrinam, proxima tamen illa quam melius quadrare diximus, simplicior est, Statui apud me quòd hæc mihi optima sit hæreditas seruare Dei Legẽ. Cui affine est illud Pauli dictũ, Pietas optimus est quæstus, 1. Timoth. 6. b. 6. Comparat autem Dauid Legis obseruantiam omnibus fictitiis bonis quæ ad se hominum cupiditates capiunt: acsi dixisset, Appetat quisque quod mens eius tulerit, & suis delicijs fruatur: non erit quod alijs inuideam si mihi salua manebit hæc portio, vt me Dei verbo addicam.

58 *Precatus sum faciem tuam.* [v] Vel, Suspicio faciem tuam. Precari faciem est venire in cõspectum. Sic loquuntur Hebræi quum volunt exprimere familiare illud colloquium ad quod Dominus fideles suos admittit quum ad precãdum illos inuitat. Perinde enim est acsi facie ad faciem loquantur cum Deo. [c] Testatus ergo hoc versu Dauid se ab officio precãdi non cessasse: quia sine precib[us] otiosa torperet fides. [a] Addit, *Toto corde*, vt intelligamus eum non defunctoriè aut obiter, hypocritarum more, sed ex intimis cordis affectibus Deum orasse. *Miserere mei.* [c] Summam votorum vno verbo perstringit, quòd implorauerit misericordiam Dei, cuius fiduciam ex verbo conceperat. [a] Nam mox adiungit, *Secundum eloquium tuum.* Hoc est, iuxta promissiones in verbo tuo comprehensas. [m] Admonet itaque hic versus quomodo debeat esse comparata fidelis ac legitima oratio. [c] Sciendum est enim expergefieri primùm nostram pigritiam, vt fidem nostram precibus exerceamus: deinde hoc præcipuum esse orãdi caput, vt Deus pro gratuita sua bonitate propitius nobis sit, respiciat nostras ærumnas, & inopiæ succurrat. Etsi enim Deus innumeris modis nos iuuat, necessitates etiam nostræ sunt innumeræ: vnum tamen hoc & vnicè optandũ vt nostri misereatur: vnde reliqua fluunt. Tertiò, ne incerta vota in aerẽ fundamus, discamus Deum in suis promissis proponi quasi voluntarium debitorem.

59 *Reputaui vias meas.* [v] Vel, Cogitaui, Diligenter expendi vias meas. [a] Id est, vitæ meæ institutum, seu viuendi rationem. *Et conuerti pedes meos ad testimonia tua.* [m] Q.d. Mecum ipse rationem instituendæ vitæ meæ iniui, & pedes meos (id est vitæ meæ cursum) conuerti ad testimonia tua. [c] Sũma est, Postquã attendit Propheta ad vitæ suæ rationem, sibi non aliud fuisse propositum quàm Legis doctrinam sequi. [m] Prudentis hominis est circunspicere diligenter ac considerare quonam vitæ suæ itinera tendant, an ad salutem, vel ad exitium progrediatur: &, si deprehenderit sic esse vias suas comparatas vt tendant ad perditionem, confestim absque vlla mora pedes ad regiam viam conuertere, ne aberrando incidat in foueam perditionis. Sic Propheta, ne perditionem incurreret, vias suas secum ipse expendit: inuenit autem eas errori ac perditioni obnoxias, ideóque pedes ad verbũ Dei cõuertit. [c] Itaque his verbis obliquè significat, ideo vulgo metas vagari homines, & miserè dissipatos huc & illuc ferri, quia incõsideratè sibi indulgent. Acriter quidem inuigilat quisque studiáque sua applicat quo inclinat animi libido, sed omnes in electione ipsa caecutiunt: imò, velut clausis oculis, vel præcipitanter feruntur, vel per incuriam huc vel illuc euanescunt. Certè nullus vias suas prudenter considerat: ideóque non abs re hoc rectè viuendi principium esse admonet Propheta vt à socordia excitati vias suas reputent, & aliquando sobriè cogitent quid sit vitam instituere. Docet autem secundo loco, vbi quis serio ad vitam regendam attentus fuerit, nihil occurrere posse melius quàm vt sequatur quo Dominus vocat. Et certè nisi in sua incogitantia stuperent homines, certatim vno consensu Deum sibi vitæ ducem eligerent.

60 *Festinaui & non distuli.* [v] Quidam, Propero, & non moror. [c] Quanquam verba sunt præteriti temporis, continuum tamen actum notant. Narrat autem Propheta quanta promptitudine Deo suum obsequium obtulerit. Nam celeritas, zeli feruorem significat: [m] acsi diceret, Mox atque inita mecum vitæ meæ ratione, conclusi in corde meo viuendum mihi esse secundum Legem tuam, & pedes meos ad testimonia tua conuerti, sine vlla mora quod cœpi prosequutus sum. *Et non distuli.* [v] Vel, Et non tardaui. Vel, Nec moram feci. [c] Quòd se tardasse negat, ex vsu linguæ Hebraicæ amplificat quod de festinatione dixit. Nam sicut Hebræis Loqui & non tacere, tantundem valet ac liberè cordatéque & non dissimulanter dicere quod opus est, ita Festinare & non tardare dicitur qui absque cunctatione & mora celeriter currit. Quòd si nobis in mẽtem veniat nostra segnities, & ex alia parte tot remoræ quas Satã inijcere non cessat, colligere licebit nõ frustra hoc fuisse additũ. Nam vt verè & ex animo quis Dei iustitiæ se addicere cupiat, scimus tamen quid dicat Paulus, se non præstare quod vellet, Rom. 7. c. 15. d. 18. 19. Quanuis ergo nullum externum obstaculum nos moretur, tot tamen impedimentis intus sumus constricti vt nihil difficilius sit quam properare ad seruanda Dei Legem. Cæterùm tenendum est, Prophetam hic comparatiuè loqui, eorum respectu qui magna vitæ parte procrastinãt, nec modò cunctanter & lente accedunt ad Deum, sed deliberando subsidunt, vel se inter flexuosos anfractus impediunt, ne accedant. Non ergo alacrior ad Deum colendum Propheta fuit quàm Paulus: sed tantùm his verbis ostendit, strenuè luctando expeditum fuisse sibi cursum. Ac suo exemplo docet friuolas esse excusationes quas nostræ ignauiæ vel ex mundi obstaculis vel ex nostra ipsorũ debilitate obtẽdimus. [m] Dicit ergo Propheta se festinasse & non distulisse &c. quibus verbis admonet non carere periculo siquis in errore constitutus, non statim pedes ad rectam viam conuertat.

61 *Funes impiorum apprehenderunt me.* [v] Vel, Cateruæ, Cœtus, Turmæ impiorum spoliauerunt me. [c] Quidam doliores vertunt: sed nullum genuinum sensum eliciunt, & tam ipsos quã Prophetæ verba torquent. Simplex sensus est, quòd Propheta turmatim ab impiis vexatus, deinde pro eorum libidine spoliatus ac direptus, stationem suam non deseruerit. Quod etiã summæ virtutis specimen fuit. Nam extremis iniurijs expositi, nisi Deus succurrat, de eius prouidentia statim dubitare incipimus. Videtur omni fructu carere pietas, fingimus etiam liberum esse nobis ius vindictæ: inter hos fluctus facilè submergitur Legis Dei memoria. Propheta autem admonet hoc demum esse veræ pietatis signum si æquabile maneat Legis Dei studium, & eadem iustitiæ obseruantia, vbi in prædam impijs expositi, nullum Dei auxilium sentimus. [m] Intelligendum est quòd impij non singulatim, non pauci, sed turmatim ac multi ad opprimendum eum feruntur qui præcipuo aliquo loco est inter filios Dei. Quod tamen nemini piorum animum adimere debet, [a] imò vero optimam victoriæ spem concipere debent quotquot se ex animo Legi diuinæ addicunt.

62 *Media nocte surgam.* [v] Vel, Surgo. Ad verbum, Medietatibus noctis surgam. Futurũ pro præsenti. *Ad confitendum tibi.* [a] Vel, ad laudandum te, ad celebrandum nomen tuum. [m] q.d. Non quiesco à laude tua, ne noctu quidem. *Super iudicijs iustitiæ tuæ.* [v] Hebraismus, pro, Iudicijs tuis iustis. Vide Suprà, versu 7. [c] Docet hoc versu Propheta se non modò probasse & ex animo amplexum esse quicquid Lex Dei continet, sed gratitudinis etiam signum dedisse, quòd particeps esset tanti boni. Videtur quidem hoc vulgare esse, Deo subscribere, Lege sua nos docenti: (quis enim obstrepere audeat?) multum tamen abest quin Dei doctrinam omni ex parte iustam esse mundus prædicet. Primò, quæ carnis nostræ proteruia est, vellet quisque aliquid vel minuum, vel detractũ. Deinde, si detur optio, mallent homines arbitrio suo potius quàm Dei verbo regi. Deníque tam humanæ rationi quàm cupiditatibus magnum est cum Lege Dei dissidium. Non parum ergo profecit ille qui & obedienter amplectitur cœlestem doctrinam, & suauiter in ea se oblectans gratias Deo agit. Quanquam non simpliciter se

Dei iustitiam celebrasse refert Propheta, sed media nocte se surrexisse dicens, ardorem sui desiderii exprimit: [m] quia studiis & curis quæ nos à somno excitant, magnam vehementiam inesse oportet. Quòd si quisquam dicat, Præclarū igitur est quòd Monachi mediis noctibus surgunt ad laudandum Dominum, respondendū est, Præclarum admodù, si libero spiritu, nullis humanis traditionibus obnoxio, sponte sua, non votis & otii gratia, citra vllam superstitionem & idololatriā, eodem diuinæ laudis studio cum Propheta surgant. Sed quis dabit nobis tales Monachos?

63 *Socius ego omnibus qui te timent.* [v] Vel, Adiunxi me omnibus timentibus te. Vel, consors sum omnium timentium te, &c. [m] Q.d. Quicunque te Domine timent & colunt, illis coiunctus esse cupio. [c] Non de fraterno tantùm consensu & amore loquitur, quem inter se mutuò colunt fideles: sed intelligit, quoties in aliquem incideret qui Deum timeret, se manum porrexisse in signum societatis: nec solùm fuisse vnum ex numero & ordine seruorum Dei, sed etiam adiutorem. Et certe hic consensus in omnibus piis requiritur, vt alii alios promoueant in timore Dei: & videtur tacita subesse comparatio inter sanctam hanc cōspirationem, in qua fideles Dei cultum & pietatē apud se fouent, & impios syncretismos qui passim regnant in mundo. Videmus enim vt aduersus Deum suas phalanges constituant profani homines, ac vltro citròque se adiuuent ad euertēdum Dei cultum. Quo magis incitari decet filios Dei ad colendam sanctam illam vnitatem quam toties Scriptura commendat. *Qui te timent.* [a] Hoc est, qui te colunt & amant. *Et qui custodiunt statuta tua.* [c] Fideles primum à timore Dei, secundo à Legis obseruantia commendat: quia & Dei timor, radix est vel origo omnis iustitiæ, & tunc demum nos Deum timere & reuereri apparet vbi vitam et nostram in obsequium dicamus. [m] Ergo non satis est timere Deum, nisi talis sit timor qui custodiam mandatorum Dei pariat. Alioqui & Satan timet, & contremiscit. Ideo prudenter adiecit Dauid, Et qui custodiūt mādata tua.

64 *Misericordia tua Iehoua.* [c] Precatur Deum, imò per immensam eius bonitatem, quæ relucet in toto mundo, obtestatur, vt se cælestis sapientiæ thesauro dignetur. [m] Q.d. Quum sis adeo benignus omnibus vt bonitate tua plena sit terra, imperti mihi quoque hāc benignitatis tuæ gratiam vt me statuta tua doceas. [c] Hæc precatio valde emphatica est. Quòd igitur terrā dicit plenam esse misericordia Dei, species est obtestationis. Neque enim tantùm in genere (vt alibi) prædicat Dei bonitatem, quòd nullam mundi partem suæ liberalitatis expertem relinquat, & eam exerceat non modò erga humanum genus, sed ad bruta quoque animalia extēndat. Quid ergo? nempe Dei misericordiam, quæ se in omnes creaturas diffundit, vnà in se cupit erga se patefieri, vt in Lege Dei proficiat. Vnde colligimus hoc intelligentiæ donum ei fuisse inæstimabilis thesauri loco. Quòd si hoc præcipuum diuini fauoris signum est, donari spiritu intelligentiæ: incredulitas nostra alienationem ab eo nostram prodit. Iam memoria repetere conuenit quod alibi diximus, nimis pudendam esse socordiam nostram, qui exiguo cælestis doctrinæ gustu contenti, profectum non magnopera curamus, quum tam præclarus Ecclesiæ doctor cupidè & ardēter semper ad discendum contenderit. Adhæc certum est non de externa doctrina hic agi, sed de arcana mētis illustratione, quæ donum est Spiritus. Lex promiscuè omnibus erat exposita, sed videt Propheta, nisi illuminetur à Spiritu sancto, hoc nō magnæ vtilitatis fore, ideóque efficaciter doceri petit.

65 ט *Benignè fecisti cum seruo tuo Iehoua, secundum verbum tuum.*
66 ט *Bonitatem gustus & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.*
67 ט *Priusquam humiliarer, ego errans: at nunc sermonem tuum custodio.*
68 ט *Bonus tu & beneficus: doce me edicta tua.*
69 ט *Concinnauerunt super me mendacium superbi: ego toto corde custodiam edicta tua.*
70 ט *Impinguatum est sicut adeps cor eorum: ego Lege tua me oblecto.*
71 ט *Bonum mihi quòd afflictus sum, vt discam edicta tua.*
72 ט *Bonum mihi Lex oris tui super millia auri & argenti.*

65 *Benignè fecisti cum seruo tuo.* [v] Vel, Bonum fecisti cum seruo tuo. [c] Hoc generaliter nōnulli accipiūt, quasi testetur Propheta se boni cōsulere quomodocunque à Deo tractetur: quia videat in salutem suam cedere. [m] Q.d. Agnosco Domine quàm bene mihi facias quòd me secundum verbum tuum castigas & erudis. [c] Verùm quia disertè fit mētio promissionis, dubiū non est quin Dei fidem in præstanda quam pollicitus est gratia celebret. Addit enim, *Secundum verbum tuum.* [a] Hoc est, quemadmodum gratuito fauore pollicitus es. [c] Q.d. Equidem re ipsa vel effectu expertus sum te veracē esse, nec verbis lactare seruos tuos. Statuit igitur Propheta promissiones Dei in medium, quia inde ad nos manant omnia eius beneficia, non tāquam ex primo fonte, sed ex canalibus. Etsi enim gratuita Dei bonitas, vnica ei ad nos liberaliter tractandus causa est, nihil tamen ab eo sperare possumus donec per verbum suum nobis occurrat.

66 *Bonitatem gustus & scientiam.* [v] Vel, Bonitatem sensus. Alii, Bonitatem sermonis. Id est, optimum & exactissimū iudicium. Quidam vertunt, bene iudicandi facultatem. [c] Sed qui disiunctim legunt, Bonitatem & sensum, deprauant totam sententiā. Postquam enim confessus est Dauid experientia sibi compertum esse quàm verax esset Deus in suis promissis, adiungit votum quale versu proximo habuimus, nempe vt crescat in recta intelligentia. Quanquam paulo diuersis verbis vtitur. Ponit enim rectitudinem gustus & scientiam. Nā quum טעם gustare significet Hebræis, nomen ex eo deductum propriè capitur pro gusto: transfertur tamen ad mētem. Nec dubium est quin Dauid simul cum scientia dari sibi postulet sanam discretionem & iudicium. Vt tamen nobis constet integra mens Prophetæ, addendum est posterius membrum, *Quia mandatis tuis credidi.* [v] Vel, fidem adhibui. [a] Dicit se fidem habuisse Dei edictis, hoc est, libēter amplexum esse quicquid in Lege præscribitur: ita se docilē esse & morigerū affirmat. Quum autē Spiritus sancti ductu iam ad obsequium Dei propensus foret, alterum donum addi postulat, nempe sanum gustus & intelligentiæ. Vnde colligimus duo hæc ad vitam rite instituendam distinctè requiri, præditum esse recto affectu, & prudēter intelligere. Quòd fidem habebat Propheta Dei mandatis, hæc certe reuerentia ex pio zelo oriebatur: sed ne inconsideratè aberret, non sine causa metuit. Discamus ergo, postquam corda nostra formauerit Deus in Legis suæ obsequium, simul petere ab eo prudentiam quæ zelum nostrum moderetur. [a] Scimus enim plerosque esse qui (cum Iudæis, de quibus Paulus loquitur) zelum habent, sed quia scientia destituuntur, & sana prudentia, ideo zelus eorum sæpe in furorem vertitur. Vide Rom. 10.a.2.

67 *Priusquam humiliarer, ego errans.* [v] Vel, Priusquam affligerer. sub. à te. Alii, loquerer. vel, commentarer. sub. de Lege tua. Acsi diceret, Antequam meditarer in statutis tuis, ego errabā. [c] Sed dubiū nō est quin Propheta in sua persona communem humani generis vel lasciuiam vel contumaciā describat, quòd scilicet Deo nunquā obsequimur nisi ferulis coacti. [c] Imò absque aduersitatum cruce facilè ad vitia relaberentur etiam perfectissimi. [c] Hoc quidem prodigii simile, quòd præfractè non Deo subiecta abnuimus: sed tamen experientia ostendit, vbi Deus nobis indulget, semper nos ad ferociam erumpere. Et certè, quum in Dei Propheta contumaciam violenter corrigi oportuerit, multo magis hæc eruditio necessaria nobis est. Nam quum principium obediētiæ sit carnis mortificatio, quā naturaliter omnes refugiunt, non mirum est si variis afflictionibus Deus in ordinem nos cogat. Imò, quoniam subinde etiā vbi videtur domita recalcitrat caro, non mirū est si nos Deus sæpius retrahit ad ferulas. Fit autem hoc diuersis modis: quia alios paupertate, alios ignominia, alios morbis, alios domestico incommodo, alios molestiis & duris laboribus Deus humiliat, atque ita diuersis vitiis aptat sua remedia. Nunc tenemus quàm vtilem doctrinā contineat hæc cōfessio. De se quidē loquitur Propheta, (sicut & Ieremias dicit se fuisse vitulum indomitum, cap. 31. c. 18) sed lasciuiæ, quæ nobis omnibus ingenita est, imaginem ante oculos nobis ponit. Nos verò nimis ingrati sumus nisi fructus hic quem ex castigationibus percipimus, earum acerbitatem leniat vel temperet. Nihil enim nobis miserius quamdiu sumus Deo rebelles. Atqui vna ratio est qua nos ad parendum flectat Deus ac mansuefaciat, dū nos ferulis suis erudit. Suo igitur exemplo docet Propheta, saltem vbi duritiem nostram subigendo ostendit Deus se velle nos habere discipulos, dandam esse operam vt mitescamus, & deposita ferocia, quod nobis imponit iugum libenter feramus. [m] Notādum autē quòd Propheta nō dicit, Nunc animum despondeo propter afflictiones quibus grauor: sed, At nunc sermonem tuum custodio. Hæc est vtilitas quam pii cōtrahunt ex afflictionibus, vt ad se reuersi, non desperent, sed animum ad custodiam verbi Dei sedulò accommodēt. Diuersum accidit in reprobis, qui ad flagella Dei magis ac magis obdurātur & deteriores fiunt.

68 *Bonus tu.* [c] Eandem fere sententiam continet hic versus quam vltimus superioris octonarii. [m] Q.d. Id vtilitatis debeo bonitati ac beneficentiæ tuæ. Fretus itaque illa, etiam atque etiam oro vt me statuta tua doceas, quò me illis recta cum intelligentia & alacri corde addicere possim. *Et beneficus.* [m] His duob[9] verbis natura bonitatis expressa est. Bonus es tu (inquit)

& beneficus. Ergo qui verè bonus est, natura etiam & virtute bonitatis beneficus est. Tolle beneficentiam, & nō erit bonitas, nisi forsitan in illis qui facultate nō animo benefaciēdi destituuntur: id quod de Deo dici non potest. *Doce me edicta tua.* [c] Deum per bonitatem suam obsecrat, nō vt augescat diuitiis & honoribus, nō vt affluat deliciis, sed vt proficiat in Legis intelligentia. Nam quia vulgò totus fere mundus Dei beneficentiam implorat, & liberaliter secum agere cupit, prout vnumquenque ad diuersa vota rapit carnis intēperies, Dauid abunde sufficere sibi testatur si vna hac in re, quam omnes fere contemptim prætereunt, sentiat Deum esse liberalem. Ergo Dauid hoc loco petit quod sciebat esse primarium & optimum, nempe vt doceretur edicta Dei. Sic Christus monet, Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia, &c. Matth. 6. d. 33.

69 *Concinnauerunt super me mendacium superbi.* [p] Vel, Struxerūt aduersum me mendacium. Queritur de concinnatis contra se mendaciis, quæ concinnarant impii ad opprimendū illum: quibus tamen nihil motus fuit quominus pertinaciter Legi Dei inhæreret. [q] Verbū טפל (quod alioqui cōiungere significat) hic pro texere vel concinnare eleganti metaphora sumitur: quia non tantùm crassis probris per contumeliam grauatus fuerit Propheta, sed crimina etiam in eum finxerint nō sine artificio & colore, vt videri posset nigerrimus. Quamuis autem non desierint illi telam hanc texere, perrupit tamen inuicta constantia, & obserato corde suo Legem Dei in fideli custodia retinuit. Nec sine causa superbos vocat: quia hinc conicere licet nō ex vulgo fuisse homines, sed primarios, qui opū & honoris confidētia inflati, audacius in eū insurgerent. Certè apertè demōstrat si illorū fastu nō secus fuisse calcatū quàm si canis fuisset mortuus. Addit nihilominus, *Ego toto corde custodiam edicta tua.* [r] Vel, Obseruabo. Futurum pro præsenti, vel præterito. [s] Q.d. Multa creuerunt aduersum me superborum iniuriæ, ego è regione in illo totus fui quo tuas seruarem iussiones. [t] Dura hæc tentatio est, quum innoxii rapimur ad probra & infamiam: neque tantùm cōuitiis operimur, sed adducto etiam specioso colore, vulgo nos inuidiæ exponunt scelesti homines. Videmus enim multos alioqui probos, & ad rectè viuendum propensos, vbi tam indignam mercedem rependi sibi vident, vel collabi, vel labascere. Quo magis notandum est Prophetæ exemplum, ne hominum malignitas vllo modo nos concutiat: atque vt in hominum conspectu probitatis famam nobis eripiant, nō tamen eo desinamus Dei timorē intus alere: nobisque sufficiat apud Dei tribunal lucere nostram pietatem, quamuis eam hominum calumniæ deforment. Quandiu enim pendebimus ab hominū iudiciis, subinde fluctuabimur, vt dictum est. Deinde quātumuis splendida sint nostra opera, scimus tamen non venitura in ratam Deo in rationē, si in illis mundi plausum spectemus. Quare oculos conicere discamus ad cæleste illud theatrum, & sinistros sermones despicere. Fruantur sua mercede filii seculi, quia in cælo non in terris reposita est nobis corona: temporalem infamiam libenter ferendo, laqueos expediamus quibus nos morari conatur Satan.

70 *Impinguatum est sicut adeps cor eorum.* [a] Vel, Crassum est, velut adeps, cor eorū. Dicit impiorum cor prosperitate ceu adipe pingue factum. q.d. Sunt prorsus stupidi & insensati. nō sentiunt Legis tuæ vel virtutem vel bonitatem, ideóque & illa non delectantur, sed eam securè contemnunt. [c] Hoc autem vitium in Dei contemptoribus nimis vulgare est. Vnde enim fit vt optimis Dei seruis iam petulanter insultent scelesti homines, quos intus mordet conscientia, nisi quòd crassities quædā occupat eorum corda, vt in sua obstinatione stupidi sint, vel etiam furiosi? *Ego Lege tua me oblecto.* [v] Vel, delector. [e] Mira Prophetæ & summa laude digna magnanimitas, qui omnes suas delicias reposuit in Dei Lege. Ac si diceret hanc suam esse saginā, & se hoc cibo ad satietatem refici. Quod fieri non potuit nisi cor eius à prauis deliciis vacuum & bene purgatum esset.

71 *Bonum mihi quòd afflictus sum.* [m] Clarius afflictionum suarum vtilitatem prædicat, [c] dicens se subactū fuisse Dei ferulis vt ad paredum mansuesceret. [r] Bonam (inquit) desiderabilem, salutarem, imo necessariā crucem suā esse agnoui, & salubre nostræ superbiæ ac contumaciæ medicamentum. *Vt discam edicta tua.* [c] His verbis fatetur Dauid se à praua contumacia, qua totum humanum genus laborat, non fuisse immunem: alioqui ficta esset ista vtilitas quam prædicat, nempe non aliter se fuisse docilem nisi quia humiliatus fuit. Sicuti nec quisquā nostrûm vltro collum Deo submittit donec malleo naturæ duritiem emolliat. Fructum verò qui ex Dei castigationibus nobis prouenit, assiduè gustare operæpretiū est, vt nobis dulcescant: atque ita in ordinē cogi nos sinamus, qui iam obstreperi sumus & morosi. [v] Discimus itaque ex hoc loco, eos qui affliguntur, disciplinæ mandatorum Dei adaptari. Hoc autem debetur ingenio nostro corrupto, quod nō potest, rebus prosperis ac trāquillis, seruans esse humilitatis & obedientiæ. Non contigit hoc primis nostris parentibus in paradiso, vt iussis Dei constanter obedirent, etiam antequam nostræ puritatem peccando amisissent: quis ergo sperabit illud rebus prosperis post tantam ingenii humani corruptionem?

72 *Bonum mihi Lex oris tui.* [c] Asserit se prætulisse Legem Dei omnibus mundi diuitiis, quarum insana cupido maiorem hominum partem miserè demērat. *Super millia auri & argenti.* [c] Nō æquiparat Legem Dei suis fortunis, sed ingenti opulentia sibi pluris fuisse asserit. [r] Q.d. Quamlibet mihi obueniat maxima pretiosarum rerum vis, etiam mille excedat auri pondo, his tamen omnibus tua mihi gratior erit Lex. Sic dicebat versu huius Psalmi 14. In via testimoniorum tuorum gauisus sum, sicut super omnib⁹ diuitiis. [a] Et iterū, Desiderabilia magis quàm aurum, & aurum multum, Suprà, 19. c. 11. [m] Admonet autē nos hic versus quo loco habēdum sit in nobis verbum Dei, quod vel Mosis, vel Prophetarum, vel Christi & Apostolorum ministerio allatum est in hunc mundum: nempe pro verbo oris Dei. Fieri nō potest vt qui sic iudicat de verbo Dei, nō sit obseruantiæ illius addictior illis qui in Mosen tātùm, Prophetas & Apostolos respiciunt.

73 [b] *Manus tuæ fecerunt me, & formarunt me. fac me intelligere, & discam mandata tua.*

74 [a] *Timentes te uidebunt me, & lætabuntur: quia ad uerbum tuum expectaui.*

75 [c] *Cognoui Iehoua quòd iustitia sint iudicia tua: & in ueritate humiliasti me.*

76 [c] *Sit quæso clementia tua ad consolandum me, secundum sermonem tuum ad seruum tuum.*

77 [c] *Veniant mihi misericordiæ tuæ, & uiuam: quia Lex tua delectatio mea est.*

78 [c] *Pudefiant superbi, quia falsò peruerterunt me: ego meditabor in edictis tuis.*

79 [c] *Conuertantur ad me qui timent te, & nouerunt testimonia tua.*

80 [t] *Sit cor meum integrum in statutis tuis, ne pudefiam.*

73 *Manus tuæ fecerunt me.* [a] Vt semper, hoc præcipuum orat dari sibi, vt Legē Dei ritè intelligat. Hoc est, certo agnoscat hanc quam ipsa præscribit vitam beatā esse, solidumque diuinitatis consortium. huius exorandi spem inde sibi firmat quòd sit figmentum Dei. *Et formauerunt me.* [r] Vel, præparauerunt me, concinnauerunt, disposuerunt. [c] q.d. Sum ipsissimum tuarum ipsius manuum opus. *Fac me intelligere, & discam mandata tua* [v]. q.d. Tu me hominem formasti, superest vt etiam instituas quo possim vitam meam cōponere ad Legis tuæ regulam. [c] Itaque quod Propheta commemorat se Dei manu fuisse creatum, ad spem obtinendæ quam postulat gratiæ plurimum valet. Nam quum Dei simus figmentum & opus, nec motum vitalem dūtaxat, (vt brutis animalibus), nobis cōtulerit, sed lucē quoque intelligentiæ & rationis addiderit, hinc precādi fiduciam colligere licet, vt nos in obedientiam Legis suæ dirigat. Neque tamen Deum, tanquam sibi obstrictum appellat: sed quia opus à se inchoatum non deserit, tantùm implorat nouam gratiam, qua Deus quod cœpit prosequatur. Nā & ideo Legis subsidio nobis opus est quia corrupta est intus omnis nostræ integritas, vt non teneamus quid rectum sit nisi aliunde edocti. Sed hoc etiam maior apparet cæcitas & stupor, quòd nihil prodest doctrina, donec animas nostras Deus reformet. Tenendum verò memoria est quod ante diximus, quoties ad discenda præcepta Dei sibi intelligentiam dari petit, se & cunctos mortales damnare cæcitatis, cuius vnicum remedium est Spiritus sancti illuminatio.

74 *Timentes te uidebunt me.* [c] Potest hic versus proximo cohærere, vel latius extendi ad alia quæuis Dei beneficia: [m] ac si Propheta diceret, Vbi me asserueris de manibus inimicorū, & me tuo fauore prosequutus fueris, videbunt hoc qui te timent, & congratulabuntur mihi quòd opem tuam secundum verbum tuum constanter expectarim. [c] Siue autem speciem vnam Dauid attingat, siue generaliter loquatur, beneficia Dei quib⁹ ornatus fuerat, hoc elogio in sublime attollit, vt ad omnes Dei cultores commune perueniat gaudium. Neque enim solam lætitiæ causam facit quòd sperauerit in Domino, sed quòd ab eo insigniter seruatus multisque beneficiis auctus, amplum spei suæ præmium retulerit. Quia autem communiter seruos omnes suos ad sperandum inuitat Deus, quoties erga vnum quemlibet gratiæ suæ specimen edit, omnibus testatur se veracem esse in suis promissionibus: nec timēdum esse ne fraudet in se sperantes. *Quia ad uerbum tuum expectaui.* [v] Vel, In ver-

bo tuum spem habui. Alii, Ad verbum tuum suspicio. Hoc est, Considerabunt hoc mihi contigisse quòd spem in tuis promissionibus habuerim: inde confirmabuntur, nec dubitabunt eandem sibi gratiam esse paratam, si promissiones tuas suspiciant, atque in illis spem habeant. ᴬ Neque enim eos vnquam deserere potes qui verbis promissionum tuarum fidem habuerint.

75 *Cognoui Iehoua quòd iustitia.* ᵛ Id est, quòd iusta sint iudicia tua. Hebraismus, q.d. Noui quòd iustè me affligas. ᶜ Nam iudicia hic sumit pro pœnis quibus Deus ad resipiscentiam homines inijcit. ᵛ Et mox seipsum exponit, repetendo eadem, quum dicit, *Et in veritate tua humiliasti me.* ᵀ Nam duæ istæ voces צדק & אמונה sunt hic ferè synonymæ: ᵛ acsi diceret Propheta, Merito & iure afflixisti me. ᶜ Priore autem membro fatetur generaliter Propheta Deum sic temperare iudicia sua vt os impijs obstruat, siqui de sæuitia vel rigore querantur: ac tantam illic æquitatem lucere vt fateri cogamur nihil esse melius quàm sic reuocari homines ad seipsos. Deinde exemplum in sua persona statuit. Nam & hypocritæ interdum iustitiæ laudem Deo tribuunt, vbi alios castigat, nec seueritatem eius improbant, modò sibi parcatur. At veræ pietatis est non tàm in aliorum peccatis quàm nostris acres ac seueros esse censores. Et cognitio cuius Propheta meminit, testis est serij examinis: quia nisi probè expendisset suum reatum, non poterat certa experientia in suis afflictionibus apprehendere Dei iustitiam. ᴹ Admonemur ergo quomodo & nobis de tribulationibus & afflictionibus nostris sit sentiendum. ᴮ Siquis in sensu vsitato iudicia accipere malit pro præceptis Legis, talis erit ratio contextus, Scio Domine Legem tuam sanctam & iustam esse: neque mihi ideo excidit hæc persuasio quòd me seuerè afflixeris, quia hac quoque in parte rectitudinem perspicio, quæ verbi tui naturæ respondet.

76 *Sit quæso clementia tua.* ᴹ Orat pro consolatione, ᶠ acsi diceret, Sit tandem quæso malorum meorum finis, sit modus: & quemadmodū me iustè & meritò afflixisti, ita me tua consoletur clementia: id enim tuo proprio ore pollicitus es huic tàm illo seruo tuo. *Secundum sermonem tuum.* ᴬ Id est, quemadmodum promisisti. ᶜ Propheta promissione Dei fretus hilaritatē ex spe gratiæ in animo suo fouebat. Sed quia nisi liberator tandem appareret Deus, spes nostra nihil esset quàm mera frustratio: sibi impleri postulat quod Deus promisit. acsi diceret, Domine, quoniā mihi pollicitus es te pro bonitate tua ad opem mihi ferendam paratum fore, nunc effectum verbi tui exhibeas. Iam verò tenendum est quod alibi admonuimus, nō frustra obijci Deo verbum suum: quia temere in eius conspectum prodirēt mortales, nisi ipse viam vltro patefaceret. Quum dicit, *Ad seruū tuum*, non sibi vendicat Dei misericordiam, acsi singulari oraculo sibi promissa fuerit: sed quod Deus toti Ecclesiæ promisit, pro fidei natura ad se accommodat. Nisi enim statuam me vnum esse ex eorum numero quos complectitur Deus, vt ad me quoque pertineant eius promissiones, nunquam ad inuocationem animum erigam.

77 *Veniant mihi misericordiæ tuæ.* ᴬ Vel, Adueniant mihi miserationes tuæ. ᴹ Idem petit quod versu superiori, ᶜ licet verbis paulum mutatis. Quemadmodum enim nuper dixerat non aliter quàm Dei misericordia mœrorem suum auferri & gaudium restitui posse, ita nunc vitam sibi fore negat donec reconciliatus Deo fuerit: atque ita se discernit à profanis hominibus, quos non magnopere tangit hæc cura, imò qui Deo quoque infenso delicias sibi facere non desinunt. Clarè enim asserit, donec propitium sibi esse Deum agnoscat, se viuēdo mortuum esse: rursus simulatque illuxerit Dei misericordia, se restitutum iri à morte in vitam. Interea significat signis paternæ Dei gratiæ ad tempus se fuisse priuatum: quia frustra venire optaret nisi procul abesset. *Quia Lex tua, delectatio mea est.* ᴮ Vt facilius impetret quod precatur, dicit Legem Dei suam oblectationem esse. Neque enim aliter sperare potuit Deum sibi fore misericordē. Adde quòd nemo verè sentit quid valeat Dei gratia, nisi qui summam fœlicitatis in hac vna statuens, miseros & maledictos esse non dubitat qui se ab eo disiungunt. quod ex Lege Propheta didicerat.

78 *Pudefiant superbi.* ᴮ Vel, pudore afficiantur Superbos hostes suos vocat, hoc est, turgidos & arrogantes, qui virum innoxium & de omnibus bene meritum perdere conabātur. Precatur autem vt eorum superbiam retundat Dominus, ac eos, vt digni erant, pudore & ignominia afficiat. ᶜ Siquis futurum tempus retinere velit, sensus erit, Quia mecum peruersè egerūt superbi, & præter meritum molesti fuerūt, Dominus mercedem illis rependet. Verum altera expositio receptior est, vt futurum verbi tempus loco optatiui accipiatur. *Quia falsò peruerterūt me.* ᶜ Rationem addit cur Deum hostibus suis aduersarium fore confidat: quia scilicet sceleste & malitiosè ipsum oppugnauerant. Quidam שקר vertunt absque causa, sed videntur dimidiam tantùm partem attingere: quia nomē hoc ad insidias & fraudes refertur, quibus conati erant scelesti homines Dauidem perdere. Vnde colligimus rectà nos vocari ad Dei præsidium, quoties iniustè affligimur: ac simul docemur non esse cur nos exanimet eorū insolētia, quia quantumuis sibi attollant, Dominus tamen fastum eorum retundet ac prosternet cum ignominia: vt pudefacti, alijs exemplo sint nihil esse magis ridiculum quàm triumphos canere ante victoriam. ᴹ Erat igitur æquum & iustum vt tam superbia quàm mendaciū impiorum hominum aduersum Deum sese erigentium confunderetur. *Ego meditabor in edictis tuis.* ᵛ Vel, disseram, loquar de mādatis tuis. ᴮ acsi diceret Propheta, vbi potitus victoria fuerit, se præconem fore gratiæ Dei. Loqui enim de statutis eius, tantundem valet atque ex Lege disserere quàm fidelis sit suorum custos Deus, quàm certus liberator, & quàm iustus vindex. ᴹ Non petebat ergo Dauid vt sibi in delicijs & pro libidine viuere liceret, sed vt & ipse de mādatis Dei liberè disserere posset, & qui Deum timebat, ac testimonia eius cognoscebāt, vnà secū in vero pietatis studio alacriter coniungerentur. hoc enim est quod sequenti versu subiungit.

79 *Conuertentur ad me qui timent te.* ᵛ Conuerti hoc loco pro respicere sumitur. ᶜ Asserit enim Dauid, quam adeptus fuerit salutem, piis omnibus commune fore documentum. acsi diceret, Potuit ad tempus cōditio mea, sicut reprobis ferociā augebat, piorū animos deijcere: nunc verò collectis animis oculos ad lætum spectaculum conuertent. ᴹ Admonemur hoc loco quando, quomodo, & quibus de causis impiorum confusionem optare & à Deo petere debeamus. *Et nouerunt testimonia tua.* ᴬ Hoc est, qui exactam Legis tuæ cognitionem habēt. Porro ex duabus notis, quibus Propheta fideles insignit, discimus quæ sit vera pietatis natura. ᶜ Timorem Dei vel reuerentiam priore loco posuit: sed mox adiungit cœlestis doctrinæ scientiam, vt sciamus res esse coniunctas. Nam vt aliquē Dei timorem præ se ferāt superstitiosi, nōnisi euanida est species. Deinde ludunt operam qui se fatigant in suis commētis: quia Deus non alia nisi quæ ex suo mandato præstantur obsequia in rationes suas referet. ᴬ Non enim abs re toties monet vt vocem suam audiamus. ᴮ Vera igitur religio & cultus Dei ex fide oriūtur: vt nemo ritè Deo seruiat nisi qui edoctus fuerit in eius schola.

80 *Sit cor meum integrum.* ᶜ Vel, perfectum, sincerum. ᴮ Quia in solido Legis diuinæ studio tota salus sita est, orat hoc versu vt cor integrum in statutis Dei habeat, hoc est, illis toto pectore studeat, ne vnquam pudore afficiatur. ᶜ Sicuti ergo paulo antè sibi optauerat dari sanam mētem: ita nunc pro sincero cordis affectu idē votum cōcipit. ᴹ q. d. Da Domine vt corde integro verser ac perseuerē in statutis tuis, ne, si defecero, meritò confundar, & offendiculum pariam iis qui timēt te, & gaudium illis qui me persequūtur. ᶜ Porro scimus mētem & cordis affectum præcipuas esse humanæ animæ facultates, quarū vtranque vitiatam & peruersam esse clarè ostendit qui & illuminari petit à Spiritu sancto mentē suam, & cor suum ad obedientiam Legis formari. Quo planè refellitur quicquid de libero arbitrio garriunt Papistæ. Neque enim hic tantùm orat Propheta, quia infirma sit sua volūtas, diuinitus adiuuari: sed in solidum prædicat cordis rectitudinem esse donum Spiritus. Ergo, prout quisque in verbi Dei notitia profecit, in hac altera precatione se exerceat. Docemur præterea his verbis quænā vera sit Legis obseruatio. Nam mundi bona pars, vbi defunctoriè vitam externo obsequio ad Dei Legem composuit, sibi nihil deesse putat: hic autem pronuntiat Spiritus Dei nullū placere Deo obsequium nisi quod ex cordis integritate profectum sit. ᴹ Itaque ex eo quòd Propheta non dixit, Sit manus mea, vel cōuersatio integra in mandatis tuis, sed, Sit cor meū integrum in mandatis tuis, ne confundar, perspicuè admonemur neminem sine cordis integritate diu in obseruantia Legis Dei permansurum. Nam simulatio non diu decipit. *Ne pudefiam.* ᶜ Vel, Ne pudore afficiar. ᴮ Significat Propheta talem exitum manere superbos omnes qui posthabita eius gratia proprijs viribus nituntur, & hypocritas, qui se pulchris coloribus ad tēpus ostentant. Sensus ergo est, Nisi nos Deus Spiritu suo regat & contineat in officio, vt cor nostrum in statutis eius sincerum sit, quamuis ad tempus lateat nostra ignominia, imò nos laudent ac ostentent homines, instare tamen probrum & ignominiam.

81 כ *Defecit ad salutem tuā anima mea: ad verbum tuum expecto.*
82 כ *Defecerūt oculi mei ad sermonē tuū, dicēdo, Quādo cōsolaberis me?*
83 כ *Quia fui sicut vter in fumo, edicta tua non sum oblitus.*
84 כ *Quot sunt dies serui tui? quando facies de persecutoribus meis iudicium?*
85 כ *Foderunt mihi superbi foueas, quod non est secūdū Legē tuā.*

Gg. ij.

86 כ *Omnia mandata tua, veritas: fallaciter me persequuntur, adiuua me.*
87 כ *Ferè consumpserunt me in terra: ego tamen non dereliqui statuta tua.*
88 כ *Secundum bonitatem tuam viuifica me, & custodiam testimonium oris tui.*

81 *Defecit ad salutem tuam anima mea.* [a] Id est, Ego defeci præ desiderio salutis siue opis tuæ. Alii vertunt, Concupiuit opem tuam anima mea. [b] Canit hoc versu & sequenti quàm anxiè auxilium Dei expectarit, vt præ expectatione & desiderio animus illi & oculi defecerint. [c] Intelligit autem, quanuis diuturno languore confectus nullum miseriis suis finem videret, se tamen nulla molestia vel tædio fuisse fractum quominus semper à Deo penderet. Quod vt clarius fiat, incipiendum est à secūdo membro, quod exegeticè additum esse patet. Illic enim asserit se in Deū sperare, quod fundamentum est. Sed infatigabilem spei suæ constantiam exprimere volens, addit se deuorasse omnia tædia quibus alii succumbunt. Quosdam enim videmus satis auidè arripere Dei promissiones: sed paulo pòst euanescere eorum ardorem, vel saltem rebus aduersis extingui. Videtur quidem primo intuitu aliud sonare verbū כלה (quod est deficere, vel consumi) sed Propheta hoc loco, vt alibi, per defectionem intelligit tolerantiam, quæ omni vigore ablato exanimes non deserit, ac in eorum cordibus arcanos & inenarrabiles gemitus inspirat. [d] Itaque hæc defectio deliciis opponitur, quæ longam moram non sustinent. *Ad verbum tuum expecto.* [e] Vel, suspicio. Affirmat se cōstanter Dei verbum respicere. Vide Supra, 69.a.4.

82 *Defecerunt oculi mei ad sermonem.* [a] Hoc est, Dum auxiliū tuum in verbo tuo promissum expecto, & oculis in cælos iugiter suspicio, oculi ipsi tandem languescunt. [c] Versus iste proximo affinis est, quia ad oculos transfert quod antè dixerat de anima. Hoc discrimen est, quòd pro salutis desiderio nunc sermonis desiderium ponit. Nam salus est in actu, vt loquuntur, quum sermo nos expectatione suspensos teneat. Sed quanuis Deus non statim exhibeat quod promittit: quia tamen non alibi quàm in verbo salutem offert, nulla etiam alia est sperandi ratio quàm vbi in verbum recumbimus. Quia igitur verbum salutem ordine præcedit, imò speculum est in quo nobis manifestatur, meritò Propheta, dum ad salutem suspirat, dicit se vsque ad oculorum defectum fuisse defixum in verbo. Hic verò mira & incredibilis patientiæ virtus in carnis infirmitate apparet, dum languidi & omni vigore destituti salutē in Deo absconditam quærimus. *Quando consolaberis me?* [c] Significat Propheta quàm non sine causa defecerit, nequis putet nimis mollem & fluidum fuisse. Nam ex Deo quærens quando tandem eum consolabitur, satis ostendit, diu fuisse quasi proiectum & desertū. [m] Ergo expectant quidē sancti auxilium Dei, & effectū promissorum eius: verùm interea molestè ferunt moram diuturniorem, & suspirant præ desiderio, quo tantum non exanimantur, & oculos in cælum suspiciendo fatigant, & illud, quando, quando, noctes ac dies voluunt ac reuoluunt. [a] Interea attētissimos habent oculos ad Dei promissiones, quæ nunquā fallaces esse possunt.

83 *Quia fui sicut vter in fumo.* [a] Addit se ita desiderio maceratum & torrefactum vt fuerit similis vtri suspēso in fumo. [c] Particula כי posset etiam non malè resolui in aduerbium tēporis Quando, vt vno contextu legamus, quando similis vtri suspēso fuit Propheta, non tamen fuisse oblitū Legis Dei. Consilium quidem eius minimè obscurum est, nempe quanuis duro examine probatus & ad viuum punctus fuerit, non tamē fuisse abductum à timore Dei. Comparatio autem vtris aut vesicæ huc spectat, cōtinuo malorū æstu fuisse quasi torridū. [m] Nā ipsa afflictio externè illata, deinde & expectatio auxilii molesta admodum, & plena desideriorum, gemituum ac suspiriorū, corpus Prophetæ extenuauerat, vt similis esset vtri in fumo suspenso, rugoso & inani. [c] Vnde colligimus non mediocri mœrore tantum squalorem & maciem contraxisse vt ferè exaruerit. Quanquam videtur subesse notatio non modò duri sed etiam lenti cruciatus, sicuti fumus ex æstu prouenientes vesicas paulatim arefacit. Sciamus ergo longam fuisse dolorum seriē, quæ centies consumere Prophetam, idque diuturno languore, potuit, nisi suffultus fuisset Dei verbo. Atque hæc demum vera est pietatis experientia, dum afflictissimi non desinimus tamen Deo nos submittere.

84 *Quot sunt dies serui tui?* [v] Qui seorsum legunt hoc membrum, sensum hunc eliciunt, Quanto tempore victurus est seruus tuus in hoc mundo? q.d. paruo tempore. Quum igitur paruo tempore sim victurus, fac vt antequam moriar videam improbos sibi dare pœnas. Ita generalis esset querimonia de breuitate humanæ vitæ, quales in Psalmis quædā occurrūt, frequētius verò in libro Iob. Sed præstat priorē hanc partē versus cū sequenti connectere, *Quando facies de persecutoribus meis iudicium?* & vtranque restringere ad Dauidis afflictiones: acsi dixisset, Domine quousque tibi decretum est seruum tuum subiicere impiorum libidini? & quando tandem eorū sæuitiæ & furori te oppones vindicem? Scriptura enim hoc sensu nomen dierum sæpe accipit, vt dies Ægypti, & dies Babylonis, & dies Ierosolymæ, Infra 137.b.7. Quod alibi dicitur tempus visitationis. Vide Esaiam 10.a.3. Plurali autem numero certum & præscriptū tempus designat, quod alibi comparat diebus mercenarii, Iob 14.b.6. & Esa.16.a.4.c.14. Nō ergo in genere caducā hominum vitam deplorat, sed de sua militia conqueritur, quam sua opinione nimis logam sustinuerat: ideóque nō abs re finiri cupit. Etsi autem expostulet cum Deo de sua molestia, non tamē id facit contumaciter, vel obstrependi affectu: sed rogans quousque sibi necesse sit pati, modestè precatur ne Deus opem ferre differat. Quod verò eum ad vindictam suo voto solicitat, alibi vidimus quomodo hanc precem concipere licuerit: nempe quòd vindictam appeteret qualis propriè Deo conuenit. Certum est enim depoluisse vitiosus omnes carnis affectus vt puro & liquido zelo expeteret Dei iudicium. Etsi in genere hic tātùm optat interposita Dei manu se ab inimicis liberari: non autem exitio dari suos aduersarios. Nam satis habet modò vindex appareat Deus.

85 *Foderunt mihi superbi foueas.* [m] Queritur de persequutione subdola & insidiosa, qua venati sunt ipsum hostes quos habebat. Vtitur autem similitudine eorum qui feris foueas parant & abscōdunt, vt in illas dum pastum sequuntur incidant & capiantur. [c] Acsi diceret nō modò aperta vi & gladiis in perniciem suam fuisse grassatos, sed malitiosè & per insidias, vel clandestinis artibus captasse quomodo eum perderēt. [a] Ita pii nō modò apertis persequutionibus obnoxii sunt, sed etiā fraudibus & vafritiei hominum, qui omnē mouent lapidem vt eos penitus disperdant. *Quod non est secūdum Legem tuam.* [c] Hoc pertinet ad prouocandam Dei misericordiam: quia eo propensior est Deus ad suos iuuandos, vbi vnà cum eorum salute violari Legem suam videt. Interea suæ innocentiæ testimoniū reddit, quòd nihil tale de ipsis fuerit meritus, & quicquid machinati sint, patienter se continuerit. Neque enim tentasset quod sciebat Legi Dei esse aduersum. [v] Dicit ergo se, quanuis nō modò violenter sed etiam malis artibus & calumniis oppugnatū, non tamē retaliasse iniurias, nec dolis & malitia cum ipsis certasse: quòd videret id contrarium esse Legi diuinæ.

86 *Omnia mandata tua, veritas.* [m] Adhuc de inimicis suis queritur, [c] & iterum cōfirmat se, quibuscū que modis vexatus fuerit, nō fuisse variis cogitationibus distractum: quia fretus Dei verbo, de eius ope nō dubitauerit. Ac primò quidē refert quo clypeo ad excipiendos omnes insultus munitus fuerit: nempe quòd fœliciter sub Dei auspiciis militēt fideles: quia salus quā ex eius verbo sperant, minimè dubia est. Hac ratione prædicat vera Dei esse mandata. Quo elogio significat extra periculum esse qui in Dei verbum recumbunt, vt hæc fultura nos rectis animis sustineat. *Fallaciter me persequuntur.* [a] Vel, sine causa. Immeritò. [e] Intelligit nullam ab illis habitam fuisse æquitatis rationem. [a] Atque ita confert fidem præceptorum Dei cum iniquitate causæ, ob quam impii sanctos persequūtur. Semper enim præcepit pietatem & iustitiam, quum nihil aliud eorum in sanctos accendat, quàm quòd hi piè & innocenter vitam suam instituūt. *Adiuua me.* [a] Ex tam iniqua & scelerata hostium suorum perfidia liberationis fiduciam concipit: quia proprium Dei munus est pauperibus iniustè oppressis succurrere.

87 *Fere consumpserunt me in terra.* [v] Vel, Propè perdiderunt me in terra. Id est, parum abest quin me in terram deiectum perdiderint. *Ego tamen non dereliqui statuta tua.* [c] Paulo diuersis verbis repetit quod nuper dixerat, versu 83, quantumuis duriter tentatus fuerit, se tamē in gradu suo stetisse: nempe quia pietatem non deseruit. Dum illi (inquit) illaqueare conarentur, humique sternere adniterentur, ego à tuæ Legis præscripto ne vnguē quidē transuersum discessi. [a] Quanquā autē hoc semel esse dictū sufficeret, si tamen nobis in mentē veniat nostra imbecillitas, fatebimur non esse superuacuā doctrinam. Nec verò extremis tantùm certaminibus cōcussi Legē Dei obliuiscimur, sed maior pars antequam manus conserat, diffluit. Quo magis notandum est hoc mirabile Prophetæ robur, quòd ferè semimortuus nō tamē desierit assidua Legis meditatione animū suū focillare. Nō frustra etiā inseruit, hoc factū esse in terra: subest enim tacita cæli cōparatio, acsi diceret, Quū se vndique in terris ingererēt mortis terrores, se mētem sursū extulisse: quia si fides in cælū pertingat, facile erit ex desperatione emergere.

88 *Secundum bonitatem tuam viuifica me.* [v] Id est, Vitam quā mihi dedisti conserua. Alii, Recrea me. [a] Orat & hoc versu vt tandem liberatus è manu hostili, seruire Domino possit in sanctitate & iustitia. [c] Interea vitam suam in Dei misericordia locat: non solùm quia sibi humanæ fragilitatis erat conscius, sed quia mille mortibus quotidie se obiici videret, imò submota Dei virtute exanimis iaceret. Sic alibi dicebat,

In manu tua tempora mea, Suprà,31.c.16. *Et custodiam testimonium oris tui.*[c] Promittit his verbis, vbi restitutus fuerit, se gratum fore, neque id lingua modò, sed tota vita. Nam sicut Dei auxilia quibus nos à periculis liberat, totidé sunt nouæ vitæ, ita æquum est, quicquid temporis nobis prorogat, in eius cultum dicare. Quum Lex vocatur testimonium oris Dei, hoc elogio præclare asseritur eius authoritas.

89 ל *In æternum Iehoua verbum tuum permanet in cælis.*

90 ל *In generationem & generationem veritas tua: firmasti terrã, & consistit.*

91 ל *Ad iudicia tua perstant hucusque: quia omnia sunt serui tui.*

92 ל *Nisi Lex tua delectationes meæ fuissent, tunc periissem in afflictione mea.*

93 ל *In seculum non obliuiscar statutorum tuorum, quia in illis viuificasti me.*

94 ל *Tuus sum ego, serua me: quia statuta tua quæsiui.*

95 ל *Me expectant impii ad perdẽdũ me, testimonia tua cõsiderabo.*

96 ל *In omni perfectione vidi finem: latum mandatum tuũ valde.*

89 *In æternum Iehoua verbum.* [y] Variè exponitur hic versus. [c] Quidam ita exponunt acsi Dauid hoc proferret documentũ veritatis Dei, quia stabilis ac fixa sit cœlorum conditio. [y] q.d. Quæ semel dixisti, non soles retractare: quod cœli testantur, qui permanent, quia olim dixeris, Sint cœli. Et huic sensui fauere videtur quod sequenti versu dicitur, Fundasti terram, & perstat. [c] Alii magis coactũ sensum afferũt, quòd veritas Dei certior sit quàm sit ipse status cœlorum. Atqui videtur Propheta aliud prorsus velle. Quia enim nihil in terra firmum ac diuturnum cernimus, mẽtes nostras in cœlum attollit, vt illic figãt suam ancoram. Certè poterat Dauid (sicuti aliis pluribus locis) dicere, totum mundi ordinem de constantia verbi Dei testari: (quod verissimum est) sed quia periculum erat ne suspẽsæ hærerent piorum animæ, si certitudinem proponeret in mundo, vbi variæ sunt agitationes, eam in cœlis locans, domiciliũ tribuit nullis mutationibus obnoxium. Ergo nequis verbũ Dei ex intuitu tot reuolutionũ æstimet, tacite opponitur cœlum terræ: acsi dictum esset salutem nostram, quatenus inclusa est in verbo Dei, nõ esse versatilẽ, vt sunt omnes res terrenæ, sed stare in tuto & tranquillo portu. Idem Propheta Esaias paulo diuersis verbis docet, Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri, Cap.40.b.6. Nam Petro interprete (1.epist.1.d.24) significat salutis certitudinem in verbo esse quærendam: ideoque perperam facere qui in mundo subsidium: quia verbi Dei firmitas mundi naturam longè transcendit.

90 *In generationem & generationem veritas tua.* [a] Vel, Fides tua. Proximam sententiam repetit & confirmat hoc versu. disertè enim admonet, quanuis ad momentũ versentur fideles in terra quasi inquilini, & statim diffluant, vitam tamen eorum minimè caducã esse, quia ex incorruptibili semine sunt regeniti. Quanquam vltra progreditur Propheta. nam sicuti prius fide nos iussit in cælum penetrare, quia in mundo nihil reperiemus vbi tutò quiescere liceat: ita nunc rursum ab experientia docet, quanuis voluatur mũdus, claris tamẽ & insignibus Dei testimoniis in eo quoque fulgere Dei veritatem, vt stabilitas verbi non tantùm inclusa sit in cælo, sed ad nos vsque perueniat. Hac ratione addit, *Firmasti terram, & consistit.* [y] Asserit terram, sicuti à Deo fundata est, firmam manere: acsi diceret, Domine, etiã in ipsa terra, quasi in speculo, visibilis nobis est verbi tui veritas: quia licet suspensa sit in medio mari, retinet tamen suum statum. Hæc igitur duo inter se optimè conueniũt, verbi Dei constantiam ex statu terreno minimè æstimandam esse, qui subinde fluctuat, & instar vmbræ effluit: rursum tamen ingratos esse homines, nisi hanc eandem sententiã ex parte agnoscant in mundi opificio: quia terra, quæ alioqui momẽto vno non staret, firma tamen manet: quia fundata est verbo Dei. Iam non est cur obiiciat quispiam, difficile esse Dei veritatem extra mundum quærere, quia nimis longè ab hominum sẽsu remota esset. Occurrit enim Propheta, quanuis in cælo habitet, signa tamen ante pedes nostros conspicua extare, quæ nos pro modulo nostro & ruditate ad perfectam eius notitiã paulatim attollant. Sic Propheta ab vna parte hortatur nos vt fide superemus totum mundum, vt verbo Dei constet iusta firmitas, quæ fidem nostram fulciat: ab altera parte admonet, nos minimè esse excusabiles nisi ex ipso terræ aspectu cognoscimus Dei veritatem, quum se ad pedes vsque nostros extendat. Priore membro reuocantur homines à vanitate sensus sui: altero subleuatur eorum infirmitas, vt quod in cælo plenius quærendum est, in terra degustent.

91 *Ad iudicia tua perstant.* [a] Vel, In iudiciis tuis permanẽt. *Hucusque.* [c] Vel, Quotidie. Vel, singulis quibusque diebus. Intelligit Propheta totius naturæ ordinem solius Dei imperio vel decreto, niti. Nam iudicia nominans ad Legem ipsam alludit: acsi diceret vbique fulgere rectitudinem illam quæ in Lege Dei patefacta est. Vnde sequitur, nimis peruersos esse homines quum infidelitate sua Dei fidem quantum in se est concutiunt & labefactant, in quam recumbunt omnes creaturæ: deinde quum sua contumacia violant Dei iustitiam, & vim præceptis abrogãt, in quibus fundata est tota mundi firmitas. *Quia omnia sunt serui tui.* [a] Quidam, Omnia seruiunt tibi. [c] Quanquam dura est loquutio omnia elemẽta esse Dei seruos, plus tamẽ exprimit Propheta quàm si dixisset omnia esse disposita ad præstandũ Deo obsequiũ. Quomodo enim aer qui tã fluidus est, assiduè spirãdo nõ se consumeret? Quomodo aquæ fluendo nõ deficerent, nisi arcanum audirẽt Dei imperium? Fide quidẽ percipimus mundum stare Dei imperio, sed quicunque præditi sunt aliqua intelligentiæ gutta, ex claris documentis idem colligũt. Sit ergo hoc nobis penitus infixũ, arcana Dei virtute sic omnia foueri vt in statu suo retinendo verbum eius vel mãdatũ audiãt. Tenendus enim est semper Prophetæ scopus, veritatem Dei, quæ in externis eius operibus refulget, per gradus nos altius deducere, vt indubia sit cælestis doctrinæ veritas. [u] Cogitandum hic primùm de maiestate Dei, cui omnia quæ in cælo sunt & in terra, præstò sunt ad seruiendũ. Deinde quãta sit peruersitas quia homo ad imaginem Dei conditus, solus vnà cum reprobis Angelis ab obedientia Dei defecit: vt quod de reliquis Dei creaturis prædicatur, de illo prædicari nequeat nisi singulari gratia reparetur. Vide Rom.5.b.19.

92 *Nisi Lex tua delectationes.* [a] Tandem suæ doctrinam continuat Propheta: quia sibi pereundum fuisse dicit inter malis suis ex Lege Dei solatium quæsisset. [u] q.d. Virtus illa verbi tui quæ continet omnia, etiam mihi in afflictione mea succurrit. Illius enim delectatione recreor & confirmor, ne planè & animo & corpore concidam. *Tunc periissem.* [y] Vox Hebræa אז propriè significat Tunc, sed interdum accipitur pro longo tẽpore. Propterea quidam non malè vertunt Pridem: hoc sensu, Nisi me oblectassem Lege tua, pridem de me actum fuisset. [c] Nisi cui magis placeat emphaticam esse demonstrationẽ, acsi adhuc in re præsenti foret. Proprio autem experimẽto confirmat quod prius dixit, vt appareat non de rebus incognitis eum loqui, sed asserere quod reipsa didicit ac expertus est, nullum scilicet aliud in rebus miseris solatium & remedium esse nisi dum acquiescimus in verbo Dei, gratiámque illic oblatã & salutis nostræ testimonium ãplectimur. Certũ verò est, idem verbum quod nuper in cælo manere dixit, nunc celebrari. Quia etsi in terra personet, penetret in aures nostras, cordibus insideat: retinet tamen cælestem naturã: quia sic ad nos descendit vt non subiaceat mundi inclinationibus. Declarat autem Propheta se afflictionum mole fuisse grauatũ, quæ penitus obruere eum possent: solatium verò quod ex Lege recepit, in tanta desperatione sibi fuisse vitæ loco. [u] Videmus ergo insignẽ verbi Dei vsum. Admonet enim Propheta vnde petenda sint malorum solatia, dum tribulamur & affligimur, vnde cõfirmanda sit fides ac religio nostra, dũ inter idololatras & superstitiosos est viuendũ ne illorum consortio à veritate Dei abducamur, ac perdamur. Quod vtinam probe expenderẽt ii quibus viuendum est inter Turcas & pseudochristianos. [a] Nam illis verbũ Dei in mediis illis ãgustiis summa oblectatio esset, atque ita Satanæ laqueus facilè euaderent.

93 *In seculum non obliuiscar.* [c] Continet hic versus gratiarum actionem. Quia enim salutem attulerat Lex Domini, promittit se nunquã fore eius immemorẽ. [y] q.d. Æternũ tuum est verbum, æternæ promissiones, æterna Lex, æterna erga homines benignitas, cuius beneficio tot à periculis ereptus, nunquam ero ingratus: nec iam præclari doni viuã immemor, sed Legis tuæ, à qua vitam adeptus sum, perpetuò recordabor. *Quia in illis viuificasti me.* [u] Id est, Animũ meum recreasti, ne in extremam impietatem vel desperationis barathrũ incidam. [c] Hic Propheta se & alios admonet quàm necesse sit in animo fouere Legis Dei memoriã. quia etsi viuificam esse experti sumus, facile tamen obrepit eius obliuio, cuius postea iustam pœnam luimus dũ nos sinit Deus in tristitia nostra tabescere.

94 *Tuus sum ego, serua me.* [c] Iam Propheta hinc precandi fiduciam sumit, quòd sit in ære & peculio Dei, vt loquũtur: [u] acsi diceret, Quanuis eiectus sim è medio populi tui, quasi ad hæreditatem tuam non pertineam, sum tamen tuus, non sum deorum Gentium. Non enim illorum superstitioni & impietati seruio, sed statuta tua amplector & seruo: quapropter oro, serua me tanquam seruũ tuum, ne sinas me extra populum tuum inter alienos perire. *Quia statuta tua quæsiui.* [y] Vel (vt quidã vertunt) quæro. [c] Probat ab effectu se Dei esse, quia eius mandata custodiat. [b] Nam tum nos Dei esse probamus quum Legi eius studemus, eodémque studio (vt modò dixit) ab improborum vi & dolis seruamur. Considerantes enim quæ de Deo nobis Lex prædicat, statim videmus quòd omnes quæque improbos qui nos ro-

opus est vt pedes suos à vagando fideles prohibeant. Improborum pedes leues sunt admodum ad effundendum sanguinem, & ad quiduis mali perpetrandum, (Prouerb.6.b.8.) at piorum pedes ad bonum festinant.

102 *A iudiciis tuis non declinaui.* [a] Vel, Non recessi. Quidã, A iudiciis tuis non discedo. Prædicat Dauid hoc versu constantiam suam in studio seruandæ Legis. Dicit igitur, ex quo viuendi rationem à Deo accepit, se tenuisse rectum cursum. Iamquũ tam lubrica sit via, & pedes tam infirmi, totumque ingenium ad innumeros errores flexibile, nõ leui conatu ad nos retinendos opus est, ne deflectamus à iudiciis Dei. *Quia tu docuisti me.* [b] Præteritum Hebræũ pro præsenti, vt quidam volunt; Quia doces me. Alii, Legem (siue normam) præscripsisti mihi. Refert Deo acceptum quòd non deflexerit à studio diuinæ Legis. [c] Notandum est autem quale doctrinæ genus designet. Etsi enim promiscuè docentur omnes quibus proponitur Dei verbum, vix decimus quisque eius gustum capit: vix autem centesimus eousque proficit vt ad extremum in recto cursu pergat. Peculiaris ergo hic docendi modus notatur, nempe quòd electos suos Deus intus ad se trahit: acsi diceret Propheta se arcano Spiritus instinctu in viam salutis fuisse adductum, & in eadem retentum fuisse.

103 *Quàm dulcia fuerunt.* [a] Vel, sunt. [c] Quod aliis verbis dixerat iterum repetit, se dulcedine Legis Dei sic fuisse captũ vt non aliam oblectationem appeteret. Nam fieri quidem poterit vt tangatur quispiam aliquo reuerentiæ sensu, sed nemo alacriter Legem sequetur nisi qui hãc suauitatem conceperit. Deus autem non seruile obsequium à nobis exigit, sed vult hilariter ad se venire. Quæ ratio est vt Propheta toties in hoc Psalmo commendet verbi Dei dulcedinem. [a] Veluti quum alibi dicit, Desiderabilia magis quàm aurũ, & quàm aurum multum, & dulciora melle, &c. Suprà 19.b.11. [b] Sed quæritur cur nõ potius dicat Propheta, Quàm iucunda sunt auribus meis eloquia tua, quàm quòd illa faucibus & ori suo dulcia esse canit. Responsio. Conuenit quidem vt loquente Deo per ora ministrorum suorum, simus auditores, & eloquia Dei auribus nostris omnium sint iucundissima. Verùm & illud piorum exercitium est vt de eloquiis Dei disserãt, & verba illorum sic sint faucibus ipsorum dulcia vt quouis mellis fauo suauius afficiãt & oblectent. [c] Sed altera quæstio difficilior nascitur, quomodo dicat Propheta tam suauiter se oblectatum fuisse Dei Lege, quæ (teste Paulo 2. Cor.3.c.9.) nihil quàm formidinem incutit. At facilis solutio est, Prophetam non loqui de mortua litera, quæ lectores suos occidit, sed complecti totam Legis doctrinam, cuius præcipua pars est gratuitum salutis fœdus. Paulus Legem Euangelio comparans, tantùm attingit præcepta cum minis. Atqui si tantùm præcipiat Deus, & maledictionem denunciet, totum eius sermonem mortiferum esse certũ est. Propheta autem Euangelium Legi non opponens, adoptionis gratiam, quæ in Lege offertur, meritò melle sibi dulciorem esse asserit. hoc est, nullas sibi delicias fuisse pares. Iam memoria repetendum est quod alibi diximus, Legem Dei nobis esse insipidam, vel saltem nunquam ita nobis dulcem esse vt à voluptatibus carnis nos reuocet, donec cum proprio ingenio strenuè luctati simus ad domandos qui in nobis regnant affectus carnis. *Super mel ori meo.* [f] Mellis nomine summam suauitatem & voluptatem intelligit. q.d. Quàm suauem gustum meo adseruot palato verba tua. certè suauius id est quàm quem mel illum æquare possit.

104 *A statutis tuis intellexi.* [a] Vel, Ex præceptis tuis intelligentiam mihi comparaui. Ad verbum, intelligam, futurũ Hebræum pro præsenti, Intelligentiam mihi comparo, vel, Intelligens reddor. Vel, pro præterito, Redditus sui prudẽs. *Propterea odi omnem semitam falsitatis.* Id est, fallacem. Alii, semitam mẽdacii. [m] Intelligit studia mendacia, subdola & falsa, quibus addicti erant ipsius hostes. [a] Asserit se Legem Dei edoctum integritati studuisse, & omnem impietatem odio habuisse. [c] Videtur tamen inuertere ordinem quem nuper posuit, versu 101. Dicebat enim se prohibuisse ab errore pedes, vt seruaret Legẽ Dei: nunc diuersam rationem ponit, initium faciens à Legis obseruatione. Dicit enim se prius edoctum fuisse à verbo Domini quàm vitia sua corrigeret. Duo tamen hæc non malè inter se conueniunt, quòd fideles sese ab erroribus colligant, & vitã formẽt ad regulã verbi Dei: vbi autẽ iã progressi sũt, quatenus viget in ipsis Dei timor, maiori odio habere incipiant & acrius detestari omnia scelera. Et certè hoc bene viuẽdi est exordiũ, vt quisque se à vitiis purgare studeat, quo autẽ quisque melius profecit, maiore zelo feratur in vitiis detestandis & fugiẽdis. Porro docemur Prophetæ verbis, ideo passim homines inuolui mendaciis, prauisque erroribus irretiri, quia nõ verè ex Dei verbo sapiunt. Quum totus mundus desipiat, hoc errantibus subterfugium est, sibi à fallaciis cauere, nimis esse difficile. Atqui remedium in promptu erit si Prophetæ sequamur consilium, hoc est si propriæ prudentiæ non innixi, intelligentiã petamus ex Dei verbo, vbi non tantùm ostendit quid rectum sit, sed munit etiam ac prouidos reddit contra omnes fallacias Satanæ, & mundi imposturas. Atque vtinam hoc eorũ animis qui se fideles hodie iactant, penitus esset infixum. Neque enim tãta leuitate maior pars huc illuc subinde ad varios opinionum motus fluctuaret. Nos verò, quum tam sedulò incumbat Satan ad spargendos errorum fumos, huic prudentiæ maiorem demus operam.

105 נ *Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen semitæ meæ.*
106 נ *Iuraui & stabiliam ad seruandum iudicia iustitiæ tuæ.*
107 נ *Afflictus sum usque valde Iehoua, viuifica me secundum verbum tuum.*
108 נ *Voluntaria oris mei tibi quæso placeant Iehoua, & iudicia tua doce me.*
109 נ *Anima mea in manu mea semper, & Legis tuæ nõ sum oblitus.*
110 נ *Posuerũt impii laqueũ mihi, & à statutis tuis non erraui.*
111 נ *Hæreditatis loco habui testimonia tua in æternum: quia lætitia cordis mei sunt.*
112 נ *Inclinaui cor meum ad faciendũ edicta tua in perpetuum in finem.*

105 *Lucerna pedi meo verbum tuum.* [a] Vt qui in tenebris ambulat, semper offendit: ita vbique peccat cui nõ prælucet Lex Dei. [c] Testatur ergo hoc versu Propheta Legem Dei sibi fuisse bene viuendi magistram ac directricem: nobisque omnibus suo exemplo eandem præscribit normam. Nam dum sequitur quisque quod visum est, incidimus in horribiles labyrinthos. *Et lumen semitæ meæ.* [b] Rem eandem bis canit. Idem enim est esse verbum Dei lucernã pedibus quod lucẽ semitæ. [a] Sed vt certius teneamus mentem Prophetæ, notandum est omnibus humanis consiliis opponi Dei verbum. Nam quicquid iudicat mundus rectum esse, hoc coram Deo sæpe obliquum ac peruersum est: cui non alia probatur vitæ institutio quàm quæ exigitur ad Legis suæ normam. Nec verò aliter dirigi potuit Dauid verbo Domini quàm prius renuntiasset carnis prudentiæ: sicuti hoc nostræ docilitatis principium est. Sed metaphorã qua vtitur, plus aliquanto explicet: nempe, nisi præluceat Dei verbum, totam hominum vitam tenebris & caligine implicitam esse, vt nihil quàm miserè vagari queant. deinde vbi nos dociles subiicimus Legi Dei, extra errandi esse periculum. Nam si ea esset verbi obscuritas de qua blaterant Papistæ, falso & emẽtito elogio ornatũ esset à Propheta. Sciamus ergo certam lucem illic nobis monstrari, modò aperiamus oculos. Eandem sententiam clarius expressit Petrus, fideles laudans quòd attendant sermoni Prophetico, tãquam lucernæ in loco caliginoso ardenti, 2.epist.1.d 19. [f] Et sanè, quemadmodũ ii qui in labyrintho aliquo diuagantur, frustra exitum sperant absque lumine: ita in infinitos prorsusque inextricabiles impingere peccatorũ mæandros illos necesse est qui vitam hanc ærũnosam sine verbi Dei luce posse viuere somniãt. [h] Porro si verbum Dei lux est, quid est verbum hominum nisi caligo? Nemo itaque miretur qui fiat quòd illud à filiis huius seculi respuitur, istud verò cupidè acceptatur. In promptu ratio est, diligunt homines magis tenebras quàm lucem, Ioh.3.c.19.

106 *Iuraui & stabiliam.* [a] Vel, præstabo. aut, perficiam. q.d. Obstrinxi tibi fidem meam: neque id feci vt statim mutarem consilium, sed quod semel decreui, manet fixum in corde meo, nempe vt custodiam &c. [c] Iterum de sua constantia loquitur, & quemadmodum nuper retulit se tota vita non deflexisse à Lege Dei, ita nunc agit de mentis suæ proposito. Iurãdi verbo significat se fidem Deo obstrinxisse, ne mutaret consilium. Nã hæc vera est seruãdæ Legis ratio, ex animo suscipere & amplecti quod præcipit, & quidẽ æquabili tenore: ne ardor noster (vt sæpe fieri solet) statim lãguescat. Hæc eadem est legitima vouendi regula, offerre nos Deo vnãmque nostram dicare. Quæri tamen potest annon temeritatis damnandum sit Prophetæ iusiurandum, qui sibi longè plus sumere ausus est quàm ferat hominum facultas. Quis enim par erit seruãdæ Legi? Temere ergo prosilit ad nuncupãdum votum qui rem impossibilem Deo promittit. Sed facilis responsio est, Quoties aliquid Deo promittunt fideles, non respicere quid per se valeat, sed inniti gratiæ Dei, cuius est præstare quod à nobis exigit, dum scilicet vires à Spiritu suo suppeditat. Cæterùm præter Spiritum non possunt quicquam vouere vbi Deo obsequendum est. Neque enim ad cogitandum sumus idonei (vt inquit Paulus 2. Corinth.3 b 5.) sed quia Deus manum nobis porrigens, iubet bono & alacri animo esse, & se nobis nunquam defore asserit, hine illa fiducia iurandi. Nec verò vlla est

te veritas, vbi promissionibus Dei confisi, quibus nos præuenit, vicissim nos offerimus in obsequium. Nondum tamen soluta est quæstio: quia vtcunque filii Dei per Spiritus gratiam emergant tentationum omnium victores, laborant tamen semper aliqua infirmitate. Sed notandum est, in votis & promissionibus fidelium non modò comprehendi pactum illud quo Deus se facturum recipit vt ambulemus in præceptis suis: sed alterum quod simul additur de gratuita venia, Ezech.11.d.20. Quare fidem de seruanda Lege pro gratiæ sibi datæ mensura obstrinxit Dauid, secundum illud Prophetæ, Parcam illis quemadmodum parcere solet pater filiis sibi seruientibus.

107 *Afflictus sum usque valde.* [M] Iterum Propheta recordatur afflictionum suarum. Non poterat eas obliuisci quoties verbi Dei recordabatur, cuius gratia in eas afflictiones inciderat. *Vsque valde.* [V] Vel, vehementissimè. [D] Docet hæc particula Deum non ita molliter fouisse in sinu suo Patres sub Lege quin duris tentationibus eos exercuerit. Neque enim leuiter & vulgari modo Dauid se afflictum fuisse dicit, sed supra modum. [A] Sicuti etiam vidimus Suprà, 22.c.13.d.14, & 69.a.2.3. *Iehoua viuifica me.* [V] Id est, Defatigatas vires meas restitue, sicut pollicitus es. Indicat se morti propinquum fuisse, & mortuo similem. [C] Simul tamen innuit, quamuis à morte fuerit obsessus, se tamen non succubuisse, quia in Deum recubuerit. Quod diligenter notandum est. nam vt initio suppetat alacritas ad Deum inuocandum, si ingrauescit tentatio, flaccescunt animi, extremo autem metu extinguitur fiducia. Atqui Propheta gratiam Dei implorat, non qua seruetur integer in vita, sed qua vitam amissam recuperet. Obseruanda est etiam pars ista, *Secundum verbum tuum.* quia frigebit inuocatio, imò nulla erit, nisi in mœrore & angustia promissio Dei fiduciam addat. Denique non patebit accessus ad precandum nisi hæc clauis ad manum sit.

108 *Voluntaria oris mei.* [V] Vel, spontanea. sub. sacrificia. [C] Potest hic versus tam vno contextu legi quàm distingui in duo membra. Prior sensus esset, Suscipe sacrificia mea in hunc finem vt me præcepta tua doceas. Si magis placeat distinctio, diuersæ erunt precationes: vt sacrificia Deus grata habeat, deinde Prophetam instituat in doctrina Legis. Probabilior est prior sententia. Asserit enim Propheta (sicut alibi vidimus) sibi nihil fuisse potius quàm probè tenere Legis doctrinam. acsi diceret, Suscipe Domine pro tuo beneplacito quæ offero sacrificia. Et quoniam hæc summa est votorum meorum vt in Lege tua rectè instituar, huius tam optati boni fac me compotem. Notandi autem sunt loci omnes vbi aliis omnibus mundi beneficiis præfertur cœlestis doctrinæ cognitio. Et certè quum æternæ salutis pignus in se contineat, pro incomparabili thesauro non abs re ducenda est. Longius tamen orditur Propheta, vt Deus cultum suum probare ac suscipere dignetur. [M] Porrò notandum est, in Lege quæ fuerint Israelitis sacrificia præcepta, quæ pro peccatis, & quæ נדבות, id est spontanea. Verùm hic locus de eo sacrificiorum genere notandus, quod nullæ tribulationes ac rerum penuriæ impedire possunt, & quod nullum externum templum requirit, sed in locis desertis & inter ipsos Ethnicos ab homine pio offerri potest. Et hæc sacrificia oris Deus ipse pluris facit quàm si omnes ipsi totius orbis pecudes mactarentur, & cuncti auri & argenti ac lapidum pretiosorum thesauri offerrentur. Qua de re vide plura Suprà, 50.c.14, & Hoseæ 14.a.3. *Et iudicia tua doce me.* [B] Frequenter orat iudiciis & testimoniis Dei doceri, sciens nihil vtilius sibi contingere posse quàm si addictus est diuinæ Legis studio, & in ea perfectè edoctus. [M] Q.d. Vt tuæ me voluntati totum accommodem, sancta tua iudicia doce me.

109 *Anima mea in manu.* [V] Hebraismus, pro, In discrimine semper versor, & de vita periclitor, acsi anima mea esset vento exposita. [C] Docet his verbis, nullis ærumnis, afflictionibus vel periculis se alienatum fuisse à Dei cultu & Legis obseruantia. [C] Eadem loquutione vtitur Iob, dum queritur se in malis tabescere, & in singula momenta mortem expectare & metuere. Cur (inquit) animam meam ponam in manibus meis? Iob 13.b.14. acsi diceret, auulsam à suo domicilio subiicere mortis imperio. Perperam igitur ab indoctis torquetur in absurdum sensum: acsi diceret Propheta in arbitrio suo esse vitæ suæ regimen. Quin potius hac circunstantia pietatem suam commendat, quòd licet inter naufragia iactetur, & centum mortes versentur ante oculos, vt ne momento quidem securus quiescat, non tamen abiiciat studium Legis Dei. Hic rursus notandum est quam duris certaminibus probati fuerint Patres sub Lege, ne discrimina & metus nos absterreant, vel tædio debilitent quominus animis nostris insideat Legis Dei memoria.

110 *Posuerunt impii laqueum mihi.* [M] Sub alia similitudine idem dicit quod suprà, versu 85. [C] Simúlque propius designat quomodo vitam suam gestauerit in manu: nempe quòd vndique improborum insidiis conclusus spem vitæ ferè nullam cerneret. Diximus autem alibi quàm difficile sit, vbi suis captionibus perniciem nobis intentant hostes, non errare à viis Domini. Nam & libido carnis ad retaliandum nos incitat, nec vllus tandem vitæ nostræ modus apparet, nisi certemus iisdem artibus quibus illi nos oppugnant: & fingimus nobis licitum esse vlulare inter lupos. Quo magis meditanda nobis est hæc doctrina, dum nos impii circumueniunt, nihil esse melius quàm sequi quò Deus vocat, nec quicquam nisi ex eius mandato tentare.

111 *Hæreditatis iure habui testimonia tua.* [V] Vel, hæreditate accepi. Dicit se prætulisse Legem omnibus aliis bonis. [C] Diximus autem hoc non frustra toties inculcari, quia videmus vt ferueant mundi libidines, quàm multiplici sollicitudine singuli æstuent dum innumera appetere non desinunt. Interea vix centesimus quisque mediocriter aspirat ad studium Legis Dei. Ergo Propheta, vt suo exemplo nos extimulet, dicit testimonia Dei tantæ sibi voluptati esse vt nihil pretiosius æstimet. Solus enim amor est qui pretium rebus conciliet. Ideo vt Legem Dei qua decet reuerentia colamus, ab hac delectatione incipere conuenit. Porro non mirum est testimonia Dei lætitiam afferre, quæ posthabitis & spretis aliis omnibus, nos sibi deuinctos teneant. Quid enim suauius quàm nobis cælos aperiri, vt liberè in Dei conspectum prodire liceat, dum nos sibi in filios adoptans peccata gratis condonat? Quid optabilius quàm audire ita nobis esse placatum vt vitæ nostræ curam suscipiat? Hoc breuiter attingere visum est, ne miremur Dauidem tanto affectu fuisse lætitia ex Lege Dei. [V] Similitudo qua vtitur, in Scripturis frequens est, vt hæreditarium vocetur quod præcipuam dignitatem tenet, vel præcipuum gradum. Hæc est mea hæreditas, dicunt Hebræi, acsi dicerent, Reliqua omnia facilè sperno, modò hoc mihi saluum maneat: quemadmodum sicui salua maneat sua hæreditas, domi quies est, reliqua sunt aduentitia. [A] Itaque significat Propheta, quæcunque adeptus fuerat bona, pro aduentitiis sibi esse, solùm cælestem doctrinam esse hæreditatis loco, quia tanta ipsam nihilominus æstimet: vt libenter aliis relinquat diuitias, honores, commoda, delicias, modò possideat incomparabilem hunc thesaurum. Non quòd in totum contemneret Dei beneficia quæ ad præsentis vitæ vsum spectant, sed quia lignum non tenebant eius animum. *Quia lætitia cordis mei sunt.* [M] Ex eo quod corde sentiebat, & omnium certissimè experiebatur, argumentum sumit vnde constet esse sibi testimonia Dei firmam hæreditatem. Q.d. Certissimè noui, ô Domine, testimonia tua esse mihi vice hæreditatis æternæ. Illis enim, perinde atque opima quadam ac splendida hæreditate, delector, & exercitio illorum exhilaror. Hoc argumentandi genere admonemur quo experimento constare nobis possit quonam loco nobis sit diuini verbi veritas. Testentur de illo cordis nostri affectus.

112 *Inclinaui cor meum ad faciendum.* [B] Studium & amorem suum erga Legem iterum memorat, & quidem perpetuum, in eo enim iustitia omnis sita est. [C] Simulque describit probam Legis obseruantiam, dum scilicet hilariter & ex animo nos accingimus ad præstandum quod iubet: quia seruile & coactum obsequium à contumacia parum differt. Propheta ergo, vt breuiter definiat quid sit Deo seruire, non tantùm manus, oculos, vel pedes se applicuisse dicit ad Legem seruandam: sed cœpisse à cordis affectu. Quanquam pro verbo inclinandi non malè etiam congrueret, Extendere cor. Sed sensum magis receptum tenemus, quòd propenso studio ad seruandam Legem accesserit. Cæterùm hæc cordis inclinatio vagis cupiditatibus opponitur, quæ contra Deum exultant, & nos quouis potius rapiunt quàm inclinent ad rectè agendum. [M] Porro Dauid prius dixerat versu 36, Inclina cor meum ad testimonia tua. Et hic de seipso testatur, dicens, Inclinaui cor meum ad &c. Quid ergo opus erat petere à Domino quod ipse alioqui fecisse se gloriatur? Respondeo. Non pugnant hæc inter se. Inclinat Deus, inclinat homo pius. Inclinat homo conando: inclinat Deus efficiendo. nec illud quod homo conatur, & ad bonum conando luctatur, ex homine est, sed ex Deo. [C] Quòd ergo Papistæ ad probandum liberum arbitrium hoc gladio se armant, nugatorium est. Colligunt ex Prophetæ verbis, in potestate hominis esse cor suum flectere in vtranque partem. Sed facilis solutio est, Prophetam hic non iactare quid propria virtute fecerit. Nam idem nunc verbum repetit quod paulo antè posuerat, quum diceret, Inclina cor meum &c. Si non fuit hæc simulata precatio, certè confessus est proprium esse opus Spiritus sancti, corda nostra in bonum inclinare & formare. Sed minimè nouum est nobis adscribi quod Deus in nobis agit. Clarum est illud Pauli, Deum esse qui in nobis velle operatur, Philip.2.b.13. Sed Propheta cor se inclinasse dicens, non separat suum conatum à gratia Spiritus, cuius instinctu alibi testatus est id totum peragi. *In perpetuum, in finem.* [M] Hoc addidit Propheta vt melius propositi sui constantiam exprimeret. atque ita constantiam sui pii affectus ab euanido aliorum feruore discernit. Itaque dicit se de continuo vitæ cursu cogi-

tasse, ne in via fatiscat, vel etiam retrocedat. Dictio עקב exegeticè addita est ad לעולם: atque id vt sciremus fortiter fuisse luctatum cum obstaculis & difficultatibus, ne constantiam eius frāgerent. Neque enim sine arduo conatu quisquam in puro Dei cultu perseuerat. Quidam pro mercede accipiunt, sed nimis remotum videtur.

113 ס *Cogitationes (obliquas) odio habui, & Legem tuam dilexi.*
114 ס *Latibulum meum & clypeus meus tu: in verbo tuo speraui.*
115 ס *Declinate à me scelesti, & custodiam mandata Dei mei.*
116 ס *Sustenta me in sermone tuo, & viuam: & ne pudefacias me ab expectatione mea.*
117 ס *Confirma me, & saluus ero: & considerabo edicta tua iugiter.*
118 ס *Conculcasti omnes errantes ab edictis tuis, quia mendacium est dolus eorum.*
119 ס *Scorias cessare fecisti omnes impios terræ, propterea dilexi testimonia tua.*
120 ס *Horruit à timore tui caro mea, & à iudiciis tuis timui.*

113 *Cogitationes obliquas odio habui.* [b] Vel, Cogitationes sub. humanas. Vel, alienas à Lege tua. q.d. Cōmēta humana odi. Quidam vertunt, Cogitatores mala. [c] Sed rectius pro ipsis cogitationibus sumitur, hócque vsu magis receptum est. סעף propriè ramū significat: sed metaphoricè ad cogitatiões aptatur quia ex corde profectu, sicut rami ex trunco arboris, huc & illuc se extendunt. Quia autem minimè dubium est hoc loco sumi in malam partem, addidimus epitheton obliquas: atque hoc etiam requirit etymologia, sicuti rami arboris perplexi & implicati et diuersum feruntur, ita etiā per obliquos flexus cōfusè inter se misceri cogitationes. Nā quod ex Hebræis quidam Gentium leges intelligunt, quæ excisæ sunt tanquā rami à Lege Dei, argutum quidem est, sed infirmum. Retinendum ergo quod simplicius est, Legi Dei, quæ sola recta est, opponi tortuosa cordis humani figmēta, & quicquid ex peruerso sensu comminiscūtur impii. Et certè quisquis volet Legē Dei verè amplecti, in primis necesse erit vt prauis & vitiosis cogitationibus se abdicet, imò vt à proprio ingenio discedat. Nisi forte magis arrideat altera metaphora, vt שׂעפים altas cogitationes significet, quia verbum סעף pro extollere caput. Scimus autem nullum esse gratius Deo sacrificium quàm obedientiam, vbi nihil sublime ex nobis sapimus, & docilitas nostra ab humilitate incipit. Quia tamen hæc quoque expositio videri posset longius petita, ab ea supersedemus. Sufficiat nobis quod diximus, nempe quia Deus nullos Legis suæ discipulos admittit, nisi qui vacui sunt & bene purgati contrariis omnibus figmentis, quæ mētem corrumpunt, Prophetam hic testari se inimicum esse obliquis cogitationibus quæ homines huc & illuc distrahere solent. *Et Legem tuam dilexi.* [b] Vel, diligo. [m] Obseruanda est hæc coniunctio odii ac dilectionis. Non possūt ista seiungi. etenim quisquis Legem Dei diligit, iniquos illius aduersarios non poterit nō odio prosequi. Qui Deum diligit, odit aduersarios Dei. Qui iustitiam diligit, odit iniustitiam. Qui tenebras amat, odit lucem: qui lucem diligit, tenebras auersatur. Sic comparata sunt contraria vt simul diligi aut odio haberi nequeant.

114 *Latibulum meum & clypeus.* [a] Vel, Absconsio mea & scutum meum. [m] Significat se ad fidem ac tutelā Domini quasi ad quoddam latibulum & scutum à facie aduersariorum suorum confugisse. [a] Quemadmodum alibi dixit, Tu latibulum mihi: à tribulatione custodies me, Suprà, 32.a.7. *In verbo tuo speraui.* [b] Vel, Verbum tuum expecto. Vel, In verbum tuum spem colloco. [c] Sensus est, quia persuasus erat Propheta non aliter se tutum esse nisi quatenus sub alis Dei absconditus latebat, se eius promissionibus confisum nihil metuere. Et certè hoc primum est vt statuant fideles vitam suam inter tot discrimina non aliter quàm Dei præsidio saluam manere, vt deinde ad ipsum confugiant, & verbo eius innixi securè expectent quam promisit salutem. Verum quidem est fiduciam hanc ex verbo cōcipi quòd Deus nobis sit pro asylo & clypeo: sed hæc mutua coniunctio tenēda est, nempe vbi ex verbo didicimus tutum in Deo nobis latibulum esse, hanc doctrinam in animis nostris foueri & confirmari dum sentimus quàm necessaria sit nobis defensio. Cæterùm quanuis eius potentia in spem salutis abundè nobis sufficere debeat, semper tamen verbum in medio statuere conuenit, ne tardante eius auxilio fides concidat. De spe quam in Dei verbo habere debent pii omnes, vide Suprà, versu 81.

Declinate à me scelesti. [a] Vel, Recedite à me maligni. Vel, noxii. [c] Quidam hunc versum ita exponunt acsi pronūtiaret Dauid, alacrius ac maiore studio fore se deditum seruandæ Legi vbi ab ipso oppugnando improbi destiterint. [s] q.d. Facessite procùlque abite ô maligni, quibus pro ludo est alienam turbare tranquillitatem ac quietem: ne mihi mādata Dei mei seruare cupienti impedimento sitis. [c] Et certè vbi Deū sensimus nobis fuisse liberatorem, plusquā stupidi sumus nisi notitia hæc studium eius colēdi in nobis incitet. Nisi enim pro sensu vel experimento gratiæ Dei crescat in nobis pietas, turpem ingratitudinem prodimus. Vera igitur & vtilis est illa doctrina. Sed aliud hoc loco Propheta voluit. quia enim videbat quantum obstaculi impii nobis afferant, procul eos à se ablegat: vel potius sibi curæ fore testatur ne se illaqueet eorum consuetudine. [m] q.d. Absit procul à me vt cum malignis & iniquis hominibus commercium habeam. Possent enim mihi obstaculo esse ne rectum in præceptorum Dei obseruatione cursum tenerem. [c] Hoc autem Propheta non tam sua causa dixit, quàm vt suo exemplo doceret, si cupimus inoffenso gradu pergere in via Domini, dādam in primis esse operam vt longissimè absimus à profanis & impiis, non locorum distantia, sed vsu & cōmunicatione: quia fieri vix potest, si familiariter ad nos obrepant, quin sua contagione protinus nos corrumpāt. Denique nimis clarum est quàm exitialis sit malorum societas. Atque hinc fit vt pauci ad finem vsque integri maneant, quia mundus refertus est corruptelis. In tanta autem naturæ infirmitate nihil procliuius est quàm inficì, & pollutionem ex minimo contactu contrahere. Quare meritò Propheta, vt sine offensa in Dei timore pergat, facessere à se iubet impios. Nā quisquis se eorum consuetudine implicuerit, successu tandem temporis fiet vt se cū illis proiiciat ad contēptū Dei, & vitam dissolutā. Atque huic dicto respōdet admonitio Pauli, Ne iugum ducamus cum infidelibus, 2.Cor.6.c.14. Quanquam autem non e-tanto arbitrio Prophetæ longè fugare impios, significat tamē his verbis sibi nihil fore posthac cum illis cōmune. [a] Sic pii omnes, quantum illis datur, debent impiorum concilia vitare, ne vnquam cum infructuosis operibus tenebrarum communicēt, Eph.5.c.11. *Et custodiam mandata.* [m] Videmus hic quomodo seria mandatorum Dei custodia consortium malorum & impiorum hominum ferre nequeat. Primùm enim non bene conueniunt diuersis ingeniis: nec tam disparia studia, quæ poterit esse societas? Pares enim cum paribus condelectantur. Deinde impedit huiusmodi consortium timor Dei, quo pius cohibetur ne propter impiorum societatem offēsam Dei incurrat. Tertiò accedit etiam cautio, ne consortio malorum, studium pietatis languidum reddatur, ac sensim extinguatur, fiátque degeneratio in studium impietatis & malitiæ. Hinc tamē nemo colligat auersādum esse prorsus peccatorum commerciū, quibus se Christus studiosè lucrifaciendi gratia coniunxit: nec vllus verè pius aliter animatus est quàm vt, si fieri queat, peccatores humanitate aliqua lucrifaciat. *Dei mei.* [c] Propheta emphaticè Deum suum nominat, vt testetur eū vnum sibi esse pluris quàm cunctos mortales. Nam quia videbat passim grassari in terra scelerum colluuiem, diuortium fecit cum hominibus, vt se ad Deum colligeret. Atque hodie magnopere interest, ne mala exempla nos abripiant, Deum statuere à parte nostra, & in eo constanter manere quia noster est.

116 *Sustenta me in sermone tuo.* [b] Quidam legunt, Confirma me, Corrobora me, Suffulci me. *In sermone tuo.* Alii legunt, Secundum verbum tuum. Id est, quemadmodum promisisti te facturum. [c] q.d. Sustenta me secundū fidē quā dedisti. Vel, prout mihi pollicitus es. Et certè quoties nobis manum porrigit Deus, vt collapsos erigat, vel adeò manu nos fulcit, promissiones suas implet. Videtur tamē legēdū esse, In sermone tuo, vt Propheta sibi postulet fidei constātiā. [b] Acsi dicat, Fac vt firmus & stabilis maneam in verbi tui fide, & re præstes quod mihi promisisti, ne pudore afficiar si non præstes. [c] Sicuti enim dicimur excidere à verbo Dei, excidendo ab eius fide, ita quāuis per in eius fidem recumbimus, fultura nostra est. Quia verò sciebat Propheta non esse in homine tantum fortitudinis, perseuerantiam à Deo petit, tanquam singulare Spiritus donum. Ergo neque alibi reperietur vera stabilitas quàm in verbo Dei: & nemo huic constanter inniti poterit nisi Spiritus sancti virtute cōfirmatus. Ideo semper rogandus Deus vt nos in fide retineat, qui solus eam inchoat & perficit. Porro vitam in fide locans, meram fallaciā esse docet quicquid sibi promittunt homines extra verbum. Solus ergo Dominus verbo suo viuificat: sicut dixit Habacuc 2.a.4, Iustus sua fide viuet. Nam vtriusque loci idem est sensus. quia postquam Habacuc stultam carnis confidentiam (qua vt plurimum inflati sunt homines) derisit, eo quòd in sublime se attollunt, vt violentius corruāt: admonet, solos fideles, quos sustinet verbum Dei, in tuto & solido stare. Si prior expositio placeat, secūdum mēbrum exegeticè additum erit, *Ne pudefacias me ab expectatione mea.* Nā eodem fere recidunt ista duo, Prophetā Dei gratiā, secundum

eius verbum, incolumem seruari, & spei suæ fructum percipere. Videtur tamen, vbi perseuerandi constantiam sibi dari precatus est, nunc vlterius progredi, vt tandem re ipsa exhibeat Deus quod promisit. Et certè sua cuique infirmitas testis est quàm multæ dubitationes nobis obrepant si post longam tolerantiam spei nostræ non respondet successus, quia videtur Deus nos frustrari.

117 *Confirma me, & saluus.* Vel, Sustenta me, fulci me, robora me. Orat Dominum vt se tueatur, & sustentet. Confirma me (inquit) & saluus ero. Quibus verbis significat, simulac gratiam suam Deus subduxerit, de salute sua actum fore: quòd si diuinitus fuerit confirmatus, nihil sibi esse metuendum. *Et considerabo edicta tua.* Quidam vertunt, Et narrabo, vel exponam, statuta tua. Alii, Et oblectabor statutis tuis. Quæ versio non malè quadrat: quia licet optimum bonitatis suæ gustum præbeat nobis Deus in nudo verbo, vbi tamen accedit affectus, saporem illum non parum auget: modò ne os Dei à manu perperà separemus. Hæc enim vera fidei prudentia est, in omnibus Dei beneficiis promissiones expendere: quarum si nulla habetur ratio, perit nobis omnium bonorum vsus: imò sæpe exitialis est. Respiciendi tamen verbum melius conuenit: quia vt quisque magis expertus est Dei auxilium, ita seipsum expergefacere debet ad considerandam cœlestem doctrinam.

118 *Conculcasti omnes errantes.* Iam seueritatem iudiciorum Dei aduersus transgressores & impios considerat, qui tum in populo Dei regnabant: quos vocat errantes ab edictis Dei, & impios terræ. Ac conculcandi verbo intelligit Deum prosternere omnes huiusmodi Legis suæ contemptores, ac deiicere ex altitudine quam sibi arrogant. Opponitur enim stultæ aut potius vesanæ confidentiæ, qua turgent impii, dum securè eludunt Dei iudicia: imò sese contra eum efferre non dubitant, acsi eius potentiæ non subiacerent. Videmus ergo quid minetur Spiritus sanctus impiis & profanis verbi Dei contemptoribus. Non loquitur de illis qui per ignorantiam errant, sed de hypocritis & impiis corde, qui studio malo sacra Dei vitiant & corrumpunt. *Quia mendacium est dolus eorum.* Docet hic Propheta impios nihil proficere suis astutiis: quin potius vel illaqueari vel tandem sentire meras fuisse præstigias. Quidam interiecta copula legunt, mendacium & dolus: acsi Propheta dixisset mendacium & fraudem in ipsis esse. Sed tales sensum insciè deprauant. תרמית enim vafrum & fraudulentum consilium significat, pro quo sæpe cogitationem reddunt interpretes. Sed hoc nomine non satis Hebraicæ vocis proprietas & vis exprimitur. Intelligit enim Propheta, quantumuis sua illis calliditas placeat, eos tamen nihil aliud quàm sibi illudere ac mentiri. acsi diceret, Placeant sibi impii quantum libuerit in suis vafritiis, Dominus tandem ipsos deridebit: quicquid conceperint, hoc irritum erit, & frustrabitur ipsos suus dolus. Necesse autem fuit hoc addere quia videmus quàm exitialiter bonam mundi partem inebrient vanæ suæ cogitationes & quàm difficile sit creditu quod hic pronuntiat Dauid, quo sibi videntur magis perspicaces, magis sibi imponere. Comprehendit enim Deus sapientes in astutia eorum, Iob 5.b.13, & 1. Cor. 3.d.19. Et, Dominus dissipat consilia gentium, amouit cogitationes populorum, Suprà, 33.b.10.

119 *Scoriam cessare fecisti omnes.* Subaudiendum est aduerbium similitudinis. nam impii scoriæ conferuntur, quia dum permisti sunt fidelibus, quasi fæces, eorum puritatem inficiunt ac contaminant: vbi autem reiecti sunt instar spumæ, melius nitet piorum mundities. Dicit ergo Propheta abolere impios à superficie terræ, quasi scoriam. Inopinata enim mutatio hac similitudine describitur, quum imaginaria eorum gloria & fœlicitas in fumum abit. Impii quidem coram mundo reputantur sicut aurum, argentum, & lapides pretiosi, pii verò sicut scoriæ: sed corà Deo longè alia est verorumque existimatio. Cæterùm notandum est, non statim vindictam Dei patefieri contra reprobos vt pereant, vel è mundo exterminentur: sed quum Deus subinde eos tollendo, se iudicem mundi ostendat, terramque purget, non mirum est si de eorum exitio ita loquatur Propheta. Verba enim præt. temp. apud Hebræos sæpe continuum actum designant. Sicut ergo Deus paulatim iudicia sua exequitur, & sæpe, donec sua tolerantia abuti videt impios, pœnas suspendit, nostrum est vicissim expectationem nostram tenere suspensam, donec pœnæ grauitate tarditatem compenset, sicut ait profanus ille scriptor. *Omnes impios terræ.* Hoc additum est ne eos tantùm intelligamus qui humili sunt fortuna, & alioqui etiam in mundo nullius existimationis. nulla enim personarum acceptio est apud Deum, Rom. 2.b.11. *Propterea dilexi testimonia tua.* Addit Propheta, iudicia Dei profectu apud se non caruisse, quia magis diligere incœperit Legis doctrinam. Et certè, quoties Deus sublata manu ostendit mundum suo imperio gubernari, nimis peruersos esse oportet qui se eius præsidio non committunt. Quum verò vltro se per verbum offert, nimis stupidi sunt qui ad tantam gratiam amplexandam non properant. Contrà vbi longius conniuet ad scelera hominum, languescit pietatis studium, quo nos in verbi Dei amorem rapi decebat.

120 *Horruit à timore tui caro mea.* Quidam, Consternata est præ timore tui caro mea. q.d. Tanta seueritate iudicium in impios ac Legis tuæ transgressores exerces Domine, vt à iudiciis tuis mihi quoque timeam, & carò mea consideratione illorum admodum exhorreat. Videtur tamen primo intuitu Propheta secum pugnare. Nam qui nuper dixerit, Dei seueritate suauitet ad amanda eius testimonia se fuisse illectum, nunc se horrore correptum fuisse recitat. Sed quamuis duo isti affectus longè diuersi sint, si tamen expendimus quibus rudimentis nos Deus ad reuerentiam Legis suæ formet, videbimus optimè congruere. Vt gratiam Dei expetamus, subigi nos metu oportet. Ergo quia timor amoris initium est, testatur Propheta serio Dei timore se fuisse expergefactum, vt sollicitè sibi caueret. Nec verò mortificatio carnis res tam facilis est vt ad eam quisque consentiat, nisi violentis modis coactus: ideoque nihil mirum si Deus seruum suum pauore concusserit, vt ad reuerentiam sui flecteret. Non sunt igitur inter se contrarii isti dilectionis & timoris affectus, sed in corde pio optimè coniuncti. Non enim alienum est à germano filio vt, licet mandata patris diligat, offensam illius timeat, & dum seruos rebelles punit, expauescat & horreat. Sic alibi dicitur, Et videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, Suprà 52.b.8. *Et à iudiciis tuis timui.* Hoc est, Iudicia tua quæ in impios exerces, timorem mihi incutiunt. Hæc autem non vulgaris prudentia est, expauescere coram Deo vbi iudicia sua exercet, quæ maior pars mundi clausis oculis prætetit. Docemur ergo his Prophetæ verbis, attentius consideranda esse iudicia Dei, vt non tantùm placidè nos erudiant, sed percellant etiam horrore, qui ad veram vsque pœnitentiam nos adducat.

121 ע *Feci iudicium & iustitiam: ne tradas me oppressoribus meis.*
122 ע *Sponde pro seruo tuo in bonum, ne opprimant me superbi.*
123 ע *Oculi mei defecerunt ad salutem tuam, & ad sermonem iustitiæ tuæ.*
124 ע *Fac cum seruo tuo secundum bonitatem tuam, & edicta tua doce me.*
125 ע *Seruus tuus sum, da mihi intelligentiam, vt discam testimonia tua.*
126 ע *Tempus ad faciendum Iehouæ, dissipauerunt Legem tuam.*
127 ע *Propterea dilexi statuta tua præ auro & auro obrizo.*
128 ע *Propterea omnia mandata [tua] omnino recta duxi, omnem viam mendacii odio habui.*

121 *Feci iudicium & iustitiam.* Petit Propheta à suis oppressoribus liberari: quod vt facilius à Deo impetret, dicit se iudicium & iustitiam fecisse, hoc est, semper æquitati & iustitiæ operam dedisse. q.d. Nihil iniqui feci, neminem ex inimicis meis iniuria affeci: quapropter ne sinas me in manus illorum incidere, qui me calumniis suis opprimere conantur. *Ne tradas me oppressoribus meis.* Hoc est, ne exponas me eorum libidini, quum integritatem constanter coluerim, & sine vllo maleficio cum illis egerim. Ergo Propheta sic implorat Dei auxilium contra improbos qui molesti erant, vt simul testetur se immeritò ab illis vexari. Et certè si Deum cupimus ad opem nobis ferendam descendere, vicissim occurrere ei nos decet, cum bonæ conscientiæ testimonio. Quia ergo vbique auxilium suum miseris promittit, qui iniustè premuntur, non superuacus est hæc Prophetæ contestatio, quòd hostes suos non prouocauerit, sed se abstinuerit ab omni iniuria & maleficio, ac ne malum quidem malo rependere conatus fuerit.

122 *Sponde pro seruo tuo in bonum.* Quidam vertunt, Oblecta seruum tuum bono. Id est, Foueas seruum tuum, & fac vt sentiat te benignè secum agere. Ad verbum, Dulce fac seruo tuo id quod bonum est. Alii, Redde aptum (vel idoneum) seruum tuum ad res bonas. Alii, Congruere fac, vel apta seruum tuum bono. Vel potius, Fac vt bono oblectetur seruus tuus. Idest, Fac vt seruus tuus adiiciat animum suum potius ad rectitudinem quàm ad prauas cupiditates. Sic boni nomine æquitas vel rectitudo intelligeretur. Sed ex fine versus colligere licet Dauidem hic suppetias sibi contra hostes petere. Propterea melius conuenit spondendi verbum: acsi dixisset, Domine, quum in perniciem meam crudeliter ferantur superbi, medium te interponas, acsi fideiussor meus esses. Porrò ersi inter verbum & nomen litera ל non interponitur, nequaquam durum videri debet, quia

sæpe subauditur. Plena autē cōsolationis loquutio est, Deum sponsoris munus ad nos liberandos suscipere. Metaphoricè enim dicitur fideiubere pro nobis, acsi numerata debita pecunia nexos solueret. Huc verò tendit precatio, ne impiis contra nos pro libidine sæuire permittat, sed interueniat vindex ad nos seruādos. His autē verbis significat Propheta se fuisse in extremo discrimine, nec aliam spem sibi relictam quàm in Dei auxilio. *Ne opprimant me superbi.* [V] Q.d. Suscipe serui tui tutelam, ne exponatur hostium suorum libidini.

123 *Oculi mei defecerunt.* [V] Eadē fere dicit quæ Suprà, versu 81, & 82. [C] Testatur enim se cōflictatum fuisse cū duris molestiis, neque id exiguo tantùm tempore, sed vt tædio & languore deficere potuerit. Rursus tamen docet se in iam longis & molestis certaminibus non fuisse fractum animo. [V] Q.d. In expectando salutem mihi abs te iustitiæ verbo promissam, penè, (diu nimirum suspicientes) lusciosi facti sunt oculi, atque hallucinantes. [C] Nam oculos suos Propheta deficere refert, non quia fatiscant, sed quia vehementi attentione quasi hebetudinē contrahāt, neque tamen desinant assiduè attendere ad Dei salutem. In summa defectus perseuerantiam significat cum arduo conatu: & momentaneo eorum ardori opponitur qui statim languescunt, nisi Dominus respondeat eorum votis. Simul notatur actis vehementia quæ sensus omnes propemodū consumat. Sub voce salutis non vnum auxilii genus tantùm complectitur, sed cōtinuum gratiæ Dei cursum, donec in solidum saluos præstet suos fideles. *Et ad sermonem.* [C] Modum exprimit quo penderet à verbo Domini. Vbi duo notanda sunt, nempe non aliter expectari salutem à Deo nisi quatenus eius promissionibus freti in eius tutelā nos conferimus. Deinde tūc demū tribui Deo salutis laudē, vbi spes nostra in verbo eius defixa perstat. Hac enim via quærendus est, & quamuis suam virtutem occultet, in nudis eius promissionibus acquiescendum est. Qua ratione sermonē appellat iustū, vt se in eius fide confirmet, quia Deus liberaliter promittendo, non vana opinione lactat suos.

124 *Fac cum seruo tuo.* [M] Benignitatem Dei implorans, orat vt in testimoniis & statutis illius intelligens reddatur. [C] Quare hæc duo membra versus cōiunctim legi debent. Neque enim Dauid seorsum cupit misericorditer secum agi, & postea doceri in Lege: sed potius cum obtestatur per bonitatem & misericordiam qua vti solitus est erga omnes suos, vt ipsum erudiat in Lege sua. [V] Q.d. Domine obsecro te vt eam misericordiam mihi præstes vt doceas me statuta tua. Non id peto quòd id merear, sed per misericordiam tuam peto doceri. [C] Et certè hic tota nostra fœlicitas consistit vt verè sapiamus ex verbo Domini. Hæc autem impetrandi vnica est fiducia, vt clementiam suam & bonitatem Deus erga nos exerat. Commendat igitur Propheta beneficii magnitudinem & præstantiam, dùm sibi gratuitò præstari rogat. *Et edicta tua doce me.* [A] Vel, statuta tua. Alii, cæremonias tuas. Frequēs est in hoc Psalmo Dauid vt hoc à Domino petat: nec immeritò. sciebat enim sanctus vir in hoc sitam esse fœlicitatis summam si perfectè in Lege erudiretur.

125 *Da mihi intelligentiam.* [B] Vel, Fac me intelligere. *Vt discam testimonia tua.* [C] Hæc repetitio ostendit quàm ardēter doceri Legē Dei optauerit, & quā sedulò prosequutus sit hoc idē votū. [V] Porro quum petit se donari intelligentia, vt sciat testimonia Domini, fatetur, etiāsi quotidie legat aut audiat Legē Dei, & totum se huic studio impendat, tamen nihil profectus sibi sperandum esse, nisi quatenus lucem intelligentiæ arcano Spiritus sui instinctu conferet. [C] Siquis autem putet Prophetam aliquid meriti Deo obiicere, dum eius seruum se iactat, facilis est refutatio. Siquidem vulgò imaginantur homines, dum sumus bene præparati, Deum addere nouam gratiam quam vocant subsequentem. Atqui Propheta tantum abest à iactanda sua dignitate, vt potius cōmemoret quantopere sit Deo astrictus. Neque enim in arbitrio cuiusquam hominis est se creare Dei seruum, nec quisquam ex seipso adferet quod conciliet tātum honoris. Quum ergo probè teneret Propheta indignos esse cunctos mortales qui in hoc ordine censeri debeant, tantùm adducit in medium quam adeptus est gratiam, vt Deus suo more perficiat quod cœpit. Sic etiam alibi, Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, Suprà, 116. c. 16. vbi liquidò patet, non gloriari de suis obsequiis, sed tantùm referre se vnum esse ex Ecclesiæ membris.

126 *Tempus ad faciendum Iehouæ.* [V] Vel, Tempestiuum est vt Iehoua faciat. sub. Iudicium de improbis. Quidam, Tempus agendi Iehouæ. Vel, Tempus idoneū est Iehouæ vt agat. Id est, Tempus opportunū est quo Dominus virtutem suam exerat, vel cōpleat opus suum. [C] Consolatur se Propheta ab eo quòd iam interuit gloriæ Dei impios reprimere. Vnde impiis & sceleratis imprecari volēs quam meriti sunt vindictam, dicit iam maturum venisse tempus, quia nimis proteruè contra Deum lasciuierint. Et generale verbum faciendi, magis emphaticum est: perinde acsi dixisset nimis longam videri posse Dei cessationem, nisi munus iudicis nunc compleat. Proprium enim opus Dei est cohibere impios atque etiam seuerè vlcisci, dum videt prorsus esse desperatos. [A] Est enim Deus cui non placet impietas, Suprà, 5. a. 5. *Dissipauerunt Legem tuam.* [V] Vel, Præuaricati sunt Legem tuā. [M] Q.d. Quicquid de me fit, tibi Domine tempestiuum planè est vt quod peto facias. Hoc est, perditis meis hostibus, me liberes ac restituas. Te cōcernit hæc mea petitio, nam Legem tuam non solùm transgrediuntur, sed dissipauerunt etiā, vt illius nō sit amplius aliqua ratio. [C] Siquis obiiciat Dauidem hic aliter precari quàm postulet charitatis ratio, solutio in promptu est, sermonē non haberi de reprobis, de quorum resipiscentia nihil speratur. Neque enim dubium est quin Spiritu prudentiæ gubernatum cor Prophetiæ fuerit. Adde quòd nō conqueritur de priuatis incommodis, sed sincero rectoque zelo impellitur ad optandum Dei cōtemptoribus exitium. Neque enim aliud in medium proponit quàm Legis dissipationem: quo demonstrat nihil Dei cultu sibi prius esse, & nihil æquè pretiosum ac Legis obseruātiam. Sæpius iam alibi monuimus, quoties nos mouent priuatæ iniuriæ, peruersū esse & turbulentum nostrum zelum. Ideo diligenter notādum est, nō alia de causa natum fuisse Prophetæ dolorem quàm quòd ferre non posset violari Legem Dei. Summa autem est, vt rebus confusis & perditis Deus remedium afferat. Nunc restat vt discamus exemplo Dauidis, quoties sceleribus referta est ac polluta terra, vt nulla sit amplius reuerentia Dei, eum implorate vt gloriæ suæ vindex appareat. Hic autem est doctrinæ vsus vt spem nostram & patiētiam sustineat, quoties Deus iudicium suū diutius quàm vellemus suspendit. Propheta enim antequam sermonem ad Deum cōuertat, principium hoc sibi sumit, quamuis ad tempus in speciem otietur Deus, nunquam tamen officii sui obliuisci, sed differre iustis de causis sua iudicia, vt ea tempestiuè demum proferat.

127 *Propterea dilexi statuta tua.* [V] Dicit charam sibi fuisse Legem Domini, quia stabat in illa fiducia firmus, quòd ille non sineret tandē inultam violationē Legis suæ, quamuis ad tēpus conniueret. [C] Cohæret ergo hic versus cum superiore: nā alioqui illatiua particula sensu careret. Quo igitur videbat Dauid petulantius impios ruere, sancta indignatio vrendo eius animum ad Legis amorem magis incitabat. [M] Eam ob causam (inquit) ardentius me præceptis tuis addixi, illáque cupidius amplector quàm aurum quātumuis electū. [C] Locus apprime notabilis: scitur enim quid faciant mala exempla, quia licitum sibi quisque putat quod vulgò fieri permittitur. Vnde fit vt mala consuetudo quasi tempestas nos abripiat. Quo attentius meditanda est nobis hæc doctrina, dum sibi effrænem licentiā vsurpant reprobi, fidei oculis consideranda esse Dei iudicia, quæ ad amorem seruandæ Legis nos stimulent. Quòd si quādo fuit huius doctrinæ vsus, hodie dāda nobis opera est ne totius fere mundi scelerata conspiratio ad violandam Dei Legem nos inuoluat: sed quo se furiosius efferunt reprobi, magis in nobis crescat Legis reuerentia & dilectio. *Præ auro & auro obrizo.* [V] Vel, magis quàm aurum & obrizum. Vel, Ex gemmas.

128 *Propterea omnia mandata tua.* [B] Confirmat se hoc enixius Legi Dei studere quo intelligentius illā impii reiiciunt. [C] Pendet enim hæc illatio ex superiori doctrina, quòd scilicet Propheta patiēter iudiciū Dei expectans, & ardēter simul implorans, eius Legi in omnibus & per omnia (vt loquuntur) subscripserit, eámque sine exceptione fuerit amplexus. Deinde quòd odio habuerit omnem viam fallacem. Ad verbum est, Omnia præcepta omniū: sed genitiuus ad res non ad personas refertur: acsi diceret, De quibuscunque rebus præcipiat Deus, sibi probari ōes quas statuit Leges. Similis est loquutio apud Ezechielem, cap. 44. d. 30, Omnes oblationes omnium: nempe quaecunque speciem offerant homines. Quod non frustra tam disertè Propheta expressit, quia nihil procliuius est quàm fastidire vel respuere quicquid nobis non allubescit. In Lege Dei, ita vt quisque hoc vel illo vitio laborat, optaret contrarium mandatum à Lege Dei expunctum esse. Atqui nobis fas non est quicquam addere vel minuere: & quum præcepta sua Deus sacro & inuiolabili nexu coniunxerit, tolerabile non est vnius ab aliis diuortium. *Recta duxi.* [V] Vel, Recta esse censui. Ad verbum, legitur, direxi, vel rectificaui, si Latinè dici posset. Id est, Recta esse prædicaui apud eos qui recta nō esse dicebāt, sed iniusta. [C] Videmus ergo Prophetam sancta zelotypia Legis cum scelerata eorum contumacia certasse qui eam spernebant. Et certè quum impios videmus tanta audacia Deo illudere, & nunc audacter insurgere, nunc verò peruertere singulas Legis partes: eo nos magis accendi conuenit, & animosiores reddi ad veritatem Dei asserēdam. Præcipuè verò extrema

seculi nostri impietas postulat vt se in hoc studio exerceant fideles. Nam certatim per ludibrium salutis doctrinam euagitant peruersi homines, & sacrum dei verbū suis subsannationibus contemptibile reddere conātur: alii blasphemias suas vomere non desinunt. Quare perfidiæ ignauiæ crimē effugere nō possumus nisi corda nostra zelo incalescant, & sancta æmulatio nos vrat. Neque enim tantùm indicit Propheta se penitus & sine exceptione Legem Dei probasse, sed addit, *Omnem viam mendacem odio habui.* [V]Vel, viam fallacem. [C]Et certè seriò non subscribunt Dei præceptis nisi qui reiiciūt omnes calumnias quibus sanæ doctrinæ puritatem inficiunt vel obscurant reprobi. Per viam mendacii intelligit Propheta quicquid alienum est à puritate Legis: acsi dixisset, detestabiles sibi fuisse ōnes corruptelas quæ Dei verbo repugnant. [H]Notandum hic est non posse à quoquam Legem Dei diligi nisi semita mēdax & vana odio habeatur. Falluntur ergo qui partim Deo seruire, partim mundo moremgerere student, quum Deus nos ad puritatem & vitæ sanctitatem vocet, totus verò mundus in maligno sit positus, 1. Iohā, 5.d.19.

129 ℶ *Res mirabiles testimonia tua, ideo seruauit ea anima mea.*
130 ℶ *Ingressus sermonum tuorum lux, intelligentiam conferens paruulis.*
131 ℶ *Os meum aperui & respiraui, quia mandata tua dilexi.*
132 ℶ *Respice ad me, & miserere mei secundum iudicium erga diligentes nomen tuum.*
133 ℶ *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & ne dominetur in me ulla iniquitas.*
134 ℶ *Redime me ab oppressione hominum, & seruabo præcepta tua.*
135 ℶ *Faciem tuam illustra erga seruum tuum, & doce me edicta tua.*
136 ℶ *Riui aquarum fluxerunt ex oculis meis, quia non seruarunt Legem tuam.*

129 *Res mirabiles testimonia tua.* [V]Vel, occultationes. Res arcanas, & reconditam quandam scientiam continent. [C]Vertendum est potius Res mirabiles testimonia, quàm Mirabilia testimonia, vitandæ amphibologiæ causa. Videretur enim esse adiectiuum. [C]Atqui Propheta non simpliciter intelligit admirabilem esse Legis doctrinam, sed complecti alta & recondita mysteria. acsi dicat, Testimonia tua nihil docēt vulgare, sed cōplectuntur quædā arcana & mysteria quæ superāt omnē sensum, & quæ admirationem excitare debeant. *Ideo seruauit ea anima mea.* [C]Dicit Propheta, eo quòd videret in Lege Dei cōprehendi sublimem & admiratione dignam sapientiam, se in eius reuerētiam fuisse adductum. Hoc autem diligenter notādum est, quia à maiori hominum parte Lex Dei fastuosè spernitur, dum eius doctrinā probè non gustant, neque agnoscunt Deum è sublimi loqui, vt deiecta carnis superbia, fidei sensu nos sursum attollat. Colligimus etiam ex hoc loco, fieri non posse vt quis Legem Dei ex animo seruet, nisi reuerenter eam suscipiat: quia puræ & rectæ subiectionis initium est reuerētia. [H]Soli ergo verbi Dei admiratores Legem eius custodiunt. Admiratores dicimus qui aliquē gustum diuinæ sapientiæ & bonitatis in illo recōditæ cum admiratione perceperunt. Nemo thesaurum cupidè complectitur quem non intelligit esse thesaurum. [C]Ideo diximus plerosque aspernari Dei verbū, quia inferius esse putant suo acumine, imò audacius se ad sacrilegam hunc contemptum multi proiiciunt, quo suum ingeniū ostentent. Cæterùm vt sibi in illo fastu placeant profani homines, verumtamen Prophetæ elogium est comprehēdi in Lege Dei mysteria quæ omnes humanos sensus longè superent.

130 *Ingressus sermonum tuorum, lux.* [V]Quidam, Ostium verborum tuorum illuminat. Vel, apertio, ingressus. Id est, Prima illa rudimēta, siue primus accessus sermonum tuorum illuminat mentes. [C]Dicit tam perspicuam esse doctrinæ lucē in verbo Dei vt statim primo intuitu illuminet. Nam פתח propriè quidem apertio est, sed metaphoricè pro ianua capitur. [V]q.d. Non tantùm illuminātur qui ad vnguem didicerint totam Legem tuam, & qui in ea perfectè fuerint exercitati, perspicuam illic lucem cernunt: sed etiam qui tantùm eam leuiter gustauerint, & à limine (quod aiunt) salutauerint. [C]Nunc ratiocinādum est à minori ad maius. nam si tyrones ac nouitii primo ingressu illuminari incipiunt, quid fiet vbi quis ad plenā sciētiam admissus fuerit? [H]Porro si ratio humana lux esset in tenebris, nulla necessitate datum esset lumen verbi Dei. Datum est autem necessariò vt per ipsum homines illuminentur: ergo nihil lucis est in ratione humana quod viam vitæ mōstrare possit. Quid igitur faciūt qui Ecclesiam Dei doctrinis humanis illuminare conantur? perinde faciunt acsi quis noctem coacervatis vmbris lunaribus illuminare conetur. *Intelligentiam cōferens paruulis.* [V]Vel, intelligere facit simplices. Quidam vertūt, Intellectum dat simplicioribus, vel iadiuitehus Alii, Erudit paruulos. Id est, qui magna prudentia non pollent inter homines, imò cōtemptibiles sunt: vt sunt homines idiotæ, indocti & plebeii. [C]Hic melius seipsum explicat Propheta, acsi diceret, Domine, simulatque aperiuntur verba tua, & datur vel in vestibulum eorum venire, admirabili statim luce perfundunt: nec id tantùm magnis ingeniis præditos, sed simplices, nulla sibi vafritie placentes, doctori autem cœlesti quam simplicissime sese cōmittentes. eos nempe pro quibus & Seruator gratias Patri agebat, Matth.11.d.25. [C]Porro hæc sententia ad excitandam in nobis discendi studium acerrimus stimulus nobis esse debet, quum audimus, etiam qui contemptibiles sunt idiotæ coram mundo, si modò animum adiiciant ad Legem Dei, prudentiam inde consequi quæ ad salutem æternā sufficiat. Etsi enim non omnibus datur venire ad summū gradum, hucusque tamen cōmunis piorum omniū est profectus, vt teneāt certam vitæ regulam. Ita nemo qui se docilem Deo præbuerit, operā ludet in eius schola, quia in ipso vestibulo inæstimabilem fructum percipiet. Interea monemur vagari in tenebris eos omnes qui sensum proprium sequuntur. Nam Dauid paruulos illuminari affirmans, significat tum demum idoneos Legis discipulos fore homines, vbi omni confidētia vacui Deo se summiserint. Rideant verò Papistæ, vt faciunt, quòd Scripturam promiscuè ab omnibus legi volumus, Deus tamen non fallaciter per os Dauidis pronuntiat doctrinæ suæ lucem idiotis expositam. Non ergo frustrabitur eorum studiū qui suæ ruditatis conscii humiliter se ipsi subiicient.

131 *Os meum aperui.* [H]Descriptio suspiriorum est quibus animus ipsius desiderium erga Legem Dei quotidie & indesinenter exprimebat. [C]Intelligit enim Vates se tanto Legis Dei amore flagrasse ac desiderio, vt assiduus fuerit in suspiriis. [V]Tāto (inquit) desiderio Legum tuarū flagrat cor meum vt subinde cogar haurire aerem, propter assidua suspiria. [C]Aptissima autem metaphora vtitur, similem famelicis, vel qui vehementissima siti ardent, se faciens: quia sicut illi aperto ore & anxio anhelitu feruorem suum demonstrāt, acsi totum aerem absorbere vellēt, ita Propheta se cōtinua inquietudine æstuasse dicit. Oris igitur apertio & attractio spiritus frigidæ verbi Dei approbationi opponitur. Porro hic docet Spiritus quo ardore expetēda sit cælestis doctrinæ cognitio. Vnde colligimus, quicunque male in Lege Dei proficiunt, ignauiæ suæ pœnas dare. Quanquā vnà cum ardore constantiā simul designat, quum se in cōtinua respiratione fuisse dicit. *Quia mādata tua dilexi.* [A]Vel, Quia præcepta tua desideraui. Præteritum Hebræum pro præsenti, desidero, concupisco. [V]Q.d. Tanto desiderio Legū tuarū flagrat cor meū, vt subinde cogar haurire aerē propter assidua suspiria. *Quia mandata tua desideraui.* [V]Præteritum Hebræum pro præsēti, desidero, cōcupisco. [H]Sed quid desiderabat Dauid (dicet quispiā) an non præceptorum Dei copiā habebat? Quomodo igitur in illis perpetuò meditabatur? Quomodo fuerunt illi cātica in domo peregrinationum suarum? Quomodo dixit, Periissē in afflictione mea, nisi Lex tua oblectatio mea fuisset? Quis desiderat quod iam habet, & quo impensè delectatur? Atqui continua illa suspiria, quæ per oris apertionem ac respirationem exprimuntur, indicabāt Prophetæ animum desiderare quiddam cuius nōdum erat factus compos: sed expectabat obnixè & magno desiderio vt illud consequeretur. Responsio, Nondum ille præcepta Dei habet qui iustam nōdum est intelligentiam, obseruantiam & adimpletionem eorum consequutus. Hinc est quòd sancti perpetuò cum Dauide suspirant, & Dei præcepta desiderant. Deinde suspirabat Dauid etiam hac ratione quòd diuinæ Legis restitutionem populo Dei dari desiderabat. Sed vbi sūt suspiria ista in Ecclesia nostri temporis? Quotusquisque est qui vel sua vel Ecclesiæ gratia hoc genere desiderii erga verbum & voluntatem Dei ad suspirādum permoueatur? [A]Omnes potius ad honorum huius seculi copiam aspirāt quā ad diuinæ Legis studiū aut restitutionem suspirāt.

132 *Respice ad me.* [B]Orat Propheta se haberi à Deo ea ratione qua habet nominis sui studiosos, ne vel improbitas vel improbi præualeant. [H]Aspiciendi verbo indicat Deum quodammodo auersum fuisse, dum seruū suum miseria affici permitteret. Sic est sensus carnis in afflictione: sed veritas Dei aliter cōparata est. Neque enim frustra Dominus dicit, Cum ipso sum in tribulatione, Suprà, 91.c.15. *Et miserere mei.* [A]Hoc est, Libera me ab angustia & afflictione qua premor. [C]Hic Propheta non alia quàm gratuitæ Dei bonitatis fiducia liberationem petit à Deo. Vnde colligimus, quamuis eximia sanctitate polleret, vnicum tamen hoc fuisse eius asylum. *Secundum iudiciū.* [V]Vel, secundum consuetudinem. Id est, pro ratione, norma, vel more tuo, quo vteris erga diligentes te. Quidam vertunt, Vt

solet facere erga nominis tui amatores. Est igitur precatio hominis afflicti, qui dum videtur Dei auxilio destitui, neque aliud sentire potest quàm se à Deo negligi ac deseri, secum tamen expendit alienum hoc ab ipsius Dei natura & consuetudine esse. acsi diceret, Quamuis non appareat mihi signum vllum tui fauoris, imò conditio mea tam misera sit & perdita vt pro sensu carnis existimem te mihi tergum vertisse: quia tamē innumeris documētis statim ab initio mundi ad hunc vsque diē testatus es te misericordem esse erga tuos cultores, secundum hanc normam nunc similem erga me beneuolentiam ostende. Porro hoc diligēter notādum est, Prophetam diu miseriis fuisse oppressum, sine aliqua specie leuationis: ne animos despondeant quibus statim non respondet Deus. Interea verò bona cum fiducia coniungit se illis qui nomē Domini diligunt: eo quòd teste conscientia, hoc se diuini nominis amore præditum esse sciret: ac eandem sibi gratiam à Deo communicari petit qua potiuntur quotquot nomen Dei diligunt. Quantum ad nomen iudicii spectat, discamus exemplo Prophetæ, ex variis experimētis agnoscere Dei naturam vt certò nobis constet ipsum nobis esse propitium. Et certè, nisi quotidiano vsu perspecta nobis esset eius gratia quis nostrûm auderet ad eū accedere? Verùm nisi oculi nostri caecutiāt, satis & super claris testimoniis fidem nostram ædificat, ne dubitemus pios omnes ab eo respici. Tantùm danda est opera vt simus ex eorum numero qui nomen ipsius diligunt. *Erga diligentes nomen tuum.* Hoc epitheto fideles designat: quia inter Dei cultores censeri non merentur qui cum seruiliter tantùm metuunt. Obsequium enim liberale à nobis requirit, vt nihil nobis sit magis delectabile quàm sequi quo nos vocat. Quanquam simul tenendum est dilectionem hanc ex fide nasci. Imò Propheta summum fidei effectum hic commendat, pios qui in Dei gratiam recumbunt à profanis hominibus discernens, qui mundi illecebris dediti, nunquam in cœlum attollunt mentes suas.

133 *Gressus meos dirige.* Vel, para. hoc est, Duc me, custodi me iuxta quod mihi pollicitus es: nequo pacto fiat vt obnoxios reddat iniquitati inimicorum meorum. Vel potius, Da vt viuam secundum Legis tuæ præscriptum, ne incidam in alicuius iniquitatis vim ac dominium. Hoc est, ne seruus peccati & iniquitatis fiam. Nā Propheta his verbis (vt sæpe aliàs) ostēdit non aliam bene viuēdi normam esse, quàm dum se homines in obsequium Legis Dei totos componunt. Supius enim iam hoc Psalmo vidimus, quandiu vagari sibi permittunt post sua figmenta, quantumuis anxiè laborent, Deum respuere quicquid laborāt. Sed quemadmodum declarat Propheta tunc demum rite formari hominum vitam vbi se penitus addicūt obsequio Dei: ita rursum fatetur hoc minimè in suo arbitrio vel potestate esse. Et certè Lex Dei quid rectum sit nobis præscribens, nihilo nos reddet meliores. Vnde & prædicatio externa confertur mortuæ literæ. Itaque Dauid probè in Lege edoctus, cor morigerū sibi dari postulat, vt ambulet in via sibi proposita. Hæc autem duo distinctè notāda sunt, liberaliter Deum agere cum hominibus dum verbo & doctrina eos ad se inuitat: sed hoc totum frigere & carere profectu donec Spiritu suo regat quos iam docuit. Vnde etiā Paulus dicit eum qui plantat & qui rigat nihil esse, sed Deum qui dat incrementum, (1.Cor.3.b.7.) hoc est, qui homines intus docet, & eorum corda ad Legis suæ obsequiū format. Solus enim Dei Spiritus est qui nos ducit in omnem veritatem, Ioh.16.b.13. Addit, *Secundum eloquium tuum.* Quidā vertunt, In verbo tuo. Quòd Dauid nō simpliciter gressus suos dirigi postulat, sed in Dei sermone: hoc discamus non captasse arcanas reuelationes, verbo posthabito, sicuti multi fanatici solent: sed externam doctrinam cum Spiritus gratia cōiunxisse: vt hæc solida est fidelium perfectio, dum cordibus eorum insculpit Deus quod voce ostendit rectum esse. Itaque nihil hoc commento magis insipidum, æstimari à Deo hominum vires quum illis præcipit quid eos velit facere: quia frustra personat in auribus nostris doctrina, nisi Dei Spiritus in corda efficaciter penetret. Fatetur enim Propheta frustra se legere vel audire Legem Dei nisi arcano Spiritus motu vita sua regatur vt in rectitudine illius doctrinæ ambulet. *Et ne dominetur in me vlla iniquitas.* Expēdendum est verbū dominādi. Nō dicit simpliciter, Ne infestet me vlla iniquitas: sed, ne dominetur mihi. Norūt hoc sancti nec fieri posse nec conducere ipsis, vt nulla iniquitate tentētur: verùm iuxtà sciunt facillimum esse vt in seruitutem iniquitatis abripiantur, nisi seruentur diuinitus: ideóque hoc à Domino petunt, vt ab illo peccati seruitute seruentur. Nam quādiu nobis permittimur, viget ac grassatur tyrannis Satanæ, vt nobis liberum nō sit ab iniquitate nos eximere. Hæc verò vnica est piorum libertas, gubernari à Dei Spiritu, ne iniquitati succumbant, quāuis duris & molestis certaminibus fatigentur. De hac libertate Christus ipse hunc in modum loquitur, Si vos mānseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberos reddet vos, Iohan.8.d.31. Et Paulus, An nescitis quòd cui accōmodatis vos ipsos ad obediendum, serui eius estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? Rom.6.c.16.

134 *Redime me ab oppressione.* Vel, A calumnia. Ab iniuria, à violentia. Calumniam definiūt esse accusationem vafrè dolosèque confictam in aliquem: quam sanè vir probus iam horret timétque interdum, quàm quiduis aliud maximè horrendum, atque adeo id potissimū si iudices venales sunt ac Spiritu Dei vacui. Calumnia hominum erat qua Dauid coram Saule falsò accusabatur, & eo nomine in exiliū eiectus adfligebatur. Hac se liberari petit quo custodiæ mādatorum Dei liberius ac plenius incumbere possit. Interea demōstrat suo exemplo pios ōnes expositos esse rapinis & oppressionibus, & quasi oues in faucibus luporum versari, nisi Deus eos asserat. Nam quū paucissimi Dei Spiritu regantur, non mirum est omne studium æquitatis à mundo exulare, & omnes passim ruere in omne scelerū genus: alios impelli sæuitia, alios fraudibus esse addictos. Quum ergo iniuriis vndique oppressum se videret Propheta, ad Deum redemptorem se cōtulit. Nam hoc verbo significat, nisi mirabiliter seruetur, de sua salute actum esse. *Et seruabo præcepta tua.* Hoc est, me totum Legi tuæ addicam. Promittit hoc loco, gratitudinem: quia nihil etiam est quod nos melius contineat in studio integritatis & iustitiæ, quàm dum experimur plenis nobis esse Dei præsidium omnibus quæ sibi profani homines accersere solent illicitis subsidiis. Docemur autem hoc loco, non certandum esse cum improbis malitia, sed quantumuis iniustè & violenter nos oppugnent, vnica Dei redemptione debere esse contentos. Deinde quoties experti erimus in nobis liberandis Dei gratiam, debere nos hoc stimulo incitari ad colendam integritatem. Neque enim nos redimit in alium finē nisi vt liberationis fructus in vita nostra appareant. Et nimis peruersi sumus nisi hæc experientia nobis sufficiat, qui perstant in sincero Dei timore, quamuis totum mundum habeant aduersum, eius auxilio semper manere saluos.

135 *Faciem tuam illustra.* Vel, illumina. Cupit Propheta Deū sibi propitium in hūc finem vt doceatur. Q.d. Scio nihil mihi prosperè cessurū, nisi fauore tuo cōplexus me fueris. Si igitur mihi es propitius, documentum paterni tui in me amoris præbe, vt me doceas in statutis tuis. Ex his Prophetæ verbis colligimus, cœlestem doctrinam bonis omnibus ab eo præferri. Atque vtinam in animis nostris vigeret hic affectus. Sed quod tantopere exoptat Propheta, ferè ab omnibus negligitur. Siqui autē punguntur hoc desiderio, statim eos ad mundi illecebras videmus elabi, vt paucissimi posthabitis aliis omnibus toto seriò cum Dauide ad Legis doctrinam aspirent. Cæterùm quia hoc priuilegio nō alios dignatur Deus nisi quos paterno amore complexus est, ab hac precandi forma incipere cōuenit, Vt faciem suam super nos lucere faciat. Quanquam loquutio hæc plus aliquid exprimit, quòd scilicet tunc demum radiis gratiæ suæ fideles oblectat Deus vbi vera Legis suæ intelligentia illustrat eorum mētes. Sæpe autem contingit ipsis quoque obnubilari in hac parte Dei faciē, dum genuino verbi sui gustu eos priuat. *Et doce me edicta tua.* Q.d. Tum beneuolentiam tuam mihi declarabis, & me sereno ac placido vultu aspicies, quum me statuta tua magis ac magis docueris.

136 *Riui aquarum fluxerunt.* Vel, descenderunt. Præteritum Hebræum pro præsenti, defluunt, manant. Ingenti se Dei studio arsisse testatur quum se largas adeo fudisse lachrymas cōfitetur propter diuinæ Legis desertores. Loquitur enim de eo dolore quem incusserat cordi ipsius neglectus, imò dissipatio diuinæ Legis, quam homines impii induxerāt. Vnde colligimus sanctum hunc Prophetā non vulgari zelo gloriæ Dei flagrasse, quum propter Legis contemptum totus in lachrymas defluxerit. Nam licet hyperbolicè loquatur, verè tamen & simpliciter affirmat quo præditus fuerit affectu. Sicut etiā alibi dicit, Zelus domus tuæ comedit me, Suprà.69.b.10. Et certè vbicunque regnat Dei Spiritus, hūc ardorem excitat, qui pios animos vrat dum vidēt pro nihilo duci summi Dei imperium. Neque enim satis est si quisque nostrûm Deo placere studeat, nisi etiā cupiat Legē eius ab hominibus haberi in pretio. Hoc modo sanctus Loth animam suam cruciabat, quū videret scelerum omnium colluuiem Sodomæ regnare, 2.Pet.2.b.8. Iterum de hoc ardore Propheta testabitur infrà, 158, his verbis, Vidi perfidos, & iurgatus sum: quia sermonem tuum non custodierunt. *Quia non seruauerunt Legem tuam.* Hoc est, Quia timore tuo prorsus vacui Legem tuam ludibrio habere non dubitant. Leuibus de causis lachrymatur humana fragilitas, leuioribus in risum soluitur humana leuitas ac vanitas. Sed pius demum ie fletus est quum quis ob desertā Dei Legem à

quamplurimis, flet mœrétque inconsolabiliter: atque is proprius est sanctorum hominum fletus, ac lachrymarum ratio & causa. [c] Itaque siquando tantum mœrorem expressit Dei filiis mundi impietas, eousque corruptelæ hodie prolapsi sumus vt ter & quater stupidi sint qui præsentem statum securi & siccis oculis intuentur. Quantus enim mundi furor est in Deo contemnendo & respuenda eius doctrina? Pauculi quidem profitentur eam se velle recipere, sed vix decimus quisque vita hoc confirmat. Interea innumeri ad Satanæ & Papæ imposturas rapiuntur. Alii instar brutorum animalium torpēt. Multi Epicurei palam subsannant quicquid est religionis. Qua de re vide 2. Pet. 3. a. 3. Siqua ergo superest in nobis pietatis gutta, non tātùm exiguæ lachrymæ ab oculis nostris fluant, sed pleni riui. Cæterùm si cupimus puri & sinceri zeli signum dare, sit hoc doloris nostri initium, dum nos procul adhuc à perfecta Legis obseruantia distare cernimus, imò prauas carnis concupiscentias subinde contra Dei iustitiam insurgere.

137 ꝛ *Iustus es Iehoua, & recta iudicia tua.*
138 ꝛ *Mandasti iustitiam in testimoniis tuis, & veritatem valde.*
139 ꝛ *Succidit me zelus meus, quia obliti sunt verborum tuorum aduersarij mei.*
140 ꝛ *Purgatum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.*
141 ꝛ *Paruus ego & contemptus, præcepta tua non sum oblitus.*
142 ꝛ *Iustitia tua, iustitia in seculum, & Lex tua, veritas.*
143 ꝛ *Tribulatio & angustia inuenerunt me, mandata tua oblectationes meæ.*
144 ꝛ *Iustitia testimoniorum tuorum in secula: fac me intelligere, & viuam.*

137 *Iustus es Iehoua.* [r] A iustitia & æquitate laudat Legē Dei. [c] Nam tribuit Deo laudē iustitiæ, eámque in Lege eius agnoscit. *Et recta iudicia tua.* [r] Ad verbum, Et rectum iudicia tua. Id est, singula iudicia tua, siue vnumquodque iudiciorum tuorū. Singulare cum plurali eleganter iunctum. q. d. Omnia tua mādata, iusta sunt. Siue, Nullum est ex tuis iudiciis quod non sit rectum. Si autem vocabulum ישר pro substantiuo accipere libet, idem ferè manebit sensus, Domine tu solus es iustus, & iustitiæ tuæ specimen & documētum dedisti nobis in Lege tua. [a] Nam quod quidam iudicia intelligunt quæ Deus castigandis hominum peccatis exercet, non videtur tam aptè quadrare. Etsi autem iustum esse Deum fatentur omnes, plus tamen expressit Propheta quam vulgus hominum, imò totus mundus sentiat: quia Deum nominans iustum, intelligit, simulatque ab eo discessum est, nullam alibi posse inueniri iustitiæ guttam. Vbi autem addit, iustitiæ huius specimen ac documentum in Lege conspici, Deum sua laude spoliari admonet nisi subscribimus omnibus eius præceptis.

138 *Mandasti iustitiam in testimoniis tuis.* [a] Vel, Præcepisti iustitiam testimonia tua. Hebraismus, pro, Tu admodum præcepisti obseruari Leges tuas, quæ sunt æquissimæ & verissimæ. Alii vertunt, Tu ergo præcepisti in testimoniis tuis iustitiā & veritatem tuam valde. Et certè cōfirmat Propheta quod prius dixit, nempe Deum plenam & exactam in Lege sua iustitiam & veritatem tradidisse. Nam aduerbium מאד melius cum nominibus cohæret quàm cum verbo mādasti: quia scilicet Deo propositum fuit perfectam iustitiæ regulam illic ostēdere. Atque his elogiis ornatur Legis doctrina, vt inde sapere discamus omnes, nec quis sibi aliam rectitudinem vel iustitiā fingat: sicuti libēter quisque sibi nouam iustitiæ ideam fingeret. [b] Quòd si aduerbium verbo mandasti iungātur, sensus erit, Tu præcepisti valde vt testimoniorum tuorum iustitia & fides custodiantur. [a] Sic alibi dicitur, Tu mandasti statuta tua custodiri valde, Suprà verso 4. Sed rectius cū nominibus iungitur, vt dictum est.

139 *Succidit me zelus meus.* [r] Vel, Confecit me, consumpsit. Vel, per præsens, Consumit. Loquitur de ardore zeli quo erga Deum ac verbum eius afficiebatur. Ab illo se eam ob causam consumi ac confici queritur quòd Legis Dei nullam habebāt rationem illi à quibus affligebatur [r]. Q. d. Zelus siue studium meū erga Legem tuam adeo auctum est vt ipse vi zeli penè cōtabuerim. *Aduersarij mei.* [o] Vel, hostes mei. [b] Loquitur de suis persequutoribus, à quibus multas ei molestias fuisse exhibitas certum est. Sed quamuis infesti essent ac crudeles, negat se tam priuatis iniuriis offensum fuisse quā Legis Dei violatione. Imò hoc dolore se fuisse consumptum vt priuatis incommodis non moueretur. Exemplum apprime vtile: sumus enim ad ferendas iniurias nimis teneri: itaque simulac digito attingimur, incalescimus iracundia: frigidè interea afficimur grauissimis quibusque Dei offensis. Quòd si vigeat in nobis Prophetæ zelus, ad aliam tristitiā sapiet, in qua toti occupabimur. [b] Porro zelus laudabilis, illa animi passio est in Scripturis, qua pro re vehementer amata excandescimus. Sic Christum ob domum Patris, flagitiis, emptionibus vēditionibusque, atque præterea callidis dolosisque licitationibus conspurcatam a sacerdotibus, zelasse olim legimus, Iohan. 2. c. 15. 17, & Matt. 21. b. 12. b. 13. Vocat igitur zelum suum Propheta permotionem illam animi qua nonnisi immensa cum molestia videre poterat Dei Legem etiam à legisperitis pessimo multitudinis exēplo pessundari.

140 *Purgatum eloquium tuum vehementer.* [r] Vel, Repurgatus est sermo tuus valde. Alii, Exploratus est vel examinatus tanquā ab igne. Q. d. Purgatissimus est sermo suus. [l] Causam tanti zeli, de quo præmisit, auget, quū subiicit tuta Dei igni probata. Hoc est, summè pura, vt nihil prorsus nisi iustitiam & fidem, hoc est salutem & sempiternam fœlicitatem præcipiant. Simile habet & Psalm. 12. b. 7, & 19. c. 8. 9. *Et seruus tuus dilexit illud.* [c] Hic præcipuam zeli sui causam notat, nempe cælestis doctrinæ amorem. Nam eius contemptum indignè ferre vel seuerè damnare, nisi nos sui amore deuinctos teneat, mera est simulatio. Dicit autem non temere, nec cæco vel inconsiderato affectu amare se Dei sermonem, quia instar auri vel argenti purus sit ac purgatus omni fæce & scoria. Hāc enim metaphoram in se continet participium צרופה quæ tametsi videtur nihil nisi vulgare sonare, ab omnibus prauis & malignis iudicus verbum Dei asserēs, verā fidei obediētiam graphicè exprimit. Nā quotusquisque vel diffidētia sua, vel morositate, vel fastu, vel mollitie, non aspergit Dei sermonem aliqua macula? Quum ergo tam obstrepera sit caro, non vulgare est cælestis doctrinæ elogium, auro benè recocto conferri, vt omni sorde pura censeatur. Cæterùm ad testimonii fidem non parū valet quòd ipsum Propheta proprio experimēto cōfirmat. Ergo quo efficacius licentiam nostram cohibeat, quoties vitium aliquod imaginamur in Dei verbo, se ex animi sui sensu loqui pronunciat: quia puritate casta animus meminis, suauiter oblectetur.

141 *Paruus ego & contemptus.* [a] Canit Vates se paruulū fuisse, hoc est, puerum & contemptum, nec tamē Legis Dei oblitum, sed constanter perstitisse in studio pietatis & verbi Dei obseruantia. [c] Atque ita opponit se inimicis suis diuinæ Legis contemptoribus. Q. d. Domine hostes mei magni sunt & honorati, ego seruus tuus paruulus, & in oculis ipsorum cōtemptus & abiectus. Illi sic magni sunt vt opibus ac deliciis inflati ac ebrii Legis tuæ obliuiscantur: ego verò seruus tuus, quamuis paruus fuerim & contemptus, non tamen oblitus sum præcepta tua. [c] Præterea ideo se contemptibilē fuisse Propheta refert, quia tantundem quisque laudis tribuit Deo quantum saturatur eius beneficentia: & vix centesimus quisque reperietur qui ad Dei cultum animum applicet, nisi votis omnibus fruatur. Hinc fit vt hypocritæ, dum lautè saginantur, dum opes accumulant, dum augentur potentia, valde sint liberales in laudando Deo: quòd si paulò asperius tractari cœperint, mox cessat benedictum illud Dei nomen. Quum igitur mercenarii ferè sint homines in Deo colendo, discamus Prophetæ exemplo veram pietatem esse gratuitam, vbi non desinimus Deum benedicere, quamuis rebus aduersis nos affligat, reddátque contemptibiles coram mundo. Et certè illa Christi exprobratio diligēter notāda est, Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia saturati estis panibus, Ioh. 6. c. 26. Ergo ingenuè & sincerè Deum colunt qui in eius timore constantes manent, quamuis contemptibilis sit eorum conditio. Denique in terra mercedem non quærūt, sed per æstum & frigus, egestatem, discrimina, contumelias & ludibria indefessi pergūt in militiæ suæ cursu. [m] Hodie reperias qui hoc ipso quòd se paruulos ac minimos, imò seruos seruorū esse dicunt, reliquis se præferunt, & superbiam cordis sui palpant.

Iustitia tua iust. in sec. [a] Et hæc pertinēt ad diuinæ Legis commendationem. Dicit iustitiam Dei sempiternam esse. *Et Lex tua, veritas.* [r] Vox Hebræa significat veritatem & etiam firmitatem & soliditatē. Idem igitur voluit exprimere duobus nominibus, per iustitiam seculi & per veritatem. [c] Acsi diceret alias omnes viuendi regulas, qualibet specie fulgeāt, nihil habere præter euanidam vmbram. Neque enim dubium est quin Legis doctrinam obliquè cōferat præceptis omnibus quæ vnquam tradita fuerunt, vt sub eius obsequium cogat omnes fideles, quia schola sit perfectæ sapientiæ. Nam vtcunque magis plausibile sit quod argutè & subtiliter disserūt homines, nihil tamen subest firmi nec solidi. [m] Considerandum hic est quàm cōmodè Propheta sempiternæ Dei iustitiæ verbi ipsius veritatē coniungat, vt vtrisque sese, veluti firmissimis fulcris, in afflictione suffulciat.

143 *Tribulatio & angustia inuenerunt me.* [a] Vel, afflictio & angustia inuenerunt me. [c] Alii, Coarctatio & compressio inuene-

runt me. Firmitatem de qua loquutus est, probat ab vna specie, quod tentationibus grauiter vexatos, perpetuum tamē solatium inuenerit in Lege Dei. Addit enim, *Mandata tua oblectationes meæ.* Vel, Præcepta tua delectationes meæ fuerunt. Sanè hoc legitimum est profectus nostri examē, quæcunque nos angustiæ constringant, consolationem opponere ex Dei verbo, quæ tristitiam omnem oblitteret ex animis nostris. Plus autem exprimit quàm nuper. Illic enim tātùm dicebat se reuerenter coluisse Deū, quamuis duriter & asperè tractatus videri posset operam ludere: nunc verò vbi augitur & cruciatur, dicit se in Lege Dei reperire suauissimam delectationē, quæ dolores omnes leuiat & eorum acerbitatem non modò temperet, sed etiam quadam dulcedine cōdiat. Et certè vbi ad nos oblectandos non viget hic gustus, nihil procliuius est quàm absorberi tristitia. Et notāda est loquutio qua docet Propheta, quāuis vndique obsessus ac deprehēsus esset, hoc sibi satis efficax fuisse remediū quòd cōsolationem ex verbo Dei oblatā amplexus est. Porro quia hoc in nuda præcepta non competeret, quæ adeo malis nostris non medēnur vt potius anxietatem incutiant, certum est sub præceptis per synecdochen cōprehendi totam doctrinæ Legem, vbi Deus non tantùm exigit quod rectum est, sed electos suos ad spē æternæ salutis inuitans, ianuā pleuæ fœlicitatis aperit. Imò sub Lege & gratuita adoptio & omnes quæ inde fluunt promissiones continentur.

144 *Iustitia testimoniorum tuorum.* Vel, Iustitia sunt testimonia tua in seculum. Idem dicit quod paulo ante, versu 142, Iustitiā Dei longè dissimilem esse humanis commentis: eorum enim splendorem euanescere, at illam perpetuò firmam stare. Bis autem hoc inculcat, quia etsi cogatur mundus iustitiæ laudem adscribere Legi Dei, maior tamē pars rapitur ad suas speculationes, vt nihil difficilius sit quàm nos teneri astrictos ad ipsius Dei obsequium. Huc nunc tendit Dauid, iustitiam seculi vel perpetuam non alibi comprehendi & alibi frustra quæri quàm in Dei Lege. Ideóque nunc ponitur clarior definitio iustitiæ, quæ nos intra Legis metas contineat. *Fac me intelligere.* Vel, Da mihi intelligentiā. Vel, Fac me intelligentem. Hoc coniunctim cum membro superiore legi debet, quia etsi mentem suam à Deo illuminari optet Dauid, non tamen aliunde sibi fingit intelligētiæ modum quàm si in Lege the profiecat. Siquis dicat, Quomodo Legem Dei laudat ipse Dauid si eam nō intelligit? aut quomodo eius intelligentiam optat si eam iam sit assequutus? Dicendum est quòd pius animus perpetuò pleniorem veritatis intelligentiam concupiscit. Scimus verū esse verbum Dei, scimus Deum bonum esse & clementem, & quæ alia de illo in sacris Scripturis omnium veracissimè prædicantur. Quis det autem vt hæc ipsa in Deo plenius & penitius cognoscamus, & in ea scientia quotidie magis ac magis crescamus? *Et viuam.* Q.d. Legem tuā fac me plenius intelligere quo viuam. Siquidem è rerum huiusmodi scientia ac doctrina vita animæ oriri solet, quemadmodum ab illarum ignoratione error omnis atque superstitio, è qua mors, suū habent exordium. Docet itaque hic locus non propriè viuere homines si careant cœlesti sapientiæ luce. Et certè quando in hunc finem minimè conditi sunt homines vt cum porcis vel asinis vētres suos fareiant, sed vt se exerceant in notitia vel cultu Dei, vbi hinc degenerant, deterior est eorum vita mille mortibus. Dauid ergo profitetur hoc sibi demum esse viuere, si non tantùm pascatur cibo & potu, ac terrenis cōmodis fruatur, sed aspiret ad meliorem vitam. Quod fieri non potest nisi fide directrice. Atque hæc valde vtilis est admonitio. Etsi enim hoc passim vulgare ac tritum est, hominem hac Lege esse natum vt intelligendo bruta animalia præcellat, maior tamen pars quasi data opera suffocat quicquid Deus lucis inspirat mentibus. Omnes quidem acumen appetere fatemur, sed quotusquisque ad cœlū aspirat, & reputat initium sapiētiæ esse Dei timorem? Quando itaque terrenis curis obruitur cœlestis vitæ meditatio, nihil aliud quàm se in sepulchrum demergunt homines, vt mūdo viuentes, Deo moriātur. Quanquam vitæ nomine summam votorum suorum designat Propheta: ac si diceret, Domine quanuis sim exanimis, hac vna gratia recreabor si mentem meā cœlestis doctrinæ notitia illustres.

145 p *Clamaui in toto corde, responde mihi Iehoua: statuta tua seruabo.*
146 p *Inuocaui te: serua me, & custodiam testimonia tua.*
147 p *Præueni crepusculum, & clamaui, ad verbum tuum suspexi.*
148 p *Præuenerunt oculi mei custodias ad meditandum in sermone tuo.*
149 p *Vocem meam audi: secundum clementiam tuam Iehoua, secundum iudicium tuum viuifica me.*
150 p *Appropinquauerunt persecutores malitiæ, à Lege tua recesserunt.*
151 p *Prope es tu Iehoua, & omnia mandata tua veritas.*
152 p *Initio cognoui de testimoniis tuis quòd in seculum fundasti ea.*

145 *Clamaui in toto corde.* Ardorem studii sui erga Legē Dei & his versibus canit. Dicit autem se clamasse & exauditū fuisse. Sequenti autē versu exprimit ad quē clamauerit & quid clamauerit. Nunc verò clamādi verbū indefinitè ponens nō exprimit quas conceperit preces: sed tantùm docet, quum filii seculi huc & illuc distrahantur, se omnes cordis affectus dirigere ad vnū Deum: quòd scilicet ab vno illo penderet. Aliquoties etiā admonuimus clamādi verbum nō semper de clamore oris, sed sæpenumero de clamore cordis vsurpari. Quare cogitandū hic est ad legitimam vocationem requiri cordis vociferationem, angustiarum animi testem, sine qua frigida est omnis oratio. *In toto corde.* Quia fateri cogitur mundus Deū esse bonorum omnium authorem, ex illo principio fluūt multæ perfunctoriæ preces: ideo Dauid se integro corde precatum fuisse affirmat. Scimus quid Dominus per Prophetam dicat, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, Esa.29.b.13, & Matth.15.a.8. *Responde mihi Iehoua.* Hoc est, exaudi me. *Statuta tua seruabo.* Vbi Dauid votorum suorū compos fuerit factus, finem sibi proponit Dei gloriā: quia eo maiore studio se ad Deum colēdum addicet. Nam etsi sacrificio laudis rite se coli pronuntiat Deus, Dauid tamen, vt se ab hypocritis discernat, qui frigidis & fictis laudibus profanant Dei nomen, nō abs re dicit se vita & operibus gratias acturū. In solerti igitur voluntatisque mandatorum custodia obseruationéque (quæ nostra maxime constat religio) situs est verus deprecandi Dei cultus ac modus.

146 *Inuocaui te: serua me.* Nunc quid suo clamore spectarit Vates exprimit: ac primò quidem dicit se clamasse ad Deum: postea addit se precibus ei commendasse suam salutem. Quo significat, siue incolumis esset, siue quid instaret discriminis quod mortem minitaretur, semper in Deum recubuisse: quia non aliter se fore saluum persuasus erat, nisi quòd eum haberet salutis suæ custodem. Discamus igitur solum Deum semper inuocandum esse. Inuoca me (inquit) in die tribulationis, Suprà, 50. c.15. Solus enim ille inuocandus est in quem credimus, Rom.10.c.14. Atqui in solum Deū credimus. Ergo solus Deus nobis inuocandus est.

147 *Præueni crepusculum, & clamaui.* Vel, Præuenio alios crepusculo, & clamo. Præteritum Hebræum, Præueni crepusculo, & vociferatus sum. Alii per præsens, Anteuertēs in ipso crepusculo (sub. alios omnes) vociferor. Hebraismus est, pro, Ante auroræ exortum fui in precando Deo. Non enim notatur hic vespertinū tempus ab occasu solis, sed tempus obscuræ lucis sub exortum auroræ. Maximam ergo festinationem exprimit Dauid, quòd auroræ aduentum anteuerterit in suis precibus. Vnde admonemur & hoc pertinere ad eum qui sit Dominum rite, verè, & ex animo inuocaturus, vt id faciat sedulò, non oscitanter, non pigrè. Alioqui quod ad temporis discrimen attinet, perinde est coram Deo siue noctu ipsum, siue interdiu inuoces. Non satis ardenter inuocat qui totas noctes dormit. Rursus fieri potest vt diluculū surgendo præueniant illi quos præstaret dormire totos annos quàm vnū vigilare diem. Quia hæc pēdēt à qualitate cordis & causis surgēdi ante diluculum, vel non surgendi. *Et clamaui.* Vel, Vociferatus sum. Clamādi verbo semper notatur vehementia: quia non tam ad sonitum vocis (vt diximus) quàm ad contētionem animi refertur. Sed Propheta meminit festinationis, vt perseuerantiam melius commendet. dicit enim, quanuis ita promptus fuerit ad orandum, se tamē nō fuisse statim fatigatum: vt increduli, nisi mox eorum votis annuat Deus, tumultuātur, & cum eo expostulāt. Atque ita cum ardore desiderii patientiā spei coniungens, veram precādi rationem ostendit. Sicut etiam Paulus petitiones nostras apud Deum innotescere volens cum gratiarum actione (Philip.4.a.6) admonet turbulētos affectus inter precandū cohibendos esse: quia hic etiam precandi finis est, vt spem nostram alamus. *Ad verbum tuum suspexi.* Non est superuacua verbi mentio: quia hoc tantùm frænu retinetur carnis nostræ intemperies, vbi nobis verbum Dei semper versatur ante oculos. Quidam vertūt, In verbum tuum speraui. Vel, Spem habeo in verbo tuo. Id est, promissis tuis.

148 *Præuenerunt oculi mei custodias.* Et hoc ad amplificandū ardorem erga Dei Legem pertinet. *Ad meditandum in sermone tuo.* Quidam, Ad loquēdum. Alii, commentando. Alii, Ad disserendum. Significat his verbis se ad meditandam Dei Legem magis sedulò fuisse attentum, quàm vigiles noctis ad excubias agendas. Scimus in quatuor vigilias apud Iudæos noctem diuisam fuisse: quod & Euāgelicæ literæ testātur, Marc.6.

g. 48. Totas igitur noctes se in meditatione sacræ Legis insumpsisse memorat. ᶜSi verbum שיח pro disserere positum recipimus, sensus erit, Prophetam non ostentationis causa, sed in fratrum salutem, adeo fuisse docendi cupidū vt nihil sibi otii daret. Sed huic loco melius conuenit verbum meditandi: quia noctu verba facere de Lege Dei, non fuisset tempestiuum: sed tunc secum tacitus reuocabat in memoriam quæ prius didicerat, vt nulla pars noctis vacua esset a Legis meditatione.

149 *Vocem meam audi.* ᴬ Iterum diuinam opem implorat, & exaudiri à Deo cupit. *Secundum clementiam tuam.* ᴹ Hæc particula pertinet ad fidem diuinæ bonitatis, & fiduciam ex eo cōceptam quòd consueuerit Deus viuificare abiectos & oppressos. ᶜDeclarat enim Dauid non aliam sibi fuisse fiduciam exorandi Dei nisi quòd recumberet in gratuitam eius bonitatem. Quicquid enim sancti orando in medium proferūt, necesse est à mera Dei gratia incipere. *Secundum iudicia tua.* ᵛ Hunc Hebraismum sic quidā exponunt, Serua me in vita pro more tuo, & vt tuos seruare soles in vita. ᶜ Rectius alii iudicia hoc loco pro verbo accipiunt. q.d. Secundum promissiones tuas. Iudicia enim, statuta, & testimonia, atque mandata, sunt synonyma in hoc Psalmo, ad Legem & promissiones, pro loco. Quia ergo bonitatem suam Deus verbo patefecit, inde petenda est eius certitudo. Proinde Vates, quū sibi Dei misericordia opus esse cognosceret, rectà se ad verbum contulit, vbi Deus blandè homines ad se inuitans, promittit gratiam suam omnibus promptam & expositam fore. *Viuifica me.* ᶜ Optat viuificari vt testetur se vel in media vita esse mortuum, nisi quatenus sustinetur Dei virtute. Et certe, quisquis propriæ infirmitatis sibi probè conscius est, singulis momētis viuificari se petet, pro nihilo vitam suam ducens. Adde quòd ita seruum suum sæpe exercuit Deus, vt iure potuerit preces quasi è sepulchro mittere, vt restitueretur à morte in vitam.

150 *Appropinquauerunt persequutores.* ᵛ Quidam ita vertunt, Appropinquauerunt sceleris sequentes scelus: atque ita exponūt. Qui sceleri sūt studiosi, vt sceleri magis appropinquāt, ita longius absunt à Lege tua, & tu vicissim ab illis discedis. Vel, Persequutores sceleris appropinquauerunt ad suam malitiam. Hoc est, prorsus addicti sunt suæ malitiæ, aut iniquitati, & à Lege tua remoti sunt: tu verò propinquus es, nempe ad opem ferendam seruis tuis. Alii subaudientes præpositionē ad, vertunt, Appropinquauerūt persequutores ad scelus: vt significet Propheta persequutores suos fuisse promptos ac paratos ad omne scelus, & oblitos fuisse diuinæ Legis, ita vt nullo obstaculo retenti fuerint, vel cohibita fuerit ipsorum improbitas. ᶜ Sed quia רדפי in constructione ponitur, dubium non est quin זמה in genitiuo legendum sit: hoc sensu, Appropinquarunt peruersi ad nocendum. Dicit ergo Dauid sibi instare qui malitiæ intenti sunt, & quidem ita ruere ad inferendam perniciem vt procul remoti sint à Lege Dei, quia omne recti & æqui studium longè reiiciunt. *A Lege tua recesserunt.* ᴹ Q.d. Domine, qui me dolose & per insidias persequūtur, appropinquant ad me, vt periculum sit ne incidam in manus eorum. quare adsis, & accelera ad iuuandum. Longè facti sunt à Lege tua quam contemnunt: mihi innocenti nimium sunt vicini, quem persequuntur & iniquè affligunt.

151 *Prope es tu Iehoua.* ᴬ Hic se Propheta consolatur, sciēs se à Deo deseri nō posse. ᶜ Fuisset enim misera eius cōditio, cernere hostes suos, excusso Dei timore & Legis reuerentia, capiti suo imminentes, nisi ex opposito propinquus fuisset Deus: sicuti continuò post subiicit. Atqui hac consolatione se erigit, quòd Deus suos vrgeri videns, maturè etiam ipse occurrit ad opem ferēdam. Sicuti Paulus dicit, Ne sitis solliciti, Dominus propè est: moderatio vestra nota sit omnibus, Philip. 4. a. 5. *Et omnia mandata tua, veritas.* ᴮ Iterum se consolatur à veritate & sempiterna certitudine oraculorum Dei. ᶜ Huc enim spectāt hæc verba, Deum nunquam suos deserere vel frustrari in necessitate, quia verax est in promissis. Illic autem denuntiat sibi semper eorum salutem fore curæ. Ergo ne dubitemus paratam semper fore Dei manum ad repellendos hostium nostrorum impetus: nobis hoc fixum maneat, non frustra toties ipsum promittere in verbo suo se fore salutis nostræ custodem. ᴹ Cæterùm hoc versu admonemur vt quo magis impios ad perdēdum nos accelerare senserimus, hoc magis Dominum inuocemus, vt & ipse appropinquet ad leuandum. Est enim Deus non à longinquo, sed à propinquo præsto suis ad auxiliandum.

152 *Initio cognoui de testimoniis.* ᵛ Quidam vertunt, Pridem noui de testimoniis tuis. Vel, Iam inde ab initio intellexi de testimoniis tuis quòd velis illa sempiterna esse. Alii vertunt, Pridē cognoui ex testimoniis tuis. ᶜ Sed simplex sensus est, quòd nō tātum cognouerit Propheta æternā esse stabilitatē in Dei testimoniis, sed hanc quoque notitiā ex testimoniis hauserit. Nam quū Latinū De exprimere velūt Hebræi, sæpius vtūtur particula מן vel ב. Dicit igitur se ex Dei testimoniis didicisse vel fuisse edoctū, in æternū stabilia esse. Atque hoc primum est fidei caput, non constare temporalem duntaxat fidem verbo Dei, sed immutabilem semper manere. Neque enim alioqui sub eo includere liceret spem æternæ salutis. Vt autem animis nostris insideat hæc firmitas, necessaria quidem est interior Spiritus reuelatio (quia donec verbi sui certitudinem intus obsignet Deus, subinde apud nos vacillabit eius fides) neque tamen abs re Propheta dicit se ea verbo didicisse: quia vbi per Spiritum suum illuxit, facit etiam vt in verbi speculo reluceat sancta ista veritas, quæ in æternum manet.

153 ר *Vide afflictionem meam, & erue me: quia Legem tuam non sum oblitus.*

154 ר *Disceptа causam meam, & redime me: ad sermonem tuum uiuifica me.*

155 ר *Procul ab impiis salus: quia statuta tua non quæsierunt.*

156 ר *Miserationes tuæ magnæ Iehoua: secundum iudicia tua uiuifica me.*

157 ר *Multi persecutores mei & oppressores mei: à testimoniis tuis non recessi.*

158 ר *Vidi perfidos, & iurgatus sum: quia sermonem tuum non custodierunt.*

159 ר *Vide quia mandata tua dilexi Iehoua: secundum clementiā tuam uiuifica me.*

160 ר *Caput uerbi tui ueritas, & in seculum omne iudicium iustitiæ tuæ.*

153 *Vide afflictionem meam.* ᴮ Iterū orat vt se ab impiis Deus defendat, Legis suæ studentem, quam illi deserunt & oppugnāt. ᴹ Vide, inquit, afflictionem meam. Id est, oculis tuæ misericordiæ respice me. *Et erue me.* ᵛ Nimirum à periculo cui sum obnoxius. Sed erāntne oculi Dei auersi, vt serui sui afflictiōnem non cerneret? Nequaquam. Nec cæcus est Deus, nec sic auersus vt suorum calamitates non videat: sed dum non eripit, non cernere putatur. Sic videtur etiam sanctis in tentationibus constitutis. *Quia Legem tuam non sum oblitus.* ᴬ Hoc est, Equidem Legem tuā semper obseruaui & integritatis studui. ᶜ Docet hic Dauid suo exemplo, non esse abiiciēdos animos pietatis cultoribus, si malam in mundo mercedem referant. Hæc enim est eorum conditio vt militent in terra: ideoque minimè conuenit rebus aduersis turbari, sed potius in hoc solatio acquiescere, quòd ad Deum inuocādum ianua pateat. Neque tamen Propheta Legis seruādæ studium iactat, quasi mutuam sibi mercedem à Deo rependi velit: sed tantum vt ostendat se vnum esse ex Dei seruis, quemadmodū alibi de spe sua loquutus est. Quanquam propriè ad præsentem causam spectat hæc ratio: quia hoc rarum virtutis signum est, non abduci nos rebus aduersis à timore Dei, sed luctari cum tentationibus, vt eum quærant dum videtur ex professo abigere.

154 *Disceptа causam meam.* ᵛ Vel, Litiga litigium meum. Age causam meam, defende. Assere ius meum. Id est, Tuere causam meam tuo patrocinio. Siue, Causam meam suscipe defendendam. Hebraismus. ᶜ Designat hoc versu speciem afflictionis, quòd iniustè à malis & improbis vexetur. ᴹ Q.d. Iudica inter me & aduersarios meos. ᶜ Porro Deum aduocans Propheta ad causæ suæ defensionem, iniquè se aut violētia, aut calūniis, aut fraudibus grauari ostendit: & redemptorem quærens, se imparem esse docet ad resistendū, vel ita esse illaqueatum vt vna spes supersit in Dei liberatione. ᴹ Obseruent hoc qui in bona causa violentia potentum opprimuntur, nec inueniunt in hoc seculo æquos iudices à quibus defendātur. Clament cum Propheta, Defende Domine causam meam, suscipe patrocinium meū, assere ius oppressi. Sic transferēda est causa ad cælestem iudicem, quando tyrannus impius innocētes, quos iusto iudicio defendere debebat, violēter opprimit. *Ad sermonem tuum uiuifica me.* ᵛ Quidam vertunt, Propter eloquium tuum viuifica me. Ad verbum, In verbo tuo. vel, Ad verbum tuum. Id est, Iuxta promissiones tuas conserua me in vita. ᶜ Nā videtur ל accipi pro כ nota similitudinis: quia paulo antè similem precandi formam posuit. Deinde quum se Dauid hic queratur quasi deuinctum ab hostibus teneri nisi manu Redemptoris vindicetur, minimè restitui in vitam postulat: quia similis est mortuo qui sic deiectus est. Aptè quoque addit, *Secundum sermonem tuum,* quia hinc nobis elucet spes vitæ quòd se Deus verbo suo promittit fore liberatorem. Vnde Propheta ex tenebris ad lucem aspirans, verbo se sustētat & erigit. Sicut magis probent diuersus sensus, non simpliciter petet Dauid sibi vitam dari, sed spiritualem: vt augeatur ad fidem, timorē Dei, sanctéque viuendi studium.

155 *Procul ab impiis salus.* ᵛ Causam habet hic versus eorū quæ

in superioribus orsus. [c] Nam quia persuasus erat Propheta, arcana Dei (qui iustus est iudex) prouidentia mundum regi, ex illo fonte hanc sententiam deducit, impios à salute remotos, & salutem ab ipsis. [n] q. d. Domine tu non potes illis bene velle, non possunt saluari, propterea quòd nulla Legis tuæ cura tenentur. [c] Hinc verò precandi fiduciã concipit Propheta: quia sicuti à verbi sui contemptoribus auersus est Deus, ita seruis suis opem ferre paratus est. Porro notãdum est, quum hostes suos videret Propheta rebus prosperis efferri, animum fide cõtrà extulisse, vt certò statueret maledictas esse omnes eorum delicias, & ad exitiũ tẽdere. Ergo quoties ex voto impiis succedit vt lautè saginati in sua pinguedine exultẽt, clypeũ hunc, quem Spiritus sanctus porrigit ad nos iuuandos, arripere discamus, infœliciter tandem esse perituros, quia mandata Dei non exquirunt. Vnde manat contraria doctrina, quamuis fideles, dum sincerè in timore Dei ambulant, oues sint mactationi destinatæ, propè tamẽ esse eorum salutem, quæ occulta Dei custodia protegitur. [a] sicuti dicit Paulus, Coloss. 3. a. 3. *Quia statuta tua non quæsierunt.* [c] Vel, non inquirunt. Præteritum Hebræũ pro præsenti. Id est, statutorum tuorũ non sunt studiosi. [a] Ac si diceret, Securè Leges tuas transgrediuntur, & impunitatem sibi pollicentur.

156 *Miserationes tuæ magnæ Iehoua.* [n] Implorans clementiam Dei, dicénsque multas esse Dei miserationes, [a] innuit non alios fore saluos nisi qui ad Dei misericordiam confugiunt. [a] Soli ergo Legis studiosi salutẽ consequentur: impii verò mãdatorum Dei contemptores, & Dei benignitate ac tolerantia abutentes peribunt. [c] Cæterùm quo Propheta maiore fiducia ad Deum accedere audeat, non tantùm dicit illum misericordem esse, sed eius miserationes magnificè prædicat & extollit. Vnde colligimus illis contentum, vt nullum subsidiũ ex suis meritis accerseret. Quanquam simul notãdum est non leuiter agitatum fuisse Prophetã multis tentationibus, dum illis hãc misericordiæ amplitudinem opponere coactus fuit. Siue autẽ magnas legamus, siue multas, parum interest. *Secundum iudicia tua viuifica me.* [v] Vide Suprà, versu 131, & 149, vbi sunt eadẽ verba Hebraica. In priore, pro more exponitur: in altero, pro Lege, verbo Dei, siue promissionibus ponitur, vt etiam hoc loco, itémque paulo ante, versu 154. [c] Confirmat ergo rursus Propheta, nõ aliter posse vitam à Deo vel sperari vel peti, nisi dum ex eius verbo spes concipitur: idque sæpius inculcat, quia sumus hac in parte admodum obliuiosi. Sed, vt intrepidè liceat quicquid gratiæ seruis suis promittit Deus, ad nos aptare, semper occurrat principium illud de multis vel magnis Dei misericordiis. Nam si fingimus Deum promittere quia debeat, vel promeriti simus, statim obrepet dubitatio quæ precibus ianuam claudet. Quòd si penitus nobis persuasum sit Deum nõ alia causa ad salutem promittendã adduci nisi quia misericors est, non dubitabimus ad eum accedere: quia vltro se nobis obstrinxit. [a] Vide Hebr. 11. b. 6. & Iac. 1. a. 6.

157 *Multi persequutores mei.* [c] Vel, Robusti sunt, aut fortes. [a] Vel, Multi sunt qui persequũtur me, & coarctant. vel, tribulant. [n] Grauitatem periculi exprimit ad excitãdam misericordiã Dei. *A testimoniis tuis non recessi.* [a] Testatur, sicut alibi, quãuis fuerit prouocatus multis iniuriis, se tamen non deflexisse à recta via. Quod specimẽ magnæ & singularis cõstantiæ esse admonui. Facile enim est rectè agere inter bonos, sed si nos improbi lacessũt, si alter nos oppugnat vi & manu, alter prædatur, alter fraudibus nos circumuenit, alter calumniis nos adurit, difficile est perstare in nostra integritate, quin potius vlulare incipimus inter lupos. Adde quòd licentia quæ illis impunè permittitur, violenta est machina ad labefactandam fidem nostram: quia Deus conniuendo videtur nos in prædã exponere. Itaque Propheta per Dei testimonia non modò regulam bene & caste viuẽdi intelligit, sed etiam promissiones: ac si diceret, Domine ego neque ab integritate discessi, quãuis occasio mihi daretur ab improbis, neque mihi excussa est gratiæ tuæ fiducia, quin patienter auxiliũ tuum expectauerim. Atque vtcunque necessarium est, quia vtcunque rectè agendo, cum hostium suorũ malitia certet qui insultis efficitur, & ab omni maleficio abstineat, nisi tamen totus pendeat à Deo, nõ sufficiet hæc rectitudo ad salutem: non quòd se ita modestè quisquam gerat nisi qui in Deum recumbit, eumque liberatorem expectat: sed si hoc posset accidere, non satis in hac dimidia virtute esset momenti: quia salus Dei fidelibus, qui eam serio fidei sensu implorant, recondita est. Quisquis autem Deum sibi liberatorem fore persuasus animum suum eius promissionibus fulcit ac sustinet, malum etiam bono vincere studebit. [n] Videmus item hoc exemplo quàm sit ferax malorum hominum regnum illud quod ab homine impio administratur. Sub Saule erat omnis fœcundus impiorum prouentus præsertim in ea causa in qua reprobi impio se regi gratificari posse videbant. Illi sunt itaque prosequutores piorũ, vbi rex ipse innocentes persequitur.

158 *Vidi perfidos.* [v] Vel, Vidi præuaricantes. *Et iurgatus sum.* [a] Vel, Et tædio affectus. Vel, Et abhorrui. Quidam, Et mœrebam. Alii, Perturbatus sum. [r] Dicit se sancto zelo accensum fuisse, quum videret Legem Dei contemni ab impiis. [i] Et sanè longè maior est dolor quo afficiuntur electi propter deletam Dei religionem, Legémque contemptam, quàm quo ipsi particularibus exagitantur malis. [c] Quidam ex Hebræis vertunt, Et contendi, Et litigaui, quod etiã conuenit. Q. d. Plus contentiones cum illis habui quòd tuum eloquium non custodiant, quàm quòd sint mihi nocumẽto. Significat tanto zelo se exarsisse vel flagrasse vt non posset ferre hominum perfidiam, quũ videret ab ipsis violari Dei Legem. *Quia sermonem tuum non custodierunt.* [a] Q. d. Eo quòd nulla Legis tuæ cura aut reuerentia teneantur: sed mandata tua securè imò pertinaciter spernant. [n] Obseruandum hic quàm sit intolerabilis horror animi pii, si coram impiis verbi Dei contemptoribus agere, & impietatis ipsorum spectator esse cogatur. [a] Potest tamen verbo litigandi tam interior excãdescentia notari, quàm obiurgatio qua palàm in Dei cõtemptores insurrexit. Ideo quidam vertunt, Abhorrui, vel Tædio affectus sum. Et certè nemo ad cõtẽtionem descendet pro asserenda Dei gloria, nisi qui secum prius excanduerit, & animum suum cruciauerit: sicuti cui sui sanctam hãc indignationem fere sequitur actio trãsitiua. In summa, monemur exemplo Prophetæ, tam indignè ferẽdum esse verbi contemptum vt animus noster incalescat vsque ad iurgia: ac primò quidem intus nos pũgat dolor, deinde vbi occasio tulerit, strenuè eorum proteruiam & superbiam reprimere conemur: nec dubitemus eorum furorem in nos prouocare. [a] Nam tali diuinæ Legis zelo semper accẽsi fuerunt quotquot vitam Deo gratam vixerunt.

159 *Vide quia mandata tua dilexi.* Vel, Vide quòd præcepta tua diligo Iehoua. Amorem Legis, vt vbique, Dei in nos dilectionem & bonitatem coniunctam habere testatur. [n] Quidã sic coniungunt hæc verba, Vide Domine ac respice afflictionem meam: nam mandata tua custodiui, vt verbum videndi sit absolutè positũ, & ad primũ versum huius octonarii respiciat. [c] Affirmat autẽ Dauid se studiosũ fuisse Legis diuinæ. [c] Interea tenendum est quod prius admonuimus, quoties sancti apud Deum suam pietatẽ prædicant, non ingerere merita quibus nitantur: sed principium illud sumere, Deum, qui suos cultores à profanis & sceleratis discernit, propitiũ ipsis fore, quia ex animo eum quærunt. Adde quòd sincerus Legis Dei amor certum est adoptionis signũ, quum opus sit Spiritus sancti. Ergo Propheta, quamuis nihil sibi arroget, meritò pietatem suam proponit in medium, vt certiorem impetrandi fiduciam ex Dei gratia quam expertus est cõcipiat. [n] Notãdum verò quòd non dicit se mandata Dei adimplere, sed diligere. Hoc enim poterat teste sua conscientia dicere, illud non poterat. Nam licet diligeret mandata Dei, impediebatur tamen carnis infirmitate ne illa prorsus & per omnia adimplere posset. [a] Qua de re multis disserit Apostolus, Rom. 7. c. 14. [c] Interea docemur, veram Legis obseruationem, qualis in hac vita à piis exigitur, nonnisi ex liberali amore nasci. Deus enim, quum Spiritus sit, voluntaria sacrificia quærit, & hoc rectè viuendi principium est (sicuti dicit Moses) eũ amare. Quid nunc abs te petit Deus tuus Israel, nisi vt ipsum diligas? Deut. 10. c. 12. Quod idẽ repetitur in summa Legis, Diliges Dominum Deum tuum, Deut. 6. a. 5. Ac proinde Dauid Legẽ Dei non modò sibi pretiosam esse antè dixit, sed delectabilem. Sicuti autẽ in seruãda Lege à spontaneo obsequio incipere oportet, vt nihil nos magis delectet quàm Dei iustitia: sic rursus tenendum est nõnisi gratuitæ bonitatis Dei & paterni amoris sensu inclinari animos nostros ad hunc affectum: quia nuda præcepta adeo non sibi conciliant homines vt potius absterreant. Ergo qui ex Legis doctrina gustauerit Dei bonitatem, is demum ad eam amandam animum suum mutuò adiiciet. [a] Contrà, qui mundi vanitates sequitur, & carnis deliciis deditus est, facilè omnia Dei præcepta contemnit, imò sibi adeo blanditur vt securè quiduis prætereat quod carni nõ allubescit. *Secundum clementiam tuam viuifica me.* [a] Vel, Secundum misericordiã tuam in vita me cõserua. vel, recrea. [c] Quòd toties precem hanc iterat Propheta, colligimus, vitæ suæ fragilitatem probe fuisse ei cognitam: vt non aliter viuere homines duceret nisi quatenus singulis momentis vitam illis Deus inspirat. Deinde probabile est fuisse à multis mortibus assiduè obsessum, quo magis sollicitè ad vitæ fontem confugeret. Ac rursus fidei suæ fundamentum iacit in Dei bonitate. Vnde perspicimus quàm procul à meritorum iactantia nuper abfuerit, dum Legem Dei se amare præfatus est. [n] Non enim hic dicit, Secundum meritum, vel dilectionem, vel iustitiam meã: sed, Secundum clementiam tuam viuifica me. Quanuis eorum da

cordis sui integritate sancti etiam in conspectu Dei restant quicunt, illa tamen non fidunt, sed fiduciam in Dei clementiam & bonitatem coniiciunt, & nunquam à consideratione diuinæ misericordiæ recedunt.

160 *Caput verbi tui, veritas.* Vel, Principium verbi tui, veritas. Vel, A principio verbum tuū veritas. Id est, à seculo. Q.d. Semper fuit verbum tuum verum. Vel (vt alii exponūt) Ab ipso limine primo veritas tua cōspicua est in verbo tuo. Simulatque oculos coniicio in verbū tuum, ad primam lectionem, vel ad primum auditum veritas eius mihi apparet. Et certè si mentis oculis præditi sumus, simulac oculos coniicimus in cœlestē doctrinam, occurrit nobis eius veritas. *Et in seculum.* Vel, Et in æternum, &c. Id est, à seculo. *Omne iudicium iustitiæ tuæ.* Quidam iudicium iustitiæ accipiunt pro ipsius Dei operibus: & ita prius membrum ad doctrinam referunt, secundum verò ad opera: quasi diceret, Verbi tui veritas fuit ab initio, & quicquid agis, rectum est semper. Sed non minus rectè fluit contextus si hæc duo membra cohæreant, Deū ab initio fuisse veracē in verbo suo, & æquabili tenore sui manere similē. Ideo nonnulli nō malè vertunt, Vniuersa Lex tua, iusta in æternum. sub eiusd. Teneamus igitur hūc sensum, Ex quo loqui cœpit Deus, semper fuisse fidelē in suis promissis, nec spem suorum vnquā fefellisse: & ita æquabilē fuisse huius veritatis cursum vt ab initio vsque ad finem verax sit & fidelis eius sermo.

161 ש *Principes persecuti sunt me gratis, & à sermone tuo expauit cor meum.*
162 ש *Delectatus sum ego super sermone tuo, sicuti qui educit prædam multam.*
163 ש *Fraudem odio habui & detestatus sum: Legem tuam dilexi.*
164 ש *Septies quotidie laudaui te super iudicijs iustitiæ tuæ.*
165 ש *Pax multa diligentibus Legem tuam, & nullum illis offendiculum.*
166 ש *Expectaui ad salutem tuam Iehoua, & mandata tua feci.*
167 ש *Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexi ea valde.*
168 ש *Custodiui mandata tua, & testimonia tua, quoniam omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

161 *Principes persecuti sunt me.* Canit hic Vates quæ & superioribus octonariis, studium Legis sacræ, voluptatem atque securitatem quam illa parit. Atque hoc versu magnates ac primores aulæ Saulis vnà cum ipso Saule, iniustitiæ ac violentiæ accusat, qui se nulla accepta causa persequebantur immeritum. Interea refert, in tam dura & graui tentatione se timore Dei fuisse retentum, vt nihil pio homine indignum tentare cuperet. Q.d. Hostes mei nullo sunt erga te timore præditi, etiam quando insontem persequuntur: ego verò, etiam quum ab illis vim iniustam propter verbum tuum illatam patior, pauorem quendam in corde meo erga verba tua sentio, ne quid designem à vocatione mea, quæ Legi tuæ coniuncta est, alienum. *Gratis.* Hoc est, sine causa, nulloque meo merito. Posita est hæc particula ad amplificationem, quia tentatio eo durior fuit quòd hominem innoxium tyranni nulla de causa, sed tantùm praua libidine impeterent. Scimus enim ingenuas naturas facilius ad iracundiam abripi, dum impetuntur qui neminem lacessiuit. Præclarū igitur fuit modestiæ specimen in Propheta, frænū sibi iniicere ex verbo Dei, ne maleficiis certaret, vel etiam ne impatientia victus à sua vocatione deficeret. Itaque discamus quieti manere, quamuis tyrannicè potestate sibi diuinitus commissa abutantur principes, ne tumultuando legitimum ordinem turbemus. *Et à sermone tuo expauit cor meum.* Vel, A verbis tuis timuit cor meum. Id est, Attamen veritus sum transgredi iussa tua. Hoc quidam sic exponunt, quòd nullis minis vel terroribus à timore Dei deiectus fuerit Propheta, iuxta Christi exhortationem (quæ tametsi nondum erat prolata, tamen piorum omniū cordibus infixa esse debuit) Nolite timere eos qui occidunt corpus: ostēdam vobis à quo sit metuendum. Deum timete, qui postquam corpus occiderit, animam potest mittere in gehēnam ignis, Matth. 10. c. 28. Sed latius extendit Propheta hoc constātiæ suæ elogium. Nota est illa exhortatio Esaiæ, Ne expauescatis ad eorū terrores, sed Iehoua exercituum sit ipse timor vester, & pauor vester, Esa. 8. c. 12. Generaliter illic ostēdit Propheta quibus armis instructi fideles omnes mundi impetus superent: nempe si Deum nō modò reuereantur, sed etiam salutis suæ custodē semper fore confidant, vt reiiciant in eum omnes curas. Ita enim fiet vt contenti eius præsidio non declinent ad quicquam machinādum. Sic etiam hoc loco Propheta, quamuis iniusta principum violentia oppressus, triste esset spectaculum, se tamen succubuisse nisi reputasset quid sibi liceret, nec æmulatum praua illorum studia, vt fraude fraude & vim vi repelleret. Hoc est me- tuere à verbo Domini quantum ad præsentem circunstantiā cohibere seipsum, ne quicquam illicitum aggredi.

162 *Delectatus sum ego super sermone.* Quidam, Gaudeo super eloquio tuo. *Sicut qui educit prædam multam.* Vel, magnam. Vel, Sicut qui educit spolia multa. Alii vertūt, Sicut qui inuenit, eodem sensu. Similitudine nunc illustrat quod tam sæpe asseruit, nempe se in Dei Lege summam voluptatem ac delectationē cepisse. q.d. Interea tamen exhilarat me eloquium tuum non secus quàm siquis multa & opima spolia, vnde confestim ditescat, inueniat. Scimus nullum lucrum plus afferre lætitiæ quàm dum victores spoliis hostium ditescunt: quia & cum lucro ipso coniuncta est gloria triumphi, & vtilitas repente contingens magis delectat. Hæc ratio est cur cœlestis doctrinæ notitiā, quam adeptus erat, spoliis magis comparet Dauid quàm aliis opibus. Quemadmodum & Esaias summā animi lætitiam significare volens, Sicut exultāt, inquit, victores capta præda, quando diuidunt spolia, Cap. 9. a. 3. His ergo verbis Dauid præcipuam sibi ex Dei sermone lætitiam afferri significat, ad quam nullus quæstus quo libet optabilis accedat. Vnde colligimus, sermone Dei, quasi plenis deliciis & solida fœlicitate, fuisse contentum. Quod fieri non potuit quin à prauis cupiditatibus cor suum subduceret. Nec mirum si totam beatæ vitæ summam Dauid in verbo Dei statuit, vbi sciebat inclusum esse æternæ vitæ thesaurū, sibique gratuita adoptione offerri. Obseruandum hic est quomodo vir pius & timeat sibi à verbis Dei, & lætetur propter verbum Dei. Mirum enim videri potest quomodo verbum Dei & timorem afferat & lætitiam, idque vni & eidem homini. Verùm non est alienum à corde pii vt de re eadem & timeat & lætetur: timeat ne offendat, lætetur quòd cōsequutus est. Si Deum pius animus & diligit & metuit, quid insolentiæ habet si & propter verbum eius simul & timeat & lætetur?

163 *Fraudem odio habui.* Quidam, falsitatem. Alii, Mendacium odio habui. Per fraudem aut mendacium, quoduis falsum ac peruersum institutum intelligit. Declarat enim Propheta se purgatum fuisse vitiosis affectibus, vt iustū honorem & pretium Legi deferret. Idem planè expressit versu 113. Cogitationes obliquas odio habui, & Legem tuam dilexi. Verùm hic ardentiore videtur commoueri affectu, quum addit, *Detestatus sum.* Vel, Abominatus sum. Quod idem est atque, Fastidiui ex animo, proque infausto habui omne genus falsitatis. Præterea odio addita est detestatio, vt sciamus non sufficere vulgare fraudis odiū, nisi ab ea filii Dei hostiliter abhorreant. *Legem tuam dilexi.* Nō abs re Propheta prius dicit sibi odio fuisse fraudē, quā de Legis amore & studio loquatur. Quia enim scimus ingenitā esse hypocrisin omnium cordibus, & naturaliter propensos esse ad vanitatem & fallacias: strenuè in purgandis cordibus nostris laborandum est, vt illic regnet amor Legis. Quòd si in lesum rectè viuēdi & primum iustitiæ caput est odium fraudis ac detestatio: sequitur nihil integritate esse præstantius. Euanescunt enim omnes virtutes nisi primū gradum illa teneat. Nec frustra odio adiūgitur detestatio, vt sciamus non sufficere vulgare fraudis odiu nisi ab ea filii Dei hostiliter abhorreāt. Iam si Legis amor & fraudis odium res sunt coniunctæ, sequitur dolo & hypocrisi infectos esse quicūque in Dei schola edocti non sunt.

164 *Septies quotidie laudaui te.* Id est, Identidem ac frequenter laudaui te propter iudicia tua iusta. Nam numerus septenarius admodum frequens in Scripturis, Hebræis est numerus perfectionis, hoc enim indefinitam intelligunt multitudinem. Quare quum septies hic dicit se laudes Deo celebrasse, intelligit se in celebrandis Dei laudibus assiduum vel frequentem fuisse: quemadmodum alibi dicitur iustus septies in die cadere, dum sæpius in varias tentationes incidit, Prouerb. 24. b. 16. Quod ergo Propheta hoc loco dicit de Dei laudibus, hoc ipsum est quod alibi cecinit, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34. a. 2. nisi quod hic præterito, illic verò futuro tempore vtitur. *Super iudicijs iustitiæ tuæ.* Quia iudicia Dei passim sumuntur pro pœnis quas sceleribus irrogat, interdum etiam ad totam prouidentiam referuntur, qua Deus mundum gubernat: quidā intelligunt laudatum fuisse Deum à Propheta quòd iustitiā suam clarè probet tam in puniēdis sceleribus quàm in tota mundi gubernatione. Sed eorum sententia aptior videtur qui ad doctrinam referunt: non quòd prior ille sensus repudiari debeat, sed quia in hoc Psalmo celebrādæ Legi Dei propriè insistat Propheta. Summa igitur est, quum in meditanda Lege Dei assiduus esset Dauid, tantam reperisse in ea iustitiæ & sapientiæ perfectionē vt subinde in laudem & gratiarum actionē erumperet. Hæc porro laudandi Dei sedulitas ostendit Dauidem non modo reuerenter & honorificè loquutum fuisse de Lege Dei, sed pro incomparabili erga humanum genus beneficio eam duxisse.

Neque enim laudem tantùm expressit admiratio, sed gratitudinis affectus: quia videbat nihil potuisse dari hominib.[b] præstantius quàm dum incorruptibili cœlestis doctrinæ semine renouantur in beatã & æternam vitam. Atqui ex iis quibus thesaurũ hunc Deus offert, vix centesimus quisque mediocre saltẽ studiũ adhibet ad gratias agendas. Tãta vero passim malignitas in mundo regnat vt falsi velle alii reiiciant cœlestem doctrinam, alii respuant, alii oblatrent, & fremãt siquid nõ arridet. [a] Cæterùm ex hoc versu discimus qualnã sit verus Dei cultus, nempe ipsũ perpetua & iugi laudũ celebratione magnificare & extollere.[b] Hic enim erat cultus ille Dei quo Dauid in exilio constitutus pietatem cordis sui exercebat. Nihil hic erat nẽ plurum, nihil auri & argenti, nihil splendoris: sed exilium, solitudo, crux, afflictio, pericula quotidiana, horrẽdæ mẽtis agitationes, gemitus & suspiria. Conferant hic delicatuli suas canonicas horas, quas maxima ex parte in mediis deliciis ac pleno vẽtre, imò propter ociũ ac vẽtris delicias, vtcũque exercẽt. [b] Nam trahũt hoc illi ad septem horas, quas canonicas vocãt: quod ferendum erat si tali Spiritu illa decantarentur quo hæc de se scripsit diuinus Psaltes.

165 *Pax multa diligentibus.* [a] Quoniam pacis & offendiculi nomina variè accipi possũt, ex his Prophetæ verbis duplex sensus elicitur. [b] Quidã pacem intelligũt prosperum & fœlicem vitæ statum, (sicut Hebræi sæpe hoc sensu vsurpãt) & offendiculum pro omnibus aduersis accipiunt: acsi Propheta diceret, Etiãsi totus mundus ruat, recti tamẽ stabũt: quia Dominus conuertet illis in salutẽ quicquid videbitur infœliciter cecidisse. [c] Sed diuersa interpretatio peræquè conueniet, pacẽ illis multam esse, quia scilicet persuasi se Deo placere, ac suam vitam, acquiescunt in bona conscientia. Scimus enim hanc *& Sapiens* meritò censeri primũ beatæ vitæ caput, vbi Deo propitio etiã quieti agimus, eiusque paternus fauor in cordibus nostris relucet. Meritò autem hanc pacem docet Propheta nos cõsequi ex amore Legis: quia quisquis aliunde pendet, ad minimam quãque aurã subinde trepidabit. Quòd si placet hic sensus, offendiculum in secũdo membro significabit omnes animi perturbationes, quibus miserè laborant & æstuant qui verbo Dei nõ innixi, vel sua libidine vel hominum arbitrio feruntur. Cæterùm vtrouis modo sumamus duas istas voces, cõsilium Prophetæ manebit idem, miseros scilicet esse qui Deo addicti nõ sunt: quia etsi ad tempus sibi plaudant, multa illis impendent offendicula quæ repente ipsos in contrarium agant. *Diligentibus Legem tuam.* [a] Hoc est, Doctrinæ Legis tuæ studiosis. [c] Ex nomine amoris colligimus non seruili obseruantia Legis acquiri hanc pacẽ, sed conciliari fide: quia Lex nulla nos dulcedine ad se alliciet nisi Deũ nobis exhibeat Patrem, & salutis æternæ certitudine animos trãquillet. Contrà autem profanos omnes & Dei contemptores iustè vlciscitur sua cõtumacia & prauitas: quia sibi quisque eorũ est carnifex, & quo magis feroceunt cõtra verbũ Dei, eo sæuius torquẽtur, donec vltimã sibi perniciẽ accersant. Quanquã autẽ piis etiã suæ sunt agitationes, interior tamen consolatio abstergit omnẽ molestiam, vel erigit ad superãda offendicula, vel ita leuat vt non succũbant.

166 *Expectaui ad salutem tuam.* [a] Vel, Expectaui salutẽ tuam. [v] Præteritũ Hebræũ pro præsenti, Spero in salute tua. [b] Id est, Auxilium tuũ quo me serues & liberes, expecto. [c] Sententiam hanc quæ in ore omniũ volitat, non abs re sæpius inculcat Propheta, quòd scilicet nihil facilius est quàm seruandi laudem & munus Deo tribuere: quum tamẽ nullũ ferè in mundo occurrat firmæ spei exemplũ, vbi cum tentationibus diutius luctandum est. *Et mandata tua feci.* [a] Hoc est, Sub tuo timore & studio Legis tuæ meipsum continui. [c] Ordo in primis obseruandus, vnde colligimus, vt qui se contineat sub Dei timore & Legis studio, necesse primùm esse vt salutẽ in Deo quærat. Nã siue gratiæ sublata, vel excussa patientia huc illuc abrepti, pietatis obliuiscimur. Itaque præcipua fidelium virtus est tolerãtia crucis, & mortificatio, qua se Deo placidè subiiciunt: quia si hypocritis nihil aduersi cõtingat, videtur ipsi quoque ad Deũ colendũ rectè animati. Iam aliæ sunt rationes cur nos ad Dei salutem attentos esse oporteat, si cupimus vitam nostram rectè formare: quia si non sibi teneant deuinctos mundi illecebræ, statim diffluemus. Et videmus ideo maiorem partem deficere, quia difficile est certò statuere non aliter sperandũ esse salutẽ quàm ex gratia Dei. Quare vt perseueranter Deũ colamus, præluceat nobis fides necesse est: deinde accedat comes patientia, quæ iustitiæ amorem in nobis foueat. Nam hinc pergendi alacritas (vt diximus) si salutem nostram in sinu Dei absconditã latere æquo animo patimur, nec dubitamus, quanuis gratiam suam ab oculis nostris subducat, fidum remuneratorem fore omnibus qui ipsum quærunt, Hebr. 11. b. 6.

167 *Custodiuit anima mea testimonia.* [a] Præteritũ Hebræũ pro præsenti, (vt quidam vertunt) Custodit. [c] Superiorem doctrinam aliis verbis confirmat, se ex animo custodire dicens testimonia Dei. Nam animæ nomine magis emphaticè exprimit se penitus atque intimo cordis recessu clausam tenuisse Legis doctrinam. Huius tam sedulæ custodiæ causa est singularis amor quẽ subiicit. Nam qui necessitate & seruiliter Legi obsequitur, adeo eam arcano cordis domicilio custodiendam non suscipit, vt procul remotam cupiat. *Et dilexi ea valdè.* [v] Alii vertũt, Et diligo ea vehementer. [a] Docet Propheta non frigidum fuisse quo ardebat Legis amorem, sed feruidum & purũ. Nam ex cordis sinceritate proficiscebatur.

168 *Custodiui mandata tua.* [c] Iterũ dicit, sed maiore vehemẽtia, se custodiuisse mandata Dei: & rationem addit. Quãquam nõ in toto complexu orationis est ista breuitas, sed in sola voce animæ quam nunc omittit. [a] Notandum est tamen, Prophetã nõ hic suas vires iactare, acsi potuerit omnino Legi Dei satisfacere, (quod nemo quamlibet pius ob carnis imbecillitatem præstare potest) sed quia nouerat à Deo se regeneratũ, & sacræ Legis studiosum, ita loqui non dubitat acsi mãdatis Dei in solidum satisfecisset. *Et testimonia tua.* [c] Mandatis adiũgit testimonia, vt clarius ostendat se non tãtùm agere de regula bene viuẽdi, sed cõplecti totum salutis fœdus. Et certè non posset tã suauis & amabilis esse Legis doctrina, quia præcipiat quid rectum sit, nisi etiam proponeret gratuitum Dei fauorẽ. *Quoniam omnes viæ meæ in conspectu tuo.* [v] Hebraismus, pro, Quicquid ago in hac vita, vel cogito, est tibi notum atque manifestum. [c] Hæc ratio quam assignat Propheta, huc spectat, quoniam sciebat Deo nihil esse occultum, id sibi instar fræni fuisse ad colendam pietatem: quia nisi tanquam sub oculis Dei viuimus, statim nos huc & illuc abripit carnis lasciuia. Potest etiam esse hic sensus, quòd Deum statuerit vitæ suæ arbitrum & iudicẽ, quia Scriptura eos ambulare in Dei cõspectu dicit qui omnes suas actiones sponte ad eum referunt, & quasi ab oculis hominum subducti, sistunt se ad eius tribunal. Hoc modo significabit se operam dedisse vt non modò purus esset omni culpa & reprehensione apud homines, sed integrum ac sincerum cor afferret Deo: vtrumuis sensum eligas, testatur Propheta tunc demum seruari Dei Legem vbi reputamus nobis negotiũ esse cum Deo cordium cognitore, & cuius oculis nihil est absconditum. Posset etiam obtestationis esse forma, acsi dixisset, Domine tu optimus es testis quàm fideliter Legem tuam seruauerim, quia nihil te latet. Sed videtur potius notasse hoc sanctè viuendi principium, quòd vitam suam Deo consecrauerit, & semper in eius conspectum defixos habuerit suos sensus.

169 ת *Appropinquet clamor meus ad faciem tuam Iehoua: secun-*
dum verbum tuum da mihi intellectum.
170 ת *Veniat precatio mea in conspectum tuum: secundum sermo-*
nem tuum libera me.
171 ת *Loquentur labia mea laudem, quum docueris me statuta tua.*
172 ת *Loquetur lingua mea sermonem tuum, quia omnia præcepta*
tua, iustitia.
173 ת *Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quia mãdata tua elegi.*
174 ת *Expetiui salutem tuã Iehoua, & Lex tua delectationes meæ.*
175 ת *Viuat anima mea, & laudet te, & iudicia tua subueniãt mihi.*
176 ת *Erraui sicut ouis perdita: quære seruum tuum, quia statuta*
tua non sum oblitus.

169 *Appropinquet clamor meus.* [b] Orat vt clamorẽ suum Deus & deprecationem ad cõspectum suum admittat. [a] Petit autem vt ritè Legem Dei intelligat. [c] Atque ita testatur hoc sibi primum esse votum, & quod aliis posthabitis maximè vrgeat, vt proficiat in Lege Dei. Nam voce clamoris vehementiã designat, acsi diceret hac se cura præcipuè tangi, & hoc desiderio flagrare, sicuti æquum est ac rectum intelligentiæ lucem, qua præcellimus bruta animalia, & proximè ad Deũ accedimus, omnibus terrenis commodis præferri. *Secundum verbum tuum.* Hoc est (vt nonnulli exponũt) ad regulã verbi tui: acsi Dauid precetur vt ad Legis normã sapiat. [v] Sed quia versu sequẽti dicitur, Secundum sermonẽ tuũ libera me, rectius de promissione exponitur. [c] q. d. Sicut pollicitus es intelligẽtiã seruis tuis te daturũ, fac vt ea sim præditus. *Da mihi intellectum.* [a] Hoc est, Fac vt magis ac magis in Lege tua proficiã, quẽadmodũ promisisti. [c] Scimus autẽ, quũ liberaliter õnia suis promittat, hoc meritò esse præcipuũ vt illuminati eius Spiritu vera sanáque prudẽtia polleãt. Ac multiplex est huius doctrinæ vtilitas. Primò enim docemur nihil esse magis expetendũ quàm vt Deus nos luce sua dirigat: ne similes simus brutis pecudibus. Deinde hoc peculiare esse donũ Spiritus sãcti: quia frustra Dauid sibi precaretur dari quod naturaliter esset ingenitum, vel propria industria cõsequi liceret. Accedit tertiò quod de promissione diximus, ne dubitẽt fideles Deo se illuminãdos offerre, qui pronũtiat se ducem fore cæcorũ, & qui paruulis & humilibus magister & doctor esse non recusat.

170 *Veniat precatio mea in conspectum.* [b] Innuit his verbis modestiam & animi sui humilitatem, qua se indignum iudicat vt

oratio ipsius ad diuinæ maiestatis conspectũ admittatur, ideóque illud singulari prece obtinere satagit. Penetret, inquit, vsque ad te mea deprecatio. Q.d. Etsi indignus sum cuius precibus aurem accommodes, fac tamen pro tua immensa benignitate vt oratio mea in conspectũ tuum veniat. *Secundum sermonem tuum libera me.* Vel, Secundum eloquium tuum erue me. Postquam de recta intelligentia votum concepit, nunc Deũ liberatorem implorat: quo fatetur se assiduè in multis periculis versari, è quibus non aliter emergere queat nisi Deus porrigat è cælo manum. Scimus quidem Prophetam, quoties instaret aliqua necessitas, inuocasse Dei opem: sed quia indefinitè loquitur, dubium non est quin generaliter vitam suam Dei tutelæ commendans, innumeris mortibus se inclusum teneri reputet, nisi Deus perpetuus sit liberator. Sed hoc inæstimabile solatium est, quòd in omni discrimine Deus auxilium suum nobis promptum ac paratum fore affirmat.

171 *Loquentur labia mea laudem.* Vel, Eructabunt, exprimẽt, effundent, profundent. Promittit se ex animo laudaturum Dominum & eloquia illius decantaturum, si statuta eius doceatur. Atque ita ostendit quanti æstimauerit recipi à Deo inter discipulos, rectéque in eius schola proficere, nempe quia pleno ore ad gratias agendas prosiliet. Nam verbum נבע quo vtitur, metaphoricè deductum est à scaturigine fontium: ideóque nõ simpliciter loqui, sed copiosum sermonem profundere significat. Ergo sicut nuper voti sui ardorem precatione mõstrauit, ita nunc gratulationem suam testem fore dicit nihil sibi esse optabilius quàm probe imbutũ esse cælesti doctrina. Labia (more Hebræorum) pro ore vel lingua vsurpauit. *Quum docueris me statuta tua.* Non ait, Quum me eripueris ab hostibus, quum tamẽ dísertà & obnixè admodum seruari ac liberari petat: sed, Loquentur labia mea laudem, quum docueris me statuta tua. Ergo admonemur hoc loco, non sic orare sanctos vt liberentur à tribulationibus, quo ipsis commodè ac secure viuere, sed quo gloriæ Dei liberius seruire liceat. Præterea cõfirmat Propheta his verbis, hãc verè sapiendi esse regulã si nos Dei verbo subijcimus, neque sequimur proprias imaginationes: deinde si Deus ipse sensus nostros aperit, ac subigit in suũ obsequium. Vtrunque enim hic cõiungit Propheta, quòd vbi Deus Legem suam nobis proposuit, ex qua discẽdum est quicquid vtile est cognitu in salutem, idem etiam interior est magister. Quia non sufficeret aures nostras externa voce percuti nisi Deus mẽtes nostras illustraret Spiritu intelligentiæ, & duritiem nostram Spiritu docilitatis corrigeret. Porro sicuti inutilis est doctorum opera donec efficax reddatur, ita etiã notandum est, eos qui verè sunt θεοδίδακτοι, non abduci per arcanas reuelationes à Lege & Scriptura. Sicut fanatici homines se in elementis subsidere putant, nisi verbum Dei fastuosè salcando post sua figmenta volitent.

172 *Loquetur lingua mea sermonem.* Vel, pronuntiabit. Vel, Cãtabit lingua mea eloquium tuum. in vsum aliorum scilicet: studebo adducere quamplurimos qui vno consensu vera pietate Deũ colant. Pollicetur his verbis, quũ profecerit in Lege Dei, se alijs quoque instituendis operam daturum. Est quidem hic ordo tenendus, vt radicẽ agat in cordibus nostris doctrina, antequam ad alios proferatur: debet tamẽ quisque pro fidei suæ mensura communicare cum fratribus quod accepit, ne sepeliatur doctrina, cuius fructum & vsum vult Deus in cõmuni Ecclesiæ ædificatione extare. *Quia omnia præcepta tua, iustitia.* Vel, quia omnia mandata tua, æquitas. Rationẽ addit qua pios omnes ad enarrandam Dei Legem solicitari conuenit, nempe quia hoc modo propagatur iustitia per totum mũdum. Neque enim iustitiæ titulo præcepta Dei insigniẽs Propheta, simpliciter ea probat, sed obliquè insinuat, donec emineat hæc regula ad regendum humanum genus, tristi & horrenda confusione plenum esse totum mundum.

173 *Sit manus tua ad auxiliandum mihi.* Redit ad precationẽ. Precatur autẽ vt seruetur ac liberetur. Manus domini in Scripturis præterquã quòd robor signat, auxiliũ quoque, fortitudinem, authoritatem, maiestatẽ, vt hic, denotat. Q.d. Authoritas tua illa, maiestásque qua cuncta perterrefacis condita, auxilio mihi sit vt saluus sim. Cæterum his verbis declarat, assiduè opus habere Dei præsidio qui se eius verbo regendos tradunt. Et certè quò quisque sincerius probitati studet, eum pluribus modis infestat Satã: ac plures etiam aduersarii hinc inde molestiam exhibẽt. Atqui vbi videt Deus manere constãtes in proposito qui semel doctrinã suam amplexi sunt, eo propẽsior est ad eos iuuandos. *Quia mandata tua elegi.* Hoc est, posthabitis mundi curis, præcepta tua elegi, atque meæ sint, vsquedum vixero, deliciæ, decreui. Nã verbo eligẽdi intelligit Propheta nihil sibi obstaculo fuisse quo minus se Legi Dei addiceret. Neque enim sine magno certamine quisquam animũ adiiciet ad Legis amorem, quũ vnumquẽque huc illuc distrahant praui carnis affectus. Ergo electio hæc cuius fit mentio, ostendit nõ iustitia vel inconsiderato zelo Dei filios præcipuè capere cælestem doctrinam, sed quum flexibiles sint more hominũ, variósque sentiant carnis impulsus, animum cõsultò in Dei obsequiũ subigere. Quæri tamẽ potest quomodo mãdata Dei eligantur. Annon omnes electio liberi est arbitrij? Quomodo autem libero possunt ad eligẽdũ vti arbitrio qui serui sunt ac subditi, & quibus Deus præcepta præscribit, ad quæ amplectenda & seruanda debito obedientiæ astringuntur? Responsio. Aliud est eligere libera voluntate quod sine culpa vel eligi vel contemni potest, & aliud, id quod à Deo præscribitur, non quidem sic eligere vt serues, sed tanquam thesaurum quendam ex omnibus à Deo cõcessis toto corde complecti, & reliquis omnibus præferre. Sic elegit sibi Dauid mandata Dei, hoc est, pro selectis toto corde complexus est. Scrutetur quisque conscientiam suam, & quærat quid sibi delegerit.

174 *Expetiui salutem tuam.* Vel, Desideraui. Præteritum Hebræum pro præsenti, concupisco. Quidam vertunt, Desideraui ad salutem tuam. Hac loquendi forma nõ modò significat Dauid se expectauisse à Deo salutẽ, sed constanter in hoc proposito permansisse. Desiderare salutem Dei est agnoscere non alibi positam esse salutem quàm in mera Dei gratia. *Et Lex tua delectationes meæ.* Modum exprimit salutis patienter expetendæ, vbi scilicet malis omnibus solatium & leuamẽ petimus a Dei verbo. Nam quisquis promissæ gratiæ fiducia se non oblectat, ad leuissimos quosque insultus labascet. Prudẽtas igitur Propheta, ne sensum suum auerteret à sperãda salute Dei, eum continuit in Legis doctrina.

175 *Viuet anima mea.* Alij futurum verbi tẽpus retinẽt, hoc sensu, Domine si vitã longiorẽ contuleris, dabo operã vt te laudibus celebrẽ. Stat ridet hic sensus atis gratulationis species, in qua Propheta Dei promissionibus fretus securè vitam suã saluã fore prædicat. Et certè quanuis abscondita sit vita nostra sub vmbra mortis, gloriari tamẽ licet eam esse tutã, quia fidelis est eius custos, sicuti ex viuifica eius gratia, quæ nobis offertur Dei verbo, fiducia hæc emergit. Quia tamẽ maior pars interpretum in optãdi tempus hæc verba transfert, sequamur quod magis receptum est, nempe Dauidem, vitã petendo sibi prorogari, finẽ simul ostendere cur viuere cupiat: nempe vt se exerceat in canendis Dei laudibus, sicuti Suprà, 115. d. 18. dictum fuit, Nos qui superstites erimus, cõfitebimur Iehouæ. Discimus autẽ ex hoc loco, sanctos tãtùm vt Deũ laudent viuere velle. *Et iudicia tua subuenient mihi.* Si iudicia Dei pro eius manu & prouidẽtia accipere libeat, tantundẽ valebit hæc loquutio acsi Dauid diceret, Quandiu in hoc mundo versor, obnoxius sum innumeris malis. mira licentia inter homines grassatur, maior pars hominũ Spiritu tuo nõ agitur: sed quãtùuis increduli fint & insaniãt homines, parati ad mortẽ infarendã, interim tamẽ pendebo à tua prouidẽtia, agnoscãte eos retinere sub fræno quorũ furor videtur esse indomitus. Hæc autẽ valde vtilis est doctrina, vbi res sursum ac deorsũ voluũtur in mũdo, & salus nostra inter varias procellas periclitatur, attollere oculos ad Dei iudicia, & ex illis remediũ petere. Quia tamẽ in hoc Psalmo fere ad Dei præcepta refertur hoc nomẽ, licebit etiã cõmodè ita interpretari hũc locũ, vt Propheta monus & partes auxiliandi tribuat Dei verbo: quia nõ vanis promissis nos lactat Deus, sed verbũ suũ, quoties opus est, præsenti manus suæ virtute cõfirmat, ac sancit. Ita hoc insigne elogiũ erit ad commẽdandã verbi Dei efficaciam, quũ Propheta Dei Legẽ in auxilium suũ accersit. Posset etiã quis de Legis obseruatione exponere, acsi dixisset Propheta, Domine præsidio sit mihi integritas quã colui, & studium quod impẽdi seruandis tuis præceptis.

176 *Erraui sicut ouis perdita.* Quidam existimant Dauidem hic fateri sua delicta, quum se comparat oui perditæ: sed repugnat id quod subdit, se non oblitum fuisse præceptorũ Dei. Loquitur ergo de externis persecutionibus. Q.d. Domine fugatus sum violentis hostium meorũ iniuriis, veluti si ouis fugiat, quũ lupus ingressus est in ouile, nesciẽs quo se recipiat. Dauid enim coactus fuit quasi fortuitò huc & illuc vagari, vt nusquã inuenitet quietum locum exilio. Erraui igitur: nunc autẽ rogo vt me seruum tuũ reducas in viã. Hoc est, colligas in ouile tuũ. *Quia statuta tua non sum oblitus.* Dicit, quã uis errauerit instar ouis perditæ, nunquã tamen obliuionẽ Legis sibi fuisse inductã. Hæc autẽ ad exorãdi fiduciã optima fuit ratio, quòd multis iniuriis impulsus, nunquã à Dei timore defecerit. Quod tamẽ ad cursum vitæ magis referri debet quàm ad speciales actus, vt vocãt. Etsi enim ad tẽpus in adulterio suo obstupuit, certũ tamẽ est in rebus aduersis piã tolerãtia fuisse retentũ, vt perseueranter iustitiã coluerit. Videmus hoc versu quomodo Dauid agnoscit Deũ pastorẽ suũ, cuius est errantes oues quærere, & in sactã viã reducere. Clamẽt igitur fideles,

tè quàm oviculæ, ad Deum in huius mundi solitudine oberrantes, & curam summi pastoris implorent, dicentes, Oberravimus sicut oves quæ pereunt: quære nos Domine.

ARGVMENTVM PSALMI CXX.

Queritur David hoc Psalmo de hostium suorum sævitia, quorum pravis delationibus & lingua mendaci iniustè gravabatur.

Canticum graduum. Ad Iehovam in angustia mea clamavi, & respondit mihi.

Canticum graduum. Hebraicè Maaloth. id est, ascensionum. Hic Psalmus & quatuordecim sequentes eandé hanc omnes habent epigraphen. Vocantur enim Cantica graduum, nisi quod tertius, quintus, duodecimus & quartusdecimus inscribuntur Canticum graduum David: & octavus Canticum graduum Solomonis. De huius inscriptionis ratione nihil certi reperitur ne quidem apud Hebræos doctores. Quidam fingunt quindecim fuisse gradus ad parietē Templi viris destinatū, quum infrà substiterent mulieres. Sed frivola est divinatio: & scimus quantum licentiæ in rebus obscuris sibi permittēt Iudæi ad quidvis fingendum. Alii ascensionem interpretantur reditum ab exilio Babylonico, quod prorsus coactum est: quia pelamest maiorē partem compositam vel a Davide vel à Solomone: & coniicere promptum est ex ipso argumēto, quoscunque composuit David, in templo fuisse decantatos eo regnante. Alii ascensiones putāt esse tonos in modulatione. Alii, relinquentes vocē Maaloth, scribunt hos Psalmos decantatos fuisse ad numeros cantionis cuius initium erat Maaloth. Etsi autem hac de re, quæ levis est, non valde laborandum est, probabilis tamen videtur eorum coniectura qui dicunt nomen ab altiore cantu fuisse impositum. Descendit enim è verbo עלה quod tātundem valet atque ascendere, ideóque distinctos modulationis gradus notari libenter recipimus. *Ad Iehovam in angustia mea.* Quid Propheta in tribulationibus & angustiis egerit, & quid a Domino obtinuerit, breviter hoc versu commemorat. *Clamavi.* Præterita Hebræa quæ per præsens sic quidam reddunt, Ad Iehovam, quum in summa tribulatione sum, clamare soleo. & annuit mihi. vel, exaudit me. Potest tamen præteritū verbi tempus optime convenire: & versus hic indicat compositum esse hunc Psalmum à Davide, quum esset exilio ac periculis liberatus, ad hoc ut & orationem suam, quæ fuerat usus in exilio, & exilii molestias hoc cantico rememoraret. *Et respondit mihi.* Hoc est, exaudivit me. Etsi David hoc versu se à Deo exauditum fuisse commemorans gratias agit, præcipuum tamen eius consilium fuit, sub forma querimoniæ referre quàm sceleratè & crudeliter in eius perniciem studia sua & conatus intenderint Saulis adulatores. Primò tamen de sua gratitudine præfatur, quòd non frustra Deum invocaverit: ut suo exemplo alios ad precādi fiduciam animet, præsertim ubi rebus adversis premuntur. Quamvis enim singulis momentis Dei auxilio indigeant homines, nullū tamen magis opportunum eius quærendi tempus quàm dum urget maius aliquod discrimen. Ideo notanda est circunstantia, fuisse exauditum, quum tribulatione coactus in Dei fidem se contulit.

2 *Iehova libera animam meam à labiis falsitatis, à lingua doli.*

Iehova libera animam meam. Iam consequenter subiungit quomodo ad Dominum oraverit, & quid potissimū conquestus sit. De lingua mēdaci & fraudis cōcinnatrice, ut in aliis Psalmis, potissimum queritur, eo quòd nihil ferè res humanas æquè turbet, bonósque ac veri studiosos vehementius urat. *A labio falsitatis.* Vel, mendacii. Id est, à labio falso & mendaci. David hostes suos mēdacii & falsitatis accusans, innocentiā suam asserit ab eorum calumniis. Huc itaque tēdit postulatio, quum sibi nullius culpæ sit cōscius, præter ius & fas se impeti ab improbis, trahique in odium nullo suo merito. Quemadmodum ipsemet opportunitatem alloquēdi Saulem nactus dicebat, Quare audis verba hominum loquentium, David quærit animam tuam 1. Sam. 24. b. 10. *A lingua doli.* Vel, à lingua dolosa. Quum duobus modis probos & simplices viros oppugnent fallaces linguæ, vel dum eos circunveniunt dolis & captionibus, vel dum falsò infamant: de secūda specie nūc Propheta expostulat. Quòd si tanta virtute præditus & omni sinistra nota purus, remotúsque à crimine Propheta, probris tamē impetitus est, quid mirum si falsa hodie invidia laborent filii Dei, & quum rectè agere studuerint, malè tamen audiant? Et certè quum diabolum habeant hostem, eius mēdaciis gravari necesse est: imò videmus ne Filio quidem Dei linguas maledicas pepercisse. quo æquius nos ferre decet si immeritò nos improbi traducūt: quia certum est commune hic totius Ecclesiæ fortunam describi. Cogitandum itaque est quātum malum sit lingua mendax, & ad calumniandum propensa: tātum videlicet ut contra illius machinamenta necessarium sit pius non vulgare aliquod sed divinum auxilium. Vide Suprà, 64. a. 1, & 109 a. 2. 3.

3 *Quid dabit tibi & quid addet tibi lingua doli?*

Quid dabit tibi, &c. Tanquam victor exultat contra improbos. Est autem Hebraismus, pro, Quem fructum capies ex sermone fallaci? q. d. Tu quidem nocere potes, nihil tamen lucri ad te redit. Ergo quia Deus innocentiæ suorum assertor est, hac spe fretus David, perinde ac triumphum acturus de tota calumniatorum turba, magno animo insurgit, exprobrans nihil aliud quàm inane maledicendi studiū prodesse, quod Deus tādem in ipsorum capita retorquebit. Et hoc solatio lenit piorum omnium dolorem, ubi iniustè eorum famam proscindūt calumniatores, nihil profecturos: quia Dominus spem eorum frustrabitur. *Quid addet tibi lingua doli?* Dum sic loquitur Propheta, unumquenque nostrum admonet, ut dum ad facienda mala solicitamur, cogitemus ac reputemus ipsi quid inde simus lucrifacturi. habet enim unūquodque studiorum & factorum genus suum fructum, qui tandem etiam ex improviso provenit: & planè prudentis est futuros rerum eventus in tempore prospicere, & sequutura mala in ipso velut seminario præcidere. Infigat itaque cordi suo quisque auream istam percontationem, ut peccaturus seipsum interroget, dicens, Ecquid dabit tibi scortatio? quid adiiciet tibi adulterium? quem fructum capies ex calumnia proximi? Sic Paulus Romanis dicebat, Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est, Rom. 6. d. 21.

4 *Sagittæ robusti [viri] acutæ cum carbonibus iuniperorum.*

Sagittæ robusti viri acutæ. Exclamatione exprimit quàm pestilens res sit lingua fraudulēta, conferens eam sagittis viri validi, qui ut arcum fortiter multumque tendat, ita penitius sagittas infigit: quam pestē id auget etiam, si sagittæ sint exacuatæ. *Cum carbonibus iuniperorum.* Amplificat altera similitudine eorum malitiā qui simplices & innoxios suis calumniis infestent. Nam linguam fraude ac dolis instructam similem facit ardētibus iuniperorū carbonibus omnia pervastantibus, & quidem diutissimé. Aiunt enim huiusmodi ligni prunas vehementius quam cæteras, tum urere, tum ignem cinere contectas diutius servare. Mirum quàm magnam sylvā incendit linguæ ignis. nam lingua ignis est, & mūdus iniquitatis &c. Iac. 3. b. 5. 6. Summa est, igneo ardore accensas esse & quasi lethali veneno tinctas calūniatorū linguas, ideóque minus esse excusabiles quòd nulla mercede tam crudeliter lædere appetunt. Quia autem hic nihil refert Propheta nisi quod expertus erat, si eum eiusque similes configi mēdaciorum iaculis & quasi carbonibus exuri oportuit, non est quòd miremur in eundem quoque modum exerceri optimos quosque Dei servos.

5 *Hei mihi quia peregrinatus sum in Mesech, habitavi inter tentoria Kedar.*

Hei mihi quia peregrinatus sum. Vel, quia versor. *In Mesech.* Duæ voces illæ Mesech & Kedar versum hunc reddūt obscurum. Sed ut genuinum sensum teneamus, Propheta hic conquestus trahēdam sibi fuisse moram cum perversis hominibus, acsi quis miser in tristi exilio secū scere cogatur. Scimus Mesechitas & Kedarenos fuisse populos orientales, quorū priores originē traxerunt à Iaphet, (ut docet Moses Genes. 10. a. 2.) alteri verò ex filio Ismaelis fuerunt progeniti. Nā de Hetruscis accipere prorsus absurdum est, & caret omni colore. Quidam Mesech volunt appellativum esse nomen: & quia משך trahere significat, Prophetā diuturnum exiliū, quod sine fine prorogari videbatur, deflere existimant. Sed quia cōtinuò post addit Kedar (quo nomine Ismaelitas vocari certum est) dubium nō est quin per Mesech Arabes illis vicinos designet. Quidā Mesechitas à peritia sagittandi nomē adeptos putant: interim certum est Prophetam, acsi in terram prædonum relegatus esset, duræ ac molestæ habitationis tædium exprimere. Tenendum enim est, quāvis Arabes nominet, metaphoricè de suis popularibus loqui: sicut alibi corruptos & degeneres Iudæos gentiles vocat. Sed hic quò magis odiosè perstringeret hostes suos, cōsultò efferas & barbaras gentes elegit, quarū Iudæis nota erat immanis crudelitas. Docemur autem his verbis, filiis Dei vix ullum acerbius malū contingere, quàm dū piè & innoxiè vivēdo, virulentas tandem calumnias effugere nequeunt. Et notādum est, quum in patria ageret, fuisse inquilinū: quia nihil gravius esset pravorum hominum consuetudine. Sic electi in huius mundi exilio experiuntur incredibilem malitiam & inhumanitatem hominum carnalium & impiorum, quibuscum dum in carne sunt vivere coguntur, quos etiam nulla æqua & iusta ratione placare possunt. Ex hoc versu & illud colligimus, Deo, ex cuius Spiritu loquutus est David, nihil magis

esse detestabile quàm falsas criminationes, quæ Dei Ecclesiā fœda vastitate deformant: vt nihil ferè à latronum speluncis vel locis ob barbaram feritatē infamibus differat. Iam si triste exilium est filiis Dei, vbi iniustis mendaciis obruitur bonorū integritas, quomodo libenter & sine acerbissimo mœrore moram traherent in eo loco vbi horrendis blasphemiis superer fœdatur sacrum Dei nomen, & sacrilegis mēdaciis obscuratur veritas? Exclamat Dauid, Hei mihi, quod apud adulteros fratres indignam pietatis suæ mercedem reportet. Quum igitur hodie in Papatu probris omnibus inquinata sit religio, quum laceretur fides, quum lux in tenebras cōuersa sit, Deique maiestas crassis ludibriis subiecta, certè in quibus vigebit pietatis sensus, non poterunt sine ingenti cruciatu in illis sordibus iacere.

6 *Multum habitauit anima mea cum osore pacis.*

Multum habitauit anima mea. [a] Vel, Quòd tamdiu habitet anima mea. [b] Ad verbum, Multum peregrinetur sibi. Redūdat sibi. Nonne sine figura exprimit quos aptius obliquè notauerit per Meschitas & Kedarenos, nempe larnatos & perfidos Israelitas, qui desciuerant à sanctis patribus. Sic fideles conqueruntur sese diutius elongari à Domino, fatētúrque se hospites ac peregrinos esse super terram, quēadmodum de priscis illis Iudæorum patribus asserit author Epistolæ ad Hebræos, Cap. 11. c. 13. Vide item 1. Cor. 5. b. 8. *Cum osore pacis.* [c] Osores pacis hostes suos fuisse dicit, propterea quòd bonis & insontibus vltro bellum inferebant. [d] Sicuti hodie quāplurimi, quibus summa voluptas est probos & innoxios viros variis modis lacessere ac eorum animos suis sannis & calumniis perturbare.

7 *Ego pacem: & dum loquor, ipsi ad bellum.*

Ego pacem. [a] sub. quærebam. Quidam, Ego vir pacis. Ad verbum, Ego pax, & quum loquar, ipsi ad bellū. [c] Abrupta quidem est loquutio, sed tamen non obscura, nullam ab ipso profectam iniuriā, quæ odiis occasionē præbuerit. [v] acsi diceret, Bellum à parte mea profectum non est, ego nullam litem cōmoui, à me igitur fuit pax. *Et dum loquor, ipsi ad bellum.* [c] Iam vltrà procedit, se dedisse operā vt offensos mitigaret atque ad concordiam adduceret. Nam loqui, tātundem valet ac placidè offerre pacis conditiones, vel de reconciliatione agere. Vnde melius liquet quàm truculenta fuerit hostium Dauidis superbia, qui hominem de se bene meritum, & à quo nunquam læsi fuerant, ne alloquio quidem dignati sint. Docemur autē exēplo Dauidis, non sufficere si fideles abstineant ab iniuria, nisi etiam conentur allicere studeant & ad beneuolentiam flectere. Quòd si respuitur eorum modestia & æquitas, patienter expectent dum vindex è cœlo appareat. Meminerimus tamen ferendum esse moræ tædium si non statim manum suā exerat Deus: sicut videmus in hoc Psalmo Dauidē de sua liberatione Deo gratias agere, & tamen quasi languore confectum lōgam oppressionem deflere. [m] Videmus hic quale discrimen sit inter pios & impios. Sic enim comparati sunt impii, quorum corda sicuti mare feruēt, vt rectè רשעים (id est inquieti homines) vocentur, vt non solùm pacē turbent, sed & pacem odio quodā prosequātur. Contrà pii non solùm pacē non turbant, sed & diligunt pacem, vtpote veræ pacis alumni, & ad sempiternā pacem ab æterno ordinati. Qua de re vide Matth. 5. a. 9, & Roman. 12. d. 18, & Heb. 12. d. 14.

ARGVMENTVM PSALMI CXXI.

[m] Docet hic Psalmus à solo Deo petendum esse auxilium, [m] deinde splendidis elogiis paternam Dei curam ad tuendos fideles extollit.

CAnticum graduum. *Leuabo oculos meos ad montes, unde veniet auxilium meum.*

[v] *Canticum graduum.* [v] Vide Suprà, 120. a. 1. *Leuabo oculos meos.* [a] Quidam per præsens, Leuo. Alii, Leuaui. [m] Videntur hæc dici ad similitudinem speculatoris, qui in sublimi specula cōstitutus, in longinquum speculatur vndenam aliquid auxilii veniat. [c] Ergo videtur Propheta, quisquis sit huius Psalmi author, hominis incredoli personam suscipere. Nā sicuti Deus benedictionibus suis præuenit fideles, sponteque illis occurrit, statim etiam ipsi rectā in eum conuertunt oculos. Quid ergo sibi vult vagus hic intuitus Prophetæ, dum oculos circunfert in diuersas partes, quasi cum fides ad Deū non dirigeret? Respondendum est, nunquam piorum sensus ita occupari Dei verbo quin primo impetu ferantur ad illecebras. Præsertim vbi nos sollicitant discrimina, vel duris tentationibus cōcutimur, fieri vix potest (vt sumus in terram procliues) quin obiectis illecebris moueamur, donec sibi frænum iniiciant mētes nostræ, séque ad Deum colligant. Quanquam potest conditionaliter exponi oratio: acsi diceret Propheta, quicquid nobis in mentem veniat, spes omnes quæ ab vno Deo nos abstrahunt, esse euanidas & fallaces. Hoc modo non diceret Propheta quid secum agat, vel quid sit facturus, sed tantùm eos opera ludere qui posthabito Deo procul circunspiciunt, & remedia quæritant per longos & erraticos circuitus. Certum quidem est cū in sua persona morbū quo laborat totū hominum genus proponere, minimè tamen absurdum erit eum ex proprio sensu loquutum esse: quia hanc vanitatem nobis omnibus à natura scimus esse ingenitam, vt metu aliquo perculsi, huc & illuc vertamus oculos, donec ab errorum ambagibus reductos ad vnū Deum fides dirigat. Nam in hoc tantùm ab incredulis differimus, quòd tametsi omnes ad recipiendas fallacias propensi & imposturis creduli sumus, illos præstigiis suis fascinat Satan: Deus autem vitium naturæ nostræ corrigens, longius nos vagari non finit. Prophetæ certè consilium ambiguum non est, etiamsi potentissima quæque mundi subsidia se nobis offerāt, nihil tamen salutis extra Deum quærendum esse: imò, postquā diu se fatigauerint homines captandis hinc inde remediis, experimento tandem sensuros nihil esse certæ opis nisi in vno Deo. Nam per montes quicquid in mundo sublime est vel præclarum intelligit: acsi diceret, quamuis totus mundi splendor nobis arrideat, fauorem hunc pro nihilo ducendum esse.

2 *Auxilium meum à Iehoua, qui fecit cælum & terram.*

Auxilium meum à Iehoua. [c] Coniungi debet hic versus cum superiore. Q. d. Vbi oculos meos extulero ad montes, experiar demum perperam & sine profectu errare donec in vnum Deū fuerint defixi. Ac simul notandum est nō frustra hoc epitheto Deū ornari, quòd opifex sit cœli & terræ, quia tacitè perstringitur hominum ingratitudo, dum in eius virtute acquiescere nequeunt. Nam si solidè agnoscerent creatorem, persuasi quoque essent, quia totus mundus in eius manu est, eiusque arbitrio regitur, immensa virtute esse instructum: nunc dum aliò eos rapit cæcus impetus, iure & imperio suo eum fraudāt. Hoc modo accommodare ad præsentē causam epitheton oportet. Summa est, quum simus natura plus iusto solliciti ad quærēdum malis nostris leuamen & remedium, præsertim vbi imminet manifestum aliquod discrimen, perperam tamē discurrere per flexuosas ambages, ideóque cohibēdos esse sēsus nostros, ne aliò se quàm ad vnum Deum applicent. Nec malè sentiunt quidam אל hic positū esse pro על quod est super: vt sit sensus, quamlibet altè speculentur homines, nihil tamen extra Deum veræ salutis reperturos.

3 *Non dabit ad lapsum pedem tuum, non dormitabit custos tuus.*

Non dabit ad lapsum. [v] Vel, In commotionem, Vt labatur pes tuus. Id est, Non patietur Dominus vt pes tuus nutet aut labatur. [a] Hic Propheta, vt fideles reuocet, & ansam præcidat illecebris omnibus quæ solent pias mentes distrahere, quicquid à mundo expetere vel sperare solent profani homines, fidelibus in vno Deo suppetere & promptū esse prædicat. מוט Hebræis tam lapsus vel ruina quàm trepidatio & nutatio vocatur. Etsi autem fideles contingit sæpe nutare, imò labascere: quia tamē sua virtute fulcit eos Deus, recti stare dicūtur. Quia autem inter tot pericula quæ singulis momentis impēdent, difficile est à cura & metu nos eximere, simul testatur Propheta Deum agere perpetuas excubias. *Non dormitabit custos tuus.* [v] Vel, Qui custodit te. Propheta non modò potētiam Deo tribuit, sed erga nos ita affectum esse docet vt saluos omni ex parte præstare velit. [c] Quoties enim extollitur Dei potentia, multis exceptio in ore est, posse quidem si velit, sed de eius consilio nos esse incertos. Ergo fidelibus proponitur Deus custos, vt securè in eius prouidentiam recumbant. Nam sicut ab Epicureis, qui fingunt nullam esse mundi curam Deo, omnis pietas extinguitur: ita qui confusè imaginantur mundum à Deo regi, nec statuunt vnumquenque piorum peculiari eius cura foueri, suspēsos relinquunt animos, & cōtinua inquietudine ipsi fluctuant. Certè nunquā vigebit seria Dei inuocatio, donec huius custodiæ certitudo penitus animis nostris infixa fuerit. Deum verò pronunciat custodem nostrum esse vt nos sustentet. [a] Quod magnam consolationem nobis omnibus afferre potest. [m] Custode dormiente nihil est inanius, imò nihil periculosius. nam non solùm non facit officium, sed & perdit eos qui ipsius fiducia securè agūt. Rursus custode vigili ac fideli nihil pretiosius illis est qui periculis sunt obnoxii, præsertim si non solùm vigilat, sed & pericula ipse auertit. Talis custos piorum proponitur hic Deus. ille non solùm peruigil est, sed & seruator.

4 *Ecce, non dormitabit neque dormiet custos Israelis.*

Ecce, non dormitabit. [c] Amplificatione vtitur Propheta, hoc sensu, Dominus qui populum suum vigilantissimè tuetur, nõ dormitabit: hoc est, ne leniter quidem soporabitur, multo minus somno detinebitur profundo. [c] Vt Vates singulos euocet ad communem fœdus, Dei prouidentiam ad totum Ecclesiæ corpus extendit. Nam, vt quisque Deum sibi propitium fore confidat, à generali promissione incipere consueuit. *Neque dormiet.* [a] Posset hæc amplificatio videri inuersa, qualis est & Supra, 1.a.1. qui enim non dormitabit, multo minus dormiet. quare videtur hoc fuisse præponendum, vt sequens, non dormitabit, orationem intenderet. Sed Scriptura hûc in modum loqui consueuit. Complanabitur autem oratio si sic reddatur, Non dormitabit, multo minus dormiet. Vel, Non dormitabit, nedum dormiet. [e] Atque hoc modo ratiocinantur Hebræi à maiori ad minus. Sensus ergo est, quia nunquam vel minimum dormitat Deus, minimè timendum esse ne quid nobis contingat eo dormiente. Tenemus nunc Prophetæ consilium. Nam vt singulis persuadeat Deum peculiarem eorum curam gerere, in medium profert quid toti populo sit pollicitus, Deumque pronunties Ecclesiæ suæ esse custodẽ, vt ex hoc fonte singuli riuos ad se deriuent. *Custos Israelis.* [f] Vel, Qui custodit Israelem. Declarat quid significaret per pronomẽ te, in præcedẽte versu positum, nempe Israelem. [a] Neque enim irrita poterat esse promissio quæ patribus populi Israelitici facta fuerat. Promiserat autem Deus se ipsorum Deum fore atque seminis ipsorum, Gen. 17.a.7.

5 *Iehoua custos tuus, Iehoua protectio tua, ad manum dexteram tuam.*

Iehoua custos tuus. [m] Exaggerat hoc versu certitudinẽ opis & custodiæ diuinæ. Atque quenque priuatim compellans dicit, Deus custos tuus, ne scilicet dubitet quispiam, quod ad totum Israelem pertinet, in suum vsum applicare. *Ad manum dexteram tuam.* [v] Vel, stans super manum dexteram tuam. Vel, Astans tibi ad dexteram manum. Quidam, Iehoua vmbra tua, super manum dexteram tuam. [o] Vocatur Deus protectio ad dexteram, vt sciamus non procul quærendum esse Deum, sed præsto adesse, imò stare à latere nostro vt nos tueatur. q.d. Stat Domin[us] ab vnoscuiusq; latere, vt eũ cõseruet ac tueatur. [a] Vide Suprà, 16.c.8. vbi similis anthropopathia Psaltes vtitur.

6 *Die sol non uret, neque luna nocte.*

Die sol non uret. [b] Vel, Per diem sol non percutiet te. Et certè verbum Hebræum propriè significat percutere & cædere: sed quia exurere solet sol, verbum vrendi non malè conuenit. *Neque luna nocte.* [m] Hoc additur, quia frigus lunæ noxium est illis potissimum quibus est in castris & sub aperto cælo commorandum. [o] Porro his loquendi formis fructum præsentiæ Dei commendat, ac per synecdochen sub specie vna fideles tutos ab omnibus rebus aduersis asserit, quia Dei manu proteguntur. Quanquam etiam subest metaphora, quia per nocturnum frigus & diurnum æstum Propheta quoduis incommodi genus designat. Sensus ergo est, Quamuis humanæ vitæ miseriis promiscuè subiaceant fideles, vmbrã tamen Dei semper ad latus eis oppositam, ne quid noxæ inde sentiant. Quanquam non tales promittit delicias filiis Dei vt immunes sint ab omni molestia, sed tantùm hoc solatio temperat eorum dolores, Deo propitio ab omni exitiali noxa securos fore.

7 *Iehoua custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam.*

Iehoua custodiet te ab omni malo. [a] Superiorem allegoriam explicat hoc versu, dicens Deum depulsurum omnia mala ita vt suorum vitam tutam seruet ac incolumem. *Custodiet animam tuam.* [a] Hoc est, Te ipsum, siue vitam tuam tuebitur aduersus quælibet incommoda. Sic alibi dicitur, Dominus custodit animas sanctorum suorum, Suprà, 97.b.10.

8 *Iehoua custodiet exitum tuum & egressum tuum, ab hoc tempore & vsque in seculum.*

Iehoua custodiet exitum. [v] Hebraismus, Faciet Dominus vt omnia tua negotia fœliciter cedãt. [b] Nã omnes vitæ actiones egressum & ingressum Scriptura vocat. Inde dicebat Solomo, Ego puer paruus, nec scio egressum meum aut ingressum, 1. Reg.3.b.7. Hoc est, nec quid incipiam, nec quid perficiam: quid mittam, quidve instituã: quæ fugiam, quæve sequar. q.d. Dominus diriget omnia cõsilia, & omnes vitæ tuæ actiones suscipiet in suam curam ac perficiet. [c] Siquis tamen longius extendere malit, suo sensu fruatur: nobis sufficit quod sine controuersia certum est ac solidum amplecti, Deum fore suis perpetuum ducem, vt manu porrecta ab initio ad finem vsque pro vnico eos deducat. Iam notare operæpretium est, cur Propheta quod breuiter & vno verbo satis clarè expressit, toties repetat. Videtur enim superuacua esse inculcatio. Cæterùm si expendimus quam difficile sit nostram diffidentiam corrigere, colligere licebit non temere insistere Prophetã in commẽdanda Dei prouidentia. Quotus enim quisque hûc Deo custodis honorem tribuit, vt securitatem inde concipiat, ac in periculis eum inuocet? Imò vbi videmur optimè gustasse quid valeat Dei protectio, simul ac folium deciderit ex arbore, trepidamus ac si nostri oblitus esset. [e] Ergo quum tot prauis dubitationibus simus implicati, & tanta sit nostra ad diffidentiã propensio, admonet hic locus, si breuis sententia nobis nõ sufficiat, quicquid passim de prouidentia Dei in Scripturis occurrit, colligendum esse: donec penitus cordibus nostris insideat hoc doctrinæ caput, Deum semper pro nobis excubias agere: vt vnico eius præsidio contenti, omnibus mundi figmẽtis valedicamus. *Ab hoc tempore & usque in seculum.* [a] Hoc addidit Propheta vt sciamus à Deo deseri non posse quos semel in suã tutelam receperit. Quicquid igitur mundus imaginetur, nõ dubitemus eos omnes beatos & fœlices esse qui fiduciam suã in Domino locant, (Suprà, 2.c.12.) & ab eius prouidẽtia toti pendent.

ARGVMENTVM PSALMI CXXII.

[m] Qvum esset Arca Dei per Dauidem Ierosolymam translata, compositus est hic Psalmus gratulationis. [b] Vt autem fideles animentur ad cultum Sãctuarii, Propheta breuiter commemorat hinc pẽdere fœlicem populi statum, quòd Deus regiam sedem delegerit Ierosolymæ, vnde suos protegere, tueri & iuuare velit.

C*Anticum graduum Dauidis. Lætatus sum, quum dixerunt mihi, In domum Iehouæ ibimus.*

Canticum graduum Dauidis. [a] Nomen Dauidis expressum est, ne quis de authore Psalmi dubitet. *Lætatus sum, quum dixerunt.* [m] Quidam, Lætor quum dicũt mihi. Alii, Lætatus sum cum dicentibus mihi. Vel, Propter dicentes mihi. Ad verbum, Lætatus sum in dicentibus mihi. [a] Sed litera ב beth, vt aliàs sæpe, in aduerbium temporis resoluitur. Dauid enim se duplici gaudio affectum testatur: quòd oraculum, quo mons Sion ad solennem Dei cultum electus fuerat, exceptum esse videat communi populi obedientia. Sæpius dixerat Deus per Mosen fore aliquando certum & stabilem locum suo Sanctuario: iam tamẽ vltra mille annos Arca Domini huc & illuc traducta fuerat, quasi peregrinaretur. Dauidi patefactus fuit mons Sion, vbi eã locari Deus volebat, & templum sibi extrui. Sicuti verò ipse oraculum summo gaudio amplexus est, ita se lætatũ fuisse affirmat quòd accesserit totius populi consensus. [c] Hoc exemplo monemur bis gaudendum esse vbi non modò vnumquenque nostrum Deus Spiritu suo in obsequium verbi sui format, sed alios quoque nobiscum adducit, vt simus omnes eiusdem fidei socii. Scimus quanta sit humani ingenii contumacia, vt semper fere maior numerus obmurmuret quoties Deus loquitur. Itaque nõ parua nobis offertur gratulationis materia, vbi nobiscum omnes Deo subscribunt.

2 *Stantes erunt pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.*

Stantes erunt pedes nostri. [e] Vel, fuerunt. Futurum est Hebræum. Quidam vertunt, Stantes sint. Q.d. Conferamus nos ad Ecclesiam sanctã, & illic permaneamus, vel persistemus. [e] Hic communẽ omnium vocẽ recitat Dauid, quòd pedem demum fixuri sint Ierosolymæ: quia illic Sanctuariũ residere volebat Deus, quod prius in varia hospitia subinde traductum fuerat. Itaque præteritũ verbi tempus cõmodè retinere licebit, [e] hoc sensu, Quærenda hactenus fuit nobis Arca in variis locis, quia Dominus nondum assignauerat hanc stationem: nunc verò, postquã ostensus fuit locus, in portis Ierusalẽ pedes nostri fuerũt. Hoc est, non vagabimur huc & illuc, neque discurremus. Nam hic agnoscimus domicilium Arcæ fœderis. [e] Porro tali Arcæ peregrinatione monebat Deus populum suum, non frustra se per Mosen dixisse quod nuper attigimus. Ita quoties Arca fœderis ab vno loco in alterum delata fuit, ad certam stationẽ expetendam stimulauit Deus seruorum suorum vota. Porro illa quam diximus loci statio non parui momenti fuit: quia sicuti vagante Arca fides populi suspensa fuit, sic postquã Deus elegit certum domicilium, certius testatus est se æternũ fore populi custodem. Non mirum igitur quòd fideles cum gratiarũ actione prædicent, pedes suos iam fore stabiles in portis Ierusalẽ, qui prius discurrere solebant. Verum quidem est diu Arcam habitasse in Silo: sed quia nihil de loco illo promiserat Deus, nulla potuit esse stabilitas. Rursus quia de monte Sion dictum erat, Hæc requies mea in seculum seculi, (Infrà, 132. d.14) fideles in hoc verbo fundati securè iactant, pedes suos in posterum fore quietos & firmos. Iam quum Christus in quo habitat plenitudo deitatis, (Colos. 2.b.9.) & qui verus est nobis Imanuel (Esa.7.c.14) inter nos resideat, vberioris gaudii

materiam nobis suppeditat. Quare ingrati sumus & stupidi nisi in summum gaudium nos rapiat illa promissio, Ego vobiscū sum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28. d. 20. præsertim si eam publico consensu recipi videmus. Nam quod nuper de requie Domini citauimus, in Christi demum persona impletum est, sicut constat ex capite Esa. 11. c. 10, Requies eius erit gloria. Vbi Esaias nō de Christi sepultura loquitur (vt quidam falsò putant) sed de futura Ecclesiæ præstantia.

3 *Ierusalem ædificata vt ciuitas, coaptata in se simul.*

Ierusalem ædificata vt ciuitas. [v] Vel, Ierusalem quæ ædificata est & velut ciuitas quæ adunata est sibi simul. Mutatio personæ: ac si diceat, Stabimus inquam in portis tuis ô Ierusalem, cuius ædificatio est absolutissima, & quæ est velut vrbs cuius ciues vnanimiter viuunt. [m] Hoc versu & duobus sequētibus ponitur ciuitatis Ierusalem laus & commēdatio, [c] idque eo consilio vt populus constanter in obsequio maneat. Magni enim interfuit non abstrahi huc & illuc piorum mentes, sed manere defixas in ea vrbe quæ vinculum erat sacræ vnitatis. Et scimus hoc fuisse miseræ dissipationis initium, quum populus in duo corpora diuisus fuit. Quare nihil mirum si tāto studio locum diuinitus electum Dauid commendet: quia sciebat inde pendere Ecclesiæ salutē si purè illic ex Legis præscripto Deū colerent filii Abrahæ: deinde si regiam sedē agnoscerent quam illic suis auspiciis idē Deus erexerat. Quod dicit Ierusale ædificatam esse instar vrbis, non tantùm ad muros vel turres vel fossas refertur, sed præcipuè ad ordinem politicum: etsi ad veterem statum alludit. Salem quidē ab initio celebre fuerat oppidum, sed ex quo regni caput esse voluit Deus, faciem & quodammodo naturā mutauit: vt tunc demū verè inciperet nomen vrbis bene compositæ mereri. Videri posset hoc primo intuitu frigidum, Ierusalem vocari vrbem: sed notandum est quasi vnicā statui in tota terra, cui aliæ frustra sint æmulæ. Nā certè passus est Dauid alias vrbes manere in suo gradu, sed Ierusalem altius extollit, vt conspicua emineat: sicuti Esaias, 2. a. 2, loquitur de monte Sion quòd sublimior erit aliis omnibus. Cullieulū vt Propheta extollat, altissimos quosque vbiq; mōtes in ordinem cogit, ne illius obscurēt gloriam. Sic etiā nunc Dauid Ierosolymam dicit compositam esse tanquam vrbem, ne huc vel illuc circumspiciant fideles, sed vrbe diuinitus electa contenti sint: quia nusquam reperient parem. Vide Suprà, 87. a. 1. *Coaptata in se simul.* [a] Vel, Quæ coniuncta est sibi pariter. [c] Postquā Dauid iussit omnes alias vrbes subsidere, præstantiam Ierosolymæ paucis verbis ostendit, quòd scilicet coadunata sit, vel omnibus suis partibus aptè & concinnè vnita. Quidam sine figura hoc accipiunt, quòd ciues eius concordiā & pacem simul colant. Probabile tamē est, per similitudinem describi pacatum vrbis statum. Mutuam igitur coniunctionē, quæ viget inter ciues, & qua inter se cohærent, comparat ædificiis inter se pulchro artificio aptatis, vt nihil mutilum sit, vel hiulcum, vel diuulsum, sed concinna vbique æqualitas. Cæterùm admonet Dauid non aliter stare incolumem Ecclesiam nisi vbi viget consensus, & fidei ac charitatis coagmentata sanctam vnitatem colit. [a] Qua de re multa Apostolus, Rom. 15. b. 6, & 1. Cor. 1. b. 10, & Ephes. 4. a. 3. 4.

4 *Illuc ascenderunt tribus Dei in testimonium Israeli, ad celebrandum nomen Iehouæ.*

Illuc ascenderunt tribus Dei. [m] Ostendit ad quid ædificata sit Ierusalem, nempe vt illuc fieret conuentus populi Dei. hoc est, vt singulæ tribus Domini, concio vel panegyris Israelis conuenirent ad celebrandū nomen Domini. Hac de re in Lege præceptum erat, vt tribus vicibus anni coram Domino omnis masculus appareret, Exodi 23. d. 17, & 34 c. 23. [c] Scimus cur templum vnū duntaxat & vnū altare extare tunc voluerit Deus, ne scilicet populus in varias superstitiones difflueret. Iam ergo Dauid prædicat hunc locum Dei voce ordinatum esse, in quem vndique conueniant omnes Dei familiæ, vel duodecim tribus, ad inuocandum Dei nomen. *In testimonium Israeli.* [v] Vel, quod est testimonium Israeli. [c] Vt clarius Propheta exprimeret quanti intersit purum & legitimum cultum seruari, dicit hoc esse in testimonium. [v] Quod quidam sequentibus iūgunt, Testimonium Israeli vt celebret nomen Iehouæ. Id est, quod testatur Israelem debere laudare Iehouam. Alii, Quia præceptum est Israeli vt celebret nomen Iehouæ. Alii subaudita præpositione vertunt, Ex testimonio Israelis ad celebrandum nomen Iehouæ. Vel, Secundum testimonium Israelis. id est, secūdum fœdus cum Israele pactū. [c] Origo istius nominis est verbum [illegible], quod testificari vel pacisci significat. Notatur autem hic mutua testificatio vel conuētio inter Deum ac populum: acsi diceret Propheta, nō temerè venisse illuc tribus, quia sic ferat libido: sed quia eas proprio ore Deus inuitat. Sūma est igitur, sacros cōuentus, qui Ierosolymæ agentur, non fore inanes vel fatuolos: quia de certo loco Deus cum populo suo pepigerit. Vnde colligimus verum Dei templum non censeri nisi à doctrina. Quod ad tempus Dauidis spectat, quoniam adoptauerat Deus veterem populum, & volebat exerceri in externo nominis cultu, regulā præscripsit à qua nefas fuit deflectere. Ita non stultè vel inconsiderato zelo vel cerebri sui impetu tracti fuerunt fideles in montem Sion, sicuti homines ex proprio sensu innumeros cultus sibi fingunt: sed Dei mādato abducti, vt eum colerent in monte Sion. Quo verbo significat omnia alia tēpla profana esse, & vitiosos cultus, quia Dei præscripto non respondeant. *Ad celebrandum nomen Iehouæ.* [c] Addit Propheta finem pacti huius vel conuentionis vt celebretur nomen Dei. Et sanè sicuti hic adoptionis nostræ, ita omnium actionum finis est, bonorum omnium gloriam Deo tribuere.

5 *Quia illic sederunt solia ad iudicium, solia domus Dauid.*

Quia illic sederunt solia. [a] Vel, Quia illic collocatæ sunt sedes. [v] Ad verbum, Sederunt pro præsenti, sedent. Id est, Vbi solia regalia Dauidis constituta sunt, in quibus omnia ex summa æquitate constituuntur & iudicantur. [c] Intelligit solium regni Ierosolymæ fixum esse vel locatum, vel illic certam esse eius stationem. Scimus aliqua semper fuisse iudicia in populo: sed quum prius fuissent suspēsa & variè mutata, nouam gubernationem quæ perpetuo ordine flueret, instituit Deus in persona Dauidis: quia in eius locum posteros iussit succedere vsque ad Christi aduētum. Ergo sicut de templo & sacerdotio nuper loquutus est, ita nunc regnum quod Deus erexit, firmū & stabile fore prædicat, vt discernat à reliquis mundi imperiis, quæ non modò temporalia sunt, sed etiam caduca. Atque hæc perpetuitas ab aliis Prophetis subinde cōfirmata fuit: & meritò, vt scirent fideles non aliter Deum custodem fore salutis suæ nisi sub tutela & præsidio Dauidis: atque ita, si incolumes & salui manere cuperent, non crearent suo arbitrio nouos reges, sed placidè sub illo genere regiminis degerent. Itaque emphatica repetitio est in nomine solii. Illic positum est solium (inquit) iudicii, vel rectitudinis: deinde, soliū domus Dauid: quia volebat Deus penes eius posteros manere ius & potestatē regnandi, donec patefieret in Christo solida æternitas. [m] Est autem & cælestis Ierusalem imago hic consideranda. Terrena Ierusalem sic erat ædificata vt esset ad eam ascendendum, propter loci situm: cælestis Ierusalem constructa est in cælis, nec in eam nisi ascendēdo ex huius vitæ fæcibus, per alacritatem Spiritus accedi potest. Carnales ac terreni homines illò non pertingunt. Deinde terrena Ierusalem ad hoc constructa erat vt esset ciuitas populi Dei, conuētibus illius deputata. Sic Ierusalem illa cælestis ad hoc est ædificata vt illic tribus Domini, populus electorum ac credentium in hac vita votis fidei, post illam æterna corporum ac spirituum societate conueniant. Huc nos dirigit Paulus, dicens, Quærite quæ sursum sunt, Coloss. 3. a. 1. Et illò nos accessisse admonet author epistolæ ad Hebræos, Cap. 12. f. 22. Terrena Ierusalem cultū diuinæ laudis habebat: cælestis demum ea est, in qua & Angeli & sanctorum Ecclesia Dominum Deum in sempiternum laudant & laudabunt. Habuit terrena Ierusalem sedem Dauidis: cælestis sedem habet Christi filii Dei, regis regum, & domini dominantium, cuius Dauid typus quidam extitit. Terrena habuit tribunalia, vnde de omnibus Israelitis iudicabatur: cælestis tribunal habet vnde iudicatur & iudicabitur de toto terrarū orbe, & cunctis in vniuersum mortalibus. Vtinā ista perpendamus, & toto corde ad cælestem illam Ierusalem aspiremus ōnes quotquot illius censemur alumni.

6 *Precamini pacem Ierusalem: prosperè sit diligentibus te.*

Precamini pacem Ierusalem. [v] Vel, Postulate pacem Ierusalem. Quidam, Rogate pro pace. Alii, Optate pacem. Vel, [a] Quærite pacem. Quum Ierusalem diuinitus instituta esset vt illic & ceremoniarū & regni sedes esset, ab huius pace & fœlicitate totius populi & regni pax atque prosperitas pendebat. [c] Hinc hortatur Dauid omnes pios Dei cultores vt vota concipiant pro fœlici sacræ vrbis statu, propterea quòd in regno & sacerdotio inclusa erat totius Ecclesiæ salus. Iam vero quū necesse sit, collapsa cōmuni salute, vnūquēque nostrūm miserè perire, nō mirum si Dauid hāc curā & hoc studium ōnibus Dei filiis commēdet. Itaque si ritè ordinata volumus preces nostras, hoc sit exordium, vt Dominus Ecclesiæ corpus cōseruet. Quisquis autē priuatim sibi addictus, cōmunē statū negligit, non solùm ostendit se vacuū esse vero pietatis sensu, sed frustra sibi bene optat, nec quicquā præpostere suis votis proficiet. Porro videmus hic quid optandū sit Ierusalē ciuitati Dei in terris cōstitutæ, pax nimirū. Versatur enim illius ciues (hoc est fideles ōnes) in medio hostium, in mundo pressuram patiūtur, & ab impiis

Satanæ satellitibus indesinenter affliguntur: sed interim tutorem ac defensorem habent Christum, regem potentissimum, qui pacem illis offert, quam mundus nec dare nec auferre potest, Ioh. 14.d.17. *Prospere sit diligentibus te.* Mutatio personæ, Fœliciter agant. Alii, Bene sit iis qui &c. Quidam legunt, Prosperabuntur (vel quiescent) diligentes te. Quanquam autem verbum שלה in quiete vel pace agere significat, quia tamen pacis nomen generaliter pro læto & fœlici statu posuit, ita dubiū non est quin piis omnibus, quibus curæ erit Ecclesia, benedictionem Dei & vitam prosperam in genere denunciet. Quæ sententia sæpius occurrit apud Esaiam, à 54 capite vsque ad finem. Porro hinc colligimus, à Deo maledici omnes qui Ecclesiam infestant, vel eius perniciem quouis genere noxæ machinantur.

7 *Sit pax in munitione tua, prosperitas in turribus tuis.*

Sit pax in munitione tua. Vel, in antemurali tuo. Vox Hebræa significat fossam qua cinguntur vrbes. Quidā Hebræorum exponunt, In exercitu tuo. Alii, in populo tuo. Sed munitionis nomē turribus melius respōdet. Pacis verò nomine nihil aliud quàm prosperitas intelligitur. Est enim sententiæ geminatio in hoc versu. nam subditur, *Prosperitas in turribus tuis.* Ponitur quidem nomen שלוה quod interdum Hebræis quietē significat, sed sæpius pro abundantia & rebus prosperis capitur. Summa est, quòd Dauid prosperitatē optat Ecclesiæ quàm longè patet per totum circuitum. Porro notandum est non ita optari prosperitatem externam acsi non curarit Dauid quomodo intus haberet: sed ad montes alludens optat sanctam vrbem omni ex parte, Dei benedictione cinctam esse & munitā. Quid enim prodesset externa illa fœlicitas nisi cum Dei benedictione coniuncta?

8 *Propter fratres meos & propinquos meos loquar nūc pacē in te.*

Propter fratres meos. Causam superioris precationis habet hic versus cum sequēti, quòd fratres sint & verè proximi ciues Ierusalem, & sit illic sedes religionis. q.d. Quod opto vt pax sit in te, quod quæro & peto vt bene sit tibi, facio propter fratres meos & proximos, id est socios meos, eiusdem fidei & religionis cōsortes, cum qui te inhabitant, tum qui te inuisunt. *Loquar nunc pacem in te.* Vel, de te. Hebraismus, pro, Optabo tibi omnia prospera. Duas causas enumerat cur tangatur Ecclesiæ cura, vt suo exemplo pios omnes ad eūdem profectum prouocet. Videtur tamen subesse tacita antithesis, quia apud improbos & malignos suspectus esse poterat, vel saltem obnoxius erat eorum calumniis, acsi in commendanda Ierusalem domestico potius commodo quàm publicæ vtilitati consuleret. Nequis obiiceret, astutè regnū suum hoc modo stabilire: testatur se non moueri priuato sui respectu, sed totam Ecclesiam se animo amplecti. Loquar (inquit) de pace tua Ierusalē non quia vel mihi vel meis vtile futurum est, sed quia prosperitas tua sese ad omnes Dei filios diffundet. Neque enim dubium est quin fideles omnes sub fratrum nomine designet.

9 *Propter domum Iehouæ Dei nostri quæram bonum tibi.*

Propter domum Iehouæ. Hæc est secunda ratio cur eluitati Ierusalem bene precatus fuerit: quia nisi stante Hierosolyma, non manebit integer Dei cultus, sed pessum ibit. q.d. Dominus Deus noster sedem suam in te collocauit, & cultū nominis sui in medio tui erexit, cuius te nomine diligo, & omnis generis prosperitate dignam esse iudico. *Quæram bonum tibi.* Vel, persequar. Hoc est, læta omnia, fœlicia ac prospera tibi precabor, & tuam incolumitatē iugiter optabo. Hinc verò discimus quo loco quisque fidelis fidei suæ consortem habere debeat, fratris videlicet & proximi loco. Deinde quibus de causis amico debeat esse præditus affectu erga Ecclesiam fidelium. Duo spectari debent in Ecclesia Christi, In hac sunt fratres & proximi, in hac est domus Dei. Imò ipsa est domus Dei, in qua sunt filii Dei ac veri fratres. Ergo si pretiosa est nobis fratrum salus, si cordi est religio, curanda simul est Ecclesiæ incolumitas quoad in nobis erit. Vnde sequitur nō minus crudeles esse quàm impios quibus susque déque est Ecclesiæ status. Nam si columna & firmamentū veritatis est Ecclesia, (1. Timoth. 3.d.15) eius interitu pietatem quoque extingui necesse est. Iam quomodo exitium corporis singula etiam membra non inuoluat? Docet præterea hic locus nō inanem esse Ecclesiæ titulum, sed vbi viget pura religio, illic quærendā esse Ecclesiam. Vnde apparet quàm insipidi sint Papistæ qui profligata Euangelii doctrina, magnificè tamē Ecclesiæ nomine superbiunt.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIII.

Fideles probris & ignominia affecti ad Deum pro liberatione confugiunt: quia non alia quàm in eius patrocinio spes residua sit.

Canticum graduum. AD te leuabo oculos meos, qui habitas in cælis.

Canticum grad. Probabile est, quum populus in exilio Babylonico degeret, vel quo tempore grassata est Antiochi sæuitia, hanc precandi formam piis omnibus in commune dictatam esse ab aliquo Propheta. Neque enim verisimile est Dauidem authorē esse Psalmi, quia vbi persequutiones quas passus est sub Saule, deplorat, aliquid de se priuatim interponere solet. *Ad te leuabo oculos meos.* Quidam vertunt, Ad te leuo, vel, Eleuo, Attollo oculos meos. Hic fideles, crudeli hostium tyrannide oppressi, secundum cordis sui mœstitiam in cælos suspirant, & Deum liberatorem implorant. Atque ita Spiritus sanctus, cuius instinctu Propheta precandi regulam populo tradidit, clara voce nos ad Deum inuitat, quoties nō vnus & alter modò, sed tota Ecclesia hostium suorum libidine iniustè & superbè vexatur. *Qui habitas in cælis.* Hoc est, qui Dominus es omnium, & potestatē habes in omnia. Disertè vocatur hic Deus cælorum habitator, nō modò vt eius potentiæ deferant fideles quātum oportet, sed vbi nihil spei reliquū est in terra, imò desperata eorum conditio instar sepulchri est, vel in labyrintho demersi sunt, vt cogitent Dei virtutem in cælo integrā manere. Itaque subesse videtur antithesis inter turbulentum & confusum mundi statum, & regnum Dei cæleste: ex quo omnia sic moderatur vt ōnes agitationes, quoties ita visum est, trāquillet, perditis & desperatis succurrat, lucem restituat, discussis tenebris, prostratos & deiectos erigat. Ac leuādi verbo id cōfirmat Propheta, vbi scilicet omnia nos in mūdo deficiunt, sursum tollendos esse oculos, vbi Deus similis sui perpetuò manet, vtcūque hominū furor omnia hic peruertat.

2 *Ecce, sicut oculi seruorum ad manum dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ, ita oculi nostri ad Iehouam Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Ecce, sicut oculi seruorum. Eleganti & apposita similitudine seruorum & ancillarum, fideles & modestiā & necessitatem & spem suam exprimunt: simulque fatentur, extra Dei tutelā nihil esse solatii piis omnibus, inermes esse, & ad quāuis iniuriam expositos, non vires neque audaciam ad resistēdum suppetere: deinque eorum salutē pendere totam ab alieno auxilio. acsi diceret, Domine, quod ad te suspicimus, facimus tanquam serui tui. Etenim vt serui & ancillæ, vbi quid incommodi patiuntur, nō alio quàm ad manum (id est, ad opem & auxilium) herorum suorum ac dominarum respiciunt, & inde expectant vt iuuentur, quando non est illis aliud refugium relictum: sic & nostra habet conditio, nostra necessitas, & spes vnica qua à te pēdemus. Scimus quàm indignè olim tractati fuerint serui, & quibus expositi contumeliis: porro ad vim repellendam vix digitum mouere audebant. Omni ergo defensione priuatis restabat quod hic dicitur, vt se herili manu protegi peterent. Eadem etiam ratio ad ancillas pertinet. Pudenda quidem ac turpis fuit illa conditio, sed facit compēsatio quæ hic nobis proponitur, ne seruilis ignominiæ nos pudeat. Neque enim est cur ægrè feramus conferri mancipiis, modò Deus sit patronus noster, vitæque nostræ defensionem suscipiat, qui nos consultò exarmat, & cunctis huius mundi opibus exuit, vt discamus vnica eius gratia contentos esse. Nam olim, quia seruis gladium vel telum aliquod gestare capitale erat, & omnibus iniuriis obnoxii erant, eo animosius solebant domini se opponere siquis eos absque causa violauerat. Non dubium igitur, si Deus à sua tutela nos pendere videat, nec propriis opibus cōfidere, quin ad ōnes quæ nobis illatæ fuerint molestias vindex occurrat. Certum tamē est tēpus hic propriè describi quo populus Dei ad extremā inopiam adeóque desperationē redactus erat. *Ad manum dominæ suæ.* Id est, Ad opem, vel auxiliū. *Ita oculi nostri ad Iehouam.* Q.d. Talis est nostra conditio, nā toti ab ope diuina pēdemus omni humano auxilio destituti. Quod in primis obseruare nos decet. Nā quicquid accidat, nō est alius quisquā auxiliator, præter vnū Dominum illū cuius vnius sumus iuri ac potestati subiecti. Itaque sicut serui rectè faciunt quòd in omnibus ad manum dominorum suorū respiciunt, & auxilium petunt: ita & pii omnium rectissimè faciunt quòd ad eius opem cōfugiunt, qui solus opem ferre potest. Interea notandum quòd sicut serui nō solùm ad manū herorum suorum respiciunt, sed & ab illorū oculis & ore pēdent, ad nutus & iussa eorū spiritu obedientiæ parati: planè eodem & nos modo non solū à manu Dei (id est ope) pendeamus, sed & oris illius obedientes simus. *Donec misereatur nostri.* Hoc est, donec nobis auxilietur & opem ferat, liberādo nos ab angustiis quibus premimur. Admonemur hic nō esse auertendos oculos nostros ab expectatione cælestis auxilii: sed perseueranter expectandum, sperandum & implorandum, donec nostri misertus opem ferat. Qua de re vide Suprà, 17. d.14.

3 *Miserere nostri Iehoua, miserere nostri, quia valde satiati sumus opprobrio.*

Miserere nostri Iehoua. Hic obnixè & anxiè implorant Dei misericordiam: & quum repetunt, Miserere nostri, non modò vehementiæ & ardoris signum edunt, sed simul ostendunt nihil defuisse ad summas miserias. *Quia valde satiati sumus opprobrio.* Vel, despectione, contemptu, ignominia. Significant impios non modò violenter grassatos esse ad quiduis audendum, sed per ludibrium quasi calcasse filios Dei. Ac verbo saturandi innuunt se diu admodum & multis probris esse affectos. Ergo nō statim in huiusmodi gemitus & querelas feruntur pii, vbi contemni cœperint, sed patienter sustinent, & meliora sperant, donec tandem abundè probris, sannis, contumeliis & irrisionibus impleantur.

4 *Multum satiata est apud se anima nostra, subsannatione divitum, opprobria superborum.*

Multum satiata est apud se. Vel, Plurimum (vel, admodum) satiata est sibi. Redundat istud sibi, vt & Suprà, 120. b. 3. Alii, Multo iam tempore satiata est. Vbi ad contemptum & iniurias accedit subsannatio, nihil est quod ingenuas mentes magis vulneret. Ideo de hac maximè conqueritur Propheta, acsi esset malorum omnium cumulus. *Subsannatione diuitum, opprobrio superborum.* Vel, despectione, contemptu. vt præcedenti versu. id est, contemptu eorum qui superbè dicunt nos esse abs te derelictos. Diuites & superbos Ecclesiæ insultasse dicit, quia hoc vsu venire solet vt qui eminent in mundo, populum Dei ex alto despiciant. Nam illis oculos perstringit honoris sui & potentiæ splendor, ne vllo pretio dignentur spirituale Dei regnū: imò, quo prosperior arridet fortuna impiis, eo magis intumescit eorum superbia, & insolentius despumat. Docet tamē hic locus nihil noui accidere si filiis huius seculi, qui opibus excellunt, contemptibilis sit Ecclesia. Et meritò eosdem vocat superbos quos & diuites: quia abundantia ferociā parit. Cogitemus ergo quàm non sit nouum hoc malum in Ecclesia & populo Dei, quòd plebs humilis, quā laicam vocant, à magnatibus, optimatibus, opulentis illis ac præpinguibus dominis despectui habetur, nec negligitur tantùm & in corde contemnitur, sed & ore ridetur, exibilatur ac subsannatur. Atque ita fit vt anima illorum, dum pabulum vitæ requirit, cōtemptu, sannis ac probris saturetur. Faciunt hoc opulenti in Ecclesia, qui confidunt in monte terrenæ potentiæ, optimates, capita populorum, ingredientes cum maxima pompa, separati in diem malum, appropinquantes solio iniquitatis, &c. Amos 6. a. 3. Sed quum quicquid est altitudinis & superbiæ in mundo contra Dei Ecclesiā statuatur, vt sit pro quisquiliis & stercore, (quēadmodum dicit Paulus 1. Cor. 4. c. 13.) dum idem nobis hodie vsu venit, sinamus impios turgere suo fastu donec crepēt: atque hoc vno contenti simus, quòd Deus tamen nos pretiosos ducit. Papistæ securè in nos insurgunt, & pleno gutture sua ludibria in nos & Dei cultum profundunt. Nobis etiam permixti sunt & vbique volitant Epicurei homines quibus derisui est nostra simplicitas. Multi etiam Cyclopes contumeliis nos obruunt: atque hæc indignitas, ex quo rursus Euangelium emergere cœpit, hucusque durauit. Huc itaque superest vt tenebris circundati vitæ lucem in cælo quæramus: & quanuis anima nostra ad satietatem omni probrorū genere repleta sit, famelicis tamen votis ad liberationem aspiret.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIIII.

Gratulatorium est hoc canticum. Prædicat enim Dauid Ecclesiam ex summo discrimine liberatā diuinitus fuisse: vnde pios ad gratiarum actionem hortatur, docens eorum salutē nonnisi Dei gratia & virtute stare.

Canticum graduum Dauidis. Sine Iehoua qui fuit pro nobis, dicat nunc Israel:

Canticum graduum Dauidis. Existimant nonnulli Psalmum hunc de exilio Babylonico fuisse compositum. Alii ad persequutiones referunt quas sub Antiochi tyrannide passa est Ecclesia. Sed quū Psalmus præferat nomen Dauidis, probabilius est Dauidem hic proponere notam historiam, fideléisque hortari vt secum reputent quod iam ceipsa experti erāt Dei auxilium. Neque tamen ad tempus Dauidis restringi debet quod hic dicitur. Hoc quidem verum est, gentes profanas sæpius ea potentia instructas bellum populo mouisse, vt diluuio similis esset earum impetus: sed quia nullam speciem designat, non vnum liberationis genus, sed quascunque vnquā suppetias tulerat Deus Ecclesiæ, hac gratiarū actione celebrat. Scimus autem variis temporibus sæpe Gentes insurrexisse contra Ecclesiam tam validis copiis vt nihil fere à morte illa distaret. Dubium ergo Ecclesiæ statū, qualis ab initio fuerat, quasi in speculo proponit Dauid: vt discāt fideles nō propriis viribus stetisse, sed admirabili Dei gratia seruatā, séque ad Deū in periculis inuocandū assuefaciant. *Sine Iehoua qui fuit pro nobis.* Vel, Nisi quòd Iehoua fuit nobiscum. Ad verbum, Nisi fuisset Iehoua qui fuit nobis. Id est, Pro nobis & à parte nostra stetit. Quidam vertunt, Nisi quòd Deus aderat nobis. Summa est, Nisi ope sua succurrisset nobis Dominus, quum hostes ira incensi in nos insurgerēt, planè nos subuertissent ac deleuissent. Verùm pro more carminis hæc Vates amplificat ingeminationibus, metaphoris ac similitudinibus. *Dicat nunc Israel.* Hortatur Psaltes populum Israelis vt se concinēdo côloquātur, eo quòd quæ hic canuntur ad ipsos pertineant.

2 *Sine Iehoua qui fuit pro nobis, quum insurgerent contra nos,*

Sine Iehoua qui fuit pro nobis. Non est superuacua hæc repetitio. Quādiu enim in discrimine versamur, timor noster modum excedit: perfuncti verò extenuamus mali nostri magnitudinem. Et Satan hoc artificio nobis illudit ad obscurandam Dei gratiam. Quoniam ergo vt plurimum, postquam mirabiliter à Domino seruati sumus, varias nobis fingimus imaginationes, quæ memoriā gratiæ Dei obliterēt, consultò Dauid populum quasi attonitum inducēs, in amplificando discrimine insistit. Quare sciamus his verbis frænū nobis iniici quod in meditandis nostris periculis nos retineat, ne ex animis nostris euanescat gratiæ Dei sensus. Communis versio non satis exprimit Dauidis mentem, Nisi Dominus fuisset pro nobis. Pronunciat enim Dauid, non aliter quàm Dei auxilio potuisse seruari: & simul docet, auxilium illud certum & illustre fuisse. Duo igitur hic distinctè notanda sunt, præstò fuisse Dominum ad ferendam seruis suis opem, & ab eorū parte stetisse: deinde non aliunde neque aliter potuisse saluos euadere qui iam perditi erāt. Atque ita docemur, tunc demum homines ascribere salutis suæ gloriā Deo, quum persuasi sunt eum sibi esse propitium, vt eos tueri velit, & incolumes præstare. Agnoscamus hic hanc esse sortem populi Dei vt solo diuino auxilio liberetur è manibus hostium: & hoc ab illo requiri vt sic se liberatum esse à Domino palàm ac disertè fateatur. Hanc laudem Deo non poterit canere nisi verus Israel & suam imbecillitatē, & hostium vires, & præsens discrimen & diuinū auxilium expertus. *Quum insurgerent contra nos homines.* Hic attollitur in sublime immensa Dei virtus, cuius specimē ediderat in populo liberando: vt sciamus non competere in homines talē seruandi modum. Per nomē אדם (quod dum est collectiuum, homines indefinitè significat) videtur notare Dauid ingētem numerum hostium, acsi diceret, populo Dei non fuisse certamen duntaxat cum paucis hominibus, vel vna gente, sed fere à toto mundo fuisse oppugnatum: vt satis constat Iudæis infestum fuisse totum humanum genus.

3 *Tunc viuos deglutissent nos quum excādesceret furor eorum in nos:*

Tunc viuos deglutissent nos. Exprimit Propheta his verbis nō modò hostium ferociā, truculentiā, & vires, sed etiam Israelis infirmitatē ad resistendum. Vtitur autem similitudine ferocis ac immanis alicuius bestiæ, quæ prædam capiā viuam deglutiat. Sic etiam in atrocioribus acceptis iniuriis dicere solemus, Adeo me ille vehementi insequitur odio vt me viuum absorbere velle videatur. *Quum excandesceret furor eorum in nos.* Ad verbum, In excandescere furorem eorum. Vel, In excandescendo. Quidam volunt esse nomen, vertentes, In inflammationibus iræ suæ. Vel, In excandescentiis &c. id est, dum exardebat, vel exardesceret, siue excandesceret, aut incenderetur. Videmus hic quanta sit malitia & vis iræ, quæ ex hominibus natura & conuictu mansuetis bestias reddit atroces & immanes. Primò igitur describit Propheta quàm violēta fuerit aggressio: deinde quàm infirmæ ad resistendum vires: quia gladiis opus non fuerit ad cædem, sed absque prælio & manu imbellem gregem vorare potuerint immanes illæ bestiæ.

4 *Tunc aquæ obruissent nos, torrens transisset super animam nostram:*

Tunc aquæ obruissent nos. Vel, Inundassent nos. Id est, inundatione facta rapuissent nos, siue obruissēt. aut, inuoluissent nos. Rē eandē alia similitudine canit. Cōparat enim formidabilē hostium impetum validis aquis, seu diluuio, quod sua exūdatione quicquid obuium est absorbet: & semper hominis expauefacti persona retinet. *Torrens transisset.* q. d. Impetus hostiū

nostrorum erat similis torrenti violēter irruēti, & quæuis obuia subuertenti. *Super animam nostram.* [u] Dicit, super nos & super animam nostram, acsi ex rei intuitu vellet terrorem incutere. Et certè tantundē valere debet patheticus hic sermo atque hypotyposis, quo melius sentiant fideles ex quàm profūdo gurgite erepti fuerint Dei manu. Nam ille demum salutem suam Deo fert acceptam, qui se ante liberationem perditum fuisse agnoscit.

5 *Tunc transissent super animam nostram aquæ superbæ.*

5 *Tunc.* [e] Hoc aduerbium vel δεικτικὸν est, acsi digito rem monstraret: vel accipitur pro pridem. quanquam præsenti loco prior significatio magis conuenit. *Transissent super animam nostram.* [r] Ad verbum, Transisset super animam nostram aquæ superbæ. [r] Hic verbum singulare nomini plurali iungitur, more Hebræorum, pro Transissent aquæ. *Aquæ superbæ.* Sic vocat aquas magno impetu fluentes, vel tumidas, & subitò inundantes. Per subitas autem inundationes & violēta flumina hostilis impetus significatur ab Hebræis. q.d. Tunc inimicorum nostrorum, hominum petulantium, ac inopinantes opprimentium sæuitia intolerabilis nos totos vastasset. Vide Suprà, 18. a. 5. & Esa. 8. b. 7. [u] Videmus hic quid Spiritus sanctus hac similitudine aquarum & torrentis tribuat impiis populi Dei inimicis. Tribuit illis primùm conspirationem multitudinis, consimilem vndis vndequaque collectis: deinde impetum ad subuertēdum irruētem, qualis esse solet torrentium. Tertiò elationem, arrogantiā & superbiam. Hæ sunt vires Satanæ quibus ad subuertendum pios vtitur.

6 *Benedictus Iehoua qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.*

6 *Benedictus Iehoua.* [r] Vel, Laudetur Iehoua. [s] Iam ad gratitudinem pios hortatur, & quasi verba illis dictat. *Qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.* [e] Ostendit his verbis actum de Israelitis fuisse nisi Deus opem tulisset. dicit enim non secus fuisse ereptos quàm siquis prædam ex dentibus feræ & crudelis bestiæ auferat. [u] q.d. Eramus instar ouicularū, & quasi præda quædam dentibus bestiarum exposita: verùm benedictus sit Dominus qui noluit nos dentibus ipsorum absumi. [u] Expendendum est autem quòd non dicunt, Qui eripuit nos, sed, Qui non dedit nos prædā, &c. Eripuit quidem eos, verùm hoc magis prædicat Spiritus sanctus quòd impii, quātumuis multi, potentes, irati, feroces, instar torrentium, instar atrociū & immanium bestiarum velut aperto rictu irruentes, nihil possunt in pios, quamuis paucos & imbecilles, nisi Dominus eos in potestatem dederit.

7 *Anima nostra, sicut auis, erepta est è laqueo venantium: laqueus dissipatus est, & nos liberati sumus.*

7 *Anima nostra, sicut auis.* [a] Eodem pertinet hæc similitudo quo superior: irretitos vndique fuisse Israelitas & implicitos hostium captionibus, non secus atque auiculæ reticulo cōprehensæ, sub manu aucupis iacent: ereptos autem non aliter fuisse quàm siquis liberum exitum captis auibus concedat. *Laqueus dissipatus est.* [u] Intelligunt per laqueum vires hostium, quibus Israel aliquandiu fuerat detentus ac pressus. [r] Præterea omnis tentatio, laqueus est, siue carnis, siue spiritus sit. Laqueus exilium est, cruciatus, calumnia, persequutio. Adde & his morbos, infirmitates varias corporis, & ægritudines, quæ quidem omnia quùm ad exercēdam animi fortitudinem ac fidē à Deo permittuntur, tum quoque ab inuisibilium inimicorum astu & sagacitate inferri solent: quo à recto mentis statu deiecti homines, infidelitatisque aut desperationis insidias non aduertentes, in æternæ mortis laqueos impingant. [a] Ab his autem sola Dei gratia eripiuntur homines. *Et nos liberati sumus.* [u] Q.d. Anima nostra instar auiculæ inciderat in laqueos hostium nostrorum, sed Domini clementia factum est vt & nos erepti simus & laqueus sit cōtritus. [e] Summa est, populum Dei, imbellē, consilii inopem, viribus destitutum, non modò cum truculentis sæuisque belluis negotium habuisse, sed aucupiis etiam & fraudibus fuisse illaqueatum, vt tam cōsilio quàm aperto marte hostibus longè inferior, à multis mortibus obsideretur. Vnde colligere promptum est mirabiliter fuisse seruatum. [u] Cæterùm vtuntur hoc versiculo homines nequissimi & filii Belial, omnis disciplinæ expertes, vbi iugo Christi colla sua excusserunt: quasi hoc, Eripi à laqueo venantium, & cōtrito laqueo liberari, sit nullius esse disciplinæ subiectū, & quauis Ecclesiastica reformatione contempta & repressa, pro libidine carnis omnis generis nequitiæ & cor & animum & corpus ad seruiendū tradere. [a] Longè aliud Scriptura præcipit, Luc. 1. g. 74. & Tit. 2. d. 14.

8 *Auxilium nostrum in nomine Iehouæ, qui fecit cælum & terram.*

8 *Auxiliū nostrum in nomine Iehouæ.* [a] Nunc nomini Dei admirādam illam liberationem adscribit Vates, [e] & ad perpetuum Ecclesiæ statum extendit quod ante experti erant fideles. Sic enim exponi debet hic versus vt non tantùm de vno beneficio gratias agat Propheta, sed asserat nō aliter incolumē manere Ecclesiā nisi quatenus Dei manu & tutela protegitur. [u] q.d. Nemo nos iuuit, nullæ nobis succurrerūt auxiliares copiæ, sed auxiliū nostrū fuit à Domino, in cuius nomine quicquid fecimus aggressi sumus, & cuius virtute hostes prostrauimus, ac victores euasimus. [e] Consilium autem Prophetæ est filios Dei ad bonam spem animare, vt non dubitent sub Deo custode vitam suam esse in tuto. Est autem notanda antithesis inter Dei auxiliū & alia media quibus perperam mundus confidit (sicut Suprà 20. b. 8. vidimus, Hi in curribus, illi in equis: nos autē in nomine Dei inuocabimus) vt fideles omni praua confidentia purgati & vacui ad vnum Dei præsidium se conferāt, eòque freti securè despiciant quicquid Satan & totus mundus in eos machinantur. Etsi autem nomen Dei nihil aliud est quàm Deus ipse, subest tamen aliqua notatio: quia quatenus gratiam suam verbo nobis patefecit, facilis ad eum accessus patet, vt non procul vel per flexuosos circuitus quærendus sit.

Qui fecit cælum & terram. [c] Non frustra rursus Deum insignit Psaltes epitheto creatoris. Scimus enim qua inquietudine æstuent mentes nostræ, donec in suum gradum extulerint Dei potentiā, vt toto mundo in ordinē coacto sola emineat. Quod fieri nō potest nisi statuamus omnia eius arbitrio subesse. Neque enim semel momento suam potentiam ostendit in mundi creatione, quam deinde subduceret: verùm assiduè eandem in illo gubernando demōstrat. Cæterùm etsi liberaliter ac pleno ore fateantur omnes Deum cæli & terræ esse factorem, vt improbissimos etiam quosque pudeat hoc titulo ipsum non ornare: simul tamen atque obiectum est aliquid terroris, conuincitur nostra incredulitas, quòd eius auxilium nullo fere loco dignamur. [u] Porro vsurpatur hic versiculus à plerisque, dū sacra quædam aggredi conantur: qui vtinam tales essent, & eiusmodi sacra celebrarent, vt quod populus fidelium verè & per experiētiam magnis periculis auxilio Domini ereptus, magno cum gaudio canit, id & ipsi pari cum veritate tum experientia canere possent. Omnino non potest quisquam ex animo & verè dicere quòd auxilium ipsius sit in nomine Domini, nisi primùm pertineat ad nomen Domini, Domino verè sanctificatus: deinde fide sit diuini nominis præditus: tertiò, sic viuat, & sic propter gloriā diuini nominis periclitetur vt auxilium à Domino in ipsius nomine & sperare & petere & accipere possit.

ARGVMENTVM PSALMI CXXV.

[u] Canit hic Psalmus de firmissima ac sempiterna protectione populi Dei, [u] vt pii omnes, siquādo impiorum libidini exponantur, ad bene sperandum animentur, ac toti à Deo pendeant.

CAnticum graduum. *Qui confidunt in Iehoua, sicut mons Sion non commouebitur, perpetuò consistet.*

Canticum graduum. [c] Differt hic Psalmus à superiore, quòd illic dictum fuit Ecclesiam diuinitus neque humanis mediis fuisse seruatam: nunc autem docet Spiritus sanctus in posterū tempus semper saluam fore ac tutam, quia inexpugnabili Dei virtute munita est. *Qui confidunt in Iehoua.* [u] Docet hoc versu & sequenti, eos qui spem in Dominum collocant, nusquam subuerti posse. [r] Hoc quidem in plerisque Psalmis in communem Ecclesiæ vtilitatem traditū iam fuit, fiduciæ in Deo eam vim esse vt sola Dei filios in huius mundi cōmotionibus & fluctibus stabiles atque inconcussos reddat. Sed Spiritus Dei vtcunque scitu apprime necessariā sæpissime inculcat, ne infirmiorum animi, ob varias tentationum procellas, quæ subinde exurgunt, à spei firmitudine deflectant. *Sicut mons Sion.* [c] Quū sub situ vrbis Ierosolymæ describitur Ecclesia, Prophetæ consilium est singulos fideles hortari vt salutem communiter toti electo populo promissam certò sibi persuadeāt ad se spectare. Sed visibilem Ecclesiæ imaginem oculis proponēs, eorum ruditati se accommodat qui pigritie carnis suæ retenti, adhuc in terra subsidunt. Hoc igitur primò notandum est, siqui arcanum Dei præsidiū fidei sensu non satis capiāt, illis instar speculi proponi montes quibus vndique cincta erat Ierosolyma: vt minimè dubitent æquè ab omni periculo tutam esse Ecclesiam, acsi talibus propugnaculis & muris omni ex parte probè

clausa foret. Iā verò vtile cognitu est quod nuper attigimus, quoties Deus totum populum suum cōpellat, vocem ad singulos dirigere. Bona enim pars promissionum ad totum Ecclesiæ corpus extenditur: ita multi eas tanquam procul remotas eminus speculantur, neque ad se aptare audent. Ideo tenenda est quæ hic præscribitur ratio, vt ad se quisque accōmodet quicquid Ecclesiæ suæ cōmuniter Deus promittit. Porro non temere Ierosolymam Ecclesiæ picturam facit, quòd illic esset Sanctuarium & arca fœderis. *Non commouebitur.* [v] Nonnulli vertunt, Qui non commouebitur &c. Futurum Hebræum, nō nutabit, sub. mons Sion. q.d. Qui confidunt in Domino, non nutabunt, sicut nunquam nutabit mons Sion, qui in seculum perstat. Alii referunt ad quemcunque confidentem, Non nutabit, sed in æternō sedebit. Vel, non mouebitur. nam in æternum permanebit, siue stabit. Ad verbū, habitabit. id est, quiescet & manebit stabilis. [c] Sensus est, Quanuis tot ac tam subitis mutationibus obnoxius sit mundus vt in singula ferè momenta nouam faciem induat, fideles autem aliis permisti sint, & communis vtrisque sit conditio, illorum tamē salutem inuicto Dei præsidio firmam stare. Non quòd trāquilli habitēt, sed quia sub Dei custodia frustra impetitur eorum salus. Salūt excidere nunquam poterunt, etiamsi labascant. [m] Notemus hic veram Ecclesiam describi. Nam Ecclesia electorum quid aliud est quàm Ecclesia confidentium Domino? [c] Requiritur autem fidei constantia sub voce הבוטחים quæ Hebræis significat sperātes, vel qui expectāt. Ergo quisquis manu Dei fulciri cupit, constanter in eam recūbat: quisquis ab ea cupit protegi, patienter sub ea quiescat. Nam quòd Deus sæpe nos in varias partes abripi, vel instar paleæ iactari patitur, id fit nostra leuitate, dum in aere volitare malumus quàm in rupe auxilii eius mentes nostras figere. [m] Poterat Propheta dicere, Qui iusti sunt, vel, qui perfecti sunt: verùm dicere maluit, Qui confidunt. Nec simpliciter, Qui confidunt, ne carnis fiduciam intelligere videretur, sed Qui confidunt Domino, vt fidem, spem, & fiduciam non in carnis brachium, sapiētiam, & vires, sed in Dominum collocatam deprædicet, & tanquam firmam & immotam commendet. Hæc fides rara est, quia electorū est, quorum & prouentus admodum tenuis est, & vita absconddita & despicabilis in oculis mundi.

2 *Ierusalem montes in circuitu eius, & Iehoua in circuitu populi sui, ex nunc & vsque in seculum.*

Ierusalem montes in circuitu eius. [v] Antecedens cum suo relatiuo, pro, Mōtes in circuitu Ierusalem. Hebraismus. q.d. Quēadmodum in circuitu Ierosolymæ continui montes formam murorum repræsentant, ita Deus sua virtute circundat fideles, vt noxas omnes ab illis arceat. [m] Itaque hoc versu rationē reddit Vates quare Ecclesia sanctorum, populus Dei, confidētes in Domino firmi sint sicut mons Sion. Propterea videlicet quòd custodia & protectione Dei muniuntur & conseruātur. [c] Frequenter quidem occurrunt similes loquutiones, Deū populo suo murū & antemurale fore: sed vltrà progreditur Psalmographus author, arcanum præsidium, quo suos tuetur, Deus, sub montium figura demonstrans, vt rudes & infirmi, quos adhuc in terra suus torpor retinet, montium conspectu adiuti, sursum animos attollant. *Ex nunc & vsque in seculum.* [m] Innuit his verbis hanc Dei custodiam non temporariam sed sempiternam esse. Respōdet autē ei quod primo versu dixit, Perpetuò residebit. Vel, In seculum permanet. Discamus ex hoc loco, constantiam nostram & perseuerantiam ex eo esse quòd nos custodia & prouidentia Dei vndequaque cingit.

3 *Quia non quiescat sceptrum impiorum super sortem iustorum, ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas.*

Quia non quiescet sceptrum impiorum. [v] Vel, non requiescet. Quidam, nō permanebit. Quiescere pro residere hic sumitur. *Sceptrum impiorum.* [v] Vel, virga impiorum. Hebræi virgam pro sceptro vsurpant. q.d. Nullus tyrannus diu iustis imperabit. [c] Est quædam superioris sententiæ correctio. Dixerat in omnes partes extentam esse manum Dei ad protegendam Ecclesiam: quia verò libenter Dei promissiones hucusque trahimus ad nostrum commodū vt simus immunes ab omni molestia, monemur hic non obstare Dei tutelam quominus cruce & afflictionibus interdum exerceamur: ideòque non esse cur sibi mollem & tranquillam vitam in terra promittant fideles: quia satis est non deseri vbi Dei auxilio indigēt. Etsi enim teneritè eos diligit cælestis Pater, vult tamen cruce expergefieri, ne carnis suæ deliciis nimiū indulgeāt. Quare si amplectimur hāc doctrinā, quanuis impiorū tyrannide nos opprimi contingat, patienter tamen expectabimus dum eorum sceptrum confringat Deus, vel de manibus excutiat. Dura est tentatio (fatemur) videre grassantes impios in hæreditate Domini, & fideles sub eorum pedibus iacentes: sed quia non sine iusta ratione ita Deus suos humiliat, petendum inde est solatium. *Ne extendāt iusti ad iniquitatem manus suas.* [v] Vel, Ne mittant iusti ad iniquitatem manus suas. Id est, Ne admoueant manus iniquitati. Hebraismus, pro, Ne fiant iniqui, néue sectentur tyrannorum iniquitates. Vel, ne tētationibus victi etiam sese proiiciāt ad Dei contemptum. [c] Hæc ratio diligenter notanda est. Nā hinc colligimus ideo temperari à Deo res aduersas quia infirmitati nostræ parcere vult. Quare etsi non tantum est in nobis fortitudinis & constantiæ vt vel momentū perstemus in officio, hæc sententia nobis occurrat, curæ tamen fore Deo ne fracti malis deseramus pietatis cultū. Certè si toto vitæ cursu absque vlla relaxatione nos affligeret, crux semper nobis est vtilis. Nā & quàm indomita sit carnis nostræ cōtumacia videmus, & quàm feruidi subinde ebulliant eius impetus: imò vt inter ipsas afflictiones, quibus in obsequium cogenda erat, non tamē desinat calcitrare. Quo magis necessaria est hæc admonitio, Dominū tempestiuè modum imponere tētationibus, quia videt nos impares esse ad resistendum. Nec verò Propheta tantùm dicit esse periculum ne infirmi deficiant, sed ne iusti, qui verè & ex animo Deum colunt, & dediti sunt piè viuendi studio, succumbant ipsi quoque. Ergo vtcunque in cordibus nostris vigeat Dei timor, sciamus tamen non esse tanta fortitudine præditos vt sustineamus in finem vsque, nisi Dominus infirmitatis nostræ rationē habeat. Quòd si hoc de optimis quibusque athletis pronuntiat Spiritus sanctus, quid de tyronibus fiet, qui nōdum ita sunt ad pugnandum confirmati? Notanda etiam est loquutio, Ne extendant manus suas: qua docet violentos esse tētationum impetus, vt iustorum manus, quæ prius erant quasi deuinctæ, & quarum motus compositi erant ad Dei arbitrium, nunc quasi solutæ ad peccandi licentiam ferantur.

4 *Benefac Iehoua benignis & rectis in cordibus suis.*

Benefac Iehoua benignis. [a] Orat hic Vates vt Deus semper Ecclesiæ suæ faueat, eam tueatur & tutā aduersus quosuis hostiū insultus reddat. q.d. Serui tui variis modis affliguntur in mundo: sed tu illos pro tua benignitate complectēre, & beneficentia tua solare, ac fœlices redde. [c] Quanquam autem Propheta certò iam piis omnibus pollicitus fuerat opportunum Dei auxilium, se tamen ad precationem conuertit: neque id frustra. Nam etsi nos sufficeret fides, quia tamen interea vacillant carnis nostræ sensus, preces miscendæ sunt ad confirmationem. Sequamur ergo hanc Prophetæ regulam, qui pios omnes ad fiduciam hortatus, simul ostendit non securè oscitandum esse quin ad Deū confugiant, & precibus ab eo flagitēt quod ipse verbo suo iubet eos sperare. Et certè quia in afflictionū tenebris non perspicitur Dei auxilium, quin potius videtur coram Deo nullum esse iustorum & impiorum discrimen, hoc remedio vtendum est.

Et rectis in cordibus suis. [a] Vel, Et iis qui recti sunt in corde suo. [c] Non tantùm simpliciter rogat Psaltes vt bonos benignè tractet Deus, sed bonitatem quoque definit, quæ manat ex sincero affectu. Neque enim filiis Dei sufficiet abstinere ab omni maleficio, nisi respondeat interior cordis integritas, imò nisi totam eorum vitam gubernet. [m] Notandum verò Prophetā non dixisse, Benefac Domine perfectis, & qui nulla in re delinquūt, sed, Bonis & rectis corde. Hoc est, qui animo sunt simplici, candido & integro. Hoc genus Deo est acceptissimum, licet aliquando per infirmitatem peccent & ipsi. Discamus etiā Prophetæ exemplo affici ergà bonos, simplices, & integros homines, quanuis contempti sint in hoc seculo.

5 *Qui autem diuertunt in prauitates suas, ambulare faciet Iehoua cum operariis iniquitatis. pax super Ierusalem.*

Qui autem diuertunt. [a] Vel, Declinantes autem in peruersitates suas. [v] Chaldæus paraphrastes, Et declināntes post prauitates suas. Alii, declinare facientes. Vel, peruertentes (sub. simplices) prauitatibus suis. Alii, Peruertentes autem vias suas prauitatibus suis. Alii, Et declinantes à via recta, & ambulantes in vita peruersitatū suarū. [c] Sensus est, ne Deus ad eorū scelera sēper conniueat, qui se falsa professione iactantes, pro sua libidine vagantur, vel etiam simplices corrumpunt, & secum trahūt ad peccandi licentiam. Neque enim dubium est de hypocritis haberi sermonem, quos impunitas temporaria obdurat vt teter sanctissimus locum sibi arrogēt, quia ipsis Dominus indulget. Videmus non tantùm in mundo permistos esse bonos improbis, sed in ipsa quoque Dei area latere sub palea & quis-

quòd iis triticum. In hoc dubio & confuso statu superbiunt mali, acsi essent ea opimis Dei cultoribus. Quare rogandus est Deus vt eos trahat in lucem, & cum operariis iniquitatis in iustas pœnas detrudat, [a] ne amplius piis incommodent, & pietatis cursum remorentur. *Ambulare faciet Iehoua.* [b] Ad verbū, Ambulare faciet eos. Redundat pronomē eos, more Hebræorum. Quidam vertunt, ducet, vel deducet. Alii, abducet, siue abducat. Id est, protrahet eos in ordinem improborum, vt appareat etiam eorum turpitudo, quæ nunc latet. *Cum operariis iniquitatis.* [a] Id est, cum iis qui iniquitati deditis sunt. Vide Suprà 6.b 9. *Pax super Israelem.* [a] Ex iusto improborū supplicio pax oritur iustis. Non loquitur autem Psaltes in genere de tota carnali progenie Abrahæ, sed potius optat purgari Dei Ecclesiam ab hypocritis qui locum in ea occupant, donec manum suam Deus in iudicium attollat. Ideo diximus hinc orm Ecclesiæ pacē, dum iustam vindictā exercens Deus cōtra fictitios & laruatos Israelitas, qui eius viscera discerpunt ac lacerāt, rectos corde colligit, ac sua benedictione paternum erga eos fauorē palàm demonstrat.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVI.

[c] Fideles ab exilio Babylonico reuersos hortatur Propheta ad gratitudinem, & liberationis gratiam magnificè extollit. Deinde precatur vt Deus opus suum quod cœpit absoluat. [b] Postremò populum ea prius acceptis Dei beneficiis in spem erigit plenæ liberationis ac restitutionis.

CAnticum graduum. *Dum reduxit Iehoua captiuitatem Sion facti sumus tanquam somniantes.*

Canticum graduum. [a] Vide Suprà, 120.a.1.
Dum reduxit Iehoua captiuitatem Sion. [b] Vel, Quum conuerteret Dominus captiuitatem Sion. Quidam vertunt, Quando redire fecit Iehoua captiuitatem Sion. Alii, Quum reduceret Iehoua, &c. [c] Sunt qui vertunt verba huius Psalmi per futurum, vt sit vaticinium de futuro tempore. Verùm hic potius describitur liberationis gratia, & author Psalmi modum redemptionis magis mirificum dicit quàm vt fortunæ adscribi queat: vt hinc colligant fideles verè impletum fuisse Ieremiæ vaticiniū, quod finem exilio ad septuaginta annos præfixerat, Cap. 25.c. 11, & 29.b.10. Docti inter Hebræos vertunt, Quum reduxit Iehoua reuersionem Sion. Id est, illos qui reuersi sunt in Sion. *Facti sumus tanquam somniantes.* [a] Exaggerat Propheta lætitiā, qua perfusi sunt Iudæi soluta captiuitate Babylonis. [c] Simulque verbo somniandi rem incredibilem designās, locum ingratitudini non restare admonet. Nam quoties insignis modis agit Deus, vt maligni iuor homines ad obscurandam Dei gratiam, comminisci varias causas solent. Quia autem in populi reditu miraculum resplenduit quod absorbeat vel obstupefaciat omnes hominum sensus, cogit insigne Dei opus agnoscere. Hæc ratio est cur somnio comparet populi redemptionem: acsi diceret, Certè adeo nulla mens capiet tam incomparabile Dei beneficium, vt sola cogitatio nos in stuporem rapiat, acsi somniū esset, non res gesta. Quanta igitur prauitas erit non agnoscere ipsum authorem? Porro non intelligit Propheta fideles nasu isse hebetes vt non sentirent se manu Dei redemptos, sed tantùm attonitos fuisse pro carnis sensu, ne, tanquam de re vulgati apud se ratiocinantes, Dei potentiam minoris quàm par erat facerent. [b] Discamus ex hoc versu, primùm, eousque progredi disciplinam Domini, vt populum suum vbi nullis admonitionibus & castigationibus emendari sustinet, in captiuitatē, (id est, potestatem infideliū) tradat, vt vel hoc pacto humiliati resipiscant. Deinde eam captiuitatem populi Dei non esse ad hoc destinatam vt sit perpetua, sed paratam esse illius conuersionem, vbi gloriæ Dei fuerit opportunum. [a] Vt verum sit illud, Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, Habac. 3.a. 2. [b] Tertiò, esse illam conuersionem in manu Dei. Quartò, sic succurrere Deum piis, dum affliguntur, vt ex improuiso liberentur, & se non liberari, sed somnium videre putent. Sic accidit & Petro, quum per Angelum è carcere liberaretur, Act. 12. b. 9. Sic, quum Iacobo diceretur, Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti, quasi de graui somno excitatus, non credebat, donec certis argumentis persuaderetur, Genes. 45.g.26.

2 *Iam implebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione: iam dicent inter Gētes, Magnificè se gessit Iehoua ad agendum cum istis.*

Iam implebitur risu os nostrum. [a] Vel, Tunc impletum est. q.d. Qui hactenus in mœrore & luctu fuimus, iam erimus gaudentes & lusū: & quorum oculi lacrymis abundarunt, eorum linguas deinceps cantico replebitur. *Et lingua nostra exultatione.* [b] Vel, Laude, iubilatione, ouatione. [c] Propheta populum reditu ita vult lætari vt non sepeliat obliuione Dei gratiam: ideóque nō vulgarem lætitiam describit, sed quæ ita animos perfundit vt cogat eos in gestu & voce modum excedere. Interea solidum hoc esse gaudium admonet, in quo deceat filios Dei acquiescere, quòd concessus sit in patriam reditus. Nam sicuti nihil tūc miserius fuit quàm in exilio degere, vbi quodammodo abdicati erāt ab hæreditate sibi diuinitus promissa: sic nihil magis optabile illis esse debuit quàm reditus. Quum igitur reductio in patriam, testimonium fuerit renouatæ Dei adoptionis, non mirum est si Propheta dicat repletum os fuisse risu, & linguā exultatione. Eodem quoque gaudio nos hodie exultare conuenit, vbi colligit Deus suam Ecclesiam: sicuti nimirū dum sumus & ferret, nisi misera eius dissipatio doloris & luctus nobis causa est. *Iam dicent inter Gentes.* [a] Vel, Tunc dixerunt inter Gentes. *Magnificè se gessit Iehoua.* [b] Vel, Res maximas Iehoua egit cum istis. Ad verbum, Magnificauit Iehoua facere. Vel, ad faciendum, pro, Magnificè egit. Sic sequenti versu. [a] Longius iam progreditur Propheta, miraculum hoc à cæcis conspectū fuisse. Scimus enim Gētes cæcorum instar in tenebris errasse, quia nulla in ipsis fulgebat Dei cognitio: & tamē sic conspicua illic fuit Dei virtus vt in apertam cōfessionem erumperēt, magnificè Deum egisse cum populo suo: [b] acsi diceret, Tam stupenda est & admirabilis istorum liberatio quàm ipsorum captiuitas videbatur insolubilis. [c] Quo magis pudenda fuit socordia inter Iudæos, nisi liberè & pleno ore celebrarent Dei gratiam quæ tantum laudis apud incredulos obtinuerat. Et notanda est loquutio, qua emphaticè exprimit magnificam Dei potentiam in hac liberatione fuisse cognitam à Gentibus.

3 *Magnificè Iehoua se gessit ad agendum nobiscum, facti sumus lætantes.*

Magnificè Iehoua se gessit. [a] Vel, Res maximas fecit Iehoua nobiscum, sicuti versu superiori. [c] Propheta in sua & Ecclesiæ persona idem repetit. [b] Non liberauit nos tantum, sed sic liberauit sicut ipsius conuenit magnificentiæ. Vindicauit nominis sui gloriam. [a] Saltem igitur exeat à nobis confessio, qualē Deus incredulis expressit. *Facti sumus lætantes.* [b] Repetit quod de exundanti gaudio dixerat versu secundo. [c] Subest autem hic tacita antithesis inter nouum hoc gaudium & diuturnum mœrorem quo fuerant constricti in suo exilio. Disertè autem prædicat redditam fuisse lætitiam, quo melius expendant fideles quàm lugubris fuerit prior conditio. [a] Hoc igitur in rebus aduersis solatium nobis afferat, Deum, vbi suos ad tempus castigauit, gaudium quo priuati fuerant, tādem restituere, ac seruos suos lætitia perfundere, quos mœror & anxietas diu occupauerat. [a] Sic Christus suis dicebat, Mūdus gaudebit, vos verò tristitia afficiemini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Ioh. 16.c.20.

4 *Reduc Iehoua captiuitatem nostram sicut riuos in Austro.*

Reduc Iehoua captiuitatem. [a] Vel, Redire fac Iehoua captiuitatem nostram. [a] Orat nunc nomine populi Vates vt Deus præsentem etiam captiuitatem soluat. [c] hoc est, vt residuos captiuos simul colligat. Atque hanc precandi formam Iudæis qui iam patria fruebātur, dictauit Spiritus sanctus, ne miseros fratres suos negligerent. Tametsi enim patefactus erat toti populo exitus & data libertas, scimus tamen exiguum numerū præ ingenti multitudine huius beneficii fuisse participem. Quosdam enim metus retinuit, quosdam ignauia, quòd discrimina viderent instare quibus obeundis pares non erant, & mallent in sordibus suis torpere quàm suscipere itineris molestiā. Credibile etiam est multos præsentem quietem & commoda æternæ saluti prætulisse. Certè impletum fuit quod prædixerat Esaias, Etiamsi populus æquaret arenam maris, reliquias tantū fore saluas, Cap. 10.e.22. Quum ergo multi palàm respuerent oblatum beneficium, & precaria libertas multis difficultatib⁹ & obstaculis non careret, vt vix pauci cordatiores pedem mouere auderent: non mirum est si Propheta Ecclesiā adhuc pro reductione vota concipere iubeat. Iam simul notandū est qualis fuerit eorum status qui iam reuersi erant. Nam quum occupata esset terra ab exteris, quos omnes habebant infestissimos & iuratos hostes, non secus in patria captiui erant quàm inter Babylonios. Itaque duplici respectu necesse fuit Ecclesiā anxiè precari vt Deus colligeret dispersos, nempe vt animum adderet timidis, torpētes excitaret, stupidis delicias excuteret, omnibus porrigeret dexteram manum: deinde vt reducem

populi manum locaret in libertate & otio. [a] Videmus hic quàm necesse sit Deum in nobis perficere bonum quod incepit: alioqui statim euanesceret quicquid fœlicitatis nobis cótigisse videbatur. *Sicut riuos in Austro.* [v] Vel, sicut torrentes in Austro. Sunt qui aliquid subaudiẽdum putẽt, nimirum tale quid, Et erit id nobis tam gratum quàm torrentes in Austro, plaga scilicet Meridionali, quæ est sicca. Alii, vt torrentes siccos, Austrum, sub. reducis. [c] Sed potius Propheta miraculi comparatione gratiam Dei extollit, & magis auget: ac si diceret, Quanuis difficile sit reliquias dispersas coalescere in vnum corpus, esse tamen in Dei arbitrio non secus ac per desertum aridum riuos ducere. Interim ad medium iter alludit, sicuti ex regionũ situ patet. Ita nihil erit in verbis subaudiendum, quæ simpliciter hoc sonant, perinde ac si fluuios in regione sterili & arida deduceret. Et certè viam aperiet populo, qui velut in profundũ abysso demersus erat, perinde fuit ac cursum aquis irriguis per desertũ patefacere. [m] Admonemur hic quomodo pii, quæ futura credunt, & credẽtes expectãt, precibus a Deo postulẽt. Huiusmodi precatio primùm admonet, esse illa gratiæ Dei, non meriti nostri: deinde esse ea non solùm credenda, sed & ardenti desiderio expetenda & oranda. Nos credimus vitam æternam, desideremus etiam illam & ex corde petamus.

5 *Seminantes in lachrymis, in exultatione metent.*

Seminantes in lachrymis. [v] Vel, Qui seminauerunt in lachrymis. Alii, Qui seminant. [m] Hoc versu & sequenti discernit Propheta inter tempus calamitatis & tempus perfectæ liberationis: futurum asserens vt ex illius miseria & calamitate magnũ sint emolumentum consequuturi. [c] Itaque hæc sententia non minus in futurum tempus extẽdi debet quàm de præterito intelligi. Fuit Iudæis sua migratio sationis instar: quia vaticinio Ieremiæ animos eorum ad spem messis erexerat Deus: non tamen sine ingẽti mœrore & cruciatu tracti fuerũt in longinquũ exilium. Hoc ergo perinde fuit ac si tempore penuriæ miser agricola, qui iam esurit, fraudare se ordinario fructu cogatur, vt in annum futurum sibi prospiciat. Quàquam autem hoc acerbum est, spe messis ad seminandum incitatur. Verum ergo est Iudæos, quum in exilium tracti sunt, non aliter fuisse tristes ac qui semen pretiosum tempore sterilitatis in terrã spargit: postea verò sequutam esse lætam messem, dum liberati sunt: quia Dominus tanquam in vberrimo prouentu hilaritatem ipsis restituit. Sed videtur Propheta fideles in posterum quoque hortari ad patientiam. Necdum enim completa erat Ecclesiæ restitutio: imò ob duas causas (quas paulo antè recensuimus) patet tunc fuisse sationis tempus: quia etsi liberaliter Iudæos omnes inuitabat regis edictum, pauci tamen ex multis sensim & trepidè per turmas reuersi sunt: deinde à vicinis inique & duriter fuerunt excepti, & multum illis negotii exhibitum, vt æquè tolerabilis esset prior seruitus. Vnde colligimus serendum adhuc illis fuisse, quia nondum aduenerat maturum tempus messis: ideòque non frustra eos hortatur Propheta vt strenuè laborẽt & pergant inter continuas molestias, neque fatiscãt, donec melior appareat successus.

6 *Vadens vadet ac flebit, portans pretium seminis: veniens veniet in exultatione, portans manipulos suos.*

Vadens vadet ac flebit. [v] Vel, Eundo ibit ac flendo. Hebraismus, Ire solet flendo. Idem dicit quod præcedenti versu, sed aliis verbis. *Portans pretium seminis.* [v] Quidam, pretiosum semẽ. Alii, Vas seminis, seu seminarium. Id est, canistrum in quo est semen. [a] Qui pretium vertunt, locum adducunt ex libro Iob, cap. 28. c. 18, Pretium sapientiæ omnibus margaritis melius. Sed quum verbum משך (vnde nomen hoc deducitur) extendere vel protrahere significet, fortè tam hic quàm in illo altero loco commodius משך in proprio sensu poterit sumi. Videtur enim Propheta illic nõ propriũ acumẽ, sed reconditam sapiẽtiam laudare. Ita protractio sapientiæ, hoc est perpetuus tenor propter altas radices, dicetur melior margaritis. Ita hoc loco protractio seminis refertur ad ipsos agricolas, nẽpe vitã suã eos extendere vel prorogare dum seminant. Quòd si tamen magis placeat nomen pretii, sensus erit, angusta annona cum lachrymis semen terræ mandari, quia pretiosum ac carum est. *Veniens veniet in exultatione.* [m] Hoc est, Tempore messis vberem laborum suorum fructum reportabit, & cum cantico domum reuertetur. [v] Significat non fore perpetuam Iudæorum tristitiam, sed eos similes esse agricolis, quibus sementis sicut est tristis, messis erit suauissima. [c] Iam latius patet hæc doctrina. Scimus vitam nostram alibi sationi conferri. Sæpe autem continget vt seminandum sit in lachrymis: ideo ne alacritatẽ nostram frangat mœror vel retardet, ad spem messis erigere animos decet. Cæterùm meminerimus non omnes Iudæos qui tracti sunt Babylonem, seminasse: quia multi qui rebelles erant aduersus Deum & Prophetas, sicut contempserant minas omnes, ita priuati sunt spe reditus. Quibus nec fuit salis desperatio, in suis miseriis consumpti sunt: quos autem sustinebat Dei promissio, quanuis in extrema inedia semen fortasse iacerent in terram, spem messis in cordibus suis fouebant. Ergo vt præsenti nostræ tristitiæ gaudium succedat, discamus ad eam quã promittit Deus animos intendere. Ita experiemur piis omnibus commune esse hoc vaticinium, vt Deus non tantum abstergat lachrymas ab eorum oculis, sed corda inæstimabili gaudio perfundat. [m] Itaque cogitemus in afflictionibus, eum qui riuos aquarum conuertit in Austro, & torrentes æstu exsiccatos, cælesti pluuia reddit abundantes, & seminantis molestiam & laborem mutat in messem vberem & lætitiæ plenam, qualescunque afflictiones nostras olim magnificentissimè in tẽpora gaudii & exultationis mutaturum. Non enim frustra dictum est Apostolis, Tristitia vestra conuertetur in gaudium.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVII.

[c] Docet hic Psalmus ordinem mundi tam politicum quàm œconomicum non hominum industria, sedulitate, consilio, sed sola Dei benedictione stare: [a] deinde ostendit, liberos & cosfrugi contingere, singulare Dei donum esse.

CAnticum graduum Solomonis. *Nisi Iehoua ædificat domum, frustra laborant qui ædificant eam: nisi Iehoua custodiat urbẽ, frustra vigilat custos.*

Canticum graduum Solomonis. [v] Quidã vertunt Solomoni, vel, Pro Solomone. Id est, in gratiam Solomonis. [c] Sed dubium nõ est quin inscriptio hæc authoris nomen cõtineat ac designet: præter id quòd optimè conuenit, Solomonem, qui in rebus politicis instructus fuit, prudentiæ Spiritu de rebus sibi notis & compertis disserere. [c] Certè Psalmus iste cum argumento Ecclesiastæ Solomonis planè conuenit. Docet autẽ sine beneuolentia Dei frustra esse omnem nostrum conatum, laborem & industriam. *Nisi Iehoua ædificet domum.* [m] Ostendit omnia esse in manu Dei sita, vanámque omnem humanam diligẽtiam nisi diuina accedat prouidentia. [c] Mundum autem duplici de causa & hominum vitam diuinitus gubernari asserit. Primò, quia quid prosperè successerit hominibus, statim se prodit eorum ingratitudo, quòd sibi totũ hoc ascribunt: ita fraudatur Deus iusto honore. Hoc tã peruersum vitium vt corrigat Solomo, pronuntiat nihil nobis fœliciter cedere nisi quatenus actiones nostras Deus bene fortunat. Deinde propositũ ei fuit stultam hominum confidentiam retundere, qui posthabito Deo, prudentia tantùm sua aut viribus freti, quiduis aggredi audẽt. Ergo quod sibi temere arrogãt, illis detrahens, ad modestiam & Dei inuocationem hortatur. Porro non repudiat hominũ vel laborem, vel studia, vel cõsilia: quia virtus est laude digna, quæ officii nostri sunt, sedulò curare. Neque enim Dominus vult nos similes esse truncis, vel ignauos iacere, sed in vsum applicari quicquid nobis cõtulit. Verum quidem est, maximam laborum partem fluere ex Dei maledictione: si tamen maneret primi status integritas, adhuc vellet Deus nos exerceri. Sicut vidimus Adam locatũ fuisse in horto vt eũ excoleret, Gen. 2. c. 15. Quare Solomo vigilantiã quæ Deo probatur minimè damnat: neque etiam laborẽ, quem dum ex Dei mandato libenter suscipiũt homines, gratũ ei sacrificiũ offerũt. Sed ne superbia excæcati ad se rapiant quod propriũ Dei est, satagẽdo nihil proficere admonet, nisi quatenus eorũ laborẽ Domin⁹ benedicit. *Domum.* [a] Per domum non solùm mansionis locum intelligit, sed statum simul & familiam ac dignitatem patrisfamiliàs, domumque inhabitantis. Qua de re vide Exodi 1. d. 19, & 2. Sam. 7. b. 11 [v] Sicuti paulo post per nomen vrbis, cõmunis reipublicæ status vel politia significatur. *Frustra laborant qui ædificant eam.* [a] Dicit frustra esse omnem conatum quem homines ædificãdo adhibẽt, nisi Dominus sua benignitate laborãtibus faueat. *Nisi Iehoua custodiat urbem.* [a] Nunc de reipublicæ statu & politia loquitur. *Frustra vigilat custos.* [m] Non dicit, Parum fœliciter laborant ædificantes, aut vigilat custos: sed, Frustra laborat vterque, & ædificator & custos, vt melius doceat omnem efficaciam laborum & curarum ab operatione & prouidẽtia Dei pendere, & inanem per se esse omnem humanam virtutem, curam & industriam. [c] Itaque in voce ædificantis & custodis est synecdoche: quia generaliter pronuntiat, quicquid operæ, cõsilii & industriæ homines afferant ad suẽdam familiam, vel cõseruandam vrbem, irritum fore, nisi Dominus è cœlo prosperos euentus ordinet. Iam memoria repetere conuenit quod nuper attigimus, nempe, quoniam tam cæca superbia occupat fe

etè hominum mentes vt Deo contempto suas facultates sine modo efferat, nihil vtilius esse quàm in ordinem cogi, vt sentiant, quicquid thesaurizarint, euanidum fore nisi profectus à mera Dei gratia accedat. Philosophi, quum disputant de statu politico, ingeniosè quidem omnia colligunt quæ ad rem facere videntur, causas & media erigendæ reipublicæ acutè ostendũt, cursus vitia quibus corrũpi solet sectus status, deniq; summa dexteritate persequuntur quicquid in hac parte cognitu necessarium est: nisi quòd præcipuum caput omittũt, nempe homines, quantumuis prudentia & virtute excellant, quicquid moliantur, nihil posse efficere, nisi quatenus manũ Deus porrigit, imò tanquam organis vtitur. Quis vnquam ex philosophis agnouit hominem politicum nihil aliud quàm organum esse quod manu Dei dirigitur? Imò præcipuã fœlicis status causam locarunt in hominis virtute. Quũ ita mortales sacrilega audacia insurgant ad condendas vrbes & constituendum totius mundi statum, meritò Spiritus sanctus talem vesaniam coarguit. Sic ergo nos exerceamus, quisque pro facultatis suæ modo & officii ratione, vt interim laus omnis prosperi successus penes vnum Deum maneat. Nam & partitio quã fingunt multi, iniqua est, vt dimidiam laudis partem Deo relinquens qui strenuè se gessit, alteram sibi vsurpet: sed vnam Dei benedictionem vigere in solidum & regnare oportet. Quòd si à mero Dei beneplacito conditio nostra terrena pẽdet, quibus alis in cælum vsque euolabimus? Si instruitur domus, vel eligitur certum vitæ genus: imò si feruntur leges & exercẽtur iudicia, hoc totum nihil aliud est quàm in terra reptare: & tamen nostros omnes conatus hic esse euanidos Spiritus sanctus pronũtiat. Quominus tolerabilis est eorum dementia qui propriis viribus in cælum vsque penetrare contendunt. Porrò ex hac doctrina colligere licet, mirum non esse si hodie res in mundo turbatæ sint ac confusæ, si iudicia in vrbibus dissipata sint, si cõiuges vltrò citróque se accusent, parẽtes de liberis querantur, omnes suam sortem deplorent. Quotus enim quisque in sua vocatione se ad Deũ cõuertit, ac non potius inflatus arrogantia sese perperã extollit? Iustè ergo Deus, vbi honore suo fraudatur, tristẽ hanc mercedẽ repẽdit ingratis hominibus. Quòd si modestè se omnes Dei prouidentiæ subiicerent, haud dubiè refulgeret in singulis vitæ partibus tã publicè quàm priuatim hæc benedictio quam Solomo commendat. Verbum שקד non modò operam impendere significat, sed etiam vsque ad fatigationem & molestiam satagere. Diximus per custodes intelligi non solùm qui locantur in excubiis, sed omnes magistratus & iudices. Siquid est in ipsis vigilantiæ, cæleste donum est: sed opus est rursus altera Dei vigilãtia: quia nisi excubias ipse agat è cælo, nulla hominum perspicacia cauẽdis periculis sufficiet.

2 *Frustra vobis mane festinando surgere, tardare ad quietem, comedere panem dolorum sic dabit dilecto suo somnum.*

Frustra vobis mane. [a] Vel, Frustra vobis est quòd acceleratis mane surgere, quòd differtis rursus sedere, vescẽtes cibo ærumnoso. [b] Per apostrophen Solomon eos alloquitur qui neglecta diuinæ prouidentiæ fide, anxii sunt in acquirendo victu, quasi necessaria alimonia ab humana cura & solicitudine pendeat. [c] Duo autem media enumerat, quæ putantur ad opes colligendas plurimum valere. Nam qui laboti non parcunt, sed noctes diésque consumunt rebus agendis, & tenuiter victitans ex suo labore, non mirum est si diuitias breui tempore accumulent. Atqui Solomo neque frugali vita neque sedulitate quicquam proficì affirmat: non quòd vetet parsimoniam in victu colere, & mane surgere ad laborem obeũdum: sed vt nos solicitet ad preces & inuocationem Dei, deinde gratitudinem commendet, in nihilum redigit quæ Dei gratiam obscurant. Tunc ergo rite auspicabimur si spes nostra à solo Deo pendeat, euentus etiam votis nostris respondebit. Quòd si quis Deo posthabito alacriter festinet, præcipiti suo cursu pessũ ibit. Ergo Prophetæ consilium non est, homines ad ignauiam traducere, vt tota vita nihil cogitent, sed torpeant ac indulgeant suæ inertiæ: sed dũ exequũtur quod sibi diuinitus iniunctũ est, sẽper tamẽ incipiant à precibus & Dei inuocatione, suósque labores ei benedicendos offerant. *Tardare ad quietem.* [a] Vel, frustra vobis est tardantibus sedere. Vel, quòd moram faciatis sedẽdo. Alii, quòd tardatis sedere, vacantes scilicet tota die operibus vsque ad vesperam: serò sederis, vt quiescatis. *Comedere panem dolorũ.* [a] Vel, molestiarum, id est, plenum ærumnarum, & maximis molestiis partum. Vel, panem dolorum intelligit panem qui comeditur cum molestia. Sicuti videmus parcos homines & tenaces vix panem gustare quin manum ex ore retrahant. Sed parum interest vtrumuis sensum eligamus: quia simpliciter Psaltes docere voluit, parcos homines, etiam malignè genium sᵫ defraudando, nihil proficere. [a] Discimus ergo ex hoc loco frustra esse mane surgere ad labores & negotia, serò ad quietem residere, & sic vesci cibo ærumnoso, nisi omnia suppeditet Deus: quo suppeditante vt laborandum tamẽ est, ita iuxtà omnia eius benignitate secundantur & condulcorantur, vt videantur quæcunque contingunt, dormientibus obuenire. *Sic dabit dilecto suo somnum.* [c] Significat Dei benedictionem, de qua disseruit, in suis filiis ac seruis reipsa conspici. Neque enim satis fuerit doctrinam illam tenere, inutile esse quicquid conantur homines, nisi accedat promissio, vt certa spe alacriter officio fungãtur. Potest autẽ legi, Dabit dilecto somnũ, vel, Dabit per somnũ quæ scilicet frustra increduli proprio marte acquirere cõtẽdũt. Particula כן ad certitudinẽ posita est. Nã quo melius persuadeat Solomo quod videtur incredibile & fabulosũ, nẽpe Deũ sine magna cura fidelibus victum suggerere, rẽ quasi digito demõstrat. Perinde quidem loquitur acsi Deus sua indulgentia seruorum suorũ desidiam aleret. Sed quia scimus hac Lege creatos esse homines vt se exerceant, & postea videbimus fœlices censeri Dei cultores dum laborem manuum suarum comedunt (infrà, 128. a.1) certum est somni nomine inertiam non intelligi, sed placidum laborem, cui se ex fidei obsequio addicunt fideles. Vnde enim tantus incredulis feruor vt digitum sine tumultu non moueant, hoc est quin sa torqueant superuacuis curis: nisi quia Dei prouidentiæ nihil tribuũt? Fideles verò etsi laboriosam agant vitam, compositè tamen & tranquillis animis Dei vocationi parent. Ita eorum manus otiosæ non sunt, sed animi se continent in fidei silentio acsi dormirent. Siquis rursus obiiciat, fideles sæpe æstuare diris curis, & dum premuntur rerum omnium inopia, ac destituũtur mediis omnibus, esse in curis continuis anxios: Respondemus, Si perfecta esset in Dei cultoribus fides & pietas, perspicuam fore Dei benedictionem cuius meminit Propheta. Itaque quoties immodicè torquentur, id cõtingere eorum vitio: quia in Dei prouidentiam non solidè recumbunt. Addimus etiam, magis seueram pœnam de ipsis exigi quàm de incredulis, quia ipsis vtile est inquietudine huc illuc ad tempus raptari, vt ad quietum hunc somnum perueniant. Interea tamen præualet Dei gratia, & in mediis tenebris semper emicat, quòd Dominus filios suos quasi per somnum alit.

3 *Ecce hæreditas Iehouæ, filii, merces fructus ventris.*

Ecce hæreditas Iehouæ filii. [a] Hoc versu & duobus sequentibus canit præcipuè de dono liberorum, quos dicit esse hæreditatẽ Iehouæ, [a] atque ita speciem vnam profert Solomo in qua præcipuè agnosci vult quod hactenus in genere testatus est, vitã hominum à Deo gubernari. Nihil videtur magis naturale quã vt homines ex hominibus nascantur. Ita somniat maior pars, postquam ab initio id statuit Deus, iam eo cessante, arcano naturæ instinctu sobolem gigni: imò qui aliquo pietatis sensu præditi sunt, quamuis Deum non negent humani generis patrem esse & tutorem, non tamen agnoscunt ad hunc peculiarẽ delectum eius curam descendere, sed creari homines vniuersali quodam motu. Peruersum hunc errorem corrigere volens Solomo, filios nominat Dei hæreditatem, & fructum vteri, eius munus. Nam Hebraicum nomen שכר quod mercedem reddũt significat quicquid beneficiorum in homines Deus confert, vt clarè patet ex multis Scripturæ locis. Itaque sensus est, non fortuito casu obtingere liberos, sed vt Deo visum est, singulis partem suam distribuere. [a] Hoc agnouerunt sancti patres diuino spiritu præditi, Gen. 15. a. 3 & 30. a. 2.

Merces fructus ventris. [a] Repetitio, qua idem bis dicit. q. d. Quod à Deo tanquam iure hæreditario accipimus, sunt liberi. & donum quo afficit pios Iehoua, quódque ab eius liberalitate proficiscitur, est soboles. [a] Ergo hæreditas & merces idem valent quia vtrunque vel fortunæ vel hominum vigori opponitur. Vt quisque maximè vegetus est, idoneus videtur ad procreandam sobolẽ: contrà pronũtiat Solomo patres fieri quos Deus hoc honore dignatur. [a] Per fructum ventris liberos intelligit. [a] Admonet autem hoc loco Spiritus sanctus quosuis parentes vt gratiæ ac prouidentiæ Dei etiã hac in re rationem habeant sciántque tum se fœliciter fore fœcundos quãdo pia prole donantur à Deo.

4 *Sicut sagittæ in manu robusti, ita filii adolescentiæ.*

Sicut sagittæ in manu robusti. [a] Similitudine sagittarũ in manu potentis, docet singulare donum Dei esse, liberos habere optimè institutos & morigeros. [c] Nam quia non semper numerosa soboles gaudiũ affert parentibus, additur hic secũda Dei gratia, dum liberos format, ornátque præclara indole & omni genere virtutum. Meritò disputat Aristoteles in Politicis an cæteri εὐτεκνία in bonis debeat, idque negat, nisi accedat εὐγένεια, hoc est generositas, vel naturæ probitas in ipsis liberis. Et

præstare non desinet in te edorãdo, vt tibi quotidianus victus suppetat ex tua manu, modò tenui sorte contentus sis. [a] Fœlicitas ergo hæc, de qua loquitur Propheta, nec in labore manuum nec in cibo & potu, sed primùm in eo sita est, quòd qui de suo ipsius labore (modò honesto) viuit, bona cum cõscientia ex illo manducat & bibit. Est autem cõsciẽtiæ rectæ & integræ bonum inæstimabile. Deinde panem comedit non iurgiorum ac disceptationum, sed pacis & quietis. Sic Paulus iubet cum quiete operari Christianum manibus suis quod honestum sit, & suum ipsius panem mandocare. Tertiò, nemini victus gratia seruiliter obstringitur, nec cogitur ab aliorum pendere gratia & beneuolentia: sed de suo sic viuit vt & aliis impartire possit: sicuti hortatur Paulus Ephes. 4. f. 28. Huc respicit illud, Beatius est dare quàm accipere. Quartò, experitur benedictionem Domini, per quam labores suos prosperari sentit, vnde in fide diuinæ prouidentiæ alitur ac prouehitur. Quintò, quod & ipsius & domesticam conuersationem attinet, multis tentationibus & occasionibus scelerum liberatur, dum laboribus suis & ipse & domestici eius incumbũt: quibus obnoxii sunt illi qui in ocio viuunt, & alienis laboribus saginantur. Postremo, quod & corpus ipsum laboribus occupatũ attinet, vtique bene est timenti Dei, & laborem manuum suarum comedenti. Nam hoc ipsa experientia docet, esse laborãtiũ corpora plerunque saniora & firmiora quàm sunt ociosorum hominum: quorum corpora, tanquã otio & luxu corrupta, & multis morbis sunt obnoxia, & nullius laboris patientia. [a] Quanquam putandum non est per laborem manuum Scripturam tãtùm intelligere mannarium illum laborem, quem exercent artifices & publici illi operarii, qui vel agricultura vel aliis artibus victum sibi parant, sed etiam honestum omnem laborem tam animi quàm corporis, cui homines in legitima vocatione constituti, cum Dei timore & sana conscientia vacant: quales sunt principes, magistratus, & fidi Ecclesiæ ministri, qui, etsi aliunde victus illis suppeditatur, suæ tamen vocationi seruientes, iusto & legitimo labore victum sibi parare dicuntur.

3 *Vxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ, filii tui sicut plantæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.*

Vxor tua sicut vitis. [a] Celebrat Vates donum liberorum, [c] dicens fœcundos fore Dei cultores, vt numerosam sobolem generent. Maior quidem pars sobolem expetit, éstque id ferè à natura ingenitum: sed plerique datam fastidiunt: deinde pauperibus gratior sæpe est orbitas quàm si turbam inopem relinquerent. Verùm vtcunque præposteris desideriis variè & incõstanter feratur mũdus, hanc suam benedictionem Deus præfert omnibus diuitiis: ideóque & nobis in pretio habenda est. Siquis ergo vxorem habet vitæ sociam, commodis moribus, non minoris æstimet hanc benedictionem quàm Solomo, qui affirmat nonnisi à Deo vxorem bonam dari, Prouerb. 19. b. 14. Siquis etiam pater sit magnæ sobolis, grato animo excipiat tã præclarum beneficium.

Et filii tui sicut plantæ. [v] Viti tenui & debili, quæ se sustinere sine adminiculis non potest, vxorem comparat, quæ pulchros nihilominus filios producit: quos oleæ plantatæ ac semper virenti similes esse dicit. [m] Apta profectò vitis frugiferæ & domesticæ, deinde plantarum oliuæ similitudo. In vtrisque & magna est vtilitas & iucundissima mentis oblectatio: vnde fit vt nemo se infœlicem iudicet siquid laboris sit in cultu vitis frugiferæ & plantularum oliuæ perferẽdum. Ad eum modum & pii mariti ac patrisfamilias animus est cõparatus, vt se fœlicẽ esse iudicet si habeat vxorem honestam & fœcundam, domus suæ ornamentum, & totius vitæ consortem, & prolem iuxtà piam & morigeram. [a] Siquis obiiciat, Prophetam sic loquendo, fideles carnis illecebris in terra morari, ne solutis & liberis animis in cœlum aspirent: respondemus non esse mirum si Iudæis gustum gratiæ Dei paternique fauoris sub Lege proposuerit, quia tunc scimus pueris fuisse similes. Quãquam sic eũ temperauit vt ad cælestis vitæ meditationem conscenderent. Hodie quoque nobis, licet parcius, fauorem suum temporalibus beneficiis Deus testatum facit: quemadmodum nuper citauimus ex Paulo (1. Timo. 4. c. 8.) pietatem habere tam præsentis quàm futuræ vitæ promissiones. Sed hoc modo nõ iniicitur nobis remora vel impedimentum ne in cælum assurgant mẽtes nostræ, sed potius scalæ eriguntur quibus gradatim illuc conscendant. Merito itaque Propheta fideles admonet fructũ iam aliquem integritatis suæ percipere dum illis victum Deus suppeditat, eos fortunat in coniugio & prole, & ad curandam eorum vitam descendit. Sed eo consilio præsentem Dei gratiam commendat, quo alacrius ad æternam suam hæreditatem festinent. Quòd si non semper hæc fœlicitas piis contingat, sed interdum vxor vel molesta sit, vel superba, vel vitiosis moribus, si liberi etiam dissoluti sint ac vagi, imò patris domum dedecore afficiant: se ideo Dei benedictione fraudari agnoscant quòd eam sua culpa repulerint. Et sanè si quisque suavitia reputet, fatebitur terrenis Dei beneficiis iustè se priuari.

4 *Ecce certè sic benedicetur vir timens Iehouam.*

4 *Ecce certè sic benedicetur.* [v] Quidam legunt, Ecce quia sic benedicetur. Alii, Vtique res ita habet quòd sic &c. [c] Confirmat Propheta superiorem doctrinam, in externo quoque fluxæ huius vitæ statu fulgere Dei gratiam, quæ demonstret non operã non perdere eũ colendo. Quia tamen nõ tãclarè apparet pietatis merces, primò demõstratiua particula vtitur, Ecce: deinde addit, Certè. Sic enim exponenda est particula כי. Sẽper tamen memoria tenendum est quod prius attigimus, sic promitti nobis in terra Dei benedictionem ne sensus nostros occupet ac detineat: quia spem futuræ vitæ minimè suffocari decet. Quo fit vt non semper potiamur æqualiter Dei beneficiis. [m] Interea obseruandum est, statum matrimonii legitimi deputari fœlicitati eorum qui Deum timent, & commendari benedictione diuina. Sic benedicetur (inquit) vir timens Dominum. Damnatur hac Spiritus sententia omnis illa præpostera religio hominum superstitiosorum, & plerunque carnalium, qua matrimonium legitimum à Deo institutum, benedictum & consecratum, timentibus Dei vtile & commodum, iam est aliquot seculis, quasi immundum sit & Dei cultoribus noxium, instigante spiritu Satanæ reprobatum, & Ecclesiæ ministris negatum. Audis hic virum timẽtem Dei, audis illius vxorem, eámque fœcundam, audis filios, audis iucunditatem & vtilitatem eius vxoris eius liberorum, in similitudine vitis frugiferæ ac latera domus ornantis, & plantularum oliuæ, mensam circundantium: audis expressè & cum singulari admonitione, sic benedici à Deo virum qui ipsum timet. Ostendant tale testimonium de cœlibatu suo, omnium spurcissimo quotquot sacrosanctum coniugum ordinem in filiis Dei damnant, & interim scortis cubabitant, vel adhuc deteriora ac scelestiora committunt.

5 *Benedicat tibi Iehoua è Sion, & videbis bonum Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

Benedicet tibi Iehoua è Sion. [v] Quidam vertunt, Benedicat tibi: Fœlicem te reddat, vt sit precatio. Videtur tamẽ Propheta explanare clarius, Deum esse authorem earum benedictionum quas prius retulit, ne quis fortunæ vel industriæ suæ quicquã adscribat. [c] Etsi enim sæpe nobis ante oculos versantur eius dona, tamen eorum conspectum falsæ imaginationes obscurant. Quare superuacua hæc repetitio non fuit, à Deo benedici fideles quoties aliquid prosperi euenit. Dicit autẽ è Siõ, vt pios reuocet ad memoriã fœderis quod Deus cũ ipsis pepigerat. Nã familiariter promiserat se Legis obseruatoribus propitium fore, Leuit. 26. a. 4., & Deut. 28. a. 1. atque hæc rudimenta pietatis à prima infantia imbiberant. Quare Propheta nihil se nouũ vel prius inauditũ afferre docet: quia pridẽ ex Lege didicerant temporalibus quoque beneficiis palam fieri nõ frustra coli Deũ: atque id re ipsa sensuros asserit. [a] Qua de re vide Esa. 1. c. 19. *Et videbis bonum Ierusalem.* [v] Vel, Et vide in bono Ierusalem. Vel, bonum, pro bona. Id est, Et fruaris fœlicitate Ierusalem, qua hodie eam florere vides. Alii, Et videas commoda Ierusalem. Quidam imperatiuum pro futuro esse volũt, Et oblectaberis videndo bona Ierusalẽ. Vel potius, Et videbis Ierusalem florere. [c] Hic Vates piis Legẽ præscribit, ne priuatim sibi tãtùm consulant, vel propriis commodis sint addicti: sed potius vt præcipuum eorum votum sit videre florentem Dei Ecclesiam. Valde enim absurdũ esset neglecto corpore singula membra optare quod sibi vtile sit. [a] Paulus vbique etiam in carceribus gaudebat quum audiebat bene esse Ecclesiis, & efficacem Euangelii prædicationem, Philipp. 1. c. 18.

6 *Et videbis filios filiorum tuorum, pacem super Israel.*

Et videbis filios filiorum. [v] Versus hic vltimus cum publica pace populi Dei, posterorũ quoque fœlicitatem promittit. *Pacem super Israel.* [v] Quod proximo versu bonum dixit, nunc pacem vocat. [c] Porro quũ rebus priuatis potius addicti simus quàm publicæ saluti Ecclesiæ, non temere Propheta studium salutis totius Ecclesiæ commendat, ac benedictiones domesticas sic permiscet communibus Ecclesiæ bonis vt sciamus res esse coniunctas, & quas distrahere fas non sit. [m] Certe multo fœlicius esset ex hac vita migrare quàm videre filios filiorum, & iram Dei quotidie grassantem. a

ARGVMENTVM PSALMI CXXIX.

[c] Quo fidelis populus variis molestiis expositus, spem libera-

tionis in futurum colligat, docet hic Psalmus ipsum non modo seculis omnibus mirabiliter seruatū fuisse, sed omnes etiam impiorum conatus semper irritos fore, vbi Deus se vindicem ac liberatorem suorum præstare voluerit.

Canticum graduum. Sæpe afflixerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.

Canticum graduum. Psalmus iste compositus fuisse videtur quum Ecclesia Dei in extremas angustias coëcta, vel magno aliquo discrimine perculsa, vel tyrannide oppressa parum ab interitu distabat.

Sæpe afflixerunt me. Vel, Multum angustiis affecerunt me. Infestarunt, (coarctarunt) me. Vel, Aduersati sunt mihi a iuuentute mea. Iubet Propheta Israelem de ope Domini gloriari, quòd quum à puero impii ipsum plurimum afflixerint, non tamen ei præualuerint. Vnde non occurrit melior coniectura quàm Psalmum fuisse compositum postquam ab exilio reuersus erat populus & à suis vicinis graues multas acerbásque iniurias perpessus, tandem sub tyrannide Antiochi propemodū defecit. In illa igitur turbida caligine Propheta fideles ad fortitudinem animat: nec paucos solùm, sed sine exceptione totū corpus, iubétque ad sustinendos eam dolos insultus hunc honæ spei clypeum opponere, Ecclesiam Dei patiēdo semper stetisse victricem. Ac singulis quoque verbis subest pondus. *Dicat nunc Israel.* Hoc est, secum vetera experimenta reputet, ex quibus colligere licebit Dei populum nunquam à crucis tolerantia fuisse immunem, fœlici tamen euentu variis afflictionibus fuisse semper probatum. De hostibus autem indefinitè loquēdo, grauitatem exaggerat magis quàm si Assyrios vel Ægyptios nominasset. Certum enim genus non designans, mundum subindicat innumeris hostium copiis refertum esse, quos facile armat Satan ad bonorum perniciem, vt omni ex parte noua subinde bella emergant. Et certè satis testantur historiæ non fuisse negotium populo Dei cum paucis hostibus, sed à toto ferè mundo oppugnatum: deinde non ab externis tantùm hostibus, sed à domesticis exhibitas fuisse molestias. Et particula Sæpe innuit hanc esse sortem populi Dei, vt non solum affligatur in hoc seculo, sed sæpenumero & frequenter affligatur. Eam sortem non debemus putare esse fortuitam, vel à malitia tantùm pendere hominum impiorum, sed diuinam dispensationem intueri: & cognoscere esse prouidentiam Dei erga suos sic comparatam vt suos frequenter cruce & afflictionibus exerceat, & ad eam rem impiorum hominum malitia vtatur. Deinde & carnem nostram sic esse corruptam vt eiusmodi castigationis frequētiam, qua coërceatur & humilietur, necessariò requirat. Huc etiam facit quod dicit, *A iuuentute mea.* Quo nomine intelligit prima exordia, nō tantùm quum Deus populum eduxit ex Ægypto, sed quum Abrahā & patriarchæ laboriosa militia per totam fere vitam confecit. Quum verò immaniter exagitati essent in terra Chanaā, posterius Ægyptus deterior fuit habitatio, vbi non modò seruiliter sed etiam probrosè fuerūt oppressi. In egressu scimus quanta difficultas: ab eo tempore siquid relaxationis datum est, non tamē diuturna quies fuit vsque ad regnum Dauidis. Quanquam autem tūc visa sit beata eius conditio, non multo post exortæ sunt turbæ, atque etiam clades, quæ Dei populo exitium minitarētur. Exilio Babylonico parùm abfuit quin sine vlla spe tanquam sepulchro abditi putrefierent. Post reditum vix breues induciæ ad respirādū datæ sunt, certè ad internecionē sæpius fuerūt cæsi. Itaque non abs re dicuntur afflicti, nequis conciperet mediocri aliquo incommodo fuisse affectos. acsi Propheta ante oculos nobis statueret Dei populum quasi semimortuum, quem hostes sub pedibus suis prostratū calcare non dubitent. Quòd si ad nos venitur, horrendas persequutiones adiungere conueniet, quibus millies consumpta fuisset Ecclesia nisi Deus quasi redimendam arcanis modis seruasset. Porro nisi in malis nostris obstupescimus, huius infaustæ ætatis necessitas ad eiusdem doctrinæ meditationem nos cogit.

2 *Sæpe afflixerunt me à iuuentute mea, nec tamen potuerunt contra me.*

Sæpe afflixerunt me. Minimè superuacua est hæc repetitio, vt sciamus Dei populum non semel aut iterum bellasse, sed cōtinuis exercitiis fuisse ad patientiam probatum. Dicere se cœpisse à iuuentute, significans à prima origine sic fuisse imbutū vt assuesceret ad ferendam crucem: unde addit quàm non abs re fuerit tam aspera educatio, quia per continuos progressus nō destitit Deus malis eos subigere. Quòd si tā austera fuerūt pueritiæ rudimenta, nisi hodie, postquam in virilē ætatē Christi aduentu adoleuit Ecclesia, robur ad ferendum nobis suppetat, nimis pudenda erit nostra mollities. *Nec tamen potuerunt contra me.* Vel, Verùm non præualuerunt mihi. Huc ad piorum cōsolationem pertinet, quòd hostes omnia experti, nunquam tamē votis suis potiti sint: quia spem & conatus eorum frustratus est Deus. Magna certè Dei benignitas erga populum suum. Hactenus permittitur impiis vt affligant populum Dei, vt illi præualeant, non permittitur. Præualere autem populo Dei est illū opprimere ac peßundare, vt vel prorsus deleatur, vel desinat esse populus Dei, & ad deos alienos in vniuersum trāsferatur. Neutrum permisit impiis Dominus. Non enim hoc agitur ab illo, vt suos quos castigat, vel prorsus perdat, vel omnino à se abiiciat, sed vt humiliet & emēdet: sicuti docet Paulus, 1. Cor. 11. g. 32.

3 *Supra dorsum meum arauerunt aratores, protraxerunt sulcos suos.*

Supra dorsum meum arauerunt. Prophetæ assimilat molestias & iniurias quas populus Dei à Gentibus pertulit, arationi, & ductis in dorso eius sulcis. q.d. Perinde attriuerūt nos inimici acsi quis agrum aratro proscindat. Mentione dorsi innuuntur onera seruitutis. *Protraxerunt sulcos suos.* Ad verbum, sulcū suum. Singulare pro plurali, sulcos suos. id est, Lōgos fecerūt sulcos. Dicit protractos fuisse sulcos, vt à sectura & fossione nullus angulus fuerit immunis. His verbis ad viuum exprimit dorso Ecclesiæ semper infixam fuisse crucē, quæ longè & latè ipsam proscinderet. Tales aratores & sulcos protrahentes multos hodie habet & Ecclesia Christi etiā inter Christianos, qui & ipsi splendidis titulis & elogiis ornantur.

4 *Iehoua iustus confregit funes impiorum.*

Iehoua iustus confregit. Vel, præcidit. Iam cōsolationem addit Propheta. q.d. Dominus amouit iugū eorum à nobis. Perstat tamen in metaphora, nam ad aratrū alludit, quod funibus alligari ad colla boum. Et aptissimè docet paratos quidem fuisse impios ad pergendum (quia nunquam fessa vel satiata fuisset eorum crudelitas) fuisse etiam armis instructos sed modum fuisse inexpectatum quo Dominus eorum rabiē compescuit, perinde acsi quis funes & lora conscindēs, boues disiungeret ab aratro. Hinc videmus qualis sit Ecclesiæ ratio, quia Deus iugum suum vult à nobis placidè suscipi. Spiritus sanctus non abs re comparat nos terræ arabili, quæ nihil opponere potest quin tota scindatur aratri tractu. Siquis argutius philosophari velit, dicere liceret aratione fieri vt ager seminatus tandem fructum referat. Sed Propheta simplicius concionatur de afflictionibus Ecclesiæ. Epitheto iusti, quo Deum Propheta insignit, ad circunstantiam causæ aptandum est, acsi diceret, quanuis ad tempus dissimulet Deus, nunquam tamen obliuisci suæ iustitiæ, quin det relaxationē miseris. Sicut Paulus hāc rationem adducit, 2. Thess. 1. c. 7. Atque hoc notatu apprime dignum est, salutem Ecclesiæ necessariò coniunctā esse cum Dei iustitia. Prudenter etiam Propheta admonet, ideo non præualuisse hostes quia Deus eorum conatus abrupit, nec passus est vltra progredi quàm apud se decreuerat. Admonemur etiam hoc loco ne cogitemus fieri posse vt qui seruituti subiecti sunt, ipsi sese liberent, & funes captiuitatis, potentiam impiorum, suo ipsorum gladio concidant. Vt nec iumentū gladium habet quo funes iugi concidat, nec dentes quibus lupū cōficiat: ita nec illi quos Dominus impiorū seruituti humiliationis & castigationis gratia subiecit, sic suis viribus & consilio instructi vt impiorum potentiam confringant, ac se ipsi iugo seruitutis liberēt: sed ea potestas in manu Dei est, qui gladium habet quo tyranni conficiantur, & captiui liberentur.

5 *Pudefient & vertentur retrorsum omnes qui oderant Sion.*

Pudefient, & vertentur. Vel, Pudefiant, pudore afficiantur. Confundantur. *Et vertentur retrorsum.* Hoc dicit quòd progressi essent impii. Dominus enim ipsos excurrere passus fuerat, ita vt iam sibi quiduis permitterent. Sed nunc dicit Propheta arcanam Dei manum retrecturam eos. Itaque siue hæc precatio sit, siue promissio, in futurum tempus respicit Propheta. Et certè quum verba omnia sint futuri temporis, aptissimè conuenit sensus, si ex præteritis colligat quid in finem vsque sperandum sit. Notandum est tamen quòd non dicit, Pudefaciemus & auertemus retrorsum: sed hoc à Domino fieri sperat. Etenim confusio & auersio improborum non est in manu piorum, sed in manu Dei: iuxta illud, In Deo faciemus fortitudinem, & ipse conculcabit inimicos nostros, Suprà, 60. c. 14. Ideò orandum est & pro desiderio optandum vt pudefiant &

Supra, 6.... Ideo orandum est & pro desiderio optādum vt pudefiant & vertantur retrorsum. *Omnes qui oderunt Sion.* Quoniam saepe exerat ac magna cum gloria liberauerat Dominus populum suum, futurū sperat Vates vt inde omnes osores Sion pudefacti ab infestatione & tyrannide sua summo cum dedecore desistere cogantur. Notandū verò Prophetā non dicere, Omnes qui oderunt me, sed, omnes qui oderunt Siō. Sic sancti non propriae vindictae studio, sed populi Dei zelo ad hoc ferūtur vt impiis confusionem ac repressionem imprecentur, ac etiam sibi promittant.

6 *Erunt sicut herba tectorum, quae antequam exeat arescit.*

Erunt sicut herba tectorum. [a] Alii, Sint vel fiant sicut gramen tectorū. [b] Traducit Propheta impiorum inanitatem, sub allegoria graminis enascentis in tectis. Plana habēt in Syria tecta, in quibus enasci solet è rimis & fissuris lapidum gramen, sed quod diuturnum non sit, eo quòd solo commodo careat. [c] Docet itaque Propheta non esse cur animū despōdeāt fideles, vbi vident in sublime hostes suos attolli. Neque enim propter altiorē situ potior est herba quae in tectis nascitur, quàm seges quae in humili fundo calcatur pedibus. Nā herbae tectorum licet altè emineant super hominum capita, primùm sunt inutiles, deinde paulo pòst arescunt. Alii verbum שלף vertunt euellatur, acsi dictum esset absque manu & artificio hominis siccari. Sed quum propriè educi vel exire significet, intelligere videtur Propheta adeo non esse diuturnum vigorē vt marcescant & pereant in primo germine: quia nulla subest radix, nulla etiam terra quae succum vel humorem suppeditet in alimentū. [d] Aptissima itaque similitudine Spiritus sanctus potētiam & gloriam impiorum gramini tectorū cōparat. Alioqui Scriptura gloriam carnis foeno campi vel agri comparat, Esa. 40.b.6. Hic verò gloriam & vires impiorū comparat gramini, non campi vel agri, sed tectorū, quod multo est vilius. Primùm occupat fastigia tectorū species & imago superbiae praefertur. Deinde radices nō agit altius propter defectū telluris, sic comparatus est omnis fastus vt haereat in superficie, nec radices firmas obtineat. Tertiò, non diu viretcit, sed citius opinione, propter defectū humoris, & ardorē solis, exarescit. Sic & fastus & potentia impiorū. Transiui (inquit Vates) & amplius non erat, Suprà, 37.g.36. Quartò, nulla est vtilitas ex gramine tectorum, propter quā meti ac colligi debeat: nec à praetereūtibus benediceretur, siquis illud metere vellet. Perinde habet & gloria & potentia impiorum: nulla ex illis peruenit vtilitas, etiamsi quis eos colat, & emolumenti aliquid ex illis quaerat. Nec potest à proximis benedici siquis id conetur. Plus enim maledictionis habet ea res quàm benedictionis, plus detrimenti quàm emolumenti. [e] Quoties ergo nos terrebit hostium splendor, vel eminentia, veniat nobis in memoriā haec comparatio, herbam in tectis nascentem esse sublimē, sed absque radice, ideóque non longae durationis: sic istos, quo propius superbiae suae altitudine ad solem accedunt, citius aestu cōsumptum iri: quia radice carent: quum sola humilitas vitam & vigorem à Deo hauriat, vt nobis inspiret.

7 *De qua non impleuit manum suam messor, neque sinū suum manipulos colligens.*

8 *Neque dixerunt transeuntes, Benedictio Iehouae super vos, benedicimus vobis in nomine Iehouae.*

De qua non impleuit manum. [a] Praeteritum Hebraeum pro praesenti, implet. Id est, quae ad messem non peruenit, vt metendo impleret manum messoris. [c] Propheta rursus confirmat, quātumuis exurgant impii, vel se efferant, manere tamē in herbae quia neque vnquam producunt bonam frugem, neque ad maturitatem perueniunt, sed mera apparentia (vt loquuntur) turgent. Vt hoc planum faciat, opponit eos herbis frugiferis, quae ex vallibus & locis depressis aluntur, à hominibus producunt. *Neque sinum suum manipulos colligens.* [a] Vel, Nec brachium suum qui congregat manipulos. Alii, Et oram vestimenti sui.

Neque dixerunt transeuntes, benedictio. [a] Vel, Neque dicent transeuntes. Significat impios ita intercidere vt nemo curam vel animum adiiciat ad eorum interitum. Si calamitas aliqua acciderit, omnes queruntur & gemūt: si verò transeāt per agros, petunt à Domino benedictionem, vt cōseruet prouentū annos: & dum vident agros esse vestitos atque ornatos frugibus, petunt à Domino vt tueatur illam gratiam, & ad finē vsque perducat. Impii autem negliguntur. pereuntibus nanque illis nemo cōdolescit, quòd indigni sint misericordia, digni verò omnium contemptu & odio. *Benedicimus vobis in nomine Iehouae.* Verba sunt praetereuntium, quibus messores alloquūtur, & eis in nomine Domini bene precantur: nempe vt eorum labores diuinitus benedicantur. [c] Caeterùm quum doctrinā hanc à cōmuni vita vsurpārit Propheta, monemur, simulac oculis nostris spes aliqua prouentus occurrat, rogandum esse Deum, in cuius manu est terrae foecūditas, vt benedictionē suā pleno effectu confirmet. Et certe, quum tot periculis obnoxii sint terrae fructus, nisi nos necessitas ipsa nos ad orandū sollicitet. Adde quòd nō de solis filiis Dei loquitur, qui verè ex eius verbo edocti sunt terrā eius gratia esse fertilem: sed cōplectitur etiā homines profanos, quibus naturaliter ingenita est eadē notitia. Porrò si nō modò habitabimus in Ecclesia Domini, sed sitū debimus censeri inter legitimos eius ciues, intrepidè despicere licebit tot hostium nostrorū potentiam. Quia etsi floreāt ad tēpus, sintque cōspicui, sunt tamē herbae steriles & maledictae. [a] In summa discendum est ex hoc loco, ferenda esse à bonis vim malorū diu, at non perpetuò: tandemque ipsos habituros foeliciter, miseré verò perituros impios.

ARGVMENTVM PSALMI CXXX.

[a] Seria & ardens precatio hominis afflicti, qua primùm pro peccatorum suorū venia, [b] deinde pro liberatione precatur: [c] atque ita pios omnes ad bene sperandū hortatur, quia Deus suorum sit perpetuus redēptor, & in promptu suppetat ratio qua eos à morte eripiat.

CAnticum graduum. *De profundis clamaui ad te Iehoua.*

Canticum graduum. [a] Sūt qui existimāt hoc canticum nomine totius populi in captiuitate Babylonica constituti fuisse cōpositū. [b] Alii de Dauide exponūt, qui variis modis iactatus ac ab ipso Saule & eius proceribus miserè agitatus fuit. Sed quia ex inscriptione nihil certi colligi potest, nobis sufficiat dictatam hanc à Spiritu precandi formā, quam quisque fideliū angustiis constrictus & miserè afflictus sequi potest. *De profundis.* [a] Inuocat Dominum hoc versu, & ostēdit quanto cū ardore preces suas fundat. Illud De profundis quidā exponunt, è profundo corde, ex imis animi sedibus, ex intimis cordis penetralibus. Alii verò dicunt habere metaphorā profundarum aquarum, quòd populus è captiuitate, perinde atque è profundis aquis, ad Dominum clamarit. Et sanè nouum nō est profundis aquis cōferri graues afflictiones, è quibus pius animus ad Dominū perinde clamat acsi quis validis aquis correptus ad caelos clamet, & auxiliū à Deo anxiè quaerat. [a] Qua de re vide Suprà, 18.b.17, & 69.a.1.3. [c] Ergo Propheta se velut ex profundo gurgite vocē emittere dicit, vtpote malis obrutus. Quia enim miseriae quarū finis nō apparet, desperationē ferè secū trahūt, nihil magis difficile quàm ex graui & alta moestitia animos excitare ad precandū. Et mirū est, quū rebus laetis ac tranquillis frigeāt preces (quia tunc sensus nostros occupat securitas) malis quae acuere nos debebāt, magis torpere animos. Atqui Propheta ex molestiis, cura, periculis, moerore, sub quibus demersus est, precandi fiduciā sumit. [b] Notemus ergo, quanuis excellentissimus sit thronus Dei, qui in caelis est, nihil tamen esse tam profundum in terris, vnde piorū suspiria & preces impediantur, ne Deū inuocent, & ab illo voces suas audiri petāt: nullae etiā quantumuis graues afflictiones obstare possūt quin pii ad Deū clamantes nō audiantur modò, verumetiā exaudiantur. *Clamaui.* [a] Vel, Clamo. Praeteritū pro praesenti, Inuoco te. *Ad te Iehoua.* [a] Q.d. Scio non alium praeter te mihi opem laturū: tu solus ex his extremis angustiis seruū tuum eripere potes: in te igitur vnū fiducia mea collocata est. Te solū inuoco, qui solus opē ferre potes. His verbis anxietatē & studii ardorē exprimit Propheta. [c] Quo magis detestanda est barbara Papistarū inscitia, dum Psalmū hunc in vsum alienū trahentes foedè profanant. Quorsū enim demurmurāt eū pro mortuis, nisi quòd eos fascinauit Satan vt doctrinā apprime vtilē suo sacrilegio extinguerēt? Nā ex quo ad mortuas vmbras raptus fuit Psalmus, vulgò ferè creditū est nullum esse eius vsum inter viuos, atque ita mundo periit incomparabilis thesaurus.

2 *Domine audi vocem meam: intentae sint aures tuae ad vocem precationum mearum.*

Domine audi vocem meam. [a] Versus iste vehemētes habet affectus. Sinit enim Deus suos, quo plenioré animo à mūdi se vanitate recipiāt, saepe grauiter affligi. *Intentae sint aures tuae ad vocem.* [b] Repetitione vtitur, more eorū qui ex abundantia cordis loquuntur. Obseruandū autem quòd vocē deprecationis suae audiri petit, antequā de petitione subiūgat. Admonemur, esse id singulari gratiae Dei deputandū quòd voces nostras clementer audit. Sic putat pauperculus se plurimum obtinuisse si princeps ad vocem petitionis suae aurē clementer accōmodet. Interpretatur enim illud esse beneuolentiae principii argumentum, vnde futurum sit vt petitioni suae annuat.

3 *Si iniquitates obserues Deus, Domine quis consistet?*

Si iniquitates obserues Deus. [a] Fatetur hoc versu neminē posse cōsistere si sic Deus iniquitatis rationem habeat, vt dignas de

illis sumere pœnas velit. *Domine quis consistet?* ᵛ Vel, Stabit? sub-sistet? sub. in cōspectu tuo. Agnoscit se iustas pœnas dare, quā-tumuis miserè afflictus sit: fatetúrque Deum non esse crude-lem, sed iustum iudicem, qui ita ipsum affligat. ᶜ Porro quum suo exemplo toti Ecclesiæ regulā dictet, nemo se sine humili precatione in Dei cōspectū offerre audeat: præsertim vbi Do-minus seuerè nos tractat, sciamus eandem quæ hic editur con-fessionem à nobis exigi. Nam qui vel sibi blanditur, vel negle-ctu sua peccata sepelit, dignus est qui tabescat in suis miseriis: certè indignus est qui vel minimū leuationis à Deo impetret. Simul ergo ac iræ suæ signa profert Deus, etiā qui aliis omniū sanctissimus videtur, ad hanc vocem descendat, si iure nobis-cum agere statuat Deus, vocétque ad tribunal suum, neminē mortalium posse consistere. Atque vt demus vnum hominem hic precari, simul tamen pronuntiat de toto genere humano, acsi diceret, à primo vsque ad vltimum omnes filios Adæ, si reddenda esset vitæ ratio, perditos esse ac damnatos. Ergo san-ctissimus etiam quosque hunc ceatum subire necesse est, vt ad misericordiæ asylum confugiant. Nec tamen Propheta exte-nuandæ culpæ causā alios secum inuoluit: sicut hypocritæ, vbi non audēt se prorsus iudicio eximere, subterfugium hoc sibi accersunt, An ego vel primus vel solus peccaui? Atque ita dū se in turba miscēt, dimidia se absolutione se adeptos credunt. Propheta verò tale effugium minimè captauit: imò postquā se penitus excussit, eo grauiore pœna obstrictum esse fatetur, quòd ex toto genere humano ne vnus quidem interitum exi-tium effugere queat. Acsi dixisset, Quisquis accedet in con-spectum Dei, quamlibet rara sanctitate polleat, succumbet ta-men: quid igitur mecū fiet, qui non vnus sum ex optimis? Hæc genuina est huius doctrinæ applicatio, vt quisque vitam suam seriò examinet, ad perfectionē illam quæ nobis in Lege præ-scribitur. Sic fiet vt sine exceptione fateri cogātur, cunctos mortales æterno interitu dignos esse: singuli verò se millies perditos esse agnoscāt. ᴹ Et obserua quòd nō dicit, Si peccata, sed, Si iniquitates obseruaueris. Amplius quiddam est iniquè agere quā simpliciter peccare. Non debemus ergo putare esse sanctos leuibus quidem peccatis sed non iniquitatibus obno-xios: & Deum peccata quidem remittere, iniquitates verò nō item. Et illi iniquè aliquādo agūt, & Deus iniquitates etiā re-mittit. Ergo in sola misericordia Dei, qua peccata & iniquita-tes remittūtur, subsistit corā Deo quisquis subsistit. ᶜ Proinde docet hic locus, quū nullus propriis operibus stare queat, qui-cunque iusti reputantur corā Deo, venia & remissione iustos esse, alioqui euanescet omnis iustitia. Et Papistæ quidē faten-tur defectum operum indulgētia suppleri: sed quia partialem somniant iustitiam, quæ homines sustineat corā Deo, longis-simè aberrant à Prophetæ sensu, sicuti ex sequentibus clarius liquebit. Interea obseruādum est, vanum esse commentū tam satisfactionis quā satispassionis nostræ. Etenim si iustitiæ Dei, peccata remittenti, remota misericordia & peccatorū remissio-ne, vel agēdo vel patiendo satisfieri posset, prorsus inane esset quod Propheta vrget, ac dicit, Si iniquitates obseruaueris Do-mine, Domine quis subsistet? Posset enim illi regeri, Is qui iustitiæ Dei satisfacit, vel satispatitur pro delictis suis, vtique subsistet. Nec solùm id quod Propheta vrget, vanum esset: sed inanita redderetur etiā omnis illa gratiæ & misericordiæ Dei gloria, propter quam omnia sub peccato conclusit, vt omniū misereatur, Rom. 11 d. 32.

4 *Quia apud te est propitiatio vt timearis.*

Quia apud te est propitiatio. ᵛ Vel, Quia tecum est venia. Alii, Verū apud te est clementia vt timearis. Alii, Certè apud te est clementia qua vtaris, vt colaris. q. d. Alioqui homines te non timerent, sive colerēt. Aut, Profectò aliqui corā te consistēt, nam penes te est clementia. ᴬ Nam versus hic longius nos de-ducit. Etsi enim ore tenus fatemur omnes neminem esse in mundo quem Deus, si velit, æternæ mortis non iure addicat: quotusquisque sibi persuadet quod nunc addit Propheta, gra-tiam qua indiget sibi paratam fore? Nam vel cum stupore in-dormiunt suis peccatis, vel fluctuantur inter varias dubitatio-nes, & tandem desperationi succumbunt. Sine cōtrouersia va-let illud axioma inter omnes, neminem extra noxā esse. Clau-dit tamen oculos maior pars ad sua vitia, & in latebris igno-rantiæ suæ securè desidet nisi violenter excitetur. Vbi autem vrgentur Dei iudicio, trepidant vel vsque ad desperationē tor-quentur. Quia igitur nemo Deum sibi propitiū fore confidit, nulla est petendæ veniæ cura. Siquis serio iudicii Dei sensu ex-pergefiat, pudore & metu humiliari necesse erit. Sed non suf-ficiet talis displicentia nisi simul accedat fides quæ deiectos ti-more animos ad petendam veniā erigat. Rectè ergo Dauid, vt verū pœnitētiæ affectū induat, se primò ad Dei tribunal sistit: sed ne terrore cōfusus deficiat, mox spē veniæ adiungit. Et cer-tè qui non vltra gradū hunc procedunt, vt se morte æterna di-gnos fateantur, eos videmus quasi phreneticos magno impetu

contra Deum ruere. Ideo quo se & alios melius confirmet Pro-pheta, pronuntiat non posse à Deo suam clementiam auelli vel separari: acsi diceret, Simul ac de te cogito, occurrit etiam tua bonitas, vt nō dubitem te mihi fore propitiū, quia exuere na-turam non potes: certóque persuasus sum te ideo misericordē esse quia Deus es. Sciamus autem non de confusa Dei notitia hic agi, sed vnde certò colligat peccator, simulac Deū quæsie-rit, paratam reconciliationē fore. Quare non mirū si apud Pa-pistas nulla firma viget Dei inuocatio, vbi sua merita & satis-factiones, & dignam (vt vocant) præparationē miscentes Dei gratiæ, de reconciliatione cū Deo suspēsi dubiique disceptāt. Ita fit vt orādo nihil quàm suos dolores & cruciatus augeat, quē-admodū siquis lignū admoueat iā accenso igni. Vt autē orādo quis proficiat, eum necesse est à gratuita peccatorū remissio-ne incipere. *Vt timearis.* ᴬ Vel, Vt colaris. sub. ab hominibus. ᶜ Notāda est hæc finalis causa, cur Deus ad ignoscendū propen-sus dicatur, & nunquā in mediū prodire quin se placabilem mi-seris suis offerat, quia scilicet nulla maneret pietas in mūdo, nul-lus Dei cultus sine impetrādæ veniæ fiducia. Hoc quoque prin-cipium ignorāt Papistæ. Prolixè quidē concionātur de timore Dei, sed quia perplexa dubitatione tenent miseras animas, ædificant sine fundamēto. Et certè hic primus Dei rite colendi gradus est, spōte nos ei & liberali affectu subiicere. Nā quod de eleemosynis docet Paulus, ad ōnes vitæ partes extēditur, Deū scilicet hilarem datorem amare, 2. Cor. 9. b. 7. Porro qui fiet vt se Deo quisquam alacriter offerat, nisi recumbat in eius gra-tiam, certóque persuasus sit sua obsequia ei placere? quin po-tius fugient omnes atque horrebunt Dei cōspectum. Quòd si non tergum prorsus obuertant, captabunt tamen subterfugia. Denique sensus iudicii Dei absque spe veniæ horrorem incu-tit, qui odium necessariò ex se generat. Non contemnit quidē Deum peccator, qui minas suas formidās, apud se angitur: sed tamen fugit. Hoc verò ipsum fugere, mera est apostasia & re-bellio. Vnde sequitur Deum nunquam rectè coli absque noti-tia gratiæ eius. Tenenda est etiam altera ratio quam attigimus, nisi confidimus acceptū esse Deo quod ei offerimus, ignauia & torpore nos retineri. Quanquam enim increduli multū fer-uoris sæpe ostētant (vt videmus Papistas laboriosè suis super-stitionibus incumbere) quia tamen Deū sibi propitiū esse non statuunt, nullū interea præstant spontaneū obsequiū, quia nisi eos cogeret seruilis formido, mox erūperet horribilis con-tumacia, quæ metu suppressa latet. ᴬ Hæc vtinā probè expen-derēt doctores iustitiæ humanæ, & obscuratores gratiæ Dei. Viderēt enim perperā se asserere diuini cultus assertores esse, quum obseruantia Dei nulla possit meliore ratione in cordibus mortaliū propagari quàm per doctrinā gratiæ, qua innotescit miseris peccatoribus esse apud Deum propitiationē. Quòd si quibusdā ista prædicatio diuinæ propitiationis, occasione secu-ritatis, negligentiæ, & cōtemptus patis (id quod proculdubio carnalibus hominibus accidere plus satis videmus) obsecro, cōueniétne vt propter illorum peruersitatē gloria gratiæ Dei obscuretur, & cōsolatio electorum ac fidelium interuertatur?

5 *Expectaui Iehouam, expectauit anima mea, & in verbum eius speraui.*

Expectaui Iehouam. ᵛ Præteritum Hebræum pro præsenti, Ex-pecto Iehouā. Alii, Expectaui (sub. opem tuā) ô Iehoua. ᶜ Post-quā Deum in genere miseris peccatoribus, qui ad eū confu-giunt, exorabilē testatus est, concludit se inde animari ad bene sperandū. ᴬ Expecto, inquit, Iehouā, dum misertus mei mala quæ immisit depellat. *Expectauit anima mea.* ᵛ Hebraismus, quo significat se ex animo expectasse, non simulatè, neque fictè, sed quia penitus in animo suo residebat sensus ille. ᶜ Atque hinc etiā colligimus, nō modò in hominū oculis furiem fuisse, sed arcano etiā sensu apud Deū quietem & patientiā fouisse: quæ optima est fidei probatio. Quia vtcūque multos cohibeat am-bitio ne apertè Deo obmurmurēt, vel diffidentiam suam pro-dant, vix decimusquisque, remotis arbitris vel testibus, pacato animo Deū expectat. *Et in verbum eius speraui.* ᵛ Præteritū He-bræū pro præsenti, Et verbū eius expecto. Vel, Et in verbo eius spē habeo. Vel, Ad verbum eius suspicio. ᴬ Consolatur se diui-nis promissis. q. d. Expecto dum opem feras quam verbis tuis pollicitus es. Omnia ardent affectibus. Duplex siquidem san-ctis tormentum, dum ob commissa sua affliguntur, & quòd ma-lis torquētur, & quòd Deum suum sentiūt sibi iratum. ᶜ Dicit autē Propheta hanc patiētiæ suæ fulcrā esse, quia in Dei pro-missiones recūbat: quibus sublatis, Dei gratiā euanescere ne-cesse est, atq; ita mētes nostras cōcidere, & desperatione obrui. Cæterùm vt verū spei nostræ documētū extat, solo Dei verbo cōtentos esse decet. Vbi verò quis verbū amplexus, salutē sibi à Deo promittet, fiducia hæc expectationis vel patientiæ mater erit. *Et in verbum eius speraui.* ᵛ Vel, Et verbū eius expecto. Vel, Et in verbo eius spē habeo. Dicit patiētiā nasci ex Dei promis-sionibus quū eas amplectimur certa fide: sicut & Paulus dicit,

Quæcunque scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt: vt per patientiam & consolationẽ Scripturarũ, spẽ habeamus, Rom. 15. a. 4. [a] Ergo Propheta, quãuis seipsum alloquatur, confirmãdæ fidei suæ causa, non tamẽ dubium est quin similẽ fiduciæ materiã suggerat omnibus Dei filiis: ac primò verbũ illis statuat vt inde toti pendeant. Deinde admonet euanidam esse fidem nisi ad patientiam nos formet.

6 *Anima mea ad Dominum ante custodes mane, custodes mane.*

Anima mea ad Dominum. [a] Alii, Anima mea expectat Dominum. [b] Hoc est, intima mea, cor meum, expectant ac suspiciunt ad Dominum. *Ante custodes mane.* [c] Vel, magis quàm custodes ipsum mane. Vel, Ardentius quàm excubitores tempus matutinum. Expecto (inquam) ardentius quàm illi vigiles diem, in quo scilicet illis dormire liceat, quum noctu illis dormire nõ licuerit. [c] Hoc versu tam feruorẽ studii sui quàm constantiã exprimit. Nam se custodes antecedere dicẽs, quàm sedulò & alacriter ad Deum aspiret, hac similitudine ostendit. *Custodes mane.* [d] Repetitio, constantiæ testimonium est: quin dubium nõ est quin continuum actum vel tenorem, adeoque perseuerantiam designet. Vtrunque verò dignum est notatu: quia plus satis apparet quàm leniè ac frigidè ad Deum mentes nostræ contendant: deinde quàm facilè ad minimos quosque flatus nutent atque etiam labantur. Porro quia solebant vigiliæ in quatuor partes distribui, sic exponi potest hic locus, Quemadmodũ nocturni custodes, qui vicibus excubias peragunt, intenti sunt ad auroram, ita Prophetam summa animi attẽtione ad Deum respexisse. Sed videtur simplicior esse sensus, Sicuti mane alios omnes præueniunt sua vigilantia, & omnium primi surgunt portarum custodes, vt ad suam stationem compareant, ita animum Prophetæ summa celeritate ad quærendum Deum properasse. Repetitio (sicuti iam admonuimus) docet in illo intuitu stetisse defixum: quia semper cauendum est, si Dominus longius nos suspẽdit, ne moræ tædio feruor noster languescat.

7 *Sed speret Israel in Iehouam: quia apud Iehouam clementia, & multa apud eum redemptio.*

Sed speret Israel in Iehouam. [a] Vel, Expectet Israel Iehouam. [b] Postquam de se loquutus est Propheta, nunc totam Ecclesiam hortatur vt id faciat quod ipse se facere in præcedentibus meminit: nempe vt in Dominum Deum fiduciam suam locet. Hoc genus admonitorũ in populo Dei nullo pretio satis æstimari possũt, qui ipsi primùm noctes ac dies ad Dominum pro salute populi suspirant & clamant: deinde & à verbo Dei pendentes, opem Domini expectant: atque hoc modo animati fideles, quosuis ad fidẽ, spẽ & expectationẽ erga Deum retinendam adhortantur. *Quia apud Iehouam clementia.* [a] Notandũ hic est vbi spem omnium piorum Psaltes fundatam esse velit, nẽpe in Dei misericordia, ex qua nascitur redemptio. [b] Dixerat versu huius Psalmi quarto, quia apud te propitiatio. Hoc ipsũ nunc repetit, quia apud Iehouam clementia. [c] Quibus verbis fideles admonet, etiamsi dignitatem nullam afferãt, neque merita, sufficere tamen ipsis quòd Deus sit misericors. [b] Non ait, Quoniã estis filii Abrahæ, populus Dei, & fœderis participes: sed benignitatẽ Dei proponit. [c] Atque hæc inter fidem Ecclesiæ & gratuitam Dei bonitatem mutua relatio diligenter notanda est: vt sciamus, eos omnes qui meritis suis fecit Deum remuneratorem sibi fore confidunt, spem suam ad Scripturæ normam minimè componere. *Et multa apud eum redemptio.* [a] Ex fonte diuinæ misericordiæ, redemptionem deducit: quia, vt populi sui redemptor sit Deus, non aliunde quàm sua misericordia mouetur. Multam verò esse dicit, vt se vel in vltima desperatione sustineant fideles, quia in manu Dei sint multæ & incredibiles seruãdi viæ. Ac fieri potest vt afflictissimo Ecclesiæ statu cõpositus fuerit Psalmus, qui deiicere omnes posset, nisi immensa potentiæ Dei ad suos seruandos magnitudo illis opposita fuisset. Atque hic verus est præsentis doctrinæ vsus, vt in profundis gurgitibus demersi, non tamen dubitent exitum in manu Dei esse, qui rationes abscõditas, quoties erit opus, inueniet. Deinde statuant, quoties afflicta fuerit Ecclesia, eum fore liberatorem. [v] Ergo quum dicit Vates multam apud Deum redemptionem esse, Hebraismo vtitur, pro, Frequenter & abundè nos liberare solet ab aduersis.

8 *Et ipse redimet Israelem ex omnibus iniquitatibus eius.*

Et ipse redimet Israelem. [a] Nunc planè affirmat Deum Ecclesiæ suæ redemptorem fore, idque nõ in perfecta redemptione, sed plena & absoluta. *Redimet* (inquit) *Israelem.* [b] Sensus est, Quum Dei sit perpetuum munus redimere, non sit autem promiscuè omnium redemptor, sed tantùm electi populi, minimè timendum esse quin fideles ex malis omnibus emergant: quia alioqui cessaret Deus ab officio quod sibi vendicat. [c] Illud etiã notandũ est, quòd Israel se vendere potest, redimere non potest. [a] Nam solus Deus, cuius virtus est infinita, captiuos peccati & mortis mera sua bonitate redimit. *Ex omnibus iniquitatibus eius.* [a] Verba miræ consolationis plena. [c] Significat enim Propheta, modo ad reatum deprecãdũ supplex accedat Israel, peccata eius nõ fore obstaculo quominus Deus sit redẽptor. Etsi enim עון sæpe pro pœna peccati ponitur, subest tamen culpæ notatio. [b] Quemadmodum quũ dicitur, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob, Esa. 59. d. 10. & Rom. 11. d. 26. [c] Iam quoties pœnarum mitigationem Deus promittit, simul docet peccatis se fore placabilem: imò reconciliatione oblata, spem veniæ facit peccatoribus. Secundum hunc sensum dicitur Ecclesiam suam redempturus, non ab exilio Babylonico vel à tyrãnide, & iniuriis hostium, vel à penuria, vel denique ab aliis incommodis, sed à peccatis. Quia donec hominibus quos affligit ignoscat, nulla speranda est liberatio. Quomodo igitur vel quo ordine petẽda sit à malis õnibus liberatio hinc discamus, nempe vt semper primũ gradũ teneat peccatorum remissio, sine qua fœliciter nihil succedet. Nã qui pœnas tantùm excutere cupiunt, similes sunt deliris ægrotis, qui de morbo non solliciti, tantùm ad symptomata curanda intenti sunt. Ergo vt nos à miseriis liberet Deus, danda in primis opera est vt abolitis peccatis redeamus cum ipso in gratiam. Alioqui parum prodarit temporalem pœnã laxari: quia ad reprobis etiam sæpe contingit. Hæc autem est solida liberatio, vbi Deus abolitis peccatis propitium se ostẽdit. Vnde etiã colligimus minimè timẽdum esse, vbi veniam adepti erimus, quin humanitas Dei & clementia nobis parata sit & exposita. Quia redimere ab iniquitate, tãtundem valet atque pœnis vel castigationibus modum imponere. Quo refellitur peruersum commẽtum de satisfactionibus & purgatorio, quasi Deus culpam condonans, pœnam retineat. Quòd siquis obiiciat puniri interdum à Domino qui iam adepti sunt veniam, concedimus non semper eodem momento Deum fauoris sui signa ostendere hominibus quos sibi eos reconciliat: sed quamuis eos erudiat in posterum, rigorem suum interea lenire. Id verò nihil ad satisfactiones pertinet, quibus Papistæ fingunt se Deo afferre dimidiæ redemptionis pretium. Certè innumeris locis, vbi Deus externas benedictiones populo suo promittit, semper exordium facit à culpæ remissione. Quare nimis crassa inscitia est, non remitti pœnam donec operibus placatus sit. Iam quum Dei consilium sit pœnis ad obsequium cogere fideles, perperam hoc vltra mortem extenditur. Sed nõ mirum est Papistas tot profana somnia coaceruare, qui vnicum reconciliationis modum non tenent, nempe Deum non aliis propitium esse nisi qui expiationem suam quærunt in Christi sacrificio. Notandum autem quòd dicit, *Ex omnibus iniquitatibus eius*, ne miseri peccatores, quamuis multiplici reatu se obstrictos sentiant, sperare tamen desinant propitium sibi Deum fore.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXI.

[a] Vt Dauid populum animet ad strenuè militandum sub auspiciis suis, vel etiã ad obsequium sibi præstãdum pios omnes hortetur, Deum pronuntiat semper ducem sibi fuisse, [illegible] absque eius mandato & vocatione quicquam se fuisse aggressum.

CAnticum graduum Dauidis. *Iehoua, non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei, nec ambulaui in rebus magnis & mirabilibus supra me.*

Canticum graduum Dauidis. [a] Inscriptio docet Dauidem huius Psalmi authorem esse. *Iehoua, non est exaltatum.* [v] Vel, nõ superbiuit. [b] Quoniam Dauid a delatoribus vel assentatoribus Saulis improbè accusatus fuerat, quòd ambitione & animi elatione motus ad regni fastigia aspiraret, quũ iam Ecclesiæ Dei præerat, vt se legitimum probaret regem, ac fideles sibi morigeros redderet, testari voluit nihil se ambitione vel superbia abreptum tentasse: quin potius se quieta & placida modestia fuisse retentum, vt se Deo subiiceret. [a] Affirmat enim in conspectu Dei alienam à se fuisse & cordis arrogantiam & fastum omnem. Q. d. Domine tu scis cor meum nũquam sese ad regni verticem extulisse, nunquam de illo cogitasse, nec quicquam me tentasse quod supra captum meum foret. Significat se summa animi modestia semper Deo subiecisse. Quæ doctrina ideo apprime vtilis est quòd nulla certior bene viuendi regula est quàm, dum quisque sorte diuinitus sibi præscripta contentus, fortunam sibi non fingit, sed Dei vocationem placidè expectat, neque plus expetit quàm licet: neque se præcipitanter ingerit: neque etiã ad magnitudinẽ effertur, sed in suo gradu libenter se continet. Porro cor suum exaltatũ fuisse negans, fontem omnis temeritatis & audaciæ notat. Vnde enim fit vt suis cupiditatibus ita seruiant homines, vt volitent per medium aerem, vt omnia miscendo mundum conturbent, vt denique sua audacia ferãtur præcipites, nisi quia superbia turgent? Correcta verò altitudine cordis, moderationẽ omnes colent. [b] Certè superbia, vitium illud diabolicum, mater est ambitionis,

quæ ab omnibus Dei filiis alienissima esse debet. *Nec elati sunt oculi mei.* [a] Vel, Neque exaltati sunt oculi mei. [c] Hoc perinde valet, ac nullum superbiæ signum in gestu aut vultu extitisse: sicut in superbis damnantur alta supercilia, Supra, 101.b.5. Etsi longius non ineptè extendi hoc posset, quòd scilicet Dauid non modò cor suum compescuerit, ne se ambitione efferret: sed oculis quoque frænum iniecerit, ne cordi altitudinis cupido se comites præberent. Summa est, eum eosdem omnes sensus ad modestiam fuisse submissos. [a] Nam per oculos intelligit omnes externos gestus quibus patefit interior superbia. Nam etiamsi superbi dissimulent morbum suum, erumpit tamen, & oculi primi sunt indices, deinde etiam alii gestus. *Nec ambulaui in rebus magnis.* [c] Hoc ad animū referri necesse est. Res certè præclaræ fuerūt, non modò fungi Prophetæ offitio, sed regia etiam dignitate esse ornatum: imò in sacro vnigeniti Filii Dei solio sedere. Omittimus alias excellentiæ partes, quibus eum Deus à vulgo hominum exemit. Verùm quia se cōtinuit in hoc gradu, ne aliud appeteret quàm Deo & Ecclesiæ eius seruire, meritò asserit se non ambulasse in rebus magnis. Quāquā ne quis frustra in verbo vno hæreat, particula quæ sequitur, *Supra me,* communiter rebus magnis & ac secundis vel mirabilibus aptāda est. Nō ergo agitur quàm humilis vel excelsa fuerit Dauidis cōditio, quia sufficit tenuisse modum, ne trāsiliret vocationis suæ metas. Neque enim lat sibi duxit vel pedem mouere, nisi quatenus Dei præcepto regebatur. Atque hic tenenda est antithesis inter Dauidis submissionem & prauam eorum temeritatem qui posthabito Dei iussu se ingerūt vltrà quàm par est, vel in alienas functiones inuolāt. Nam vbi prælucet Dei vocatio, nihil nobis erit absconditum, vel magnum supra nos, præsertim si ad quoduis obsequium parati simus: quoscunque verò ambitio sollicitat, necesse est in labyrintho vagari. Et sane videmus vt magnificos istos conatus, in quibus fastuosè se iactant filii seculi, frustretur Deus. Per longos suos discursus obequitāt, versans totum mundum suo arbitrio, & nihil intactū prætereunt, placent etiā sibi in suo acumine & industria: verū vbi in magnū aceruum extulerūt sua consilia, repentè euertitur: quia nihil inest solidum. Duobus autem diuersis vitiis laborant qui Deo parere nolunt, sequi non sustinent. Alii enim feruenter se præcipitant, vel si lapides ædificandi causa in cælum proiicerent. Alii verò, quanuis nō palàm suam intemperiem prodant, sed lenti sint, & quasi reptando in longum tempus prospiciant, quia tamen non minore arrogantia decernunt, contempto Deo, quid post decem & viginti annos facturi sint, acsi cælo & terræ dominarentur, lapides ædificii sui fundandi causa iaciunt in profundum mare. Atqui si Deus centum illis vitæ proroget, nunquam ad superficiē peruenient. Quòd si Deo se quis subiiciat, primū nihil appetens, deinde se continens in suo modulo, cum Dauide planam & æquabilem viam tenebit.

2 *Si non posui & quietam tenui animam meam, sicut est ablactatus super matrem suam, sicut ablactatus super me anima mea.*

Si non posui. [v] Hebraicum dicendi genus, de quo Suprà, 95.b.11. [m] Vbi negauit se animo esse elato & studio rerum magnarū prædito, consequenter addit, non solùm non aspirasse se ad res illustres, sed insuper vsque adeo modestiæ deditū fuisse vt animum suum depresserit, & sic cōpescuerit vt similis esset puero ablactato. [c] Quibus verbis significat, curis omnibus valere iussis, quæ ambitiosos homines inquietare solent, paruitatem amasse. Quia autem res est difficilis creditu, iureiurando confirmat, de cuius forma alibi dictum fuit. Nam subaudienda est imprecatio quæ tacetur, vt discant homines iurando linguam suam cohibere, ne futiliter Dei nomen vsurpēt. [v] Acsi diceret, Frustrer mea spe, siue, nunquam Deus mihi adsit, si non coercuerim, siue compescuerim quietumve reddiderim animum meum tanquam nuper ablactatum puerum, omnia expectans à Deo, vt ille à matre sua, quum ex se nihil possit. [a] Ponere animā instar pueri, est eam formare vt similis sit animæ pueri. *Et quietam tenui animam meam.* [c] Ostēdit qua in re similis fuerit puero, nempe vt quiesceret in silentio. Est enim דוממתי verbū quadratum, à דמם quod transitiue accipitur pro cogere ad silētium. Porrò istud quiescere seruidis studiis opponitur, quibus se multi & totum mundum tumultuosè perturbant. [m] Admonemur hic, vitium superbiæ obnoxium esse inquietudini, & animum reddere inquietum: cōtrà in humilitate & modestia sitam esse quietem ac tranquillitatem animi, quæ maioris æstimatur homini pio quàm quiuis huius mundi honores. *Sicut est ablactatus super matrem suam.* [m] Q.d. Animus meus in me nō magis de rebus magnis cogitauit quàm puer tenerior ablactatus. Perinde enim pusillus est in me & alienus ab omni arrogantia & fastu, atque paruulus ablactatus in sinu matris. His verbis Propheta animi sui integritatem & innocentiam aduersus calumniatorum peruersitatem declarat. Infantis pueri similitudo alibi in vitio ponitur. nam quum dicitur, Esa. 28.c.9. Quē docebo scientiā? abductos à lacte, auulsos ab vberibus: Propheta odiosè populi tarditatē perstringit, acsi nihilo esset ad discendum magis idoneus quàm pueri nondum bimuli. Sed eadem ratione hic laudatur simplicitas qua dicit Christus, Nisi fiatis huic puero similes, non poteritis ingredi in regnū Dei, Matth. 18.a.3. [a] Paulus quoque dicit, Fratres ne sitis pueri sensibus, sed malitia pueri sitis, sensibus verò perfecti sitis, 1.Cor. 14.d.20. Vide item 1.Petri 2.a.2. [c] Inde autem insanæ cupiditates quòd homines vltrà quàm par sit sapere & prouidi esse appetunt. Ideo addit Dauid, *Anima mea super me quieuit,* non quòd propriis viribus ostenderetur, sed quia animum nullis cupiditatibus agitatum placidè & suauiter in sinu fouebat. Notatur enim antithesis inter vagos & erraticos imò violentos eorum motus qui sorte sua non contenti, sese temere proiiciunt, & piorum modestiā, qui in Dei vocatione tranquilli resident.

3 *Speret Israel in Iehouam ex nunc & usque in seculum.*

Speret Israel in Iehouam. [v] Vel, Expecta ô Israel Iehouam. Vel, Spera Israel in Iehoua. Quidam, Suspiciat Israel ad Iehouam. Alii, Expectet Israel Dominum. [a] Proposito in se modestiæ exemplo, hortatur Israelem sperare in Dominum, vtque similiter humiliatum in oculis suis, nihilque eximium de se sentientem. Neque enim verè suspicere ad Deū, atque ab ipso omnia expectare poterit qui sibi aliquid tribuit. Proinde quū ad spem in Deum, illum prouocat, simul vt de se desperet hortatur. [c] Cæterùm ex hac conclusione patet quorsum asserat Dauid, nihil se carnis impulso fuisse aggressum. Iubet Israelem sperare in Deo. Certè abrupta esset oratio, nisi quòd ad communem Ecclesiæ salutem magnopere interfuit ipsum diuinitus in solio regni locatum esse, quia hoc modo de promissa benedictione certi erant fideles. Atque hæc certe optima sperandi ratio, vbi sobriè & humiliter de nobis sentientes nihil nisi Deo authore & approbatore cupimus vel audemus. *Ex hoc nunc & usque in seculum.* [a] Vel, Ex hoc tēpore & vsque in seculum. [m] Admonet hanc esse sortem Israelis populi Dei, nō vno tantùm tempore sed per secula durantē, vt perpetua opus habeat patientia & spe, quia Dominum expectet. Est igitur patientia & expectatio sanctorum non vnius seculi, sed omniū temporum & ætatum, inde ab initio ad finem vsque seculorū perdurans. [a] Semper enim viget illud Apostoli, Patientia vobis necessaria est, Hebr. 10.g.36. Cur ita? Quia quotquot piè viuere volunt in Christo Iesu, persequutionem patientur, 2.Timoth. 3.c.12.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXII.

[m] Habet hic Psalmus orationem ad Deum pro regni, Sacerdotii, & ciuitatis Ierusalem prosperitate, quam Dominus promiserat.

CAnticum graduum. *Memento Iehoua Dauidis cum omni afflictione eius.*

Canticum graduum. [c] Quanquam de authore Psalmi non conuenit inter interpretes, dubium tamen non est vel Dauidem vel Solomonem esse. Nam in solenni dedicatione Templi quum Solomo preces conciperet, searabilitatia quosdam versus ab eo pronunciatos recenset: vnde probabilis cōiectura elicitur, iam tunc Psalmum in populo notum fuisse ac celebrem, vel Solomonem pauca verba in eum vsum aptasse cui totum Psalmum destinauerat. *Memento Iehoua Dauidis.* [a] Vix dici potest quanto instaurandæ Dei religionis studio ac desiderio sit Dauid conflagrauerit, quam propè extinctam regnante Saule viderat. [c] Adhæc promissa ipsi fuerat regni ac Templi perpetuitas: quibus de causis, nomen eius proponitur in medium: quia etiam post eius mortem superstes nihilominus vigebat Dei veritas. Ita meritò in hunc formam precari Ecclesia potuit, vt præstaret Deus quod seruo suo Dauidi pollicitus fuerat, nō priuato eius nomine, sed in piorum omnium gratiam: acsi diceret, Memento Domine promissionum tuarum, quas fecisti fideli seruo tuo Dauidi, quem in commune totius populi tui salutem regem nobis dedisti. [m] Sic loquutiones istæ in Scripturis obseruandæ sunt, quibus vel Deus se rationem habere dicit Abrahæ serui sui, Israel dilecti sui, & Dauidis quoque serui sui, atque illorum nomine benefacere illorum posteris: vel populus fidelium ad Deum orat vt Dominus recordetur Abrahæ serui sui, Dauidis dilecti sui. Admonemur hoc loquendi genere, sic esse comparatum Deum

vt propter seruos suos benefaciat ipsorum posteris, non quia illi quicquam apud Deum promeriti sint, sed quia ille promisit se illorum & seminis ipsorum post eos Deū fore. Quod verum non esset nisi & posteros quoque fauore suo quo erga patres vsus est, prosequeretur. [c] Vnde satis superque refellitur Papistarum stultitia, dum ex hoc loco mortuorum suffragiis nos iuuari contendunt. Quasi verò hic patronum è sepulchro fideles sibi accersant qui apud Deum verba faciat. Quin potius ex contextu patebit fœdus tantùm spectasse quod Deus cum Dauide pepigerat: quia sciebant hac Lege apud vnum hominem fuisse depositum vt de manu (quod aiunt) in manum, ad omnes perueniret, & posteri eodem quo Patres beneficio fruerentur. *Cum omni afflictione eius.* [v] Afflictiones Dauidis vocat anxias curas quibus diu afflictatus fuit, ardenter expectando constructionem Templi cum cultu Dei rectè composito. [c] Quod quidam pro afflictione vel humiliatione mansuetudinem vertunt, à ratione dissidet. Verum quidem est, 2. Paralip.6. g. 41, poni חסדים hoc est clementias vel bonitates (quod passiuè positū videtur pro beneficiis quibus ornatus fuerat Dauid) hic verò anxias curas intelligimus, tótque difficultates & certamina quibus agitatus fuit Dauid quantisper eū Deus suspensum tenuit. Itaque summa est, Memento Deus quàm anxietate æstuauerit Dauid, quātis cum molestiis luctatus fuerit antequam potitus sit regno, quàm feruenter etiam & anxiè aspirauerit ad extruendum ibi Templum: quod tamē secundum tota vita adeptus non est. Et meritò sane apud fideles periculis, laboribus, & suspiriis Dauidis obsignata fuit cœlestis oraculi veritas: quia abundè testatus est quàm firmum certumque duceret quod ex ore Dei profectum erat. Quod in texto copulam nonnulli interiiciunt, Memento Domine Dauidis & afflictionis, non conuenit. Nā particula את potius specialem respectum notat, vt in memoriā veniant Dauidis afflictiones, vel, vt ipse in Dei conspectū prodeat cum suis afflictionibus, & secundum eas voti cōpos fiat. [h] Interea cogitent hic maiores quid sperandū sit ipsorum posteris, si ipsi Domino fideles, tribulationes & afflictiones nomine illius pertulerint. Significat Spiritus sāctus esse eos Deo acceptissimos qui fide erga ipsū quæuis aduersa infracto animo perferunt. Quòd autem etiam semini illorum qui se diligunt, bene velit Deus, satis testimoniorū est in Scripturis. Itaque patientia afflictionum & nos & posteros nostros Deo cōmendatos reddit.

2 *Qui iurauit Iehouæ, vouit forti Iacob,*

Qui iurauit Iehouæ. [v] Mutatio personæ, id est tibi. Hoc versu & tribus sequētibus commemoratur Dauidis propositum de construendo tabernaculo Dei. [c] Itaque inter afflictiones hanc numerat præcipuam, quòd Dauid de Arcæ statione perplexus seipsum cruciauerit. Iussus quidem à Mose pridem fuerat populus Deum colere in loco quem elegerat, Deut.12.a.5. Sciebat Dauid maturum iam adesse tempus quo locus ille pateficret, & tamen dubius hærebat. Quod non absque solicita expectatione fieri potuit: præsertim quum tāto cultus Dei studio flagraret, deinde ageretur de fixa Dei præsentia ad tuendū & regendum populum. Narrat autem iurasse, omnibus aliis posthabitis, sibi fore curæ ædificationem Templi. *Vouit forti Iacob.* [v] Vel, potenti ipsius Iacob. Id est, qui potenter eripuisti Iacob è periculis. Alii, fortissimo (sub. Deo) Iacob. Alii, Magnifico Deo Iacob. [a] Quia de re ardua & seria agebatur, nō modò iurauit piissimus rex, sed etiam voto se magis astringere voluit. [a] Tamen ex hoc loco & similibus perperam colligunt Papistæ, quicquid absque delectu votorum effutiuerint, Deo probari. Nam sicuti Deo vouere quod sibi gratum fore pronūtiat, laudabile est: ita nimis vitiosa audacia est, dum carnis suæ sensu ad quiduis vouendum prosiliunt homines. Itaque spectandū quid probet, ne præcipuo iure suo fraudetur: quia apud eū potior est obedientia quàm victimæ, 1.Sam. 15.e.22.

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero super stratum lecti mei,*

4 *Si dedero somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem,*

Si introiero in tabernaculum. [h] Hoc est, Non introibo domum meam, non quiescam in strato lecti mei, &c. Donec inuenero, &c. Formam iuramenti habent ista, Si introiero, si ascendero, si dedero. Et subauditur aliquid infausti, cui se deuoueret si votum hoc infregerit. *Si dedero somnum oculis.* [h] Hoc est, si dormiero, si quieuero. *Palpebris meis dormitationem.* [h] Rem eandem dicit aliis verbis. [c] Videtur in hac formula iurisiurandi durior ac seuerior esse obsecratio, ac si sōno, cibóque & aliis vitæ adminiculis renūtiet, donec locus Tēplo designatus fuerit. Atqui temere id & incōsiderato zelo factum erat, quia non erat in eius arbitrio tempus Deo præfigere, multorum verò dierum perferre taedium, vel multis noctibus peruigilem durare non ferebat eius facultas. Adhæc quādo dicemus nuncupatū ab eo fuisse votum? Scimus quid respondeant ex Hebræis quidam, quum expauefactus Angeli conspectu cecidit, hoc iusiurandum ab eo fuisse conceptum. Fatemur paulo post monstratam ei fuisse aream: sed diuinatio est parum firma & prorsus coacta, restringere ad illum temporis articulum quod potius de longa meditatione intelligi debet. Porro nihil erit absurdi si dicamus loquēdi genus esse hyperbolicum, nec referri hoc loco conceptam deuotionis formulam: sed ita mitiganda esse verba, Ne vnquā vel domum ingrediar, vel spondam lecti mei conscendam, quin me ista cura sollicitet. Persuasus certò erat sedem Sanctuarii & regni statum esse coniunctam: ideoque nihil mirum si neque rex sibi visus fuerit, neque vllis vitæ cōmodis sibi frui tranquillè permiserit, donec certior de loco Templi factus esset. Quia tamen nihil certi habemus, vbi nos destituit Scripturæ testimonium, tantùm afferimus quod magis est probabile. Sensus autē hic non malè quadrabit, siue domi habitet Dauid, siue in lecto iaceat, semper anxio & inquieto animo fore, donec edoctus de perpetua Arcæ habitatione fuerit.

5 *Donec inuenero locum Iehouæ, habitacula forti Iacob.*

Donec inuenero locum Iehouæ. [v] Id est, Vbi reponatur Arca Iehouæ. [a] Hoc est, Donec cōstruxero tēplum in quo reponatur Arca Dei potentis, quem coluit Iacob. Vel, Qui potenter seruauit Iacob. *Habitacula.* [v] Vel, Mansiones, vel habitationes, tabernacula. Plurale pro singulari. Vel plurali numero vtitur quòd tres essent partes Templi, sicuti dictum est Suprà, 68.g.36. Vide item 1.Reg.8.b.12, quomodo Deus in Arca habitare dicebatur. *Forti Iacob.* [v] Vel, Potenti ipsius Iacob. Vide paulo antè, versu secundo.

6 *Ecce audiuimus eam in Ephratha, inuenimus eam in campis syluæ.*

Ecce audiuimus eam. [h] Variè exponitur hic versus. Obscurus enim est, [a] & plurimū Hebræos exercuit, eo quòd videatur Vates illo voluisse dicere se audisse locū Arcæ fœderis esse debere Ephrathæ (quæ Bethlehem erat) quo illa nunquam perlata est, quantum quidem in sacra historia legitur. [h] Quidam sic exponūt, Ecce audiuimus eam in Ephratha, id est, audiuimus ipsam māsionem Arcæ esse in Silo, quæ est in sorte Ephraim: vt Ephratha ponatur hic nō pro Bethlehem, sed pro Ephraim. *Inuenimus eam in campis syluæ.* [h] Hoc est, (vt iidē exponunt) in Gabaa, quæ est in territorio Cariathiarim: quæ ciuitas syluarū appellatur. Qua de re vide 1.Sam. 6.d.21, & 7.a.1. [a] Alii friuolo cōmento se expediunt, binominem fuisse locum & arcam, quæ ostēsa fuit Dauidi: dictam quoque fuisse Ephratha, quòd locus esset fertilis. Vnde & Hieronymus *καρποφορίαν* vertit. Quāquā ne ipse quidem sibi vbique constat: quia dum alicubi allegoriis suis ludit, interpretatur furorem. quod absurdum est. Dubium autem nō est quin à פרה quod est fructum ferre, deductum sit nomen: sicut & Bethlehem, quæ in ea regione sita erat, ob fœcunditatem dicta est domus panis. [h] Alii sic exponunt vt sint verba Solomonis referētis quid à patre, quum adhuc in Bethlehem essent, vnà cum aliis de futuro tabernaculi loco audierint, & vbi illum inuenerint. [a] Sed missis tam variis opinionibus, quærendum nobis est quod ad verisimilitudinē propius accedat. [c] Primùm nōnihil coloris haberet hæc expositio, Rumor vulgatus fuerat Arcam fœderis locandam esse in Ephratha, vnde oriundus erat Dauid. Et certè credibile est tam Arcæ quàm Sanctuario locum in solo eius natali maximè idoneum visum esse. Nec mirum est si hæc opinio passim hinc inualuerit. Itaque auditus hic positus est pro communi fama. Quòd si placeat hic sensus, tempus verbi esset plusquam perfectum, Audieramus eam in Ephratha, inuenimus autē in syluis. Hoc est, In loco non tam culto, neque amœno. Scimus enim Ierusalem montibus fuisse cinctam, nec partem illam terræ fuisse frugiferam: vt non abs re vocetur syluosa. Expendant etiam lectores an alter hic sensus malè conueniat, vt dicāt fideles se audisse in Ephratha, quia Dominus sublimius aliquid de Ephratha pollicebatur quam de Sion. Etsi enim memorabile illud Michææ vaticinium (capite 5.a. 2.) nondum editum fuerat, fieri tamen potest vt iam Deus aliquid magnificum & insigne de Bethlehem testatus foret. Audiuimus ergo de Bethlehem: sed quia locus ille adhuc in spe nobis est absconditur, interea colendus erit Deus in loco syluoso, donec promissionem quam de Ephratha suspendit, impleat. Sed simplicius videtur, nomē Ephratha potius de persona Dauidis quam de loco accipi: acsi dixisset Propheta, Nunc tādē ex quo

tu. vt.

regem Ephrathæū sibi Deus delegit, locum simul Arcæ fœderis fuisse destinatum. Ponitur autem primo loco auditus, quia non fuit in hominum arbitrio Sanctuarium Dei vsquam figere donec patefacta esset Dei voluntas. Nec verò superuacua est gratulatio, quòd tandem sub regno Dauidis nobile illud oraculum de æterna Templi statione allatum fuit. Interea ostendunt fideles se Arcam non locasse in hospitio fortuito, sed diuinitus fuisse edoctos vbi Deus coli vellet. sicuti in legitimo cultu semper primatū tenet fides, quæ ipsa ex auditu nascitur. Cæterùm quamuis mons Sion nullis ferè dotibus excelleret, ostendunt tamen fideles nefas esse de loco eligendo disceptare, quia iam audierint quid Deo placeat.

7 *Ingrediemur in habitationes eius, adorabimus ad scabellum pedum eius.*

Ingrediemur in habitationes eius. [V] Vel, Introibimus. Quidam, Introeamus tabernacula eius, adoremus scabellum pedū eius. Alii, Adeamus habitacula eius, prosternamus nos ad scabellū pedum eius. Hortatur Propheta pios omnes ad colendū Deū in eo loco quem ipse monstrauerat per Angelum. q.d. Iam nūc maiore fiducia poterimus currere ad Sanctuarium, quia nunc scimus locum fuisse diuinitus ordinatum vbi velit Deus coli. [D]Et certè æquum est, quo certius innotescit Dei voluntas, eo nos ad obsequium alacriores reddi. Ergo quum nunc probè teneat populus locum à Deo fuisse electum, admonet Propheta iam non esse locum desidiæ, sed maiore studio properandum esse: quia Deus certa quiete electa, familiarius ad se vocat. Quibus verbis damnat eorum omnium segnitiem qui pro modo reuelationis etiam in zelo non proficiunt. Quòd habitationes plurali numero extulit Propheta, quidam sic loquutum esse volunt quòd in Templo esset Sanctuarium interius, deinde media pars, & tertiò atrium: sicuti iam vidimus Suprà, 68.g.36. *Adorabimus ad scabellum pedum eius.* [V] Scabellum pedum Domini Propheta vocat Arcam fœderis. [C] Quo genere dicendi indicat diuinam essentiam nō includi Sāctuario, sicut crassi homines fingebant. Si enim tota externi Templi maiestas nihil fuit quàm scabellum pedū, fideles ad cælos necesse fuit assurgere, vt Deum ipsum reuerenter suspicerent. Certè fas nō fuit terreum quicquam de eo imaginari. Dicitur quidem Dei facies, Suprà 27.e.8, nempe vt solida fidei certitudine populus ad symbolum diuinitus sibi propositum intentus sit. Propheta autem hic distinctius de vtroque loquitur, quòd scilicet Deum tēplo includere praua superstitio sit: neque tamen frustra externis symbolis Ecclesia vtatur, ne scilicet vel adminicula fides suæ negligant, vel in ipsis nimiū sint defixi. Etsi igitur in cælo & supra omnes cælos habitat Deus, in eo tamen quærendo non cogimur sine adiumentis illuc vsque euolare: quia symbolum præsentiæ suæ porrigens, pedes suos in terram extendit, nobisque palpandos præbet. Nūc videmus quàm vtiliter balbutiat Spiritus sanctus pro infirmitatis nostræ captu, vt nos à terrenis elementis in cælum euehat. Niceni verò concilii secundi plusquam bruta fuit cæcitas, dum ad probandam idololatriam boni patercul locum hunc torquere ausi sunt: quasi verò Dauid vel Solomo statuas Deo erigere iubeat in quibus colatur. Nūc postquam abolitæ sunt figuræ legales, rite ad scabellum Dei adorant qui reuerenter eius verbo se subiiciunt, & sacramentis se exercent ad spiritualem ei[9] cultum. Et quia sciunt Deum non simpliciter è cælo descendere, sed offerre pedes suos, gradatim ad ipsos ascēdūt. Quia autē in Christo non modò quiescunt pedes Dei, sed tota essentia & gloriæ plenitudo residet, in ipso quærendus est pater. Et certè ideo descendit vt nos sursum attolleret.

8 *Surge Iehoua in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ.*

Surge Iehoua in requiem tuam. [V] Versus iste cum duobus sequētibus ponitur, 2. Paralip. 6.g.41. [B] Vnde multi coniiciunt pertinere hunc Psalmum ad Solomonem, & compositum esse ad hoc vt petitionem qua in translatione Arcæ vsus est ad Dominum, exprimeret. Sed hac de re nonnihil attigimus versu huius Psalmi primo. Cæterùm erat id moris etiam Mosi vt quum Arca leuaretur, diceret, Surge Domine. Id quod videre est Numer. 10.d.35. & repetitum legitur Suprà, 67.a.2. Sic & Vates hoc loco, Surge Domine. & addit, *In requiem tuam.* [V] Id est, in locū quem tu tibi delegisti. [M] Q.d. Surge Domine non ad migrādum aliò atque aliò sed ad stabilem sedem quam tu tibi ipse elegisti vt in illa habites. Hactenus sub pellibus & mansione instabili egisti in populo tuo, nunc tandem surge in requiem tuam nomini & Arcæ tuæ paratā. [C] Est autē hic loquēdi modus satis crassus, vt Deus, qui cælū & terrā implet, veniat in nouū hospitiū: sed iis elogiis externa quæ instituit Deus pietatis exercitia cōsultò ornatur, quo libētius illis operā impendant fideles. Nā si De[9] nullo medio interposito rectà nos in cælū vocet, quia nobis terrorē incutit lōga distātia, friget inuocationis studiū. Itaque licet locum non mutet, propius tamen ad nos accedit. Sic olim ad populum suum descendit per Arcam fœderis, in qua visibilem extare voluit gratiæ & virtutis suæ præsentiam, sicuti iam sæpe dictū est: præcipuè verò Suprà, 10.a.3, & 84.a.7. & 106.c.19. *Tu & Arca.* [V] Nunc exponit seipsum Propheta [C] vt sciant fideles Dei aduentum non aliter intelligi nisi quatenus virtutem suam in Arca conspicuam reddebat. [V] q.d. Tu Domine testatis nobis præsentiam auxilii tui, dum Arca in tua nos apparet: tu igitur ad nos per Arcam ingredere. *Fortitudinis tuæ.* [V] Vel, Roboris tui. [C] Sic vocatur Arca fœderis, quia nō mortuum vel inane spectrum erat, sed reipsa monstrabat Deū Ecclesiæ suæ propinquum esse. [M] Et certè Dominus Deus admirandam suam potentiam aduersus hostes tam Chananæos quā Philisthæos, velut ex Arca illa, sedis ac præsentiæ suæ symbolo, exercuerat. [C] Requies autem Dei vocatur mons Sion, quia non quam alibi in posterum tempus coli Deus volebat, sicuti paulo pòst iterum repetemus.

9 *Sacerdotes tui induantur iustitia, & mansueti tui exultent.*

Sacerdotes tui induantur. [B] Postquam Propheta de firma & stabili sede Arcæ loquutus est, [C] nunc in genere precatur pro fœlici Ecclesiæ statu, quod ex proxima sententia dependet: quia non in alium finem habitat Deus in medio nostri quàm vt bene & fœliciter nobis sit. [A] Nam vbicunque constat præsentem esse Deum Patrem nostrum cælestem, illic quoque benedictionem eius residere certum est. *Induantur iustitia.* [B] Sunt qui iustitiæ nomine hoc loco vestes sacerdotales intelligunt, quæ adūbrabāt & designabāt omnimodā bonitatē. Alii iustitiā interpretantur sanctā vitā. [B] Sed rectius pro fructu iustitiæ accipitur. q.d. Fac vt tua iustitia inter nos refulgeat, sitque vsque ornamento in Sacerdotibus, deinde lætitiā afferat toti populo. [M] Nō ergo loquitur hic Psaltes de iustitia iudiciaria, sed salutrice Dei iustitia, bonitate videlicet ac benignitate. Id quod abundè liquet ex collatione eorum quæ 2. Paral. 6.g.41, de hac ipsa Solomonis oratione leguntur: vbi quod hic est, Induantur iustitia, habetur, Induantur salute. [C] Imò paulo post, versu huius Psalmi sextodecimo sequetur, Et sacerdotes eius induā salute. *Et mansueti tui.* [B] Vel, Misericordes tui. Vel, Sancti tui. [C] Scriptura fideles omnes ideo חסידים vel mansuetos Dei vocat, quia nulla est virtus qua propius ad Deum accedāt mortales quàm beneficentia. Vide Suprà 30.a.5.

Exultent. [V] Vel, Canent, Oucnt. [C] Non mirum si Sacerdotes priore loco statuat Propheta: quia scimus ita compositum fuisse Ecclesiæ ordinem vt præ aliis excellerent. Suū tamen illis gradum assignans, non desinit communiter pro tota Ecclesia precari: acsi diceret, Fac Domine vt iustitiæ tuæ fulgor irradiet à Sacerdotibus in totum populum. Iustitia autem nos Deus vestire dicitur quū apparet liberator noster, tuetur nos sua virtute, & sic gubernat vt testetur se gerere curam nostri. Et certè exultatio de qua hic loquitur, beatam vitam designat. Quum hæc duo coniungat, sequitur, nomen iustitiæ non aliter quàm pro Dei tutela & gubernatione accipi, sicuti iam dictum est.

10 *Propter Dauid seruum tuum, ne auerteris faciem christi tui.*

Propter Dauid seruum tuum. [B] Iterum Propheta ad promissiones Dei reuertitur. [C] Sunt qui principium huius versus cum proximo contexunt, sed potius vno contextu legendus est hic versus, Propter Dauid seruum tuum ne auerteris faciem christi tui. vt cum illo cōueniat quod Solomo dicebat, Domine Deus meus ne auertas faciem christi tui, memento misericordiarū Dauidis serui tui, 2. Paralip. 6.g.42. [A] Iam vidēdum est quid his verbis author Psalmi intelligat. [B] Quidam exponunt, Ne auertas faciem christi tui, hoc est, ne priues nos conspectu Redēptoris. Sed hoc à mēte authoris alienum est. certò enim ex Solomonis precatione colligitur, potius rogare Deum vt se regi propitium exhibeat. [M] q.d. Ne confundas faciem meam: vel, ne spernas petitionem meam. Est enim faciē petentis auertere, id quod petitur negare, ac faciem petentis dehonestare. Sic Bethsabe Solomoni filio pro Adonia intercessura dicebat, Rē modici momēti habeo, quam abs te peto: ne auertas faciē meā, 1. Reg. 2.d.20. Acsi diceret, Ne me eiicias à cōspectu tuo. [C] Ergo simpliciter rogatur Deus hoc loco ne regis vota, quæ pro toto populo concipit, aspernetur, vel repudiet. Petitur autem hic fauor vel gratia sub Dauidis nomine, non alia de causa nisi quia Deus cum eo fœdus pepigerat. Nām huius priuilegii respectu non quasi vnus quilibet ex vulgari ordine reputandus fuit. Summa est huius loci, vt Deus promissionis suæ memor erga Dauidis posteros fauorem suum prosequatur: quia & singulis regibus dictata hic fuit precatio pro Ecclesia.

sed fundamentum in persona Dauidis iactum fuit. Itaque iam tunc sub figura admoniti fuerunt fideles Christum mediatorem fore, qui pro toto corpore populi intercederet. Sed quia nondum carnem nostram induerat Christus, necdum etiam peracto sacrificio cœleste Sanctuarium ingressus erat, interpositus fuit ad tempus vmbratilis mediator, qui exorandi fiduciam populo daret.

11 *Iurauit Iehoua Dauidi veritatem, nec se auertet ab ea, De fructu ventris tui ponam super solium tuum.*

Iurauit Iehoua Dauidi veritatem. [v] Vel, In veritate. Alii, Iurauit veritatem, non deflectet, vel discedet ab ea. Id est, iurauit, & id fideliter: non mutabit sententiam. [m] Subiicit promissionem Dei Dauidi hac de re factam: atque ita clarius exprimit nihil se aliud respicere in Dauide quàm gratuitã Dei promissionem quæ apud eum deposita fuerat. Et ne in eius fide vacillet, iureiurando sancitam esse dicit. Non enim dicit, Dixit, vel promisit Dominus Dauidi: sed, Iurauit Dominus Dauidi. & addit veritatẽ, hoc est, non fallaciter, sed bona fide, ideoque nõ esse timẽdũ ne a promissione deflectat. *Nec se auertet ab ea.* [c] Hoc ideo additũ est vt melius promissionis huius stabilitas exprimatur. [a] Neque enim fieri potest vt Deus seipsum neget, aut quod semel decreuerit mutet, potissimũ vbi promissioni adiũctũ est iusiurãdum: sicuti habetur Suprà, 110. b. 4. & Hebr. 6. d. 17 & 2. Timoth. 2. b. 13. [m] Porro versu huius Psalmi secũdo de Dauide canitur quòd Domino iurauerit: hic subiungitur quòd Dominus vicissim iurauerit Dauidi. Vtrinque iurisiurãdi obligatio inter eos qui etiã sine iureiurãdo bona inter se fide egissent. Admonemur quæ sit certitudo, quæ stabilitas, quæ fides in illis quæ aguntur inter Deum & fideles eius seruos. *De fructu ventris tui ponam.* Verba sunt diuinæ promissionis, quæ & Solomon inter orandum coram Ecclesia populi Dei omnium frequentissima commemorauit, 1. Reg. 8. b. 15. & 2. Paralip. 6. c. 15. g. 42. Promittit autem Deus Dauidi successorem ex eius semine, quia iam fere de continua successione desperauerat: non quòd liberis careret, sed quia domi suæ videbat regnare exitiales turbas, eámque intestinis discordiis scissam esse, quæ totum genus facile pessundarent. Quanquam autem designatus fuit Solomo, non dubium tamen est quin promissio ad continuam vsque seriem pateret. Quia autem non Dauidis priuatim sed totius Ecclesiæ Deus hoc modo prospiciebat, nunc iubentur fideles bono animo esse: quòd regnum inter eos Deus erexerit non fluxum vel caducum, sed cuius sancta esset stabilitas. Atque vtile fuit tam regem quàm populum de hac extraordinaria fultura moneri. Videmus enim quàm se insolenter efferant terreni reges: quia etsi ore fatentur Dei gratia se regnare, tamen in suo fastu euanescunt. Adde quòd vt plurimum violenter irrũpunt in soliũ, vt rarò locum obtineat legitima vocatio. Itaque meritò à terrenis imperiis discernitur sacrũ Dauidis regnum, quod in cœlesti oraculo fundatum erat.

12 *Si custodierint filij tui fœdus meum, & conuentiones meas, quas docebo eos, etiam filij eorum vsque in seculum sedebunt super solium tuum.*

Si custodierint filij tui fœdus. [m] Pertinet ista ad promissam successionis perpetuitatẽ. Huius gratia sic orabat Solomo corã Ecclesia Dei, Nunc ergo Domine Deus Israel, imple seruo tuo patri meo Dauid quæ loquutus es, dicens, Nõ deficiet ex te vir coram me qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias meas, & ambulauerint in Lege mea, sicut & tu ambulasti coram me, &c. 1. Reg. 8. c. 25. Quibus verbis partem huius promissionis Dei Solomo in se impletã esse agnoscebat, partem verò reliquam in posteris suis impleri petebat. [a] Etsi autem in hoc mundo regum filii parentibus hæreditario iure succedũt, certum est tamen regnũ Dauidis singulari priuilegio exemtũ à communi lege. Quia disertè pronũciat Deus semper exorturam sobolem quæ solium regiũ obtineat, neque id vno vel altero seculo, sed sine fine. Nã etsi deletum fuit regnũ illud, breui tamẽ sequuta est restitutio, & in Christo stabilita eius perpetuitas. [m] Cæterùm quamuis charus esset Domino Dauid, posteris tamen illius successio non promittitur sine cõditione hac, Si custodierint fœdus meũ. Quid ergo dicemus de illis qui nescioquid prærogatiuæ inde ab Apostolo Petro prætexũt, quòd Romæ fuerit, vnde firma debeat esse Apostolicæ sedis successio? Illis nulla valet cõditio: qualiscunq; sit põtifex, mox est successor Petri. Certè timẽdũ est ne isti patrimonium Dei irrideant. [a] Hic tamen nascitur quæstio, an regni duratio hominum meritis nitatur. Nam conditio sub qua paciscitur Deus, innuit non aliter ratum fore Dei fœdus quàm si homines bona fide respõderẽt. Sed primo loco tenere conuenit, quatenus pollicitus est Deus se missurum redemptorem, à quo speranda esset salus, fœdus illud fuisse prorsus gratuitum: quia ex prima adoptione fluebat, quæ & ipsa gratuita fuit. Et certè non obstitit impiæ gentis perfidia quominus Deus exhibito Christo palam ostenderit se eorum meritis nihil tribuere. Ideo dixit Paulus, Si quidam eorum fuerunt incre duli, an ideo exinanita est Dei veritas? Rom. 3. a. 3. significans Deum fauorem suum continuasse erga Iudæos, quia gratis eos elegerat. Et quum sæpius data opera visi sint eius promissiones in nihilum velle redigere, certasse tamen incredibili bonitate cum eorum malitia, atque ita factum esse vt superior emerserit eius veritas: quia non respexit quid meriti essent, sed in suo proposito firmus stetit. Nunc tenemus quatenus conditionale nõ fuerit illud fœdus: sed quia secum trahebat alias accessiones, ideo conditio fuit apposita, Si parueritis mandatis meis, ego vobis benedicam. Ab hac obediẽtia quia desciuerãt Iudæi, in exilium abducti sunt, ac tunc visus est Deus fœdus suum irritum facere vel profanare, vt alio loco vidimus. Dissipatio igitur illa, quædam fœderis ruptura fuit, sed ex parte duntaxat & in speciem. Clarius etiam hoc fiet si altius repetamus ex sacra historia quid paulo post Dauidis mortem contigerit. Regnum enim collapsum fuit decem tribuũ defectione, vt tãtùm exigua portio restaret. Subinde nouis postea cladibus attritum fuit, donec tandem à radice euulsum periit. Etsi autem reditus ab exilio spem aliquam restitutionis præbuit, nullum tamen fuit tunc nomen regium, & in Zorobabel obscura dignitas donec exurgerent reges adulterini & degeneres. Quis non diceret abolitum penitus fuisse fœdus Dei? Et tamen quia non à luce prodiit Redemptor, firmum ratúmque stetisse ex effectu patet. Hoc sensu dicitur de regio diademate, Tolle cidarim: transuersam, transuersam, transuersam ponam illam, donec veniat cuius est, Ezech. 21. f. 16. Videtur certè Propheta Dei chirographum conscindere, & renuntiare pacto. Nam populi salus regno annexa erat, sicuti habetur Thren. 4. d. 20, Christus Dominus noster in cuius Spiritu nos spiramus. Quãquam autem Propheta cidarim tollendo, videtur fœdus abrumpere, mox tamen in secunda parte, quatenus gratuitum erat, æternũ & inuiolabile fore ostendit. quia etsi ad tempus Iudæi se abdicauerint à Dei gratia, Redemptorem nihilominus promisit. Nam vt Deus ingratum populum vltus est, atque ita ostendit non frustra conditionaliter se loquutum esse, demum Christi aduentu gratis præstitit quod gratis pollicitus erat, dum cidarim reposuit super Christi caput. Cæterùm vbi obseruantiam pacti sui tam seuerè exigit Deus, repudiatis hominum figmentis, in puta verbi sui doctrina nos retinet.

13 *Quoniam elegit Iehoua Sion, dilexit eam in sedem sibi.*

Quoniam elegit Iehoua Sion. [m] Quæ sequuntur concernunt ciuitatem Ierusalem. Hanc dicit Propheta electam esse à Domino ad hoc vt sit sedes eius, ac requies eius in sempiternum. [c] Quũ verò regnum cum sacerdotio & spirituali cultu coniungit, expressius confirmat non fuisse electum humano arbitrio, sed in cœlesti decreto fundatum. Hæc igitur connexio notanda est: quia regni illius stabilitas non alibi quàm in Christo quærenda erat. Atqui regnũ Christi à sacerdotio inseparabile est. Hinc videmus quorsum commemoret Sionem electam: quia Deus seorsum nihil de regno statuit, sed voluit simul accedere Sanctuarium: vt vera esset imago futuri Mediatoris, qui secundum ordinem Melchisedec non modò rex est, sed etiam sacerdos. Vnde sequitur regni & Tabernaculi statum tet esse indiuiduũ. *Dilexit eam in sedem sibi.* [a] Vel, expetiuit eam vt esset habitaculum sibi. [c] Notatur hic electionis causa: nẽpe mõtem Sion nõ sua præstãtia fuisse electũ (vt etiã vidimus Supra, 78. g. 68) sed quia Domino ita placuit. Fauor enim vel beneplacitũ Dei merito loci opponitur. Vnde rursus patet quod nuper attigimus, fœdus quod pepigit Deus cum Dauide à mera eius bonitate fuisse profectum.

14 *Hæc requies mea in æternũ, hîc habitabo, quia dilexi eam.*

Hæc requies mea in æternum. [a] Quomodo Arca dicatur requies Domini diximus versu huius Psalmi octauo. *In æternum.* [v] Vel, vsque in seculũ. [m] Hoc ipsum in responso Dei quod Solomoni noctu datum est, sic legitur, Elegi & sanctificaui locum istum vt sit nomen meum ibi in sempiternum, 2. Paral. 7. c. 16. [a] Pronuntiat ergo Deus non frustra sibi templum extructum iri, quia manum è cœlo extendens, reipsa efficaciter ostẽdet sibi gratum esse cultum quem mãdauit. Nam requies & habitatio Dei virtutis eius præsentiam, hominum respectu significans. Ita in Sion habitauit quia illic rite ex Legis præscripto eum inuocarũt fideles: neque etiam luserunt operam: quoniam votis eorũ respõdit, & reipsa palàm factũ est à Deo fuisse hoc promissum qui fallere nequit. quia etsi euersum fuit templum, deletũ altare, totus legalis cultus cessauit, statim postliminio rediit gloria Dei & maiestas, & vsq; ad Christi aduẽtũ sedẽ illic suã retinuit.

interim ſcimus quàm improbè & ſceleratè abuſi fuerint Iudæi hoc oraculo, acſi Deus illis ſeruiliter addictus foret: vt hoc prætextu auſi fuerint ſuperbè deſpicere Prophetas omnes, imò crudeliter perſequi. Quare ſcitè Lutherus hanc promiſſionem vocat cruentam: quia (vt ſolent hypocritæ ex ſacro Dei nomine ſuis flagitiis facere operculum) quicquid ſcelerum obiectum foret, obtrudere non dubitabant, non eſſe tamen penes Prophetas eripere quod Deus dederat. Nam templum ſpoliare Dei gloria perinde illis erat ac mendacii illum arguere, vel inter eum & eius veritatem facere diuortium. Hac temulenta fiducia ad fundendum ſine modo & ſine innoxium ſanguinem fuerunt impulſi. Et certè hodie ſi Romanus Satan armatus eſſet iam honorifico titulo, quid non auderet? nulla eſt ſyllaba in Scripturis quæ colorem inducat eius tyrānidi. Iā quū immani barbarie, cum aperta Dei contumelia totam pietatem diſſipet, videmus quàm ferociter vel potius truculento faſtu nomen Eccleſiæ iactet. Quid ergo? eboleſeret hierarchia, quam ſtare neceſſe eſt, niſi Chriſtus perfidè ſponſam ſuā deſerat? Nobis verò prompta eſt exceptio, Eccleſiam non eſſe vni loco alligatam: & ex quo Dei maieſtas ad vltimos vſque terræ fines innotuit, requiem Dei nōniſi in Chriſto & eius mēbris eſſe. Porro æternitas iſta Templi quā Propheta prædicat, dextrè intelligi debet. Nam quia ſeculum in Chriſto renouatum fuit, non dicemus vanas fuiſſe figuras, quarum vis & complementum in eo extitit. Siquis autem obiicit nominari montem Sion quaſi æternum domicilium Dei, in promptu ſolutio eſt, vt vaticinio conſtet ſua veritas ſufficere quòd nunc Chriſtus aduentu ſuo montem illum dilatauerit vſque ad vltimos terræ fines. *Quia dilexit eam.* [A] Vel, Quoniam expetiuit (vel deſiderauit) eam.

15 *Victum eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo pane.*

Victum eius benedicens. [V] Vel, Eſcæ eius benedicendo benedicā. Vel, victui eius-cibo eius. ſub. Sionis. Quidā, Cibum eius ſingulari beneuolentia augebo. [B] Quia regnum Dei quærentibus adiici cætera omnia oportet. Inducit Vates Deum, poſtquam numinis ſui præſentiam in Sion pollicitus eſt, pollicentem & vberem prouentum rerum quæ ad ſuſtentandam præſentem vitam requiruntur: vt pauperes, quorum præcipuè curam habet, ſentiantque ſolenni fere mundo eſſe filii Dei, nulla re egeāt. [V] acſi Dominus diceret, Multam maiorem benedictionē in frugibus ac fructibus eius quàm in aliis terris Iſrael, ad gloriam domus meæ quæ eſt in medio eius. [C] Fuit quidē illud ſummū caput beatæ vitæ, Deū habitare in medio populi ſui: ſed tamen adduntur ſigna paterni eius amoris, quòd victum ordinarium curabit, & ſuggeret populo ſuo, ſuccurret inopiæ, ſacerdotes ornabit ſalute, & pios omnes lætitia circundabit. [H] De hoc ſic legitur in diuino reſponſo, Si clauſero cælum, & pluuia non fluxerit &c. conuerſus autem populus pœnitentiam egerit, & deprecatus me fuerit &c. ſanabo terram eorum, 2. Paral. 7. c. 14. [C] Porro nō ſuperuacua fuit hæc adiectio: quia nō adeo ſumus ſpirituales vt in cælos penetremus, niſi oculis noſtris ſe offerret Dei benedictio. Hæc verò duplex in quotidiano victu obſeruanda eſt, quòd ſcilicet terram fœcundat vt nobis frumentum, vinum & oleum ſuppeditet: deinde quòd terræ prouentus arcana virtute multiplicat vt nobis in alimentum ſufficiant. Hoc quidem loco ſpecialem populi ſui curam Deus ſibi fore denūciat, ne quid deſit ad eius alimenta: & quæuis non ſuppetat magna vbertas, ſe tamen facturū vt in penuria ſatientur pauperes. Non minus autem hoc loco notabilis eſt quàm ridicula Papiſtarum inſcitia, quæ clarè oſtendit ſpiritu ſtuporis fuiſſe omnes percuſſos, vt ſine iudicio ex ſtercore cibum facerēt. quū in nomine Victū duas literas non diſtinguerent, viduam legerunt: & quia vox adhuc mutila erat, putarunt legendum eſſe Viduam. Ita viduā creerunt ex victu. Monſtrum ſenè incredibile dictu, niſi adhuc in ſuis templis abſque pudore eandem ſonerent cantilenam. Sed ſicuti Deus victui populi ſui benedictionem promittit: ſic eorū mētes maledicit & linguas vt prodigioſis deliriis peruertāt totum naturæ ordinē. *Pauperes eius ſaturabo pane.* [H] Specialiter pauperum meminit, & quidē pauperū Sionis. Sūt igitur & in populo Dei pauperes: ſicuti Chriſtus dicebat, Pauperes ſemper vobiſcū habebitis, Matth. 26. Deinde & ad Sion, (id eſt, populum Dei) pertinent pauperes. Paupertas igitur non excludit è ſorte populi Dei. Nequit Deo placere ciuitas quæ pauperes è gremio ſuo abiicit. Sed bene habet quòd Deo curæ ſunt pauperes Sionis: non ſolùm autem pauperes, ſed & cuiuſuis generis miſeri, afflicti & calamitoſi. [A] Porro ſaturandi verbo ſumma Dei liberalitas ſignificatur.

16 *Et ſacerdotes eius induam ſalute: & manſueti eius exultatione exultabunt.*

Et ſacerdotes eius induam ſalute. [V] Hebraiſmus, pro Seruabo & protegam. [C] Confirmat quod de aliis benedictionibus prius dixit, niſi quòd pro ſue iuſtitie ſalutem ponit: ſed eodem ſenſu, vt ſuprà expoſuimus, verſu 9. Nam quòd ſalutem alii puritatem doctrinæ, & vitæ ſanctimoniam dici volunt, nimis longè petitum eſt, quia ſimpliciter intelligit Propheta, Dei protectione incolumes fore ac beatos. *Et manſueti eius exultatione exultabunt.* [A] Vel, miſericordes, vel ſancti eius exultando exultabunt. Vide verſu 9.

17 *Illic germinare faciam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.*

Illic germinare faciam cornu. [V] Vel, Ibi oriri faciam. Id eſt, florere, germinare aut propagare faciam. [H] Hoc verſu & ſequenti, promittit reſponſum Dei regnum Dauidis in Sion fore perpetuum. [C] Sed propius notāda eſt verborum proprietas. Faciam, inquit, germinare cornu Dauidi. Certū & ſatis vulgare eſt Hebræis tantūdē valere cornu ac robur & potentiam vel præſidium: ſed germinandi verbo, tum contemptā regni originem, tum mirificas reſtitutiones Propheta denotat. Dauid ex ignobili tugurio & ouium ſtercoribus, quum inter pecuarii hominis filios minimus eſſet, in ſolium eductus, aſſiduis incrementis præter ſpem auctus eſt. Iam regnum ſub Ieroboam ita refractum fuit, vt aſſiduè germinando ſteterit in mediocri aliquo grado. Adhæc quot ſequutæ ſunt euulſiones, quæ totidē erant interitus præſagia niſi ſubinde pullulaſſet nouum germē? quid autem populo in exilium diſperſo futurum erat, niſi cornu fractum & contritum germinare Deus feciſſet? Itaque Eſaias non abs re Chriſtum ſurculo comparat, qui non ex arbore procera ſed ex trunco naſcitur, Eſa. 11. a. 1. Et fortè ad hoc vaticinium alludit Zacharias cap. 6. c. 12, Ecce vir, germen, nomen eius: quia ſcilicet poſt horrendam illam vaſtitatem non aliter reſtitui potuit regia poteſtas. Alio ſenſu loquitur Dauid 1. Samuel 2. a. 5. vbi continua regni incrementa ſub hac voce cōmendat. Nūc autem intelligit Propheta, quamuis interdum vel areſcat vel frangetur cornu Dauidis, Deum tamen mirabiliter facturū vt nouus vigor ſuccreſcat, & ex ſtatu penè deplorato firma oriatur regni adminiſtratio. *Paraui lucernā Chriſto meo.* [V] Vel, Parabo. præteritum Hebræum pro futuro, Inſtituā, diſponā. q.d. Floridum efficiam illic robur, regnū, regiam dignitatem: itidem illic collocabo aliquem è poſteris Dauidis, qui ſemper erit populo velut lucerna: idque in gratiam eius. Poſteritas Dauidis vocatur lucerna 1. Reg. 11. f. 39, & 15. a. 4. Chriſtum vocat Dauidem. [C] Summa eſt, quamuis obſcura interdum vel fuligine infecta fuerit regni dignitas, fieri tamen nunquam potuiſſe vt vllæ clades eam penitus extinguerent. quia illic ſemper ardebat Dei lucerna, cuius lumen etſi eminus non erat conſpicuum fidelibus, tamen certam ſalutem monſtrabat. Et Ieroſolymis quidē tunc micabant ſcintillæ ex lucerna, nunc ſol iuſtitiæ Chriſtus pleno fulgore orbem illuſtrat. [H] Obſeruandæ ſunt itaque metaphoricæ iſtæ voces, cornu & lucernæ, quomodo Chriſti regno competant. In cornu robur, in lucerna lucis perpetuæ conſeruatio ſignatur. vtrunque in Chriſto coniungitur. Regnum illius robur habet aduerſum hoſtes, Satanam, mundum, peccatum & mortem, vt neceſſe ſit inimicos eius adobrui confuſione. Habet & lucis veræ ac cæleſtis conſeruationem, non humanitus, ſed diuinitus paratam, per quam in tenebris lucentem mentes mortalium illuminantur.

18 *Inimicos eius induam probro, & ſuper eum florebit diadema eius.*

Inimicos eius induam probro. [V] Vel, pudore. Hebraiſmus, pro Obruam pudore, pudefaciam. [C] Sicut antè iuſtitia & ſalute veſtiuit ſacerdotes, ita nunc etiam probrum loco veſtis induit Dauidis hoſtibus. Quia enim non ſatis eſſet proſperè intus agere niſi Deus ab externa vi & iniuria nos defenderet, nunc additur hæc ſecunda promiſſio, in qua etiam clarius nobis ſæpe relucet Dei fauor quàm dum omni bonorum genere nos in pace locupletat. Quanto enim magis nos afficiunt hoſtium minæ & terrores, ſenſus etiam noſtros expergefaciunt vt apprehendant Dei auxilium. Monemur tamen hoc loco nunquam ſic in terris quietam fore Eccleſiam quin ſubinde infeſtetur à variis hoſtibus, quos in illius perniciem excitare non deſinit Satan. Sed bene eſt quòd audimus ex ore Dei eum probro tandem & ignominia retroceſſuros vbi fruſtra omnia machinati fuerint. *Et ſuper eum florebit diadema eius.* [C] Quidam vertunt, Conſpicietur in eo loco diadema Dauidis, vbi germinabit cornu. Alii ita exponunt acſi dictum eſſet coronam regis aureis laminis ſplendidam fore. Sed rectius eodem ſenſu quo nuper loquutus eſt de germine, nunc floridum diadema fore pronuntiat. Sicuti ex oppoſito Eſaias coronam temulentiæ Ephraim comparat flori emarcido, Cap. 28. a. 1. Ita ſenſus erit, quamuis diadema Dauidis futurum ſit ſæpe caducum in ſpeciem, arcano tamen vigore renouatum iri, vt perpetuo floreat.

Huius autem oraculi veritas in solo Christo perstat, cuius regni non est finis. Nam super caput eius floruit diadema, non caducum, vt est regum qui suis insignibus superbiunt: longè enim alia est corona filii Dei, cui data est summa potestas in cœlo & in terra, Matth. 11. d. 17. & 28. d. 18. Interim Dominus seruauit regnum illud temporale, donec exhibitum suum in persona vnigeniti Filii sui quod volebat sub illis vmbris & externis figuris designare. Sed quia externum illud Dauidis regnum erat ex hoc mundo & terrenum, ideo & temporarium erat. Verùm quia Christi regnum non ex hoc mundo sed cœleste est, æternum sit oportet.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIII.

Commendat hic Psalmus sanctam populi concordiam, quæ vt Deo gratissima, ita piis omnibus in primis necessaria est.

CAnticum graduum Dauidis. Ecce quàm bonum & quàm decorum habitare fratres etiam simul.

Canticum graduum Dauidis. Existimant Iudæi compositum fuisse hunc Psalmum de coniunctione & concordia principum & sacerdotum, vel sacerdotum inter se. Alii de concordia filiorum Dauidis intelligunt. Sed dubium non est quin Dauidis consilium fuerit hoc Psalmo gratias Deo agere pro reconciliatione totius populi, postquam ex longa & tristi dissipatione iterum coaluit, & singulos ad pacis studium hortari: quia in eius commendatione prolixè insistit, saltem quoad ferebat Psalmi breuitas. *Ecce quàm bonum & quàm decorum.* Vel, iucundum. Non abs re magnificis elogiis Dei gratiam celebrat Dauid, quòd populum miserè laceratum in corpus vnum collegerit. Postquam enim regnum adeptus est, quia diu pro publico hoste habitus fuerat, adhuc maior pars ab ipso erat alienior: imò sermus capitali dissidio fuisse Iudæos inter se diuisos, vt nulla spes esset concordiæ, nisi in alterius partis interitu. Fuit ergo mirabile & inexpectatum Dei opus, ad concordiam descendere & se mutuò amplecti qui tam acribus odiis certauerant. Hanc circumstantiam male quidam prætereunt, acsi Dauid generaliter & absque proprio intuitu consensum laudaret inter Dei cultores. Ac primo quidem aduerbium Ecce valde emphaticum est, non modò quia res oculis subiicitur, sed quia subest tacita comparatio belli intestini, quo propè ad vastitatem redacti erant, cum læta & optabili pace. Amplificat ergo Dei gratiam, quia longa experientia Iudæos magis doceat quàm inæstimabile bonum sit vnitas, qui se intestinis discordiis fere perdiderant. Videmus quibus hic rationibus concordiam fratrum commendet Propheta. Rationes sumptæ ex bono (id est, vtili, decoro, seu iucundo) ideo sunt crassæ vt & animalem hominem permouere possint. Poterat dicere, Ecce quàm iustum, quàm æquum, quàm Deo acceptum, habitare &c. At hæ rationes magis conueniunt hominibus iustis, piis & æqui amantibus. Verum sic notatur ingenii nostri corruptio, vt opus habeamus rationibus ab vtili & iucundo desumptis. *Etiam simul.* Id est, vnanimes. Particula גם hoc loco non copulat, sed vehementia notat, acsi Propheta dixisset, Nos qui fratres etiam natura, sic sumus distracti vt alii aliis magis inuisi essent quàm exteris hostibus. Nunc igitur quàm bonum est fraternam illam vnitatem etiam animis colere. Interea non dubium est quin Spiritus sanctus fraternum consensum, qui vigere debet inter omnes Dei filios, suis laudibus extollat, vt huc quisque applicet suum studium. quòd si nos scindant odia, vel simultates distrahant, Dei quidem respectu manebimus fratres: sed quia frustra erimus laceri corporis, non censebimur vnum. Itaque sicut in Deo Patre & Christo vnum sumus, ita mutuo consensu & fraterno amore sancienda inter nos vnitas. Siquando dederit Dominus vt Papistæ ex defectione ad piam concordiam redeant, hic verbis licebit gratias Deo agere: interea quicunque se Deo placidè submittunt, eos amplecti decet. Quia verò assiduè turbulentos spiritus excitat Satan, contrà nitamur, & sedulò retineamus quicunque se præstabunt dociles ac morigeros. Cæterùm præfractos omittere necesse est, quibuscum fraterna coniunctio coli non potest quin summum Patrem abnegemus, à quo oritur omnis cognatio, Ephes. 3. c. 15. Sic fiet vt iuxta Apostoli exhortationem, pacem cum omnibus hominibus quantum in nobis erit habeamus. Rom. 12. d. 18. Pax enim quam commendat Dauid, à legitimo capite incipere debet. Quo satis refellitur Papistarum improbitas, qui nobis schismata & dissensiones odiosè exprobrant, acsi non satis à parte nostra testatum foret, non aliud nos quærere nisi vt nobiscum in Dei veritatem consentiant, quæ vnicum est sanctæ vnitatis vinculum. Huc itaque referri debent omnes illæ exhortationes quæ ad mutuam concordiam & fraternam charitatem alendam nos admonent: quales sunt quæ scribuntur Iohan. 13. d. 34. & 1. Thess. 4. b. 9. & Hebr. 12. d. 14. & 13. a. 1. & 1. Petr. 1. d. 22. & 3. b. 8. nequis, dum hominum pacem quærit, cum Deo bellum gerat.

2 *Sicut oleum pretiosum super caput, quod descendit super barbam Aaron, quod descendit super oram vestimentorum eius.*

Sicut oleum pretiosum. Vel, Et sicut vnguentum optimum. *Super caput.* Sub. effusum. Iam duobus similibus illustrat Propheta quod nuper docuimus, veram scilicet fratrum coniunctionem initium habere à Deo, legitimumque eius finem esse vt Deum purè omnes colant, vnoque consensu inuocent. Quorsum enim similitudinem mutuatur à sacro vnguento, nisi vt religio primum semper gradum teneat: acsi diceret insipidam fore pacem quam inter se colent homines, nisi cultus Dei odore perfusa sit. Nunc ergo tenemus sic inter se coniungi homines mutuo amore vt Deus omnes simul gubernet. Quibus verò hæc conditio non placebit, cum illis præstabit acriter dimicare quàm pacem redimere Dei contemptu. Hoc enim tenere conuenit, in sacerdotis persona ostendi concordiam fluere à vero & puro Dei cultu. Deinde per barbam & extremas partes vestium notari, quàm longè latéque patet Ecclesia, pacem quæ à capite Christo manat, diffundi. Comparat ergo Dauid fraternam concordiam vnguento illi Aharonico, nempe sacerdotali, cuius forma disertissimè describitur à Mose, Exodi 30. c. 25. Eo quidem non solùm sacerdotes atque illorum liberi iungebantur, verum etiam tabernaculum, arcáque Testamenti, atque vniuersa omnino religiosa vasa & supellex. Hoc oleum, inquit, vnctionis, sanctum erit mihi in generationes vestras, Exodi 30. d. 31. Erat illud vnguentum omnium fragrantissimum, ideóque & iucundissimum. *Quod descendit super barbam.* Hoc est, quod fundebatur & fluebat super barbam Aharon sacerdotis. *Super oram vestimentorum eius.* Pulchrè hoc simili depingitur quanta sit vis Spiritus concordiæ quo perfunduntur omnia Christi membra. Nam fragrantissimam & omnium iucundissimam vitam eorum efficit, adeo vt quicquid aggrediuntur & faciunt, suauem in conspectu Dei odorem reddat.

3 *Sicut ros Hermon, qui descendit super montes Sion: quia illic mandauit Iehoua benedictionem, vitam in perpetuum.*

Sicut ros Hermon, qui descendit. Dictio ros repeti debet, ante verbum sequens, Sicut ros qui descendit super Hermon, qui descendit super, &c. Hoc verbo respicit Dauid ad id quòd concordiam fraternam dixit esse bonam & vtilem. Nam similitudine sumpta à rore, qui tam in montem Hermon quàm super Sion distillat, ostendit piam concordiam non modò suauis esse odoris coram Deo, sed proferre etiam vtiles fructus: sicuti ros, terram irrigando, succum & vigorem suppeditat. Scimus autem quid de Iudæa dicat Moses Deut. 11. b. 10, non esse similem Ægypto, quam fluuii exundatio fœcundat, sed pluuiam quotidie è cœlo expectare. Monuit ergo Dauid steriliam ac sterilem, miseram denique fore hominum vitam, nisi fraterno consensu foueatur. Montem verò Hermon pinguem & opimum fuisse constat, quia celebratur inter loca pascua. Præcipua verò montium vbertas ex rore cœlesti: quod in monte Sion satis conspicuum erat. Obseruandum hoc loco quòd Propheta, vtilitatem fraternæ concordiæ commendaturus, comparat ea rori cœlesti. Non solùm hic magna sed & talis vtilitas commendatur quæ de cœlo beneficio Dei detur, non in manibus hominum consistat. Tale est beneficium roris, tale est fraternæ concordiæ. *Quia illic mandauit Iehoua benedictionem.* Vel, Illic præcepit Iehoua benedictionem. Hebraismus, pro, Mandat siue mittit Iehoua benedictionem illuc. Hoc est, in tales. Subiicit Dauid Deum benedictionem mandare vbi pax colitur. Hoc est, læta bonorum abundantia testari quantopere sibi placeat, homines viuere vnanimes. Q.d. Deus fœlices reddere solet eos qui ita viuunt, curat vt vbi est vera fraternitas, omnes ipsius beneficentia fruantur. Hanc sententiam aliis verbis imitatus est Paulus, Pacem colite inter vos, & Deus pacis erit vobiscum, 2. Cor. 13. c. 11. Item, Hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum, Philip. 4. b. 9. Studeamus ergo, quantum in nobis erit, fraternæ concordiæ locum dare, vt Dei quoque benedictio apud nos resideat. Extentis etiam brachiis optemus amplecti qui à nobis dissident, si modò non abnuant in fidei vnitatem redire: reliqui calcitrant, valere sinamus, quia nobis nulla (vt dictum est) nisi cum filiis Dei fraternitas.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIIII.

Inuitantur fideles, præcipuè verò sacerdotes & Leuitæ, ad laudes Dei fundendas & decantandas, etiam noctu.

CAnticum graduum. Ecce benedicite Iehouam omnes serui Iehouæ qui statis in domo Iehouæ per noctes.

Canticum graduum. [m] Pertinet hic Psalmus ad Sacerdotes & Leuitas, quibus ex officio incumbebat vt noctu excubias agerent in domo Dei. De qua re videre est Numer. 18.a.3. *Ecce, benedicite Iehouam.* [y] Vel, Prædicate Iehouã. Vel, Celebrate Iehouam. Particula Ecce significat tempus nocturnum non debere esse obstaculo quin Deus laudetur Ecce (inquit) tempestiuum est vt Domino benedicatis. *Omnes serui Iehouæ.* [c] Leuitas, ab officio cui addicti erant, seruos Dei vocat, vt sanè eorum maximè erat in templo pernoctare, idque per vices: sicuti docet sacra historia, Leuit. 8.f.35. *Qui statis in domo Iehouæ per noctes.* [a] Etsi aliqui e populo, qui præ aliis zelo feruebant, in templo pernoctabant (sicuti de Hanna vidua legitur, quòd dies & noctes fuerit in precibus assidua, Luc. 2.f.37) patet tamen ex fine Psalmi Prophetam loqui de solis Sacerdotibus & Leuitis: quia formulam benedictionis dictat qua precentur pro communi salute. quod munus solis Sacerdotibus fuit iniunctum. [m] De nocturnis autem excubiis hoc notare conuenit. Quoniam sedem suã Dominus in eo loco delegerat, voluit vt, perinde atque in regia quadã, ante regis cubiculum vigiliã ac satellitium habentur excubiæ, sic in domo sua ante Sanctuarium suum, veluti in regia regis omniũ, nocturnæ seruarentur custodiæ. Non eget custodia qui custos est omniũ, cuius oculi non dormiunt vnquam. Sed sic conducebat piis animis, summa cum reuerentia in loco nomini ipsius consecrato, velut in ipsius conspectu, conuersari. [c] Quare notandum est quo consilio Propheta tam sedulò Leuitas incitet ad laudandum Deum. Nã vt nihil magis procliue est quàm ceremoniis abuti, multi ex Leuitis se officio defunctos putassent si modò stetissent otiosi in templo. ita neglectus fuisset præcipuus finis. Ostendit ergo Propheta totum hoc fore ludicrum & nihili quòd nocturnas excubias agunt Leuitæ pro Templi custodia, luminaria accendunt, sacrificiis dant operam, nisi se exerceant in spirituali Dei cultu, & externos omnes ritus ad præcipuum illud sacrificium referant, vt Dei laudes celebrentur. Acsi diceret, Videtur hoc vobis laboriosum esse, quòd dum alii dormiunt in ædibus suis vos statis in Templo peruigiles: atqui Deus alium præstantiorem cultũ exigit, vt scilicet laudes eius præcinatis toti populo.

2 *Tollite manus vestras ad Sanctuarium, & benedicite Iehouam.*

Tollite manus vestras ad Sanctuarium. [y] Vel, versus Sanctitatem. Id est, Ad sancta sanctorũ vbi erat Arca, super quã Dominus promiserat se respõsa daturum. [c] Loquitur de ceremonia quæ cũ inuocatione Dei coniuncta est. Quorsum enim attollunt homines manus precando, nisi vt animos suos ad Deum erigant? Itaque Propheta eorum torporẽ tacitè coarguit qui in templo vel resides manebant, vel nugando & confabulando corrumpebant purum Dei cultũ. [m] Quod attinet ad ceremoniã, Paulus de ea loqui videtur, 1. Timoth. 2.c.8. Et quod addit Propheta ad Sanctuarium, factũ id est propter promissionem Dei, qua se in eo loco sedem habiturum, & preces supplicantium auditurum promiserat. Nostrum Sanctuarium non est in manufactis, sed in ipso cælo, sedens à dextris Dei. Illuc & corda & oculos & manus supplices, modò puras & sãctas, extollamos. [a] Nam & Arca typus erat Christi, ad quem attollimus manus, quũ per ipsum à Patre audiri & iuuari, vnicum nostrũ Mediatorẽ, aduocatum & Seruatorẽ, petimus atque speramus.

3 *Benedicat tibi Iehoua è Sion qui fecit cælum & terram.*

Benedicat tibi Iehoua. [a] Quidam versum hunc sic exponunt acsi Psaltes cuilibet Deum ex animo colenti precaretur fauorem & beneficentiam Dei è Siõ. hoc est, è cœtu sanctorũ, in quo Deus amplissima sua benevolẽtia suam præsentiam testabatur. [y] Sed rectius alii asserunt istam fuisse Sacerdotum precationem pro tota Ecclesia, quam ipsis mandauerat Deus. Postquam enim hortatus est ipsos Propheta ad benedicẽdum Deũ, nunc secundas partes addit, vt populum benedicãt in nomine Dei. Neque tamen hoc præceperat Deus vt alii securè viuerẽt: (sicuti in Papatu, modò in tẽplis cantillẽt Monachi, tota plebs Deum rite coli existimat) sed Deus Sacerdotes aliis præire voluit vt quisque priuatim domi suæ imitaretur quod in Templo fiebat. Populo autem benedicere illis præceptũ fuit, quatenus Christi personam gerebant. *E Sion.* [c] Id est, ex cœtu sanctorum, in quo præsentiam suam Deus benignissimè exhibebat & testabatur: ne quis diffidat se posse ad illum accedere. *Qui fecit cælum & terram.* [c] Hæc duo non abs re distinctè ponuntur, vt Deus qui cæli & terræ creator est, etiam benedicat. Creatoris elogium ponitur notandæ potentiæ causa, vt nihil non à Deo sperare audeant fideles. Quid enim aliud mundus est quàm immensæ eius virtutis speculum? Vt nimium stupidi sint quibus non sufficit eum habere propitium, cuius imperio omnia subesse & in cuius manu omnem opulentiã esse cernunt. Cæterùm quia audito creatoris nomine multi de accessu diffiderent, acsi procul quærẽdus esset Deus: ideo Propheta symbolum propinquitatis ante oculos statuit, vt familiariter & liberè ad eum accedere audeant qui non minus comiter se ab eo inuitari intelligunt quàm si paternũ ipsis gremium porrigeret. Ergo ex cælorum intuitu potentiam Dei agnoscunt, in domicilio Sion paternum amorem.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXV.

[a] Inuitat hic Psalmus ad canendas Dei laudes: [c] partim quia electum populũ singulari gratia dignatus fuerat, partim quia eius potẽtia & gloria appareat in toto mundo. [m] Arguuntur deinde vanitatis simulachra Gentiũ, illorumque cultores: [c] Dei verò potentia ideo extollitur vt fideles ad eum celebrandum magis excitentur, ac eiusdem imperio se addicant.

HAlelu-Ia. *Laudate nomen Iehouæ, laudate serui Iehouæ.*

Halelu-Ia. [a] Hoc est, Laudate Dominum. Quidam, Laudate Existentem. *Laudate nomen Iehouæ.* Pios statim inuitat Propheta ad celebrandum Dominum, & laudes nominis eius canendas: quia laudis sacrificium illi gratissimũ simul ac suauissimum esse nouit. *Laudate serui Iehouæ.* [c] Quanquã inter huius Psalmi exordium & superioris nullũ fere est in verbis discrimen, videri tamen potest nunc Propheta nõ solos Leuitas hortari, sed totum populum: quia causas laudãdi Dei commemorat quæ apud pios omnes communiter valere debent. Neque etiam de nocturnis excubiis & cõtinua statione loquitur: sed quia proprium sacerdotũ munus fuit in hoc pietatis exercitio reliquis præire, & quasi præcinere vel dictare Dei laudes, minimè absurdum erit eos vocari primo loco & stimulari ad suas partes. *Qui statis in domo Iehouæ.* [a] Hoc est, In templo Domini, quod Dei domus dicitur, sicuti Dominus ipse per Prophetam dicit, Domus mea domus orationis vocabitur, Esa. 56. c.7. [m] Porro stare in domo Domini, est paratum esse ad voluntatem Domini & accinctum ad seruiẽdũ ei. Sic serui Solomonis coram illo stetisse leguntur, 1. Reg. 10.b.8. Sic & Angeli in conspectu Dei stare dicuntur. *In atrijs domus Dei nostri.* [c] Quisquis verba huius Psalmi propius expẽdet, videbit populum secundo ordine adiungi sacerdotibus. Nã compellat Propheta seruos Dei stantes in templo eius, deinde in atriis, quum proximo Psalmo nulla facta fuerit atrii mẽtio. Et videtur plurali numero posuisse atria, quia sacerdotibus quoque suũ erat atrium: deinde erat alterum commune totius populi, quem Lex arcebat à Sanctuarii ingressu, Leuit. 16.d.17. [y] Quod ergo dicit Propheta, tantundem valet acsi diceret, Vos omnes Dei cultores canite nomen eius.

2 *Qui statis in domo Iehouæ, in atrijs domus Dei nostri.*

3 *Laudate Deum, quia bonus Iehoua: canite nomini eius, quoniam suaue est.*

Laudate Deum. [m] Iterum repetit celebrandum esse Dominũ. *Quia bonus Iehoua.* [y] Antecedens pro relatiuo ipse. [c] Causas cur laudare Deũ tantopere debeant subiicit. Primùm quòd Deus beneuolus sit, & decoro amabilique nomine. Cuncta namque eius opera bonitatem eius deprædicant, nomẽque ipsi faciũt indicibili popularitate celebre atque plausibile. *Canite nomini eius.* [a] Hoc ipsum est quod versu primo dixit, Laudate nomẽ Domini. [c] Porro ne doctrina hæc vel exhortatio ad laudes Dei tã frequenter repetita fastidium pariat, tenendũ memoria est quod alibi diximus, nullum ei sacrificium magis placere quàm dum gratitudinem nostram erga ipsum testamur. sicut etiam vidimus Suprà, 50. c.14, Sacrifica Deo laudem, & redde Excelso vota sua. Item, Quid rependam Deo pro omnibus eius beneficiis? Calicem salutum accipiã, & nomẽ Iehouæ inuocabo, Supra, 116. c.12. Ac diligenter notandi sunt loci qui spiritualem hunc cultum magnificè extollunt: ne præpostero Dei colendi studio in nugis ludamus operam: sicuti maior pars hominum stultè excogitat & comminiscitur ad Dei cultum, frustràque se fatigat, omisso præcipuo capite. Ideo toties Spiritus sanctus inculcat verbũ Laudate, ne vilescat apud nos vel frigeat hoc pietatis officium. Quanquam simul torporem nostrum obliquè perstringit, quia apud sedulos & voluntarios sufficeret parcior exhortatio. *Quoniam suaue est.* Vel, decorum. Vel, iucundum. [c] Hoc duplicem sensum admittit. vel quòd suaue sit Dei nomen, (sicut priore membro dixerat Deũ ipsum esse bonum) vel quia res suauis sit Deo canere. Quanquam נעים decorum & pulchrum propriè significet: & hic generalis sensus melius conuenit, vt cum eo concordet quod alibi dicetur, Laudate Dominum: quoniam bonũ est canere Deo nostro, quoniam dulcis & decora est laus, Infrà, 147. a.1.

4 *Quia Iaacob elegit sibi Deus, Israelem in peculium sibi.*

Quia Iacob elegit sibi Deus. [a] Sequitur alia ratio propter quam laudandus sit Dominus: nempe quòd sibi Israelem in peculiarē populum selegit, cui præcipuè bonitatem suam cum beneficio Legis, tum aliis innumeris exhiberet, maximè autē Spiritu, quo corda eorū afflans facit amare quæ recta sunt & salutaria. [c] Certè incomparabile hoc bonum fuit, quo Israelitas rapi & accēdi decuit ad gratias agendas, solus fuisse adoptatos, præteritis cunctis Gentibus. Nā laudem electionis Deo adscribens Propheta, clarè admonet non excelluisse eos propria virtute, sed quia gratuito fauore eos cōplexus erat Pater cælestis. Omnes quidem sibi promiscuè obstringit, solē suum quotidie oriri faciens super bonos & malos (Matth.5.g.45.) sed tunc sanctiore vinculo sibi deuinxit filios Abrahæ: sicuti hodie quoscunque in gregem suū adoptat & inserit in corpus vnigeniti Filii sui. *Israelem in peculium sibi.* [v] Id est, vt peculiaris sit & proprius sibi populus.

5 *Quia ego cognoui quòd magnus Iehoua, & Deus noster præ omnibus diis.*

Quia ego cognoui quòd magnus Iehoua. [a] Subiicit aliam rationē cur celebrandus sit Deus, nempe quòd est potentiæ ac maiestatis adeo immensæ, vt cunctos Deos (id est, quicquid potentiæ est rarioris) infinito antecellat. [a] Cognoui, inquit, quòd magnus est Dominus. [c] Primò generalem Dei potentiam describit: quo melius sciant Israelitæ eundem quem colunt Deum, ac totius mundi opificem, omnia regere suo arbitrio, nec aliū vsquam posse reperiri. Cæterùm non dicit se magnitudinem Dei nouisse, vt alias excludat: sed potius ex suo sensu excitat omnes ad eandem attentionem, vt expergefacti cognoscant quod palam conspicuum est. Etsi enim Dei immensitatem nemo capit, gloria tamen eius, quatenus expedit, satis est nobis exposita, vt totus mundus careat ignorantiæ prætextu. Nam quisquis cæli & terræ cōspectu fruitur, quomodo sine summo scelere authorem ipsum clausis oculis præteribit? Sed quo nos efficacius pungat, suo exemplo ad notitiam gloriæ Dei inuitat, vel potius castigat stuporem nostrum quod non simus ad eam considerandam satis attenti. *Et Deus noster.* [a] Hoc est, qui nobis hactenus fauit, & cuius virtute & gratia semper fuimus superiores. [c] Ex hoc mēbro certius colligimus quod nuper attigimus, hoc scilicet esse Prophetæ consilium, Israelitas retinere in vnius Dei cultu & timore, quia idem Deus qui fœdus suum pepigerat cum eorum patribus, cæli & terræ sit creator. Postquā enim Iehouam nominauit, statim addit esse Deū Israelis. Vnde sequitur, quicunque ab hoc Deo declinant, falso prætendere Dei nomen: sicut hodie Iudæi & Turcæ, quanuis Deum mundi creatorem se colere profiteantur, meras nugas agunt: quia vbi à Lege & Euangelio disceditur, quælibet pietatis iactantia, veri Dei est abnegatio. Itaque Propheta non abs re speciali titulo Deum vestit, vt se contineant Israelitæ in Legis doctrina. *Præ omnibus diis.* [a] Potest hic locus de fictitiis diis Gentium intelligi. Mirum tamen videri posset quomodo Dominus maior illis esse dicatur. [m] Quid enim sunt dii Gentium in vniuersum omnes? Vtique dii non sunt, sed miserrimæ creaturæ. Quæ est igitur hæc comparatio? Respondendum est, respicere Psaltē non ad id quod erāt dii Gentium, sed ad id quod esse videbantur & ad honorem qui illis exhibebatur. Quoniam multorum iudicio videbantur esse dii, eóque nomine diuinitatis honoribus potiebātur, ideo veri & vnici Dei maiestatem supra illos omnes extollit. Et dū hoc facit, adimit illis diuinitatis gloriam. Neque enim possunt esse dii qui non sunt supremi, sed maiorem aliquem sustinere coguntur. [c] In summa, si de fictitiis illis Gētiū diis locus hic intelligatur, erit concessio, quia Vates impropriè Deum vanis & nihili figmētis confert: sed sensus erit, Dei magnitudinem sic excellere vt in nihilum redigat quicquid deitatis fingitur. Videtur tamen Angelos complecti, vt alibi diximus: quia etsi in illis diuinum aliquid emicat, quatenus cælestes sūt virtutes ac principatus, supereminet tamen Deus ipse, vt eos cogat in ordinem, ne magnitudinem suam obscurent.

6 *Omnia quæ vult Iehoua facit in cælis & in terra, in mari & omnibus abyssis.*

Omnia quæ vult Iehoua facit. [a] Ad verbum, Omnia quæ voluit Dominus fecit. [v] Sed præteritū Hebræū ponitur pro præsenti, Quicquid lubet facit Iehoua. [m] Quia dixerat Deum præ diis omnibus magnum esse, magnitudinem eius ex illius operibus commendat. Tribuit autem illi omnipotentiam & dominium liberū in omnia cum quæ in cælo supernè, tum quæ in terra, mari & abyssis sunt, infernè. *In cælis & in terra.* [a] His duobus nominibus sæpe Scriptura res omnes à Deo creatas complectitur. *In mari ac in omnibus abyssis.* [v] Vel, voraginibus. [a] Per abyssos videtur alta flumina atque lacus significare. תהומות enim significat loca altitudinis ingentis. [c] Hæc est igitur immensa Dei magnitudo, cuius Vates meminit, quòd non semel tantùm condiderit cælum & terram, sed moderetur etiam omnia suo arbitrio. Nam qui Deum fatentur mūdi creatorem, & sedere ociosum in cælo fingunt, abiecta mūdi cura, eum sua virtute impiè spoliant. Atqui magnam hominum partem occupat crassum hoc commentum. Siquis roget an credat Deū dormire, negabunt quidam: sed dum imaginātur eum laxare Fortunæ habenas, vmbratilem dontaxat potentiam ei relinquunt, quæ effectu suo careat: quum Scriptura doceat actualem esse, quia totus mundus eius arbitrio regitur. Nam Propheta disertè hic affirmat singulas mūdi partes curæ esse Deo, vt nihil confusè vel fortuitò vsquam contingat. Putāt vulgò Deum splendidè ornatum esse, dum nescioquid de vniuersali prouidentia balbutiūt: atqui distinctio cæli, terræ & aquarū, particularē curā designat. Præcipuū tamē pondus inest in verbo חפץ. Pronūtiat Spiritus sanctus Deū facere quicquid placitum est: confusa autem gubernatio, de qua vulgò garriunt, tantùm huc tendit vt Deus incogitanter mundi ordinem contineat. Ita hoc modo in nihilum redigitur eius volūtas. Nam si vult, suum habet consilium, certāque rationem. Vnde colligitur specialis eius prouidētia, quæ vim suam distribuit ad regendas singulas mundi partes: vt nihil fortuitò accidat, sed arcano suo consilio moderetur quæ maximè videntur fortuita. Etsi autem nostrum non est disquirere cur fieri velit quæ repugnant cum sensu nostro, nisi tamen velimus omnia pietatis elemēta conuellere, firmum hoc manere debet, nihil accidere nisi quod statuit Deus ac decreuit. Ac si abscondita nobis est eius voluntas, eam tamen vt fontem omnis iustitiæ & rectitudinis reuerenter suspicere conuenit: quia nihil æquius est quàm vt suum gradum apud nos obtineat. Plura, si videbitur, petant lectores ex Psalmo 115.a.3.

7 *Ascendere facit nubes ab extremo terræ, fulgura ad pluuiam facit, educens ventum ex locis suis absconditis.*

Ascendere faciens nubes. [c] Vel, Qui ascendere facit nubes. Id est, Eleuat vapores, siue exhalationes, sub (ab irrigua terra) quæ postea vertuntur in nubes. nam ab exhalationibus siccæ terræ gignūtur venti, flatus ac tonitrua. [c] Speciem vnā atque alteram attingit Propheta, vnde melius possit intelligi nihil sponte moueri, nisi quatenus Dei consilio & manu dirigitur. Quia igitur millesimam operum Dei partem comprehendere non potest sensus noster, pauca tātùm exempla hic Propheta delibat, in quibus vult expendi quod docuit de cælesti prouidentia. Nubes dicit attolli ab extremis terræ partibus, quia vapores è terra surgentes, densius coaceruati, nubes tandem efficiunt. Quis verò futurum putaret vt vapores, quos ascendere cernimus conspicimus, mox cælum obscurent & incumbāt nostris capitibus? Hoc ergo insigne est documentum potentiæ, exiguos vapores surgere, qui deinde totum aerē momento occupent. *Fulgura ad pluuiam facit.* [v] Vel, Fulgura cū pluuia facit. Id est, pluuiæ permista. [c] Hoc non parum valet ad augēdum miraculū, fulgura pluuiæ misceri: quæ res sunt prorsus cōtrariæ. Nisi hæc ignis & aquæ mistura vsu cognita esset, quis nō diceret incredibile esse portētum? [a] Videmus sæpe amplissima fulgetra inter largissimos nimbos emicare. *Educens ventum ex locis suis absconditis.* [v] Vel, De thesauris suis. Vel, E recōditoriis suis. [a] Ventos canit Deum educere è reconditoriis suis, propterea quòd sint inuisibiles, & nesciamus (vt Seruator dicebat, Ioh.3.a.8.) vel vnde veniant, vel quo eant, audientes interim fremitum illorum. [c] Certè etsi ventos naturaliter procreari certum est, & originem philosophi demonstrāt, mirabile tamen Dei opus est tam multiplex ventorum agitatio. Cæterùm non modò prædicat Dei potentiam qualem philosophi concedunt, sed intelligit nullam pluuiæ guttā è cælo decidere nisi quam Deus certa dispensatione stillat. Fatentur omnes Deum esse pluuiæ authorem, tonitruum item & ventorum, quia hunc in natura ordinē semel posuit: verùm Propheta hic vltrà progreditur, quoties pluit, non id fieri caco naturæ instinctu, sed quia Deus ita decreuit, cuius est pro suo arbitrio cælum ex sereno reddere obnubilū, & caligine discussa puram lucem reddere. [m] Interea obseruandū quòd nubes tēpestuosa obscuritate in sua iniucūda est, & sequētia fulgura vehementer terribilia: verùm ea est clementia Domini vt frequenter desināt in pluuiam telluri commodam. Sic solet Dominus ea quæ & aspectu & auditu & sensu tristia sunt, in vtilitatem hominum commutare.

8 *Percussit primogenita Ægypti, ab homine vsque ad bestiam.*

Percussit primogenita Ægypti. [a] Prædicat Dei potētiam ab iis quæ peculiariter fecit in gratiā Israelis. [c] Nam quia termonē

dirigit ad solos fideles, in Dei laudibus hoc statuit præcipuũ caput, quòd ex toto humano genere exiguum numerum adoptauerit: deinde quòd in eorum gratiam magnis regnis & Gẽtibus se opposuerit. Quæcunque enim edidit Deus miracula tam in Ægypto quàm in terra Chanaan, totidem fuerunt paterni eius erga electum populũ amoris testimonia. Quòd autẽ primo loco ponit occisa Ægypti primogenita, nõ seruat historiæ ordinem, sed memorabile exemplum proponit, vnde appareat quàm pretiosa fuerit Deo salus Ecclesiæ suæ: cuius respectu, magno & opulẽto populo non pepercit. Summa est, In redemptione populi satis supérque testatam fuisse Dei virtutem simul cum gratia. *Ab homine vsque ad bestiam.* [f] Vel, Tũ hominum quàm pecorum. Alii, Pariter in genere hominum & in pecore.

9 *Misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaone & in omnibus seruis eius.*

Misit signa & prodigia. [b] Subiicit in genere, signa & prodigia edita esse in medio Ægypti, quum Dominus populum suum inde educere voluit. [a] Poterat autem Dominus Deus Israelitas nullo edito signo ex terra illa seruitutis eripere ac educere: sed voluit signis & portentis illustrem reddere eorum redemptionem, vt nunquã tam præclarum beneficium obliuione sepeliretur. *In Pharaone, & in omnibus seruis eius.* [b] Meminit horum nominatim, primùm eam ob causam quòd illi potissimum erant in culpa: deinde quòd tãdem in mari rubro simul perierunt. Sic ergo celebrat Vates potentiam illam Dei, qua inimicos suos in ipsorum medio (vbi & sedem & robur regni habent) plagis horrendis inuisere ac perdere potest.

10 *Percussit gentes magnas, & occidit reges fortes.*

Percussit gentes magnas. [c] Descendit ad finem redemptionis. Neque enim populum suum eduxit Deus ex Ægypto vt in vaga peregrinatione statim desereret, sed vt locaret in hæreditate promissa. Hic ergo etiam conspicuum fuisse Dei fauorem Propheta docet, ac infatigabilem gratiæ perseuerantiã: quòd vbi semel manum porrexit filiis Abrahæ, eousque deduxit, porrexitque virtutem suam exercere, donec promissa terra fruerentur. Potentiam verò Dei extollit, quia non nisi multis stragibus tranquilla contigit terræ possessio. Bonitatem verò Dei illustrat hæc circunstantia, quòd turmam ignobilem validis regibus & gentibus robustis prætulit. [b] Ergo per gentes magnas intelligit populos terræ Chanaan, Iebusæos, Hethæos, Pherezæos, Heuæos, Gergezæos, Amorrhæos & Chananæos. *Et occidit reges fortes.* [b] Horum nomina & regnorum sedes vide Iosue 12.c.9.&c. vbi ex ordine percussi reges 31 numerantur. Epitheton fortes ad celebrãdam Dei potentiam additum est. Nam potentia regum sic est cõparata vt quo quisque reliquis potentior est, hoc ampliorem illustrandæ gloriæ Dei materiã & occasionem adferat, dum se populo Dei aduersarium constituit. [a] Est & illud obseruandum, non viribus Israelitarũ sed virtuti ac potentiæ Dei tribui horum regum interitum. Etsi enim victoriam adeptus est populus, & his robustis regibus superior factus, vni tamen Deo accepta ferri debet omnis victoria & gloria, quæ ex illa nascitur.

11 *Sihon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.*
12 *Et dedit terram eorum hæreditatem Israeli populo suo.*

Sihon regem Amorrhæorum. [c] Duos reges memorat, Sihõ & Og, non quia fuerint omnium potentissimi, sed quia præcluso terræ aditu in primis erant formidabiles, præsertim quũ populus nondum ad bellandum assuefactus foret. Vide Numer. 20.c.14. *Et omnia regna Chanaan.* [b] Loquitur in genere de reliquis Chananæis regibus & regnis, à Iosue post Mosen subactis.

Et dedit terram eorum hæreditatem. [c] Cumulum beneficentiæ adiungit Propheta, quòd firmam terræ possessionem adepti sũt Israelitæ. Nõ minor est virtus quàm quærere, parta tueri, inquit ille. quum ergo infestissimis hostibus vndique cincti essent Israelitæ, in eo maximè enituit Dei virtus quòd neque deleri neque expulsi fuerunt. quod centies accidere poterat, nisi in sua possessione fuissent stabiliti. *Hæreditatem Israeli.* [b] Significat propterea percussos esse hosce reges & populos, vt terra eorum cederet in hæreditatem Israeli. Quomodo autem illa cesserit Israelitis legere licet in libro Iosue à cap. 13 vsque ad 23. *Populo suo.* [a] Non abs re addita est hæc particula. voluit enim Vates monere non aliam ob causam inductũ fuisse Israelem in terram illam dudũ Patribus promissam nisi quia adoptatus erat a Domino, vt esset illi populus & peculium.

13 *Iehoua nomen tuum in seculum, Iehoua memoria tui in generationem & generationem.*
14 *Quia iudicabit Iehoua populum suum, & super seruis suis pœnitentia ducetur.*

13 *Iehoua nomen tuum in seculum.* [a] Dicens nomen Dei extare in secula, significat miracula quibus & postea populum suũ à variis tyrannis liberauit, [a] & Ecclesiam suam mirabiliter aduersus tot hostes conseruauit. De quibus agit liber Iudicum & Regum.

14 *Quia iudicabit Iehoua populum suum.* [a] Quum multæ sint rationes cur semper florere debeat in mundo nomẽ Dei, Propheta hoc loco vnam subiicit, nempe quòd Deus iudicabit populum suum. Et certè etsi totus mundus theatrum est diuinæ bonitatis, sapientiæ, iustitiæ, virtutis: pars tamen illustrior, instar orchestræ, est Ecclesia: & quo proprius ad nos accedit Deus, suáque beneficia familiarius nobis communicat, in eorum meditatione nos attentius exerceri conuenit. Hic itaq; Propheta propriè concionatur de æterna Dei laude, quam ex Ecclesiæ conseruatione meretur ac sibi acquirit. Porro quum iudicandi verbum Hebræis omnes iusti legitimique regiminis partes in se contineat, futurum tempus de continuo actu positũ est, vt frequẽter solet. acsi dixisset Propheta, sẽper Deũ præsidem fore & custodem populi sui: ideóque in tuto esse piorum salutem, quæ Deo curæ est. Nisi fortè consultò futurũ tempus notauit Propheta vt discamus in afflictionibus spem nostram suspendere: &, siquãdo videbimur à Deo negligi ac deseri, ne tamen exanimemur: quia vtcunque opem suam ad tempus occultet, postquam suos satis humiliatos videt, vindicem opportunè se ostendit. Neque displicet hic sensus, quia Prophetam alludere probabile est ad Mosis dictum, cuius etiam verba recitat, Deut. 32.e.36. Nam dolorem quem ex Dei flagellis sensurus erat populus, Moses lenire volens, Deum fore iudicem populi sui denuntiat, vt miserè afflictum sublueat ac tueatur. Id nunc ad perpetuum Ecclesiæ vsum accommodat quisquis fuerit author Psalmi, Deum nunquam passurum docens vt penit⁹ intereat Ecclesia, cuius abolitione t ex esse desineret. Tempus autem verbi in præteritum mutare, acsi Deus populũ suum vindicasset contra Ægyptios, frigidum commẽtum est, ac remotum à Mosis & Psalmi huius contextu. Quia verbum נחם Hebræis tam pœnitẽtia duci quàm consolationẽ accipere significat, vtrouis modo accipias, optimè constabit sensus. Nam quoties in gratiam redit Deus cum Ecclesia, quamuis nulla in eum cadat mutatio, in re tamen ipsa apparet. Ergo pœnitentia ducitur affici dum Ecclesiam, quam iratus iustis pœnis afflixerat, clementius tractare incipit. Consolationem etiam accipere vel placari super populo suo dicitur dum fœderis sui æterni memor, vbi eum ad momẽtum castigauit, perpetuis misericordiis prosequitur. sicut dicit apud Esaiam, cap. 54 c.8. Sũma huc redit, temporalem esse iram Dei erga fideles tuos, dum vlciscitur eorum scelera, misericordiæ suæ recordari in medio iræ cursu. sicut docet Habacuc, cap. 3.a.2 Atque ita pingitur nobis Deus sub humana figura, quia induitur paterno affectu, dũ filios suos, qui meritò abdicandi erant, restituit, quia non potest à visceribus suis auelli. acsi diceret, Deum misericordem esse fidelibus, quia filii sunt, ipse verò se orbare nolit. Denique ideo esse placabilẽ quia deliciæ eius sunt, suauiter fouere quos pro filiis agnoscit. [a] Cæterùm gloria creationis non tam est manifesta quam est eorum quibus populum suum è manibus impiorum potenter asserit, & clementer conseruat. Ideo salutis piorum potius hoc loco meminit Vates quàm rerum creationis. Quantam verò putabimus futuram eam Christi gloriam, quam in die iudicii ex eo reportabit quòd nos sanguine suo redemit, & peccatis nostris clementer ignoscit.

15 *Simulachra Gentium, argentum & aurum, opus manuum hominis.*

Simulachra Gentium. [b] Nunc irridet & idola & eorum cultores, vt & Suprà, 115. a.4: vbi ad verbum omnia ferè habentur & explicata sunt. [c] Quare ne repetitio lectoribus molesta sit, consilium Prophetæ paucis tantùm verbis breuiter perstringemus. Nam Gẽtium socordiam exagitans, quòd Deum non putarent sibi propinquum esse, nisi ad idola confugerent, Israelitas admonet quam præclarè cum ipsis actum fuerit: quo se attentius continerẽt in simplici & puro Dei cultu, & à profanis superstitionibus abhorrerent. Tandem enim concludit, quo plus impendunt operæ idololatræ in colendis suis idolis, grauius sibi iudicium accersere. Nam certè falsorum deorum cultoribus tam horribilem vindictam denuntiat vt ab eorum exemplo absterreantur quicunque edocti sunt in Lege Dei.

16 *Os est eis, & non loquuntur: oculi illis, & non videbunt.*
17 *Aures sunt eis, & non auscultant, etiam non est spiritus in ore ipsorum.*
18 *Similes sint illis qui faciunt ea, quisquis confidit in illis.*
19 *Domus Israel benedicite Iehouæ, domus Aaron benedicite Iehouæ.*
20 *Domus Leui benedicite Iehouæ, timentes Iehouam benedicite Iehouæ.*

16 *Os est eis, & non loquuntur.* [a]Vel, per futurum, Os est illis, & non loquentur. Vide Suprà, 115.a.5.
17 *Aures sunt eis, & non auscultant.* [b]Vel, Aures ipsis & non audient. *Etiam non est spiritus in ore ipsorum.* [b]Vel, (vt quidam vertunt) Imò non est spiritus in ore eorũ. Nam videtur Vates hoc voluisse exprimere, Quid dico de eo quòd os habẽt, & nõ loquuntur: oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: quum ista etiam de illis prædicari queant qui licet hisce sensibus careant, viuentes tamen existunt (quales sunt muti, cæci, ac surdi, qui & ipsi nec loquuntur muti, nec vident cæci, nec audiunt surdi) at simulachra Gentium non solùm muta sunt, cæca, & surda, sed prorsus mortua. Neque enim spiritus aliquis est in ore eorum.
18 *Similes sint illis qui faciunt.* [a]Vel, Sicut ipsa sint qui faciunt ea. Vide Suprà, 115.b.8.
19 *Domus Israel benedicite.* [c]Quemadmodum Suprà, 115.b.9, post irrisam inanitatem idolorum, ad fidendum Deo hortatus est Propheta, ita hîc Deum benedicere iubet. Illic conueniebat vt pios hortaretur ad sperandum in Dominum, quia Israelitis insultabant Gentes, ac dicebant, Vbi est Deus vester? Hîc verò conuenientius est vt hortetur ad benedicendum Domino, quia versatur in cantico laudis Dei, celebrans bonitatem eius erga Israelem, & potentiam aduersum Gentes declaratam.
20 *Domus Leui.* [c]Leuitas domui Aaron adiungit propter duos sacerdotii ordines. [b]Domus Aaron pars est domus Leuitarum. Discrimen erat, quòd sacerdotium domui Aaron, reliqua sors diuini cultus cæteris Leuitis contigerat. *Benedicite Iehouæ.* [b]Vel, Prædicate Iehouam, celebrate, laudate. *Timentes Iehouam.* [a]q.d. Quicunque Deum ex animo colitis, perpetuis illum laudibus efferte ac magnificate.

21 *Benedictus Iehoua è Sion, qui habitat in Ierusalem, Halelu-Iah.*

21 *Benedictus Iehoua.* [b]Vel, Laudetur Deus. [a]Hîc Propheta cum reliquo piorum cœtu ipse quoque Deum benedicit. [a]Quid enim prodesset alios ad laudes Deo canẽdas excitare, & interim ab iis cessare? [b]Itaque fidelibus quasi verba ad benedicendum Domino subministrat, quos ad laudem illius excitauit. *E Sion.* [c]Hoc ideo addidit Vates, quia quum pollicitus esset Deus se illinc exauditurum suorum vota, ac odorem gratiæ suæ inde diffunderet, simul etiam laudum materiam suggerebat. Vide Suprà, 128.a.5. *Qui habitat in Ierusalem.* [a]Hoc est, in cœtu & congregatione fidelium. [c]Atque hoc nihil crassũ vel terrestre sonat, quasi tam angusto domicilio inclusus esset Deus: sed ad sensibilem eius gratiam referri debet, quia experientia docebat, quanuis cælum & terram impleat eius maiestas, virtute & gratia suis esse præsentem. *Halelu-Iah.* [a]Vide versum huius Psalmi primum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVI.

[a] Psalmus hic pios omnes inuitat ad laudandum Deum propter ingentia bonitatis illius beneficia. [c]In singulis autem beneficiis diuinam misericordiam commendãs, simul docet nõ ritè laudari Deum nisi gratuitũ esse agnoscimus quicquid in nos contulerit.

L*Audate Iehouam, quia bonus, quia in seculum clementia eius.*

Laudate Iehouam. [a]Vel, Celebrate Iehouam. Alii, Confitemini Domino. [b]Hoc versu & duobus sequentibus Propheta populum Dei hortatur vt laudes illius celebret. *Quia bonus.* Argumentum laudandi Dei ex eius bonitate sumit, sicuti omnino nõ promoueri debet diuinæ bonitatis consideratione quin sur[a] ad eius laudes feratur. *Quoniam in seculum clementia eius.* [a]Vel, misericordia. Vel, bonitas eius. [c]Videri posset inanis battologia, quòd breuibus & concisis sententiis particulam hanc toties inserit: verùm si feruntur, imò laudem & plausum referũt versus intercalares in profanis poetis, non debet videri absurda hæc repetitio, quæ in optima ratione fundata est. Nã etsi fateri coguntur omnes bonorum omnium fontem esse liberalitatem Dei, non tamen porè & in solidum agnoscitur gratuita eius bonitas: cui tamen summum gradum semper attribuit Scriptura. Imò Paulus de ea loquens, gloriam Dei generaliter κατ' ἐξοχὴν nominat ad Roman.3.c.23. acsi diceret, Deum qui in cunctis suis operibus summam laudem meretur, velle tamen præcipuè glorificari in sua misericordia. Et ex sacra historia colligere promptum est, ex Dauidis præscripto, inter canendum, morem hunc receptum fuisse vt alternis Leuitæ succinerent, Quia in æternum clementia eius. Nam & Solomo in Templi dedicatione ritum hunc obseruauit, 2. Paralip.7.a.3.6 & Iosaphat in epinicio illo solenni, cuius mentio fit eiusdem libri cap.20.d.21.

2 *Laudate Deum deorum, quia in seculum clementia eius.*
3 *Laudate dominos dominorũ, quia in seculum clemẽtia eius.*
4 *Qui fecit mirabilia magna solus, quia in seculum clementia eius.*
5 *Qui fecit cælos in intelligentia, quia in seculũ clemẽtia eius.*

Laudate Deum deorum. [b]Nam Propheta diuinam maiestatem elogiis ornat, quæ nemini competunt nisi soli Deo. [c]Nam priusquam ad recitationem operum Dei veniat, summam eius deitatem summumque imperium commendat. nõ quòd propriè loquendo extra ipsum vlla sit deitatis scintilla: sed quia homines, vbicunque partem aliquam gloriæ eius conspiciunt, deitatem aliquam seorsum imaginãtur, Deúmque ipsum perperam distrahunt in partes: neque hoc errore contenti, deos sibi ligneos & lapideos cõfingunt. Denique omnibus ingenita est hæc prauitas, vt se deorum varietate & turba oblectẽt. Ideo Propheta consultò videtur non modo in voce אלהים pluralẽ numerum vsurpasse, sed etiam in voce אדנים. Sic enim est ad verbum, *Laudate dominos dominorum.* acsi diceret perfectã omnis dominii plenitudinem in vno Deo inueniri.
4 *Qui fecit mirabilia.* [b]Quoniã iussit Vates laudare Dominum, tãquam Deum deorum, & Dominum dominorum, vt copiosius diuinam illius maiestatem commendaret, subiungit de operũ illius excellentia. Primùm in genere hoc illi tribuit quòd mirabilia magna fecerit. [c]Quo nomine insignit omnia Dei opera, à minimo vsque ad maximum: quo nos in eorum admirationem expergefaciat. quia propter socordiam nostrã vilescunt, quum tamen singulis insculptæ sint insignes notæ incredibilis tam sapientiæ quàm virtutis Dei. *Solus.* [c]Deinde asserit Deũ fecisse & facere solũ quicquid admiratione dignum est: vt discamus non posse vel minimam laudis eius guttam aliò transferri absque intolerabili sacrilegio: quia vbi lustrauerimus cælum & terram, nusquam reperiemus vllum deitatis specimẽ, vt ei socium vel æmulum adiungere liceat. [a]Solus ergo Deus est qui facit mirabilia magna. Qua de re vide Suprà, 86.b.10. & 72.d.18.
Qui fecit cælos. [a]Sapientiam Dei celebrat Psaltes in vna specie, quòd scilicet tanto artificio compositi sint cæli vt clamitent mirabiliter se tam pulchra distinctione fuisse ornatos. *In intelligentia.* [b]Vel, cum intelligentia. Suprà, 104.e.24. dixit, Omnia in sapientia fecisti. Cum intelligentia igitur, id est, singulari ingenio & summa industria, vt quidam vertunt. q.d. Fecit cælos ingeniosè, scitè, sapiẽter, artificiosè, cum industria: neque particulam hanc sic legat vt putet cœlos esse cum intellectu ad eum modum factos vt ipsi intellectum acceperint, sintque intelligentes facti. Vide Suprà, 96.b.5.

6 *Qui extendit terram super aquas, quia in seculum clementia eius.*

Qui extendit terram super aquas. [b]Vel, qui expandit. [c]Iam ad terram descendit, vt discamus, hoc quoque præclarum & memorabile Dei opus magnificare, quòd nudam & siccam terræ superficiem expandat super aquas. Nam quum elementis sphærica sit forma, naturaliter aquæ terram obtegerent nisi cohiberentur suis claustris: quia Deus hospitium concedere voluit humano generi: atque hoc inter sua principia ponere coguntur philosophi. Ergo terræ expansio & vacuum hoc spatium quod aquis non obruitur, meritò censetur inter præcipua Dei miracula. [b]Admonet his verbis Propheta vt intellectum & sapiẽtiam Dei in structura cælorũ cum admiratione consideremus. Ideo non simpliciter dicit, Qui fecit cælos, sed addit, In intelligentia. Sic de terra loquens, non simpliciter dicit, Qui fecit terram: sed, Qui extendit terram super aquas: vt tam de amplitudine ac latitudine quàm de admirabili ac stupenda fundatione illius admoneat. Sed hac de re vide Suprà, 24.a.2. *Quia in seculum clementia eius.* [c]Hic admirabilem illam terræ fundationẽ gratiæ Dei adscribit, & meritò, quia nulla erat ratio cur aquas à suo situ depelleret, nisi quia pro sua immensa bonitate hominis qui consultum esse voluit.

7 *Qui fecit luminaria magna, quia in seculum clementia eius.*

Qui fecit luminaria magna. [A] Iam ex admirabili cælestiũ rerum compositione potentiam simul ac sapientiã Dei celebrat. [B] Quum Moses duo luminaria magna vocet solem & lunam, (Gen.1.b.16.) dubium non est quin hanc loquẽdi rationem sequutus sit Propheta. Ideo quod paulo post, nempe versu 9, adiungit de stellis, quasi accessorium est. Etsi autem lunã alii planetæ magnitudine superant, non abs re tamen vocatur secundum luminare, manifesti effectus causa. Neque enim Spiritus sancti consilium fuit astrologiam docere, sed quum doctrinã proponeret rudissimis quibusque idiotis communẽ, populariter loquutus est per Mosen & Prophetas, nequis prætextu difficultatis subterfugeret. Sicuti videmus nihil cupidius homines captare quàm ignorantiæ prætextum, si nimis sublime ac reconditum est quod traditur. Etsi ergo Saturnus luna maior est, quia tamen propter longiorem distantiam hoc non patet oculis, maluit Spiritus sanctus quodammodo balbutire, quàm discendi viam præcludere plebeis & indoctis. [M] Ea igitur proponit Scriptura quæ & vbique toto terrarum orbe patent, & cunctis mortalibus in conspectu sunt posita. Sic nemini vlla relinquitur excusatio, si ignoret eum cuius opera summopere admiranda & stupenda, ob oculos exposita videt. Et simul admonẽtur pii vt conspectis istis operibus Dei, opificis sapientiam, bonitatem, & potentiam deprædicent. [A] Nam laudandus est Deus in omnibus operibus suis: quæ tam insignis potentiæ & sapientiæ documenta sunt.

8 *Solem ad præfecturam in die, quia in seculum clementia eius.*

9 *Lunam & stellas ad præfecturam in nocte, quia in seculum clementia eius.*

10 *Qui percussit AEgyptios in primogenitis ipsorum, quia in seculum clementia eius.*

11 *Et eduxit Israelem è medio eorum, quia in seculum clementia eius.*

12 *In manu forti & brachio extento, quia in seculum clementia eius.*

8 *Solem ad præfecturã in die.* [V] Vel, Solẽ in dominium in die. Vel, Vt dominiũ habeat, Vt præsit diei. Vide Gen.1.b.16. [C] Et hæc populariter dicta sunt. non enim sic loquitur Spiritus sanctus quòd sol & luna potiantur vllo dominio, sed quia mirabilis in hac distributione, Dei œconomia refulget. Et certè dum sol interdiu suo fulgore terrã illustrat, luna verò & stellæ noctu, honorificum (vt ita dicamus) obsequium Deo præstant.

9 *Lunam & stellas ad præfecturã.* [V] Vel, dominia in nocte. [C] Q. d. Sic Deus solis & lunæ vices ordinatas partitus est, vt illum diei præficeret, hanc verò nocti: sicuti Moses docuit.

10 *Qui percussit AEgyptios.* [M] Postquam Propheta potentiam ac sapientiam Dei in operibus creationis, præsertim in admirabili cælorum, terræ, solis, lunæ, & stellarum constitutione celebrauit, nunc ad commendationem diuinæ bonitatis erga Israelem declaratæ transit. *In primogenitis ipsorum.* [C] Alii legũt, Qui percussit Ægyptum cum primogenitis. Sed altera interpretatio melius fluere videtur. Verè autẽ dicit percussos fuisse Ægyptios in primogenitis, quia licet sæpius territi fuerint aliis plagis, non tamen destiterunt contumacia sua furere, donec hac vltima plaga domiti vel fracti, Deo cesserunt. [A] Ergo Propheta, vt superiori Psalmo, memoriam portentorum quæ Deus in Ægypto pro populo suo fecit, excitat, vt melius permoneat Israelitas ad reputanda Dei beneficia & ad canendas eius laudes.

11 *Et eduxit Israelem è medio.* [B] Quia propositum non erat ordine recẽsere singula miracula, summam vno verbo complexus est, populum è medio Ægypti forti manu & brachio extento eductum fuisse dicens, quia, vt erat vndique obsessus, nullum nisi in mirifica Dei virtute effugium patebat. *E medio eorum.* [V] Hoc est, Ægyptiorum. [B] Istud potentiæ Dei gloriam exprimit in eo declaratam, quòd populum suum è medio inimicorum, è captiuitate ac seruitute graui eduxit.

12 *In manu forti.* [A] Manum pro potentia sæpissime vsurpat Scriptura, vt hoc loco. *Et brachio extento.* [B] Aptissima est hæc brachii extenti similitudo: quia non solemus brachium extendere nisi quum arduum aliquid molimur. Itaque sensus est, Deum in liberando populo non leui manu vsum esse, sed insolito modo exeruisse suam potẽtiam. [M] Vide Suprà, 78. c. 52. 53, & 105. d. 37.

13 *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quia in seculũ clementia eius.*

13 *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* [V] Vel, Qui diuisit mare Suph sectionibus, id est, in partes. Suph carectum siue arũdinosum significat. Vide Exodi 10.f.19. Quia autem Propheta diuisiones nominat plurali numero, [M] quidã Hebræi ex Rabbinorum scriptis annotant fuisse mare duodecim sectionibus secundum numerum tribuum Israel diuisum, sic vt vnicuique ex illis vna sectio deputata fuerit. Sed Iudaicum hoc commentum est, sine Scripturæ sacræ certitudine propositum, [C] sicuti Rabbinis solenne est de rebus incognitis nugari, totamque Scripturam suis commentis adulterare. Etsi autem meritò rideantur tales ineptiæ, simul tamen eas detestari conuenit: quia minimè dubium est Rabbinos Satanæ astutia huc fuisse inductos ad labefactandam Scripturæ fidem. Palàm & clarè asserit Moses vtrinque stetisse aquarũ moles. vnde colligimus continuum fuisse spatium. Sed quia turmatim populus transibat, non autem vnus post alium, propter viæ amplitudinẽ, in qua liberè progressi sunt viri & mulieres cum suis familiis, & iumentis: scitè Propheta diuisiones nominat, respectu hominũ, quia hæc circunstantia Dei gratiam non parum auxit, videre latè siccatos gurgites, vt populo turmatim simul progredienti planum esset iter.

14 *Et transire fecit Israelem per medium eius, quia in seculum clementia eius.*

15 *Et præcipitauit Pharaonem & exercitum eius in mare rubrum, quia in seculum clementia eius.*

16 *Et deduxit populum suum per desertum, quia in seculum clementia eius.*

17 *Qui percussit reges magnos, quia in seculum clementia eius.*

18 *Et occidit reges insignes, quia in seculum clementia eius.*

19 *Sihon regem Amorrhæorum, quia in seculum clementia eius.*

20 *Et Og regem Basan, quia in seculum clementia eius.*

21 *Et dedit terram eorum, hæreditatem, quia in seculum clementia eius.*

22 *Hæreditatem Israeli seruo suo, quia in seculum clementia eius.*

23 *In humiliatione nostra memor fuit nostri, quia in seculum clementia eius.*

24 *Et eripuit nos ab oppressoribus nostris, quia in seculum clementia eius.*

25 *Qui dat escam omni carni, quia in seculum clementia eius.*

26 *Confitemini Deo cælorum, quia in seculum clementia eius.*

14 *Et transire fecit Israelem.* [A] Hoc est, Illis robur & animũ addidit, vt dissecto mari, non metuerẽt per eius medium proficisci, acsi super aliam terræ partem incederent.

15 *Et præcipitauit Pharaonem.* [A] Vel, Excussit autẽ Pharaonem. Verbum Hebræum quo hic vtitur Vates, significat aliquem præcipitem dare, ac prorsus subuertere. [A] Qua voce rem ipsam velut ob oculos visendam exprimit. [B] Præterea hoc non parum ad gratiæ confirmationem valet, quòd paulo post trãsitum filiorum Israel, submersus fuit Pharao: quia diuersitas ostendit non accidisse arcano aliquo naturæ motu quòd alii perierint, alii traiecerint salui & incolumes. In hoc igitur discrimine conspicua fuit Dei misericordia ad populum seruandum. [A] Discimus autem ex hoc loco impiorum perditionem quodammodo coniunctam esse cum salute fideliũ. Sæpe enim Deus improbos punit ac perdit, ne piis vltrà molesti sint. horum enim rationem semper habet, & omnia ad ipsorum salutẽ attemperat.

16 *Et deduxit populum suum per desertum.* [C] Quod hic vno verbo attingit Propheta, Deum fuisse ducẽ populi sui in deserto, longius patet. [B] Nam breuiter quadraginta annorum ductũ, gubernationem, & prouidentiam attingit. [C] Multis enim & variis miraculis opus fuit, vt in loco arido, omnibus vitæ subsidiis carente, annos quadraginta transigeret. Itaque in hunc locũ decet conferre quæcunque Moses recẽset bonitatis & potentiæ Dei testimonia: quòd cibo calesti aluerit famelicum populum, aquam ex rupe profluere iusserit, protexerit sub nube ab æstu solis, signum dederit suæ præsentiæ in columna ignis, vestes seruauerit integras, vagos exules cum paruulis tutatus sit sub foliorum tuguriis, & alia quæ lectoribus occurrent.

17 *Qui percussit reges magnos.* [A] Refricat memoriam virtutis pro populo Israelitico exertæ contra inhabitatores terræ, quã exactis indigenis Deus ipsi donauit in possessionem hæreditariam. Et passim solet Scriptura ex memorata operum, bene-

ficiorum, atque etiam iudiciorum parte aliqua, animum in cõsiderationem omniũ quæ quidem ipsa memoriæ tradidit, subducere. Notat verò liberationes varias ab hostibus quos Israel perpessus est iam agens in terra Chanaan, quæ memorantur libro Iudicum & Regum.

18 *Et occidit reges insignes.* [V] Vel, potentissimos, inclytos, magnificos, præstantes. Eadem & Psalmi præcedentis versu decimo leguntur.

19 *Sehon regem Amorrhæorum.* [V] Vide Num. 21.e.22.

20 *Et Og regem Basan.* [V] Vide Num. 21.g.35.

21 *Et dedit terram eorum.* [a] Sic alibi, Dedit illis terras Gentium, & laborem populorum hæreditate possederunt. Suprà, 105.d.44. Vide Iosue 12.c.7.

23 *In humiliatione nostra memor.* [V] Vel, Qui in deiectione nostra memor fuit nostri. Id est, quum essemus oppressi. Vel, quoties premebamur. Vel, Quum deiecti iacebamus, nostri memor fuit. [c] Hic docet Propheta, quia Deus continua serie auxiliari populo suo non destitit, nullã ætatẽ eiusdẽ bonitatis quæ patribus exhibita fuerat fuisse expertem. Atque hoc notabilius fuit documentum gratiæ, succurrere calamitatibus populi ferè perditi, quàm æquabili tenore integrum fouere: quia ipsa necessitas oculos nobis aperit, & sensus excitat. Deinde quia quoties suos liberat Deus, sequitur eorum peccatis ignoscere.

24 *Et eripuit nos ab oppressoribus.* [a] Exponit quid sit Deum memorem esse populi sui, vt pios ad gratiarum actionem hortetur. q.d. Ista ob id commemoro vt admoneamur quàm non obliuiscatur suorum Deus qui tribulationibus opprimũtur, sed vbi tempestiuum est, è manibus illos inimicorum suorum asserat & eripiat.

25 *Qui dat escam omni carni.* [V] Vel, Qui dat panem omni carni. Iam paternam Dei prouidentiam extendit promiscuè non modò ad totum humanum genus, sed ad cuncta animantia: vt mirum non sit tam prouidum ac beneficum esse patrem erga electos suos, qui ne bobus quidem & asinis, coruis & passeribus consulere grauatur. Quum ergo brutis animalibus longè præcellant homines, & ipsi longè inter se differant, non propria dignitate, sed adoptione Dei, ratiocinatur à minori ad maius Propheta, non posse satis extolli incomparabilem Dei erga domesticos suos gratiam.

26 *Confitemini Deo cælorum.* [M] Sic Deum vocat, non vt intelligamus eum cælorum tantùm & non etiam terræ Deum esse: sed vt tribuat illi supremam potestatem in omnia. Nam esse cælorum Deum, nihil est aliud quàm esse Deum omnia in potestate sua continentem, omnia conseruantem, moderantem & gubernantem, non solùm quæ in cælis sunt supernè, sed & in terris infernè. Quod nũquam non nobis cogitandum est, præcipuè verò quum dicimus, Pater noster qui es in cælis, Matth. 6.b.9.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVII.

[M] Habet hic Psalmus planctum filiorum Israel in Babylone captiuorum, [c] quo & de hostium ludibriis in sacrum Dei nomẽ directis conqueruntur, [M] & iustam Babyloni vltionem [c] spe liberationis erecti [M] imprecantur.

SVper flumina Babylonis illic sedimus, etiam fleuimus dum recordamur tui Sion.

Super flumina Babylonis. [a] Memorat sacra historia, cum rege Iehoiachim abductos à Ierusalem in regionem Babyloniorum omnes principes & viros præstantiores, relicta tantùm paupere plebe, quæ & ipsa postea sub Sedechia auecta est, Templo incenso, & vrbe diruta. Inter hos, Sacerdotes fuerunt, atque Leuitæ, sacrique cantores. Eos inducit hic Psaltes queri, Babylonios sacra carmina à se postulasse, quum nihil ipsis quàm deflere vrbis sanctæ excidium liberet. [c] Breuiter tamen videndum est quale sit Prophetæ consilium. Tristis illa abdicatio facere potuit vt fides ac religio inter Iudæos euanesceret: atque (vt facilis est lapsus ad superstitiones & corruptelas, dum impiis sumus permixti) periculum fuit ne profanescerẽt inter Babylonios. Adhæc, exilium, duraque seruitus, & quæ illic ferendæ erant indignitates animos deiicere poterant fidelibus. Quisquis ergo fuerit Psalmi author, lamentationis formã dictat, vt gemendo & orando spem salutis desperatæ foueant. Quanquam alter quoque finis notandus est. Hortatur enim eos ne in terra profana pietatem colere desinant, nec se polluãt Gentiũ inquinamẽtis. Hac ratione filiis Edõ vindictã imprecatur qualem erant meriti: & Babylonem, cuius caduca fœlicitas euanidum reddebat totum orbem, miseram esse exclamat, suoque exitio propinquam. Porrò quàm vtile imò necessarium fuerit fulcire pias animas ne deficerent, sola temporis diuturnitas satis docet. Procliue enim erat assuescere pollutis Gẽtiũ moribus, nisi per annos septuaginta mira animi fortitudine fuissent præditi. *Illic sedimus, etiam fleuimus.* [V] Quidam vertũt, illic sedebamus & flebamus. Videtur fuisse verba Leuitarum, & eorum qui solebant laudes canere. [c] Sedendi autem verbo longum exilii tempus notatur: acsi Propheta diceret non modò abreptum fuisse populum à patriæ conspectu, sed quasi in sepulchro conclusum. Et demonstratio quoque in aduerbio loci שם emphatica est, quia in rem præsentem lectores adducit. Etsi autẽ regionis amœnitas, vt erat irrigua, tristitiã mulcere poterat, dicit tamẽ fideles, quandiu illic habitarunt, fuisse in continuo fletu. Ideóque vtitur particula גם quæ ad augẽdũ valet: acsi diceret fideles, in quibus vigebat purus Dei timor, non fuisse inebriatos deliciis Babylonicis, vt spernerent hæreditatem suam. Simul tamen ostendit neque obstupuisse in suis malis, quin sentirent iustam Dei castigationem: nec contumaciter reluctatos esse Deo, quia fletus tam humilitatis & pœnitentiæ quàm mœroris signum fuit. [M] Expendendum hic est quòd populus propter inobedientiam è terra promissionis eiectus sedet ad flumina Babylonis. Sic qui se alienos & extorres à cælesti patria constituunt, ad flumina mundi huius sedẽt, ciues facti regni confusionis, iudicio Dei ac perditioni obnoxii. *Dum recordamur tui Sion.* [c] Hac recordatio innuit fideles non fuisse terrenis commodis addictos, sed potius intentos ad cultum Dei: quia Sanctuarium erexerat Deus in monte Sion, cuius intuitu cõtinerẽtur in certa spe salutis. Quãuis ergo in regione suaui & fœcũda, quæ illecebris molles animos corrũpere poterat, longiorem moram traherent fideles, lachrymas tamen (quæ citò arescere dicuntur) semper sibi ex oculis fluxisse dicunt, quia prohibebantur à solito Dei cultu, & hæreditate sibi promissa videbant se iure priuari.

2 *Super salices in medio eius suspendimus citharas nostras.*

Super salices in medio eius. [M] Subiungit quod ex eo luctu sequebatur, asseritque vsqueadeo luxisse Israelem in Babylone, vt præ mœstitia non libuerit illi musicis instrumentis vti, quæ ad id vsque temporis in vsu habuerat. [c] Vates itaque totius Ecclesiæ personam suscipiens deplorat interruptionem lætitiæ, cuius vsum præceperat Deus in Templo suo. Scimus enim iniunctas Leuitis fuisse canendi partes, vt ad hoc pietatis exercitiũ toti populo duces essent ac magistri. Siquis roget quorsum citharas portarint tam procul à patria, hoc quoque tanquam insigne & fidei & pii zeli testimonium memorat Propheta, quòd omnibus fortunis exuti essent Leuitæ, sollicitè tamen seruasse citharas instar pretiosæ supellectilis, quas rursus suo tẽpore in priorẽ vsum aptarẽt. Et certè probabile est veros Dei cultores reliquias diuini cultus in summo pretio duxisse, & illis cõseruãdis sedulò dedisse operã, donec veniret restitutionis tẽpus. *In medio eius.* [V] Vel, Intra eã. sub. Babylonẽ, per cuius mediũ fluit Euphrates. [M] Quod ad salices attinet, annotant quidã, Israelitis, quum Babylonem essent abducti, permissum non esse vt in ciuitatibus & intra mœnia habitarent, sed loca fluminibus contigua ad habitandum assignata: vt videantur sub dio & in tabernaculis habitasse. [c] Sed Propheta per salices notare videtur oblectabiles fuisse ripas illas, quæ ad refrigerium consitæ erant salicibus. Negat igitur vllas vmbras, quantuis iucundæ essent, valuisse ad discutiendum mœrorem, qui altius occupauerat piorum animos quàm vt profani solatii vel oblectationis quicquam admitterẽt. Certè ipsa loci commoditas, quũ arborum vmbris obtecti ad ripas fluminum sederent, eos inuitare & allicere potuit vt arreptis citharis dolorem suum canẽdo lenirent: sed docet Propheta grauius oppressos fuisse animos sensu Iræ Dei quàm vt se vanis solatiis fallerent. Longius etiam progreditur, vero & sancto gaudio priuatos tunc fuisse. Nam etsi neque pium neque consultum erat exacerbare suum dolorem, nõ mirum tamen est publica cantica vsque ad reditum distulisse, quum eos ferulæ Dei ad querimonias & luctum cogerent. [M] Quare cogitandum hic est quanta oporteat nos cum gratiarum actione beneficium Domini agnoscere, quo datur vt & os ad cantandum aperiatur, & manus ad psallendum ipsi moueatur. Non agnouerunt hoc Israelitæ quum essent in terra sua, sed instrumentis musicis abutebantur, in Sanctuario sine spiritu, in conuiuiis cum luxu. Ergo iusto Dei iudicio adẽpta est illis alacritas cantandi ac psallendi: quo factum est vt citharas ad salices suspenderent. Sic claudit Dominus ora cantantium, & citharas psallentium immissis afflictionibus suspendit.

3 *Tunc quæsierunt ex nobis qui ceperant nos, verba cantici, & in suspensionibus nostris lætitiam, Canite nobis è cant. in Sion.*

Deum vindicem fore persuasi exitum patienter & moderatè expectet. Neque enim vindictam petere fas erat nisi qua promiserat Deus, & quidem aduersus reprobos & insanabiles. Nā alios, quantumuis infesti sint, optanda est sana mens & resipiscētia. *In die Ierusalem.* [y] Diem Ierusalem vocat diem vastationis Ierusalem: vt & nos dicimus *La iournee de Peronne, de Pauie*, &c. [z] Notandum autem est quod hunc diem vastationis praecesserāt dies propheticae visitationis, verùm frustra. Rectè ergo sequutus est dies vastationis, qui quoniam ei ciuitati impœnitēti ac rebelli destinatus fuerat à Deo, dies Ierusalē vocatus est. Sic & post Christi tempora accidit. Visitationis tempus non cognouerat sed respuerat verba Ierusalem: rectè ergo sequuti sunt dies vastationis omnium atrocissimae: quemadmodum Christus illi praedixerat, Matth. 23. d. 38. & Luc. 19. f. 43. *Nudate, nudate.* [a] Vel, Discooperite, discooperite. Alii, Euacuate, euacuate. Id est, funditus euertite eam. [u] q. d. Vastate eam, vastata prorsus ad ipsa vsque fundamenta, diruite ac subuertite omnia. [b] Eradicate, euellite radicitus, suffocate vitam, nedum existimationē adimite. [c] Repetitio eiusdem vocis diligentiam & nocendi ardorem significat.

8 *Filia Babylonis vastata, beatus qui rependet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.*

Filia Babylonis vastata. [y] Vel, Vastanda. Alii vertunt, Misera. [a] Precantur sancti talionem vrbi Babyloniorum, quam vocat more Scripturae filiam vastatam, intelligentes merito vastandam. Summam in populum Dei crudelitatem exercuerant Babylonii: vicissim ergo & ipsis vastationem multò crudelissimam sancti imprecantur. [c] Itaque fidei oculis absconditum Dei iudicium inspicit Propheta, cuius fidem ferè Apostolus rerum absconditarum aspectum vocat, Heb. 11. a. 1. Quamuis argui incredibile foret tam potenti monarchiae, qualis tunc erat Babylon, posse quicquam contingere aduersi, omnésque vulgo putarent inexpugnabile esse eius robur: cladem eius & interitum in verbi speculo intuetur Propheta. Et idem facere iubet pios omnes, vt caelestibus oraculis freti, sceleratae vrbis superbiam quasi ex alto despiciant. Quod si fiduciam & spem concipere discamus ex Dei promissionibus, quantumuis abiecti, poterimus tamen ex inferis attollere capita, & gloriari nos in extremis malis beatos esse, hostes verò nostros exitio deuotos: modò affectus omnes nostros sua rectitudine temperet Dei Spiritus. [u] Obseruanda hic est diuini iudicii aequitas. Vastauerant Babylonii & ciuitatem & templum & terram populi Dei. Licet id fecerint occulta instigatione Dei, populum suum castigantis, nihilotamē minus post septuaginta annorum curriculum vastati sunt & ipsi. Sic certò expectāda est illis vastatio qui ciuitatem Dei vastare, hoc est Ecclesiam Christi affligere non dubitant. *Beatus qui rependet tibi retributionem tuam.* [y] Hebraismus, pro, Reddet tibi malum pro malis illis quibus nos affecisti. q. d. Dominus prosperū successū dabit Persis & Medis qui te perdent: quos tam crudeles sentiet erga te quàm tu fuisti erga nos. [b] Nō dicunt fideles, Bene nobis quòd rependemus tibi. Neque enim rependerūt Babyloniis Israelitae, sed Persae. Etiam si oues non rependant lupis, sunt tamen leones & vrsi quorum ministerio diuina iustitia id efficere potest. [a] Caeterum quū Psaltes pronuntiat beatos qui Babyloniis vindictā rependerint, non intelligit Persarum & Medorum obsequium placuisse Deo, quos ambitio & inexplebilis auaritia, deinde praua aemulatio ad bellum impulit: sed quia bellum illud quasi Dei auspiciis gestum est, optabilem successum Propheta fore dicit. Quia enim statuerat Deus pœnam sumere de Babylone, benedicit Cyro & Dario: sicut rursum Ieremias simili ratione maledictos pronunciat qui faciunt opus Dei negligenter, Cap. 48 b. 10. Hoc est, qui non strenuè operam Deo suam vastando & perdendo impendent, vbi conducti erunt ab eo carnifices.

9 *Beatus qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petrā.*

Beatus qui apprehendet. [a] Vltra progreditur Vates, denuntians quàm horrenda futura esset vrbis Babyloniorum vastatio. q. d. Prosperum successum habiturus est illa qui te ceperit. [b] Id est, expugnauerit, & in potestatem suam redegerit, & vltra omnia quibus te afflixerit, etiam semen tuum, paruulos gremii tui, sine vlla commiseratione, pari crudelitate quam in alios exercuisti, saxis allisserit & extinxerit. [c] Etsi autem crudele videtur dum hic optat Vates teneros foetus & adhuc innoxios ad lapides allidi & conteri, quia tamen non impulsu proprio loquitur, sed verba petit ex ore Dei, nihil aliud quam iusti iudicii praeconium est: sicuti quum pronuntiat Dominus, qua quisque mensura vsus fuerit erga alios, vicissim ei remensum iri, Matth. 7. a. 2. Sed de Babylone speciale vaticinium ediderat Esaias, cui haud dubiè succinit nūc Propheta, Ecce, Deus acuit ferrum, & tetendit arcus Medorum & Persas excitauit, qui nō expetent argentum & aurum, tantum sitient sanguinem, &c. Esa. 13. c. 16. [u] Non est igitur crudele ciuitatem impiam & vastatricem Israelis vastare, ac semen illius prorsus extinguere. Quis dicet crudeles esse leones, si ubi lupos vnà cum catulis ipsorum discerpserint.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVIII.

[u] Dauid beneficiorum Dei haud immemor bonitatē eius celebrat, & se ad gratitudinē excitat & accingit. [a] ac simul monet, si quid aduersi contigerit, opem Dei nunquam sibi defuturam.

DAuidis. *Celebrabo te in toto corde meo, coram diis psallam tibi.*

Dauidis. [a] Nempe Psalmus. Vel, Canticum. *Celebrabo te.* [u] Hoc versu & duobus sequentibus Dauid animi sui gratitudinē ac laude diuini nominis pollicetur, propterea quòd se clamantem & inuocantem audierit Deus, & in tribulationibus solatus fuerit. [a] Celebrabo te, inquit. Hoc est, laudabo te. Siue, magnificabo & laudibus eueham nomen tuum. *In toto corde meo.* [a] Quia hypocritae ficta & inani resonantia vitiant & contaminant hoc sacrificium laudis, simul addit Propheta, non labiis modo sed sincero corde gratias se acturum. Nam totum cor pro sincero accipi, & duplici opponi vidimus, Supra, 9. a. 1. & 111 a. 1. *Coram diis psallam tibi.* [b] Vel, in conspectu potentium, vel iudicum. Vox Elohim significat Deū, Angelos, potestate aliqua sublimi praeditos, & iudices: hoc loco tam reges quàm Angelos significare potest. [c] Ergo publicam gratiarum actionem promittit Dauid. Iam quia sacer conuentus quasi caeleste theatrum est, & semper ornatur Angelorum frequentia: & Cherubim ideo Arcam foederis cingebant vt scirent fideles sibi adesse testes Angelos, quoties in Sanctuarium veniebant colendi Dei causa. Quia verò primum ordinem ducebant principes, non erit absurdum de ipsis accipere quod hic dicitur: sicuti & Supra, 107. e. 32. Celebrate Iehouam in seniorum consessu, hoc est, celebri & honorifico, vt loquuntur. Quanquam prior sensus magis arridet eo quod fideles, quoties prodeunt in conspectum Dei, quasi segregati à mundo caelos conscendunt, vt se coniungant Angelis. Sicuti Paulus de ordine & decoro disserens, admonet vt in publico coetu saltem Angelos reuereantur, 1. Cor. 11. b. 10. Et Deus olim sub figura Cherubim idem depingi voluit vt visibile praesentiae suae pignus fidelibus daret. [u] Gaudebat ergo Dauid ea laude Dei quae vel coram multis, vel coram testis, aut coram potentibus magnis, imò coram Angelis offerretur. Faciebat enim ad illustrandam ac propagandam quoque gloriam Dei magis quàm si sola ipsius conscientia teste in occulto perficeretur. Itaque obseruādus est hic illius animus quem non puduit séque & sua omnia extenuare coram quibusuis, quo gloriam diuini nominis illustraret. hoc enim omnino faciendum est ei qui bonitatem, fidē ac beneficentiam Domini ex animo depraedicare ac celebrare constituit.

2 *Adorabo te ad templum sanctitatis tuae, & canam nomini tuo super clementia tua, & super veritate tua, quia magnificasti super omnia nomen tuum sermone tuo.*

Adorabo te ad templum. [y] Vel, Incuruabo me versus tēplum. Quidam, Adorabo coram templo. Alii, Procumbam ad templum, &c. Manus scilicet supplices tendens versus illud. [c] Explicatio est superioris sententiae. [u] Significat enim se summa cū veneratione apparitur um in tabernaculo Dei, illicque nomen illius celebraturum, idque ex Legis mandato, vt alios ad imitationem hortetur. Etsi enim spiritualiter Deum colebat, oculos tamen ad externa illa symbola conuertere oportuit, quae tunc vehicula piis erant ad tollendas sursum eorum mentes. Vox Hebraea היכל regiam & palatiū significat. Loquitur enim Dauid ipsi Deo tanquam regi omnium excellentissimo. Intelligit autem de tabernaculo Dei. nam templum illud Ierosolymitanū nondum erat extructum. Admonemur autem hac appellatione quo sint honoris affectu & quàm religiosa reuerentia ea loca prosequenda quae diuino sunt nomini & Ecclesiae Dei deputata. *Et canam nomini tuo.* Vel, Celebrabo nomē tuum. Hoc est, laudabo tuam maiestatem, & teipsum magnificabo. [u] Cogitandum hic est quid sit potissimum faciēdum in templo sancto Dei. Id videlicet quod omnis religionis caput est & finis, ad quod dirigenda sunt omnia. Canam, inquit, nomini tuo. Est autem nomini Domini canere, ea de Deo praedicare quae ad laudē nominis eius faciūt. *Super clem. tua.* [y] Vel, misericordia tua. *Et super verit. tua.* [a] Materiā laudādi Dei sibi proponit Psaltes in eius misericordia & veritate: quia etsi excoanta etiā sua meretur eius potentia & virtus, nihil tamē acrius stimulare nos debet ad celebrandū eius nomen quàm gratuita bonitas: quia liberaliter nobiscū agendo, os nobis ad canēdas suas laudes aperit. Caeterùm quia misericordiam nō gustamus, vel saltē viuo animi sēsu non apprehēdimus abiqs verbo, additur

Ll ll. 2

fides aut veritas: atque hæc copula (vt iam sæpius admonui) diligenter notanda est: quia vtcunque effectis se beneficum Deus ostendat, nisi tamen præluceat doctrina, impediet stupor noster ne eius bonitas in animos nostros penetret. Hac autem priore loco statuitur, quando non alia de causa veracem se nobis Deus præstat nisi quia sponte se nobis gratuita promissione obstrinxit. Et certè in eo perspicitur inæstimabilis eius misericordia quòd à se alienos præuenit, & familiariter alioqui dignatur vt ad se inuitet. *Quia magnificasti super omnia nomen tuum sermone tuo.* [y] Quidam sic vertunt, Magnificasti super omnia nomen tuum, & eloquium tuum. Vel, In omnibus (siue, per omnia facta tua) magnificasti nomen tuum, & verbum tuum. Alii, Magnificasti super omnis sermone tuo nomen tuum. [c] Sed dubium non est quin Dauid prædicet nomen Dei sua celsitudine supra omnia excellere: deinde specialem modum definiat quo Deus nomen suum extulit, nempe quia veraciter præstitit quod liberaliter promiserat. [y] Acsi diceret Propheta, Domine præclarum reddidisti nomen tuum, adimplendo promissiones tuas. [c] Et certè quia pro stupore nostro cæcutimus ad Dei beneficia, hæc optima est ad nos expergefaciendos ratio, dum sua voce nos compellat Deus, & tandem effectu quam pollicitus est gratiam sancit & obsignat.

3 *In die [qua] clamaui [ad te], tunc exaudisti me, multiplicasti mihi in anima mea robur.*

In die quo clamaui ad te, tunc. [a] Causam cur tantopere nomen Dei celebrare cupiat, reddit hoc versu, nempe Deum inuocanti sibi illico adfuisse, & ope sua animam suam corroborasse. [b] q.d. Quum essem in angustiis persecutionis & exilii constitutus, inuocaui te, pro fide, spe ac fiducia mea quam in te collocaui: & tu me secundum benignitatem tuam exaudisti, & animum meum admodum corroborasti, ne mole afflictionum pressus conciderem: id quod fidem ac veritatem eloquii tui mirum in modum illustrauit. [c] Porro, quamuis sæpe vota nostra præueniat Deus, & quasi dormientibus occurrat, ideo tamen suos vt plurimum Spiritus sui instinctu sollicitat ad preces: quo melius illustret suam gratiam, dum agnoscunt non frustra nec sine profectu se orasse. Iure itaque Dauid non posse hoc videri fortuitum colligit, quòd emerserit ex periculis, quia palàm apparuerit exauditum fuisse ab eo. Hoc ergo vtile est, preces nostras Dei gratiam propius nobis ostendere. *Multiplicasti mihi in anima mea robur.* [c] Quidam copulam subaudientes vertunt, Multiplicasti me & in anima mea robur. [y] Alii, Roborasti me in anima mea fortitudine. Alii, Roborans me, & animæ meæ adiiciens virtutem. Alii, Et animo meo robur indidisti. [c] Sed sensus verborum optimè fluit, nihil addendo: siue legas, vt vertimus, Multiplicasti mihi in anima mea robur: siue legere malis, Multiplicasti me in animo meo robore. Summa est, quum debilitatus esset malis, adeptum esse nouam animi fortitudinem. Nisi fortè magis placeat sic resoluere, multiplicasti me, hoc est, benedixisti me, vnde in anima mea robur.

4 *Celebrent te Iehoua omnes reges terræ qui audierunt verba oris tui.*

Celebrent te Iehoua. [a] Vel, Celebrabunt te ô Iehoua. Quidam, Confitebuntur tibi Iehoua. [c] His verbis docet, quam expertus est gratiam longè fore memorabilem, vt fama eius per totum orbem spargatur. Respicit autem ad id quod dixit versu 2, Magnificasti nomen tuum. Reges terræ, inquit, celebrabunt te, quum audierint eloquia oris tui. Id est, veritatem eloquiorum tuorum in me magnificè declaratam. *Quia audierunt verba oris tui.* [a] Non significat his verbis Propheta reges, illos rite esse edoctos in pietate, vt inseri debeant in Ecclesiæ corpus: sed hoc vbique fore notum, non alia de causa mirabiliter seruatum fuisse à Deo nisi quòd eius mandato vnctus fuerat in regem. Quamuis ergo in illo cælesti oraculo non proficerent vicini reges, valuit tamen ad commendationem gratiæ Dei passim cognosci ab omnibus diuinitus se fuisse vocatum. Et certè quum per tot annos quibus acerrimè eum ad necem persecutus est Saul, semper iactauerit se militare sub Dei vexillo, non potuit hoc esse obscurum, Dei beneplacito & vocatione eum regnare. Tale ergo gratiæ Dei fuit documentum quod profanis etiam regibus aliquam confessionem exprimeret.

5 *Et canant in viis Iehouæ, quia magna est gloria Iehouæ.*

Et canant in viis Iehouæ. [y] Quidam, Et cantabunt vias Iehouæ. Alii, de viis. Id est, de iis quæ aguntur à Iehoua. Hoc est, opera Iehouæ. Mutatio personæ. [c] Vias appellat facta & consilia, in quibus scilicet ingens decus & gloria summæ bonitatis & sapientiæ relucet. *Quia magna est gloria Iehouæ.* [m] In aulis principum huius seculi vix canitur de viis Domini, sed de potestate principis: non quòd magna sit gloria Domini, sed quòd magna sit gloria principis: non quòd excelsus sit Dominus, sed quòd illustrissimus & excellentissimus sit princeps. [a] quum tamen Dei laudes imprimis in eorum palatiis resonare & audiri deberent.

6 *Quia excelsus Iehoua, humilem tamen respiciet, & excelsus eminus agnoscit.*

Quia excelsus Iehoua. [c] Hoc versu commendat Dei prouidentiam, qua totus mundus regitur. Est autem hoc apprime vtile cognitu, non negligi à Deo salutem nostram. quia etsi verum id esse fatentur omnes, trepidatio tamen in minimo quoque discrimine diffidentiam nostram refellit. nam quisquis solide persuasus erit paterna Dei cura se foueri, non tam facilè expauescet. *Humilem tamen respiciet.* [a] Vel, Et tamen humilem intuetur. [c] Quidam excelsum interpretantur, acsi diceret Dauid, Deum in cælesti solio sedere ad regendum totum orbem: aduersariuè tamen positum esse videtur, acsi diceret non obstare Dei celsitudinem quominus humiles & abiectos respiciat in terra. Quod idem confirmat, dicens, *Et excelsus eminus agnoscet.* Hoc est, sublimis procul vel è longinquo intelliget. Alii רם in accusatiuo casu legunt: qui etiam sensus non malè quadrat: quasi diceret Deum altos & superbos non dignari propinquo intuitu, sed contemptim despicere: quum paruulos & abiectos, (qui videntur in speciem longius remoti) non secus ac sibi propinquos fouet. Sunt etiam qui verbum ידע vertunt conterere: quasi dictum esset, Deum humiles fouendo, conterere altos istos gigantes qui sibi in sua prosperitate applaudunt. Sed quia non videtur tam argutè loquutus fuisse Dauid, nobis sufficit simplex repetitio eiusdem sententiæ, Quamuis sublimis sit Deus, cognoscere tamen quæ fugere videntur eius suam. Sic vidimus Suprà, 113.b.5, Exaltat se Iehoua ad habitandum, se tamen humiliat ad videndum tam in cælo quàm in terra. Summa est, Quamuis cælis omnibus superior sit Dei maiestas, non tamen ita miro longo interuallo quominus sua prouidentia retineat totum orbem. Sublimis ergo Deus est, sed procul aspicit vt necesse non habeat locum mutare, dum vult descendere ad gerendam nostri curam. Nos contempti & ignobiles: sed non impedit misera nostra conditio quin Deus curam nostri suscipiat. Sic enim conueniet immensam eius gloriam, qua cælos omnes superat, cum admiratione suspicere vt tamen non dubitemus quasi paterno eius sinu nos foueri. Et appositè contexit Dauid hæc duo membra: primum, ne Dei maiestas abiecto terrore sensum bonitatis eius & indulgentiæ tollat: deinde, ne bonitas, qua se ad nos vsque demittere non grauatur, minuat gloriæ eius reuerentiam.

7 *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, super iram inimicorum meorum mittes manum tuam, & seruabit me dextera tua.*

Si ambulauero in medio tribulationis. [a] Postquam Dauid naturam Dei vtcunque descripsit, [m] consequenter de spe & fiducia sua canit, quid sibi de Deo in futurum speret. [a] Ex eo enim quòd Dei opem tam magnificè fuerat expertus, iactat spem suam & in posterum, certus, etiamsi per medias afflictiones grassandum ac penetrandum fuerit, inuocanti sibi Deum semper benignè responsurum, & sua manu hostes retusurum. *Viuificabis me.* [y] Hebraismus pro Eripies me, & incolumem seruabis. [c] Declarat quomodo sibi Deum fore seruatorem confidat, nempe qui mortuo restituat vitam si opus sit. Qui locus notatu dignus est. nam, vt delicata est caro, cuperet quisque nostrum extra telorum iactum securus degere. Itaque nihil minus tolerabile quàm certare cominus cum mortuis metu. Imò simulac discrimen aliquod obiectum est, sine modo exhorrescimus, acsi angustiæ nostræ omnes Dei salutes prohiberent. Atqui hæc vera fidei regula est, in mortis tenebris cernere vitæ lucem, nec tantùm Dei gratiæ, quæ nos ab omni incommodo eximat, sed quæ nos singulis momentis in media morte viuificet: sicuti suos variis afflictionibus humiliat vt mirabiliter ostendat, atque ita non modo vitæ autor sed etiam liberator appareat. *Super iram inimicorum meorum.* [a] Vel, Contra iram inimicorum meorum. [c] Quia semper in mundo hostes imminent fidelibus, pronuntiat Dauid, quicquid illi machinentur, se Dei auxilio tutum fore. Hinc ergo spem vitæ sibi esse docet, quia extenta Dei manu protegitur, quam nouit inuictam esse, & omnium hostium victricem. Vnde sequitur, Deum ita exercere suos filios continua militia, vt alterum in sepulchro pedum haberent, trepide sub eius alas confugiant, vt tranquilliter fruantur. Quidam particulam אף non accipiunt pro ira sed pro Etiam: atque ita legunt, Extendes etiam super inimicos. Quod tamen receptius est secuti sumus, quia & sensus plenior est, & nihil habet coacti.

Discamus hinc, ex præteritis Dei beneficiis fiduciã aduersum futuras tribulationes concipere. Non dicit autẽ Dauid, Si ambulauero in medio tribulationis, facile euadam, super ira hostium meorum extendam manum meam, quippe iam egregiam potentiam cõsequutus, & seruabit me dextera mea. sed, Tu viuificabis me, tu extendes manũ tuam aduersus inimicos meos, & tua me dextera seruabit. Sic omnis victoria vni Deo accepta ferri debet, non hominum industriæ aut viribus.

8 *Iehoua rependet super me. Iehoua clementia tua in perpetuum. opera manuum tuarum non deseres.*

Iehoua rependet super me. ʸ Vel, perficiet pro me. Mutatio personæ. ᶻ Ambigua verbi גמר significatio sententiam quoque hãc dubiam facit. Significat interdum rependere, adeoque generaliter conferre, quia sæpe ad gratuita beneficia confertur. Sed quæ sequuntur in contextu verba, videntur diuersum sensum exigere. Nam quum addat ue ratio, Iehoua misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum non deseres: melius conuenit, Iehoua perficiet pro me. Hoc est, perget ostẽdere sibi curæ esse salutem meam, & quod cœpit perducet ad vltimum vsque actũ. Ergo, quẽadmodum liberatus fuerat Dei misericordia, statuit hoc fore perpetuum: quia Deus naturã non mutat, nec bonitatem qua præditus est potest exuere. Et certè vt nos bona spes in periculis sustineat, oculos in Dei bonitatem defigere necesse est, in qua fundata est salus nostra. Iam quum Deus, qui nullo iure nobis obstrictus est, vltro promittat nos sibi curæ futuros, optimè colligit Dauid salutem suam non fore caducam, nec temporalem: quia æterna est Dei bonitas. *Opera manuum tuarum non deseres.* ᵃ Vel, non dimittes. Cõfirmat superiorem sentẽtiam aliis verbis, fieri non posse vt Deus lassitudine vel tædio, (vt mortales solent) opus imperfectum abiiciat. Nam eodem sensu hoc pronuntiat Dauid quo docet Paulus dona & vocationem Dei carere pœnitẽtia, Rom. 11. d. 29. Nam quũ homines vel inconstantia aliò rapti, quod stultè aggressi sunt leuiter relinquãt, vel infirmitate cogãtur omittere quod supra vires tentarunt: nihil tale in Deum competit. Ideóque timendum non est ne spem nostram in medio cursu frustretur. Sola enim malitia & ingratitudo nostra infatigabilem & perpetuum gratiæ eius tenorem abrumpit. Ergo quod firma fide amplexi erimus nũquam auferet Deus, vel nobis effluere sinet. Nec verò Dauid pronuntiat Deum perficere suorum salutem, vt ipsi torpori indulgeant: sed potius vt fidem suam confirmet, séque ad precandum acuat. Vnde enim pia solicitudo & metus nisi quia suæ fragilitatis conscii ab vno Deo pendẽt? Interim solide recumbunt in eius gratiam, quia non dubitãt quin perficere velit vsque in diem Christi quod cœpit: sicut idem Paulus admonet in epistula ad Philippẽses, cap. 1. a. 6. Hic autem est doctrinæ vsus, vt quoties labimur vel fluctuamus, veniat nobis in mentem, Atqui operatus est in me Deus initium salutis: ergo vsque in finem prosequetur. Hinc mox confugiamus ad preces, ne ignauia nostra continuo gratiæ Dei riuo, cuius fons est inexhaustus, aditum claudat.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIX.

ᵃ Vt omnem hypocrisim à se depellat Dauid, multis verbis differit, ᵇ nihil esse Deo incognitũ omnium eorum quæ ipse vel cogitet, vel dicat, vel agere instituat: nec fieri posse vt manum eius effugiat, quocunque tandem sese recipiat. Deinde Deum facit testem suæ conscientiæ, piisque in impios suos odii: ᶜ vt hoc modo maiore cum fiducia diuinam opem imploret.

P*ræfecto Dauidis Psalmus.* *Iehoua explorasti me, & cognouisti.*

Præfecto. ʸ Vide Suprà, 4. a. 1. *Dauidis Psalmus.* ᵃ Inscriptio authorem Psalmi indicat. ᵇ Sunt autẽ in hoc Psalmo multa ambigua & difficilia, sed simpliciorem sensum sequemur.

Iehoua explorasti me, & cognouisti. ʸ Vel, Probasti me, & cognouisti. Quidam, Scrutatus es me, & perdnouisti. Alii, Exploratum & cognitum me habes. ᵇ Canit primùm Psaltes in genere, sua omnia Deo explorata & peruestigata esse. ᵃ Atque ita præfatur se non venire in Dei conspectum, quia putet se quicquam proficere simulando (sicut hypocritæ, quasi velis obtentis, securè delicias sibi faciunt) sed quia persuasus sit, Deo nihil esse absconditum, sensus suos vltro detegere vt se examinandum permittat. Tuũ est (inquit) ô Deus perspicere quicquid in me latet, nec quicquam te fugiet. ᵇ Sisto autẽ me conscientiæ tuæ, cui sum planè notissim ʸ. Etenim tu me ex intimis cognouisti & exploratũ habes. Obseruandũ hic est discrimẽ inter pios & impios. Isti in cordibus suis dicunt, Non est Deus: vel, si arbitrantur Deum esse, dicunt tamen, Non videt Deus, non audit, non intelligit (sicut vidimus, Sup. 94. b. 7. 8. 9. &c.) Pii vero & Deum esse sciunt, & sub conscientia illius viuunt, seque illi per intima ac penitissimè cognitos esse non dubitant, vnde omnẽ hypocrisim & simulationem fugientes, se Deo approbare nituntur.

2 *Tu cognouisti sedere meum & surgere meum: intelligis cogitationem meam procul.*

Tu cognouisti sedere meum. ʸ Vel, Tu cognoscis sessionem meam. ᶻ *Et surgere meum.* Vel, Et surrectionem meam. Vel, Et stationem meam. Alii, Siue sedeam, siue surgam. ᵇ Quatuor hominis actiones seu vitæ partes enumerat sub allegoria præcipuarum hominis motionum, vt sunt sedere, surgere, ire, cubare. ᵃ Significat autem Propheta nullam vitæ suæ partẽ Deo esse obscuram seu abscõditam. Siue quiesco (inquit) siue ambulo, siue surgo, tu motus omnes meos obseruas, ᵇ nihil horũ te latet. *Intelligis cogitationem meam.* ʸ Vel, voluntatem meam. Id est, Antequam aliquid animo conceperim, tibi hoc iam notum est. ᶜ Alii vertunt, Propinquitatem meam intelligis à lõgè. Quod multo aptius quadraret, si quod occurreret simile exemplum. Est enim concinna allusio, quod procul remotum est, sub oculis tamen Dei versari, quasi propinquum. Sed receptior est altera lectio, vt de cogitatione locus intelligatur. *Procul.* ᵇ Quidam vertunt pridem, sicuti iam attigimus. q. d. Domine quicquid animo concipio, ante tibi pridem compertum fuit. Sed illud alterum melius conuenit, Deum non esse cælo inclusum, vt se otio oblectans (sicut Epicurei fingunt) res humanas negligat: sed quamuis longè ab eo peregrinemur, eum tamen non longè abesse, ita vt è loco remoto nostram cogitationem cognoscat.

3 *Semitam meam & accubitum meum obsides, omnes vias meas intelligis.*

Semitam meam & accubitum meum. ʸ Vel, Iter meum & cubare meum. *Obsides.* ʸ Vel, cingis. ᵃ Præteritum Hebræum pro præsenti. Hebraismus, pro, Semper mihi ades iter facienti & iacenti. ᵇ Quia verbum Hebræum זרה nune ventilare, nunc circundare significat, commodè posset hic exprimi, Tu ventilas, ô Deus, semitas meas. Trita enim metaphora est vẽtilari quod ex tenebris erutum in lucem profertur. *Et omnes vias meas intelligis.* ʸ Vel, Omnibus viis meis assueuisti. Id est, Nosti omnes vias meas, vt homo nouit opus suum cui assueuit. Alii, Et omnes vias meas exploratas habes. Alii, Vtiles fecisti, vel, proficere fecisti. Fœlices & prosperas reddidisti. Sed præsenti loco congruere non videtur hæc versio. Nam Propheta non commendat Dei bonitatem quòd res succedere faciat, sed tantùm ostendit nihil esse illi occultum. ᵇ Q. d. Domine tu assueuisti viis meis, vt tibi familiariter notæ essent.

4 *Quia nullus sermo in lingua mea: ecce Iehoua cognoscis totum.*

Quia nullus sermo in lingua mea. ᵘ Hactenus cecinit haberi Deo cognita consilia: hoc autem versu, etiam verba nostra, priusquam nobis in linguam veniant, Deo cognita esse canit. q. d. Domine, antequam sermo in lingua mea nascatur, cognoscis quid dicturus sim. Vel, Quamuis verbum nullum proferam, sed silentio tegere coner mea consilia, nihil te prorsus latet. Sũma est, Quum lingua vocetur inter nos character mentis, quia loquendo quisque cum proximis nostris communicat, Deum, qui cordium est cognitor, non opus habere sermone. *Ecce te bona.* Particula demonstratiua Ecce emphaticè addita est: acsi dixisset profundissimos mentis recessus adduci in rem præsentem. *Cognoscis totum.* ᵐ Sermo totus cognoscitur, quando non solùm ea quæ dicuntur, sed & origo causæ & finis verborum intelliguntur. Huiusmodi cognitio plena & perfecta pendet non à verbis tantùm, sed & à cogitationibus & intimis animi affectibus. Quapropter esse non potest nisi eius cuius est scrutari corda mortalium.

5 *Retrò & antè coarctas me, & posuisti super me manum tuam.*

Retrò & antè coarctas me. ᵇ Quidã legunt Retrò & antè formasti me: acsi Dauid diceret, Vndique finxisti me: ideo mirũ minimè esse debet si nihil te latet in tuo figmẽto. Sed quũ צור coarctare sæpe significet, dubiũ nõ est quin dicere voluerit Dauid se omni ex parte circũdatũ & cõclusũ teneri Dei cõspectu, vt frustra

la la- -ti.

effugere conetur quocunque se vertat. Nam qui viam sibi obstructam esse videt, reflectit gradum. Dauid autem se non minus à tergo quàm à fronte constrictum teneri dicit. Ac eodē pertinet quod subiicit, *Posuisti super me manum tuam.* Frigidè enim ad formationem alii trahunt, quòd Deus instar opificis manum applicuerit ad opus suum formandum: nec satis attendunt ad contextum. Quare multo rectius est Deum quasi iniecta manu, cunctos mortales subiicere oculis suis, vt ne transuersam quidem lineam deflectere queant nisi ipso conscio.

6 *Mirabilis facta est scientia tua supra me: exaltata est, non potero ad eam.*

Mirabilis facta est scientia tua. Vel, Mirabilior est scientia tua à me. Quidā, Occulta sciētia tua à me. Hebraismū sic quidā vertunt, paucis additis, Admirabilem in me formendo sciētiam exhibuisti, & sublimiorē quàm vt eam possim intelligere. Atque ita intelligunt scientiam Dei mirabilem esse ex hominis creatiōe: sicuti veteri prouerbio vocatūr hominē *μικρόκοσμος*, quia vbi reputamus quanto artificio compositum sit corpus hominis, & quibus dotibus anima excellat, necesse est quasi attonitos rapi. Sed contextus diuersam sententiam exigit. Dauid enim prosequi volens quod hactenus dixit, exclamat, perperam & stultè facere qui metiri volunt Dei sciētiam suo modulo, quum mirabiliter supra nos emineat. Quia enim vbi Dei fit mentio, multi ex suo ingenio iudicium ferunt, hæc temeritas meritò coarguenda fuit. Non plus Deo cognoscere vulgò permittunt quàm ipsi capiant: Dauid autem scientiam Dei fatetur sibi esse incomprehensibilem. quasi diceret nullis se verbis posse assequi hoc ipsum de quo disserit, Deo scilicet nihil esse absconditum. quia huius scientiæ nullus sit modus, vel finis. Itaque nihil sibi esse residuum nisi vt suæ imbecillitatis conscius tantam altitudinem reuerenter suspiciat. *Exaltata est.* Hoc est, Incomprehensibilis est & infinita. *Et non potero ad eam.* Sub. pertingere. q.d. Scientia tua, Domine, superat quicquid & mente cognosci & lingua exprimi potest.

7 *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?*

Quò ibo à spiritu tuo? Canit præsentem vbique spiritu, virtute, mente, intelligētiàque sua Deum. Prosequitur enim idem argumentum, nihil profutura fuit subterfugiis homines dum conantur effugere Dei oculos. q.d. Etiamsi spreta conscientia tua, cui omnia mea sunt cognita, hac spe conitare delinquere vellem, quòd fuga mihi & latibulis consulere ac cauere possim ne in manus tuas incidam, nihil tamen efficerem. Itaque spiritus non simpliciter pro virtute hic ponitur, (vt plerunque in Scripturis) sed pro mente & intelligentia. Nam quia in homine sedes intelligentiæ est spiritus, hoc Dauid ad Deum transfert. quod ex secunda parte clarius patet, *Et quò à facie tua fugiam?* vbi facies pro notitia vel conspectu ponitur. Propheta enim de Deo humano more loquitur, perinde acsi seruus heri sui spiritum & faciem effugere cupiens, dicat, Quò ibo, quò fugiam, vt à spiritu, (id est mente & consciētia.) & à facie, (id est præsentia) heri mei latitare & abscōdi queam? Vnde & Elisæus dicebat, Nōne cor meū in præsenti erat, quādo reuersus est homo de curru suo in occursum tui? 2. Reg. 5. g. 16. Et Apostolus, Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens cum &c. 1. Cor. 5. a. 3. Ad hunc modum & Propheta dicit, Quomodo conscientiam tuā fallere mihi licet, quomodo ab ipsa facie tua effugerē, quum vbique coram & præsens sis? Summa est, non posse Dauidem locum mutare quin Deus animaduertat, imò fugientem persequatur suis oculis.

8 *Si ascendero in cælos, illic tu es: si iacuero in sepulchro, ecce tu.*

Si ascendero in cælos, illic tu es. Confirmat quod dixit, Deum nihil latere posse. Itaque ad probandam essentiæ Dei immensitatem male detortus fuit hic locus. quia etsi minimè dubiū est quin Dei maiestas cælum & terram impleat, aliud tamen voluit Dauid: quēcunque angulum latebris captauerit, se manifestū fore Deo, cuius oculi cælum & inferos penetrēt. Quāuis ergo supra cælos euolet, aut in vltimis abyssis lateat, dicit sursum & deorsum omnia esse Deo conspicua. *Si iacuero in sepulchro.* Vel, Et si stratum fecero in inferno. Quidam, Si sternam sepulchrum. Vel, Si sternam in sepulchro. Hebraismus, pro, Si etiam descendam ad ima, si degam in ima terra. Alludit ad id quòd sepulchrum mortuis est pro lecto. q.d. Etiamsi mortuus sepeliar quamprofundissima, & inferis coniungar, neque tamen sic effugio.

9 *Sumam alas auroræ, ut habitem in extremis maris.*

Sumam alas auroræ. Vel, luciferi. Pulchra translatione hic vtitur, alludens ad celerrimam radiorum solis excursionem, qui momento ab Oriente ad Occidentem perueniunt. Simul enim ac sol terris exoritur, non secus ac celerrimo volatu splēdorem suum repente in omnes mundi plagas transmittit. q.d. Si tanta velocitate hinc me ad extremum vsque Occidentem abiecero, quanta solis radii diluculo prorumpentes, confestim ad ipsa Occidētis extrema penetrant, etiam illic obnoxius ero manui tuæ, quæ me illic duceret ac teneret. Eadem metaphora occurrit Malach. 3. a. 2. *Vt habitem in extremis maris.* Vel, In nouissimo maris. Vel, in extrema parte maris. Per extremitatem maris, Occidentem intelligunt. Dum siquidem sol occidit videtur subire Oceanum. Vnde poetæ, quum occasum solis describunt, semper ferè dicunt illum se condere mari. Sūma est, Etiamsi quis æquaret celeritate solis radios, nullum tamen recessum ab eo posse inueniri, quin semper Dei imperio subiaceat.

10 *Etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Etiam illuc manus tua deducet. Non accipitur hic deducere pro viam monstrare, sed Deducet me manus tua, tāquam custos captiuum sibi commissum deducit. Nam postea adiungit, *Et tenebit me dextera tua.* q.d. Ego non eximam me à tua potestate, etiamsi celerior sit mea fuga quàm cursus radiorum solis. Manus enim & dextera pro potestate capitur, acsi dixisset, quoties se homines subducere tentabunt ab oculis Dei, in eius fore arbitrio mox retrahere fugitiuos. Stulti ergo sunt & ridiculi qui se à conspectu Dei substrahere conantur quia manēt semper sub arcta custodia. Quapropter hactenus seruiat nobis præsentis loci vsus, vt Dei nos voluntati accommodemus, cum debita obseruantia in omnibus, cuius non solùm conscientiam nō latere, sed nec spiritū, nec oculos, nec manū effugere possumus. Fugiebat à facie Dei Ionas, verùm non effugiebat, licet mari sese concredidisset, & ad inferiora nauis abdidisset, Ion. 1. a. 3. Fugiebat Adam in paradiso, séque in medio ligni, quum peccasset, à facie Dei abscondebat, (Gen. 3. b. 8.) verùm nec latebat conscientiam Dei, nec præsentiam illius effugiebat. Retineat igitur nos hæc cogitatio in timore & obseruantia Dei, ne quod nobis summæ potest esse consolationi, in terrorem & exitium vertatur.

11 *Si dixero, Saltem tenebræ operient me, etiam nox lux pro me erit.*

Si dixero. Vel, Quum dixi. Ad verbum, Et dico. Rectius, Etsi dixero siue dicam. Id est, cogitem apud me. Alii, dicam ego. *Saltem tenebræ operient me.* Vel, occultabunt me. Alii, Ac (vel forsan) tenebræ occultabūt me. Sub. falsus sum quum hæc dicerem, nam etiam &c. A radice שוף quod significat crepusculum. Alii vertunt eodem sensu, Forsitan tenebræ cōterēt me. A verbo שוף quod contundere & frangere significat. Induit Dauid personam hominis ad omnes circuitus intenti, si qua fortè elabi queat ex suis angustiis. Postquam ergo fugas omnes cōfessus est sibi esse inutiles, iam de nouo remedio loquēs, dicit, Quòd si cogitauero, licet vbique sit præsens (adeo vt nulla mihi celeritas prodesse possit, quæ me extra eius conspectum eripiat) nō potest tamen oculis tenebrarum penetrare latebras. Noctu non videt, in tenebris caligant oculi eius: saltem ergo venientē extincta luce tenebræ, quæ me ad tēpus occultēt vt tantisper respirare liceat. Sed quid hac fugiendi ratione effecero? Nihil planè. Quia *nox lux pro me erit.* Vel, propter me, Circū me. Idest, Nox vertetur in diem, vt meas cogitationes detegat in conspectu Domini. q.d. Periode occultabor nocte acsi in lucē me omniū clarissimā ac circūcirca vndique splendētem abdidero. Qui hæc duo membra huius versus separant (quasi diceret tenebras in lucem conuersum iri, vt ipse nihil videns Dei tamen oculis appareat) falluntur: quia potius verba ex suo sensu contexens Dauid intelligit, modò tegumentum aliquod inueniat, sibi fore aliquid licentiæ: quemadmodum furibus & syluestribus feris nox pro die est, quòd tunc liberius vagentur. Si ergo promisero mihi aliquas inducias (inquit) inter tenebras noctis, frustrabitur mea opinio: quia tenebræ lucem tuam non obtenebrant. Et ex particula גם colligimus membra sic debere aptari.

12 *Etiam tenebræ non obtenebrabunt abs te, & nox quasi dies illuminabitur: & tenebræ sicut lux.*

Etiam tenebræ non obtenebrabunt. Vel, Siquidem tenebræ. Alii, Sed ne tenebræ quidem. *Non obtenebrabunt abs te.* Vel, Non occultant aliquid à te. Futura Hebræa pro præsentibus. obtenebrant. Id est, occultant. q.d. Neminem sic obscurant

tenebræ, vt oculis tuis non pateat. *Et nox quasi dies illuminabitur.* [V] Vel, Nox vt dies lucet. Vel, lucida est. Vel, lucida erit, sub. coram te. Quater idem repetit ad maiorē expressionem, vt doceat Deum nihil latere posse. *Et tenebræ sicut lux.* [V] Ad verbum, sicut tenebræ, sicut lux. Hebraismus est breuissimus, pro, Apud Deum tenebræ sunt similes luci, & lux tenebris est similis. [M] Nam his verbis nihil discriminis coram Deo inter tenebras & lucem esse canit, vt stultissimum sit si quis se tenebris à conspectu Dei abscondi posse putet. [C] Sicui autem superuacuus videtur hic sermo, nullum coram Deo discrimē esse inter lucem & tenebras, experientia satis coarguit, ægerrimè summáque difficultate adduci homines vt nudi & aperti in conspectum Dei prodeant. Deum quidem omnia cognoscere fatemur omnes: sed quod nemo in controuersiam vocat quisque apud se tacitè pro nihilo ducit, dum tam securè Deo illudimus: nec vlla eius reuerentia nos coercet, vt saltem locū hominis mortalis apud nos obtineat. Pudore enim retinemur, nequis hominum cōscius sit ac testis nostræ turpitudinis: Dei verò iudicium non secus contemnimus acsi interposito velo scelera nostra essent abscondita eius oculis. Hæc nostra stupiditas nisi acerrimè stimuletur, lucem nobis in densas tenebras subinde conuertet. Quare non abs re Dauid ad discutiendos vanitatis nostræ fumos tam prolixè insistit. Tantum superest, dū nobis obrepit nimia securitas, vt quisque his stimulis se pūgat & excitet.

13 *Quia tu possedisti renes meos, operuisti me in vtero matris meæ.*

Quia tu possedisti renes meos. [V] Vel, Tu possides. Id est, qui sunt renes mei, quia tu eos formasti. q.d. Tu nosti omnes affectus meos. Quidam, In potestate tua habes. [C] Quanquā videtur Dauid continuare eandem doctrinam, paulo tamen longius procedit, nō mirum esse scilicet si ita in occultissimas quasque hominum cogitationes disquirat qui renum ac cordiū rector est. Dicit ergo in ipsis renibus positum esse Deo tribunal, ex quo iurisdictionem suam exerceat: nec mirum esse si eum non fallant flexuosi cordium nostrorum recessus, qui nos adhuc clausos matris vtero tam clarè intuitus est acsi essemus in media luce expositi. Nunc tenemus qua occasione Dauid ad creationē hominum nunc descendat. *Operuisti me in vtero matris meæ.* [A] Vel, Texisti me. [M] Acsi diceret, Quomodo ignorares affectuum & cōsiliorum meorum secreta, quum renes meos, ipsam videlicet affectuum meorum sedem possideas? imò, quum in vtero matris formarer, obduxeris me, & secundis confouendum & alendum incluseris? Quòd si hoc de obductione cutis, qua corpusculum formatum obducitur, intelligere libet, idem erit cū eo quod Iob cap. 10. b. 11. dicebat, Pelle & carne vestisti me, ossibus & neruis cooperuisti me.

14 *Celebrabo te, eo quòd terribiliter mirificatus sum: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit valde.*

Celebrabo te. [M] Sapientiam Dei inscrutabilem & infinitam rerum omnium creatricē Vates hoc versu celebrat. [A] Nam ex consideratione tam admirandæ Dei in nos virtutis & bonitatis animus in laudem Dei exardescit. *Eo quòd terribiliter mirificatus sum.* [V] Quidam vertunt, Terribilia, mirabilis sum. Ad verbum, Mirabilia, mirificatus sum. Adiectiuum primo loco sine substantiuo: propterea quidam subaudiunt opera tua. q.d. Causæ plasmationis meæ sunt miræ, & mirabile est opificium corporis mei. Quidam vertunt, Tibi confiteor quòd miris & stupendis modis formatus sum. Rectius adiectiua vertūtur in aduerbia, hoc modo, Quia terribiliter & mirificè formatus sū. Alii, Propterea quòd tremēdis modis mirabiliter formatus sū. [C] Sensus est, mirabilibus modis Dauidem fuisse formatum, & qui meritò admirationem terrorémque incutiāt: vnde cogitur in Dei laudes prorumpere. Inde enim tam secura carnis indulgentia, quia non satis expendimus quàm mirificè nos formauerit cælestis opifex. [M] Admonemur itaque Dauidis exēplo, vt & ipsi conditori nostro gratias agamus, quòd nos mirabiliter formauit, non solùm si datur vt simus in hoc seculo fœlices, sed etiā si rebus tristibus exerceamur: id quod Prophetæ huic accidit. Quòd autem Iob & Ieremias diuersum fecisse videntur (Iob 3. a. 1, & Ierem. 20. d. 14.) qui diei natiuitatis suæ maledixerunt: id non tale est quod imitemur. Sunt enim quæ viri illi de natiuitate sua conquesti sunt, non fidei confessione & spiritu diuinæ laudis prolata, sed æstu & vi tentationis extorta. *Mirabilia opera tua.* [A] Hic à specie ascendit Dauid ad genus, exclamans, quæcunque oculis nostris occurrunt Dei opera, totidem miracula esse, quæ mentes nostras ad se rapere debeant. Hæc enim iusta est operum Dei consideratio, quæ in admirationem desinit. *Et anima mea cognoscet valde.* [V] Vel, Cognoscit abūdè. Ad verbum, Et cognoscēs valde, vel exactissimè. [M] Posset hic quæri quomodo Propheta animam suam dicat abundè cognoscere mirabilia opera Dei, quum tamen versu huius Psalmi sexto dixerit, Mirabilis facta est scientia tua supra me, exaltata est: non potero ad eam. [C] Respondendum est, non aliò tēdere quod hic dicit animā suam valde cognoscere miracula, quam modesta sobriáque diligētia se attentum fore & solertē, vt percepto gustu mirabiliū Dei, immensā gloriæ altitudinē adoret. Non ergo hic ponitur cognitio, quæ sensibus nostris subiiciat quod Dauid sub miraculi nomine cōfessus est nō posse comprehendi (sicut philosophos inflat sua arrogantia, vt nihil Deo occultum relinquant) sed tantùm pia attentio notatur, quæ nos ad reddendam Deo gloriam expergefaciat.

15 *Non est abscondita fortitudo mea abs te, quam fecisti in occulto: contextus fui in infimis partibus terræ.*

Non est abscondita fortitudo. [V] Vel, Os meum non est à te absconditum. Quidam vertunt, Non est occultatum corpus meum à te. Alii, Non erat abscondita à te substantia mea, siue substātia corporis mei. [M] Pergit Dauid à creatione hominis ratiocinari, nihil Deo esse absconditum: & Deum ostendit longè præcellere summos quosque artifices, qui oculorum adminiculo indigent ad formandum suum opus, quum Deus in visceribus matris nostræ nos formauerit. Siue autē de ossibus loquatur, siue de fortitudine, ad summam rei parum interest. Quanquam de ossa locus hic melius exponitur. q.d. Ne vnum quidem ex ossibus meis latuit te, quando, &c. *Quam fecisti in occulto.* [A] Vel, Quando factus sum in occulto. [M] Id est, in abdito materni vteri, velut in abdito telluris gremio. *Contextus fui.* [V] Vel, Variis membris decoratus fui. Vel, Variè effectus sum in inferioribus terræ. Vel, formatus, instar scilicet vestis phrygionicæ. Alii, Mira arte distinctus sum membris. *In infimis partibus terræ.* [V] Quidam subaudiētes ב similitudinis, vertunt, Tanquam in infimis terræ partibus. [C] Propheta vterum matris infimis terræ cauernis & penetralibus comparat. Si quis artifex in obscuro aliquo antro absque lucis adiumento opus aliquod velit aggredi, vnde inciperet? quænā artis progrediendi ratio? & qualis perfectio operis? Atqui Deus nulla luce adiutus opus omnium perfectissimum nempe hominem in vtero matris format. Et verbum רקם (quod est contexere) ad amplificationem valet. Neque enim dubiū est quin metaphoricè exponere velit Dauid inæstimabile quod in figura corporis humani relucet artificium. Nam si tantùm vngues inspicimus, non poterit tamen quicquam illic mutari, quin mox ostendat in commoditas aliquid esse luxatum. quid ergo si excutiātur singulæ partes? Huius tam multiplicis variæque texturæ quis phrygio sua industria & acumine centesimam partem assequi poterit? Nō mirum igitur si Deus homines in lucem editos tam exactè cognoscat, quos in matris vtero numeris omnibus absoluit.

16 *Informe meum viderunt oculi tui, in libro tuo omnia scribētur: diebus formata sunt, & non vnum ex ipsis.*

Informe meum viderunt. [V] Vel, Imperfectum meum. Id est, materiam illam rudem & informem, vnde formatus sum. Alii, Fœtum meum viderunt oculi tui. [C] Quia ἔμβρυον vbi in vtero cōcipitur, non statim formam induit, dicit hic Dauid se iam tūc cognitum fuisse Deo quum adhuc informis massa esset, quam Græci κύημα vocant. Nam ἔμβρυον illis fœtus vocatur à conceptione vsque ad partum. [A] dicit itaque Dauid, Quum adhuc essem informis massula, tu quantus futurus essem cernebas: cuncta enim membra mea velut in libro habebas descripta. [C] Ratiocinatur autem à maiori ad minus, si antequam coiuisset in certam & distinctam formam, Deo cognitus fuit, multo minus posse nunc eius notitiam effugere. *In libro tuo omnia scribentur.* [V] Quidam, Acsi in libro tuo vniuersa scripta fuissent. [C] Significat his verbis totam rationem creationis Deo esse probè cōpertam. Nam quod ad nomen libri, similitudo ab hominibus sumpta est, qui libris & commentariis ad memoriam iuuandā vtuntur. Itaque dicitur Deus habere in actis suis scripta quæcūque nouit: quia nullis adminiculis eius memoria indiget. *Diebus formata sunt.* [C] Qui dies legunt nominandi casu, hoc modo, quū dies formati sunt, hūc eliciūt sensum, Omnia ossa mea scripta erāt in libro tuo, Deus, ab exordio mūdi, quū primos dies creares, & tamen nullū reipsa extabat. Sed diuersa interpretatio magis est probabilis, nempe tēporis successu formari singulas humani corporis partes. Neq; enim simulac coalescit semē, apparet disposita aliqua species vel mēbrorū proportio: sed progressu tēporis digeritur & aptatur massa illa in suā figurā. In altero etiā dissētiūt interpretes. Nā quū in particula לא sæpe contingat mutari literas ו & א, quidā, acsi esset לו per ו inēpe rela

tiuum pronomen, sic exponunt, Quanquam paulatim aptatũ fuerit corpus, tamen vnum & idem fuisse in libro Dei, qui spatio non indiget ad opus suum absoluendum. Verum vt nihil muteru, negatio non malè quadrat, nempe quum diebus suis paulatim creata sunt membra, nullu ex ipsis extitisse: quia scilicet nulla erat concinnitas vel distinctio, sed informis globulus. Ita commendatio erit prouidentiæ Dei, eo quòd confusam illam putredinem in pulcherrimam figuram tractu temporis digerat.

17 *Et mihi quàm pretiosæ sunt cogitationes tuæ Deus, quàm fortes summæ earum.*

Et mihi quàm pretiosæ sunt cogitationes. Vel, quàm eximiæ sunt, quàm præclaræ sunt. Quidam Hebræorum exponunt, Quàm raræ, iuxta illud, Et verbum Domini erat rarum, 1. Sam. 3. a. 1. Alii Quàm prohibitæ, abscõditæ. Sicut dixerat versu sexto altiores esse quàm vt quisquam hominum ad illas perueniret. *Cogitationes tuæ.* Vel, Voluntates tuæ. Quidam Hebræorum vertũt, Quàm pretiosi, vel, gloriosi sunt amici tui. Sed [illegible] hoc loco cogitationem potiùs quàm socium vel amicum significat: sicuti multi post Chaldæum interpretem verterũt, acsi tam descenderet Propheta ad discernendos à reprobis fideles. Contextus enim postulat hic adhuc de incomparabili Dei prouidentia fieri sermonem. Repetit ergo quod prius dixerat, neque id præter rationem: quia tam præclara arcanæ Dei sapientiæ documẽta, quæ in hominis creatione exhibet, totáque vitæ gubernatione, vel negligi videmus vel non æstimari suo pretio. Porro cogitationes Dei intelligit sapiẽtiæ illius cõsilia, quibus omnia mirabiliter cõdidit, disposuit, cõseruat ac prouehit. Notandũ autẽ quòd Propheta nõ dicit simpliciter præclaras sine pretiosas esse Dei cogitationes, sed cũ exclamatione addit, Et mihi quàm pretiosæ sũt, &c. Vt significet se in earum consideratione & admiratione perpetuò versari, & eas pro ingenii sui modulo diligenter expendere. *Quàm fortes summæ earum.* Alii legunt, Quàm multiplicatæ sunt summæ earum. Sed Propheta summas vel collectiones cogitationum Dei fortes esse ac validas dicit, eo quòd ad obruendas hominũ mentes sufficiant. Hæc autẽ exclamatio admonet, nisi tam insipidi essent homines, vel potius stupidi, perculsum iri arcanis Dei iudiciis, ne pro more audacter illudant, sed trepidè & simpliciter se sistant ad eius tribunal.

18 *Si numerem eas, præ arena multiplicabuntur: expergefactus sum, & adhuc sum tecum.*

Si numerem eas, præ arena. Satis probat hic versus Prophetam hoc loco canere quàm excedãt omnẽ numerũ cogitationes & inuenta quæ in hominis machina Deus exhibuit. Ad verbum habetur, Numerabo eas, præ arena multiplicabuntur. Id est, Si aggrediar ipsas numerare, superabunt arenam, quis autem numeret arenã maris? Hac similitudine docet nullum esse hominis ingenium quod suo captu comprehendat arcana Dei consilia. Itaque vir pius & Dei timens nunquam temerè de eius operibus & consiliis disputabit: sed etiam non intellecta adorabit & exosculabitur, certò statuẽs esse illa & sapiẽtissimè & optimè disposita, quanquam vis in oculis eorum diuersum appareat. *Experg factus sum, & adhuc sum tecum.* Ad verbum, Euigilaui, & adhuc tecum. Q. d. Quoties è somno expergiscor, noua mihi materia offertur ac suggeritur meditãdæ huius tuæ tam incredibilis sapientiæ. Ergo quum dicit Dauid se exurgere, nõ debet hoc restringi ad diem vnum: sed, quemadmodum cõfessus est immẽsa magnitudine sapientiæ Dei absorberi sensus suos, ita nunc addit, Dũ quotidie expergiscor, mihi nouum admirationis argumentum nascitur. Nunc tenemus genuinum Dauidis sensum, Deum scilicet ita præesse generi humano vt eum nihil prorsus lateat, ne profundæ quidẽ cogitationes. Et quãquam multi bruta socordia se proiiciant in omne scelus, acsi nũquã venturi sint in Dei cõspectũ, frustra tamẽ cos sibi cauernas fodere, quia velint nolint trahentur in lucem. Atque hanc doctrinam eo diligentius expendere conuenit, quia dum quisque manus & pedes suos respicit, sibique placet in formæ elegantia, vix centesimus quisque fictoris sui memor est. Quòd si qui tamen Deo acceptam referant vitam suam, nemo tamen ad hoc præcipuum caput conscendit, audire, videre & intelligere omnia qui aures finxit & oculos, & cor intelligentia præditum creauit.

19 *Si occideris Deus impium, tunc viri sanguinum declinate à me.*

Si occideris Deus impium. Quidam hunc in modũ legunt, Si occideres Deus impiũ, viri sanguinum declinarent à me. Sũt qui minus rectè existimãt versum hũc pẽdere à proximo. Alii optãdi modo accipiũt, Vtinã (vel, ò si) occidas Deus impiũ. Alii Dauidem sibi gratulari putant si à medio tollantur impii. Sed Propheta aliud velle videtur, se considerandis Dei iudiciis operam daturum, vt proficiat in eius metu, & pietate, quoties pœnam sumpserit de reprobis. q. d. Si vindictam sumas de sceleratis, iudicia tua me reuocabunt in viam, & faciã vt me subducam ab omni societate malorum. Scimus enim etiã Deum hoc spectare dum vlciscitur reprobos, vt fideles proficiant talibus exemplis. Nam statuit reprobos in exemplũ, vt inflictæ illis pœnæ electos ab eorũ societate reuocẽt. Etsi enim spõte ad cultum & timorem Dei propensus erat Dauid, opus tamen habuit (vt reliqui fideles) fræno aliquo. Sicuti etiam dicitur apud Esaiam capite 26. b. 9, vbi exercuerit Deus sua iudicia, iustitiã discent habitatores terræ, nẽpe vt se in Dei timore contineãt. Interea dubium nõ est quin se Propheta sistat coram Deo, integritatis suæ testis. Acsi diceret, liberè & ingenuè se prodire ad Dei tribunal, quia non sit vnus ex sceleratis Dei contemptoribus, nec quicquam habeat cum ipsis negotii. *Viri sanguinum declinate à me.* Hoc est, Nihil mihi negotii erit vobiscum ò improbi, si instam Deus de sceleribus vestris vltionẽ sumat. Viros sanguinum vocat homines crudeles, contumaces, superbos ac rebelles, qui innoxio sanguini nequiter insidiabantur. Vide Suprà, 5. b. 7.

20 *Qui loquuti sunt de te scelerate, sumpserunt mendaciter aduersarii tui.*

Qui loquuti sunt de te scelerate. Vel, Qui dixerũt contra te abominationem. Futurum Hebræum pro præterito, vel præsẽti, Loquuntur contra te nefariè, vel impiè, aut scelestè. Quidam, Qui rebellant tibi nefariè. Alii, Qui loquuntur cõtra te ad scelus. Exprimit quo licentiæ prolabãtur impii quãdiu per illis parcit Deus, nec eos premit vltrice manu. Nec enim statuunt modò quiduis sibi impune accessurum, sed manifestas in iudicem ipsum blasphemias euomunt. Scelestè enim loquutos dicit, quia suam malitiam nullis coloribus fucauerint (sicuti linguas suas continent quibus aliquis residuus est pudor) sed palam præ se tulerint Dei contemptum. quemadmodum de impio dicitur, Altitudo iudicia tua coram ipso, in omnes inimicos suos sufflat, Suprà, 10. b. 5. *Sumpserunt mendaciter aduersarii tui.* Hoc membrum variè exponi solet. Quidã subaudientes Dei nomen, exponunt, improbos abusos esse ad sua periuria Dei nomine. Alii propius ad similitudinem veri accedunt, qui dicunt sumere in vanum impios Dei nomen, dum eum transfigurant in sua figmenta. Experientia enim docet maiorem hominum partem non sentire quid sit Deus, sed fabricare similẽ sensui suo. Vocarunt quidem passim Deus iudex mundi: sed mox euanescit illa confessio, quia iudicandi munus ei abdicãt. Hoc est sumere nomen Dei fallaciter, quia obscurant eius gloriam, eumque quodãmodo deformãt. Sed quia non exprimitur nomen Dei, & verbum [illegible] in sublime tollere significat, commodius sic interpretari licebit, quòd seipsos efferant ventoso & mendaci fastu. Atque hæc elatio, petulãtiæ cuius meminit, semper fere coniuncta est. Vnde enim fit vt audeant virus proteruiæ suæ contra Deum euomere, nisi quia fastu temulenti non reputant ab vna parte se miseros esse homunciones, Deum verò sua potestate spoliant? Atque hac ratione vocat Dei aduersarios, quia quisquis supra legitimum gradum se effert, Gigantum more cum Deo bellatur.

21 *Annon osores tuos, Iehoua, odio habebo, & cum insurgentibus contra te litigabo?*

Annon osores tuos Iehoua. Vel, Nónne odientes te, Domine, odio habebo? Profitetur se odisse Dei osores & contemptores, & odisse odio cõsummato: summè enim diligebat Deũ. Atque ita pergit ostendere quantum in illa meditatione Dei profecerat, nempe quòd se reuocans ad Dei tribunal, se se non posse effugere eius manum cogitans, cuius oculi in vltimas abyssos penetrant, sibi piè sanctéque viuendi legem indixerit. Nam Dei contemptores sibi dicens fuisse odio, suam integritatem hoc elogio profitetur, nõ quòd purus fuerit ipse ab omni delicto, sed quòd pietati colendæ addictus omnem impietatẽ ex animo detestatus sit. Neque enim satis in cordibus nostris viget pietatis studium nisi ex se odium scelerum generet, quale hic prædicat Dauid. Deinde si in nobis ardet zelus ille domus Dei, cuius meminit Dauid Suprà, 69 b. 10, inexcusabile est nostrum frigus, dum scilicet tacitè patimur non modò violari eius iustitiam, sed sacrum eius nomen petulanter ab ipsis calcari. *Et cum insurgentibus contra te litigabo?* Vel, contendo? Vel, litigo? Alii, Et insurgentium in te tædet me? Alii, Et insurgentibus contra te indignor? Alii, In eos qui aduersus te

in surgunt excādesco. Vel, molestia afficior. [c]Sed quum verbū Hebraicum קוט significet rixari, vel cōtendere, hic in coniugatione Hithpael eundem sensum retinet. nisi fortè aliquid expressius notet David, se fuisse exasperatum vt animum suum ad litigandum acueret. Videmus ergo Davidem, neglectis totius mūdi odiis, strenuè certasse pro asserēda Dei gloria, vt bellū cum impiis omnibus susciperet. [A]Interea mirū hic describitur improborū ingeniū, qui nō modò Deū bonorū omniū largitorem oderunt, sed etiam aduersus illum (quum tamē sit infinita potentia præditus) insurgere non dubitant, cæci ipsi & a seruo excæcati deuoti.

22 *Perfecto odio odi ipsos, fuerunt mihi in hostes.*

Perfecto odio odi ipsos. [V]Ad verbum, Perfectione odii. [M]Id est, perfectè odi. Siue, Odi & detestor ex animo, toto corde. [c]Confirmat superiorem sententiam, tanti sibi fuisse Dei gloriam vt non sustinuerit quicquam habere commune cum eius contemptoribus. *Fuerunt mihi in hostes.* [V]Vel, Et pro inimicis fuerunt mihi. Quidam, Acsi mihi hostes fuissent. Aut, Tanquam inimici essent mihi. His verbis Propheta causam odii a se reiicit, affirmans se nullo proprii vel cōmodi vel detrimēti, sed solo impietatis respectu detestari hostes suos, qui diuinæ se voluntati opponerent. [c]Summa verò huc redit, sibi nihil fuisse consensus cum operibus tenebrarum: quia quisquis ad scelera cōniuet, eáque fouet suo silētio, perfidus est causæ Dei proditor, qui nobis omnibus tutelæ suæ patrociniū commendat. Hoc autem exemplo docemur fortibus alitisque animis spernenda esse omnia improborum odia, vbi pro Dei honore certandum est, potiusque renūtiādum terrenis omnibus amicitiis, quàm blanditiis perperam fouendus eorum fauorem qui Dei odium cupidè in se accersunt. Atque hæc doctrina eo magis notanda est, quòd nos studium priuatæ salutis, honoris, & commoditatum adeo rapit, vt nulla certamina, simulac quispiam nos lædit, suscipere dubitemus. In asserenda Dei gloria plusquam meticulosi sumus & ignaui. ergo, vt quisque nostrum sibi addictus est, suæ vtilitati cōsulit. Nō alia nos causa ad dissidia, rixas, cōtentiones & bella impellit quàm vt proprias iniurias vlciscamur: vbi violatur Dei maiestas nemo se commouet. Atqui zelum Dei in nobis vigere testatur hæc magnanimitas, vbi cum improbis & Dei contemptoribus bellum irreconciliabile gerere malumus, quàm in eorum gratiā alienari à Deo. Quanquam notandum est, odium cuius meminit Propheta, non tam in personas quàm in vitia dirigi. Colēda enim nobis est pax cū omnibus quoad licet, Rom. 12. d. 18. amanda est etiā omniū salus &, si fieri potest, humanitate & omnibus officiis reuocandi sunt in viam. Quatenus tamen Dei sunt hostes, eorum furori nos acriter opponere conuenit.

23 *Explora me Deus, & cognosce cor meum: examina me, & cognosce cogitationes meas.*

Explora me Deus. [A]Offert se Dei explorationi, ostendens eo se sibi non esse conscium nisi sinceræ religionis, vitæque innocentiæ. [c]Atque ita confirmat se nō alia de causa inimicū fuisse Dei contemptoribus, nisi quia Deum purè reuerebatur, & ab aliis eodem animo timeri optabat. [M]q.d. Potero videri alia de causa quàm propter te odio prosequi hostes meos: verùm recasisto tibi cor meum, & omnes cogitationes, [c]explora me, examina, cognosce ac vide. [c]Rara quidem fiducia præditum esse oportuit qui se Dei iudicio examinandum tam intrepidè offert: sed quia probè sibi conscius erat sinceræ pietatis, non temerè prosilit cū hac securitate ad Dei tribunal. Neque tamē immunem se profiteri voluit ab omni culpa, qui sub vitiorum suorum onere tristis gemebat. Et certum est sanctos, quoties de sua integritate loquūtur, semper inniti gratuitæ veniæ. Cæterùm quia persuasi sunt, vtcunque infirmitate labantur, suam pietatem probari Deo, non mirum est si liberè se ab impiis separent.

24 *Et cognosce an via prauitatis in me sit, & deduc me in via seculi.*

Et cognosce an via prauitatis. [V]Quidā, via irritationis. Alii, via rebellionis. Affirmat se integritati studuisse, quicquid mohri sint aduersarii. [c]Etsi autem sibi eos nō esse fictum & duplex asserit, nō tamē se omni reatu eximit, sed tantùm negat se prauitati esse addictū. Nomē enim עצב non quodlibet delictū sed dolorē & molestiā, vel prauitatem significat, interdum etiā metaphoricè pro idolo sumitur. Quod postremum non conuenit præsenti loco, quia David non modò à superstitione sed ab iniustitia totum se fuisse testatur. Sicut alibi dicitur, in viis talium hominum esse molestiam & vastitatem, Suprà, 55. b. 11, quia violenter per nefas omne grassantur. Alii [M]ad malam conscientiam trahunt, quæ cæcis tormētis assiduè impios cruciat. quod est nimis coactum. Quicquid sit, simpliciter affirmat David, se, quanuis homo esset vitiis obnoxius, non tamen fuisse iniquitati deditum. [M]Nulla verò est hic hypocrisis, nullus verborū lusus, sed imperterrita innocētiæ animi & rectæ conscientiæ fiducia. Sic agendū est seriò in cōspectu Domini, vbi innocentiæ causa agenda suscipitur. Aliàs vbi reprehēdit nos cor nostrum, agnoscenda est culpa, & animus coram Deo humiliandus. *Et deduc me in via seculi.* [V]Vel, per viā sēpiternā. [c]Nōnulli volūt imprecationē esse, acsi caput suū David pœnæ deuoueat, hoc sensu, Et, si ita res habet, moriar. Sicuti Iosue 23. c. 14. & 1. Reg. 2. a. 2, dicitur via vniuersæ terræ. id est, qua gradiuntur omnes homines à seculo. [c]Sed verbum durādi, quod hic ponitur, beneficium potius designat quàm pœnam. Dubium igitur non est quin notetur hic continuus vitæ humanæ cursus, [V]acsi diceret David, Domine deduc me nō tātùm ad quartā vel dimidiam partem mei stadii, sed vsquedū ad metā peruenero. [A]Huius beneficii antithesis alibi habetur, quum dicitur, Viri sanguinū & dolosi non dimidiabunt dies suos, Suprà, 55. d. 24. [B]Quidam etiam hoc extendunt ad vitæ æternitatem. Et certè sub hoc complemento vitæ comprehenditur futura vita: sed nobis sufficit tenere simplicem verborū sensum, vt Deus seruum suum, cui semel manum porrexit, vsque ad finem gubernet, neque deserat in medio spatio.

ARGVMENTVM PSALMI CXL.

[M]Continet hic Psalmus ardentissimam Davidis precationē ad Deum, [B]qua à dolis [B]& virulentis calumniis hostiū suorum [A]liberari optat. [c]Postea certus de Dei auxilio, se bona spe liberationis suæque in hostes vindictæ solatur.

Præfecto Psalmus Davidis.

Præfecto. [V]Vide Suprà, 4. a. 1. *Psalmus Davidis.* [A]Id est, à Davide editus & compositus.

2 *Eripe me Iehoua ab homine improbo, à viro iniuriarū custodi me.*

Eripe me Iehoua ab homine. [M]Sūmā precationis confestim hoc versu expressit. ea est, vt conseruetur à Domino & eripiatur, ne incidat in manus inimicorum suorum. *Ab homine improbo.* [c]Quidam ad Doeg improbum delatorem Psalmum hunc restringūt: verùm ex cōtextu liquebit, sermonē haberi de Saule, eiusque consiliariis, qui regem ipsum sponte plus satis furentem, non cessabant in sancti viri perniciem magis accendere. Porro quum gestaret Christi figuram, non mirum est diaboli satellites tam atrociter in eum sæuisse. Atque hæc ratio est cur tam duriter eorum rabiem perfidiàmque exaggeret. *A viro iniuriarum.* [V]Vel, iniquitatum, violentiarum. Id est, à viro violēto, aut, iniquo. [c]Quum vocat hostes suos improbos & violentos, significat nulla iniuria lacessitos, spōte & cupidè ad nocendū ruere. Suam igitur causam Deo cōmendat, quòd pacē cū ipsis coluerit, nulla in re eos læserit, sed iniustè persequuti sint nihil tale meritum. Atque eadem nobis ratio tenenda est, vt Deus contra vim & maleficia succurrat. Neque enim cōuitia euomit David, vt solet fieri in iurgiis, sed hoc innocētiæ suæ testimonio sibi fauorē Dei conciliat: quia fieri nō potest, quin probis & tranquillis hominib[9] sēper opituletur. [M]Interea cogitandū est quàm sit stupenda humani generis corruptio, per malitiā Satanæ introducta: qua factum est vt homo homini sit dæmon: nihil in mundo peius, crudelius, & truculentius reperiatur homine, idque erga hominem & generis & naturæ & cōditionis consortem. Vox hæc vtique hominis est, quæ dicit, Eripe me Iehoua ab homine improbo, à viro iniuriarum custodi me. Imò nō simpliciter hominis est, sed & iusti, pii & innocentis hominis.

3 *Qui machinantur malitias in corde, quotidie congregant ad prælia. Selah.*

Qui machinantur malitias. [A]Vel, Qui cogitant mala. Ad verbū, Qui cogitauerunt mala corde. Hoc est, qui meditātur mala in cordibus suis. [c]Hic iam David interiorē hostiū suorū malitiā accusat. Ac videm[9] nō vnū modò hominē notari, quia nūc ad pluralē numerū transit, (quod iam nobis satis familiare esse debet) vt à capite ad omnes improbitatis cōsortes & socios transitus fiat. Quanquā quæ hactenus dixit in singulari, indefinitè accipere licet, vt Grammatici loquuntur. Confirmat interea quod nuper attigimus, nulla sua culpa tā hostiliter oppugnari. Itaque quo improbius nos vexabūt hostes, vel clandestinis artibus fraudolentius nos impetent, sciamus præsentaneum nobis remediū promitti à Spiritu sancto, qui per os Davidis

hanc precandi formam dictauit. *Quotidie congregant ad prælia.* [b] Futurum Hebræum pro præsenti. [c] Vertitur autem hoc membrum tribus modis. Ad verbum est, Qui congregant prælia, & ita quidam accipiunt. Sed quia scimus Hebræos sæpe omittere præpositiones, dubium non est quin significet eos falsis delationibus accendere omnium odia, atque ita esse belli tubas. Nam quod nonnulli verbum יגורו accipiunt pro coire, vel simul concurrere, videtur esse & remotum & frigidum. [a] Particula quotidie notandi vim, qua ardebant, melius exprimit. acsi diceret hostes suos omnem mouisse lapidem, vt innoxiū falsis suis delationibus & calumniis obruerent, perderent, ac prorsus extinguerent.

4 *Acuerunt linguam suam quasi serpens: venenum aspidis sub labiis eorum. Selah.*

Acuerunt linguam suam. [b] Vel, Exacuunt. Præteritum Hebræum pro præsenti. [c] Exprimit quomodo iniustum bellū exciteot, nempe peruersis calumniis: quia vi & manu opprimere non poterant probum hominem, & innoxium, donec calumniis esset obrutus. *Quasi serpens.* [b] Exitialia eorum mendacia confert linguis & veneno serpentum, quo nihil nocentius. De qua similitudine dictum est Suprà, 58.a.4. & 64.a.5. *venenum aspidis sub labiis eorum.* [b] Alii vertunt, Virus viperæ. Alii, Venenum araneoli, qui natura venenosissimus est, si ex rhacinorū maximè genere sit. *Selah.* [a] Hanc particulam adiecit Vates, quo moneret cogitandum quàm nihil intentatum illi reliquerint quo ipsum perderent, quàmque varia excogitarint, ex quibus tamen omnibus ipsum non sine raris miraculis Deus liberauit.

5 *Custodi me Iehoua à manibus impii: à viro iniuriarum custodi me, qui machinantur ad præcipitādum gressus meos.*

Custodi me Iehoua à manibus. [b] Idem ferme repetit quod in primo versu orauit. Nam cōsideratione mali de quo querebatur, accusationibus & querimoniis suis precationem addit, & verbis quibusdam mutatis eandem sententiam repetit. [c] Vnde melius constat, quod attigimus, tantùm implorare Deum vindicem. *A viro violento.* [b] Ad verbum, A viro iniquitatū, iniuriarum, violentiarum. [m] Innuit hac repetitione nihil posse pio homini peius ac nocentius contingere, quod hanc vitam atterat, quàm si impii hominis, iniqui & inimici libidini permittatur. *Qui machinantur ad præcipitandum gressus meos.* [c] Pro eo quod dixerat versu secundo hostes suos cogitare malitias, nunc dicit machinari quomodo miserum & incautum hominem præcipitent. [m] acsi diceret, Tanta est malitia hostiū meorum, vis & iniquitas, vt nisi mihi misero opem tuleris, manus eorum euadere nequeam. Nam indesinenter meditantur quomodo pedes meos subuertant & incautum præcipitent.

6 *Posuerunt superbi laqueum mihi, & funibus extenderunt rete, ad viam semitæ decipulas posuerunt mihi. Selah.*

Posuerunt superbi laqueum mihi. [a] Quidam vertūt, Absconderunt superbi laqueum mihi. [c] Quod Propheta dixerat de fraudibus, metaphoricè repetit, non sine vehementia. Dicit enim retia ad se illaqueandum vndique extenta esse, nisi Dominus succurrat. Etsi autē videtur primo intuitu obscurior esse metaphora quàm simplex nudáque oratio, hic tamē figura minimè obscurat quod prius dictū est, & plus energiæ in se continet. [m] Vtitur ergo similibus laqueorum, retium & offendiculorū, quibus venatores pedibus & vitæ ferarum insidias struūt. Vnde colligere licet quàm sit indefessum impiorum & malorum hominum studium, ad subuertendum pios ac Dei timentes. Hic sunt laquei, sunt retia, sunt offendicula, hoc est, omnis generis machinamenta, ad subuersionem excogitata: est animus irrequietus, & perpetuò struendis insidiis intentus. Præterea ex nomine גאים (quod altos & superbos Hebræis significat) colligimus non agi de gregariis hominibus, sed qui authoritate præditi sperabant nihil fore sibi negotii in deiiciēdo pauperculo homine. Itaque eius exemplo, quoties insolenter hostes nostri se efferent, discamus ad Deum confugere, cuius est retundere impiorum ferociam. *Ad viam semitæ decipulas posuerunt mihi.* [a] Vel, In loco semitæ laqueos posuerunt mihi. Ad verbū, [b] Ad manum tramitis, vel semitæ. Quidam distinguunt post dictionem semitæ, vt hoc ad præcedens referatur, Extenderunt rete in loco semitæ. Sed frequentibus rectius iungitur. [b] Videmus autem Dauidem non intelligere hostes suos sola vi & audacia grassatos fuisse, quum de retibus & decipulis queratur: sed vtrunque coniungit, potentia sua confisos fraudes excogitasse quibus eum perderent. *Selah.* [m] Quoniam ex illis insidiis in summam desperationem inciderat, non abs re intendendæ cogitationis gratia hanc particulam adiecit.

7 *Dixi Iehouæ, Deus meus es: ausculta Iehoua vocē deprecationis meæ.*

Deus Iehoua. [a] Canit iam vnde fiduciam conceperit & alacritatem in tanto discrimine constitutus: eo nempe quod certa fide tenebat, & considerabat Dominum esse Deum suum, hoc est, vindicem & seruatorem. *Deus meus es.* [m] q.d. Quem inuocarem in afflictione mea, nisi te Domine? [c] Docet his verbis Dauid sibi non fuisse vota in labiis (sicut hypocritæ ostētationis causa clamosè Deum inuocant) sed se orare serio & secundum fidei sensu. Donec enim verè quis statuerit se Dei gratia saluum fore, nulla erit sincera inuocatio. Pulchrè autem hic exprimitur fidei natura, dum Propheta se ab hominum oculis subducens, Deū seorsum alloquitur: quia hic interior cordis recessus hypocrisin omnem excludit. Hæc igitur vera precādi regula est, non futiliter vocem attollere, sed ex fide intus concepta proferre nostras preces. *Ausculta Iehoua vocē deprecationis meæ.* [a] Hoc est, Exaudi precationem meam. q.d. Ne repellas orationē serui tui, qui te ex animo colit.

8 *Iehoua Domine mi, robur salutis meæ, posuisti tegumentum capiti meo in die armorum.*

Iehoua Domine mi. [a] Quem proximo versu Deum suum vocauerat, nunc Dominum suum appellat, quo facilius opem impetret. [c] Et vt penitus sibi persuadeat non frustra se à Deo salutem petere, sibi proponit quæ in ipsum Deus auxilia antè contulerat. Nam addit, *Robur salutis meæ.* [b] Vel, Fortitudo salutis meæ. [m] Robur salutis tantundem valet ac salus non vulgari fortitudine allata. *Posuisti tegumentum capiti meo.* [b] Quidā vertūt, Qui operis caput meū. Alii, Operi caput meū. Alii, in tempore futuro, Operies caput meū in die prælii. Acsi diceret, Eris mihi instar galeæ, tempore quo arma à me sumentur. [c] Sed dubium non est quin cōmemoret Dauid se iam olim fuisse protectum manu Dei, fideique confirmationem ab hac experientia colligat. [b] q.d. Fuisti mihi vice clypei: ego protectus fui tua virtute, quū essem multis ac variis periculis expositus. [c] Prodit enim Dauid non quasi nouitius & rudis tyro, sed multis variis certaminibus probè exercitatus. [a] Interea videmus quomodo, quicquid roboris aut virtutis in se esse cognouit, illud totū Deo acceptum retulit.

9 *Ne permittas Iehoua desideria impii: cogitationem eius ne perficias: exaltabuntur. Selah.*

Ne permittas Iehoua desideria. [a] Incipit hic precari contra hostes. [c] Posset autem nō minus commodè verti, Ne stabilias desideria impii. Quanquam sensus manebit idem: nempe vt Deus impiorum libidinem frenando, quicquid tentant & conantur irritum reddat. Vnde colligimus, in eius arbitrio esse, quoties visum est, praua hominum consilia spésque improbas frustrari, studia etiam frangere. Itaque quoties videmus non posse reuocari hostes ad sanam mentem, rogandus est vt quasdiu ceperunt machinationes, modò dissipet atque euertat. De eo enim sic iam scripsit Dauid, Iehoua dissipat consilium gētium, irrita facit cogitationes populorum, &c. Supra, 33.b.10. *Cogitationem eius ne perficias.* [b] Vel, Nefarium cogitatū eius (vel, quod conatus est) ne ducas, producas. Vel, ne facias prodire. Id est, ne perficias. q.d. Ne permittas vt ipsi exequantur quod cogitant. [a] Alii concisè legunt, Cogitatio eius, non impinges, vt *μυκτηρισμὸς* refreat Dauid quas spes sibi fabricēt impii. [c] q.d. Cogitatio impii talis est, nō est quod metuat quicquā periculi: prosperè enim succedent ibi omnia. Certè Domine sine vllo modo efferentur, & caput attollent supra nubes, nisi eos prohibeas. [c] Simili propè forma alibi descripsit eorum superbiam, quòd Dei prouidentia valere iussa, omnes euentus pedibus suis subiiciant, acsi mundum regerēt suo nutu, Supra, 10.b.5 6. Atque ita optimè quadrabit verbum *exaltabuntur.* q.d. impios fastu suo inflatos supra nubes efferri: quia nihil sibi accidere posse aduersi imaginentur. Sunt etiam qui vertant, Cogitatum: ne consummes: exaltabuntur. Quòd si magis placeat hæc versio, iterum negatio repetenda erit, Ne sinas Deus emergere in suum effectum quod impii consultant, ne exaltentur. Hoc quidem certum est, perstringi à Dauide securitatem hostium suorum, quia Deum pro nihilo ducētes, sibi ad quiduis audēdum habenas laxent. *Selah.* [a] Innuit hæc particula quam doleat prius exaltari impius, qui nimirum in sublimi feruntur.

10 *Caput obsidentium me, molestia labiorum eius operiat eum.*

Caput obsidentium me. [m] Subobscurus est hic versus, quapropter & variè exponitur. Simplex verò hic sensus esse videtur, Caput circumuenientium me, intelligit Saulem: illi seruiebant & gratificabantur qui Dauidem circundabant &

prodebant. Seruiebāt autem ei labiis iniquis, id est, delationibus, calumniis, ac proditionibus. Orat igitur vt Saul ille, caput inimicorum suorū, inuoluat eos simul molestia labiorū ipsorum. Hoc est, pœna talibus linguæ condigna, trahat eos secū in perditionem, quam vnà cum ipso merebantur. Quod factum est quum iudicio Domini interiret. *Molestia laborum eius operiat eum.* [f] Vel, Peruersitas, Iniuria. Hebraismus est, pro, Mendaciū labiorum principis eorum qui me persequūtur, obruat ipsum. Q. d. Suis consiliis & mendaciis pereat Saul. [g] Solennis hæc vltio est, quam Deus de hostibus suorum sumit, quámque sancti sumendam orant, vt scilicet illi mendaciis suis, quibus sanctis conantur molestiam inferre, seipsos perdant.

11 *Cadant super eos carbones cum igne: præcipitabit eos in profunditates, non resurgent.*

Cadant super eos carbones. [a] Communis est imprecatio contra totam hostium Dauidis turbam. [m] Comparat autem delationes eorum carbonibus, igni ac foueis. Q. d. Carbones illi quos mihi parant, cadant in ipsorum capita: in ignem quem mihi incendunt, prosternat eos Deus: & in foueas quas mihi adornant, sic præcipitentur vt consistere nequeant. [c] Vel, quum optat vt cadāt super eos carbones, ad horribile Sodomæ & Gomorrhæ exitium alludere videtur. Et alibi vidimus proponi à Spiritu Dei hoc vindictæ Dei exemplum ad terrendos omnes reprobos: sicuti, teste Iuda, hoc æterno documēto testatus est semel Deus se omnium impiorum fore iudicem, Iudæ b. 7.

Cum igne præcipitabit eos. [r] Alii vertunt, In ignem cadere faciat eos. sub. Deus. Vel, In ignem deiiciet eos. [c] Sed quia litera ב beth sæpe nota est instrumenti apud Hebræos, posset etiam commodè reddi, Deiiciat eos per ignem, vel cum igne: sicut Deus contra Sodomam & Gomorrham fulminauit, Gen. 19. e. 24. *In profunditates.* [r] Vel, In foueas profundas. *Non resurgent.* [r] Vel, Ne resurgāt. Ne emergant. Id est, E quibus emergere nō possint. Alii, Vt nō consistant. [e] Optat Vates hostes suos submergi in profundas abyssos, vnde nunquam resurgāt. Nā quū Deus quos duriter percussit, sanare interdum soleat, spē veniæ reprobis Dauid præcidit, nempe quia videbat esse insanabiles. Nam si flexibiles fuissent ad resipiscentiam, ipse quoque vicissim fuisset ad misericordiam propensus. [a] Sic alibi de desperatis loquens, dicit, Pluet super impios laqueos, ignem & sulphur, & spiritus procellarum, &c. Suprà, 11. b. 6.

12 *Vir linguæ non stabilietur in terra: virum virulentiæ noxa venabitur ad expulsiones.*

Vir linguæ non stabilietur. [a] Quidam vertunt, Vir linguax, vel linguosus. Sed hoc nimis restrictū est. Neque enim Dauid vel maledicum, vel garrulum, vel fusilem & iactātiæ deditum intelligit: sed virulentum hominē, qui fraudibus vel calumniis magis quàm aperto marte pugnat. *Non stabilietur.* [a] Vel, Nō dirigetur, Non firmabitur. Multi in optādi modum resoluunt. Ne sit stabilis. Vel, ne dirigatur. [c] acsi diceret Dauid, Nihil succedat homini virulēto & linguaci quādiu degit in hoc seculo, ne perueniat quo tendit. Sed præstat futurum verbi tempus retinere: quia non tam videtur precari Dauid quàm animum erigere ad spem liberationis. [a] Nam orationem suam terminans, fiduciam concipit de certitudine futuri iudicii Dei, quo causa afflictorum ac pauperum tandem expeditur. Itaque certò pronuntiat nihil prosperè cessurum viris improbis ac fraudolentis. [c] Ergo siue insidiis obrepant hostes, siue palam furorem suum prodant, remedium in manu Dei fore sibi promittit. *Virum virulentiæ noxa venabitur ad expulsiones.* [c] Confirmat his verbis quod diximus, tam perfidiæ & astutiis quàm violētiæ deditos fuisse hostes suos, atque ita leonum simul & vulpium fuisse similes. Sicuti ante cōquestus est, venenum aspidis aut viperæ esse sub labiis eorū, versu huius Psalmi quarto. [r] Optat autem Propheta vt virum pronum ad iniuriā inferēdam calamitas ita rapiat vt decidat in miseriam sempiternam. [c] Et concinna est similitudo venationis: quia sicuti venator, vbi vndique tetendit plagas suas, nullum belluæ effugiū relinquit: ita docet, quātumuis tergiuersentur impii, nō posse tamen elabi ex Dei iudicio. Venatur autem eos malum in expulsiones, quia impunitatem captando, magis se præcipitāt in ruinam.

13 *Cognoui quòd faciet Iehoua iudicium pauperis, iudicium afflicti.*

Cognoui quòd faciet Iehoua. [a] Iterum memorat Dauid vnde sibi spem firmauerit dum hostes superiores esse videbātur. Cogitabat, fidémque hāc roborabat sibi, Dominum non posse nō asserere tādem & vlcisci afflictos & pauperes ipsi fidētes. [c] Atque ita ostēdit se nō dubitanter orasse. Nam quasi de re certò sibi nota & coperta pronuntiat, fieri nō posse quin Deus afflictis tandem subueniat. *Iudicium pauperis.* [r] Vel, afflicti. Q. d. Certò noui quòd Deus sit vindicaturus afflictos, & asserturus egenos. [a] Quia Deus conniuet ad tempus, probósque & simplices miserè vexari patitur, prudenter Dauid huic tentationi opponit clypeū, facere hoc Deum consultò, vt afflictos subleuet, oppressósque restituat. Ideoque disertè exprimit vindicē fore inopis & afflicti. Hoc modo se & alios ad ærumnas patiēter ferendas animat, donec opportunum adueniat ferendi auxilii tempus, quasi diceret Me nūc omnes miserum existimāt, quia expositus impiorum libidini, non statim Dei manu restituor: me tamen desperatio non obruet: quia proprium Dei munus esse scio pauperum causam suscipere. Nam quòd priuatim ad Dauidis personam hoc nonnulli restringunt, dilutum est.

14 *Vtique iusti celebrabunt nomen tuum, habitabunt recti coram facie tua.*

Vtique iusti celebrabunt. [e] Vel, Profectò iusti confitebuntur nomini tuo. [c] Colligit Propheta iustos gratias Deo acturos, eiusque auxilio semper fore incolumes, Nā particula אך (quæ sæpe est aduersatiua Hebræis) hic simpliciter affirmat, vice tamen illationis ponitur. Quanuis ergo ad tempus obmutescant pii, & angustiis constricti à Dei laudibus cessent, statuit tamē Dauid, paulo post redditum iri quod ablatum fuerat, vt læti & alacres celebrent Dei gratiam. Et quia hoc in rebus maximè confusis difficile creditu erat, particulam vtique interposuit. Sic enim luctando ad hanc fiduciam emergere nos decet, quātumuis miserè iaceant fideles, recuperata lætitia breui celebraturos Dei nomen. *Habitabunt recti coram facie tua.* [r] Vel, Cum vultu tuo. Vel, In conspectu tuo. [c] Causam reddit sententiæ superioris, hanc enim Dei laudādi materiam rectis fore dicit, quia sentient salutis suæ curam esse Deo. [r] Nam habitare coram facie Dei, est, vbi Deus nostri curam dignatur suscipere, & dirigere nos suis oculis, ita vt nō sinat nos huc illuc aberrare.

ARGVMENTVM PSALMI CXLI.

[a] Petit Dauid animū suum diuinitus frænari & regi, ne vlciscendi cupidine motus hostibus suis paria referat, atque ita maleficiis certet. [a] Deinde dignam hostibus suis vltionē precando, liberationem suam optat ardentissimè.

I*Ehoua clamaui ad te, festina ad me, ausculta vocem meam dum ad te clamo.*

Psalmus Dauidis. [a] Vel, Cantus ipsius Dauid. Quidam, Oda Dauidis. *Iehoua clamaui ad te.* [r] Vel, Ad te clamo. Hoc versu & sequenti Propheta pro suo more id petit à Domino vt vocem suam properè audire dignetur. *Festina ad me.* [a] Q. d. Fac vt statim opem mihi feras. *Ausculta vocem meam.* [r] Hoc est, Exaudi precationem meam. [c] Ex hoc principio colligere licet, Dauidem, quum ita precatus est, non leui tētatione fuisse perculsum: quia & eadem vota iterat, & vehemēter insistit in flagitando auxilio. Etsi autem non audemus tempus præscribere, probabilis tamen est eorum coniectura qui Psalmum hunc de persequutionibus, quas sub Saule passus est, compositū esse volunt. Iam Dauid suo exemplo ad Deum rectà quærendum nos inuitat, ne (sicuti homines profani solent) variis subsidiis accersendis occupati, à precandi studio cessemus. Clamare se ad Deum dicit quum profani homines cælum, terram, homines, fortunam, suáque omnia figmēta prius inclament. Quòd siquando ad Deum voces suas dirigant, obstrepunt tamen & obmurmurant: ut sit hoc potius vlulare quàm precari.

2 *Dirigatur precatio mea quasi suffitus coram facie tua, eleuatio manuum mearum quasi sacrificium vespertinum.*

Dirigatur precatio mea. [c] Vel, Sit stabilis oratio mea. Alii. Firmetur, præparetur. Id est, (vt quidā vertūt) Valeat oratio mea pro incenso. Aut, Grata sit sicut suffimentum quod tibi offerri solet. [c] Alludit ad legales ritus. quia enim suffitu & sacrificiis tūc volebat Deus sanctificari preces fidelium, huic promissioni innititur Dauid: & quia his symbolis admonebatur fideles non secus accepta esse Deo preces suas quàm suauissimi odoris suffitum & optima sacrificia, hinc ille dei confirmationē petit. Etsi enim externis illis cæremoniis minimè affixi erant Patres, debuit tamen Dauid hæc adminicula in vsum suū aptare. Quia ergo secum reputat non temere adoleri quotidie suffitū in altari ex Dei mandato, nec frustra etiam offerri munus vespertinum, cum illo legali cultu preces suas coniungit. *Eleuatio manuum mearum.* [c] Hoc est, precatio mea. Nam sæpiè quidā

vertunt manus. Quàm enim frigidè diceret, Munus meum tibi placeat, sicut munus vespertinum. Iam quum nomē hoc à נשא deductum, eleuatio sit Hebræis, optimè conuenit orationem notari ab externo gestu: & facilè constat Dauidē suo more idem bis repetere. Quorsum verò semper publico gētium omnium cōsensu receptum fuerit manus in cælū tollere inter precandum, dictum fuit Suprà, 18 a.2. *Sacrificium vespertinum.* Huc dicit fortè quòd sub vesperam primùm hæc precatus est. Eo autem iuxtà significauit se mane & vesperi statas suas preces habuisse, vt in Tabernaculo fœderis ex Lege Sacerdotes quotidie faciebant. De incenso legis Exodi 30.a.9. de Sacrificio matutino & vespertino, Exodi 29.f.39, & Numer.28.a.4.8. Quæri autem hic posset cur optet Dauid tam gratam esse Deo orationem suam quàm gratum est suffimentum & sacrificium vespertinum, quum Suprà, 50.b.8, & 51.d.18, id Deo tribuerit, quòd sacrificia, etiam holocautomata nō moretur. Respondere potest, probasse Deum populi sui sacrificia, & rursus non probasse, aliquādo etiam detestatū esse. Probasse, quādo essent sale fidei cōdita, qualia fuere sanctorum, Noe, Abrahæ, Isaac, Iacob, Samuelis, &c. non probasse, si in se nuda inspiciātur. Reprobasse ac detestatū esse, quum offerebātur ab impiis, incredulis & immorigeris. sicuti Esa.1.c.11.d.13, & Ier.7.e.11. legitur. Loquitur ergo Dauid de talibus incensis ac sacrificiis quæ ritè offerebātur, & propter fidē offerentium Deo grata erant.

3 *Pone Iehoua custodiam ori meo, custodi super ostium labiorum meorum.*

Pone Iehoua custodiam ori meo. Iam consequenter subiungit quid à Domino petat: nempe ne quid impiè loquatur, nec maledicè is certet cum hostibus suis. Nam quia effrænis hostium suorum sæuitia & libidine concuti potuit, vt se minus temperanter gereret, dominus se gubernari petit: nec modò manus suas cohiberi à vindicta, sed linguā quoque tam à maledictis, quàm obstreperis vocibus. Nam & moderatissimis quibusque interdum contingit, si præter meritum læduntur, hostium suorum ingratitudine turbati, vt ad se vlciscendo prosiliant. Petit ergo Dauid linguā suam à Domino frænari, ne quod præposterum verbum effluat. *Custodi super ostium labiorum meorum.* Quia nihil difficilius est quam iniustè afflictos ita linguæ suæ moderari vt placidè & cum silentio deuorent iniurias, non frustra optat Dauid claustris os suum & custodia obserari, adeoque ostiū oris sui clausū teneri à Deo, sicuti ianitor ingressus & egressus obseruat. siquidē נצרה verbum est imperatiui modi potius quàm nomen. Obseruandū his est quantæ sit virtutis ori imponere frænum, & linguam coercere, nequid loquatur quod vel noxium vel illicitum sit, vel etiam inhonestum. Tantæ videlicet vt eam à Domino petere necessariū duxerit Propheta. Cogitemus ergo quanta nobis necessaria sit cautio, & oris nostri custodia, quādo id viris sanctis vsu venit vt cordium suorum impuritatem sentiant, & oris custodiam à Deo petant.

4 *Ne inclines cor meum ad rem malam, ad patranda opera in impietate cum viris operantibus iniquitatem: & ne comedam ex delicijs ipsorum.*

Ne inclines cor meum. Optat hic cor suum retineri ab omnibus peruersis consiliis, ne in vetitas retrahatur. *Ad rem malam.* דבר hoc loco, vt alias sæpe, pro negotio ponitur. Et mētem suam continuo pòst declarat Dauid, dicens, *Ad patranda opera in impietate cum viris operantibus iniquitatem.* Optat enim ne maleficiis certando, similis hostibus suis reddatur. Proinde tam sermones suos quàm affectus Deo regendos commendans, fatetur non aliter quàm arcana Spiritus moderatione & linguā & mentem in officio teneri: præsertim vbi ad intemperiē nos hostium petulantia impellit. Iam si lubrica est ac nimis volubilis lingua, nisi Deus quasi custos & excubitor eā contineat, non minus necesse est intus cohiberi turbulētos affectus. Qualis enim officina est cor hominis, & quam varia cōsilia singulis ferè momētis fabricat? Fatendū ergo est cum Dauide, nisi Deus corda & linguas custodiat, nullum fore modum prauis tam cogitationibus quàm verbis: quia & linguæ modestia singulare est Spiritus donum, & Satā nunquam multa suggerere desinet quæ nos facilè, imò cupidè amplectemur, nisi se Deus opponat. Admonemur itaque his Prophetæ verbis corda nostra non esse in nostra sed Dei manu, vt illa quocunque ipsi placuerit dirigat & inclinet: idque vel ex gratia, quod facit in electis: vel ex indignatione, quod in reprobis facere solet. Quod ergo hic dicitur, eo sensu accipiendum est quo illud, Indurauit cor Pharaonis, Exodi 9.c.12. Et, Tradidit eos in sensum reprobum, Rom 1.d.28. Habet vasa iræ Deus quæ destinauit vt suam gloriā illustrent, dando pœnas impietatis suæ. Talis Pharao fuit, talis Sihon rex, & alii multi: hāc sortem Dauid deprecatus, petitque esse vas gratiæ, in quo se Dei gloria beneficiis, non vltionibus exerat. Porro cum Deus inclinat corda res noxias & cogitationes impias, indurat, tradítque in sensum reprobum, quum illud Satanæ permittit impellendum ad ea quibus iusta eius vltio prouocatur. Non quòd ad malas cupiditates nos ipse solicitet, sed quia arcanis suis iudiciis, tradens Satanæ tyrannidi reprobos, & quidem efficaciter mancipans, merito dicitur excæcare & obdurare. Interim culpa scelerum causa hominum quærenda non est, in quibus residet concupiscentia: & quum naturaliter appetant bonum, vel malum, non externo impulsu sed spōte & proprio vitio ad malum inclinant. *Et ne comedam ex delicijs ipsorum.* Hæc loquutio metaphorica est: ac si diceret, Ne eorum prosperitas ad prauā æmulationem me alliciat. Nam per delicias iucunditatem intelligit qua se oblectant impii, quandiu pro sua indulgentia Deus ad eorum scelera conniuet. Sicuti autem audacius insolescunt, ita periculum est ne fideles eorum prosperitate decepti, simul iam diffluant. Ideóque nō abs re Dauid arcano Spiritus sancti fræno retineri postulat, ne epuletur ex eorū deliciis. Hoc est, Ne fallaci amœnitate sese ad peccādi licentiam inebriet, atque ita in peccatis voluptuetur.

5 *Percutiat me iustus clementia, & castiget me oleum pretiosum. non franget caput meum: quia adhuc & oratio mea in malis eorum.*

Percutiat me iustus clementia. Quidam, Percutiat me iustus, erit misericordia. Vel, beneficiū. Quia dū impios inescat Satan suis illecebris, simul ipsi quoque alii aliis blādiendo se mutuò decipiunt, affirmat hic Dauid multo sibi esse optabiliores castigationibus, velut ferulis, assiduè expergefieri, quàm falsis inanibus blanditiis. Nam quia inter Dei contemptores nō conseguitur qui hoc vel illo vitio infectus est, quisquis ad sanctitatem aspirat, sedulò adiungere se probis hominibus debet, qui sanctis monitionibus restituant labentem, vel errantem in viā reuocēt. Est quidem hoc carni minimè iucundum, quoties deliquimus: sed Dauid ad docilitatē & tolerantiam sic cōposuerat animū, vt nulla obiurgatio acerba foret quā sciret à Spiritu mansuetudinis profectam esse. Quia tamē in verbis subest aliqua ambiguitas, videndum est quinam sensus optimè conueniat. Nomen חסד commodè resolui posset in aduerbiū clementer, vel subaudiri præpositio In: & in hanc sententiā descēdat maior pars interpretum, Instar optimi vnguēti Dauidi fore correctiones quæ spirabunt humanitatem & clemētiam, vel ex placido beneuoloque animo nascentur. Si placeat hæc lectio, notandum erit Dauidem non tam ad externum obiurgationis modum quàm ad mansuetudinē cordis respicere. Etsi enim acriter excādescant iusti, & seuerè verbis errantes castigent, non tamē alio quā fraterni amoris affectu mouētur. Imò asperitas ipsa verè ex pia solicitudine emergit, dū fratrum saluti metuunt. Clementer ergo se gerit semper iustus, quamuis durior aut vehementior appareat: sicut maleuoli, quamuis leuiter tantùm perstringant, sunt tamen inhumani viri. Denique hac nota Dauid obiurgationes à sincero amore profectas discernere voluit à conuitiis quæ ex odio vel inimicitiis prorumpūt. sicut dicit Solomo Prouerb.10. b.12. Æquè tamē quadrat diuersa interpretatio quā posuimus, Corripiat me iustus, clementia erit: (vel, hoc deputabo in loco beneficii) corripiat me, & hoc erit mihi pretiosum vnguētum, quod caput meum non lædet. Hoc membrum secus alii exponunt, Oleum capitis ne frangat caput meū. Hoc est, ne me suis blanditiis exitialiter demulceant impii. Ita sub olei nomine notari volunt pestiferas adulationes, quibus nos in exitium præcipitant improbi, dum prætextu dulcedinis nos magis ac magis in profundam abyssum demergunt. Hoc modo plenior esset sentētia, Dauidē non modò esse morigerum & docilem iustis piorum correctionibus, sed etiam adulationes fugere, non secus ac noxios Sirenum cantus. Et certè quamuis primo gustu suaue sit laudari, quisquis tamen aures assentationibus præbuerit, toto corde mox hauriet præsentissimum venenum. Cæterùm discamus exemplo Dauidis excutere omnes blāditias, ad quas natura sumus nimium propensi, & peruicaciā exuere ne castigationes, quæ saluberrima sunt vitiis nostris remedia, respuamus. Adeo enim socordia perire magnam hominū partem iuuat, vt qui se dānare cogitur, copiat tamē suffragiis mundi absolui. Quorsum hoc, nisi vt torporem conscientiæ obducens, spōte se exitio deuoueat? *Quia adhuc & oratio.* Tribus modis exponitur hoc membrum. Quidam seorsum hunc eliciunt, quia nihil magis procliue est quàm corrumpi malis exēplis, Dauidem hoc deprecari, ne in malitiam eorum declinet. Secundus sensus est, Quia Dauid eos quiduis improbè machinari videt, petat à

Domino vt ab eorũ malitia tutior seruetur. Tertii sic reddunt, Quando video esse desperatos, imprecor quod meriti sunt, vt saltem contra eos exerat iusta Dei vltio. Contrarius tamẽ sensus videri potest aptior, quòd obstinatio eorum non impediat tamen Dauidem quominus illis bene precari pergat. Nam aduerbium adhuc emphaticè inseritur. Quid si etiam vaticinetur Dauid de infausto eorum exitu? acsi diceret, quanuis nunc lasciuiant impii, vbi paulisper quieuerit ipse, breui fore vt ipsorum miserescat. Et certè huc potius nos deducit verborum contextus. Neque enim dicit, Adhuc oratio mea erit in malis ipsorum, sed videtur seorsum dicere, Quia adhuc: quum interposita copula, deinde adiungat, Et oratio mea erit in malis ipsorum. Quia ergo timendum erat ne vnà cum illis euanesceret Dauid, prudenter animum suum suspendit: acsi diceret, Paulisper adhuc maneamus integri, & tandem horribili clade ferientur, quæ mihi & õnibus aliis Dei filiis extorqueat misericordiam.

6 *Deiecti sunt in loca saxosa iudices eorum: & audient sermones meos, quia suaues sunt.*

Deiecti sunt in loca saxosa iudices. [v] Quidam optandi modo legunt, Deiiciantur in loca petrosa. Vel, Præcipites dentur velut de rupe. Vel, Demittãtur in manibus petræ, vel saxi, vt sit imprecatio aduersus proceres populi. Q.d. Pereant iudices siue principes eorum. [c] Sed dilucidior erit mens Dauidis si vertamus hoc modo, Vbi deiecti fuerint è rupibus vel in loca saxosa illorum iudices, tunc audient sermones meos. Certũ quidem est, quia promiscuum vulgus errore & falsis delationibus captum contra se furere videbat Dauid, culpã reiicere in ipsos duces. Itaque vbi ablati illis fuerit dominatio, simplices ad sanam mentem rediturus confidit. Metaphoricè autem hic ponitur deiectio è rupibus, vel in loca saxosa, respectu dignitatis in qua locati erant. Etsi autem nõ prorsus extra culpã fuerunt qui malos duces sequuti piũ & sanctum virũ iniustè persequebantur: meritò tamen de eorũ resipiscẽtia melius sperat: quòd tũc sapere incipient vbi Deus in ipsa capita vindictam exercuerit. Videmus enim plebẽ impetu magis quàm delectu hoc vel illud probare, cæcisque præiudiciis ferri in res pessimas: rursum, vbi admonita fuerit, eadẽ facilitate cursum reflectere. Quanuis ergo crudelitas semper vitiosa sit, neque stultitia excuset, monemur tamen exemplo Dauidis, optãdum esse sanum consilium errantibus, vt æquum & verum patienter audiant.

7 *Sicuti qui frangit & secat in terra, dispersa sunt ossa nostra in ore sepulchri.*

Sicuti qui frangit & secat. [v] Alii, Sicut scindens & findens ligna in terra. [a] Subiicit calamitatem quam ex iudicum iniquitate & iniustitia perceperat. [m] Conqueritur enim hostes ad suũ interimendũ non vna & simplici morte fuisse contentos: quia ipse & comites lacerati fuerint antequam in sepulchrum proiicerentur. Quũ ergo latrones iugulati hominis cadauer proiiciant integrum in foueam, crudelius se & comites tractatos fuisse asserit Dauid: quia scilicet ossa ipsorũ dispersa fuerint quemadmodum frustulatim scinduntur ligna & lapides, vel terra effoditur. Hinc sequitur, mirabiliter ereptum fuisse Dauidem ex multis mortibus, quemadmodũ loquitur Paulus de se in posteriori ad Corinthios epistola, cap. 1.b.9. Vnde etiam spes nobis concipienda est vitæ & salutis, quanuis ossa nostra fracta & dissipata fuerint. *In ore sepulchri.* [v] Id est, iuxta sepulchrum. Id est, In ea discrimina nos adduxerunt vt propè ad mortem accessissemus. [m] Admonet autẽ hic locus quales viros populo suo gubernando destinet Deus, vbi rebus afflictis succurrere statuit.

8 *Quia ad te Iehoua, Domine mi, oculi mei: in te speraui: ne exinanias animam meam.*

Quia ad te Iehoua. [m] Iterum pro conseruatione sui orat, & Dei promissionũ spe suffultus opem eius implorat. Q.d. Quoniam tota cordis mei fiducia à te pendeo Domine, & indesinenter auxilium tuum expeto, ne des animam meã in manus inimicorum meorũ. *Oculi mei.* [a] Hoc est, Ad te vnũ respicio, Te vno cõfido. *In te speraui.* [v] Vel, spero. [a] Q.d. Equidẽ õni humano auxilio destitutus totam meã fiduciam in te vnũ colloco. *Ne exinanias animam meam.* [v] Vel, Ne effundas animã meã. Hebraismus, pro, Ne citò perire me finas. [c] Si tenemus quid valeat illa ossium dispersio, cuius nuper meminit, perinde accipiendũ est hæc precatio acsi frusta discerpti & lacerati cadaueris ad Deum clamarent. Vnde colligimus quàm heroica fortitudine præditus fuerit Dauid, qui tam alta mole obrutus, non destitit tamen conuersos in Deum habere oculos: sicuti proprium fidei munus est dissipatos sensus colligere, qui subinde aliàs euanescerent. Quanuis ergo insigne Dei miraculũ fuerit dispersis ossibus seruari superstites, duplex fuit miraculum, animas retinere in solida constantia ne deficerent. [m] Notandum hoc loco quòd Dauid spei suæ magis quàm iustitiæ ratione à Domino haberi confidit. Habet quidem iustitiæ respectum Deus, & innocentiæ patrocinatur, verùm iusti & pii homines magis fidei, spei, ac fiduciæ suæ quàm iustitiæ fulcris in conspectu illius nituntur. Hoc est, magis ad bonitatẽ Dei (qui sperantes in se non deserit) quàm ad propriam respiciunt innocentiam.

9 *Custodi me à manibus laquei quem tetenderunt mihi, à retibus operantium iniquitatem.*

Custodi me à manibus laquei. [v] Vel, A locis laquei. Id est, A laqueo. [c] Fatetur se teneri inclusum hostiũ insidiis, nisi diuinitus liberetur. [m] Q.d. Serua me Domine, ne incidã in insidias hominũ iniquorũ, quas mihi fraudulẽter & aliter moliti struũt: nisi enim misero mihi opem tuleris, periculũ hoc effugere nõ potero. [a] Quum Dauid Deum in his angustiis implorat, ostẽdit quantũ tribuat eius gratiæ, sicut dixit eius esse mortis exitus, Suprà, 68.c.21: quia liberationem Deus sæpe differt, quo tandem fit illustrior. [m] Idem penè orauit Suprà, 140.a.4.5. *A retibus operantium iniquitatem.* [m] Iam secundò causam inimicorum suorum coram Deo grauat, & odiosam reddit, [a] vocãs eos operarios iniquitatis, quibus verbis deploratos esse ostendit. Toti siquidem iniquitati incumbebant, & bonis continuò molesti erant.

10 *Cadant in retia eius impii simul: ego semper transibo.*

Cadant in retia eius impii. [m] Iam hostibus suis imprecatur, & quod machinati sunt, in eorum capita retorquet. [c] Quidam pronomen eius ad Saulem referunt, quasi diceret, Doeg & similes cadant in laqueos Saulis. [v] Alii singulare pro plurali positum esse volunt, eius, pro vniuscuiusque ipsorum. [c] Sed hoc relatiuum rectius ad Deum refertur. Prius dixerat Dauid, Custodi me Domine à plagis & laqueis impiorũ: nunc laqueis quos tetenderant impii ad circumueniendos simplices, opponit Dei retia, qui solet deprehendere astutos in malitia quam fabricant. Et quia negotium erat cum ingẽti multitudine, dicit, *Cadant simul*: quia nisi persuasus fuisset in manu Dei esse, quicquid copiarum concernant homines, nullo negotio prosternere, nulla spes erat effugii. *Ego semper transibo.* [v] Quidam sic legunt, Simul, donec ego transeam. Id est, Iterum dum euadam, acsi nulli laquei ante oculos meos positi essent. Atque ita inuersus esset ordo verborum. Verti etiam potest, Pariter ego perpetuò transeam. Id est, Vadam illæsus, & non capiar tendiculis illius.

ARGVMENTVM PSALMI CXLII.

[b] Memorat Dauid quid precatus sit ad Dominũ, quum Saulem fugiendo in specu delitesceret: [a] vt pii omnes huius exẽplo discant, dum aduersis premuntur, in vnum Deum certa fide recumbere.

ERudiens Dauidis, quum esset in spelunca, precatio.

Erudiens Dauidis. [a] Vel, Intellectus. Alii, Eruditio, vel, Eruditiuum. Vide Suprà, 32.a.1. *Quum esset in spelunca.* [m] Hæc historia legitur 1.Sam. 24.a.4. Quum nullum omnino tam Dauidi effugium superesset, ita vt in specum se recipere cogeretur, plurima indubiè anxietate fuit afflictatus, omni momento expectãs vt proditus in specu, crudelitati Saulis permitteretur. [m] Et quia potuit vir sanctus in tãto discrimine vel obstupescere metu, vel consternatione impelli quò non licebat, (sicuti qui de vita desperant, vel iacent similes attonitis, vel amentia huc illuc rapiuntur) testatur hoc Psalmo se retinuisse compositum animum, nequid illicitum tentaret, sed acquiesceret in votis & precibus. *Precatio.* [m] Posset hæc epigrapha sic ordinari, Intelligentis Dauidis, quum esset in spelunca, precatio. Vel, Intellectus Dauidis, quum esset in spelunca & oraret.

2 *Voce mea ad Iehouam clamaui, voce mea ad Iehouam precatus sum.*

Voce mea ad Iehouam. [v] Futurum Hebræum pro præsenti, vel præterito perfecto: nam de re præterita loquitur. Quidã versũt per imperfectum, Clamabam, & deprecabar. Sub. quũ nullum mihi superesset effugium. [a] Anxietudinẽ, in qua constitutus erat sanctus vir, multis exprimit, ac ostendit quid in ingẽti discrimine constitutus fecerit. [m] q.d. Quũ essem in spelunca, & cernerem in eum locum Saulem cum exercitu ad ipsum vs-

que latibulum meum appropinquare, nec vspiam vllus superesset effugii locus, conuersus ad Dominum clamaui, & opē eius implorauī.[c] Sanè mira fuit præsentia animi in Dauide, quòd neque pauore exanimatus est, neque iracundia percitus se vltus est de hoste, (quod facile erat,) neque desperatione impulsus est ad eius necem: sed vota sua composito animo ad Deum direxit. Itaque non abs re posita est inscriptio ad circunstantiā notandam: nec abs re testatur ipse Dauid se Deo prorsus fuisse addictum. Quum vndique cinctus esset Saulis exercitu, qui factum est vt se quasi sepulchro inclusum videos, manum tamē abstinuerit ab hoste implacabili, nisi quia precibus ad vincēdas omnes tentationes se armauit. Huc spectat repetitio, *Voce mea ad Iehouam precatus sum.* Significat enim perseueranter se orasse, vt contra omnes fluctus staret immobilis, & fixam semper in Deo fiduciam suam haberet.[m] Admonemur hic, patientiam sanctorum non esse talem vt in angustiis constituti taciti sustineant & ferant quicquid accidat: sed quamuis sint patiētes, nihilo tamen minus quærere eos auxilium, quo à malis prementibus liberentur. Deinde quærere eos auxilium non aliunde quàm ab eo à quo toti pendent, in quē credunt, in quo sperant, quem solum adorāt, hoc est, à Domino suo. Tertiò ad hunc eos non obiter, non frigidè, sed ex corde, ardenter & indesinēter orare, vociferari, deprecari, & animi sui angustiam aperire, & in conspectu eius effundere. Sicuti versu proximo dicitur.

3 *Effundo coram facie eius meditationem meam, afflictionem meam coram facie eius narro.*

Effundo coram facie eius.[v] Vel, Effudi, effundebam, vt versu præcedenti vertimus. Id est, prolixè & profusè exponebam illi mentem meam. *Meditationem meam.*[v] Vel, Commeorationē meam. Preces meas. Sermonem meū. Eloquium meum. Cogitationem meam. *Afflictionem meam coram facie eius narro.*[v] Vel, Nuntiaui. narraui.[m] Clarius exprimit hoc versu se exonerasse suas curas in Dei sinū. Nam effundere cogitationem & tribulationem nuntiare, perplexis anxietatibus opponit, quas intus coquunt miseri homines, & quibus se exedūt, dū malunt frænum mordere quàm confugere ad Deum: vel insanis clamoribus, quos in aerem proiiciunt alii, qui ex paterna Dei prouidentia nihil solatii concipiunt. Itaque summa est, neque vlulasse bruto impetu apud homines, neque cæcis tormentis animum suum cruciasse[c] sed dolores suos exposuisse coram Deo, à quo solo opem implorabat, atque etiam sperabat.

4 *Quum se inuolueret super me spiritus meus, & tu cognouisti semitam meam: in via qua ambulam posuerunt laqueum mihi.*

Quum se inuolueret super me.[v] Quidam legūt, Quum deficeret in me spiritus meus. Alii, dum distorqueretur. vel, angustiis afficeretur. Alii, Quum perplexus essem in me. Alii, Quum operiret se super me.[m] Declarat his verbis animi angustiam, qua in eo discrimine Propheta arctabatur.[c] Quamuis autem fateatur se anxio fuisse animo, confirmat tamen quod dixit de fidei suæ constantia. Cōcinna verò translatio est animi in se contriti & impliciti: quia, vbi nullus in periculis exitus apparet, inter varias reuolutiones animus alternat, & consilia huc inde accersendo plus molestiæ accumulat. Vide Suprà 61.a.3, & 77.a.3 Dicit ergo se maximè anxium fuisse & perplexum. *Et tu cognouisti semitam meam.*[v] qua scilicet possem effugere.[c] Dicit, quāuis nulla constaret salutis ratio, Deum tamen semper sciuisse quomodo liberādus esset.[v] q.d. Sciebas Domine quanā ratione possem effugere eorum insidias. Quidam hoc membrum secus accipiūt, acsi integritatis suæ Dauid testem faceret Deū: sed alterum illud quod attulimus, rectius est: quum ipse animū suum variis agitationibus sursum & deorsum versaret, & tamē inexplicabilis esset exitus, modū liberandi fuisse Deo cognitum. Nam sequitur, *In via qua ambulans posuerunt laqueū mihi.*[b] Ac si diceret, Mihi quidem nusquam patet via qua elabar. Putabam me satis tutum in his mōtibus, rupicolis capris tantùm tritis, refugium & latibulū habiturum: sed etiam in hunc tramitem laqueum mihi posuerūt, nihil minus expectāti. At scis tu adhuc semitam qua euadam.[c] Docemur autem his verbis, quamuis post tentata omnia remedia, consilio destitui nos contingat, debere hoc nobis sufficere quòd Deus mala nostra non ignoret, ac nostri curam suscipere dignetur: sicuti dicebat Abraham, Dominus prouidebit, Gen.22.b.8 Hanc eandem regulam sequutus est Dauid dum mortis caligine obseptus, clausis oculis, regendū se tradidit paternæ prouidentiæ.

5 *Aspiciendo ad dexteram, & videndo, nemo fuit mihi cognitor, periit fuga à me, nullus requirens animam meam.*

Aspiciendo ad dexteram.[v] Vel, Aspiciebam ad dexteram, atque videbam. Infinit. Hebræ. pro præterito imperfecto aut perfecto. Id est, respexi, vel respiciebat.[m] Cōfirmat se diros illos cruciatus non abs re perpessum esse, quum nec quicquam humanæ opis vel solatii sperādum esset, neque pateret vllum mortis effugium.[a] Q.d. Vide quàm sim desertus ab omnibus notis & amicis. Nemo dexteram meam cingit, opitulādi videlicet gratia: nemo est qui in hisce periculis agnoscat, nec est vspiā euadendi copia: nō video quo fugere possim, nemo præsto est qui vitæ meæ rationem ac curam gerat. *Nemo fuit mihi cognitor.*[a] Vel, Et nō erat qui me agnosceret.[c] Q.d. Nemine̅ vidi, nō dico qui subueniret, sed qui me agnosceret.[c] Quum dicit aspiciendo & videndo non reperisse inter homines amicum, non significat se præterito Deo, mentem circumegisse ad humana subsidia, sed quoad fas erat quæsiisse an vllus esset in terra adiutor. Si quis oblatus esset, haud dubiè sensisset missum flsū gratiæ Dei: sed Deus hominum auxilio orbare eum voluit, quo mirabilius eum à morte eriperet, & potentiam suam illustriorem redderet. *Periit fuga à me.*[v] Vel, Perierat effugium à me.[b] Hebraismus, pro, Quo effugerem non habebā. Nusquā effugiendi via patebat. *Nullus requirens animam meam.*[a] Vel, Nec erat qui requireret animam meam. sub. vt eriperet.[c] Nā requirere animam, in bonam partē hic ponitur, pro eo quod est sollicitum esse de vita hominis tuenda.[v] Q.d Nemo satagebat me eripere.[m] Haud quidē solus erat Dauid in spelunca (nā exilii sui socios secum habebat) verùm ex omni Israele nemo eorū, qui expertes erant ipsius exilii, causam ac vitam ipsius tuebatur. Cogitemus hic quo cōsilio Deus in huiusmodi discrimina suos interdum incidere sinat, vt & suis & aliorum viribus destituti, nusquam elabi queant. Hoc videlicet vt non solùm ad se ardentius clament: sed & reipsa liberati experiantur, nō esse se nisi ipsius auxilio ereptos.

6 *Clamaui ad te Iehoua, dixi, tu spes mea, portio mea in terra viuorum.*

Clamaui ad te Iehoua.[a] Vel, Tum clamaui ad te Iehoua.[c] Q.d. Omni humano præsidio destitutus, cogitare cœpi nullā posse esse calamitosam sortem, quam nō emollias, Deus, & dissipes inuocatus.[a] proinde ad te clamaui. *Dixi, tu spes mea.*[c] Hoc est, dixi te meum esse Deum, meam fiduciam, meam salutem. *Portio mea in terra viuorum.*[b] Vocat Deum portionem suam in terra viuorum, quia sperabat in hoc seculo se adhuc bonitate eius fruiturum. vt dicitur Deus suorum portio, dictū est suprà, 16. b. 5. Terram autem viuentium præsens seculum dici ostendimus suprà, 27.d.13.[m] Notandum hic est eos solos verè Dominum Deum spem suam vocare, qui verè illum portionem suā vocare possunt. Qui aliam extra eum portionem corde cōplectuntur, vt nunquā verè dicere possunt, Tu es, Domine, portio mea: ita nunquam dicturi sunt, verè & ex animo, Tu es Domine spes mea. Nō enim possunt ista diuelli à se inuicem. Vbi portio nostra est, ibi est & spes nostra.

7 *Intende ad clamorem meum, quia miseria laboro valde: libera me à persecutoribus meis, quia inualuerunt super me.*

Intende ad clamorem meum.[m] Petit iterum vt exaudiatur[c] & clamoris voce vehementiam notat. *Quia miseria laboro valde.*[a] Vel, Quia attenuatus sum valde. Vel, Miser factus sum.[v] Ad verbū, Depauperatus sum.[c] Quo Deus magis opem suam acceleret, attenuatum se Dauid queritur, redactumque ad extrema.[c] Q.d. Tempus est vt me eripias, sum enim valde abiectus, miser, attenuatus, summéque oppressus. *Libera me à persecutoribus meis.*[v] Vel, Erue me à persequentibus me. *Quia inualuerunt super me.*[m] Hoc est, Præualent mihi, & robore, & insidiis, & rerum successu.

9 *Erue è carcere animam meam, vt celebrem nomen tuum: me coronabunt iusti, quia rependeris mihi.*

Erue è carcere animam.[a] Vel, Educ de custodia animam meā.[m] Dicit opus sibi esse redemptione, quia captiuus tenebatur. Nā quòd per carcerem[b] quidam intelligunt speluncam, nimis restrictum est. *Vt celebrem nomen tuum.*[b] More suo ideo liberari petit, vt inde nomen Dei illustretur. *Me coronabunt iusti, quia rependeris mihi.*[m] Alii vertunt, Me expectabunt iusti. Sed retinenda est vera & natiua verbi significatio. Quanquam metaphoricè ponitur pro circundare: acsi dixisset se fore omnibus spectaculo, quia omnes ad tam claram liberationem vndique conuertent oculos. Sicut magis placeat citra figuram legere, sensus erit, Non tantùm mihi gratulabūtur iusti, sed victoriæ causa capiti meo coronam imponent. Sunt etiam qui sic interpretantur, Conuenient ad gratulandū, & stabunt omnes ex parte coronæ instar. Cæterùm quia ad verbum est, coronabunt an

me, quidam subaudiunt aliud pronomen, quòd scilicet iusti ad gloriam suam transferent beneficium Dauidi collatum: quia Deus quoties vnum aliquem liberat è suis, alios omnes ad eãdem spem innitans, corona donat. Simplicius tamen est quod posuimus, gratiam hãc quasi in theatro conspicuam omnibus fore, vt iustis celebre sit documentum ad fulciendam eorum fidem. Nam verbum גמל Hebræis latius patet quàm rependere: & tantundem valet ac conferre beneficium: sicuti aliàs lucis diximus.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIII.

[a] Einsdem fere argumenti est hic Psalmus cuius superior. [b] Nam Dauid in eo memorat quomodo in tribulationibus ad Dominum cõfugerit,[c] & sciẽs se iusto Dei iudicio affligi, peccatorum veniam suppliciter precatus fuerit. Deinde de hostium suorum sæuitia conquestus, tam restitui postulat quàm Dei Spiritu gubernari: vt quod residuum est vitæ pietati addicat.

IEhoua audi precationem meam, ausculta ad orationem meam: in ueritate tua responde mihi, in iustitia tua.

Psalmus Dauidis. [A] Vel, Cantus ipsi Dauid. *Iehoua audi precationem meam.* [M] More suo statim id petit à Domino vt orationem suam audire sibique respõdere dignetur. Quid autem sit hic obseruandum, vide Suprà, 54. a.1, & 102.a.1. *Ausculta orationem meam.* [a] Hæc repetitio ardorem & vehementiam notat. [E] Quum autem adeo dolenter & anxiè mala sua deploret sanctus hic vir Dei, apparet extremam fuisse hostium sæuitiam. Ostendit autem præfatio non leui mœrore tactum fuisse. *In ueritate tua responde mihi.* [V] Vel, Propter veritatem tuam exaudi me. Veritatem Dei vocat constantiam in seruandis promissis. nam promiserat liberationem. *In iustitia tua.* [c] Cur iustitiã cum veritate coniungat, rationem exposuimus Suprà, 40.c.11. Neque enim sub iustitiæ nomine imaginari oportet meritum ac mercedem, vt inscitè nonnulli faciunt: sed iustitia Dei vocatur bonitas qua inducitur ad suos tuendos. Eodem & veritas spectat, quia optima est fidei probatio nunquam eos deserere quibus se auxilio fore pollicitus est. Suos igitur iuuando, tam iustum quàm veracem se Deus ostẽdit: quia eorum spem non frustratur, deinde quia beneficentia specimẽ edit suæ naturæ. Ideo ad precandi fiduciam Dauid meritò sibi vtrumque proponit.

2 *Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens.*

Et ne intres in iudicium. [A] Vel, Et ne venias in iudicium. [a] Summa anxietudine cõstrictus, Dei opem implorat, orans ne iure secum agat, ne secum valut iudicio experiatur. Sancti enim Deum iudicem sæpe appellant, dum rem habent cum eiusmodi aduersariis quos sciunt non tam suos quàm pietatis hostes esse: at Deum aduersarium nunquam non deprecantur. Dum enim is suo iure egerit, nemo est qui causa nõ cadat, capitisque eius peragatur. adeo multa peccamus vniuersi. Quare omniũ est precari, Dimitte nobis debita nostra: & iudicium cum eo, vel nobis ipsis iudicibus, deprecari. [c] Itaque Dauid, tametsi cũ improbis hominibus sit certamen, quorum respectu sibi erat optimè conscius, reus tamen & supplex ingenuè coram Deo culpam fatetur. Atque hæc generalis regula tenẽda est, si Deũ nobis propitium esse cupimus, rogandum esse vt peccatis nostris ignoscat. Nam quũ Dauidi vnicum asylum fuerit veniæ deprecatio, quis nostrûm, iustitia & integritate sua fretus, in Dei conspectum prodire audebit? Quanquam Dauid nõ tantùm suo exemplo præscribit fidelibus qualiter precari debeãt, sed pronuntiat, neminem mortalium, si ad causam dicendã vocetur, iustum fore. Addit enim, *Quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens.* [V] Ad verbum, Iustificabit se. Alii vertunt, Iustus erit. [M] Fatetur Dauid fieri nõ posse vt ipsa in iudicio Dei subsistat, & iudicis omnium exactissimè iudicantis cõspectum ac sententiam ferat, coram quo nemo mortalium sic reperitur innocens vt iustificari (id est, innocens & iustus pronuntiari) queat. [c] Hic verò locus continet vberrimam doctrinam. Docemur enim non aliter Deum nobis fore propitiũ quoties ad eum accedimus, nisi deposita iudicis persona, gratis peccata remittens, nos sibi recõciliet. Vnde sequitur omnes hominum iustitias concidere simulac ventum est ad eius tribunal. Id vno verbo quanuis omnes fateantur, vix tamen cẽtesimus quisque seriò agnoscit. Nam dum alii aliis mutuò indulgent, securè omnes subeunt Dei iudicium: acsi tam facile esset illi satisfacere quàm absolui hominum suffragiis. Sed quo rem totam probè teneamus, primò notandum est quid sit iustificari. Locus autem hic clarè demonstrat iustificari qui iustus coram Deo reputatur ac censetur: vel, quem index ipse cælestis tanquam innocentẽ absoluit. Iam ab hac innocentiæ laude cunctos mortales excludẽs Dauid, significat, siqua sit in sanctis iustitia, non ita perfectam esse vt coram Deo stare queat: atque ita pronuntiat omnes obnoxios esse Deo, nec posse absolui nisi confessione iusti reatus. Certè poterat meritò iactare vnum se esse ex perfectissimis, siqui reperti essent in mondo: sciebat qualis fuisset Abrahæ integritas, & sanctorũ Patrum: quũ nec sibi nec illis parcat, vnũ õnibus placãdi Dei modũ definit, vt ad eius misericordiam confugiant. Vnde colligimus quàm diabolicus furor eorum mentes occupet qui hodie adhuc de perfecta iustitia garriunt, vt è medio tollatur peccatorũ remissio. Certè nunquam eo superbiæ prorũperent nisi bruto Dei contemptu intus referti. Magnificè regenerationẽ extollant, acsi in puritate vitæ consisteret totum Christi regnum. Sed quum præcipuum æterni fœderis caput aboleant, de gratuita reconciliatione, quam quotidie quærere iubentur fideles, séque & alios inflent vesano & plusquam ebrio fastu, barbariem suam prodont. Sint ergo nobis detestabiles, sicuti libenter cõspuerent in faciem Dei. Hoc tamẽ vnum nondum sufficit, quia fatentur etiam Papistæ, si Deus iudicis partes suscipiat in examinanda hominum vita, omnes subiacere iustæ damnationi. Et in hac parte saniores sunt, modestiores, & magis sobrii quàm prodigiosi isti Cyclopes, de quibus loquuti sumus. Sed quanuis non sibi arrogent in solidum iustitiam: dum tamen merita sua & satisfactiones obtrudunt, longè remoti sunt ab exemplo Dauidis. Defectum aliquem semper agnoscunt in suis operibus, ideóque vt gratiam obtineant, subsidium aduocant misericordiæ. Atqui inter hæc duo, quæ Scriptura inter se opponit, nihil est medium, Iustificari operibus, & iustificari fide. Stultè ergo Papistæ tertiam comminiscũtur iustitiam, quam partim suis operibus acquirant, partim Deus pro sua indulgentia imputet. Et certè hic Dauid neminem mortalium corã Deo staturum affirmans si opera in iudicium vocentur, non fingit duplicem illam iustitiam, sed rectà nos ad hanc consequentiã vocat, Deum nobis fore propitium quatenus est misericors, quia euanescit coram eo quicquid iustitiæ se afferre homines putabunt.

3 *Quia persequutus est inimicus animam meam, prostrauit in terra uitam meam: locauit me in tenebriosis, sicut mortuos seculi.*

Quia persequutus est. [A] Vel, (vt quidã vertũt) quia persequitur. [B] Aperit hoc versu causam suã, propter quam ad Dominũ cõfugiat, & in qua se exaudiri respõsúmque accipere petat. [c] Postquam enim confessus est iustas se pœnas luere pro peccatis, nunc ad hostes suos descendit, à quibus exordium facere præpostera fuisset ratio. *Inimicus.* [A] Vel Saulem hostẽ suum acerrimum hoc nomine designat, vel singularem numerũ pro plurali ponit. *Prostrauit in terra uitam meam.* [V] Vel, Attriuit. Confregit. Alii, attritam deiecit. His verbis significat se propemodum desperasse de vita. *Locauit me in tenebricosis.* [V] Vel, Habitare fecit me in obscuris. Id est, Coegit me habitare in spelunca tenebrosa. Vel potius dicit se in tenebris positum esse tãquam putridum cadauer: acsi diceret actum esse de vita sua, imò iam redactum esse in putredinem, ita vt nulla sit spes tassurũ se vllo modo posse. Atque ita hostium suorum crudelitatem expertum, quòd satiari nequeãt nisi extincto sancto viro. *Sicut mortuos seculi.* [a] Dicit se iam vita spoliatum esse, nisi celeriter Deus succurrat. Nam per mortuos seculi intelligit qui pridẽ sublati sunt è mundo. Atque his verbis docet non modò in morbo lethali confidere Deum sibi fore medicum, sed quanuis longa obliuione sepulta esset vita sua, in Dei tamen manu esse resurrectionem qua cineres in vitam restituat.

4 *Et inuoluitur super me spiritus meus, in medio mei attonitum est cor meum.*

Et inuoluitur super me spiritus. [a] Vel, Et defecit in me spiritus meus. [V] Quidam, Et distortus est. vel, distorquebatur. Alii, Et perplexus est in me spiritus meus. [c] De externis calamitatibus loquutus, nunc fatetur animi sui infirmitatem. Vnde colligimus non saxeam fuisse eius fortitudinem, sed quum mœrore obrutus esset secũdum carnis sensum, sola fide & Spiritus gratia subnixum stetisse. Quo exemplo docemur, siquando nos debilitent afflictiones, imò fere exanimant, non esse tamen à lucta desistendũ: quia dabit tandẽ Deus emergere, modò inter suas anxietates cor nostrũ ad eum aspiret. *In medio mei attonitum est cor meum.* [V] Val, desolatur cor meũ. Alii, obstupuit. Vel, obstupet. Certè necesse fuit grauissimã esse molem malorũ quæ sic opprimeret animum Dauidis. [S] Anxiatur (inquit) atque exagitatur in me spiritus meus. Quid torquet sese cor meum, atque ob vulnerum acerbitatem & dolorem obstupescit, pe-

neque sensum amisit.[m] Vide Suprà, 77.a.3.141.a.1.

5 Recordatus sum dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus factis tuis: in opere manuum tuarum meditatus sum.

Recordatus sum dierum antiquorum. [a] Vel, Recordor dies antiquos. [y] Alij, dies anteactos, quibus scilicet affuisti patribus nostris.[a] Memorat vnde se ex tanta animi cõsternatione nonnihil recepit, atque ad precandum erexit: nẽpe ex memoria factorũ Domini priorũ: quibus ille eum in alios, tũ in ipsum bonitatem suam declarauerat. Nihil siquidẽ est quod æquè in spẽ bonam erigat, dolorémque afflictionis leniat, atque gestorũ Domini pressa consideratio. Vnde plerosque spõte se ignauiæ dedentes succumbere mirum non est, quia ex consideratione gratiæ Dei vigorem colligere negligunt. Verum quidem est exacerbari interdum mala nostra, dum memoria repetimus quàm humaniter Deus nobiscum egerit (quia comparatio sensus nostros magis excitat & acuit) sed Dauid alium scopum sibi præfixit, vt fiduciam ex veteribus Dei beneficiis sumeret. Discamus itaque eius exemplo, non tantùm capẽdere quæ in nos Deus contulit beneficia, sed reuocare in memoriam quoties opitulatus sit seruis suis, idque totum aptare in vsus nostros. Quòd si non statim mitescat acerbitas doloris, postea tamen sequetur profectus. Nam vtcunque hic questus Dauid non statim hoc solatio leuatas fuisse curas suas & molestias, perrexit tamen in sua meditatione donec opportunè tandem fructus se exereret. [m] Porro cõsimilis locus habetur & Suprà, 77.a.5.b.11.15. *Meditatus sum in omnibus factis tuis.* [m] Loquitur de illis temporibus quibus populo suo Deus ac patribus illorum multis ac magnis beneficiis illustrissimè & in omnibus euentibus opem tulerat. Hæc Dei beneficia vocat facta & opera manuum Dei, propterea quòd tam illustria & luculẽta erãt vt non solum diuina, sed velut ipsis manibus Dei facta esse testẽtur. *In opere manuum tuarum meditatus sum.* [a] Verbum שיח quod proximo membro ponitur, tam lingua proloqui, quàm animo voluere significat. Ideo vertunt quidã, differui de operibus tuis. Sed quia verbum הגה significat etiam meditari, bis idem repeti videtur, & quidem assiduitatis notandæ causa. Sæpe enim accidit vt leuiter gustatis Dei operibus, aliò mox trãsuolent mentes nostræ: vnde non mirum est si nulla firma consolatio insideat. Quare ne euanescat cognitio, continua attentione iuuanda est.

6 Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Selah.

Expandi manus meas ad te. [a] Vel, (vt quibusdam placet) Expando. [c] Videtur deesse cõiunctio aliqua, propterea expãdo, vel expandi. Nam inuocatio nascitur ex sera operum Dei recordatione. [m] Expandere manus ad Deũ, aliud nihil est quã illi sese supplicem sistere, & ad opem illius, more filii periclitantis, & ad patrem suum suspicientis & auxilium implorãtis, confugere. [c] Hic itaque apparet meditationis vtilitas: quia animum Dauidis ad precandi studiũ erexit: sicuti necesse est, vbi serió reputamus qualem se Deus semper ostenderit seruis suis, & qualem etiam simus nos experti, dulcedine bonitatis eius mentes nostras rapi ad eum quærendum. Quãquam enim ex fide nascitur inuocatio: quatenus tamen fidem ipsam confirmant potentiæ & bonitatis Dei documẽta, simul etiã optima sunt adminicula ad subleuandum languorem nostrum. *Anima mea sicut terra sine aqua.* [y] Vel, siticulosa. sub. quæ imbrem expectat. *Tibi.* [y] Vel, Ad te. sub. anhelat. [c] Nunc Dauid affectus sui ardorem pulchra similitudine declarat, terræ siticulosæ animam suam comparans. Videmus in summis caloribus terram dehiscere, acsi aperto ore potũ è cælo appeteret. Significat ergo Dauid se desiderio feruentẽ ad Deum accedere: acsi vitalis humor eum deficeret. Quod sequenti versu clarius exprimit. Hic verò rursus se profert non vulgare fidei specimen, quòd se deficere sentiens, sepulchróque propinquus, nõ tamẽ vacillans animo huc & illuc circũspicit, sed manet in Deo solo defixus. Cæterùm quãuis ei cum propria infirmitate dura & ardua fuerit lucta, defectio tamẽ spiritus, de qua loquitur, acrior ad incitandum precãdi studiũ stimulus fuit quàm si Stoica contumacia suos metus, dolores, & ægritudines vicisset. Semper verò notandum est, vt se alliget vni Deo, omnes alias spes ex animo rescindere: deinde ipsam necessitatẽ sibi aptare instar vehiculi quo ad Deum ascendat. *Selah.* Adiecta est hæc particula ad denotandum ardentissimum animi affectum, & iã non cum metu, sed cum ipsa morte colluctantem.

7 Velociter exaudi me Iehoua: deficit spiritus meus: ne abscondas faciem tuam à me, quia similis ero descendentibus in foueam.

Velociter exaudi me Iehoua. [y] Vel, Festina, Propera respondere mihi. Verbum pro aduerbio. [m] Significat periculi magnitudinem, qua sit in extremum discrimen coniectus, vt festino opus habeat auxilio. *Ne abscondas faciem tuam à me.* [a] Vide Suprà, 102.a.2. *Quia similis ero descendentibus in foueam.* [a] Vel, In sepulchrum. [m] Sic alibi, Saturata est malis anima mea, & vita mea ad sepulchrum peruenit, Suprà, 88.a.4. Vide quæ illic annotauimus.

8 Fac me audire mane clementiam tuam, quia in te speraui: ostende mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Fac me audire. [m] Petit hoc versu vt detur sibi audire benignitatem Dei, idque mane, hoc est, vt benignum ac placidum responsum primo quoque tempore à Deo recipiat. [c] Quod dicit, Fac me audire, videtur impropria esse locutio, quia sentitur potius Dei bonitas quàm auditur. Sed quia percipere Dei beneficia, parũ nobis prodesset, nisi fidei gustu nobis saperẽt, meritò ab auditu incœpit Dauid. Videmus enim vt illis se ingurgitent profani homines sine bonitatis sensu: quia ad verbum attenti non sunt, nec fides perlucet quæ Deum ostendat esse patrem. Aduerbium mane frigidè quidam restringunt ad sacrificia. Scimus enim quotidie bis sacrificia offerre solitos, matutinum & vespertinũ. Alij subtilius accipiunt, quòd Deus mitius agens cum suis seruis, dicatur formare nouũ diem. Alij metaphoram esse volunt, & notari prosperum lætumque statum: sicut triste & calamitosum tẽpus sæpe notatur per tenebras. Sed mirum est in hac voce quæri extraneos sensus, qua simpliciter repetit Propheta quod prius dixerat, Festina. Mane ergo tantundem valet ac tempestiuè, vel celeriter. *Quia in te speraui.* [y] Vel, Spero. Præteritum Hebræum pro præsenti, Tibi fido. [a] Spem suam, vt alibi sæpe, Deo obiicit, qua nobis Deũ quodãmodo obstringimus, sicuti liberaliter se nobis offerẽs, & promittens se in patrem fore, humano more nobiscum paciscitur. Hæc igitur est quædam obligationis species. Verùm hoc modo tantum abest vt quicquã affectamus dignitatis vel meriti, vt spes nostra potius vacuitatis sit ac inopiæ testimonium. *Ostende mihi viam qua ambulem.* [y] Vel, Scire fac me viam per quam ambulem. Notam fac mihi. Monstra mihi. [c] Quod hic petit, ad anxietatem refertur. Significat enim se hærere quasi attonitum, vt pedem mouere nequeat, nisi aperto sibi diuinitus exitu: quasi diceret, Domine, omnia animæ meæ desideria ad te feruntur: ego in rebus tam perplexis cõsilium mihi expedias. *Quia ad te leuaui animam meam.* [y] Vel, Quia ad te attollo animam meam. Id est, vota cordis mei ad te suspirantis. De hoc loquendi genere vide Suprà, 25.a.17, & 86.a.4. [m] Videmus hoc versu quàm de sua ipsius industria nihil præsumpserit Propheta, quamuis illa impigrè sit vsus. Nihil enim omisit quod ad hoc facere posset vt ab insidiis Saulis caueret, ne in illius manus incideret. Nihilo tamen minus totus à diuinæ bonitatis prouidentia, directione ac protectione pependit, nihil dubitans inanem esse omnem suam industriam & cautionem nisi Spiritu Domini duceretur. Monemur itaque hoc exemplo vt quacunque in causa versemur, nihil nostræ tribuamus sapiẽtiæ, sed ex animo ad Dominum suspiciamus, orãtes vt suo nos Spiritu regat, ne quo pacto impingamus.

9 Eripe me ex inimicis meis Iehoua, ad te occultaui.

Eripe me ex inimicis meis. [a] Immensæ ac certissimæ securitatis est ad Dominum confugere: [a] quia spes in eum collocata neminem pudefacit. Erue me. (inquit Dauid) ab hostibus meis. Q.d. Domine noli preces meas negligere. [c] Omnes exitus claudit hostium importunitas, sed modum probè nosti quo liberandus sum. [a] Fer igitur opem speranti in te. *Ad te occultaui.* [a] Quidam vertunt, In te speraui. vel, spero. sed quum propria verbi significatio sit tegere, ab illa recedere minimè opus est. Quidam tamen sic resoluunt, quòd Dauid expositum se vidẽs mille mortibus, contulerit se sub tegumẽtum vmbræ Dei, ac sub tutela eius latuerit. Atque ita subaudiendũ esset pronomen me post verbum occultaui. [y] acsi diceret, Ego sub vmbra tua delitesco: qua nisi me protegas, expositus Satanæ & hostibus meis ad mille mortes. [c] Alij exponunt Dauidem non esse vagatum huc & illuc, sed vno Deo fuisse contentum, seorsum & occultè eum inuocasse. [y] acsi diceret, Tibi vni non alij cuiquam expono causam meam & calamitatem meam, tanquam illi à quo solo opem expecto. [c] Sed hæc expositio paulo argutior est; prior verò magis probabilis.

10 Doce me vt faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus: spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.

Doce me ut faciam voluntatem. [m] Hoc est, Dirige me secundum voluntatem tuã in isto discrimine. Efficias nequid temere in quod

sit præter voluntatem tuam. [C] Altius itaque iam conscendit Dauid. Neque enim tantùm postulat ab externis molestiis liberari, sed (quod præcipuum est) gubernari Dei Spiritu, vt neque ad dexteram neque ad sinistram declinans, contineat se in vera rectitudine. Quod votum statim occurrere nobis debet quoties tentationes nos durius exagitant: quia nihil difficilius quàm nos ita subiicere Deo ne illicita remedia appetamus. [M] Certè in tribulationibus non est hæc vox carnis, Doce me Domine facere voluntatem tuam, sed, Obsecro facias Domine voluntatem meam. Etenim in eo quòd statim liberari cupit, non Dei sed suam ipsius voluntatem spectat. Verùm fidei vox est, Doce me Domine facere voluntatem tuam: & sicut Christus dicit, Non mea sed tua voluntas fiat, Luc. 22.e.42. [C] Quũ ergo curæ, metus, ægritudines, tædia, dolores ad quiduis tentandum sæpe multos impellant, exemplo Dauidis fræoum à Deo nobis iniici petamus, ne carnis impulsu feramur quo non oportet. Sed diligenter notanda est loquendi forma: quia non tantùm doceri cupit qualis sit Dei voluntas, sed doceri & formari ad obsequium, vt eam faciat. Prior enim docendi modus parum esset efficax: quia vbi ostēdit Deus quid rectum sit, nō protinus sequimur quo vocat, donec affectus nostros ad se traxerit. Ideoque necesse est Deum nobis non mortua tantùm litera magistrum esse & doctorem, sed arcano Spiritus instinctu. Imò tribus modis fungitur erga nos magistri officio: quia verbo suo nos docet, deinde Spiritu mentes illuminet, tertiò cordibus nostris insculpit doctrinā vt vero & serio cōsensu obediamus. Nam & verbi auditus per se esset inutilis: nec sufficeret intelligentia nisi accederet voluntariũ cordis obsequium. Nec vero dicit, Doce me vt possim facere (sicuti Papistæ somniant in hoc tātùm valere Dei gratiam vt nos ad bonum flexibiles reddat) sed præstantem effectum statuit. *Quia tu Deus meus.* [M] Q.d. Quoniam præter te neminē habeo in quem sperem, ad quem confugiam, & qui me eripere possit. [A] Tu Deus meus es, tu mihi opem gratuito tuo fauore pollicitus es, succurre igitur periclitanti. [C] Ostendit autē Dauid his verbis nō aliunde quàm ex gratuita adoptione & promissionibus se petere impetrandi fiduciam. Neque enim in arbitrio nostro est facere vt sit Deus noster, donec gratis nos præueniat. [M] Deinde innuitur his verbis, sic conuenire & necessariò quoque requiri vt eius voluntati faciendæ simus addicti ex animo, quem tanquam Deum nostrum agnoscimus, confitemur, & in tribulationibus inuocamus. *Spiritus tuus bonus deducat me.* [A] Confirmat hic quod diximus in expositione primi membri huius versus. [C] Ducem enim Spiritum Dei optat, non modò quatenus illustrat mentes, sed efficaciter corda flectens, in consensum nos quasi manu ducit. [M] Docemur itaque doctrinam & instructionem Dei, esse ductum Spiritus Dei. Docet pios viam qua ambulent, & voluntatem suam quam faciant quando eos Spiritu suo ducit ac dirigit. Notandum etiam quòd nō dicit Propheta simpliciter, Spiritus tuus ducat me, sed Spiritus tuus bonus ducat me. [C] Vbi epitheton Spiritus tacitæ prauitati nobis ingenitæ opponitur: acsi dixisset Dauid vitiosas esse & tortuosas omnes hominum cogitationes, donec Spiritus gratia correctæ fuerint ad veram regulam. Vnde sequitur nihil nobis à sensu carnis integrum vel sanum dictari. Quidam Spiritum Dei bonum hoc loco dici volunt ad notandum discrimen inter hunc Dei Spiritum, quem optat Dauid, & malum Spiritũ qui etiam à Domino immittitur, reprobis scilicet & exitio destinatis. Sicuti de Saule legitur, quòd exagitauerit illũ Spiritus Dei malus, 1.Sam.16.c.14.d.12.13. Et vbi mittitur à Domino Spiritus malus ad decipiendum Achab, 1.Reg.22.d.21.13. Sed subtilior est hæc expositio. Potius enim Dauid hoc loco, damnata sua prauitate, bonitatis, iustitiæ, & sinceritatis laudem Spiritui Dei tribuere voluit. Porro circunstantia huius loci admonet, vbi certamē nobis est cum improbis, sedulò cauendum esse ne abripiant nos præposteri affectus: & quia nobis ad eos frænādos & cohibendos nō suppetit ratio vel facultas, Spiritum Dei semper optandum esse ducem, qui eorum intemperiē subigat. Interea docemur generaliter quid valeat liberum arbitrium, cui hic à Dauide eripitur recta electio, donec cor à Spiritu Dei formatum fuerit ad sanctam obedientiam. Et verbum ducendi confirmat quod nuper attigimus, Dauidem non fingere mediam gratiam de qua balbutiunt Papistæ, quæ hominem relinquat suspēsum, sed efficaciam longè maiorem exprimere: sicut etiam Paulus docet, Deus est qui operetur in vobis velle & perficere pro suo beneplacito, Philip.2.b.13. Terra recta metaphoricè accipitur pro rectitudine: quia significat Dauid, simulac deflectimus à Dei beneplacito, in errorem nos abduci.

11 *Propter nomen tuum Iehoua viuificabis me, in iustitia tua educes ex angustia animam meam.*

Propter nomen tuum Iehoua viuificabis. [M] Vel, Viuifices me. [V] Futurum Hebræum pro optandi modo, vt quidam volunt. Hoc est, Fac incolumis euadam hoc periculum, vt te laudem. [C] Quũ Dei nomen profert in mediũ, confirmat melius se non ex alio fonte quàm mera liberalitate Dei salutis fidem petere. Nam si quid offerret proprium, nō resideret in solo Deo causa. Atqui dicitur propter nomen suum nos iuuare, vbi nihil in nobis reperiens quod fauorem concilies, sola sua bonitate inducitur. *In iustitia tua educes.* [C] Confirmat nomine iustitiæ Deum sola sua bonitate induci vt nobis beneficiat. Deus enim fidelium salutem materiam sibi constituit illustrandæ suæ iustitiæ, vt alibi diximus. *Ex angustia animam meam.* [C] Repetit quod dixerat de afflictionum suarũ magnitudine, quia viuificari petens, fatetur quodammodo se esse exanimem, vel morti addictum, nisi arcana quadam resurrectione eum restituat Deus, penes quem sunt exitus mortis, Suprà, 68.c.21. [M] Acsi diceret Dauid, Oro supplex ô Domine vt me eripias. Nullum hic meum iacto meritum, aut ostento arbitrium: sed id duntaxat oro obtestórque, vt propter nominis tui maiestatem, ac solitam illam bonitatem, qua tuis semper succurrere consueuisti, mihi vitā iamiam ab hostibus interceptā restituas, ac ex his quibus penè obrutus aduersis, animam meam educas.

12 *Et in clementia tua dissipabis inimicos meos, & perdes omnes affligentes animam meam: quia ego seruus tuus sum.*

Et in clementia tua dissipabis. [M] Vel, Propter misericordiam tuam disperda inimicos meos. [V] Futurum Hebræum pro optandi modo, Dissipes, disperdas, conficias. Sic mox. [C] Hoc quoq; verbo rursus inculcat quod quater vel quinquies prius dixit, se vitam sperare ex mera Dei bonitate. Nā licet seuerus appareat Deus in perdēdis impiis, quam de illis exiget vindictam, testimoniũ paternæ erga se gratiæ fore affirmat Dauid. Et certè vt plurimum sibi mutuò occurrunt Dei seueritas & misericordia: qua suis seruandis manum porrigere volens, iræ suæ fulmen cōtra eorum hostes exerit. Denique armatus prodit ad suos liberandos, sicuti apud Esaiam loquitur, Dies vindictæ in corde meo, & annus redēptionis meæ hic est, Esa.63.a.4. [M] Loquitur ergo Dauid de benignitate Dei, qua erga se afflictum, non erga inimicos suos erat præditus: significans impiorum perditionem opus fore diuinæ benignitatis, quo sibi & aliis afflictis consuleretur. *Et perdes omnes affligentes animam meam.* [V] Q.d. Fræna, compesce rabiem hostium meorum, qui viro innoxio nequiter molesti sunt. *Quia ego seruus tuus sum.* [C] Quum Dauid hic seruum Dei se nominat, nequaquam officia sua iactat: sed potius commendat Dei gratiam, cui hoc acceptum referri debuit. Neque enim proprio marte vel industria acquiritur hæc dignitas vt censeamur inter Dei seruos, sed à gratuita eius electione pendet, qua nos in suorum numerum & ordinem, antequam nati simus, accensere dignatur. sicuti idem Dauid alibi clarius exprimit, Ego seruus tuus, seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, Supra, 116.d.16. Tantundem enim hoc valet acsi Dei se clientem faciens, eius patrocinio vitam suam permitteret.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIIII.

[M] Mixtus est hic Psalmus: quia Dauid partim gratias agit Domino quòd sibi in rebus aduersis astiterit, [C] partim orat vt Deus easdem gratias, quibus ornatus fuerat, ad finē vsque prosequatur.

BEnedictus Iehoua, fortitudo mea, qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.

Dauidis. [A] Sub. Psalmus, vel Canticum. *Benedictus Iehoua.* [A] Etsi Psalmus iste videtur eodē & tēpore & proposito à Dauide compositus quo Psalmus decimus octauus, [C] differũt tamē inter se: quia illic pacato regno, rebusque prosperè fluentibus, tantummodo triumphat: hic vero aliquas inquietudinis & metus notas aspergit: quia adhuc eum exercebant hostium reliquiæ. [M] Porro hoc primo versu & sequēti à laude Dei ordiur, qua simul & animi sui affectum & fidem erga illum exprimit. [C] Facile autem apparet Dauidem, quum tam splēdidis elogiis celebrauit Dei gratiam, non modo regno potitum fuisse, sed insignes quoque victorias adeptum. *Fortitudo mea.* [A] Vel, Robur meũ. Q.d. Omni laude dignus est Dominus qui est fortitudo mea. [C] Quum ita Dauid Deum suũ appellat, fatetur, quicquid habet fortitudinis, diuinitus sibi fuisse inditũ: non modò quia ex pastore rustico factus erat strenuus bellator, sed etiam quia perseuerātia singulare erat Dei donum. Videtur autē melius quadrare nomen hoc quàm rupis, quia exegeticè continuò post addit se Dei magisterio formatum esse ad militiam. Nam certè his verbis agnoscit, quamuis militari esset animo, non tamen se fuisse natum ad bella gerenda, nisi

tam sibi cum exteris esse negotium, qui vi & armis ex professo pugnarent, quàm cum intestinis hostibus, qui scilicet lingua & actione vani, fallaces, perfidiosi & simulatores essent. *Et dextera eorum dextera fraudis.* Vel, falsitatis. Ad verbum, dextera mendacii. Per dexteram falsitatis quidam intelligunt temerarios conatus, quos sperabat David frustratum iri: acsi diceret, Quorum dextera non exequitur quod corde conceptū est. Vel, Qui temere multa aggrediuntur, quæ ex voto non succedunt, eo quòd impios eorum conatus irritos faciat. Alii restringunt ad solennē iurisiurādi ritum: acsi vocasset eos periuros. Solebant enim qui iurabant, manū attollere. Sic, Leuaui manum meam in cælum, dicebat Abraham, Gen.14.d.22. Alii exponunt, Sicuti lingua mentiuntur, ita etiam manibus exequuntur peruersa consilia. Sed quia in promissionibus recepti moris fuit manus conserere (sicuti dicit Solomo, manus ad manum, Prouerb.11.c.21, & 16.a.5.) dubium non est quin significet perfidos, insidiosos & fallaces. Optimè enim cohærent hæc duo inter se, lingua fallax & manus fraudulenta: acsi dixisset, quicquid promittant, nihil tamen sperandū esse, quia tantùm fallendi causa blandè loquantur & manus porrigant.

9 *Deus canticum nouum cantabo tibi, in nablo, in psalterio psallam tibi.*

Deus canticum nouum. Noua & admiranda ratione à Deo iuuari petens, promittit nouum quoque carmen, quo Dei in se bonitatem celebret & canat. Atque ita collecto animo se ad gratias agendas comparat, non dubitans quin Deus ad extremum vsque beneficia sua tueri velit. Diximus autem alibi per canticum nouum intelligi rarum & singulare. Vnde sequitur plus sperasse Davidem quàm caperet humana ratio: quia pro auxilii magnitudine promittit insolitum cantici genus, quod insigni epitheto à quotidianis sacrificiis separat. *In nablo, in psalterio.* Quod ad hæc instrumenta musica attinet, alibi diximus fuisse hanc partem legalis pædagogiæ. Vide Suprà, 33.a.2, & 81.a.1.

10 *Dans salutem regibus, redimens Davidem seruum suum à gladio noxio.*

Dans salutem regibus. Vel, Qui dat salutem regibus. Mutatio personæ. *Redimens Davidem.* Notandum est hoc cantici argumentum, quòd scilicet Deus regum seruator Davidem sua authoritate & mandato creatum & vnctum regem non modò tutatus sit, sed redemerit à gladio. Quòd videtur quibusdā tacita subesse antithesis inter reges & plebeios, quasi diceret David nō modò gregarios homines diuinitus seruari, sed potentissimos etiā quosque, qui videntur propriis viribus satis superque esse tuti, non satis firmum est. Nam diuersa ratio magis probatur, quanuis totum humanum genus Deus sustentet, peculiari tamen modo curam suam extendere ad tuendum ordinem politicum: vnde pendet communis omniū salus. Perinde igitur est acsi vocasset regnorum præsidem & custodē: quia quum odiosa res sit nomen imperii, nec libenter quisquam alteri pareat, nec quicquam magis naturæ contrarium sit quàm seruitus, singuli excusso iugo certatim solia regum euerterent nisi tegerētur arcano Dei præsidio. Interea David ab aliis regibus se distinguit (sicuti dictus est primogenitus regum, Suprà, 89.d.28) vel saltem in summo gradu se constituens, qui sacra vnctione præ aliis donatus fuerat, dicit excelluisse erga se Dei gratiam. Et honoris causa specialem serui Dei titulum sibi vendicat: quia etsi cuncti reges Dei sunt ministri, & Cyrus κατ᾽ἐξοχὴν vocatur seruus Dei, Esa.45.a.1, quia tamen nemo vnquam profanus Dei vocationem agnouit, & tunc vnus in toto orbe erat David legitima authoritate præditus, vt certa fide regnaret, meritò apponitur hæc discriminis nota. *A gladio noxio.* Dubium non est quin sub gladio noxio comprehēdat pericula omnia quibus per tot annos defunctus fuerat, vt verè dici posset per varias mortes peruenisse ad solium, & inter mortes ipsas stabilius fuisse in solio.

11 *Redime me, & eripe me è manu filiorum alieni, quorum os loquutum est fallaciam, & dextera eorum dextera fraudis.*

Redime me, & eripe me. Repetit petitionē suam quam suprà versibus 7 & 8 expressit. *Quorum os loquutum est fallaciam.* Vel, loquitur, sicuti versu octauo, eadem enim sunt.

12 *Quia filii nostri sicut plantæ quæ creuerunt in adolescentia sua: filiæ nostræ sicut anguli politi in similitudinem palatii.*

Quia filii nostri sicut plantæ. Quidam hūc versum & duos sequentes accipiunt in modo optādi: acsi David precaretur pro communi Israelis fœlicitate, quam etiam in Lege Dominus illi, si vocem suam audirent, fuerat pollicitus. Vide Deut. 28. a. 3. Alii Davidē sibi gratulari putant, totique populo, quòd tunc fœliciter bonorum omne genus à Dei benedictione fluebat. Nec certè dubium est quin David cum gratiarum actione cōmemoret quàm liberaliter egisset Deus cum populo. Sed interea non malè conuenit simul precari vt salua maneant Dei beneficia, quorum propè abruptus fuisset cursus per sceleratos homines & hostes domesticos, nisi rebus turbatis & confusis diuinitus subuentum foret. Hic ergo finis est, ne sinat Deus tā splendidas benedictiones, quibus ornauit populum suum, collabi & euanescere. Et primò quidē à liberis incipit, in quibus ἀφθονίαν laudare volēs, masculos plantis comparat quæ in adolescentia creuerunt: quia arbores, nisi maturè grandescāt, dum adhuc teneræ sunt, vix vnquam acquirunt proceritatem. *Filiæ nostræ, sicut anguli politi.* Vel, excisi, ornati. Puellas similes esse dicit angulis bene & affabrè excisis, quos antennes vocant. Solent namque illi præ aliis ædium partibus exornari. acsi diceret David puellas sua elegantia & splendore domum ornare. *In similitudinem palatii.* Vel, Instar palatii. Ad similitudinē templi, vel palatii regii, vt pote maiore cultu exornati. Ornatus siquidem peculiariter puellarum est. Debent tamen Christianæ malle pietate quàm auro & gemmis ornari. Porro sobolem generosam & bene moratā primo loco poni inter terrena Dei beneficia mirum non est. qua de re fusius disseruimus Suprà, 21.a.3.4. Cæterùm quum loquatur David in persona totius populi, suásque fortunas communibus permisceat, hinc colligimus minimè priuatis suis commodis fuisse addictum.

13 *Recessus nostri pleni, exeuntes à specie in speciem: oues nostræ in millia fœcundæ, in decem millia in plateis nostris.*

Recessus nostri pleni. Vel, Anguli nostri pleni. Vox Hebræa significat angulos, pro qua interpretes vertūt, Penaria nostra plena sunt, siue Cellæ nostræ sunt plenæ. Hebræi pro angulo domus accipiunt, exponētes, In omni angulo domus est aliqua frugum species. Sed sensus melius fluet si dicamus recessus plenos esse. *Exeuntes à specie in speciem.* Vel, Producentes de specie in speciem. Ad verbum, Educentes, id est, producentes (vel suppeditantes) de genere ad genus. Hoc est, Varia genera annonæ. Significat scaturire omnem bonorum copiā ex angulis omnibus. Et quum dicitur à specie in speciem, videtur potius multiplex & distincta notari bonorum varietas, quàm quod quidam interpretes volunt, tam vberem prouentum affluere vt misceantur species, & ex immodica abundantia confusus aceruus fiat. Nihil enim opus est confugere ad duram illam hyperbolen: & verba diserte aliud sonant: quia si cōfusa fuisset congeries, dicēdum simpliciter erat זן זן. Summa igitur est, populum non solùm tritico sed omni frugū genere ita esse locupletem vt recessus omnes, quātum ad satietatem sufficit, quauis specie abundent. *Oues nostræ in millia fœcundæ.* Vel, Greges nostri pariētes mille. Hebraicè vna est dictio, quasi dicas millenantes. vel, millificantes. *In decem millia.* Vel, imò decē millia. Vnicum est verbum Hebraicum quòd significat quæ decem mille pariunt. q.d. Parientes milleni & decē millia, adeo vt ex illis repleræ sint vel repleantur plateæ nostræ. Siue, Ad millenos & decem millia farientes fructum. Chaldæus paraphrastes, Parientes mille, multiplicantes decem millia. *In plateis nostris.* Voluit his verbis significare ita auctos fuisse greges in millia & myriades, vt omnes vicos repleuerint. Vnde quidam vertunt hanc posteriorem versus partem, Greges nostri millibus myriadibusque aucti replent vicos nostros. Vel, millibus, imò myriadibus repleuerunt plateas nostras.

14 *Boues nostri ad onus assueti: non ruptura, neque egressus, neque clamor in plateis nostris.*

Boues nostri ad onus assueti. Vel, onusti sunt sub carne. Id est, pingues & crassi. סבל Hebræis propriè est portare: vnde מסובלים quidam accipiunt pro robustis: quia nisi bene neruosi essent boues, non essent pares ad vecturam vel onus trahendum. Alii tamen oneratos pinguedine intelligūt. Sed ad summam rei nō admodum interest. Simplex enim sensus est, boues onerarios, robustos esse, fortes & validos ad agriculturam trahendáque plaustra onerata. Notandum hic est, hoc nomine laudari paternam Dei indulgentiam erga suos, quòd minimis quibusque eorum cōmodis prospicere non grauatur. Ergo sicuti proximo versu pecudum & ouium fœcunditatem adscripsit Dei gratiæ, ita nūc dicit ab eo saginari boues, vt sciamus nullam vitæ nostræ partem negligi. *Non ruptura.* Quia parum prodesset affluere omni rerū copia nisi ea frui liceret,

subiicit Dei quoque beneficio quietum & trãquillum esse populum. Ac primò per rupturam dubium non est hostiles incursus notari: [B] vel perruptionem vrbis per machinas hostiles. [V] acsi diceret, Summa nobis pax est. quoniam hostes nostros cohibes, ne nobis infesti sint, ac perrũpant vsque ad vrbes nostras, & muros etiam effringant. *Neque egressus.* [V] Vel, Nec qui egrediatur. [C] Egressum plerique accipiunt pro exilio seu captiuitate: acsi Propheta dixisset non rapi nec trahi populum extra patriæ suæ fines. Sed simpliciter docere voluit opus non esse eruptione aliqua ad expellendos hostes, quum nemo vim aut molestiam inferat. *Neque clamor in plateis nostris.* [V] Clamorem hoc loco intelligit, qui ex subito tumultu exoritur ob cladem ab hostibus acceptam, vel ob subitum hostium impetum. acsi diceret, Nulla inquietudine turbantur vrbes nostræ. [A] quia tu Deus noster fauore tuo nos prosequeris, ac hostes nostros procul arces, ne nobis molesti sint.

15 *Beatus populus cui sic, beatus populus cuius est Iehoua Deus.*

Beatus populus cui sic. [B] Vel, Beatus illi populo qui sic habet. [C] Concludit hoc modo satis testatum esse & conspicuum erga suos Dei fauorem. [B] Canit enim fœlicem esse populum cui hæc sint. [M] Sed quæritur hoc loco quomodo terrenis istis ac fluxis bonis Propheta fœlicitatẽ adscribat. [C] Nihil enim nisi crassũ & terrenũ spirare videtur quod de fœlicitate hominũ æstimat ex caducis commodis. [M] Responsio. Quẽadmodum miserum est & cœlestis plagæ indicium, vbi & liberi nostri & substãtiæ, & pecora & agri &c. miserè habent, vastitate, fame ac peste omnia dissipantur, & cuncta clamore & eiulatu replẽtur: sic vice versa fœlicitatis & beneuolentiæ Dei argumẽtũ est vbi in populo Dei omnia sic sunt comparata sicut hic à Propheta canũtur. Qua de re plura diximus Suprà, 81.c.17. & 112.a.3. Præterea notandum est quod mox sequitur, *Beatus populus cuius est Iehoua Deus.* Quibus verbis admonemur nõ esse veræ fœlicitatis caput, fontem & summã in ea rerum prosperitate quã Vates Israeli contigisse dixit: sed in hoc consistere quòd Deus, ille fons bonorum omnium, Deus noster esse dignatur. [C] Hæc itaque duo coniunctim legenda sunt, beatos esse qui in sua abundantia Deum sibi propitium sentiũt, & sic eius gratiã degustant in benedictionibus caducis vt de paterno eius amore persuasi, aspirent ad veram hæreditatem. [V] Q.d. Beatus quidẽ populus est cui prædicta præstat Deus, in quibus non debeãt tamẽ acquiescere homines: sed beatior multo cuius Deus fuerit Iehoua. id est, quum nouerit se adoptatum esse ab ipso & censeri in populo eius. Hæc vna est & sola ratio quæ beatos facit, non fertilitas terræ, vel copia frugum, aut pecudum fœcunditas. [C] Nec verò absurdè hoc dicitur, beatos esse quib⁹ in hoc mundo Deus benedicet, modò ne in ipsa fruitione & vsu cæcutiant, vel socordes ac stupidi negligant authorem. Nam quod nonnullis vitæ subsidiis destituit nos Deus patitur, hæc certè tam benigna eius prouidentia illustre tam amoris speculũ est. Quid autẽ optabilius quàm nos Deo curæ esse? præsertim vbi nõ ita insipidi animi sunt quin Deum colligãt sibi esse patrem qui tam liberaliter ab eo aluntur? Nã ad hunc scopũ referri debent omnia. Et alioqui inedia statim consumi præstaret quàm saturari brutorum animalium instar: nec tenax hoc præcipuũ caput, beatos esse quos Deus in populum elegit, Suprà, 33.c.12. Interea notandum est, quamuis partem aliquam fœlicitatis gustandam nobis Deus in potu & cibo delibet, non ideo tamen miseros esse fideles qui per inopiam & egestatem ægrè vitam trahunt. quia defectum hunc, qualiscunque est, solatiis melioribus Deus supplet.

ARGVMENTVM PSALMI CXLV.

a. [M] Postquam Propheta hoc Psalmo generalem operum ac mirabilium Dei celebrationem cecinit, quibus sapientia eius, bonitas, iustitia ac potentia declaratur, [C] tandem descendit ad peculiarem gratiam qua dignatur suos electos.

LAus Dauidis. *Extollam te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum & vsque.*

Laus Dauidis. [A] Vel, Hymnus Dauidis. Hæc Inscriptio authorem Psalmi designat, vt alias sæpe. [V] Est autẽ Hebraismus, pro Psalmus laudatorius compositus à Dauide. *Extollam te.* [B] In genere laudes Dei celebrat Dauid, vt & Suprà, 103, & 104. Quanto verò cum ipse studio laudandi eius ardeat, tum quàm in laudes eius vniuersæ quoque creaturæ, præcipuè sancti, propendeant, amplissima scilicet bonitate eius largissimè perfusi, canit per totum fere Psalmum: de suo potissimum studio in laudes Dei canit versibus tribus primis. [A] Quanquam quum dicit se exaltaturum Deum, [C] non tantùm quid facturus sit narrat, sed tã se quàm alios incitat & hortatur ad hoc pietatis officium, vt sacrificia laudis quæ meretur, Deo simul omnes offerãt. Nam in hũc finem Deum humano generi tam beneficum esse admonet vt pia gratitudine colatur. *Deus meus rex.* [M] Cur Dauid vocet Deum suum regem, vide Suprà, 68.c.25, & 74.b.11, & 84.a.3, & 93.a.1. [C] Porrò quum probabile sit compositum fuisse Psalmum quo tempore florebat regnum Dauidis, hæc circunstantia notatu digna est, quòd Deum regem suum vocando, se & terrenos omnes principes cogit in ordinem, ne qua terrena altitudo obscuret Dei gloriam. Quod etiam confirmatur versu tertio, vbi immensa Dei magnitudo super omnia extollitur.

Et benedicam nomini tuo. [A] Vel, Et prædicabo nomen tuum. Hoc est, celebrabo te, & dignis laudibus efferam. *In seculum, & vsque.* [M] Q.d. Laudabo te Domine Deus meus rex perpetuò & indesinenter. Hic Vates studii perseuerantiam piis omnibus cõmendat. Nam quum Deus sua beneficia continuat, minimè æquum est nos in eo laudando fatigari. Itaque sicuti nouam subinde materiam laudum offert suis fidelibus, ita eos ad gratitudinem stimulat, vt toto vitæ cursu in ea se exerceant.

2 *Quotidie benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum & vsque.*

Quotidie benedicam tibi. [V] Vel, Omni die. Assiduitas hac particula notatur, [M] vt innuat Propheta laudem Dei non debere esse raram, sed quotidianam: non temporariam, sed sempiternam in ore piorum. [A] Sicuti alibi dicebat sanctus vir, Benedicam Dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo, Suprà, 34.a.2. *Et laudabo nomen tuum.* [M] Quòd toties Dauid laudaturum se Dominum pollicetur, admonemur hoc exemplo quomodo animus verè pius ac zelo Dei accensus, ad laudandum nomen Dei gestiat ac toto corde propendeat. [C] Neque enim dubium est quin hæc repetitio vehementem & ardentem animi affectum notet. *In seculum & vsque.* [V] Rursus perseuerantiam bis designat. [M] Quæri tamen posset quomodo dicat se laudaturum nomen Dei in seculum & vsque, quum sciat se mortalem esse. Responsio. Sic solet animus in rem aliquam totus propendens, & auidè inhians, non cogitat quandiu possit sed quandiu velit id facere quod facere gestit. [C] Dicit ergo Dauid, Etiamsi in plura secula victurus esset, se in finẽ vsque laudes Deo cantaturum. [A] Sic alibi dicitur, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabũt te, Suprà, 84.b.5. [M] Adde quòd in se quoque verum est, sanctos Dominum non in hac tãtùm sed & in futura vita sine fine laudaturos. [A] Quanquã de præsenti vita loquitur hic Dauid. [B] Nã sicuti nunquam non Dei in se bonitatem sentiebat & mirabatur, ita ferebatur continuò in laudes eius. [A] sicuti Psalmo sequenti fusius videbimus.

3 *Magnus Iehoua & laudabilis valde, & magnitudinis eius non est inuestigatio.*

Magnus Iehoua & laudabilis valde. [M] Orditur hoc loco laudem & exaltationẽ Dei, quam initio Psalmi proposuit. Orditur autem ab immensa eius maiestate & gloria. *Et laudabilis valde.* [V] Vel, Et laudatus. [B] Hoc est, omni laude dignus. Vel, celebris est admodum. [M] De eo quòd Dominum vocat magnum vide Suprà, 86.b.10, & 96.a.4. De eo autem quòd vocat eum laudatum vel celebrem, vide Suprà, 18.a.4, & 48.a.2. *Et magnitudinis eius non est inuestigatio.* [V] Vel, Exploratio. Id est, cuius magnitudo imperuestigabilis est, ita vt humano sensu comprehendi non possit. [C] Hic Propheta exclamans magnitudinem Dei immẽsam esse, admonet tunc rite demum à nobis Deum laudari quũ ad immensitatem potentiæ eius quasi obstupescimus, vel rapimur in ecstasin. Ex illo deinde fonte admirationis pro modulo nostro manabunt iustæ laudes. [M] Præterea pulchrè Spiritus sanctus nos hac loqutione monet non esse ea peruestiganda & scrutanda quæ infinita sunt in Deo, quum negat in magnitudine illius peruestigationem aliquid habere loci. Cur autem non est in magnitudine Dei vlla peruestigatio? Quia nec modum habet, nec finem. Ergo quæcunque infinita sunt, peruestigationi humanæ obnoxia non sunt.

4 *Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuã narrabunt.*

Generatio generationi laudabit opera tua. [A] Alii vertunt, Generatio ad generationem laudat opera tua. [B] Hic & alios secum laudes Dei celebraturos memorat, & quidem per omnes generationes: sicut ille suos bonitate cumulat quãplurimos omnibus seculis, potissimum autem à glorificatione Christi, quo videtur respexisse. [M] acsi diceret, Quælibet ætas præcedens ætati sequenti prædicabit & commendabit opera tua, quæ vidit & cognouit. [C] Certè Propheta his verbis in genere ostẽdit, in hũc finem creatos esse cunctos mortales & sustineri in vita, vt studium suum impẽdant canendis Dei laudibus. Ac subest tacita

antithesis inter æternum Dei nomen & famæ immortalitatē, quam sibi magni viri rebus præclarè gestis acquirere videntur. Etsi enim historiis celebrantur humanæ virtutes, Dei tamen longè diuersa est ratio, qui memoriam operum suorum quotidie renouat, imò præsenti fructu eam fouet, vigeréque facit in animis nostris, ne vnquam intercidat. [m] Intelligimus etiam ex hoc loco nullum esse tempus, nullū seculum, quod nō singularia quædam opera Dei succedenti ætati consideranda offerat: etiamsi vsqueadeo stupidi sint mortales omnes vt nemo illa obseruet. Sic nulli seculo aliquid excusationis relinquitur, quo ignorantiā Dei excusari queat. *Et potentiam tuam narrabunt.* [a] Vel, Et fortitudines tuas annuntiabūt. [v] Alii, Et potētias suas commemorabūt. Id est, egregia tua facinora, vel gesta tua mirabilia. [l] Q. d. Generatio vna veluti per manus tradet amplam laudum tuarum materiam alteri generationi, quæ secutura est, & insignia virtutis tuæ facinora clara voce annuntiabit, vt perpetuò laudēris ab hominibus. [l] Potentiæ nomine omnipotentiam illam in Deo intelligit, cuius virtute cōdita omnia in lucem prodiere.

5 ה *Decorem gloriæ excellentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum meditabor.*

Decorem gloriæ excellentiæ tuæ. [v] Vel, Magnificētiæ tuæ. Hebraismus, pro, splendidā & gloriosam magnificentiā tuam. [m] Repetit propositum suum, [a] & commemorat, se in splēdida Dei excellentia meditaturū, vel de ea perpetuò loquuturum. [c] Dicit autem gloriosum excellentiæ splendorem, vel decus, vt se & alios in eius admirationem melius attollat. [m] Porro de splēdore & gloria potentiæ Dei vide Suprà, 96. b. 6, & 104. a. 1. 2. *Et verba mirabilium tuorum.* [v] Vel, Res mirabilium tuorum. Vel, Gesta tua mirabilia. [c] Per verba mirabilium, incomprehensibilē operum Dei rationem intelligit: quia totidem sunt miracula quæ sensus nostros absorbēt. Atque hinc colligimus Dei magnitudinem nō latere in arcana eius essentia, de qua omissis operibus qui subtiliter disputant, frigidè tantùm nugantur: quum vera religio non speculatiuam sed practicam notitiam requirat. [m] Quod ergo Propheta hoc loco dicit, tantundem valet acsi dixisset, Vbi de splendore gloriæ potentiæ tuæ, & de verbis mirabilium tuorum commēmini, loquuntur illa & prædicant robur terribilium factorum tuorum, & quanta sit magnitudo tua narrant. eructant enim multæ bonitatis tuæ memoriam, & de iustitia, id est probitate ac bonitate tua, cantant.

6 ו *Et fortitudinem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo.*

Et fortitudinem terribilium. [c] Postquam Psaltes dixit, Eloquar vel meditabor verba mirabilium tuorum, sermonem ad alios transferens, significat semper aliquos fore in mundo, iustitiæ, sapientiæ & bonitatis Dei præcones: simúlque dignas esse virtutes Dei, quarum fama in omnium linguis vno cōsensu personet. Per robur terribilium idem repeti quidam existimant. Sed videntur specialiter notari quæ aduersus profanos contēptores Deus exercet iudicia. [v] Loquitur enim Vates de exemplis quibus testatus est Deus se esse mūdi iudicem, quum pœnas inflixit reprobis & profanis eius contemptoribus. *Et magnitudinem tuam narrabo.* [a] Quum Deus vbique & per omnia secula laudādus sit ob egregia sua facinora, quibus & suā in electos bonitatem, & iustitiam in reprobos exerit & luculentam reddit, quia tamen pauci admodum in Dei laudibus se exercēt, testatur Dauid se nunquam ab hoc officio cessaturum. [a] acsi diceret, Vtcunque cessent alii, Deumque legitimo honore fraudent, ego nihilominus in meas partes intentus ero, vt silētibus aliis strenuè decantem Dei laudes.

7 ז *Memoriam magnitudinis bonitatis tuæ eloquentur, & iustitiam tuam cantabunt.*

Memoriam magnitudinis bonitatis. [a] Hic canit quàm cupidè etiā quantóque cum affectu omnia iure Deum prædicent. *Eloquentur.* [c] Quia verbum נבע propriè scaturire significat, quum ad loquendum transfertur, quidam emphasin subesse volunt, vt sit non simpliciter loqui, sed plenis buccis effari: sicut copiosa aqua ex fonte profluit: & respondet posterius verbum ירננו, quod clamare vel sonorè canere significat. [a] q. d. Omnia ex animo redundanti verba fundēt, & effluēt potius quàm loquētur. [c] Porro celebrare memoriā bonitatis Dei, tantundem valet ac Dei bonitatē, sicuti proprio sensu & experiētia nobis cognita est, in memoriā reuocare, vt eā celebremus. Nam vtcūque fateri cogamur, Deū in omnibus suis virtutibus laude esse dignū, nihil tamē magis nos afficit quàm eius bonitas quæ ad nos descendit, séque patrem exhibet. Ideóque Dauid hac nos dulcedine allicit, vt sponte & alacriter feramur ad Deū laudandum, imò vt prorūpamus, sicuti sonat metaphora in priore verbo. *Et iustitiam tuam cantabunt.* [a] Vel, Et iustitia tua ouabūt. [v] Quidā, Et iustitiam tuam vociferabuntur. iubilabunt. Vel, ouantes prædicabunt. Iustitiam Dei appellat illam æquitatem vel bonitatem qua vtitur erga nos, quum nos patrocinio suo tuetur, quum fouet, quum nobis administrat quicquid necessariū est ad vitā, quum etiam spem facit vitæ æternæ, quum liberat nos ex periculis, & sese opponit hostibus nostris. [l] Huius tam immensæ bonitatis Dei suauitas nūquam ex mortalium memoria excidere debet, nisi se bis ingratos ac æterno supplicio dignos præstare velint.

8 ח *Propitius & misericors Iehoua, tardus ad iram, & magnus clementia.*

Propitius & misericors Iehoua. [a] Vel, Clemens & miserator Iehoua. [c] Pluribus nunc verbis illustrat Dauid bonitatem illā, quòd Deus ad gratiam propensus sit. Hoc enim propriè significat vox חנן. [m] Mutat autem personam, eo quòd illa inducat tanquam operum ac mirabilium Dei narrationem & canticū, quo de Deo palàm canunt quòd sit clemēs, misericors, tardus ad irascendum, magnificus benignitate, bonisque omnibus, & quòd miserationes eius omnia eius opera excellant. *Et misericors.* [v] Vel, miserator. [c] Significat hac voce Deum miseriis nostris valde condolescentem libenter succurrere. [a] Sed quæ hic canit de Dei clementia & benignitate, habentur Supra, 86. a. 5. c. 15, & 103. b. 8. *Tardus ad iram.* [v] Vel, Ad irascendum. Ad verbum, Longus irarum. [c] Notādum est, Dauidem sumpsisse hæc Dei elogia ex celebri illo Mosis loco, Exodi 34. a. 6, Iehoua fortis, misericors, & miserator, tardus ad irā. & multus misericordia & veritate. Mirum autem videri non debet (si hæc ex Mose sumpserit) quum Prophetæ ex fonte Legis hauserint suā doctrinam, visionem quæ illic refertur, summo illis in pretio fuisse: quia nusquā clarius vel familiarius exprimitur Dei natura. Ideóque Dauid breuiter notare volens quid nos maximè de ipso Deo scire oporteat, verba illinc mutuatur. Est autem hæc pars non vltima gratiæ, quòd nos ad se talibus blāditiis Deus allicit. Nam si potentiam suam proferret in mediū, terrore nos illa deiiceret magis quàm attolleret. Sicut Papistæ Deum formidabilem describunt, qui à conspectu suo omnes profliget, quum recta eius notitia ad ipsum quærendum nos inuitet. Vnde quo quisque propius coniunctus est Deo, melius in eius cognitione proficit. Iā si Deus non tantùm nobis vult gratificari, sed miseriarum nostrarum sympathia tāgi dicitur, vt sit nobis eo humanior quo magis sumus miseri: cuius succursum erit non statim ad eum accurrere? Sed quia peccatis nostris bonitatem eius à nobis arcemus, nobisque obstruimus accessum: nisi hoc obstaculum superet Dei bonitas, frustra de eius gratia & misericordia dissererent Prophetæ. Ideo quod sequitur, necessariò addendum fuit, quia *magnus est clementia*, peccatis eum ignoscere, & tolerare vitia hominum, vt etiam indignis propitius sit. Etsi autē impios Deus patiēter quoque sustinet, quia tamen percipiendæ veniæ capaces non sunt, peculiariter ad solos fideles dirigitur hæc doctrina, qui viuo fidei sensu Dei bonitatem percipiunt. Nam reprobis dicitur, Ad quid vobis dies Domini? tenebræ dies ille, & nō lux: afflictio, & nō lætitia, Amos 5. c. 18. Et videmus quàm duriter statim ab initio contra eos fulminet Propheta Nahum, Cap. 1. a. 3. Postquam enim elogia hæc ex Mose retulit, ne animos inde attollant, mox infert ex opposito, Deus rigidus est ac seuerus, terribilis & inexorabilis iudex. Restat ergo vt qui suis peccatis iram Dei prouocarunt, fauorem eius fide sibi reconciliēt.

9 ט *Bonus Iehoua omnibus, & misericordia eius super omnia opera eius.*

Bonus Iehoua omnibus. [a] Canit Dei bonitatem effusam esse in omnia. [c] Ideo latius patet hæc sententia quàm superior: quia illa commemorat Dauid Deum non modò paterna indulgētia clemēter ignoscere delictis, sed promiscuè beneficum esse erga omnes. Sicuti oriri facit solem suum super bonos & malos, Matth. 5. g. 45. Quanuis ergo peccatorū remissionis thesaurus sit clausus reprobis, nō tamen Deū impedit ipsorū malitia & prauitas quo minus in eos suā quoque bonitatem effundat Deus, sed quam sine sensu deuorant. Interea soli fideles norunt quid sit propitio Deo frui. sicuti dicitur, Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non pudefient: gustate & videte quàm suauis sit Iehoua, Suprà, 34. a. 6. [c] Stultè ergo non minus quàm impiè quidā peruersi homines ex hoc loco inferunt omnes sine exceptione ad vitā æternam destinatos. Hoc enim si verum esset, canibus etiam & asinis apertum esset regnum cælorum. Neque enim Dei bonitas quæ hominibus tantū propria sit, hoc Psalmo commendatur à Propheta, sed omnia Dei opera comprehenduntur. [m] Itaque bonitas Dei bifariam consideranda est. Primum generaliter, qualis ea est cuius hic meminit Vates. Secundum hanc benefacit omnibus non solùm hominibus sed & animantibus. quemadmodum alibi di-

ll. ii.

ipsa magis illustrat Dei prouidentiam, dum singulis diuersa est pascendi ratio, & variæ alimentorum species in varios vsus distributæ & aptatæ sunt. Qua ratione vocat Vates cibos ipsorum. *Tempore suo.* [v] Pronomen relatiuum non refert animalia vel creaturas, tanquam esset plurale, sed significat in tempore opportuno ad vescendum. [c] Suum ergo tempus vocat opportunum, quia & hac in parte admirabilem suam dispensationem commendat Deus, quòd fœnisecio, messi, vindemiis ordinauit certum tempus, & ita digessit anni vices vt nunc herbis, nunc fœno vel palea alantur pecudes, glandibus etiã, fructibusque aliis. Nam si omnes eodem momento copias effunderet, valde incõmoda esset perceptio. Ideóque in annuo frugum & alimentorum prouentu non parum laudis meretur opportunitas. [a] Vide Suprà, 104.d.27.

16 פ *Aperis manum tuam, & satias omne viuens beneplacito.*

Aperis manum tuam. [a] Prosequitur idem institutum. Et concinna hypotyposi vtitur. [c] quia enim miram Dei bonitatem, quæ in pulcherrimo hoc naturæ ordine conspicua refulget, maior pars clausis oculis præterit, Deum porrecta manu cibum animalibus distribuentem inducit Dauid. In terra vnde victus nobis prouenit, & naturalibus mediis perperam subsistimus. hunc ergo errorem vt corrigat Dauid, apertam Dei manum ante oculos nostros porrigit, acsi in os cibum suggereret. *Et satias omne viuens.* [a] Verbo satiandi, vt aliàs sæpe, ingentem Dei liberalitatem significare voluit Propheta. *Beneplacito.* [a] Hoc quidam ita exponunt vt idem sit atque Secundum beneplacitum, Ex animi sententia, [v] vel (vt quidam Hebræorum exponũt) secundum voluntatem suam. Alii, in eandem sententiam, quorum sufficit. [a] acsi dixisset Dauid singulis animalium generibus victum pro voto suppetere. Et certè paulo pòst hoc sensu sumetur. [v] vnde quidam eodem sensu vertunt, Pro desiderio. id est cibis optatis, & quos desiderant. [c] Rectius tamẽ ad Deũ refertur. quòd mera gratia & liberalitate pascat animalia: quia non sufficeret temere suppeditari nobis victum diuinitus, nisi accederet hoc secundum membrum, Deum gratis esse liberalem, nec vlla causa extrinseca moueri vt tam benignè cunctis animantibus prospiciat. Ita causa hic posita erit pro effectu. Alimẽta enim effectus sunt huius beneplaciti, sicut χαρίσματα τῆς χάριτος. Quòd autem sæpe esuriunt & fame laborant tam homines quàm reliqua animalia, naturæ corruptelæ adscribi debet. Nã post Adæ lapsum vitiis nostris sæpe labascit pulcherrimus ille naturæ ordo, quem ab initio Deus instituerat: & tamen in mutilis reliquiis semper apparet ista Dei liberalitas quam prædicat Dauid: quia etiam in maxima frugum penuria nullus annus tam ieiunus est ac sterilis quo non aperiat Deus manum suam.

17 צ *Iustus Iehoua in omnibus viis suis, & clemens in omnibus operibus suis.*

Iustus Iehoua in omnibus viis. [a] Hoc versu, velut epiphonemate, priores laudes summat, prædicans Deum iustum esse, & benignũ se exhibere in omnibus quæ gerit, quæque facit. [c] Itaque non de sola iam Dei beneficentia disserit Propheta, quòd victum cunctis animalibus quotidie subministret, sed alias etiam huius prouidentiæ partes complectitur: sicuti quòd castigat hominum peccata, compescit sceleratos, suorũ quoque tolerantiam cruce examinat, denique iudiciis sæpe nobis incognitis temperat mundi gubernationem. Etsi autem vulgare hoc esse videtur elogium, quia in omnium ore volitat: itatæ tamen sapientiæ est caput hoc tenere, Deum in omnibus operibus suis esse iustum: vt hæc laus integra semper, rebus sursum ac deorsum conuersis, ei maneat in corde nostro. Postquam enim confessi sunt omnes Deum esse iustum, maior pars, simulac affligitur, de nimio eius rigore expostulat: nisi protinus obtemperet votis, obstrepit: denique nihil magis vsitatũ est quàm iustitiæ eius obloqui. Itaque non abs re iustitia hæc, quæ passim indignè laceratur malignis hominum iudiciis, cõtra tantam ingratitudinem asseritur. acsi diceret, Quantumuis mũdus obstreperis suis vocibus obscuret Dei iustitiam, constare tamen & illæsam semper manere. Et disertè exprimit, *In omnibus viis, & in cunctis operibus suis.* quia fraudatur Deus iusta laude nisi æquabilem in toto operum eius cursu iustitiæ tenorem agnoscimus. Atqui nihil difficilius est quàm in rebus aduersis, vbi vel nos deserere vel iniquè persequi videtur, compescere carnis affectus, ne aduersus Dei iudicia ebulliãt. Sicuti de imperatore Mauricio memorabilis refertur historia, qui quũ à perfido & scelesto proditore Phoca filios suos videret iugulari, mox & ipse ad cædem rapiendus: subinde clamasse, Iustus es Domine, & iusta iudicia tua. Ergo vt leuissimis tentationibus clypeum hunc vir non malus opposuit, sic & nos discamus tãnum mentibus nostris inserere, vt semper suam laudem obtineat Dei iustitia. Quanquã vltra progreditur Dauid, Deum, vbi rigidissimus apparet, adeo à crudelitate remotum esse vt durissima quæque iudicia æquitate & clemẽtia tẽperet.

18 ק *Propinquus Iehoua omnibus inuocantibus eum, omnibus qui eum inuocant in veritate.*

Propinquus Iehoua omnibus. [a] Hic Dei benignitas erga cultores suos ostenditur [m] vt & ipsi in fide bonitatis, inuocatione nominis eius, timore & dilectione alamur ac prouehamur. Primum canit Propheta quod Dominus Deus adsit illis qui se inuocant, idque omnibus, citra personarum acceptionem, modò inuocetur ex corde. [a] Hæc autẽ doctrina maximè est propria fidelium, quos singulari priuilegio Deus ad se inuitat, propitium se eorum votis fore promittens. Et certè otiosa imò emortua iaceret fides sine inuocatione, in qua se profert atque exerit adoptionis Spiritus, & qua testamur nobis certas ac ratas esse omnes eius promissiones. Summa igitur est, inæstimabilem Dei gratiam erga fideles in eo patere quòd se illis Patrẽ exhibet. *Omnibus inuocantibus eum.* [c] Quia multæ nobis dubitationes obrepunt quoties rogãdus est Deus, atque ita vel trepide accedimus, vel fracti & exanimati deficimus, vel metu lãguescit fides: ideo sine exceptione pronuntiat Dauid, Deum omnibus qui ipsum inuocãt, exorabilem esse. [a] Quemadmodum etiam Paulus confirmat, dicens, Non est distinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se, Rom. 10.b.12. Quò etiam spectant õnes illæ promissiones generales quas de salute ac vita æterna habemus. *Omnibus qui eum inuocant in veritate.* Vel, In fide. Ea fide id est, Ex vera religione & ex animo siue sincero cordis affectu. [c] Quia maior pars mundi suis figmẽtis Dei inuocationem corrumpit ac profanat, hoc membro vera precandi ratio præscribitur, nempe in veritate. [m] Requiritur ergo ab iis qui Dominum inuocant, vt in veritate inuocent. Alioqui vt cor eorũ procul est à Domino, quamuis illum ore inuocent, ita & ille vicissim procul abest ab illorum necessitatibus. [c] Quam frigidè ad Deũ confugiant homines, imò vel superbia turgentes vel indignatione cum eo inter precandum expostulent, queruntur tamẽ se non exaudiri. Quasi vero inter precari & rixari, vel inter fidei testimonium & hypocrisin nullum sit discrimen. Maior pars sua infidelitate impliciita via Deum in cælo esse cogitat. Alii eum inde libenter excuterent, alii vellent sibi esse obnoxium. Alii defunctoriè eius placandi modum aliquem quærunt. Ita vulgaris mos precandi nihil aliud est quàm friuola & inanis ceremonia. Et quum ad Deũ in sua necessitate cursitet totus fere mundus, vix decimus quisque affert fidei aut pœnitentiæ guttam. Atqui præstaret sepultum relinquere Dei nomen quàm talibus ludibriis subiicere. Ideo non frustra in precibus exigitur veritas, vt prodeant ex sincero corde. Porro mẽdacii, quod huic sinceritati contrarium est, variæ sunt species, ac propè innumeræ: infidelitas, dubitatio, impatientia, murmur, ficta humilitas, vitiosæ cupiditates, totidem sunt mendacia, [a] quibus ipsa precatio corrumpitur.

19 ר *Desiderium timentium se faciet: clamorem eorum audiet, & seruabit eos.*

Desiderium timentium se faciet. [m] Memorat quàm benignus sit Deus erga eos qui se timent. id est obseruant & colunt. [c] Nam quia non leuis momenti est superioris versus doctrina, rursus eam exegeticè confirmat Dauid. Atque hæc repetitio diligenter notanda est: quia adeo procliue nobis ad incredulitatem ingenium est vt paucissimi statuant se vocante Deo nõ frustra preces concipere. Hinc fit vt peruersa agitatio huc & illuc vagas mentes impellat: sicut in Papatu sibi excogitarunt innumeros patronos, quia pro nihilo fere ducebãt Dei promissiones, quibus nos ad se inuitat, indubia fide amplecti. Ergo vt latius pateant fores, hic Spiritus sanctus per os Dauidis inculcat Deum morem gerere piorum omnium desideriis. Quæ loquutio dici non potest quàm efficax esse in animos nostros penetrare debeat. Quid enim est homo vt eius voluntati se morigerum præbeat Deus, cuius altitudinẽ suspicere & cuius imperio suppliciter parẽre nostrum est? Atqui ad hanc legem se vltro demittit vt nostris desideriis obtẽperet. [a] Sic Christus suis dicebat, Omnia quæcunque orãtes petitis, credite quia accipietis, Marc. 11.c.24. Et, Quicquid pecieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis, Iohan. 16.d.26. Et iterum, Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est, Matthæi 18.c.19. [c] Quanquam frænò temperanda est hæc libertas. Neque enim

licentia quiduis apperendi permittitor, vt proteruè quicquid libido tulerit pro ab ipso flagitene. Sed antequam eorum vota se exauditurum affirmet Deus, eorum affectibus Legem obedientiæ & modestiæ edicit. quemadmodum docet Iohannes, Scimus quòd nihil nobis negabit, siquidem petierimus secundum eius voluntatem, 1. Ioh. 5. c. 14. Atque hac de causa formã precandi dictauit nobis Christus, Fiet voluntas tua (Matth. 6 b. 10) vt cancellos nobis circũdaret, ne præposterè Dei beneplacitis nostra præferamus, vel sine delectu petamus quicquid in buccam venerit. Iam disertè exprimens Dauid timẽtes Deum, timorem, reuerentiam & obsequium prius illis commendat quàm proponat Dei indulgentiam, ne sibi plus optare fas esse putent quàm ille verbo suo probat & concedit. Nam non minus stultum quàm temerarium foret quicquam à Domino petere quod se minimè daturum dixit: sicuti iam docuimus. *Et clamorem eorum audiet.* Quod hic de clamore additur, species est correctionis. Neque enim tam facilis semper apparet Deus vt quod rogatus est, eodem momento præstet. Sicuti alibi dicitur, Deus meus clamo per diem & nõ exaudis: & nocte, nec silentium est mihi, Suprà, 22. a. 3. Ideóque perseuerãtia opus est in hoc fidei examine, vt vota confirmet clamor. Quemadmodum etiã Dauid de se dicebat, Iste pauper clamauit, & Dominus audiuit, & ex omnibus angustiis eius seruauit eum, Suprà, 34. a. 7. *Et seruabit eos.* Et hæc postrema particula vice correctionis posita est: vt sciamus quatenus & in quem finem impleat Deus suorum vota, nempe vt re ipsa pateat fidum esse salutis eorum custodem. Sic ergo impletur quod alibi vidimus, Quoniam me peramauit, eruam eum: exaltabo eũ, quoniam cognouit nomen meum. Inuocauit me, & exaudiam eũ: cum ipso sum in angustia: eruam eum, & glorificabo eum, Suprà, 91. c. 14. Nemo itaque in rebus aduersis de diuino auxilio desperet, tantùm inuocet Dominum ex animo, & illum non procul abesse sentiet: sed tandem euadet, etiamsi in media morte constitutus nullo humano auxilio iuuetur.

10 *Custodit Iehoua omnes diligentes eum, & omnes scelerates disperdet.*

Custodit Iehoua omnes diligentes. Quia sancti sæpe periclitari videntur, & fœliciter agere improbi, Propheta superiorẽ doctrinã prosequendo, consolatur diligentes Deũ, quòd norũt, quantacunque incidant mala, se ita custodiri diuinitus vt nihil ipsis nocere queat: quia salui semper & incolumes Dei gratia euadunt. Nam complectitur eos Dominus, tuetur ac cõseruat, ne quid illis incommodare possit. *Omnes diligentes eum.* Nũc timoris loco Propheta dilectionem ponit. Quod notatu dignum est. hoc enim epitheto fideles insigniens quòd Deũ diligãt, radicem veræ pietatis esse ostendit, voluntario affectu se Deo subiicere: quod ipsum ex fide nascitur. Donec enim gratiæ suæ dulcedine nos Deus traxerit, nunquam sequetur placida hæc submissio. Quanquam fortè illud diligere de quo loquitur Dauid, longius patet: quia nõ modò se Deo addicunt fideles vt imperio pareant, sed quia sciunt nihil esse optabilius quàm ei coniungi, ad hanc fœlicitatem toto animo aspirant. Interea tamen dubium nõ est veræ sanctitatis & iustitiæ præcipuum caput hic notari: sicuti & apud Mosen, Et nunc Israel quid abs te petit Dominus Deus tuus, nisi vt ipsũ diligas, &c. Deut. 10. c. 12. *Et omnes sceleratos disperdet.* Vel, Deuastabit, Exterminabit. Non sine ingenti fidelium consolatione asserit Vates improborum fœlicitatẽ breui sempiternis cruciatibus commutandam, illis planè exterminatis. Et sicut de omnibus piis, qui Deum in veritate inuocant & ex animo diligunt, dixerat quòd salui manerent sub Dei custodia, ita vniuersitatis voculam omnes, de impiis sermonem faciens, adiicere voluit, vt non dubitemus iuste Dei vindicta perituros omnes improbos: quod demũ in extremo iudicio implebitur. Vide Suprà, 1. b. 6.

11 *Laudem Iehouæ loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in perpetuum & vsque.*

Laudem Iehouæ loquetur os meum. Vel, Narrabit os meum. Vt primis vltima respondeant, claudit Psalmũ vt cœpit. Affirmat enim se laudum Dei fore præconem, & omnes suo exemplo ad hoc idem officiũ hortatur. Q. d. Quod ad me attinet, bonitatem, iustitiam ac potẽtiam Dei in operibus ipsius relucentẽ indesinenter deprædicabo, & nomen eius celebrabo. *Et benedicet omnis caro.* Quidã vertunt, Omnis animans benedicet: sed minus rectè. Verum quidem est, quũ Moses de diluuio loquens, omnẽ carnem in qua erat spiritus vitæ, interiisse dicit, sub hac voce comprehendi bruta animalia, Gen. 7. d. 21. 22. sed vbicunque sine adiectione ponitur caro, nonnisi ad hominẽ refertur. Neque tamẽ hic Dauid quid facturi sint prædicat, sed quid facere debeant. acsi diceret, immẽsa & inexhausta Dei bonitate obstrictos teneri cunctos mortales ad Deum assiduè & iugiter laudandum.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVI.

Quũ Deus sit qui homines iuuare & velit & possit, postquam Dauid se & alios ad canendas Dei laudes inuitauit, à fidendo hominibus dehortatur. Et quo alacrius pii ad vnum Deum se conferant, quædam illius beneficia in miseros & afflictos collata deprædicat.

HAlelu-Ia. *Lauda anima mea Iehouam.*

Halelu-Ia. Hic Psalmus, sicut & quatuor sequentes, incipit ab hac voce, quæ idem valet atque Laudate Dominũ, & in eãdem desinit. quia Dauid hic gloriam Dei potissimum celebrat, & ad idem officium pios omnes adhortatur & excitat. *Lauda anima mea Iehouam.* Postquam generaliter iussit omnes laudare Deum, sermonem ad se, vel (quod idem est) ad animã suam conuertit: nisi quòd sub nomine animæ sensus suos magis emphaticè compellat: atque flagrantẽ in laudes Dei affectum prodit. Sic alibi dicebat, Benedic anima mea Domino, Suprà, 103. a. 1. & 104. a. 1.

2 *Laudabo Iehouam in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero.*

Laudabo Iehouam in vita mea. Hoc versu anima Psaltis ad laudem Dei prouocata respondere videtur, significans se omniũ esse ad laudandum Deum paratissimam, nec vnquã ab eo proposito discessurã. Atque hoc modo Propheta, quasi ad præstandum officium accinctus, omnes animat suo exemplo. Vnde colligimus nõ leuẽ & volaticũ fuisse motũ, (qualiter multi pigritiã suam hac in parte accusant, sed mox in eam recidunt) sed firmum & cõstantem affectum, quem & sedulitas sequuta est, & effectus non fictum esse probauit. Videtur autem Dauid, quum sentiret impediri vel tardari Satanæ astutia pios conatus, prius stimulo adhibito feruorem suũ incitasse quàm aliis se ducem fore ac magistrum profiteretur. Nam quum verè & seriò animatus esset, id tamen præ se ferre noluit nisi collecto maiori ardore. Quòd si Dauidi necesse fuit se ad laudandum Deũ pungere, vbi cœlestis vita cum nostri abnegatione meditanda est, quàm acriter ad rem tam arduam stimulandi sumus? Interea sciamus, ad hoc pietatis exercitiũ, cuius nunc fit mentio, nunquam nos fore satis impigros, nisi strenui simus exactores. *Psallam Deo meo quandiu fuero.* Quia in hunc finem alit & sustinet suos Deus in mũdo, vt toto vitæ cursu se in ipso laudando exerceant, meritò Dauid vsque ad finem vitæ hoc sibi agendum proponit hoc loco, sicuti Suprà, 104. d. 35.

3 *Ne confidatis in principibus, in filio hominis, in quo non est salus.*

Ne confidatis in principibus. Vt in vnum Deum recumbant fideles, Propheta hoc versu & sequenti dehortatur quosuis & auocat à fiducia eorum qui principatum obtinent in mundo. Quantumuis, inquit, potentia præditi sint homines, mortales tamen sunt: proinde instabiles & varii, variáque illorum salus & infirma. Vana igitur spe hominum contempta, in solo Deo, qui nihil non potest, sperare discatis. Tempestiuè autẽ inseritur hæc sententia: quia hæc excusiẽdi causa est hominibus, quòd mẽtes suas subinde inuoluunt multis figmẽtis, quo minus soluti & expediti prodeant ad laudandum Deum. Ergo vt laudem suam Deus in solidum obtineat, corrigit atque abolet Dauid spes omnes peruersas, ad quas sumus alioqui nimiũ propensi. Etsi autem consilium eius est nos generaliter ab hominibus abstrahere, principes nominat, à quibus magis metuendum est quàm ab hominibus gregariis. Quid enim promitterent pauperculi, & alienæ opis indigi? magnates verò & opulenti fallaciter nos suo splendore illectant. *In quo non est salus.* Hoc est, Qui nec seipsum nec alios seruare potest. Nam Domini est salus, non hominum. Hic ergo docet Dauid quod iam vidimus Suprà, 118. b. 8. 9. *In filio hominis.* Non est otiosè adiecta hæc particula. Nam quia ad principum & magnatũ fortunã obstupescunt simplices, adiungit Vates potentissimũ quenque ex mundi principibus esse tamẽ filiũ hominis. acsi diceret, horum quisque, quantus quantus sit vel dignitate vel potentia, filius tamen hominis est, id est, homo, & non Deus. Quo satis stultitia nostra coarguitur, dum eos colimus quasi semideos: sicuti etiã loquitur Esaias cap. 31. b. 3. Ægyptius homo est, & non Deus: caro, & non spiritus. Vtcunque ergo viribus, pecunia, hominum manu, aliisque subsidiis instructi sint principes, admonet tamẽ Dauid perperam in homine mortali & caduco locari nostrã fiduciam, & stultè salutẽ quæri vbi nõ reperietur. *In quo non est salus.* Vel, Cui non est salus.

Id est, Cui nulla est saluandi virtus. Q. d. Non potest id præstare quod ab eo expectatur, imo vero ne sibi quidem auxilio esse potest.

4 *Exibit spiritus eius, reuertetur in terram suam: in illa die peribunt cogitationes eius.*

Exibit spiritus eius. Vel, Egredietur spiritus eius. Melius explicat hoc verso quod de fallaci in principes fiducia dixerat. Meminerat enim quam breuis & fluxa sit hominum vita. Etsi enim laxat Deus tyrannum principibus, vt quiduis machinando, cælum quoque inuadant: migratio tamen animæ, quasi statue aliquis transiret, consilia omnia & conatus repente euertit. Quod ad nomen spiritus attinet, non male posset hoc loco pro anima sumi: quia animæ domicilium est corpus. Morte enim illam ad se Deus reuocat, Eccles.12.c.7. Simplicius tamen exponere licebit de flatu vitali: & contextui melius quadrabit, simulac spirare desierit homo, cadauer fore putredini obnoxium. Vnde sequitur, pendere ab eiusdo flatu quæcunque in hominibus confidunt. *Reuertetur in terram suam.* Quidam pro præsens, Reuertitur in terram suam. Hoc est, corrumpentur homines in sepulchris, & in id redibunt vnde sunt conditi, quemadmodum dicitur, Puluis es, & in puluerem reuerteris, Gen 3.d.19. *In illa die peribunt cogitationes eius.* Vel, pereunt, Præteritum Hebræum pro præsenti, vt quidam volunt. Significat, eo ipso die quo moritur homo, omnia illius consilia, studia & cogitata perire & irrita reddi. q.d. Quum ipsi nihil magis quàm hic immorari cupiant, emigrat eorum spiritus, & reuertitur ipsi, nihil nisi terra & puluis, in terram & puluerem: sicque fit vt vno die, imò vno momento, ipsis extinctis pereant quæcunque cogitarant, quæ instituerant: nihilq; sit quod metuant iā ab eis quibus parauerant mala, nihil quod gaudeant quibus destinauerant bona. Verè ergo non est illis salus quam ferant à se pendentibus: non auxilium, quo quisquā iuuetur. Quid enim præstare potest mortuus? Scitè igitur in eandem sententiam alius Propheta dicit, Cessate ab homine, cuius in nare spiritus, quia enim in se reputatus est? Esa.2.d.22. Ergo quum Dauid dicit cogitationes omnes in illo die transire, vel præterfluere, facetè hoc verbo perstringit vesaniam principum, quibus nullus finis vel modus est sperandi & appetendi, vt cælum ipsum non secus ac montibus coaceruatis transcendant. Sicuti phreneticus ille Alexander Macedo, quum audiret plures esse mundos, defleuit se vno nondum potitum esse, paulo post autē sarcophago contentus fuit. Et experientia ipsa demonstrat ingētes esse labyrinthos principum consilia. Saulis item consilia contra Dauidē ipso mortis die interierunt. Præterea Cæsar ille Iulianus, impius & apostata, quum se lethaliter vulneratū esse sensisset, suo ipsius sanguine manu concaua excepto, & in aerem sparso dicebat, Vicisti Galilæe: quod nihil erat aliud quàm manifestè fateri cogitationes suas aduersus Christianos conceptas iam mortis suæ interuentu fore irritas. Sit ergo nobis ista sententia de morte tyrannorum & illorum consiliis periturit omniū certissima. Neque enim frustra pronūtiat Dauid, in principibus quoque celerē & momētaneū fore vitæ trāsitum, & cum qua simul omnia consilia euanescent.

5 *Beatus cui in auxilium est Deus Iacob, cuius spes est ad Iehouam Deum suum.*

Beatus cui in auxilium est Deus. Vel, Beatus est is in cuius auxilio est Deus Iacob. Ad verbum, Cuius Deus Iacob in auxilio eius. Id est, cuius auxilium est Deus Iacob. Postquam Propheta à fiducia carnis auocauit, consequēter ad spem in Deum collocandam hortatur. Non enim satis fuisset vitium reprehendere nisi remedium, vnde pendet vera correctio, subiectū fuisset. Docet igitur, tunc demum firmam & bene fundatā esse spē hominis, vbi soli Deo innititur. Hucusque enim peruenitūt interdum profani homines vt desipere agnoscāt quisquis spē in carne locat. Idque sæpe sibi succensent quòd tam inconsideratè salutem expectauerint ab hominibus: sed interea, omisso remedio, se ab errore non explicāt. Propheta igitur, damnata vanitate quam omnibus ingenitam esse diximus, prudenter annexit beatos esse qui Deo confidunt. Eundem ordinē seruat Ieremias cap.17.a.5.7, Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, &c. deinde, Beatus vir cuius fiducia est Iehoua. q.d. Vt miser est & infœlix quisquis fiduciā collocat in filio hominis, ita fœlix est quisquis Deū verū adiutorem habet, & spe firma ab illo pendet. Porro Dauid beatos pronuntians quibus in auxilium est Deus, beatitudinem fidelium ad præsentem sensum non restringit, acsi non aliter beati essent nisi dum palam & re ipsa Deus eorū auxiliator apparet: sed in eo fœlicitatē statuit si vere persuasi sint se non nisi Dei gratia. *Deus Iacob.* Quum Propheta Dominum vocat hoc loco Deum Iacob, eum à falsorū deorum turba discernit, quibus tunc gloriabantur increduli. & meritò, quia vtcunque omnibus sit propositum Deum quærere, vix tamen centesimus quisque rectam viam tenet. Sicuti autem verum Deum sua nota designat, sic ostendit nonnisi certa adoptionis fide fieri vt quisque nostrum in eum recumbat, quia propitiū nobis esse oportet, vt nobis paratum sit eius auxilium. Admonemur hic etiam vt ex historia Iacob discamus qualem se gerat Deus erga eum qui sibi fidit, & toto corde à se pendet, quàmque fœlix sit qui auxilio & gratia illius potitur. Vide Gen.35.a.3.4, & 48.e.15.16. *Omnis spes est ad Iehouam Deum suum.* Opponit hoc membrū rebus illis fluxis & euanidis quibus homines quamlibet potentes obnoxios esse versu quarto docuit, vt melius exprimat in quē verè ac fœliciter sperare possimus. In eum videlicet qui Deus est & verus & noster, de quo prædicari non potest quod sit filius hominis, quod saluare nequeat, quòd sit moriturus amisso spiritu, quòd ex terra sit & in terram reuersurus, & quòd cogitationes ipsius irritæ sint futuræ: sed quòd sit Deus, Dominus, & creator aliorum hominum, solus habens potestatem saluandi, immortalis, cælestis & incorruptibilis, & cuius omnem voluntatem necesse sit omnino impleri. Neque enim ex his inferri potest vanam esse fiduciam quæ in Christum collocatur. Nam quod filius hominis est & mortuus, dispensationis erat salutis nostræ gratia susceptæ, per quam nō amisit diuinam naturam & maiestatem, quā eandem cum Patre habet in sempiternum. Locus autē iste admonet non esse sperandum in hominibus, qui nihil aliud natura sunt quàm homines: secus de eo qui Deus est & homo.

6 *Qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in illis sunt: qui custodit veritatem in perpetuum.*

Qui fecit cælum & terram. Vt melius exprimat eum meritò fœlicem & beatum dici qui fiduciam suam in vnū Deum locat, & hunc habet auxiliatorem, varia operum Dei encomia subiicit: è quibus pateat quid sibi commodi ex illo pius animus polliceri debeat. Principio dicit Deum fecisse cælum & terram, &c. Q. d. Qui est creator & conseruator omniū, adeóque solus ac verus Deus, plenam omnium habens potestatem, vt à se pendentibus, quacunque necessitate premantur, opem ferre queat. Etsi autem creationis mentionem facere, videtur primo intuitu remotum, aptissimè tamen conuenit vt nobis succurrat Dei potentia, quoties impendit aliquid periculi. Scimus enim quàm leuibus momentis nos ad diffidentiam Satan impellat: nos verò ad leuissimos quosque motus trepidè huc illuc agitamus. Atqui si reputamus Deum esse cæli & terræ opificem, hunc ei honorem meritò tribuemus, in manu eius & arbitrio esse mūdi quem creauit imperiū. Est igitur in primo elogio cōmendatio potentiæ quæ metus ōnes nostros absorbere debet. Quid enim timere potest qui rerum omniū authorem sibi fauentem habet? *Qui custodit veritatem in perpetuum.* Quia non sufficeret auxiliari Deū nobis posse, nisi accederet promissio qua testatur se etiam velle, atque facturum: secūdo loco prædicat Dauid fidelem esse & veracem, vt iam dubitationi non superſit locus, vbi nobis comperta est eius voluntas. Et custodiendi verbo innuit Propheta veritatem seu fidem esse Deo instar cuiusdā thesauri omnium pretiosissimi, ideoque esse eum & amantem & studiosissimum. *In perpetuum.* Vel, In seculum. Nunquam frustratur sperantes in se. Perpetuò stat promissis, & cuncta ex fide optima administrat gubernatione salutifica & perenni.

7 *Ius reddens iniustè oppressis, dans panem famelicis, Iehoua soluens vinctos.*

Ius reddens iniustè oppressis. Vel, Iniuria affectis. Calumniā patientibus, oppressis. Alias species enumerat tam potentiæ quàm bonitatis Dei, quæ totidem sint nobis bene sperandi argumenta. Ad hunc scopum tendunt omnia, opem Dei contemptissimis quibusque expositam fore ac paratam: ideoque obstaculo nō fore nostras miserias quominus nos iuuet. imò hoc ferre eius naturam vt pro cuiusque necessitate ad ferendam cuique opē propensus sit. Primo dicit ius reddere oppressis, vt nobis in mentem veniat, quamuis secundu carnis nostræ sensum conniueat ad nostras iniurias, non tamē prætermissurum quod officii sui proprium est, vt improbos ad reddendam violentiæ suæ rationem trahat. In summa, quoniā vult Deus suorū patientiā crucē experiri, discretè hic afflictos alloquitur, ne ærumnis succumbāt, & vt liberatorē placidè expectēt, qui ideo tandem occurrit vt iustus mundi iudex appareat. *Dat panē famelicis.* Hoc est, Pro fide ac bonitate sua pascit famelicos,

vt non sit opus, subleuandæ necessitatis huius gratia, pendere ab vllo homine. [C] Interea colligimus ex hoc loco, non ita liberaliter Deum semper agere cum suis vt plena copia saturentur, sed benedictionem suam interdũ subducere, vt succurrat postquam ad esuriem ventum fuerit. Si dixisset Propheta largiter pasci fideles & quasi saginari à Deo, quis non in fame vel inedia statim despenderet animum? Non abare ergo longius extenditur Dei gratia, vt esurientes pascat. [M] Discant tamen hinc qui ad famis angustiam rediguntur, in Dominum sperare. Etenim qui etiam superflua non esurientibus sed luxuriantibus suppeditat, quomodo necessaria negaret esurientibus, præsertim quum vsus escæ proprius sit quo esuries compescatur? *Iehoua soluens vinctos.* [B] Eodem pertinet hæc particula quo superior, [M] acsi Propheta diceret, Etiamsi captiuus sis, necesse nõ est vt auxilium speres ab homine. Nam Dominus est qui vincula compeditorũ soluit. Vide Suprà, 68.b.7, & 107.a.10.b.14. [C] Quum autem subinde contingat fideles anxietate constringi, vel hominum tyrannide premi, vel redigi ad extrema, acsi durissimis ergastulis inclusi forent: ideo hanc consolationẽ proponi necesse fuit, Domino esse faciles exitus quoties in tales angustias redacti erimus.

8 *Iehoua illuminans cæcos, Iehoua erigens curuos, Iehoua diligens iustos.*

Iehoua illuminans cæcos. [V] Ad verbum, Aperit cæcos. Id est, Oculos cæcorum. [C] Illuminare cæcos tantundem valet ac lucem dare ex tenebris. Itaque quoties destituimur auxilio, perplexique hæremus, confusi denique iacemus & attoniti, acsi incumberent mortis tenebræ, discamus Deum ornare hoc elogio, vt caligine discussa nobis oculus aperiat. *Erigens curuos.* [B] Hoc est, Qui restituit claudos. Vel, Qui erigit depressos. q.d. Si potentum violentia depressus fueris, spera in Dominum, & opem tibi feret. Is enim est qui depressos erigit. [C] Discamus ergo animum colligere siquando sub onere gementes fatiscimus. Neque enim voluit solũ Deus hic celebrari laudes suas, sed cæcis, captiuis & afflictis manum quodammodo ideo porrigit vt suas curas & dolores in eum reiiciant. *Iehoua.* Non est superuacuum quòd Propheta hoc versu ter repetit nomen Iehouæ: quia hoc modo ad ipsum quærendum solicitat & pungit homines, qui sæpe frænum rodendo, malunt putrescere in suis miseriis quàm ad certum hoc asylum se conferre. *Diligens iustos.* [A] Hoc est, eos qui iustitiæ & vitæ integritati studẽt. [C] Videtur autem hic esse species correctionis. Constat enim plerosque, licet duriter premantur, auxil suspirent, iaceant in tenebris, nihil tamẽ solatii à Deo sentire: nempe, quia tunc quoque sua contumacia Deum magis prouocãt, ac vix centesimus quisque implorat eius gratiam, iustã ingratitudinis suæ mercedem reportant. Itaque non abs re Propheta quod generaliter dixerat, Deum miseris opitulari, nunc ad iusto arestringit, vt sincero pietatis affectu ei se addicant qui eum experiri cupiunt liberatorem. [A] Continet etiam hæc sententia incredibilem consolationem: [M] acsi Propheta diceret, Etsi in hoc seculo potissimum negliguntur & contemnuntur iusti homines, probi videlicet ac boni, veríque Dei cultores, non est tamen quòd animum despondeant: [A] quũ sint Deo chari & pretiosi. Diligit enim eos, tuetur & fouet, adeo vt omnia illis in bonũ cedant ac cooperentur, Rom.8.e.28.

9 *Iehoua custodiens peregrinos, pupillum & viduam sublenat, & viam impiorum disperdet.*

Iehoua custodiens peregrinos. [P] Canit hoc versu Deum adesse inopibus, qui malorum iniuriæ potissimum patẽt: etsi nondũ summè calamitosi sint, vt sunt aduenæ & peregrini, pupilli & viduæ. [C] Quanquam sub his nominibus per synecdochen eos omnes Propheta complectitur quos deficiunt humana subsidia. Quia enim notis & propinquis quisque fauet, peregrinos scimus vt plurimũ iniuriis esse obnoxios. Viduis & pupillis qui se defensores offerant ac vindices, non multi reperiuntur quia videtur perdi opera vbi spes nulla compensationis affulget. Ergo sub his exemplis docet Propheta, quacunque molestia grauemur, nonnisi per nos stare quominus manu porrecta nos Deus eruat, qui tam suauiter ad se inuitat omnes miseros. *Pupillum & viduam sublenat.* [V] Vel, euehit, attollit, exaltat, erigit. Futurum Hebræum pro præsenti. [B] Est autem hoc summæ bonitatis, erga eos sese potissimum exerere qui ope eius maximè egent. Vbique autem Scriptura prædicat Deo singulari curæ esse peregrinos, pupillos & viduas: quare & seuerissimè vetat eos lædere, Exodi 22.d.22, & alibi. *Et viam impiorum disperdet.* [V] Vel, Subuertit. [B] Hoc antithesin habet ad illud quod versu superiori dictum est, Iehoua iustos diligit. [C] Denuntiat enim Propheta impiis Dei contemptoribus omnia malè & infœliciter cessura. Diximus suprà, 1.b.6, viæ nomine totũ notari vitæ cursum. Disperdet igitur Deus viam impiorum, quia omnia eorum cõsilia, omnes actiones, quicquid tentarint vel aggressi fuerint, maledicet, vt nihil eis prosperè succedat. Quãuis ergo polleant consilio, imò callidi sint & astuti, facultas etiam bonorum omnium suppetat, omnes eorum spes Deus euertet. Nam sicuti manum suis porrigens, per quæuis obstacula, imò per inuia eos deducit: ita rursus apertam & planam viam reprobis abrũpet. [M] Hoc est, omnia eorum studia & impios conatus disperdet ac subuertet. [A] Nõ ergo turbemur præter modum, quũ viderimus impios nihil non tentare quo sanctis noceant: quum Spiritus sanctus per os Prophetæ clara voce pronuntiet, astuta illorum cõsilia, instituta, machinationes, temeritatem & fastum minimè illis profutura, sed singulari Dei consilio ac potentia, non sine summo illorum dedecore, subuertenda esse.

10 *Regnabit Iehoua perpetuò, Deus tuus Sion in generationem & generationem. Halelu-Ia.*

Regnabit Iehoua perpetuò. [V] Futurum Hebræum pro præsenti. [B] Hic versus gloriationẽ habet de regno sempiterno Dei, qui solus optimè cuncta instituit & moderatur. *Perpetuò.* [C] Quum Dauid Deum vocat perpetuum regem, simul tenendum est in quem finem regnet. Ac definitio ex superioribus elogiis petẽda est. [V] Non sibi regnat Deus, sed in salutem nostram, vt vindex sit suorum quum iniustè premuntur, vt cæcos illuminet, custodiat aduenam, pupillum & viduam suscipiat, &c. [C] Vnde sequitur tam in vita quã in morte nos sub eius regis custodia saluos fore qui nonnisi in salutem nostram regnat. Si simpliciter dixisset Iehouã regnare perpetuò, excipere promptũ erat, procul nos distare ab incomprehensibili eius gloria. Ideo disertè exprimit, sacro fœdere deuinctũ esse electo populo. Addit enim, *Deus tuus Sion.* Sermonem ideo ad Ecclesiam conuertit quo melius persuadeat piis omnibus reipsa talem sensuros Deum qualem antehac descripsit. [M] Cæterùm de æterno Dei regno vide Suprà, 10.d.16, & 93.a.1, & 99.a.1. De Sion autẽ Suprà, 1.b.6, & 87.a.1.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVII.

[B] Et hic Psalmus exhortationẽ habet ad canẽdas Dei laudes, [C] tum quòd in generali mundi gubernatione & singulis cœli & terræ partibus refulgeant eius potentia, bonitas, & sapientia, & reliquæ virtutes: tum etiã quòd Ecclesiam, quam gratia elegit, variis gratiæ suæ & beneuolentiæ beneficiis afficiat, collapsam etiam restituat, & dissipatam colligat.

L*Audate Deum, quia bonum est psallere Deo nostro, quia iucundum: decora laus.*

Laudate Deum. [M] Diuidunt Arabs, Græcus & vulgata Latinus Psalmum hunc in duos, & à duodecimo illius versu centesimũ quadragesimumseptimum Psalmũ inchoant. Nos tamen Hebraicam diuisionem retinebimus, quam & Hieronymus sequẽdam esse iudicauit. [B] Quanquam autem Vates beneficia hic commemorat quibus promiscuè totum genus humanũ Deus prosequitur, non tamẽ dubium est sermonem propriè ad fideles dirigi, qui soli oculati sunt operum Dei testes: quum incredulos mentis cæcitas & stupor intelligẽtia priuet. Nec solùm disserit de communibus Dei beneficiis, sed gratiam quæ conspicua erat in populo electo, præcipuè commendat. *Quia bonum est psallere.* [M] Quidam, Quia res bona est Psalmus. hoc est, (vt quidam exponunt) iustum & æquum est. Alii, Iucundũ ac suaue est. [C] Vt Ecclesia se ad canendas Dei laudes alacrius accingat, hoc genus exercitii bonum, iucundum & suaue Propheta esse dicit, obliquè perstringens omnium ferè prauitatem quibus tædio est quælibet Dei mentio: summa autem voluptas Deum & seipsos obliuisci, quo sibi liberius indulgeant. Ergo vt se oblectare discant homines in hoc pietatis exercitio, Propheta admonet iucundum esse [B] siquis se canendis Dei laudibus addicat. *Deo nostro.* [A] Hoc est, quẽ cognoscimus, & vnicè colimus: qui nobis hactenus adfuit, & se perpetuò adfuturũ promisit. Huic, inquam, psallere iucundum est, non fictitiis Gentiũ diis, qui fallaces sunt & vani. *Decora laus.* [V] Vel, Pulchra est laus. A נאוה Chaldaico verbo, quod pulchrũ & decorum esse significat. Alii ab אוה desiderauit, optauit, vertunt, optabilis, desiderabilis vt scilicet dignè laudetur. q.d. Nullũ est studii genus in quo maiore cum voluptate exercere vos debeatis quàm in Deo laudando: nihil enim est optabilius. [V] Videmus ergo quàm suauibus appelletur vocibus Dei laus. decora enim est, pulchra, decens, optabilis, amœna: quæ quidem nomina laudi nequaquã illi adulatrici, (quæ fit principi) aut turpi

(quæ fit scorto & adulteræ) conueniunt, quum è contaminatissimo proficiscatur affectu, cordéque mirè anxio & perturbato.

2 *Aedificans Ierusalem Iehoua, dispersos Israelis congregabit.*

Aedificans Ierusalem Iehoua. [a] Vel, Iehoua ædificat Ierusalem. [b] Causam reddit cur sancti debeant adeo laudibus Dei delectari. [c] Et a speciali gratia incipit qua Ecclesiam suam dignatus est Deus, dum & gentem vnam aliis postbabitis adoptare voluit, & certum locum eligere vbi inuocaretur. Nam quòd hic vocatur Ierosolymæ conditor, non tam ad externam formã & ædificium id referendum quàm ad spiritualem Dei cultum. [d] Dicis ergo Vates Deum opificem & architectum vnicum esse Ecclesiæ suæ, cuius specimen edere voluit in vetere illa Ierosolyma. Vsitata est loquendi ratio, qua Ecclesia cõfertur ædificio. [a] Qua de re vide 1.Tim.3.d.15, & Hebr.3.a.2.b.6, & 1. Petr.2.a.5. [b] Summa est, non humanitus ædificatam fuisse Ecclesiam, sed cælesti Dei virtute: quia neque loci dignitas hoc effecit vt Ierosolyma vnicum Dei esset in terris domicilium, neque tantũ honorem consilio, industria, labore vel opibus hominum adepta est, sed quia Deo placuit eã sibi cõsecrare. Verum quidẽ est hominũ opera & ministerio vsũ fuisse quũ illic sibi sanctuarium erexit, sed ideo eius gratiam obscurari minimè æquum est, quæ sola vrbem sanctam à reliquis omnibus distinxit. Cæterùm hoc consilio Deum Ecclesiæ architectum & opificem nominat Propheta vt sciamus eiusdem virtute eam manere in firmo statu, vel si collapsa sit restitui. [m] Acsi Propheta diceret, Dominus ille Deus noster, qui gratis nos sibi adoptauit, Ecclesiam suam aduersus omnes inimicos suos tuetur, conseruat & prouehit, quamuis nos deserere & nihil minus quàm Ierusalẽ ædificare videatur. Nam sequitur, *Dispersos Israelis congregabit.* [a] Vel, Propulsatos, vel eiectos Israelis. [c] Ex superioribus colligit Propheta in eiusdem Dei manu & arbitrio esse colligere dispersos. Quasi dicat, Etiãsi in exiliũ abducamur, ea tamen est Domini Dei nostri bonitas ac fides erga populũ suũ vt in exilio constitutos deserere nequeat, sed reducturus ac collecturus sit suo tempore. Ergo Propheta voluit hic miseros exules qui huc illuc disiecti erant solari, vt se ex dissipatione collectũ iri sperarẽt: quia Deus nõ frustra eos sibi adoptauerat vt coalescerent in vnum corpus. Ergo quum templum & altare sibi Ierosolymæ erigi iussisset, illicque sedem suam fixisset, Iudæos à patria sua extorres ad bonam spem reditus Propheta hortatur: acsi diceret non minus proprium esse Dei opus, dirutam & euersam Ecclesiam rursus instaurare, quàm initio fuit eius fundamenta iacere. Non ergo simpliciter propositũ fuit Prophetæ in primis Ecclesiæ exordiis laudare gratuitam Dei bonitatem, sed ab ipsa origine ratiocinari, Deum minimè passurum vt prorsus intercidat Ecclesia cui[9] semel fuit cõditor, vt eam ad finem vsque tueatur: quia opus manuum suarum non deserit. Atque hæc consolatio hodie nobis occurrere debet in tam funesta Ecclesiæ laceratione quæ passim cernitur, vt speremus electos, qui insiti sunt in Christi corpus, quamuis miserè dispersi sint quasi lacera membra, collectum tamen iri in fidei vnitatem: & mutilum Ecclesiæ corpus, quod quotidie discerpitur, restituẽdum esse integritati: quia opus suum prorsus intercidere Deus non sinet.

3 *Sanans contritos corde, & alligans dolores eorum.*

Sanans contritos corde. [a] Vel, Qui sanat contritos corde. [a] Eãdem doctrinam hoc versu continuat. Nam spem liberationis inde confirmat quòd canit Deum solere opem ferre miseris, tum omnia posse ac nosse, bonitatémque in omnia incomparabilem effundere. Primùm de ipso prædicat quod & passim Scriptura inculcat, eum confractis corde, hoc est summè afflictis, bonitate sua mederi, omnémque eorum molestiam leuare. *Et colligans dolores eorum.* [a] Vel, Et alligat dolores eorum. velut fasciis scilicet, more chirurgi. Vulnera enim quum curantur solent obligari. [a] Eadem similitudine vsus est Esa. 1.b.6. [b] Sensus est igitur, quamlibet grauibus morbis laboret vel confecta sit Ecclesia, quamlibet multis vulneribus confossa sit, facilem & promptam sanationem Deo fore. Vnde apparet diuerso loquendi modo idem repeti: quamuis non semper floreat Ecclesiæ status, saluam tamen & incolumem semper fore, quia velut vlcerosum corpus Deus mirabiliter sanabit. [m] Porro etsi Deus sanet etiam contritos corpore (sicuti vidimus Suprà, 107. a. 10. c. 18.) hic tamen de eo prædicat quòd contritos corde sanet: quia sic conueniebat argumento Psalmi vt populum afflictum & corde contritum consolaretur. Adde quòd generalius est, efficacius & magis ad diuinæ maiestatis gloriam faciens, sanare contritos corde, quàm sanare contritos corpore. Id genus sanandi Christus ipse sumpsit, qui adhuc venit vt mederetur contritis corde, & solaretur omnes lugentes. Vide Esa.61.a.1, & Luc.4.c.18.

4 *Numerans multitudinem stellarum, singulis nomina imponens.*

Numerans multitudinem stellarum. [a] Vel, qui supputat numerum stellarum. Quidam volunt Prophetam hic ratiocinari à simili vel exemplo: acsi diceret, difficilius non esse Deo palantes ac dispersos in terra homines colligere quàm stellas in cælo numerare, & cuique tribuere suũ munus & suam stationẽ. [c] Non esse igitur cur profugi & exules Israelitæ de reditu desperent: modò vno consensu se ad Deum, tanquam ad vnicum caput, conferant. Non minus etiam probabilis coniectura esset, Prophetam alludere ad oraculum illud, Respice stellas cæli, si numerare potes: sic erit semen tuum, Genes.15.a.5. Quia tamen de vniuerso naturæ ordine continuò post disserit Propheta, simplicius erit hunc quoque versum exponere de admirabili cæli opificio, in quo relucet incomparabilis Dei sapientia, dũ varios, multiplices ac flexuosos stellarum cursus ita moderatur, vt ne puncto quidem aberrent, sed semper eundem cursum teneant. *Singulis nomina imponens.* [c] Singulis attribuit certum & distinctum munus, vt in tanta turba nihil sit confusum. [a] Quanquam indere nomina stellis quidam posisũ esse volunt pro certiore cognitione. Et certè quibus damus nomina, ea planè cognita habeamus oportet.

5 *Magnus Dominus noster, & multus virtute: intelligentiæ eius non est numerus.*

Magnus Dominus noster. [a] Canit nũc immẽsitatẽ potẽtiæ atque sapiẽtiæ Dei verbis simplicib[9], egregia exclamatione monere volens nihil magis esse peruersũ quàm sensus nostri modulo Dei opera velle metiri, in quibus sæpe incõprehẽsibilẽ sapientiã ac potentiam exerit. Iam multoties descripta nobis est magnitudinis Dei excellentia, vt illam magis ac magis admiremur, ac tam magnum principem reuerenter colamus. *Et multus virtute.* [a] Vel, fortitudine. Hoc est, qui omnes creaturas potentia ac virtute superat. *Intelligentia eius non est numerus.* [a] Opponit intelligentiam sensui nostro, quòd non possimus capere quomodo hoc vel illud acturus sit quemadmodũ promisit. [m] Itaque per id quòd Propheta Deum magnum virtute prædicat, admonemur ne de illius potẽtia desperemus, etiãsi quod ab eo necessariò petimus, arduum sit & magnum. Quòd vero intelligentiam ac sapientiam illius dicit esse sine numero, (id est infinitam) huc nobis seruiat, vt non solùm quæ magna sũt & ardua, sed & quæ impossibilia videntur, ac talia quæ nulla ratione humana queat industria peruestigare, respectu infinitæ illius sapientiæ pariter ac potentiæ, spe bona ab illo petamus, speremus, & expectem[9]. Tale est quòd in futuro iudicio omnes in vniuersum homines resurrecturos, & alios æterno igni, alios sempiterno gaudio adiudicandos esse credimus: & quæ alia sũt huiusmodi.

6 *Subleuans miseros Iehoua, deiiciens impios vsque ad terram.*

Subleuans miseros Iehoua. [a] Vel, subleuat mãsuetos Iehoua. Vel, Euehit (attollit) miseros vel inopes. [a] Vt nõ sãtùm de Dei potẽtia sed & bona voluntate certiores essent fideles, Propheta naturam Dei cõmonstrans, [b] asserit illum consueuisse extollere afflictos, & afflictionẽ suam æquo animo ferentes, id est mansuetos. [c] Quod elogium Dei ad spes nostræ confirmationem plurimum valere debet in rebus aduersis, ne in examine crucis animi nostri deficiant. Vnde etiam colligimus, quãuis sub lege mollius fouendi essent Patres, non fuisse tamen expertes illius militiæ in qua nos hodie Deus exercet, vt alibi quàm in mundo veram requiem quæramus. Si ergo dum afflictis obrepat dubitatio vbinam sit auxilium illud quod Deus præsto nobis fore pollicitus est, veniat in mentem hæc sententia, non idro humiliari vt Dei manu postea in sublime tollamur, 1.Pet.5.b.6. *Deiiciens impios vsque ad terram.* [m] Hoc additum est à Propheta vt fidelibus maiorem in Deum fiduciam inculcaret. [c] Ergo, siquando, vbi deliciari videmus impios, vrat nos vel pungat æmulatio, occurrat quod hic dicit Propheta, in sublime euehi vt præcipites ruant. Nam prosternendos vsque ad terram esse dicens, non dubium est quin eorum superbiam obliquè perstringat, qua sese efferunt supra nubes acsi non essent ex hominum numero.

6 *Canite Iehouæ in laude, psallite Deo nostro in cithara.*

Canite Iehouæ in laude. [a] Vel, In confessione. Alii, cum laude.

Reperit quod initio posuerat, laudandum ab omnibus Deum, idque cum gratiarum actione. Nam verbū תודה confessionem, laudem, & gratiarum actionem significat. Requirit ergo Spiritus sanctus à nobis vt Dominum Deum nostrum sic laudemur cantico nostro vt bonitati ac beneficentiæ illius per cōfessionem respondeamur. Ipse primùm nobiscum agit, & suis nos beneficiis præuenit: respondendum autem nobis est, ne simus ingrati. Porro in nobis non est vnde ex æquo illi ac paribus viribus respondeamus. Requirit ergo vt saltē animi nostri gratitudinem per laudem & confessionem veluti respondentes declaremus, idque ex animo & quocunque modo poterimus. *Psallite Deo nostro in cithara.* Incitat his verbis ad laudandum Deum cum voce, tum organis. Alludit autem ad veterem Legis ritum, quo tempore Leuitæ canebāt ad citharam, & alia instrumenta. De quibus vide Suprà.

8 *Qui operit cælos nubibus, parat terræ pluuiam, germinare faciens herbam in montibus.*

Qui operit cælos nubibus. Quoniam superiore versu pios hortatus fuerat Propheta ad canendas Dei laudes, nunc admonet minimè deesse materiam: quia noua subinde documenta potentiæ eius, bonitatis & sapientiæ oculis nostris ingerunt. Primò dicit operire cælos nubibus, quæ mutatio expergefacere sensus nostros deberet, nisi nimium stupidi essemus. Certè vtcunque in cælo fulgeant innumera Dei miracula, si tamē eadem semper maneret serenitas, non tam conspicua esset eius virtus quàm vbi repente cælum obnubilat subducit solis fulgorem, & quasi mundo nouam faciam induit. Redit ergo Propheta ad celebrandam generalem bonitatem ac prouidentiam Dei, & eam à beneficio pluuiæ gratissimæ commendat, dicens, *Parat terræ pluuiam.* Hoc est quod alibi dicitur, Qui irrigat montes de excelsis suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra, Suprà, 104.b.13. Hoc autem notatu apprime dignū est, non cadere pluuiæ guttam in terras nisi iubente Deo. Inueniunt quidem philosophi pluuiæ originem in elemētis, neque verò negandū est ex crassis vaporibus, quos terra & mare exhalat, nubes creari: sed mediæ causæ Dei prouidentiam obscurare non debent, quin humorem terræ suppeditet gignendis frugibus necessarium. Denique sicut terra calore dehiscēs quodammodo sitim suam ore aperto declarat, sic etiam vicissim Deus pluendo potum distillat. Posset quidem aliis occultis modis dare vigorē, ne deficeret: sed irrigatio quasi ocularе spectaculum est continuæ quam de nobis gerit curæ. *Germinare faciens herbam in montibus.* Vel, Qui germinare facis in mōtibus herbam. Admonet Deum pluuiæ beneficio cunctis animalibus prospicere: quia & inde herbæ germinant, & succus terræ ad vbertatem suggeritur. Ita cum potētiæ suæ documēto, gratiæ paternique erga genus humanum amoris specimē ante oculos Deus proponit, imò demonstrat ne feras quidem & pecudes se negligere.

9 *Qui dat iumento cibum suum, filiis coruorum qui ad eum clamant.*

Qui dat iumento cibum suum. Id est, cuncta terræ animalia suo cuilibet apto naturaliter cibo nutrit & fouet. Ostendit enim Dominum Deum, quæ est illius bonitas ac liberalitas, victum cunctis animantibus curare. Considerandum autem hic est quomodo Propheta, quum dicere posset, Qui dat cibum animantibus: non solùm id beneficium in se, sed & modum illius cōsiderandū proposuerit, & animos nostros ad hoc excitet vt quotiescūque cælum nubibus obduci videmus, opus Domini diligēter obseruemus, & quid agat quidque instituat, notemus. Qui operit, inquit, cælum nubibus. Ad quid? Parat terræ pluuiam, inquit. Quorsum parat pluuiam? Germinare faciēs herbam in montibus. Quis vsus herbæ? Qui dat iumentis cibum, ait. Hæc fidelis animus diligenter expendit, quæ homo profanus & impius, licet vtilitate beneficii huius potiatur, cor de insensato transit. *Filiis coruorum.* More Hebraico filios pro pullis dixit. Quòd Vates iumenta potius & coruos quàm homines pasci dicit, hoc ad amplificationem valet. Certum quidem est hominis causa mundum esse creatum, suáque fertilitate & copia ornari, & quo propius ad Deum accedimus, eo magis suam erga nos beneficentiam illustrat: verùm si ad bruta quoque animalia extendere non grauatur, hinc facilè liquet nobis verè patrem esse ac nutritium. Ideo coruos nominat contemptissimum auium genus, vt doceat Dei liberalitatem penetrare ad omnes mundi partes. *Qui ad eum clamant.* Quidā vertunt, Filiis corui quādo ad te clamāt. Futurum Hebræum pro præsenti: & אשר interdum sumitur pro aduerbio temporis. Porro quòd Propheta pullos coruorum dicit clamare ad Deum, non dubium quidem est quin ad instinctum alludat: interea tamen admonet fateri suam egestatem, nisi Dominus è cælo alimenta porrigat. Quomodo autem clamor bestiarum, etiam hominum Deum non ritè cognoscentium, ad Deum tendat, videre licet Suprà 104.c.21, & 107.a.6. Nam quod fabulantur Iudæi deseri à pullis suos coruos simulac exclusi sunt, & vermes nasci in corticibus arborum ad eos pascendos, hoc suo more faciūt: quia nulla illis religio vel pudor est quiduis sine colore comminisci, quoties aliquid ambiguum occurrit. Nobis autem hoc sufficiat, totum naturæ ordinem sic temperasse à Deo, vt ne pullis quidem coruorū desit cibus, qui crocitando fatētur se esse famelicos, nec sibi esse inopiæ remediū nisi Deus succurrat. Cæterùm quis non videt agi hac in re non tam coruorum quàm nostram causam? Hæc enim ideo scripta sunt vt fidem de diuina prouidentia & intrepidam in nos liberalitate alamus in cordibus nostris & confirmemur. Sic Christus, quum discipulos hortaretur vt curam victus Domino cōmitterent, coruos illis proposuit, dicens, Considerate coruos, qui non seminant nec metunt, quibus nec est cellarium nec horreum, & Deus pascit illos: quanto vos illis pluris estis? Luc. 12 c.24. Quicunque ergo rebus necessariis destituuntur, clamare ad Dominum & ipsum ex animo inuocare non dubitent: quia clamores illorum irritus esse non sinet, quin potius pro summa pussima ac planè paterna bonitate necessitatibus ipsorū succurret.

10 *Non in fortitudine equi placebit ei, neque in cruribus viri oblectabitur.*

Non in fortitudine equi placebit. Vel, voluntatem habet. Futurum Hebr. pro præterito, Complacet sibi, delectatur. Postquam docuit Propheta nullam mundi partem vacuam esse beneficentia Dei, nominatim pronunciat nullas suppetere vires hominibus, nisi quas è cælo ipse idem inspirat. Idque consultò addit, refellēdæ superbiæ causa, qua naturaliter ferè inflati sunt omnes, vt nitantur propria virtute. Sensus autem verborū est, Veniat homo instructus suo robore, & adiumenta omnia afferat, quibus pollere sibi videtur: & tumor erit & mendacium. imò, si vel minimum quidpiam sibi arroget, solo hoc obiectu impediet atque arcebit Dei gratiā qua sola stamus. Sub fortitudine equi per synecdochen quodlibet præsidii genus designat: non quòd Deo per se displiceant quæ nobis largitur adminicula, sed quia necesse est à praua eorum fiducia nos abstrahi: quia nihil magis commune est, simulac facultas aliqua nobis ad manum suppetit, quàm vesano fastu inebriari. *Neque in cruribus viri oblectabitur.* Vel, Neque in tibiis viri. Hoc dicit ad amplificandam sententiam, significare volens eos minimè gratos Deo esse qui humanis subsidiis cōfidētes, nō recūbunt in Dei bonitatem & prouidentiam, expectantes ab illo omnia. Sic alibi dicitur, Non rex saluatur in multitudine exercitus, potens non euadet in multitudine potentiæ. Fallax equus est ad salutem, in multitudine roboris sui non eruet, Suprà, 33.c.16.

11 *Oblectatur Iehoua in iis qui ipsum timent, qui sperant in clementia eius.*

Oblectatur Iehoua in iis qui ipsum timent. Vel, diligit Iehoua timentes ipsum. Alii, Complacet Iehouæ in iis qui ipsum timēt. Alii, Propenso est affectu Iehoua erga timentes se. Nunc Propheta tam hominum quàm equorum fortitudini opponit Dei timorem, & spem quæ in eius misericordia recumbit: ac si diceret hanc præcipuè modestiam à nobis requiri vt piè sanctéque Deum colamus, & pendeamus ab eius gratia. Vnde colligimus non aliam fortitudinem damnari nisi quæ Deum honore suo fraudat.

12 *Lauda Ierusalem Iehouam, lauda Deum tuum Sion.*

Lauda Ierusalem Iehouam. Hoc versu & duobus sequentibus Ierusalem & Sion nominatim appellat, & ad laudem Dei excitat, idque ardēti affectu. Postquam enim in genere disseruit de beneficiis Dei, rursus sermonem ad fideles conuertit, quos solos antè diximus sano gustu præditos esse, vt cum vera gratitudine percipiant quæ mūdus ingurgitat bona. Porro Iam Ecclesiam compellat sub nomine Ierusalem: quia illic sacros conuentus tunc agebant fideles, & quasi confluebant sub Dei vexillum. *Lauda Deum tuum Sion.* Eiusdem rei ingeminatio ardentem cordis affectum spirat. q.d. O Ierusalem, ô Sion, lauda Dominū, lauda, inquam, Deum tuum. Hoc enim laudis sacrificium abs te requirit pro omnibus quibus te hactenus cumulauit bonis, quæ certè innumera sunt & infinita.

13 *Quia roborat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui.*

Quia roborat vectes. Rationem addit cur celebrandus sit Deus Sionis. Quanquā autem paulo pòst de vniuersali mundi

gubernatione iterum verba faciet, nunc Dei gratiam commendat, quam nonnisi erga fideles suos exerit: nempe dum Ecclesiam suam defendit, benignè fouet, largiter bonis omnibus ditat, saluam denique ab omni noxa tranquillámque præstat. Vectes enim portarum à Deo firmari dicēs, intelligit sanctam vrbem optimè Dei præsidio munitam esse, vt sibi ab hostibus metuere non debeat. *Benedicit filiis tuis in medio tui.* [M] Hoc ad Ecclesiæ prosperitatem pertinet, vt filii eius multiplicentur & prosperè habeant.

14 *Qui ponit fines tuos pacem, pinguedine frumenti satiat te.*

Qui ponit fines tuos pacem. [V] Vel, Qui ponit terminum tuum pacem. Hebraismus pro, Terminos tuos donat summa pace. Vel, pacauit omnes fines tuos, ita vt si hostes accedant, tamen non audeant incursus facere. [A] Significat diuinitus arceri hostes, ne quid molestiæ ac turbarum facessant. q. d. Deus sic te defendit & tuetur vt hostes tui nihil tibi incommodare possint. [C] Non quòd semper omni ex parte pacata sit Ecclesia, nullásque incursiones sustineat: sed quia manum suam Deus ad impetus repellēdos manifestè opponit vt securè hostes in circuitu despiciat. Nisi fortè latius extendere placeat nomen pacis: sicut plerunque pro secundo & fœlici statu sumitur. Sed quia fit mentio finium, videtur prior ille sensus melius quadrare. [M] Interea docet hic locus munitionem, multiplicationem, pacem cum finitimis, non aliunde esse sperandam, quàm à Domino Deo nostro. Nam etiamsi sint portæ ac vectes, sint termini regionum, sint posteri ac liberi, sint agri quantumuis bene culti, nihil tamen sunt hæc omnia, nisi Dominus det robur, det pacem, det incrementum & filiis & agris nostris. Docemur præterea esse hæc bona, vt dona diuinæ benignitatis, ita etiam laude ac gratiarum actione digna, quamuis terrena sint & impiis quoque communia, nec vera in illis vita, salus ac fœlicitas constet. *Pinguedine frumenti satiat te.* [V] Vel, adipe frumenti saturat te. Alii, Medulloso tritico satiat te. Id est, optimo tritico. Ista tritici abundantia aliarum quoque rerum copia significatur. Et pinguedo frumenti metaphoricè vocatur pura farina, vel simila go. q. d. Largè suppeditat tibi omniū bonorum copiam, vt nihil prorsus te deficiat. [C] Pertinet hoc ad interiorem Dei benedictionem, qua fit vt prosperè & beatè in Ecclesia ciues habitent: & simul largè ad satietatem vsque pascātur. Non quòd semper filiis Dei suppetāt lautitiæ, quæ eos corrum perent (vt nimis propensa est caro ad lasciuiam) sed quia in victu quotidiano clarius Dei liberalitatem perspiciunt quàm increduli, quos vel excæcat sua sagina, vel inopia misera sollicitudine cruciat, vel etiam insatiabilis cupiditas semper vrit. Præsertim verò olim Patribus sub Lege paternus Dei fauor in victus abundantia patefactus est: quia talibus rudimentis altius tunc deduci oportuit.

15 *Dum emittit eloquium suum terræ, valde celeriter currit sermo eius.*

Dum emittit eloquium suum terræ. [A] Vel, qui mittit verbū suum terræ. [C] Vel, Qui immittit, vel demittit. Rursus operū Dei, quæ in naturæ ordine passim refulgent, quasdam species attingit. Sed quia aeris & terræ mutationes, quæ testimonia esse debebant potentiæ eius, mundus fortuitò contingere imaginatur: antequā de niue & glacie Propheta disserat, disertè exprimit eius imperio & nutu terram regi. Emissio enim sermonis nihil aliud est quàm arcanus motus, quo omnia moderatur & temperat: quia nisi iubente ipso & ordinante nulla in elementis esset agitatio: nec proprio instinctu huc vel illuc ferrentur, nisi praeiret arcanum eiusdem mandatum. Vide suprà, 107.b.10.

Valde celeriter currit sermo eius. [V] Vel, Celerrimè currit verbum eius. Ad verbum, Vsque ad celeritatem. Id est, summa celeritate perficiet quod mandatū est. Metaphora à cursoribus [C] acsi diceret, Simulac ostēdit Deus quid fieri velit, præsto ad parendum concurrunt omnia. [M] Hæc particula diligenter obseruanda est, ac memori mente retinenda. Effectus verbi Dei est omnium velocissimus: nam virtuti illius omnia cedere, omnia cooperari ac seruire coguntur. Vbi ergo nihil quod impedire queat, & vbi omnia seruire & cooperari coguntur, quæ poterit illic esse efficiendi & exequendi tarditas? Succurritur hac consideratione fidei nostræ imbecillitati, quæ fit vt consideratis remoris & obiectis, imò non remoris, sed remorarum spectris, subinde hæsitemus possitne rebus deploratis diuina prouidentia in tempore succurrere.

16. *Qui dat niuem sicut lanam, pruinam quasi cinerem spargit.*

Qui dat niuem sicut lanam. [B] Nunc ex niue, pruina, grandine, cognoscendum offert Propheta quod de sermonis Dei celeritate dixit. [E] Nisi enim principium illud tenemus, omnia præsto esse ad parendum Dei mandato, quantumuis subtiliter excutiamus medias causas, tota nostra perspicacia euanescet. Sicuti Aristoteles in Meteoris acumen suum ita exercuit vt de causis naturalibus exactissimè disputet, omittat tamen præcipuum hoc caput, in quo rudissimus quisque idiota, vera saltem pietate imbutus, eum superat. Nam plusquam insipidum esse oportet quem tam subitæ niues ac pruinæ de hac verbi Dei celeritate non docent. Itaque nisi velimus præposterè in operibus Dei philosophari, semper ab hoc principio incipere conuenit, singulas mundi partes ad Dei arbitrium intentas esse, vt totus naturæ cursus nihil aliud sit quàm prompta eorum quæ mandauit executio. Nam certè dum se aquæ conglaciant, dum per aerem spargitur grando, dum pruinæ cœlum obscurant, bina apparet quam efficaciter loquatur. Quòd si maior pars mundi ad hæc tot miracula obstupescit, frigoris asperitas qua obrigescunt corpora, nos Dei potentiam mirari cogat. Nam certè quum æstate nos torreat solis calor, deinde hyems succedens omnia cōtrahat, mutatio hæc quæ extra vsum incredibilis esset, apertè clamitat aliquod regnare in cœlis numen.

17 *Proiicit glaciem suam quasi frusta: coram frigore eius quis consistet?*

Proiicit glaciem suam quasi frusta. [V] Aut, fragmenta. tunc enim guttæ pluuiæ nimio frigore vertuntur in frusta. Alii vertunt, vt buccellas. *Coram frigore eius quis consistet.* [M] Vel, stabit. Ostendit his verbis frigus esse latu difficillimum.

18 *Mittet sermonem suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius: fluent aquæ.*

Mittet sermonem suum. [A] Vel, Mittit verbum suum. [V] Futura Hebræa pro præsentibus. Est autem Hebraismus Mittere verbum pro iubere ac præcipere. *Liquefaciet ea.* [V] Vel, liquefacit. [M] Hoc est, quum illi visum fuerit, misso verbo suo omnia quæ prius frigore congelata erant, liquefaciet. *Flabit spiritus eius: fluent aquæ.* [A] Spiritum pro vento vel flatu accipit. [M] acsi diceret, Non est opus prolixa aliqua mora: verbum ac mandatum eius velocissimè currit: facillimum est illi reuocare flatum frigore cuncta constringentem, quo facto fluunt aquæ antea frigore congelatæ. Annotandum hic est glaciem, frigus & spiritum Dei vocari à Propheta. Sic pii homines religiosè de operibus & creaturis Dei sentiunt & loquuntur. Id quod non solùm pii habent animi indicium, sed & plurimum ad hoc conducit vt in creaturis Dei & vsu illarum piè & religiosè versemur.

19 *Annūtiat sermones suos Iacob, edicta sua & iudicia sua Israeli.*

Annuntiat sermones suos Iacob. [M] Vt Psalmum concludat Propheta, illud postremo loco commemorat, quod Israeli fuerat peculiari beneficio concessum. [A] Porro sermonis nomen aliter hoc versu capitur quàm paulo antè, quia aliter creaturis sensu carentibus præcipere dicitur Deus, quas arcana inclinatione tacitus in obsequiū suum dirigit, quàm hominibus intelligentia præditis, quos articulatā docet, vt scienter & volentes sequantur quo ipse vocat. Etsi autem quæ prius recensuit beneficia non vulgari pretio digna sunt, hoc tamen longè præcellit, quòd in tradenda pietatis doctrina (quæ æternæ salutis thesaurus est) magistri officio erga electum populum fungi dignatur. Quantulum enim hoc prodesset, caducis bonis affluere Ecclesiam, & ab hostium violentia defendi, si spes eius supra mūdum non assurgeret? Hoc igitur summum gratiæ specimen est, cœlestis vitæ lucem in verbo suo proponere. Ideóque non abs re tanquā veræ & solidæ fœlicitatis cumulus hic apponitur. [M] Notandum verò hic est verbum (id est, voluntatem ac mentem Dei) non patere mortalibus nisi ab ipso Deo annuntietur & manifestetur. Nam & humana ratio in tenebris versatur, nec lucem Dei videt, nisi cœlitus illuminetur. [C] Deinde obseruandum adscribi Deo partes quas eius mandato exequuti sunt Moses & Prophetæ: quia tunc demum pietatis doctrinæ iustus defertur honos, & pro suo merito æstimatur, vbi in Deum erigimus mentes: qui sic hominum vtitur opera vt sibi interim summi & vnici doctoris munus minimè abroget. Ergo ab authoris persona hic sua asseritur verbo maiestas. [A] Vide 1. Thessal. 2. c. 13. *Edicta sua.* [A] Vel, statuta sua. *Et iudicia sua.* De horum nominum vera significatione diximus Suprà 119. a. *Israeli.* [A] Propheta Iacobi & Israelis nomine populū illum intelligit quem Deus icto cum Abraham fœdere sibi in peculiū adoptauit. [C] Cæterùm discamus ex hoc loco, non modò reuerenter piáque obseruantia excipere Dei doctrinā, sed amanter quoque amplecti: quia nihil suauius vel optabilius fingi potest quàm Deum salutis nostræ curam suscipere, idque familiariter sectari, dū porrecta manu ad se nos ducit. Hic enim scopus est doctrinæ vt in densis huius mundi tenebris, & inter tot flexuosos errores, quibus humanum genus vagum cir-

eum agit Satan, nobis præluceat optimus Pater, donec in cælestem hæreditatem colligamur.

20 *Non fecit sic cuilibet genti, & iudicia sua non manifestauit illis. Halelu-Ia.*

Non fecit sic cuilibet genti. [a] Vel, Non facit similiter omni genti. [c] Hanc gratiam illam Israeli factam comparatione amplificat Propheta, non ita reliquis gentibus factum esse admonens. Nam si quæratur causa cur populum vnũ reliquis Deus prætulerit, certè ad fontem gratuitæ electionis præstanti ipsa nos deducet: quia reperiemus non propria virtute differre filios Israel à reliquo mundo, sed quia ipsos Deus reliquis præteritis adoptare dignatus est. [b] De hac Israelis præstãtia sic Moses loquitur, Quæ est gens tam magna cui sint dii propinqui, sicut est Iehoua Deus noster in cunctis pro quibus inuocauerimus eum? Et quæ est gens ita magna cui sint statuta & iudicia iusta, sicut est vniuersa lex ista quam ego do corã vobis hodie? Deuter.4.a.6. [m] Quòd si tanti facit hanc legalis verbi gratiam Propheta, quãti cõuenit vt faciamus nos Christiani gratiã Dei quæ per Christũ filiũ Dei ad salutem credentibus, missa in orbẽ Euãgelii prædicatione & Spiritus sancti efficacia, postremis temporibus vniuerso mortalium generi innotuit? Qua de re vide 2.Cor.3.b.7.8. *Et iudicia sua non manifestauit illis.* [v] Ad verbum, Et iudicia non nouerunt ea. Id est, Et iudicia quæ dedit illis, non nouerunt ea gẽtes. Hoc est, non fecit eis nota, siue manifestauit. Alii pronomen affixum verbo iũgunt nomini, vertentes, Neque nouerunt iudicia eorum, subaudi Israelitarum. Per iudicia intelligit viuendi regulam. Idem significat quod Paulus, Qui præteritis (inquit) ætatibus sinit omnes gẽtes suis ipsarum viis ambulare, Act.14.c.16. *Halelu-Ia.* Hoc est, Laudate Dominum. Voluit in fine Psalmi Propheta verum Israelem iterum ad canendas Dei laudes pro tam inæstimabili beneficio inuitare.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVIII.

[m] Inuitantur huc Psalmo ad laudandum Deum creaturæ omnes [c] sursum & deorsum: [a] & sancti monentur vt in omnibus rebus, Dei nunquam satis admirationi habitam virtutem, sapientiam & bonitatem considerent, ac nunquam non deprædicent, [c] quum hi soli sint in mundo diuinarum laudum præcones.

HAlelu-Ia: Laudate Iehouam è cælis, laudate eum in excelsis.

Halelu-Ia. [a] Sunt qui vertunt, Laudate Existentem. Initium Psalmi satis indicat quænam sit mẽs Prophetæ, nempe ea quæ alloquitur, ad canendas Dei laudes excitare. *Laudate Iehouam.* [m] Cuncta Dei opera incredibilem eius sapientiam, potentiam, & bonitatem in se mirificè ostentant, vt laudes eius celebrare etiam illa dicantur quæ ratione carent & voce. Sic quod hic Psaltes omnia à Deo condita appellat, laudibúsque efferre Deũ hortatur, magis adeo indicatio est quid faciant, quàm iussio vel inuitatio vt id faciant. Nostri causa carmen hoc compositum est: inde sic omnia accipiẽda sunt vt agnitemus nos præcipuè hic inuitari ad cõsideranda prædicandáque decora Dei, quæ præclarè adeo in rebus quas Vates memorat, relucent. *E cælis.* [c] Videtur tam stellas quàm angelos hic complecti, atque adeo cælũ ipsum, aerem & quicquid illic gignitur: quia continuo pòst sequitur partitio, vbi Angelos primò, deinde stellas & aquas cælestes hortatur. [m] Quod ergo Propheta hic dicit, tale est, Qui de cælestium ordine estis, laudate Dominum. [v] Vel, Pars illa mundi quæ supra terram eminet, nempe aer, cælum, & quicquid supra cælos est, laudent Deum. *Laudate eum in excelsis.* [m] Q.d. Sic vt in excelsis estis, in excelsis constituta laudate Dominum.

2 *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.*

Laudate eum omnes Angeli eius. [a] Sicut Vates primo versu naturam spiritualem totam complexus est, ita hoc secundo offert considerandos peculiariter eos spiritus qui in ministerium à Deo amandãtur eorum qui hæredes scripti sunt salutis, Hebr. 1.d.14. Hos Scriptura Angelos, siue Legatos, & exercitũ satellitiumque Dei vocat. Peragunt enim quæcunque decreuerit perficit. [c] Quia verò in hoc conditi sunt vt in laudando Deo sint assidui, mirum non est locari eos in primo ordine, vbi de laudibus Dei prædicandis agitur. Idem in illa memorabili visione quæ Esaiæ 6.a.3. refertur, clamant Cherubim, Sanctus, sanctus, sanctus Iehoua exercituum. Et pluribus aliis locis Scriptura Angelos Deum talibus elogiis celebrantes inducit. Quibus ergo stimulis indiget tanta alacritas? Quòd si incitandi forent, quid tamen minus consentaneum quàm nos, qui tanta segnitie torpemus, suscipere hortandi partes? Ergo Dauid qui non modò Angelos zelo nõ æquabat, sed procul sequebatur, neque quam idoneus illis esse hortator potuit. Sed neque tale fuit eius cõsilium: imò simpliciter testari voluit nihil sibi esse gratius vel magis optabile quàm pio cum electis Angelis cõsensu Deum laudare. Nec verò absurdum fuit, quo se alacrius accingeret ad celebrãdas Dei laudes, Angelos qui sponte currebãt, imò viam monstrabant, vocare socios. Vide suprà, 103.d.20.

Laudate eum omnes exercitus eius. [a] Repetitione vtitur: [c] nã quos Angelos vocauit, eosdẽ nũc exercitus Dei appellat: quia semper ad excipiẽda Dei iussa parati adsunt. Myriades enim myriadum solium eius circundant, quemadmodum legitur Dan. 7.c.18. [a] Sic alibi dicitur, Benedicite Domino Angeli eius, fortes robore, facientes verbum eius, ad audiendam vocem sermonis eius. Benedicite Domino omnes exercitus eius, ministri eius, facientes voluntatem eius, Suprà, 103.d.20. 21. [c] Transfertur etiam hoc nomen exercitus ad stellas, tum quia mirabili ordine distinctæ sunt, tum quòd incredibili celeritate exequuntur Dei mandata. Sed hic eadem ratione Angeli dicuntur exercitus qua alibi principatus & potestates: quia per ipsorum manum virtutem suam Deus exerit. Qua de re vide Coloss. 1.c.16.

3 *Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ lucidæ.*

Laudate eum sol & luna. [m] Iam progreditur ad ea cælestia quæ animata non sunt, solem videlicet, lunam & cunctas stellas. [a] atque ita prædicat stupẽdum Dei opificium quod cernimus in sole, luna & astris, tanta támque mirifica luce conspicuis, tam certo cursus tenore operationúmque varietate suspiciendis. Hæc in cælestibus orbibus atque astris considerare conuenie bat, non, contra Dei præceptum, ea illis diuinare, aut diuinantibus auscultare. [c] Quòd autem sol, luna & stellæ quodãmodo inuitantur ad prædicandas vel canendas Dei laudes, non suffragatur Platonis delirio, qui stellas finxit sensu & intelligentia pollere. Neque enim Propheta eas nunc in eodem locat gradu quem nuper attribuit Angelis, sed tãtùm significat vbique fulgere Dei gloriam, quasi laudes eius personarent clara voce. Quo etiam obliquè perstringitur hominum ingratitudo: quia hanc melodiam audiet quisquis vel pauxillum attentus erit ad consideranda Dei opera. Sol enim iam fulgore suo quàm calore, aliisque singularibus donis, annon opificem suum celebrat? Stellæ quum peragunt cursum suum, cæloque ornãdo terram illustrant, annon etiam ebuccinant Dei laudes? Quia autem nos surdi & stupidi sumus, meritò eos aduocat testes Propheta, vt tarditatem nostram corrigant. *Laudate eum omnes stellæ lucidæ.* [v] Quidam, stellæ luminis, id est, lucidæ, Hebraismus. [m] Stellas vocat lucidas, non quòd aliæ sint lucidæ, aliæ tenebricosæ, sed hoc epithetõ gloriam stellarũ deprædicat. Sunt tamen qui exponant de lucidioribus stellis, quas planetas (id est errantes) vocant: acsi propheta diceret, Laudate illum planetæ, qui lucetis præ cæteris stellis omnibus.

4 *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ super cælestes.*

Laudate eum cæli cælorum. [v] Vel, Cælum cæli. [m] Nam Hebræi pro singulari vtũtur voce plurali quum cælũ vocant שמים. Quanquam dubium non est quin locus iste de sphæris intelligatur. Nam eclipses aliique aspectus palam ostendunt tam stellas fixas superiores esse planetis, quàm planetas ipsos diuersis orbibus sitos esse. Hanc artificii præstantiam non abs re commendat Propheta, cælos cælorum disertè exprimens: non quòd reipsa plures sint cæli, sed quia non potest satis magnificè extolli admirabilis Dei sapientia quam in cælis creandis adhibuit: solem, lunam & stellas confusè non permiscens, sed singulis assignans proprium situm & domicilium, multiplices etiam cursus moderans. [a] Alii ad spiritualia hæc referunt & mentes æthereas: sed videmus Psaltem, obseruato naturæ ordine, ab illis cœpisse, & inde ad corporea cælestia descendisse. Ab his iam venit ad cælos cælorum & aquas supra cælos, à quibus statim delabitur in terram, & quæ circum nos apparent. *Et aquæ supercælestes.* [v] Vel, quæ supra cælos sunt. [a] Quum sub nomine cælorum Propheta more Scripturæ aerem comprehendat, vel saltem quicquid spatii est à media regione aeris sursum, pluuias vocat aquas supercælestes. Neque enim vlla ratio est cur fingant quidam aquas residere super quatuor elementa. Et Propheta pluuiæ descensum clarè notat, quum dicit aquas illas esse desuper. Nimis etiam seruiliter literæ se adstringunt qui imaginantur quoddam in cælis mare, acsi illic semper aquæ resideant: quum sciamus Mosen & Prophetas, vt se accommodent ad rudissimi cuiusque captum, populariter solere loqui. Idéoque præposterum esset, quæ apud eos leguntur, ad philosophiæ regulas exigere. Sicuti hoc loco, quòd Deus aquas in

aere suspensas teneat, hoc miraculum commendat Propheta: quia hoc videtur præter naturā esse vt in sublime cōscendant: deinde quum fluidæ sint, tamen cōsistant in loco vacuo. Ideo dictū fuit Suprà, 33.b.7, teneri illic quasi vtribus inclusas. Interea formam loquendi mutuatus est Propheta à Mose, qui dicit aquas fuisse distinctas ab aquis, Gen.1.a.1.

5 *Laudent nomē Iehouæ, quia ipse mandauit, & creata sunt.*

Laudent nomen Iehouæ. [a] Hoc versu & sequenti veluti rationem reddit quare corpora cælestia inanimata iubeat laudare Dominum, & simul modum innuit quo id faciant. Q.d. æquissimū est vt nomen Dei celebrent. Sunt enim creaturæ Dei. deinde quòd adhuc perstant, ex ipso habent. Sic enim ea constituit vt vsque durent: & statutum præfixit quod non præterit. Laudēt igitur (id est, gloriosum reddant) nomen eius, tanquam ipsarū opificis & conseruatoris. [c] Ex eo autem quòd de creaturis sensu carentibus verba faciens, transit à secunda persona ad tertiam, colligimus hactenus in secunda persona loquutum esse, quo magis afficeret homines. Neque enim aliam exegit laudē nisi ex qua discamus neque à seipsis ortas esse stellas, neque fortuitò pluuias creari: quia quū tam præclara potentiæ Dei documenta assiduè ante oculos nostros versentur, opificē fœdo stupore præterimus. *Quia ipse mandauit.* [c] Emphaticum est pronomen ipse: acsi diceret Propheta non esse mūdum æternum, sicut somniant profani homines, neque ex atomis conflatum, sed Dei mandato repente extitisse pulcherrimū hunc qui cernitur ordinem. *Mandauit, & creata sunt.* [a] Hic opus creationis potentiæ verbi Dei assignat: quemadmodum alibi dicitur, Quoniam ipse dixit, & fuit: ipse præcepit, & stetit, Suprà, 33.b.9.

6 *Et statuit ea in perpetuum, in seculum posuit illis edictum, & non præteribit.*

Et statuit ea in perpetuum. [v] Vel, Et stare facit ea. Et constituit ea. Vel, stabiliuit. [a] Commendat his verbis earum conditarum conseruationem: simulque modum laudandi innuit eo quod dicit illa esse à Domino potentia verbi eius condita & corroborata: significans ea, tanquam opera illustria & constantia, Dominum velut opificem suum celebrare, dum potētiam simul & sapientiam illius velut ipsis mortalium oculis spectādam ingerunt. Sic alibi dictum est, Cæli enarrāt gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, Suprà, 19.a.2. *In seculum.* [a] Hæc particula idem repetitur vt de perpetua rerū conseruatione, quæ fit virtute verbi Dei, certiores simus. *Posuit illis edictum.* [v] Alii legūt, In seculū statutum dedit. Alii, præceptum dedit. *Et non præteribit.* [v] Id est, non delebitur, nō abrogabitur, non cessabit. Sic hoc verbo vsus est Matthæus, Cælū & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Matth. 24.c.35. [c] Propheta de creatione loquutus, addit quod magis obseruatu dignū est, præceptū rebus illis creatis dedisse quod inuiolabile manet. Multi enim licet concedant mūdum diuinitus creatum esse, postea tamen labuntur ad frigidas imaginationes, acsi nunc per se staret naturæ ordo, Deus verò in cælis dormiret. Meritò itaque Propheta hic insistit, cælestes creaturas non modò semel à Deo esse conditas, sed eiusdem arbitrio nūc moueri: nec tantùm semel illis inditam esse arcanam virtutem, sed dum funguntur suis partibus, impendere Deo suam operam ac ministerium ad destinatos vsus. [a] Porro cælestia, licet inanimata, edictum quodque suum à conditore acceptum inuiolabiliter custodiunt. Et homo ad imaginē Dei cōditus, propter quem facta sunt omnia, inde ab initio creationis suæ statuta Dei transgreditur, Gen.3.a.6. [a] Pudeat igitur nos nostræ confusionis, & omnem gloriam vni Deo adscribamus.

7 *Laudate Iehouam è terra dracones, & omnes abyssi.*

Laudate Iehouam è terra. [a] Deducit nunc ad cōsiderationem rerū terrenarum. Vt enim illud versu primo De cælis, pro, Qui estis è cælis, hoc est naturæ cælestis: ita hoc, E terra, accipiendum est pro, Qui estis de terra. id est, terreni. Sic vno verbo mentem sanctam immittit in vastum hunc terrarum orbem, & quæcunque mira continet: vt ibi Dei opera, non innumera solùm, sed etiam inexplicabili ratione constantia conrēpietur. [a] Iam ergo Psaltes de cælestibus creaturis loquutus, ad inferiores mundi partes descendit: quanquam rerum non satis exacto ordine quæ in aere gignūtur, vt fulgura, niuem, gelu & procellas permiscet. debebant enim hæc in priori classe statui, sed ad communem hominum captum respexit. Summa huc tēdit, quocūque vertamus oculos, vbiq; nobis occurrere potentiæ Dei testimonia. *Dracones.* [a] Quidā hoc nomine quaslibet immaniores belluas, in quibus singulari miraculo Dei potentia declaratur, intelligunt. [c] Sed quia Vates mox adiūgit abyssos, rectius alii marinos pisces intelligūt, quales sunt balænæ. *Et omnes abyssi.* [a] Non solùm maria intelligit hoc nomine sed simul quoslibet lacus ac flumina: sicut & suprà, 135.b.6. [c] Nec verò absurdum est ex mari, quod tot miraculis refertum est, proferri laudum Dei materiam. [m] Vide Suprà, 74.c.13, & 14, & 104.d.26.

8 *Ignis & grando, nix & glacies, spiritus procellæ faciens verbum eius.*

Ignis & grando. [a] Memorat quæ in aere proximo terræ immutationes conflictationésque fiunt, [c] quibus potentia diuinæ maiestatis mortalium oculis magno cum terrore ingeritur ac monstratur. [a] Per ignem fulgetra intelligit & fulmina: [m] quibus grandinem subiungit, [a] sicut illis etiam in ipsa tempestate coniungitur. *Nix & glacies.* [a] Vel, Nix & vapor. Alii, Nix & exhalatio sicca. [a] Nam קיטור significat exhalationem, sed siccam, manantem è terra & in fumum cōformatam, ex qua venti flatuumque differentiæ, tonitrua, fulgetra, turbines, fulmina, atque id genus exoriuntur. [m] Vnde & subiicit de vēto procelloso, vel tempestuoso, *spiritus procellæ.* [v] Vel, Ventus turbinis. id est, ventus procellosus, cuius ministerio vtitur Deus, sicut dictū est, Qui facit angelos suos, spiritus, ministros suos, ignem flammantem, Suprà, 104.a.4. [a] Sed de procellæ flatu repente prosiliente & cuncta proterente diximus Suprà, 11.b.6, & 107.c.25. *Faciens verbum eius.* [m] Hoc est, vi sua id exequens ad quod à Domino immittitur. [a] Dicit grādines, niues & procellas facere verbū Dei: quia neq; cælum fortuitò obnubilatur, neque gutta pluuiæ ex nubibus decidit, neque tonitrua excitantur: sed arcano Dei arbitrio reguntur omnes istæ mutationes, siue terras irrigans testari velit hominibus bonitatis suæ dulcedinem: siue procellis, grandinibus, aliisque incommodis castigare eorum peccata. Multiplicem enim vsum continet hæc doctrina, vt sciamus, quoties impendet penuria, quanuis terra continuo æstu exusta arescat, in promptu Deo esse pluuiam, quæ, simul ac annuerit Deus, siccitatem tollat. Si verò continuis imbribus putrescat in terra semen, vt non perueniāt ad maturitatem fruges, tunc quoque petenda est à Deo serenitas. iam si mentes nostras percellant tonitrua, Propheta admonet inuocandum esse Deum, cuius est sedare omnes motus, sicuti in nos iratus sua manu fulminat. Neque enim tam frigidè debet accipi hæc doctrina acsi virtutem sibi ab initio inditam proferrent creaturæ, Deus autem se oblectaret in otio, sicuti balbutiunt profani homines: sed præcipuè tenendum est Deū prospicere suis creaturis, nec quicquā nisi præscito eius arbitrio moueri. [a] Porro hic dicitur ventus facere verbum Dei, quia mira per eum Deus efficit & grauiores vltiones conficit: sicut eiusmodi flatu currus Pharaonis (Exod.14.e.11) item Chenaanitarū (Iudic.4.c.15) perturbauit & euertit, aliáque pro suis contra hostes designauit. Hæc inter terrena Psaltes memorat, quia in terra vis eorum præcipuè sentitur.

9 *Montes & omnes colles, arbor fructifera, & omnes cedri.*

Montes & omnes colles. [a] Ad terram vsque descendit. Ac primùm mouet considerandam Dei virtutem in montibus ac quibuslibet locis editioribus, tum arboribus tam fructiferis quàm syluestribus, quas per cedros intellexit. [m] Certè montes & colles mole sua ac sublimitate conspicui admirabilem Dei potentiam luculentissimè prædicant. *Arbor fructifera.* [a] Singulare pro plurali. Non parum vtilitatis recipiunt homines ex arboribus fructiferis, vnde ad celebrandas Dei laudes, nisi bis ingrati esse velint, permouentur. *Et omnes cedri.* [a] Huiusmodi arbores proceritate præstantes summam Dei excellentiam manifestè prædicant. [a] Breuiter in his omnibus nō pauca diuinæ bonitatis miracula conspiciuntur, si quis dignè animaduertat, & singula propius expendat. [m] Cæterùm de montibus & collibus vide 104.a.8. de arboribus verò Ibidem, b.16.

10 *Bestia & omne iumentum, reptile, & auis pennata.*

Bestia & omne iumentum. [a] Vel, vt alii vertunt, Fera, & omne pecus. [m] Inanimatis subiicit animata, & primùm ratione destituta. Per feras intelligit bestias syluestres: per iumenta, omnia quæ studio hominum cicurantur, & in vsus humanos, siue ad laborem siue ad escam aluntur. Porro quòd animantia etiam irrationabilia ad laudem Dei vocantur, ad id facit vt cogitemus neminem esse mortalium vsqueadeo obscurum, ferum impetitum, & velut rationis vsu instar bestiæ destitutum, in quo non sit aliquid cuius gratia Dominum conditorem suum laudare debeat. Deinde obserua quòd non solùm iumenta, quæ in vsus humanos aluntur, sed & feras ad laudem Dei vocat. Sunt & inter homines feræ, hoc est, natura quadam reliquis ferociores. Et in illis quoque est vnde laudem de-

uina mereatur prouidentia. *Reptile.* [a] Per reptilia non solùm serpentes, sed & ea quæ in mari repunt, intelligit. Leguntur tamen hæ eæ voces [illegible] quæ hic habentur, Genes. 1. e. 24. de animalibus terrestribus quæ sexto die sunt condita. *Et aues pennatæ.* [a] Vel, Et volucre alatum. [m] Ortum horum animalium describit Moses in opificio diei quinti, Gen. 1. e. m. 21.

11 *Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ.*

Reges terræ. [c] Tandem ad homines vertit sermonem, quorum respectu præconium laudum Dei tam à terrenis quàm à cælestibus creaturis exegit. [b] Et sicut ex ordine cælestiũ spirituum primùm Angelos, & ex ordine luminarium, principio solem, sic ex ordinibus humani generis, primùm reges ad laudem Dei euocat. Illud verò in primis expendendũ, quòd Propheta postremo loco ad laudes Deo canendas homines vocat. Non id agitur vt postremi sint in officio laudis Dei: sed sicut humanũ genus in opere creationis reliqua creata omnia præcesserunt: sic illi præmittuntur hîc omnia, vt illorum consideratione ad laudandum Dominum Deum non suo duntaxat sed & omnium aliorum conditorũ nomine excitetur. [a] Quod ad reges & proceres attinet, quia eos excæcat suæ dignitatis splendor, vt mundum sua causa conditum esse putẽtes, Deum superbè contemnant: peculiariter eos ad officium hortatur, & ab ipsis exordium faciens, eorum ingratitudinem coarguit, quòd præ aliis Deo obstricti, eum tamen debita laude fraudent. Nam certè quum ab ipsa origine æqualis sit generis humani conditio, quo quisque altius eminet, propiùsque ad Deũ accedit, sanctiore vinculo obstringitur ad prædicandam eius gratiam. Quo minus ferenda est ista malignitas, dum se à communi lege eximunt reges & proceres, qui duces aliis & magistri esse debuerant. *Et omnes populi.* [a] Quidam hoc nomine eos intelligunt qui suis legibus vtuntur, quibus vel regnũ est, vel respublica. [m] Sed possumus in genere omnes nationes, id est qualibet hominũ genera, sub hac voce intelligere. [a] acsi Propheta diceret, Vos cuncti mortales, non Israelitæ modò, sed omnes in vniuersum nationes, Dominũ ex animo celebrate. *Principes & omnes iudices terræ.* [a] Rursus eos nominatim compellat qui potestate aliqua funguntur. Principes & iudices, magistratus sunt reddentes ius. Etenim quum hi ferè stulti & mali sint, iuxta prouerbium, aut regem, aut fatuum: & perpauci hominum sint qui vel honorum & sapientium imperium ferant: stupendum sanè miraculum est, tot millia parere paucis, ac sæpe vni, cique nihil vel iustitiæ vel prudentiæ habenti. Hic ergo illud ipsa conspicitur, constitutione Domini omnẽ potestatẽ constare: & Dei statuto aduersari qui illi, qualis qualis sit, sese opposuerit. Dii nanque sunt, id est, Deum referentes, Deique præfecti, vtcũque sicut homines moriantur. [a] quemadmodum dictum est Suprà, 82. b. 7. Officii autem sui hoc loco admonentur à Propheta, quia multum interest si populus habeat principes & iudices qui Deum reuereantur & laudent. Hinc alibi dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini iudices terræ, Suprà, 2. c. 10. [c] Vno quidem verbo Propheta hortari poterat cunctos mortales, sicuti etiam generaliter populos compellat: sed ter principes repetens, significat, nisi vrgeantur, ad officium hoc pigros & tardos esse. [m] Vix enim postremum locum inter eos qui Dominum laudãt, sortiuntur: imò verò hoc genus hominum abũde huic se debito satisfacere putat, quod ociosos ventres ad id outris vt in templis speciem aliquam diuinæ laudis mundo obiiciant.

12 *Iuuenes atque etiam virgines, senes cum pueris.*

Iuuenes atque etiam virgines. [a] Memorat ætatum differentias, & sexuum partitionem attingit, [a] vt sine exceptione intelligant omnes se creatos esse in hunc finem vt Deum laudent: ideóque promiscuè debere suas operas & studia cõiũgere. [m] Sicut ergo Propheta soli ac lunæ stellas reliquas omnes, ita & hic regibus, principibus ac iudicibus terræ reliquam plebem subiicit. Hanc, vt diximus, in sexus & ætates diuidit. Sexus masculinum & fœmininum, per iuuenes & virgines, ætates iuuentutis ac senectutis. atque ita totum genus mortalium quarumcunque nationum & ætatum complexus est. [c] Quantũ ad iuuenes spectat, tametsi minus habeant experientiæ ex longo vsu, excusabiles tamen non sunt, nisi in suo vigore sentiant vim gratiæ Dei. [a] Debent igitur in sua adolescentia summi creatoris meminisse, vt Scriptura hortatur, Eccles. 12. a. 1. & laudes eius indesinenter prædicare. *Atque etiam virgines.* [c] Non est superuacua particula גם hoc est etiam. Amplificationis enim causa inseritur: acsi diceret, ipsas quoque adolescentulas, quæ non tam liberaliter docentur vt masculi, quia videntur ad domesticas officia natæ, cessare tamen in officio, nisi laudãdi Dei partes cum reliqua Ecclesia obeant. [a] Quo magis detestãda est mundi ingratitudo, quæ puellas Creatori in Psalmis hymnis & canticis spiritualibus psallentes & cantantes haudquaquam ferre potest. [a] Omnes enim à minimo vsque ad maximũ communi hac lege Propheta obstringit. *Senes.* [a] Non mirum si senibus quoque iniungitur vt nomen Domini celebrent. [c] Nam quo longius producit Deus eorum vitam, eo magis exercitatos esse conuenit in canendis eius laudibus. Postremò addit Propheta, *Cum pueris.* [a] Præter id quod Vates iuuenum meminit, pueros etiã exterii adiungit, [m] vt intelligamus nullũ esse sexum nec vllam ætatem quæ non manifesta habeat diuinæ erga se prouidentiæ argumenta. Curandum est igitur regibus ac principibus populorum vt communem hanc laudem Dei in omnibus suis subditis promoueant.

13 *Laudent nomen Iehouæ: quia excelsum est nomen eius solius, laus eius supra terram & cælos.*

Laudent nomen Iehouæ. [a] Canit hoc versu laudem & maiestatem Dei nostri solam venerandam & suspiciendam, eiusque celebritatem & laudem tantam esse vt cælos & terram non repleat solùm, sed infinitè superet. *Quia excelsum est nomen eius solius.* [a] Vel, Quia exaltatum est nomẽ, &c. Ratio est cur ab omnibus laudari Deum oporteat. Particula solius omnẽ gloriam & magnificentiam hominibus adimit, vt soli Deo tribuatur. *Laus eius supra terram & cælos.* [a] Vel, Gloria eius super terram & cælum. [v] Vel, magnificentia eius, celebritas, dignitas. [m] Alibi dicitur, Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, Suprà, 76. a. 1. Nunc verò Vates magnum illud esse dicit, non in Iudæa solùm, sed & in cælo & in terra. Vbi nõ dicit laudari nomen Dei passim apud omnes, sed huc spectat vt quosuis pios ad magnificandum illud accendat.

14 *Et exaltauit cornu populi sui: laus omnibus mansuetis eius, filiis Israel, populo qui propinquus est ei.*

Et exaltauit cornu. [v] Quidã, Et extulit cornu populo suo. Alii, Et attollet (vel exaltabit) cornu populi sui. [b] Admonet hic peculiariter beneficiorum quibus Deus cumulat electos, verum scilicet Israelem, homines vsũde ipsi consecratos, ita imitatione eius, bonitati in omnibus & erga quoslibet studentes, & sic omni studio & vitæ sanctimonia Deo accedẽtes. [c] Adhæc, quia superiore Psalmo vidimus luculẽtius in Ecclesia spectari Dei virtutes quàm in vniuerso mundi opificio, ideo hanc clausulã apposuit Propheta, Dei manu protegi Ecclesiam, virtutéque armari contra cunctos hostes, vt in mediis periculis tutò tamẽ habitet. Per cornu satis notum est robur vel dignitatẽ notari. [a] veluti quũ dicitur, Et erexit cornu salutis nobis, Luc. 1. f. 69. [c] Itaque nunc intelligit Propheta conspicuam esse Dei benedictionem in Ecclesia & electo populo, quia nonnisi eius virtute viget ac floret. Subest autem tacita comparatio inter Ecclesiam Dei & omnes aduersas potestates, quia necesse est Dei præsidio muniri, quæ vndique impetitur. *Laus omnibus mansuetis eius.* [v] Vel, misericordibus ei[v]. Quidã vertũt, Laus decet omnes pios ei[v], atq; filios Israel, populũ illi propinquũ. Vel, Laus erit omnibus sanctis eius filiis Israel, populo appropinquanti ei. Mansuetos vocat omnes fideles, vt alibi sæpe, quia naturam referre debent Patris cælestis. [c] Ex superioribus colligit Propheta laudem esse omnibus mansuetis, quia scilicet pro singulari qua eos dignatur gratia habent cur sibi gratulentur, nomẽnque eius prædicent. [b] His itaque peculiariter laudem Dei accommodat: quia soli bonitatem Dei dignè agnoscunt, vtpote præ omnibus aliis eam experti, quos ille ad consortium diuinitatis asciuit. *Populo qui propinquus est ei.* [v] Vel, populo propinquãti ei. [c] Hic filios Israel vocãs populum Deo propinquũ, in memoriam reducit gratuitum fœdus quod cum Abraham Deus pepigerat. [v] Hac loquendi forma vtitur & Paulus, quum dicit Christum venisse vt pacem annuntiaret iis qui longè erant, & pacem iis qui prope, Ephes. 2. d. 17. [c] Vnde autem ista Iudæorum propinquitas, nisi quòd obscurum & cõtemptum inquilinum Deus populis omnibus prætulit? Neque enim extra merum Dei amorem quærenda est dignitatis ratio. Quum æquè enim peræquè ad Deum pertineat totus orbis, familiariter se patefecit filiis Israel, propinquósque sibi reddidit, qui nõ minus alieni erãt quam totum Adæ genus. Vnde illud Mosis, Quum discerneret Excelsus gentes ac distribueret populos, extendit in Iacob funiculum suũ, Deut. 32. a. 8. Causam ergo ostendit cur tam præclaris donis populum vnum exiguum & contemptũ ornauerit Deus, quia eum sibi adoptauit.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIX.

[a] Vt Ecclesia ardentius canẽdis Dei laudibus inuigilet, [c] Psalmus hic de beneficiis disserit quibus eã Dominus prosequitur. [b] simulque futurum prædicit vt sancti omnes ob acceptã salutem & sumptam de hostibus vltionem gauisuri sint cum gloria.

HAlelu-Ia. *Cantate Iehouæ canticum nouum, laus eius in cœtu mansuetorum.*

Halelu-Ia. [A] Quia Psaltes populũ Dei hortatur ad eius laudes, præmittit vice præfationis vocem hanc iã sæpius expositam. *Cantate Iehouæ canticum nouum.* [M] Videtur hic Psalmus post insignem aliquam salutem Israeli diuinitus concessam esse cõpositus: [C] sicuti cõtingere potuit postquam reuersus est populus in patriam ab exilio Babylonico: vel fortè quũ adhuc exulabat populus. videbimus enim in contextu promitti liberationem collapsi status. Certè animum addere voluit fidelibus Propheta ad sperandam plenam redemptionem, cuius præludia repente & præter spem in exitu permisso extiterant. Nam quia non statim instaurata fuit Ecclesia, imò vix longo temporis progressu colligere potuit vigorem, hæc consolatio apprime vtilis fuit. Voluit etiam Spiritus sanctus futuris malis mederi, quia vix respirare cœperat Ecclesia quum variis incõmodis rursum vexata fuit: oppressa etiam dira tyrannide Antiochi, quem sequuta est horrenda dissipatio. Quare non abs re ad sperandum gratiæ Dei complementum pios animat Propheta, vt statuant manu Dei se protectũ iri, donec surgat tandem Messias qui colligat totum Israelem. Canticum enim nouum vulgaribus opponitur, quibus quotidie celebrantur Dei laudes inter pios: sicuti hæc continua est eorum exercitatio. Vnde sequitur de raro & insolito Dei beneficio haberi sermonem, quod insignẽ & exquisitam gratiarum actionem meritò sibi vendicat. Ac videtur quisquis fuerit author Psalmi ad illum Esaiæ locum alludere, Cantate Domino cãticum nouum, Cap. 42.b.10. vbi de futura Ecclesiæ restitutione & æterno Christi regno concionatur. *Laus eius in cœtu mansuetorum.* [V] Vel, misericordium, piorum, benignorum, sanctorum. [B] Sic vocatur sancta illa fidelium congregatio, quæ Christi nomine collecta est, non quæ ex hominum pendet authoritate, & commẽtis inanibus. [C] Subest autem huic membro promissio aut vaticinium. Quamuis enim hortari pergat fideles ad mutuam laudum Dei symphoniam, fore tamen ostendit vt rursum coalescat Ecclesia in vnum corpus ad celebrandas in solenni conuentu Dei laudes. Scimus enim sic deiectos fuisse Israelitas vt cessarent apud eos sacra cantica, sicut etiã querũtur se fuisse cum ludibrio prouocatos ad canendum, Quomodo cantabimus cantica Iehouæ in terra aliena? Suprà, 137.a.3. Hortatur ergo vt ex illa tristi dispersione rursus se ad habendos sacros cœtus comparent.

2 *Lætetur Israel in factore suo, filii Sion exultent in rege suo.*

Lætetur Israel in factore suo. [E] Sicut sponsa in suo sponso lætatur, ita Ecclesia in factore suo iugiter lætari debet, præcipuè verò quum de redẽptione agitur, sicuti hoc loco. [A] Itaq; Propheta populum Dei ad lætitiam inuitat, [C] vt certò sibi persuadeant fideles non frustra genus suum electum esse ex toto mũdo, sed Deum semper memorem fore sui fœderis, ne concidant & extinguantur quæ in illos collatæ erant gratiæ. Quanuis ergo ablata ad tempus illis esset hæreditas terræ Chanaan, quæ tessera erat adoptionis, Propheta Deum nominat eorum factorem, & regem filiorum Sion, vt in memoriam reuocẽt, quum fuerunt adoptati vt supra alias gentes excellerent, hãc speciem nouæ creationis. Ita vocãtur Israelitæ opus manuum Dei, Suprà, 95.a.6. non tãtùm quia ab ipso creati erãt vt reliqui homines, sed quia eos refinxerat & ornauerat noua dignitate, vt essent a toto genere humano segregati. *In rege suo.* [C] Nomen regis latius patet: quia admonet Propheta non modò semel hunc populum fuisse à Deo formatum, sed in hunc finem vt perpetuo eius imperio regatur. [M] Admonemur etiã his verbis quid de Deo nostro sentire debeamus, & quis verus Deus sit. Is videlicet qui nos & fecit & gubernat, factor & rex noster est. [A] Sicuti alibi dicitur, Rex meus, & Deus meus, Suprà, 5.a.3. [M] Pulchrè ista coniungũtur. qui nos fecit, idem nos etiam regit, gubernat, tuetur & conseruat. Sic enim per Prophetam dicit, Ego feci, ego feram, ego portabo & seruabo, Esaiæ 46.a.4.

3 *Laudent nomen eius in tibia, in tympano & cithara psallant ei.*

Laudent nomen eius in tibia. [V] Quidam legunt, in choro. Nam vox Hebræa chorum significat, Exo.32.d.19. Et fistulam, vel tibiam, Exod.15.c.20, & Iudic.11.f.34.& 21.d.21. *In tympano & cithara psallant ei.* [C] Hæc musica instrumenta ad tempus pædagogiæ pertinent: ne stulta æmulatione in vsum nostrum trahamus quod proprium fuit veteri populo. Confirmat autem Propheta quod nuper diximus, breui restituendos qui ad tempus aboliti fuerant sacros cœtus, vbi Dei nomen legitimo ritu inuocent.

4 *Quia complacuit Iehouæ in populo suo: glorificabit pauperes in salutem.*

Quia complacuit Iehoua. [V] Vel, Cõplacet sibi Iehoua in populo suo. Vel, bene placet sibi. [C] Verbum רצה gratuitum fauorem hoc loco exprimit: acsi diceret Propheta Deum mero beneplacito adductum fuisse vt hunc sibi populũ eligeret. [M] Obseruandum hic est quid nobis sit ex beneficiis illis colligendum quæ diuinitus & sic impenduntur vt populo fidelium prosint. Illud videlicet quòd placeat Domino populus eius. Sic cõuenit nos non solùm terrena ac temporaria sed & spiritualia & sempiterna beneficia Dei interpretari, quæ per Christum nobis obueniunt, vt sentiamus esse illa argumenta diuinæ beneuolentiæ omniũ certissima. *Glorificabit pauperes in salutem.* [B] Ex fonte diuinæ dilectionis fluit quod hic addit, Deum afflictis daturum nouum salutis decus. ענוים enim vocant Hebræi pauperes & afflictos: sed hoc nomen postea ad mansuetos transferunt, quia domari solet carnis superbia afflictionibus, sicuti satietas ferociam parit. Opportuno igitur solatio mitigat Propheta præsentium malorum tristitiam, vt fideles ærumnis deiecti, spe tamen ad gloriam quæ nondum cernitur aspirent. Summa est, quia populũ electum Deus amore complexus est, fieri non posse vt perpetuò in tãtis miseriis deserat. [A] Glorificandi seu ornãdi verbo melius exprimitur Dei erga populum suum dignatio: non enim eos simpliciter seruat, sed salute sua ornat ac glorificat, [M] ita vt quantum antea fuerant contempti in seculo, tantum reddantur celebres & illustres. [A] Vnde alibi dicitur, Eripiam eum & glorificabo eum, Suprà, 91.c.15.

5 *Exultabunt mansueti in gloria, iubilabunt in cubilibus suis.*

Exultabunt mansueti in gloria. [V] Vel, de gloria, id est, ob gloriam qua gloriabũtur quòd liberati sint, quòd iterum floreant & restituantur in integrum. Alii vertunt, in decore. *Iubilabunt.* [V] Vel, ouabunt. [C] Hic lætitiam, iubilum & magnificam Dei exaltationem nominans, ab effectu clarius probat se non de vulgari Dei beneficio differere: quia nisi mirabiliter seruatus fuisset populus, non erat causa tantæ lætitiæ atq; etiam triumphi. Quibus etiam verbis admonet non ideo reductum esse populum ab exilio vt statim iterum diffluat, sed vt floreat omni genere benedictionis. Atque ideo cubilium meminit vt sub Dei protectione diuturnam requiem fideles sperarent.

6 *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladius anceps in manu eorum.*

Exaltationes Dei. [V] Id est, summæ laudes. q.d. De magnificis Dei factis semper loquẽtur, pleno gutture cãtaturi laudẽ Dei. [E] Iucunda illis futura exultatio his verbis exprimitur. *Et gladius anceps in manu eorum.* [V] Ad verbũ, gladius duarum acierum: id est, vtrinque incideos. Singulare pro plurali, [C] pro Gladii ancipites, vel duplicis oris, hoc est, qui vtrinque scindunt: quia tunc vulgò vna erat gladii acies. [V] Iterum confirmat, Iudæos, postquam restituti fuerint, non minus robustos & bratos fore quàm olim, quũ integer esset eorum status. [E] Instructos enim armis & potentia fore denuntiat non modò ad hostes arcendos, sed etiam longè latéque profligandos, donec reges & populos, quibus prius fuerant obnoxii, ad obsequium cogant. [V] Et quo facilior contingat victoria, armandos esse dicit gladiis qui vtrinque scindant.

7 *Ad faciendam vindictam in gentibus, castigationes in populis.*

Ad faciendam vindictam in gentibus. [A] His verbis triumphum populi Dei ac victoriam de hostibus amplificat Propheta, [M] acsi diceret, Qui hactenus manibus remissis & cordibus depressis quasuis afflictiones à gentibus, regibus, principibus & proceribus perpessi sunt, iam deinceps animo resumpto ad sumendam de illis vindictam confidenter insurgent: idque adeo fœliciter vt & reges & principes cum reliquis proceribus vinculis sint tradituri, & pœnas de illis cõpetentes sumpturi. [C] Porro vindictam de qua Vates loquitur intellige, non quam ipsi Israelitæ priuati doloris impulsu sumpturi erant, sed Dei mandato: ne quis hinc colligat nobis licere iniurias nostras vlcisci. [M] Hactenus ergo possunt gladiis suis vti pii homines, si id Domino visum fuerit. alias scriptum est, Mihi vindictam, & ego retribuam, Deut.32.e.35, & Rom.12.d.19. *Castigationes in populis.* [V] Vel, increpationes. [C] Quod hic Propheta futurum prædicit, certè tam exilii tempore quàm post reditum incredibile prorsus erat. Nec verò ante Christi aduentum impletum fuit. vtcunque enim Machabæi & eorum posteri vicinis gentibus iugum imposuerint, fuit tamen hoc duntaxat vmbratile præludium, quod pias mentes altò duceret. Sed quẽadmodum Haggæus tunc clamabat gloriam secundi templi maiorem fore quàm prioris (Cap. 2. b.10) ita hic promittitur status fœlicior

quàm omnibus seculis extitisset. Ergo quàlibet imminuti essent Iudæi, resque eorum accisæ, denuntiat Propheta cunctis gentibus, quæ molestæ & infestæ fuerant, dominaturos. Ergo quum tributarii essent, ac tantùm precariò habitarent Ierosolymæ, fide eos amplecti oportuit quod videri poterat pro sensu carnis fabulosum, & animos attollere ad immensam Dei potentiam, quæ facilè omnia mundi obstacula superat.

8 *Ad uinciendos reges eorum catenis, & proceres eorum compedibus ferreis.*

Ad uinciendos reges eorum catenis. [V] Vel, Ad alligandum reges eorum. Amplificationem continet versus iste. Regum autem & principum fit mentio, vt certi sint Iudæi se non modò victores fore aduersus homines plebeios & contemptos, sed etsi occurrant etiam reges, & copias suas opponant, tamen Deum fore superiorem. [C] Porro tenendũ semper memoria est quod nuper attigimus, donec appareret Christus, nũquam dimidiam tanti splẽdoris partem conspectã fuisse. Nam etsi populi opes non parum auctæ fuerunt sub Machabæis, vix tamen hoc in rationem venire debet, nisi quatenus illo remedio labentem populum Deus sustinuit vsque ad Christi aduentũ. Tenendum enim est vaticinium illud Iacob, Non exibit sceptrum è Iuda, donec veniat Silo, Genes. 49. b. 10. Atqui ex alia tribu oriundi erant Machabæi. Vnde sequitur legitimum ordinẽ tunc fuisse dissipatum, nec posse magis in illis victoriis fundari fœlicem populi statum, quàm siquis ædificium in aere suspendat. Et videtur consultò Deus tunc imperium abstulisse à tribu Iehudah, ne prosperitas illa inebriaret piorum animos: sicuti maior pars insignibus illis victoriis superbiens veram & solidam redemptionem neglexit. Quum ergo de perfecta populi fœlicitate hic disserat Propheta, sequitur eũ respicere ad Messiam, ne eius spes ac desiderium in cordibus piorum iam prosperis quàm aduersis rebus euanesceret. *Et proceres eorum.* [V] Vel, Et nobiles eorum, dignitate pollentes, magnates.

9 *Ad faciendum in illis iudicium scriptum: decor hic omnibus mansuetis eius. Halelu-Ia.*

Ad faciendum in illis iudicium scriptum. [V] Hebraismus, pro, Vt sumant de eis pœnas iuxta Dei mandatum. [C] Hic Psaltes superiores sententias mitigat, quibus ad sæuitiam populũ Dei animare visus est. Hoc verò prima facie absurdum erat, qui paulo ante vocati fuerant mansueti, nunc strictis gladiis emitti ad strages vbique edẽdas, fundendumque humanum sanguinem. Quid enim hoc cum mãsuetudine affine habet? Sed vbi Deus ipse vindictæ est author, rectum iudicium est, non crudelitas. Itaque quum hic fit mentio iudicii scripti, admonet Propheta Iudæos Dei mandato fuisse armatos ad libertatem, qua iniustè ab exteris & tyrannis priuati erant, vindicandam: atque ita non posse culpari quòd executi sint iudicium scriptum. Frigidè enim exponitur hic locus, vbi non tenetur hoc Prophetæ consilium, quòd scilicet Iudæos ad præceptum Dei reuocet, nequid suscipiant propria libidine, frænumque inijciat ad cohibendum eorum feruorem. acsi diceret non aliam permitti vindictam filiis Dei nisi quæ vocationi respondeat: quia vbi quisque proprio impetu fertur, nullus est moderationi locus. Obiici etiam posset alia quæstio. Nam sicuti Christus venisse dicitur sine clamore & strepitu, vt calamum quassatum non confringat (Matth. 12. b. 20) ita eandem illis personam imponit. Solutio tamen facilis est, Christum simul ferreo sceptro armari, quo rebelles omnes conterat: & alibi describi sanguinolentum, qui cæsis passim hostibus, cædendo tamen non fatigetur, Esa. 63. a. 2. Nec verò mirum est, quum totus mundus plenus sit contumacia, clemẽtiam quæ indignè respuitur, in seueritatem conuerti. [M] Cæterùm meminerint hic reges, principes ac proceres populorũ, sic se constitutos esse iudices subditorum vt & ipsi subiecti sint iudicio, idque tali quod plerunque per eos à Domino exercetur quos ipsi tyrannide sua oppresserant & humiliauerant. Præterea notandũ, peculiariter in Iudæos competere quod hic de gladio ancipiti dicitur: nobis verò propriè non aptari, quibus idem iuris hodie permissum non est, nisi quòd principes & magistratus gladio etiam diuinitus sint instructi ad puniendam omnem violentiam: sed specialis est vocatio. Quantum ad totum Ecclesiæ corpus spectat, alius nunc gladius nobis datur in manum, verbi scilicet ac Spiritus, quo mactemus Deo in sacrificium qui prius fuerãt hostes: vel etiam quo eos tradamus in æternum exitium nisi resipiscant. Nam quod de Christo vaticinatur Esaias, ad omnia eius membra patet, Conficiet impium verbo oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet, Esa. 11. a. 4. Si inter has vocationis suæ metas placidè se contineant fideles, sentient tandem non frustra promissam illis esse vindictam de hostibus. Deus enim (vt nuper diximus) ad iudicium scriptũ nos reuocans, tam animos nostros quàm manus coercet, ne plus audeamus quàm ipse præcipit. *Decor hic omnibus mansuetis eius.* [V] Vel, Decus istud. Alii, Gloria hæc est. [M] Canit oppressionem impiorum & vindictam de tyrannis sumptam decus esse piorum: nimirum quia manu Dei armati, mandato illius obsequuntur. [A] Interea non solùm hortatur nos Propheta ad pietatis studium, decorem hunc omnibus Dei mansuetis fore dicens, sed etiam solatium adhibet, ne putemus iacturæ fore nostram mansuetudinem ac patientiam. Sicut maior pars ideo ad ferociam ebullit quia non putat se vitam suam posse aliter tueri quàm vlulando cum lupis. Ergo quamuis fideles neque robusti sint instar gigantum, nec digitum mouere audeant sine Dei iussu, animis etiam placidi sint, decorum tamen ac splendidum exitum omnibus eorum miseriis fore Propheta docet. [A] Discant itaque fideles in patiẽtia sua possidere suas animas, Luc. 21. d. 19. scientes Deũ iustũ in cælo iudicem sedere, qui breui pœnas sumet de reprobis omnibus. [M] Quũ autem dicit hãc gloriam esse omnibus piis, non respicit ad priuatos aliquot paucos, sed ad vniuersum Israelem, quem propterea vocat חסידיו quòd participes essent omnes gratiæ ac beneuolẽtiæ Dei, quam illis communiter impendebat. cuius etiam gratia publicum gaudium & commune ab omnibus diuinæ laudis studium exposcebat. Quod igitur dicit, Gloria hæc est omnibus qui benignitatis illius sunt participes, nihil est aliud quàm, Hæc gloria communis erit omni Israeli, erit planè publica toti populo, sicut hactenus tribulatio & afflictio communis fuit omnibus.

ARGVMENTVM PSALMI CL.

[M] Postremus hic Psalmus generalem adhortationem continet ad laudandũ Dominum, pro immẽsa amplitudine eius, & potentia, quã omnia viuentia reuereri & laudibus euehere debent.

Halelu-Ia. *Laudate Deum in sanctuario eius, laudate eum in firmamento potentiæ eius.*

Halelu-Ia. [C] Quoniam totus hic Psalmus de spirituali Dei cultu, qui laudum sacrificio constat, præcipuè disserit, Propheta vsitatam hanc præfationem præmittere voluit, vt pios omnes ad canendas Dei laudes præpararet. *Laudate Deum in sanctuario eius.* [V] Vel, In sanctitate, In Sancto vel Sacrario eius. [C] Cælum intelligit per Sanctuarium, sicut alibi sæpe. [M] Atque ita Vates animum suum ad sublimẽ illam & inaccessam diuinæ maiestatis regiam extollit, & secum illò piorum mentes subducit, indéque principia diuinæ laudis orditur. *Laudate eum in firmamẽto potentiæ eius.* [C] Hoc membrũ expositio est superioris, quia idẽ repetitur. Pro Sanctuario tamen ponitur רקיע, hoc est cæli expansio: cui additur epitheton potentiæ, quia illic relucet inæstimabilis Dei virtus, vt cælorum conspectu in illius admirationem nos rapi necesse sit. Nam quod exponũt quidam, Laudate vos Angeli Deũ qui cælos incolitis, & vos homines qui habitatis sub firmamẽto, coactum est ac et mortuũ: quum Propheta, quo melius homines expergefaciat, qui alioqui frigẽt in canendis Dei laudibus, iubeat oculos attollere in cæleste Sanctuarium. Denique vt iustam reuerentiam in mundo obtineat Dei maiestas, eum in cælesti solio residentem Propheta inducit.

2 *Laudate eum in fortitudine eius, laudate eum pro multitudine potentiæ eius.*

Laudate eum in fortitudine. [A] Vel, in fortitudinibus. Vel, Propter fortitudines. [C] Eandem sententiã cõtinuat hoc versu, potẽtiam Dei eiúsque magnitudinẽ celebrans, quãm cælo quasi in speculo proposuerat. *Pro multitudine magnitudinis eius.* [V] Vel, Secundũ multitudinem. Vel, Iuxta excellentẽm magnitudinẽ eius. Alii, Pro eximia magnitudine eius. Alii, Pro amplitudine magnitudinis eius. [C] Ergo si verè cupimus animos nostros accendi ad laudandum Deum, veniat nobis in mentem immensa eius potentia & magnitudo, quæ facilè nobis omnem torporem excutient. Etsi enim tantam immensitatem non capiunt mentes nostræ, solus tamen gustus seriò nos afficiet. Deus autẽ quas pro modulo nostro obtulerimus laudes non respuet. [M] Dicet hic quispiam, Quomodo potest hoc fieri vt Dominum secundum magnitudinis eius amplitudinem, quæ prorsus est infinita, pro dignitate laudemus? Respondendum est. Sciebat hoc & Propheta: verùm non tam quid laudando Deum præstare possimus, quàm quid magnitudo Dei mereatur, proponere ad hoc voluit vt nullum nobis ipsi laudandi illius terminum præfigamus, in quo conquiescamus, sed perpetuò in laude Dei crescamus, nec vnquam nos pro dignitate celebrasse illum iudicemus.

3 *Laudate eum in clangore buccinæ, laudate eum in nablo & cithara.*

Laudate eum in clangore. [a]Exprimit hoc versu & duobus sequentibus quomodo, id est, quo ardore, quo studio, qua cordis exuberantia fideles Dominum laudare debeant. Meminit instrumentorum musicorum quorum vsus erat (sicuti sæpe dictum est) Sacerdotibus & Leuitis in veteri Testamẽto ad laudem Dei institutus. *In nablo & cithara.* [b]Quidam, cum fidibus & cithara.[c] Multas species hic refert, quo melius exprimat non posse nimis sedulò satagere Dei filios in celebrandis Dei laudibus: ac si iuberet strenuè conferre ad hoc pietatis officium quicquid habẽt, & in eo penitus occupari. Neque enim abs re Deus sub Lege olim exegit multiplices illos cantus, vt à vanis imò peruersis oblectamentis quibus nimis cupidè dediti sunt homines, ad sanctam vtilémque lætitiam traduceret suorum animos. Exultat enim mira licentia caro nostra, vt etiam portenta quædam sibi multi excogitent ad sese oblectandos, interim summa illis voluptas est Dei memoriam supprimere. Hæc prauitas non aliter corrigi potuit nisi Deus molestis frænis atque assiduis exercitiis retineret infirmũ & rudem populũ. Ideo Propheta hortari fideles volẽs vt totũ suum gaudium in Dei laudes profundãt, enumerat quæcunque tunc in vsu erant musica instrumenta, & admonet debere omnia consecrari in Dei cultum.

4 *Laudate eum in tympano & tibia, laudate eum in chordis & organo.*

5 *Laudate eum in cymbalis sonitus, laudate eum in cymbalis iubilationis.*

6 *Quicquid spirat, laudet Deum. Halelu-Ia.*

Laudate eum in tympano & tibia. [a]Vel, choro. Vide Suprà, 149. a. 3. *Laudate eum in cymbalis sonitus.* [b]Vel, Sonoris. Ad verbum, auditus, vel auditionis. id est, sonoris, vel canoris.

Quicquid spirat laudet Deum. [b]Vel, Omnis spiritus. vel Omnis halitus.[c] Posset hæc sententia ad omne genus animantium extẽdi: sicut Psalmis superioribus vidimus creaturis etiam sensu carentibus tribui præconium laudum Dei: sed quemadmodum sub carnis nomine sæpe intelliguntur soli homines, ita etiam minimè absurdum erit, sermonem ad homines dirigi, qui tametsi vitalem spiritum communem habent cum brutis animalibus, præ aliis tamen nomen spirantium, sicut viuentium, obtinent. Sic exponẽdum esse hæc ratio exigit: hactenus enim populum legalibus cæremoniis assuetum hortatus Propheta ad canendas Dei laudes, sese ad totum humanum genus tandẽ cõuertit: venturũ tẽpus tacitè ostẽdens quo vbique resonabunt eadem cantica, quæ tunc vbinisi in Iudæa audiebantur. Atque hoc vaticinio nos in eandem symphoniam Iudæis coniuncti sumus, vt assiduis laudum sacrificiis colatur Deus inter nos, donec collecti in regnũ cæleste, cum electis Angelis canamus perpetuum *Halelu-Ia.* [a]Cogitemus itaque proprium id esse viuentium ius, studium & exercitium, vt Creatorem suum à quo vitam acceperunt, laudibus extollant. Præterea & hoc obseruandum est, quàm conuenienter & ordine omnium rectissimo libri isti Psalmorum, quos numero quinario comprehendunt, generali ad hanc laudem Dei excitatione terminentur. Varia sunt de quibus in Psalmis canitur, quorum alia ad doctrinam, alia ad correptionem, alia ad erigendam fidem ac spem, alia ad consolationem & patientiam afflictorum, alia ad redargutionem impiorum, alia ad inuocationem diuini nominis, &c. pertinent: verùm quod hoc Psalmo agitur, videlicet vt omnis viuens laudet Dominum, omnium est primum & medium, & vltimum, ad quod omnia reliqua dirigi debent.

FINIS.

PSALMORVM INITIA ORDINE ALPHABETICO,

primùm secundum veterem interpretationem, deinde secundum nouam, eam videlilicet quam sequuti sumus.

Addita sunt & prima verba Græca vniuscuiusque Psalmi ex LXX interpretibus, & Hebraica quoque, vt illi facilius inueniri queant.

Singulis item Psalmis apposita sunt ex Bucero tituli, argumentum generaliter indicantes.

A

VETVS, Ad Dominum quum tribularer clamaui. NOVA, *Ad Iehouam in angustia mea clamaui.* LXX, Πρὸς Κύριον ἐν τῷ θλίβεσθαί με ἐκέκραξα. HEBR. אֶל־יְהוָה בַּצָּרָתָה לִּי. PSAL. 120. Σχετλιαστικὸς καὶ δεκτικός. Pag. 483.

V. Ad te Domine clamabo N. *Ad te Iehoua clamo.* LXX, Πρὸς σὲ Κύριε κεκράξομαι. HEBR. אֵלֶיךָ יְהוָה אֶקְרָא PSAL. 28. *in genere misto,* δεκτικὸς καὶ εὐχαριστικός. Pag. 116.

V. Ad te Domine leuaui animam meam. N. *Ad te Iehoua animam meam leuo.* LXX, Πρὸς σὲ Κύριε ἦρα τὴν ψυχήν μου. H. אֵלֶיךָ יְהוָה נַפְשִׁי אֶשָּׂא PSAL. 25. *in genere misto,* δεκτικός. Pag. 104.

V. Ad te leuaui oculos meos. N. *Ad te leuabo oculos meos.* LXX, Πρὸς σὲ ἦρα τοὺς ὀφθαλμούς μου. H. אֵלֶיךָ נָשָׂאתִי אֶת־עֵינַי PS. 123. δεκτικὸς καὶ σχετλιαστικός. Pag. 487.

V. Afferte Domino filii Dei. N. *Date Iehouæ filii fortium.* LXX, Ἐνέγκατε τῷ Κυρίῳ υἱοὶ Θεοῦ. HEBR. הָבוּ לַיהוָה בְּנֵי אֵלִים PS. 29. *in genere misto,* εὐχαριστικός. Pag. 118.

V. Attendite popule meus Legem meam. N. *Ausculta popule mi Legem meam.* LXX, Προσέχετε λαός μου τῷ νόμῳ μου. H. הַאֲזִינָה עַמִּי תּוֹרָתִי Psal. 78. ἱστορικὸς καὶ διδασκτικός. Pag. 300.

V. Audite hæc omnes gentes. N. *Audite hoc omnes populi.* LXX, Ἀκούσατε ταῦτα πάντα τὰ ἔθνη. H. שִׁמְעוּ־זֹאת כָּל־הָעַמִּים PSAL. 49. *in genere misto,* διδασκτικός. Pag. 201.

B

VETVS, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. NOVA, *Beatus ille uir qui non ambulat in consilio impiorum.* LXX, Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. HEB. אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ בַּעֲצַת רְשָׁעִים Psf. 1. *in genere exegetico,* Pag. 1.

V. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem. N. *Beatus qui prudenter iudicat super egenum.* LXX, Μακάριος ὁ συνιῶν ἐπὶ πτωχὸν καὶ πένητα. H. אַשְׁרֵי מַשְׂכִּיל אֶל־דָּל PSAL. 41. *in genere misto,* διδασκτικὸς καὶ δεκτικός. Pag. 176.

V. Beatus vir qui timet Dominum. N. *Beatus vir qui timet Iehouam.* LXX, Μακάριος ἀνὴρ ὁ φοβούμενος τὸν Κύριον. H. אַשְׁרֵי־אִישׁ יָרֵא אֶת־יְהוָה PSAL. 112. *in genere exegetico,* διδασκτικός. Pagina 434.

V. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. N. *Beatus vir cui dimissa est præuaricatio.* LXX, Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. H. אַשְׁרֵי נְשׂוּי־פֶּשַׁע PSAL. 32. σχετλιαστικὸς καὶ δεκτικός. P. 130.

V. Beati immaculati in via. N. *Beati integri in via.* LXX, Μακάριοι ἄμωμοι ἐν ὁδῷ. H. אַשְׁרֵי תְמִימֵי־דָרֶךְ PSAL. 119. Pag. 452.

V. Beati omnes qui timent Dominum. N. *Beatus vir timens Iehouam.* Μακάριοι πάντες οἱ φοβούμενοι τὸν Κύριον. HEBR. אַשְׁרֵי כָּל־יְרֵא יְהוָה PSAL. 128. διδασκτικός. Pag. 494.

V. Benedic anima mea Domino, & omnia. N. *Benedic anima mea Iehouæ, & omnia.* LXX, Εὐλόγει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον, καὶ πάντα. HEB. בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת־יְהוָה וְאַל PS. 103. εὐχαριστικὸς καὶ ἐπαινετικός. Pag. 388.

V. Benedic anima mea Domino. Domine Deus meus. N *Benedic anima mea Iehouæ. Iehoua Deus mi.* LXX, Εὐλόγει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον. Κύριε ὁ Θεός μου. H. בָּרְכִי נַפְשִׁי אֶת־יְהוָה יְהוָה אֱלֹהַי PSAL. 104. ἐπαινετικὸς καὶ ἱστορικός. Pag. 393.

V. Benedicam Dominum in omni tempore. N. *Benedicam Iehouæ in omni t.* LXX, Εὐλογήσω τὸν Κύριον ἐν παντὶ καιρῷ. HEBR. אֲבָרְכָה אֶת־יְהוָה בְּכָל־עֵת PS. 34. *in genere misto,* ἐπαινετικὸς καὶ διδασκτικός. Pag. 139.

V. Benedixisti Domine terram tuam. N. *Beneuolus fuisti Iehoua terræ tuæ.* LXX, Εὐδόκησας Κύριε τὴν γῆν σου. HEBR. רָצִיתָ יְהוָה אַרְצֶךָ PSAL. 85. προσφωνητικὸς καὶ δεκτικός. Pag. 331.

V. Benedictus Dominus Deus meus. N. *Benedictus Iehoua fortitudo mea.* LXX, Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεός μου. H. בָּרוּךְ יְהוָה צוּרִי PSA. 144. εὐχαριστικός. P. 527.

V. Bonum est confiteri Domino. N. *Bonum est conf. Iehouæ.* LXX, Ἀγαθὸν τὸ ἐξομολογεῖσθαι τῷ Κυρίῳ. H. טוֹב לְהֹדוֹת לַיהוָה PS. 92. εὐχαριστι-

μὴ παρασιωπήσῃς. H. אֱלֹהֵי תְּהִלָּתִי אַל תֶּחֱרַשׁ Psal. 109. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. Pag 423.

V. Deus misereatur nostri. N. *Deus mis. nost.* LXX, Ὁ Θεὸς οἰκτειρήσαι ἡμᾶς. H. אֱלֹהִים יְחָנֵּנוּ Ps. 67. εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός. P. 254.

V. Deus noster refugiũ & virtus. N. *Deus nobis protectio & fortitudo.* LXX, Ὁ Θεὸς ἡμῶν καταφυγὴ καὶ δύναμις. H. אֱלֹהִים לָנוּ מַחֲסֶה וָעֹז Ps. 46. *in genere misto,* εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός. Pag. 193.

V. Deus quis similis erit tibi? ne taceas. N. *Deus ne taceas apud te.* LXX, Ὁ Θεὸς τίς ὁμοιωθήσεταί σοι; μὴ σιγήσῃς. H. אֱלֹהִים אַל־דֳּמִי־לָךְ Ps. 83. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 325.

V. Deus repulisti nos. N. *Deus proiecisti nos.* LXX, Ὁ Θεὸς ἀπώσω ἡμᾶς. H. אֱלֹהִים זְנַחְתָּנוּ Ps. 60. *in genere misto,* εὐχαριστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 235.

V. Deus stetit in synagoga deorum, N. *Deus sedet in cœtu Dei.* LXX, Ὁ Θεὸς ἔστη ἐν συναγωγῇ θεῶν. H. אֱלֹהִים נִצָּב בַּעֲדַת אֵל Ps. 82. διδακτικὸς καὶ παραινετικός. P. 323.

V. Deus venerunt Gentes in hæreditatẽ tuã. N. *De. ve. Ge. in hæ. tu.* LXX, Ὁ Θεὸς ἤλθοσαν ἔθνη εἰς τὴν κληρονομίαν σου. H. אֱלֹהִים בָּאוּ גוֹיִם בְּנַחֲלָתֶךָ Ps. 79. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 313.

V. Deus vltionum Dominus. N *Deus vlt. Ie.* LXX, Θεὸς ἐκδικήσεων Κύριος. H. אֵל־ נְקָמוֹת יְהוָה Ps. 94. εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός Pag. 363.

V. Diligam te Domine fortitudo mea. N. *Dil. te Ieh. for. m.* LXX, Ἀγαπήσω σε Κύριε ἡ ἰσχύς μου. H. אֶרְחָמְךָ יְהוָה חִזְקִי Ps. 18. *in genere misto,* εὐχαριστικός. P. 66.

V. Dilexi quoniam exaudiet Dominus. N. *Dil. quia ex. Ieh.* LXX, Ἠγάπησα ὅτι εἰσακούσεται Κύριος. H. אָהַבְתִּי כִּי־יִשְׁמַע יְהוָה Ps. 116. εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός. P. 442.

V. Dixi, custodiam vias meas. N. *Di. obseruabo vi. me.* LXX, Εἶπα, φυλάξω τὰς ὁδούς μου. H. אָמַרְתִּי אֶשְׁמְרָה דְרָכַי Ps. 39. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 167.

V. Dixit iniustus vt delinquat in semetipso. N. *Dixit impietas scelerato in medio cordis mei.* LXX, Φησὶν ὁ παράνομος τοῦ ἁμαρτάνειν ἐν ἑαυτῷ. H. נְאֻם פֶּשַׁע לָרָשָׁע בְּקֶרֶב לִבִּי Ps. 36. *in genere misto.* ἐπαινετικὸς καὶ εὐκτικός. P. 149.

V. Dixit insipiẽs in corde suo. N. *Di. stultus in cor. s.* LXX, Εἶπεν ἄφρων ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. HEB. אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ Ps. 14. P. 51.

V. Di. ins. in c. s. N. *Di. stul. in cor. s.* LXX, Εἶπεν ἄφρων ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. H. אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ Ps. 53. σχετλιαστικὸς καὶ ψεκτικός. P. 218.

V. Dixit Dominus Domino meo. N. *Di. Iehoua Do. m.* LXX, Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου. H. נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי Ps. 110. εὐχαριστικὸς καὶ παρρησιαστικός. P. 429.

V. Domine clamaui ad te. N. *Iehoua cla. ad te.* LXX, Κύριε ἐκέκραξα πρὸς σέ. H. יְהוָה קְרָאתִיךָ Ps. 141. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 521

V. Domine Deus meus in te speraui. N. *Iehoua Deus mi in te spero.* LXX, Κύριε ὁ Θεός μου ἐπὶ σοὶ ἤλπισα. H. יְהוָה אֱלֹהַי בְּךָ חָסִיתִי Ps. 7. *in genere misto.* εὐκτικός. P. 25.

V. Domine Dominus noster quàm admirabile est. N. *Iehoua Domine nost. quàm ad. est.* LXX, Κύριε ὁ Κύριος ἡμῶν ὡς θαυμαστὸν τὸ ὄνομά σου. H. יְהוָה אֲדֹנֵינוּ מָה אַדִּיר Ps. 8. P. 30.

V. Domine Deus salutis meæ. N. *Iehoua D. sal. m.* LXX, Κύριε ὁ Θεὸς τῆς σωτηρίας μου. HEB. יְהוָה אֱלֹהֵי יְשׁוּעָתִי Ps. 88. σχετλιαστικός. P. 339.

V. Domini est terra & plenitudo eius. N. *Iehouæ est te. & ple. ei⁹.* LXX, Τοῦ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. H. לַיהוָה הָאָרֶץ וּמְלוֹאָהּ Ps. 24. *in genere misto,* διδακτικός. P. 100.

V. Domine exaudi orationem meam. N. *Iehoua audi precem meã.* LXX, Κύριε εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου. H. יְהוָה שִׁמְעָה תְפִלָּתִי Ps. 102. σχετλιαστικὸς καὶ παρρησιαστικός. P. 382.

V. Do. ex. or. m. N. *Iehoua audi precationem m.* LXX, Κύριε εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου. HEB. יְהוָה שְׁמַע תְּפִלָּתִי Ps. 143. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 525.

V. Dominus illuminatio mea & salus mea. N. *Iehoua lux mea & sal. m.* LXX, Κύριος φωτισμός μου καὶ σωτήρ μου. H. יְהוָה אוֹרִי וְיִשְׁעִי Ps. 27. *in genere misto,* εὐχαριστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 112.

V. Domine in virtute tua lætabitur rex. N. *Iehoua in fortitudine tua lætatur rex.* LXX, Κύριε ἐν τῇ δυνάμει σου εὐφρανθήσεται ὁ βασιλεύς. H. יְהוָה בְּעָזְּךָ יִשְׂמַח מֶלֶךְ Ps. 21. *in genere misto,* εὐχαριστικός. P. 86.

V. Domine, ne in furore tuo arguas me. N. *Iehoua ne in fu. t. ar. m.* LXX, Κύριε μὴ τῷ θυμῷ σου ἐλέγξῃς με. H. יְהוָה אַל־בְּאַפְּךָ תוֹכִיחֵנִי Ps. 6. *in genere misto,* εὐκτικός. P. 22.

V. Do. ne in fu. t. arg. me. N. *Iehoua ne in fu. t. arg. me.* LXX, Κύριε μὴ τῷ θυμῷ σου ἐλέγξῃς με. H. יְהוָה אַל־בְּקֶצְפְּךָ תוֹכִיחֵנִי Psa. 38. *in genere misto,* σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 163.

V. Domine non est exaltatum cor meum. N. *Iehoua nõ est ex. cor m.* LXX, Κύριε οὐχ ὑψώθη ἡ καρδία μου. H. יְהוָה לֹא־גָבַהּ לִבִּי Ps. 131. εὐκτικός. P. 500.

V. Domine probasti me. N. *Iehoua explorasti*

me. LXX, Κύριε ἐδοκίμασάς με. H. יְהוָה חֲקַרְתַּנִי Pſ. 139. εὐκτικὸς καὶ διδακτικός. P. 515.

V. Domine quid multiplicati ſunt. N. Domine quàm mul. ſ. LXX, Κύριε τί ἐπληθύνθησαν. H. יְהוָה מָה־רַבּוּ Pſ. 3. in genere communi vel miſto. εὐκτικός. P. 11.

V. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? N. Iehoua quis ha. in ta. t. LXX, Κύριε τίς παροικήσει ἐν τῷ σκηνώματί σου; H. יְהוָה מִי־יָגוּר בְּאָהֳלֶךָ Pſal. 15. in genere miſto, διδακτικός. P. 54.

V. Domine refugium tu factus es nobis. N. Do. habitaculum tu fuiſti n. LXX, Κύριε καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν. H. אֲדֹנָי מָעוֹן אַתָּה הָיִיתָ לָּנוּ Pſ. 90 σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. Pag. 351.

V. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. N. Iehoua paſcit me, nõ deficiã. LXX, Κύριος ποιμαίνει με, καὶ οὐδέν με ὑστερήσει. H. יְהוָה רֹעִי לֹא אֶחְסָר Pſ. 23. in genere miſto, εὐχαριστικός. P. 98.

V. Dominus regnauit. N. Iehoua reg. LXX, Ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν. H. יְהוָה מָלָךְ Pſ. 93. ἐπαινετικός. P. 362.

V. Dom. reg. N. Iehoua regnat. LXX, Κύριος ἐβασίλευσεν. H. יְהוָה מָלָךְ Pſ. 97. σχετλιαστικὸς καὶ παραινετικός. P. 373.

V. Dom. reg. iraſcantur populi. N. Iehoua regnat, contremiſcant pop. LXX, Κύριος ἐβασίλευσεν, ὀργιζέσθωσαν λαοί. H. יְהוָה מָלָךְ יִרְגְּזוּ עַמִּים Pſ. 99. εὐχαριστικὸς καὶ παραινετικός. P. 376.

E

V. Ecce nunc benedicite Domino. N. Ecce nunc ben. Iehouam. LXX, Ἰδοὺ δὴ εὐλογεῖτε τὸν Κύριον. H. הִנֵּה בָּרְכוּ אֶת־יְהוָה Pſ. 134. παραινετικὸς καὶ εὐκτικός. P. 505.

V. Ecce quàm bonum & quàm iucundum. N. Ecce quàm bonum & quàm decorum. LXX, Ἰδοὺ δὴ τί καλὸν ἢ τί τερπνόν. H. הִנֵּה מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים Pſ. 133. ἐπαινετικὸς καὶ παραινετικός. P. 505.

V. Eripe me de inimicis meis Deus meus. N. Eripe me ab in. m. Deus mi. LXX, Ἐξελοῦ με ἐκ τῶν ἐχθρῶν μου ὁ Θεός. H. הַצִּילֵנִי מֵאֹיְבַי אֱלֹהָי Pſ. 59. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 131.

V. Eripe me Domine ab inim. meis. N. Eripe me Iehoua ab homine improbo. LXX, Ἐξελοῦ με Κύριε ἐξ ἀνθρώπου πονηροῦ. H. חַלְּצֵנִי יְהוָה מֵאָדָם רָע Pſ. 140. σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 519.

V. Eructauit cor meum verbum bonum. N. Eructat c. me. verb. bo. LXX, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. H. רָחַשׁ לִבִּי דָּבָר טוֹב Pſ. 45. in genere miſto, ἐγκωμιαστικός. P. 168.

V. Exaltabo te Deus meus rex. N. Extollam te D. m. r. LXX, Ὑψώσω σε ὁ Θεός μου ὁ βασιλεύς μου. H. אֲרוֹמִמְךָ אֱלוֹהַי הַמֶּלֶךְ Pſ. 145. εὐχαριστικὸς καὶ ἐπαινετικός. P. 532.

V. Exaltabo te Domine. N. Exaltab. te Iehoua. LXX, Ὑψώσω σε Κύριε. H. אֲרוֹמִמְךָ יְהוָה Pſa. 30. in genere miſto, εὐχαριστικός. P. 121.

V. Exaudi Domine iuſtitiam meam. N. Exaudi Iehoua iuſtit. LXX, Εἰσάκουσον Κύριε δικαιοσύνης μου. H. שִׁמְעָה יְהוָה צֶדֶק Pſ. 17. in genere miſto σχετλιαστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 121.

V. Exaudi Deus deprecationem meam. N. Audi Deus clamorem meum. LXX, Εἰσάκουσον ὁ Θεὸς τῆς δεήσεώς μου, H. שִׁמְעָה אֱלֹהִים רִנָּתִי Pſ. 61. in genere miſto, εὐκτικός. P. 238.

V. Exaudi Deus orationem meam. N. Auribus percipe Deus or. m. LXX, Ἐνώτισαι ὁ Θεὸς τὴν προσευχήν μου. H. הַאֲזִינָה אֱלֹהִים תְּפִלָּתִי Pſa. 55. P. 220.

V. Exaudi Deus orationem meam quũ deprecor. N. Audi Deus vocem meam in oratione mea. LXX, Εἰσάκουσον ὁ Θεὸς φωνῆς μου ἐν τῷ δέεσθαί με πρὸς σε. H. שְׁמַע אֱלֹהִים קוֹלִי בְשִׂיחִי Pſ. 64 εὐκτικὸς καὶ ψεκτικός. P. 245.

V. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. N. Ex. te Iebo. in d. anguſtiæ. LXX, Ἐπακούσαι σου Κύριος ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως. H. יַעַנְךָ יְהוָה בְּיוֹם צָרָה Pſal. 20. in genere miſto, εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός. P. 83.

V. Expectans expectaui Dominum. N. Expectando expectaui Iehouam. LXX, Ὑπομένων ὑπέμεινα τὸν Κύριον. H. קַוֺּה קִוִּיתִי יְהוָה Pſ. 40. in genere miſto, εὐχαριστικὸς καὶ εὐκτικός. P. 170.

V. Exultate Deo adiutori noſtro. N. Exultate Deo fortitudini noſtræ. LXX, Ἀγαλλιᾶσθε τῷ Θεῷ τῷ βοηθῷ ἡμῶν. H. הַרְנִינוּ לֵאלֹהִים עוּזֵּנוּ Pſ. 81. εὐχαριστικὸς καὶ διδακτικός. P. 320.

V. Exultate iuſti in Domino. N. Exulta. iu. in Iehoua. LXX, Ἀγαλλιᾶσθε δίκαιοι ἐν Κυρίῳ. H. רַנְּנוּ צַדִּיקִים בַּיהוָה Pſ. 33. ἐπαινετικὸς καὶ εὐκτικός. P. 134.

V. Exurgat Deus. N. Exur. De. LXX, Ἀναστήτω ὁ Θεός. H. יָקוּם אֱלֹהִים Pſ. 68. εὐχαριστικός. P. 255.

F

V. Fundamenta eius in montibus ſanctis. N. Fund. e. in mon. ſ. LXX, Οἱ θεμέλιοι αὐτοῦ ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς ἁγίοις. H. יְסוּדָתוֹ בְּהַרְרֵי קֹדֶשׁ Pſ. 87. ἐπαινετικὸς καὶ προφητικός. P. 337.

I

V. Inclina Domine aurem tuam. N. Inclina Iehoua aurem tuam. LXX, Κλῖνον Κύριε τὸ οὖς σου. H. הַטֵּה יְהוָה אָזְנְךָ Pſ. 86. εὐκτικός. P. 33.

V. In conuertendo Dominus captiuitatẽ

Sion.N.Dū red.Ie.ca.Siō.LXX,Ἐν τῷ ἐπιστρέψαι Κύρ.τ̄ αἰχμαλωσίαν Σιών.H.בְּשׁוּב יְהוָה אֶת־שִׁיבַת צִיּוֹן Pſ.126.παραμυθητικὸς καὶ δεικτικός.P.491.

V. In Domino confido.N.In Ieboua ſperaui. LXX,Ἐπὶ τῷ Κυρίῳ πέποιθα.H.בַּיהוָה חָסִיתִי Pſ.11. in genere miſto,δεικτικός.P.44.

V. In exitu Iſrael de AEgypto.N.Quū egreſſus eſt Iſr.ex AEg.LXX,Ἐν ἐξόδῳ Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου H.בְּצֵאת יִשְׂרָאֵל מִמִּצְרָיִם Pſ.114.παραμυθητικὸς καὶ ἐπαινετικός.P.437.

V.In te Do.ſperaui.N.In te Ieb.ſper.LXX, Ἐπὶ σοὶ Κύριε ἤλπισα.H.בְּךָ יְהוָה חָסִיתִי Pſ.31.in genere miſto,δεικτικὸς καὶ διηγηματικός.P.124.

V.In te Do.ſp.N.In te Ieb.ſpe.LXX, Ἐπὶ σοὶ Κύριε ἤλπισα.H.בְּךָ יְהוָה חָסִיתִי Pſ.71.δεικτικός.P.272

V.Iubilate Deo omnis terra. N.Iub.Deo om. ter. LXX, Ἀλαλάξατε τῷ Κυρίῳ πᾶσα ἡ γῆ. H.הָרִיעוּ לֵאלֹהִים כָּל־הָאָרֶץ Pſ.66.διηγηματικός.P.250

V. Iub.Dom.om.ter. N. Exultate Ieb.om.ter. LXX,Ἀλαλάξατε τῷ Θεῷ πᾶ.ἡ γῆ.H.הָרִיעוּ לַיהוָה כָּל־הָאָרֶץ Pſ. 100. διηγηματικὸς καὶ παραινετικός.P.378.

V.Iudica Do.nocentes me.N.Litiga Ieb.eum litigantibus mecum.LXX,Δίκασον Κύ τοὺς ἀδικοῦντάς με. H. רִיבָה יְהוָה אֶת־יְרִיבַי Pſ.35.κατηγορικὸς καὶ δεικτικός.P.144.

V.Iudica me Deus.N.Iud.me De.LXX, Κρῖνόν με ὁ Θεός.H.שָׁפְטֵנִי אֱלֹהִים Pſ.43.δεικτικὸς καὶ παραμυθητικός.P.182.

V. Iud.me Do. N.Iud.me Ieb.LXX,Κρῖνόν με Κύ. H.שָׁפְטֵנִי יְהוָה Pſ.26.in gene.miſto,δεικτικός.P.109

L

V.Lætatus ſum in iis quæ dicta.N.Læt.ſ.quū dixerunt mibi. LXX, Εὐφράνθην ἐπὶ τοῖς εἰρηκόσι μοι. H.שָׂמַחְתִּי בְּאֹמְרִים לִי Pſ.122. δεικτικός.P.485

V.Lauda anima mea Do. N. Lau.ani.m.Ieb. LXX,Αἴνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύ.H.הַלְלִי נַפְשִׁי אֶת־יְהוָה Pſ.146.διηγηματικὸς καὶ ἐπαινετικός.P. 535.

V.Laudate Do. de cælis. N.Laud.Ieb.è cælis. LXX,Αἰνεῖτε τὸν Κύ.ἐκ τῶν οὐρανῶν.H.הַלְלוּ אֶת־יְהוָה מִן־הַשָּׁמַיִם Pſ.148.ἐπαινετικὸς καὶ παραινετ.P.541.

V.Laudate Do.in ſanctis eius. N.Lau. Deum in ſanctuario eius.LXX, Αἰνεῖτε τὸν Θεὸν ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ.H.הַלְלוּ־אֵל בְּקָדְשׁוֹ Pſ.150. ἐπαινετικὸς καὶ παραινετικός.P.544.

V.Lau.Do.omnes gentes.N.Lau.Ieb.om.gen. LXX,Αἰνεῖτε τὸν Κύ.πάντα τὰ ἔθνη.H.הַלְלוּ אֶת־יְהוָה כָּל־גּוֹיִם Pſ.117. διηγηματικός.P.446.

V.Laudate Do.quia bo.eſt pſ.N.Laud.Deum quia bo.eſt pſallere. LXX, Αἰνεῖτε τὸν Κύ.ὅτι ἀγαθὸς ψαλμός.H.הַלְלוּיָהּ כִּי־טוֹב זַמְּרָה Pſ.147. διηγηματικὸς καὶ παραμυθητικός.P.537.

V.Lau.nomen Do.N.Lau.no.Ieb.LXX,Αἰνεῖτε τὸ ὄνομα Κυ.H.הַלְלוּ אֶת־שֵׁם יְהוָה Pſ.135.παραινετικὸς καὶ ἐπαινετικός.P.506.

V.Lau.pueri Do.N.Lau.ſer.Ieb. LXX, Αἰνεῖτε παῖδες Κύ. H.הַלְלוּ עַבְדֵי יְהוָה Pſ.113.ἐπαινετικὸς καὶ παραινετικός.P.436.

V.Leuaui oculos meos in montes.N.Leuaboocu.m.ad mon. LXX, Ἦρα τοὺς ὀφθαλμούς μου εἰς τὰ ὄρη.H.אֶשָּׂא עֵינַי אֶל־הֶהָרִים Pſ. 121.διηγηματικός.Pag.484.

V. Magnus Do.& laudabilis nimis. N.Mag. Ieb.& laudandus valde.LXX, Μέγας Κύ.καὶ αἰνετὸς σφόδρα. H. גָּדוֹל יְהוָה וּמְהֻלָּל מְאֹד Pſ. 48. in genere miſto,διηγηματικός.P.197.

V.Memento Do.Dauid.N.Mem.Ieb.Dauid. LXX, Μνήσθητι Κύ.τοῦ Δαβίδ.H. זְכוֹר־יְהוָה לְדָוִד Pſ.132.εὐκτικὸς καὶ προσφωνητικός.P.500.

V.Miſerere mei Deus,miſerere mei.N.Miſer.mei Deus,miſ. LXX,Ἐλέησόν με ὁ Θεός, ἐλέ. με. H. חָנֵּנִי אֱלֹהִים חָנֵּנִי Pſ.57.δεικτικὸς καὶ διηγηματικός. P.228.

V.Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.N.Miſer.m. De.quo.abſorbere me voluit bo.LXX, Ἐλέησόν με ὁ Θεὸς ὅτι κατεπάτησέ με ἄνθρωπος.H.חָנֵּנִי אֱלֹהִים כִּי־שְׁאָפַנִי אֱנוֹשׁ Pſ.56. σχετλιαστικὸς καὶ δεικτικός.P.225.

V. Miſer. mei Deus ſecūdum miſericordiā tuam.N.Miſ.m.De.ſec.miſ.tuam.LXX,Ἐλέησόν με ὁ Θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου.H. חָנֵּנִי אֱלֹהִים כְּחַסְדֶּךָ Pſ.51.σχετλιαστικὸς καὶ δεικτικός.P.210.

V.Miſericordias Domini in æternum cantabo.N.Clementias Ieb.in æternum cant.LXX, Τὰ ἐλέη σου Κύ.εἰς τὸν αἰῶνα ᾄσομαι.H.חַסְדֵי יְהוָה עוֹלָם אָשִׁירָה Pſ.89.ἱστορικὸς καὶ σχετλιαστικός.P.342.

V.Miſericordiam & iudicium can.N.Clem. & iudicium cantabo. LXX, Ἔλεον καὶ κρίσιν ᾄσομαι. H חֶסֶד־וּמִשְׁפָּט אָשִׁירָה Pſ. 101. ἐπαγγελτικὸς καὶ διδακτικός.Pag.397.

N

V.Niſi Dominus ædificauerit domū. N. Niſi Ieboua ædificet domum.. LXX, Ἐὰν μὴ Κύριος οἰκοδομήσῃ οἶκον.H.אִם־יְהוָה לֹא־יִבְנֶה בַיִת Pſal. 127. διδακτικός.P.492.

V.Niſi quia Dominus erat in nobis.N.Sine Ieboua qui fuit pro nobis.LXX, Εἰ μὴ ὅτι Κύριος ἦν ἐν ἡμῖν. H.לוּלֵי יְהוָה שֶׁהָיָה לָנוּ Pſ.124.διηγηματικός P.488.

V.Noli æmulari in malignantibus. N.Ne cōmoueare propter mali̧nos.LXX, Μὴ παραζήλου ἐν πονηρευομένοις.H.אַל־תִּתְחַר בַּמְּרֵעִים Pſ.37.παραμυθητικὸς καὶ παραινετικός.P.152.

V.Non nobis Domine,nō nobis. N. Nō no. Ieboua,non nobis. LXX, Μὴ ἡμῖν Κύριε, μὴ ἡμῖν. H.לֹא לָנוּ יְהוָה לֹא לָנוּ Pſ.115. δεικτικὸς καὶ παραινε-

τικός.P.438.

V. Nonne Deo subiecta erit anima mea? N. *Veruntamē ad Deum silet anima mea.* LXX, Οὐ χὶ τῷ Θεῷ ὑποταγήσεται ἡ ψυχή μου; H. אַךְ אֶל־אֱלֹהִים דּוּמִיָּה נַפְשִׁי Psal.62. διδακτικός ῥ ἀπαιτητικός. P.239.

V. Notus in Iudæa De⁹. N. *No.in Iu.De.* LXX, Γνωστὸς ἐν τῇ ἰουδαίᾳ ὁ Θεός. H. נוֹדָע בִּיהוּדָה אֱלֹהִים Psal.76. εὐχαριστικός. Pa.294.

O

V. Omnes gentes plaudite manibus. N. *Om. populi plaud.man.* LXX, Πάντα τὰ ἔθνη κροτήσατε χεῖρας. H. כָּל־הָעַמִּים תִּקְעוּ־כָף Psal.47. εὐχαριστικός. Pag.195.

P

V. Paratum cor meum Deus. N. *Paratum cor meum Deus.* LXX, Ἑτοίμη ἡ καρδία μου ὁ Θεός. נָכוֹן לִבִּי אֱלֹהִים Psal.108. εὐχαριστικός. P.423.

Q

V. Quàm bon⁹ Israel Deus. N. *Atqui bonus Israeli Deus.* LXX, Ὡς ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τῷ Ισραὴλ H. אַךְ טוֹב לְיִשְׂרָאֵל אֱלֹהִים Ps. 73. σχετλιαστικός καὶ διδακτικός. Pa.281.

V. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. N. *Q uàm dil. tab. tua Iehoua exercituum.* LXX, Ὡς ἀγαπητὰ τὰ σκηνώματά σου Κύριε τῶν δυνάμεων. H. מַה־יְּדִידוֹת מִשְׁכְּנוֹתֶיךָ יְהוָה צְבָאוֹת Ps. 84. δικτικός καὶ ἐπαινετικός. P.328.

V. Quare fremuerunt Gentes? N. *Vtquid tumultuantur Gentes?* LXX, Ἱνατί ἐφρύαξαν ἔθνη; H. לָמָּה רָגְשׁוּ גוֹיִם Ps.2.

V. Quemadmodum desiderat ceruus ad fōtes aquarum. N. *Q uem. cerua clamat ad fon. aquar.* LXX, Ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων. H. כְּאַיָּל תַּעֲרֹג עַל־אֲפִיקֵי־מָיִם Ps.42 in genere misto, σχετλιαστικός καὶ δικτικός. P. 179.

V. Qui cōfidunt in Domino. N. *Q ui confid. in Iehoua.* LXX, Οἱ πεποιθότες ἐπὶ Κύριον. H. הַבֹּטְחִים בַּיהוָה Psal. 125. διδακτικός καὶ δικτικός. P. 489.

V. Qui habitat in adiutorio Altissimi. N. *Habitans in abdito Excelsi.* LXX, Ὁ κατοικῶν ἐν βοηθείᾳ τοῦ Ὑψίστου. H. יֹשֵׁב בְּסֵתֶר עֶלְיוֹן Ps.91. διδακτικός & παραμυθητικός. P.355.

V. Qui regis Israel intende. N. *Q ui pascis Isr. ausculta.* LXX, Ὁ ποιμαίνων τὸν Ισραὴλ πρόσχες. H. רֹעֵה יִשְׂרָאֵל הַאֲזִינָה Ps.80. σχετλιαστικός καὶ δικτικός. P.317.

V. Quid gloriaris in malitia? N. *Q uid g. in ma.* LXX, Τί ἐγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ. H. מַה־תִּתְהַלֵּל בְּרָעָה Ps. 52. P.216.

V. Quum inuocarem exaudiuit me. N. *Q uū clamo exaudi me.* LXX, Ἐν τῷ ἐπικαλεῖσθαί με εἰσήκουσέ μου. H. בְּקָרְאִי עֲנֵנִי אֱלֹהֵי Ps. 4. *in genere misto, partim* εὐχαριστικός, *partim* τοὐναντίον.

S

V. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute. N. *Sæpe afflixerunt me à iuuent.m.* LXX, Πλεονάκις ἐπολέμησάν με ἐκ νεότητός μου. HEBR. רַבַּת צְרָרוּנִי מִנְּעוּרָי Ps.129. παραμυθητικός. P.496.

V. Saluum me fac Deus. N. *Serua me Deus.* LXX, Σῶσόν με ὁ Θεός. H. הוֹשִׁיעֵנִי אֱלֹהִים Psal.69. σχετλιαστικός καὶ εὐκτικός. P.264.

V. Saluum me fac Domine. N. *Serua me Ieh. quia defecit.* LXX, Σῶσόν με Κύριε, ὅτι ἐκλέλοιπεν. H. הוֹשִׁיעָה יְהוָה כִּי־גָמַר חָסִיד Ps.12. *in genere misto,* σχετλιαστικός καὶ δικτικός. P.46.

V. Si verè vtique iustitiā loquimini? N. *An verè o congregatio iust. loq.* LXX, Εἰ ἀληθῶς ἄρα δικαιοσύνην λαλεῖτε. H. הַאֻמְנָם אֵלֶם צֶדֶק תְּדַבֵּרוּן Ps. 58. ψεκτικός. P.229.

V. Super flumina Babylonis. N. *Sup. flu. Bab.* LXX, Ἐπὶ τῶν ποταμῶν Βαβυλῶνος. H. עַל נַהֲרוֹת בָּבֶל Psal.137. σχετλιαστικός καὶ καταρατικός. P.507

T

V. Te decet hymnus Deus in Sion. N. *Te expectat laus Deus in Sion* LXX, Σοὶ πρέπει ὕμνος ὁ Θεὸς ἐν Σιών. H. לְךָ דֻמִיָּה תְהִלָּה אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן Ps.65 εὐχαριστικός. Pag.247.

V

V. Venite exultemus Domino. N. *Ve. ex. Ieh.* LXX, Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ Κυρίῳ. H. לְכוּ נְרַנְּנָה לַיהוָה Psal. 95. παραμυθητικός καὶ εὐχαριστικός. P.360

V. Verba mea auribus percipe Domine. N. *Eloquia mea auribus percipe Iehoua.* LXX, Τὰ ῥήματά μου ἐνώτισαι, Κύριε. H. אֲמָרַי הַאֲזִינָה יְהוָה Ps.5 *in genere communi,* δικτικός.

V. Voce mea ad Dominū clamaui. N. *Vox mea ad Deū, & cla.* LXX, Φωνῇ μου πρὸς Κύριον ἐκέκραξα. H. קוֹלִי אֶל־אֱלֹהִים וְאֶצְעָקָה Ps.77. *in genere misto,* σχετλιαστικός. P.296.

V. Vo. mea ad Dom. cl. N. *Vo. me. ad Ieh. cla.* LXX, Φωνῇ μου πρὸς Κύ. ἐκέκρ. H. קוֹלִי אֶל־יְהוָה אֶזְעָק Ps.142. σχετλιαστικός καὶ δικτικός. P.523

V. Vsquequo Do. obliuisceris me? N. *Vs. Ieh. ob.* LXX, Ἕως πότε Κύριε ἐπιλήσῃ μου. H. עַד־אָנָה יְהוָה תִּשְׁכָּחֵנִי Ps.13. σχετλιαστικός καὶ δικτικός. Pag.49.

V. Vtquid Deus repulisti in finē? N. *Vtquid De. re. in perpetuū?* LXX, Ἱνατί ὁ Θεὸς ἀπώσω εἰς τέλος. H. לָמָה אֱלֹהִים זָנַחְתָּ לָנֶצַח Ps. 74. σχετλιαστικός καὶ δικτικός. P.288.

V. Vtquid Do. recessisti longè? N. *Vtquid Ieh. stas in longinquo?* LXX, Ἱνατί Κύριε ἀφέστηκας μακρόθεν; H. לָמָה יְהוָה תַּעֲמֹד בְּרָחוֹק Ps.10. *in genere misto,* σχετλιαστικός καὶ ψεκτικός. P.39.

CANTICVM QVOD MOSES cecinit Domino cum toto populo, quòd liberasset eos de seruitute AEgyptiaca & manu Pharaonis.

EXODI CAP. XV.

1 *Tunc cecinit Moses & filij Israel canticum istud Iehouæ, & dixerunt in hunc modum,* CANTABO *Iehouæ, quia magnificando magnificatus est, equum & sessorem eius proiecit in mare.*

Tunc cecinit Moses. Quo diuturnior ac firmior esset huius beneficij memoria, Moses non tantùm describendam liberationis historiã, sed epinicio, quod in omnium ore personaret, celebrandam esse existimauit. Quum enim obliuiosi, tardique & negligentes simus ad agendas Deo gratias, Moses toti populo canendum proposuit hunc hymnum, vt alij alios mutuò excitarẽt. Scimus autem ea quæ numeris ac modulis proferuntur, tenacius hærere memoriæ ac vehementius permouere animos quàm quæ prosa oratione scripta tãtummodo recitantur. Antiquitatis igitur hymnorum hic exemplum apud Mosen ostenditur. Apparet autem non statim sed aliquanto post factum esse hoc carmen, & primò rudius cantatum esse. *Cecinit.* Hebræũ verbu fut. temp. est, quod & sensus & particula in indicãt. Singulariter dicit Cecinit, quòd solus Moses composuerit cãticum in laudem Domini, alij autem accinuerint. *Cantabo.* Quidam vertunt, Cantemus. sed Hebraicũ verbum sonat Cantabo, quod quidẽ elegantius est, quũ vnus personã totius populi induat. *Iehouæ.* Id est, in laudẽ Iehouæ. Ad Dominum dirigitur hoc carmẽ, cui soli redemptionis laus & gloria debetur. *Quia magnific. magnific. est.* Aut, Magnificè magnificatus est. Magnificè sua potẽtiã exaltauit. Heb. Magnificãdo magnificatus est. vel, Eleuando eleuatus est, pro Mirum in modum magnificatus est, Siue, admodum egit, Magnũ & fortẽ strenuumque se esse ostẽdit. Vel, Magnificè sese extulit. Amplam autem materiam laudandi Dei suppeditari docet quòd insignis potentiæ suæ ac gloriæ documẽtum exhibuerit. *Proiecit in mare.* Vel, Deiecit in mare, quasi è sublimi in profundum deturbauit. Id sonat רמה, hostem qui se extulerat, deiectum.

2 *Fortitudo mea & laus [est] Ia. fuit enim mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum: [iste] Deus patris mei, propterea exaltabo eum.*

3 *Iehoua vir belli, Iehoua nomen eius.*

2 *Fortitudo mea.* Nempe fortitudo aduersus hostem potẽtem declarata. Id est, Deus est cuius potenti auxilio hostibus superior sui. Nihil viribus suis, industriæ aut cõsilio tribuit, sed sola Dei manu vim hostiũ ac furorem domitum & repressum agnoscit. Quod sanè piorum animis infixum esse debet, vt ad Deum solum in grauibus periculis cõfugere atque in ipsũ certa spe recumbere discãt. Sic etiam Dauid varijs in Psalmis Deum robur suum, opem, asylum ac refugium, suumque solum auxiliatorem profitetur. *Et laus.* Id est, Materia laudis, in qua canẽda me exerceo. Qui mihi canticis celebrandus est quòd mihi auxiliator solus fuerit. Vel, Laus mea. id est, A quo solo ego illustris reddor contra hostes meos, non autem meis viribus. *Iste Deus meus.* Q. d. Nullũ aliũ Deũ colam & venerabor, sed hunc vnum verum Deũ magnificabo. Facessere iubet omnes falsos deos & ficta numina, quibus frustra Gentes confidũt, vt soli Deo adhæreat. Suum ergo Deum esse profitetur, hoc est sibi propitium, cui se summittat, cui vitam, salutẽ suam, denique se totũ debeat. *Et glorificabo eum.* Sic vetus interpres, vt & LXX. *doxásō autón.* Vel, eodẽ sẽsu, Ornabo eũ. Pos אנוהו vero, Tabernaculũ faciã ei, propter id quod dicitur versu 17. Sic & Chaldæus paraphrastes accepit pro Extruã ei sanctuarium. vt intelligas Mosen tãquam Prophetam respexisse ad tabernaculum aut templum ædificandum Domino quod incoleret. Si exponeretur, Domum siue habitaculũ ædificabo, allusio quædã esse posset ad sacella & delubra deorũ, in quibus tantum operæ & pecuniæ frustra consumunt idolorum cultores. Vel certè allusio esset ad tabernaculum quod ei postea à Mose extructum est. Sed potius in genere ad omnia ornamẽta referendũ videtur quibus legitimè honor & gloria Deo exhiberi potest, vt populus testetur se omnino ei deditũ & addictũ esse. *Deus patris mei.* Abrahami, Isaaci, Iacobi. Nã synecdoche est, pro Deus patrũ meorũ. Id est, Qui se Patribus patefecit, & quod illis promiserat, filijs reipsa præstat. *Et exaltabo eum.* Commodius vertetur, Propterea exaltabo eum. Vel, extollam. Sic, Propterea glorificabo eum, aptius quàm Et glorificabo eum.

3 *Iehoua vir belli.* Hebraismus, pro Iehoua bellicosus admodum. Vel, Fortis bellator, aut gnarus bellandi. Quidã vertunt, Quasi vir bellator. Hoc certè constat, Mosen Deum forti & magnanimo heroi comparare, qui suis auxilium ferẽs, ita terruit hostem suo aduentu vt statim eius vires ac potentiã fregerit. Nec solùm fortitudinẽ Deo sed etiam omnem rei militaris peritiam attribuit, qui nouo & insolito stratagemate, quod nulli hominum in mentem venire potuisset, hostes superauerit. *Iehoua nomen eius.* Quum nomen id essentiam significet qua omnia consistunt, inde nos doceri oportet non difficile ei fuisse hos seruare, illos verò perdere ac delere: vt vitam & statum omnium hominum ab ipso solo pendere intelligamus. Ab ipso enim, per ipsum, & in ipso omnia. Nimirum quum dicunt, Iehoua nomẽ eius, agnoscunt, post perspecta beneficiã liberationis, nomẽ illud salutare quod Dominus suprà per Mosen ostenderat. Vetus interpres nomen id ab essendo deriuatum esse non cogitauit, quum vertit, Omnipotens nomen eius.

4 *Currus Pharaoh & exercitum eius proiecit in mare, & electi principes eius submersi sunt in mari Suph.*

5 *Voragines operuerunt eos, descenderunt in profunda tanquam lapis.*

4 *Currus Pharaoh.* Iam digerit quæ superius in summa proposuerat. Subijcit enim qua in re bellicæ virtutis suæ specimẽ ediderit Dominus, nempe in prosternendo rege potentissimo, vniuersoque ipsius exercitu, cuius inuicta vis esse videbatur. *Proiecit in mare.* Vel, eiaculatus est. Q. d. Tãta facilitate deiecit in mare quanta quis emittere solet sagittas arcu. Metaphora enim est à sagittarijs sumpta: qua ostendit deiectum in mare grauem Pharaonis exercitum tanquam volucrem ac celerem sagittam. *Et electi principes.* Ad verbum est, Et electio principum eius. Id est, Optimi quique & strenuissimi principes eius. Florẽ populi atque electos duces secũ duxerat Pharao, quorum viribus imbellis populus resistere non potuisset. Facit autem ad laudem augendam, non paucos, sed integrum exercitum, non vulgares sed selectissimos duces esse extinctos.

5 *Voragines operuerunt eos.* Vel, gurgites, abyssi. *Operuerunt eos.* Abyssi operuerunt eos, at nos ex ijs euasimus. *Descenderunt in profunda.* Descenderunt qui se extollere aduersus diuinum cæli & terræ numen ausi fuerant. Simile iudicium passus est tyrannus Babylonius, de quo Propheta his verbis meminit, Detracta est ad inferos superbia tua. *Tanquam lapis.* Ex abyssis scilicet seu gurgitibus nihilo magis se eripere potuerunt quàm saxum, quod in medio mari demergitur. Itaque iis neque agilitas, neque robur, neque bellica peritia profuerunt. Sic enim inuoluti fuerũt fluctibus vt nihilo magis quàm lapidi vlli ipsorum emergere licuerit.

6 *Dextera tua Iehoua magnificata est fortitudine, dextera tua ô Iehoua confregit inimicum.*

7 *Et in multitudine magnificentiæ tuæ destruxisti inimicos tuos: immisisti iram tuam, deuorauit eos sicut stipulam.*

8 *Et spiritu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ: steterunt sicut aceruus fluenta, coagulatæ sunt voragines in corde maris.*

6 *Dextera tua.* Apostrophe est ad Deum, cum admiratione insignis eius virtutis. fatetur autẽ ea populus se solius Dei manu saluum & incolumem esse. *Magnificata est fortitudine.* Hebraismus, pro Pollet vel instructa est viribus admirabilibus. Vel, Est admodum insignis robore. Vel, Planũ factũ est manum tuam magnã ac fortem esse, ex eo quòd per eam fortiter egeris.

7 *Et in multitudine magnific.* Hebraismus, pro Magnificentia tua multa & insigni. Vel, Excellenti tua fortitudine. Vox Hebraica רב non multitudinem solùm sed magnitudinem & præstantiam significat. Sed hic vnus Deus hostium multitudini opponi videtur, vt pij vnicam eius tutelam ingentibus militũ copijs præferre discant: ac statuant se plures secũ habere quãdiu Dominus ipsos defendet, quàm si ipsis ab omnibus regibus ac populis auxilium ferretur. Hoc etiam facit ad retũdendam ferociam ac superbiam hostium qui paucitatem atque paruitatem nostram derident: vt intelligant, quum Deus pro nobis manum exeret, tantam nobiscum multitudinem futuram vt eius vim atque impetum nullo modo sustinere possint.

Destruxisti inimicos tuos. Ægyptij non insurrexerant contra Deum, sed contra Israelem. Vbi discimus quòd qui populum Dei offendit, etiam Deum offendit. Ideo per Prophetam dicit, Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Item in Euangelio Christus sibi, quod suis factũ est, imputat, siue bonum sit, siue malum. Qui vos spernit inquit, me spernit. Consolatio hæc est non parua iis qui ob Christum premuntur. Imò non solum cõsolationem hinc accipiunt sancti, sed & dignitate or-

nantur in hoc quòd hostes eorum, hostes Dei appellentur. *Deuorauit eos sicut stipulam.* Aptissima similitudine inanitatem hostium ac leuitatem declarat. vt enim stipulæ quæ antea erectæ stabãt, subita flamma correptæ protinus absumuntur: ita repentina Dei ira ingentem impiorum multitudinem delet, quantumuis potens ac robusta videatur. Vel potius stipulæ eos comparat quòd momento temporis destructi fuerint: sicut nullum potest magis subitum & repentinum esse incendium quàm immisso in stipulam igni. Vnde & quidam poeta allegoricè loquens, dixit, Flammáque de stipula nostra breuisque fuit. Sed & nostrates Galli quum aliquid nonnisi ad momẽtũ durans significare volunt, id igni stramineo comparant. Nec verò aptiore vti comparatione potuit quàm hac, quæ non tantùm celeritatem supplicii sed & facilitatem declarat. Quid enim facilius est quàm stipulam igni absumere? vel quid celerius absumitur? Similis est illud Dauidis, Extinctæ sunt vt ignis spinarum, Psal. 118. b. 12.

8 *Et spiritu narium tuarum.* Id est, Vento quem immisisti. Nam ventum, flatum narium Dei per similitudinẽ vocat. Alii vertunt, Et à spiritu furoris tui. Quo videlicet spiritus seu ventus ille excitatus est, de quo supra, 10. d. 13. Atque ita exponẽdo hunc locum, conueniet cum illo Psalmi 18. ver. 9, Ascendit fumus in nares eius, vbi Deo persona hominis ira æstuantis tribuitur.

9 *Dixit hostis, Persequar, comprehendam, diuidam spolia: explebitur iis anima mea: euaginabo gladium meum, perdet eos manus mea.*

10 *Flauisti vento tuo, & operuit eos mare: absorpti sunt tanquam plumbum in aquis vehementibus.*

9 *Dixit hostis, Persequar.* Alii vertunt, Dicebat hostis. Prosopopœia inducit superbè se iactãtem & multa minãtem populo Dei hostem. Similis arrogantia notatur in Assyrio apud Prophetam, In fortitudine manus meæ feci, Esa. 10. c. 13. *Persequar.* Hic mira sibi promittit, quia cæco fertur impetu, & iã Israelitas sibi in manu esse putat. Præclarè ait Solomo cor hominis cogitare de via sua (hoc est, consilium capere & secum statuere quid agere velit) Dominum verò dirigere gressum eius. Quare impii, tametsi viribus consilióque & prudẽtia polleant, non tamẽ omnia pro animi libidine exequuntur. Deus enim ipsos retinet ac cohibet quoties visũ est, aut alio furorẽ ipsorum conuertit. *Explebitur iis anima mea.* Id est, Satiabitur diuitiis illorum desiderium meum. Sitiunt enim impii sanguinem iustorum, atque inexplebili auiditate, tanquam famelici & rapaces lupi, aduersus eos feruntur, vt diripiant ipsos & quouis modo illis noceant.

10 *Flauisti vento tuo.* Alloquitur Deum, virtutem eius amplificans. Q. d. Quantus quantus sit hostis, quantumuis sæuiat, solo flatu tuo, ô Domine Deus, omnem eius potentiam & superbiam deiicis. *Absorpti sunt.* Vel, Demersi sunt. Descenderunt in profundum. Nam צללו deductum est verbum à מצולה quod profundum significat. *Tanquam plumbum.* Reperit similitudinem supra adductam. Hic enim plumbi (quo nullum grauius metallum) supra lapidis meminit. Omnia ferè quæ in opere metallorum cõflatorio vsurpantur, hic commemorãtur, ignis, spiritus, plumbum, scoriæ, argentum.

11 *Quis sicut tu in diis ô Iehoua? quis sicut tu magnificus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia?*

12 *Extendisti dexteram tuam, deglutiuit eos terra.*

13 *Duces per misericordiam tuam populum hunc [quem] redemisti, duces in fortitudine tua ad habitaculum sanctitatis tuæ.*

11 *Quis sicut tu?* Hac exclamatione animos omnium magis permouere voluit Propheta vt excelsam Dei potestatem admirantes eum deinceps purius venerentur: atque idolis valere iussis, vero eius cultui se totos addicant. Nec enim dubiũ quin multum erroris & superstitionis contraxerint Israelitæ ex consuetudine Ægyptiorum. Quamobrem variis exhortationibus ac stimulis opus fuit ipsis, vt à falsis diis auersi, ad verum & vnicum Deum accedentes, vera atque integra fide perpetuò ipsi adhærerent. Ad eum sanè nos inuitat ac ducit Dominus, quoties specimen aliquod exhibet potẽtiæ suæ, quum deiicit sublimes, atque è medio tollit hostes populi sui. Id quod etiam Esaias capite 40. ver. 24. apertè docet. Postquam enim dixit Dominum redigere potentes in nihilum, & gubernatores terræ quasi non essent, perinde acsi nunquam plantati essent, nec stirps eorum radicem in terra egisset, Flauit in eos, inquit, & aruerunt: & turbo quasi stipulam abstulit eos. Et statim subiungit, Cui verò me comparabitis, vt ei similis sim? ait Sanctus. Videlicet intelligamus ipsum vnum esse Deum, in ipso solo vim ac potestatem omnem, sanctitatem & iustitiam residere, omnia quantumuis excelsa & sublimia esse in manu, vt ei quoque soli cultus, honor & gloria exhibeatur. *In diis.* Nonnulli per אלים intelligunt hic Angelos aut principes, qui etiam vocantur dii. acsi diceret, Moses nullam Angelorum aut principum vim Dei virtuti coparandam esse. Sed dubium nõ est quin Moses ad falsos deos respexerit (sicuti dictum est) vt fallacem eorum opinionem ex animis omnium euelleret. Nec verò Dominum hic inter deos statuit, quasi illi quoque nonnihil efficere possint, minus tamen ac longè inferius summo Deo, sicut ethnici omnes & idololatræ censebant. Summam enim potestatem Iehouæ tribuendo, cæteris omnibus vim omnem adimit: quòd inania sint hominum figmenta, quibus nulla vis aut efficacia inesse potest. *Magnificus in sanctitate.* Hebr. Magnificatus est in sanctitate. Id est, Præditus est insigni sanctitate. A secunda personã transitus est ad tertiam. Sanctitatem tribuit Deo quæ ipsi soli cõpetit, quum profani sint dii Gentium, aut potius mera vanitas & corruptio. Sanctitatem verò præstãtem & magnificam ei tribuit, cui nulla cõparari potest. Est enim fons sanctitatis. Qua etiã de causa sæpius à Prophetis Sanctus Israelis vocatur. *Terribilis laudibus.* Hebraismus, Qui cum summa reuerentia vel cum summo timore laudandus est. Quæ enim de ipso referuntur, nõ solùm in admirationem rapiunt homines, sed formidinem & terrorem incutiunt. Quæ verò tribuuntur idolis, aut ficta sunt ab eorum cultoribus, aut diaboli præstigiis inuecta.

12 *Extendisti dexteram tuam.* Q. d. Mox vt manum tuam extendisti, aboliti sunt & perditi. tanta est potentia tua, tanta vis tui. *Deglutiuit eos terra.* Terra hic pro aqua capitur, vt in Genesi quoque annotauimus. Deglutiuit (inquit) eos alueus maris rubri. Aut ita intelligendus est hic locus, Non solùm obruit suis aquis, sed & terra aperuit os suum, & absorpsit eos.

13 *Duces per misericordiam.* Præter. Heb. est, Duxisti, vel, Deduxisti, pro Duces vel deduces. Paulo põst, in principio versus 17, habentur futura. Futura autem hic tanquam præterita & iam impleta ipsis proponit vt nihilo magis de terræ possessione dubitent quàm de iis quæ iam reipsa euenerunt. *Ad habitaculum sanctitatis tuæ.* Id est, ad montem Sion, in quo postea ædificatum fuit templum. Ad habitaculum sanctum tuũ, inquit, id est, Ad templum in Sione extruendum: aut ad montem Sinai, quem tu præsentia gloriæ tuæ ornas. Vel potius habitationem sanctam vocat quòd Deus eam regionem, quæ longè latéque corrupta & incolarum vitiis fœdata erat, sibi dicari & consecrari vellet. Quancunque ergo nos Deus vocet, quamcũque regionem incolendam præbeat, danda est opera vt vitiis, erroribus atque omnis generis spurcitiis purgatis, verè habitatio Dei sancta dici & nominari possit.

14 *Audient populi & irascentur, dolor apprehendet habitatores Palæstinæ.*

15 *Tunc turbabuntur principes Edom, robustos Moab apprehẽdet tremor, dissoluentur omnes habitatores Chenaan.*

16 *Cadet super eos terror & pauor: ad magnitudinem brachii tui tacebunt tanquam lapis: donec transierit populus tuus ô Iehoua, donec transierit populus iste [quem] acquisiuisti.*

14 *Audient populi.* Hic quoque Hebr. sunt præterita pro futuris. Hoc enim specimen virtutis Dei non solùm in præsens sed in futurum quoque tempus vtiliter fore demonstrat. Nam coercebuntur exteri hostes qui populo Dei bellum inferre, aut repugnare molestiáue aliqua ipsum afficere volent. Atque ita accidit. nam Deuter. 2. ver. 3, dicitur primùm de Idumæis, qui montem Seir incolebant, Ipsi vos metuent. Deinde versu 24, de reliquis populis, Hoc ipso die incipiam inferre metum tui & pauorem in faciem omnium populorũ qui sunt in vniuerso orbe vt quũ audierint famam tuam, contremiscant, & summis angoribus afficiantur. Audient, inquit, populi, irascentur. Id est, Tam insigni exemplo liberationis audito horrescent nationes, perculsæ iis in Ægyptios editis signis. In Iosua legimus Rachabam ita dicentem, Irruit in nos terror vester, & elanguerũt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccarit aquas maris rubri ad introitum vestrum. *Irascentur.* Vel, commouebuntur. *Dolor apprehendet.* Vel, dolores, iique non leues, sed quales parturientes corripiunt, si sequamur LXX. interpretes, qui verterunt ὠδῖνες.

15 *Dissoluentur omnes hab.* Id est, Erunt animo dissoluto ac remisso. Vel, Liquefient, Diffluent.

16 *Ad magnitudinem brachii tui.* Id est, Ob fortitudinem tuam, quam brachio tuo ostendes. Alii vertunt, Per brachium tuum forte. *Tacebunt tanquam lapis.* Vel, Silebunt. Hoc est, Continebunt sese, & viam populo patefacient, donec in possessionem terræ ingrediatur. Quidã cũ veteri interprete vertunt, immobiles fient.

17 Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, loco quē præparasti ô Iehoua, ut illic sedeas: nam sanctuarium Domine firmarunt manus tuæ.

18 Tunc Iehoua regnabit in seculum & in perpetuum.

19 Quia ingressi sunt equi Pharaoh cum curribus eius & equitibus suis in mare, & reduxit Iehoua super eos aquas maris. Filij autem Israel ambularunt per siccum in medio maris.

17 *Introduces eos.* [v] Vel, Deduces eos. Perduces eos. [a] Persistit in precatione. *tanquam* ergo futura sunt. [b] Ideo quidā vertūt Introducas. Sic & in præcedenti versu, Cadat super eos terror. *Et plātabis.* [a] Hoc verbo firmitatē possessionis ac diuturnitatē magis exprimit. *In monte hæreditatis tuæ.* [c] Per montem hæreditatis & sanctuarium videtur cultum Dei designare qui postea institutus est in monte Sion: qui etiam propterea mons habitationis & locus quietis Dei vocatur. *Loco quem præparasti.* [v] Id est, in basi, in sede illa. Ad verbum, Loco ad habitandum te fecisti ô Iehoua. Ordo verborum inuersus, pro, In basi quam fecisti vt illic sedeas. Id est, In qua proposuisti habitare. Siue, Quā delegisti tibi. *Nā sanctuariū Domine firmar. manus tuæ.* [r] Præ. Hebr. pro fut. i. ædificabunt, siue extruent. Q.d. Nam præcipiet tibi ædificari templum in sede illa & loco in quo constituisti habitare. [a] In præterito autem loquitur propter certitudinem diuinæ prouidentiæ. *Manus tuæ.* [a] Manibus Dei extructum dicit quod omnia Dei voluntate & arbitrio illic constituta sint. Vnde notandum est ideo nos à Domino liberati & eripi è periculis vt eius verbo collecti in hæreditario mōte, hoc est, in Ecclesia plantati, firmas radices in ipsius veritate agamus.

18 *Tunc Iehoua regnabit.* [a] Concludit carmen acclamatione. Regnet Dominus, Dominus, inquam, quem Ægyptii contempserunt, at nos colimus. In omnem æternitatem regnet, nō dii Ægyptii. [a] Vel potius retinēdo futurum tempus, dicit regnaturum Deum, id est, eum, quum tantum vicerit hostem ac demerserit in mari, postea quoque alios qui aduersus populum eius insurgent, eadem potentia victurum, ita vt regnum suū stabiliat in omne æuum. [v] Quomodo autem regnare dicatur Deus vide Psal. 146. d. 10.

CANTICVM MOSIS QVOD moriturus tradidit Israeli ediscendum & cantandū perpetuò. EX DEVTER. XXXII.

ARGVMENTVM.

[b] Canticū hoc plenū est increpatione & exprobratione super beneficiis tot & tātis populo ingrato exhibitis à Deo. Et planè asserit futurū vt deserto Deo ad deos alienos cōuersi, maledictiones prædictas incurrāt. Atque hic facit Moses officiū se, id est ministro Legis, dignū, scilicet quòd mordet, arguit, increpat, maledicit. [r] Resipiscentibus verò etiā post iram Dei gratiā promittit, quæ est etiam Gentium salus, vbi cœperint reuelata veritate errorem agnoscere & iustitiam sitire. [v] Continet præterea hoc canticum (vt Hebræi scribūt) summarium totius Legis. facit enim mentionem de magnificētia Dei, de creatione mundi, de vno Deo colēdo, de generatione diluuii, de diuisione linguarū & terrarum, de electione populi Israelitici, de beneficio in deserto ei exhibito, & futura mortuorū resurrectione. [a] Hoc certè constat, carmen hoc de Israelitarum defectione, repudiatione, déque repudiatæ gentis reconciliatione, & de vindicta in hostes eorum expedienda claram prædictionem complecti. Atque hæc est oraculorum Dei summa, quam Moses & Prophetæ vsque ad patefactionem Christi persequuntur.

Auscultate cæli & loquar: & audiat terra eloquia oris mei.

2 Stillet ut pluuia doctrina mea, fluet ut ros eloquium meum: ut pluuia super gramen & ut imber super herbam.

Auscultate cæli. [v] Quòd cælum & terram in testimonium adducit, scribunt Hebræi hoc fieri ex affectu exuberātissimo: idque duabus rationibus. Vna, quòd cælum & terra perpetuò durent, homines autem moriantur. Altera, vt innuat quòd si nō seruent præcepta Dei, futurum sit vt cælum deneget pluuiam suam, terra autem deneget fruges suas: secus verò si Legē Dei seruent. Hactenus illi. Hæc sane est grauissima cōtestatio. nam perinde est acsi hominib[9] nullæ essēt aures, adeo vt propterea ad elemēta confugiēdū sit. Sic enim loquitur Moses vt de tam prodigiosa & stupenda, quæ mutis etiā elemētis horrorē incutere debeat, quòd Israelitæ defecturi essēt à Deo, à quo tot beneficiis ornati erant. Simili præfatione vsus est & Esaias, cap. 1. a. 1. [a] Dū autē per prosopopœiā cæli & terræ testium personā affingit, perinde est acsi diceret, Audite cæli, vindices iustitiæ Dei in sceleratos, dum vos æneos facit negatis pluuiā & rorem (vt Suprà legitur, Si cælū quod supra te est, æneū &c.) Audi tu terra, quæ ferrea reddita rebellibus fruges negas.

2 *Stillet ut pluuia doctrina mea.* [v] Hebr. est futurum pro præsenti optatiuo, Stillet. sub. in corda Israelitarum. Q.d. Vtinam doctrina mea efficiat quod in agris aqua: vt ea non sit vana, sed fructum afferat. [r] Aptè autem nunc, postquam cælos & terram in testes vocauit, optat vt oracula sua instar pluuiæ fructiferæ non in silices, saxa, arenam, sed in gramina & sata, hoc est in animos tractabiles ac sequaces distillent, fructum suum afferentia. Suā igitur doctrinam pluuiæ, auditores autē herbis cōparat. [b] Et vt pluuiam ac rorem opponit nubibus sine aqua (vt sunt doctrinæ humanæ, quæ nihil prosunt) ita herbam & gramē silicib[9], arenis & similibus infructuosis, super quæ frustra pluit, etiāsi aliòqui salubris sit pluuia. Optat igitur auditores in quibus fructificet verbū. Vtrūque enim requiritur, vt & doctrina sit salutaris & auditor docilis. [r] Sic etiā Esaiæ 1, & Hier. 6. imbri & niui è cælis fœcundāti terram comparatur Dei verbum.

3 Quia nomen Iehoua inuocabo: date magnitudinem Deo nostro.

4 Dei perfectum est opus: omnes enim viæ eius iudicium. Deus fidelis, & non est iniquitas in eo: iustus & rectus est.

3 *Quia nomen Iehoua inuocabo.* [r] Inuocabo nomen Domini contra transgressores. [b] Appellabo nomen Domini aduersus sceleratos. [v] Vel potius significat, Canticum nominis Domini canam. [v] Nomen Iehouæ cantabo, vel celebrabo. [b] Id est, Cantabo de inuocādo & colendo vno solo Deo, contra idololatras futuros in populo meo. *Date magnitudinē Deo nostro.* [v] Hebraismus, pro Magnificate Deum nostrum. [b] Id est, Nolite vllum alium Deum colere, aut vlli quicquam maiestatis aut potestatis tribuere. Huius solius est maiestas, magnitudo, potestas. Omnes alii dii, vani, mēdaces & nihili sunt. [r] Posset & ita exponi Deū glorificate, qui in omnibus viis suis iustus est, & vos accusate iniquitatis. Hac enim sola conditione conueniet vobis cum eo. [v] Est autem hic finis præfationis.

4 *Dei perfectum est opus.* [v] Pro Dei est ad verbum Rupis, vt infrà, versu 18. Vocat autem scriptura Deum rupem ob stabilitatem, immutabilitatem, & perseuerātiam, quam seruat in promissis suis: [a] & ob firmitatem ac cōstantiam consilii & iudicii. [b] Denique quòd sit fidelis iis qui confidunt in eum. *Perfectū est opus.* [v] Singul. Heb. pro plurali. [r] Dicit autē opera Dei perfecta quæ in nullo possūt culpari, [b] vtpote sana & integra. *Viæ eius iudicium.* [v] Id est, Viæ eius iustæ & æquæ semper. Repetitio est præcedentis sententiæ, pro Quicquid agit iustum est & æquum. [b] Sic Psal. 144 d. 17, Iustus Iehoua in omnibus viis suis. *Deus fidelis.* [v] Fidelis in suis promissionibus. [a] Deus est fidus, non fallens: cuius sententia vt iusta est, ita etiam certa sit, quæ nec fallat nec fallatur. Locus iudicii Dei à constātia, æquitate, innocētia, apta est ad deterrēdos Israelitas à rebellione, & ad testificādum de iusto in illos Dei iudicio. Q.d. Quum talis sit Deus, siquæ vobis calamitates acciderint, vestro vitio & iusto Dei iudicio vobis accidisse existimare debebitis.

5 Corrupit sese illi: non filii eius, macula eorum, generatio praua & peruersa.

6 Nunquid Iehouæ retribuitis istud, populus stulte & insipiens? nónne ipse est pater tuus, qui possedit te, ipse fecit te & præparauit te?

5 *Corrupit sese illi.* [v] Difficilis est locus propter dictionum ordinem inuersum. Sic autem construi debet & verti, Generatio praua atque peruersa, qui non sunt filii eius, in ignominiā suā corrupit sese illi. Id est, Generatio praua & peruersa, appositiuè, quæ non est filii eius, quæ non habet Deum pro patre, non agnoscit Deū creatorē suum: corrupit se, deprauauit ingeniū suum, in ignominiā illi, scilicet Deo. Hoc est, in dedecus Dei. Vel, in suam ipsorum ignominiā. Hoc est, Quod illis est probro. *Non filii.* [a] Vtpote degenerātes ab ingenio patris sui Dei, quē antea dixit iustum, rectū & inculpatum. Cōtiā hic de degenere sobole, Perdita profligatáque natio. Eadem reprehensio ad imitationem Mosaicam legitur apud Iesaiā, Audite cæli, & auribus percipe terra. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Amplificatur scelus Israelitarum ex locis personarum. Grauis noxa est si in Deum delinquatur ab homine: sed grauior si à filiis magna cura educatis. Hinc expostulatio illa apud vatem orta, Si Dominus sum, vbi est metus mei? Si pater, vbi honor ac reuerentia? [b] Porro sic dicit futurum asserit quòd non erant mansuri in sana doctrina & vero cultu Dei: sed sicut solet generatio praua & adultera (vt Christus quoque eos vocat, Matth. 12. c. 39) corrumpuntur vt iam non sint filii, propter fœditatem & vitiosam religionem à se repertā, sed spurii, imò aduersarii.

6 *Nunquid Iehouæ retribuitis istud?* ᵃ Vel, Hæccine Iehouæ retribuitis, vel, retribuere aut reddere pro tot beneficiis debetis? ᵇ Hic incipit exprobrare ingratitudinem populo. Vide autem ardentissima & vehementissima verba. *Qui possedit te.* ᶜ Comparauit te. Vel, Acquisiuit te. Id est, Asseruit te in libertatem. Alludit ad seruitutem Ægyptiacam. *Ipse fecit te & præparauit te.* ᵈ Vel, Concinnauit. Aptauit. ᵇ Aut, Formauit, vel direxit. Id est, fecit te, quum esses nullus populus, & factum populum formauit. hoc est, direxit & perfecit, vt prosperè omnia succederent. ᵈ Duplici nomine se patrem declarat: vno, quòd genitem hanc crearit: altero, quòd creatam sibi compararit ex reliquis populis formandam suis oraculis ac legibus.

7 *Memento dierum seculi, intellige annos generationis & generationis. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi senes tuos, & dicent tibi.*

8 *Quando hæreditates distribuit Excelsus gentibus, quando separauit filios hominum: statuit terminos populorum secundum numerum filiorum Israelis.*

9 *Pars enim Iehouæ est populus eius, Iacob sors hæreditatis eius.*

7 *Memento dierum seculi.* ᵃ Id est, Dierum antiquorum. Hoc est, Temporum præteritorum siue priscorum. Incipit ex ordine numerare beneficia in populum ingratum collata, ideóque malè collocata & perdita. ᵃ Hæc est autem vtilitas libri Genesis & Exodi, vt videamus quàm dilexerit Patriarchas & illum populum ex cuius carne nobis parauit benedictionem omnium gentium. *Generationis & generationis.* ᵃ Hebraismus, pro multarum generationum. Id est, annos priscos.

8 *Quando hæreditates distribuit Excelsus gentibus.* ᵃ Ad verbum, Quum hæreditare fecit Altissimus. Vel, Assignauit hæreditatem. Id est, Quando Altissimus diuisit patrias & regiones, & assignauit eas cunctis gentibus: iam tum decreuerat dare filiis Israel terram illorum septem populorum quos sub aduentum ipsorum Israelitarum eiecit è terra Chanaan. Vel, Tunc dedit septem gentibus, Amorrhæis scilicet, Heuæis, &c. tantam regionis planitiem quæ numero filiorum Israel sufficeret. *Statuit terminos pop.* ᵇ Primum beneficium commemorat, quòd quum Deus sit, & omnium gentium Deus (vt quas diuiserit, Gen. 11. b. 8, & quibus distribuerit orbem terrarum, vnicuique genti suam portionem & terminũ, et Paulus Act. 17. f. 26. hunc versum æmulatus docet) tamen non omnes elegit sibi in populum, quorum peculiariter esset Deus vero & legitimo cultu, sed posuit limites, vt solùm vbi filii Israel essent, ibi esset populus eius: vbi verò finiretur limes filiorum Israel, ibi cessaret populus Dei, & inciperent termini Gentium.

9 *Iacob sors hæreditatis eius.* ᵃ Hebr. ad verbum, Iacob funiculus hæreditatis eius. Id est portio. Funiculis enim diuidebantur hæreditates. Istud est declaratio prioris partis huius versus, q. d. Non est mirũ quòd expulsis illis populis dederit Dominus patriã illorũ Israelitis. sunt enim Israelitæ populus eius, & quidem tam proprius quàm est alicuius portio hæreditaria. ᵇ Vel, Non latius patet populus eius quàm quousque extenditur natio Israelitica. Istis scilicet verbis describitur quàm peculiaris sit iste populus Dei.

10 *Inuenit eum in terra deserti, & in vastitate horroris deserti: circunduxit eum, instruxit eum, custodiuit eum vt pupillã oculi sui.*

11 *Vt aquila [quæ] excitat nidum suum, super pullos suos cubat, expandit alas suas, assumit eum, portat eum super alas suas.*

12 *Iehoua solus deduxit illum, & non fuit cum eo Deus alienigena.*

10 *Inuenit eum in terra deserti.* ᵃ Deprehendit eum, nempe Iacob siue populum Israeliticum, cui apparuit in nube, quum erraret in deserto, & cœpit eum deducere. ᵇ Hoc est, Pepigit in monte Sinai fœdus cum eo. ibi inuenit & assumpsit eum vnde per desertum circunduxit, & erudiuit, & custodiuit vt nihil ei deesset vnquam. Hoc iam alterum beneficium est magnificũ. *Circunduxit eum.* ᵃ Circunduxit eum, non rectà proficiscentem in Chananæam. De erroribus quadraginta annorum dictum est Supra. *Instruxit eum.* ᵃ Vel, Docuit. Hebr. Intelligere fecit illum. sub. Legem suam, ᵇ traditam per Mosen in monte Sinai, vt pariter & animus ab erroribus liber esset & corpus a suis malis, vt sequitur. *Et custodiuit,* ᵃ A serpentibus & hostibus, à fame & siti.

11 *Vt aquila quæ excitat nidum suum.* ᵃ Fut. Hebr. pro præsenti, Quæ prouocat nidum suum. Id est, Prouocat ad volãdum pullos suos qui sunt adhuc in nido. Continens pro cõtento. Similitudo est ab aquilis sese supra pullos suos vibrantibus & passis alis exceptos pennis suis tollentibus. Hæc volucris pullos suos summo studio & amore prosequitur. ᵇ His igitur verbis significat quomodo eos in deserto fouerit, mores eorum tulerit, atque tentauerit ac benefecerit eis, vt discerent volare, id est fidere in eum, vt Supra cap. 8. videri potest.

12 *Iehoua solus deduxit illum.* ᵃ Deduxit per nubem & columnam igneam, vt legitur Exod. 13. d. 21. Dominus antecedebat eos interdiu in columna nubis, ad ostendendam viam: noctu in columna ignis, prælucendi causa. ᵃ Sunt tamen qui generalius accipiant, & exponant. Deduxit eos, præcedente ita verbo quam externo ductu nubis & ignis.

13 *Imposuit eum super excelsa terræ, & comedit fructus agri, & fecit vt sugeret mel è petra, & oleum è silice petræ.*

14 *Butyrum bouis & lac ouium cum adipe agnorum, & arietes filios Basan, & hircos vnà cum adipe granorum tritici, & sanguinem vuæ bibisti merum.*

15 *Et impinguatus est Israel, & recalcitrauit: impinguatus es, incrassatus es, operuisti: & dereliquit Deum qui fecit eum, ac despexit Deum salutem suam.*

16 *Zelare fecerunt eum propter extraneos, per abominationes irritauerunt eum.*

17 *Sacrificauerunt dæmoniis, non Deo, diis quos non nouerant, nouis [qui] de propinquo venerunt, quos non timuerunt patres vestri.*

18 *Dei qui genuit te, oblitus es: oblitus es [inquam] Dei qui generauit te.*

13 *Imposuit eum super excelsa terræ.* ᵃ Hebr. ad verbum, Equitare faciet eum super excelsa terræ. Id est, in regione excelsa & alta. Hoc dicit, quòd terra sancta sit in medio climate mundi. Posuit igitur eum in summa parte orbis. ᵇ Tertium est beneficium quo describitur situs & opulentia terræ Chanaan illis donatæ, quòd in terra sublimi & egregia habitarent, & fructu agrorum alerentur copiosè. ᵃ Quidam per futurum vertere malunt, quòd sit prophetia. *Et fecit vt sugerent.* ᵃ Poeticè dixit & figuratè mel de petra & oleum de saxo sugi, vt significet fuisse in ea terra maximam abundantiam mellis & olei. q. d. Illic nullus locus erit infœcundus & vacuus rebus bonis & suauibus. Etiam in rupibus ipsis erunt oliuæ & mel. Siquidem & oliuæ gaudent petrosis & sterilibus locis, & apes mellificant vbiuis, etiam vbi nullus est ager. *E silice petræ.* ᵃ Id est, petra durissima. Sic Deuteronom. cap. 8. c. 14.

14 *Butyrum bouis* Sub. fecit, vt comederet. ᵇ Et hic poeticè opulentiam describit, quòd butyro & lacte & pinguibus agnis alerentur & arietibus saginatis, &c. *Cum adipe agnorum.* ᵃ Hebraismus, Cum agnis pinguibus. *Filios Basan.* ᵃ. Id est, nutritos in Basan monte. Aut filios Basan (id est filios pinguedinis) appellat pingues. ᵇ Sic filius anni, id est anniculus. ᵇ ᵃ Filius pacis, pro pacificus. Filius mortis pro morti addictus. *Vnà cum adipe granorum tritici.* ᵃ Ad verbum, Cum adipe renum tritici. Id est granorum. quòd illa renum sint similia, à radice כלה Hoc est, cum farina optima granorum triticeorum, qui præ se ferunt figuram testiculorum & renunculorum. Subaudiendum autem comedit. ᵇ Vel potius adeps renũ tribuitur tritico quòd in animantibus pinguissimi renes esse dicantur. *Et sanguinem vuæ.* ᵃ Phrasi Hebraica succum vuarũ vocat sanguinem, quòd propter colorem videatur sanguis. ᵃ Imò & à veteribus vinũ sanguis terræ appellabatur. vnde Androcydes ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens, Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinẽ terræ. *Merum.* ᵃ Per appositionem positum. Hoc est, Vinum optimum & rubrum bibisti.

15 *Impinguatus es.* ᵃ Mutatio personæ. *Operuisti.* ᵃ Sub. pinguedine cor tuum, vel animũ tuũ. Paulo plenior est locutio Psal. 17. c. 10, Adipe suo clauserũt. Integra autem legitur Iob 15. c. 27, Operuit impius faciem suam adipe suo.

16 *Zelare fecerunt eum.* ᵃ Vel, Prouocauerunt eum ad æmulationem in externis. sub. diis. Vel, per externos. Chaldæus paraphrastes, Ad æmulationem concitauerũt eum cultu idolorũ. Eadem habes paulo post, versu 21. *Per abominationes.* ᵃ Sic vocat cultum idolorum.

17 *Qui de propinquo venerunt.* ᵇ Id est, Qui nuper venerunt. Quorum fama nuper ad homines peruenit.

19 *Quum autem vidisset Iehoua, exacerbatus est præ ira in filios & filias suas.*

20 *Et dixit, Abscondam faciem meam ab eis, videbo quid in nouissimo eorum. generatio enim peruersitatum sunt, & filii in quibus nulla est fides.*

21 *Ipsi zelare fecerunt me in [re quæ] non [est] Deus, irasci fecerunt me in vanitatibus suis. & ego zelare faciam eos in [eo] qui non*

est populus: in gente stulta prouocabo eos ad iram.

22 *Ignis enim succendetur in furore meo, & ardebit vsque ad infernum inferiorem: deuorabitque terram & fructū eius, & inflammabit fundamenta montium.*

23 *Consumam super eos mala: sagittas meas consumam in eis.*

20 *Abscondam faciem meam ab eis.* [1] Subtractis ab eis oraculis meis, regno & sacerdotio, vt habet Oseas. [b] Abscondi facies Dei dicitur, quum excæcet illos, vt eum neque noscant neque inueniant, quantumuis quærant & vocent. Nota est significatio ex eius contrario, Ostende faciem tuam, & salui erimus, Psal. 80. *Videbo quid in nouissimo eorum.* [v] Sub. futurum sit. Vel, Quid in fine suo. sub. patientur. Id est, quid ad extremum facturi sint. Vel, quid accidet illis ad extremum. *In quibus nulla est fides.* [b] Infideles vocat qui non verè & ex animo filii sint, sed foris simulent hypocritæ operum & iactent se filios esse.

21 *Et ego zelare faciam eos in eo qui non est populus.* [v] Id est, Quemadmodum nouis diis indoctis me ad zelum prouocauerunt, ita ego quoque nouum populum suscitabo, quo ipsi zelo accendantur. [b] Vel, Sicut ipsi me deserto alium Deum assumpserant (quod mihi fuit non ferendum) ita vicissim ego illis reiectis assumam alium populum, quod & ipsos vehementer cruciabit. [b] Hoc est quod quandoque monuimus, Prophetas scilicet longius respicere quàm videntur. Non enim hoc solùm dicitur de Gentibus, quibus inuiderunt Iudæi à Deo exaltatis, quando dominatæ sunt ipsorum: (vt de Chaldæis & Assyriis legimus) sed multo magis de Gentibus conuersis ad Christum, quando inuidia contabuerunt quòd Gentes videbantur à Deo amari, ipsi autē reiici. Id quod historia Act. Apo. testatur ca. 17. a. 5, quomodo zelo ducti sint contra Gentiū salutem, & Apostolicam doctrinam. Ita hunc locum interpretatur Paulus Ro. 10. d. 19. Et ca. 11. b. 14. ait, Si quo modo ad æmulandum prouocē carnē meam. Sic & de aliis maledictionibus quæ sequuntur intellige, scilicet quòd respexit non solùm in hanc vel illam pœnam aut captiuitatem, sed in omnes Legis maledictiones, qua puniuntur intus & foris in omnibus creaturis & terrore iudicii vsque ad iudicium nouissimum. *In gente stulta.* [a] Carente oraculis meis, in quibus solis sapientia vera versatur.

22 *Et ardebit vsque ad infernum inferiorem.* [b] Ignis hic non solùm ignē sed totā vastitatē significat quæ igne fit, qualis fuit ignis regis Babylonis & Romanorum, vbi terra, licet non tota, fuit exusta & vastata: vt in Ierusalem, & aliis locis, vt ne lapis quidem super lapidem relinqueretur. Hoc significat quod ardere illum dicit vsque ad infernum. acsi dicat, Nihil reliquum super terram erit vel ædificii vel germinis, sed & ipsum solū, & montes vbi ædificia steterant, exurentur, quasi ignis deorsum per terram velit ad infernum vsque ardere. sicut videmus fieri in locis igne desolatis. [a] Q. d. Omnia perdam & vastabo igni, infera & supera, excelsa & ima, valles & montes.

23 *Sagittas meas consumam in eis.* [a] Notantur & à diuina ira immissæ instar telorum calamitates à proposito scopo non aberrantes, sed certò ferientes sceleratos.

24 *Combusti erunt fame, & comesti ægritudine calida, & excisione amara. dentes quoque bestiarum immittam in eos cum veneno serpentium super terram.*

25 *Foris orbabit gladius, & in cubiculis erit terror: etiam iuuenem, etiam virginem lactantem cum viro sene.*

26 *Dicerem, Dispergam eos per angulos, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum:*

27 *Nisi iram inimici timerem: ne fortè extraneè se gerant hostes eorum: ne fortè dicant, Manus nostra excelsa, neque Iehoua operatus est omnia ista.*

24 *Combusti erunt.* [v] Vel, Comburentur. Alii, Consumentur. *Ægritudine calida.* [v] Caumate, siue morbo calido, febre ardenti & pestifera. *Et excisione amara.* [v] Id est, peste amarissima, siue, morbo exitiali, qui subitò necat. Peste quæ ex aere corrupto prouenit, vt ait doctus inter Hebræos. *Serpentium super terram.* [v] Ad verbum, Reptantium terræ. Id est serpentium. Hoc est, Et animalia venenata immittam.

25 *Foris orbabit gladius.* [s] Gladius hostilis. [v] Id est, Absumentur bello. *Etiam iuuenem.* [v] Sub. orbabit, vel vastabit. Singul. Hebr. pro plurali, Vastabit, inquam, iuuenes, puellas, &c.

26 *Dicerem.* [v] Præter. Hebr. quod quidam per imperfectū coniunctiui vertunt, vt hic noster. Alii per præteritum perfectum eiusdem modi, Dixissem, & in sequenti versu, Nisi timuissem. hoc sensu, Iam dixissem apud me. hoc est, statuissem, siue decreuissem in hunc modū. *Dispergam eos.* [v] Vel, Detrudam eos. Peah nomen significat extremitatē & finem cuiuscunque rei: angulum quoque & plagam. vnde deducitur verbum quod reddidimus Dispergam, siue Detrudam in angulum, aut in extremitatem. Sunt etiam qui hanc dictionem diuidunt in tres אף אי In furore meo, Vbi ipsi? Id est, Dixissem in furore meo, Dabo eos acsi nō essent: vt dicāt qui illos viderint, Vbi sunt? [b] Q. d. Adeo vt destructis eorum omnibus ac in nihilum redactis, insultetur eis, Vbi nunc est regnum vestrum? vbi sacerdotium? Non quòd nihil aut nulli Iudæi futuri sint reliqui, sed quòd nullum locum certum, regnum aut sacerdotium habituri sint, sicuti alii omnes populi habent. [v] Verùm prior lectio est verior. Statuissem procul abigere à me in locum orbis tam remotum vt postea homines nullam illorum mentionem facerent. Ex doctis inter Hebræos alter exponit, Exterminabo siue exterminassem eos. *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* [b] Memoriam eorum tollit, est nihil amplius de eis iactari, sicut antea, quòd sint aut possint aliquid more aliorum populorum.

27 *Nisi iram inimici timerem.* [v] Id est, Inimicum iratum illis & infensum. [a] Sententia est, Statueram eos ita perdere vt eorum memoriam ex hominibus delerem, nisi vererer ne hostes huius rei gloriam non mihi sed sibi tribuerent. Duæ igitur causæ afferuntur cur Israelitas populum suum profligare Deus funditus nolit: vna, hostium superbia est, ne si elati animo deuictorum Israelitarum gloriam sibi vendicent, Deo detrahant: altera causa, misericordia, & fœderis semel initi fides: de qua causa mox infrà, Et suorum miserebitur. [b] Tollit igitur hoc versu & præoccupat iactantiam Iudæorum, qui fortè dicerent, Non sumus tam mali quàm hic Moses cātat: nec de nobis cantat, quia experientia teste, Deus sæpe nos liberauit miraculosé. His respondet, Non vestro merito factum est, qui omnia prædicta semper merebamini, sed quia vos assumpseram in populum, coactus sum nomini meo prouidere in vobis alioqui indignissimis. Sed non faciam hoc in æternum, veniet tandem finis vester meritus. *Extraneè se gerant.* [v] Vel, Alienos se ostendant. Id est (vt vertit Chaldæus paraphrastes) Ne magnificè se efferant. Alii, Non agnoscant. vel, dissimulent se agnoscere. aut, eant inficias. sub. id factum esse à me, & sibi tribuant. *Manus nostra excelsa.* [p] Vt de se iactauit insolenter Assyrius, In fortitudine manus meæ feci, Esa. 10. c. 13. [a] Sic sub typo Nabuchodonosoris gloriatur hodie suam potentiam ostentans aduersarius ille Christi.

28 *Gens enim periens consiliis sunt, nec est illis intelligentia.*

29 *Si sapientes essent, intelligerent hoc, intelligerent nouissimum suum.*

30 *Quomodo persequutus fuisset vnus mille, & duo fugassent decem millia, nisi quòd Deus eorum vendidisset eos, & Iehoua tradidisset eos?*

31 *Nam non est sicut Deus noster deus illorum; & inimici nostri sunt iudices.*

28 *Gens enim periens consiliis.* [v] Vel, perdita consiliis. Id est, Perditi consilii, & inconsulta. De inimicis populi Israelitici loquitur. [a] Alii Israelitas perstringi volunt.

29 *Si sapientes essent, intelligerent hoc.* [v] Vel, Si sapuissent, intellexissent istud, nempe me punisse populum meum propter peccata ipsorum, non autem id sibi tribuerent. [a] Nonnulli optare hic volunt Deum primò hostes Israelitarum cognoscere propter scelera sua hanc gentem in ipsorum manus traditam, deinde victoriam de iis quos ob improbitatem plectit diuina iustitia, partam, nefas esse alii adscribere quàm Deo, iusto iudici, cui turpe sit, etiam hostium iudicio, alios deos pares æstimare. Atque hæc qui intelligunt, prudentes esse, qui verò non intelligunt, imprudentes & stultos. *Nouissimum suum.* [v] Finem suum. Id est, Quis finis eos maneat. Et reputarent eadem sibi euentura propter peccata sua.

30 *Quomodo persequutus fuisset vnus mille.* [v] Id est, Qui fieri potuisset vt hostis vnicus persequeretur mille Israelitas, nisi quòd, &c. [s] Hoc est, In ipsa captiuitate tam Babylonica quàm Romana deberēt experiētia cognoscere quòd deserti sint à Deo, quum vnus Gentilis mille fuget Iudæos, quum antea cōtrarium fieret, vt vnus fugaret mille Gentiles, Leuit. 26. *Vnus mille.* [1] Esa. 30, Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque, fugietis, &c. *Tradidisset eos.* [v] Sub. hostibus. Quidam per futurum vertunt hæc omnia, quòd prophetiam contineant nōdum impletam de futuro supplicio in Israelitas idololatras.

31 *Et inimici nostri sunt iudices.* [v] Id est, Etiam inimici nostri testantur hæc esse vera. Verba sunt Mosis. [a] Vtitur testimonio hostium, quod maximum censetur. Sic experti sunt Ægyptii deos suos pares nullo modo Deo Israelitarum esse. Senserunt item vim Israelitici Dei Assyrii, vna nocte tot millibus eorum ante Hierosolymam extinctis. [b] Porrò & Bileam vnus fuit testium de quibus hic Moses meminit, qui magnifice de Deo dixit. Testes & Ægyptii, qui dixerunt Exodi 14. f. 25. Fugia-

mus Israelem. Dominus enim pugnat pro eis. Testes & Philisthini, 1. Reg. 5, timentes ab arca Dei.

32 *Ex uite enim Sedom est uitis eorum, & ex uitibus Amorah: uuæ eorum, uuæ ueneni: botri amaritudinum sunt eis.*

33 *Venenum draconum, uinum eorum: & uenenum aspidum crudele.*

34 *Nónne est reconditum apud me, sigillatum in thesauris meis?*

35 *Mea est ultio & retributio, tempore [quo] nutabit pes eorum: quia propinquus est dies afflictionis eorum, & festinant quæ futura sunt eis.*

36 *Quia iudicabit Iehoua populum suum, & super seruos suos pœnitebit ipsum, quum uidebit quòd abierit manus, & non [sit] clausus & relictus.*

32 *Ex uite enim Sedom.* [a] Redditur causa sumendæ de rebellibus pœnæ, quia uitiis imitantur Sodomanos & Gomorrhanos. Sic apud Ieremiam Dominus, Facti mihi omnes vt Sodoma, & habitatores eius vt Gomorrha. Eodem modo vates Esaias illos notat, Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite Legem Dei nostri populus Gomorrhæ. At sunt qui de hostibus Israelitarum hæc interpretantur. [b] Q. d. Sicuti Deus hostium nostrorum non est cōferendus cū Deo nostro, ita ipsi nō sunt nobis cōparandi, qui nati sunt parentibus iniquis, quales erant Sodomitæ & Gomorrhæi, vel (vt doctioribus magis placet) quia peruersa studia Sodomitarū imitantur. [a] Sed altera sententia, in qua nullum est periculum, communior est & receptior.

33 *Crudele.* [b] Id est, citò enecant.

34 *Nónne est reconditum apud me.* [b] Hoc accipitur vel de sententia qua suo tempore castigaturus sit rebelles: vel de vino felleo recondito in decretis, quo illos sit potaturus. [b] Sed potius perinde est ac si dicat, Annon hæc impia omnia noui & secreta teneo, licet foris cogar benefacere impiis illis propter nomen meum? Ipsi autem non vident quid apud me super eos definitum sit: ideo securi sunt. *Sigillatum in thesauris meis?* [b] Notantur libri iudicii diuini, in quibus & scelera & sententiæ in scelera ferendæ scriptæ sunt.

35 *Mea est ultio.* [a] Q. d. Ego vlciscar & retribuam quum corruere debebunt. *Nutabit pes eorum.* [a] Id est, Quū sic labentur vt consistere nequeant. Indicantur in oraculo tēpora quibus in Romanorum potestatem redacti sunt, cōsū templo incēnso, terra vastata, ipsis in exilium actis.

36 *Quia iudicabit Iehoua populum suum.* [a] Incipiet iudicium Dei à domo Iacobæorum. [b] Hoc est, Ne populo quidē suo parcet, ne iactent quòd sint populus eius. [a] Nisi fortè ita exponi debet hic locus, Iudicabit Iehoua populū suum. id est, vlciscetur de inimicis suis. Cōsolatio succedere solet mœrori in Prophetis. *Et super seruos suos pœnitebit ipsum.* [a] Id est, Mutabit sententiam, nec affliget eos vt decreuerat. [a] Quidam vertūt, Seruorum suorum miserebitur. Alii, Super seruos suos placabilis erit. [b] Placabitur, sine personarum respectu, tantùm iis qui ei seruient. id est, reliquiis populi ad Christum conuersis. [b] Sed vox Hebraica sonat, Pœnitebit eum, vel, Mutabit sententiam. Sic autem loquitur Scriptura, Deum placatum seu reconciliatum declarans. [a] Est autem hic locus clarus de reconciliatione Israelitarum, hos expletis temporibus repudiationis redituros ad meliorem frugem, & agnito Messia reconciliandos Deo, (qua de re Suprà, & alibi) Sed quo tempore erit hæc reconciliatio? Sequitur, *Quum uidebit quòd abierit manus.* [a] Id est, Quum videbit populum suum defectum robore, & omnino destitutū viribus. *Et non sit clausus & relictus.* [a] Id est, Quòd nullus sit clausus arcibus, vtpote quæ expugnatæ sint: & nemo superstit, sed omnes abducti sint in captiuitatem.

37 *Et [quando] dicet, Vbi sunt dij eorum, Deus in quo sperabant?*

38 *Qui adipem sacrificiorum illorum comedebant, & bibebant uinum libaminis illorum: surgant & opitulentur uobis. sit super uos absconsio.*

39 *Videte nunc quòd ego, ego sum, & non sunt dij mecum. Ego mori faciam, & uiuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & nemo est qui de manu mea eruat.*

40 *Quum eleuauero ad cælum manum meam, & dixero, uiuo ego in seculum.*

37 *Et quando dicet, Vbi.* [a] Dicet. sub. hostis. quem inducit ludibundè insultantem misero populo.

38 *Sit super uos absconsio.* [a] Id est, Protectio illorum deorum. Protegant vos dii illi.

39 *Videte nunc quod ego, ego sum.* [b] Q. d. Nonne vos experientia docet quod prius dum securi essetis non didicistis, [a] nempe me esse solū qui oppressos & deiectos Israelitas leuare possim. *Percutiam, & ego sanabo.* [b] Q. d. Videte me in morte vitam, in vulnere sanitatem, in inferno cælum, in opprobrio gloriā electis meis moliri, contrà quàm hostes mei existiment.

40 *Quum eleuauero ad cælum manum meam.* [a] Eleuauero, more scilicet iurantis. Per seipsum iurat Deus, quū maiorem se neminem habeat, vt ait Apostolus Hebr. 6. c. 13. Hic versus cohæret cum præcedēte, hoc modo, Non est qui de manu mea possit eruere quum iurauero per me viuum & victurum in secula. [b] Vel sic, Leuabo enim in cælum manum meam, dicam, &c. vt hoc iurantis vel gloriantis more dicatur, quòd præter Deum nihil possit gloriari neque de esse suo, neque de viuere: sed solus ipse dicat, Ego sum, Ego viuo. scilicet, vt timeatur, & præsumptio nostra conteratur.

41 *Si acuero aciem gladij mei, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & odio habentibus me retribuam.*

42 *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnem, sanguine [inquam] occisorum & captiuorum de capitibus [m] ultionibus inimici.*

43 *Laudate Gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum uindicabit, & uindictam reddet hostibus suis: & propitius erit terræ suæ [&] populo suo.*

41 *Si acuero aciem gladij mei.* [a] Alii fulgur gladii vertunt, rectius versuri fulgorem. [a] Sic autem vocatur lamina, fulgoris speciem habens. Q. d. gladium fulgentem, vel coruscantem, aut coruscum. *Et arrip. iud. manus mea.* [a] Id est, Si semel cœpero exercere iudicium. *Hostibus meis.* [b] Siue Iudæi sint, siue Gentes.

42 *De capitibus.* [a] Id est, Quū sumam vindictam de hostibus meis, tunc gladius meus deuorabit carnes de capitibus ipsorum hostium. Hoc est, Ense amputabo capita hostiū meorum. Verti etiā potest, In principio vltionibus inimici. Aut, In principio vindictarum inimici. Hoc est, Quum primùm sumam pœnas de inimicis meis.

43 *Laudate Gentes populum eius.* [a] Verba sunt Mosis. Doctiores Hebræos exponit, O gentes quæ estis populus eius, laudate. sub. Iehouam. [a] Sed potius Gentes (oleastrum) hortatur vt oliuæ naturalis restitutionem celebrent, temporibus patefactionis Messiæ. [a] Quidam autem vertunt, *Exultate Gentes cum populo eius.* [b] vt dicat Moses, Gentes cum reliquiis fidelibus copularū iri in fide. [a] Hinc Paulus ad Rom. 15, Gentes æquè pertinere docet ad sanctificationem nominis Dei (modò à gentilitate resipiscant) ac Iudæos, qui tunc dicebantur populus Dei. *Terræ suæ.* [a] Quæ tot seculis ob iniquitatem Israelitarum inculta & deserta iacuit. Similiter in Leuitico, Terræ quoque memor ero.

CANTICVM DEBORAE ET Barac. EX IVDIC. V.

ARGVMENTVM.

[a] Carmen hoc est *Epinicium*, quale Moses Pharaone demerso cecinit. Pertinet autem ad genus demonstratiuū, quia laudes & vituperationes comprehendit: laudes cum primis Dei, qui huius victoriæ præcipuus author fuit, quique in debellando Sisera, stellarum cæli & tempestatis opera vsus commemoratur. Debora item & Baracus laudantur, Iahel quoque, necnon illi pauci debiles & inermes ex tribu Zabulon & Nephthali, qui Dei oraculum sunt secuti. E diuerso autem Sisera vt crudelissimus hostis populi Dei vituperatur: & illi acriter proscinduntur qui verbo Dei non crediderunt, sed iussa Baraci ac Deboræ verba sunt aspernati: dumque rationem haberent suæ infirmitatis, & bonitati Dei atque promissionibus minus quā par erat tribuerent, pugnam sibi diuinitus propositam detrectarunt. [a] Cæterùm quum hic dicatur cecinisse Debora & Barac, præponitur mulier viro, vt notè in facto facinore, & indubiè quia erat Prophetissa. [a] Et certè sola Debora carmen videtur composuisse. nam prophetiæ spiritus ipsam, non autem Baracum perusserat. Is tamen adiungitur, quoniam sicut in prælio dux fuerat, ita etiam inter canentes & gratias Deo agētes præcipuus extitit.

D*Vm ulciscitur ultiones in Israel, dum sponte se offert populus, benedicite Iehouæ.*

3 *Audite reges, auribus percipite principes: ego Iehouæ, ego [inquam] canam, psallam Iehouæ Deo Israel.*

Dum ulciscitur ultiones in Israel. [M] Si verbum Hebraicum פרע in hac significatione accipiamus, duplex esse potest sensus. Vnus, Deum Israelitas opprimendo, et illos Chenanæis tradendo, suam ipsius vltum esse iniuriam, qua fuerat ab ipsis grauiter affectus, dum impietatē ac idololatriā sectarētur. Alter autem (qui passim & ferè ab omnibus recipitur) gratias Deo esse agendas qui tādem Israelitarum iniurias vltus fuerit. Diu enim & grauiter à Chenanæis antea premebātur. Deinde spiritu Dei spōtanei & alacres redditi sunt qui tam abiecto & infirmo animo prius fuerant. Duo ergo exponuntur, Deū nempe Chenanæos fregisse, mala vlciscēdo quæ Iudæis intulerāt, & ipsos in prælio roborasse. *Dum sponte se offert populus.* [V] Vel, Et quum sponte sua sumit arma populus, vt scilicet defendat sese contra hostes suos. Addebat enim illis Dominus animos & animum quum volebat eos liberare. Idest, Dum sumit pœnas Deus de Israele propter peccata, dumque populus spōte sumit arma. Q.d. Tempore afflictionis & liberationis, tempore calamitoso & fœlici laudate Dominum.

3 *Audite reges.* [M] Apostrophe fit ad reges, primò quòd ōnes Iudæi reges quodāmodo vocētur. Deus quippe illam gentē & regimē & sacerdotiū sibi effecit. Omnes igitur ita vocati sunt, vt nos à Christo Christiani siue vncti. Deinde, quòd hæc à Debora non modò pro suo tempore sed etiam ratione habita posterorum decātata fuerint. Postremò reges externos Debora compellat qui apud sese statuebant Israelem atterere, hortatúrque illos vt ea quæ Deus gesserit, bene secū reputent, attēdántque vt populum suū opportuno tempore nouerit vlcisci.

4 *Iehoua quum egressus es è Seir, dum recessisti ex agro Edom, terra concussa est, etiam cæli stillauerunt, etiam nubes stillauerunt aquas:*

5 *Montes fluxerūnt à facie Iehouæ. iste Sinai [tremuit] à facie Iehouæ Dei Israel.*

6 *In diebus Sangar filij Anath, in diebus Iahel cessauerunt itinera: & ambulantes per vias, ambulauerunt per semitas tortuosas.*

7 *Cessauerunt villæ in Israel, cessauerunt [inquam] donec surrexi ego Debora, [donec inquam] surrexi mater in Israel.*

8 *Quum elegit deos nouos, tunc fuit bellum [in] portis: clypeus si conspectus est & lancea in quadraginta millibus in Israel.*

4 *Iehoua quum egressus es è Seir.* [V] Id est, Quum cœpisti relinquere montem Seir, & quum recessisti de Idumæa. Q.d. Quum cœperūt filij Israel vltra procedere, Domino eos præcedente. [M] Q.d. Ab eo tempore quo Israelitæ iussu tuo circa montē Seir, (vt Deuter. 2. habetur) annos 38 per diuersas profectiones obābulassent, ac tandem voluntate tua inde recedentes, ad terram Chenaan processissent, causam eorum cœpisti magnificè agere. Nobiscum enim veniens in columna ignis ac nubis, Chenanæos hostes nostros ita perterrefecisti vt nobis alioqui debilibus & infirmis resistere non valuerint. Antea dum montē circuimiremus, agebant securi & nos fortiter contemnebant: verū quū ipse nos ex illis locis eduxisses, tātus pauor eos peruasit vt ipsa terra videretur tremere, atque è cælis & nubibus magnæ tempestates & procellæ deiici. Fuit perinde ac si mōtes aquarum moles ingētes ad inferiores planities deuoluerent.

5 *Montes fluxerunt à facie Iehoua.* [V] Id est, Versi sunt in aquā aduentante Domino. *Iste Sinai tremuit.* [M] Q.d. Nec mirum si ad tuum conspectum illi sic perturbati sunt, quum & iste descensum tuum super se, quum Legē dares olim, ferre non potuerit. totus enim concussus est ac mirificè tremuit. [V] Quòd si mons tremuit, quanto magis homines?

6 *In diebus Sangar.* [M] Ostendit Deum longè maiora concessisse quàm prius dederit, quum Debora non esset etiam tunc excitata. Nam neque Sangar (de quo superius egimus) neque Iahel Hebræos in libertatem perfectè asseruerunt. *Cessauerunt itinera.* [V] Vel, Defecerunt, aut defecerant peregrinantes. Id est, Nemo audebat peregre proficisci. *Et ambulantes, &c.* [V] Id est, Qui autem peregre proficiscebantur, ire solebāt per calles deuios. [M] Dicit tempestate eorū (videlicet Sangaris & Iahelis) vias publicas non fuisse tutas, adeo vt cogerētur homines aut non egredi, aut obliqua occultáque itinera captare. [M] Imo semitæ hic pro ratione viuendi sumi mihi videntur.

7 *Cessauerunt villa in Israel.* [V] Id est, Deserti erant vici. [M] Addit, eo etiam ventum fuisse vt pagi & villæ quæ mœnibus cinctæ non erant, desererentur: proinde mercatus, agricultura & iudicia impedirentur, cogerentúrque Iudæi sese in ciuitatibus bene munitis continere, nisi præda Chenanæorū fieri voluissent. Durauit autem ista calamitas à Iabini oppressione vsque ad Deboræ principatū. At mirum videri potest quare cum Sāgare simul & Iahelis mētionem fecerit. Putant nonnulli eam Israelem post Sangarem iudicasse. at quum sacræ literæ id non tradant, ego affirmare non ausim. Existimo potius illam cum Sangare honoris gratia nominatam: ac si diceretur, Licet non Deus per illam Sisarā ipsum interemerit, & hactenus Deo grata fuerit, attamen quandiu vixit, vsque ad hanc diem calamitas Israelis perdurauit, neque amota est. *Surrexi mater in Israel.* [M] Matrem se dicit surrexisse in Israel, quia nō ad id excitata est vt tyrannicè ageret. Nā munus boni & legitimi principis est, paternum erga populum animum gerere.

8 *Quum elegit deos nouos.* [M] Bifariam hæc verba exponuntur, & quidem non incommodè. Primùm, vt dicatur bellum sum statim Iudæos oppressisse, atque portas & vrbes eorum hostes obsedisse quum ad idololatriam declinarunt. Iuxta quā interpretationem electio ad Israelem refertur, & vox אלהים accusandi casus erit, ita vt satiō calamitatis reddatur qua Hebræi vexati fuerant. Certè ideo fracti ac perterriti deiiciebantur, & nec vnus ex multis millibus eorū clypeum sumere aut hastam vibrare audebat, quòd idololatriæ sese cōtaminassent. Hoc autem sic verum fuisse attestatur Debora vt de eo posset vel iuramento contendere: quod particula Si demonstrat, dubie interponitur. Præterea licet ad hūc modum interpretari, Ego Debora posteaquam sum à Deo excitata, bellū est in portis, vel castrorum, vel quia milites Hebræi iam è portis prodeunt, qui prius sese intus continebant: quia Deus nunc elegit noua, hoc est, nouam speciem formámque rerū Israeliticarū induit. Nostri hactenus nihil audebant, qui iam erumpunt & in hostes impressionem faciūt. Deus igitur est qui noua elegit. Et אלהים hoc sensu rectus casus erit. Quæ Deus nunc effecit, ea non immeritò dicuntur noua: est quippe rarum atque insolitum vt hostes armati ab inermibus vincantur. Hebræi autem adeo caruerunt armis vt nec in quadraginta millibus hominum, vel scutum vel lancea reperiretur. *Clypeus si conspectus est.* [V] Subaudiendum aliquid, quale est, Disperēam. hoc modo, Disperēam si inter XL millia hominum quisquā ausus fuisset assumere arma, ita terror incussus illis erat à Deo eorum.

9 *Cor meum ad principes Israel, qui voluntarij fuerunt in populo. benedicite Iehouæ.*

10 *Qui ascenditis asinas candidas, qui habitatis iuxta Middin, & qui inceditis in via, loquimini.*

11 *Propter sonitum iaculantium sagittas in locis ubi hauritur aqua. Illic narrent iustitias Iehouæ, [&] iustitias villarum eius in Israel: tunc descenderunt ad portas populus Iehouæ.*

12 *Exurge, exurge Debora: exurge, exurge, loquere canticum. surge Barac, & captiuam duc captiuitatem tuam fili Abinoam.*

13 *Tunc dominatus est eiusfor fortibus populi: Iehoua dominari fecit me fortibus.*

9 *Cor meum ad principes Israel.* [V] Id est, Ex animo diligo principes qui tam strenuè pugnauerunt, liberalique animo se exposuerunt periculo, pugnātes cum Israel. *Benedicite Iehoua.* [V] Subauditur aliquid, quale, Et dico illis, Laudate Iehouam. siue, Gratias agite Iehouæ. quòd scilicet vobis restituerit animos. [M] Eleganti autem distributione Debora ad diuersa hominum genera se conuertit, & ad celebrandum Deum eorum singula quæque hortatur.

10 *Qui ascenditis asinas candidas.* [M] Vel, Qui insideris asinis candidis. Omnes propemodum interpretes mercatores intelligunt qui ad nundinas & mercatus huc & illuc obequitant. Est sanè magnus vsus asinorum in Syria. nā ibi sunt fortes & robusti, satis magnæ staturæ, ac molliter incedunt. *Qui habitatis iuxta Middin.* [V] Id est, Qui estis vicini loco illi qui infestabatur frequentia hostium. [M] Nā melius ita intelligitur hæc vox (aut certè de loco in quo consueuerant mercaturæ frequētius tractari) quàm de iis qui iudiciis præsunt. *Et qui inceditis in via.* [M] Hoc postremū ad plebeios attinere videtur, Qui facitis iter, nimirum pedibus, non autem equitatis. Vel, Iter facientes dicitur vt certa quædam causa grauiatorum actionis exprimatur. ac si diceretur, Vos omnes quos memoraui, propterea Deū celebrate quòd iam liberè possitis iter facere.

11 *Propter sonitum.* [V] Vel, Propter strepitum. qui iam sopitus est, nec auditur amplius in locis illis vbi aqua hauriri solet. [M] Aliud beneficium subiicit, nempe illos expeditā aquationem habere, quæ antea illis tota propemodū impedita erat. Putei seu fontes, qui extra vrbes per plateas & itinera erant, propter Chenanæos omnia obsidentes, Iudæis vsus esse non poterant. Nam sagittarii equites circa huiusmodi aquas sese occultantes, in eos impetum faciebant qui ad hauriendū egrederentur. Multos ex eis captiuos abducebant, strepitu item & clamore suo propemodum omnes ab hauriendo exterrebant. Q.d. Euasistis iam horribiles ac barbaros equitum sagittariorum sonitus & clamores, atq; liberos haustus aquarū habetis.

Proinde iustas laudes, vt par est, Deo reddite. *Et iustitias villarum.* V Id est, Iustitiam Domini qui effecit ut filii Israel postea sine timore habitarent in villis. Vel, Qui restituit Israeli villas suas, quas antea non habitabat præ metu hostium suorũ. M Vel, Qui instaurauit pagos & villas quæ iam hostili obsidione videbantur desolatæ ac vacuæ. *Tunc descenderunt ad portas.* V Id est, Confecto bello cũ Sisara descendit populus ad portas vt egrederetur vrbem. Hoc est, populus egressus est vrbes sine vllo timore ac periculo, qui prius continebatur intra illas præ metu. M Vel potius intelligit, populo Dei nunc ad portas vrbium licere suos habere conuentus: quod prius ne facerent, omnibus modis prohibebantur. Forum enim iudiciarium in portis esse consueuit.

12 *Exurge, exurge Debora.* M Seipsam Debora excitat vt eius exemplo alii ad Deum celebrandum se extimulent & exacuant. *Captiuam duc captiuitatem tuam.* V Id est, duc in triumphum tuos captiuos. M Baracum ad triumphum hortatur, vt pompa quadam captiuos ostentet. Ita enim Dei honos & nomen magis magisque videbatur illustrari, dum omnes intelligerent iam Chenanæos Hebræorũ esse captiuos, qui antea se Hebræos profligaturos putauerant. Annotarunt præterea hic Rabbini, canticum Deboræ peculiariter adscribi quòd Prophetis ipsa fuerit: triumphum verò Baraco dari, quod in bellu aduersus hostes dimicarit.

13 *Tunc dominatus est euasor fortibus populi.* V Id est, Filios Israel, qui euaserant incolumes, & quos seruauerat in bello, Dominus superiores fecit inclytis illis qui erant cum ipso Sisara.

14 *De Ephraim radix eorum, contra Amalec, post te Biniamin contra populos tuos. De Machir descenderunt principes, & de Zebulun trahentes stylo scribæ.*

15 *Principes quoque in Issachar cum Debora & Issachar: sic Barac in vallem missus est pedibus suis: in diuisionibus Ruben magnæ erant cogitationes cordis.*

16 *Cur sedisti inter duas caulas ut audires sibilos gregum? in diuisionibus Ruben magnæ erant inuestigationes cordis.*

14 *De Ephraim radix eorum.* V Deest verbum Hebr. quod subaudiendum est, sic, Qui erat de Ephraim. Id est, qui radix eorum erat, dominatus est in Amalec. vel, pugnauit contra Amalec. Id est, Iosue princeps & dux tribus Ephraim superauit Amalecitas. M Imò ego non existimo facta Iosuæ modò recenseri: & hoc ad ipsam Deboram spectare arbitror. nam (vt videtur) fuit Ephraimitis, & sub quercu Ephraim (vt superius habitum est) populum iudicabat: & sanè auspiciis eius & monitis hoc bellum susceptum est. Id autem obscurius videtur quòd pugna dicitur aduersus Amalec instituta: sed tropo seu figurata locutione in Amaleco simul & Chenanæos debemus accipere. *Post te Biniamin contra populos tuos.* V Post te. sub ô Ephraim. i. vos qui estis de tribu Ephraim. *Biniamin contra pop.* V Sub. pugnabit. Id est, contra populos à te olim superatos. nempe Amalecitas. M Ex Biniamin aliquot se ab initio Deboræ adiunxerunt, licet (vt iudico) pauci admodum fuerint. Ex Machir autem aliquot illustres venerunt. Zabulon quoque dedit nonnullos doctores, iurisperitos atque scribas, qui stylo potius quàm armis valebant. Id autem significatur, dicendo *Trahentes stylo scribæ.* Hoc est, qui calamo trahendo erant exercitati.

15 *Et Issachar.* V Q. d. Non modò principes tribus Issachar affuerunt, sed etiam tota ipsa tribus. *Sic Barac in vallem missus est pedibus suis.* M Additur Issachar fuisse sicut Baracum. Nam vt Baracus in montem Thabor missus est, ita Issachar cum suis peditibus videtur missus in vallem, & ibi à latere hostes tum inuasit quum pugna commissa Israelitæ præliarentur. ibi se Issachariani fortiter gesserunt. *Pedibus suis.* V Q. d. Tanta alacritate bellandi accessit ad prælium vt veniret pedes. *In diuisionibus Ruben.* V Vel, de diuisionibus Ruben. Id est, de Rubenitis Iordane separatis ab aliis vehemẽter miror, quòd non venerint vt opem ferrent fratribus suis. Cor enim (inquit doctus inter Hebræos) disceptabat apud se cur illi non venissent ad prælium. M Coarguitur hic tribus Ruben, quæ pugnam detrectauerat. M Pro In diuisionibus quidam vertunt in riuis, vel in riuulis. M Non iniuria autem loca Rubenitarum vocat riuos. nam ad flumen Iordanem fœlicia pascua sortiti erant. Tribuit quidem illis magnitudinem & prudentiam, sed eo nomine accusat quòd sua tantùm curarint.

16 *Cur sedisti inter duas caulas.* M Ruben tum ab arte pastoritia quam exercebat, tum à locis pascuis quæ incolebat, describitur: & simul ostendũtur magni viri atque animo sapiẽtes, fortassis vt eorũ tumor ac superbia perstringatur, quasi mulieris Deboræ iussa & auspicia sequi noluerint. Quod autem subiicitur, *Vt audires sibilos gregum,* vel balatus, simpliciter potest accipi, quasi Rubenitæ plus balatu pecudum caperẽtur quàm Reipubl. cura. V Q. d. Quomodo sedisti in tam alto otio, interim dum videres fratres tuos in ingenti esse periculo? M Nonnulli tamen allegoricam intelligentiam sequũtur, Rubenitas dicentes inter suas caulas resedisse ad pascua irrigua Iordanis, licet audirẽt gregum Israel (hoc est populi Dei) lamẽtationes & querimonias, quibus eius opem vehementer implorabant.

17 *Gilad trans Iarden mansit: sed Dan utquid habitauit in nauibus? Aser sedit in portu marium, & in fracturis suis habitauit.*

18 *Zebulun est populus qui exposuit animam suam ad moriendum, & Naphthali super altitudines agri.*

17 *Gilad trans Iarden mansit.* M Vel, ad vadum Iordanis habitauit. Quidam arbitrãtur Galaaditas vnà cum Rubenitis carpi quòd ipsi quoque secus Iordanem habitarint cum suis pecoribus, & hanc pugnam detrectarint. Cæterũ alii (quibus ego accedo) sic existimant, ea quæ nunc dicuntur, ad crimẽ Rubenitarũ exaggerãdũ spectare, acsi per ἀνθυποφορὰν diceretur, Tu quidem Ruben habitas ad riuos Iordanis: at ibidem Gilead habitauit, qui tamen ad bellum sese contulit. Ideirco Rubenitis & habitationis & loci excusatio præciditur. Videtúrq; sermo interrogatione quadam proferẽdus, Gilead nónne ipse quoque ad vada Iordanis habitauit? Desine itaque Rubẽ id excusare quod male commisisti. *Sed Dan utquid habitauit in nauibus?* M Hæc de maritimis nauibus intelligi non possunt, quum sors Danitis iuxta mare non obtigerit: sed de nauibus Iordanis intelligatur oportet, non quasi Dan ad Iordanem penitus situs fuerit, verùm (quẽadmodum aiunt,) ita hæc tribus visis exercitib. pauore perculsa est vt sese in naues cóiecerit, quo trãsmitteret ad Rubenitas. Id autem quẽadmodũ turpe fuit & indecorum, ita nunc meritò culpatur. V Q. d. Si ille qui habitabat vltra Iordanem, venit in auxiliũ, cur Dan præ metu opes suas transtulit vltra Iordanem? *Aser sedit in portu.* V Vel, habitabat ad litus maris. V *Et in fracturis suis.* Fracturas vocat vrbes semidirutas. M Vituperatur etiam Aser qui videtur excusasse suam absentiam, primùm quòd admodũ procul, hoc est ad litus maris, degeret: deinde quòd ciuitates haberet semidirutas, parumque munitas, proptereàque vellet manere domi, vt ne discedens hostibus occupandorum suorum finium occasionem facilè præberet.

18 *Zebulun est populus qui expos.* M Laudantur hæ tribus quòd vitam suam pro nihilo duxerint, sese certæ morti (si iudicium humanum spectetur) exponendo, quum pauci & inermes contra multos & bene instructos bellum suscepissent. *Super altitudines agri.* M Vel, In excelsis campis. quòd ii milites in montem Thabor educti fuerint, ex quo loco vniuersum exercitũ aduersariorum oculis lustrare poterant: sed eo conspecto nequaquam ita sunt perterriti vt ab incœpto destiterint.

19 *Venerunt reges, pugnauerũt: tunc pugnauerunt reges Chenaan in Thaanach, & iuxta aquas Megiddo: desiderabile argentũ non acceperunt.*

20 *De cælo pugnauerunt: stellæ de viis suis pugnauerunt cum Sisera.*

21 *Torrens Cison scopauit eos, torrens antiquitatum, torrens Cison: calcasti ô anima mea [in] fortitudine.*

22 *Tunc quassatæ sunt calces equi à sono pedum, sono pedum fortium eius.*

19 *Venerunt reges.* M Reges venisse dicit, plur. num. quia Sisaræ permulti alii reguli fortassis erant adiuncti, qui etsi per seipsos non adfuerint, suos tamen exercitus illic habuerunt. Aut est singul. pro plurali. *Thanach.* M Thanaab & Megiddo flumina videntur fuisse in tribu Manasseh, quæ duo oppida eiusdem nominis iuxta se habuerint, non procul à monte Thabor. Exercitum itaque Sisaræ credendum est omnem planitiẽ occupasse quæ inter ista duo oppida intercipiebatur. *Desiderabile argentum non acceperunt.* V Id est, Nullo pretio, nulla pecunia patiebantur redimere se populum: sed tãtùm sanguinem volebant. Hoc signo Scriptura passim crudelitatem designat. M Sed possumus ita quoque hoc accipere, illos quidem venisse vt sese ditarent hostium præda, cæterùm id ex sententia non euenisse. Alii hæc verba subtilius interpretantur, hostes odio tam flagranti contra Israelitas laborasse vt lucrum prædæ minimè spectarint, verùm Sisaræ militarẽ cõtra Israelitas vel citra stipendiũ voluerint, hoc est (vt dicitur) suo cibo atque iumento.

20 *De cælo pugnauerunt.* M Quale fuerit hoc de cælis allatum subsidium nõ exponitur: verùm fieri potuit vt æstus immissus fuerit in hostes, vel grando, tonitrua & fulmina (vt Iosephus affirmat) Chenanæos afflixerint. V Sic sæpe Deus solitus fuit aliquando tonitru, terræmotu, imbribus &c. hostes populi sui per-

terrefacere & in fugam conuertere. *De viis suis.* [H] Hoc est, A suis gradibus & stationibus. ne quisquam arbitretur illas aut è cælo descendisse, aut à suo cursu desciuisse.

21 *Torrens Cison scopauit eos.* [H] Vel, Deuolnit eos. sed vt fit quum domus verritur ac purgatur scopis. tum enim quicquid immundū est cū puluisculo eijcitur. Tunc igitur torrens intumuit, qui alioqui tenuis esse consueuerat, & ita ad auxilium cæli & astrorum se adiunxit. *Torrens antiquitatum.* [V] Id est, De numero priscorum. Hoc est, priscus. [H] Quidam vertunt, Antiquorum, nimirum consiliorum: quòd ipse Deus à iactis mundi fundamentis illum torrentem ad id creasse ac destinasse vt in hac victoria sibi olim nauaret operā. *Calcasti, ô anima mea.* [V] Calcasti. sub. torrētem illum. Id est, Ego pedibus meis illum trāsiui fortiter & viriliter, citráque periculū. Q. d. Me verò mulierem infirmam non potuit in aduersam rapere. [H] Habet hoc factum nonnihil affine cum coersione Pharaonis, [H] si parua licet componere magnis.

22 *Tunc quassatæ sunt calces equi à sono pedum.* [H] Tertia calamitas accessit quod equorum vngulæ sint diffractæ & attritæ. *A sono pedum.* [V] Ad verbum, A calcationibus, calcationibus fortium eius. Id est, Propter crebras & frequētes concursiones equorū Sisaræ. [H] Præ incitatione ad saltandū & cutrēdum in eo concursu. [H] Videtur autem per sonitum vehementiam pariter & velocitatem cursus exprimere. Sic & poeta Latinus, Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

23 *Maledicite Meroz, dixit Angelus Iehouæ: maledicite maledicendo habitatoribus eius, quia nō adfuerunt ad auxilium Iehouæ, ad auxilium [inquam] Iehouæ contra fortes.*

24 *Benedicatur præ mulieribus Iahel uxor Heber Cinæi, præ mulieribus [quæ] in tabernaculo benedicatur.*

25 *Aquam postulauit, lac dedit: in phiala fortium obtulit butyrum.*

26 *Manum suam ad clauum misit, & dexteram suam ad malleum laborantium, emarssauítque Sisera: abscidit caput eius, & perfodit, & perforauit tempus eius.*

27 *Inter pedes eius incuruatus est, cecidit, dormiuit inter pedes eius: incuruauit [inquam] sese, cecidit ubi incuruauit sese, ibi cecidit vastatus.*

23 *Maledicite Meroz.* [H] Vrbem Meroz execratur, vicinā loco vbi pugnatum est, quæ suppetias laborantibus ferre noluerit, quum etiam ab eis rogaretur. *Dixit Angelus Iehouæ.* [H] Hoc ideo interponitur ne suo stomacho videatur indulgere, acsi diceret, Ipse Deus iis me iussit canere. [V] Vel, Angelus Iehouæ, qui per me loquitur. [H] Quidam autem per Angelum, Baracum intelligunt. & fortassis nō malè. Nam fieri potuit vt is ad eam ciuitatem eliciendam ad prælium proficisceretur: qui quum ciuiū eius volūtatem sic obfirmatam animaduerteret, impulsu diuini spiritus ad hunc modum eam sit execratus.

24 *Benedicatur præ mulieribus.* [H] Vt Meroz ciuitas est execrāda, ita Iahel vicissim commendanda. *In tabernaculo.* [H] Ita potest exponi, Ob id laudetur hæc mulier quòd in tabernaculo egit. Ita vt miro compendio vnius verbi Sisaræ occisio notetur, quæ non in castris contigit, sed in tabernaculo perpetrata est. Aut dicemus Iahelem celebrandam præ mulieribus in tabernaculo degentibus. Nam familia Kenæorum nequaquam domos verùm tabernacula inhabitabat. Proinde laudatur præ ōnibus mulieribus Kenæis, quæ tabernaculi vocabulo describuntur.

25 *Aquam postulauit, lac dedit.* [H] Lac dedit, quo facilius citiúsque consopiretur. *In phiala fortium obtulit butyrum.* [H] Nonnulli butyri mentionem fieri putant quia ex eo lacte secretum butyrum iam tum nō erat. Et sanè id genus lactis propinatum, copiosius hauritur, quū ad sitim suauitas potus accedat. [V] Alii repetentes nomē Lac, vertunt lac butyri. id est, ex quo expressum fuerat butyrum. Dicit autem id obtulisse in phiala fortium. Id est, In huiusmodi cratere in quo solēt bibere nobiles homines. [H] Vel magnates: qui poculis peramplis ac patētibus solent excipi. Volēs autem de industria mulier hunc prouocare ad largissimū potum, vsa est ad id aptis poculis. R. D. Kimhi hæc exponit quasi non tātùm potum sed cibū quoque dederit. Existimat enim, quum iam bibisset, mulierē ei butyrum quod ederet apposuisse. Quod si recipimus, phialæ vox expungenda erit, quū ea non ad cibum sed ad potum adhiberi soleat. Nisi vocabulo phialæ genus vasis intellexerimus in quo & ipsa cibos apponi soleat.

26 *Manum suam ad clauum misit, & dexteram suam ad malleum laborantium.* [V] Ordo turbatus est, pro Manus eius ad clauū & dextera eius ad malleum laborantium miserunt sese. Id est, Requisiuerunt. hoc est, arripuerunt. [H] Subaudiendum autem post Manus adiectiuū sinistra. Est verò pulcherrima hæc ὑποτύπωσις, qua res gesta oculis perspicuè subijcitur. *Laborantium.* [V] Id est fabrorum.

Inter pedes eius incuruatus est. [H] Describuntur quidā motus qui proprii sunt repentè ac violento mortis genere pereuntibus. accepto quippe grauissimo vulnere, ac iam propemodū exanimatus ex nimio dolore, corpus bis térue curuauit. Conabatur enim surgere, at viribus destitutus rursum cadebat, ac inter pedes Iahelis miserè iacebat. *Dormiuit inter pedes eius.* [V] Id est, Iacuit, Prostratus est mortuus. Q. d. Subitò concidit in terram mortuus. *Vastatus.* [V] Vel, Spoliatus. sub. vita. Q. d. Vno ictu interfecit eum.

28 *Per fenestram respexit & vlulauit mater Sisera, per cancellos [inquam] dicēs, Cur moratur currus eius venire? cur tardauerunt pedes quadrigarum eius?*

29 *Sapientiores principum eius responderunt, ipsa quoque seipsam solabatur [his verbis,]*

30 *Annon inuenerunt [&] diuidunt spolia? puella [una, aut] duæ puellæ capiti viri spolia discolorum ipsi Siseræ, spolia [inquam] discolorium acupicta. discolor ex utraque parte acupictæ in collum spolij.*

31 *Sic pereant omnes inimici tui Iehoua: diligentes autem te sint sicut oritur sol in fortitudine sua.*

28 *Per fenestram respexit & vlulauit.* [V] Vel, aspiciebat & vlulabat. [H] Dicitur mater Sisaræ, dum ille reditum suum differret, perturbata vel per fenestras vel per cancellos extra eas prominentes frequenter prospexisse, vt reuertentem videret. Atque id non absque vociferatione ac certa eiulatum fecisse, quasi ex mora quā trahebat, suspicaretur aliquid mali ei contigisse. Cæterùm longè meliori spe mulieres erant quæ illi astabant. moram quippe Sisaræ in bonam partem interpretabantur.

29 *Sapientiores principum eius.* [C] Mulieres principes sapientiores, quæ illi famulabantur. [H] At vetus interpres vertit, Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit.

30 *Annon inuenerunt.* [H] Summa consolationis erat, victoriam omnino stetisse à Sisara, differri autem reditum ob prædæ captæ distributionem, quæ, quum iam iustam esse oportuerit, nempe vt cuiq; detur pro cōditione, labore ac merito, quumque permulta sint post nobilem victoriam in tanto exercitu diuidēda, breui tempore fieri nequaquam possit. *Puella.* [H] Vox Hebraica רחם puellā non propriè significat, sed tamen ita vertendum est. quia mulier illa Iudæorum hostis de mulieribus Hebræis magno contemptu loquitur, & à pudendis partibus corporis nominat, nēpe ab vtero seu vulua. Est figura ἀστεϊσμός sed amarissima. Innuit enim illas impudicas esse & ad parū honestum vsum deputandas. Quūmque præmia nobiliora principibus & optima imperatori totius exercitus dari soleāt, ideo ait, In vnumquodque viri caput vna vel altera puella dabitur. Hoc est, Præda militum vulgarium erunt mancipia siue ancillæ: nostro autem Sisaræ præstantissima obuenient, versicolores inquam vestes & acupictæ. *Capiti viri.* [C] Hebraismus, pro Singulis. *Spolia discolorium.* [V] Vel, Spolia colorum. Id est, colorata. Q. d. Spolia colorata, infecta & tincta pretioso colore referet Sisara, spolia, inquā, exornata arte plumaria: & color, siue discolor. hoc est, vtrīque colorata & vtrinque acupictæ erunt in collum. hoc est, caput spolii. Id est, separabuntur vt dentur principi, nempe Sisaræ. Alii, Dabuntur collo spolii. Id est, principi exercitus.

31 *Sic pereant omnes inimici tui Iehoua.* [H] Epiphonemate pulchro carmen concluditur, idque ἀντιθέσει constat, Sic vniuersi hostes tui ô Iehoua pereant quemadmodum Sisera cecidit. Qui verò te diligunt, omni bonorum genere perpetuò augeantur, vt sol crescit ab ortu suo, quoad meridianis horis factus fuerit validissimus, seu à verno æquinoctio vsque ad æstiuale solstitium. Non reddidit (vt ἀντίθεσις requirebat) Diligentes autem te seruentur. Sed dixit, Augeantur & roborentur vt sol ab ortu vsque ad suam fortitudinem. [V] Ad verbum, Et diligentes eum erunt secundum egressum solis. Id est, Proficiant, suas sumant vires, quemadmodum sol, quum exoritur, subinde lucidior euadit. Hoc est, Subinde maiores ac clariores fiant, similes scilicet soli exorienti.

CANTICVM HANNAE, IN quo gratias agit Deo quòd ex sterili fœcundam eam reddiderit.

I. SAM. II.

c *Orauit autem Hanna, & dixit,* EXVLTAVIT [V] *cor meum*

in Iehoua, exaltatum est cornu meum in Iehoua: dilatatum est os meum super inimicos meos, quia læta sum in salute tua.

2 *Non est sanctus sicut Iehoua: quia non est præter te, nec est fortis sicut Deus noster.*

3 *Ne ergo posthac loquamini* | *verba* ˆ *superba* ˆ *neque egrediatur* | *verbum* | *arrogans ex ore vestro: quia Deus scientiarum Iehoua, & ipsi præparantur opera.*

1 *Orauit autem.* ˆ Q. d. Orauerat Hanna, hoc est, à Deo petierat filium: quem quia ab eo acceperat, nunc dicit, siue gratias agit. Aut, Precata est Deum Hanna vt acceptum haberet Samuelem: postea gratias egit de tanto beneficio accepto. *Exultauit.* ˆ Præt. Hebr. pro præsent, Exultat. *In Iehoua.* ˆ Vel, Per Iehouam. Id est, Authore Domino, siue beneficio Domini animus meus plenus est lætitia. *Exaltatum est cornu meum.* ˆ Cornu pro gloria vel robore, metaphora ab animalibus cornigeris sumpta, vt dictum est in Psalmorum enarratione. Q. d. Nunc materiem gloriandi habeo, ope tua, ô Iehoua. *Dilatatum est os meum super inimic.* ˆ Vel, Dilatauit se os meũ. Q. d. Habeo quod respondeam nunc inimicis meis, si obiiciant mihi sterilitatem meam: at prius habebam os clausum. ˆ Dilatauit se, inquit, os meum, vt alacriter canam illius clementiam, qua confudit non solùm æmulam meam, & ablegauit opprobrium meum, sed, &c. *In salute tua.* ˆ Vel, Per salutem tuam. Id est, Per tuum beneficium. Q. d. Quoniam maximum beneficium accepi à te, beneficio tuo fœcunda facta sum: vnde maximè lætor. ˆ Vel, In salute tua, id est, Quia dedisti filium talem qui hostes Israelis humiliabit & prosternet, vt sic plena gaudii, non in alia salute quàm ea quam Dominus fecit gloriemur.

2 *Non est sanctus.* ˆ Vel, Nullus est sanctus. Q. d. Nullus alius coli debet præter Dominum: nam est clementissimus, &c. Per sanctitatem intelligit misericordiam, clementiam, iustitiam & reliquas virtutes. *Quia non.* ˆ Vel, Imò nullus. q. d. Tu solus sanctus. *Fortis.* Vel Deus. Ad verbum, rupes. q. d. Et potentissimus.

3 *Ne ergo posthac, &c.* ˆ Ad verbum, Ne multiplicetis loqui sublime, egrediatur durum ex ore vestro. Idem bis dicit mutatis verbis. Heb. est fut. loco infin. Ne multiplicetis vt loquamini. Pro, Ne vltra loquamini. Pro sublime vertere potes arrogans ac superbũ. sub. verbũ. Geminatione substantiui significat frequentes fuisse & assiduos in effutiendis verbis superbis. nam etiã dicit, *Ne multiplicetis.* Præterea negatio quæ præcessit, secundo loco repeti debet. *Neque egrediatur, &c.* Durũ vocat superbũ & arrogans verbũ, quale est, Deum non esse omnipotentẽ, qui sterili posset dare conceptum. *Scientiarum.* Vel cognitionum. Id est, omnia nouit, cogitationes & opera hominũ. *Et ipsi præparantur opera.* Id est, ordine fiunt ab eo opera magnifica, hoc est, mirabiliũ operum est patrator ac designator. Alii vertunt, Et ipsi numerentur opera. id est, Ab eo ponderantur & examinantur opera omniũ. Legitur & לא, propterea quidã vertũt, & ˆ nõ numerantur opera eius, id est, nullo numero cõprehendi possunt opera eius. ˆ. Verti etiam posset, Ipsi præparãtur cogitationes.

4 *Arcus & fortes confracti sunt, & debiles accincti sunt robore.*

5 *Saturi pro pane se locauerunt: & famelici cessarunt, adeo ut sterilis pepererit septem: & quæ multiplicabat liberos, infirmata sit.*

6 *Iehoua mortificat & viuificat, descendere facit ad sepulchrum & ascendere facit.*

7 *Iehoua pauperem facit & ditat: humiliat & exaltat.*

8 *Suscitat è puluere pauperem, è stercore eleuabit mendicum, ut sedere faciat cum principibus, & solium gloriæ sortiri faciat eos. Iehouæ enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*

4 *Arcus & fortes, &c.* ˆ Ita vertendum est, non autem Arcus fortium, docet Grammatica. Sensus igitur est, Arma nihil prosunt fortibus: nam qui modò videbantur superiores, statim vincuntur: & contrà, qui prius videbantur penè victi ac superati, tandem euadunt superiores, ita volente Deo. ˆ Arcus, id est, intentio eorum qui tam potentes sibi videntur vt Dei adiutorio opus non habeant. *Et debiles.* Vel, Et infirmi accinxerunt se robore, vel viribus. Id est, qui videbantur esse multo inferiores, superant viribus. ˆ Idem quod cecinit Virgo Maria, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

5 *Saturi pro pane se locauerunt.* ˆ Q. d. Qui prius vescebantur ad saturitatem vsque, laborarunt inopia vsqueadeo vt pro victu habẽdo locauerint operam suam. *Cessarunt.* Vel, Desierunt. sub. locare operam suam. Id est, Qui fame penè conficiebantur, habuerunt quod ederent. Annumerat se inter gentes Hanna, quòd ante Dei beneficium esset sterilis. *Adeo ut sterilis.* Id est, Quæ prius erat sterilis, multos liberos habuit: quæ verò multos habebat liberos, facta est tandem orba & sine liberis.

6 *Mortificat.* Id est, Dominus interficit quos vult, & seruat à morte quos vult: facit aliquando vt quis ita morbo laboret vt de vita eius desperetur, & iam penè sit in sepulchro, quem tamẽ sanat. Bis idem dicit mutatis verbis. Quidam pro sepulchro inferos vertũt. Deus est dominus vitæ & necis. Potest hic versus intelligi de diuersis, vel de vno, vt etiam sequẽs versus. Interficit vnũ, alterum autem sanat, de cuius vita desperabatur. Vel, Istum interficit, & eundem reuocat ad vitã. *Descendere facit, &c.* Vel, Deducit ad inferos & reducit.

7 *Pauperem facit, &c.* ˆ Id est, Author est diuitiarum & paupertatis. Chaldæus paraph. intelligit hoc canticum tanquam prophetiam: propterea omnia vertit per futurum. *Humiliat.* Vel, Deprimit, deiicit. Id est, quem vult deprimit, & de gradu deiicit: eundem, si lubet, afficit honoribus.

8 *Suscitat e puluere.* Vel, Erigit è puluere. Id est, de gradu siue ordine infimo. *Pauperem.* Significat hominem tenuis fortunæ. ˆ. Erigit & eleuat. sicut me contemptam & abiectam erexit & extulit. *E stercore.* Id est, E sordibus. hoc est, E statu sordidissimo eleuat egenum. *Vt sedere faciat cum principibus.* Vel, Vt collocet eum, &c. Id est, Vt clarum & nobilem reddat. *Et solium gloriæ, &c.* Vel, Et solium gloriæ possidere faciat illos. Id est, illum. acsi dicat, vnumquenque eorum. Hoc est, constituit eos in honoribus & summis magistratibus. *Cardines.* Vel, Colũnæ. Id est, Creauit Dominus ac fundauit terram, estque dominus eius, atque omniũ quæ in eo sunt. *Exposuit super eos orbem.* Vel, Et suffulcit illis orbem.

9 *Pedes piorum suorum seruabit: ac impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine roborabitur uir.*

10 *Iehoua conterantur litigantes cum eo, super ipsum è cælis intonabit: Iehoua iudicabit fines terræ, & dabit fortitudinem Regi suo, & exaltabit cornu Christi sui.*

9 *Pedes piorum suorum ser.* ˆ Vel, Sanctorum suorum pedes seruat. Id est, pios qui ipsum colunt. Fut. Heb. pro præs. *Conticescent.* Vel per præsent, conticescunt. Id est, intereũt ac pereũt. *Non in fortitud. robor.* Vel, Non in fortitudine roboratur quisquam. Id est, Nemo seipsum seruare potest suis viribus.

10 *Litigantes cum eo.* ˆ Sub. Samuele. Quidam Hebræorum dicũt hic Hannã precari pro filio suo, & simul pro Israele quẽ iudicaturus erat, vt Dominus conterat aduersarios eius. Quod factum fuit quum Dominus intonuit voce grandi super Philisthæos, qui Israelem aggressi fuerant, 1. Sam. 7. c. 10. Alii vertunt, Iehouæ conterantur rixæ eius. vel, frangantur litigantes eius. Id est, qui cum eo disceptent & rixantur, aut contendere volunt. Eodem sensu alii, Aduersarii Iehouæ frangẽtur. Id est, exterminabuntur & peribunt. *Super ipsum.* Sub. litigantem, rixatorem & aduersarium. Sing. pro plur. super illos. Id est, tãgẽtur illi de cælo. *E cælis.* Alii ad verbum, in cælis. *Iudicabit fines.* Id est, Iudicaturus est omnes homines. Vel, (vt sit fut. pro præsẽti) Iudiciũ exercere solet in omnes qui sunt in orbe terrarum, quando vult. De extremo iudicio interpretantur nonnulli, alii de tempore Messiæ. ˆ. Q. d. Dominus etiam errores, impietatẽs, violentias, luxum & fastum totius mũdi iudicabit, populos gentium toto orbe per Euãgelium Christi Domini, per regnũ Messiæ eliminatis flagitiis subiugabit sibi. *Regi suo.* Id est, reddet fortem Regem suum. Etiam Chaldæus paraph. hũc locum de Messia intelligit. q. d. Dominus muniet Messiam & illum gloriosissimum & potentissimũ faciet. *Cornu* pro gloria, vt primo versu.

CANTICVM ESAIAE, IN quo populi Israelitici statum describit, vt agnitis vitiis suis ad resipiscentiam excitetur.

ESAIAE CAP. V.

CANTABO, *agedum, pro dilecto meo, canticum dilecti mei ad uineam suam. Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei.*

Cantabo, agedum, pro dilecto meo. ˆ Alterius hic Prophetiæ exordium est (quod vel ex ipso titulo liquet) qua denunciatur excidium Iudæorum, & contemnentium verbum Dei. Et exposita est à Domino nostro Iesu Christo, Matth. 21. a. 33. Voluit Esaias statũ populi Israelitici, qualiscunque erat, describere, vt omnes vitia sua agnoscerent, atque ita pudore & displicentia sui eos seriò resipiscentiæ studio afficeret. Hic enim, velut in speculo, populus conditionis suæ miseriam potuit contemplari. Placebat autem alioqui sibi nimium in vitiis, neque monitiones vllas æquo animo sustinebat. Quamobrem suam illi fœditatem palàm & velut in tabula mõstrari oportuit. Et quo plus haberet authoritatis, hac præfatione vsus est: quoniam res insignes & præclaræ carmine describi solebant, vt omniũ ora circũferretur, & perpetuũ extaret eorũ monumentũ. Quẽadmodũ à Mose descriptũ esse canticum videmus Exodi 15. a. 1, & Deut. 32. a. 1, & alia pleraq; vt priuatim & publicè omnia his vocibus personarẽt. Sic enim celebrior fit doctrina quàm si simpliciter traderetur. Hac igitur ratione Esaias cãticũ hoc compo-

fuit vt populo fœditatem magis conspicuam faceret. Nec verò dubium quin ista magnificè & magis sonora voce tractarit, sicuti etiam magis exquisito artificio carmina componi solēt. *Dilecto meo.* [h] Vel, Amico meo. [b] Deum ipsum intelligit: acsi diceret, carmen se in Dei gratiam compositurum, quo expostules de populi ingratitudine. Plus enim energiæ habuit inducere Deum loquentem. Vocat autem Esaias Deum dilectum, siue amicum, quia quum amicis Sponsi commissa sit Ecclesia, hic titulus Prophetis meritò conuenit, quando illis mandata fuit cura veteris populi, vt sub capite suo contineretur. Eos igitur zelotypos fuisse mirum non est, atque indignè tulisse quum populus aliò animi sui affectū conferebat. Prodit igitur Esaias in persona Sponsi, & vt anxiè solicitus de Sponsa quæ ipsi commissa est, conqueritur quòd ea fidem coniugalem abruperit: eiúsque perfidiam & ingratitudinem deplorat. Hinc agnoscimus non tantùm Paulum Sponsæ Dei zelotypum fuisse, (2.Cor.11.a.2.) sed etiam Prophetas omnes ac doctores, quotquot fideliter Domino seruierūt. Atque hic titulus omnes Dei seruos vehementer pungere ac expergefacere debet. Quid enim magis pretiosum homini quàm vxor? Vir profectò recti animi omnes ei thesauros posthabebit, & facilius alicui facultates suas quàm vxorem committet. Fidelissimum certè eum necesse est apud quem coniugem vnicè sibi charam deponet. Dominus autem pastoribus & ministris Ecclesiam suam, velut charam coniugem, committit: quanta igitur erit nequitiæ eam ignauia & negligētia nostra prodere? Quisquis eius conseruandæ studio non ardet, nullo prætextu excusari potest. *Canticum.* [h] Vel, Carmen. [c] Canticū hic parabola dicitur. Nam Propheta rem memorabilem dicturus, vt magis attentos nos faciat, & auditores conuocet, parabolam canticum vocat. Olim res maximas carminibus complectebātur (sicuti iam diximus) vt perpetua illarum seruaretur memoria. Et habet quidem parabola hæc rationem amatorii carminis: (audis enim de dilecto & diligente, & dilectionis beneficia) verùm lugubre carmen est & tragœdiæ quàm comœdiæ similius. Exorditur à beneficiis, & satis iucundo principio, desinit autē in tristem exitum, quem scilicet merentur ingrati omnes, qui neque saltant si suauia eis canuntur, neque plorant si lamenta audiāt, Matt. 11. b. 16. *Dilecti mei.* [c] Quidam vertunt, Patrui mei, vel patruelis mei: alii, cognati mei. sed eadē est significatio cum priore, tametsi primam syllabam mutat Propheta. Nam plus licētiæ poetis quàm aliis scriptoribus concedi oportet. Sic igitur composuit istas voces, & ad eas allusit, vt earum sono & rhythmo memoriæ consuli posset, iisque animi alliceretur. [h] Poterat Esaias argumentum hoc tractare seria & consueta concione: verùm quoniam Iudæi rem admittebant indignissimam, voluit illam cantico reddere vulgatam, & perpetuo probro obnoxiam. Etenim quæ talia sunt vt perpetuam memoriam mereantur, dignáque sint quæ vel laudis vel probri gratia in ore omnium versentur, in cāticum redigi solent. *Ad vineam suam.* [v] Quidam, Vineæ suæ. Alii, De vinea sua. Alii, Propter vineam suam. *Vinea fuit dilecto meo.* [a] Vel, Vineam habuit dilectus amicus meus. [o] Primùm parabolā proponit, & illam deinde explicat. [c] Similitudo vineæ satis frequens est Prophetis: nec certè ista comparatione alia aptior reperiri potest. Ea enim ostendit duobus modis quanti Dominus Ecclesiam suam æstimet. [a] Nam neque vlla possessio vinea pretiosior est, & nulla etiam plus operæ & assidui laboris flagitat. Non tantùm igitur pretiosam sibi nos hæreditatē esse docet, sed simul curam & solicitudinē erga nos suam commendat Dominus. Initio cantici Propheta commemorat beneficia quæ Dominus in populum Iudaicum contulerat: deinde explicat quanta fuerit populi ingratitudo: tertiò pœnam quam sequi oportuit: quartò vitia populi enumerat, quia nunquam homines vitia sua agnoscunt, nisi coacti. [o] Sed dicet quis, Annon Deus Dominus est omnium populorum? annon Psaltes dixit, Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo? (Psal.24.a.1.) Quid igitur hic habuisse dicitur vineā vnā, acsi reliquæ nationes nihil ad eum pertinerent? Responsio. Obseruandū est quòd ea quæ negligimus, & non singulari cura tractamus, quasi non habemus. Ita & Dominus nouit qui sint eius, (2.Tim.2.c.19) & proprias oues habet (Ioh.10.a.3) illas scilicet quas maiori studio fouet. Ita & populus Iudæorū, peculiaris populus Dei fuit, cui solus notus Deus, iacente interim in tenebris vniuerso mundo. Quare non immeritò confertur hic populus vineæ Domini. *In cornu filio olei.* [v] Hoc est, In loco sublimi & valde pingui. [a] Initiū hoc prædicat quòd Deus populum in beata statione locauerat, perinde acsi quis in colle amœno & fertili vineam plantet. Nā per vocem cornu locum editū & qui supra planitiem eminet, intelligere debemus. vulgò dicimus *un coustau.* Sunt tamen qui ad situm Ierosolymæ referant, quòd celsior esset cæteris terris: sed hoc frigidum est & coactum. Potius ergo allegoriam suam contexit Propheta: & quòd Deus populum hunc dignatus est in suam curam & custodiam suscipere, gratiam hanc plantationi vineæ comparat. Melius enim in collibus & altioribus locis quàm in planitie vites cōseruntur. Et quēadmodum ait ille, --apertos Bacchus amat colles, Aquilonē & frigora syluæ. Allusit igitur ad naturalem serendæ vineæ rationem: deinde similitudinem persequitur, non vulgarem fuisse positum huius loci. Nam filium olei vocans, vel pinguedinis, vberem & maximè feracē intelligit. [h] Ergo in cornu filio olei, id est, pingui adeo acsi natus esset ex oleo. Sic laudat agrum illum in quo plantata fuerat vinea, à situ loci, & à bonitate soli. [c] Quidam hoc ad fœcūditatē terræ promissionis restringunt, quòd sit alta & fluens lacte & melle: verùm Propheta potius fœlicē populi statum metaphoricè describere voluit.

2 *Eam sepiuerat, & elapidauerat, & plantauerat, vt vineam electam: turrim ædificauerat in medio eius: & torcular in eo construxerat. Itaque sperauit vt produceret vuas, & produxit labruscas.*

Eam sepiuerat & elapidauerat. [v] Alii, Et sepiuit eam, & lapides collegit ex ea. Alii, Et fodit eam. Id est, coluit. [h] Primùm exponit Vates quàm diligenter vineam hāc amicus suus coluerit, vt meritò optimas vuas ex illa sperare potuerit: deinde quàm illa degenerādo spem illius fefellerit. [c] Eam, inquit, sepiuerat: acsi diceret, Nihil ab eo fuit prætermissum quòd requiri possit ab optimo patrefamiliàs & maximè prouido. *Et plantauerat.* [c] Videtur inuersus esse ordo, quia à plātatione initium potius fieri debuit quàm à sepimento. Sed ita resoluenda sunt verba, postquam plantauerat, necessaria quoque omnia addidisse. *Vt vineam electam.* [h] Q.d. Non simpliciter plantauerat eam, sed plantauerat in vitem electam. Id est, Ex vite electa & optima, ne qua culpa dari possit generi & origini. *Turrim ædificauerat in medio eius.* [h] Vsus illius erat vt esset specula custodi vineæ, vnde ad omnes illius terminos prospicere, cautéque posset ne qua in illam vel hominum vel bestiarū fieret irruptio, vnde illi detrimenti aliquid inferretur. *Et torcular in eo construxerat.* [v] Vel, Exciderat, Fabricauerat. [h] Ad exprimendum liquorem vuarum. Erat hoc argumentum spes de fertilitate vineæ cōceptæ. Q.d. Nihil addubitabat de fructu illius, sed bene sperans excidit in ea torcular. [c] Nolumus (sicuti nec est necesse) singula arguitè prosequi, aut allegoriis curiosius ludere: quia simplex fuit Prophetæ consiliū, ostendere Deum optimi agricolæ partibus sedulò & liberaliter fuisse defunctū. Interim Iudæos secū expendere oportuit quot & quàm variis Dei beneficiis exculti essent. Et hodie, proposita vineæ & Ecclesiæ similitudine, debemus has figuras transferre ad Dei beneficia quibus & amorem erga nos suum & salutis nostræ curam testatur. Ergo quum tanta fuerit patrisfamiliàs assiduitas & diligentia, non immeritò Iudæis exprobrat ingratitudinem & perfidiam, quòd dignos tam laboriosa cultura fructus non protulerint. Quod ne etiā nobis exprobret Dominus verendū est. Quo enim maioribus beneficiis ornati fuerimus à Deo, eo fœdior ingratitudo nostra futura est si iis abutamur. Non abs re suos ornat Dominus, vel vt speciem quandam inanem præ se ferant: sed vt vuas, id est optimum fructum, producāt. Quòd si frustrētur eum sua expectatione, sequetur pœna quæ hic à Propheta prædicitur. Proinde commemoratio beneficiorum nos vehementer commouere & ad gratitudinem stimulare debet. Præterea nomen vineæ, præsertim à Deo cultæ, tacitam antithesin continet. Nam eo pluris facienda sunt beneficia Dei quo minus vulgaria sunt, sed peculiaris beneuolētiæ pignora. Hæc promiscua sunt, quòd malos æquè ac bonos sole suo illustrat, iísque suppeditat quæ ad victum & cultum necessaria sunt, Matth.5.g.45. sed fœdus illud gratiæ quod nobiscū init, quo nos Euangelii luce illuminat, quanti fieri debet quū eo potissimum suos dignetur? Cura ergo & diligētia quam assiduè excolendis animis nostris adhibet Dominus, potissimū considerāda est. *Itaque sperauit vt produceret vuas.* [v] Audiuimus diligentiam & spem coloni, audiamus nunc quomodo opera perdatur & spes eluditur. [a] Cōqueritur enim hic Propheta, populum, qui tanta præstantia donatus fuerat, indignè ac turpiter degenerasse, eumque accusat quòd Dei beneficentiæ nō respōderit. Nā pro suauibus vuis dicit tātùm vitiosos & amaros fructus tulisse. Certū quidem est Deū, sub cuius oculis sunt omnia, spe sua non falli instar mortalis hominis: imò in cāntico Mosis palam declarat, qualis futura erat populi prauitas, sibi ab initio non fuisse incognitum. Dilectus meus (inquit) vbi bene & pinguiter fuerit saginatus, recalcitrabit, Deut.32. c.15. Nō ergo magis in Deū cadit dubia spes quàm pœnitētia. Nec verò hic subtiliter disputat Esaias quid apud se Deus expectauerit, sed qualiter se gerere debuerit populus, ne tam præclara dona in nihilū redigeret. Sic Euāgeliū iubet Deus promulgari in obedientiā fidei, nō quòd expectet ab omnibus obsequiū, sed

quia solo auditu increduli redduntur inexcusabiles. Cæterùm nihil est quod ad studium piè ac sanctè viuendi magis nos animare debeat, quàm dum Spiritus sanctus quæ Deo præstamus officia, optimi saporis fructibus cóparat. *Et produxit labruscas.* [a] Id est, vuas similes vuis labruscæ. Hoc est, acerbas ac insuaues. [b] Labrusca est quæ à Græcis dicitur ἄμπελος ἀγρία: & à Latinis vitis erratica. Nascitur in marginibus terræ & sepibus. Nomen germinis huius positum est pro fructibus illius. Magna verò vineæ huius malitia. Non dicit, Et nullas vuas protulit: sed, Et protulit labruscas. Non modò nó protulit fructum & naturæ suæ & generi & studio cultoris competenté, sed protulit acerbum, à natura & genere suo alienum, & studio cultoris sui contrarium. Sic malitia ista vineæ non potuit nec bonitate germinis, nec diligenti cultu, nec commoditate loci, neque pinguedine soli. Proponitur hic in imagine spectanda insignis malitia ac degeneratio populi Iudaici, qui intuitu in bonitatem sanctæ originis, & in summam diuinæ dignationis ac curæ diligentiam, non modò non protulit fructus populo sancto conuenientes, sed (quod stupendum est) protulit prorsus alienos, quales proferri solent à labruscis, vitibus agrestibus & erraticis: à gentibus videlicet impiis, & à cultu diuino alienis. Ipsi à declarabitur quænam fuerint illæ labruscæ.

3 *Nunc igitur habitator Ierusalem & vir Iehudah iudicate inter me & vineam meam.*

Nunc igitur habitator Ierusalem. [a] Vel, iam nunc. Vel, quæso. Descripta plantatione & sterilitate vineæ, sequitur nunc excidium eiusdem. [b] Proponit diiudicandum, idque non vni aut alteri, aut selectis quibusdam, sed communi omnium iudicio, cum ipsam Ierusalem, tum terram Iehudah inhabitantium. [c] Atque ita eos ipsos quibuscum litigat, iudices constituit suæ causæ, quemadmodú fieri solet in rebus apertis, & magis conuictis quàm vt aduersarius tergiuersari queat. Summæ igitur fiduciæ signum est quòd iubet reos ipsos pronúciare annon ita res habeat. Nam paulopost clarius exprimet in ipsos dirigi accusationem quibus nunc iudicium defert. [b] Sic Nathan Propheta Dauidem induxit vt aduersus seipsum sententiam condemnationis proferret, 2.Sam.12.a 5.6. Et Christus, quum parabola consimilis argumenti primores Ierosolymitarum perstringeret, subiecit parabolæ, Quú ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Responderunt ii ipsi quos sub nomine agricolarum redarguebat, Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis, Matth.21.d.40. Atque ita condemnabant se ipsi. [a] Vide, item Luc.7 f.41. & Iohan.18.d.21, & Act.4.d.19. *Habitator Ierusalem.* [b] Singulariter loquitur, postulans non simpliciter omnes, sed & vnumquenque. Erat enim causa hæc sic comparata vt non vereretur eam omnium subiicere iudicio: quemadmodum solent qui se habere iudicát causam sic manifestam vt nihil illi insit obscuri, sicque iustam & æquam vt à nemine possit improbari. *Iudicate.* [b] Deus iustitiam suam manifestá facit, probans multis quàm iure puniat, ne quis eum nimiæ seueritatis arguat. [c] Decernite (inquit) quid vobis videatur de me & vinea mea.

4 *Quid faciendum fuit amplius vineæ meæ, quod non fecerim ei? quomodo expectaui vt proferret vuas, & tamen produxit labruscas.*

Quid faciendum fuit amplius vineæ? [c] Quærit primò quid desiderari possit ab optimo agricola aut patrefamilias quod non ipse præstiterit vineæ suæ. [b] Q.d. Iudicate inter me & vineá meam, satisne diligenter illam coluerim, vt faceret fructus bonos: vel debuerimne adhuc aliquid illi facere quod non fecerim, atque ita culpa eius quòd labruscas attulit, mea sit non ipsius. Audistis quid illi fecerim, ac vicissim quid ipsa protulerit: iam ferte sententiá. Non potest causari quòd plantata sit in loco iniquo & solo arido, quòd exposita sit bestiis, sine sepe & necessaria custodia, quòd traducta sit de semine non electo, sed reprobo, quòd nó sit elapidata, sed neglectim habita, quòd fossuras non acceperit, neque sit suis temporibus putata. Quare pronunciate vos cuiusnam culpa, sua an mea, pro vuis protulerit labruscas, & quid illi iam facere debeam. [c] Sanè nihil non feci quod ad curam huius vineæ pertinebat, atque nihil minus expectare debebá quàm vt faceret labruscas. Nónne igitur meritò punienda est? *Quomodo expectaui vt proferret vuas.* [c] Ex assiduitate & vigilantia sua colligit nihil esse excusationis quòd indignè fraudatus sit suo labore. Quanquam hoc membro videtur secum expostulare quòd fructum aliquem gratum vel acceptabilem à tam scelerato populo expectauerit. Vt quum expectationi nostræ euentus non respondet, conquerimur ipsi nobiscum atque indignamur nos malè operam locasse apud ingratos, quorum prauitas nos cohibere debuerat: & fatemur nos meritò delusos, quia nimis fuerimus creduli & faciles. Simplicior tamen hic erit sensus, Quum omnibus officii partibus defunctus fuerim, & superauerim omnium vota in vineæ meæ cultu, quî fit vt tam iniquam mercedem mihi rependat, & pro fructu ipsam meram proferat amaritudinem? Siquis obiiciat, remedium fuisse in manu Dei, si eorda populi flexisset, friuola est quo ad ipsos homines tergiuersatio: quia eos constringit sua conscientia ne culpam transferendo elabi queant. Erit enim efficaciter nó penetrat Deus Spiritus sui virtute in corda hominum vt eos sibi morigeros reddat, frustra tamen obstrepent hoc sibi defuisse, quando omnem ignorantiæ prætextum satis superque tollit externa vocatio. Neque etiam hic de potentia sua loquitur Deus, sed negat se plus debuisse quàm præstiterit. [b] Sunt itaque duo hic obseruanda. Vnum est, non deesse Deum officio suo. Officium autem illius est omnia præstare populo suo quæ illi sunt necessaria. Præstitisse se illa protestatur, non hoc tantùm loco, sed & Ierem.2.a.5, quum dicit, Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quòd elongauerunt se à me, & ambulauerunt post vanitatem? &c. Et iterum, Popule meus, inquit, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Mich.6.a.3. Alterum est, condemnationem nostri fore in eo quòd gratiam hanc diuinæ prouidentiæ vel non amplectimur, vel malè collocamus, vt nulla nobis relinquatur excusatio.

5 *Et nunc ostendam agedum vobis quid ego facturus sim vineæ meæ, Auferam sepem eius, vt sit in depastionem. Interrumpam maceriam eius, vt sit in conculcationem.*

Et nunc ostendam agedum vobis. [a] Quidam vertunt, Et nunc indicabo vobis. Alii, Exponam itaque vobis. Ad verbum, Scire facio nunc vos. [c] Quia Iudæos quasi proprio ipsorum ore damnatos tenet, simul adiúgit se fore vltorem contéptæ suæ gratiæ, vt impunè non effugiant. Neq; enim satis ad ipsos mouendos valida fuisset exprobratio, nisi pœnam simul minatus esset. Denuntiat ergo nunc non fore inultú tantum scelus, quòd improbè ab ipsis delusus fuerit. [b] Ostendam, inquit, vobis, vt sit et probrum coram omnibus. Noluit benedictionem, induat maledictionem: noluit misericordiam, experiatur seueritatem: non agnouit me Deum in beneficiis, confiteatur in suppliciis. Atque ego ipse hæc facio, iam sententia lata est, vnde & ita certò faciam acsi iam facerem. Quòd autem dicit se illis ostensurum quid facturus sit vineæ suæ, pro more suo id facit. [b] Non enim solet facere iudicium quo pœnas sumat de populo peccatore nisi prius mittat Prophetas suos, per quos ostédat quid sit facturus, præmoneátque & ad resipiscentiam vocet delinquentes, sicuti legitur, Quia non facit Dominus quicquam nisi reuelauerit secretú servis suis Prophetis. Vnde intelligimus eú haud delectari perditione peccatorum, sed malle vt præmoniti resipiscant & seruentur. *Auferam sepem eius vt sit in depastionem.* [a] Ad verbú, ad depascendú. Id est, Depascentur eam homines vel animalia. [c] Huius vindictæ summa est, donis quibus abusi fuerant Iudæi, priuatum iri, vbi Deus non modò subtraxerit suam tutelam, sed hostibus expoliandos exposuerit. [c] Q.d. Sicut prouexi eam beneficiis, ita humiliabo. Sepius, nunc amouebo sepem, vt ingrediantur bestiæ & conculcent, vt nihil viride habeat. *Interrumpá maceriá eius, vt sit in conculcationem.* [a] Vel, Diruam, rumpam. [c] Ostendit quàm misera futura sit Iudæorum conditio, vbi sua liberalitate eos fouere desierit. Vnde sequitur, quòd hactenus salua & integra steterit, singulari Dei beneficentiæ debere acceptum ferri. Imò admonet quam variis adminiculis fuerit seruata, & quàm multa media ad eam perdendam intus & foris Deo suppetét. Nam & ablato eius præsidio prædam obuiis quibusque tam bestiis quàm hominibus fieri necesse est. Diruta, inquit, maceria, calcabunt eam ac depascent pecora, vastabunt ac diripient prædones: atque ita deserta reddetur.

6 *Faciam vt sit deserta: non putabitur, neque fodietur: & ascendet sentis & spina. Quinetiam nubibus præcipiam ne super eam pluant.*

Faciam vt sit deserta. [a] Alii vertunt, Ponámque eá in desolationem. Id est, desolatam. Alii, desertá, vastam. *Non putabitur, neque fodietur.* Putatur vinea ne excrescédo & luxuriádo (ad quod prona est) pereat. Tollitur illi non modo inutile sed & noxium lignum, quod præterquam quòd nó fructificat, nocet etiam fertilitati. Foditur etiam, quo humectatio facilius pertingat ad radices. Deus verò hic dicit se fodiendo & putando operam minimè daturum, vt vinea sterilis etiam culturæ inopia reddatur. *Et ascendet sentis & spina.* [a] Sing. pro plu. Sentes & spinæ ascédent, quæ scilicet palmites eius suffocent. [b] Hoc est, habitabunt in illa gentes impiæ & immundæ. Eiusmodi sentes, vepres ac spinas & Christus minatur illis, dicens, Et Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationú, Luc.21.e.24. *Quinetiam nubibus præcipiá ne super eam pluát.* [c] Vinea cœlitus accipit pluuiam vnde humectetur: ergo si Deus pluuiá arceat, radices

vineæ temporis progressu arescent, & tota inutilis reddetur. Hinc iam perspicimus quàm multiplicibus armis instructus sit Deus ad vlciscendam nostram ingratitudinem, vbi suam beneficentiam contemptui nobis esse viderit. Pergit quidem in sua metaphora Esaias, & quo plus sibi attentionis conciliet, figuris orationem suam exornat: simpliciter tamen colligendum est, sicut innumeris beneficiis assiduè nos Deus prosequitur, ita solicitè cauendum esse ne eorum contemptum, nunc hoc nunc illud subtrahendo, vlciscatur. Quantum verò ad Ecclesiæ regimen spectat, quo pluribus indiget subsidiis, eo etiam pluribus pœnis obnoxia est, si perperam corrumpat quæ diuinitus ordinata sunt in eius salutem. Nec verò mirum est si tot hodie incommoda vastitatem & solitudinē minentur. Quicquid enim mali nobis accidat, seu deficiat doctrina, seu præualeant improbi, siue obrepant vulpes & lupi in Ecclesiā, hoc totum tribuere conuenit ingratitudini nostræ, quia fructum non reddidimus qualem decebat, fuimusque desides & otiosi. Agnoscamus ergo iram Domini, quoties meritò tantis beneficiis, quæ sponte offerebat, priuamur. [h]Porro in terrena rustica vitiū videre licet quid faciat diligens & competēs vinitor, ac quanti sit opus illius faciendum. Facillimū esset Deo serere ac fœcundare vitem sine vlla humana opera, restringere illius luxuriē sine putatore, incrementum pluuiæ radicibus illius insinuare sine fossore: verùm sic ista administrat vs virtuti cælestis incrementi adiumentum ferri à vinitore, illumque cooperatorem suum habere velit. Huc allusit Apostolus, dicens, Dei sumus coadiutores, Dei agricultura estis, 1. Cor. 3. b. 9.

7 Sanè vinea Iehoua exercituū, domus Israel est: & vir Iehudah, palmes eius delectabilis. Inde expectauit iudicium, & ecce oppressio: iustitiam, & ecce clamor.

Sanè vinea Iehoua exercituum. [o]Nunc Scriptura seipsam explanat. [a]Hactenus figuratè loquutus est Propheta: nunc ostendit quorsum illud canticū pertineat. Prius detulerat iudicium Iudæis: nunc demonstrat ipsos non tantùm reos esse, sed etiam conuictos teneri. Nec enim ignorare poterant beneficia quæ acceperant à Deo. Vineam (inquit Psalmographus) transtulisti de Ægypto, eámque expulsis Gentibus plantasti, Psal. 80. b. 9. Aperta autem & conspicua erat ingratitudo. [z]Ergo vinea ista, inquit, de qua tam multa, domus Israel est. [a]Per domū Israel, decem tribus intelligit quæ peculiariter Israel dicebātur, & per virum Iehudah, tribū Iehudah, Ierusalē scilicet & populum terræ illius. Complexus est hac diuisione cunctas tribus populi Israelitici. [c]Porro non prosequitur Esaias omnes similitudinis partes, nec erat necesse. Satis enim fuit demonstrare finem in quem similitudo illa spectabat. Totus populus vinea fuit: viri singuli, palmites. Ita vniuersum populū corripit ac deinde vnūquemq; priuatim accusat, vt nemo possit se ab vniuersali condemnatione eximere, quasi secum minimè expostulatum esset. Cur vinea vocetur populus satis perspicuum est: quoniam Dominus eum elegit & dignatus est fœdere gratiæ & æternæ salutis, innumerisque beneficiis prosequutus est. Initio est plantatio, sequitur deinde cultura: adoptatus est ille populus, omnibusq; rationibus excultus à Deo. Nec enim sufficiebat adoptio nisi eum assiduè Dominus excoluisset, beneficiisque suis ornasset. Eadem apud nos doctrina hodie valere debet. Testatur Christus se vitem esse, in quē insiti excolimur à Patre, Ioh. 15. a. 1. Quum munus agricolæ erga nos obire dignetur Deus, ac sedulò præstare quæ se in populum veterem contulisse exprobrat, non mirum est grauiter excandescere si frustra & inutiliter operam consumat. Hinc illa comminatio, Omnem palmitem in me non ferentem fructum auellet, ac in ignem proiiciet, Ibidem, a. 2. *Et vir Iehudah palmes eius delectabilis.* [x]Alii vertunt, Et vir Iehudah plantatio lætitiarum eius. Vel, delectationum, voluptatum: id est, plāta gratissima. [y]Hoc pulchrè conuenit Christo, ex Iehudah suo tēpore prodituro. Est enim planta qua Deus summus agricola plurimum delectatus fuit. *Inde expectauit iudicium.* Alii paulo apertius, Expectauit autem Deus vt facerent iudiciū. [z]Incipit absq; figura narrare quā impiè degenerauerint Iudæi, apud quos spreta æquitate & iustitia grassatum est omne iniustitiæ & violētiæ genus. *Et ecce oppressio.* [&]Alii, plaga lepræ. Id est, plāta illa est infecta lepra: hoc est iniustitia. *Iustitiam, & ecce clamor.* [y]Sub. eorū qui opprimūtur. [c]Nā clamorem & querimoniam eorum qui per vim & iniuriam opprimuntur, intelligit: quæ audiri non solet vbi redditur cuique quod suum est. [r]Elegās autem in vocibus paronomasia, & pulchra vocabulorum allusio, quam Hebræi vocant politiem vel nitorem linguæ, coniunxit enim Vates משפט cum משפח & צדקה cum צעקה [c]quæ quū idē ferè sonēt, cōtraria tamen significant. [u]Respicit autē ad officia principū, seniorū ac iudicū. nam hoc potissimū voluit hoc cātico perstringere. Duo itaq; enumerat quæ præcipuè requirit Dominus à populo suo, vt sunt veri fructus timoris Dei. Etsi enim præcedit ordine pietas, eam tamen ab officiis secūdæ Tabulæ describi, absurdum non est. Inde ergo Dei contemptus meritò coarguitur, quòd in homines crudeliter sæuierint: quia vbi regnat inhumanitas, extincta est religio. Nūc idem nobis dici intelligamus. vt enim plantatus fuit ille populus, ita & nos. Et reuocandum in memoriam quod ait Paulus, nos fuisse velut oleastros, quum ipsi essent vera & naturalis oliua, Rom. 11. b. 17. Nos ergo quum essemus alieni, insiti sumus in veram oliuam, nos assidua cura excoluit & ornauit Dominus. Quales verò fructus proferimus? Certè non tātùm inutiles, sed etiam acerbos. Maioris ergo ingratitudinis damnādi sumus, quum longè amplioribus beneficiis simus ornati ac cumulati. Et meritò in nos competit ista expostulatio, quum vis & iniuria passim grassetur. Quum autem generalis doctrina non ita vehementer animos perstringeret, has duas species potissimum enumerauit Propheta: vt quasi digito monstraret quātum abesset ille populus à fructu quem bona vinea proferre debuerat. [w]Oppressionem seu conspirationem vocat quòd principes & iudices simul omnes iudicia peruertebant, muneribus inhiabant, pupillis, orphanis ac viduis non iudicabāt, sicuti Suprà, 1. f. 23. palàm illis obiecit: quasi facta conspiratione sic conuenisset inter eos vt ex ipsis nemo iudicii esset ac iustitiæ studiosus. Est autem emphasis in eo quòd voculam Ecce bis immiscet, vt insolentiam malitiæ huius exprimat. De voce clamoris vide Genes. 4. b. 10. 18. e. 20, & 19. c. 13. Obserua clamorem pauperum & oppressorum, pupillorum & viduarum, in cōspectu Domini clamare, vt oppressores puniat.

CANTICVM ESAIAE, QVOD compofuit antequam abduceretur populus in captiuitatem: quo consolatur eos vt patienter illam ferant, simúlque se liberatum iri confidant.

ESAIAE XXVI.

In die illa cantabitur canticum in terra Iehudah, VRBS fortitudinis nobis salutem posuit muros & vallum.

In die illa cantabitur canticū. [b]Amplificat hoc capite Propheta quod præcedētis capitis versu nono breuiter perstrinxerat, de gaudio, fide, fiducia ac securitate liberati populi. [c]atque rursus docere incipit, postquā ab exilio reuersus fuerit populus, protectum iri Dei tutela & manu: & Ierosolymam eius conseruatione perinde fore tutam ac si vallo, aggeribus, fossa, duplici muro cincta esset, ne accessus vllus pateat hostibus. Notandum verò est tempus quo canticum hoc editum fuit. Prædixerat Propheta calamitatem Ecclesiæ, quæ nondū tam propè instabat, sed aliquātò post mortem eius sequuta est. Quum abductus esset populus in exilium, desperasset haud dubiè nisi eum huiusmodi promissiones sustentassent. Vt ergo confiderent Iudæi se liberatum iri, atque vitam in ipsa morte cernerēt, hoc ipsis canticum composuit Propheta, priusquam etiā calamitas accideret, vt iam instructi ad eam perferendā & meliora sperādā essent. Nec enim versimile est ideo solum fuisse compositum vt liberati gratias agerent, sed vt in exilio ipso, tametsi similes essent mortuis, animos suos hac fiducia obfirmarent: filios etiam instituerēt in hac spe, atque hæc promissa quasi per manum traderent posteris. Quorsum autem hæc & alia in carmen redegit Esaias, diximus Suprà, 5. a. 1, nempe vt passim decantata animis omnium melius inhærerent. Tametsi ergo lugerent in Babylone & mœrore propemodum confecti essent: (vnde etiam illæ voces, Quomodo cātabimus canticum Domini in terra aliena? Psal. 137. a. 4) tamen ipsos sperare oportebat se aliquando, vbi in Iudæam reuersi forēt, gratias acturos Domino, eiusque laudes celebraturos. Ideo Propheta diē liberationis procul illis ostendit, vt se eius expectatione fulciant. [n]Porro cantici nomine apud Prophetas parabolam intelligimus. Vult ergo dicere Vates tale gaudium & tantam securitatē fore piis ac fidelibus vt verè hæc canere possint. *Cantabitur cāticum in terra Iehudah.* Hoc est, Quum hæc quæ prædixi euenient, canticum hoc cātari poterit in Iehudah. *Vrbs fortitudinis nobis.* [y]Substantiuū pro adiectiuo, Fortis. [c]Promittitur his verbis plena Ierosolymæ & populi restitutio: quia Deus non tantùm captiuos redimet, ac dispersos colliget, sed, vbi in patriam reduxerit, etiā seruabit incolumes. Atqui non multo pòst viderūt fideles dirutā Ierosolymā & excisum tēplum: & quū reuersi sunt, nihil occurrere potuit præter deformes ruinas, idque fore iam ante Esaias vaticinatus est. Ergo ex alta fidei specula eos cernere oportuit hāc Ierosolymæ renouationē. [m]Quū hæc vaticinaretur Esaias, existimabat populus Iehudah repentè adhuc, impius ac Deo rebellis, habere se ciuitatē

;

fortē, muris ac propugnaculis admodū munitā, illiúsq; fiducia securè cōtra Dominū peccabat: verùm expertus est tandē fuisse illā infirmiorē quàm quæ conseruādo populo impio & peccatori contra Deum sufficere posset, vbi eam per Babylonios subuersam & vastatam vidit. De præpostera hac reprobi populi fiducia non est intelligēdum quod hic canitur: sed referendū ad reliquias eius populi pias ac Domino fideles è medio Babylonis ereptas. His destinatum est hoc canticum, quo significare voluit Vates, habituras eas ciuitatem non vt antea in oculis carnis duntaxat, sed reuera fortem & munitam. *Salutem posuit muros & vallum.* [b] Alii vertunt, Salutem ponet Deus muros & antemurale. Id est, Salutis causa cinxit eā Deus muro & antemurali. [c] Definit qualis futura sit vrbis fortitudo: quia salus Dei pro muro, turribus, fossis & aggeribus sufficiet. acsi diceret, Confidant aliæ vrbes in suis propugnaculis: Deus vero instar omnium munitionum nobis erit. Itaque etiamsi nihil in verbis Prophetæ subaudiatur, verus & genuinus sensus spōte occurrit, protectionē Dei omnibus fossis & mœnibus esse potiorem. Sicut etiam dicitur, Misericordia tua super vitas, Psal. 63.a.4. Nam vt illic gloriatur Dauid se tutius & magis securè quiescere sub Dei vmbra quam si omnibus terrenis præsidiis munitus foret: ita hic dicit Esaias iustā securitatis causam fore vbi custodiendi populi sui partes Deus susceperit. Cato de muris sublimibus prædicat esse illos salutem: at populus fidelis de salute Dei prædicat esse illam ciuitatis suæ robur, murus & vallum. Interea tamen non debet hinc colligi, restitutā illam Ierusalem destitutam fuisse muris. Haud mediocris cura fuit reliquiarum istarum ducibus, in restauratione murorum prolapsorū: sicut in Esdra & Nehemia videre licet. Muros repararunt, ciuitatémque communierunt: verùm salutem illis non tribuerunt, sed omne robur ciuitatis in Domino Deo suo situm esse cognouerunt, qui solus muros & portas Ierusalem confirmare poterat. Quare vt culpabiles sunt qui sic muris suis fidunt vt protectionem Dei susque déque faciant: ita nec illi audiendi sunt qui sic Deo fidendum esse contendunt vt muros & portas inter illicita ponant, quasi non liceat fidelibus habere ciuitates ac domos clausas, & qualitercūque munitas, modò securitatem, custodiam firmam, & salutem illis non tribuāt: sed ei soli de quo Paulus dicit, Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Rom.8.f.31. [f] Iam quū hæc promissio ad totum redemptionis cursum pateat, tenēdum est, hodie quoque Deum esse Ecclesiæ suæ custodem: ideóque pluris esse eius virtutem quàm si omnibus copiis instructa foret. Itaque si cupimus in tuto quiescere, manendum nobis in Ecclesia est. Tametsi nullæ fuerint nobis externæ munitiones, tamē Domini præsidio & certissima eius salute, qua propugnacula omnia superātur, contenti esse discamus. [g] Quo spectat illud Dauidis, Dominus illuminatio mea, & salus mea: quē timebo? Psal.27.a.1. [h] Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Matth.16.c.18.

2 *Aperite portas, & ingredietur gens iusta, custodiens veritates.*

Aperite portas, & ingredietur. [a] Subinde, vt in canticis, hic variantur personæ. [b] Vaticinatur autem hic Esaias de futura reliquiarum Israelis iustitia & fide. Porro dubium non est hoc canticum à multis contemptum fuisse quum ab Esaia publicaretur. Incolebatur enim Ierusalem ab impiis & sceleratis, quandiu ille superstes fuit in terra, & rarissimus erat numerus bonorum: [c] sicuti promptū est ex eius scriptis colligere, præcipuè verò ex cap. 1.c.10.f.21.23. [c] Quum autē eo tempore dederunt pœnas suæ impietatis, hoc non fuisse de nihilo prædictum, aliqua ex parte apparuit. Impii enim, dū prosperis rebus fruuntur, nihil metuunt, nec putant se deiici posse. Ita Iudæi nunquam futurum existimabant vt pellerentur è Iudæa, atque in exilium abducerentur, stabilem illic sedem sibi esse confidebant: ideo superbiendi & insolescēdi materiam ipsis adimi oportuit. Quo tendunt hæc Prophetæ verba, incolas renouatæ vrbis prioribus fore dissimiles, quia iustitiam & fidem colent. [d] Acsi diceret, Non erit hæc ciuitas, habitatio gentis iniustæ ac perfidæ, quemadmodum nunc est: sed impiis ac perfidis clausa, solis patebit iustis, piis ac fidelibus. [e] Cæterùm tunc quoque lusoria videri potuit hæc promissio, quia expulsis & in seruitutem abductis nihil solatii restabat. Proinde diruto tēplo, excisa vrbe, omnique rerū statu euerso ac perdito, obiicere poterant, Vbi sunt illæ portæ quas aperiri iubet? vbi populus qui ingrediatur? Hæc tamen impleta esse cernimus, nec quicquam prædictum fuisse quod Dominus non præstiterit. Veteres ergo illæ historiæ nobis proponendæ sunt, vt earum exēplo muniamur, & in desperatissimo Ecclesiæ statu Dominū nihilominus eā erecturū speremus. *Et ingredietur gens iusta.* [f] Quum gentem iustam & veracem Propheta nominat nō solùm designat ad quos hæc prophetia pertineat, sed fructū castigationis ostendit, quia post purgatas sordes Ecclesiæ, sanctitas & iustitia purior enitesceret. Tunc enim multitudo præualebat: paucissimi boni erant & aliorum numero obruebātur. Illam ergo multitudinem tolli oportuit quæ timore Dei & religione carebat, vt Dominus reliquias suas colligeret. Atque hæc extitit tumæ compēsatio, vt Ierosolyma quæ ciuium suorum impietate polluta erat, iterū verè consecraretur Deo. Neque enim satis fuisset recuperare florentem statum, nisi etiam in sanctitate & iustitia fulgeret vitæ nouitas. Cæterùm sicut Dei gratiam prædicat Propheta: ita etiam redemptum populum ad colendam vitæ integritatem hortatur. In summa denūtiat has promissiones nihil profuturas hypocritis, neque iis portas vrbis, sed iustis tātùm & sanctis apertum iri. Certum est Ecclesiam semper areæ similē fuisse, in qua paleæ tritico permiscentur, imo triticum obruitur à paleis: minimè tamen dubium est quin purior fuerit Ecclesia quum Iudæi in patriā reducti sunt. Nam eos qui redibant, instinctu bono impelli oportuit, vt per tot molestias, difficultates & pericula tā longum iter susciperent: quum alii interim mallet in exilio manere quàm redire mallēt: otiosiorem scilicet & pacatiorem statum iuum cōmorantibus Babylone quàm in Iudæā redeuntibus esse ducentes. Ergo in iis semē aliquod pietatis esse oportuit, quo instigabātur ad promissiones quæ patribus datæ erāt potiendas. Cæterùm quamuis tunc quoque multis vitiis adhuc infecta fuerit Ecclesia, comparatiuè tamen hoc verum fuit: quia & multa colluuies euanuerat, & reliqui nonnihil sub Dei ferulis profecerant. [g] Nec erant posteriores sic impii, idololatræ, defectores, perfidi ac deploratè mali, sicut erat ille populus qui tempore Prophetæ huius ciuitatē ac terram sanctā calcando polluebat: cuius respectu gens ista iusta ac custodiens fidem vocatur. Nec impedit hunc sensum quòd reliquiæ istæ tempore Christi vsqueadeo deprauatæ sunt inuentæ vt peior populus non fuerit sub cælo, nec sit gens vlla grauiori excidio punita. Respiciamus ad primordia regni Christi, & Ecclesiæ Christianorum, quàm fuerint illa sancta, vt verè dici potuerint gens iusta & fides seruās. Quàm verò degenerauerit hæc fideliū Christi Ecclesia, quàmque subinde deterior facta, in omnis generis impietatem & enormem totius vitæ omniūque ordinum corruptionē inciderit, quid attinet meminisse? Futurum præuidit Vates vt aliquando gens iusta ac fidelis ciuitatem Dei inhabitaret: id vt præuidit, sic cecinit. quādiu duratura erat ea fœlicitas, diuinæ prouidentiæ permisit. *Custodiēs veritates.* [h] Descriptio hæc est ciuium renouatæ Ierosolymæ, Ecclesia patet omnibus intrare volentibus: illi autē sunt gens sancta & iusta, seruādo fidem. vel, quæ seruat fidelia, id est, promissa & pacta, & quæ credit verbo. [c] Vnde quidam sic distinguunt hanc sententiam, Gens iusta coram Deo, & recta coram hominibus. Sed simplicius accipi debet, postquam scilicet gētem iustam nominauit, ostendit in quo consistat ea iustitia: nempe, vbi est integritas cordis, quæ nihil fictū aut simulatum habet. Nam iustitiæ nihil magis contrarium est quàm hypocrisis. Et quamuis nemo vnquam sit repertus qui eousque profecerit vt posset à perfecta iustitia cōmendari, tamen filii Dei, qui toto animo ad hanc veritatem aspirant, eius custodes dici possunt. Nisi fortè magis placeat ab vna parte per synecdochē notari quænam sit vera iustitia, vbi scilicet dolis omnibus & malis artibus valere iussis, sincerè & veraciter inter se agunt homines. Quòd si aliquis hinc merita hominum astruere vellet, responsio est facilis. Nec enim de causa salutis hic tractatur à Propheta, nec quales sint natura homines, sed quales gratia sua Deus efficiat, & quales Ecclesiæ suæ ciues habere velit. Efficit enim ex lupis oues, vt vidimus Suprà, 11.b.6. Quandiu autē hic viuimus, longè semper absumus à perfectione, atque in progressu assiduo sumus. Sed Dominus nos æstimat ab eo quod in nobis inchoauit: & quum semel nos in viam iustitiæ induxit, habet etiam pro iustis. Quum hypocrisin nostrā corrigere & emēdare cœpit, simul veraces nos & integros vocat. [m] Sunt qui non de militante sed de triumphante Ecclesia (hoc est, iam cum Christo regnante) hunc locum exponant. In triumphāte quidem sola locum habebit gens electa, pia, fidelis & iusta: verùm quæ hoc cantico memorantur plerisque locis, talia sunt vt ad hāc referri nequeāt. Quale est quòd versu quarto canitur, Sperate in Domino in sempiternum. Etenim in Ecclesia triumphante nec fidei nec spei locum fore scimus, quæ in hac tātùm vita piorum ac fidelium sunt exercitia & sustentacula.

3 *Cogitatio fixa: custodiet pacem, pacem: quoniam in te confisum est.*

Cogitatio fixa. [a] Quia יצר Hebræis tam est figmentum vel creatura, quàm cogitatio, quidam ita vertunt, Figmētū innixo custodies pacem. ac si intelligeret Propheta, homines, vbi Deo suffulti inter mundi agitationes in sua firmitate manent, tutos

semper fore. Alii vertunt, Cogitationi fixæ custodies pacem. Quod eodem fere cedit, beatos scilicet ad extremum fore qui mentes suas defixerint in vno Deo. Neque enim aliter custodē suorum se promittit fore Deus nisi dum animis cōpositis recumbunt in eius gratiam, non autem alternans, vel fluctuans. [v] Alii vertunt, Eum cuius desiderium est cōiunctum tibi, custodies in pace. Hoc est, (vt Hebræi quidam exponūt) Desiderium tuum, qui est coniunctus tibi & innixus, custodies illum à malo, dabisque illi pacem, quia sperat in te. Alii vertūt, Affectu firmo custodis pacem: pacem, inquam, eo quòd in te speratum sit. [c] Sed quia cōcisè dicit Propheta, Cogitatio fixa vel stabilis, expendant lectores num sensus iste optimè cōueniat, æterno Dei consilio & immutabili fundatam esse Ecclesiæ pacem. Nam magnopere interest, ne inter varias mundi conuersiones subinde vacillēt piæ animi, respicere ad cæleste decretū. Illud quidem verum est, constanter sperandum esse in Deo, vt perpetuam eius fidem experiamur in nobis seruādis: semperque requiri à fidelibus ne ancipiti & dubia hæsitatione distrahantur, sed vni Deo semper adhæreant: sensus tamen hic facilius eliciatur & melius fluit ex Prophetæ verbis, hoc fixū & inuiolabile esse Dei decretum, vt æterna pace fruātur quicunque in ipso sperant. Nam si fixa cogitatio pro certitudine & constantia piorum accipitur, superuacua esset causæ redditio, *Quoniam in te confisum est.* Denique vtraque loquutio aspera esset, figmento vel cogitationi paratam esse continuam pacem. Hoc autem aptissimè conuenit, vbi in Deo confidimus, nunquam ipsum frustrari spem nostrā, quia æterna custodia nos prosequi decreuit. ([a] Quo etiam spectat illud Pauli, Spes non confundit, Rom. 5. a. 5.) [c] Vnde sequitur, quia ex mundi statu non pendet salus Ecclesiæ, non nutare, neque agitari pro variis conuersionibus, quæ quotidie accidunt: sed quia in Dei consilio fundata est, solida fidelique stabilitate niti, vt nunquam excidere queat. Ac subest tacita antithesis inter fixam cogitationem Dei & erraticas nostras imaginationes, quia singulis fere momentis obrepit aliquid noui quod mētes nostras sursum deorsum impellat: nec vlla est tam leuis mutatio quæ nō iniiciat aliquid dubitationis. Quare tenendum est illud principium, perperam nos facere si immutabile Dei consilium volatilis nostris cōmentis metimur, sicut alibi videbimus. Quātum distant cæli à terra, ita procul absunt cogitationes meæ à cogitationibus vestris, domus Israel, Infrà, 55. c. 9. Quare hoc imprimis statuere conuenit, mutationi non esse obnoxiam salutem nostram, quia non variat Dei sententia. Hæc causa est repetitionis, Custodies pacē, pacem: quia notatur continuus tenor ad perpetuitatem vsque. [a] Hinc Christus dicebat de suis ouibus quas à Patre seruandas acceperat, Non rapiet eas quisquam de manu mea, Ioh. 10. e. 28. [c] Pacis verò nomine intelligo non solùm animi tranquillitatem, sed omne fœlicitatis genus. acsi diceret, in sola Dei gratia satis esse ad beatè prosperéque viuendum. [a] Sic enim Hebræi fere semper pacis nomine vtuntur.

4 *Sperate in Iehoua in perpetuum: quia in Iehoua fortitudo seculorum.*

4 *Sperate in Iehoua in perpetuum.* [a] Postquā Propheta ostendit certam & tutam esse Ecclesiæ salutē, pios omnes hortatur vt in Deum solum fiduciam suam locent. [v] Q. d. Nolite ô fideles fidere in aliud quicquam quàm in Dominum, idque sine intermissione, etiamsi dubia cernantur omnia quæ occurrunt, & militia nobis semper dura incumbat, donec in terra vixerimus. Ipse autem Dominus firmissima suis petra est, per omnia stabilis & firmissima, vt confundi vnquam non possit qui ad eam cōfugerit. Si ergo veram & solidam pacem quæritis, inuenietis illam nequaquā in brachio carnis, sed in Domino, si in hunc speraueritis. *In perpetuum.* [c] Propheta nō simpliciter ad bene sperādum nos incitat, sed ad perseuerantiam. Ac propriè ad fideles, qui iam didicerint quid sit in Dominū sperare, pertinet ista oratio: qui quum adhuc infirmi sint, & (vt variæ diffidentiæ occasiones occurrunt cum quibus luctandum est) sæpius possint labascere, confirmatione opus habent. Ideo nō modò simpliciter iubet sperare in Domino, sed constanter in spe ac fiducia ad finem vsque permanere. [m] Iugiter ergo, inquit, & indesinenter speretis in Iehoua, ne si moram fecerit in ferendo auxilium, desperantes auertamini ad inania, in quibus nihil est salutis, ne abiiciatis hanc spei cōstantiā, etiam si vos millies occidat. *Quia in Iehoua fortitudo seculorum.* [v] Alii vertūt, Quia fidendum est Deo Iehouæ forti in secula. Alii, Quoniam in Deo Iehoua robur sempiternum. Iub. fidēdum est. Vel, Fortitudine æterna & perpetua. Alii, Quoniam in Deo Iehoua est fortitudo seculorum. Id est, quæ nunquam finem inuenies. [c] Notanda est hæc ratio, nempe quòd sicut perpetua est potentia Dei, quæ fidei scopus est, ita fides ad eandem perpetuitatem sese extendere debeat. Quum enim Propheta de fortitudine & potentia Dei concionatur, non intelligit otiosam potentiā, sed efficacem & actuosam, quæ se in nos re ipsa exerat, atque ad exitum perducat id quod cœperit. Atque hæc doctrina latius patet: vt verè credamus considerandam nobis esse naturam Dei, quia simulac deflectimus ab hoc intuitu, nihil nisi fluxum apparet, ideóque statim euanescimus. Itaque per continuos progressus mundum superare debet fides: quia nec veritas, nec iustitia, nec bonitas Dei tēporalis est, vel caduca, sed Deus perpetuò sibi constat.

5 *Nam incuruabit incolas sublimitatis, ciuitatem exaltatam: humiliabit: humiliabit, inquam, eam ad terram: deducet ad puluerem.*

Nam incuruabit incolas sublimitatis. [v] Quidam vertūt, Quia incuruabit habitatores excelsi vel, celsitudinis. [c] Ostendit hoc versu & sequenti, superbos à Deo humiliari, & humiles exaltari. [c] atque ita melius exprimit de qua virtute Dei sit loquutus, nempe de ea quam ipsi experimur, & quidem in bonum nostrum. Ideo cohærent inter se hæc duo membra, prosterni Dei virtute superbos, humiles verò & abiectos in illorum gradum substitui. Quia ad plenam consolationem non sufficeret quod docet priore loco, superbos humiliandos esse, nisi etiam addidisset humiles extollendos, vt regnū in superbos obtineant. Agnoscimus ergo propria experientia Deum efficaciter in salutem nostram operari, vnde nobis sperandi materia suggeritur. [a] Incuruabit ergo incolas sublimitatis, vel celsitudinis. [m] Hoc est, deiiciet ac humiliabit habitantes vel sedentes sublimè, & de sedibus suis deponet, omnique potentia priuabit. [c] Celsitudinis nomine tam omnis generis munitiones & propugnacula comprehendit (quia solebāt veteres extruere vrbes in locis editioribus) quàm splēdorem & opulentiam. Significat ergo nullum præsidium obstare Deo posse quominus impios deiiciat ac prosternat. Turres certè & propugnacula non displicent: sed quia rarò euenit vt qui robusti sunt & potentes non superbiant, ideo celsitudo sæpe pro superbia capitur. Non dubium est autē quin loquatur de impiis, qui quū armis, opibus & pecunia valeant, se aduersus Deum ipsum munitos esse arbitrantur. Et consolatur (vt prius dictum est) Iudæos, quòd inuicta Babylonis potētia terreri & se in desperationē coniicere potuissent, nisi Dominus hac promissione eos subleuasset, Non est quòd magnitudine Babylonis aut viribus terreamini. facilè enim concidet, nec potentiæ Domini obsistet. *Ciuitatem exaltatam humiliabit.* [v] Vel, Vrbem sublimem, eleuatam. Id est, quæ in magno nunc honore est. [m] Loquitur de Babylone, quam vocat ciuitatem exaltatam propter imperii illius potentiæ ac gloriæ celsitudinem. Humiliauit eam Dominus per Medos & Persas, dum eam vastauit ac subuertit. *Humiliabit, inquam, eam ad terram.* [m] Hæc adduntur ad humiliationis exaggerationem, qua significabatur tam fore illam humilem ac prostratā quàm tum erat sublimis & excelsa. De Roma idem prædicari potest, & debet etiā, quòd sit humiliata à Domino. Factum hoc est non semel tantum, sed sæpenumero: & breui sic humiliabitur vt etiam nominis sui obliuionē patiatur. *Deducet ad puluerem.* [a] Vide eadem verba versu vltimo superioris capitis, vbi Propheta de excelsis murorum munitionibus loquebatur.

6 *Calcabit eam pes: pedes pauperis, gressus inopum.*

Calcabit eam pes. [m] Et hæc ad amplificandam ciuitatis Babylonicæ ruinam & humiliationem pertinēt: acsi Propheta diceret, Non solùm humiliabit eam ad terram & puluerē vsque, sed & conculcandam dabit, perinde atque si quis hominem improbum prostratum pede conculcet. Et vt hoc exponat, addit, *Pedes pauperis, gressus inopum.* [m] Alii, pedes afflictorum, & gressus egenorum. [a] Sic Deus depressis & deiectis superbis, humiles exaltat, [m] quemadmodū in cātico Mariæ virginis habetur, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, Luc. 1. e. 52. Loquitur autem Propheta de populo Iudaico, qui in Babylone futurus erat pauper & inops. Illi ciuitatē excelsam per Medos & Persas humiliatam conculcaturi erant, deiectam pedibus suis, quum liberati iugo illam securè erant calcaturi & iacentem liberè egressuri. Hoc genus conculcandi contemptum habet prostratæ ciuitatis, & liberam præteritæ illius superbiæ subsannationem. [a] Ita humiles exaltat Deus vt omnem huius mundi ornatum despiciant per Christum nunc in hoc seculo. In futuro quoque non solùm conculcabunt terram, sed & regnum cælorum possidebunt. In cuius figuram filii Israel victorum regum colla pedibus calcabāt, Iosuæ 10. d. 24.

7 *Semita iusto rectitudines: rectam viam iusti æquabis.*

Semita iusto rectitudines. [v] Alii, Semita iusto recta. Ad verbum,

Via iusto rectitudines. Id est, Via æqua siue æquabilis & plana erit iusto. Alij, Semita iusti recta est. Alij, Semitam æquitatis dabis iusto.[c] Non laudat Propheta piorum iustitiã: sed docet Dei benedictione prosperos & optabiles illis esse successus in toto vitæ cursu. *Rectam uiam iusti æquabis.* Vel, Tu qui rectus es viã iusti æquabis. Clarius se explicat Vates, Dei gratiæ ascribens quòd iusti quasi per apertam planitiem in stadio suo ad metã vsque pergunt. Nam in verbo librandi metaphora est, quòd Deus quasi adhibita lance ad æqualem modum temperet quæ per se erãt inæqualia. In voce ישר est ambiguitas, quia tam ad Deum quàm ad viam referri potest. Ideo vertunt quidam (sicuti iam diximus) Tu qui rectus es, viam iusti diriges. Et Deus alibi sic vocatur. Nec inepta esset allusio, rectitudines de quibus loquutus est, à Deo manare, quia solus rectus est. Quanquam altera versio videtur nimis coacta. Promittit autẽ in summa, iustos curæ Deo fore, ita vt manu eius quasi ducantur. Nam omnia videntur in hoc mundo temere volui, quum impiis bene est, iusti verò opprimuntur. Et quamuis Scriptura toties prædicet ac cõfirmet eos curæ esse Deo, vix tamen consistere possumus, & vacillamus, quum infausta iis omnia accidunt. Verũ tamen est Dei libra complanari iustorũ vias, quãtumuisque difficiles & asperæ videantur. Quinetiam eorum custodiam mãdauit Angelis suis, ne fortè lædantur aut impingant ad lapidem pedem suum, Psal. 91. c. 12. Alioqui concidere ipsos, vel labi, vel lassitudine deficere facile esset: nec vllus vnquam ipsis ex tot spinis, vepribus, præruptis viis, perplexis anfractibus, asperisque locis pateret exitus, nisi ipsos educeret Dominus ac liberaret. Proinde discamus nos cõmẽdare Deo, eumque ducem sequi: ac tutò dirigemur: quãuis nos insidiæ, fraudes, astutiæ diaboli & impiorũ, innumeráque pericula circundent, euadere semper dabitur. Experiemur quod hic dicit Propheta, vias nostras inter profundas quoque voragines æquari, ne vlla obstacula cursum nostrum abrumpant. Et certè experiẽtia docet, nisi regamur Dei ductu, frustra per inuia nitendum esse, vt vix pedem vnum progredi liceat. Nam (quæ nostra est imbecillitas) ad minimum quodque offendiculum hæremus. Satan autem & impij nõ solùm multis tricis nos implicant ac morantur, nec leues tãtùm difficultates nobis obiiciunt, sed nunc crepidines, nũc abyssos, quibus superandis ne totus quidẽ mundus par esset. Ergo quàm necessaria sit nobis cœlestis directio, agnoscere conuenit, & fateri cũ Ieremia, Scio Domine quòd non est hominis via eius, nec viri ambulantis, vt disponat gressum suum, Ierem. 10. d. 23. Ne ergo efferamur inani confidentia, acsi in manu rerum successum positum haberemus. Ne iactemus (vt monet Iacobus) nos hoc vel illud acturos quemadmodũ homines temerarij faciunt, acsi omnia suo arbitratu efficere possent, Iac. 4. d. 13. 14. quum linguã dirigere penes nos non sit, (vt ait Solomo) quo aptè respõdeamus, Prouerb. 16. a. 1. Frustra ergo homines proponunt, deliberant ac statuunt de viis suis, nisi Deus manum porrigat. Porrigit autem iustis, eorúmque peculiarem curã gerit. Nam quũ ad omnes extendatur prouidẽtia Dei, qui & coruorum pullis, & passerculis & minimis quibusque animantibus necessaria suppeditat (Psal. 147. b. 9. & Matth. 6. d. 26. & 10. c. 29. 30) tum verò paterna solicitudine erga pios afficitur, vt eos è periculis & difficultatibus eripiat. [a] Teneamus ergo, Deum rectã iusti hominis viã reddere planã & expeditã: hoc est, adiuuare illũ sua gratia quo in cœpto iustitiæ studio constanter pergat: & in omnibus illi offensaculis vel tollendis vel superandis succurrere, perinde atque infantibus suis solent parentes, vbi ingredi incipiũt, quicquid offensaculi est tollere è medio, ne vspiam impingant & cadant. [a] sicuti Psal. 37. c. 24. habetur. [m] Gratiam hanc Dei vocarunt subsequentem. Subsequitur à se iustificatos, & in via iustitiæ ambulantibus dat vires ambulandi, tollitque remoras occurrentes, quo expeditè ingrediantur.

8 *Etiam in uia iudiciorum tuorum, Iehoua, sperauimus in te, ad nomen tuum & memoriam tui desiderium animæ.*

Etiam in uia iudiciorum tuorum, Iehoua. [m] Memorat hoc versu iustos bonam Dei voluntatem, gratiam & opem patienter expectare, deinde summo ardere desiderio glorificandi ac celebrandi nominis Dei. *Sperauimus in te.* [v] Quidam, Expectauimus te. Alij, Expectamus te. [a] Continet hic versus pulcherrimam doctrinã, sine qua cætera frustra dicta videri possent. Quum enim dixerit Deum nobis fore ducẽ tota via, vt nunquam erremus, aut impingamus, atque interea tot angustiis coarctemur, ex re ipsa inanes esse istas promissiones iudicaremus. Ergo quum exercet patientiam nostram, luctandum & nihilominus in ipso sperandum est. Eius rei nos hic admonet Propheta, quamuis amœna planities non semper arrideat oculis nostris, nec facilis sub pedibus nostris sternatur via, sed per multos rigidos occursus anhelandum sit, dandum spei & patientiæ esse locũ. Viam iudiciorum accipit pro rebus aduersis: Et ita sæpe in Scripturis accipitur nomen iudicij. [m] Quidam viam Euangelicam intelligunt, alij doctrinam verbi Dei: sed rectius pro disciplina castigationũ Dei, quibus populum suũ castigat & flagellat, accipitur. Et hanc castigationem vocat viã quia certa consuetudo Dei est castigandi peccantes. Vocat viã iudiciorum Dei propterea quòd eiusmodi castigationes, non temeritate, non ira, non odio, aut aliquo alio sinistro affectu sed recto iudicio moderatè & competenter exercentur. [c] Hac autem nota distinguuntur pij ab hypocritis, qui in prospero rerum statu benedicunt Deo, & magnificè de eo loquuntur: in aduersis autem obmurmurant, Deóque ipsi maledicũt, ac planè ostendunt se nullam in eo fiduciam habuisse. Itaque ex præsenti tantùm fortuna Deum æstimant. Pij verò quum exercentur ærumnis & calamitatibus, magis ac magis ad fiduciam acuuntur. Ideo particula אף (id est Etiam) emphaticè ponitur: acsi diceret, fideles non modò alacriter Deum colere quamdiu semper ipsis indulget: sed, si durius exerceat, non deficere tamen, quia spe fulciuntur. Proinde hæc vera solidæ pietatis probatio est, vbi non solùm quũ nos beneficẽtia sua prosequitur Deus, sed quum subduxit faciem suã, nósque affligit, omniáque iræ & seueritatis signa præbet, in ipso spem fiduciámque nostrã locare. [a] Quod ergo fideles hic dicunt, talem sensum habet, [m] Quanuis nos ô Domine iustissimo iudicio flagellãs, in exilium Babylonicum abiecisti, ac innumeris tribulationibus afflixisti, nihilo tamen minus spem ac fiduciam auxilij tui non abiecimus, sed in ipsa quoque via iudiciorum tuorum opem tuam constanter expectauimus. [c] Sustinuimus & sperauimus in te, non solum affecti à te beneficiis, sed etiam afflicti & castigati. Atque hinc manifestum est à iustis Deum plus amari in aduersitate quàm ab impiis in prosperitate. [a] Discamus accommodare hanc doctrinã in vsum nostrum, quoties nos vrgent præsentis vitæ calamitates: nec desinamus etiam desperatissimis in rebus in eũ sperare. Etiamsi me occiderit, inquit Iob, in eo sperabo, Cap. 13. b. 15. Et Dauid, etiamsi ambulandum esset in medio vmbræ mortis, confisurum se, nec attonitum fore dicit: quia nouerit Deũ sibi adesse, Psal. 23. a. 4. [m] Dicat ergo quisque nostrûm, dum affligitur, Peccaui Domine, iustè affligor: pro tua tamen bonitate & infinita clementia opem & auxilium tuum expecto, & in te tantùm fiduciam meã colloco. *Ad nomen tuum.* [m] Hoc est, Ad mentionem nominis tui ardebat anima mea, quum essem in exilio. [a] Q.d. Quoties nominis tui mentio fiebat, inde sperandi materiam mihi præbitam esse agnoscebam, adeo vt in mediis afflictionibus in te sperare non destiterim. [c] Ostẽdere vult vnde infatigabilis illa strenuitas, vt grauioribus malis pij non succumbant: nempe quia tam profunds desideriis quàm nimiis anxietatibus expliciti, fortiter ad Deum suspirant. Nam (vt sunt inordinati nostri affectus, & solicitudines nos quasi terræ affixos tenent) animi nostri aut perperam vagantur, aut per ignauiam subsidunt, quominus ad Deum liberè assurgant. Quum autem essentia Dei abscondita sit, eo fit vt tardiores simus ad ipsum quærendum. Ideóque ab occulta essentia & incomprehensibili ad nomen eius nos reuocat Propheta: acsi iuberet manifestatione, quæ in Verbo occurrit, nos esse contentos: quia illic Deus quoad expedit iustitiam, sapientiam & bonitatem suam & sese nobis declarat. *Et memoriam tui.* [c] Non frustra memoriam adiecit. Significat enim primam apprehensionem aut cogitationẽ non sufficere, sed assiduam meditationẽ requiri. Quia sine hoc adminiculo statim euanesceret lux omnis doctrinæ. Et certè vera & seria cognitio Dei nos inflammat ad ipsum desiderandum: neque id solùm, sed etiam ad proficiendi desiderium incitat, quoties subit in mentem nostram eius memoria. Itaque præcedit cognitio Dei: deinde exercere nos decet frequẽti recordatione: quia nõ sufficit semel eius apprehẽdisse notitia, nisi ex continua meditatione amor & desiderium crescat. Atque hinc percipimus, notionem Dei, mortuam imaginationem non esse. *Desiderium animæ.* [v] Sub. nostræ. [m] Tenebantur pij in captiuitate constituti magno desiderio gloriæ, nominis, templi ac montis Dei, sicuti videre est Psal. 137. a. a.

9 *Anima mea te desiderauit per noctem: quin & spiritu meo intra me te mane quæram. Nam ex quo fuerũt iudicia tua in terra, iustitiam discunt incolæ terræ.*

Anima mea te desiderauit per noctem. [v] Quidam vertũt, Animo meo desideraui te in nocte. Alij, Anima mea cócupiuit te. Quidam per futurum, Ex animo concupiscam te. [c] Propheta iustius exprimit superiorem sententiam, prius etiam in persona fidelium omnium loquutus, desiderium animæ ad Deum ferri dixerat: nunc de se addit, Anima mea desiderauit, Acsi diceret,

Ego omnes animæ meæ facultates in hoc intentas habeo vt quæram nomen tuum. Sæpe נפש pro anima vitali capitur: sed quoniam hic Propheta duobus vocabulis vtitur, ea sic distinguimus, vt נפש affectum aut voluntatem significet, רוח partem intellectiuam. quia scimus has animæ humanæ præcipuas esse partes, nempe intellectum & voluntatem: quarum vtrãque meritò Deus sibi vendicat. Quo etiam pertinet illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota mente tua, omnibusque viribus tuis, Matth.22.d.37. Omnes igitur animæ suæ facultates eo nisi ostendit Propheta vt Deum quærat, ipsique adhæreat. [b] Exprimit ergo Vates ardentem affectum, contra fastidiosos fabulatores in quib' nulla est scintilla veri affectus. Sicut in plerisque videmus, qui quum ad tractationem literarum accedunt, nihil afferunt nisi saccum inanium verborum, nihil nec docent nec dicũt cum affectu. *In nocte.* [c] Per noctem Scriptura sæpe intelligit res aduersas, quæ tenebris & caligini comparantur. Rectius tamẽ alii paulo secus interpretantur: ac si diceret Propheta, Nullum est tempus tam importunum aut intempestiuum quo te non inuocem ac requiram. Parum quidem à superiore differt ista interpretatio, sed aliquãto generalior est. Nox enim videtur quieti destinata, túncque omnia hominum desideria cessant: denique dormiẽs parum differt à mortuo. Tunc igitur quum quietis & otii tẽpus est, se ad Deum quærendum expergefieri dicit, ita vt nulla occasione deflectatur. Non quòd dormientes præsentem aliquã cogitationem habeant, sed quòd somnus ipse, si ad Deum tendimus, pars sit cursus nostri: & quamuis sopiti & silentes, spe tamen & fiducia ipsum laudemus. Sed non propriè de somno intelligit Propheta: metaphoricè enim loquitur. Quod ex proximo mẽbro iterũ apertè liquet, vbi opponitur tempus matutinum. Sic notatur continuitas. *Quin & spiritu meo intra me te mane quæram.* [d] Hoc est, Solicitè ac diligẽter toto animi studio te quæram. [m] Qui sedulò quærunt, non quærunt oscitanter, nõ obiter, non per occasionem, sed ardenter ac indesinenter, donec quod quærunt inueniunt. Sic voluit Propheta sincerum suum erga Deum affectum exprimere. *Nam ex quo fuerint iudicia tua in terra, iustitiam discent incolæ terræ.* [e] Notanda est nobis hæc causæ redditio, qua Vates significare voluit homines ferulis erudiri ad timorem Dei. Rebus enim secundis obliuiscuntur ipsius, eorumque oculi velut pinguedine excæcantur: exultant ac lasciuiunt, nec se in ordinem redigi sinunt. Ideo Dominus eorum petulantiam coercet, eósque ad obediẽtiam erudit. Denique fatetur se & alios præparatos fuisse Dei castigationibus, vt eius imperio se subiicerent, sese committerent eius custodiæ: quia nisi exerta manu Deus nos suum sibi vendicet, nemo se in obsequium sponte tradit. [m] Locus est de vtilitate crucis, tribulationum & afflictionum. Bonum mihi Domine (inquit Dauid) quòd humiliasti me, Psal.119.71. In exilio constitutus didicit timere Dominũ: in ipso regno adulteriũ ac perfidã fidi ministri cædem admisit, 2.Sam.11.a.4. Manasses etiam iudicii Dei castigatus resipuit, 2.Paral.33.c.12.13. Eo huc tendit castigatio diuina, vt iustitiã discamus vel flagellati, quã ex verbo Domini discere detrectamus. Prouerbio dicitur, Phryx nonnisi plagis sapit: quod hoc verissimè omnibus mortalibus accommodari potest.

10 *Impius gratiam obtinebit, nec discet iustitiam: in terra rectorum operum peruersè agit, nec videbit magnificentiam Iehouæ.*

Impius gratiam obtinebit. Alii vertunt, Fiat misericordia impio, & non discet iustitiam. Alii, subauditis pauculis, Nunquid misericordiam consequetur improbus, qui non didicit iustitiam, sed in terra rectorum operum iniquè agit, & non considerat magnificentiam Iehouæ? Alii, Impius etiam beneficiis affectus non discit iustitiam, sed in terra plana iniquè agit, & non videbit &c. Nonnulli futurum in præteritum conuertũt, Misericordiam assequutus est impius, & non didicit, &c. [f] Hãc sententiam superiori opponit Esaias. Dixerat enim pios, etiã quũ affliguntur, vel alios affligi vidẽt, nihilominus conquiescere in amore Dei, atque in eum sperare. Nunc cõtrà, impios nullo modo adduci posse vt Deum ament, etsi beneficiis omnibus eos allicere sibique adiungere conetur: qualẽcunque se Dominus erga illos ostendat, nihilo reddi meliores. Videtur autẽ primo aspectu hic versus à proximo discrepare, quòd illic diceret tunc agnosci iustitiam Dei in terra quum iudicia ipse sua exerceret, seque Iudicem esse ostenderet, & hominum scelera vlcisceretur. Hic autem dicit nulla ratione protrahi vel adduci impios vt ipsum colant, tantumque abesse vt emendentur plagis et etiam beneficiis deteriores reddantur. Nam certè castigationum fructus non apparet in omnibus quando in illis nihil impii proficiunt. Quemadmodũ perspicimus in Pharaone, qui plagis & flagellis obstinatior est redditus, Exodi 5. a.21. & 7 b.13. Sed quamuis de incolis terræ indefinitè loquutus sit, solos tamen Dei electos propriè complexus est, nisi quòd profectus iste quibusdam etiam hypocritis cõmunis est: qui interdum coacti tanguntur Dei reuerentia, & pœnarum metu frænantur. Sed quia sinceram resipiscentiam Propheta hic describit, solos Dei filios designat per terræ incolas. [g] Itaque sicut bonis omnia in bonum, ita malis omnia in malum cedunt. Boni, quũ audiunt iudicia & flagella Dei, inde redduntur meliores, [a] & discunt iustitiã, vt in posterum sibi a suaãt. [b] Cõtrà, mali etiã beneficiis affecti, non desistunt à peccatis, neq; gloriam Dei agnoscunt. Quo pertinet illud Solomonis, Si contuderis stultum in mortario in medio triticorum contusorum pistillo, non recedet ab eo stultitia eius, Prouerb.27.a.22. [c] Quidam interrogatiuè accipiunt, An gratia fiet impio? Vel, Cur impius gratiam obtineret? Quasi innueret Propheta ipsum esse indignum quibuscum clementer Deus agat. Atqui sic potius resolui debet oratio, Vtcunque beneficiis alliciat Deus impios, nunquam rectè agere discant. Hic igitur Propheta superiorẽ sententiam restringit. *In terra rectorum operum peruersè aget.* [h] Vel, In terra rectitudinum. [c] Amplificat indignitatẽ huius ingratitudinis. Iam satis graue malum erat eos abuti beneficiis Dei, iisque reddi peruicaciores: sed ad cumulum impietatis accedit quòd peruersè agant in terra quam sibi Dominus cõsecrauerat. Loquitur autem de Iudæa: tametsi ad alias quoque regiones extendi possit in quibus nunc colitur Deus. Sed tunc nullam aliam hoc titulo insignire poterat Esaias, quum nulla alibi esset notio Dei. Ideo Iudæam vocat terram rectorum operum. Sic autem exponi debet, quia quum Propheta vsus sit fœminino genere נכחות, ad homines referri non potest. Itaque hoc titulo insignitur quòd illic vigeret Lex & populus ille à Deo peculiariter electus esset. Idque addidit vt exaggeraret populi ingratitudinem, sicuti iam dictum est. [m] Quonis loco rectè agẽdum est omnibus, & in omnibus iustitiam qui viuens inter sanctos & loco sancto iniquè agit, omnino se impium esse declarat. Stupendum est prorsus quòd toto terrarum orbe vix inuentus est populus peior quàm fuerit qui terram sanctam nomine Dei incoluit. Et hodie quoque affirmant pessimos omnium esse monachos eos qui Ierosolymis prætextu & loco sepulchri Domini degunt. Percurre omnia Christiani orbis loca, & vide annon in illis potissimum quæ cæteris sanctiora putantur, sceleratè & Romæ (quæ sancta vocatur ac de sede Apostolica gloriatur) omnium sceleratissimè viuatur. [c] Quum autem Dominus vbique regnum suum hodie propagarit, vbicunque nomen ipsius inuocatur, illic terra rectorum operum est. Quosi vt bis simus damnandi nisi tot & tãtis beneficiis prouocati, pietatis studio & bonis operibus gratitudinem nostram testemur. *Nec videbit magnificentiam Iehouæ.* [v] Alii, Et non videbit sublimitatem Iehouæ. [c] Quum hoc dicit Propheta, reproborum crimen minimè leuat, sed duplicat potius, quia turpis & pudenda socordia est non animaduertere ad Dei gloriam, quæ palàm ante oculos nostros versatur. Quo minus excusabiles sunt impii, quia vtcunque nomen suum variis modis illustret Dominus, cæcutiunt tamen in clara luce: nunquam verò desunt testimonia quibus Dominus magnitudinem & gloriam suam conspicuã reddat, sed pauci ea considerãt: vt dictũ est Supra, 5.c.12. [m] Sic ergo de impio testatur Vates, ac si diceret, Non respexit, non reueritus est, non honorauit magnificentiam Domini, in cuius terra habitabat, quo caueret ne oculos maiestatis eius offenderet. Siquis in aula regis eiusdẽ flagitiosè ageret, rectè dixeris illum vsqueadeo esse nullius frontis hominem vt ne regiæ quidem maiestatis præsentia à studio scelerum suorum auocetur. [c] Cæterùm non solùm per ordinaria opera naturæ Dominus patefacit gloriam suam, sed etiam per insignia quædam miracula & documẽta, quibus nos de bonitate, sapientia & iustitia sua abundè instruit. Impii ad ea claudunt oculos, neque animos aduertunt, tametsi vanis in rebus admodum perspicaces. Quam prauitatem nunc coarguit & obiurgat Propheta. [o] Q.d. Tribuit fortunæ & suis viribus, negando prouidentiam Dei in rebus omnibus: vt si in ægritudinem inciderit, dicet esse naturæ, non diuinæ benignitatis ad pœnitentiam vocantis: si opus quoddam in speciem bonum fecerit, gloriabitur se non fuisse ignauum, sed se strenuè gessisse, magnámque gloriandi materiam adeptum fuisse: [a] atque ita Deo gratias non aget. [o] Quidam existimant Prophetam hic reprobis minari, quasi indigni essent hoc operum Dei conspectu. Quod tametsi verum sit, quia tamen hoc membrum cohæret cum reliquis, adhuc reprehendit socordiam eorum qui animum in opera Dei non intendunt, sed potius obstupescũt. Quo fit vt hodie mirũ videri debeat tã paucos resipiscere, tametsi permulta iustitiæ Dei documẽta pateãt. Nã ad consideranda opera Dei semper infidelitas cæca est. [p] Et certè nemo vnquam corrigere poterit quem Dominus contem-

pferit, Ecclesiastici 7.b.14.

11 *Iehoua, utcunque exaltata fuerit manus tua, non uidebunt: uidebunt, & pudefient aemulatione populi: quin & ignis hostium tuorum uorabit eos.*

Iehoua, utcunque exaltata fuerit manus. [V] Quidam, Magnificata est manus tua, & non vident. id est, Magnifica fecisti opera, nec aduertunt. Alii, Quum exaltata fuerit manus tua, non aspicient. Alii, Quum extollitur manus tua, vt percutias, ipsi non vident. [C] Explicatio est superioris sententiae. Nihil enim noui adfert: sed planius facit quod paucis antea perstrinxerat. Prius enim dixit impium non visurum magnificentiam Domini: nunc quae sit illa magnificentia explicat: ea videlicet quae in operibus Dei apparet. Nec enim mittit nos ad occultam illam maiestatem quae nobis abscondita est, sed ad opera adducit quae *μετωνυμικῶς* per manū significat. [H] Excelsa ergo manus Dei, excelsa sunt potentiae illius facinora, quibus saepenumero poenas magnificè de rebus sumpserat, & potentes impios in sublimi constitutos ipse sublimior omnibus humiliauerat. Hanc excelsam manum impius & peccator nō considerat, sed perinde in oculis magnificentiae eius iniquè agit acsi nihil prorsus expectandum esset periculi. [C] Hic itaque Propheta rursus accusat impios, atque ostendit eos non posse ignorantiae praetextu excusari. Quamuis enim nihil cernant, tamen perspicua est Dei manus: nec quicquam obstat quàm caeca eorum ingratitudo, imò voluntaria socordia, quominus eam conspiciant. Possent enim nonnulli ignorantiam causari, sibique haec opera non patere: sed exaltatam esse manum dicit, non solùm exertam, ita vt non paucis quibusdam sit visibilis, sed eminus refulgeat. *Videbunt.* [C] Satis ostendit hunc aspectum diuersum esse ab eo de quo antea loquutus est, quū diceret impios non videre gloriam Domini. Vident enim, sed non animaduertunt, neque obseruant: sed tandem visuri sunt: at nimis serò, magnóque suo malo. Postquam enim diu abusi fuerint patientia Dei, seque peruicaces & obstinatos praebuerint, tandem iudicia Dei agnoscere cogentur. Sic Cain, Esau, & similes, quos scelerum nimis serò poenituit, quamuis refugerent conspectum Dei, videre tamen coacti sunt ipsum iudicem. Ita suis contemptoribus Deus sensum aliquem saepe extorquet quo illustret suam potentiam. Sed nihil eos iuuat talis cognitio. Sic igitur Propheta minatur impiis, postquam eos caecitatis arguit, vt ostenderet omni ignorantiae praetextu carere: ac denuntiat fore tempus quo intelligent cum quo sibi fuerit negotium, túncque sensuros minime spernendum esse nomen illud caeleste quod nunc pro fabula ducunt & aspernantur. Clausis enim oculis sibi indulgent, & nos habent ludibrio, nec Deum iudicem fore existimant: quin potius in miseriis & aerumnis nostris spectaculo ipsis sumus. itaque nos velut ex alto despiciunt, magisque ac magis obdurantur: sed veros tandem cultores Dei operam suam non lusisse intelligent. *Et pudefient aemulatione populi.* [V] Quidem vertunt, Videbunt & confundentur zelo populi. Alii, Videbunt aliquando, & pudefient aemulatione quadam populi tui. Alii, conuerso ordine vocum Hebraicarum, Videbunt zelum populi tui, & erubescent. Et alium populi exponunt aemulationem qua Deus populum suum prosequitur. [B] Sed aliud voluit Propheta. Nam vt doceat conspectum hūc gloriae Dei non modò impiis esse inutilem, sed noxium, cum pudore visuros dicit Dei erga fideles benedictionem, cuius ipsi erunt expertes. Deinde poenae atrocitatem auget, dicens, *Quin & ignis hostium tuorum uorabit eos.* [V] Ad verbum, ignis hostes tuos consumet eos. Redundat pronomen eos. Alii, ignis inimicorum tuorum absumet eos. [C] Dicit quòd impii non tātùm vrentur aemulatione, quum videbunt filios Dei ereptos ex istis miseriis atque in gloriam euectos esse, sed etiam accedet aliud malum, nempe quòd hostili igne vorabuntur. Ergo zelos populi hic indignationem significat quam concipiunt reprobi dum sortem piorum cum sua comparant. Ignem hostium vocat quo Deus hostes suos consumit. ignem enim accipit pro Dei vltione. Quia hic non sumi debet pro igne visibili quo vtimur, nec etiam pro fulmine duntaxat: sed metaphoricè accipitur pro diro cruciatu, vt saepe etiam alias Scriptura extremam Dei vltionem hoc nomine significat. Nec enim satis disertè exprimi potest hic cruciatus. Quanquam probabile est Prophetam ad Sodomae & Gomorrhae interitum alludere, Gen. 19.e.24. [H] Moses autem minatus est Israeli peccaturo esse zelum Dei, ignem consumentem ac deuorantem. Sic enim legimus, Ignis enim succendetur in furore meo, & ardebit vsque ad infernum inferiorem, deuorabitque terram & fructū eius, & inflammabit fundamenta montium, Deuteron. 32.d.22. Et Deus ipse populum suum peccantem, hostes suos vocat, dicens, Reddam vltionem hostibus meis, & iis qui oderunt me retribuam, Deut. 32.f.41. Ergo idem Deus qui nubes est obumbrans electis ac fidelibus, ignis est consumens hostibus & inimicis suis. Videtur certè iam hic quàm praecedens versus specialiter de impio Iudaeorum populo exponendus, qui per Babylonios erat vastandus, perdendus, & in exilio periturus.

12 *Iehoua ordinabis nobis pacem. nam & omnia opera nostra operatus es nobis.*

Iehoua ordinabis nobis pacem. [V] Quidam, Iehoua dispones pacē nobis. Alii, Stabilies, praeparabis. Alii, dispone, vel stabili. [C] Id est, da nobis pacem. Nam verbum שפת (quod ordinare significat Hebraeis) tantundem valet ac stabilire: quasi diceret, Cōtinua serie pacem nobis contexes. Nam impii quoque fruūtur pace, sed non diuturna. Pax verò nostra in Domino stabilita est, firmumque fundamētum habet, nec vllo tempore nutat. Pertinet ergo haec sententia ad piorum consolationem: acsi diceret, Videmus qualis futurus sit exitus impiorum. Eos enim filiorū consortio abdicabis, ac velut hostes igne absumes: nos verò beati futuri sumus. Nā pacis nomine solida foelicitas designatur. [M] Hoc genus dispositionis de quo Vates loquitur, certo fit consilio, & certis hominibus, quemadmodum legata haereditaria disponi solēt. Sic Christus disponit electis ac fidelibus suis regnum quemadmodum ipsi disposuit Pater ab aeterno, Luc 22.c.29. [C] Hinc ergo colligamus, solos filios Dei, qui in ipso quiescūt, beatos esse. Impiorum enim vita, vtcunque deliciis & voluptatibus abundet, dum ex voto illis omnia fluunt, miserrima est. Nullū igitur est pacis firmamentum nisi in paterno Dei amore. [C] De hac vera & solida pace loquitur Christus, eámque suis discipulis confert, dicens, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quo modo mundus dat, ego do vobis, Iohan. 14.d.27. Nam hypocritae in hoc seculo semper trepidant, fideles verò & electi certi sunt & fidunt diuina misericordia pacem nunquam sibi defuturam. *Nam & omnia opera nostra operatus es nobis.* [V] Alii per praesens, operaris. q.d. Tu solus author es bonorum omnium quae nobis contingunt. [B] Nā per opera intelligit Esaias omnia beneficia quibus Dominum prosequitur suos fideles: acsi dixisset, Res, negotia, actiones, & quaecunque sunt ex vsu nostro: Gallicè, *Nos affaires.* [M] Q.d. Quicquid nobis faciendum erat vt liberaremur ac paci restitueremur, tu nobis effectum dedisti. Vel, in nobis effecisti. [C] Qui ergo hoc testimonio vsi sunt ad euertendum liberū arbitrium, Prophetae mētem assequuti non sunt. Verum quidem est Deū solum bene agere in nobis, & quicquid rectè instituunt homines, esse ex illius Spiritu: sed hic simpliciter docet Propheta, omnia bona quibus fruimur ex Dei manu adeptos esse. Inde colligit nullum fore beneficentiae finem donec plena foelicitas accedat. Caeterùm quum Deus author sit omniū bonorum, ea quae primum ac praecipuum locum tenēt, imprimis consideranda. Nam si Deo accepta ferri debent ea quibus vitam hanc tuemur, multo magis quae ad animae salutem pertinent. Ergo si in rebus minutis beneficentiam eius agnoscimus, quanto magis in maximis & praestantissimis agnoscere decebit? Sed non est cur hunc locum obiiciamus Papistis ad eorum doctrinam refellendam, quum facilè ipsum eludere possint, multisque aliis apertissimis abūdemus. Itaque videtur hic Propheta incitare pios ad gratitudinem testificandam. Iubet enim ipsos ita praedicare beneficia Dei vt quicquid habent, ab eo se tenere fateantur. [A] Sicuti etiam Paulus dicit, Quid habes quod non accepisti? 1.Cor.4.b.7. Et Iacobus. Omnis donatio bona, & omne donū perfectū è supernis est, descēdens à Patre luminum, Cap.1.c.17. [C] Atque hic continetur vtilis doctrina, pios videlicet ex rebus anteactis & beneficiis acceptis, de futura etiam beneficentia Dei ratiocinari, ac colligere se quoque in posterum ipsi curae futuros. Expertis igitur beneficia Dei, in futurum quoque sperare discamus. Quū se tam beneficum & liberalem praestiterit, animos nostros in spe futuri auxilii confirmet et obfirmemus. Hoc exemplum pii omnes sequuti sunt, fidemque suam hoc modo aluerunt. Sic enim Dauid, Opus manuum tuarum non despicies, Psal. 138. b.8. Et Paulus, Qui coepit in vobis opus bonum perficiet, Philip.1.a.6. Item Iacob, Minor sum miserationibus tuis & veritate quam exhibuisti seruo tuo: sed tu dixisti, Benefaciendo benefaciam, &c. Gen. 32.c.10. Nec enim Deus similis est hominibus, vt fatigari benefaciendo, aut exhauriri largiēdo possit. Quo pluribus ergo beneficiis nos cumulauit, eo magis spes nostra confirmari debet ac augescere. [A] Semper enim sui similis est Deus noster, nec vnquam eos deseret qui omnem suam fiduciam in illum collocant, & toti ab eo pendent.

13 *Iehoua Deus noster subiugauerunt nos, domini praeter te:*

tantùm in te recordabimur nominis tui.

Iehoua Deus noster, subiugauerunt nos. [v] Vel, Dominati sunt nobis. [c] Hic versus continet querimoniam piorum quòd tyrannide impiorum oppressi fuerint. Est enim cõpositum hoc carmen ad erigendos fidelium animos, qui duro exilio eiiciendi erant è terra illa, quæ symbolum erat æternæ fœlicitatis: vt sacrificiis & sacris conuentibus omnique fere consolatione priuari, sub duro Babyloniorum iugo constricti, extorres à patria, ignominia & malis ingentibus obruti, suos ad Deum gemitus perendæ leuationis causa dirigerent. Loquitur ergo nomine fidelium qui in speciem à Deo reiecti videbantur, nec tamen desinebant testari se populum Dei esse, atque in eum sperare. Alienũ autem à Deo imperium meritò se ferre deflẽt, quia in suum vnius patrocinium eos receperat. Vnde sequitur, nisi fuissent ab eo alienati, non subituros fuisse tam duram sortem vt tyrannicæ hostium libidini expositi forẽt. Omnes quidem principes præter Deum dominari videntur, etiamsi eius nomine præsint: verùm non loquitur Propheta de iis qui bono nostro præsunt, sed de alienis à vero cultu, & piæ doctrinæ contrariis. Dauid quidẽ erat aliquis dominus præter Deum, sed simul legitimus Dei minister in communẽ totius populi salutem: ideóque veram religionem tuebatur, quam hi omnino euersam voluissent. Hoc autem meritò Iudæis ipsis acciderat, vt quum Deo benignissimè eos tractanti parere noluissent, sub impiorum tyrannidem redigerentur. Est enim hic tacita antithesis inter Deum piosque reges, qui eius nomine & auspiciis populum gubernauerant, & tyrannos qui legibus iniquissimis imperantes ipsum deinde oppresserunt. Planius hoc fiet simili Ezechielis loco, Dede iam, (inquit) illis leges bonas in quibus victuri essent: sed quia non fecerunt iudicia mea, & statuta mea abiecerunt, & profanauerunt statuta mea, & direxerunt oculos ad idola patrum suorum, ob id ergo dedi eis statuta non bona, & iudicia in quibus non viuent, Ezech. 20. d. 24. Quum possent antea Dei benedictione prosperè & fœliciter agere, si eius verbo paruissent, minatur Propheta tyrannis fore obnoxios, vt inuiti pareant rigidis eorum edictis: & quidem absque profectu vel mercede. Similem nunc miseriam deplorat Propheta, Quũ Dominus imperaret nobis, non potuimus sorte nostra esse contenti: nunc duram tyrannidem ferre cogimur, meritásque pœnas damus nostræ improbitatis. Eadem querimonia vti possunt fideles qui degunt sub Papatu, aut qui ad iniquas superstitionum leges quoquomodo adiguntur. Imperium enim subeunt quod præter Deum est, atque sustinent plusquam barbaram seruitutem, qua non obstringuntur corpora, sed animæ ad lanienam & carnificinam ducuntur, dum multi dominantur præter Deum. [m] De quibus rectè dixeris, Ipsi regnant, sed non ex Domino: principes & Episcopi sunt, sed non agnoscit eos Dominus. Verùm simul agnoscenda sunt hac in re peccata nostra, quibus irritatus Dominus eiusmodi dominos Ecclesiæ suæ imposuit. Propter peccata terræ (inquit Solomo) multi principes eius, Prouerb. 28. a. 2. *Tantùm in te recordabimur nominis tui.* [v] Quidam, Recordati sumus. Alii, Duntaxat tamen tui nominisque tui recordabimur. Alii, Sed nos recordabimur tantùm tui & nominis tui. Alii, Et tamen tantùm de te memorabimus nomen tuum. Id est, In gloriam tuam mentionem faciemus tantùm nominis tui. Vel, Tibi vni gloriam & honorem dabimus. [c] Hæc particula videtur opponi superiori, in hunc sensum, Tametsi velint nos abducere profani homines à dominio tuo, nos tamen sub eo perstabimus, quoniam certò persuasi sumus nos esse tuos. Sed pleniorem doctrinam elicere licet, tametsi dictet sensus carnis, relictos esse à Deo & in prædam expositos qui crudeliter ab inimicis vexantur, Iudæos tamen non desinere in Deo gloriari, quem sibi propinquum non cernunt: quia sola nominis eius recordatio eos sustentat, spémque eorum suauiter fouet. Ita subest antithesis valde emphatica inter memoriam nominis Dei, & præsentem experientiã gratiæ eius. Raræ enim virtutis est Deum, quanuis absentem, constanter amplecti. [h] Dicunt ergo fideles, Quanuis affligamur secundum externum hominem, tamẽ tu es Deus noster, & triumphas in nobis qui spem in te posuimus. [m] Certè multum roboris confert homini pio si in aduersis non obliuiscatur Domini Dei sui. Huius recordatio animum in fide, obedientia, & patientia confirmat. Hinc est quòd defectoribus ac sceleratis obliuio Dei obiicitur. [c] Magna verò hic consolatio nobis proponitur, admodumque necessaria his temporibus, quibus peruersa hominum ingratitudo durissimam tyrannidem excusso Dei iugo sibi arcersit. Nec mirum si iam multis in locis, vbi nomen Dei inuocatum est, eam grassari videamus. Non est tamen cur propterea pii animum despondeant: modò hac se consolatione fulciant, nunquam à Deo penitus deseri quibus in recordatione nominis eius satis solatii est: sed fidem hanc necesse est simul testari, vt mori decies malint quàm se profanando à Deo discedere: quia vbi hominum metu quis præuaricatur, certum est nullum dulcedinis nominis Dei gustum vigere. Quandiu ergo liberam habemus fruitionem verbi, nos diligenter in eo exerceamus: vt quum vsus postulabit, armati simus, atque ita nos in vmbra de nihilo philosophatos non esse appareat. Quidam adiecta conditione hunc sensum eliciunt, Domine, si fiat vt alieni nobis dominentur, hoc saltem præsta, vt tuum nomen, (hoc est, maiestas tua) nobis non excidat. Sed altera expositio quam adduximus, longè aptior & conuenientior est.

14 *Mortui non viuent, occisi non resurgent: propterea visitasti & exterminasti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.*

Mortui non viuent. [v] Alii, subaudito verbo substantiuo, Mortui sunt, non viuent. Vel, Exanimes sunt. Alii, Vita defuncti. Alii, Occisi. [a] Quidam interpretantur hunc locum de fidelibus, qui mori videntur sine vlla spe resurrectionis: sed de reprobis loquitur Propheta. quod magis patebit ex sententia dissimili quam 19 versu subiiciet. Est enim oppositio inter piorum & impiorum resurrectionem, inter quos parum esset discriminis nisi hos æternæ morti addictos esse, illos verò beatu ac æternæ vitæ destinatos cõstaret. Nec solùm æterna mors impios manet, sed quicquid iam in hoc mundo patiuntur, initium est interitus sempiterni, quia nec vlla consolatione erigi queunt, & sentiunt Deum sibi infestum. Itaque concionatur Propheta de infœlici exitu impiorum, quorum fœlicitas nos sæpe commouet atque sollicitat: quemadmodum apud Dauidem legimus, Psal. 37. a. 1, & 73. a. 3. Ne ergo perstringantur oculi nostri præsenti rerum aspectu, miserrimum fore eorum exitum denuntiat. *Occisi non resurgent.* [v] Quidam, Mortui sunt, non resurgent. Alii, Non viuunt gigantes, non surgunt. [a] Sed quũ in plerisque Scripturæ locis רפאים pro occisis accipiatur, sic etiam hoc loco melius quadrabit, quoniam alioqui nõ starer antithesis. [m] Sensus est ergo, Domine pacem nobis dispones, qua iam fruimur: verùm hostes illi tui, qui magnificẽtiam tuã nõ considerarunt, sed peruersè agere perrexerunt, non viuent amplius, nec occisi ad vitam redibunt, [a] cuius participes futuri sunt electi tui omnes. *Propterea visitasti & exterminasti eos.* [c] Hoc explicationis gratia positum est: quia causam ostendit cur sine spe intereant reprobi: quia scilicet Dei consilium est eos perdere. Porro in ira Dei nihil præter mortem & exitium ipsis expectandum est. *Et perdidisti omnem memoriam eorum.* [v] Alii per futurum, Perdésque omnem memoriam eorum. [m] Significat eos non esse communi morte, vel senio, vel morbo perituros, sed singulari vltione Dei sublatum iri è medio. Q. d. Sic eos disperdes vt & memoria eorum prorsus despicata euanescat.

15 *Addidisti genti Iehoua, addidisti genti: glorificatus es: dilatasti omnes fines terræ.*

Addidisti genti Iehoua. [v] Quidam per futurum, Augebis genti tuæ, augebis inquam genti tuæ beneficia: glorificaberis in ea, posteaquam extenderis illam in omnes fines terræ. Q. d. Multis ac variis beneficiis afficies eos: disperges quidem illos, sed tamen aderis illis. [c] Alii putant hic indicari à Propheta pios nõ vno tantùm afflictionis genere premi, sed quasi in extremas miserias demergi, nec vllum iis esse finem malorum. Sed vt genuinum sensum eliciamus, præstat quod statim sequitur cum hac sententia coniungere. *Dilatasti omnes fines terræ.* [a] id est, Propagasti imperium tuum, quod prius angustis finibus continebatur. Nam posterius membrũ prioris interpretatio est: ac optimè respondet quod dicitur, Deum esse glorificatum. Scimus enim nulla ex re melius elucescere Dei gloriam quàm ex Ecclesiæ incrementis. Idẽ igitur est acsi diceret, Quũ prius tibi exiguus esset populus, tu illum multiplicasti atque adauxisti. Cooptatæ enim sunt gentes, & adiunctæ Iudæis, hac lege vt vnus & idem populus ex iis efficeretur. Ita immensam multitudinem addidit Dominus: quoniam filii Abrahæ ex omnibus nationibus vocati sunt. Subaudiendum ergo hic nõ Beneficia, sed Maiorem numerũ addidisti, tu hũc sensum, Domine tu illa paucitate non contentus, populũ immensum tibi ex omnibus nationibus collegisti. Hoc autem ad regnum Christi pertinet: quod Euãgelii prædicatio per totum orbem propagauit. Quam amplitudinem hoc loco celebrat Propheta, & designat hoc verbo dilatandi. Quæ loquutio non est à cõmuni vsu loquendi aliena, quũ imperii aut finium ampliatio significatur. Neque tamẽ intelligit terrã ampliorem factam, sed diffuso in omnes partes Dei cultu, propter mutuam com-

municationem fuisse amplius spatium & habitationẽ magis liberam: quia dissidia quandam secum restrictionem ferebant. Dicit ergo Vates, Tu auxisti Ecclesiam tuam accessione gentium: atque ita dominator gloria tua per Euãgelium in omnes terminos terræ. Hic habemus promissionẽ de vocatione Gẽtium, quæ pios in exilio illo & misera dissipatione Ecclesiæ non parum recreare debuit, vt quamuis se mirum in modum accisos atque imminutos viderent, persuasum tamen haberẽt se ita adauctum iri, vt non tãtùm infiniti essent numero, sed etiam vt exteræ nationes & alienæ ipsis adiungerentur. Quod contigit reuelato Christo, qui tandem suos misit per orbem vniuersum, vt docerent omnes gentes, & errantes oues ac dissipatas in ouile suum colligerẽt, vt vnum fieret ouile & vnus pastor. Qua de re vide Marc.16.c.15, & Matth.28.d.19, & Iohan. 10.c.16.

16 *Iehoua, in tribulatione visitauerunt te, effuderunt precationem, dum castigatio tua super eos.*

Iehoua, in tribulatione visitauerunt te. [a] Alii, Recordati sunt tui. Vel per futurum, memores erunt tui. [c] Esaias in persona Ecclesiæ loquutus est, vt quoties pii legerẽt hanc sentẽtiã, agnoscerent se in miseriis & ærumnis propiores esse Deo quàm quũ prosperis rebus fruebantur, quibus semper fere, quæ est prauitas naturæ nostræ, nimiũ efferimur atque insolescimus. Idcirco nos cõstringi plagis ac domari necesse est. Atque hæc cogitatio asperitatem pœnarum mitigabit, nec ab iis tantopere abhorrebimus, si eas nobis fructuosas esse intelligamus. [c] Interea notãdum quàm simus corruptæ naturæ. Beneficiis affecti reddimur insolescentes etiam contra eum ipsum à quo accepimus omnia manu gratuita & largissima: rursus rebus aduersis attriti ac pressi, redimus ad eum quem in prosperis cõtempseramus. A dante auertimur, ad auferentem ac verberãtem supplices redimus. Quum tales simus, nostro vitio fit vt larga Dei manus contracta reddatur, & in flagellantem mutetur. Et hac ratione Propheta crucem & afflictionem nostrã vocat eruditionem. Plagis erudiendi sunt qui beneficiis deteriores redduntur. *Effuderunt precationem.* [a] Vel, orationem. [c] לחש significat murmur. non est igitur accipienda hæc dictio pro articulata oratione, sed pro ea quæ index est animi constricti magnis doloribus, vt qui summo cruciatu angũtur, vix effari aut animi sui sensa exprimere possunt. Itaque verã omnisque simulationis vacuã inuocationem significat: cui tunc demum homines studebũt quum grauiter afflicti gemitus summi doloris testes proferent. Rebus enim prosperis homines velut plenis buccis loquuntur: aduersis deiecti, vix hiscere audent, animoque magis quam lingua affectus suos declarant. Hinc gemitus illi inenarrabiles, de quibus loquitur Paulus Rom.8. e.26. Hæc igitur de piis pronunciat Esaias, ad eósque restringi debet hæc doctrina. Impii enim, quamuis aliquas lamentationes extorqueat dolor, magis obdurescunt, deterioresque ac peruicaciores redduntur. Interim admonemur quid faciendũ sit in tribulationibus. Cauendum ab impatientia, cauendum à consiliis carnis, cauendum à desperatione, & confugiẽdum ad opem diuinæ clementiæ, idque non obiter sed ex animo supplicando. *Dum castigatio tua super eos.* [a] Hoc est, dum cruce & afflictionibus ad tẽpus eos corripuisti. [c] Hic fructus flagellorum est quibus compelluntur homines redire ad eum quem in prosperitate contempserant.

17 *Sicut prægnans quæ ad partum appropinquat, dolet, clamat in doloribus suis: sic nos fuimus à facie tua Iehoua.*

Sicut prægnans quæ ad partum appropinquat. [a] Aliis verbis ostẽdunt iusti suos dolores quos hic ferunt. Nam tribulationem suam comparant dolori & anxietati mulieris prægnantis, quæ partui vicina omniũ esse mœstissima, & in ipsis doloribus cõstituta admodum clamare solet. Sic, inquiunt, fuimus nos quũ abs te castigaremur, Domine. [c] Vnde colligimus nõ solùm de tristitia Prophetam loqui quæ ex molestiis vel incommodis externis oritur, sed potius respicere ad horribiles cruciatus quibus longè vehementius & atrocius torquentur piorum animi dum iratum sibi Deum sentiunt, & conscientiis suis arguũtur. Nullus est corporis dolor tam acerbus qui cum eo cõparari possit. [c] Et hoc disertè exprimitur particula, *A facie tua.* Vel, Coram te. In conspectu tuo. [c] q.d. Tam graues & acerbos dolores sustinuimus propter iram tuam vt cruciatus nostri in apertos & violentos clamores eruperint.

18 *Parturiuimus, doluimus, acsi peperissemus uentum: salus non est facta terræ, & non ceciderunt incolæ orbis.*

Parturiuimus, doluimus. [a] Alii legunt, Concepimus, parturiuimus. *Acsi peperissemus uentum.* [a] Quidam, Sed peperimus tanquam ventum. Ordo inuersus: id est, non verum fœtum, sed rem similem vento. Q. d. Non verè peperimus. nam mulier quum peperit, soluta est omnibus doloribus. nos autem quum liberati sumus ex vna tribulatione, mox incurrimus multam. [c] Ergo modũ similitudinis excedit Propheta, quia vbi nullus est malorum exitus, deterior sit piorum conditio quam parturientium. Hæ enim doloribus tandem suis liberatæ, exultans gaudio quum partum conspiciunt, omniumque dolorum obliuiscuntur: piis verò ait nullum esse finem pariendi: quia semper nouæ ærumnæ ac miseriæ imminent, & quum partum instare putant, nihil præter angores edunt. Hoc enim significat per ventum: nempe nullam doloris liberationem apparere. [c] Quidam sic vertunt, Et angimur vt vix spiritum trahere possimus. *Salus non est facta terra.* [a] Quidam vertunt, Salutes nõ sunt factæ. Alii, Res salutum non est facta. id est, needum omnino liberati sumus. [c] Vel, Nulla nobis apparet salus. *Et non ceciderunt incolæ orbis.* [a] Alii, Nec ceciderunt habitatores orbis. נפל enim cadere significat. Alii exponunt habitare. Si eo sensu accipere libet, talis erit sentẽtia, Non habitabunt Iudæi: id est, Non redibunt in terram suam: incolæ qui eam occupant, non peribunt. Si verò sequamur vulgarem interpretationem, hoc ad impios referendum erit, Incolæ orbis nos vexant, neque cadunt: iis omnia prosperè eueniunt. Quandiu enim florẽt impii, necesse est filios Dei miseros esse, similésque reddi parturientibus. Atque hæc conditio nobis placidè subeunda, si nobis optabile est in Dei grege censeri. Hæc quidem communis omnium sors est vt varias atque etiam infinitas ærumnas ferant: (vnde illud veterum prouerbium, beatum esse non nasci, aut natum statim decedere è vita) sed videmus pios extremis supra alios affici angoribus, grauissimisque ærumnis exerceri. Sic enim vult Dominus ipsorũ fidẽ probare, vt cupiditatibus suis valere iussis, abdicatóque mundo ipsi seruiant. Quum itaque Dominus peculiarem de iis solicitudinẽ gerat, necesse est vt eos castiget, interim dum impios exultare & lasciuire sinit. Hic etiam monemur non vnam solùm aut alteram calamitatem perferendam esse: vt ne putemus nos defunctos esse vbi aliquas ærumnas pertulerimus, quia semper ad nouas paratos esse oportet. Sic castigare suos incipit Dominus, vt nõ statim desinat. Edemus vẽtum, vbi partum instare putabimus: recrudescent mala, nósque noui subinde dolores corripiẽt. [a] Defungendum igitur hac militia, quandiu nos in ea exercere volet. Quo spectãt ea quæ de variis afflictionibus scribũt Apostoli, Act.14.d.22, & Iaco.1.a.2, & 1.Pet.1.a.6. [c] Proinde sequemur interpretationem magis vsitatam, Nõ corruerunt. Vt enim Dominus suos exhilarat quum eis patefacit salutem suam, atque vlciscitur impios, sic ipsis gemendi occasio affertur quandiu hostes suos in sublime euectos, summáque imperia tenentes vident. Quòd si Dominus ita exercuit Ecclesiam suam, nõ est quòd miremur idẽ nobis hodie quoque vsuuenire. [a] Sicut dicit Petrus, Charissimi ne miremini dum per ignem exploramini (quæ res ad experimẽtum vestri fit) perinde quasi nouum aliquid vobis obtingat, &c. 1. Pet. 4.c.12. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit, Heb. 12.b.6. [c] Incolas orbis profanos & à pietate alienos homines intelligit. Nam reliquum orbem opponit Iudææ, quã prius κατ' ἐξοχὴν terram nominauit, eiusque incolas separatim designat. [a] Ergo quandiu degimus in carne, & viuimus in hoc tabernaculo, nondũ omnino prosternitur tyrannis: sed nobis interim sufficit gratia Dei, etiamsi ad preces nostras statim stimulus & tentatio non auferatur.

19 *Viuent mortui tui, cadauer meum, resurgent. Euigilate, & cantate incolæ pulueris. Quoniam ros herbarum, ros tuus: & terra mortuos eiiciet.*

Viuent mortui tui. [a] Alii per præsens, Viuunt mortui tui. [c] Pergit in eadem consolatione Esaias, sermonémque suum ad Deum conuertit: in quo ostendit nihil omnino melius esse quàm animos in Deo colligere, quoties cum tentationibus certãdum est. Nihil enim magis periculosum quam in nostris cogitationibus vagari, iisque indulgere, quũ nihil aliud quàm nos sursum & deorsum agitare, nósque in errorem impellere possint. Ergo nihil omnino tutius quàm nos ad Deum recipere, in quo solo animi nostri conquiescere possunt. Alioqui multa occurrent quæ fidem nostram labefactabunt. Summa autem est, quia fideles custodit Deus, quamuis mortuis sint similes, victuros tamen in ipsa morte, vel ab interitu ereptos

surrecturor. ᵃ Acsi fideles dicerent, Quamuis destinati fuerimus occisioni, & numerati inter mortuos, viuemus tamen ó Deus, & post tot afflictiones refocillabimur. ᶜ Sed quæri potest de quo tempore loquatur Esaias. ᶜ Multi enim de vltima resurrectione interpretantur hunc locum. Iudæi ad regnum Messiæ referunt: sed in hoc falluntur quòd statim primo Messiæ ingressu hoc impleri putãt. Falluntur etiam Christiani quòd ad iudicium extremum restringũt. Nam Propheta totum Christi regnum ab initio ad finem vsque comprehẽdit: quum spes viuendi mundum hunc transiliat, vt paulo post videbimus. Iam vt totam Prophetæ mentem melius assequamur, primò expendere conuenit non generaliter sed solis Dei mortuis vitam promitti. Loquitur autem de fidelibus qui in Domino moriuntur, & quos ipse manu sua protegit. Scimus Deum esse Deum viuorum & non mortuorum, Matth. 22. c. 32. Ergo si Dei sumus, haud dubiè viuemus. Sed interea nihil à mortuis differre oportet. Vita enim nostra abscondita est, Coloss. 3. a. 3. Nec adhuc ea cernimus quæ speramus, Rom. 8. ita loquitur simpliciter de mortuis, id est, de conditione fidelium, qui in mortis vmbra iacent, propter varias ærumnas quæ ipsis assiduè ferendæ sunt. Vnde apparet ad vltimam resurrectionẽ hoc restringendum non esse. Nam econtrario dicimus, reprobos, etiam dum viuunt, mortuos esse: quia paternum Dei fauorem in quo posita est vita, nõ gustant, ideóque in bruto suo stupore euanescunt. Fideles verò, quum ad Deum confugiãt, vitam in medijs ærumnis atque adeo in ipsa morte obtinent. Sed quoniã diem illum resurrectionis propositum habẽt, propriè viuere non dicuntur, vsque ad illum diem quo omnis doloris & corruptionis immunes vitam in solidum obtinebunt. Et sanè Paulus rectè admonet præposterum fore ordinem si vita fruerentur, donec Christus qui fons est vitæ eorum, apparuerit. Ideóque diximus Esaiam vniuersum Christi regnum comprehendere. Nam etsi huius consolationis fructum percipere incipimus quum in Ecclesiam cooptamur, non prius tamen eo in totum potiemur quàm aduenerit vltimus ille dies resurrectionis, quo omnia perfectissimè instaurabuntur: qui etiam ea ratione vocatur dies restitutionis, Act. 3. d. 21. Hoc ad leniendos piorum dolores vnicum remedium est, oculos in exitum conijcere quo Deus ipsos à reprobis discernit. Sicut mors naturaliter omnibus Adæ filijs interitus est, ita miseriæ omnes quibus obnoxij sunt in mundo, præludia sunt mortis. Ideoque vita eorum nihil aliud est quàm mortalitas. Sed quia Christi beneficio aboletur maledictio Dei tã in exordio quàm in fine mortis, meritò quicunque insiti sunt in Christi corpus, dicuntur moriendo viuere: quia omnia mala illis adiumenta sunt in bonum. Vnde fit vt semper ex abyssis mortis victores emergãt, donec in solidum capiti suo vniantur. Quare vt censeamur inter Dei mortuos, quorum vitam fideliter custodit, supra naturam assurgere nos oportet. Hoc idem melius exprimitur per nomen נבלה aut cadaueris: acsi diceret non obstare Dei potentiæ diuturnam putredinem, quo videntur consumpti, quominus integri resurgant. *Cadauer meum*, inquit, *resurgent.* ᵞ Quidam vertunt, Cum cadauere meo resurgẽt. Id est, cum corpore meo, siue vnà mecum. ᶠ Alij resoluunt, Qui sunt cadauer meum. Alij, subaudiẽtes particulam similitudinis, sicut cadauer meum. Alij in numero plurali, Cadauera mea. Sed quia optimè conueniet sensus si nihil addendo, vel mutando, simpliciter teneamus quod verba sonant, præstat appositiuè accipere. Saltem nomen hoc data opera inseritur vt se toti Ecclesiæ associet Propheta, atque ita Dei mortuis se annumeret, in spẽ resurrectionis. Quòd autẽ sui peculiariter meminit, maiorem cõfirmationem affert huic doctrinæ. Eo enim se ex animo loqui testatur, atque hanc confessionem fructum fidei esse ostẽdit. Iuxta illud, Credidi, propterea loquutus sum, Psal. 116. b. 10, & 2. Cor. 4. c. 13. Possent enim alioqui profani homines cõcionari de misericordia Dei & vita æterna, qui tamẽ nihil animo de iis persuasum haberẽt. Nam & Balaã sciebat se vera loqui, nec tamen vllum ex vaticinijs suis fructum percipiebat, Num. 22. d. 18, & 23. c. 19, & 24. c. 13. Aliter hic loquitur Propheta. profitetur enim se ex eorum numero esse qui vitam adepturi sunt: atque ita significat se libenter ferre omnes ærũnas & calamitates, quibus Dominus ipsum mortificat, eásque perferre malle quã florere cum impijs. Hoc modo testatur se non loqui de rebus ignotis, aut quæ nihil ad se pertineant, sed quas experientia ipsa didicerit: tantáque se fiducia præditũ esse ostendit, vt libenter se ijs cadaueribus annumeret quæ in vitam restitutum iri confidit: atque ideo malit cadauer esse & censeri, modò censeatur membrum Ecclesiæ, quàm extra ipsam vigere. Atque hinc plus efficaciæ habet doctrina. Eam autem superiori illi sententiæ opponit, qua dixit de impijs, Non viuent, versu 14. Est enim ipsis sublata spes resurgendi. Si quis obijciat, resurrectionem non pijs tantum sed reprobis quoque communem fore (ᴬquemadmodum habetur Ioh. 5. e. 29, & Act. 24. d. 15.)ᶜ facilis est solutio. Nec enim de resurrectione solùm tractat Esaias, sed de fœlicitate qua pij fruentur. Resurgent quidem improbi, sed ad interitum sempiternum. Itaque exitialis eis futura resurrectio est, quum pijs salutaris & gloriosa futura sit. Sicuti colligere licet ex verbis Danielis, cap. 12. a. 2, & Christi, Ioh. 5. e. 29, & Matth. 25. d. 46. *Euigilate & cantate incolæ pulueris.* ᵞ Alij, Expergiscimini & laudate habitatores pulueris. ᶜ Incolas pulueris fideles vocat, qui sub cruce & ærumnis humiliantur, quique in ipsa vita mortem præ oculis assiduè habẽt: ᴬ & qui cum Propheta & Apostolo dicere possunt, æstimati sumus sicut oues occisioni destinatæ, Psal. 44. d. 23, & Rom. 8. g. 36. ᶜ Fruuntur quidem beneficijs Dei in vita: sed hac metaphora miseram eorum conditionem significat Esaias, quòd imaginem mortis gerant. Nam externum hominẽ mortificari & tandem concidere oportet, donec prorsus intereat, vt interior renouari possit, Rom. 6. a. 6, & 2. Cor. 4. d. 16. Nos igitur libenter in puluere iacere atque humiliari oportet, si huius consolationis participes esse velimus. Itaque mortuos expergisci atque exultare iubet: quod ab eorum conditione vehementer alienum esse videtur: nam apud eos nihil præter triste silentium est. Manifestum igitur discrimen notat inter electos Dei (quos sepulchri corruptio & habitatio pulueris nõ prohibebit cœlesti virtute quominus expergiscantur) & reprobos, qui à Deo vitæ fonte, & Christo separati, viuendo tabescunt, donec tota à morte exorbeantur. *Quoniam ros herbarum, ros tuus.* ᵞ Alij, Ros olerum, ros tuus. Id est, quo pullulant ac germinant aluntúrque herbæ: quanto magis virtus tua excitatura est mortuos ac sepultos in terra? ᵉ Promittens Vates mortuis Dei rorem herbarum, eleganti similitudine hanc doctrinam illustrat. Videmus enim herbas, ac præsertim pratorum, hyeme exarescere, ita vt penitus mortuæ videantur: (nec enim aliter ex superficie iudicari potest:) subtus autẽ radices latent, quæ quum ineunte vere rorem ebiberint, vigorem suum emittunt: ita vt herbæ antea siccæ & aridæ reuirescant. Hoc modo pristinum vigorem recipiet populus, postquam vbere illo gratiæ Dei rore fuerit irrigatus, tametsi prius omnino contabuisse atque emarcuisse videretur. ᴹ Pulcherrimo itaque simili gratiã Dei afflictos recreantem, rori herbarum comparat. Et Solomon gratiam & hilaritatem Regis rori herbarum, iram verò fremitui leonum similem esse dicit, Prouerb. 19. b. 12. Porro hæ similitudines ductæ à rebus passim cognitis, non parum efficaciæ ad persuadendum habent. Si rore irrigatæ herbæ reuirescunt, cur non ipsi gratia Dei irrigati reuirescemus? Cur non corpora nostra quãuis emortua, & putrida reuiuiscent? Nónne maior est nostri cura Deo quàm herbarũ & Spiritus maior quàm roris efficacia? Simili argumento vtitur Paulus quum tractat de resurrectione, 1. Cor. 15. e. 36. sed quia similitudinem suam in alium vsum accõmodat, satius est nunc ab ea abstinere, ne eum locum cum isto confundamus. Satis enim est si simplicem Prophetæ sensum teneamus: ᴹ & obseruemus tã facile esse Deo populum suum tristem, abiectum, oppressum, mortuum ac sepultum recreare, erigere, viuificare, & ex tristi lætissimum reddere & exultabundum, quàm facile est illi flaccescentes herbas nocturno rore erigere. *Et terra mortuos eiicient.* ᴬ Quidam, Et terram gigantum prosternet. Alij, Terra gigantes cadere facies. Alij, in secunda persona, Et in terram mortuos deijcies. sub. ó Deus. Id est, improbos in infernum detrudes. Alij, Terram Rephaim prostrauisti. ᶜ Hæc referenda sunt ad eam consolationem de qua prius loquuti sumus. ᵞ Chaldæus paraphrastes sic totum versum transtulit, Tu es qui viuificas mortuos, corpora cadauerum tuorum resuscitas: viuent & laudes canent coram te qui fuerunt proiecti in puluerem: quia ros lucis ros tuus, seruis Legis tuæ: at impios, quibus dedisti robur & transgressi sunt sermonem tuum, gehennæ trades.

20 *Veni popule mi, intra in cubicula tua: claude ostia tua post te: lateas paululum ad momentum, donec transeat indignatio.*

20 *Veni popule mi.* ᵞ Alij vertunt, Vade popule mi. ᴹ Hactenus absoluit Propheta canticum quod ad consolationem piorum composuit qui in Babylonem captiui erant abducẽdi: ᶜ nunc filios Dei ad patientiam hortatur, vt sese contineant & moderatè ferant ærumnas & calamitates, atque inuicti stent aduersus sæuas tempestates, quibus perituri esse videbantur. Quæ adhortatio valde necessaria fuit. Nam calamitosus populi status, qualis postea sequutus est, in speciẽ valde alienus erat ab illa promissione. ᴹ Est autem hic sensus, Imminet ira Dei, velut grandis ac sæua tempestas: non hærebit illa, sed transibit, idque celeri cursu. Quare mi popule contrahe te & abde parumper in latibula patiẽtiæ, spei & expectationis, donec transeat ira Dei tempestas. *Popule mi.* ᴱ Vates suum populum no-

minans, non ex sua sed ex Dei persona loquitur. [a] Nam populus hic est quem Deus sibi in peculium adoptarat. *Intra in cubicula tua.* [c] Per cubicula vel recessus intelligit tranquillũ animi statum, vbi colligimus nos ipsos ac munimus certa fiducia, Dominumque placidè expectamus. Quẽadmodum Habacuc, denunciatis calamitatibus quæ instabant Iudæis, ait se in speculam suam (id est, in tutum locum) ascendere, vbi patienter & quietè expectet, Haba.2.a.1. Idem iubet hoc loco Esaias, vt pii, dum se variis cogitationibus concuti sentiũt, quibus iustinendis essent impares, in cubiculo vel recondito loco sese contineant. *Et claude ostium tuum post te.* [v] Post te, ingressum scilicet in cubiculũ tuũ. Quidam vertunt, circa te. Alii, pro te. [c] Quia non sufficeret munitos esse contra sæuos tempestatum impetus, iubet etiam ostia claudere. quod ad constantiam refertur acsi præciperet diligenter cauẽdum ne vlla rimula diabolo ad nos pateat. [a] sicuti monet Paulus, Ne detis locum diabolo, Ephes. 4.f.27. Facile enim perrumpet atque in animos nostros penetrabit si aditus ei vel minimus præbeatur. *Latere paululum.* [v] Vel, Absconde teipsum paululum. [c] Significat tutissimum fore asylum fidelibus si se colligant, atque patienter Dominum expectent. [a] Quemadmodũ etiam iubet Dauid, Psal.27.d.14. [c] Nam etsi viriliter & strenuè certandũ nobis est, quia tamen Dei virtus se exerit in nostra infirmitate, nihil melius est quàm humiliter confugere sub Dei alas, vt trepidis plenam securitatem afferat. *Ad momentum.* [v] Vel, paulatim, ad breuissimum tempus. [m] Spem facit fore vt iræ Dei tẽpestas non sit diuturna, sed breuis & momentanea. [b] Atque ita consolatur populum à breuitate temporis, & per hoc ad patientiã inducit. [c] Nam quia præcipites sumus natura, atque impatiẽtia abripimur, quum præsens Domini auxilium non sentimus, ideo necesse est vt intelligamus momentaneas esse has procellas. Nobis quidem assiduè cum ærumnis confligendum est, nec finis vllus quandiu viuimus sperari debet. Atque eo fit vt ærumnæ nostro iudicio sint admodum diuturnæ: sed si conferamus ad illam æternitatem in qua gaudiis immortalibus perfruemur, vix exiguum quoddam momẽtum erit. Quemadmodum etiam Paulus momentaneam afflictionum quas hic patimur leuitatem ad pondus illud æternæ gloriæ quod expectamus, minimè comparandam esse ostendit, 2.Cor.4.d.17. [b] Et alibi testatur non esse condignas passiones huius tẽporis ad gloriam quæ reuelatur, &c. Rom.8.d.18. Vide etiam Hebr.11.d.16, & 1. Pet.1. b.7.8. & 5.c.10. *Donec transeat indignatio.* [v] Vel, ira. [c] Nunc omnem dubitationem vult eximere fidelibus, acsi liberum paulopost exitum promitteret. Donec transeat, inquit, indignatio. Id est, calamitas quæ ex ira Dei proficiscitur. Quidam ad hostes referunt, acsi Propheta diceret, donec deferbuerit ira tyrannorũ. Sed prior sensus aptior est. Videmus enim Prophetas sedulò inculcare, nihil nobis euenire malorum nisi ex manu Dei, qui non temere ea nobis infligit, sed nostris sceleribus & flagitiis prouocatus. Hinc monemur, iram Dei non fore perpetuam aduersus Ecclesiam ipsius: sed finem tãdem, vt procellis & tempestatibus, affore. Atque eo fit vt fideles eam æquiore animo sustineant. Vnde alibi dicitur, Iram Domini portabo, Mich.7.b.9. Sciunt enim se in salutem ab eo castigari. [m] Et sanè transitionis huius respectu pii homines, quoties persecutio cœpit in Ecclesia, animos suos spe redituræ serenitatis ac pacis ad patiẽtiam obfirmarunt. Sic magnus ille Athanasius, quum edicto Iuliani Imperatoris Alexandriam exire cogeretur, plorantibus circa se fidelibus consolationis gratia dicebat, Bono animo estote: nubecula est, citò transibit. [c] Porro Vates Dominum (vt nuper attigimus) loquentem introducit, quo plus exhortatio ipsius habeat authoritatis. [b] Sunt autem hæ grauissimæ promissiones & consolationes, & verè verba vitæ, quibus erigimur in tribulatione, quòd sentimus nõ esse indignationem si affligimur, neque perpetuam afflictionem fore, sed momentaneam. [a] Sicut etiam Christus suos ad spem concipiendam hortatur, dicens, In mundo pressuram habetis: sed confidite, ego vici mundum, Iohan. 16.d.33. [b] Et clamantibus animabus interfectorum subter altare respondetur, Vt requiescãt adhuc modicum tempus, Apoc.6.c.11. [a] Quæ omnia non vulgarem consolationis materiam præbent electis omnibus.

11 *Nam ecce Iehoua egreditur è loco suo ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Et discooperiet terra sanguines suos, & non teget amplius super occisis suis.*

Nam ecce Iehoua egreditur è loco suo. [a] Prosequitur consolationem, & ostendit Dominum tandem affuturum, ac de reprobis pœnas sumpturum. [c] Q.d. Ne dubites, sed spem foue. nam aderit dies illa qua erit finis indignationis Dei super te, & sumpturus est pœnas de iis omnibus qui tibi molestiam inferũt. [c] Grauissima certè piis tentatio est, quũ impios furorem suum impune exercere, nec reprimi à Deo vident. Putant enim sese ab eo esse destitutos. Huic ergo tentationi occurrit Esaias, atque ostendit Dominum, tametsi dissimulauerit ad tempus, maturè ad opem ferendam accinctum fore, ad vlciscẽdas quæ populo suo illatæ fuerint iniurias. Ac per vocem egressus, Deum ita manum suis porrigentẽ describit acsi prius latuisset: quòd pii eius opem non sentirent. Hac enim ratione ipsum egredi ait, ac prodire in publicum ad ferẽdas suppetias, iudiciumque exercẽdum, acsi antea velut priuatus domi sedisset. Nisi fortè allusio sit ad Sanctuarium. Quæ loquendi ratio passim obuia est in Prophetis, quamuis profanis gentibus contemptui sit arca fœderis in obscuro loco reposita, præsenti tamen virtutis & gratiæ experientia, sensuros fideles non frustra nec inutiliter Deum in illo Sacrario inuocari. Interim manet semper illa ratio, quãuis increduli Templum, velut ignobile aliquod tugurium, derideant, Deum tamẽ inde proditurum suo tẽpore, vt per totũ orbem appareat populi sui vindex. Atque hic sensus aptior est quàm si locum Dei interpretemur cælũ, ex quo egredietur. Nam plus quiddam exprimere voluit Esaias. Quũ enim cælos nominant Prophetæ, maiestatem Dei & gloriam nobis proponunt: hic verò ad sensus nostros respicit, quum scilicet Deũ nobis auxiliũ ferre percipimus, qui antea latere & quiescere videbatur. [m] Loquitur ergo Vates de Deo ad similitudinem regis irati, & ad vindictam de reprobis sumendam militari manu de loco suo egredientis. [c] Particula demonstratiua & participio temporis præsentis velitur certitudinis causa: deinde ne fidelibus molestum sit tolerantia frænare suos affectus, vsque ad illius aduentum. [a] acsi cum Iacobo diceret, Patientes estote vsque ad aduentum Domini, Iacobi 5.b.7. *Vt visitet iniquitatem habitatoris terræ super eum.* [a] Quidam vertunt, Ad visitandum iniquitatem incolarum terræ super ipsos. Et hic optimus est ad tolerãtiam stimulus. [c] Ad visitãdum iniquitatem, inquit: quia naturæ Dei qui mundi iudex est, consentaneũ non esset ignauiã peccandi licẽtiam dare impiis. [a] Est enim Deus cui nullo modo placet iniquitas, Psal.5.a.5, & cuius officium est disperdere peccatores terræ. [b] In verbo autẽ visitãdi satis nota est metaphora: quia quantisper sua iudicia differt ac suspendit, cum nihil videre aut oculos auersos habere existimamus. [a] Hic autẽ promittit Vates Deum ipsum tempestiuè affuturum, ac vltionem de reprobis horrendam sumpturum. [c] Nam pondus subest in voce super ipsum. Sicuti sæpe dicitur impios suis insidiis sibi laqueos tendere, vel fodere foueam, Psal.9.d.16, & 57.b.7. [v] Sensus ergo est, noxas omnes redituras in capita authorum. acsi Propheta diceret, Sine dubio tempus aliquando veniet, dièsque iudicii, quo egredietur Dominus & cõspicietur ab omnibus iudex iustus & seuerus cõtra impios & infideles, qui duro iudicio suo visitabit & puniet omnes qui in terris posuerant spem suam, nihil de futuro seculo curãtes. [m] Hinc obseruandum est, vbi expeditiones bellicæ ad vastandum terras fiunt, tribuendas illas esse non regibus ac principibus, sed ipsi Domino: & assignãdas causas non alias quàm peccata incolarum cuiusque terræ. *Et discooperiet terra sanguines suos.* [v] Quidam, Et reuelabit terra sanguines suos. [m] Exponit quoddam iniquitatis genus visitaturus sit Dominus. Multæ sunt iniquitatis species, verùm non tam est ad iram procliuis Dominus vt propter quamuis leuem & vulgarem iniquitatẽ terram aliquã hostili manu subuertat: sed vbi sanguis innoxius temere & absq; nullo timore fũditur, inopes, orphani, viduæ exagitantur ac spoliantur, pii homines pedibus obterũtur: ibi timenda est hæc ira Dei, quæ in huiusmodi enormia scelera grauiter animaduertere solet. Vt hoc exprimat Vates, particulam hanc adiecit, dicens, Et discooperiet terra sanguines suos. [b] Et verbum discooperiendi valde emphaticum est. Nunc sanguis innoxius, dum funditur & calcatur ab impiis, hauritur à terra, quæ eum velut sinu suo excipit. Interea mors piorum obliuione perpetua induci ac deleri videtur, vt etiam in conspectum Dei nunquam veniat. Hoc quidẽ homines putant: sed Dominus longè aliter pronuntiat. Significat enim cædes illas aliquando reuelatum iri, vt in rationem veniãt. [m] Atque ita implebitur quod Christus dicit, nihil esse opertũ quod non reueletur, Luc.12.a.2. [c] Sanguines terræ vocat quos terra hausit: quemadmodum apud Mosen dicitur terra aperuisse os suum, quum sanguis Abel effusus est, Genes.4.b.11. Illic enim Dominus exaggerat atrocitatem criminis, quòd terra eo sanguine polluta sit. Proinde ostendit quàm pretiosa & quantæ sibi curæ sit mors piorum, quam tandem minimè inultam esse patietur. ([a] Sicuti Christus homicidis illis Prophetarũ Iudæis prædicebat, Vt veniat (inquit) super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque, &c. Matt.23.d.35.) [c] Armabitur terra ipsa ad vlciscẽdas cædes & sæuitias quas pii à tyrannis & veritatis hostibus passi sunt: nec vlla effusa est gutta sanguinis cuius ei ratio reddenda non sit. Est igitur reuocãda in memoriam assiduéq; ob ocu

los ponenda hæc consolatio, quum impii nos exdunt, rident atque subsannant, omnéque genus contumeliæ & sæuitiæ in nos exercent. Tandem enim patefaciet Deus quam non irritus sit clamor innoxii sanguinis: quia núquam suorū obliuisci potest. *Et non reget amplius super occisis suis.* [v] Alii, Et nō operiet vltrà interfectos suos. Id est, occisos, quos continet intra se, quorum scilicet sanguis innocens effusus est in ea à tyrannis & persecutoribus. [n] Quæ in ipsos recessus terræ abduntur, seminis habent conditionem: quemadmodum semen telluri insinuatum & abditum suo tempore prodit, & à terra non obtegitur amplius, sed reuelatur, sic sanguis innoxius in terram effusus: & corpora piorum occisa ac tellure adoperta, semen sunt, tempore diuinæ visitationis ad iudicium & condemnationem impiorum proditura. [o] Quod Propheta hoc loco significare voluit.

[y] Sunt qui præcedens canticum in extremo versu 19 claudant.

CANTIC. EZECHIAE REGIS.

Scriptum Ezechiæ regis Iehudah, quum ægrotasset & conualuisset ab infirmitate sua,

ESAIAE CAP. XXXVIII.

10 EGO *dixi in succisione dierum meorum, vadam ad portas sepulchri, priuatus sum residuo annorum meorum.*

10 *Ego dixi in succisione.* [s] Duæ sunt huius cantici partes: Primò recitat Ezechias affectus cordis sui, quibus, quum mors in cōspectu esset posita, immersus fuit. Secundo gratias agit pro liberatione. Nullus autem Scripturæ locus tam copiosam mortis descriptionem continet atque hic. [c] Carmen admodum lugubre est, quod querimonias magis quàm vota continet. Vnde apparet tanta anxietate fuisse confectū vt gemendo se fatigans, & in lamentationibus subsidens, libere ad formandas preces assurgere non auderet. Secum ergo obmurmurans, causam & magnitudinem doloris exponit. Porro in causa videri hoc absurdum posset, quòd tanto vitæ caducæ desiderio fuerit deuinctus, & mortem tantopere exhorruerit. Hæc renduntur prima cælestis doctrinæ rudimenta, vt discamus in hoc mundo peregrinari, & celeriter pergere ad cæleste vitam: perinde autem terræ addictus videtur Ezechias acsi ne minimo quidem pietatis gustu vnquam præditus fuisset. Mortem non secus fugitat ac detestatur quàm si de cælesti doctrina verbum nunquam audisset. Iam quorsum attinuit scriptis mandare turbulentos affectus, qui lectores ad eandem potius intemperantiam incitent, quàm contineant in obsequio Dei? Nam plus satis ad contumaciam propensi sumus, quamuis non aliunde accedant stimuli. Verùm vbi singula prudenter rectéque expensa fuerint, reperiemus nihil nobis fuisse vtilius quàm imaginē hanc hominis mœrore obruti nobis ad viuum depingi. Nec verò pio regi fuit propositum, virtutes suas prædicando, laudes in mundo venari. Certè precatio & fidei & obedientiæ testimonium fuit: atqui ea præterita, tanquam pauore metúque attonitus, & tristitia exanimis, querulatur. Non dubium igitur quin sua infirmitate exposita, ad humilitatem instituere voluerit omnes Dei filios: & simul commendare excellentiā gratiæ Dei, quæ hominem perditum ex mortis abyssis eduxerat. Quòd autem propinquus morti perinde sortē suam deplorat acsi suum esse locaret in terra, morte verò putaret homines in nihilum redigi, specialis consideranda est ratio. Nam vtcunque per se expetenda mors non sit, fideles tamen, quia carnis ergastulo inclusi, peccato mancipati sunt, assiduè gemere decet. [a] Sicuti Paulum fecisse videmus, Roman. 7. d. 24, & 2. Cor. 5. a. 4, & Philip. 1. d. 23. [e] Vetantur etiam lugere, vt solent increduli, [a] 1. Thes. 4. c. 13. [c] Imò iubentur attollere capita, vbi è mundo migrandum est, Luc. 21. f. 28, quia eos excipit vita fœlicior. Nec verò hoc solatio caruit vetus Ecclesia sub Lege. Et quanquam obscurior fuit notitia beatæ resurrectionis, debuit tamen ad moderandam tristitiam sufficere. Nam si coactus est exclamare impostor ille Balaam, Moriatur anima mea morte iustorum, (Num. 23. b. 10) quanta alacritas vigere debuit in cordibus fidelium: in quorum auribus personabat vox illa, Ego sum Deus Abrahæ, Exodi 3. b. 6. Cæterùm quanquam firma & indubia spe aspirarent ad cæleste vitam, non tamen mirum est perspici in Ezechia quod de se fatetur Dauid, Psal. 30. c. 10, qui tamen suo tempore satur dierum placidè mundum reliquit, 1. Reg. 2. b. 10. Constat igitur vtrunque non simplici mortis horrore fuisse impulsum, sed mortem flebiliter fuisse deprecatos, quòd certas iræ Dei notas in ea cernerent. Tenēdum enim memoria est, venisse Prophetam instar fœcialis, qui Ezechiæ mortem indiceret Dei nomine. Nuntius hic quasi horribili tristitiæ diluuio sensus omnes Ezechiæ meritò submergere potuit, vt nihil præter iram Dei & maledictionem cogitans, cum desperatione certaret. Atque ita iam emergat Ezechiæ pietas, quòd se ad tribunal iudicis sui sistens, animum adiicit ad meditationem sui reatus. Ac primò quidem obrepere potuit cogitatio illa qua se tentatū fuisse Dauid fatetur, quid sibi vellet Deus atrociter sæuiens in seruos suos, profanis verò contemptoribus parcens, Psal. 73. a. 3. Videbat deinde ita se expositum impiorum sannis vt vera quoque religio indignè ab illis proscinderetur. Videbat vix fieri posse quin sua interitu labascerent bonorum omnium mentes. Præcipuè tamen eum vrgebat ira Dei: acsi iam propemodum inferis & æternæ maledictioni addictus foret. denique quum vnica & solida nostra fœlicitas sit Deo coniungi, ab eo se quodammodo alienatum videns Ezechias, non abs re tantopere expauefactus fuit. Vox enim illa, Morieris, & nō viues, occupauerat penitus eius animum, vt pereundum esse sibi statueret: quod dicendi verbo exprimitur. *Ego dixi*, inquit. [v] Vel, dixeram. Vel, dicebam. [n] Hoc est, Cogitabam, Statuebam anxius apud me. [t] Neque enim Hebræis verbum אמר tantùm significat loqui, aut vocem proferre, sed ita esse persuasum, vel reputare cum animo suo. Vt hypocritis centies minentur Deos, huc tamen atque illuc respectant, vt siqua pateat rima, qua se effugere posse arbitrentur, Deo illudant, sibiq; indulgeant in deliciis & securitate. Sed Ezechias, vt sincerus erat Dei cultor, effugia nō captauit, quin potius fidem adhibens Prophetæ verbis, decreuit ad mortem pergendum esse, quoniam sic Deo placeret. Hoc sensu de succisione dierum loquitur, quòd intelligeret ab irato Deo & infesto cursum vitæ sibi abruptum esse. *Dixi* (inquit) *in succisione dierum meorum.* [v] Vel, in excisione. Id est, quum audiui actū esse de me, & finem vitæ meæ instare, id mihi renuntiante Propheta. Excisionem illam vocat mortem illam immaturam, quæ scilicet accidit ante periodum naturalis vitæ. Q. d. Pereundum mihi erat & hinc migrandum in flore ætatis meæ, nisi misertus mei fuisset Dominus. [u] Neque tamen hic communi more tantùm dicit violento morbo se abripi è vita: sed certum illud Dei iudicium, succisionis causam esse agnoscit. Succidimur quidem vita, siue ineunte siue media ætate morimur, siue in senecta: sed qui capiuntur in ipso flore ætatis, quia nondum absoluto cursu præmaturè videntur mori, dicuntur succidi è vita. Ezechiæ autem diuersa ratio fuit, quòd residuā vitæ partē repēte succisam esse Dei gladio sentiret, quia eius iram prouocauerat suis delictis. Ergo conqueritur subindè quàm indignum se diuinitus spoliari vita, quæ alioqui longior futura erat. [m] Et sanè quum ægrotaret Ezechias, erat natus annos triginta nouem. Et is annorum numerus non immeritò dimidium vitæ humanæ vocatur, cui summa annorum octoginta tribuitur à Mose, Psal. 90. c. 10. Ideo nonnulli vertunt, Ego dixi in dimidio dierū meorum. *Vadam ad portas sepulchri.* [c] Sunt qui hoc interrogatiuè legunt, acsi Ezechias accepta mortis sententia, conuersus ad parietem orasset ad Dominum, ac inter lachrymas ista secū pro æstu cordis sui memorasset, ac dixisset, Vado igitur ad portas sepulchri? Hoc est, Abreptus ergo ex hac vita morior, & ad inferos migrare cogor? Tribuit sepulchro portas per quas descenditur ad inferos, hoc est, ad statū & sortem mortuorum, quod corpus attinet. Spiritui non est sepulchrum porta, per quam ad eum redeat à quo est datus. *Priuatus sum residuo annorum meorum.* [v] Præteritum Hebr. pro futuro. Carebo, vel priuabor. [a] Eodem pertinet residuum annorum quo dierum succisio, cuius antè meminit: quia etsi, vt nascimur mortales, singulis momentis mors expectanda nobis est: quia tamen denuntiata erat in pœnā, non abs re annos sibi detractos esse dicit, quibos victurus fuerat propitio Deo. [m] Q. d. Nondum absolui cursum dierum meorum, quia Dominus mihi iratus finem vitæ meæ imponere decreuit.

11 Dixi, *non videbo Deum, Deum in terra viuentium, non aspiciam hominem vltrà cum incolis seculi.*

Dixi, non videbo Deum. [v] Vel, Dicebam. Vel, dixeram. Hoc est, vt versu superiori, Ita persuasum habebam. Sic statueram apud me. *Non videbo Deum.* [c] In iam ardēti terrenæ vitæ desiderio modum excederet Ezechias nisi dolorem exacerbasset agnitio iræ Dei. Quia ergo sua culpa violenter extrahitur, quasi indignus qui fruatur cōmuni solis luce, exclamat se esse miserum: quia neque Deum neque homines posthac visurus sit. Nam inter fideles valeret exceptio, quandiu versamur in terra, nos à Deo peregrinari & abesse, vbi autem exuerint carnis impedimenta, propius venturos in Dei conspectum, 2. Cor. 5. b. 6. Restrictio quidem additur, *In terra viuentium*: sed hoc modo videtur Ezechias Dei conspectum affigere vitæ præsenti, acsi omnem intelligentiæ lucem mors extingueret. Tenendum igitur est quod attigi, accepto Dei vindictæ nuntio, perinde fuis-

se perculsum acsi paterno eius fauore abdicatus foret. Nam si indignus erat qui solem aspiceret, multo minus quomodo sperasset? Non quòd spes in totum deleta fuerit ex eius animo, sed quia intentus ad Dei maledictionem, non potest iam citò vel expeditè transcendere in cælos, vt melioris vitæ dulcedine præsentem dolorem mitiget. Sic enim obnubilari interdum côtingit pias mentes vt non semper occurrat consolatio, quæ tamen, quamuis suffocata, residet in eorum animis, vnde etiam postea emergit. Interea pietatis signum est, quòd a recto & legitimo vitæ fine exprimit quàm graue & acerbum sibi sit ea priuari. [m] Studiosus erat diuini cultus: & hoc studio creberrimè templum Domini inuiserat (id quod Scriptura vocat Apparere in conspectu Domini, sicuti Psal. 42. a. 5. videre licet) quemadmodum itaque Dauidem in exilio constitutum vehementer vrebat quòd adempta esset illi copia ingrediendi tabernaculum Domini, & in conspectu illius apparêdi, ita affligebat animum Ezechiæ quòd post mortem ista sibi iucunditas videndi Dominum eriperetur. [a] In eo tamen quòd de terra viuorum loquitur, ostendit quis nobis vitæ præsentis scopus proponi debeat. [c] Nam & pecudibus molestû est mori, sed nullû vitæ suæ vsum ferè habêt præter pastum & saturitatê: nobis verò longè excellentior est finis, qui creati sumus & nati hac lege vt nos exerceamus in cognitione Dei: & quia hæc præcipua nobis viuendi causa est, bis iterando Dei nomê, affectus sui vehementiam declarat. Deum ergo, inquit, Deum non videbo amplius. [v] Ad verbum, Iah, Iah. idem nomen quod Iehoua. Q. d. Non contemplabor opera Dei in vita. [c] Nam siquis obiiciat Deum hic à nobis non videri, respondemus, in suis operibus esse conspicuum: quia per visibile mundi opificium æterna eius potentia (vt ait Paulus) & diuinitas cognoscitur, Rom. 1. c. 20. Vnde & Apostolus mundum hunc speculum rerum inuisibilium vocat, Hebr. 11. a. 3. [a] Deum ergo videre in terra viuorû, est illum fide contemplari in eius operibus. Hoc sibi ademptum iri queritur Ezechias, si immatura morte abripiatur. [c] Iam quo fidelibus se propius cognoscendû exhibet, eo planius fecit Ezechias spiritualem illum intuitum. Sicuti & Dauid (vt iam attigimus) Dei faciê videre dicit qui in Sanctuario pietatis exercitiis fidem suam confirmât, Psal. 27. c. 8. & 42. a. 3. [m] Dicet aliquis, Atqui gaudêdum magis erat quòd per mortem ad visionem Dei multo fœliciorem quàm erat typica illa & vmbratilis, euocabatur. Responsio. Sic est quidem: verùm hunc animum indiderat ipsi Dominus vt domus ipsius quâ habebat in terra viuorum (id est, in hoc seculo, in medio populi sui) omnium esset studiosissimus. Volebat enim eo veluti tanquam organo confirmandi sui cultus. Quare mirum non est quòd hoc quoque inter mortis suæ incommoda recensuerat dum ægrotaret, quòd Dominû in templo suo non esset visurus amplius. [o] Cupiebat ergo corpore suo Deum adhuc laudare in têplo, & eius nomen inter viuos celebrare. *Non aspiciam hominem vltrà cum incolis seculi.* [v] Vel, cum habitatoribus orbis. [m] Aliud incommodum recenset. [c] Dolet se tolli ex hominum consortio, quia ad mutua officia vltro citróque cômunicanda nati sumus. [m] Non aspiciá (inquit) hominê posthac inter habitatores huius seculi, cum quibus adhuc annos non paucos per ætatem côuersari poteram. Est hic affectus argumentum animi philanthropi, qualis est hominum piorum. Illi, vt sunt pii erga Deum, & humani erga homines, ita & apprime delectâtur primùm cultu Dei, deinde & societate hominum. Dolebat itaque humanissimo regi quòd per mortem immaturam è medio côuictus humani esset auferendus. [b] Hic itaque versus clarè discernit filios Dei à filiis huius seculi. Nam carnales homines, dum morti propinqui sunt, queruntur de possessionibus suis, quòd cogantur relinquere opes, gloriam, vxores, liberos. Huic autê sanctissimo regi dolet quòd à cultu & verbo Dei auellitur, hoc est, ab vsu externi ministerii, quod Deus in Ecclesia sua constituerat. Ita videmus summam eius voluptatem fuisse cultum Dei. Et quemadmodum de relinquendo Dei cultu erat solicitus, ita de relinquenda politia, quam repurgare volebat, queritur, & de hominum consortio, quibus posthac prodesse non poterit, si ab eis euellatur.

12 *Habitatio mea discessit, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastoris: succidi quasi textor vitam meam: ab eleuatione succidet me: à die vsque ad noctem conficies me.*

Habitatio mea discessit. [a] Alii vertunt, Generatio mea recessit: acsi Propheta quereretur se non habere prolem per quam generatio ipsius ad posteros propagaretur, quæ iam in ipso per mortem videbatur terminanda. Sed habitationis nomê melius côuenit. [v] Habitatio mea recessit, id est, alio mihi demigrâdum est. *Et conuoluta est à me.* [v] Vel, Migrauit à me. *Quasi tabernaculum pastoris.* [c] Lepida similitudine vitam suam depingit, eam tabernaculo pastoris comparans. [b] Sumpta autem similitudo est ab Arabibus, qui in tabernaculis viuunt, quæ subinde alio transferunt. Mea vita, inquit (quam fixam esse putabam) mouetur de loco suo, perinde acsi esset tabernaculum Arabis. Est enim frequentior vsus tuguriorum illis regionibus quàm nostris: & sæpe mansionem suam pastores commutant, dum gregem suum huc atque illuc impellunt. Talis quidem humanæ vitæ conditio est in genere: sed non tam refert Ezechias quæ omnibus communiter accidunt, quàm quod sibi peculiariter euenit. Non enim simpliciter dicit homines ad breue tempus habitare in caduco hospitio, dum per terram trâseunt: sed, quû in regio palatio quiesceret, mutatâ fuisse suam sortem, quêadmodum si tugurium pastoris biduo pòst quam in agro vno positum est, transferatur. [b] Interea notandum est Scripturam subinde vocare corpora tabernacula, 2. Cor. 5. a. 4. & 2. Pet. 1. c. 13. 14. [a] vt sæpe hinc migrandû esse intelligamus quoties Deo ita visum fuerit. [c] Nam sicuti tabernacula non sunt vnius loci, sed subinde mouentur loco: ita etiam vita nostra est incerta. Et sicut pastores coguntur mutare locum quû minimè volût, vrgentibus scilicet tempestatibus: sic vita nostra est ceu quotidianum volutabrum. Habet quidem speciem quòd sit firma, sicut tabernaculum simillimû est manenti domui, mouetur tamê de loco propter tempestates: ita vita nostra, vna aliqua pestilentia, pleuritide, calculo, febricula mouetur &c. Côditionis huius memores viuamus in diem tanquam peregrini, ne aliquâdo, ad exemplû Ezechiæ, præter opinione tempestate mortis adobruti, minus parati deprehendamur, ac tum demû vitam nostram tabernaculo pastoris similê esse agnoscamus & queramur. *Succidi quasi textor vitam meam.* [v] Quidam, Præcidi more textoris vitam meam. Alii, Præcido veluti textor vitâ meam. [m] Idem queritur quod versu 10, quum diceret, Priuatus sum residuo annorum meorum: quòd videlicet ante tempus iustæ ætatis moriendum sibi esset. Vtitur autem metaphora præcisionis, qua initio sermoni huius vsus est. [c] Sed illud obseruandum est quòd nunc sibi, nûc Deo promiscuè, distinctis tamen rationibus, causam mortis suæ assignat. Se enim authorê faciens, non obstrepit Deo, neque expostulat quòd ab eo spolietur vita sua, sed seipsum accusat, totámque culpam suscipit. Tantundem enim valent eius verba ac quod in prouerbio dicitur, Hanc telam ipse mihi exorsus sum, vt mors mihi soli imputanda sit. Neque tamen frustra statim assignat Deo quod à se profectum esse confessus fuerat. *Ab eleuatione succidet me.* [v] Ad verbum, Macie. Quidam, Præ morbo, aut ægritudine, quòd morbus inducere soleat maciem. [c] Sed verbum eleuâdi magis côuenit: quia côqueri videtur Ezechias, quû ad vlteriores progressus tenderet vita sua, subito prostratam esse: quemadmodum si Deus solem, dum adhuc sursum ascendit, in occasum deiiceret. Deo autem, vt iam diximus, assignat quod sibi tribuerat. Nam etsi nos materiam præbemus Deo seuerius nobiscû agendi, ipse tamê iudex est, qui pœnas infligit. Quare in malis nostris laudandum semper est eius iudicium: quia fungitur suo officio quum in nos vt meriti sumus animaduertit. [m] Ergo dum ante tempus ex hac vita auferimur, cogitandum nobis est, fieri hoc propter peccata nostra, adeóque nos ipsos esse vitæ nostræ præcisores. Apostolus ostendit suo têpore multos propter Cœnæ Dominicæ abusum, ex hac vita vel peste vel aliis morborum generibus sublatos, 1. Cor. 11. g. 30. Et quum Dominus dicit, Honora patrem tuum, & matrem, vt sis longæuus super terram (Exodi 20. b. 12.) satis indicat, eos qui parentes suos dehonestant, suam ipsorum vitam præcidere. Et quid faciunt illi aliud qui crapulæ & ebrietati dediti, per intemperantiam vitam suam decurtant? *A die vsque ad noctem.* [v] Id est, Ab initio diei vsque ad initiû noctis. Hoc est, Intra spatium vnius diei. *Conficies me.* [v] Vel, (vt quidam vertunt) Côsummabis me. Complebis me. Finies me. id est, annos meos. Id est, finiam vitam te authore intra hanc noctem. Queritur exiguo temporis spatio se fuisse exinanitum, & hac circunstantia rursus grauitatem iræ Dei exprimit: quia momêtaneo flatu homines côsumat. Nam die vno prosterni homines, tantûdem valet ac celerrimè. Est grauis affectus, sumptus ex Deuter. 28. g. 67. Q. d. Mane cogitabam me non attingere posse vesperam, sic vesperi cogitabam me ante noctem moriturum, &c.

13 *Supputabam ad auroram: sicut leo ita contriuit ossa mea: ab aurora ad noctem conficies me.*

Supputabam ad auroram. [v] Quidam vertunt, Tunc posui vitam meam vsque mane. Alii, Constitui rursum terminum vsque mane. [c] Id est, Dixi me forsitan victurum vsque ad mane. Alii, Statuebam. Sed idem hic significat quod vulgò dicimus, *Ie faisoye mon compte*. Ex hoc versu colligi potest Ezechiam biduo vt minimum laborasse. Nam proximo versu significasset tantam fuisse atrocitatem morbi vt statim mortem expectarit. Im

quum dies vnus elapsus esset, ad auroram vsque expectauit, præterea à die vsque ad noctem, vt tamen in singula momenta se moriturum esse diceret. Sensus ergo est, tametsi ad auroram peruenerat, se tamen per continuas agitationes ad mortem properasse: quia formidabili Dei iudicio perculsus, vitam suam ducebat pro nihilo, & quemadmodum Græci, quum dicere vellent nihil homine esse magis euanidum, animal *ἐφήμερον* esse dixerunt: ita vitam diurnam ponit Ezechias pro caduca, & cui nihil est durationis. "Vnde apparet pium regem maximis doloribus cruciatũ fuisse, ac miserabiliter inter mortem & vitã fluctuasse. In hasce angustias pios quoque homines inducit Dominus, vel vt emendentur, vel probẽtur: & paulo post clementer educit, sicut in exemplo hoc Ezechiæ patet. *Sicut leo, ita contriuit omnia ossa mea.* "Quidam hoc referunt ad morbum, qui sua vi sic sæuierit in ossa ægrotantis vt illa prorsus comminuere videretur. Sed rectius ad Deum refertur, quem Ezechias iustum iudicem & huius ægritudinis authorem agnoscit: [b] acsi diceret, Spem diutius viuendi si mihi promitteres volebam, ecce sicut leo subitò me Deus corripit, & confringit omnia ossa mea, doloribus infestando corpus, vt vno me die absorpturus videatur morbus per naturam incurabilis, & vehementior quàm vt diutius sustinere queam, vel ad sequentem diem. [c] Nec verò absurdum videri debet quòd Deum comparat leoni: tametsi Deus natura clemẽs, misericors ac benignus sit, Exodi 34.a.6. His certè nihil magis Deo propinum esse potest: sed non possumus eam mansuetudinem sentire quum prouocauimus eum nostris sceleribus, & ad seueritatẽ adegimus nostra prauitate. Imò nulla est ferarum immanitas & truculentia quæ tantum incutiat terroris quantum concipimus ex sola Dei mentione: nec immeritò. Oportet enim flagellis Domini efficaciam inesse, quo humiliemus atque deiiciamur vsque ad ipsos inferos, & consolatione propemodum destituti, omnis horroris plena concipiamus. quemadmodum etiam horrores istos descriptos à Dauide cernimus, dum ossa dinumerata, lectum suum lachrymis madefactum, animam suam turbatam, inferos apertos esse dicit, Psal. 18.d.18, & 6.b.4.7. Sic enim pios interdum iudicio Dei terreri necesse est vt bonitatis eius desiderio magis afficiantur. [i] Significat ergo Ezechias tantam fuisse animi sui angustiã, & tam graues afflictiones à Deo immissas vt nullus ferè sensus in corpore esset reliquus. *Ab aurora ad noctem.* [a] Vide versum præcedentem.

14 *Sicut grus aut hirundo garriebam: gemebam quasi columba: eleuabantur oculi mei in sublime: Domine, vim fecit mihi, recrea me.*

Sicut grus aut hirundo garriebam. [y] Futurum Hebr. pro præterito imperfecto, Mussitabã, meditabar. Vel, Suspirabã, gemebam. Q. d. Interim non tacebam, sed gemebam, & voces quasdam emittebã, grauissimi doloris testes. [c] Non potest sibi satisfacere Ezechias in explicanda mali sui acerbitate. Nunc se eò redactum fuisse dicit vt vocem articulatam edere non posset, sed confuso quodam sono streperet, vt ii qui animam ferè exhalant. Vnde apparet grauissimos fuisse cruciatus. Doloris enim magnitudo vocem adimit. -- & vox (inquit ille) faucibus hæsit. Audiebantur tantùm obscuri gemitus. Atque huc pertinent similitudines gruis & hirundinis, quibus vtitur Propheta. Hunc tamen obscurum vocis sonũ à Deo nihilominus exaudiri certũ est. Tametsi omnes sensus nostri dolore occupati sint, & præ mœstitia sint præclusæ fauces, Dominus tamen corda nostra peruidet, & pia suspiria exaudit. Imò plus efficiens quàm expressæ ac disertæ voces, modò Spiritus adsit, qui excitet in nobis gemitus illos inenarrabiles de quibus loquitur Paulus, Rom. 8.c.26. Ac nemo piorum est qui non experiatur, vbi maior aliqua tristitia animũ constringit, se inter orandum vel balbutire, vel propemodũ obmutescere. [a] Porro gruis & hirundinis potius meminit quàm aliarum auium, quia querulæ sunt aues istæ, & præsertim funesta est hirundo. *Gemebam quasi columba.* [b] Hoc est, Ne vocem quidem edere poteram propter angustiam, quemadmodum accidere solet moribundis. *Eleuabantur oculi mei in sublime.* [a] Quidam vertũt, Extenuati sunt oculi mei, quòd morituri intertuor quasi oculos: sed non quadrat particula In sublime, siue In excelsum. Ergo simplicior tenendus est sensus, oculos hebetudine quasi fuisse dissipatos vel, quamuis deficeret Ezechias, tamen oculos in cœlum tollere non desiisse: nec vnquam ita obstupefactum fuisse quin sibi auxilium à Deo petendu esse sciret. Discamus igitur, Ezechiæ exemplo, oculos attollere in cœlũ, quum afflicti animo ac perturbati sumus: ac sciamus magnam à Deo facundiam non requiri. Et hanc sententiam confirmat quòd sermonem continuo post dirigens ad Deum, opem eius implorat, dicens, *Domine vim fecit mihi, recrea me.* [y] Alii nonnihil subaudiẽtes, vertũt, Domine, infirmitas vim facit mihi, quiescere fac me. Præteritum Hebr. pro præsenti, Oppressit me. Quidam Hebræorum, Adde mihi sub. dies aliquot. [c] Alii, Fideiube pro me. Et verbum ערב hoc sensu plerunque capitur. Sed conuenientior est sensus, Recrea me, Vel, exhilara. Certè ne morbi violentiæ succumbat, solatium à Deo petit. Atque hæc nobis ratio tenenda est, quo maior nos obruit malorum congeries, Deum præsto adfore ad nos subleuandos. [m] Videmus hic exemplum orandi in tribulationibus. Lingua non est multiloqua, sed mussitans: sonitus vocis, non articulatus, sed ingemiscens: oculi non ad imagines mutas, sed in cœlum sublati: sensus spiritus paucis comprehensus, nempe querimoniam habens mali prementis, & petitionem liberationis.

15 *Quid loquar? qui dixit mihi, ipse fecit: mouebor omnibus diebus vitæ meæ in amaritudine animæ meæ.*

Quid loquar? qui dixit mihi, ipse fecit. [c] Pergit Ezechias in querimoniis suis, quia loquitur vt solẽt homines in terrore oppressi. Quid dicam? is enim qui dixit, is & fecit. Id est, mors & vita sunt in manu eius: frustra cum eo litigo aut contendo, frustra conqueror. Cuiusmodi voces & sermones etiam in libro Iob sæpe occurrunt. Alii putant exclamationem esse qualis rebus lætis erumpere solet, acsi Ezechias iam voti compos sibi gratuletur, ac sacrificium laudis subiiciens, clementiam Domini erga se declaratam celebret. Sed alter illa sensus genuinus est. Prius enim vndique prospexit Ezechias an auxilium aliquod sese offerret: nunc quum sibi moriendum, idque à Deo denuntiatum videt, statuit non reluctandum amplius, sed mortem ipsi gerendum esse. Quanquã notanda est emphasis, Deum quod verbo minatus erat, reipsa etiam compleuisse. Nam si simpliciter exponeremus, Quod Deus mihi dixit per Prophetã, executus est, neque nihil diceremus, neque totum: quia non tam frigidè recitat Ezechias sibi cognitum verbi effectum: sed obiecta Dei potentia, omnes murmurandi vel surgandi ansas sibi præcidit. Sic etiam Dauid, Obstupesco, inquit, quia tu fecisti, Psal. 39 b.10. Nullus enim obstrependi finis est donec potentiæ Dei timor nos compescat. Sic etiam Iob negotium sibi cum Deo esse cogitans, Apponam (inquit) digitum ori meo, & suppliciter iudicem meum deprecabor, Iob 39.d.37, & 9.b.15. Silentium ergo sibi imperat Ezechias, hac ratione, quia frustra contendat cum Deo. Quanquam simul actum esse intelligit de vita: quia Dominus reipsa comprobet seriam fuisse comminationem: vnde colligit nihil se proficere, quia tergiuersandi non sit locus. Verum quidem est sententiam hanc ex desperatione manare: quia hoc modo Deum sibi infestum esse concipiens, ianuam precibus suis claudit. Sed mirum aut nouum non est, in summis perturbationibus eiusmodi voces excidere, quæ nos ab orandi fiducia prohibeant, modò ex opposito nitamur ad Dei inuocationem, quam nobis sensus carnis dictat irritam fore. Hac anxietate implicitum fuisse pium regem credibile est, vt languore fatisceret: sed præcipuè spectasse quod diximus, nihil melius esse silentio, quia absque profectu cum Deo disceptaret, ex proximo contextu melius liquebit. Subiiciet enim se trepidaturum tota vita. Vnde colligitur nunc sibi proponere formidabilem Dei potentiam, vt se ad veram humilitatem comparet. Dicit ergo Ezechias, Quid dicam? q.d. Nihil habeo quod prætexam: frustra aduersus iudicem meum obstreperem. Sic poterit & vnusquisque peccator dicere. Peccator enim à Propheta & Lege territus agnoscit se morti destinatum, & increscente malo morbi, nihil audet sibi polliceri, sed condemnat se non solùm temporariæ sed & æternæ morti obnoxium, & indignum qui vel Deum vel sanctos eius videat. Et per singula momenta videt se posci ad mortem. Proinde cum Apostolo se deplorat, Miser ego homo: quis me eripiet de corpore mortis? Rom. 7.d.24. Atque se ita agnoscãs, aestuat gemitibus & singultibus, ac votis ardentibus Dei opem implorat. *Mouebor omnibus diebus vitæ meæ.* [c] Quoniam verbum דדה nunc mouere, nunc leniter incedere significat, nonnulli vertunt, Mouebor. Vel, Agitabor. Alii, Leniter incedam. hoc est, pedetentim: more scilicet eorum qui mœrore affecti sunt, quique meminerunt calamitatis & afflictionis præteritæ. Sed trepidum ac debilem incessum notari dubium non est: quia sic prostratus fuerat Ezechias vt vires sibi posthac integras fore desperet. Trepidatio autem hæc ad metum referri debet: quia sequitur continuo pòst, *In amaritudine animæ meæ*: perinde acsi diceret, mœrorem qui inflictus fuerat, altius hærere in corde suo quàm vt deleri vnquam possit. Hinc illa eius meminit debilitas. Quia vulgaris translatio habet, Recognoscam, vel Recogitabo, ideò Papistæ hunc locum ad confessionem auricularem torserunt. Sed tam ineptè vt aniculis ipsis ridiculi esse possint. Sensus autem planus est, hic non agi de recognitione, sed de motu & trepidatione, qua toto vitæ suæ tempore se perculsum iri dicit Ezechias.

16 *Domine etiam omnibus qui vltra eos viuent, vita spiritus mei in illis nota erit: & me quòd dormire feceris, & viuificaueris me.*

Domine etiam omnibus qui vltra eos viuent. [a] Omissis variis expositionibus, quæ in hunc locum inferuntur, [c] hic sensus optimè quadrabit, Domine, quicunque vltra annos istos viuent, illis etiam vita spiritus mei nota erit. Loquitur autem Ezechias de annis quos ei produceras Dominus. Intelligit non tantùm illius temporis homines, sed etiam posteros beneficium illud agnituros. Et hoc modo amplificat gratiæ magnitudinẽ, quia celebris etiam erit futuræ ætati, & superstes vigebit in omnium memoria, etiã ipso Ezechia mortuo: neque id solùm, sed quandam resurrectionis speciem censebitur. Subaudito itaque relatiuo אשר (id est qui) post vocem Domine, nihil coacti habebit hæc interpretatio. *Vita spiritus mei in illis nota erit.* [a] q. d. Perpetuò laudabunt te ac nomen tuum celebrabũt posteri, scientes vitam mihi per tuam gratiam restitutam. *Et me quòd dormire feceris.* [c] Dormiendi verbo mortem significat, vt vulgare est Scripturæ, Gen. 47. g. 30, & 1. Cor. 7. g. 39, & 11. g. 30, & 2. Pet. 3. b. 14. Ita morbum hunc lethalem morti comparat. Tam enim propinquus erat morti vt de vita omnino desperaret. [a] Quemadmodum Dauid sæpissimè diros illos animi cruciatus & graues afflictiones quas patiebatur, comparat morti, & sepulchro, vt Psal. 18. a. 5, & 22. d. 16, & 30. a. 4. *Et viuificaueris me.* Quo grauior præcessit afflictio, eo illustrior tandẽ redditur omnibus Dei gloria, qui pios ab ea eripuit.

17 *Ecce in pace amaritudo mihi amara, & tibi placuit animam meam eruere à fouea: quia proiecisti post tergum omnia peccata mea.*

Ecce in pace amaritudo mihi amara. [v] Quidam nonnihil subaudientes, vertunt, Ecce, dum essem in pace, amaritudo mihi amarata. Alii, Ecce pro valetudine habenda fuit mihi amara amaritudo. Alii, Certè propter pacem perditã, amaritudo erat mihi amara. [c] Rursus alia circunstantia mali grauitatem exaggerat Ezechias. Subita enim & inopinata mala nos magis conturbant quàm ea quæ sensim nobis accidunt. Atrociter ergo mali eo minus tolerabilia, quia subitò corripuit quietum & securum: quia nihil minus tunc putabat quàm sibi migrãdum esse è vita. Scimus etiam sanctos interdũ nimis acquiescere in rebus prosperis, & sibi promittere æquabiles successus. Quod etiã Dauid Psal. 30. b. 7. fatetur sibi accidisse, Dixi in fœlicitate mea, non mouebor: tu verò abscondisti faciẽ tuam, & obstupefactus sũ. Nihil ergo Ezechiæ cõtingere tristius potuit quam è vita tolli, quum præsertim fugato hoste ac deleto pace frui liceret. Iam enim diximus Ezechiam in morbum incidisse quum profligatus est Sennacherib. In illo igitur gaudio & pace quæ affulgebat, en acerba ægritudo quæ Ezechiam duriter torquet ac cruciat. [a] Quare ostendit hoc loco quàm grauis illi fuerit hæc afflictio. q. d. Quum læta, iucunda & prospera mihi pollicerer, (præsertim fugato tam immani hoste) ecce grauissimus ac lethalis morbus subitò me corripuit, atque ita gaudium illud quod ex victoria conceperam, in summum mœrorem ac luctum præter spem commutatum est. [c] Hinc monemur, quia nihil stabile aut firmum est in hac vita, & quicquid nos exhilarat statim potest excuti, non esse torpendum in lætitia, sed dum tranquillo rerum statu fruimur, de bello, de aduersis rebus & ærumnis cogitandum esse: & quærendam esse potissimùm pacem illam quæ paterno Dei fauore nititur, in qua tutò conscientiæ nostræ conquiescent. *Et tibi placuit animam meam eruere à fouea.* [v] Quidam vertunt, Tu autem desiderasti eruere animam meam à fouea consumptionis. Vel, corruptionis. Id est, de sepulchro in quo corpora consumuntur. Alii, Tu autem voluisti siue concupiuisti. Nam verbum חשק nunc amare, nunc velle significat. Itaque sensus erit, Placuit tibi animam meam eripere. Verùm si nihil subaudias, æquè plena erit oratio, neque minus commodè fluet, Tu Deus animam meam fauore & beneplacito tuo complexus es, quum in sepulchro iacerer. Animam pro vita accipi satis notum est: sed hic prædicatur Dei bonitas, quòd Ezechiam quasi mortuũ amore prosequi non destiterit. Hoc modo copula in aduersatiuam particulam resoluenda erit. [m] Q. d. Quamuis de vita periclitarer, imò in ipso propè sepulchro constitutus essem, perinde tamen es me ad eruendum amanter complexus, atque pater filiolum in foueam prolabentem ambabus vlnis ad eripiendum amplecti solet. *Quia proiecisti post tergum omnia peccata mea.* [v] Phrasis Hebraica, pro Desiisti meminisse peccatorũ meorũ, & condonasti mihi omnia peccata mea. [a] Nunc causam assignãs Ezechias, ad ipsũ fontẽ nos ducit, & demonstrat modum istius sanationis. Videretur enim alioqui nõnisi de sanatione corporis hactenus loqutus esse, sed nũc ostẽdit se sublimius quiddã spectare: nẽpe quòd reus fuerit corã Deo, ac deinde ipsius gratia absolutus. Sibi quidem restitutam esse vitam prædicat, sed pluris æstimat se reconciliatum esse Deo quàm cẽtum aut mille vitas. Etenim vtilius nobis esset nunquam esse natos, quàm diuturnam vitam agẽdo, offensas subinde alias aliis addere, atque ita nobis grauius accersere iudiciũ. Hoc ergo nomine sibi maximè gratulatur quòd serena affulgeat Dei facies, quem habere propitiũ summa est fœlicitas. Ergo deputat hic pius rex peccatis suis quicquid in morbo perpessus fuerat. [m] Sic sentiũt sancti homines castigari se virga disciplinæ Dei, propter culpam peccatorũ suorum: iuxta illud, Visitabo virga iniquitates eorum, & verberibus peccata eorum, Psal. 89. e. 33. [a] Monemur ergo, quicquid malorum nobis infligit Deus, peccatis nostris imputare, vt nihil aliud quàm reatum suũ duplicent quicunque Deum insimulant nimii rigoris. [m] Conuenit igitur vt morbis correpti, aut alio afflictionũ genere pressi, confestim studia vitæ nostræ examinemus, peccata nostra cum pœnitudine cordis agnoscamus, & ad thronũ gratiæ pro remissione illorum vota resipiscẽtiæ faciamus, & manus oculósque supplices cum gemitibus & lachrymis erigamus. Verùm prior nobis cura est de accersendo medico, de peccatis nostris momentanea aut potius nulla cogitatio. *Omnia peccata mea.* [c] Hic non vnius tantùm peccati se condemnat Ezechias, sed multis se oneratum fuisse fatetur, vt non vna tantum venia opus esset. Ergo si verè malorum alleuationem quærimus, à reconciliatione cum Deo & gratuita peccatorum venia facere exordium conuenit: quia placato Deo non poterit nobis male esse, quũ nostris miseriis minimè oblectetur. Nobis enim fere contingit quod stultis & inconsideratis dũ ægrotant, quia ad *συμπτώματα* duntaxat & dolores intenti morbum ipsum negligunt. Atqui potius imitandi sunt periti medici, qui morborum causas expendunt, atque huc toti incumbunt vt eas radicitus euellant. Externa enim remedia inania esse sciunt, imò nociua, si interior causa ignoretur. Totã enim mali vim intro repellunt, atque ita fouent & augent vt nullus postea sit curationi locus. Ergo mali sui causam agnoscit Ezechias: nẽpe sua peccata, quæ quum ipsi remissa essent, simul pœnam cessare ac remissam esse intellexit: [a] atque ita se ex beatorũ & fœlicium numero esse nõ dubitauit, secundum illud quòd canit Psalta, Beatus cui remissum est transgressio, & cuius tegitur peccatũ: beatus homo cui non imputauit Dominus delictum, Psal. 32. a. 1. [a] Vnde apparet quàm ridicula sit Papistarum distinctio, qui remissionem pœnæ à culpæ remissione discerni volunt. Hic verò Ezechias testatur pœnã sibi remissam esse quòd culpa remissa sit. Et notanda est loquendi forma qua vtitur Esaias, Proiecisti post tergum. Significat enim deletam esse omnino ipsorũ memoriam, quemadmodum alibi dicit Propheta Deum in profundum maris ea proiicere, Michæ. 7. d. 19. Item alibi, tam longè abiicere quàm procul Oriens distat ab Occasu, Psal. 103. b. 12. Quibus loquendi formis certiores nos reddit, quæ Deus semel remisit, imputaturum non esse. Quòd si postea nos nihilominus castiget, id non facit vt iudex, sed vt pater, quo erudiat filios atque in officio contineat. [a] Sicuti dicitur Prouerb. 3. b. 12, & Hebr. 12. b. 6, & Apoc. 3. d. 17. [m] Nã in eo falluntur Papistæ quòd in pœnis aliquid compẽsationis esse fingunt, acsi Deus vindictam exigeret, quia non velit gratis ignoscere. Atqui Deus suos castigat, in futurum tempus eorum saluti consulit. [a] Quo spectat celebris illa sententia Pauli, Quum iudicamur à Domino, corripimur, ne cum mundo condemnemur, 1. Cor. 11. g. 32. [m] Cæterùm ex hoc loco colligere prõptum est, quæcunque prius dixit Ezechias dum Dominum precaretur, ac diceret, Obsecro Domine recordare nunc quòd ambulauerim corã te &c. non pertinere ad ostentationem operum suorum, quasi illis quicquã deberetur. Nam hic manifestè confitetur se peccatorẽ, sicut sancti omnes: acsi diceret, Ecce Domine, non ideo me liberasti quia ego benefecerim, aut hoc sanationis beneficium apud te promeritus fuerim, sed quia tu bonus & propitius peccatorum meorum non fuisti memor.

18 *Quoniam non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: nec expectabunt qui in foueam descendunt veritatem tuam.*

Quoniam non infernus confitebitur tibi. [v] Quidam, Non enim sepulchrum confitebitur tibi. Alii, Quia non sepulchrum te laudat. [m] Pertinet hic versus cum sequenti ad id quod versu vndecimo inter querelas suas pauces attigit, dicens, Dixi, non videbo Deum, Deum in terra viuentium. Magni momenti ducebat ad iustam ætatis plenitudinem, vsque versari in laude & cultu Dei: & contrà vehementer esse miserum, immatura morte abreptum, ab hoc laudandi Dominum studio impediri. [c] Quum ergo dicit se Dei laudes celebraturũ nõ fuisse si ablata esset vita, gratum se ac memorem fore promittit. Et simul testatur hunc sibi maximè optabilem fore vitæ fructum, quum Deum laudabit. Etsi autem veræ pietatis est, non aliter vitam appetere quàm vt eam transigamus per continuas Dei laudes

videtur tamen restrictè nimis loqui Ezechias. Nec enim mors piorum minus Dei gloriã prædicat quàm vita. Et quia tùc demum perfectè coniuncti sunt Deo, laudes eius cum Angelis prædicare non desinunt. Rursus etiam exoritur dubitatio cur tantopere mortem fugerit Ezechias, & terrenæ vitæ tam cupidus fuerit. Etsi autem iam soluta fuit hæc secunda quæstio, rursus tamẽ in memoriã reuocem lectores, pauorẽ hunc non ex sola morte fuisse conceptum, quando idem Ezechias confecto vitæ spatio nõ reluctatus est quin libẽter ad Deum concederet: sed pium regẽ ira Dei perculsum hoc tãtùm dolere quòd suis peccatis sese abdicauerit à vita, quasi posthac omnis gratiæ & benedictionis expers futurus sit. Hinc etiã pẽdet primæ quæstionis solutio: quia nihil mirum si pius rex non modò sibi è vita migrandum esse reputans, sed mortẽ existimans pœnam scelerum & vltionem Dei, gemat ac defleat se damnari, quasi indignũ qui operam impendat promouendæ gloriæ Dei. Nã quicunque hoc fulmine percussi sunt, fieri non potest vt viui aut mortui celebrent Dei laudes: sed quia desperatione obruti sunt, necesse est obmutescere. Eodẽ etiã sensu & Dauid Psal.6.b.6, & tota Ecclesia, Psal.115.c.17 dicit, Nõ est memoria tui in morte: in sepulchro quis te prædicabit? Nempe quia perditis & attonitis nulla gratiarũ actionis materia suppetet. Notãdum tamẽ simul est, sanctos, dum ita loquuti sunt, non considerasse qualis post mortem cõditio ipsos maneret, sed præsenti dolore correptos tãtùm spectasse in quem finem conditi essent, ac in mundo alerentur. Est hæc, (vt nuper dictũ fuit) præcipua viuẽdi causa hominibus, vt se exerceant in Dei cultu. Hoc etiã consilio Ecclesiã Deus in mundo tuetur, quia vult nomen suũ celebrari. Ista qui se præcipitem deiici videt, quia censeri nõ meretur vel locũ tenere inter Dei cultores, nõ attendit distinctè, quasi composito animo, quid post mortem facturus sit: sed dolore obnubilatus, acsi post mortẽ cessarent omnia pietatis officia, facultatẽ mortuis eripit laudandi Dei: quia videtur gloria Dei sepeliri eum suis testibus. *Neque mors laudabit te.* ᴬ Eiusdem rei repetitio est: & mors hic sumitur pro mortuis. Q.d. Mortui non laudabunt te. Intellige, quẽadmodũ viui in hac vita & terra viuorum. *Nec expectabunt qui in foueam descendunt veritatem tuam.* ᵞ Alii vertunt, Nec sperabunt qui descendunt in sepulchrum in veritate tua. Alii, Non expectant qui descendunt in foueã, veritatem tuã. Id est, adimpletionẽ promissionum tuarũ quæ verissimæ sunt. ᴹ Q.d. Quomodo expectassem veritatẽ promissorum tuorũ si descendissem in foueam? Eorum fides, spes & expectatio veritatis tuæ, mortuorum & sepultorũ esse nequit, sed est viuentium. Iam vitæ restitutus expectaui veritatẽ tuam, & quã expectaui, sum abundè adeptus. ᴰ Videmus igitur quæ optanda sit prorogatio vitæ, nempe vt Deum laudemus, & veritatem promissionum eius certa fide expectemus. ᴬ Hunc scopum quicunque ante oculos propositũ non habent, frustra viuere dicuntur, nihilo brutis animalibus fœliciores.

19 *Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi, sicut ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi. ᴬ Nunc subiicit à quibus laudetur Dominus. ᴸ Q.d. Qui in hoc seculo viuentes promissione diuina fruuntur, & à malis eripiuntur, illi Deum laudibus celebrant, eique gratias agunt. ᴹ Nam diuinæ veritatis certitudinẽ viuẽtes experiuntur, quam mortui experiri adeóque & laudare non possunt, omni videlicet operum Dei sensu destituti. ᶜ Porro Ezechias non quoslibet promiscuè homines comprehendit: (quandoquidẽ multi viuunt qui tamen sua ingratitudine extinguũt, quantũ in se est, Dei gloriã: certè nihil minus cogitãt quàm se ad eam prædicandã natos esse) sed simpliciter docet, quantisper in hac vita foueantur homines à Deo, posse meritò gloriæ eius legitimos esse præcones: quando ad hoc officiũ sua liberalitate ipsos inuitat. Atq; hæc antithesis demõstrat quod paulo antè dixit, nõ esse in morte vel sepulchro memoriã Dei, referri ad hãc summam, vbi è mundo exterminãtur qui studiũ suũ libẽter impẽderent laudãdo Deo, hac gratia priuari. *Sicut ego hodie.* ᵞ Profitetur se vnũ fore ex testibus gloriæ Dei. q.d. Sicut vitam post morbos præstare volueris, siquis conualescat de infirmitate vt viuat, is cõfitebitur tibi bonitatẽ tuã, sicut & ego confiteri paratus sum beneficiũ sanitatis restitutæ. ᴬ Neq; enim tãti beneficii immemor vnquã ero. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* ᶜ Pronũtiat se nõ fore obliuiosum, sed perpetuò gratias acturũ Deo, ac prædicaturũ quem expertus erat fauorem eius: neq; id tantùm seculi sui hominibus, sed etiã posteris, vt & ipsi celebrent istas laudes, tantique beneficii authorẽ venerentur. ᴹ Hic itaq; pii regis affectus nobis diligenter notandus est, qui sic erat ad laudem nominis Dei propensus vt vitæ sibi restitutæ potissimã rationem & vtilitatẽ hanc esse duceret, quòd adhuc diutius inter viuos Dominũ Deum suũ laudare posset: sentiẽs primariũ hoc esse debere viuentiũ studiũ vt per omnẽ vitã suam in laude Dei versentur. ᶜ Colligenda etiam est ex hoc versu vtilis monitio, hac lege sobolem dari mortalibus, vt quisque liberos suos erudiendo, pro sua virili propagare ad posteros studeat Dei nomen. Quare hæc præcipuè sedulitas patribusfamiliãs mandatur, vt Dei beneficia filiis assiduè commemorent: ᴬ atque ita bonũ illis thesaurum thesaurizent, erudiendo eos in disciplina & correptione Domini. Sicuti Paulus docet, Ephes.6.a.4. Quod etiã Abrahã præstitisse legitur, Gen.18.c.19. ᶜ Porro veritatis nomine, quã Deus præstat suis, fidem omniáque gratiæ testimonia, quibus se veracem esse prodat, intellige. ᴬ Hanc patres filiis assiduè annunciare debent, si se verè parentes præstare velint.

20 *Iehoua ad me seruandum: & cantica nostra cantabimus omnibus diebus vitæ nostræ in domo Iehouæ.*

Iehoua ad me seruandum. ᵞ Quidam subaudiunt verbũ adfuit. ᶜ Agnoscit enim Ezechias se non hominũ ope aut industria, sed solo Dei beneficio liberatum esse. Alii vertunt, Iehouæ est vt saluet me. Sed hoc non satis exprimit, & videtur à litera remotius esse. Nec enim prædicat solummodo potentiã Dei, sed etiã opus in quo perspicuũ eius documentum dedit. Denique Seruare istud Dei, morti opponit cui adiudicatus fuerat: quia sicuti prius exhorruerat seuerum iudicem, nunc liberatorem suum agnoscens, lætitia exultat. ᴬ Discamus exẽplo Ezechiæ salutẽ nostrã vni Deo adscribere, ne, dũ afflictionibus premimur, vllum alium inuocemus quã qui nobis salutẽ & polliceri & præstare potest. Præterea dum ex malis ereptos nos videmus, fateamur nõ aliunde liberatos quàm ex mera ipsius bonitate & gratia: ᴹ dicamus, Dominus ad seruãdum nos affuit, Dominus ad nos pascẽdos, Dominus ad sanandum nos propitius adfuit. *Et cantica nostra cantabimus.* ᶜ Rursus Ezechias ad canendũ gratitudinis causa se accingit, imò alios quoque huius officii socios & comites aduocat. Et hac ratione templi meminit, vbi piorum conuentus agebantur. Si priuatus fuisset ac vnus è vulgo, solenne tamen Deo sacrificium offerre debebat, vt alios suo exemplo incitaret. Itaque regi multo magis hoc curãdum fuit vt omnes secũ ad gratiarum actionẽ adduceret: præsertim quoniã in eius persona Deus totius Ecclesiæ saluti consuluerat. Significat ergo se daturũ operam vt hæc Dei gratia omnibus innotescat, vigeátque eius memoria non vno tãtùm die vel anno, sed quoad manebit superstes. ᴹ Apparet autẽ tum tẽporis in more fuisse vt quẽadmodũ patresfamiliãs ad sacrificia sua peculiaria cunctã suã familiã adhibebãt, ita & vnã cum illa Psalmos votis suis cõuenientes canerẽt: & hoc pacto Ezechiã quoque ad sacrificia sua & psalmos in domo Domini decãtãdos cõiunxisse eos quos habebat domesticos & amicos. Verisimile tamẽ est non solùm sacerdotes & Leuitas cũ domesticis regis sed & totum populũ simul laudes Deo cecinisse, & ei pro sanitate regi restituta gratias egisse. *Cunctis diebus vitæ nostræ.* ᵞ Hoc est, per omnẽ vitam nostrã. Vel, Quandiu in hoc seculo vixerimus. ᶜ Promittit his verbis perpetuã gratitudinem. Et certè tam insigne Dei beneficiũ vllo tempore euanescere vel excidere nimis indignum fuisset. Vt autẽ obliuiosi sumus, ita opus est assiduis stimulis, qui nos expergefaciãt. *In domo Iehouæ.* ᴬ Hoc est, In templo Domini. quod & domus orationis dicitur, Infrà, 56.c.7. ᶜ Obiter ostẽdit Ezechias quorsum instituerit Deus sacros conuentus, nempe vt celebretur quasi vno omniũ ore, & alii alios incitent ad pietatis cultum, ad quẽ locus ille templi deputatus erat, & additis etiã promissionibus consecratus.

ORATIO DANIELIS,

PROPHETIAE DANIELIS CAP. IX.

ARGVMENTVM.

ᴮ Oratio hæc confessionẽ complectitur & deprecationem. In confessione duo agit, Deum laudat à potentia, iustitia & misericordia, se verò cum omni populo condẽnat vt flagitiosos. ᶜ Postquã autem reatum suũ professus est, petit à Deo vt ignoscat.

OBSECRO *Domine Deus magne & terribilis, custodiens fœdus & misericordiã erga diligentes te & custodientes mandata tua.*

Deus magne & terribilis. ᶜ Quum talis sit Dei maiestas quæ nos procul abigat statim atque ipsam mente concepimus, putaret quispiam non esse hanc commodam rationem precandi, quòd Daniel sibi Deum statuat ante oculos magnũ & formidabilem. Perinde enim est acsi seipsum expaneficeret. Sed hic sibi optimè moderatus est Propheta, quum ab vna parte Deũ agnouit esse magnum & terribilem, & ex altera parte coniũctim etiam agnouit ipsum seruare fœdus suum erga eos qui ipsum diligunt & custodiunt mãdata eius. Deinde videbimus postea additum esse etiam tertium, nempe quòd etiam Dominus ingratos recipiat, & qui recesserãt ab eius fœdere. Sed quãtum attinet ad hæc epitheta magni & terribilis, tenendum est

(sicut alibi diximus) non posse nos rite precari nisi humiliati simus coram Deo: & hæc humilitas præparatio est ad pœnitentiam. Daniel ergo Dei magnitudinem sibi obiecit, vt se & alios suo exemplo deiiceret coram Deo, ac etiam serio sa afficeret pœnitentiæ sensu. *Custodiens fœdus & misericordiam.* ᵃHeb. Qui custodit fœdus, vel pactum erga eos qui diligunt ipsum, & custod. &c.ᶜ Transit à secunda persona ad tertiā. Nō ponit autem has duas voces quasi diuersas, pactū & misericordiam: sed eas simul coniungit, & ita resolui debet oratio, quòd pactū Dei sit gratuitum, vel quòd fluat ex fonte misericordiæ eius. Est enim hypallage, vt loquuntur. *Erga diligentes te, & custodientes.* ᶜHic obliqua est condemnatio populi, quum Daniel testatur Deum esse constantem in seruandis promissis si vicissim homines agerent cum ipso bona fide. Et in summa conuertit culpam in populum, quòd Deus non egerit benignè & humaniter (sicuti solebat) sed exercuerit grauissimam illam vindictam, quum scilicet expulsus fuit populus è terra Chanaā, quæ perpetua erat illius hæreditas. Erāt enim Israelitæ tracti in exilium, in quo dura tyrannide opprimebātur & crudeliter à victoribus tractabantur. Hoc ergo poterat impellere multos ad obstrependum. Quid sibi vult Deus? quid nobis prodest esse electos in peculiarem populum? quorsum ista adoptio, quum tamen miserrimi simus omnium? Daniel hic ostēdit non posse vllam culpæ partem in Deum transferri, quia scilicet populus ipse defecerit & sua perfidia violauerit Dei pactum.

5 *Peccauimus & inique egimus, impiè nos gessimus & rebellauimus, & recessimus à mandatis tuis & iudiciis tuis.*

6 *Neque obediuimus seruis tuis Prophetis, qui loquuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, & toti populo terræ.*

5 *Peccauimus & iniquè egimus.* ᶜ Debuit Daniel hinc ordiri, quia in genere notādum est non posse placere Deo preces nostras nisi vbi prodimus coram ipso rei, & reponimus totam spem nostrā in eius misericordia. Sed specialis fuit ratio Prophetæ, quia precatus est non vulgari modo (vt dictum fuit) sed in ieiunio, in sacco, & cinere. fuit igitur hæc solennis cōfessio, qua Daniel se coniunxit cum toto populo. Sed verbis magnū inest pondus. ᵘ Gradus enim peccatorum ponit, & in fastigiū peccatorū venisse testatur Iudæos, & propterea omnibus modis esse inexcusabiles. ᶜQuod autē primo loco ponit, videlicet חטאנו, non de quolibet delicto dicitur, sed cōtinet in se etiam scelus, vel grauius peccatum. Fuimus ergo scelerati, inquit: deinde, Inique egimus: postea, Impie nos gessimus, & fuimus rebelles. Quorsum autem hæc copia nisi vt Daniel sa vnà cum toto populo acrius ad Dei timorem atque adeo ad pœnitentiam extimulet, vt pro se quisque concipiat seros & serios terrores? *Et recessimus à mandatis tuis.* ᶜOstendit quomodo impiè & sceleratè & perfidè rebelles fuerint Israelitæ, nēpe quia declinarunt à statutis & mandatis Dei. Amplificat autem culpam populi, quoniam nullus sit ignorantiæ prætextus vbi edocti fuerant lege Dei, quæ erat instar lucernæ quæ viam mōstrabat, ita vt excutirent sponte & quasi certa malitia, perinde acsi quis impingeret in meridie. *Et iudiciis tuis.* ᶜ Mandatis adiungit iudicia, vt ostendat fuisse facilem & perspicuam satisque familiarem Dei institutionem si dociles fuissent Israelitæ. Nam vbi ponuntur statuta, iudicia, leges, præcepta, nō sunt synonyma absque ratione coaceruata, sed Spiritus sanctus aliud nobis commēdat, nempe nihil deesse nobis si interrogemus os Dei. quia perfectè instituit nos ad totum vitæ cursum regendum, ideóque scientes & volentes errara. ᵒQuid autem excusabit eos qui volētes & scientes præuaricantur legē Dei?

6 *Neque obediuimus seruis tuis Prophetis.* ᵘExaggerantur torū peccata qui monentur publicè nō ab vno sed multis Prophetis, qui suspecti non sunt, sed citra respectum personarum, non priuatos dūtaxat sed etiam principes in suis flagitiis carpunt. Deinde adhuc grauius fit peccatum, si Deus puniat, & quibusdam afflictis, alios retrahere conetur per Prophetas, & iterū obdurētur aures. sicuti quando Iudæi viderunt abductas in captiuitatem decem tribus Israel, & ipsi nihilominus in suis iniquitatibus progressi sunt. Demum, quādo etiam ipsi omnigenis pœnis affliguntur, & sic quoque in ipsis tormētis rebellant peccandique voluntatem seruant. Hoc etiam hic fatetur de Iudæis, quòd destructa Ierusalem & in tanta captiuitate, noluerint vel petere misericordiam à Deo, vel audire vocem illius multis modis ad pœnitentiam & ad salutem prouocantis. ᶜ Nominat autē Prophetas seruos Dei qui loquuti sunt in eius nomine, distinguens inter veros & falsos Prophetas. Loquuntur enim tam boni quàm mali in Dei nomine, hoc est, promiscuè impii non minus quàm probi doctores Dei nomē obtendunt: sed Daniel hic effectum intelligit, vel rem ipsam (vt loquuntur) inanibus illis impostorum ampullis valere iussis.

Regibus nostris, princip. ᶜHic Daniel prosternit omnē mundi altitudinem, vt Deus solus emineat. Hic enim reges, principes (seu proceres) & patres implicat eodem reatu. Hoc autem diligenter notandū est. Videmus enim vt communi hominum sensu totius iuris ratio à regū arbitrio vel potius libidine pendeat. Animaduertendum etiā quàm friuola sit eorum excusatio qui patres suos obiectant Deo instar clypei. Nā hic Daniel inuoluit eodem reatu patres cum filiis. *Et toti populo terræ.* ᵘId est, Vniuersæ plebi.

7 *Tibi Domine iustitia, nobis autem pudor faciei sicuti hodie viro Iehudah & habitatori Ierusalē, & omni Israeli propinquo & remoto in vniuersis terris ad quas eiecisti eos, propter transgressiones eorum, quibus transgressi sunt contra te.*

8 *Iehoua, nobis inquam pudor faciei, regibus nostris, principibus nostris & patribus nostris: quia peccauimus in te.*

Tibi Domine iustitia. ᵘ Sub.tribui debet. Vel, Tua est iustitia. Q.d. Tu es iustissimus: nos verò erubescere debemus coram te propter scelera nostra. ᶜ Notanda est autem hæc antithesis, ex qua colligimus non posse iustum cēseri Deum nisi vbi obstructa sunt hominū ora, & omnes quasi probro cooperti & obruti, se sentiunt constringi iusto reatu. *Sicuti hodie.* ᶜ Vel, Secundū diē hunc. Hoc adiungit ad cōfirmationē suæ doctrinæ: quasi diceret satis conspicuā esse impietatē populi ex ipsa pœna. Sed interim tenet illud principiū, nēpe populū fuisse iustè castigatum. Q.d. Ego non cōqueror de immodico rigore, non dico te crudeliter tractasse populū tuū. nam etiāsi graues sint pœnæ quas de nobis sumpsisti, tamen in illis refulget tua iustitia. *Viro Iehudah.* Hic videtur ex professo Daniel velle detrahere laruam Israelitis, sub qua putabant se latere. Nam honorifici erant tituli, vocari Iudæum, vocari incolam Ierosolymæ, vocari Israelitam. *Propinquo & remoto.* ᶜ Dicit tam remotos quàm propinquos Dei iudicio obnoxios esse, quia etsi vindictam suam exercuerat Deus non eodem vel æquali modo, nemo tamen à scelere immunis erat, quàmuis immunis esset à pœna. Deus enim non omnes expulerat vel in Chaldæam, vel in Assyriam. subsiterant enim multi in vicinis gentibus. sed Daniel tamen negat immunes ipsorum culpam, quàmuis humanius tractati à Deo fuerant, vel aliqua ex parte illis pepercerat. *Propter transgressiones eorum quibus transgr.* ᵘ Vel, Propter præuaricationem eorum qua præuaricati sunt in te.

8 *Iehoua, nobis inquam pudor faciei.* ᶜ Hoc versu confessionē suā absoluit Daniel. *Regibus nostris, princip.* ᶜPrius de toto populo loquutus fuerat: nunc tantum nominat reges & principes & patres: sed vulgus etiā cōprehendit. Cæterùm quia solent reges & qui proximè ad illos accedūt sese eximere à lege cōmuni, ideo hic Daniel reges & principes & patres exprimit.

9 *Domino* [*autem*] *Deo nostro miserationes & veniæ. quia rebelles fuimus ipsi.*

10 *Neque obediuimus voci Iehouæ Dei nostri, vt ambularemus in legibus eius, quas proposuit nobis per manum seruorum suorum Prophetarum.*

9 *Domino autem Deo nostro miserationes.* ᶜId est, Deus, qui seipsum abnegare non potest, semper erit misericors. Est enim hoc ab æterna eius essentia inseparabile. Ideo quantumuis rebelles in eum fuerimus, tamen non abiiciet preces nostras, neque repudiabit. Hic Daniel se confert ad Dei misericordiam quasi ad sacrum asylum. Neque enim sufficeret peccata agnoscere & fateri, nisi succurreret nobis fiducia impetrandæ veniæ ex Dei misericordia. Postquam igitur ingenuè confessus est totum populū meritò tam duriter & seuerè tractatū esse à Deo, amplectitur tamen misericordiā, quēadmodū si tabulam naufragio arriperet, sicut dicitur vulgari prouerbio. Et videmus etiā eodē principio Dauidē vti, Apud te est propitiatio, vt timearis, Psal.130 a.4. *Et veniæ.* ᵘ Vel, Et propitiationes. ᶜ Non dubium est quin Daniel sumpserit hoc ex Mose, præsertim ex illo insigni & memorabili loco vbi Deus pronuntiat se vindicem quidem seuerum esse, sed tamen plenum misericordia, propensum ad clementiam & veniam, deinde multæ patientiæ, Exodi 34. a.6. *Quia rebelles fuimus ipsi.* ᵘ Vel potius, Quamuis rebelles fuerimus ipsi. Magis enim probatur vt aduersatiuè sumatur particula כי, Quāuis ergo rebelles fuerimus in Deū, tamen nobis erit exorabilis, quia nunquā obliuiscetur misericordiæ suæ. Sicut magis placeat accipere causaliter, non malè etiam hoc conueniet, quasi diceret Daniel non alibi residuā esse spem salutis quàm in Dei misericordia, quoniam scilicet totus populus satis supérque conuictus sit scelerum. Quia ergo sceleratè egimus in ipsum, quid restat nisi vt tota nostra fiducia recumbat in eius clemētiam & bonitatem. quoniam testatus est se fore propitium peccatoribus qui verè & ex animo eius gratiam implorant.

10 *Neque obedivimus voci Ieh.* [c] Vel, Neque auscultavimus voci Iehovæ. Hic versus exegeticè adiunctus est vt exprimatur quomodo in iram Dei provocaverint Israelitæ ac sceleratè egerint. Designat igitur speciê ipsam scelerû, vel modum sceleratè agendi: nempe quia contempserint doctrinam à Deo authore profectam & sibi expositam per Prophetas. Et hoc diligenter notandum est: quia etsi nemo excusabilis est prætextu ignorantiæ coram Deo, scimus tamen scelus aggravari vbi velut data opera scientes & volentes resistimus quod Deus præcipit & docet. Daniel ergo crimen populi hac circunstantia amplificat quòd non audierint Prophetas. *Vt ambularemus in legibus eius.* [c] Leges Dei vocat doctrinam quæ constabat multis partibus. Nam certum est nihil prætermissum fuisse à Deo quod cognitu esset vtile. Cõplexus igitur fuerat totã iustitiæ perfectionem in sermone suo. Neque enim hic tantum agitur de lege Mosis, sed de Prophetica doctrina, quemadmodum ex verbis liquet: & nomen תורה accipitur pro doctrina. Perinde est igitur acsi diceret Daniel Deum fuisse reiectû quũ per suos Prophetas populũ regere vellet. Sed videtur plurali numero notare quam dixi in Prophetis comprehẽsam esse doctrinæ perfectionem. *Quas proposuit nobis.* [v] Ad verbum, Dedit coram nobis. [c] Vel, Posuit coram facie nostra, aut, ante faciem nostram. Hæc autem locutio, Ponere aliquid ante faciem, tantundem valet atque apertè, perspicuè, dilucidè, vel familiariter, vel etiam enucleate tradere quod vtile est cognitu. Quum ergo Deus ita lege sua explicuerit totam iustitiæ summa, eo gravior fuit & magis detestabilis populi impietas quòd nihil profecit in illa tam familiari doctrina. *Per manum servorum suorum Prophetarum.* [c] Disertè exprimit Daniel contemni Deum in suis Prophetis, quamvis non descẽdat ipse è cælo, vel mittat Angelos. Nam quum dicit Prophetas fuisse servos Dei, significat eos nihil temere tẽtasse, vel docuisse proprio nomine vel impulsu, sed fideliter exequutos fuisse quod Deus præceperat.

11 *Et totus Israel transgressi sunt legem tuam, & recesserunt ne auscultarent voci tuæ. Ideo effusa est super nos maledictio, & iusiurandum quod scriptum est in lege Mosis servi Dei, quia peccavimus contra ipsum.*

12 *Et stabilivit sermonem suum quem locutus fuerat super nos, & super iudices nostros, qui nos iudicarunt, ut adduceret super nos malum magnum, quod non factum est sub toto cælo sicut factum est in Ierusalem.*

11 *Et totus Israel transgr.* [c] Iterum confirmat Daniel quod dictum est, nempe iustissimas esse pœnas quæ inflictæ populo fuerant. Iam autem non enumerat ordines (sicut paulo antè) sed vno verbo pronũtiat omnes esse obnoxios, quia trãsgressi fuerint à minimo vsque ad maximum Legem Dei. *Et recesserunt ne auscult.* [v] Vel, Et declinarunt non obtemperando voci tuæ. [c] Exprimit his verbis obstinatam malitiam populi, quòd non tantùm negligẽtia vel stultitia à recto cursu discessserint, sed scientes transgressi fuerint legem Dei, & certo quodam rebellandi studio. *Ideo effusa est super nos mal.* [v] Vel, Stillavit. [a] Hinc convincitur desperata impietas populi, quòd neque doctrinæ Dei attendit, neque etiam quicquam authoritatis detulit minis Ipsius. Prædixerat enim Deus tot seculis antè non fore Israelitis impunè si a Lege deficerent, vnde apparet quàm fuerint omnibus modis intractabiles. Quũ autem dicit effusam esse maledictionem, vel stillasse, fatetur, quãvis instar diluvii exundasset Dei vindicta in totum populũ, tamen fuisse moderatã. Deus enim prædixerat per os Mosis quicquid erat facturus, Levit. 26, & Deuter. 28. Nũc si quis legat maledictiones quas Moses denuntiat trãsgressoribus Legis, fatebitur illic nihil esse immodicũ: vbi ergo sequitur exequutio, quid iam dicendum est, nisi fulgere Dei iustitiam quæ omni reprehensione careat. *Et iusiurandum quod scriptum est.* [c] Vel, Et execratio quæ scripta est. Nam vox Hebraica quæ hic ponitur, propriè quidem iusiurãdum significat, sed quia interponitur sæpe execratio, & qui iurat, statuit Deum vltorem si fallat in suis verbis, ideo quidam execrationem vertunt. Sed potest esse hypallage, & ego libenter ita interpretor. Effusa est igitur maledictio & iusiurandum, id est maledictio quam Deus iureiurando sancivit, vel, maledictio iurata ore ipsius Dei. Scim[v] enim, quo plus terroris incutiant minæ, eas iureiurando cõfirmari, sicuti etiã Deus ex opposito promissiones gratiæ suæ cõfirmat. *Peccavimus contra ipsum.* [c] Nunc in tertia, nunc in secũda persona loquitur: sed hoc signum est vehementiæ & ardoris, vbi nunc Daniel quasi totum mundum compellat, & postea coram Deo se prosternit & comparet velut ad eius tribunal. Tantundem enim est acsi nunc reatum suũ confiteretur coram Deo & Angelis, nunc conscenderet theatrum vt suam & populi totius infamiam testatam faceret coram cunctis mortalibus.

12 *Et stabilivit serm.* [v] Vel, Et statuit, aut excitavit verbum suũ. [c] Q.d. Iaceret sermo Dei quasi absque efficacia, nihilque vigoris haberet, nisi incumberet capitibus nostris hæc maledictio: sed dum ita iacemus prostrati, sermo Dei quasi in sublime euehitur. Hoc est, Deus facit vt palã appareat sua veritas, quæ alioqui videretur nulla esse. *Super nos, & super iudices nostros.* [a] Iterum Daniel omnem altitudinem carnis deiicit, vt solus Deus emineat: deinde nequis mortalium splendor obscuret authoritatem Legis. Scimus enim vt vulgus putet se clypeũ habere ad defensionem omnium scelerum vbi in mediũ profert reges & iudices. *Qui nos iudicarunt.* [a] Q.d. Quãvis data esset illis potestas ad nos regendos (sicut omnis ordinatio est à Deo) tamen quum perperam abusi fuerint suo imperio, & violaverint iustitiam Dei, minimè obstat eorum magnitudo quo minus ipsi quoque sint obnoxii. *Quod non factum est sub toto cælo.* [a] Notanda est ista comparatio, pœnam inflictam fuisse Israelitis cuius nullum exemplum in aliis gentibus extabat. Prævenit autẽ Daniel obiectionẽ quæ non carebat aliquo colore, quòd Deus in Israelitas sæviret magis quàm in vllas alias gẽtes, poterat videri oblitus suæ æquitatis. At Daniel hic prædicat ipsos meritò tam duriter affligi, quum gentes omnes & malitia & ingratitudine & omni scelerum genere superaverint.

13 *Sicuti scriptum est in lege Mosis, totum malum hoc venit super nos, & non deprecati sumus faciem Iehovæ Dei nostri, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & intelligeremus veritatem tuam.*

14 *Et vigilavit Iehova super malum, & adduxit illud super nos: quia iustus est Iehova Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit, & non auscultavimus voci eius.*

13 *Sicut scripte.* [a] Repetit quod dixerat, probari scilicet Dei iudicia ipso effectu, quoniam lex Mosis cõtineat quicquid pœnarum tunc sustinebant Israelitæ. *Et non deprecati sumus.* [v] Vel, Neque rogavimus. [c] Hic gravius accusat populi duritiã, quoniam ne flagellis quidem percussus resipuerit. Vbi enim flagella profecta essent, tunc apparet prorsus desperatum esse populum. *Vt reverteremur ab iniquit.* [v] Vel, vt converteremur. [c] Nunc modum obstinationis clarius demõstrat. dixerat enim non deprecatos esse faciem Dei: sed hic plus aliquid exprimit, nempe quod etiam si qua fuerit precandi simulatio, nulla tamen sinceritas subesset. Scimus enim hypocritas improbè abuti Dei nomine, & prætendere non solùm aliquem affectum precandi, sed etiam maximum fervorem: sed nulla est veritas in ipsorum precibus. Nam Daniel hic æstimat preces ex verbo Dei, & ideo ponit hæc duo, nempe pœnitentiam & fidem. Hæc enim piè & ritè orandi est regula, vbi nobis displicemus in malis nostris, deinde vbi respicimus ad minas Dei & promissiones. *Et intelligeremus veritatem tuam.* [c] Vel, Attenti essemus ad veritatem tuam. Hoc, meo iudicio, tam ad minas quàm ad promissiones extenditur: & fides etiam apprehendit misericordiam Dei simul & iudicium. Dicit igitur eos non satis operam dedisse considerandis Dei iudiciis, deinde quòd fuerint ita stupidi vt contemnerent misericordiam sibi propositam.

14 *Et vigilavit Iehova super malum, & adduxit.* [v] Vel, Festinavit, & adduxit, vt sit Hebraismus, pro Festinavit adducere. Vel, acceleravit. [c] Sed שקד propriè accipitur de custodibus vrbiũ qui agunt nocturnas & diurnas excubias. Itaque hac voce nõ tã festinatio videtur notari quàm sedulitas cõtinua. Deus autem sæpius hãc metaphoram vsurpat, quòd scilicet vigilet ad castigandos homines qui nimium ferventer ruendo ad malum. Videtur igitur innuere Propheta, Deum, quamvis diu pepercisset sceleribus populi, tandem re ipsa monstrasse quod antè minatus fuerat, nempe se excubias agere, ne scelera in quibus sibi indulgebat populus, posse suum iudicium effugere. Docemur autem ex hoc loco, semper reputãdam nobis esse providentiam Dei in rebus prosperis & adversis, vt scilicet ad gratitudinem nos moveãt eius beneficia, & pœnæ ad humilitatem nos erudiant. Propheta enim obliquè opponit fortuitis eventis iudicium & providentiam Dei. *Quia iustus est Iehova Deus noster.* [c] Hoc membrum confirmat Propheta superiorem doctrinam, & est causæ redditio, quum dicit iustum esse Deum. Nam à Dei natura ratiocinatur, fieri non posse vt quicquam casu fortunæ impetu eveniat. Is enim Iudex sedet in cælo. Quod si exercet officium iudicis & gubernat mundum sua providentia, necesse est tam res adversas quàm prosperas illius iudicio adscribi. Nam si vel minimum deferimus fortunæ, cessabit Dei iudicium & providentia. Interea tamen Daniel non tãtùm tribuit Deo providentiam, sed simul iustitiam eius celebrat, qua-

si diceret non gubernare mundum pro imperio, nec dominari tyrannicè in mundo, sed iustum esse, & pro summa æquitate gerere quæ etiam nobis videntur absurda. *Et non auscultauimus vocis eius.* ᵛ Vel, Et non paruimus voci eius. ᶜ Hic crimen populi rursus designat, quòd non inscitia vel errore lapsus fuerit, sed quasi data opera contulerit aduersus Deum. Nam nulla est amplius excusatio ignorantiæ vbi Dei voluntas est nobis patefacta.

15 *Nunc autem Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum è terra AEgypti cum manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc, peccauimus, impiè egimus.*

16 *Domine, secundum omnes iustitias tuas auertatur, quæso, ira tua & excandescentia tua ab urbe tua Ierusalem, monte sanctitatis tuæ. Quoniam ob peccata nostra & ob iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem & populus tuus est in probrum cunctis vicinis nostris.*

17 *Et nunc audi Deus noster precationem serui tui, & orationem eius: atque illumina faciem tuam super Sanctuariū tuum, quod vastatum est propter Dominum.*

15 *Nunc autem Dom.* ᴴ Postquam Daniel satis confessus est iusta esse iudicia quæ exercuerat Deus aduersus populum, nūc sursus ad petendam veniam se conuertit. *Qui eduxisti populum.* Vt sibi fauorem conciliet & piorum animos ad fiduciam erigat, proponit in medium illud documentum gratiæ quod debebat valere ad fulciendam piorum omnium fidem vsque ad finem seculi: quasi diceret se Deum inuocare qui vno illo documento testatum fecerat omnibus seculis genus Abrahæ esse sibi sanctum. Videmus ergo vt se & alios omnes animet ad precandum. Nam quoties vult Deus ad se colligere eos qui sunt dispersi, & à desperatione in bonam spem attollere eorum animos, commemorat se esse illorum redemptorē. Ego sum Deus ille qui vos eduxi ex Ægypto, inquit, Leuit. 11. g. 45, & 19. e. 36. & 22. d. 33, & 25. e. 37, & alibi. *Et fecisti tibi nomen.* ᶜ Vel, Acquisiuisti. Comparasti. Quasi diceret, vbi eductus fuit populus, non tantùm specimen fuisse editum paterni fauoris erga genus Abrahæ, sed exhibitā etiā fuisse potētiam Dei. Vnde sequitur, non posse populum illum abiici quin simul intercidat memoria tantæ potentiæ qua sibi Deus nomen acquisierat. q. d. Comparasti tibi gloriā quæ vigere debet omnibus seculis vsque ad finem mundi: quid ergo si nunc totus populus in nihilum redigatur? Et hæc doctrina sæpius occurrit in Prophetis, vbi idē obiiciunt Deo. *Secundum diem hanc.* ᵛ Vel, Vt hodie videre est. ᶜ Aut, Vt res ipsa monstrauit. *Peccauimus, impiè egimus.* ᴴ Vel, Impiè egimus, sceleratè egimus. Quibus verbis declarat nihil aliud esse reliquum nisi vt Deus rationem potius habeat sui quam populi: quia si respiciat quid sit in populo, nihil reperiet præter materiam vindictæ. Perire igitur populum necesse erit si Deus velit cum ipso agere sicut meritus est.

16 *Domine secundum omnes iustitias tuas auert.* ᵛ Vel, Pro omnibus iustitiis tuis. ᶜ Qui iustitias Dni accipiunt pro iudiciis, vt iustitiæ opponantur misericordiis, falluntur. Scimus enim Dei iustitiam nobis patefieri in beneficiis præcipuè. Perinde est igitur acsi diceret Daniel, spem vnicam populi esse si Deus seipsum respiciat, non autem populi opera. Q. d. Domine, quoniam non fallis eos qui in te confidunt, quia nihil frustra vel temere promittis, & quoniam non soles eos deserere qui ad te confugiunt, ideo quoniam iustus es, nūc succurre miseriis nostris. Et notunde est vniuersalis particula *omnes*: perinde enim est acsi diceret, Etiamsi tanta sit scelerum nostrorum congeries vt centies pereundum nobis sit, tamen plures sunt tuæ iustitiæ. *Ira tua & excandescentia.* Hæc duo coniungens, non insimulat Deum excessus, quasi nimis seuerè vltus fuerit populi peccata, sed iterum reputat quāta fuerit scelerum grauitas ob quam tantopere infensus sit Deus populo suo. *Monte sanctitatis tuæ.* ᶜ Iterum proponit Deo montem sanctum quem elegerat: & hoc modo auertit eius conspectū à iudicio, ne scilicet in rationē veniāt tot peccata quibus meritò infensus erat Deus. *Quoniam ob pecc.* ᶜ Q. d. Tu vrbem Ierosolymam elegeras quæ esset quasi regia sedes, volebas illic coli: nunc cunctis vicinis nostris vrbs illa cessit in maximum opprobrium. Hinc colligit, nomen Dei expositum esse Gentium contumeliis. ᴴ Potentissimus autem persuadendi apud Deum locus est si gloriam eius prætexas, idque non ficto corde: hoc enim est in nomine eius petere. Sic omnes sancti orant, & malunt repelli preces suas & se totos perire quàm vt vel minimū diuino honori decedat. Sic Psal. 79. c. 9, Adiuua nos Deus salutaris noster, propter gloriā nominis tui: libera nos: propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Sic & in variis præterea Scripturæ locis. *Et populus tuus.* ᴴ Non queritur Iudæos omni genere ignominiæ affici (hoc enim promeriti fuerant suis sceleribus) sed emphatica est locutio, quum dicit illos tamen esse populum Dei. Nam sic coniunctum erat Dei nomen cum populo illo, vt quicquid coniiciebant profani homines ignominiæ in ipsos, in Deum ipsum præcipuè conferretur. Ergo Daniel hic proponit Deo nomen suum: quasi diceret, Domine sis gloriæ tuæ vindex: quandoquidem hac lege semel nos adoptasti vt insculpta sit memoria nominis tui in nobis. Ne permittas nos ita contumeliose traduci vt Gentes contra teipsum insultēt. Interea tamen dicit, propter iniquitates populi & patrum hoc factū esse. Quibus verbis tollit omnes dubitationes quæ obrepere poterant. O qui factum est vt Deus ita populum suum prostituerit? cur non saltem pepercit nomini suo? Daniel ergo hic testatur hoc fuisse iustum, quoniam eousque grauis erat iniquitas populi & patrum vt necesse fuerit exercere talē vindictā à Deo. *Cunctis vicinis nostris.* ᶜ Aduerbium. Cunctis circuitibus nostris. Id est, cunctis qui sunt in circuitu nostro.

17 *Et nunc audi Deus noster.* ᵛ Vel, Nunc igitur exaudi. ᶜ Aut potius, Nunc tamen Deus noster audi, &c. His autem verbis luctatur Daniel cum diffidentia. Quoniam enim sæpe intermittunt pii studium precandi vbi dubitatio aliqua illos abstrahit, & quasi claudit ianuam ne familiariter ad Deum accedant, hæc ratio est cur Daniel toties repetat hanc sententiam. Et etiam David subinde sententias tales inculcat in suis precibus. *Atque illumina faciem tuam super sanct.* ᵛ Vel, Illustra faciem tuam. Id est, Lucere fac faciē tuam. Hoc est, Vultu benigno & hilari intuere, & fauore prosequere. ᴴ Sicut furor in facie Dei describitur si vel auertat se vel seuerius intueatur, ita per illustrationem faciei gratia ponitur. Humano enim more sic loquimur ad Deum. ᶜ Hæc locutio passim occurrit in Scripturis (sicuti notum est) quemadmodum ex opposito dicitur abscondere faciem suam Deus, vbi non opitulatur suis, sed perinde dissimulat acsi illorum oblitus esset. Nam Scriptura vbique calamitates nostras tenebris comparat. Quoniam ergo visus fuerat Deus longo tempore deseruisse Sanctuarium suum, ideo rogat Propheta vt nunc lucere faciat faciem suam. Et notandum est quod dicit, *Super Sanctuarium tuum quod vastatum est.* Nam quum Sanctuarium esset excisum, vastitas illa poterat præcludere ianuā & Danieli & omnibus piis ne amplius orarent. Quis enim profectus sperari poterat in rebus tam deploratis? Sed Daniel hac circumstantia ostendit se ita luctatum esse vt obstaculum illud non interruperit cursum suæ precationis. Et hæc regula nobis tenenda est, non esse ex præsenti rerum aspectu æstimandam Dei gratiam, quia sæpe ostendit se nobis irasci. Superanda est igitur ratio carnis nostræ, si velimus in rebus aduersis Deum precari, quemadmodum hic nos suo exemplo docet Propheta. *Propter Dominum.* ᶜ Consentiunt omnes doctores Hebræi אדני vbi scribitur cum magno puncto Chametz, nō sumi nisi pro solo Deo: sed ex quibusdā Scripturæ locis certò statuo transferri etiam ad Mediatorem. Et huic loco melius conueniet sensus ille: quia tametsi Hebræis vsitata est hæc loquendi forma, Propter Deum, hoc est Propter te, atque vbi ad Deum dirigunt sermonem, fateor sæpe tertiæ personæ vti, quid tamen opus est ad illam loquendi formam confugere, quæ durior est, vbi ex opposito melior ratio apparet? Etsi autem ex hoc loco satis id conuinci non potest, si tamen bene expendimus verba Prophetæ, inclinabimus potius in illam partem, quòd scilicet hic Deo Mediatorem proponit, cuius gratia sperat se impetraturum quod petit. ᴴ Hebræi certè exponunt Propter Abraham, qui tibi placuit: at multo rectius, Propter Christum filium tuum, Dominum nostrum, per quem preces nostræ exaudiuntur. Vtique & Propheta Redemptorem expectauit.

18 *Inclina Deus mi aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & respice desolationes nostras, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum super eam: quia non propter iustitias nostras nos prosternimus preces nostras coram facie tua, sed propter misericordias tuas multas.*

19 *Domine audi, Domine propitius esto. Domine attende, & fac: ne moreris: propter te, Deus mi, quia nomen tuum inuocatum est super urbem tuam & super populum tuum.*

18 *Inclina Deus mi aurem tuam.* ᴴ Hæc clausula precationis spirat mirum feruorem & vehemētiam. Hic enim Daniel profundit verba acsi esset extra se. Satis fuerat dicere, Audi: sed tacita antithesis subest. quia enim visi fuerāt fideles apud surdum verba facere, quum per septuaginta annos continui illorum gemitus in cælum se efferrent, idque sine profectu, ideo rogat Propheta vt tandem inclinet aurem suam. *Aperi oculos tuos, & respice.* ᴴ Quia Deus quasi clausis oculis prætereierat omnes calamitates populi sui, & hæc conniuentia dicere po-

terat spem piorum, ideo nunc rogat Daniel vt Deus aperiat oculos. Et has circunstãtias diligenter notare conuenit, vt discamus precari Deum non modò vbi summa quies & possumus vota concipere sine aliqua perturbatione, sed vbi mœror & anxietas sensus omnes nostros occupât, vbi tenebræ nos vndique circunstant, vt tamen preces nostræ retineant cursum suum inter tanta obstacula. *Desolationes nostras.* [c] Vel, Vastitates nostras. [v] Aut, ruinas nostras. *Et ciuitatem super quam inuoc.* [c] Iterum sibi proponit materiam fiduciæ, quoniam Ierosolyma electa fuerat in Sanctuarium Dei. Inuocatum enim fuit nomẽ Dei super Ierusalẽ, quia celebrata erat iam multis antè sæculis Dei electio, quòd scilicet collegerat populum vnum peculiarem, deinde locum designauerat vbi vellet sibi offerri sacrificia. *Quia non propter iustitias nostras.* [c] Daniel hic clarius exprimit quod antea dixit, nempe spem sibi in vnica Dei misericordia esse fundatam. Opponit enim duo membra inter se contraria. Est autem diligenter notandus hic locus, vbi disertè excludit Daniel quicquid pugnat cum gratuita Dei bonitate: & ostendit non posse conciliari hæc duo inter se, vt confugiant fideles ad Dei misericordiam, & aliquid afferant proprium, vel meritis suis nitantur. *Nos prosternimus preces nostras coram facie tua.* [a] Scriptura videtur quodammodo pugnare secum: quoniam sæpe vtitur diuersa metaphora, quòd scilicet preces in cælum tollantur. Et sæpe occurrit locutio illa, Deus eleuamus, (vel attollimus) preces nostras ad te. Sed hæc duo optimè inter se conueniunt, quoniam quum in precibus necesse sit (vt antea dictum est) coniungi pœnitentiam cum fide, illa homines prosternit deorsum, hæc autem sursum attollit. Talem imaginem proponit nobis Christus in publicano, quòd scilicet deiecto vultu pectus suum feriret, ac peteret veniã, Luc. 18. c. 13. Sic ergo prosternunt filii Dei suas preces, nempe humilitate quæ ex pœnitentia nascitur. Attollunt autem preces suas fide, quia vbi Deus eos ad se inuitat, dum testatur se illis fore propitiũ, tunc sese erigunt, & superant omnes nubes, imò cælum ipsum: vbi scilicet prælucet hæc doctrina, Tu Deus es qui exaudis preces, quemadmodũ dicitur Psal. 65. a. 3. *Misericordias tuas multas.* [c] Vel, magnas. Implorat autem multas vel magnas Dei miserationes, quoniam ad summum vsque cumulum peruenerant populi scelera.

19 *Domine audi.* [a] Hic melius etiam exprimitur vehementia quam diximus. Neque enim hic Daniel ostentat (sicuti facere solent hypocritæ) aliquam eloquentiam, sed tãtùm suo exemplo docet quænam sit vera lex & ratio precandi. Refert igitur quid apud se conceperat. precatus enim fuerat sine teste: sed nunc conuocat totam Ecclesiam, & vult testem esse sui zeli & feruoris, vt scilicet omnes sequantur quod non tam ipse illis præscribit quàm Deus. *Domine propitius esto.* [c] Hoc secundo membro subindicat clausas & quasi surdas fuisse aures Dei, quoniam merito infensus erat populo. Quum ergo nõ respondet Deus precibus nostris, sciamus Deum tardum esse, quia ipsi frigemus & sumus ignaui: deinde quia iniquitates nostræ interponunt quasi maceriam inter os & aurem Dei. Sic autem resolui debet oratio, Propitius sis Domine, vt audias. [v] Verti etiam potest, Domine parce. *Domine attende.* [c] Vel, Domine animaduerte. Hoc verbo significat Daniel, etiamsi multis modis & longo tempore prouocauerit populus iram Dei, tamen iam indignè opprimi ab impiis & crudelissimis hostibus vt tanta calamitas debeat flectere Deum ad misericordiam. *Et fac.* [v] Sub. quod opto. Vel, quod precor. *Ne moreris.* [a] Vel, Ne differas. Videmus etiam hoc loco sanctum Prophetam fortiter luctatum esse cum durissima tentatione. Rogat Deũ ne moretur: atqui iam septuaginta anni effluxerant ex quo abiecerat in speciem Deus populum illum, vt nullum signum daret beneuolentiæ. Ergo vt rite precemur, superemus quicquid occurrit nobis quoniam si æstimemus Dei gratiam ex statu nostro, concidet studium precandi. Atqui vbi videtur longam moram fecisse Deus, semper tamen rogandus est ne moretur. *Propter te, Deus mi.* Propter te (inquit:) ergo non propter nos. Iterum Daniel in nihilum redigit fiducias omnes quibus hypocritæ putant conciliari sibi posse fauorem apud Deum. *Quia nomen tuum inuocatum est super vrbem tuam.* [c] Inuocari nomen Dei super locum vel gentem aliquam, tantundem valet atque censeri Dei nomine. Dicitur inuocari nomen Dei super nos, dum profitemur nos esse populum ipsius, & nos etiam insignis sunt notis, quasi ostenderet palam sub oculis hominũ sacratam habere professionem nostram. Sic ergo nomẽ Dei inuocatum fuit super Ierusalem, quia celebrata erat iam à multis seculis Dei electio, vt dictum est vers. præcedente. [a] Est autem Hebraismus, Nomen tuum inuocatum est super vrbem tuam. q.d. Templum & ciuitas ac populus, quæ nomine tuo appellantur, populus & ciuitas Dei vocantur. Sic Esa. 4. a. 1, de viris dicunt mulieres, Tantùm nomen tuum inuocetur super nos. Et Genes. 48. c. 16, Inuocetur super eos nomen meum & nomina patrum meorum. Non autem illuc respicit quòd fuerit ciuitas in qua inuocaretur à precantibus nomen Dei: licet etiam illud verum sit, & Propheta separart ciuitatem propter cultum Dei augendum orauerit.

ORATIO HABACVC PROphetæ pro ignorantiis. CAP. III.

ARGVMENTVM.

[v] Orat Propheta Dominum pro popularibus suis, vt non imputet eis ignorantias ipsorum, vtque dum erunt in captiuitate Babylonica, (quam obiter prædicit) dignetur eos sua clementia. Narrat autẽ signa & virtutes quas Dominus ediderit ante & post egressum ex Ægypto, cõfidens & velut prædicens idem facturũ in casu captiuitatis Babylonicæ. [c] Non dubium est enim quin hanc precandi formam dictauerit Propheta populo suo antequam traheretur in exilium, vt illic se exerceret semper in studio pietatis.

Pro ignorantiis. [a] Vel, Super ignorãtiis. Alii, Super rãticis. Vel, Super instrumentis musicis. [c] Sic doctus inter Hebræos, Ad instrumenta musica, quod hæc oratio ad rationem canticorum sine plerorum conscripta fuerit. Receptum tamen est fere communi vsu hic accipi vocem Hebraicam pro ignorantiis: vt intelligamus errores, vel lapsus non adeo graues, & omnia quæ per inconsiderantiam accidunt. Et hoc verbo non extenuant sua delicta, sed fatentur se fuisse inconsiderati dum lapsi sunt.

2 IEHOVA *audiui vocem tuam. Iehoua opus tuum in medio annorum viuifica, in medio annorum notum fac. in ira, misericordiæ recorderis.*

2 *Iehoua audiui vocem tuam.* [v] Potest etiam verti, Audiui famam tuã. [c] Sed huic loco videtur esse aptius vt vertamus, vocẽ tuã. Nam frigeret illa generalis sententia, quòd fideles ad famam Dei conterriti fuerint. Potius hoc debet accõmodari ad prophetias quæ antehac expositæ fuerunt. Et certè hic noluit Habacuc tractare in genere duntaxat de potentia Dei: sed (vt antea dictum est) hic suppliciter fatetur peccata populi (cuius personam sustinet) deinde veniam precatur. Non dubium est igitur quin dicat se fuisse territum Dei voce, quum scilicet audiret ipsum minari tam graues pœnas. Hanc autem confessionem seu testimonium habet pœnitentiæ: quia non possumus ex animo petere veniam nisi prius humiliati. Nunc quæritur vnde audierit Propheta hanc Dei vocem. Solutio facilis est, quia non est hæc priuata vnius tantùm hominis sed communis totius Ecclesiæ precatio, præscribere hic rationem fidelibus qua obtineant gratiam à Deo & ipsum ad misericordiam flectant, nempe si expauescant ad eius minas, & sciant instare quicquid Deus minatur per Prophetas suos. *Opus tuum.* [c] Id est, Statum Ecclesiæ. Statum electi populi, κατ' ἐξοχήν. Tametsi enim Deus cæli & terræ creator est, vult tamen Ecclesiam suam agnosci quasi singulare opificium & specimen præcipuũ suæ virtutis, sapientiæ, iustitiæ, bonitatis. Sic Psal. 138 b. 8, Opus manuum tuarum non despicies. Non enim erat tantùm pars humani generis semen illud Abrahæ, sed factum Dei peculium. *In medio annorum viuifica.* [v] Annorum. sub. captiuitatis suæ. Id est, Tantisper dum aget captiuus Babylone. [c] Vel potius per medium annorum intelligit quasi medium cursum vitæ populi. Nam ex quo Deus elegit genus Abrahæ, vsque ad Christi aduentum, fuit quasi curriculum vitæ vnius, si comparemus populũ illum homini. Nam complemẽtum ætatis erat in Christi aduẽtu. Ergo si populus ille deletus fuisset, hoc perinde erat acsi in medio flore ætatis mors abriperet quẽpiam. Rogat igitur Propheta ne Deus abripiat vitam populi sui in dimidia parte: quia Christo nondum exhibito, populus ille nondum maturuerat, nondum peruenerat ad iustam & virilem ætatem. *Viuifica.* [v] Id est, Serua incolumem. [c] Restitue nos, etiamsi videmur destinati esse morti. *In medio annorum notum fac.* [c] Id est, Ostende re ipsa hoc esse opus tuum. *In ira, misericordiæ recorderis.* [c] Species est occupationis. poterat enim obrepere hæc cogitatio fidelibus, non esse cur sperarent à Deo veniam, quem tam grauiter prouocauerant. Deinde non esse cur obtinerent amplius fœdus quod violauerant sua perfidia. Sed quoniam nõ est inexorabilis Deus erga suos, imò dum eos castigat, non desinit esse pater, hæc ratio est cur hic Propheta coniungat misericordiam cũ ira Dei. Tenẽdum est enim quod alibi diximus, ferulas, quibus castigat Deus filios suos, esse amoris testimonia: licet Scriptura iudicium Dei quod exercet in suos fideles, vocet iram: & quidem impropriè, nimirum, non

ob personas, sed ob peccata, quæ odit. Quoniam ergo prouocamus peccatis nostris iram Dei, sentimus ipsum nobis esse iratum. Atqui interea Propheta res quæ videntur esse prorsus contrariæ, coniungit, nempe quòd Deus recordetur misericordiæ in ira. Id est, Sic ostendat sibi displicere vt interim tamen gustum aliquem præbeat sui fauoris & misericordiæ fidelibus, dum sentient ipsum esse placabilem.

3 *Deus de Theman veniet, & Sanctus è monte Paran. Selah. Operuit cœlos decor eius: laude eius plena est terra.*

3 *Deus de Theman veniet.* [V] Recitat Propheta manifestationem illam Dei qua testatus fuerat se custodem esse illius populi. Quoniam ergo Deus in monte Sinai gloriam suam ita explicuerat vt facilè constaret gentē illam esse sub tutela eius: ideo Propheta vt se & reliquos fideles confirmet, reducit in memoriam id quod satis erat celebre & notū in toto populo, Legem scilicet fuisse datam in monte Sinai, quæ testimoniū esset singularis gratiæ: quia tūc Deus rursus nouo pignore testatus fuerat fœdus suū olim percussum cum Abraham ratū & stabile esse. Quòd Habacuc non montem Sinai nominat, sed Theman & Paran, ideo videtur hoc facere quod duo isti motes erant propiores terræ sanctæ. Quanquam illud quoque vereor ne sit nimis argutum. Ideo simpliciter accipio quòd loco montis Sinai periphrasticè posuerit montem Paran, deinde desertum Theman. Alii putant duos esse montes, sed nescio an Theman restringi debeat solùm ad montem vnum. Quicquid sit, certum est desertum Theman vicinū fuisse monti Sinai, deinde montem Paran fuisse etiam coniunctum deserto. Quoniā ergo spectabant hæc loca ad Meridiem, & propinqua erant monti Sinai vbi Lex lata fuerat, hic commemorat Propheta ad confirmationem totius populi, quòd Deus non frustra prodierit semel ex Theman, & illic apparuerit cum cœlesti sua potentia. Tunc enim Deus palam ostenderat se in fidem suam suscepisse filios Abrahæ, & fœdus quod olim percusserat, nō esse vanum vel nullius efficaciæ. Iam hoc etiam notandum est, reuocari piorum mentes ad spectaculum illud montis Sinai, quum abducti essent in exilium, vel quum essent obnoxii hostibus suis. Tunc enim poterant conticere se prorsus esse derelictos. Ergo abolita fuisset memoria illius historiæ nisi remedium hoc fuisset interpositum.

4 *Et splendor quasi lux fuit: cornua è manu eius ei, & ibi absconsio fortitudinis eius.*

4 *Et splendor.* [A] Dicit fulgorem illum qui apparuit in monte Sinai, parem fuisse luci solis, vt posset replere totū orbem. Confirmat autem sententiam quam modò exposuimus, nempe Deum, vbi voluit præsentiā suam testari populo, simul dedisse signa admirabilis suæ potētiæ, quæ possent expergefacere omnium animos. *Cornua è manu eius ei.* [C] Quidā vertūt, Splēdores è manu vel à manu eius, putantes repeti quod dictū fuerat, nēpe splēdorem fuisse instar lucis. Sed falluntur: quia colligimus ex cōtextu res diuersas notari à Propheta. Loquitur ergo de specie Dei visibili: postea adiungit potētiam, & metaphoricè eam designat per cornua. quod etiam Scripturæ familiare est. Dicit igitur Deum venisse instructū potētia, quum voluit Legē dare populo suo, quia gestauit cornua in manibus vbi abscondita erat eius fortitudo. *Absconsio fortitudinis eius.* [V] Id est, Fortitudo Domini quæ antea abscōdita & tecta erat, detecta fuit in monte Sinai. [A] Sed subtilior esse videtur & nimis coacta hæc expositio: & mihi dubium non est quin priore loco Propheta dicat fuisse conspicuam Dei gloriam quæ posset totum orbem irradiare, quemadmodum lumen solis: deinde adiungat, splendorem hunc coniunctū fuisse cum potentia, quoniam Deus cornua ambabus manibus gestabat, vbi abscondita erat eius fortitudo. Dicit autem absconditam, quia nolebat Deus promiscuè per totum orbem virtutem suam palàm facere, sed peculiariter in suo populo. Quemadmodum etiam dicitur Psa. 31. c. 20, magnitudinem bonitatis eius absconditam esse solis fidelibus qui eum timent & reuerentur. Quemadmodum ergo dicitur abscondita Dei bonitas fidelibus, quia ipsa fruūtur tanquam filii & domestici: sic etiam abscondita dicitur fuisse virtus Dei, quoniam testatus est se præditum esse robore ad tuendam Ecclesiam, vt saluos præstaret filios Abrahæ, quos in fidem suam susceperat.

5 *Coram facie eius ambulauit pestis, & egressus est carbo ignitus ad pedes eius.*

5 *Coram facie eius ambulauit pestis.* [V] Vel, Ambulabat pestis. vt sit fut. Hebr. pro præt. imperfecto. q. d. Quum esset introducturus populum Israel in terram sanctam, perdidit peste incolas eius, & qui eam occupabant. Cœperūt enim quamplurimi perire peste & carbunculo ad aduentum filiorum Israel. [C] Aut potius dicit Deum profligasse omnes populi hostes, quemadmodum scimus percussos fuisse variis plagis Ægyptios, & exercitum Pharaonis fuisse demersum in mari rubro. Hac ratione dicit Propheta Deum sic apparuisse ex Theman vt pestis coram ipso incederet, deinde carbo ignitus: denique pestis & carbo ignitus fuerint Dei quasi apparitores, qui præsto essent ad exequenda eius imperia. Ergo non vult hic fideles terrere quum pestem & carbonem ignitum nominat: sed potius vult illis ponere ante oculos potētiam Dei, qua eripiet ipsos è manu hostium, quemadmodum olim redempti fuerant ipsorum patres ex Ægypto. *Carbo ignitus.* [A] Vel, Vstio. [V] Videtur significare causma, seu febrim acutā & ardentem. *Ad pedes eius.* [C] Pedes Dei accipit pro ingressu vel processu. Neque enim probo quod alii exponunt, sequutus fuisse carbones ignitos quū pestis præcederet. Eadem enim est vtriusque ratio.

6 *Stetit, & mensus est terram: aspexit, & dissoluit gentes: & afflicti sunt montes æternitatis, incuruati sunt colles seculi, itinera seculi ei.*

6 *Stetit, & mensus est.* [V] Id est, Substitit, & mēsus est. Hoc est, Diuisit per mensuras & distribuit. Alludit ad arcam Domini quæ substitit 14 mēsibus in Galgal, donec distributa fuit Terra per duodecim tribus. [A] Ita quidem nonnulli ex Iudæis, putātes Prophetam hoc velle in summa, quum Deus elegit stationem arcæ fœderis in Galgal, tunc statuisse quid facturus esset, & tunc distribuisse in arcano suo consilio terrā, vt cuique sorte obtingeret sua portio. Verùm potius intelligit Habacuc per verbū standi, Deum palàm fuisse conspicuū: sicuti qui sese erigit, vt procul possit videri. Hoc modo refert Deum stetisse. Iam terræ dimētio non debet restringi ad Iudæam: sed potius extenditur ad totum orbem. Dicit ergo Deum mensum esse terram. Hoc autem proprium est summi regis, terram metiri, vt scilicet assignet cuique suam partem. *Aspexit, & dissoluit gentes.* [C] Vel, liquefecit gentes. [A] Quidam, Exilire vel exire fecit gentes. siue, Eiecit Gentes. [C] Verū quidem est gētes non fuisse tunc liquefactas, neque montes fuisse afflictos & colles incuruatos: sed Propheta simpliciter intelligit apparuisse Dei potentiam quæ par esset ad concutiendum totum orbem. *Mōtes æternitatis, & colles seculi.* [C] Id est, montes & colles qui ab initio fixi in suis radicibus fuerant. Nam Propheta rem insolitam narrat & quæ aliena prorsus est à communi naturæ ordine, quòd montes æternitatis (hoc est, qui ab initio fuerunt & qui carent omni mutatione) ita fuerunt afflicti vel incuruati. Denique omnibus modis voluit hic Propheta erigere piorum animos ad fiduciam, vt persuasi essent eandem fore Dei potentiā ad ipsos liberandos quam olim experti fuerant eorum patres. *Itinera seculi.* [C] Alii vertunt, Itinera mūdi. עולם tamen propriè seculum vel diuturnum tempus significat. Nec dubito quin Propheta per itinera seculi vel æternitatis intelligat multiplices rationes quibus Deus operari solet in salutem Ecclesiæ suæ. Itinera quotidiana & viæ notæ sunt vbi oritur sol, deinde occumbit: vbi hyemi succedit verna tempestas, vbi terra producit fruges. Tametsi hæc totidē sunt miracula, tamē sunt cōmunes viæ: atqui Deus habet vias æternitatis: hoc est, habet rationes nobis incognitas, quibus nos possit à morte eruere, vbi ita visum est. Siquis tamē itinera æternitatis accipere malit pro continua Dei virtute quæ ab initio semper apparuit, commoda nec minus vtilis interpretatio erit. Nam hoc etiam plurimum ad confirmationem fidei nostræ facit, vbi reputamus, ex quo creauit Deus cœlum & terram, semper eundem fuisse: hoc est, nūquam imminutam fuisse eius virtutem, neque mutasse ingenium.

7 *Pro iniquitate vidi tentoria Chusan: contremuerunt cortinæ terræ Madian.*

7 *Pro iniquitate vidi.* [V] Vel, Pro nihilo vidi. sub. In patribus meis. Id est, Viderunt maiores mei tentoria Chusan regis Syriæ fuisse irrita & vana, ac nullius momenti. q. d. Eripuisti populum tuum de manu Chusan regis potentissimi. [A]. Quidam etiam Pro nihilo aut vanitate exponunt, Redacta in nihilum. [C] Sed altera interpretatio sensum probabiliorē habet, Vidi tentoria pro iniquitate. Hoc est, Merces quam Deus rependit iniquitati regis Chusan, fuit manifesta. Se enim vidisse dicit Propheta quod omnibus fuit expositum & notum. Dicit igitur Deum fuisse iustum iudicem contra exercitum regis Chusan: quia sicuti iniustè aggressi fuerant Israelitas, ita illis reddita fuit merces. Historia autem legitur 3. cap. Iudicum. nam rex Mesopotamiæ Chusan propemodū afflixerat Israelitas, quum Dominus illum cum suis copiis profligauit. Alii vertunt tentoria Æthiopiæ, acsi scriptū esset Chus. Sed illud est coactum & præter rationem grammatices. Cæterùm non dubium est quin recenseat Propheta quæcunque afferre poterant miseris Iudæis aliquid solatii, quum putarent se reiectos esse & quo-

dammodo alienatos à Deo. Hic ergo alias etiam liberationes adiungit, quæ luculenta erant testimonia continuæ gratiæ Dei erga populum electum. *Contremuerunt cortinæ terræ Madian.* Hoc posterius membrum confirmat sensum quem modò attuli. Nam adiungit Propheta cladem qua Deus afflixit Madianitas, qui etiam miserum populum ferè oppresserant. Dicit contremuisse ipsorum cortinas, vel pelles, aut habitacula, quoniam scilicet Deus absque manu vel gladio hominum ipsos impulerat in rabiem, vt sese mutuò conficerent, quemadmodum testatur sacra historia, Iudic. cap. 6. & 7.

8 *An contra fluuios iratus es Iehoua? an contra fluuios indignatio tua? an contra mare furor tuus? quia equitasti super equos tuos, quadrigæ tuæ salus.*

8 *An contra fluuios iratus es Iehoua?* Hic Propheta quas hactenus retulit historias accommodat ad spem fidelium, vt sciant totidem esse documenta & pignora paterni Dei fauoris erga ipsos: atque ita alacrius expectent auxiliũ eius, neque succumbant tentationi in rebus aduersis. Quum interrogat an Deus iratus fuerit fluuiis & mari, hac ratione expergefacit fidelium mentes vt considerent alium finem fuisse Deo propositum quum mare siccauit, quum prohibuit cursum Iordanis, quum etiam alia signa edidit suæ potentiæ ac motationibus istis suæ erga Ecclesiam suam gratiæ testimonia dedisse. Et ideo Propheta subiungit, *Equitasti super equos tuos, quadriga tua salus.* Q. d. Deus non exeruit potentiam suam vel contra mare, vel contra Iordanem, quasi conuerteret illuc iram suam: sed voluit ostendere subesse imperio suo omnia elementa, idque in salutem populi sui. Ergo vt Deus esset redẽptor Ecclesiæ suæ, coegit Iordanem retro cursum flectere, coegit etiam mare dare transitum miseris illis captiuis, qui alioqui erant veluti expositi ad carnificinam. Cæterùm notandum est plus vehementiæ habere interrogationem, quum veluti de re minimè ambigua quæritur.

9 *Manifestatione manifestatus fuit arcus tuus, iuramenta tribuum, sermo. Selah. Fluminis scidisti terram.*

Manifestatione manifestatus fuit. Vel, Nudatione nudatus fuit. Per arcũ, intelligit etiã gladiũ & alia tela: quasi diceret Deum tunc fuisse armatum, quemadmodum paulo antè vidimus. Q. d. Tunc apparuit vtrúmque ac manifestum fuit auxilium tuum. Quum autem Deus tunc instructus suis armis processerit ad bellandum, & susceperit electi populi causam, vt eum defenderet contra reprobos, videmus miracula illa non fuisse duntaxat vnius temporis, sed valere perpetuò ad fideles animandos, vt semper expectẽt auxilium Dei, vel in media morte: quia exitus reperietur, etiamsi non appareat. *Iuramenta tribuum.* Hoc emphaticè adiungit. hic enim melius confirmat, Deum non fuisse tunc opitulatum filiis Abrahæ vt eurã ipsorum deinde abiiceret, sed re ipsa testatum esse quàm verax esset in suis promissis. Nam per iuramenta tribuum intelligit fœdus quod Deus pepigerat non tantùm cum Abraham, sed cum eius posteris in seculum. Iuramenta ponit numero plurali, quia Deus non semel duntaxat pollicitus fuerat se fore Abrahæ & seminis eius in Deum sed repetiuerat sæpius eandẽ promissionem, quò scilicet cõstaret certior fides: quemadmodum opus habemus non vno cõfirmationis genere. Videmus enim vt semper nostra imbecillitas vacillet, nisi multas fulturas addat Deus. Ergo quia sæpius seruum suum Abraham Deus confirmauerat, ideo Propheta de iuramentis eius loquitur. Sed tamen quoad substantiam vnum fuit iusiurandum Dei, nempe quòd recepit genus Abrahæ in fidem suam, & promisit sibi fore in peculium: &(quod præcipuum erat) collegit populum illum sub vno capite. Nisi enim Christus intercederet medius, fœdus illud Dei non esset ratum nec firmum. Quoniam ergo Deus semel complexus fuerat omnia, quum diceret Abrahæ, Ego sum Deus Saddai, & ero tibi in Deum & filiis tuis, certum est nihil fuisse additum quum postea voluit confirmare Dominus fidem Abrahæ. Sed non abs re tamen Propheta vtitur plurali numero, vt recumbant fideles minore metu in Dei promissionem, quæ toties illis sancita fuerat, & pluribus verbis. Deinde vocat iuramenta tribuũ. quamuis enim Deus loquutus esset Abrahæ, deinde Mosi: tamen promissio illa ita deposita fuit in manibus Abrahæ & Patriarcharũ, deinde Mosis, vt populus tamen sciret sibi esse cõmunem. quia frigidum illud fuisset, promittere duntaxat paucis hominibus quod legimus. Sed Abraham fuit quasi depositarius: & fuit quædam solennis stipulatio nomine totius generis. Ergo videmus cur hic Propheta tribus nominet potius quàm vel vnum Abraham, vel Patriarchas solos, vel vnum Mosen. Respexit autem potissimum æquales suos, vt ne dubitarent ad se quoque extendere illã Dei promissionem. *Sermo.* Vel, promissio. Ad verbum, sermo. Id est,

quæ nihil aliud sunt quàm promissio. Alii vertunt, dictum, & subaudiunt, ad confirmandum. Eadem est autem sententia. Simpliciter quidem אמר significat sermonem, sed hic capitur pro sermone fixo & irreuocabili. אמר inquit, hoc est, dictum, factum, quemadmodũ loquimur. Vel, Hoc dictum est. vbi volumus omnem dubitationem tollere. Q. d. Domine tu verba non dedisti populo tuo, sed quod ex ore tuo profectum erat, hoc apparuit verum ac firmum. Talis igitur est constantia in tuis promissis vt minimè dubitandũ sit de ipso euentu. Simulatque aliquid spei nobis dederis, perinde statuendũ est de ipso complemento acsi non esset sermo sed potius exhibitio rei. Denique hoc elogio commendat Propheta fidem Dei, ne ambiguæ sint nobis eius promissiones. *Flumine scidisti terram.* Non dubito quin attingat historiam quæ legitur Numer. cap. 14. Dominus enim, quum siti propemodum aresceret populus, eduxit aquam ex rupe: deinde protraxit flumen illud quocunque iter facturus erat populus. Quum ergo sciderit terram vt fluuio daret perpetuum cursum, atque ita suppeteret copia aquæ populo in locis aridis, ideo Propheta dicit terram fuisse scissam fluminibus, tametsi fluuius vnus fuerit. Sed amplificat memorabile illud opus Dei, sicut id etiam meretur.

10 *Viderunt te, doluerunt montes: inundatio aquarum transiuit. dedit abyssus vocem suam, in altum manus suas sustulit.*

Viderunt te, &c. Prosequitur Habacuc historiam eedemptionis. *Doluerunt montes.* Vel, Tremuerunt montes. Solet autem Scriptura reges ac principes comparare montibus. Vel est hic hyperbole de montibus ipsis. Quæ posterior expositio magis probatur. nam quod dicũt quidam reges doluisse quòd vrerei ipsos inuidia, nimis est coactũ. Non dubito igitur quin Propheta simpliciter intelligat mõtes obsequutos fuisse Deo vt populo eius iter patefacerent. Quanquam verbum חול significat non tantùm dolere, sed etiam parturire, deinde cadere, & manere vno in loco. Possemus igitur non minus commodè legere, Viderunt te montes, & quieti fuerunt. Vel, ceciderunt. Hoc est, fuerunt demissi ad tuum imperium, ne scilicet intercluderent viã populo tuo. *Inundatio aquarum transiuit.* Aut, gurges. Vel, vorago, abyssus. Aquas Iordanis vocat abyssum, quòd amnis ille altus sit & profundus admodum. Vel potius hoc tam ad mare rubrum quàm ad Iordanem pertinet, quia Deus abrupit mare rubrum, vt starent aquæ præter naturam. Sic etiam contigit Iordani, quia fluxus aquæ fuit cohibitus, & ita iter patefactum est populo vt siccis pedibus transirent in terram Chanaan. Sic ergo impletum fuit quod dicitur à Propheta, gurgitem aquarum trãsiisse, hoc est euanuisse & siccatas fuisse. quod fit præter naturæ ordinem. *Dedit abyssus vocem suam.* Tribuit sensum aquis mortuis, per concinnã prosopopœiam, quia tametsi abyssus intelligentia careat, neque etiam loquatur, dicit tamen Propheta & voce & sublatis manibus abyssum fuisse testatam suum obsequiũ, vbi Deus voluit populũ suum transire in terrã promissam. *In altum manus suas sustulit.* Quemadmodum famuli ad mandata respondent, sic etiam Propheta dicit editam fuisse vocem ab abysso. Addit item illum sustulisse manus suas. id est, gestu ostendisse quemadmodum si homines signo declarent se facturos quod iubentur. Sic quum adest multitudo populi, manus attollitur (vnde etiã χειροτονία) quia non posset intelligi consensus nisi manuum porrectione.

11 *Sol, luna stetit in habitaculo: ad lucem sagittarum tuarum ambularunt, ad splendorem fulguris hastæ tuæ.*

Sol, luna stetit in habitaculo. Sub. suo. Vel, In regione sua. Sub. ad preces Iosuæ, quando præliabatur contra quinque reges Amorrhæorum. Scimus enim, quũ Iosue pugnaret, nec sufficeret dies ad stragem hostium, tunc diem prorogatum fuisse ad eius preces. Dicit ergo Habacuc solem & lunam stetisse in habitaculo, hoc est, tũc fuisse quietum quasi in domicilio suo, qui alioqui solet esse in continua festinatione. *Ad lucem sagittarum tuarum ambularunt.* Quidam hoc referunt ad columnam ignis, quasi diceret ambulasse Israelitas ad lucem illã, qua voluit ipsos dirigere Deus. Sed nõ dubito quin hoc etiam de sole dicatur. Cohæret igitur hæc integra sententia quòd sol & luna ambularunt non sicuti ab initio mundi (iuxta mandatum illud ordinarium, de quo Moses Genes. 1. b. 16) sed ad lucem sagittarũ Dei. Hoc est, quũ sol sagittas Dei haberet quæ ipsum dirigerent, quæ retardarent eius cursum, & cohiberent eius celeritatẽ quæ ante fuerat. *Ad splendorem fulguris hastæ tuæ.* Sicut per sagittas, ita etiam per hastam nihil aliud intelligit quàm arma electi populi. Scimus enim, quia ille sub auspiciis Dei militabat, fuisse etiam diuinitus armatum. Ergo sicuti dicitur de Gedeone, gladius Dei & Gedeonis, Iudic. 7. 20: ita etiam hoc loco sagittas Dei & hastã nominat Propheta quicquid fuit armorum in populo Israelitico. quia scilicet populus ille ne dignũ

quidē moueret nisi mandato Dei. Quasi dicat, solem respexisse in terra volitantes hastas Dei quemadmodum fulgur, respexisse etiam sagittas: ita quasi attonitū substitisse, neque ausum fuisse progredi.

11 *In ira calcasti terram, in furore triturasti Gentes.*

In ira calcasti terram. [a] Vel, Incessisti super terram. [c] Aut, Ambulasti super terrā. [a] Id est, Iratus Chananæis incessisti super eos in terra ipsorum. Q.d. Expulsis septem illis Gentibus è regione sua propter scelera ipsorum, introduxisti in eam filios Israel. [c] Neque enim (vt dicitur Psal. 44. a. 4) gladio suo adepti sunt terram Chanaan, aut virtus ipsorum vel manus seruauit eos: sed Dominus prosequutus est eos sua gratia, & fuit eorum liberator. Postquam autem Deus calcauit in ira sua terrā illam, tunc etiam illic fuit quieta habitatio filiis Abrahæ: quū gentes bellicosæ facilè & nullo negotio deuictæ fuerunt ab Israelitis, quantumuis prius fuissent imbelles. *Triturasti Gentes.* [a] Id est, More triturantium cōculcasti. Hoc est, Perdidisti. Profligasti. [c] Vel, Triturabis. Quod autem subinde tēpora verborum mutat Propheta, notādum est (præter communé vsum linguæ Hebraicæ) veteres illas historias sic referri quasi Deus esset in continuo actu, & quasi eadem eius præsentia sperāda esset in rebus afflictis quam olim monstrauerat patribus. Ergo temporū mutatio adeo sensum non obscurat vt potius nobis ostēdat consilium Prophetæ.

13 *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: transfodisti caput è domo impij, nudando fundamentum vsque ad collum. Selah.*

Egressus es in salutem populi tui. [a] Quidam, subaudientes particulam similitudinis, vertunt, Sicut egressus es in salutē populi tui, ita egrediaris in salutem tuorū cum Christo tuo. [c] Sed illa repetitio coacta est. Simpliciter igitur accipio verba Prophetæ, quòd Deus egressus sit in salutem populi sui. Iam vbi agitur de populo Dei, semper in mentem venire nobis debet gratuita adoptio. Quum enim nihil differrent a reliquis Gētibus, Deus tamen dignatus est ipsos eligere sibi in populum. Iam adoptio illa non fuit temporalis, vel momentanea, sed debuit vsque in finem vigere. Hinc colligere promptum fuit fidelibus, idem sperandum esse auxilium à Deo quod olim patribus ostenderat. *In salutem.* [c] Bis repetit nomen salutis, nō abs re: quia voluit insistere in hac parte (quemadmodum antè dictum fuit) Deum non frustra tot miraculis iam testatū esse suam potentiam, quasi iratus esset mari & fluminibus, sed respectū habuisse & curam populi sui. *Cum Christo tuo.* [c] Hæc particula melius adhuc cōfirmat quod voluit dicere Habacuc, nempe Deum fuisse ab initio liberatorem populi sui in Mediatoris persona. Quod ergo populum suum eripuit Deus è manu Pharaonis, quod traiecit per mare rubrum, quòd mirabiliter ipsum redemit, quòd prostrauit potentissimas Gentes coram ipso, quòd mutauit naturæ ordinem in eius gratiā, hoc factum est per manum Mediatoris. Deus enim non potuit esse propitius vel ipsi Abrahæ, vel eius posteris, nisi interposito Mediatore. *Transfodisti caput è domo impij.* [a] Vel, transfixisti. Id est, Primogenitū Pharaonis interfecisti, perinde atque trāsfodisses eum ense. [c] Imò potius generaliter hoc accipiendum est, vt dicat Propheta nullam fuisse potentiam quæ non fuerit diuinitus prostrata in fauorem populi. vt scimus summos quosque reges fuisse profligatos vt daretur locus populo Dei. *Nudando fundamentum vsque ad collum.* [a] Qui priorem illam partē de transfosso capite exponunt de interfecto filio Pharaonis, hanc partem ita intelligunt, eos qui proximæ erāt dignitatis à rege (sicut collum proximum est capiti) fuisse profligatos. q.d. Deleuisti exercitum eius vsque ad duces ipsos ac primores exercitus. Situm est autem in exercitu robur totius regni, quēadmodum fundamentum robur est totius ædificij. [c] Sed & hoc generaliter accipiendum est, quòd radicitus perdiderit hostes suos. Nā metaphoricè per nomen fundamenti intelligit, quicquid erat stabilitatis in ipsis hostibus, hoc fuisse euulsum & euersum vsque ad collum. hoc est, vsque ad summitatem. Nam scimus tegi corpus hominis à collo vsque ad pedes. Dicit igitur nudatas fuisse domos (id est familias) vsque ad collū, quia Dominus omnes ab imo vsque ad summum perdiderit.

14 *Perforasti baculis eius caput villarum eius. prosilierunt instar turbinis ad dispellendum me: exultatio eorum sicut ad vorandum pauperem in abscondito.*

15 *Viam fecisti in mari equis tuis per aceruum aquarum multarū.*

Perforasti baculis eius caput villarum eius. [a] Vel, Caput exercituum eius, vel copiarum. Id est, Interemisti milites Pharaonis perinde ac si perforasses capita illorum baculis. q.d. Periit vniuersus exercitus Pharaonis consiliis eius, nempe vt persequerentur Israelem per mare rubrū, perinde ac si ipsi sese mutuò propriis cuspidibus trucidassent. [c] Sed potius interpretari debemus caput villarum eius, aut oppidorum. Quanquam alii פרזים potius existimant vocari ipsos oppidanos. Nam פרזות vocant Hebræi vrbes non munitas, hoc est, oppida & villas & pagos: & vt plurimū nomē hoc ponitur in genere fœminino. Hic autem quia est in masculino, putāt potius notari ipsos incolas. Sed ad rem hoc parum refert. Propheta enim implicitè intelligit non modò reges ipsos fuisse euersos Dei manu, sed singulas eorum præfecturas, quæ subiacebant illorum imperio. quasi diceret grassatam fuisse vindictam Dei, quum voluit populum suum defendere, per omnes pagos, vel per totam regionem, ita vt nullus angulus tutus fuerit. Sed notanda est etiam particula quæ additur, *baculis eius.* significat enim Propheta impios fuisse percussos suo gladio. Nā nomē baculi hic ponitur pro quolibet bellico apparatu & quibuslibet telis: perinde ac si dictū fuisset propriis manibus vulneratos. Nūc tenemus summā huius sententiæ, quòd scilicet non modò exeruit Deus virtutem suā quum voluit se hostibus populi sui opponere, sed quòd etiam percusserit vertigine & furore ipsos, vt sese propriis manibus conficerent. Et siue hoc factum sit quemadmodū legimus de Madianitis, quòd conuerterint suos gladios quisque in proximū suum, ita vt occubuerint mutuis vulneribus: siue quòd singuli seipsos perdiderint, quemadmodū sæpe legimus de impiis quòd seipsos illaqueant, cadunt in foueas quas fecerunt, denique pereunt suis artibus: ita etiam hic dicit Propheta factum fuisse singulari Dei beneficio vt occubuerint omnes Ecclesiæ hostes, etiamsi nemo contra ipsos surgeret: quia proprio baculo seipsos transfixerint, vel perforauerint. Alii legunt, Maledixisti sceptris eius, & capiti villarum eius. Sed illa interpretatio quam retuli, longè aptior est. *Prosilierunt instar turbinis.* [c] Est quidem verbum temporis futuri, sed ita resolui debet oratio, Quū exilirent instar turbinis ad me disiiciēdum, quum exultatio ipsorum esset ad vorandos pauperes in suis latebris. Amplificat autē Dei potentiam. nam quum præcipites ipsos ageret sua vesania, adeo vt similes essent turbini, inde clarius Dei virtus innotuit in frangenda tali violentia. *Ad dispellendum me.* [c] Vel, Ad disiiciendum me. [a] Aut, Vt dispergerent, vel dissiparent me. [c] Quum autem dicit, Ad disiiciendum me, nō agit de seipso, sed de toto populo cuius personam sustinet. *Exultatio eorum sicut ad vor.* [c] Significat, quum miseri Israelitæ carerent omni præsidio, & obnoxii essent hostium sæuitiæ & furori, fuisse mirabiliter adiutos, quia Dominus hostes ipsorum cōfecit propriis gladiis, & quum venissent tāquam potiti victoria ad prædam rapiendam, tamen fuisse manu Dei prostratos. vnde clarius emicuit eius potentia. *Viam fecisti in mari equis tuis.* [a] Vel, Calcasti per mare ipsum super equos tuos. [c] Alii, Calcasti in mari per equos tuos. Nonnulli, Calcasti equos tuos in mari. Sed solœcismus ille nimis crassus est. Quid autem opus est, quum verbum דרך significet incedere, quærere coactas istas expositiones? Minimè ambiguus est Prophetæ sensus, quòd Deus sibi viam fecerit in mari ac suis equis. *Per aceruum aquarum.* [a] Dicit Deū sibi viam fecisse in mari quum aquæ multæ vel magnæ collectæ essent in aceruum. Quòd Deus viam equis suis fecerit in mari, hoc præter naturam fuit: quòd aquæ ita quasi coaduna tæ fuerint, & quòd visa sit moles stabilis & densa, hoc etiam præter naturā fuit, quia scimus aquas esse fluidas. Vix aquæ gutta stare potest quin statim defluat: quomodo igitur fieri potuit vt Iordanis cursum suum cohibuerit? vt etiam mare rubrum scissum fuerit? Nimirum hæc sunt incredibilia Dei potentiæ testimonia.

16 *Audiui, & contremuit venter meus, ad vocem trepidarunt labia mea. ingressa est putredo in ossa mea, & apud me tumultuatus sum, vt requiescam in tempore afflictionis, ad ascendendum ad populum, excidet eum.*

Audiui, & contr. venter meus. [a] Id est, Intellexi per spiritum Prophetiæ quæ tu mihi reuelasti de afflictione euētura. [c] Sunt & qui hoc verbum Audiui cōtexunt cum proximo versu, ac si Propheta diceret sibi iniectam esse formidinem ex illis potentiæ Dei documētis. Atqui Propheta nullam inde habebat contremiscendi occasionem. Non cohærēt igitur hæc inter se: sed iterum redit ad illam formidinē quam conceperat ex voce Dei, hoc est, ex terrificis illis minis quas antè vidimus. De quibus loquutus, pro solatio interposuit illas de inuicta Dei potentia historias, ne fideles desperatione obruerentur. Quid igitur audierat? nēpe iudicia illa quib[9] statuerat Deus vlcisci populi contumaciā. Ventrem autē singulari numero (sicut & præcedenti versu dictum est) quia populi personam sustinet, cuius

causam susceperat. *Et conturbatus est venter meus.*[V] Id est, Commotum est cor meum quod est in ventre meo. Hoc est, in pectore. *Ad vocem trepidarunt labia mea.* רגז hic quoque nō accipitur pro latere, sed potius pro minis. Fideles enim hic referunt se fuisse expauefactos ad solas Dei voces, antequam exequutus esset sua iudicia, vel antequam pœnas quas minatus fuerat infligeret. Quod autē dicit trepidasse sua labia, perinde est ac si quis lingua nostra diceret. *Mes levres ont barboté.* vbi scilicet tremore concutitur totum corpus, adeo vt non modo tremitus fiat in conflictu dentium, sed agitatio etiam in labiis. Nam & Hebræi ipsi dicunt hic notari motum in labiis quem extorquet metus, vel trepidatio, ideoque verti Trepidarūt. Quod autem quidam vertunt Timuerunt labia mea, nō quadrat huic loco. Tolerabilius est quod alii reddunt, palpitasse labia. *Ingressa est putredo in ossa mea.*[C] Formidinem describit quæ non potuit concipi nisi ex horribili Dei vindicta. quasi diceret se vsque ad putredinem dolore contabuisse. *Vt requiescam in die afflictionis.*[C] Videntur hæc pugnare cum præcedentibus: sed omnino quærenda est nobis quies per istas trepidationes & formidines & tumultus. Nec est alia ratio quiescendi nisi in tempore apud nos tumultuemur. Hoc est, nisi iudicium Dei nos expauefaciat, imò redigat ferè in nihilum. Quisquis ergo securè torpet, in die afflictionis tumultuabitur: qui autē maturè præuenit iram Dei, & languet metu simulac audit Deum sibi instare iudicem, ille præparat sibi optimam quietem in die afflictionis. Ideo dicitur in Psal. 4. a. 5. Contremiscite, & non peccabitis. Et Paulus etiam ostendit hanc esse veram & vtilem rationē irascendi vbi quisque excandescit contra sua peccata, & tumultuamur in nobis. Sic etiam Propheta hic depingit nobis exordia pœnitentiæ, ad quam hortari fideles voluit. *Ad ascendendum ad populum, excidet eum.*[V] Sic est ad verbum. Vel, Ascendere ad populum succidet eum.[C] Sic autem resolui debet, Quum ascendet (sub. hostis) contra populum, vt eum excidat. Si quis tamen subaudire nomen Dei malit, non repugno: quia non aliter de Chaldæis agit Propheta quàm de ministris & executoribus iræ Dei. Denique significat, eos qui commoti fuerint & serio exterriti ad Dei vindictam, fore quietos vbi Deus exequi volet sua iudicia. Quare? Placidè enim sese subiicient ferulæ, & expectabunt exitum fœlicem suis malis: quia iam in tempore composuerunt eorum animi ad tolerantiam. Deinde etiam Dominus solabitur ipsos, sicuti dicitur eum nunquam despicere animas contritas, Psal. 51. d. 19.

17 *Quia ficus non florebit, & nullus erit fructus in vineis: frau-*
dabit opus oliuæ, & agri non producent cibum. Excidetur ab ouili
pecus, & nullus bos erit in stabulis.
18 *Ego autem in Iehoua exultabo, lætabor in Deo salutis meæ:*

Quia ficus non flor.[C] Iam pluribus verbis declarat qualis sit illa quies de qua modò loquutus est: nempe quòd non desinet lætari in Deo etiam in rebus afflictissimis. Initio, inquit, non florebit ficus: deinde agri nihil proferent: postremò, deficient etiā & pecora & oues. Etsi autem absque flore fructus suos emittunt ficus, non tamen absurda est catachresis vbi verbum פרח accipitur pro germinare. Significat enim instare terræ vastitatem, deinde populū redactū iri ad extremam penuriam. *Fraudabit opus oliuæ.*[V] Vel, Mentietur opus oliuæ. sub. ipsi agricolæ. Id est, non respondebit votis agricolæ, vel herili lui.

18 *Ego autem in Iehoua exultabo.*[C] Quamuis (inquit) neque ficus, neque vites, neque oliuæ producant fructus suos, non pendebit gaudium meū ex prosperitate externa, quia etiāsi Dominus ad extremū vsque nos affligat, erit tamē semper aliquid solatii. Hinc verò colligimus vtilissimam doctrinam, quoties extrà nobis occurrunt signa iræ Dei, superesse nobis hoc remedium vt intus reputemus qualis sit Deus. Interius ergo illud gaudium quod fides nobis suggerit, potest vincere omnes metus, terrores, tristitiæ & anxietates. Iam notandum est quod dicit In *Deo salutis meæ*, quia tristitia statim absorberet omnes sensus, nisi Deus adsit seruator. Quomodo autem apparet talis fidelibus? Nempe quia non æstimant eius amorem ex rebus externis, sed amplexi promissionem misericordiæ, sese eo sustinent neque dubitant sibi fore exorabilem. quia fieri non potest quin recordetur misericordiæ, etiam dum irascitur.

19 *Iehoua Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cer-*
uarum, & super excelsa mea ambulare me faciet. Præfecto in
neginothai.

Iehoua Dominus fortitudo mea.[C] Propheta Deum fortitudinem suam vocans, opponit eum omnibus aliis fulturis: quia solebat hortari fideles ad spei perseuerantiam, vtcunque Deus ipsos grauissime affligeret. *Et ponet pedes meos quasi ceruarum.*[V] Hebraismus, pro Faciet pedes meos velocissimos, vt sunt pedes ceruarum. Quod Faciet vt quamcitissime reuertar in patriā meam. Aut (vt doctus inter Hebræos exponit) Faciet vt pedes mei sint leues ad persequendum inimicos meos.[C] Sed ego libentius hoc refero ad reditum in patriam. Nam quia populus in exilio poterat concipere sibi præclusum esse reditum, ideo Propheta hic aptissimam similitudinem proponit, quòd Deus filiis suis dabit pedes quasi ceruinos, vt scilicet per montium prærupta ascendant, neque formident vllam difficultatem. *Et super excelsa mea ambulare me faciet.*[V] Vel, Calcare faciet me. Id est, Deducet me in Iudæam patriam meam montosam. Excelsa sua vocat montes Iudææ.[C] Imò simplicius accipiendum videtur, quòd Deus incedere faciet fideles suos liberè & absque metu, etiam in locis excelsis. Qui enim timent, sese abscondunt, neque audent caput erigere, neque etiam palam incedere per vias publicas. *Præfecto in neginothai.*[V] Id est, in pulsationibus meis. Alii vertunt, Victori. Ita non dubito quin notetur præfectus cantorum. Et quamuis hic interpretes putent Deum insigniri hoc titulo, quia præsit omnibus canticis piorum, non tamen incommodè poterit etiam de præfecto cātorum exponi: quasi diceret Propheta, Deus erit mihi instar fortitudinis: etiamsi debilis sim in me, ego tamen in ipso fortis ero. & faciet vt superior sim omnibus obstaculis, & liberè incedam, qui nunc iaceo quasi semimortuus: & ita erit materia cantici. Hoc est, Exercebit se præfectus cantorum in celebrandis laudibus Dei, vbi scilicet populum suū tam mirabiliter eripuerit ex morte. Qui exponunt initium esse cantilenæ, nimis sunt frigidi & ieiuni. Quidam putant notari melodiam, & vertunt pulsationes, vel modos. Alii putant notari instrumenta musica. Ego in re dubia nihil affirmo: & sufficit etiam tenere quod diximus.

CANTIC.

CANTICVM MARIAE VIRginis, in quo gratias Deo de exhibita sibi misericordia agit, & redemptorem promissum venisse canit.

LVC. CAP. I.

46 *Et ait Maria,* MAGNIFICAT *anima mea Dominum:*

Et ait Maria, Magnificat anima mea. Nunc refertur insigne & memorabile sanctæ virginis canticum, ex quo clarè apparet quanta Spiritus gratia excelluerit. Tria autem sunt huius cantici membra. Primùm enim Maria, quam in se experta erat Dei misericordiam, solenni gratiarum actione celebrat. Deinde generalibus elogiis Dei potentiam & iudicia commendat. Tandem se accommodat præsenti causæ, & hîc de redemptione olim Ecclesiæ promissa & iam præstita disserit. *Magnificat.* Aptius erat Magnifacit quàm Magnificat. Quanquam Magnificat positum est pro Extollit & effert laudibus quemadmodum & Beatificare dicimus pro Beatum prædicare. A gratiarum actione incipit virgo, testificat gratitudinem suam. acsi diceret, Contigit mihi diuinitus inæstimabile beneficium, & nunc per signum ab Angelo prædictũ confirmata sum maxima fidei certitudine. Quare ita lum in conscientia mea exhilarata, vt non possim ore continere quin quanta quanta sim, erumpam in commendationẽ nominis Dei. Ergo quia plerique hypocritæ plenis buccis, nullo cordis affectu, Dei laudes cantant, dicit Maria se ex interiore animi sensu laudare Deum. Et certè nihil aliud quàm sacrum Dei nomen profanãt qui non ex animo sed linguâ tantùm prædicant eius gloriam. Porro quum voces Animæ & Spiritus variè sumantur in Scriptura, simul tamen coniunctæ duas animæ præcipuas facultates annotant. Spiritus enim pro intelligentia capitur, anima autẽ pro sede affectuum. Vt teneamus sanctæ virginis mentem, notandum est, quod secundo loco hic ponitur, ordine prius esse. Nam vt ad laudandum Deum incitetur hominis voluntas, præcedat Spiritus exultatio necesse est: quemadmodũ Iacobus docet, Lætatur quis? psallat, Iacob. 5. c. 13. Tristitia enim & anxietas tum animum constringunt, tum linguam impediunt à celebranda Dei bonitate. Ergo vbi gaudio exultat mens Mariæ, cor in laudem Dei erumpit. Vnde pro Anima & Spiritu Scriptura frequenter Cordis vocabulo vtitur. Loquutio vero est Hebræis vsitata, in Psalmis præcipuè, Benedic anima mea Domino, Psal. 103. a. 1. Dic animæ meæ, Salus tua ego sum, Ibidem, 35. a. 3. Multo autẽ vtiest in istis Hebraismis, & maius quid exprimitur quàm si diceretur sine adiecto, Benedic Dominum, Magnifico Dominũ, Dic mihi, Salus tua ego sum. Hinc docemur, si verè Deum laudare velimus, vt laus ex animo proficiscatur. si enim non mouetur cor, tale sanè laudis genus respuit Deus. Verum igitur gratiarum actionis fundamẽtum est interior animi affectus, atque his vocibus simul discernimus inter spiritum, veritatem & hypocrisin, quæ foris tantùm ore & labiis magnificat Deum. *Dominum.* Potentiæ vocabulum est hoc, quo prædicat Maria potẽtiam Dei, qua supernaturalia opera in ea operatus est. Præterea nihil horum bonorũ sibi arrogat, quòd mater Domini sit, quòd benedicta inter mulieres & decorer in medio se continet. Nihil sibi reliquum facit quàm lætam & alacre cor erga Deum. Proinde ipsi omnia accepta ferens, Deum laude effert, nec suis bonis sibi placet. Sic vni Deo affigi debemus, non creaturis & nostris donis.

47 *Et exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo.*

Et exultauit spiritus. Hæc est velut redditio causæ. nõ enim potest esse verus laudãdi Dei affectus nisi præcedat gaudium. Sæpe autem causa effectui subiicitur in Scriptura, vt hîc. Spiritum vero (vt iam diximus) vocat mentem & animæ intellectum. Sic exultauit vt referret illi laudem omnium bonorum: alioqui ingratitudo est in iis qui id non agnoscunt. Sanè exultatio hæc effectus seu signum est conscientiæ tranquillæ, quæ ex fide certò statuit se habere placatum Deum. *In Deo seruatore.* Non abs re Deo tribuit epitheton seruatoris, quũ de cordis sui lætitia loquitur. Donec enim agnitus fuerit Deus seruator, nunquam in verum & liberum gaudium soluentur hominum mentes, sed perplexæ & solicitæ hærebunt. Itaque solus est paternus Dei fauor, & ex eo manans salus, quæ nos lætitia perfundunt. In summa, hoc primum est vt gloriari possint fideles salutem sibi in Deo esse: alterum deinde sequi debet, vt beneficium Patrem experti, gratias illi agant. Nomen σωτῆρος liberatorem & conseruatorem significat: plus quiddã quàm seruator apud Latinos. Soli Deo conuenit hoc epitheton, in quo solo omnes cõsistimus. Seruatorem liberatorémque suum vocat Maria more Psalmorum Dauidis, quòd mens tota iam arderet in consideratione salutis quam operari in ipsa cœperat.

48 *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Quia respexit ad humilitatem. Exponit cur in Deo fundatum habeat cordis sui gaudium: quia scilicet gratuitò respecta ab ipso fuerit. Humilem enim se vocans, dignitate omni se abdicat, vt gratuitæ Dei bonitati adscribat totã gloriæ materiam. Neque enim (vt stultè putarunt indocti & barbari homines) humilitas hic summissionem, vel modestiam, vel animi habitum significat: sed tantum vilis ac vilis abiectaque conditio. Sensus ergo est, Quòd ignobilis eram & contempta, id non obstitit Deo quominus dignatus sit ad me oculos suos conuertere. Ergo virgo memoratura (vt in laudando fit) Dei beneficia & decenter, primùm admiratur quòd se humilem adeo & contemptam ita respexisset, adeoque rationem sui habuisset, vt Filio suo matrem delegerit. Id nanque est quod ait, Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Vbi dignitas est aliqua secundum carnem, ibi velum est ne cernamus gratiam Dei. Propterea meritò suæ abiectionis mentionem facit. q. d. Ego quidem genus è progenie Dauidis regis clarissimi: sed tanto miserior & calamitosior sum quanto maiores mei celebriores fuerunt. Vt enim nihil dicam de regno à nostra familia per tyrannidem ablato, nec commemorem durissimam egestatem, qua iam multo tempore regia puella laboraui, certè maxima hæc omnium miseria est, quòd tyranni qui nunc occupant regnum nostrum, ita vitæ omniũ eorum qui ducunt progeniem suam à Dauide insidiantur, vt iam interemptis viris aliquot, nos quidem puellæ & mulieres tutæ simus, adeóque necesse habeamus, non tam ingloriæ quàm omnium ludibrio expositæ, vitam nullo penè loco securam agere. Sed quam homines contemnunt, ad illam Dominus Deus oculos suos conuertit, & me ad rem maximam delegit. Potuissent ipsi aliarum copia esse quæ me nobilitate & opibus longè vincebant: verùm nullam ex iis voluit, me pannosam & pauperculam respexit. id mihi lætitiam parit, & pro hoc Deo gratias ago. In summa, ego nihil sum: quicquid autem sum & habeo, id mihi totum inde est quòd Deus me respexit: gratia Dei sum id quod sum. Non potuisset Deum & eius gratiam plenius laudare. Quòd si Matri humilitas excellentiæ opponitur (quemadmodum & res ipsa clamat, & ex Græca voce liquet) videmur vt Maria seipsam exinaniens, Deum vnum extollat. Nec verò ficta hoc humilitatis præconium fuit: sed simplex & ingenua eius quam animo insculptam habebat persuasionis confessio. Nam & nullius erat coram mundo pretii, & ipsa nihilo pluris se æstimabat. Hic verò nobis peculiariter exprimitur quæ Dei natura sit, nempe quòd ad ima despiciat. Sursum aspicere nequit, quòd nihil supra se est: ad latus itidem, quoniam vt a se neminem æqualem sibi habeat: quapropter in ima tantùm despicit. Proinde quo profundior es & abiectior, tanto perspicacius diuini oculi te obseruant. Ita Scriptura passim ipsum celebrat, & maximè in Psalmis, vt quũ dicit, Quis sicut Dominus Deus noster, qui eleuat sese ad habitandum? Qui humiliat sese ad videndum in cælo & in terra? Qui attollit è puluere inopem, è stercore eleuat pauperem? Psal. 113. b. 7. Et alibi, Excelsus est Dominus, & tamen humilem intuetur, & excelsum è longinquo cognoscit, Ibidem, 138. b. 6. Propterea quicquid caput eius transcendere vult, illico ab eo videtur. neque enim scientiam neque potestatem ferre potest, neque aliud quodvis cuius respectu homo supercilium attollat, & fiduciam concipiat. nam omnem fastum odio prosequitur. *Ecce enim ex hoc.* Siue Posthac, aut (si ad verbum transferas) Ex hoc nunc. Significat memorabile seculis omnibus fore hoc Dei beneficium. Quòd si iam insigne est vt passim omnium ore prædicari debeat, ipsi Mariæ (in quam collatum fuit) de eo silere minimè fas est. Obserua autem Mariam nihil in sua fœlicitate ponere nisi quod sibi diuinitus datum esse agnoscit, eiúsque gratiæ acceptum refert. Beata, inquit, censebor per omnes ætates. An quia sibi propria virtute vel industria laudem hanc quæsierit? Quin potius solum Dei opus commemorat, dicens,

49 *Quia fecit mihi magnifica qui potens est: & sanctum nomen eius.*

Quia fecit mihi magnifica. Hic disertè acceptam Deo refert suæ beatitudinis causam: acsi diceret, Dicar beata, non quòd mea virtute id sim consequuta, sed quia Deus, qui potens est, in me humillima puella rem mirã & inauditam perfecerit. Sic dicent me beatam vt agnoscant esse opus Domini, & non mihi tribuant. Et sanè beatam Mariam verè prædicant quotquot Christum agnoscunt totius fœlicitatis authorem, quem hominem per ipsam accepimus. Hanc verò perspicimus quantum à

Mariam distent Papistæ, qui inanibus suis figmentis eam temere ornantes, quicquid accepit bonorum à Deo, fere pro nihilo habent. Magnificos, imò plusquam superbos titulos affatim congerunt, quòd sit regina cæli, stella maris, via salutis, porta vitæ, imò vita ipsa, dulcedo, spes & salus. Quinetiam eo impudentiæ & furoris ipsos protrupit Satan vt imperium illi in Christum traderent. Hæc enim est eorum cantilena, Roga Patrem, iube Natum. Nihil horum à Domino profectum esse quum liquidò constet, omnia vno verbo sancta Virgo repudiat, dum totam suam gloriam in Dei beneficiis statuit. Nam si hoc tantùm nomine celebranda est quòd Deus magnifice cum ipsa egit, fictitiis titulis, qui aliúnde proueniunt, nullus relinquitur locus. Adde quòd nihil illi magis probrosum est quàm Filio Dei eripi quod suum est, vt sacrilegii eius spoliis ipsa induatur. Eant nunc Papistæ, & nos in Christi matrem iniurios esse clamitent, quia reiectis hominum mendaciis, tantùm Dei beneficia in illa prædicamus. Atqui quod ei maximè honorificum est nos concedimus, isti verò præposteri cultores detrahunt. Libenter enim eam amplectimur magistram, eiusque doctrinæ & præceptis obtemperamus. Certè non obscurum est quid hic dicat: quo posthabito & velut calcato, fidem eius dictis quantum in se est abrogant Papistæ. Nos verò meminerimus communem hic in laudandis tum Angelis tum hominibus præscribi regulam, vt in illis celebretur Dei gratia: sicuti etiam nihil omnino est laudabile quod nõ inde prodierit. Quum dicit Deum, qui potens est, fecisse magnifica, significat Deum nullo alieno subsidio fuisse adiutum: vt sola eius potẽtia emineat. Iam repetẽdum est quod prius dixit, se fuisse respectam, quamuis abiecta & contemptibilis foret. vnde sequitur, præposteras & adulteras esse Mariæ laudes quibus non in solidum extollitur Dei potentia & gratuitus fauor. *Et sanctum nomen eius.* [a] Hæc est secunda pars cantici, in qua generalibus sententiis sancta virgo Dei virtutem, iudicia & misericordiam commendat. Neque enim vno contextu hoc membrum cum superiori, sed seorsum legi debet. Extulerat Maria quam in se experta erat Dei gratiam. Hinc sumpta occasione exclamat sanctum esse eius nomen, & misericordiam eius omnibus seculis vigere. [b] Porro nomẽ Dei pro potestate ipsius, sæpe pro ipso Deo, qualem se nobis manifestat, accipitur. Vide Matth. 6.b.9. Sanctum (vt sæpe dictum est) dicitur propriè quod à profano & vulgari rerum vsu semotum est. quod autem ita semotum est, in abscondito conseruatur: vnde & sanctum absconditum dicitur. Vocatur ergo Deus sanctus, quòd opera eius longè ab humano captu abscondita sint, & tam admirabilia vt non possint humana ratione comprehendi. Operatur enim Deus gloriam per ignominiam, gaudium per tristitiam, fœlicitatem per miseriam, vitam per mortem: qua operandi ratione quid potest dici admirabilius? Atque hæc admirabilis operandi ratio etiam in Maria declarata est. Adhæc, sanctum vocatur Dei nomen, quia reuerentiam summam meretur: vt quoties Dei fit mentio, simul veneranda eius maiestas in medium prodeat.

50 *Et misericordia eius in progeniem & progeniem timentibus ipsum.*

Et misericordia eius in progeniem & progeniem. [a] Hæc sententia sumpta est ea pacto Dei, [c] Ero Deus tuus & seminis tui in seculum, Genes. 17.b.7. & Faciens misericordiam in millibus, diligentibus me, Exodi 20.a.6. & Ego sum Deus faciens misericordiam in mille generationes, Deuteron. 7.b.9. Item, Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod præceperat mille generationibus, Psal. 105.a.8. Quibus verbis Dominus non modò testatur se perpetuò fore sui similem, sed continuum fauorem exprimit quem erga suos prosequitur, vt post ipsorum mortem, filios & nepotes totámque sobolem diligat. Sic continuo amoris tenore prosequutus est Abrahæ posteros: quoniam patrem Abraham semel in gratiam complexus, æternum cum ipso fœdus pepigerat. Sed quia non omnes qui descendunt ex Abraham secundum carnem, genuini sunt Abrahæ filii, promissionis effectum restringit Maria ad veros Dei cultores, dicens, *Timentibus ipsum.* [a] Ne superbiam impii prætextu nominis, hoc dictum est, qui peruersa securitate inflati sunt vt Paulus ait, Et gloriaris in Deo, Roman. 2.c.17. quæ gloriatio peruersa erat. In eandem sententiam dicit Dauid, Misericordia Domini à seculo vsque in seculum super timentes eum: & iustitia eius in filios filiorum iis qui custodiũt fœdus eius, &c. Psal. 103.c.17. [c] Sic ergo Deus sanctorum filiis misericordem se per omnes ætates fore promittit, vt nullam tamen hypocritis vanæ fiduciæ materiam præbeat: quoniam frustra & temere Deum esse patrem sibi gloriantur qui degeneres sunt sanctorum filii, & ab eorum pietate fidéque desciuerunt. Quare hac exceptione refellitur eorum vanitas & iactantia qui falso gratiæ Dei prætextu sine fide inflati sunt. Vniuersale quidem salutis fœdus pepigit Deus cum genere Abrahæ: sed quemadmodum lapides pluuia irrigati non mollescunt, ita incredulis obstitit sua durities ne ad eos penetraret promissa iustitia & salus. Interim Deus, vt stabilis ratáque esset sua promissio, semen aliquod seruauit. Sub timore Domini comprehenditur tota pietas & religio: quæ sine fide constare non potest. Verùm hic potest obiici quæstio, Quorsum attinet vocari Deum misericordem, si talem nemo eum sentit nisi qui eius gratiam promeretur? Nam si Dei misericordia est super timentes eum, pietas & bona conscientia gratiam hominibus apud eum conciliant. Hoc autẽ modo eius gratiã suis meritis homines præueniunt. Respondemus, hanc quoque esse misericordiæ partem quòd timorem sui & reuerentiam piorum filiis Deus inspirat. Neque enim hic notatur gratiæ initium, quasi Deus è cælo otiosus speculetur quinam ea digni sint: sed tantùm hypocritis excutitur peruersa securitas ne Deum sibi obstrictum esse putent, quia carnales sunt sanctorum filii: quum diuini fœderis longe alius sit finis & diuersa conditio, nempe vt aliquem semper in mundo populum habeat à quo purè colatur.

51 *Præstitit robur per brachium suum: dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum.*

Præstitit robur per brachium suum. [a] Græcè legitur, Fecit potentiam in brachio suo. Hebraismus est, pro, Exerto brachio ostendit siue declarauit potentiam suam. Vel, Exeruit robur brachii sui. Siue, Potenter operatus est. Brachium autem Dei omnibus aliis adminiculis opponitur: sicuti apud Prophetam, Respexit Deus, & nemo fuit adiutor. itaque salutem illi peperit brachiũ eius, & iustitiã sua pro fultura habuit, Esa. 59.c.16. Intelligit ergo Maria Deum sua vnius virtute contentum nullos adhibuisse operis socios, nullos vocasse ad opem sibi ferendam. [a] Solet Scriptura hæc duo coniungere, brachium & potentiam, de Deo loquens, vt, Tibi brachium cum fortitudine, Psal. 89.b.14. Videtur autem hæc loquendi forma ab Hebræis sumpta (qui interdum vnum membrum orationis in duo diuidũt, interiecta copula, aut etiam tacita) & idem significare acsi dicas, Brachio suo potẽti dispersit superbos, &c. vt, In brachio fortitudinis tuæ dispersisti inimicos tuos, Psal. 89.b.11. sed simplicior videtur sensus quem prius attulimus. *Dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum.* [a] Hoc videri potest additum duas ob causas, tum quia nihil proficiunt superbi, qui gigantum more Deo resistere conantur: tum quia non exerat Deus brachii sui potentiam nisi in salutem humilium, superbos verò, qui sibi multum arrogant, deiicit. Quò pertinet illa Petri exhortatio, Humiliamini sub potenti manu Dei, &c. 1. Epist. 5. b.6. Est autem notatu digna loquutio, dispergi superbos cogitatione cordis. Nam (vt immanis est eorũ superbia & ambitio, vt est cupiditas insatiabilis) in capiendis consiliis quasi immensam molem coagmentant: atque (vt vno verbo dicamus) turrim Babel ædificant. Nam minimè contenti stultè hoc vel illud supra vires tentasse, nouas subinde insanæ audaciæ consultationes prioribus accumulant. Postquam Deus aliquandiu tacitus è cælo derisit præclaros eorum apparatus, totam illam congeriem repentè dissipat: quemadmodum si quis diruto ædificio, quæ prius firmo solidáque commissura inter se compacta erant, in plagas diuersas longè dispergat. [a] Hoc ipsum Dauid significat, quum dicit, Impius videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desyderium impiorum peribit, Psal. 112.b.10. Quod & alibi dissipari dicit, & irritum fieri, his verbis, Dominus irritum facit consilium Gentium, irritas facit cogitationes populorum, Ibidem, 33.b.10. Et Esaias, Inite consilium, & dissipabitur, Esa. 8.b.10. Passim in Psalmis canitur vt soleat Deus impios suis ipsorum consiliis illaqueatos perdere. Sic Pharaoni, sic Sehon regi Amorrhæorum, sic Og regi Basan, & innumeris aliis euenit, vt turrim Babel ædificantibus, Genes. 11.b. 8.9. Et Nabogodonosor. dicebat enim, In cælum cõscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Sed mox audit, Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci, Esaiæ 14.c.13.15. Item quum princeps Tyri diceret in corde suo, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedeo, statim audit, Adducam super te alienos, robustissimos Gentium: & nudabunt gladios suos, & detrahent te, Ezech. 28.a.2.7. His verò verbis, Dispersit superbos, &c. vtitur Maria, quòd hæc sit Dei ratio, quum superbos deiicere cogitat, vt primùm mente captos reddat: postea autem quum mens adẽpta est, facilis fit progressio, vt in sapientia sua confundantur. Id est sapientes dispergi in cogitatione cordis sui: nam ipsorum sapientiam eis ducem facit ad perniciem, quum consilia sua accuratissimè instituunt.

52 *Detraxit potentes de sedibus, & euexit humiles.*

Detraxit potentes de sede. [B] Si vertatur, Detraxit primates, tolletur ambiguitas. Nam etsi δυνάσται Græcis vocantur à potentia, sunt tamen præfecti & summi magistratus: potentes verò multi participium esse putant. Eos detrahi è soliis prædicat Maria, vt in eorum locum euehantur obscuri & ignobiles. [A] Hoc ipsum est quod Daniel dixit, Deum mutare regna, Dan. 2.c.21. Facit Deus vt omnia tremant sub manu sua. Qui collocat in solio reges, idem & detrahit, & aliis tradit solium. Similia cecinit & Anna mater Samuelis, 1.Samue.2.b.8, & multi Psalmi, præcipuè verò 107.d.40. [B] Ita ergo Dei prouidentiæ & iudicio tribuit sancta Virgo quod profani homines vocant ludum fortunæ. Sciamus tamen non tribui Deo absolutam potentiam, vt tyrannico imperio homines tanquam pilas agitet, ac verset sursum deorsum: sed iustam gubernationem, cui subest optima ratio, licet nos sæpe fugiat. Non enim Deum oblectant subitæ mutationes, vt per ludibrium in sublime attollat quos protinus deiicere statuerit: sed rerum statum potius conuertit hominum prauitas: quia nemo in eius arbitrio & manu positum esse agnoscit cuiusque sortem. qui verò eminent supra alios, non modò contumeliosè & crudeliter insultant proximis suis, sed etiam fremunt contra suæ altitudinis authorē. Ergo, vt reipsa discamus, quicquid altum est in mundo & excellit, Deo subesse, totumque mundum eius imperio regi, alii attolluntur in sublimē honoris gradum, alii autem labuntur ex suis soliis vel præcipites cadunt. Hanc mutationum causam & finem assignant Dauid & Daniel locis prædictis. Videmus sanè vt præter modum insolescant mundi principes, vt diffluant in luxuriam, vt turgeant superbia, vt eos prosperæ fortunæ dulcedo inebriet. Tantam ingratitudinem si ferre nequeat Dominus, nihil mirum. hinc fit vt plerunque non diu maneant stabiles quos Deus in sublime extulit. Iam cursus regum & principum splendor hominum vulgus obstupefacit, vt pauci superius aliquod numen esse cogitent. Quòd si ex vtero sceptrum afferrent secum principes, & continua esset regnorum stabilitas, statim euanesceret omnis Dei & eius prouidentiæ notitia. Dominus ergo humiles in sublime tollens, mundi superbiam quasi in triumpho traducit, & simul ad simplicitatem ac modestiam erudit suos. Nunc tenemus quorsum dicat Maria, Deum esse qui proceres deiicit ex soliis, & infimos exaltat: nempe vt doceat non cæco fortunæ impetu volui & rotari mundum, sed quæcunque cernuntur conuersiones, Dei prouidentia accidere. [B] Non est autem dissimile vero eam respexisse in tyrannidem Herodis, & impios alios qui tum populum Dei iniquè premebant, vt quos miserè perituros prævideret (sicut pios exaltandos) incarnato iam rege & liberatore ipsorum Christo. Fortassis etiam maiorum suorum splendorem & regiam potentiam spectauit: quæ, quum illi fuissent impii, in nihilum redacta fuerat: tunc verò per suam tam humilis & abiectæ matris prolem in statum longè præstantiorem restituenda erat quàm qui sub maioribus vnquam contigisset. *Et exaltauit humiles.* Non de modestis loquitur, sed de abiectis.

53 *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.*

Esurientes impleuit bonis. [C] Confirmat hoc versu, Deum summa æquitate moderari quæ totum mundi ordinem turbare & peruertere iudicia videntur. Bonis, inquit, repleт egenos, quòd exinaniti suspirant ad Dominum, vt ipsi sint aliis exemplo: diuites, quòd in suis diuitiis fidentes intumescant, facit inopes. Hinc colligimus non per se, sed ex causa mutationes placere Deo: quia scilicet magni, & diuites, & potentes, saturitate sua inflati, sibi arrogant omnia: ipsi autem Deo nihil faciunt reliquum. Quare sedulò cauendum est ne rebus prosperis efferamur. Cauenda etiam ventosa carnis saturitas, ne subitò nos demum exinaniat. Piis verò, qui egestatis suæ conscii & quasi famelici ad Deum suspirant, non parum solatii affert hæc doctrina, quòd Deus esurientes bonis impleat. Quæ sententia sæpe in Scripturis occurrit, & ideo obseruanda vt agnoscamus stabilitatem nostram in Dei prouidentia sitam. [F] Alii esurientes & sitientes iustitiam hic accipi volunt qui spiritu Dei docti, & vana confidentia exuti, sentiunt quàm sint inopes & vacui bonorum omnium, quàm nihil sint, possint, & habeant ex suis viribus: ideoque de seipsis desperant, & ad Christum omnis boni fontē vnicum properant. Hos explet hic thesauro quodam bonorum, vt abundent in omni gratia & opere sermonéque iusto & bono. Rursus diuites, omnia sibi ex seipsis promittētes, à se dimittit, & veluti frustratos ablegat: vt quum se putent esse sapientes, iustos, diuites, harum pariter omnium rerum inuenianturindigi & vacui. Exempla sunt in Euangelio permulta, illud maximè de Simone & peccatrice, Luc. 7. f. 36: de Pharisæo & publicano, Ibidem, 18.b.10. Et Paulus, Gētes (inquit) quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ est ex fide: rursus, Israel qui sectabatur Legem iustitiæ, ad Legē iustitiæ non peruenit, Rom.9.g.30.

54 *Suscepit Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ.*

Suscepit Israel puerum suum. [C] Hoc postremo membro generales sententias accommodat Maria ad circunstantiam præsentem. [F] Vox Græca, pro qua Suscepit versum est, propriè est succurrentis ac manum porrigētis. Verborum series sic ordinari debet, Dominus recordatus est misericordiæ suæ, quam promisit se Abrahæ & semini eius in secula præstiturum: ideoque suscepit Israelem puerum suum. De his promissionibus vide Matth.1.a.1. [C] Summa est, Deū nunc quam olim pollicitus fuerat sanctis patribus salutē, præstitisse. Sed primùm in verbo suscipiendi concinna est metaphora. sic enim collapsus erat populi status vt nulla vulgo spes esset posse in integrum restitui. Susceptus ergo dicitur Israel, quia Deus porrecta manu prostratum & iacentem erexit. Religio innumeris modis contaminata erat: in publica doctrina nihil fere syncerum: Ecclesiæ regimen plusquam confusum, nihil aliud quàm immanem barbariem spirabat: politicus ordo euersus: populi corpus Romani & Herodes, quasi feræ bestiæ, laniauerant. Quo illustrior fuit instauratio, quam rebus adeo perditis sperare illis non licebat. Quod autem tūc fuit factū, hoc Dominus erga suos quotidie facit, quos erigere solet. oportet enim in nobis impleri quod Iudaico populo accidit. Si ceciderimus, nō est quòd animis frangamur: expectemus quoad Dominus nos sua manu attigat. Mira sanè consolatio. Nomina autem Israelis vniuersam omnium credentium Ecclesiam comprehendit. Et pueri nomen hic tam pro filio quàm pro seruo potest accipi. Posterior tamen significatio magis conuenit. Et seruus Dei vocatur hoc loco Israel (sicuti in aliis compluribus) quia in Dei familiā receptus erat. [E] Interea colligendū, eos esse veros Israelitas qui Christum saluatorem fuerint amplexi: Omnes nanque qui ex Israel sunt, non censentur Israelitæ apud Deum, sed tantùm qui promissionis participes sunt, vt multis Paulus probat, Rom.9 b.7, & Gal.3.a.7. *Vt memor esset.* [C] Causam reddit Maria cur procliuis in ruinam populus à Deo receptus fuerit, imò cur Deus iam collapsum erexerit: nempe vt in eo serando misericordiæ suæ specimen ederet. Nominatim tamen exprimit Deum misericordiæ recordatum: cuius videri poterat quodammodo oblitus, quum populum suum tam miserè vexari affligique sineret. Vsitatum enim est affectus Deo tribui, prout reipsa homines vel iratum sibi vel propitium colligūt. Ergo nunquam Deus obliuiscitur misericordiæ suæ, neque mutat affectus: sed id non semper nobis patet, & sæpe à nobis absconditur. Ideo dicit Maria pat effectum fuisse Israeli quòd Deus meminisset misericordiæ suæ. Sic nobis non rarò accidit. sæpe enim ita destituimur vt non possimus aliter reputare apud nos quàm Deum esse oblitum misericordiarum suarum. Quum sentimus nos esse omni auxilio nudatos, tunc hoc nobis in mentem veniat, Deum suscepisse Israelem. Obserua autem vt promissiones salutis vocet misericordias Dei, ne quis existimet Deū ta vlla alia quàm sola sua misericordia, vt promitteret vtque promissa exhiberet, reuelata in Christo salute, inductum fuisse.

55 *Sicut loquutus est ad patres nostros, [nimirum] Abrahæ & semini eius in æuum.*

Sicut loquutus est. [B] Quia Dei misericordiam non concipiunt humanæ mentes nisi quatenus eam verbo suo offert ac testatur: hic se & alios ad promissiones reuocat Maria. Deumque in illis seruandis fidum ac constantem fuisse docet. Hoc sensu frequenter vocatur Deus benignus & verax: quia nunquam de paterna erga nos beneuolentia statuere licebit nisi verbum, cuius se vinculo nobis obstrinxit, memoriæ nostræ occurrat, & quasi in medio positum, salutem nostram cum Dei bonitate indiuiduo nexu copulet. Cæterùm iisdem verbis ostendit Maria gratuitum fuisse quod cum patribus fœdus olim Deus pepigerat: quia promissam illic salutem ex mera misericordia tanquam ex fonte deriuat. Atque hinc colligimus probè fuisse in Scripturæ doctrina exercitatam. Erat quidem vulgò tunc communis Messiæ expectatio, sed pauci fidem in tam syncera Scripturæ notitia fundatam habebant. *Abrahæ.* [C] Postquam generaliter de promissionibus Dei loquuta est, venit ad speciem: acsi diceret, Nō tantùm loquutus est ad patres, sed omnibus posteris. Si appositiuè legas, videtur absurda esse casus mutatio: (dicēdum enim erat potius, Ad Abrahā & semē eius.) sed non est simplex appositio: quia non tantùm designat Maria qui fuerint patres illi ad quos loquutus est Deus, sed promissionum vim & effectum ad omnes posteros extēdit, qui modò genuinum sint Abrahæ semē. Vnde etiam sequitur de solenni fœdere agi, quod cum Abraham eiusque se-

militia specialiter percussum fuerat. Nam aliæ promissiones, quæ Adæ & Noe & aliis datæ fuerant, promiscuè ad omnes gentes spectabant. *Et semini eius.* Id est, posteris Abrahæ Christum fide expectantibus, vt Abraham. [a] Nam vt multos carnales Abrahæ filios sua incredulitas abscidit, & quia degeneres fuerunt, prorsus alienati sunt à domo Abrahæ: ita nos qui extranei eramus, fide insiti, censemur verum Abrahæ semen. [b] Qui enim ex fide sunt (inquit Paulus) ii sunt filii & semen Abrahæ, Gal.3.a.7. [c] Tenemus ergo sic loquutum esse olim Deum Patribus vt ad posteros quoque pertineat oblata illis gratia. Deinde fide, Gentium omnium factam esse adoptionem, vt spirituales sint Abrahæ filii qui natura non erãt. Neque enim Maria hic loquitur de Christo semine Abrahæ (vt quidam argutè nimis scribunt) sed de Abraham & posteris Abrahæ, quibus promissus erat saluator Iesus. *In æuum.* Acsi dicat, Quod semen Abrahæ non deficiet vsque in finem mundi.

CANTICVM ZACHARIAE, in quo & ipse ob impletam redemptionem olim in Christo promissam gratias agit.

LVC. CAP. I.

68 *Laudandus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem populo suo.*

Laudandus Dominus Deus. [a] Orditur Zacharias à gratiarum actione: sed Prophetico spiritu celebrat impletam redemptionem olim in Christo promissam, vnde salus & fœlicitas Ecclesiæ pendebat. Hoc exordio monemur vt quoties de beneficiis Dei verba facimus, adiuncta sit gratiarum actio. *Dominus Deus Israel.* [b] Dominus est Deus non solum Israelis, verum etiam Gentium & omnium creaturarũ. nam huius imperio subest totus mundus. Dicitur tamẽ peculiariter Deus Israel, primùm quòd publico pacto addixerat se populo Israelitico (quẽadmodum scriptum est Genes.17.a.2.) Deinde quòd huic populo dederat Patriarchas, Prophetas, Legem, cultum Dei, & promissiones de futuro Christo. Postremò, quòd ex hoc populo Christus secundum carnem nasciturus erat. Postquam autem venit Christus, verus Israel dicitur non qui est ex carne Israelis, sed qui est ex fide Iesu Christi. Quare etsi Dominus sit potentia & administratione sua dominus omnium gentium, propriè tamen dicitur Deus credentium in Iesum Christum, propterea quòd hos solos agnoscat hæredes ergo sui cælestis. Ratione igitur fœderis vocatur peculiariter Deus illius gentis. Quòd autem non dicatur Deus Adæ, Deus Abelis, & aliorũ, hinc factum est propterea quòd volebat excitare memoriam sui fœderis vulgique agnosci qualem se manifestat nobis, nequid amplius inquiramus, néue de ipso aliquid incertum cõminiscamur, & hoc vel illud ei tribuamus, sed eum simpliciter qualẽ se nobis reuelat amplectamur. [c] Ergo quia Deus tantùm in vna gente fœdus suum deposuerat (de quo verba facturus est Zacharias) meritò nomen gentis illius exprimit, cui propriè, vel saltem primo loco, destinata erat salutis gratia. *Quia visitauit.* [d] De re instanti tanquam facta loquitur. Hæc enim præteriti certitudinem indicat, perinde acsi iam visitatio & redemptio facta fuisset, quæ haud multo pòst per Christum implenda erat. [e] Visitare propriè est rationem alicuius habere: vt qui vult subuenire fratri suo, visitat eum vt intelligat quam opem ei ferre possit. Certum est autem Deum semper adesse nobis, licet non semper id sentiamus. Vbi autem aliquo opere manifesto se præsentẽ demonstrat, tunc visitare dicitur. Cæterùm Visitare in vtranque partem in Scripturis accipitur. Iode dicitur Deus visitare peccata quum ea punit, Esa.26.d.21, & Ierem.14.b.10, & Amos 3.a.2. pœna enim declarat illa Deo esse animaduersa. In quo genere dicẽdi aliquãdo additur virga, aut plaga, aut gladius, aut quid simile. vt, Visitabo virga præuaricationẽ eorum, & plagis iniquitatẽ eorũ, Psal.89.e.33. Et, Visitabit Dominus gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathã, Esa.27.a.1. Item, A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, Ibidem, 29.b.6. Sic in bono visitare dicitur quos beneficiis afficit, per quæ scilicet declarat se illis adesse, & eorum habere curam. Sic visitauit Hebræos quum ex Ægyptiaca seruitute liberaret. Nulla autẽ præsenti visitationi quam Zacharias prædicat, visitatio Dei conferri potest: quia hæc in Filio (quo nihil præstabilius est) populũ suum inuisit, rationémque eius se habere testatus est. [c] Proinde in verbo Visitandi subest tacita antithesis: quoniam à miseris Abrahæ filiis Dei facies ad tẽpus fuerat auersa. Nam eò calamitatis delapsi erant, & tantu malorum congerie obruti, vt nemo à Deo respici putaret: [a] per Christum verò plena ab omnibus malis populo Dei redẽptio perfecta est. Hinc canit Zacharias, *Et fecit redemptionem populo suo.* [c] Hæc Dei visitatio, cuius meminit Zacharias, tanquã causa & principium redemptionis ponitur: quare ita resolue, Deus populum suum respexit vt redimeret. Porro redemptio demonstrat captiuitatem antea fuisse. erat enim ita captiuus populus vt non posset aliunde libertatem sperare quàm à solo Deo. Qualis autem captiuitas fuerit, videndum. Tunc quidem durissima tyrannide fuit oppressus: verùm grauior erat captiuitas à qua erat liberãdus. Nã Dominus statim ab initio Redemptorem omnium qui erant quique futuri, promiserat. Neque populus semper fuit captiuus. vnde consequitur redemptionem non fuisse carnalẽ. Certæ enim ætates fuerũt quibus florebat populus. Ita Christus animis est redemptor, non tãtùm corporibus. Nec dubium quin Zacharias ita intellexerit. q.d. Vinctos & capitalẽ expectantes sententiam (imò latã sententiã iamiã subituros) carne visitauit assumpta, visitandóque & sese pro vinctis impendendo redemit, sui videlicet capitis periculo sese pœnæ debitæ vinctis subiiciẽs. [c] Hinc verò colligimus nec sanctos quidem Patres liberos fuisse à peccati iugo & mortis tyrannide nisi per Christi gratiam. Sancto enim & electo Dei populo Christus dicitur missus redemptor. Sed si allata tunc demum à Christo fuit redemptio quum carne indutus apparuit, sequitur, fideles qui ante eius aduẽtũ mortui sunt, tota vita peccati & mortis fuisse seruos: quod valde absurdum esset. Respõdemus, vim & effectũ huius redẽptionis, quæ semel in Christo fuit exhibita, seculis omnibus fuisse cõmunẽ.

69 *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.*

Et erexit cornu sal. [a] Erectum dicit quòd antè concidisset populus, essétque dissipatus. q.d. Vtcunque visi fuerimus deiecti, & ab omni spe alieni, iterum erexit Deus salutificam suam potentiam. deiecto enim solio Dauidis, & dissipato populo spes salutis in speciem conciderat. [b] Per cornu autem regnum & potentia, Hebraica phrasi, significatur: quemadmodum & apud Daniele legimus, vbi Propheta primùm animalia quatuor videt, quorum quartũ cornua habebat decem, Dan.7.b.7, quæ postea versu 24 sese declarans, pro regnis aut regibus exponit. siue quòd reges oleo è cornu effuso consecrabantur (vt est 1.Sam.16.a.1.) siue quòd bestiarum potentia in cornu sita sit, vt in Daniele aries & hircus infestis cornibus concurrunt, cap.8.b.6. Et alibi dicitur, Omnia cornua peccatorum confringam, exaltabuntur verò cornua iusti, Psal.75.b.11. Et alibi, Cornu eius exaltabitur in gloria, Ibidem, 112.b.9. Et apud Hieremiã, Concidit in ira furoris omne cornu Israel, Thre.2.a.3. [c] Alludit certè Zacharias ad Prophetarum vaticinia, quibus subinde in rebus deploratis ac perditis instauratio promittitur. Imò hæc loquutio sumpta est ex Psalmo, vbi habetur, Illic oriri faciam cornu Dauidi. paraui lucernam Christo meo, Psal.132.e.17. Denique illis verbis circunloquitur Zacharias Christi potentiam & fortitudinem & regnum firmum & æternum significari. q.d. Misit promissum saluatorem Christũ, contra quem neque peccatum, neque mors, neque inferorum portæ valebũt: quia cornu erectum est, &c. Alia regna ex suis nominibus & iactationibus appellantur ampla, ingentium bonorum, multorum populorum, bonorumque copia, & quibusuis tẽporaneis rebus exuberantia: hoc verò regnum salutis, gratiæ, vitæ, iustitiæ, veritatis regnum, & cuiusque rei ad salutem pertinentis regnum nominatur, quo simul ab vniuersis aliis regnis separatur. Quòd si Deus nonnisi in Christo potentiam suam ad nos seruandos exerit, hinc nefas est vllo modo deflectere, si diuinitus seruari cupimus. Obserua autem, fidelibus salutare esse cornu quod impiis terrificum est, vt eos dissipet, vel prosternat, ac contetat. *In domo Dauid.* Dauidem seruum Dei nominat, non simpliciter quia Deum coluerit (vt vnus quilibet piorum) sed alio respectu, quòd scilicet delectus fuerat regendo seruandoque populo minister, vt Christi personam ac vices cum suis successoribus gereret. Etsi autem nullum tunc residuum erat apud Iudæos regni vestigium, quia tamen in Dei promissiones recumbit Zacharias, Dauidem vocare Dei ministrum non dubitat, in quo Deus specimen ediderit futuræ salutis. Vnde sequitur tũc nobis Christum reipsa constitui salutis authorem, dum illi inter nos solium erigitur vnde nos gubernet. Cæterùm de promissionibus Dauidi factis obiter diximus, Matth.1.a.1.

70 *Sicut loquutus est per os sanctorum qui à seculo fuerunt Prophetarum suorum.*

Sicut loquutus est per os sanct. [c] Loqui pro promittere. Ne propter nouitatẽ dubia sit salus quam à Christo allatã prædicat, testes elicit omnes Prophetas, qui diuersis temporibus excitati, vno tamen consensu docent spectãdam à solo Christo salutem esse. Neq; enim tantùm Zachariæ consilitũ est fidẽ & cõstantiã Dei laudare quia præstet atq; impleat quod olim promisit: sed potius ad vetusta oracula reuocare voluit fideles, quo certius & alacrius amplecterẽtur oblatam sibi salutẽ, de qua omnes ab initio testati fuerãt Prophetæ. Verè enim solida fultura stabilitur nostra in Christũ fides, quum Prophetarũ omnium testi-

mundis ornatus in lucem prodit. Certè etsi nō multi loci sunt clari apud Prophetas de Christo, dubium tamen non est quin omnes Prophetæ voluerint adducere ad Christum, tanquā ad finem, necnō Moses ipse. Quorsum enim cæremoniæ? Prophetæ autem sunt Legis interpretes. Quòd si Lex ducit ad Christū (Galat.3.d.24.) sequitur etiā simul Prophetas ad Christum ducere. Quanquam si quis accuratius Prophetas expendat, nullū esse reperiet qui non ducat ad Christum. nec enim possunt habere suam veritatem nisi in Christo. Habebant hoc solenne, concludere sermones suos per fœdus Domini: illud semper populum seducebant, vt in ea fiducia pedem figeret. Qui hoc nō tenet, nunquam Prophetas intelliget: vt nec Iudæi, qui valde curiosi in verbis enarrandis, scopum autem non intelligentes aberrant. *Per os sanctorum.* [b] Sāctos vocat Prophetas quo plus authoritatis & reuerentiæ habeant eorum verba: acsi diceret non leues aut gregarios, sed classicos esse testes: imò publico mādato instructos, vt qui diuinitus in hunc finem à vulgo hominum segregati fuerint. Sciamus ergo eos non ex se loquutos esse suáque proposuisse mūdo decreta, sed Deū per eos nobis esse loquutū: quod testatur & Apostolus, Heb.1.a.1, & Petrus 2. Epist.1.d.21. Quomodo autem singuli Prophetæ testimonium reddiderint Christo, minutis partibus disserere nimis longum esset. Hoc in præsentia sufficiat, eos disertè satis de futura redemptione loqui quali in Christo patefacta est. Vide infrà, 24.f.44. *Qui à seculo.* Id est olim, Hebraicus sermo. vt, Isti potentes qui à seculo fuerunt, viri nominati, Gen.6.a.4.

71 *Fore ut seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Vt seruaremur ab inimicis. [a] Græcè, Salutem ex inimicis nostris, &c. Id est, Fore vt liberaremur. vel, Se liberaturum nos &c. Pendet hic versus & aliquot sequentes à proximè præcedenti versu, Sicut loquutus est. Quid loquutus est? Salutem ab inimicis loquutus est, quòd faceret misericordiam, quòd, &c. [c] Etsi igitur dura est hæc loquutio, Salutem ex inimicis, sensus tamen minimè ambiguus est, quòd nullæ hostium nostrorum machinæ aut vires, nullæ insidiæ, nulli impetus Deo obstabunt quominus nos ab illis liberatos perpetuò seruet. Itaque clarius virtutem & officium Christi explicat Zacharias. Et certè parum aut nihil prodesset audire datum nobis esse Christum, nisi etiam sciremus quid nobis conferat. Hac ergo de causa plenius docet quorsum erectum sit salutis cornu: nempe vt salui sint fideles ab hostibus suis. Minimè autem dubium est quin satis teneret Zacharias, Ecclesiæ Dei non esse præcipuum bellum cum carne & sanguine, sed cum Satana totoque eius apparatu, quo hic sæuus hostis æternum exitium machinatur. Etsi autem Ecclesiam infestent externi quoque hostes, & ab ipsis liberatur per Christum: tamē, quum spirituale sit regnum Christi, maximè de principe huius mundi Satana eiusque copiis hic sermo habetur. Interim notatur quàm misera sit hominum conditio extra Christum, nempe quòd prostrati iaceant sub diaboli tyrannide. Non enim ex eius manu (hoc est imperio) alias suos liberaret Christus. Admonet tamen hic locus, Ecclesiam præcipuè, quandiu peregrinatur in mundo, inter hostes suos agere, & eorum violentiæ esse obnoxiam, nisi præsto adesset Christus ad opem ferendā. Sed hæc inæstimabilis est Christi gratia, quòd nobis indubia est ac tuta salus, quamuis vndique nos circundent hostes. *Nostris.* [c] Significanter hoc positum. Nam si non percipiamus fructū ex ipso, quid proderit? Requiritur ergo vt sciamus eum venisse nobis.

72 *Vt ageretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset Testamenti sui sancti.*

Vt ageretur misericordia. [c] Græcè, ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & vt memor esset, &c. Id est, vt pro misericordia sua faceret quod patribus erat pollicitus, & memor esset fœderis sui sancti. Hinc videmus sola Dei misericordia factum vt mitteret redemptorem: hoc totius redemptionis fundamentum est. Valde sanè obseruandus ordo. nam postquam Christi officium descripsit, iterum admonet, Christum nobis esse datum non nostro merito, sed sola gratuita eius misericordia. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos (inquit Paulus) sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, Tit.3.b.5. *Erga patres nostros.* [c] Suspicari poterant patres fuisse dignos, & suis meritis id esse consequutos. Nam mundus semper hac superstitione laborauit, vt sanctos mortuos ita veneretur vt ex eis idola faciat. Cæterum hic significat non tantùm nepotes, sed etiam patres hoc tam immenso Dei beneficio fuisse indigos. Præterea quòd præstitā sua ætate misericordiam Zacharias ad patres mortuos extendit, vt communiter eius fructum percipiant, hinc sequitur non cō tineri Christi gratiam & virtutem huius caducæ vitæ angustiis, sed æternam esse: nec carnis morte finiri, quum & animæ sint à morte superstites, & carnis interitum sequatur resurrectio. Sicut ergo neq; Abrahā neque vllus sanctorū salutē propria virtute vel meritis sibi acquirere potuit, ita cunctis fidelibus, tam mortuis quàm viuis, communis in Christo salus fuit ostensa. *Ac memor esset testamenti sui.* [c] Deus memor sui testamenti fuisse dicitur, quia obliuio quædam videri poterat tam longa illa mora, sub qua passus fuerat afflictū grauissimis malis populum languere. Testamentum verò vsurpat Zacharias pro fœdere & promissione qua Deus se obstrinxit ex gratia hominibus. Imitatur enim morem hominum, quibus in vsu est condere testamenta, & inire fœdera, idque conceptis verbis & solennitate. Tria ergo sunt hic ordine obseruanda quæ in hoc versu continentur. Primò, quòd mera inductus misericordia fuerit Deus vt fœdus cum patribus percuteret. Deinde quòd fœdus percutiens, verbo suo alligauerit hominum salutem. Tertiò, quòd in Christo exhibuerit quicquid est bonorum, vt ita promissiones suas omnes sanciret. vt certè nō aliter rata est earum fides nisi quum apparet in Christo complementū. Promittitur quidem in fœdere peccatorum remissio: sed ea extat in Christi sanguine. promittitur iustitia: sed in Christi expiatione offertur. promittitur vita: sed nonnisi in Christi morte & resurrectione quærenda est. Atque hæc ratio est cur olim ipsum quoque Legis volumen sanguine victimæ Deus iusserit aspergi, Exod.24.b.7.8, & Heb.9.e,19. *Sancti.* [b] Sanctum dicit Testamentum, hoc est inuiolatum. Nam sanctum reuera est sanctioneque aliqua firmatū, vt quum leges dicimus sanctas, sanctione videlicet aliqua firmatas. ita enim & testamentum sanctum est quod iureiurando confirmatum est, vt sequenti versu id explicat.

73 *Secundum iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, ut daret nobis*

Secundum iusiurandum quod. [c] Græcè præpositio non exprimitur: sed hunc familiarem linguæ esse vsum satis notum est, quum nomen accusatiui casus ponitur sine regimine, subaudiendam esse præpositionem à qua regatur. Iurisiurandi meminit, quo melius exprimeret quàm stabilis ac sancta sit eius veritas. eo enim indulgentiæ Deus se submittit, vt nomen suum in subsidium infirmitatis nostræ interponere dignetur. Quare si nobis non sufficiunt nudæ promissiones, saltem in mentem veniat hæc confirmatio, quæ nisi omnem dubitationem eximat, plusquam ingrati Deo sumus, & sacro eius nomini iniurii. [a] Hoc ipsum est quod Apostolus scribit, Deus quū cumulatiè vellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, Heb.6.d.17. *Ad Abraham.* [a] Hinc videmus quàm verax & quàm seruās promissionū suarū sit Deus. Non solùm enim eas seruat promissiones quas dedit per Prophetas, sed etiam seruat ea testamēta seu pacta quæ instituit cum Patriarchis, ac præcipuè cum Abrahamo & Dauide: quæ & confirmauit iuramēto suo. Nam hoc est testamentū, (hoc est pactū & fœdus) quod Deus iniit cū Abrahamo & semine eius, Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, Gen.12.a.3. Et, Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicētur in semine tuo omnes gentes terræ, Ibidem, 22.a.7. Et hoc pactum confirmauit iuramento, Per memetipsum (inquit) iuraui, benedicā tibi, & multiplicabo semē tuum, Ibidem, versu 16. De Dauide autem scribitur, Percussi fœdus meū cum electo meo, iuraui Dauid seruo meo, Vsque in æternum stabiliam semē tuum, & ædificabo in generationem & generationem thronum tuū, Psal. 89.a.4. Et versu 21, Inueni Dauid seruum meum, oleo sanctitatis meæ vnxi eū. Et paulo pòst, versu 24, Et conterā à facie eius hostes eius, & odio habētes eū percutiā. Et veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et mox versu 29, In seculū custodiam ei misericordiā meā, & pactum meū firmum erit ipsi. Et ponā in seculum semen eius, & thronū eius sicut dies cæli. Atque hæc quidē Abrahæ & Dauidi promissa de victoria super inimicos, de securitate & tranquillitate vitæ & perpetuitate fœlicissimi regni, ita sonare videntur perinde acsi de externis tātùm benedictionibus intelligerētur, & iuxta sensum huius seculi implēda essent: sed ex hoc Zachariæ carmine (quod est promissionum Dei, quæ ad Abrahamū & Dauidē dictæ sunt, veluti paraphrasis) perspicuè intelligi potest eas promissiones maximè ad benedictiones spirituales respicere. Exponit enim, hæc intelligēda esse de iis inimicis qui per Christū Iesum deuicti sunt, & de ea vitæ trāquillitate ac fœlicitate quæ nobis per Christū parta est. Christus autē nō deuicit externo belli apparatu vel Ægyptios, vel Babylonios, vel Romanos. Etsi enim Iudæi ab his omnib[9] partim oppressi fuerant, partim adhuc ita opprimebantur vt non liceret ipsis

cultum Dei in Lege institutum tranquillè in terra sua peragere, & securam vitam ducere: non tamen côtigisset eis vera salus, aut vera iustitia, etiamsi ab his hostibus liberati fuissent. sed principio deuicit eos inimicos, & liberauit populum suum ab iis omnibus de quibus Paulus loquitur Eph. 6.b.12. Inter quos præcipuus est Satan, deinde peccatum in quod persuasu Satanæ Adam coniectus est: postremò mors & infernus. Deinde restituit Christus populum suum, non in eam securitatem qua faciant cultum Leuiticum in Ierusalem (qui cultus nô fuit nisi ciuilis, & pædagogia ad Christum) sed remisit illis peccata: propter quam remissionem conscientia per fidem ita secura redditur, vt iam nec Satanam, nec peccatum, nec mortem, nec infernum timeat.

74 *Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi,*

Vt sine timore de ma. [B] Hoc includit in sese, nos tum præsentis tum futuri seculi bonorum securos esse. Nam Christianus vtique securus & certus est de peccatorum nostrorum condonatione, tametsi adhuc illa sentiat. certus est enim mortem in se nihil iuris esse, Satanã in sa nô vincere, nec mûdû quicquã in se posse. Ne tamẽ ita intelligas quòd peccatû omnino no persentiscat, immò quòd crucietur interdum vbi peccata senserint, & mortis imago corã terrefecerit, vsqueadeo vt à mundo dedecore & ignominia grauatus, nudus persistet, nec quicquã in his terris ad quod se vertat, præter quã solû Deum, habeat. Sentitur quidẽ Satã & peccatum, sed nihil afficit, nihilque vincit. Nã æquè in Deo tutû & securû cor permanet. De hoc timore sic Paulus, No accepistis spiritû seruitutis iterû ad timorẽ, sed accepistis Spiritû adoptionis, per quẽ clamamus, Abba Pater. Idẽ spiritus côtestatur spiritui nostro quòd simus filii Dei, Ro. 8 c.15. Et, Timor nô est in charitate, sed perfecta charitas foras eiicit timorẽ: quoniã timor cruciatû habet: qui autẽ timet, nô est perfectus in charitate, 1. Ioh. 4. d. 18. [C] Significat ergo Zacharias nô posse nisi tranquillis animis rite Deum coli. Nã qui inquietudine laborãt, qui secû disceptãt illumne habeãt propitiû an infensum, gratâne habeat sua obsequia, an repudiet: qui denique incerti fluctuant inter spẽ & metû, solicitè interdum satagent in colendo Deo: sed illi nûquã sincerè neque ex animo se subiicient. Facit enim trepidatio & anxietas vt eû horreant: ita, si fieri posset, extinctum potius cuperẽt eius numen. Scimus autem nullum Deo sacrificium nisi spontaneû placere, & quod hilari animo offertur. Quare vt verè Deum colant homines, eorum côscientias prius sedari necesse est: quemadmodum & Dauid loquitur, Apud te est propitiatio, vt timearis, Psal. 130. a. 4. Deus enim homines data pace comiter ad se inuitans, facit vt libenter accedant & cum liberali eius colẽdi affectu. Hinc & Paulus sententiam illam deducit, peccatum esse quicquid sine fide suscipitur, Rom. 14. d. 23. Quum autem Deus homines sibi in Christo reconciliet, quû eiusdem præsidio ipsos tueatur, vt securi sint ab omni metu: quû eorum salutẽ in eius manum & custodiã deposuerit, meritò Zacharias nos eius gratia prædicat à metu liberari. Ideo Prophetæ hoc propriû adscribunt eius regno, vt pacem homines securè colant, & tranquillo gaudio fruantur. *De manu inimicorum nostrorum liberati.* [A] Ad hæc verba respiciebant promissiones versu præcedẽti annotatæ. *Seruiremus ipsi.* [C] Nô enarrat Zacharias per singula capita quid côtineat Dei fœdus, sed docet in quem finem Deus tam benignè pro sua misericordia egerit cum populo, vt eû redimeret: nempe vt redempti se totos addicant & deuoueant colẽdo salutis suæ authori. Sicut ergo efficiens humanæ salutis causa fuit gratuita Dei bonitas, ita finalis est, vt homines piè sanctéque viuẽdo nomen eius glorificent. Quod diligenter notãdum est, vt vocationis nostræ memores, gratiã Dei in se ferre discamus in suum vsum. Meditandæ sunt, inquam, istæ sentẽtiæ, nô esse nos ad immûditiem vocatos, sed ad sanctimoniam, 1. Thess. 4. b. 7. nos magno pretio redemptos esse, non vt serui simus cupiditatum carnis, vel vt effrenati licentia exultemus, sed vt regnet Christus in nobis, 1. Cor. 6. d. 20. nos adoptione insertos in Dei familiam, vt vicissim tanquam filii patri obsequamur. Nam in hoc apparuit Dei bonitas & φιλανθρωπία, vt abnegatis secularibus desideriis, sanctè & piè & honestè viuamus, Tit. 2. c. 12. Ideo Paulus quû efficaciter vult hortari fideles vt se Deo consecrent in vitæ nouitatem, & deposito veteri homine, priorique mente exuti, cultum illi rationalẽ exhibeant, proponit illis misericordiam Dei, Rom. 12. a. 1. Plena est eiusmodi testimoniis Scriptura, quæ ostẽdunt exinaniri Christi gratiam nisi ad hunc scopum tendimus. [A] Nam & hic nostræ electionis vnus est finis, vt sancti & inculpati simus in conspectu Dei in charitate: quemadmodum docet Paulus Ephes. 1. a. 4. Liberati igitur sumus nô vt lasciuiamus, sed ut Deo sine timore seruiamus.

75 *Cum sanctitate & iustitia corã ipso cunctis diebus vitæ nostræ.*

Cum sanctitate &c. [B] Sicuti duabus tabulis côplexus est Deus bene viuendi regulam, ita hic Zacharias pronuntiat legitimè tunc demum nos seruire Deo quum ad sanctitatem & iustitiam composita est vita nostra. Neque enim dubium est quin sanctitas pietatis officia designet, quæ spectant ad priorem Legis tabulam: quod ne Platonem quidem latuit. Iustitia autem ad omnia charitatis officia extenditur: quia non aliud exigit Deus à nobis in secunda Legis tabula, nisi vt cuique reddamus quod suum est. Siquis verò hanc bene viuendi regulam quærat, eam ex Lege Dei petat. *Coram ipso.* vel, In conspectu eius. [B] Sanctitatem & iustitiam quæ hominibus placet, quáque fit vt hominibus sancti & iusti appareamus, & quam homines commenti sunt hypocriticam, separat ab ea quæ Deo grata est & quam in Lege sua præscribit. Vult Zacharias vt cogitemus nos semper versari coram Deo, & ipsum corda nostra intueri, in eum finem vt componamus vitam nostram ad eius voluntatem & Legem: vt omnia agamus acsi corãm ipse staret, qui nunquam abest, qui omnia videt. omnia enim patent oculis eius, nec potest quicquã eum latere. [C] Non satis est ergo si fideles coram hominum oculis vitam suam pulchrè moderentur, manus, pedes, totumque corpus ab omni flagitio contineant: quoniam eos ad Dei arbitriû viuere oportet, qui externa sanctimonia contentus non est, sed cor præcipue intuetur. *Cunctis diebus vitæ nostræ.* [C] Nequis se defunctum putet vbi aliquo temporis spatio Deum coluerit, pronuntiat Zacharias, hac lege redemptos esse homines vt colendi Dei studium tota vita prosequatur. Et certè quum æterna sit redemptio, eius memoriam nunquam effluere decet: quum sibi in perpetuum homines Deus adoptet, non debet caduca vel exigui temporis eorû esse gratitudo: denique quum mortuus sit & resurrexerit pro illis Christus, eum vitæ & mortis dominum esse côuenit, Ro. 14. b. 9. Ideo Paulus sanctam & iustam vitam prosequi nos iubet vsque in aduentû magni Dei, expectantes beatã spem, & illustrationẽ gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, Tit. 2. d. 13. [B] Ergo Deus non vult temporariam agnitionem beneficii sui, sed totam vitã. Æternus est, & non mutatur: qui igitur illum agnouerit, in æternum auelli ab eius obseruantia non poterit. nihil siquidem melius eo poterit inuenire.

76 *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ad parandum vias eius.*

Et tu puer, Propheta Altiss. Iterû redit Zacharias ad commendationem gratiæ Christi: sed hoc facit quasi sub filii sui persona, officium docendi, cui destinatus erat, breuiter definiens. Tametsi autem in paruulo octo dierum infante nondum cernit Propheticas dotes, oculos tamen conuertens ad Dei consiliû, quasi de re nota loquitur. [B] Congratulatur ergo pater infantulo quod agnoscat officii sublimitatem, & quasi vaticinatur. Propheta est interpres oraculorû Dei, doctor item & prædicator in Ecclesia, per quem loquitur Ecclesiæ suæ Dominus, voluntatem suam reuelans, vt ex sequentibus Zachariæ verbis intelligitur, & ex verbis Matthæi, vbi dicitur Iohãnes Baptista prædicans in deserto Iudææ, dicẽsque, Pœnitentiã agite, &c. Matth. 3. a. 1. Certissimû profectò diuinæ clementiæ argumentû est quãdo Deus Prophetas ad aliquẽ populû mittit. Neq; enim populus potest côsistere sine Prophetis: omnia enim diffluunt, omnia soluûtur & labascunt. Quod hodie videre licet vbi Euãgeliû nô prædicatur. nã licet illic sint plerique pii, quibus côsceleratio tota displiceat, nemo tamẽ sceleratis reclamare audet, nemo resistere: vbi verò fidi sunt Prophetæ, prodeunt, & scelera protrahunt in medium ac redarguunt: clamant, nec cessant quasi tubã vocem exaltãt, & annûtiant populo scelera, simúlque taxant ac damnant: vt nebulones saltem pudefiant, agnoscantur, metúque deterreantur qui iustitiæ amore benefacere nolunt. An verò nô potuisset Deus (qui omnia potest, & cuius voluntati nemo resistit) hominum corda Spiritu suo illustrare, vt venientem Filium saluatorem agnoscerent & reciperent? Verùm hunc ordinem seruat Deus: præmittit Prophetam qui sua prædicatione paret Domino viam. De Prophetæ officio vide primum caput Ieremiæ. De nomine Altissimus dictum est versu huius capitis 32. *Vocaberis.* [C] Vocari Dei Prophetam, hic pro censeri & palàm agnosci accipitur. Iam præcesserat occulta Dei vocatio: restabat tantùm vt patefieret hominibus qualis esset. Sensus est igitur, Mundus intelliget te esse Prophetam Altissimi. Quia verò generale est Prophetæ nomen, ex reuelatione sibi per Angelum allata puerum hunc Christo apparitorem statuit Zacharias, dicens, *Præibis enim ante faciem Domini.* Hoc est, Hanc prouinciã obibis vt tuo præconio conuertas homines ad audiendû Dominum. [B] Hæc verba quasi descripta videntur ex vaticiniis Prophetarum, Malachiæ in primis cap. 3. a. 1, Esaiæ cap. 40. a. 3. Præire ante faciem Domini idem quod ministrum est Christi, qualem se nomi-

nat Paulus, 1. Cor. 4. a. 1. & 2. Cor. 3. b. 6. [a] Cui autem se Prophetam Dei propè confecto suo cursu Iohannes negauerit, dicetur suo loco, in Iohannis caput 1. c. 21. *Ad parandum vias eius.* [a] Vide annotationem, Matth. 3. a. 3. Quid sit parare vias Domini sequenti versu docet.

77 *Ad dandam scientiam salutis populi ipsius per remissionem peccatorum eius.*

Ad dandam scientiam salutis. [a] Exprimit Zacharias quàm salutare futurum sit munus siue ministerium filii sui. Hebraismus autem est, Ad parandum vias eius: nempe vt doceat populum salutaria, condonata videlicet illis esse peccata. Vel, Docendo populum eius vitam æternam, quæ non donatur nisi prius remissa fuerint peccata. [a]v Dare scientiam salutis populo est docendo tradere populo veram veræ salutis cognitionem. Solus autem Deus Spiritu suo illucescit cordib[9], & veram cognitionem donat: ad eam tamen conficiendam opera vtitur ministrorum, sed ita vt omnis laus & gloria in solidum solius sit Dei, vt & Paulus docuit, 1. Cor. 3. b. 7. *Per remissionem peccatorum.* [c] Præcipuum hic Euangelii caput attingit Zacharias, dum scientiam salutis in remissione peccatorum positam esse docet. Nam quum nascamur omnes filii iræ (Ephes. 2. a. 3) sequitur natura damnatos esse ac perditos. Hæc porro damnationis causa quòd iniustitiæ rei sumus. Quare non aliud effugiendæ mortis remedium est nisi vt nos sibi Deus reconciliet, peccata nobis non imputando. Atque hanc vnicam nobis coram Deo iustitiam restare ex Zachariæ verbis colligere promptum est. Vnde enim salus nisi ex iustitia? Quòd si filiis Dei aliam cognoscere salutem quàm ex remissione peccatorum fas non est, sequitur non alibi quærendam esse iustitiam. Ita iustitia (quam superbi homines ex operum meritis conflant ac fabricant) nihil aliud est quàm iustitiæ imputatio, dum nos gratis à reatu Deus absoluit. Ad hæc notandum est, Zachariam non de extraneis, sed de populo Dei habere sermonem. Vnde sequitur, non modò iustitiæ principium ex peccatorum remissione pendere, sed imputatiuè, (vt ita loquamur) iustos coram Deo in finem vsque esse fideles: quia aliter coram eius tribunali consistere nequeunt nisi quotidie ad gratuitam eius reconciliationem se conferant. [a] Valeant nunc sophistæ, qui de causa salutis tam multa impiè disputant.

78 *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitauit nos Oriens ex alto.*

Per viscera misericordiæ Dei nostri. [a] Id est, Per fauorem immensum siue Per summam Dei misericordiam. Viscera enim misericordiæ significant misericordiam quæ ex intimis præcordiis atque visceribus oritur. [c] Metaphora autem sumpta ab hominibus, sentimus enim viscera nostra commoueri dum mouemur re aliqua. Propterea de visceribus loquitur Scriptura quoties misericordiæ mentionem facit, vt intimam affectuum commotionem significet: velut quum matris viscera commouentur erga filium morientem, id est, quum omnia eius intima propter filium cruciantur. Sicuti de ea scriptum est quæ coram tribunali Solomonis consistens, dum crederet filium suum gladio dissecandum, intimis commota est visceribus, sicuti videre est 1. Reg. 3. d. 26. Et de Ioseph legimus, Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, Genes. 43. f. 30. Hac loquutione adumbratur nobis ineffabilis Dei dilectio, studium & misericordia erga nos summa. Vbi nunc satisfactiones? Præuenimúsne Deum vt se nobis reconciliet? Minimè. Totum hoc manat ex misericordia ipsius. Attamen hæc condonatio noxæ, quæ ex commiseratione nobis obtigit, absque merito facta non est, quanquam absque nostro merito euenerit: verùm interuenit Mediator, qui iam nobis nostra vita meruit, qui est Christus Iesus Dominus noster. Volebat enim Dominus, tametsi remitteret peccata, pro iisdem tamen sibi satisfieri, suumque honorem & iura persolui. Hic nihil poteramus. Christus autem solus & potuit & pro nobis satisfecit: qui ex infinita misericordia Patris in hoc legatus fuit & ad nos demissus vt idipsum expediret. Ideo dicit, Per quam infinitam commiserationem visitauit nos Oriens ex alto. Procul dubio meritum nostrum id non fuit, sed sola Dei immensa misericordia, quòd Christus ad nos peruenerit, talémque peccatorum remissionem nobis meritus sit, & impetrarit ad æternam salutem. *Quibus visitauit.* Quid sit visitare, annotatum est suprà, versu 68. [c] Oriens hic non est participium: nam Græcè est ἀνατολὴ, hoc est regio Orientalis, cui Occasus opponitur. Christum igitur ipsum solem vocat orientem. Addit, *Ex alto*, siue altitudine, aut sublimitate: ad differentiam corporei solis, qui nobis oritur, ab inferis surgens in altum: hic sol contrà, è sublimi exortus descendit ad nos vt nobis illucesceret. Alludit autem ad locum illum Prophetæ, Adducam seruum meum Orientem, Zach. 3. d. 9. Et, Ecce vir, Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, ibidem, 6. c. 11. [a]v Appellat autem eum Orientem ab alto, quod diuinitatem eius subindicat: estque hæc illius sententia, In alto id est super omnes creaturas. Vbi nihil altius sed sola altitudo est, ibi Christus est in sua diuinitate, æquè atque aurora vel Oriens. Procedit enim à Patre velut à sole radii. Sic Christus de se loquitur, Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Iohan. 3. b. 13. Nam non habet ortum suum in terra, vbi concipitur & nascitur. Item, Exiui à Patre & veni in mundum, ibidem, 16. d. 28. Ille (inquit) nos visitauit, ad nos venit in terram, ac nobis donauit miseris peccatoribus, qui nostra causa perpetuò periissemus, remissionem peccatorum donauit.

79 *Vt illucesceret iis qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Vt illucesceret iis qui. [c] In hoc extollit Zacharias Dei misericordiam, quòd discussis mortis tenebris, lux vitæ fuerit restituta populo Dei. Videtur autem allusio esse ad verba Prophetæ, vbi Christus sol iustitiæ vocatur, sanitatem in alis (hoc est radiis suis) portans, Malach. 4. a. 2. Quum sol oritur, ipsum adferre sanitatem experimur. Sentimus enim ex ipsius ortu nos esse alacriores: quod certè in ægrotis melius deprehenditur. Quorum ad lucem & tenebras, similes sunt loquutiones apud Esaiam, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: incolis vmbræ mortis lux orta est, Esa. 9. a. 2. & pluribus aliis locis, qua de re vide Matth. 4. c. 16. [b]v Perseuerat igitur in metaphora: sicut sol lucet corporibus, ita Christus animis. Simul indicat quare appellarit Christum Orientem, vt videlicet illucescat sedentibus in tenebris, &c. Tenebras & vmbram mortis vocat tenebras mortiferas (more Hebræorum) siue tenebras & caliginem quæ ipso intuitu mortis metum incutit, ab effectu sic dicta caligo. Genitiuus autem apud Hebræos loco epitheti sumitur. Sedere, positum pro esse prostratum, vt ægroti qui decumbunt, & mortui qui iacent, non possunt se commouere. Cæterùm his verbis docemur nihil esse viuificæ lucis in mundo extra Christum, sed omnia horribili mortis caligine occupari: ideo alibi Esaias beneficium hoc soli Ecclesiæ proprium esse testatur. Ecce, inquit, tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, Esa. 60. a. 2. Quæritur tamen quomodo sederint in vmbra mortis Israelitæ, quorum cordibus semper Dominus per fidem illuxit. Respondemus, pios qui sub Lege vixerunt, quum vndique cincti essent mortis tenebris, lucem in Christi aduentu procul intuitos, qua fuerunt recreati, ne præsenti morte obruerentur. Fieri etiam potest vt Zacharias ad miserum temporis sui statum respexerit. Sed hoc generaliter verum est, Christi aduentu lucem piis omnibus, qui prius fuerant, & deinde futuri erant, esse exortam quæ eos viuificet: quia vitam suam in mortuos quoque diffundit. [a]v Præterea coniungit hic Zacharias Iudæos & Gentes, & statuit omnes homines in morte & tenebris sedere, aut (si mauis) describit conditionem humani generis, ac simul officium Christi. Dicit igitur, Christus ideo venit vt lux mundi fieret, pérque Euangelium corda illuminaret, & ad sese inuitaret, qui in cæcitate & in tenebris incredulitatis sub Satana captiui detinebantur: vt ita pedes illorum in viam pacis perduceret. Vide Matth. 4. c. 16. Obseruandum, si electi, antequam vocentur, sunt in vmbra mortis, quid de reprobis? Porro tenebris mortis opponenda est claritas Christi, qui tenebras istas fugat vt illuminemur in salutem: illius solius splendor nobis sufficere debet. *Ad dirigendos pedes nostros.* [c] Hac particula docet Zacharias, perfectionem omnis boni & fœlicitatis summam in solo Christo esse. Posset quidem in proprio sensu accipi nomen pacis, nec malè conueniret: quia illuminatio Christi ad pacandas hominum mentes valet. Sed quia Hebræis pax beatum omnium rerum successum significat, non dubium quin Zacharias Christum hic facere velit perfectæ beatitudinis authorem: ne quam boni partem alibi quæramus, sed omnino ac solidè beatos esse nos in Christo persuasi, in eo solo acquiescamus. Quo spectant illa Prophetæ verba, Non lucebit tibi amplius sol interdiu, neque luna per noctem: sed erit tibi Dominus in lucem perpetuam, Esa. 60. d. 19. Quòd si Zacharias solo filii sui adhuc infantis conspectu inductus fuit vt de Christi gratia & virtute, priusquam nasceretur, tam magnificè dissereret, annon ter & quater ingrati sunt qui de Christo, postquam mortuus est, resurrexit, & ascendit in cælum, vt ad dexteram Patris sedeat, minus honorificè & splendidè sentiunt, ac eius virtutem extenuant, cuius elogio ornatus fuit à Spiritu, adhuc vtero matris inclusus? Tenendum enim memoria est quod prius attigimus, non à seipso loquutum esse Zachariam, sed Spiritu Dei linguam eius gubernante. [a] Hoc

quia iure adoptionis propinqui Deo erant Abrahæ filii: Gentes autem, quibuscum nullum erat Dei fœdus, ab Ecclesia extraneæ. Qua ratione Israel non tantùm filius Dei, sed etiam primogenitus vocatur, Exod.4.e.22. Et Paulus docet Christum venisse vt minister esset Circoncisionis secundũ promissiones Patribus datas, Rom.15.b.8. Cæterùm ita præfertur Israel Gentibus vt communiter omnes salutẽ in Christo obtineãt. Nam ex hoc loco colligimus, homines naturaliter luce priuatos esse, donec illis affulgeat sol iustitiæ Christus. Quantum ad Israelem spectat, quanuis summo honore à Deo affectus esset, Simeon tamen admonet totam eius gloriã ab vno capite pendere, quòd illi promissus esset redemptor. Tametsi ergo Christus sit gloria omnium eorum qui in ipsum credũt, siue Iudæi sint, siue Ethnici: potissimũ tamen Israelis gloria dicitur, quòd huic genti peculiariter promissus esset: deinde quia quicquid claritudinis & maiestatis populo Israelitico contigit in hoc mundo, id ei propter Christum contigit. Multiplicauit enim Deus semẽ Abrahæ, & dedit ei victoriam super omnes hostes, terram Chanaan, politiam & regnum: nõ propter ipsorum iustitiam, sed propter Christum, vt esset gens in qua vaticinia de Christo reuelarentur, & vsque ad natiuitatem eius conseruarentur. Propter hæc gloriabantur Iudæi, teste Paulo, Ecce, tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo, &c. Rom.2.c.17. Et paulo pòst, Qui de Lege gloriaris, &c. Ibidẽ, d.23. Postremò, quia Christus natus est ex Israele secundum carnem: qua gloria nihil illustrius vlli vnquam populo in toto orbe terrarum contigit. Habuerunt igitur Iudæi vnde gloriarentur, vbi viderunt Christum ex sua gente natum iuxta promissiones. ^ Qua de re vide Rom.1.a.3, & 9.a.5.

Hunc librum possidebat Iacobus magnanus.



